Anal.

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD USQUE INNOCENTII III TEMPORA FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA;

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS NON NISI POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS, DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES PRIMA

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

Jacques Paul

ACCURANTE J.-P. MIGNE, Cursuum Completorum IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS, EDITORE.

TOMUS PRIMUS.

PARISIIS, EXCUDEBAT MIGNE,
IN VIA DICTA: D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIERE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE.

1844.

Digitized by Google

≃ 5501.1



HARVARD COLLEGE LIBRARY

1875, March 22.
Bequest of
James Walker D. D., L. L. D.
(H. U. 1814.)
President of Harv. Univ.

Digitized by Google

Anal.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS

TERTULLIANI

PRESBYTERI CARTHAGINIENSIS

OPERA OMNIA

CUM

SELECTIS PRÆCEDENTIUM EDITIONUM LECTIONIBUS

VARIORUMQUE COMMENTARIIS.

PARS PRIMA.

LIBRI AB AUCTORE NONDUM MONTANISTA SCRIPTI, INTER QUOS INTEGER DE ORATIONE LIBER EX RECENSIONE MURATORII.

ACCEDUNT PLURES DIVERSI ARGUMENTI DISSERTATIONES JAC. PAMELII, DD. NICOL. LE NOURRY, GOTHOFR. LUMPER, JOH. A. NOESSELT, LAUR. MOSHEIM, NEC NON ET PERPETUUS SIGEBERTI HAVERCAMPI IN APOLOGETICUM COMMENTARIUS.

TOMUS PRIMUS.

PARISIIS

EXCUDEBAT MIGNE,

IN VIA DICTA : D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER,

OU PETIT-MONTROUGE.

1844.

Digitized by Google

CONSPECTUS TOTIUS OPERIS.

OPERA OMNIA Q. FLORENTIS S. TERTULLIANI,

IN DUAS PARTES DUOSQUE TOMOS DISTINCTA.

Pars prima

Opera a Tertulliano catholico scripta continens,

SERIES PRIMA.

LIBRI APOLOGETICI.

Apologeticus pro Christianis.
Dissertatio Mosheim in Apol.
Libri duo ad Nationes.
De Testimonio animæ.
Ad Martyres.
De Spectaculis.
De Idololatria.
Accedit ad Scapulam liber.
Dissertatio D. Le Nourry in Apologet. libr. II ad Nat. et libr. ad Scapulam.

SERIES SECUNDA.

LIBRI POLEMICI.

De Oratione.
De Baptismo.
De Pœnitentia.
De Patientia.
Ad Uxorem libri duo.
De Cultu Fœminarum lib. II.

Pars secunda

Opera a Tertulliano montanista scripta continens

Quibus prætermittitur liber de Præscriptionibus adversus hæreticos.

SERIES PRIMA.

LIBRI DOGMATICI.

De Corona Militis.
De Fuga in Persecutione.
Adversus Gnosticos Scorpiace
Adversus Praxeam.
Adversus Hermogenem.
Adversus Marcionem libri V.
Adversus Valentinianos.
Adversus Judæos.
De Anima.
De Carne Christi.
De Resurrectione Carnis.

SERIES SECUNDA.

LIBRI MORALES.

De velandis Virginibus.
De Exhortatione Castitatis.
De Monogamia.
De Jejuniis.
De Pudicitia.
De Pallio.

APPENDIX AD OMNIA OPERA

APPENDIX PRIMA. — Carmina. — Adversus Marcionem lib. V. — Ad Senatorem. — Genesis. — Sodoma. — De Jona et Ninive. — De Ligno vitæ.
APPENDIX II. — Le fragment inédit.
APPENDIX III et IV. — Les fragments d'ouvrages traduits en grec ou perdus.

APPENDIX V. — Les notes sur le traité du Baptême et de la Pénitence, avec la Dissertation *intercalaris* placée entre les deux traités.

Indices.

ELENCHUS RERUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

Præfatio in Tertullianum.
Vita Q. S. F. Tertulliani, carthaginensis presbyteri, auctore Jac. Pamelio.
Dissertatio de vera ætate ac doctrina scriptorum quæ supersunt Q. S. Tertulliani, auctoribus D. Gothofredo Lumper et Joh. A. Noesselt.
Paradoxa Tertulliani, cum antidoto Jacobi Pamelii.
Proverbiales formulæ toto opere hoc Tertullianico contentæ, auctoribus B. Rhenano et A. Hoyo Brugensi.
Apologeticus adversus gentes.
Joh. Laurent. Mosheim de ætate Apologetici Tertulliani, initioque persecutionis Severi disquisitio.
Ad Nationes libri duo.
De Testimonio Animæ liber adversus gentes.
Liber ad Martyres.
Liber de Spectaculis.
Liber de Idololatria.
Liber ad Scapulam.
Dissertatio in Q. Septimii Florentis Tertulliani Apologeticum, duos ad Nationes libros et unum ad Scapulam, auctore D. Nicol. L. Nourry, presbytero et monacho ordinis S. Benedicti, e congregatione S. Mauri.
Liber de Oratione, cum notis Panciroli et Muratorii, variorumque.
Liber de Baptismo.
Liber de Pœnitentia.
Liber de Patientia.
Libri ad Uxorem duo.
Libri de Cultu fœminarum duo.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Omnes latinæ linguæ Patres, scriptoresque ecclesiasticos iterum, favente Deo, almaque Virgine Deipara, in lucem emittendos aggressuri; cum tanto caussæ christianæ testium agmini, quis potissimum præiret antesignanus, perpensa temporum, rerum, operum ratione, quæreremus; adfuisset quidem in prompto, e primis Ecclesiæ incunabulis, melioris notæ vir ac sanctioris ominis nomen; præstantior vero pondere ingenii ac doctrinarum copia nemo, præter hunc nostrum QUINTUM SEPTIMIUM FLORENTEM TERTULLIANUM.

Laudandum quidem ingenium, damnanda vero hæresis, ac sane lugenda longioris tanti viri vitæ pars ultima, majorque, in fœdos errores impensa. At cum altera pars et melior in fidei certamina strenue fuerit erogata, huic igitur, attentis saltem temporum ratione ac ætatis jure, primas habere partes indulgeatur. Hunc merito suum occidentalis Ecclesia sibi vindicet primum assertorem. Hujusce proinde magni nominis umbra ac patrocinio defensa, exoriatur et crescat nova hæc omnium, quibus adolevit Catholica Traditio, testimoniorum series integra, ex omnibus magnis, minimisve concinnanda scriptis, quæ ab Apostolorum ætate ad ultimos Patres in orbe christiano, fidei tuendæ caussa, prodiere et supersunt; cuncta jam edita iterum editura; deficientibus de die in diem aut raro occurrentibus veterum libris sufficienda; diu a multis enixe desiderata; jamdudum nuntiata; sero, quo providius, inchoata: ardua quippe res et tantæ molis; indefesso tandem molimine, perpetuaque opera, adsit modo bonus dexterque Deus, finem ad usque ultimum perducenda.

Nobis vero talia auspicantibus felix faustumque sit, illud primis infixum vestigiis relegere, illud a Tertulliano misere lapso ediscere, nullum nempe fidei serendæ aut servandæ unquam fuisse necessarium feracissimi ingenii subsidium, nec ut firmum stet et inconcussum Ecclesiæ fundamentum, suffulciendam esse ab hominum imbecilli manu et caduca, hanc *columnam ac firmamentum veritatis* (1). *Enim aliud fundamentum nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est* CHRISTUS JESUS (2). *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: cognovit Dominus qui sunt ejus, et discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini* (3).

Ea est interea hujusce qui primus occurrit testis varia ac dubia indoles, ut nonnulla de recto illius usu ac vera auctoritate præfari non supercrit. Alii enim alia quæ de eodem disserenda sunt pro virili in istius operis decursu dicent:

Præibit nempe PAMELIUS Septimianos annales per quatuor et viginti fastus consulares contexturus.

Subinde quæ cujuslibet libri occasio, ætas, auctoritas, quot sint et quandonam sive ante, sive post susceptum ab auctore montanismum conscripti, diserte disputabunt Joh. Aug. NOESSELT et D. Gothofredus LUMPER.

Tum Tertulliani Paradoxa, cum eorum antidoto, iterata ejusdem Pamelii opera recensebuntur.

Una succedent B. RHENANUS simul et ANDREAS HOYUS Brugensis, in explicandis quæ frequentiores usurpat Tertullianus Proverbiales formulas, unde lux non minima in toto opere suffunditur.

Deinde rara admodum ac pererudita in libros Apologeticos dissertatione D. NICOL. LE NOURRY ardua quæque Septimianæ doctrinæ momenta quam uberius et plenius exponet.

Interim subnectitur brevis et luculenta LAUR. MOSHEMII de ætate Apologetici, initioque persecutionis Severianæ disquisitio.

Interea decurrit integerrimus Tertulliani textus præcedentium editionum *Rhenanæ*, *Pamelianæ*, *Franekanæ*, *Rigaltianæ*, *Parisiensium*, *Venetæ*, *Hallensis*, *Wicceburgensis* variis lectionibus illustratus, multorum præterea nempe JUNII, LATINII, WOUWERII, SALMASII, CIACCONII, SCALIGERI, SEMLERI, RITTERII, LEOPOLDI correctionibus castigatus, nec non et adornatus amplissimis RHENANI, PAMELII, PANCIROLII, LACERDÆ, ALBASPINÆI, HAVERCAMPI, MURATORII, D. CORBINIANI THOMÆ et variorum commentariis.

His tot et talium virorum cura peractis ad cumulum, ut ita dicam, accedet copiosissimus Tertullianæ latinitatis index, præcipua CH. GODOFRED. SCHUTZII opera digestus.

Unde jam nemo non videt quam exigua novis editoribus provincia remaneat, et quam sit nihil propemodum de suo penu addendum, nisi forte iis dicenda sint tum quæ supra suscipienda decrevimus, de Tertulliani usu et auctoritate, nec etiam in iis sibimet omnino relictis, eximia nempe et breviori occurrente de eodem argumento dissertatiuncula D. Corbiniani Thomæ; tum quænam fuerint ad usque tempora nostra præcipui in literarum orbe in Tertullianum impensi labores, quos iterum a doctiss. Ceillerio, Lumper, Schram et Schœnnemann, diligenter investigatos accepturi sumus; tum demum coronidis instar, uberius in hoc proœmio supercrit

(*Une.*)

(1) I Tim. III, 15.
(2) I Cor. III, 11.
(3) II Tim. II, 19.

Digitized by Google

indigitare quonam rerum ordine, librorum serie, dissertationum accessione, lectionum collatarum varietate, commentariorum ubertate ac delectu, appendicum et indicum culmine hæc nova editio sit ab aliis secernenda.

ARTICULUS PRIMUS.

DE AUCTORITATE TERTULLIANI.

Auctoritas in eo qui *potestatem habens* alios docet, recte a duplici capite deducitur, nempe tum ab ipsius scientiæ æstimatione, tum ab ejusdem veracitatis fiducia.

Uni et soli Deo summa auctoritas est, quippe cui soli summa sit veritas in cognoscendo, et summa in dicendo veracitas.

Quælibet alia eo major evadit auctoritas, quo propior ad illam accedit et perfectior ejusdem particeps efficitur.

Hinc nobis Catholicis nulla sub sole major, imo maxima in cœlo et in terra, nec alia ac Dei ipsius est, Ecclesiæ docentis potestas, quæ *verbo virtutis* Dei (1), *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* (1), quæ infallibili nec unquam ad consummationem sæculi deficienda Spiritus Sancti assistentia, nititur, regitur ac confirmatur.

Porro omnibus Catholicis qui sese Ecclesiæ legitimos filios probare student, necesse esse docet B. Vincentius Lirinensis, ut sanctorum Patrum fidei inhæreant, adglutinentur, immoriantur (2). Eam vero, consentiente tota Traditione, legem ad assensum Patribus præstandum ponit, ut quidquid non unum aut duos tantum, sed omnes pariter uno eodemque consensu aperte, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognoveris, id tibi quoque intelligas absque ulla dubitatione credendum.

Patribus vero sigillatim sumptis nulla alia competit auctoritas, nisi privata, ex variis dignoscenda indiciis, quorum alia unicuique sunt quasi propria, alia vero deforis desumpta.

In iis autem ipsis consideranda sunt sive quæ ad intellectum recte institutum, sive quæ ad sanam voluntatem pertinent; hinc nimirum eorum ingenii vis, doctrinarum ubertas, loquendi modus ac consuetudo, unde tuto credi potest quod non decipiantur; illinc autem morum probitas, vitæque sanctitas, qua omnis depellitur suspicio an decipiant aut decipere velint.

Ad hæc quasi intrinseca auctoritatis signa accedunt tum diversæ temporum, locorum, dignitatum, cæteræque in quibus auctores scripserunt circumstantiæ, tum potissimum tanti pretii judicium quo Ecclesia scriptores quosdam titulo tacito vel solemni, speciali vel specialissimo probat et dijudicat.

Ne vero amoveantur aut respuantur scriptores quotquot ecclesiastici, qui summos ac legitimos sanctitatis apices nondum fuerint adepti, nec rectum fidei tramitem indeclinabili pede triverint; cum enim aliquandiu saltem in orthodoxæ fidei gremio constiterint, idcirco omnem illis fidem abrogare nec par nec fas est: quinimo in quibus cum Catholicis conspirant, in iis eo major penes ipsos fiducia est, quod hinc et inde collusionem fieri et amice conjurari nemo sanus existimabit.

His catholicis rei Patristicæ positis criteriis, nunc deveniendum est ad propositum nostrum; nunc æqua lance ac firma æstimandus est QUINTUS SEPTIMIUS FLORENS TERTULLIANUS, tot vetustarum disciplinarum peritissimus; philosophica, historica, juridica, oratoria ac poetica eruditione potens; multa susceptam ante fidem forensi laude florens; florentior et accepta fide, utpote totius Christianorum caussæ, coram imperatoribus, in orbis Romani foro, defensor et patronus; æræ a Christo Domino secundæ ac Apostolorum proximæ præco; primus Ecclesiæ Latinæ testis et vindex, imo unus cujus vindiciæ ad nos pervenerint; insignes Africanæ fidei primitiæ; virorum apostolicorum alumnus; magister et ipse martyrum, pontificum et doctorum; Romæ ad sacra provectus, Carthaginique in presbyterii albo adscriptus; arcanorum scientissimus; omnium suæ ætatis hæreticorum debellator, imo Montani eversor egregius; et tamen (utinam absit!) montanista, hæreticus, hæreseosque caput emortuum, Ecclesiæ tandem jam non homo!...

Cui cum tot successere vices, multiplex ejus esse debet æstimatio, aliæque evadit prout aliam ipse tantum a se diversus induit personam. Ac ante omnia in eo, haud secus ac in cæteris Ecclesiæ doctoribus, nonnullius est pretii eruditionem profanam a sacra suppellectili, scriptorem privatum ab auctore catholico vel montanista, rem mere literariam aut historicam a caussa dogmatica secernere.

At quid caussæ esset cur in hoc operis mere patristici procœmio ac primo limine diu in Septimii profana laude morarer? Paucis igitur absolvam qualis sit rhetor, grammaticus, dialecticus, seu formæ excultor literariæ, qualisve sit philosophus, philologus, antiquitatum indagator, historiarum tenax, juris peritus, omni scientiarum genere exercitatissimus.

Porro quid de ipsius dicendi, disserendi et argumentandi genere sentiendum sit, paulo infra habes eleganter et diserte a doctiss. D. Lumper explicatum (1). Pauca tantum addere juvat, ne delicatissimus lector ac politioris minervæ studiosior salebris Tertullianæ latinitatis offendat et hæreat. Primus fere omnium Tertullianus dogmata traditurus ac mysteria hucusque latio sermoni prorsus ignota, proinde novas intrudere formulas ac inaudita vocabula, saltem alio sensu usurpata potuit, imo et debuit. Nascebatur ac propemodum in cunis vagiebat latinitas illa ecclesiastica, quæ suos ab initio habuit modos; suas sive in soluto sermone, sive in rhythmico modulo leges, apprime tractandis cœlestibus sacramentis accommodatas, habuit, sanxit, ac servavit. Quibus autem efformandis ac per ora hominum evulgandis haud exigua est Tertulliani laus mirum in modum profuisse;

(1) Hebr. I, 3.
(2) Col. II, 3.
(3) Vincent. Lirin. *Commonit.* II, 29.

(1) Vid. infr., t. I, col. 89 — 96.

Digitized by Google

quippe cujus ingenium demirati, ac loquelam ipsam, arduam licet et asperam, imitati, singuli post eum ac præsertim plures quos peperit Africana Ecclesia, clarissimorum virorum in his tempestatibus feracissima, duce Cypriano, sui, ut ait, magistri merentissimi cultore assiduo, se suamque orationem ad Tertulliani dictionem certatim effinxerunt.

Haud abs re erit obiter animadvertere quemdam defectum subiisse, post ejus a recta fide discessum, Tertulliani ingenium. In libris, ultima, ut videtur, ætate sua in fæce montanismi exaratis, aut asperior fit et inæqualior, impotenti abreptus loquendi prurigine, ac inquieta pugnacitate; aut obscuriori sententia, velut de industria, sese obvolvit, nec nisi per intricata loquitur ænigmata; quæ præsertim vitia in libro *de Pallio*, et *adversus Valentinianos* quasi digito palpanda occurrunt.

Eamdem in pejus mutationem forsan reperire est, cum, vel oblita incomptæ inconcinnæque dictionis asperitate, rem penitus ac sententiarum viscera introspicies. Illa Apologetici, Præscriptionum, librorumque de Oratione, Baptismo ac Pœnitentia majestas ac grandis eloquentia, interdum acerrima ac laconica brevitate temperata, in inconditam ac diffluentem facundiam, obvia quæque, vel insulsa, jactitantem, nec scurrilitatem aut petulantiores jocos aspernantem dilabitur.

Sed cum hæc, ut dixi, ad profanam criticen potius quam ad dogmaticam Tertulliani auctoritatem faciunt, huc demum vela damus, haud alio, nisi inviti, jam abripiendi.

Per eruditionem sacram, inquit Walchius (1), intelligimus illam quæ versatur in rebus non a natura patefactis ac humana facultate cognoscendis, sed divinitus manifestis ac sanctissimo codice (cui et veneranda accedit Traditio catholica), comprehensis. Notitia harum rerum variis constat disciplinis, nempe Theologia Exegetica, Dogmatica, Polemica, Moralis, Symbolica, Catechetica, Homiletica, una cum Historia Ecclesiastica.

Porro cum his fere omnibus titulis commendatur Tertullianus, hinc præcipua desumenda sunt propria ipsi ac peculiaria auctoritatis signa.

Tertullianus, ut a Verbo Dei initium faciamus, illius interpretationi, ac Exegeticæ scientiæ suam affert symbolam minime aspernandam. Sive enim catholicus, sive montanista, semper docuit Scripturam veteris novique Testamenti inspiratam fuisse (2). Nec minus *Scripturæ plenitudinem* quam ejus divinitatem *adorat* (3): nec eam adorando traditionem aufert, imo et ad eam, seu ad Apostolos et discipulos Domini referendam esse Scripturæ interpretationem aperte declarat (4). Quamvis nullibi ex professo de canone Scripturæ sacræ disseruerit, ex variis tamen ejus operum locis colligi potest, libros sacros nostra ætate a pseudocriticis e numero canonicorum ejectos, inter sacros divinitusque inspiratos ab eo connumerari (1).

At susdeque vertitur Tertulliani exegetici auctoritas, modo fides sit ejus editori novissimo, ac procacissimo obtrectatori, J. Salom. Semlero, qui, præfracta fronte, asseruit *hunc scriptorem oculis suis manibusque nunquam usurpasse græcum ullum codicem Evangeliorum aut Epistolarum*, aliorumve sacrorum Bibliorum, nec unquam græcos codices, utpote adulteratos, adhibere voluisse; — hunc eumdem, græcorum codicum libentissime nescium, latinos libros corrupisse et auxisse glossis sententiisque interpolatis, adhucdum superstitibus, *quarum primus et solus auctor certus est ille Tertullianus* (2). Sed quænam, âmabo, fides huic innovandi prurigini adeo petulanti, ut idem audeat profiteri latinos omnes scriptores nunquam in hisce primis sæculis libros græcos consuluisse, omnes una conjurasse ut novas glossas invitis Græcorum codicibus, suis libris ex consulto insererent; ejus vero latinæ translationis *prima initia et recentia rudimenta* ab ipsius Tertulliani tempore, nisi ab ipsomet oriri? Sed quid ea commemorem, dum in hac eadem dissertatione Tertulliani obtrectator eo audaciæ devenerit, ut, *discussis tam longi temporis tenebris*, ita enim habet, ipse adeo novus ac præposterus homo, inauditam ab omni retro antiquitate deprehenderit quamdam conjuratorum tam græcorum quam latinorum, Romæ degentium, societatem, ex cujus officina clam prodiero multa Tertulliani, nonnulla Clementis Alexandrini, omnia Irenæi opera, plane supposititia et spuria? Hæc quæ cum primum prodierint, portentis similia merito habita fuere atque ab ipsis Germaniæ viris doctissimis impetita ac profligata (3), satis est, ut reprobata derideantur, exposuisse (4).

Magna autem assurgit dogmatica Tertulliani catholici auctoritas; nec interdum montanistæ aspernanda. Triplicem enim quo usi fuere patres in exponenda fide modum, nempe tum symbolicum, quo gravissima fidei dogmata, connexa paucis, continuo recitantur; tum polemicum, ad refellendos Gentiles, Judæos, aut hæreticos accommodatum; tum discursivum seu catecheticum, qui pro christianorum fidelium usu, modo unum, modo alterum explicat doctrinæ punctum, mirum in modum idem Noster comprehendit.

(1) Bibl. Patristic. edit. nov. Ien. 1831, c. 7, § 46.

(2) Cf. I *de Cultu fœmin.* cap. 3, *t.* I, col. 1307. *De Resurrectione Carnis*, cap. 22, *t.* II, col. 823. *Lib.* III *Adv. Marc.* cap. 6, col. 325. *Lib.* V, cap. 7, col. 485. *Lib. de Anima*, cap. 2, col. 648.

(3) *Lib. contr. Hermog.* c. 22, t. II, col. 217.

(4) *Scorpiac.* cap. 12, t. II, col. 146.

(1) Cf. Gottefr. Lumper. *Hist. Theol. Critic. de vita, scriptis atque doctr. SS. PP.* t. VII, c. 6, art. 1, p. 242 *et sqq.*

(2) *Dissert. de varia et incert. indole hor. libror. ad opp. Tertull. ed. Halæ Magdeburg. rurs. recusa* 1828, *t.* V, *pp.* 176-513.

(3) Cf. Joh. Dan. Schumann *Obss. in veterib. Eccles. scriptor. spec.* III *et* IV *sæcul. de interpolation. quibusdam Codici N. T. Tertullianeo perperam afflictis conjectura. Hannov.* 1776, 1777, 4°.—C. W. Fr. Walchii *de authentia libror. Irenæi* contra *J. Sal. Seml.* in novv. commentt. societ. regiæ Goetting. T. V, part. II, p. 3.

(4) Cf. quæ infra obiter perstringuntur t. I, col. 55, 56 *in not.*; t. II, col. 548, 549, 551, 552, 554, 558, 565, 594.

Digitized by Google

Nam tres fidei formulas habet, unam eamque brevio-
rem in libro *de Virginibus velandis* (1), alteram longiorem in *Præscriptionibus Hæreticorum* (2), tertiam et recentiorem in *lib. adversus Praxeam* (3).

Primus inter Latinos, quoslibet nascentis Ecclesiæ hostes polemicis et apologeticis scriptis aggressus est. Adversus enim gentes scripsit septem quos inscripsimus *Apologeticos libros*, nempe duos libros *ad Nationes*, et *Apologeticum* magnum, hunc ad præsides, illos ad plebem directos; item, *de Testimonio animæ*, seu Apologetici caput 17 uberius tractatum; et *librum ad Scapulam*, quo de injusta ac crudeli persecutione conqueritur et Christianorum virtutes laudibus effert: quibus accedunt, *ad Martyres* apologia de martyrii gloria, ad Christianos *de Spectaculis* ethnicorum fugiendis dehortatio, ad omnes sive Christi sive deorum cultores de *Idololatria* et grandi hujus criminis gravitate.

Justini philosophi, Irenæi martyris et aliorum quorum nomina ipse præ se fert, vestigia insecutus, Judæis Messiam a prophetis prædictum advenisse demonstrat (4); omnesque hæreticos, tum generatim in *Præscriptionibus*, ne ipso quidem Montano excepto, jugulat, tum speciatim, singulari quasi certamine, confodit. Hinc enim inconditam Gnosticorum catervam decies exagitat, vincit et contundit (5), nec hanc aciem, ut videtur, nisi hoste fuso fugatoque, vel emeritus veteranusque miles, deseruit. Praxeam insuper, qui Deum unum, sed non trinum, asserebat, nec non et Montanum, ad quem miserabiliter defecit, oppugnavit in hoc elegantiori ac pulchello *de Pœnitentia* libello: sophistarum demum insulsa philosophomena *de Anima*, explodit. Hoc indefesso labore ac perpetuo certamine, decertavit Tertullianus: cumque, ætate provectior ac vulnere insanabili afflictus, in Montani partes desciisset, nedum nihil ab impetu remitteret, acrius sese ad prælia accinxit ac sibi dixisse visus est: Væ mihi si non dimicavero!

Primus iterum hic latinis auribus dedit auscultandum ac luculento sermone concinnatum de re dogmatica in specie distincta tractatum. Adeo vero in hisce dogmatibus seorsim sumptis, excelluit, ut, ausim dicere, decurrentibus in immensum annis, nihil adhuc dum prodiisse qui Tertulliani libros de *Oratione*, de *Baptismo*, *de Pœnitentia*, *de Patientia*, cæterosque quos dogmaticos inscribendos censuimus, superasse merito existimetur.

Interea haud inficias ibo vel optima Tertulliani scripta hinc et inde plurimo sphalmate laborare, multa labe venenosa fœdari. Quæ cum optimo et salutari antidoto aliquatenus sanata, videas velim, ex opera veterum editorum iterum recensita, ad frontem hujusce tomi affixa.

Altera manet integrior, nec satis celebranda Tertulliani laus, moralis nempe ac parœnetica, ex multis ejus desumenda libris, ad mores christianos pertinentibus. Quorum duplex est series: prior ante susceptum ab auctore montanismum, posterior ab eo jam montanista descripta. Porro in utraque ad vivum exprimitur vitæ christianæ speculum sive in ejus fonte perenni, oratione privata et publica (1), sive in ejus fluentis uberrimis, sacramentis nempe (2), sive in ipsius actibus communibus (3) aut præstantissimis (4), sive in ritibus liturgicis qui ei externam formam efficiunt (5), sive in vitandis ubi periclitatur anima christiana mundi, carnisve illecebris (6), aut suscipiendis unde ea reviviscit operibus (7), aut obeunda qua glorificatur martyrii cruenta palæstra (8). Equidem in his tractandis frequentius ultra limites legitimos abripitur rigidior montanistæ asperitas; at caute erroris latenti in nostris libris provisum est. Præterea nonnisi effervescentis ingenii, ad magna excitantis ac communem hominum modum excedentis, impetus plerumque notandus est.

Habeas igitur velim Tertullianum ex suis tantummodo scriptis ac solo peculiari penu commendatum. Commendant eum præterea hæc prisca quibus scribebat tempora, primus inter Afros, inter Latinos primus post Pontifices Romanos, qui agnitus saltem sit et servatus; fausta docentium et discipulorum tempora, cum in novo Christianorum semine ferveret calidior Christi et martyrum sanguis, cum *adhucdum Apostolorum vox sonaret ac reprœsentaretur facies*, cum *authenticæ eorum literæ palam recitarentur* (9). Commendant eum et urbs patria ac Ecclesia cujus primus fuit, quem noverimus, sacerdos; Carthago, ut æmula Roma victrix, sic a fide devicta, ut a Petro Roma, sic a Petri discipulis acquisita; nova, si vis, at suorum infantium jam felix mater et exsultans; quam modo nobiles partus orbi renuntiarunt, tum Martyres Scyllitani, tum Perpetuæ, Felicitatis et sociorum agmen, quorum Septimius noster fuit coævus, imo, ut quibusdam placet, testis et encomiastes (10). Ecclesia hæc diu sanctitate florens et doctrina virorum sibi a Tertulliano continuo succedentium, haud secus ac si hic Noster eorum ingenia excitaverit, manus ad prælium docuerit, ordines ad aciem instruxerit, eisque novum, veluti belli tesseram, indiderit, effinxeritque eloquium, in toto deinceps occidentali orbe christiano evulgandum. Commendant eum et viri sanctissimi quibuscum simul degit, aut conversatus est, aut necessitate,

(1) Cap. 1, t. II, col. 888.
(2) Cap. 13, t. II, col. 26.
(3) Cap. 2, t. II, col. 156.
(4) Cf. G. H. Scharffenberg *comment. Academic. de Justino, Tertulliano et Cypriano adv. Judæos disput. Lund. Goth.* 1820, *in*-4°.
(5) In libr. *Scorpiac.*, *adv. Gnosticos*, *adv. Hermogen.*, *adv. Marcion.* V; — *adversus Valentinianos*; — *de Carne Christi*; — *de Resurrectione carnis.*

(1) *Lib. de Oratione.*
(2) *Lib. de Baptismo, de Pœnitentia, de Eucharist., lib. de Coron. Milit., de Matrimon., lib. ad Uxor.*
(3) *De Patientia, de Cultu fœminar.*
(4) *De Virg. vel.*
(5) *De Orat.*
(6) *De Spectac.*
(7) *De Pœnitent., de Jejun.*
(8) *Ad Martyr., Scorp.*
(9) *De Præscript. cap.* 36, t. II, *col.* 49.
(10) Cf. *Dissert. J. A. Noesselt, infra*, t. I, *col.* 85, *sqq.*

Digitized by Google

studiorumve similium commercio junctus, Irenæus quem venerabundus meminit', Caïusque Hippolytusque, ejusdem Irenæi discipuli, Clemens Alexandrinus coævus, Origenesque quem Romæ fortasse obvium habuit, summi demum episcoporum Episcopi, qui integerrimam ipsi instillavere doctrinam, quam totam Romæ cum sanguine suo Apostoli profuderunt (1). Commendant eum et sexcenti quos præ oculis habuit auctores cujuslibet generis, sacri et profani, historici, philosophi, poetæ, juris omniumque disciplinarum periti, quorum volumina nocturna manu versavit et diurna, ac in omnibus suis tabellis præfixit testimonia. Commendant eum et posteri, sive ab ipso proximi, sive novissimi, tum congeneres ejus africani, quorum dux D. Cyprianus, Septimii libros petiturus, dicere consuevit: Da magistrum (2); tum nostrates, quorum præco Cl. Bossuetius Meldensis, quoties Tertullianum excitat, in has voces aut similia: *Magnum virum, virum gravem, auctoritate, pondere potentem*, erumpere videtur.

Magnum igitur Quinti Septimii Florentis Tertulliani nomen: at quanto majus, ni *velut fulgur, de cœlo cecidisset* ille Africanæ Ecclesiæ *Lucifer, qui mane oriebatur;* nisi *in terram corruisset, qui vulnerabat gentes;* nisi *dixisset in corde suo: Ascendam super altitudinem nubium* (3)! Ut enim Satan, ita hic fulgure superbiæ dejectus, cecidit, semelque lapsus, an surrexerit, nemo vel audet percunctari. De Salomone quæritur; de Origene disputatur; de Tertulliano siletur. Diuturno tamen senio contabuit, nec ei defuit longum pœnitendi spatium. Mansisse vero misere pervicacem, ac velut uno ictu quo ruit delirantem ad usque octogesimum ferme ætatis suæ annum, imo per quadraginta et amplius annos, stetisse infensa in Ecclesiam ira ferocem, ac tela vel deficiente manu minitantem, ultima ejus scripta nimium suadent et revincunt.

Ecquis ergo inscrutabilia Dei judicia non reformidet, non horreat? Quis ad hunc finem cessurum fore tam faustum Tertulliani initium existimasset? Dato sub ineuntis sæculi ortum Apologetico, habitisque cæteris pro caussa christiana concionibus, confirmatis inde confessoribus aut ad lauream martyribus evectis, defervente persecutionum æstu ac respirante paululum Ecclesia, tandem quadraginta ferme annis ad pacem composita, jam novus rerum ordo oriebatur et jucundior temporum facies; jam, suspensis auribus, sive gentes, sive Christiani, evangelizantibus pacem, evangelizantibus bona assentabantur. Quod autem in Galliis Irenæus, in Ægypto Clemens, in Latio Hippolytus, hoc in Africa, hoc in toto Occidente Tertullianus videbatur acturus: adeo ut, devicta plebe, devincerentur et nobiles sapientesque, et ab imo ad summum ædificaretur Ecclesia condereturque orbis christianus. Hæc erat, ni fallor, egregia pars cui destinabatur Tertullianus. Quid plura? cecidit, *ad infernum detractus, in profundum laci* (4). Hoc erat ergo in investigabili Dei decreto, ut hæc nova tot vulneribus adolescens Ecclesia, Judæis tandem, Ethnicis, Gnosticis triumphatis, se huic offensionis lapidi impingeret, ac dum tanti animi subsidio recreari mereretur; eumdem lapsum amitteret, infensum sustineret, reluctantem ac per quadraginta annos in matris suæ gremium insultantem lugeret. Nec jam quærendum est, ut multis placuit, an plus Ecclesiæ profuerit quam nocuerit, magis vero an sibi ad vitam, necne profuerit. *Ecclesiæ homo non est*, ille tot laboribus defunctus, tot certaminibus redux! Utinam vero melius confidamus his piis identidem per opera ejus respersis precibus, ac votum ejus adimpleamus, cum diceret catechumenis: *Igitur, benedicti, quos gratia Dei exspectat, cum de illo sanctissimo lavacro novi natalis ascenditis, et primas manus apud Matrem cum fratribus aperitis, petite de Patre, petite de Domino, peculia, gratias, distributiones charismatum, subjiciente: Petite et accipietis, inquit. Quæsistis enim, et invenistis; pulsastis, et apertum est vobis. Tantum oro, ut, cum petitis, etiam* Tertulliani *peccatoris memineritis* (1).

(1) *Præscript.*, c. 36, t. II, col. 49.
(2) S. Hieronym. *De Script. Eccles.*
(3) Is., XIV, 12, 14.
(4) Is., XIV, 15.

ARTICULUS II.

DE USU TERTULLIANI.

Quod modo ad dignoscendam veram Tertulliani auctoritatem, hoc ad rectum antiquissimi hujus Patris usum acrius omnino judicium requiri arbitramur. Iterum igitur debet in ejus scriptis considerari tum auctoris nunc catholici, nunc montanistæ conditio, tum librorum doctrina aut eruditio, utraque vero aut sacra, aut profana. Sacra ejusdem doctrina ad fidei

(1) *De Baptismo*, cap. 20, ultima verba. Ea est judiciorum de viris summis non raro varietas, ut cum ad cœlum usque extolluntur ab his, ab illis deprimantur ad imum. Ita fere accidit Tertulliano nostro; sicut enim non desunt illius contemptores, ita vendices et laudatores nactus est plurimos, eosque perquam liberales. Fuere quibus omnia ejus opera quæ supersunt in montanismo scripta videntur; dum alii eum ad sceleratam Montani communionem delapsum esse negant. Quin non defuere qui Tertullianum celebrant a martyrio, quod sub Decio sustinuisse dicitur. De his et aliis ad Tertulliani historiam, auctoritatemque pertinentibus cf. Magdeburg. *cent.* III, cap. 12;—Joach. Zentgravii *Exercitatio, de lapsu Tertull. ad Montanistas*; Argent. 1704, 4°; —Timanni Gessellii *Hist. sac. et Eccles. N. T. p.* 299; Petri Alixii *Diss. de vita et scriptis Tertulliani*, Paris. 1680, 8°;—De la Motte, *Hist. de Tertull. et d'Origène*, Lugd. 1701, in-8°;—Nicol. Le Nourry, *dissert. in Tertull. Apolog. libb. ad Nat. et lib. ad Scap. infra, t.* I, *col.* 705, *sqq.*—Joh. W. Hopfmann *Diss. Q. S. F. Tertulliani quæ supersunt omnia in montanismo scripta videri*, Vitemb. 1738, in-4°;—J. A. Noesselt, *Dissert.* III, *de vera ætate ac doctrina scriptorum quæ supersunt Q. Sept. Fl. Tertulliani*, Hal. 1757;—ejusd. *tres commentat. ad hist. eccles. pertinentes*, Hal. 1817;—Jos. Ant. Cantova *de Septimio et S. Epiphanio dissert.* II, Mediol. 1783, 8°;—H. Chr. Baltenstedt *Tertullians Geistesfahigkeiten. Religions Kenntnisse und theologie*, III *commentt.*, Helmst., 1785, in-8°.—Aug. Neander *Antignostikus, Geist des Tertullian. und einleit. in dessen Schriften.*, Berol. 1825;—Fr. Münster *Primordia Ecclesiæ Africanæ*, Havn. 1829, in-4°;—C. Jos. Hefele, *Tertullian als Apologet.* in *Drey et all. Tübinger Theolog. Quartal—schrift. an.* 1838;—J. A. Moehler. *Patrologie oder christliche Literærgeschichte, herausgegeben von* D. F. X. Reithmagr., Regensb. 1840.

Digitized by Google

dogmata, eruditio vero ad ea quæ tunc in Ecclesia agi solebant, seu ad res disciplinæ referenda est.

Ne in immensum hæc prævia monita crescant, non nostrum est hæc sigillatim decurrere, nec ad amussim omnia ab eo recte aut proterve dicta recensere, quæ sive ad exegesim sacram, sive ad dogmaticam, moralemve theologiam, sive ad ritus moresve Ecclesiæ, temporumque ac opinionum historiam spectant.

Nonnulla tantum præcipua doctrinæ Tertullianeæ capita, gravissimaque ejusdem errata, summatim indigitanda sunt, ac excitanda insigniora ejus operum loca, quæ potissimum in *exegetico*, *dogmatico*, *morali*, *liturgico* et *ascetico* usu veniunt, quo ad ea plenius introspicienda sese alacrior accingat quisquis rei patristicæ studet, ac præsertim junioribus theologiæ et patrologiæ candidatis tutior expeditiorque via pateat.

Ante omnia illud plena voce prædicat TERTULLIANUS, totum fidei christianæ ædificium in firmissima veritate historica, ac veneranda traditionis auctoritate subsistere. Hæc sunt enim ineluctabilia facta, quibus, velut ænea catena ac aurea, tota res christiana pendet : Deus Pater mittit Filium suum in hunc mundum, ut Ecclesiam christianam ædificet. Jesus Christus ad hunc eumdem finem mittit Apostolos suos, et docet illos veritates omnes quæ huic ædificationi fundamentum suppeditant et incrementum. Apostoli acceptam a Domino doctrinam tradunt omnibus ad quas mittuntur Ecclesiis. Ecclesiæ istæ tenent firmissime illam Apostolorum doctrinam, ac cæteris communicant, quæ Apostolorum neminem viderunt. Et omnes istæ Ecclesiæ, invicem coadunatæ, unum idemque corpus in unitate ejusdem doctrinæ, ejusdemque fidei constituunt. Quis porro Ecclesiam hanc, columnam immobilem veritatis, deseret, ut amplectatur sectas ab eadem sejunctas? Hoc est celeberrimum Tertullianæ præscriptionis argumentum, palmare telum totius polemicæ christianæ, pulcherrimum sane ac invictissimum quod usquam inter disceptantes fuerit usurpatum,

Itaque, inquit magnus ille vir, *tot ac tantæ Ecclesiæ, una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes* (*Præscr. c.* 20).—*Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt; sed acceptam a Christo disciplinam fideliter nationibus assignaverunt* (*Ibid., cap.* 6).— *Nulla jam gens Dei extranea est, in omnem terram, et in terminos orbis Evangelio coruscante* (*De Anima, c.* 49). *Innocentiam a Deo edocti, et perfecte eam novimus, ut a perfecto magistro revelatam, et fideliter custodimus, ut ab incontemptibili dispectore mandatam* (*Apolog., c.* 45). *Nec dispectore tamen deficiet hæc secta quam tunc magis ædificari scias, cum cædi videtur* (*ad Scap., c.* 5). *Plures efficimur, quoties metimur a vobis : semen est sanguis Christianorum* (*Apolog., cap.* 49, *t.* I, *col.* 535 *A.*).

At *memento claves ejus hic Dominum Petro, et per eum Ecclesiæ reliquisse* (*Scorp., c.* 10). *Habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est. Ista quam felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt!* (*Præscript., cap.* 36, *t.* II, *col.* 49).

Hæc ergo Ecclesia una, apostolica, catholica, sancta, immortalis ac visibilis, seu Romana, cui jus competit docendi omnes gentes, suam ab uno fonte, verbo Dei nempe, sive scripto, sive tradito, doctrinam accipit. Porro ad eam jure proprio pertinet tum traditiones dignoscere, confirmare et sancire, tum Scripturas earumque inspirationem, interpretationem et canonem statuere. *Ubi enim apparuerit esse veritatem et disciplinæ et fidei christianæ, illic erit veritas Scripturarum et expositionum, et omnium traditionum christianarum* (*Lib. de Præscript., cap.* 19, *t.* II, *col.* 31).

Pauca addere est iis quæ antea de Scripturarum *inspiratione*, *plenitudine adoranda*, apostolica *interpretatione* ac legitimo *canone*, ex Tertulliano diximus; tantummodo, eum debere esse librorum sacrorum *usum*, ut hæretici, parabolis abutentes, *non effingant ipsas materias doctrinarum*, nec igitur *ad eas provocetur, nec in his constituatur certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut par incertæ* (*Præscr.* 19, *t.* II, *col.* 31): examinandum in primis esse *cujus sint Scripturæ, a quo, et per quos, et quando, et quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani;* Deum permisisse, imo *voluisse eo modo dispositas Scripturas, ut hæreticis materias subministrarent, qui sine Scripturis esse non possunt* (*Ibid. cap.* 39, *col.* 53). Præterea in Tertulliano notatu dignus atque percelebris habetur locus de Apostolorum *literis authenticis*, in quem viri perdocti varia commenti sunt (*Ibid.* 36, *col.* 49) (1). Nec omittenda quæ passim disserit tum de LXX Interpretum versione (2), tum de antiquissimis Bibliorum latinis translationibus, jam nunc in Occidente vulgatis, majoriique, eademve ac græcorum codicum auctoritate receptis.

His autem positis Ecclesiæ fundamentis, idem ut obiter subvertat caducas hæreticorum ædificationes, nunc eorum in verbo Dei facinora ac *Scripturarum cædes* exprobrat, nunc hæresim et idololatriam et profanam philosophiam parum inter se differre ostendit, nunc hæreseos characteres a vera Ecclesia alienos omnino describit (*Advers. Marcion., lib.* V, *cap.* 17; *lib.* IV, *cap.* 19 *de Præscript., cap.* 7, 17, 37, 40, 41, 44); omnesque uno præscriptionis argumento sive præsentes sive futuras, ipsumque Montanismum ac Tertullianismum insanabili vulnere confodit et opprimit.

Nec tantummodo, ut voluit in recenti opere Neander (3), in Gnosticos, imo et in omnes hæreticos, ne novissimis quidem protestantium sectis exceptis, in-

(1) Vide Pamel. *notl. ad loc citat.* Hug. Grotii *tract. de veritate Christ. Relig. lib.* III. *notat.*; Dodwel, *dissert.*, *t.* I, § 41; Richard. Simon. *Hist. crit. du N. T. ch.* 4, *p.* 40; Nathan. Lardner. *Glaubwürdigkeit der Evangelischen Geschichte, part.* II, *cap.* 27. § 8, *p.* 501-508. Lumper. *De vita et scriptis Tertulliani, in Hist. Theol. crit. litter. SS. PP. t.* VII, *p.* 257-262.

(2) Cf. Christ. Cellarii *Dissert.* XIII. *de* LXX *Interpretib.*;—Simon de Magistris, *Dissert. subjunctas editioni Septuagintavirali version. Daniel. ex codice Chigiano*; Lump. *loc. citat. p.* 666. *et sqq.* Adisis infra D. Le Nourry *Dissertat. c.* 6, *art.* 2, 3, *p.* 787 *et sqq.*

(3) Antignostikus. Geist. des Tertullian. a. e. i.

Digitized by Google

vicie valet id genus argumentandi. Eadem enim præ se ferunt errorum capita neoterici ac veteres hæretici; ab unitate ac auctoritate Ecclesiæ apostolicæ deficiunt; spreta traditione, ad Scripturas solas provocant; canonem pro libitu explicant ac disjiciunt; nec novarum sectarum antesignani plura ac olim sive Marcio sive Valentinus signa legitimæ ac divinæ auctoritatis exhibent; nec ante nec post eos successionis apostolicæ vestigium volamve habent; præterea eorum doctrinas respuunt simul et Ecclesia Romana, et omnes in orbe terrarum, sive apud Græcos, sive apud Asiaticos Ecclesiæ (1).

Subinde, ut ad Tertullianum redeamus, recitanda foret una ex tribus fidei formulis, quas Septimius libris inseruit, aut saltem conferenda, nisi premerent procemii angustiæ, cum fidei symbolis quos Irenæus, Gregoriusque Thaumaturgus et alii edidere.

Paucis agemus cum Septimio de Deo ejusque attributis, cum uberrimam ac copiosissimam dissertat. D. Le Nourry, infra damus; huc igitur velim adeas ac *videas* quonam sextuplici argumento Deus esse probetur a Tertulliano (*cap.* 7, *art.* 1, *col.* 804 *et sqq.*); quonam sensu dicatur hominibus cognitus, quamvis sit invisibilis, incomprehensibilis, inæstimabilis; quæ hujus veri Dei et vivi scientia, sapientia et æternitas (*col.* 809 *et sqq.*); quid sibi vult vox illa Septimii toties agitata, Deum corpus esse, etsi Deus spiritus est (*col.* 811 *et sqq.*) (2). Item luculenter asserit Tertullianus Deum non esse nisi bonum (*Scorp.* 5); æque ac Dei bonitatem, ejus tuetur justitiam contra Marcionem (*lib.* II, *c.* 11), etsi dicat bonitatem esse Deo ingenitam, justitiam vero accidentem, seu quoad effectum, accommodatam creaturæ, peccato posteriorem (*Ibid.*): hinc Deum ex nihilo omnia creavisse, nec æternam esse materiam, adversus Hermogenem egregie contendit (*Contr. Hermog.*, *cap.* 19 *et sqq.*).

Perspicue adeo ac exacte loquitur Tertullianus de Trinitate divinarum Personarum et earum consubstantialitate, ut nihil amplius desiderari queat: distinguit quippe clarissime, æque ac nostri ævi theologi et doctores, tres divinas personas, et de qualibet earum prædicat actualem existentiam in unitate unius ejusdemque naturæ; ex quibus sane constituitur catholicæ Ecclesiæ doctrina circa hoc mysterium. (Cf. lib. *adv. Hermog.* cap. 45, *t.* II, *col.* 237. *Adv. Praxeam*, cap. 2, *col.* 156; cap. 3, *col.* 157; cap. 4, *col.* 159; cap. 8, *col.* 159; cap. 11, *col.* 166; cap. 12, *col.* 167; cap. 13, *col.* 168; cap. 26, *col.* 188; cap. 30, *col.* 195; cap. 31, *col.* 196.)

De Filii vero divinitate, generatione, consubstantialitate, filiatione, æternitate, de Christo Deo et homine prophetarum vaticiniis prænuntiato, in Judæa carne induto ac conversato, mortuo, ad vitam regresso ac in cœlis assumpto, iterum remittemus ad eximium opus D. Le Nourry (*inf. cap.* 9, *col.* 853-867), qui egregie contundit pervicaces Marcionis, Apellis, aliorumque gnosticorum adinventiones.

Idem adamussim ea quæ de angelis et dæmonibus habet Tertullianus, explicat ibid., cap. 10, col. 868-891.

Tertullianus, de homine disserens variis suis in scriptis, primo tradit hominem facturam esse Dei creatoris, constare ex duabus substantiis, corpore ac anima, ad similitudinem Filii et Spiritus factum opus, et imaginem Dei, totius universitatis possessorem esse, atque in hoc ab ipso Deo exstructum fuisse, ut Dominus esse posset, dum fit a Domino (lib. IV. *adv. Marc.*, cap. 37; lib. V, cap. 17; *adv. Praxeam*, cap. 12; *de Spect.*, cap. 2; *de Resurrect. carnis*, cap. 5, 6).

Tertullianus, etsi quibusdam, carptim ejus scripta libantibus, videatur de homine et anima duriori ac pinguiori minerva philosophari, si penitus mens ejus introspiciatur, merito ardua ac subtilissima anthropologiæ ac psychologiæ arcana acutissimo obtutu penetrasse æstimabitur (1).

Platonis enim instar, partem animæ distinguit duplicem, unam quidem intelligentem ac sapientiæ sedem, alteram vero cæcam et intelligentiæ expertem (λόγικον et ἄλογον); animam autem a spiritu distingui, sensu gnostico, negat: *Si separas spiritum et animam, separa et opera; aguntin discreto aliquid ambo, seorsum anima, seorsum spiritus; anima sine spiritu vivat, spiritus sine anima spiret... Ergo duo non erunt, quæ dividi non possunt* (De Anima, cap. 10, t. II, col. 663).

Cum anima idem sit ac spiritus, necessario sequitur animæ proprietates easdem esse ac proprietates spiritus; hinc animam esse simplicem, a corpore separatam: tam duas res quam diversas; nec proinde impingendum est in id quod et ab eo appelletur *corporalis* et *effigiata*, seu in specie et re subsistens; aliunde confitetur eam Dei flatu natam, natura christianam, substantia simplicem, liberam arbitrii, rationalem, immortalem, non ex gratia, ut omnes ferme veteres, sed ex natura sua; eam vero post præsentem hanc vitam, vel dolere apud inferos, vel gaudere in cœlis (*Ibid.*, *cap.* 58). Etsi alio loco doceat animam, ante universalem resurrectionem nec puniri, nec gaudere; insuper quædam peccata post mortem illico nobis luenda fore sub expectatione resurrectionis.

Carnem ipsam hominis mirum in modum glorificat Tertullianus, nec quemquam forsan ex patribus reperias qui de ea insigniora dixerit. *Quodcumque*, inquit, *limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus... Ita limus ille jam tunc induens imaginem Christi futuri in carne, non tantum Dei opus erat, sed et pignus* (De Resurr. Carn. c. 6, t. II, col. 802).

Rursus eamdem carnem a peccato recreatam et cum anima rediviva resurgentem, his adumbrat delineamentis: *Cum anima Deo allegitur, ipsa* (caro) *est, quæ efficit, ut anima allegi possit. Scilicet caro*

(1) Vid. J. A. Moehler *Patrolog.* oder christliche Literærgeschichte, *t.* II, *p.* 354, *vers. gallic. Paris.* 1843.

(2) Cf. Nat. Alex. *Hist. eccl. sæc. II, art.* VIII, *t.* III. —Cantova *in dissert. de Septimii et Epiphanii anthropomorphismo. Mediol.* 1773, in-8°.

(1) Vide hæc luculenter exposita in opere jam laudato J. A. Moehler. *Patrolog.* t. II, p. 361, *vers. gall.*

Digitized by Google

abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima consecretur. Caro signatur, ut et anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur. Caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur (De Resurr. Carn. 8). *Sequitur animam nubentem spiritu caro, ut dotale mancipium, et jam non animæ famula, sed spiritus. O beatum connubium, si non admiserit adulterium!* (De Anima, 41) Carnis demum cum Christo ovantis triumphum splendide describit : *Hic* (Jesus Christus)... *carnis quoque depositum servat in semetipso, arrhabonem summæ totius. Quemadmodum enim nobis arrhabonem spiritus reliquit, ita et a nobis arrhabonem carnis accepit, et vexit in cœlum pignus totius summæ illuc quandoque redigendæ. Securi estote, caro et sanguis; usurpastis et cœlum et regnum Dei in Christo* (De Resurrect. Carn. c. 51, t. II, col. 869).

Nec in hoc animæ integræ et innocuæ, quam in lapsæ ac maculatæ statu describendo infelicior. Originale peccatum admittit, docetque egregie quomodo quam late et primigenia labes serpserit ac omnes infecerit : *Anima hominis velut surculus quidam ex matrice Adam in propaginem deducta et genitalibus fœminæ foveis commendata, cum omni sua paratura pullulabit*, etc. (De Anim. 19). *Satanam pronuntias... per quem homo a primordio circumventus ut præceptum Dei excederet, et propterea in mortem datus, exinde totum genus de suo semine infectum, suæ etiam damnationis traducem fecit* (De Testim. Anim. 3, t. I, col 618).

Audiamus nunc eumdem Christi ortum in terris quasi novo cantico concinentem : *Nove nasci debebat novæ nativitatis dedicator... Hæc est nativitas nova, dum homo nascitur in Deo, in quo homine Deus natus est, carne antiqui seminis suscepta, sine semine antiquo, ut illam novo semine, id est spiritaliter, reformaret exclusis antiquitatis sordibus expiatam* (De Carne Christi, c. 17, t. II, col. 781).

Tertulliano apparuit humanitas et benignitas Salvatoris in carne, verbum caro factum, tanquam omnium fidei mysteriorum principium et finis, novæ creationis fastigium et fundamentum, unicum mundi orientis meditullium, unde omnia in nos bona derivantur, quo cuncta quæ Deum religant et homines, remeant et connectantur. Hinc Septimii vehemens et acrior impetus quo in admirationem Verbi incarnati rapitur, quo cujuslibet hoc magnum pietatis sacramentum vel leviter impugnantis impios ausus carpit et retundit : quo insanire videtur, præ nimio in Christum natum et passum stupore : *Sed jam hic*, inquit Marcioni, *responde, interfector veritatis : nonne vere crucifixus est Deus? nonne vere mortuus, ut vere crucifixus? nonne vere resuscitatus?... Parce unicæ spei totius orbis. Quid destruis necessarium dedecus fidei? Quodcumque Deo indignum est, mihi expedit. Salvus sum, si non confundar de Domino meo. Qui mei, inquit, confusus fuerit, confundar et ego ejus. Alias non invenio materias confusionis, quæ me per contemptum ruboris probent bene impudentem et feliciter stultum. Natus est Dei Filius, non pudet, quia pudendum est. Et mortuus est Dei Filius. Prorsus credibile est, quia ineptum est; et sepultus, resurrexit. Certum est, quia impossibile* (De Carn. Chr., cap. 5, t. II, col. 763).

Hæc satis sunto, ut quantum in exponenda fide dogmatica prodesse possit Tertullianus innotescat. Alia perplura sunt dogmata quæ, ab eo eadem ubertate asserta ac uberius a doctissimo D. Le Nourry commenta, habes in hujusce tomi decursu iterum in lucem prolata.

Quam egregie recteque Septimius intellexerit veram sinceramque operosæ et practicæ fidei nostræ notionem, nihil magis nobis ostendit quam amplissima disciplinæ liturgicæ descriptio, confertaque veterum rituum copia, in omnibus ejus scriptis diffusa. Cum maximi pretii sint quæ hanc primorum sæculorum disciplinam atque consuetudines exhibent, singula afferemus quam accurate liturgica documenta, quæ in Septimii scriptis memorantur.

Et ut a baptismo ordiamur, vetustus hic doctor tradit primo loco laboriosa opera ante baptismum suscipienda, crebras orationes, jejunia, geniculationes et pervigilias, cum confessione saltem occulta omnium retro peccatorum; deinde quæ ad collationem baptismi pertineant, trinam immersionem, et trium sanctissimæ Trinitatis personarum invocationem, postremo quæ subsequantur, nempe unctionem post lavacrum, impositionem manuum et, ut pluribus merito visum est, collationem Spiritus Sancti per confirmationis sacramentum, imo et Eucharistiæ participationem (Cf. lib. *de Baptismo*).

Tertullianus peculiarem tractatum de Pœnitentia concinnavit, pulchrum adeo ac elegantem, ut eum nonnulli ausi sint ipsi perperam abjudicare; in quo omnes Pœnitentiæ ante vel post baptismum publice privatimve peractæ ritus affectusque apprime describit, uti aliquatenus videre est paulo infra, ubi de exomologesi, quæ *cum provolvit hominem, magis relevat; cum squalidum facit, magis mundatum reddit; cum accusat, excusat; cum condemnat, absolvit.* (De Pœnit. c. 9, t. I, col. 1244.)

De Eucharistia disserens Tertullianus tradit Christianos summo mane convenire consuevisse ad mysterium hoc celebrandum; laicos de præsidentium manu sacramentum sumpsisse; in propriis manibus accepisse; in proprias domos intulisse, ut jejuni, sub una specie participarent; recens baptizatos sive infantes, sive adultos, eodem beneficio donatos fuisse.

Hierarchiam Ecclesiasticam a laicis distinctam, variis instructam ordinibus, quibus sua sunt munia, suaque propria nomina, apud hæreticos disturbatam aut penitus exstinctam, inconcussam vero et ab Apostolis ad usque novissima tempora perenni successione apud Catholicos servatam, Tertullianus passim profitetur, ac præsertim in aureo illo *de Præscriptionibus* libro, quem forte adhuc catholicus conscripsit, jam vero montanista edidit, in quo hæreticos sui temporis suggillat, quod ordinationes eorum temerariæ, leves, inconstantes, quippe cum alius hodie

Digitized by Google

episcopus, cras alius : hodie *Diaconus*, qui cras *Lector* ; hodie *Presbyter*, qui cras laicus. (Ibid., c. 41, t. II, col. 56, 57.)

Matrimonium, cum Apostolo vocat magnum sacramentum ; at *juxta mœchiam et fornicationem* docet *reputari conjunctiones occultas, nec prius apud Ecclesiam professas, nec ab episcopo, presbyteris et diaconis monogamis postulatas* (De Pudicit., c. 4, t. II, col. 987). Cuique illud notum : *Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat et confirmat oblatio et obsignat benedictio, angeli renuntiant, Pater rato habet?* (Ad Ux. l. II, c. 9, t. I, col. 1302).

Hæc demum de prece sive privata, sive publica, de sacris synaxibus, ac Dominica cœna Tertullianus habet : Christiani orabant, cœlum suspicientes, expansis manibus, in Christi cruci affixi modum ac formam, capite nudo, vultu voceque demissa, ad orientem conversi ; ante orationem manus abluere, penulam deponere, plerumque soliti ; alii inter orandum assidentes, *alii* sub conspectu Dei, angelo adhuc orationis *stante*, stare et ipsis reverentius æstimantes ; alternis demum Psalmorum cantibus et hymnis sese recreantes, ac post precem osculum pacis non subtrahentes ; sine monitore, qui voce præiret, sed de pectore atque intimo cordis affectu deprecantes ; die solis cum lætitia convenientes ; tum sacrorum librorum lectioni vacantes ; scripta simul Prophetarum, commentariaque Apostolorum recitantes ; admonitionem præsidentis audientes ; tum castigationes et censuram divinam excipientes, a communicatione orationis et conventus et omnis sancti commercii delinquentibus relegatis. Episcopi his synaxibus præsidebant, et eorum auctoritate, presbyteri et diaconi, probati electi, *seniores* nuncupati ; a quibus nec de aliorum manu, in tempore victus, etiam antelucanis cœtibus, Eucharistiæ sacramentum sive sumendum, sive reservandum, ut domi sumerent, excipiebant. Erant et præter diem solis, jejuniorum et stationum dies, quibus prolixius orabant, genua flectentes cum reliquo humilitatis more, ad aram diutius, accepto corpore Domini, stantes. Erant et horæ diei solemniores, nempe tertia, sexta, nona, præter legitimas orationes quæ ingressu lucis et noctis debebantur, cibum et lavacrum præire solebant, vigiliisque noctis intercidebant ; cæterum nihil omnino præscriptum est, nisi omni in tempore et loco orare. Nihil vero celebrius quam cum cœna fit quæ *Agape* dicitur ; non prius discumbitur quam oratio ad Deum prægustetur ; editur, quantum esurientes frugique capiunt ; bibitur, quantum pudicis utile est. Post cœnam, aqua ad manus abluendas porrigitur, lumina ad usque lucem diei accendebantur ; tum remota mensa, unusquisque ad hymnum aliquem, aut desumptum ex Scriptura sancta, aut de proprio ingenio elicitum, in totius consessus et coronæ medio canendum, provocatur : tum precibus grates Deo referuntur, et inde discedebatur ad eamdem curam modestiæ et pudicitiæ, qui non tam cœnam cœnaverint, quam disciplinam. Hanc hostiam de corde devotam, fide pastam, veritate curatam, innocentia integram, castitate mundam, agape coronatam, cum pompa operum bonorum, inter psalmos et hymnos deductam ad Dei altare, omnia a Deo impetraturam, Christiani mactabant.

Strictius ac festino pede cujusnam sit usus Tertulliani in re morali et ascetica, ut promisimus, carpimus. Illico ac primo explorandum foret quinam qualesve fuerint Christianorum mores. *Ea disciplina patientiæ divinæ agere nos*, inquit Noster, *satis manifestum esse vobis potest, cum tanta hominum multitudo, pars pene major civitatis cujusque, in silentio et modestia agimus, singuli forte noti magis quam omnes ; nec aliunde noscibiles, quam de emendatione vitiorum* (Ad Scapul., cap. 2, t. I, col. 700).

Jam vero quanta Christianorum charitas quæ vel ethnicos in admirationem rapit : *Vide, inquiunt, ut invicem se diligant, et ut pro alterutro mori sint parati! Ipsi enim* ethnici *ad occidendum alterutrum paratiores* (Apolog. 39, t. I, col. 471). Quanta conjugum christianorum castitas, et cælibum multorum integritas, et virginum innocentia ! *Quid enim insigne præferimus, nisi primam sapientiam, qua frivola humanæ manus opera non adoramus ; abstinentiam, qua ab alieno temperamus ; pudicitiam, quam nec oculis contaminamus ; misericordiam, qua super indigentes flectimur ; ipsam veritatem, qua offendimus ; ipsam libertatem, pro qua mori novimus* (lib. I ad Nation., c. 4, *t.* I, *col.* 961). Cuinam inauditum est quam invicte Tertullianus cum Christianorum moribus conferat philosophorum præstantissima exempla modestiæ, æquanimitatis, fidei, simplicitatis (*Apolog., cap.* 46)? Cæteras inter Christianorum virtutes maxime emicuit tam sedula quam dura jejuniorum observantia, qua non minus quam aliis virtutibus ab ethnicis discrepabant. Nec iis satis fuit non solum publicis in calamitatibus, sed aliis etiam diebus tam severa austeraque jejuniorum observatione iram Dei placare, sed *in sacco* etiam, ait Tertullianus, *et cinere volutantes, invidia cœlum tundimus* (*Apolog., cap.* 40). Huc referenda forent pulcherrima quæ in libris specialibus concinnavit Noster de *oratione*, de *patientiæ* virtute, de vano *mulierum cultu et ornamento*, de illicita *spectaculorum* frequentia, de *idololatria* et variis ejusdem speciebus, de *martyrii* præ omnibus excellentiori magnanimitate.

His, coronidis instar, adnectantur selecta ex Tertulliani operibus ascetica documenta.

Christianus Deum timet, non homines. — « Nos, qui sub Deo omnium speculatore dispungimur, quique æternam ab eo pœnam providemus, merito soli innocentiæ occurrimus, et pro scientiæ plenitudine, et pro latebrarum difficultate, et pro magnitudine cruciatus, non diuturni, verum sempiterni, cum timentes, quem timere debebit et ipse, qui timentes judicat : Deum, non proconsulem timentes (*In Apolog., cap.* 45, *t.* I, *col.* 500). »

Deus ad pœnitentiam impellit. — « Bonum est pœnitere, an non? Quid revolvis? Deus præcipit. At enim ille non præcipit tantum, sed etiam hortatur. Invitat præmio salutem ; jurans, etiam *vivo* dicens, cupit credi

Digitized by Google

sibi. O beatos nos, quorum caussa Deus jurat! O miserrimos, si nec juranti Domino credimus (*Lib. de Pœnit., cap.* 4, *t.* I, *col.* 1233). »

Peccatorem ad se revertentem Deus benigne suscipit. — « Quis ille nobis intelligendus Pater? Deus scilicet, tam Pater nemo; tam pius nemo. Is ergo te filium suum, etsi acceptum ab eo prodegeris, etsi nudus redieris, recipiet, quia redisti : magisque de regressu tuo, quam de alterius sobrietate lætabitur. Sed si pœniteat ex animo.... si porcos, immundum reliquas pecus, si patrem repetas vel offensum, *Deliqui*, dicens, *Pater, nec dignus ego jam vocari tuus*, Tantum relevat confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat. Confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumaciæ (*Ibidem, cap.* 8, *t.* I, *col.* 1243).

« *Exomologesis* prosternendi et humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit, tristi tractatione mutare; cæterum pastum et potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ caussa : plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiscere, lachrymari, et mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, presbyteris advolvi, et charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere (*Ibidem, c.* 9, *t.* I, *col.* 1242). »

Ridenda pœnitentia, quæ delicias non abjicit. — « Adjicito ad sumptum, conquirito altilium enormem saginam, defæcato senectutem vini : cumque quis interrogavit cuinam ea largiaris; deliqui, dicito, in Deum, et periclitor in æternum perire. Itaque nunc pendeo et macreor et excrucior, ut Deum reconciliem mihi, quem delinquendo læsi (*Ibid., cap.* 11, *col.* 1246). »

Christiano mundus est instar carceris. — « Si recogitemus ipsum magis mundum carcerem esse, exiisse vos e carcere, quam in carcerem introisse, intelligemus. Majores tenebras habet mundus, quæ hominum præcordia excæcant; graviores catenas induit mundus, quæ ipsas animas hominum constringunt; pejores immunditias expirat mundus, libidines hominum. Plures postremo mundus reos continet, scilicet universum hominum genus. Judicia denique non proconsulis, sed Dei sustinet (*Lib. ad Martyr., cap.* 2, *t.* II, *col.* 622). »

Exemplo Christi contemnendæ divitiæ. — « Omni pene in loco de contemnendo sæculo Scripturis dominicis commonetur. Nec major ad pecuniæ contemptum exhortatio subjacet, quam quod ipse Dominus in nullis divitiis invenitur; semper pauperes justificat, divites prædamnat. Ita detrimentum patientiæ fastidium opulentiæ præministravit : demonstrans per abjectiones divitiarum, læsuras quoque earum computandas non esse (*Lib. de Patient., cap.* 7, *t.* I, *col.* 1260). »

Cur de morte amicorum non dolendum. — « Cum constet de resurrectione mortuorum, vacat dolor mentis, vacat et impatientia doloris. Cur ergo doleas, si perisse non credis? Profectio est, quam putas mortem. Non est lugendus, qui antecedit, sed plane desideran-

A dus. Id quoque desiderium patientia temperandum. Cur enim immoderate feras abiisse, quem mox subsequeris? Cæterum impatientia in hujusmodi et spei nostræ male ominatur, et fidem prævaricatur. Et Christum lædimus, cum evocatos quosque ab illo, quasi miserandos, non æquanimiter accipimus (*Ibidem, cap.* 9, *col.* 1261). »

Patientiæ encomia. — « Satis idoneus patientiæ sequester Deus. Si injuriam deposueris penes eum, ultor est; si damnum, restitutor est; si dolorem, medicus est; si mortem, resuscitator est. Quantum patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem? nec immerito; omnia enim placita ejus tuetur, omnibus mandatis ejus intervenit. Fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adjuvat, humilitatem instruit, pœnitentiam
B exspectat, exomologesim adsignat, carnem regit, spiritum servat, linguam frænat, manum continet, tentationes inculcat, scandala pellit, martyria consummat, pauperem consolatur, divitem temperat, infirmum non extendit, valentem non consumit, fidelem delectat, gentilem invitat, servum Domino, Dominum Deo commendat, fœminam exornat, virum approbat; amatur in puero, laudatur in juvene, suspicitur in sene; in omni sexu, in omni ætate formosa est (*Ibidem, cap.* 15, *col.* 1270). »

Adversus spectacula et theatra. — « Impudicitiam omnem amoliri jubemur. Hoc igitur modo etiam a theatro separamur, quod est privatum consistorium impudicitiæ, ubi nihil probatur, quam quod alibi non probatur (*Lib. de Spect., cap.* 17, *t.* I, *col.* 649). »

C *Scenici semper infames.* — « Arcent scenicos honoribus omnibus simul et ornamentis... Quanta confessio est malæ rei, cujus auctores quam acceptissimi sine nota non sunt! » (*Ibid., cap.* 22, *col.* 654.)

Comœdiis Christianis vetitum interesse. — « An illo recogitabit eo tempore de Deo, posito illic, ubi nihil est de Deo?... Pudicitiam ediscet, attonitus in mimos? imo in omni spectaculo nullum magis scandalum occurret, quam ipse ille mulierum et virorum accuratior cultus, ipsa consensio, ipsa in favoribus aut conspiratio aut dissensio, inter se de commercio scintillas libidinum conflabellant. Nemo denique in spectaculo ineundo prius cogitat, nisi videri et videre.... Avertat Deus a suis tantam voluptatis exitiosæ cupiditatem (*Ibid., cap.* 25, *col.* 656). »

D *Veræ Christianorum voluptates in hoc sæculo.* — « Jam nunc si putas delectamentis exigere spatium hoc, cur tam ingratus es, ut tot et tales voluptates a Deo contributas tibi satis non habeas, neque recognoscas? Quid enim jucundius, quam Dei Patris et Domini reconciliatio? quam veritatis revelatio? quam errorum recognitio? quam tantorum retro criminum venia? Quæ major voluptas, quam fastidium ipsius voluptatis, quam sæculi totius contemptus, quam vera libertas, quam conscientia integra, quam vita sufficiens, quam mortis timor nullus? (*Ibid., cap.* 29, *col.* 659). »

Mali sacerdotes Judæis pejores. — « Proh scelus! Semel Judæi Christo manus intulerunt; isti impii sacer-

Digitized by Google

dotes quotidie corpus ejus lacessunt. O manus præcidendæ! Viderint an jam per similitudinem dictum sit : *Si te manus tua scandalizat, amputa eam.* Quæ magis amputanda, quam in quibus Domini corpus scandalizatur ! » (*Lib. de Idololatria, cap.* 7, *t.* I, *col.* 669.)

Mulier christiana hominibus placere negligit, imo horret.— « Perfectæ, id est christianæ pudicæ, appetitionem sui non tantum non appetendam, sed etiam exsecrandam vobis sciatis : primo, quod non de integra conscientia venit studium placendi per decorem, quem naturaliter invitatorem libidinis scimus. Quid igitur in te excitas malum istud ? quid invitas, cujus te profiteris extraneam ? tum quod tentationibus viam aperire non debemus, quæ nonnunquam (quod Deus a suis abigat) instando perficiunt ; certe vel spiritu scandalum permovent (*De Cultu Fœm. lib.* II, *cap.* 2, *t.* I, *col.* 1517). »

Fucos *adhibere, quale crimen.* — « Non supergrediendum in ornando corpore ultra, quam quod simplices et sufficientes munditiæ concupiscunt, ultra *quam* Domino placere ; in illum enim delinquunt, quæ cutem medicaminibus ungunt, genas rubore maculant... Displicet illis nimirum plastica Dei : in ipsis redarguunt, reprehendunt artificem omnium. Reprehendunt enim cum emendant, cum adjiciunt, utique ab adversario artifice sumentes addimenta ista, id est diabolo. » (*Ibid., cap.* 5, *col.* 1327.)

Imago mulieris christianæ.—« Prodite jam vos, medicamentis et ornamentis exstructæ apostolorum..... caput maritis subjicite, et satis ornatæ critis ; manus lanis occupate, pedes domi figite, et plus quam in auro placebunt. Vestite vos serico probitatis, bissyno sanctitatis, purpura pudicitiæ. Taliter pigmentatæ, Deum habebitis amatorem (*Ibid., cap.* 13). »

Christianus voluptates mundi fugere debet.— « Tu peregrinus mundi hujus, civis supernæ Hierusalem.... Nihil tibi cum gaudiis sæculi, imo contrarium debes. *Sæculum enim gaudebit, vos vero lugebitis.* Et *felices* ait *lugentes*.... Omnia imaginaria in sæculo et nihil veri (*Lib. de Corona militis, cap.* 13, *t.* II, *col.* 96). »

Adversus veritatem nulla præscriptio. — « *Veritati* nemo præscribere potest ; non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegium regionum. Ex his enim fere consuetudo initium ab aliqua ignorantia vel simplicitate sortita, in usum per successionem corroboratur, et ita adversus veritatem vindicatur. Sed Dominus noster Christus *veritatem* se, non consuetudinem cognominavit (*Lib. de Virginibus veland., cap.* 1, *t.* II, *col.* 889). »

Non ex personis fides probanda, sed personæ ex fide. — « *Non ex personis probamus fidem, sed ex fide personas ;* nemo sapiens est, nisi fidelis : nemo major, nisi Christianus : nemo autem christianus, nisi qui ad finem usque perseveraverit (*De Præscript. advers. Hæret. cap.* 3, *t.* II, *col.* 15). »

Non alia quærenda scientia, quam Jesu Christi. — « Nobis curiositate opus non est post Christum Jesum, nec inquisitione post Evangelium. Cum credimus, nihil desideramus ultra credere. Hoc enim prius credimus, non esse, quod ultra credere debeamus (*Ibid., cap.* 17, *t.* II, *col.* 20). »

De Clericorum continentia. « Quanti igitur et quantæ in ecclesiasticis ordinibus de continentia censentur, qui Deo nubere maluerunt, qui carnis suæ honorem instituerunt, quique se jam illius pudoris filios dicaverunt, occidentes in se concupiscentiam libidinis et totum illud quod intra paradisum non potuit admitti..... Inde apud nos plenius atque instructius præscribitur unius esse matrimonii oportere qui adleguntur in ordinem sacerdotalem (*De Exhort. Cast. t.* II, *c.* 7, *col.* 922, *c.* 13, *col.* 930).»

Homo imago Dei per liberum arbitrium. — « Non facie homo ad uniformem Dei expressus est ; sed in ea substantia quam ab ipso Deo traxit, id est animæ, ad formam Dei respondentis et arbitrii sui libertate et potestate signatus est. Hunc statum ejus confirmavit etiam ipsa lex. Non enim poneretur lex ei qui non haberet obsequium debitum legi in sua potestate : nec rursus comminatio mortis transgressioni adscriberetur, si non et contemptus legis in arbitrii libertatem homini deputaretur... Sed et alias quale erat, ut totius mundi possidens homo, non in primis animi sui passione regnaret, aliorum dominus, sui famulus (*Lib.* II, *advers. Marcion., cap.* 5, 6, *t.* II, *col.* 290, 291). »

Deus amandus ut Pater, timendus ut Dominus. — « Justitia Dei plenitudo est divinitatis ipsius, exhibens Deum perfectum, et patrem et dominum : patrem, clementia ; dominum, disciplina ; patrem, potestate blanda ; dominum, severa ; patrem, diligendum pie ; dominum, timendum necessarie : diligendum, quia malit pœnitentiam peccatoris, quam mortem ; et timendum, quia nolit peccatores sui jam non pœnitentes. Ideo lex utrumque diffinit : *Diliges Deum, et timebis Deum.* Aliud obsecutori proposuit, aliud exorbitatori. Ad omnia occurrit tibi Deus, idem percutiens, sed et sanans, mortificans, sed et vivificans ; humilians, sed et sublimans ; condens mala, sed et pacem faciens (*Ibid., cap.* 13 *et* 14, *col.* 300, 301). »

Hucusque bonum esse ac perutilem Tertulliani usum ex omnibus quæ de ejus doctrina congessimus enixe probare voluisse videmur ; jam vero crimini nobis merito foret, ni ad pravum usum præcavendum nihil consilii adderemus. At, quemadmodum quantum prodesse queat ejus doctrina statuimus, ita ex ejus erroribus inferendum est quam nocere possint, quam acri judicio ejus scripta secernenda sint. Porro alia communia habet paradoxa cum Montanistis, alia vero adeo sibi propria ut heresiarcha inde evaserit, ac horum errorum asseclas Tertullianistas, ex auctore nuncupatos, protulerit.

Certum indubitatumque est Tertullianum non solum erroribus ac deliramentis Montanistarum subscripsisse, verum etiam eadem ardentissime propinasse. Istiusmodi sunt omnia quibus suum Paraclitum passim et procaciter venditat ; quibus secundas nuptias non solum damnat, sed insuper enormitatem vocat omni crimine majorem ; quibus illicitum esse, urgente persecutionis æstu, tum fugere, tum sese pecunia

Digitized by Google

redimere docet. At refugit animus referre injurias quas evomuit doctor ille protervus contra Dei Ecclesiam ; quibus Catholicos impetit, quos passim appellat *Psychicos*, id est animales homines ac carnales. Eosdem arguit quod, agapes celebrando, ventri indulgerent et impudicitiis operam darent, confessoresque in carcere detentos ad intemperantiam compellerent. Præcipuos habes Tertulliani montanistæ errores, e quibus ansam arripuit ipse prodendi odium suum, animumque erga Catholicos infensissimum.

Pervenimus ad errores qui Tertulliano hæresiarchæ proprii sunt ac peculiares ; ac ne in immensum protrahamur, ad Pamelii, Rigaltii, cæterorumque commentatorum notas infra subjiciendas, hæc minutatim pensanda remittimus. Notabiliora promere sufficiat. Ac primo loco, virginem Deiparam virginitatem in partu amisisse audet profiteri. Tum de anima, etsi nonnulla benigne explicanda censemus, multa nullo pacto excusanda remanent, uti, exempli caussa, quæ solemniora et omni modo corpulentiæ debita, ea quoque adesse animæ, ipsam ex proprio sexu distingui, vel masculino scilicet vel fœminino ; trinam, sicuti et corpora, per longum, latum et profundum, dimensionem habere ; corporis humani speciem ac figuram præ se ferre ; non esse qualitatis inanis et vacuæ, sed quæ teneri possit, aerei coloris ac lucidam. Notabiliter insuper errat Tertullianus, cum docet Ecclesiam ibi etiam haberi, ubi sunt duo vel tres, licet laici : *ubi tres, Ecclesia est, licet laici !* horribilis sane propositio, ex qua funestiora bene multa pro Ecclesia consequuntur.

Silentio prætereo alios errores quos non solus ipse propugnavit, sed et alii ex vetustioribus, cæteroquin in re nondum ab Ecclesia definita : ex. gratia, rebaptizandos esse ab hæreticis baptizatos : item eo refertur opinio millenariorum, et descriptio paradisi quem in Apologet. *cap.* 47, appellat locum divinæ amœnitatis, recipiendis sanctorum spiritibus destinatum, et macceria quadam igneæ zonæ a notitia orbis communis segregatum. Quibus addendum venit quod habet de angelis apostatis, qui filias hominum cognoverunt (1).

Illud autem portentum æquare videtur, inquit auctor quidam vitæ Tertulliani, virum hunc scilicet, sublimi ingenio donatum, fidem conciliare potuisse hujusmodi erroribus, ob visiones mulierum quibus æque ac sancti Spiritus revelationibus omnimodam fidem præstabat.

Hinc cum prælaudato auctore concludendum est (2) jam nos a Tertulliano lapso admoneri quam lubrica res sit hominum intellectus, de se nimium præsumens, sibi uni omnia tribuens, nimiumque credens, nec aliorum, maximeque ipsius Ecclesiæ respiciens auctoritatem ! quam cito privati cujuslibet ingenium subverti queat ! quam pronus ejusdem in errores lapsus ! quam vere de Tertulliano in sui Commonitorii cap. 18, pronuntiaverit B. Vincentius Lirinensis : *Tertullianus catholici dogmatis, id est universalis ac vetustæ fidei parum tenax, ac disertior multo quam felicior, mutata deinceps sententia, fecit ad extremum quod de eo beatus confessor Hilarius quodam loco scribit : Sequenti, inquit, errore detraxit scriptis probabilibus auctoritatem.*

(1) Hæc et alia Tertulliani paradoxa infra reperies cum antidoto Pamelii, et alibi aliis commentatorum notis sanata ; ab erroribus quibusdam perperam ipsi imputatis Tertullianum vindicat Lump. *Biblioth. histor. critica PP.*, t. VII, c. 11, p. 709 sqq.

(2) Corbiniani Thomæ dissert. final., op. cit., p. 191.

ARTICULUS III.

DE LITERARIIS TERTULLIANI ANNALIBUS.

Modo perpensa, utut fieri licuit, Tertulliani multiplici auctoritate, atque datis, quæ ausi sumus ac potiora duximus, de recto ejusdem usu consiliis, jam ex hoc ordine rerum minime declinare videmus, cum quinam fuerint in eo virorum doctorum impensi labores, sive ad codices transcribendos, sive ad editiones proferendas, sive ad textum in recentibus linguis transferendum, sive ad quædam rei Tertullianæ puncta sigillatim enucleanda, in decursu sæculorum, singulis volventibus annis, recensere summatim aggrediamur. Nihil enim magis ostendit quam tot virorum in eumdem auctorem operosa acindefessa æmulatio, quanti Tertullianum fecerit omnis retro antiquitas ac recensior eruditio, quanta fuerit ejus auctoritas, qualive diligentia ac prudentia quisque ejus scriptis usus fuerit. Præhabitis eadem in re studiis, ac præsertim *Car. Traugott Gottlob Schoenemann* rara admodum Bibliotheca historico-literaria, libentius, pro more nostro ac jure, utentes, primo de codicibus manuscriptis, quorum notitia ad usque nos pervenerit, pauca libabimus ; tum editionum, versionum ac commentationum amplam seriem ad singulos annos, quantum licuerit, referemus (1).

§ I. DE CODICIBUS TERTULLIANI.

Post antiquissima Cypriani, Lactantii, Hilarii, Eusebii, Rufini, Hieronymi, Augustini, Vincentii Lirinensis, de Tertulliani libris, ingenio, auctoritate testimonia, nulla subinde per plura sæcula remanent ejus vestigia, obrutusque videtur sub celeberrimo Gelasii papæ decreto, qui indistincta ejus opera inter apocrypha amandavit. Excitus tandem ex iis apocryphorum tenebris, rursus in lucem prodiit circa fausta Caroli Magni tempora, cum ex immani barbarorum colluvie emersa renascerentur studia literarum. Quæ imprimis floruere Lugduni, in vetusta eruditionis ac eloquentiæ Gallicæ sede, nec parum favisse archiepiscopi lugdunenses, Leidradus inter quos et Agobardus, memorantur. Porro Tertullianum præ omnibus in deliciis habuisse Agobardus existimandus est, quippe cujus exstant plures manuscripti codices nomen ejus præ se ferentes. Hinc igitur :

(1) Quæ doctissimæ Schoenemanni notitiæ addenda censuimus, hæc uncinis præfigenda, curavimus, cætera novis tantum titulis, aut alio distinximus ordine.

Digitized by Google

Sæculo nono.

« 1° Inter ann. 814 et 840. I. *Codex Agobardi* prior, membranac., literis uncialibus minusculis elegantibus ac nitidis exaratus, 204 fol. in-4° compactus, vetustate nimia laceř ac diuturno udore marginum corrosus ac lancinatus, extat in Biblioth. reg. sub num. 1622. Jam prope manibus absque periculo tractari non poterat, cum nuper eximius ille codex tandem recenti opera resarcitus est, nec salvis tamen pluribus foliorum frustulis pellucidis, in quibus aliquot emicabant grammata quæ nunc, margine deficiente, vel obstante opaco linimine, extinguuntur. In 2° folio, sub titulo recentiori manu ac literis quadratis inscripto, hæc vetusto caractere leguntur : LIBER OBLATUS AD ALTARE S. STEPHANI EX VOTO AGOBARDI EPI. In eod. fol. verso, HIC SUNT TERTULLIANI LIB. XXIII. Sequitur index iste : AD NATIONES LIB. I. IT. AD NATIONES LIB. II. DE PRÆSCRIPTIONE HERETICORUM LIBER I, DE SCORPIACE : DE TESTIMONIO ANIMÆ —DE CORONA—DE SPECTACULIS LIS (*sic*) DE IDOLOLATRIA LA (*sic*)—DE CENSU ANIMÆ— DE ORATIONE — DE CULTU FEMINARUM — IT. DE CULTU FŒMINARUM — AD UXOREM — IT. AD UXOREM — DE EXHORTATIONE CASTITATIS — DE SPE FIDELIUM — DE PARADUSO — DE VIRGINIBUS VELANDIS — DE CARNE ET ANIMA. In altera columna ejusdem folii : DE CARNE XPI DE PATIENTIA — DE PAENITENTIA—DE ANIME SUMMISSIONE—DE SUPERSTITIONE SÆCULI —LEGE IN XPO IHY. Porro deficit codex in libro *de Carne Christi*, ad hæc capitis X verba: *item cum præsumant non carnis sed animæ nostræ.* — Nihil extat de sequentibus libris, nec ullum verbum, de quatuor præcedentibus in indice memoratis. In operimento membranaceo ac rubro, aureis lineis et literis distincto, legitur : JACOB. GOTHOFREDUS. I. C. DOMO PARISIENSIS REGIÆ PARISIORUM BIBLIOTHECÆ. Hic enim insignis est codex quem primus tractavit Gothofredus, e quo primus *duos ad Nationes libros* edidit, quemque his editis regiæ bibliothecæ dono dicavit.

« II. *Codex Agobardinus*, a superiori diversus, in Biblioth. Lugduno-Batava, ab Havercampio laudatus, sed non descriptus. Vide infra Haverc. præfatione ad Apologetic. *col.* 250 *sqq.*

Sæculo decimo.

« III. Circa ann. 900. *Codex Claudii Puteani*, caractere pulcherrimo, elegantibus uncialib. 80 fol. in forma 4° compactus, asservatus in biblioth. regia, olim n° 3971, nunc 1623 notatus, solum Apologetic. libr. continens, quem in manibus habuere ac consuluere D. Nic. Le Nourry et Rigalt.

Sæculo undecimo.

« IV. Circa ann. 1000. *Codex Petri Pithœi*, ex caracterum forma a D. Nicol. Le Nourry et aliis VV. DD. undecimo sæculo adscriptus, olim ex Pithœi schedis RR. Patrum Oratorii Jesu collegio Trecensi dono datus, nunc in biblioth. urbis Montispessulani asservatus, membranac., in-f°, omnia Tertulliani opera continet. Cf. Hænel. catalog. p. 245. Eo usus est ad suam editionem Rigaltius.

« V. Eod. tempore, *Codex Harlæus* caracteris elegantia haud Puteano deterior, neque centum annis recentior, judice D. Le Nourry, qui eum accepit ab Achille Harlæo, Parisiensis senatus præside, in eoque bonas et malas deprehendit lectiones.

« VI. Eod. temp. *Codex Augustæ-Taurinensis*, cui se offendisse testatur Mabillonius in Itiner. Italic. t. I, p. 8.

« VII. Eod. temp. *Codex Colbertinus prior*, quem, jubente abbate Colbertino, a Carolo Duchesne, accepit D. Le Nourry, cui ab annis circiter 700 visus est exaratus.

Sæculo duodecimo.

« VIII. Infra ann. 1050. *Codex Morbacensis* in cujus fine manu recentiore scribitur : *Orate pro domno abbate Morbacenci*, qui alius non est ac Bartholomæus de Andelo, anno 1455 monasterio præfectus. Varias ejus lectiones sedulo D. Nic. le Nourry decerpserat eumque 600 vel 700. abhinc annis scriptum ducebat.

Sæculo decimo-tertio.

« IX. *Codex Colbertinus recentior*, delatus ex urbe Tutelensi anno 1687 a D. Stephano Baluzio, notatus in Colbert. bibl. n° 5271, olim in Regia 3973, nunc 1689, haud 400 annis recentior judicio D. Le Nourry. Continet in priori parte Didymi *de Spiritu S. tractatum*, D. Cypriani *epp.* et *opp.*, et posteriori parte *Apologeticum* Tertulliani.

Sæculo decimo quarto.

« Ab annis 1462 ad 1500 saltem referendi sunt codices quos in uberrima Hirsaugiensis abbatiæ bibliotheca vidit J. Trithemius, ac meminit libro *de Script. ecclesiast.*, ubi de Tertulliano. Ibidem memoratur adhuc extare *liber de Exstasi*, qui desideratur.

« Anno 1481, pridie idus januarii scribebat *Angelus Politianus* de Tertulliano epistolam haud secus ac si ejus libros, quotquot etiamnum habemus, in manibus habuisset.

« X. Ad annum 1492 prodiit *codex biblioth. regiæ Parisiensis*, olim num. 4313-3. nunc n. 2616 præ se ferens, haud amplo volum. 50 fol. membranac. constans, nitida ac eleganti caracterum recentium forma, ad usum equitis cujusdam Bartholomæi Chalci, archigrammatei ducalis Mediolan., transcriptus ab Hieronymo Waradeo; textus optimæ notæ, licet recentior. Post varias rerum ac dominorum vices, ut constat ex notis primo folio affixis, penes Antonium Faur sub num. 178 fuit.

« Sæculo XV adscribuntur *Tertulliani quædam declamationes*, quas in catalogo biblioth. Middlehill sub n. 2577 reperit Hænel ac inseruit in sua mss. biblioth.

Codices ætatis incertæ.

« XI. Codex vetus ignotus unde Apologeticus primum exscriptus est.

Digitized by Google

« XII, XIII. *Hirsaugiensis* et *Paterniacensis* primi fuerunt ex quibus, Tertullianus, Rhenano obstetricante, prodiit. » Etiam nunc servantur in urbe Schlettstadt, ex ipsamet B. Rhenani biblioth., Tertulliani scripta quædam mss. membranac. Cf. Hænel. p. 437.

XIV, XV. *Gorziensis* et *Fuldensis*, quem posthac Fr. Modius diligentius excussit, plurimum Tertulliano emendando profuerunt.

XVI. *Gagnæi Codicem*, ex quo pleniorem Tertullianum dedit, ignoramus.

XVII. *Britannicus cœnobii Masburiensis* a Joh. Lelando cum Gelenio communicatus, plane egregius; qui usquedum non habebantur libros Tertull. præbuit, aliis contra qui jam exstabant, carens.

XVIII, XXIV. *Codices Pamelii*; tres Vaticani cardinal. Sirlet jussu in usum ejus collati, duo monasteriorum S. Amandi et S. Bavonis in Belgio; unus Anglicanus, qui penes Joh. Clementem fuit.

XXV. *Codex Bongarsii*, quo usus est Heraldus.

XXVI. *Codex quem Salmasius* ad librum *de Pallio* perpoliendum adhibuisse professus est.

XXVII, XXVIII. Codices duo membranacei in bibliotheca Lugduno-Batava n. 324, 376 existentes, quibus liber *de Pallio* comprehenditur, ac usus est Havercampius.

Insuper variantes lectiones, quas e variis libris mss. F. Ursinus collegerat, notemus, quas post Wouwerium Rigaltius in usum vocavit.

« XXIX. *Codex Vaticanus*, continens cum chronico V. Bedæ multa alia e quibus fragmentum Tertulliani *de exsecrandis Diis*, primo editum ann. 1630 a J. M. Suaresio, bibliothecæ Vatic. custos, nec jam abhinc recusum, iterum in hac nostra editione datum T. II, col. 1114. Codex ille, inquit Suaresius, literis longobardicis scriptum ante septingentos vel octogentos annos scriptus videtur.

« XXX. *Codex Ambrosianus*, e quo Muratorius eruit ultimam partem tractatus *de oratione*, vetustus quidem, eodem judice, at nullibi ab eo descriptus, nec ulli affixus ætati. »

Perperam Tertulliani nomine inscribuntur duo codices Parisienses, quorum alius in biblioth. regia num. 1656, alter in bibl. S.-Genovef. num. 694 asservatur, neuter vero vel minimum Tertulliani habet vestigium.

§ II. DE SINGULIS EDITIONIBUS, VERSIONIBUS, AC VARIORUM IN TERTULLIANO COMMENTATIONIBUS.

Sæculo decimo-quinto.

1483.

Q. Septimii Florentis Apologeticus adversus gentes. Impressum *Venetiis per Bernardinum Benalium. s. a. nota. fol.* Charactere eleganti gaudet, literis initialibus minio adpictis. Singulatim quidem hic Tertulliani libellus in bibliotheca Regio-acad. Goett. exstat et memoratur in biblioth. Pinelliana t. I Patr. Lat. n. 683. Sed, ni fallor, ad Lactantianam editionem ab eodem Bern. de Benaliis factam et a Fabricio commemoratam pertinet; quam, quia forte rarior sit, nolim continuo cum Bunemanno in dubium vocare, et insunt indicia, quæ attentum observatorem advertere possunt in hujus libelli habitu veluti capitum tabula ipsum præcedens, quæ sic exscripta est, ut fere in reliquis Tert. Apologetici cum Lactantio editionibus exscribi solet, in dimidia fere parte paginæ secundæ folii primi; tum ipsius anni notæ defectus, vix obvius in hujus loci et typographi editionibus, deinde quod post subscriptionem subjicitur: *Sermo de vita æterna* (1), qui pariter cum sequentibus Lactantii edit. quæ Tertulliani Apologeticum adjunctum habent, plerumque prodiit. Possunt hæc saltem excitare VV. DD. ut curiosius de his, ubi licet, dispiciant.

1493.

Mediolani per Uldericum Scinzinzeler. fol. Q Septimii Flor. Tertulliani Apologeticus adv. gentes. *Cat. Bibl. Pinell. p. lat.* 682, *tom.* I.

1494.

Venetiis, cura et expensis nobilis viri Domini Octaviani Scoti Modoetiensis, 1494, quinto idus octobris per *Bouctum Locatellum*: Q. Sept. Tertulliani Apologeticus, cum Lactantio.

1500.

Parisiis, ap. Jo. *Petit.* 4°. Tertulliani Apologeticus, cum Lactantio, si conjecturæ fidere licet.

Sæculo decimo sexto.

1501 — 1600.

Cum Lactantio iterum iterumque prodiit Tertulliani Apologeticon: 1502, *Venet.* fol.; 1509, *Venet.* fol.; 1509, *Paris.* 4°; 1511, *Venet.* fol.; 1513, *Paris.* 4°: *Florent.* 8°, ap. *Phil. Junt.* Juntinæ exempla seorsum etiam reperias. Vid. Cat. Bibl. Pinell. PP. lat., n. 684.

1515.

Venetiis in ædibus Aldi et Andreæ soceri, mense aprili 1515. In fronte: TERTULLIANUS. Præmittuntur præter Jo. Bapt. Egnatii Ven. ad Gasp. Contarenum Patricium Venet. et philosophum præcipuum epist. dedicatoriam, Hieronymi vita Tertulliani, et capitum tabula.

1521.

ED. PRINCEPS BASILEENSIS I. Operum Tertulliani, *Bas. apud Froben. fol.* « Opera Q. Septimii Florentis Tertulliani, inter latinos Ecclesiæ scriptores primi, sine quorum lectione nullum diem intermittebat olim divus Cyprianus, per BEATUM RHENANUM Selestadiensem e tenebris eruta atque a situ pro virili vindicata, adjectis singulorum librorum argumentis et alicubi conjecturis, quibus vetustissimus auctor nonnihil illustratur. Quorum catalogum proxima pagina reperies. Floruit sub Cæs. Severo Pertinace et Antonino Caracalla, valde vicinus apostolorum temporibus, circa annum a Christo passo 160. Quare boni consulenda sunt hujus scripta, si alicubi varient a receptis horum temporum dogmatis, cum omnes synodos antecesserit, apostolicis illis exceptis, quarum in Actis

(1) Ad verbum inscriptus: *Item sermo de vita æterna, caput* 47.

Digitized by Google

Lucas commeminit. Gaude, lector, et hunc tibi rarum ac novum thesaurum para, ac vale. » In calce, folio ante indicem proximo : *Basileæ apud Jo. Frobenium : mense Julio. An.* 1521. Opera quæ in hoc volumine continentur, quorum catalogum pagina tituli adversa præbet, hæc sunt : *de Patientia liber ; de Carne Christi ; de Resurrectione carnis; de Præscriptione hæreticorum ; Adversus omnes hæreses ; Adversus Judæos ; Adversus Marcionem libri* V*; Adversus Hermogenem; Adversus Valentinianos; Adversus Praxeam; de Corona militis ; Ad Martyres ; de Pœnitentia ; de Virginibus velandis ; de Habitu muliebri ; de Cultu fœminarum ; ad Uxorem suam libri* II ; *de Fuga in persecutione ; ad Scapulam ; de Exhortatione castitatis ; de Monogamia ; de Pallio ; Apologeticus adversus gentes.*

Ceperat edendi Tertullianum consilium Rhenanus, cum forte in codicem vetustum *Paterniaci* (*Pœterlingen*) cœnobii Transjurani incidisset, mox adjutus etiam codice *Hirsaugiensi* (*Hirschau*). Utrumque tamen tam corruptum et mendis plenum, simul scripturam ubique tam similem deprehendit, ut alter ab altero descriptus videretur, et ni semel vixdum inscripti libri, dum Frobenii præla vacarent, typis excudi cœpti essent, omnino ab opere destitutum se fuisse affirmat. Secutus ergo in profligando labore hoc est, ut « *quando loca mendosa deprehenderet, et non subvenirent exemplaria, sciens religiose esse tractanda auctorum scripta non secus ac res sacras, nihil mutaret, sed conjecturas, quæ tum in mentem forte veniebant, in marginibus adjiceret, quarum nonnullæ*, inquit, *nec mihi multum arrident, verum cupiebam lectorem dubitaturum adjuvare. Quod si non ubique successit, non est idcirco damnandus conatus.* » Pergit : « *Utinam mihi copia fuisset exemplaris quod in Gorziensi cœnobio servatur, id abest ad tertium milliarium ab urbe Mediomatricum, et item ejus quod apud Fuldam exstat vel ejus quod esse Romæ ferunt. Sed spatiis iniqui temporis exclusi, non potuimus ea nancisci. Quamquam vereor nihil nostris esse emendatiora, quando codices quibus usi sumus, Hirsaugensis et Paterniacensis, tam constanter per omnia consentiebant, ex diversis allati bibliothecis, et non uno tempore descripti. Sed hujus conferendi laborem aliis committemus.* »

Præter argumenta, singulis libris una cum annotatiunculis præmissa, præfixit Rhenanus vitam Tertulliani, itemque disputationem, sub nomine *admonitionis ad lectorem de quibusdam Tertulliani dogmatis ;* subjunguntur vero *Definitiones ecclesiasticorum dogmatum*, posthac Gennadio adscriptæ, et index denique dictionum sententiarumque ac dogmatum. Inscripsit opus principi Stanislao Turzo, Episcopo Olomutzensi. Ab artificio typographico hæc editio est satis insignis, tum charactere magno et nitido, tum figuris vel emblematicis, vel mythologicis et historicis ligno impressis, quæ partim margines tituli, itemque primæ dedicationis, et deinde ipsius textus paginam primam cingunt, partim literis initialibus majoribus accesserunt.

1525. 1528.(1) 1536.

Bas. ap. Froben. f. repetitiones primæ.

1539.

ED. BASILEENSIS II. *Basileæ.* f. Opera Q. Septimii Florentis Tertulliani Carthaginiensis, inter latinos Ecclesiæ scriptores primi, sine quorum lectione nullum diem intermittebat olim divus Cyprianus, per Beatum Rhenanum Seletstadiensem e tenebris eruta, atque a situ pro virili vindicata, adjectis singulorum librorum argumentis, et nullibi non conjecturis, ac nuper collatione Gorziensis exemplaris ex Mediomatricibus oblata, non solum longe emendatiora facta, verum etiam pro re nata novis ac retextis annotationibus exposita illustrataque. Quorum catalogum proxima pagina reperies. Floruit sub Cess. Severo Pertinace, et Antonino Caracalla, valde vicinus apostolorum temporibus, circa annum a Christo passo 160. Basileæ 1539. mense martio. De hac secunda editione audiamus, quæ ipse Rhenanus literis præfixis, datis Seletstadii sub cal. mart. 1539, scribit : « Iterum damus Tertullianum, sed emendatiorem, quam antehac. Cujus rei caussa, quod collationem ejus codicis, qui Gorziæ in Mediomatricibus asservatur diligentia ac dexteritate Huberti Custinei — adjuvante Dominico Florentino sodali peractam, cura jurisconsulti D. Claudii Cautiunculæ Ferdinandi Cæsaris a consilio, tandem nacti sumus. Nec vero tantum profuit illa, quamquam multum profuit, quantum momenti attulit ad exactiorem castigationem, quod deprehendimus subinde græcissare Septimium figuris et constructionibus græcis utentem. Apparet sane nostrum auctorem in lectione Græcorum veterum qui plurimi id temporis et soli inter sacros interpretes habebantur assidue versatum, ut imbibitam et impressam memoriæ Græcorum dialectôn etiam latine scribens interoblivisci nequiret. Nos hujusmodi tropos indicavimus, et quidem sæpe crassius, modo apertius ; nam voluimus adjuvare studiosos. Jam dedit retexendarum annotationum ansam collationis istius opportunitas, ubi lectio posterior a priore nonnumquam evariat. Hoc quoniam erat indicandum, aliam etiam expositionem mutata verba desiderabant. Non licuit adesse Basilea dum editur opus. Verum Sigismundus Gelenius, homo magni in literis judicii, et eruditione summa præditus, in recognoscendo opere vicariam operam in officina præstitit, qui merita laude non est fraudandus. » — Hanc novæ editionis præfationem excipiunt *Proverbia* aut Proverbii speciem referentia, quibus passim in scriptis suis utitur Sept. Tertullianus a vulgo maximam partem descripta, tum repetita ex priori editione epistola nuncupatoria et vita Tertulliani. *Admonitio* de quibusdam Tertulliani dogmatis ad calcem recessit, definitiones eccles. dogmatum penitus omissæ sunt. Index novus et prorsus alius est. Ad margines textus dicta et sententiæ insigniores diligenter notatæ.

(1) In Cat. Bibl. Mus. Britt., t. II, laudantur : Opera — cum annot. B. Rhenani et Fr. *Junii* ! Bas. 1528. f. inepte ! Schoenemann.

Digitized by Google

Adnotationibus ad libr. *adv. Valentinianos* accessit tabula ligno impressa, doctrinam eorum in effigie sistens. Tandem qui singularem libellum superiori editione constituerat, tractatus *Adversus omnes hæreticos*, tanquam particula perperam avulsa libro de Præscriptionibus hic ad corpus suum rediit (1).

1545.

ED. PARISIENSIS I.—*Parisiis* fol. per GAGNÆUM. Accesserunt Gagnæi opera XI (2) libri Tertulliani : de Trinitate lib. I, de Animæ testimonio lib. I, de Anima lib. I, de Spectaculis lib. I, de Baptismo lib. I, contra Gnosticos Scorpiacum lib. I, de Idololatria lib. I, de Pudicitia lib. I, de Jejunio adversus Psychicos lib. I, de Cibis Judaicis epistola, de Oratione lib. I; ex quibus de Trinitate et de Cibis Judaicis posthac Novatiano vindicati sunt. Unde vero Gagnæus nactus sit hos libros, cum ipsius editionem oculis usurpare non contigerit, dicere non habeo, nec reperire quidem potui quemquam, qui hujus editionis notitiam dare operæ duxisset; in Cat. Bibl. Thottianæ t. I, p. I, p. 62, hoc anno et loco, forma item maxima memoratas invenio editiones duas, unam *Tertulliani opera ex recogn. Beati Rhenani*, *ap. Carolum Guillard*, alteram per eumdem *ap. Hugonem et hæredes Æmonis a Porta*. Utra harum Gagnæi sit, an utraque nescio.

1550.

ED. BASILEENSIS III. Basileæ. fol. « Q. Septimii Florentis Tertulliani Carthaginiensis Presbyteri, auctoris antiquissimi ac doctissimi scripta, et plura quam ante, et diligentius per industriam bene literatorum aliquot ad complures veteres e Gallicanis Germanicisque bibliothecis conquisitos recognita codices, in quibus præcipuus fuit unus longe incorruptissimus in ultimam usque petitus Britanniam : non omissis accuratis Beati Rhenani annotationibus. Catalogum autem aperiet versa pagina. Accessit et index copiosior, Bas. 1550. In fine : BASILEÆ APUD HIER. FROBEN. ET NIC. EPISCOPIUM, ANNO 1550, MENSE MARTIO. » Curavit hanc editionem Sigismundus Gelenius, cujus jam in Rhenani secunda partes laudavimus. Exhibet præter libros superioribus editt. Basileensibus vulgatos eos quoque, quos Parisiensis recens produxerat, sed e codice Brittannico, in quo singuli isti libri exstabant, ex antehac editis tamen modo illi tres : *de Resurrectione carnis*, *de Præscriptionibus adv. hær. et de Monogamia*, reperiebantur. — Præterea Apologetico accessit commentarius *Fran. Zephyrini* Florentini, nunc primum editus. Repetita etiam hic invenies Rhenani epistolam nuncupatoriam, vitam Tertulliani ac proverbia et admonitionem de dogmatibus. A chartarum ac typorum elegantia inter nitidissimas numerari debet hæc editio. In Bibliotheca Baluziana hujus exemplaris Apologeticus cum cod. ms. collatus erat.

1561.

Parisiis, *apud Andr. Wechelum*. 4°. Q. Sept. Flor. Tertulliani liber de Præscriptionibus adversus hæreticos, cum scholiis *Jo. Quintini* Hedui.

1562.

ED. BASILEENSIS IV. — *Basileæ*. fol. Repetitio editionis a. 1550. In fine : *Bas. in off, Frob. per Hier. Frob. et Nic. Episcopium, mense septembri.*

1562.

« VERSIO GALLICA I. Tractat. Tertulli *De Præscriptionibus hæreticor.* per Aubertum de Macere, evulgata Parisiis. »

1563.

« VERSIO GALLICA I. Lib. *De Corona Militis* per eumdem, ibid. »

1566.

ED. BASILEO-PARISIENSIS. *Parisiis apud Audœnum Parvum* (1), *sub intersignio Lilii aurei, via ad D. Jacobum*. Accurata Gelenianæ repetitio. Tomis duobus 8°. In fine cujusque : *Par. excudebat Andreas Wechelus*. 1566. Index Gelenianus (*ab J. G. confectus* quid sibi velit, nescio) ad tomi cujusque contenta est reformatus.

1572.

« VERSIO GERMANICA I. Q. S. F. Tertulliani certæ, justæ et necessariæ Præscriptiones adversus omnes hæreses in germanicum idioma a Laurent. Alberto Franco translat. et excus. Dilingæ. »

1579.

ED. PAMELIANA—ANTVERPIENSIS I. fol. « Q. Septimii Flor. Tertulliani Carthaginiensis presbyteri opera, quæ hactenus reperiri potuerunt omnia. Jam postremum, ad exemplaria manuscripta collatione facta, quam accuratissime recognita, aliquot etiam libris auctiora; nunc primum in capita, et certo ordine habita, quanto fieri potuit temporum ratione, in quinque tomos distincta, cum Jacobi Pamelii Brugensis, theologi, archidiaconi Audomaropolitani, argumentis et adnotationibus toti operi interjectis; quibus tum loci obscuriores explicantur, tum quidquid ad antiquitatem ecclesiasticam spectat, illustratur. Ab eodem Pamelio recens adjecta Tertulliani vita, Scripturarum citatarum index locupletissimus, aliaque Prolegomena. » Adjutus est auctor novæ hujus recensionis, Jacobus Pamelius (*a Pamele*), imprimis tribus mss. membranaceis codicibus Vaticanis, cardinalis Sirleti, Bibl. tum Vaticanæ præfecti, cura jussuque codici excuso comparatis. Habebat etiam libros mss. monasteriorum S. Amandi ac S. Bavonis et Anglicum codicem, qui penes Jo. Clementem anglum erat; nec non Latini Latinii Itali et Jo. Harrisii Angli, ab ipsis cum eo communicatas conjecturas variorumque denique homi-

(1) Omnibus Catholicis innotescat necesse est Rhenani animadversiones censoria Inquisitionis Hispanæ virgula notatas fuisse et Romæ à S. Pio Papa V librorum prohibitorum indici inscriptas, propter liberiores hujusce editionis animadversiones super Ecclesiæ leges, ritus et institutiones. EDD.

(2) XV numerat Pamelius in Ep. dedic. ed. 1579. ad Pont. Ed. præfixa ; perperam. SCHOENEMANN.

(1) Male hæc ap. *Robert. Steph.* prodiisse Sandio dicitur. SCHOEN.

Digitized by Google

num doctorum varias observationes. Quibus adminiculis tantum sane profecit, ut loca innumera castigasse, hiulca supplesse, quædam etiam superflua, quæ ex margine in contextum irrepserant, non injuria resecidisse sibi videretur. Primum etiam in capita libros omnes distinxit, argumentaque nova ad capitum distinctionem comparata et ipsius Tertulliani verbis conscripta addidit. Deinde totum opus in quinque tomos partitum est : quorum primo continentur libri adversus Gentes et Judæos ; secundo Parænetica ; tertio scripta adversus Hæreses ; quarto Poemata cum Fragmentis operum, quæ desiderantur ; quinto denique ea quæ adversus Ecclesiam scripsit, et aliena quædam ; librorum in singulis partibus eodem quo conscripti putantur, ordine habito. Admonitionem etiam de Tertulliani dogmatibus seu erroribus ea quam Rhenanus conscripserat, longe lucupletiorem et ordine alphabetico confectam cum Antidoto, ut vocat, edidit (*a*). Ordo vero contentorum hic est : 1° *Dedi*catio ad Pontif. Max. Gregorium XIII, data *Duci* ipsa Exaltationis Crucis die 1579 ; 2° Dedicatio altera ad Philippum II Hisp. regem script. ib. eod. 14 septembr.; 3° Indices librorum quovis tomo contentorum et auctorum codicumque, qui Tertulliano castigando usui fuere, notitia ; tum 4° vita Tertulliani per Pamelium, et 5° Paradoxa Tertulliani cum antidoto Pamelii ; 6° Tertulliani jurisconsulti romani legum rescripta ; tandem 7° Indices in Tertullianum, cum locor., tum aliorum auctor. ab eo citator., tum rerum.— Qui quarto tomo comprehenduntur, libros poeticos et fragmenta seu indicia potius librorum deperditorum apud alios auctores aut ipsum Tertullianum obvia primus hic Pamelius operibus Tertull. inseruit. Ad poemata quod attinet, in libris adversus Marcionem et carmine de Judicio Domini Tertulliano vindicandis, Ge. Fabricii (in poetis christianis), in carmine de Sodoma vero Sixti Senensis (Bibl. Sanct. lib. IV) auctoritatem sequebatur ; Genesin autem et ad *senatorem* quæ cum Sodoma carmine Cypriano olim asseruerat, propter orationis similitudinem, Tertulliano nunc demum adjudicavit et denuo recensuit. Hæc excipiunt Græcorum operum fragmenta : ad amicum philosophum de Nuptiarum angustiis seu de Virginitate ; de Fato ; de mundis et immundis Animalibus ; de Circumcisione ; de vestibus Aaron ; de Trinitate ; de censu Animæ adversus Hermogenem ; adversus Appelletianos ; de Paradiso ; de Spe fidelium ; de Ecstasi lib. sex ; adversus Apollonium ; Aliorum aliquot et falso inscriptorum. T. V. continentur : de Exhortatione Castitatis ; de Monogamia ; de Fuga in persecutione, ad Fabium : de Jejuniis adversus Psychicos ; de Pudicitia ; Novatiani de Trinitate ; ejusdem de Cibis judaicis ; ejusd. epistolarum de vera Circumcisione et vero Sabbato notulæ.

(*a*) Prima quidem editio Pamelii ad manus non est, neque typographos et Bibliopolas, apud quos prodiit, indagare potuimus, sed desumta hæc sunt ex ed. Par. 1598, cui quæ insuper accessere, suo lo o commemorantur. SCHOENEM.

1580.

ED. BARRÆANA.—*Parisiis apud Mich. Julianum ad mont. divi Hilarii sub insigni stellæ coronatæ*, « Opera Tertulliani et Arnobii quotquot ab interitu vindicari summorum virorum industria potuerunt, cum veterum exemplarium tum recentiorum collatione restituta, locis Scripturæ aucta et illustrata commentariis, quæ alias auctoribus subobscuris et difficillimis non mediocrem lucem afferre poterunt. Omnia studio et labore *Renati Laurentii de la Barre*. Additis indicibus fidissimis et amplissimis. » In fine : « Excudebat Petrus Le Voirrier, regius in Mathematicis Typographus, Anno sal. hum. M. D. LXXX. mense Junio. » (*a*) Primus Laurentius Barræus id egit, ut, quæ passim in scriptis variis VV. DD. imprimis Beroaldus, Alciatus, Crinitus, Turnebus, Vertranius, Hotomannus, Cujacius, Scaliger ad emendandum explicandumve Tertullianum contulissent, conquireret, et excerpta una cum suis adnotationibus Rhenani commentariis allineret ; ubi vero illi deficerent, in libris scilicet post Rhenanum additis, de suo proferret : in eo tamen lectoribus molestus, quod sua nusquam a Rhenani aliorumve distingueret. Rhenani epistolam nuncupatoriam itemque admonitionem de quibusdam Tertulliani dogmatis repeti curavit, vitam Tertulliani de suo addidit, præterea amplum præfixit autorum, quorum fide annotatt. conscriptæ sunt, catalogum. Nuncupavit hanc editionem præceptori suo De La Bigne Th. D. Quod externam faciem spectat, admodum nitida est editio, adornataque satis commode annotationibus sub textu dispositis diversis quoque typis expressis.

1582.

VERSIO GERMANICA I. Libri *De Patientia* a Luc. Maio, Smalkalacæ, in 8°.

1583.

ED. PAMELIANA-PARISIENSIS I. — *Parisiis* sub scuto Basiliensi sol. Pameliana recusa. Huic demum editioni accessisse videntur : (*b*) *Proverbiales Formulæ Operis Tertullianici contentæ*, brevibus scholiis illustratæ per Andream Hoyum Brugensem, cui hanc curam ipse Pamelius injunxerat, ut præfixa Hoyi ad Pamelium epistola, data apud Atrebates Kal. Januar. 1583, nos docet. (*c*) Utrum vero et ejusdem Hoyi in Tertullianum Pamelii op. restitutum Epigramma, quo singulorum librorum, qui hoc quinquepartito opere continentur argumenta ex ordine indicantur, hac demum editione accesserit, an olim jam fuerit vulgatum, nescio. Hujus exemplaris apologeticus cum cod. MS. collatus exstabat in Bibl. Baluziana.

1584.

ED. PAMELIANA - ANTVERPIENSIS II. *Antverp. apud*

(*a*) Inter repetitiones Pamelianas sine editoris nomine Caveus laudat ; perperam. SCHOENEM.

(*b*) Sandius edit. Parisiensem hujus anni cum Notis Rhenani et Junii f°. laudat ; qua fide, affirmare non ausim.

(*c*) Scilicet ex edit. 1598. Paris. mihi in his judicandum fuit, ut semel jam professus sum. SCHOENEM.

Digitized by Google

Plantin. fol. eadem repetita; in Cat. Bibl. Leidens. (Lugd. Bat. 716.) scribitur : Tertulliani Op. ex emend. Jac. Pamelii cum coll. codicis MS. Agobardi per Jo. Mercerium. *Antverp.* 1584. f.

1583.

Ed. Pameliana Parisiensis II.—*Parisiis, ap. Mich. Sonnium.* f. Q. Sept. Flor. Tertulliani opera omnia, ad exemplaria MSS. collatione recognita, aliquot etiam libris auctiora, ex editione et cum annotationibus Jacobi Pamelii : accedunt ejusdem Tertulliani vita, aliaque prolegomena. *Cat. de la Bibl. du Roy. T. I. p.* 363. Non succurrit jamjam, ubi laudata invenerim Tertulliani opera cum nott. Jac. Pamelii Paris. apud Mich. Somnium. 1548. quod hinc constat errorem esse typographicum.

1594.

« Versio gallica II. Lib. De Corona Militis per Florimundum Remond (Louis Richeome) Burdig. »

1595.

Lugduni Batavor. ex off. Plantiniana. 4. (Sic in Cat. Bibl. Leidensis) et 8. (Cat. de la Bibl. du Roi. p. 364. t. I.) Q. Sept. Flor. Tertulliani Liber de Pallio, ex editione et cum notis Francisci Junii.

1596.

ED. HEIDELBERGENSIS. I.—*Heidelb. ap. Commelinum*, f. a Rhenano, Pamelio, Junio emendata. Laudant Sandius, du Pin, et Cave.

1597.

ED. PAMELIANA-FRANECKERÆ I.—*Franeckeræ* excudebat Æg. Radæus ord. Frisiæ typ. Q. Septimii Florentis Tertulliani Carthag. Presbyteri, auctoris antiquissimi quæ adhuc reperiri potuerunt omnia : ex editione Jacobi Pamelii Brugensis. Quibus seorsim additæ sunt annotationes Beati Rhenani Seletstadiensis, auctæ censura inquisitionis Hispanicæ : (*a*) itemque castigationes ac notæ perspicuæ et breves Francisci Junii Biturigis, tum ex MSS. fide, et Latini Latinii Viterbiensis, aliorumque symbolis comportatæ, tum conjecturis gravissimis atque lectissimis accuratæ. Communes præterea indices accesserunt locorum Scripturæ sacræ, aliorum auctorum itemque verborum et rerum locupletissimus. Pamelii textum atque ordinem Junius religiosissime servavit, nisi quod tomo quarto fragmenta et indicia deperditorum librorum penitus omisit. Annotationes item Pamelii omnino absunt. (*b*) Post textum seorsim primum ipsius Junii, deinde Rhenani animadversiones subjectæ sunt. Ac istæ quidem, quibus etiam Junii, ad Ordines Belgii F. dedicatio; data Lugd. Bat. a. d. Kalend. Martias 1597, cum vita Tertulliani ab ipso recens conscripta præfigitur (de Pamelio enim judicat non vitam eum Tertulliani, sed curiosam illius temporis historiam contexere voluisse). Hæc in fronte gerunt : ad Q. S. Fl. Tertulliani opera quæ extant omnia castigationes et notæ, quam maxime in tam vetustum et gravem scriptorem fieri potuit, perspicuæ et breves (*c*). In quibus tum omnes ferme omnium sæculi nostri doctissimorum hominum lectiones, emendationes, interpretationesque necessariæ ex MSS. fide et conjecturis probabilibus adnantur et adscribuntur suis auctoribus; iis etiam expressis, quæ non visæ sunt plane rejiculæ : tum ex collatione exemplarium loci quam plurimi ad veritatem rerum proprietatemque verborum de penitissimæ antiquitatis tenebris proferuntur suppleti, correcti, illustrati atque confirmati. Post Rhenani annotationes accessit *variantium lectionum in librum Apologeticum et adversus Judæos* indiculus, quas ex MSS. membranarum præsertim MS. Fuldensis collatione Franciscus Modius Brugensis olim observaverat, et posteaquam diu apud M. Velserum Augustanum delituerant, ab eo cum Gasp. Schoppio Franco, tum juvene, communicatæ erant, qui Junio tandem eas transmiserat. Laudat imprimis Junius multas Pamelii emendationes Fuldensis MS. auctoritate esse firmatas. Collatio quidem ipsa ad ed. Barræi 1580, Paris. (*a*) facta erat nec mutata a Junio, sed paginæ tantum novæ editionis sunt adscriptæ. In Bibl. Leidensi extant duo h. e. exemplaria, unum *manu Josephi Scaligeri* notatum, alterum cui a Dominico Baudio adscriptæ sunt castigationes Josephi Scaligeri ex autographo (*b*).

1597.

Ed. Pameliana-GENEVENSIS I.—*Genevæ* cum not. Pamelii (*Sand. Du Pin, Cave*).

1598.

Ed. Pameliana-PARISIENSIS III.—*Parisiis apud Laurentium Somnium via Jacobæa in Circino aureo.* M. D. XCVIII. Vide titulum ed. 1579, cui hic insuper addita : « Accessere et loci ex conjectura Latini Latinii Viterbiensis restituti, et erudita in lib. de *Pallio* Joannis Mercerii Antecessoris Bituricensis Commentaria. Catalogum totius operis inveniet lector post epistolas dedicatorias; et in singulis tomis præfatiunculas de librorum ordine. » — Lat. Latinii emendationes f. conjecturæ post edit. Pamel. a. 1585. conscriptæ (Præfatio ipsius d. Romæ Kal. Novemb. M. D. LXXXIIII.) et seorsim editæ erant Romæ 1584, per Francisc. Zannetum et repetitæ postea sunt accuratius a C. Macro in Latinii Bibl. Sacr. et Prof. p. 191. Codices quidem non habebat, utebatur tamen codicum ab aliis laudatorum varietate;

(*a*) In Catalogo libr. expurgator. Madriti 1584, jussu Card. Gasp. Quiroga Archiep. Toletani. gen. inquis. Hisp. edito. Schoenem.

(*b*) Perperam laudatur a Fabricio — cum notis Rhenani, Pamelii et Fr. Junii. (*Dec. SS. pro Ver. Rel. Auct. p* 213.) Schoenem.

(*a*) Quæ breves et perspicuæ ipso Junio visæ sunt animadversiones, eædem et Scaligero castigatione dignissimæ, et Schoenemanu meræ hariolationes habitæ sunt. « Doctissimus Gretserus edidit vindicationem quorumdam locorum Tertullianicorum a Francisci Junii Calvinistæ depravationibus. In opp. Gretz. t. V, pars V, p. 505, edit. Ratisbon. 1735. f. » Edd.

(*b*) Hanc editionem Renatum Laurentium Lutetiæ Parisior. 1580, Barræo auctore edidisse Junius scribit. Tu vide suo loco a nobis dicta. Schoenem.

Digitized by Google

insunt quoque et P. Ciaconii Toletani quædam partim ex ingenio, partim ex Cod. Vaticano. Cæterum typorum et chartæ nitore admodum hæc eruditis commendatur.

1599.

Ed. Pameliana-Heidelbergensis II. — *Heidelb. apud Commelin.* f. Repetita Pameliana *Du Pin.*

1599.

Coloniæ apud Arnold. Mylium. 12. Q. Sept. Flor. Tertullianus liber de præscriptionibus adversus Hæreticos, ex ed. et cum annotationibus Jacobi Pamelii.

1599.

« Versio gallica II. Iterum edita lib. *De Corona* per eumd. Florimund. Ad calcem tract. ejusdem de Antichristo et Antipapissa Johanna. »

SÆCULO XVII. 1601 — 1700.

1600.

Parisiis per Ambros. Drouart. 8. *Tertulliani* liber *de Pallio* cum interpretatione gallica et notis latinis Edm. Richerii. (*Cat. de la Biblioth. du Roy. p.* 364.)

1601.

Ed. Pameliana-Heidelbergensis III. — *Heidelbergæ.* f. c. notis Pamelii. *Sand. Cave.* Eamdem hoc anno *Genevæ* prodiisse Dupinius adnotavit.

1601.

Coloniæ Agripp. in-12. Tres gravissimi perpetuæ Catholicæ fidei constantiæ testes. Tertullianus de præscriptionibus. Vincentius Lirinensis adversus profanas omnium hæreseon novationes. Edmundi Campiani oblati certaminis in causa Fidei rationes decem. *Catal. Bibl. Regalis Carthusiæ S. Martini.* Neapoli 1764. f.

1602.

« In librum de *Præscriptionibus* notas edidit Justus Calvinus in libro Moguntiæ edito sub hoc titulo : *Præscriptionum adversus hæreticos perpetuarum tractatus sex.* »

1603.

« Theodori Petreii confessio Tertullianica et Cyprianana in IV libr. digesta. Paris., in-8°. »

1603.

Francof. 8. *Jo. a Wower.* Emendationes Epidicticæ ad Q. S. Fl. Tertulliani opera. « *Jo. a Wower lectori* : Totus hic libellus non tam in speciem, quam usum paratus emendationes promittit, quibus Tertulliani opera infinitis mendis liberantur, eas exemplo veterum Epidicticas inscripsi ; quia specimen et προκυβάρισμα majoris operis ; cui me, quam primum per rerum mearum varietatem licebit, accingam. Beneficium tamen illarum, ne quid erres, non tam mihi, quam Fulvio Ursino, eruditissimo viro, debes ; ex ipsius enim libro, qui in Bibliotheca Vaticana asservatur, ea excerpsi, et ne fides mea apud te dubia istius libri usum mihi concessit doct. vir Dominicus Raynaldus, ejusdem Bibl. præf., cujus erga me humanitatem et singulare studium nunquam satis prædicabo. Quanquam valde voluissem diutius apud me delituissent, donec illis ab ingenio nostro decentior cultus accessisset. Sed jam sponte currentem incitavit nescio quis clamor, ut hæc publicare festinarem, quo satisfieret curiositati illorum, qui pati non poterant, hunc exilem et fugientem gloriolæ splendorem ad me pertingere. »

1605.

Cracoviæ, in off. Andr. Petriconii. Q. Sept. Flor. Tertulliani de Præscriptionibus adversus omnes hæreticos liber, distinctus in capita et brevibus notationibus, ex *Jacobi Pamelii* commentariis illustratus.

1607.

Ed. Pameliana-Franeckeræ. III. — *Franeckeræ* f. repetita ed. a. 1597. *Sand. Genevæ* f. c. not. Pamelii. *Du Pin.*

1608.

Ed. Pameliana-Parisiensis IV. — *Puris.* f. repetitio Pamelianæ, Paris. 1598. *Sand. Fabr. Cave. Cat. Bibl. Barber. Mus. Britt.*

1609.

Ed. Pameliana-Antverpiensis III. — Apud *Commelin.* f. Repetitio Pamelianæ. Antv. 1583. *Fabric.*

1610.

Ed. Pameliana-Parisiensis V^a. — *Parisiis.* f. eadem laudante Oudino p. 218. T. I. Comment. de SS. *Rom.*

1612.

Francofurti ad Moenum, typis Richterianis. *Joannis a Wower* emendationes epidicticæ ad Q. Sept. Flor. Tertulliani opera. *Cat. de la Bibl. du Roy. p.* 365.

1612.

« Versio gallica II. Tract. Præscriptionum, Brossæo interprete, Paris. in-8°. »

1613.

Lutetiæ Parisiorum. Ex off. Plantiniana, apud Hadrian. Perier, via Jacobea. Q. Septimii Flor. Tertulliani Apologeticus. Desiderius Heraldus ex antiquis libris emendavit, commentario libro illustravit, et duos digressionum libros, quibus ejusdem Tertulliani et aliorum scriptorum plurima loca qua emendantur, qua explicantur et illustrantur, adjecit. *M. Minucii Felicis Octavius.* Desiderius Heraldus MS. Reg. ope emendavit et notas addidit (Minucii F. libro peculiaris tamen titulus præfigitur, quem suo loco vide). In emendando hoc Tertulliani libro usus est Heraldus duobus codd. MSS. altero Putcani patris per filios tamen ipsi communicato, altero Jacobi Bongarsii. Illum etsi jam olim adhibuerat Jacobus Pamelius, tamen aliorum librorum præsidio destitutus, non spicilegium, sed messem integram Heraldo reliquisse videbatur. Præter codices istos adhibuit etiam librum Cujacii manu notatum, quem Bongarsii cura nactus erat ; unde, quæ ex re esse viderentur laudato auctoris nomine deprompsit. « In Commentario nostro, » inquit, « hoc temperamentum sequi stu-

Digitized by Google

duimus, ut neque ea quæ mediocriter eruditis satis clara sunt, illustraremus, id est, soli accenderemus facem, neque ea quæ homines, alioquin eruditos, sed aliis scientiis occupatos morari possint, prorsus inexplicita omitteremus. Libri istius ea mixtura est, ut non modo ad humanioris eruditionis studiosos, sed ad theologos præcipue et jureconsultos adeo ipsos ejus lectio pertineat; argumentum autem, et quæ in eo disputantur, ea sunt, ut omnium qui a sæculi fermento sibi cavere volunt, manibus libellus hic versari debeat. Hæc igitur fecerunt, ut nonnulla quæ absque caussa hac forent, prorsus omisissem, quandoque attigerim, sed attigerim tantum, et quantum ad lucem satis esset. Sed et quia morem istum inolevisse videmus, ut dictionis aut ritus alicujus et moris veteris occasione homines paulo longius excurrant sæpissime, et multa tractent, quæ ad scriptorem, quem præ manibus habent illustrandum, faciant plane nihil; et consuetudini satis faceremus, et incommoda tamen, quæ inde sequuntur, effugeremus, placuit ea quæ erant præter τὸ ἔργον in alios libros rejicere; quibus ideo *Digressionum* nomen dedimus. Atque eorum priore, quæ ad humaniorem literaturam pertinebant, complexi sumus; posteriore quæ ad rituum ecclesiasticorum illustrationem. » Epistola dedicatoria ad Nic. Brulardum, Franciæ Cancellarium, propter temporum istorum casus lectu digna. Data est Lutetiæ Paris. a. d. Kal. Decembr. 1613. Hujus libri exemplo, quod Bibl. Regio Ac. possidet, varietas lectionis Codicis MS. Baliol. Oxon. adscripta est.

1614.

Parisiis apud Jo Libertum. 8°. Q. Sept. Flor. Tertulliani liber de Pallio, ex editione et cum interpretatione notisque criticis et historicis *Theodori Marcilii. Cat. de la Bibl. du Roy.* T. I. p. 364. n. b. n. 462. Ibid. n. 465. et *Cat. d'une Bibl. à Utr.* 776. T. I. p. 557. sic quoque laudatur: *Satyra de pallio* c. interpretatione familiari sive glossaria et notationibus reliquis *Theodori Marcilii.*

1616.

Ed. Pameliana-Parisiensis VI. — *Paris.* f. Pameliana Paris. repetita. *Sand. Cave.*

1617.

Ed. Pameliana-Coloniæ I. — *Coloniæ Agripp. fol. apud Antonium Hierat.* eadem ac superior. *Sand. Fab. Cave. Mus. Britt.*

1620.

« HERM. RATHMANI *Theosophia* priscorum patrum Tertulliani et Cypriani fidei antiquæ et vitæ vere christianæ certa et salutaria tradens documenta, e monumentis eorum propriis reddita et recitata verbis. »

1622.

« In libr. de Præscriptionibus notas edidit Albaspinæus annexas ipsius observationum Ecclesiasticar. libb. II. Paris., 1622. Helmstad., 1672. »

1622.

Lutetiæ Parisiorum, sumpt. b. Hier. Drouart via Jacobæa, sub scuto solari. Q. Sept. Flor. Tertulliani liber de Pallio. *Claudius Salmasius* recensuit, explicavit, notis illustravit. Notarum liber titulo peculiari gaudet. Ac de his satis quidem constat; id modo notare juvat, præter veteres editiones cod. manu exaratum satis vetustum et optimæ notæ inspexisse Salmasium ejusque scripturam (quæ cum prima et secunda Rhenani in omnibus fere consentiret) ubique fideliter expressam exhibuisse. Dedicavit librum editor patri Benigno Salmasio in sup. Divionensi curia regio consiliario. Contra hanc Salmasii editionem eodem a. *Rhedonis ap. Ivonem Halecium typographum juratum* prodiit Antonii Kerkoetii *Aremorici* (Dionys. *Petavii* ex S. I.) animadversorum liber ad Claudii Salmasii notas in Tertullianum de Pallio. Cui opposita confutatio animadversorum *Antonii Kerkoetii* ad Claudii Salmasii notas in Tertullianum de Pallio, auctore *Francisco Franco* I. C. *Middelburgi* 1623, et cum mox iterum prodiisset: *Antonii Kerkoetii Aremorici* Mastigophorus secundus, sive Elenchi confutationis, quam Claudius Salmasius sub emendito nomine Animadversis Kerkoetianis opposuit, Pars secunda, Parisiis 1623, responsum est eodem anno, Parisiis *Refutatione utriusque Elenchi Cerco Petaviani, auctore Francisco Franco* I. C. et contra denuo emissus: *Mastigophorus tertius f. Elenchi confutationis Salmasianæ Pars* III, *ibid. eod. a.* Ad Tertullianum ex hac conviciorum mutuorum colluvie parum fructus redundavit.

1624-1630.

« EDITIO LA CERDÆ IMPERFECTA. Q. Sept. Flor. Tertulliani presb. Carthag. opera, argumentis, explicationibus, et notis illustrata, authore J. Lud. de la Cerda Soc. Jesu, cum indice locupletissimo, Parisiis, sumptibus *Mich. Sonnii*, via Jacobæa, sub scuto basileensi, tom. I, ann. 1624; t. II, ann. 1630. Quorum prior libros sexdecim complectitur, eo scilicet ordine, *de Pallio* lib. I; *Apologetic.* lib. II; *de Testimonio Animæ*, lib. III; *Ad Scapulam*, lib. IV; *de Pœnitent.* lib. V; *de Orat.* lib. VI; *ad Martyras* lib. VII; *de Patient.* lib. VIII; *de Spectaculis*, lib. IX; *de Idololatria*, lib. X; *de habitu muliebr.*, lib. XI; *de Cultu fœminar.*, lib. XII; *ad Uxorem*, lib. XIII et XIV; *de Coron. militis*, lib. XV; *de Veland. Virgin.*, lib. XVI. Nihil de editoris opera, nec de Tertulliano prævium occurrit; præmittitur tantum epistola nuncupatoria Clariss. Heroi *D. Ant. de la Cerda*, Atanconis, Poci, Olmillorum toparchæ, Piozii ejusque arcis despotæ, Mœcenati ac fratri suo amantissimo. 1° tomo altera præfigitur dedicatio Excell. Dynast. *Gaspari de Guzman*, Comiti de Olivares, etc.; quæ litteræ unice in laudibus patronorum ita occupantur, ut vix semel Tertulliani nomen in iis appelletur. In 1° tom. quinque, libri seqq. continentur: *De Præscriptionibus adversus hæreticos* lib. I. *De Baptismo adversus Quintillam* lib. II. *De Anima* lib. III. *De Carne Christi adversus hæreses quatuor* lib. IV. *De Resurrectione Carnis* lib. V. Cæteri Tertulliani libri desiderantur, dolendumque est imperfectam remansisse hanc editionem

Digitized by Google

iniquo supercilio plerumque despectam. In utroque tom. edito textus capitibus a Pamelia editione acceptis, nec non et quam plurimis sectionibus distinguitur. Cuique libro præmittitur breve argumentum nimis jejunum; singulis vero capitibus titulus, summarii instar, locupletior: singulis autem sectionibus subjicitur explicatio in qua textus παραφραστικῶς evolvitur, completoque capite subeunt amplissimæ notæ, eo uberiores quo amplius crescit opus, in verborum et orationis illustratione plurimæ, pauciores in rerum ac dogmatum indagatione, in utroque parumper prolixæ, neutiquam vero omnino superfluæ. Ad calcem tom. I. adduntur in libr. de Pallio exercitationes in quibus Salmasii liber ad strictos judicis apices defertur, in quibusdam probatur, in multis damnatur, in omnibus doctissime pensatur. Hæc laudare juvat quibus concludit Rev. Auctor : « Mihi sæpe contigit præ meditanti ejus lectiones, gaudere, quod Scripturam sacram ita integram habeamus et in corruptam, ut nemini sit dubitandi locus, quod nisi esset, et Salmasio vel alteri traderetur, quot commutarent, delerent, transferrent, cum in uno Tertulliano ita sint variæ circa litteram lectiones. — Raro in biblioth. refertissimis occurrunt duo isti Lacerdæ tomi, rarius secundo primus sociatur. Unde multas incunte admiserunt mendas fabricatores catalogorum biblioth., imo et patristicæ bibliograph. auctores peritissimi. Sic enim in cat. biblioth. Barberinæ t. I et II. ad ann. 1624 referuntur. Sic falso asserunt *Oudinus*, comm. de Script. Eccl. t. I, p. 218, Tertull. opera *omnia*, et *Fabricius* in del. s. s. de vera relig. christ. p. 215, *pleraque* duobus voluminibus a. 1624 et totidem iterata via a. 1630 prodiisse. De *Oudini* errore jam admonuit *Ittig.* hist. eccles. II sæcul. p. 69 et de errore Fabricii *Schoenemann.* Bibl. Patr. latin. t. I, p. 36. » Sic doctiss. Schoenemann, errorum istius modi rigidus exactor, erravit et ipse in describendo quem non viderat tom. I, in quo XIII libros tantum contineri, haud ita firmus asserit.

A *simus, nisi locis admodum paucis, nunquam supressa libri veteris scriptura.* Dicitur nonnunquam hæc editio a. 1624 facta ; unde utriusque anni notam diversis exemplaribus inscriptam esse suspicamur. Utrum vero et quomodo ab hac Genevensi editione diversa sit, quæ eodem anno (1625) *Aureliopoli* impressa circumfertur, dicere non ausim. Hujus ed. exemplari in Bibl. Leidensi quædam sunt adscripta a Salmasio.

1625.

Editio princeps libror. ad Nationes.

Genevæ, ap. Petr. et Jac. Chouet, in-4°. Q. Sept. Flor. Tertulliani libri duo ad Nationes, ad exemplar Agobardi, Lugdunensis episcopi, cum notis, labore et studio *Jacobi Gothofredi.* — Ipsa hæc editio ad manus non est. De cod. qui Agobardi dicitur, antiquissimo sane et horum librorum quidem haud dubie unico, quem fidei suæ diligentiæque testem Regiæ Bibl. Parisiensi postea donavit editor, Rigaltius in proxima Tertulliani editione scribit, paginas complures adeo fœde fuisse vetustatis injuria, seu potius barbarorum incuria corrosas corruptasque, ut lacunæ sæpenumero etiam in sua editione occurrant, de quibus sine codicis integrioris ope explendis prorsus desperat. *Sunt autem*, pergit, *et præter lacunas, alia quæ ipsius antiquarii manus haud raro peccavit, quorum certe nonnulla conjecturis nostris emendari videantur. Sed iis tamen absque veteris scripturæ vestigiis male credi non diffitemur, neque id nobis permi-*

B nomen hic siletur, horum opusculorum editione futuris suis egregiis de Tertulliano meritis præludere voluit. Sunt autem libelli isti novem sequentes : *de Oratione ; ad Uxorem l. 2 : de Cultu fœminarum l. 2 ; (b) de Exhortatione Castitatis ; de Corona ; de Præscriptione hæreticorum* et *Scorpiace.* Codex Agobardi libros XXIV complexus fuerat, nempe, præter novem illos, etiam *librum* I *et* II *ad Nationes*, nec non *de Testimonio animæ, de Spectaculis, de Idololatria, de Censu animæ, de Carne Christi :* et quæ hodie Tertulliani scripta desideramus, *de Spe fidelium, de Paradiso, de Animæ submissione* et *de Superstitione sæculi.* Inscripsit hæc Tertulliani Rigaltius Card. Armando duci Richelio.

1630.

C « Fragmentum ex libris Tertulliani *de execrandis gentium Diis*, erutum e Biblioth. Vaticana, studio Joseph. Mar. Suarezii. Rom., 1630. Paris., cod. ann. 8°. »

1632.

« Joh. Crojus specimen conjecturarum in quædam loca Origenis, Irenæi, Tertulliani, et Epiphanii edidit Oxon. in-8°. »

1634.

ED. RIGALTIANA I. *Lutetiæ, sumptibus Mathurini Du Puis, via Jacobæa, sub signo Coronæ.* f. « Q. Sept. Flor. Tertulliani Opera ad vetustissimorum exemplarium fidem locis quam plurimis emendata, *Nicolai Rigaltii* I. C. observationibus et notis illustrata. Cum indice glossario styli Africani. »—Quid nova hac omnium Tert. operum recensione, quæ et nunc etiam D principatum tenet, effecerit, aut efficere saltem voluerit Rigaltius, ipsius puto verbis, etiamsi paulo plenioribus, audire sit pretium. « Tertulliani, » in-

(a) In *Cat. de la B. du R.* p. 364. titulus ita concipitur : « Tert. libri IX. seu tractatus varii locis quam plurimis emendati, ex bibliotheca regia editi, ex recensione et cum observationibus *Nicolai Rigaltii*, 1628. » Anni nota sic quoque diversimode passim exscribitur, ut in exemplaribus sic eam reperiri necesse sit. Diserte enim in editione Opp. Tert. Rigaltiana a. 1641, dedicatio Rigaltii ad ducem Richelium ex novem libror. editione a. MDCXXIX. repeti dicitur. Schoenem.

(b) Nempe libellos de Habitu muliebri et Cultu fœminarum codicis laudati auctoritate in unum duorum librorum tractatum redegit. Schoenem.

Digitized by Google

duimus, ut neque ea quæ mediocriter eruditis satis clara sunt, illustraremus, id est, soli accenderemus facem, neque ea quæ homines, alioquin eruditos, sed aliis scientiis occupatos morari possint, prorsus inexplicita omitteremus. Libri istius ea mixtura est, ut non modo ad humanioris eruditionis studiosos, sed ad theologos præcipue et jureconsultos adeo ipsos ejus lectio pertineat; argumentum autem, et quæ in eo disputantur, ea sunt, ut omnium qui a sæculi fermento sibi cavere volunt, manibus libellus hic versari debeat. Hæc igitur fecerunt, ut nonnulla quæ absque caussa hac forent, prorsus omisissem, quandoque attigerim, sed attigerim tantum, et quantum ad lucem satis esset. Sed et quia morem istum inolevisse videmus, ut dictionis aut ritus alicujus et moris veteris occasione homines paulo longius excurrant sæpissime, et multa tractent, quæ ad scriptorem, quem præ manibus habent illustrandum, faciant plane nihil; et consuetudini satis faceremus, et incommoda tamen, quæ inde sequuntur, effugeremus, placuit ea quæ erant præter τὸ ἔργον in alios libros rejicere; quibus ideo *Digressionum* nomen dedimus. Atque eorum priore, quæ ad humaniorem literaturam pertinebant, complexi sumus; posteriore quæ ad rituum ecclesiasticorum illustrationem. » Epistola dedicatoria ad Nic. Brulardum, Franciæ Cancellarium, propter temporum istorum casus lectu digna. Data est Lutetiæ Paris. a. d. Kal. Decembr. 1613. Hujus libri exemplo, quod Bibl. Regio Ac. possidet, varietas lectionis Codicis MS. Baliol. Oxon. adscripta est.

1614.

Parisiis apud Jo Libertum. 8°. Q. Sept. Flor. Tertulliani liber de Pallio, ex editione et cum interpretatione notisque criticis et historicis *Theodori Marcilii. Cat. de la Bibl. du Roy.* T. I. p. 364. n. b. n. 462. Ibid. n. 465. et *Cat. d'une Bibl. à Utr.* 776. T. I. p. 557. sic quoque laudatur: *Satyra de pallio* c. interpretatione familiari sive glossaria et notationibus reliquis *Theodori Marcilii.*

1616.

Ed. Pameliana-Parisiensis VI. — *Paris.* f. Pameliana Paris. repetita. *Sand. Cave.*

1617.

Ed. Pameliana-Coloniæ I. — *Coloniæ Agripp. fol. apud Antonium Hierat.* eadem ac superior. *Sand. Fab. Cave. Mus. Britt.*

1620.

« HERM. RATHMANI *Theosophia* priscorum patrum Tertulliani et Cypriani fidei antiquæ et vitæ vere christianæ certa et salutaria tradens documenta, e monumentis eorum propriis reddita et recitata verbis. »

1622.

« In libr. de Præscriptionibus notas edidit Albaspinæus annexas ipsius observationum Ecclesiasticar. libb. II. Paris., 1622. Helmstad., 1672. »

1622.

Lutetiæ Parisiorum, sumpt. b. Hier. Drouart via Jacobæa, sub scuto solari. Q. Sept. Flor. Tertulliani liber de Pallio. *Claudius Salmasius* recensuit, explicavit, notis illustravit. Notarum liber titulo peculiari gaudet. Ac de his satis quidem constat; id modo notare juvat, præter veteres editiones cod. manu exaratum satis vetustum et optimæ notæ inspexisse Salmasium ejusque scripturam (quæ cum prima et secunda Rhenani in omnibus fere consentiret) ubique fideliter expressam exhibuisse. Dedicavit librum editor patri Benigno Salmasio in sup. Divionensi curia regio consiliario. Contra hanc Salmasii editionem eodem a. *Rhedonis ap. Ivonem Halecium typographum juratum* prodiit Antonii Kerkoetii *Aremorici* (Dionys. *Petavii* ex S. I.) animadversorum liber ad Claudii Salmasii notas in Tertullianum de Pallio. Cui opposita confutatio animadversorum *Antonii Kerkoetii* ad Claudii Salmasii notas in Tertullianum de Pallio, auctore *Francisco Franco* I. C. *Middelburgi* 1623, et cum mox iterum prodiisset: *Antonii Kerkoetii Aremorici* Mastigophorus secundus, sive Elenchi confutationis, quam Claudius Salmasius sub mentito nomine Animadversis Kerkoetianis opposuit, Pars secunda, Parisiis 1623, responsum est eodem anno, Parisiis *Refutatione utriusque Elenchi Cerco Petaviani, auctore Francisco Franco* I. C. et contra denuo emissus: *Mastigophorus tertius f. Elenchi confutationis Salmasianæ Pars* III, *ibid. eod. a.* Ad Tertullianum ex hac conviciorum mutuorum colluvie parum fructus redundavit.

1624-1630.

« EDITIO LA CERDÆ IMPERFECTA. Q. Sept. Flor. Tertulliani presb. Carthag. opera, argumentis, explicationibus, et notis illustrata, authore J. Lud. de la CERDA Soc. Jesu, cum indice locupletissimo, Parisiis, sumptibus *Mich. Sonnii*, via Jacobæa, sub scuto basileensi, tom. I, ann. 1624; t. II, ann. 1630. Quorum prior libros sexdecim complectitur, eo scilicet ordine, *de Pallio* lib. I; *Apologetic.* lib. II; *de Testimonio Animæ*, lib. III; *Ad Scapulam*, lib. IV; *de Pœnitent.* lib. V; *de Orat.* lib. VI; *ad Martyras* lib. VII; *de Patient.* lib. VIII; *de Spectaculis*, lib. IX; *de Idololatria*, lib. X; *de habitu muliebr.*, lib. XI; *de Cultu fœminar.*, lib. XII; *ad Uxorem*, lib. XIII et XIV; *de Coron. militis*, lib. XV; *de Veland. Virgin.*, lib. XVI. Nihil de editoris opera, nec de Tertulliano prævium occurrit; præmittitur tantum epistola nuncupatoria Clariss. Heroi *D. Ant. de la Cerda*, Atanconis, Poci, Olmillorum toparchæ, Piozii ejusque arcis despotæ, Mœcenati ac fratri suo amantissimo. I° tomo altera præfigitur dedicatio Excell. Dynast. *Gaspari de Guzman*, Comiti de Olivares, etc.; quæ litteræ unice in laudibus patronorum ita occupantur, ut vix semel Tertulliani nomen in iis appelletur. In I° tom. quinque, libri seqq. continentur: *De Præscriptionibus adversus hæreticos* lib. I. *De Baptismo adversus Quintillam* lib. II. *De Anima* lib. III. *De Carne Christi adversus hæreses quatuor* lib. IV. *De Resurrectione Carnis* lib. V. Cæteri Tertulliani libri desiderantur, dolendumque est imperfectam remansisse hanc editionem

Digitized by Google

iniquo supercilio plerumque despectam. In utroque tom. edito textus capitibus a Pamelia editione acceptis, nec non et quam plurimis sectionibus distinguitur. Cuique libro præmittitur breve argumentum nimis jejunum; singulis vero capitibus titulus, summarii instar, locupletior: singulis autem sectionibus subjicitur explicatio in qua textus παραρρητικῶς evolvitur, completoque capite subeunt amplissimæ notæ, eo uberiores quo amplius crescit opus, in verborum et orationis illustratione plurimæ, pauciores in rerum ac dogmatum indagatione, in utroque parumper prolixæ, neutiquam vero omnino superfluæ. Ad calcem tom. I. adduntur in libr. de Pallio exercitationes in quibus Salmasii liber ad strictos judicis apices defertur, in quibusdam probatur, in multis damnatur, in omnibus doctissime pensatur. Hæc laudare juvat quibus concludit Rev. Auctor : « Mihi sæpe contigit præ meditanti ejus lectiones, gaudere, quod Scripturam sacram ita integram habeamus et in corruptam, ut nemini sit dubitandi locus, quod nisi esset, et Salmasio vel alteri traderetur, quot commutarent, delerent, transferrent, cum in uno Tertulliano ita sint variæ circa litteram lectiones. — Raro in biblioth. refertissimis occurrunt duo isti Lacerdæ tomi, rarius secundo primus sociatur. Unde multas incunte admiserunt mendas fabricatores catalogorum biblioth., imo et patristicæ bibliograph. auctores peritissimi. Sic enim in cat. biblioth. Barberinæ t. I et II. ad ann. 1624 referuntur. Sic falso asserunt *Oudinus*, comm. de Script. Eccl. t. I, p. 218, Tertull. opera *omnia*, et *Fabricius* in del. s. s. de vera relig. christ. p. 215, *pleraque* duobus voluminibus a. 1624 et totidem iterata via a. 1630 prodiisse. De *Oudini* errore jam admonuit *Ittig.* hist. eccles. II sæcul. p. 69 et de errore Fabricii *Schoenemann.* Bibl. Patr. latin. t. I, p. 36. » Sic doctiss. Schoenemann, errorum istius modi rigidus exactor, erravit et ipse in describendo quem non viderat tom. I, in quo XIII libros tantum contineri, haud ita firmus asserit.

A *simus, nisi locis admodum paucis, nunquam supressa libri veteris scriptura.* Dicitur nonnunquam hæc editio a. 1624 facta ; unde utriusque anni notam diversis exemplaribus inscriptam esse suspicamur. Utrum vero et quomodo ab hac Genevensi editione diversa sit, quæ eodem anno (1625) *Aureliopoli* impressa circumfertur, dicere non ausim. Hujus ed. exemplari in Bibl. Leidensi quædam sunt adscripta a Salmasio.

1626.

Lugd. f. Tertull. de Pallio cum comm. de la Cerda.

1628, 1629 (*a*).

Lutetiæ, typis Rob. Stephani apud viduam Olivarii Varennæi. 8°. Q. Sept. Flor. Tertulliani libri IX. ex codice MS. Agobardi in Bibl. Reg. obvio emendati et observationibus illustrati. — Nic. Rigaltius, cujus B nomen hic siletur, horum opusculorum editione futuris suis egregiis de Tertulliano meritis præludere voluit. Sunt autem libelli isti novem sequentes : *de Oratione ; ad Uxorem l.* 2 : *de Cultu fœminarum l.* 2 ; (*b*) *de Exhortatione Castitatis ; de Corona ; de Præscriptione hæreticorum* et *Scorpiace.* Codex Agobardi libros XXIV complexus fuerat, nempe, præter novem illos, etiam *librum* I *et* II *ad Nationes*, nec non *de Testimonio animæ, de Spectaculis, de Idololatria, de Censu animæ, de Carne Christi :* et quæ hodie Tertulliani scripta desideramus, *de Spe fidelium, de Paradiso, de Animæ submissione* et *de Superstitione sæculi.* Inscripsit hæc Tertulliani Rigaltius Card. Armando duci Richelio.

1630.

C « Fragmentum ex libris Tertulliani *de execrandis gentium Diis*, erutum e Biblioth. Vaticana, studio Joseph. Mar. Suarezii. Rom., 1630. Paris., cod. ann. 8°. »

1632.

« Joh. Crojus specimen conjecturarum in quædam loca Origenis, Irenæi, Tertulliani, et Epiphanii edidit Oxon. in-8°. »

1634.

ED. RIGALTIANA I. *Lutetiæ, sumptibus Mathurini Du Puis, via Jacobæa, sub signo Coronæ.* f. « Q. Sept. Flor. Tertulliani Opera ad vetustissimorum exemplarium fidem locis quam plurimis emendata, *Nicolai Rigaltii* I. C. observationibus et notis illustrata. Cum indice glossario styli Africani. »—Quid nova hac omnium Tert. operum recensione, quæ et nunc etiam D principatum tenet, effecerit, aut efficere saltem voluerit Rigaltius, ipsius puto verbis, etiamsi paulo plenioribus, audire sit pretium. « Tertulliani, » in-

1625.

EDITIO PRINCEPS libror. ad Nationes.

Genevæ, ap. Petr. et Jac. Chouet, in-4°. Q. Sept. Flor. Tertulliani libri duo ad Nationes, ad exemplar Agobardi, Lugdunensis episcopi, cum notis, labore et studio *Jacobi Gothofredi.* — Ipsa hæc editio ad manus non est. De cod. qui Agobardi dicitur, antiquissimo sane et horum librorum quidem haud dubie unico, quem fidei suæ diligentiæque testem Regiæ Bibl. Parisiensi postea donavit editor, Rigaltius in proxima Tertulliani editione scribit, paginas complures adeo fœde fuisse vetustatis injuria, seu potius barbarorum incuria corrosas corruptasque, ut lacunæ sæpenumero etiam in sua editione occurrant, de quibus sine codicis integrioris ope explendis prorsus desperat. *Sunt autem*, pergit, *et præter lacunas, alia quæ ipsius antiquarii manus haud raro peccavit, quorum certe nonnulla conjecturis nostris emendari videantur. Sed iis tamen absque veteris scripturæ vestigiis male credi non diffitemur, neque id nobis permi-*

(*a*) In *Cat. de la B. du R.* p. 364. titulus ita concipitur : « Tert. libri IX. seu tractatus varii locis quam plurimis emendati, ex bibliotheca regia editi, ex recensione et cum observationibus *Nicolai Rigaltii*, 1628. » Anni nota sic quoque diversimode passim exscribitur, ut in exemplaribus sic eam reperiri necesse sit. Diserte enim in editione Opp. Tert. Rigaltiana a. 1641, dedicatio Rigaltii ad ducem Richelium ex novem libror. editione a. MDCXXIX. repeti dicitur. SCHOENEM.

(*b*) Nempe libellos de Habitu muliebri et Cultu fœminarum codicis laudati auctoritate in unum duorum librorum tractatum redegit. SCHOENEM.

Digitized by Google

quit, « scripta legentibus, etiam haud mediocriter litteratis, occurrunt difficilia non pauca sermonis et scripturæ. Nam sermonis quidem Africani superbia doctrinam ferme omnium dote præstans lectores sibi poscebat ad nutum attentissime sagaces. Posteaquam vero in longe alios incidit, mutari cœpit, a quibus non potuit capi et spurias dictiones pro legitimis, adulteræ manus invercecundia sparsit. Scripturæ autem nativæ ruina, auctoris verbis semel interceptis, ut obtrito corpore, sensum una quasi ipsum et mentem profligavit. Sic pessimi correctores emendatissima perdidere. Nam quis esset querelarum modus? aut quid in tantæ calamitatis casu tam veteri non desperandum? Hæc pestis Homerum jampridem ita persuaserat, ut Arato quærenti: « ubi locorum haberetur Iliadis pristinæ copia? » Timarchi filius Timon cum respondisset: quærendam esse in exemplaribus antiquis, addiderit: sed nondum correctis. Dira natio tam fœde Septimii nostri libros adeo quoque jampridem vexavit, ut jam falsi vetustas longi temporis præscriptionem obstruat veritati. Quod si veterum librorum appelles fidem, etiam veterum librorum fide falsissimæ lectiones adferuntur. Nam sunt et libri veteres depravatissime correcti; neque ulla spes reducendæ unquam veritatis, nisi tam veteres nanciscantur, ut sint omni correctorum antiquitate vetustiores. Ætas avorum laudabiles Rhenani operas vidit, tribus editionibus elaboratas. Cujus viri fidei, judicio, eruditioni, diligentiæ, si partium studia meliorum exemplarium commercia non invidissent, is procul dubio præstitisset, quod istam nobis hodie operam valde levaret. Sequens ætas Fulvium Ursinum tulit, qui codices inspexerat longe meliores Rhenanianis, contentus excerptas inde lectiones editionis Pamelianæ marginibus adnotasse, sed ne possessoribus quidem exemplarium nominatis, Fulvianæ lectiones, in librum ampliss. doctissimique Tolosatium Archiepiscopi Car. Monchalli ex autographo transfusæ, nobis hoc etiam profuerunt, ut earum editioni, *Epidicticis Wowerii Notis accuratæ*, fides etiam apud austeriores constare debeat; imo et Schoppianis illis ex Fuldensi et Vaticano in Apologeticum et adversus Judæos excerptis ab Junio publicatis. Quorum certe fidem eo magis refert ubique testatissimam, quod et multa sunt et præclara nobis inde notata, quæ huic editioni plurimum tribuant lucis et ornamenti. Hæc erit apud posteros ætatis nostræ gloriæ. Cui decus accedit ingens comperto tandem codice, quem ex voto Agobardi episcopi Lugdunensis ad S. Stephani altare oblatum fuisse legimus. Hunc certe librum ad exemplaria illa nondum correcta descriptum fuisse, probabunt ejus ope restituta nitore pristino quam plurima, quæ singula indicare tædii sane fuisset molestissimi, pretii vero nullius; nam hæc ipsa Tertullianus avide recepit, et sua, quæ male avulsa fuerant, tam bene hodie cohærent, ut avelli unquam potuisse non credas. Itaque summas recuperatorum colligi sat erit, ut inde constet, quid præstare simus parati. Sic tamen, ut notabilia tandem comprehendantur: minutioribus nec tamen spernendis, scrupulose calculorum diligentiæ relictis, ut sit olim ingens cumuli summa. Observationes adjecimus illustrandis aliquot locis obscurioribus, prisci moris jam longa oblivione deleti, aut eruditionis alicujus reconditæ vestigiis indagandis. In quo, si nonnulla paulo licentius posita aut disquisita censeantur, ut sunt illa fortasse de criminum occultorum castigatione, deque forma Dominici vultus ac de lucernis per diem accensis, ea sic accipi debent, tanquam Septimianis opinionibus despiciendis animadversa; minime autem arguendis catholicorum sententiis aut improbandis Patrum Septimio posteriorum decretis (*a*). Imo sententias et decreta ipsa patrum in Ecclesia receptissimorum semper opposuimus Tertulliano, ut qui Africanis istis velut salebris offenduntur, statim habeant quo referre pedem tuto possint. Notas etiam intexuimus variarum lectionum ambiguitati pensitandæ, veritati explorandæ, conjecturis nonnunquam explicandis aut confirmandis. Denique Africani styli glossas complurium inter sese locorum comparatione concinnavimus, interpretandi ratione certissima. Glossas diximus Græco vocabulo, quo Fabius tradidit linguæ secretioris voces minus usitatas significari. Porro breviores Observationes ac Notas plerisque haud satisfacturas scimus, nec propterea culpam deprecamur. Afer iste lectorem non admittit nisi jam eruditum. » Hæc Rigaltius in disputatione, inscripta: *de Tertulliano et ejus scriptis deque variis eorum editionibus, et quid hac nostra præstetur*, quæ una cum *epistola dedicatoria ad Armandum Duc. Richelium ex ed.* IX *librorum a.* MDXXIX (sic) textui præmittitur. Hanc *testimonia vett. de Tertulliano* subsequuntur, et *series Tertulliani operum quæ hoc volumine continentur. Item ex quibus quæque et quoties sint codicibus notabiliter emendata.* Id quod ad minimum *quater*, ad summum *ducenties quinquagies* (in Apologetico) in plerisque *trigesies*, *vigesies*, *septuagies*, sed et *octies centies*, *centies trigesies*, interdum *omnibus fere clausulis* factum dicitur. *Liber de Pallio*, scribit, *emendatur omnibus fere lineis, juxta ed. doctissimi Salmasii ad vetusta exemplaria accuratissimam præterquam sex aut septem locis.* Textum excipit Index Scripturarum sacrarum; tum subjuncta sub titulo incerti auctoris carmina Tertulliano olim adscribi solita, *adversus Marcionem l.* V *de Judicio Domini Genesis, Sodoma;* denique Index rerum memorabilium. Observationum libellus peculiari titulo gaudet,

(*a*) His verbis excusat Rigaltius liberiores opiniones quas in annotationibus suis aliquoties inseruit cum in Cyprianum, tum in Tertullianum; verum nescio utrum eo satisfactum fuerit omnibus; fatendum est enim, quædam esse loca in quibus satis testatur se ex sua potius quam auctoris mente loqui et in quibus etiam aberrat a re, ut annotationes scribat aliquando hodierno Ecclesiæ usui parum consentaneas. Hæc Dupinius et paulo post: Illi (Rigaltio) exprobratur quod conjecturis fuerit audacior nec satis adcuratus ad Auctorem suum antiquis manuscriptis recognoscendum et tandem suas, aut aliorum contextui conjecturas nulla manuscriptorum nixus auctoritate. Edd.

Digitized by Google

eique accessit *Index glossarum Tertulliani* egregio consilio et judicio confectus. Elegantia et nitore typorum, si quidem prima ed. non inferior sit secundæ, quam coram intuemur, admodum commendatur hæc editio, cui bibliopolæ honestate haud exiguus utilitatis cumulus accessit editis plurimorum Vv. Dd. in Tertull. adnotationibus singulari volumine tituloque comprehensis : *Jacobi Pamelii Brug. Theol. etc. Argumenta et Annotationes in Q. Sep. Fl. Tertulliani opera, quibus adjectæ sunt annotationes diversorum. Omnia textui editionis V. Cl.* Nicolai Rigaltii *I. C. respondentia. Par. sumpt. Math. du Puis, via Jac. sub signo Coronæ.* 1635. Præter ea quæ Pamelius in Tertullianum composuit adnotationes, argumenta, vitam et cet. quæ longe majorem voluminis partem (usque ad p. 781.) occupant, exhibentur hic *Latini Latinii* conjecturæ et emendationes, *Jo. Merceri* adnotationes, Edm. Richerii, Theodori Marcilii, Joannis a Wower et Gabrielis Albospini Aurelian. Episc. notæ et emendationes. Quibus omnibus accommodatus est index apprime utilis. Quod in titulo ponitur, hasce adnotationes textui Rigaltiano respondere, numeris paginarum in margine observationum adnotatis effectum est, ita tamen ut liber de pallio et Apologeticus, qui in Rigaltianis plane alii facti comparent, ad Pamelianam recensionem denuo excuderentur. Volumen hoc notarum seorsim vehit in Catalogis quam plurimis ex. c. In *Catal. Bibl. Tottianæ, Bodleianæ, Firmianæ* et *D'Estrées, T. I.*

1636.

« Versio gallica I. *Apologetici*, studio Ludovic. Gyrii, Paris. in-12°. »

1636.

« Herm. rathmani *Theosophia* sub hac nova inscriptione : Theologia speculativa et practica ex patribus ab insigni quodam theologo collecta et publici juris facta. Witemberg. »

1639.

« Versio hispanica I. Libror. Tertulliani *De Patientia, de testimonio animæ, ad Scapulam*, etc. cura Josephi Pellecier, Barcellonæ. »

1639.

« Paganini gaudentii Salebræ Tertullianicæ cum ejusdem comparatione dogmatum Origenis cum philosophia Platonis. Flor., in-4°. »

1639.

« Versio hispanica libror. de Patientia, de Testimonio animæ, ad Scapulam, etc., cura Josephi Pellecier, Barcellonæ. »

1640.

« Versio gallica I. libror. de oratione. Paris., 12°.— De Patientia, ibid. 12, auctore *Hobierio*. »

1640.

« Versio gallica II. Libro *De Pallio* cura Titrevilli, Paris. »

1641.

Lutet. Paris. c. insigni magnæ navis. Fol. Tomi II. Q. Sept. Flor. Tert. opera, argumentis, explicationibus, notis illustrata, auct. *Jo. Lud. de la Cerda.* (Vid. Ed. prim.)

1641.

Ed. Rigaltiana II. *Lutetiæ, sumpt. Math. Du Puis* etc. f. *Observationibus et Notis atque etiam Glossario auctior*, cujus exemplum cum frequent. coll. Codd. MSS. impr. Agobardini in Bibl. Baluz. extabat. Post hanc repetitam esse Rigaltianam Parisiis, 1644, 46, 50 et 58. Oudinus affirmat.

1644.

« Paganini gaudentii opuscula tria, quorum ultimum *de philosophicis opinionibus veterum Ecclesiæ Patrum*, multa de Tertulliano quærit. Pisis., in-4°. »

1644.

« Vers. hisp. II *Matriti.* f. Tertulliani liber de Patientia cum commentis *Orii. Cat. Bibl. Pinell. T. I. v.* 89. »

1644.

« Versio hispanica II. Libr. ad Scapulam, interprete Pet. Manero, Cæsar August. »

1645.

II. Versio gallica. Librum de Pœnitentia cum aliis Patrum de hac materia tractatibus gallice vertit Antonius Arnaldus et Paris. evulg. inter ejus opp., t. XXVIII, edit. Paris., 1779.

1646.

« Versio gallica II. Apologetici studio Ludov. Gyrii, in-12. »

1646 — 48 — 50 (*a*).

Parisiis ap. Mich. Solg. via Jacobæa sub signo Phœnicis. fol. Tomi III. *Tertullianus redivivus, scoliis et observationibus illustratus. In quo utriusque juris forma ad originem suam recensetur. Et Avitæ pietatis Amatoribus inquirendi norma præscribitur. Auctore P. Georgio, Ambianate, Minorita Capucino, Parisiis apud suos Professore Theologo.* Facete Rigaltius grande hoc Capucini opus respiciens in præfatione notis in Cypr. præmissa scribit : Quod ad Tertullianum attinet, vix est, ut redivivus unquam ab ullo mortalium dici queat, qui jam sit horrendis vel grandium commentariorum sarcinis obrutus et contritus. — Antequam autem ad ipsa Tertulliani opera accedat scoliis suis et observationibus illustranda, præmittit vindicias Tertullianicas, quarum prima parte de Tertulliani patria, educatione, studiis aliisque ad vitam ejus naturalem spectantibus agit. In secunda parte inter alia disquiritur, quibus motivis ad Christianam fidem adductus fuerit? an statim a conversione baptismo initiatus fuerit? an et uxorem ad fidem traxerit? an Ecclesiæ Doctor, an Sacerdos, an Monachus, an Martyr fuerit? Tertia vindiciarum pars de Tertulliani doctrina ejusque scriptis tam apologeticis quam polemicis et paræneticis agit. Ita autem de doctrina ejus se agere profitetur, ut ejus

(*a*) Ita jam Ceillier p. 526. T. II, et *Cat. Bibl. Chigianæ* v. Ambianas. Sed variant in annorum indicio VV. DD. Fabric. (Del. p. 213.) 1646 et 48. Dupinius 1648 et 50, profert; quare utrumque sequi placuit. Male Sandius quasi repetitam a. 1650 hanc editionem laudat, nisi negligentius hoc scripserit, cum diversas editiones significare vellet factas, a. 1648. P. Georgii et a. 1650, aliam Rigaltianæ sc. repetitionem. Schoenem.

Digitized by Google

errores in bonam partem interpretari nitatur. Hæc et plura super hac editione *Ittigius* in Hist. Eccl. Sec. II, p. 71 sq.

1650.

Lond. 8. Tertulliani opuscula varia. — inter Franc. Rous Mella Patrum pag. 293 — 468. *Cat. Buneau.*

1651.

« Tertulliani opp. poetica edidit *Andreas Ritvinus* ac post Pamelium, Junium Barthium breves notas addidit, Goth., 8. »

1655.

« HERM. RATHMANI *Theosophia* ter edita sub novo nomine: Medulla Patrum, hoc est Consensus harmoniacus Patrum fidei antiquæ et vitæ vere Christianæ, certis per locos theologicos porismatibus consignatus, certa et salutaria contra adversarios quosvis tradens documenta. In fine additur Theologia Practica e Tertulliani et Cypriani propriis verbis confirmata et luci exposita est a M. Herm.: Rathmanno. Witemberg. »

1656.

' *Lugd. Bat. ex off. Jo. Maire.* 8. Q. Sept. Fl. Tertulliani liber de Pallio. Claudius Salmasius ante mortem recensuit, explicavit, notis illustravit. Accedit vera ad vivum ejusdem effigies.

1657.

(*Argentorati.* 8. Tertulliani opera, opera Boecleri.) Ita Sandius. Oudinus contra *hujus loci et anni repetitionem Rigaltianæ* forma non indicata commemorat.

1658.

Parisiis ap. Jac. Dallin sub signo S. Stephani et *Thomam Joly sub signo scuti Hollandiæ, via Jacobæa*: fol. Tomi III. Tertulliani Omniloquium Alphabeticum Rationale Tripartitum, sive Tertulliani opera omnia in novum ordinem, hactenus intentatum et facilem, omnibus utriusque fori Oratoribus, Rerum humanarum divinarumque Professoribus ac Scriptoribus utilem, disposita, exposita, illustrata opera fratris *Caroli Moreau* Augustiniani Ordinis Eremitarum Communit. Bituricens. Conventus Reginæ Margaritæ, in suburbiis S. Germani Paris. Quid novi præstiterit Author in hoc opere, summam Theologiæ scholasticæ, Positivæ et Moralis ex Scriptura S. Patribus et Tertulliano et Augustino maxime decerptæ, complectente, sequens pagina indicabit. — Titulos II et III Voluminis haud minus prolixos omittimus, et si *summam rerum, quas de novo contulit Author ad illustrationem Tertulliani* pag. altera Tomi primi exhibita, descriptam dederimus, satis cuique de ingenio editoris constabit. Ita vero hæc sonat:

« Opus hoc novum tripartitum tribus tomis absolvitur. Primus hic tres partes complectitur. Prima quidem omnes libros Tertulliani, in ordinem alphabeticum digestos, profert, supplens quatuor defectus notabiles, in omnibus hactenus editionibus prætermissos, in præfatiuncula præmittenda notatos. (*a*)

(*a*) Quales? equidem nec dicto loco reperire potui, nec e specialiori, ad quem inde remittit lectores, præfatione certior factus sum: quoniam vero in Secunda, pacifice, et absque contentiosa controversia, tacito etiam adversarii cujuscumque nomine nudo veritatis, et pietatis S. Patri Augustino, debitæ nec non totius operis ex ejus sententiis lectissimis contexti ab omni æmulationis injuria tutandi respectu, dilnit, Alphabetum errorum perperam imputatorum Augustino, Tertulliani in omnibus sanis illustratori, in perversis correctori. Ubi tota ejus doctrina, maxime vero de Prædestinatione, gratia, et libero Arbitrio, non privata unius auctoris, sed Catholica, et ad S. Scripturæ, Patrum, Conciliorum, SS. Pontificum et Tridentinæ quam maxime Synodi et Constitutionis Innocentii X. in quinquè Proposit. Censura, regulas, exacte reducta; et per 27 quæstiones curiose discussa, orthodoxa prorsus esse convincitur. Tertia pars erroneas, hæreticas, durioresque sententias Tertulliani a sana ejus doctrina separatas, ordine pariter alphabetico contextas evolvit, explicat et Catholicæ S. P. Augustini doctrina dissolvit. Cum gemino secundæ et tertiæ partis proprio indice; altero locorum selectioris scripturæ ibidem explicatæ, altero rerum notabiliorum. *Secundus et Tertius Tomus* patiuntur omnia sana ejusdem Tertulliani Opera in locos communes ordine novo et hactenus intentato, non tantum alphabetico, sed etiam rationali exactissime distincta, brevibus scholiis ad singula quæque obscura, ad literam exposita, et ubique per selectiores ex Medulla S. Scripturæ, Conciliorum, Patrum, et S. Augustini præsertim, nullibi prætermissi, aliorum item probatissimorum authorum cujusque disciplinæ locos illustrata. Cum triplice indice locupletissimo in fine tomi tertii collocando; quidem Scripturæ sacræ explicatæ ter millies et amplius locis, rerum ac verborum, concionum. De Operis inscriptione (*a*), dispositione, utilitate, soliditate, curiositate et intanta rerum diversarum abundantia, conjunctaque brevitate perspicua: nec non Tabellæ Emblematicæ fronti operis impositæ expositione, (*b*) Synopsi quoque vitæ Tertulliani et Augustini, deque symbolicis eorum,

ista hujus editionis virtutes ad sex imprimis capita refert (et tribus quidem reliquas carere diserte affirmat, nec quartam eis concedere videtur), scil.: quod textu sit emendatior, Scripturæ S. loca in ipso textu diverso charactere sint discreta, ad marginem non capita solum libri SS. a Tertull. laudati sed versus etiam singuli ad originale denuo collati, adscripti, Argumenta, quibus aliæ editt. laborent, libris præfixa plana et brevia — hæc ipsa defectuum nomine declarasse Morellum suorum sane bonorum cognitione satis beatum, puto. SCHOENEM.

(*a*) *Omniloquium*, inquit, hoc opus inscripsi: tum quod nullam prorsus in eo sententiam vel lineam ex hoc solo opere, magnam in omni causa dicendi, Tertulliani prætermiserim: tum quod scribendive copiam cuicumque oratori, scriptorique prospexerim. SCHOEN.

(*b*) Adriserant Parisienses imagines *Augustini* (cucullati) et *Tertulliani* (c. Pallio) ære impressas et titulo operis generali præfixas cum subscriptione: *Duo in Africa ingenii monstra totiusque Doctrinæ et Eloquentiæ Genii de palma certantes. — Cachinus ipsis insultasse*, Morellus inquit. Hinc vero *incumbere sibi* existimat Tertulliano conformari et sicut ille pro Pallio suo, pro *Augustini Bardocucullo et sacco apologeticum* scribere. SCHOENEM.

Digitized by Google

ac dissymbolicis proprietatibus et Elogiis : de usu tandem et praxi totius Operis habet, quam attente examinet Lector, ut sibi necessariam, Præfationem generalem, post nuncupatoriam epistolam immediate subsequentem. » Restat, ut ad illa, quæ in textu præstitisse profitetur, paulisper animadvertamus ; sed et hic verbis ipsius defungi licebit. Ita vero pollicetur *in textu innumera etiam in emendationibus editionibus menda correxisse ; virgularum, punctorum, accentuum defectus, intellectum obscurissimi authoris obnubilantes supplevisse ; cacographias quam plurimas emendasse ; ut si Typographi cura Autographi purgatissimi sollicitudini responderit, et correctori vigilantissimo paruerit, nihil futurum sit, quod in hoc textu censoris oculos, severissimi licet, arguendum ostendat.* Jam hæc satis erunt, nec tamen nimia, ut spero, pro raritate molis hujus chartaceæ. Inscripsit opus Pomponio de Bellicore Equiti, et supremi senatus Parisiensis principi.

1662.

Ed. Pameliana-Rothomagensis I^a. *Rothomagi.* f. Q. S. *Fl. Tertulliani* opera omnia, etc., cum Jac. Pam. argg. et annotatt., Latini Latini conjecturis, etc., repetita. Ed. 1597.

1662.

« Le Génie de Tertullien, par de Fayolle. Paris, in-4°. »

1664.

Ed. Pamelio-rigaltiana Priorii.—*Lutetiæ Parisiorum, impensis societatis typographicæ librorum officii ecclesiastici.* Q. Sept. Flor. Tertulliani Opera ad vetustissimorum exemplarium fidem sedulo emendata, diligentia *Nic. Rigaltii* I. C. cum ejusdem adnotationibus integris et variorum commentariis, seorsim antea editis, Ph. *Priorius* argumenta et Notas in libros omnes de novo adjecit et Dissertationem apprime utilem concinnavit. Accedunt *Novatiani* tractatus, de Trinitate et Cibis judaicis, cum Notis, ut in Editione Pamelii. Textus est Rigaltianæ secundæ, cujus etiam notæ omnes, tum quas ad calcem apposuerat, tum eæ, quæ ad notas in Cyprinum erant adjectæ, præterea vero *Jac. Pamelii* adnotationes selectæ, *B. Rhenani*, Franc. Zephyrii, Gabrielis Albaspinæi, Ludovici de la Cerda doctiores observationes, tum Salmasii in L. de Pallio potiores, nec non Mercerii, Wowerii aliorumque illustrationes et correctiones, denique ipsius Philippi *le Prieur*, qui curam hujus editionis gessit, notæ et argumenta in libros omnes accesserunt. Consilium, quo societatem sibi institutam esse bibliopolæ fatentur, ut latinos Patres ac veteres SS. Ecclesiasticos eruditorum hominum lucubratione illustratos ederent, successu caruisse dolendum est. Nam hæc editio profecto tum ordine et distributione notarum, quæ textui charactere minori columnis sectis subjiciuntur, tum chartarum et typorum nitore omnium literatorum plausum meruit. Priorii Notæ parvi quidem pretii sunt, laudanda tamen, quam adornandæ editioni præstitit, diligentia. Novatiani tractatus ex recensione Pameliana et ejusdem tantum notis illustrati habentur. Præter ea, quæ Pamelianis edit. præmittuntur, vita nempe Tertulliani a Pamelio conscripta, Paradoxa illius cum antidoto, proverbiales formulæ toto opere contentæ, ex Rigaltiana accessit *judicium* de Tertulliano, etc., et series operum a Rigaltio instituta, tum recens Priorii diss. qua Tertulliani vita, opiniones et errores expenduntur.

1664.

« Herm. Rathmanni Theosophiæ edit. quarta novo inscripta titulo : *Aurifodina Patrum theologica, tum speculativa, tum practica, certis per locos theologicos porismatibus consignata ; certa ac salutaria contra adversarios quosvis tradens documenta, a multis jamdudum desiderata ; jam nunc vero ab insigniori quodam et de Ecclesia Christi quam meritissimo theologo publici juris facta.* An ob fucum emptoribus faciendum, an ob gravem exortam in Germania controversiam Rathmannianam, excogitata fuerit hæc titulorum varietas, deletumque auctoris nomen, haud liquet nec quemquam nunc ignorare piget. »

1665.

« Versio gallica libror. de Pallio, de Patientia et exhortatione ad martyres, interprete *Mannesiero.* »

1673.

« Librum *Ad martyres* gallice interpretatus est Paul. Colomesius, Rupell., in-8°. »

1675.

Bruxellis, 4. Tert. liber de præscriptionibus contra hæreticos c. schol., et notis *Christiani Lupi.*

1675.

Ed. Pamelio-Rigaltiana Priorii II. — *Lutetiæ Parisior. ap. Petr. le Petit*, sub signo Crucis aureæ, *Edmundum Couterot* sub s. boni Pastoris et *Carolum Angot* sub s. Leonis aurei, in via Jacobea. Repetita a. 1664, *a pluribus mendis quæ in præcedentem irrepserant expurgata.* Accessit Carmen de Jona et Ninive.

1675.

« DE LA MOTTE. Histoire de Tertullien et d'Origène. Paris., 1675. — Lugd., 1702, in-8°. »

1680.

« Petri ALLIXII de Tertulliani vita et scriptis. Paris., in-8°. »

1680.

« Natalis ALEXANDRI dissert. de Doctrina Tertulliani et de sacramento confirmationis, in ejusd. Hist. Eccl. V. et N. Test., t. III. sæc. II. art. VIII, p. 293. Venet. 1778. »

1682.

« Carmen *de Jona et Ninive*, cum animadv. Juret, Barthii, Gronovii, ad calcem *Paullini* Petricorii, editum a *Chr. Daumio*. Lips., in-8°. »

1682.

« Versio germanica I. *lib. ad scapulam*, interprete *Abrah. Hinckelmanno.* Luneb., 1682, in-12, ab eodem vers., libr. *ad martyres*, in-12. »

1683.

« Versio gallica III. Tract. de Præscript., interprete D. Heberto, qui et tractatus de velandis virginibus, de habitu ornatuque feminarum gallice vertit. Paris. »

Digitized by Google

1683.

Cantabrigiæ, ex off. Jo. Hayer imp. Henr. Dickinson et *Rich. Green.* 12. Q. S. Fl. Tert. Apologeticus et ad Scapulam liber, accessit M. Minucii Felicis Octavius. — Apologeticus ad edit. Heraldi, capit. argumentis ex ed. Lacerdæ additis, liber ad Scapulam ad ejusdem La Cerdæ ed. exscripti sunt.

1695.

Ed. Pamelio-Rigaltiana Priorii iii. — Repetita est h. a. editio Rigaltio-Prioriana (*Ceillier*).

1699.

« E. SAL. CYPRIANI Diatriba academica qua expenditur illud Tertulliani : *Hæreticorum Patriarcha Philosophi*, in-4°. Helmst. »

SÆCULO XVIII.

1701.

Ed. Veneta i.—*Venetiis.* f. Q. S. Fl. T. op. c. variorum notis selectis ad voluminis calcem.—*Fabricius* (*Del.* p. 215) *ex Pfaffii Origg. jur. Eccl.* p. 244, non admodum emendatam esse narrat.

1701.

« Sal. CYPRIANI Commentat. de Doctrina Tertulliani Evangelica inter ejusd. dissert. varii argumenti. Coburg. »

1702.

« Joh. CROYI. conjectur. in quædam loca Tertull. Oxon., in-fol. »

1702.

Amsterd. chez Thom. Lombrail, 8. Apologétique de Tertullien, ou Défense des Chrétiens contre les accusations des Gentils, traduite en français par *Louis Giry*, avec le texte latin à côté ; édition augmentée d'une Dissert. critique touchant Tertullien et ses ouvrages. — Versio hæc Ludovici Giry (in Senatu regio Paris. advocati, 1665), ab anno inde 1636, aliquoties prodiit absque textu latino.

1703.

« Anonymi Dissertatio, qua ut verum genuinumque Tertulliani opus vindicatur catalogus hæreseon libro præscriptionum subjectus. — Mémoires de Trévoux, fév. 1703, p. 133 (auctore P. Tournemine?)»

1704.

« Jo. joach. ZENTGRAV. Exercit. de Lapsu Tertulliani ad Montanistas, Argent. in-4°. »

1705.

« Adam RECHEMBERGII Dissert., *an Hæreticorum Patriarchæ Philosophi* ex illo Tertulliani advers. Hermogenem, cap. VIII. Lips., in-4°. »

1708.

Venetiis, 4, sex tomis, *Tertullianus prædicans* per Michaelem *Vivien*. — *Fabricius* mentionem facere de eo dicit. — Ephémérides Paris. (Journal des Sav.), 1708, *Febr.*, p. 408. Sed nullam ibi libri mentionem invenire potui.

1710.

« Versio anglica I. Tertulliani, simul et Justini ac Minucii felicis Apologett. et Vincentii Lirinensis commonitorii, cum prolegomenis ac notis, auctore *Reevio*. Lond., II in 8°.

1711.

« J. henningi BOHMERI Dissertationes Juris ecclesiastici antiqui ad Plinium Secundum et Tertullianum. Lips., in-8°. »

1713.

Patavii, 4. Tertulliani liber de Oratione completus cum notis Guid. Panciroli et Ludovici Antonii Muratorii. — In Muratorii Anecdotis, t. II, p. 1, 56. Ex Codice Biblioth. Ambrosianæ Mediolani. Notas Guidonis Panciroli jurisconsulti olim celeberrimi Regiensis, ex Comm. plenioribus in omnia T. opera in bibliotheca P. Joh. Bapt. Cattanei, Franciscani, tum latentibus, ut salivam popularibus suis moveret ad delicias istas tamdiu neglectas in lucem proferendas edidit.

1714.

« Laur. BRORSON de Infantariis apud Tertullianum ad Nationes, Lib. I, cap. II, Hafn., in-4°. »

1714-1715.

« Versio gallica II Apologetici cura Vassoulti, cum notis. Paris., in-4°, apud *Colombat*, bis edita anno 1714 et seq. In utraque præmittitur egregia de christ. Relig. Apologetis ac in spec. de Tertulliano ; notæ haud contemnendæ, præsertim historicæ. »

1715.

Tertulliani poemata inter opp. vett. poetar. latinor. edita cur. *Mich. Maittaire*. Lond. 2. in-f°

1715.

« D. NICOL. LE NOURRY Dissert. in Tertull. Apologetic. duos ad nationes libr. et unum ad Scapulam in apparatu ad Biblioth. Max. PP. II, p. 1574-1590. Paris., in-fol. »

1715.

« Augusti HEUMANII Emendatio libri Tertulliani de Præscriptionibus, in actis Eruditor. Lipsiens. anno 1715, p. 299-305. »

1717.

« Anonymi expositio de : *Caligata militia* in libr. de idololatria, cap. XIX (nouveau recueil des pièces fugitives de l'abbé Archimbaud, t. IV, p. 116-119. Paris). »

1718.

Lugduni Bat. apud Isaac Severinum. Q. S. Fl. T. Carth. Presb. Apologeticus ad Codices MStos et editiones veteres summa cura recognitus, castigatus, emendatus, ut et perpetuo Commentario, in quo non modo veriorum auctorum, sed et plura S. Scripturæ loca strictius vel uberius explicantur, elucidantur, et illustrantur, studio et industria *Sigeberti Havercampi* V. D. ministri, qui præter Argumenta capitum, indices etiam locupletissimos tres adjecit ; cum figuris et nummorum typis (præfixa etiam effigiæ Tertulliani cum epigrammate). — Præstantissima hujus libri Tertullianei editio. Quippe editori antiquarum rerum cognitione abundantissimo et curiosissimo simul obtigerat apparatus valde locuples. Etenim, præter editiones fere omnes, adhibuit *Codices Membran. Biblioth. Lugd. Bat, duos*, quorum alter, p. 524, alter,

Digitized by Google

p. 376. Cat. Bibl. Lugd. B. memoratur, tum *variantes Lectiones Codicis Fuldensis* a Modio exscriptas et cum editione Junii, a. 1597, primum vulgatas, ex isto autem tempore nulli fere nisi Gothofredo cognitas et a Nic Rigaltio demum in usum vocatas, sed ita ut quæ ipsi placuerint inde desumpserit, neque ullam reliquarum, quæ satis multæ erant, in notis suis mentionem fecerit, quare satis fecundum Havercampio spicilegium superesset; præterea *Collationem Codicis Agobardini*, diversi ab illo, ex quo magna scriptorum reliquorum Tertulliani pars olim fuit excitata, sed notæ satis bonæ et nulli ante ipsum editorum Tert. inspecti. Collatio vero facta a Josia Mercero (Agobardi), 1625, ad exemplar ed. Pamelianæ extat in Bibl. Lugd. B. p. 71; eamdem a Paulo Colomesio ad oram ed. Rigaltianæ descriptam possidebat Franc. Fabricius, Lugdunus Theologus, qui Havercampii usibus illam cessit. Quoniam autem aliquantum jam operæ processerant, antequam ea submministraretur, priorem IX capp. diversitas, ut et integra MS. membr. secundi L. B. collatio, quæ opusculo jam ad extremum progresso obvenerat, *addendorum* loco præmissæ sunt. Nactus erat insuper *Jos. Scaligeri aliquot conjecturas* edit. Junii adscriptas, aliasque *emendationes ex vestutis Codd.* ejusdem editionis exemplari a *Petro Scriverio* adjectas. His tamen copiis Havercampius Rigaltianum textum confirmavit magis quam novam recensionem procudit in explicandis vero verbis illustrandisque, quæ ad historiam, ritus et religiones antiquas pertinent, insigni doctrina, eaque cum judicio temperata, est versatus, illud imprimis detexisse gaudet, quod *bis* idem hoc scriptum hic illic paullum in verbis et oratione immutatum Tert. in publicum emiserit. Promittit et reliquos, quos adversus Gentes variis titulis composuit Tertullianus, libros, notulis et aliorum illustratos, in his libros ad Nationes innumeris locis emendatos, una cum Prolegomenis eruditis, in quibus omnino de vita et scriptis ejus uberius disputaturus sit: quæ cur lucem non adspexerint ignoramus. Nummi et alia ære expressa, pro more, quem tunc ad unum omnes eruditi sequebantur, ornatui potius quam usui sunt. Ab illis vero ducta dedicationis occasio ad Gualterum Blockium gazophylacii ornatissimi possessorem.

1719.

« Anonymi adnotationes in librum de Oratione Tertul. — (Mémoires de Trévoux, ann. 1719, p. 1202. — Journal des savants, ann. 1719, déc., p. 663.) »

1721.

« Laur. MAGALOTTI lettera sopra un passo di Tertulliano (in lettere scientifice ed erudite del comte Magalotti, p. 192-198. Firenze, in-4°.) »

1722.

« Versio anglica I. libr. *Præscription.*, cura Joseph Berty, cum notis. Oxon., in-12. »

1722.

« Arn. GREVE Tertulliani Testimonium de Ἀπολύσει Christo a Tiberio decreta defensum. Vitemb., in-4°. »

1722.

« Chph. AUEUMANNI Epistolæ quibus emendantur atque illustrantur caput I et II Apologetici in ejus Pœcile, t. I, p. 25-33, 197-212. Halæ, in-8°. »

1724.

« Joh. Laur. MOSHEIM Comment. chronolog. hist. de ætate Apologetici Tertulliani et initio persecutionis christianorum sub Severo. Helmst., in-4°, et in ejus dissert. ad Histor. eccles. pertinent. t. I. »

1729.

« Versio gallica IV, tract. de Præscription. prodiit. Paris. in-12 (Journal des savants, t. LXXXVIII, p. 499). V. Versio. eod. anno prodiisse memorant Ephemerides trivultianæ, mense mart. »

1729.

« Locus in Tertulliani libro de Præscriptionibus advers. Hær., cap. XLIX. Joh. Harduini cura, interpretatus (Mémoires de Trévoux, an. 1729, m. mai, p. 842). »

1730.

« D. remig. CELLERII O. S. B. Hist. générale des aut. ecclésiast., etc., t. II. »

1733.

« Anonymi observationes in Tertullianum et Cyprianum in Miscellan. observat. in auct., vol. III, t. I. Amstelodam., in-8°, p. 45-54. »

1733.

« IV. versio gallica libr. ad martyres edita a *Caubere*. Paris, in 8°. »

1735.

« Joh. henr. BLUMEMBACII de Senatusconsulto Q. Septimio Florente Presbytero et jureconsulto Tertullianis liber, Lipsiæ, in-4°. »

1738.

« Joh. wuill. HOFMANNI dissertatio Q. Septimii Flor. Tertulliani, quæ supersunt, omnia in Montanismo Scripta videri, Vitembergæ, in-4°. »

1739.

« Chph. a. HEUMANNI observationes criticæ ad posteriora Apologetici capita in Miscell. Groning., t. II, fasc. 3, p. 479—485. »

1741.

« Chr. LŒRERI Progr. librum Tertulliani de Pœnitentia ipsi vindicans. Altenb. 1741. »

1743.

« Just. car. WIESENHAUER Disputatio de Jure consulto et Q. Sept. Flor. Tertulliani. Hildesiæ. »

1744.

Ed. Veneta II.— *Venetiis, typis Gasparis Gerardi.* f. Q. S. Fl. Tert. Opera. — Recusa Priorii editio, vide tit. ed. 1675; in hac vero novissima editione Veneta additur Sigeberti Havercampi Commentarius in Apologeticum. — Splendidum artis opus. Notæ textui subjiciuntur. Apologeticus c. comm. Havercampi *a mendis quibusdam expurgato*, ut ibi additur, peculiari titulo ornatus est adjectaque in calce Jo. Laur. Moshemii Disquisitio chronologico-critica de vera ætate apolog. a Tertulliano conscripti; initioque persecutionis Severi: inscripta viro clariss. Sigeb. Haver-

Digitized by Google

campo. — Dolendum est tot operarum vitiis hanc editionem esse maculatam.

1744.

« J. MART. CHLADEN de Stationibus vett. Christianorum. Commentarius ad illustr. maxime Tertullianum comparatus, Lips. 1744. »

1752.

« D. CORBINIANI THOMÆ. O. S. B. observationes et notæ in tractatum de *Præscriptionibus*. Salisburg, in 8°. »

1753.

« J. E. IMM. WALCH *de Apostolorum literis authenticis* a Tertulliano commemoratis. Jen. 4. »

1755.

« D. CORBINIANI THOMÆ. O. S. B. observationes et notæ in libr. Tertulliani de Baptismo et Pœnitentia, Salisburg, in-8°. »

1756.

« VERSIO ITALICA 1. Tertulliani opera omnia catholica et moralia italico sermone reddita a domina Selvatica Bargini, nobili Pisana, habentur typis edita Romæ apud Nicolaum et Marcum Pagliarini. Nonnulla alia opera, scilicet *adversus Judæos*; de *Præscriptionibus*; *contra Hermogenem*, ab eadem illustri fœmina in italicum sermonem translata, edenda promittuntur: num autem edita sint, ignoro. In Florentinis literasiis foliis legitur Cl. V. Bottari italico sermone reddita ea opuscula quorum versionem D. Bargini omiserat (*Lumper* ex Argelato et Paitonio de Volgarizatori bibliotheca). »

1756.

« J. GE. GERET Pr. in quemdam Tertulliani de terrarum motibus locum. Onold., in-4°. »

1757.

« JOH. AUG. NOESSELTI Dissert. de vera ætate ac doctrina scriptorum quæ supersunt Q. Septimii Flor. Tertulliani, Halæ. Ejusd. III, diss. ad Hist. Eccl. pertin. 1817. »

1758—59.

« AUG. HEUMANNI appendix ad varias annotationes in Tertullianum, cum analysi accuratiore libri de Præscriptionibus in act. Eruditor. lipsiens. Supplem., t. VI., sect. 5. »

1758.

« CHR. W. FRANC. WALCH de Pompis Satanæ ad Tertull. de spectaculis, Gotting., in-4°. »

1759.

« C. GE. SAM. BERNHOLD Progr. Tertulliani Apologeticus ab iniquiore reprehensione vindicatus. Erlang., in-4°. »

1762.

« Jo. DAN. VAN HOVEN. spec. annot. ad Tertull. in Musæum critic. II, 26. »

1764.

« C. A. BEGER Ep. quo sensu Tertullianus Deum dixerit corpus, Lipsiæ, in-4°. »

1766.

« EF. WERNSDORF de veste Palmata ad Tertulliani Apologet., c. 50. Wittemb., in-4°. »

1769-76.

ED. HALENSIS I.—*Halæ ap. Salam, ap. Jo. Chr. Hendel.*, 6 voll., Q. S. Fl. Tert. Opera recensuit JO. SALOMO SEMLER. — Ab initio seorsim *quinque libri adversus Marcionem* prodierunt, quibus tanquam tomo primo reliqui, quatuor voluminibus, sunt adjecti, sextus indices cum glossario Tertulliani præbet. Editionem librorum adversus Marcionem haud quidem alia de causa aggressus erat Semlerus, quam ut Academicis studiis libro præ aliis Tertulliani insigni et forma descriptioneque facto parabiliori inserviret, nec operum edendorum consilium rationem semel initam mutavit. Textum reduxit Rhenanianum, editionis primæ, sed suo partim ingenio, partim suffragantibus editt. reliquis emendatum, varietate in dubiis, rarius conjecturis subscriptis. Ad manus erant præter Rhenani primam, Parisiensis Gagnæi, an 1566, in-8. Pameliana 1597. Franekerana Franc. Junii ejusdem loc. et com. Rigaltii prima cum Veneta novissima, præterea *Lat. Latinii* Bibl. sacra et prof. et *Wowerii* Notæ Epidicticæ, an. 1603, tom. II, complectitur plerasque scriptiones polemicas: *de præscriptionibus hæret. adversus Hermogenem, Valentinianos, Praxean, Judæos, contra gnosticos adv. psysichos*, t. III, exhibet libr. *de velandis virginibus, de habitu muliebri, de cultu fœminarum, ad uxorem* I, II, *de exhortatione castitatis, de monogamia, de fuga in persecutione, ad Scapulam, de Resurrectione carnis, de carne Christi*; tom. IV, *de oratione* integrum ex cod. Ambros. supplementis a *Muratorio in Anecd.* propositis, *de Testimonio animæ, de Pœnitentia, ad Martyres, de Patientia, de Spectaculis, de Idololatria, de Baptismo, de Anima, de Corona militis, de Pudicitia*, tom. V, *Apologeticum, ad Nationes* I, II, *de Pallio* cum I Semleri Dissert. in *Tert. de varia et incerta ejus librorum* indole; Sextus denique cum præfatione Semleri *Indices locorum S. S.* in Tert. *opp. occurrentium, rerum et sententiarum memorabilium, latinitatis Tertullianeæ*, qui perpetui commentarii vicem sustinere possit. A tomo inde quarto omnem editionis curam gessit, præfatus etiam est Christ. Godofred. Schützius, Celeb. nunc Acad. Ienens. litt. hum. et Eloqu. Professor, qui cum jam superioribus voluminibus operam in colligenda lectionum varietate navasset et hic ab incepto nihil descivit, nisi quod potiores tantum eligendas varietates lectionis censeret, inutilibus, quo etiam Franc. Junii hariolationum partem refert, omissis. Ubi Rhenani ed. deficeret, Pamelianam secutus antiquam ubique lectionem, nisi, cum omnino ferri non posse videretur, expressit. In libris vol. V, comprehensis Apologeticum ex Havercampi, de Pallio ex Salmasii emendatione, libros ad Nationes ex Rigaltii Auctoritate proposuit. Utinam vero cum reliquis Cl. Semleri in Tertull. dissertationibus, novæ luci facem præferentibus, et ista, quam Schützius promiserat historiam operum et editt. Tertulliani, accessisset! — Non curiose satis Censor Goett. huic editioni propriam esse inquit *descriptionem librorum per capita*, quippe quæ a Pamelii inde temporibus semper obtinuit.

Digitized by Google

1770.

« J. CHR. WERNSDORF Progr. de Ecclesia, Columbæ domo simplici, ad loc. Tertulliani advers. Valentinianos, cap. III, Helmst., in-4°. »

1772.

« H. A. ZEIBICH Prog. de Tertulliani sententia de Columba in Christum devolante, Geræ, in-4°. »

1774.

« ENGELB. KLUPPFEL. Mens Tertulliani de indissolubilitate matrimonii in infidelitate contracti conjuge alterutro ad fidem Christi confesso. Frib., in-4°. »

1776.

« CHR. F. ROSSLERI Bibliothek d. Kirchenvæter in Uebersetqungen u. auszügen, a. 1. f., t. III. Lips. »

1776—77.

« JO. DANIEL. SCHUMANN Obss. in veterib. Ecclesiæ Scriptoribus sæc. III et IV de interpollationibus quibusdam codicis, N. T. Tertulliano perperam afflictis conjectura. Hannov. in-4°. »

1780.

ED. WIRCEBURGENSIS. *Wirceburgi in off. libr. Stahelianæ:* Q. S. F. Tertulliani opera omnia, t. I, II, etiam sub tit.: *Opera omnia* SS. PP. latinorum, vol. I, II. Editor celeb. OBERTHUR secutus est editionem Halensem, sed ita ut compararet editionem Pamelianam, Paris, 1608, recusam et variantes illius lectiones partim in calce subjiceret, partim, raro tamen et circumspecte, illam emendaret. Quod fecit in volumine secundo, ut ipse fatetur paullo liberius, substituendo, vel ex Parisina editione, vel ex varietatibus lectionum ab Halensi editore collectis, hinc inde vel voculas alias, vel, rarius tamen, integras etiam sententias. Præterea ordinem librorum chronologicum ex Noesselti auctoritate adoptavit, hac tamen cautela, ut libros contra Marcionem, non aliis interjectos, prouti viri illius Chronologia exigebat, sed conjunctos una serie, seque immediate excipientes publicaret. Addidit etiam Carmina Tertulliano olim tribui solita, contra *Marcionem* scilicet, *de judicio Domini*, *de Genesi*, *de Sodoma*, *de Ligno vitæ*, a Pamelio prætermissum, et *ad senatorem*.

1780.

« In Collect. Poetar. Vett., edit. Pisauris, t. V, Prodierunt carmina omnia Tertulliano ascripta. »

1780.

« CHR. GOD. SCHUTZ explicatio loci Tertulliani (de Præscriptionibus XVI-XVII), de eversione stomachi aut cerebri ex congressione scripturarum. Jen., in-f°. »

1780.

« VERSIO ANGLICA I. Tertulliani libri. ad Scapulam op. D. DALRYMPLE. Edimb. »

1781.

« D. P. DOMIN. SCHRAM O. S. B. analysis opp. Tertulliani in suo magno opere, t. III. »

1783.

« Jos. ANT. CANTOVA de Septimio et S. Epiphanio dissertt. II° Theol. critic. in quibus anthropomorphismo neutrum laborasse ostenditur. Mediol., in-8°. »

1784.

« CHR. GOD. SCHUTZ Prog. de Regula fidei apud Tertullianum. Jen. »

1784.

In Assisi 8. Osservazioni sopra l'Analisi de libro delle prescrizione di Tertulliano. — Præcedit eum versione italica textus latinus Pamelii ex ed. Franeckerana, 1597 (mendose scriptum 1697), et Variantibus LL. Rigaltii ad Venetam, 1744, Liber ille, ad quem hæc observationes spectant, prodierat Ticini, 1783, 8°, de utroque *Œlrichsius* noster, ut puto, lectores monebit.

1785.

« H. CHR. BALLENSTEDT. Tertullians Geistes fæhigkeiten, Religions Kenntnisse u. Theologie. E. Versuc. in-8°, Abhadll. Helmst. in 8°. »

1790.

« C. CHR. BIRCH dissert. quosdam ex Q. Sept. Fl. Tertulliani collectos atque illustratos locos theologicos sistens. Havn. in-4°. »

1791.

« J. GE. ARN. OELRICHS commentarii de Scriptoribus Ecclesiæ latinæ priorum VI Sæculorum, cura Arn. Herm. H. Heeren, in-8°. »

1792.

« VERSIO HISPANICA *Apologetæ* Religionis christianæ antiquæ, interprete Em. Ximenes de Urieta, Madrid. in-4°. »

1792—97.

« CH. TROGGOTT. GOTLIEB SCHOENEMANN in Biblioth. historico-literaria PP. latinor., t. I, p. 2-53. »

1797.

« VERSIO GERMANICA apologetici sub titulo : Des Q. Sept. Flor. Tertullianus vertheidigung D. Christl. Sache gegen d. heiden. A. d. L. Francof., in-8°. auct. J. F. *Kleuker.* »

1799.

« D. GOTFRED. LUMPER O. S. B. histor. Theol. de vita, scriptis atque doctrina SS. PP., t. VI, de vita et scriptis Tertulliani. »

SÆCULO XIX.

1803-1820.

« JOH. MATTH. SCHROECKHII Christl. Kirchengesch. Lips. XXXV, d. 3, 317. »

1820.

« G. H. SCHARFENBERG. comment. acad. de Justino, Tertulliano et Cypriano adv. Judæos disputantibus. Lund. Goth. 4°.

1821.

Tertull. opp. Mediol. (J. A. Moehler., ex opere posthumo Patrologie oder christliche litteraergeschichte II.)

1822.

« VERSIO GALLICA IV. Apologet. Tertulliani, interprete D. Meunier, prior. S. Martini in campis in suburbio cabillonensi, optimæ notæ ac majoris famæ digna, diu post. auct. obitum edita. »

1823.

« J. A. COENEN Commentat. de Tertulliano, Christianorum et Relig. Christ. advers. gentes Apolo-

Digitized by Google

geta — in Annal. Acad. Rheno-traject. Ann. 1823-1824. »

1825.

« A. NEANDER Antignostikus, Geist des Tertullianus und Einleitung in dessen Schriften, mit archæologischer und dogmenhistorischen Untersuchungen. Berl., in-8°. »

1825.

« VERSIO GALLICA V. Apologet. et Præscription. adv. hær. interprete de Gourcy, Paris, in-8°, accuratis argumentis, exiguis ac paucioribus in textum, frequentioribus in lectiones varias notis adornata. »

1827.

« Tertulliani Apologetici edit. nov. cum varr. Lectt. JOS. IGN. RITTER. Eberfeld, in-8°. »

1827.

« A. RDPH. GEBSER Biblioth. lat. Veterum Poetar. Christianor. Jenæ. Præter primum tomum nihil ulterius prodiit. »

1827.

« VERSIO GALLICA VI. Apologetici Tertull. auct. J. Fr. ALLARD human. liter. olim professor. nec hujus conditionis immemore, sive in prævia dissert. de laudibus Tertulliani, quem Tullio et Demosthene longe eloquentia præstantiorem habet; sive in notis ad calcem rejectis, quas, Septimii plerumque oblitus, in quoslibet obvios novatores pugnaciter immittit. »

1827-1829.

« ED. HALLENSIS II. *Hulæ Magdeburgicæ* apud *Joh. Christ. Hendei*, iterum prodiit in tom. VI, ed. Semler. Vid. supra.

1829.

« FR. MUNTER Primordia Ecclesiæ Africanæ, Havniæ, in-4°, p. 128. »

1829.

« In collectione selecta SS. Ecclesiæ Patrum complectente exquisitissima eorum opp. cura A. B. Caillau et M. N. S. Guillon, prodiere libri Tertulliani, fere omnes exceptis tantum sex partim editis, nempe de Anima, de Fuga in pers., de Pudicitia, de Jejunio, de Exhortat. castit. de Monogamia. tom. VI, VII. »

1832.

« VERSIO GALLICA I. Libri *de Testimonio animæ*, qui et ipse cæteris Tertull. scriptis elegantia præstantior haud imparem nactus est primum interpretem, in *Annall. Philosophiæ Christianæ*, ann. 1832, mense Junio, fascic. 24, ubi interpretis anonymi nomen, iniquo jure lectoribus absconditum, merito deinceps in indice detegitur, D. nempe MELCH. DU LAC DE MONTVERT. »

1834.

Tertulliani libri de Præscriptionibus adv. hæret. de Baptismo, de Pœnitentia, de Oratione, seorsim editi sunt, præmissa præfatione germanica, sumptibus ac typis Aloys. Attenkover, 1834, in-8°.

1838.

C. JOS. HESELE *Turtullian als Apologet.* in Drey et all. Tubinger Theolog. quartals Schrift. — P. I, p. 30.

1839.

Bibliotheca PP. ecclesiasticorum latin. selecta, ad optimorum libror. fidem edita, curante E. G. Gersdorf. in medium posuit ac publici juris fecit libros Tertull. fere omnes, in duas classes distinctos, et suos tom. scilicet 1° *Libr. Apologeticos*, ad Martyres, de Spectacul. de Idolol. Apologet. ad Nat. lib. II, de Testim. Anim. de Corona mil. de Fuga in persec. Scorpiace, ad Scapul. 2° Libr. *ad ritus et mores Christianor. pertinentes* de Orat., de Patient., de Baptismo, de Pœnit., ad Ux. lib. II, de Cultu fœm. lib. II, de Exhort. cast., de Monog., de Pudicit., de Jejuniis, de Virginib. veland., de Pallio. — Prodiit hæc editio selecta Lips. 1839. 2. tom. in-12, recens. E. F. LEOPOLD. Phil. D. AA. m. in gymn. Annaberg. Præcept. ordin. Laudanda sane et recensio, ob textus castitatem, et editio ob chartar. et typor. nitorem, nullo vero commentario, lectionum tantum varietate adornata.

1839.

« E. F. LEOPOLD Ueber die Ursachen der verdorbenen latinitat bei dec schriftstellern nach dem Zeitalter d. K. Augustus, hauptsæchlich bei den Kirchenvætern, mit besonderer berücksichtigung des Tertullian *inserta* V. S. V. Ilgenii Zeitschrift. f. d. histor. Theol., vol. VIII, p. 1 e. sqq. Lips. »

1842.

« Novissimam ac amplissimam, quæ hactenus prodierit, Tertulliani operum fere universorum versionem Gallicam nuperrime edidit D. De Genoude, in sua chrestomathia Patristica, cui titulus: les Pères de l'Eglise traduits en français, t. XII, Paris, in 8°. Hujus autem versionis, quæ duos et viginti præcipuos Tertulliani libros continet, auctor est H. DENAIN de Septimii nostri studiosis bene meritus, notarum tamen omnino expers, et omnis commentarii mole expeditus, elegans potiusquam fidissimus interpres, qui africanæ loquelæ asperitatem splendenti ornavit sermone, egregiaque interdum et ad vivum expressa interpretatione recreavit. »

1843.

His igitur deductis per multa retro sæcula literariis Tertulliani annalibus finem qualemcumque imponet hæc nova PARISIENSIS EDITIO, quam post tot aliorum et tantorum labores ideo confidenter aggredimur, quod nihil nisi alienum ac mutuatum præstamus. Ut enim ex iis quæ hactenus opera Tertulliani elucidarunt nihil duximus omittendum; ita nihil novi, vel inauditi adserendum libenter profitemur. Equidem in hoc nostro, quodcumque sit, opere describendo lectorem diu morari noluimus; quænam tamen huic editioni accesserint additamenta, qualisve textus recensio potior habeatur, undenam petierimus perpetuos commentarios, paulo fusius dicendi animus est ac necessitas incumbit.

ARTICULUS IV.

De nova editione Parisiensi.

Coalescit hæc editio postea ex tribus partibus seorsim ordinandis ac describendis, nempe tum ex prolegomenis quibusdam, tum ex plurimis appendicibus

Digitized by Google

inter quos hinc et inde decurrit integer Tertulliani textus, varietate lectionum ac multo commentario illustratus.

In primo limine conservare ac typis inamandare religioni duximus TERTULLIANI VITAM PER VIGINTI ET QUATUOR ANNOS a Pamelio concinnatam, brevibus tantum hic illic respersis annotationibus, ac sedulo recensa consularium fastuum serie, in præcedentibus editionibus mire disturbata, truncatis, inauditisve nominibus horrida, nec etiam nunc purgata labe quadam perpetua, unius nempe anni anterioritate, quæ e vetusta consularium Fastuum chronotaxi in Pamelianam recensionem inoffenso pede transmissa, hinc absque magno rerum tumultu ejici nequivisset.

In his igitur Pamelianis annalibus manent plura imperfecta, hiulca, conjectanea, erronea; quibus resarciendis necessarium subsidium præstat eruditissima J. Aug. Noesselt DISSERTATIO DE VERA ÆTATE AC DOCTRINA SCRIPTORUM QUÆ SUPERSUNT Q. SEPTIMII TERTULLIANI, ex *historia theolog. critica de vita, scriptis ac doctrina SS. Patrum* D. Lumper excerpta; quorum opus commune ut libenter edimus, lectoribus pergratum fore rati, ita penes utrumque stare nonnullas eorum subdubias opiniones contestamur.

Quæ subinde occurrunt TERTULLIANI PARADOXA *cum antidoto Pamelii*, PROVERBIALESQUE FORMULÆ *a Beato Rhenano et Andrea Hoyo Brugensi* explanatæ, eas *ut in* cæteris, sic et in nostra editione habes, nec inficias ibimus nos potius præscriptioni cuidam ac priorum editionum exemplo, quam patenti commodo locum fecisse.

Data deinde Apologetica, iterum et quæ *de propria ejus ætate ac* specialius *de Severianæ persecutionis initio* disquisivit J. Laur Mosheim, ab editione Veneta secunda detraximus.

At nihil plenius, integrius et amplius usquam de Tertulliano elaboratum est, quam quod publici juris fecit in suo tantæ molis ac doctrinæ *Apparatu* D. NICOL. LE NOURRY *monachus Bened. e congreg. S. Maur.*; qui tres quidem libros tantum indagaturus, inde laxatis velis, in altissimam totius Tertulliani doctrinam invehitur, loca scopulis, offendiculisve invia confidenter inquirit ac tuto illustrat, suum tanto doctori fidelissimum restituit sensum, suam in multis criminibus falso imputatis caussam vindicat, vera indigitat, errores increpat, conspuit spuria, verosimilia conjicit, nec ulli audaciori figmento, vel favente optimi editoris auctoritate, *tetricus censor et asper* indulget. Porro eo alacrius in lucem iterum proferemus, quo rarius, et quæstu difficilius est amplissimum illud rei patristicæ trium priorum sæculorum armarium.

Hæc sunt quæ utiliora duximus prævia Tertulliani nostri limina ac pene dicam Propylea. Quæ cum pertransieris, tutiori pede penetralibus ipsis succedes. Quo jam te mecum pervenisse videaris velim, ut, ædificii præcipui tantisper oblitus, continuo remotissimas invisamus appendiculas. Quinque ergo reperies in calce repositas, coronidis instar, diversi argumenti appendices. Quarum *prima* habet CARMINA sive genuina, sive suppositicia, quæ Tertulliani nomine circumferuntur, exiguo quidem, utpote exigui momenti, commentario illustrata. *Secunda* autem fragmentum quoddam exhibet diu per multa sæcula in codicibus vaticanis obrutum, tandem annum circa 1630 a Joh. Maria Suaresio, biblioth. vatic. custode, editum, iterumque a duobus sæculis oblivio obrutum aut despectum. *Tertia* autem nonnulla deprehendit quæ græco ore Septimius dixit, transtulit, aut exaravit, atticismi forsan peritior, quam latinæ urbanitatis. *Quarta* demum quæ penitus amissa desiderantur opera recenset, aut eorum spicas decerpit, aut spuria resecat. Tandem *Quinta* suppeditat eximias D. CORBINIANI THOMÆ ADNOTATIONES in duobus Septimii de Baptismo et Pœnitentia libris, opimas sane ac uberrima substantia confertas, paulo tardius nobis transmissas quam ut suo loco succedant, tempore tamen sat opportuno ut egregium operi pene absoluto finem imponant ac effusas nobis incumbat agere grates benevolentissimo V. J. B. Malou, professori Theol. Dogmaticæ in Univers. Lovaniensi et ejusdem Acad. Biblioth., cujus ope ac comitate hæc grati accepimus munuscula, quibus et tu, candide lector, grato similiter animo utere, amato, et fruere.

Nunc tandem redeuntibus ad operum Tertulliani corpus, tria iterum secernenda occurrunt: textus nempe, variæ lectiones, et commentarii. Porro integerrimam, castissimamque textus recensionem propalare enixe cupientes, præeuntibus VV. CC. Lumpero, Schoenemann, Walchio, qui omnium optimam duxerunt *Edition. Pamelio-Rigaltianam Priori*, ann. 1664, hunc habuimus editionis novæ fontem pene omnem et unicum; nec tamen accuratam cæterarum editionum collationem negligentes, sèptem præcipuas, nempe Rhenani, Pamelii, Rigaltii, Parisiensem, Venetam, Halensem et Stahelianam continuis manibus, nostra dum oriretur, habuimus. Quibus accessit, pro omnibus in ea editis libris, splendida ac recentissima recensio, studio E. P. Leopoldi Lipsiæ data, ut bibliothecæ Patrum, curante E. G. Gersdorf, insereretur.

Quinimo eas fere omnes Tertulliani recensiones cum Priorii textu repræsentandas curavimus: continuos enim subnexuimus variantium lectionum indiculos, ex optimis codicibus, editisve voluminibus quam diligentissime collectos. Hinc si manu tantummodo obvia quælibet folia evolvas, hinc inde velim excitatos videas codices Agobardinos, Lugduno-batavos, Fuldenses, Vaticanos Pamelianos, Ambrosianos, Wouwerianos, Latinianos, Gelesianos, ac identidem passim editiones Rhenani, Pamelii, Rigaltii, Franeckeræ, Parisiorum, Venetam, Halensem, Wiceburgensem, Lipsiensem, Leopoldi, etc. Erunt fortasse qui longa nostra in his perlegendis fastidia dedignati, mirabuntur ac forte dolebunt nosmet in delicatulas ac molestas tricas misere impegisse ac lectores perperam adduxisse. Erunt autem et alii plures et æquiores, qui cum audiendus sit post tot sæcula redivivus Tertullianus, vesana librariorum ac correctorum recentium licentia miris modis disturbatus, nihil esse inane ac insulsum ex iis vel minimis quæ tanti viri vocem puram putam elicere queant, nobiscum merito arbitrabuntur. Atqui rem paulo attentius consideranti sæpe sæpius illud accidet, ni fallor, quod ei ex vocula quadam, in lectionibus variantibus timide rejecta, lux amplior forsan quam ex abundantiori nota suboriatur.

Quibus nihilominus adminiculis necesse erat addantur doctissima ac felicissima interpretum et commentatorum ad Tertullianum explicandum tentamina. Nec solas nec omnes Parisiensis notas usurpavimus; omissis nonnullis quibus vel plerumque brevissima lectione varia suppletum est, vel quibus obnitebatur recta fides catholica, alias ex iisdem fontibus ac Priorius, nempe præcipue e Pamelii uberrima copia hausimus. Quam frequentius licuit, speciales quorumdam librorum adnotationes, pleniores plerumque ac penitius auctoris sensum introspicientes, præ omnibus colligendas duximus. Hinc præter animadversiones Corbiniani Thomæ in libr. Baptismi et Pœnitentiæ modo laudatas, magnam partem perpetui in Apologeticam Havercampi commentarii, remota sedulo indigesta quadam classicorum auctorum professoria et hæretica ructatione, accepimus. Hinc in arduo Pallii libro acutissimi Salmasii proverbiales elucubrationes transcribendas curavimus. Hinc primi post Muratorium, egregias ejus ac Panciroli notas in Orationis librum dimidia parte adauctum ex ejusdem rarissimis Anecdotis deprompsimus. Hinc demum excitata a Semlero in D. Irenæum, aliosque Patres lite impia de eorum scriptorum origine, palmare ejus argumentum susdeque vertendum fore arbitrati sumus, dummodo, attentis hinc et inde Tertulliani et Irenæi locis similibus sole clarius ostenderimus non solum opera Irenæi græca sed et eorum veterem latinam interpretatio-

Digitized by Google

nem Tertulliano præluxisse ac proinde temporibus suis præivisse.

Hæc igitur erunt diversa hujus editionis hinc illinc accepta membra. Quanam vero ratione in corpus coeant, ac inter se connectantur, paucis remanet præfandum. Mirum est quotuplici rerum ordine et librorum serie unaquæque Tertulliani editio divisa aut potius disjecta fuerit. Alii tempora pro libitu suo metientes ac statuentes, ordinem chronologicum assequi studuerunt. Hoc in animis sibi præcepisse videntur La Cerda, et Oberthur. Alii, ut Rhenanus et Rigaltius, vetustorum codicum indices qualescumque in eorum instruenda editione duces habuere. Alii nec temporum, nec codicum habita ratione, vel utraque permixta, Pamelii exemplo, rerum quadam Theologica synthesi deductarum ordinem assumpsere. Alii demum, et præ cæteris omnium novissimus J. S. Semlerus, nihil sibi proposuisse videntur nisi omnia Septimii sive catholici sive Montanistæ scripta ita ex industria miscere ac confundere, ut promiscue ab uno ad ultimum una eademque Montanistica farragine fœdari censeantur. Nobis igitur etsi religio summa futura sit veterum editionum ordinem in usu acceptum, omni ope conservare, nunc in hoc multarum sibi obstrepentium Tertulliani editionum tumultu, necesse fuit novam seriem, partim chronologicam, partim systematicam, componere. Hinc in duas dividendos esse partes Septimii tractatus abunde suadet vita ejus duplex, altera fide integra, altera hæresi contaminata. Hinc duos distinguere est tomos, quorum prior continet scripta ab Auctore adhuc catholico, posterior scripta post susceptum ab eodem Montanismum exarata. Rursus, cum in utraque vitæ ejus vice idem modo adversarios suos perstringat, modo suos ad bonos mores excitet, pars utraque operum ad duplex generale caput reducenda venit. Hinc in prima parte series prior LIBRORUM APOLOGETICORUM, nempe APOLOGETICI, LIBRORUM AD NATIONES, DE TESTIMONIO ANIMÆ, AD MARTYRES, DE SPECTACULIS, DE IDOLOLATRIA, quibus, appendicis instar, libellum auctoris Montanistæ AD SCAPULAM, ob rerum connexionem subjunximus, quippe in iis omnibus libris Tertullianus caussæ christianæ patronum se profitetur ac gentes, gentiliaque insectatur. Posterior vero ejusdem partis series libros exhibet Tertulliani catholici DOGMATICOS, in quibus totus est in exponendis ritibus, ac disciplinis Christianorum, nempe DE ORATIONE LIB. I., de BAPTISMO LIB. I, unum DE PŒNITENTIA, DUOS AD UXOREM, de CULTU FŒMINARUM DUOS; hunc vero ordinem, quisquis cum temporum calculis infra in dissert. D. Lumperi perpensis conferet, jam etiam minime ab ordine chronologico nos recessisse deprehendet.

Tertullianus, suscepto montanismo, sibi aliquo modo constitit; nunc enim in aciem, ut antea, cum omnibus adversariis congreditur, nunc forensi studio quasi detentus de ritibus ac moribus concionem habet. Hinc secundæ operum partis series: prior coaluit ex innumera POLEMICORUM LIBRORUM mole, nimirum DE CORONA MILITIS, DE FUGA IN PERSECUTIONE, adversus psychicos, ADVERSUS GNOSTICOS SCORPIACE, ADVERSUS PRAXEAM, ADVERSUS HERMOGENEM, ADVERSUS MARCIONEM, ADVERSUS VALENTINIANOS, ADVERSUS JUDÆOS, DE ANIMA ADVERSUS PHILOSOPHOS, DE CARNE CHRISTI ADVERSUS QUATUOR HÆRESES, DE RESURRECTIONE CARNIS ADVERSUS MARCIONISTAS, ALIOSQUE GNOSTICOS. Item sedato interdum illo impugnandi fervido æstu, animos recreasse voluisse videtur cum posterioris seriei LIBROS MORALES descripsit, DE VELANDIS VIRGINIBUS, DE EXHORTATIONE CASTITATIS, DE MONOGAMIA, DE JEJUNIIS, DE PUDICITIA, DE PALLIO. Extat adhuc insigne Tertuliani opus, imo maximum ac celeberrimum, LIBER nempe PRÆSCRIPTIONUM ADVERSUS HÆRETICOS OMNES, de cujus ætate acriter, ut infra videre est, inter eruditos disceptatur: quorum lites cum non nobis sit componere, mediam inter utramque contendentium aciem stationem elegimus, mediumque huic libro locum adscripsimus, nempe, inter orthodoxi Tertulliani et ejusdem montanistæ opera, in fronte posterioris tomi, ut duodecim polemicis libris præfulgeat ac velut antesignanus præeat.

Quæ cum utcumque tandem exposita fuerint, penitus explicata tota mente nostra tum de Tertulliani auctoritate vera ac recto usu, tum de instituti nostri origine, subsidiis ac ratione, finem demum præfandi facientes, diximus.— Deum vero iterum iterumque, ut inchoantes, ita et absolventes opus, enixe rogamus, deprecamurque, almamque simul Deiparam virginem, *angelorum hominumque matrem ac delicias*, cunctamque triumphantis Ecclesiæ splendentem coronam, eo ipso die quo manum de tabula tulimus, cœlorum, terrarumque ambitu festive concelebratam in patrocinium ac tutelam advocamus, obtestamurque ut hæc novissima diutini operis primordia, Deo optimo maximo accepta sint, Ecclesiæ matri haud ingrata, quam pluribus utilia, nobisque in æternum profutura.

Scribebatur Paris., Kal. Nov., anno M. D. CCC. XLIII.



Digitized by Google

VITA Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI

CARTHAGINIENSIS PRESBYTERI;

AUCTORE JACOBO PAMELIO,

QUÆ EJUS ÆTATIS VIGINTI QUATUOR ANNORUM HISTORIAM CONTINET.

Pamèle (Lat. Pamelius), Jacques de.

§ I. *Exponitur prævia controversia duplex.* — 1. TERTULLIANI vitam Deo auspice descripturis, qui (quod memoratu dignum est) sub Afro Romano Pontifice S. Victore, Imperatore item Afro sibi cognomine Septimio Severo, Afer et ipse florui; duæ occurrunt controversiæ, eæque difficillimæ. Prior, de Tertullo *Consule*, TERTULLIANO nostro, Tertyliano JC. et S. Tertullino Martyre, e quibus quatuor hallucinatione quadam unum conficere quidam conati sunt. Altera, de tempore et ætate Auctoris, qua fidei Sacramentis novus Christi Tyro initiatus est.

2. *Ac primo, de Tertullo consule,* TERTULIANO *nostro, Tertyliano JC. et S. Tertullino Martyre.* — Ad priorem quod attinet, imprimis fefellit Rhenanum corrupta lectio apud Reginonem, quæ castiganda etiam apud Hermannum Contractum in Chronicis, ut pro Tertullino Martyre, quem recensent Martyrologia ex Actis passionis S. Stephani Papæ pridie Nonas Augusti, TERTULLIANUM legerit. Deinde non minus hallucinati sunt hactenus, qui Tertullum Romanum Consulem cum Jureconsulto Tertyliano confundunt, occasione Senatusconsulti Tertulliani, ad quod complura Rescripta sunt edita, quæ recitantur D. L. 58. T. 17. et Cod. L. 6. T. 55 (1). Neque enim reperiri poterit aliquis Consul Tertullianus, seu Tertylianus, sed Q. Flavius Tertellus cum Licinio Sacerdote anno U. C. DCCCCX. ad cujus relationem jam antea, imperante Hadriano Augusto, dictum Senatusconsultum publicatum est. Utpote quum D. dicto Titulo lib. 21. D Pius decreverit, in quadam facti specie cessare Senatusconsultum Tertullianum, quod proinde eo constat esse antiquius; Tertylianus vero JC. sicuti mox latius, sub Alexandro Imperatore multis post annis claruit, cum aliis plerisque Papiniani discipulis, qui Juri dicundo operam dedere, cujus Constitutiones ex Libris Quæstionum et Libro singulari de Castrensi peculio, ne quid hic desit, post Vitam hanc Auctoris nostri subjecimus. Quæ solæ quum supersint; nec quisquam alius librorum aliorum ab hoc A Tertyliano editorum meminerit, falsus videtur Conradus Gesnerus, dum illi præterea adscribit legum Rescripta ex Libris, de Senatusconsultis, ac ad SC. Libonianum et Orphitianum. Atque in his satis consentiunt Doctiores. Verum an idem sit ille Tertylianus cum nostro hoc TERTULLIANO, adhuc sub judice lis est, præsertim id asserentibus quibusdam magni nominis et eruditionis JC. Nos certe, salvo saniori judicio, diversum censemus, tum quod ille juxta veriorem ex Pandectis Florentinis lectionem, teste Augustino Justiniano, ubique Tertylianus vocetur, B noster vero TERTULLIANUS, tum quod etiam Francisc. Balduinus datis ad me litteris stylum, et orationem dissimilem confessus sit, tum denique, quod tempora non satis conveniant. Si enim cum Bernardino Rutilio Tertyllianum suos edidisse Libros dicamus sub Imperio Hadriani et Antonini, quum Hadrianus Imp. obierit an. U. C. DCCCLXXXX. et Severus Imp. sub quo noster TERTULLIANUS, primum cœperit imperare anno U. C. DCCCCXLV. et sic intercesserint anni LV. oportebit hunc fuisse ætate quinquagenario majorem, quum ex JC. Christianus factus est, maxime si responsa illa illi attribuamus, quæ nonnisi in auC toritate magna constituti dare solent JC. cujus tamen contrarium ex S. Hieronymo constat, qui media illum ætate, quum antea diu Presbyter fuisset, ad hæresim scribit defecisse. Sin vero, juxta alios (quorum supra secuti sumus sententiam) sub Alexandro Imp. cum cæteris JC. quorum responsa in Pandectas relata sunt, jam luce clarius est, eumdem non esse. Nam noster TERTULLIANUS ante Alexandrum annis plus minus XXX. Christi fidem amplexus, eo tempore si adhuc superstes fuerit, in hæresi volutaD batur. Neque vero argumenta contra sententium tanti sunt ponderis, ut in partes suas me potuerint pertrahere. Quod enim Ulpianus (qui locus fortassis occasionem huic dedit controversiæ) D. L. 38. T. 17. ad SC. Tertullianum lib. 1. Rescripti meminit Imperatoris et D. Patris (id est Antonini et Severi) ad Tertullianum quemdam; imprimis aut Junius, aut Ovinius juxta MS. cod. Tertullianus ille prænominatur, quum noster Q. SEPTIMIUS TERTULLIANUS appelletur, deinde Pandectæ Florentinæ Tertullum legunt, fortassis eumdem, qui etiam dictus

(*Deux.*)

(1) Vid. ad calcem illius dissertationis Pamelii Responsa Tertyliani JC. quæ extant in libr. Digestor. Cf. Joh. Blumenbach *de Senatusconsulto Q. Septimio Flor. presbytero et Jureconsulto Tertullianis lib.* Lips., 1733. in-4°. — Just. C. Wiesenhauer *disput. de Jureconsulto et Q. Sept. Flor. Tertullianis*, Hildes. 1743. 4. Maian. lib. IV. epist. II. Valent. 1732, in-4°. EDD.

Digitized by Google

Q. Flavius Tertullus, cum T. Flavio Clemente Consulatum gessit anno Severi III. Altera vero ratio, qua potissimum nituntur illi, quod Juris verborum retinentissimus atque adeo JC. Romanus fuerit, vel Eusebio teste, noster TERTULLIANUS, non magis convincit, quam si dicamus, Cæcilium Oratorem quem introducit secum colloquentem in suo Octavio Minutius Felix, eumdem esse cum Cæcilio Cypriano nostro, quod uterque Oratoriam exercuerit. Aut (quod ad institutum facit magis) si Septimium Severum Imp. eumdem esse existimemus cum Septimio altero Severo, quod uterque Afer et Historicus fuerit, quorum ille suam, hic Alexandri Imp. vitam conscripsit. Aut denique, si Septimium illum cujus versus extant apud Crinitum in Jani laudes, aut Quintum Septimium Romanum, qui Dyctis Cretensis de bello Trojano Libros sex Latinos fecit confundamus cum nostro SEPTIMIO TERTULLIANO, quod ambo et Afri et Poetæ fuerint. Ad quorum fortassis distinctionem, Auctor noster, Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI CARTHAGINIENSIS appellationes Libris præfixit suis (1), non contentus duabus illis SEPTIMII TERTULLIANI, quemadmodum reliqui post eum scriptores Afri, Minutius Felix, Cæcilius Cyprianus, Lactantius Firmianus, Marius Victorinus, et Aurelius Augustinus.

§ II. *De tempore quo ad fidem conversus est* TERTULLIANUS *noster.* — 3. Porrò (quod ad alteram pertinet controversiam) de tempore quo ad fidem conversus est TERTULLIANUS noster, major multo se difficultas offert. Quosdam qui claruisse putant circa annum Christi nati CLX. fefellit illud Auctoris Lib. de Monogamia, *annis circiter* CLX. *exinde productis* (*de Monog.* III.); verum illi quomodo computandi sint a passo Christo, an potius ab ætate qua Apostolus Paulus Epistolam scripsit ad Corinthios primam, infra latius ad annum Domini CCXIII. Multo itaque rectius Eusebius, Ven. Beda, Freculphus Lexoviensis, Martinus Polonus, Conradus a Lichtenaw Abb. Urspergensis, Vincentius Bellovacensis, Hermanus Contractus, et Trithemius, circa annum plus minus Christi nati CC. TERTULLIANUM claruisse scribunt. Atqui de anno, quo Christo nomen dederit, silent omnes præter ipsum TERTULLIANUM, sed verbis longe obscurissimis. Illud quidem perspicuum est, statim a baptismo conscriptum ab eo Librum de Pallio, ea nempe occasione, quod, quum pro more Christiano Toga dimissa Pallium indutus esset, amicus quispiam objecit : *Ita a Toga ad Pallium?* Cui inter cætera respondet : *At ego jam illi etiam divinæ sectæ ac disciplinæ commercium confero. Gaude Pallium et exulta, melior jam te Philosophia dignata est, ex quo Christianum vestire cœpisti* (*Lib. de Pall. c.* 5. *Ibid. c.* 6. *Ibid. c.* 3.). Verum non perinde intelligi potest, quid sibi velint ejusdem Libri verba : *Sed vanum jam antiquitas, quando curricula nostra coram. Quantum reformavit orbis sæculum istud! Quantum urbium aut produxit aut auxit aut reddidit præsentis Imperii triplex virtus, Deo tot Augustis in unum favente! Quot census transcripti! Quot populi repugnati! Quot ordines illustrati! Quot barbari exclusi! Revera orbis cultissimum hujus Imperii rus est, eradicato omni aconito hostilitatis et cacto et rubo subdolæ familiaritatis, consitum et amœnum super Alcinoi pometum et Midæ rosetum.* Id quidem Rhenanus, Magdeburgenses, aliique eum secuti ita interpretantur; utpote *Triplicem Imperii virtutem*, intelligant Severum Augustum, et Pescennium Nigrum, ac Claudium Albinum Cæsares, quorum illi ab exercitibus in Pannoniis et Oriente, hic in Gallia Cæsar dictus est. Sed ipse sibi contradicit Rhenanus, quum fatetur invito Severo id factum de Pescennio, et utrumque ab illo hostem judicatum, et e vivis sublatum postea. Non poterit igitur in tanta trium Cæsarum simultate accommodari illud: *Deo tot Augustis in unum favente*, multo vero minus illud : *eradicato omni aconito hostilitatis.* Imo quum illa trium Cæsarum variis in Provinciis delectio contigerit statim initio Imperii Severi, minime convenire potest cum verbis sequentibus : *Quot census transcripti!* etc. *quot barbari exclusi!* Quorum postremum majorem scrupulum injicit, quod inde constat, non nisi post *exclusos barbaros* hunc librum conscriptum, id est, post devictos Arabas, Parthos et Adiabenos. Quod itaque, in Argumento et Annotationibus nostris, ad annum fere quintum retulimus Imperii Severi, ad annum tertium potius applicari oportere postea deprehendimus, quum anno quarto a Severo deficere Albinus cœperit, et anno quinto interfectus sit. Itaque Imperantibus tunc una Severo Augusto, Antonino ejus filio, et dicto Albino, pacato jam Imperio, utpote devictis jam ac occisis, et Juliano, qui occiso Pertinace illud invaserat, et Pescennio Nigro.

4. Et vero de Albino Imperii consorte consentiunt omnes. Nam juxta Fastos Consulares, statim post acceptos omnes Imperii titulos, D. CLAUDIUS ALBINUS AB IMP. CÆS. L. SEPTIMIO SEVERO AUG. CÆSAR APPELLATUS EST : et anno sequenti Consulatum iniit Severus cum Albino, qui jam inde etiam SEPTIMIUS dictus est, quantum apparet, in Severi gratiam. Qui eo etiam honore illum prosecutus est ut nummos ejus imagine (teste Spartiano) insigniri jusserit, qui etiamnum (1) extant cum inscriptionibus tam Græcis quam Latinis apud Generosos Dominos Marcum et Guidonem Laurinos Watrefleti Toparchas, cum aliis compluribus, quorum infra fiet mentio. E quibus pro

(1) Sic præter libros mstos. jam Angelus Politianus auctorem nostrum signavit lib. IV. epist. V. de Nominibus. Sic ipsemet auctor noster, *de Virginibus velandis*, c. ultimo: *Hæc cum bona pace legentibus utilitatem consuetudini præponentibus, pax et gratia a Domino nostro Jesu redundet, cum SEPTIMIO TERTULLIANO cujus hoc opusculum est.* Similis est clausula libri *de Baptismo: Tantum oro ut cum petitis etiam TERTULLIANI peccatoris memineritis.* Similis est clausula libri *de exhortatione castitatis. Memento in orationibus tuis TERTULLIANI exhortantis.* Ita edit. Paris. Frank. Venetan. Rigaltius autem ultima hæc verba omisit; hinc ab alia manu fuisse adjecta, nullo tamen favente msto, tum Salom. Semler, tum E. F. Leopold visum est prorsus indubium. Cf. Lumper. hist. theol. crit. SS. PP. pars VI. cap. 1. art. 1. not. b. EDD.

(1) Scilicet circa annum 1579, quo primum edita fuit a Pamelio Vita hæc Tertulliani.

Digitized by Google

nostra sententia faciunt, jam post occisum Nigrum publicati isti : IMP. CÆS. D. CLAUDIO SEPT. ALB. COS. II. MONETA AUG. CS. VICT. AUG. aut MINERVÆ PACIFERÆ SÆCULO FOECUNDO; aut denique : FELICITAS; quæ omnia pertinere videntur ad illud, *eradicato omni aconito hostilitatis.*

5. De Antonino autem Severi filio, quod etiam jam inde Cæsaris titulo insignitus fuerit, duo sunt quæ conjecturam confirmant nostram, tum lex 1. de inofficioso Testamento Cod. l. 3. quam rescripserunt Severus et Antoninus Kal. Juliis Falcone et Claro Coss. quorum Consulatus incidit in 1. annum Severi; tum hæc numismatis inscriptio : IMPP. INVICTI PII AUGG. (cum Severi effigie et Antonini adhuc pueri imberbis) VICTORIA PARTHICA MAXIMA. Quæ adeo referri potest ad illud : *quot barbari exclusi!* sicut et ista : L. SEPT. SEV. PERT. AUG. IMP. II. ARAB. PAR. ADIAB. COS. II. PP. SC. Maxime consentiente Spartiano in hæc verba post Nigri cædem : *Deinde circa Arabiam plura gessit, Parthis etiam in deditionem redactis, necnon et Adiabenis, qui omnes cum Pescennio senserant. Atque ob hoc reversus, Arabicus, Parthicus, Adiabenicus, appellatus est, sed triumphum respuit, ne videretur de civili triumphare victoria.* Insuper et Eusebio (seu potius B. Hieronymo, qui multa ad Latinos pertinentia Chronicis ipsius interseruit) qui bellum Judaicum, Samaritanumque ac Parthicum cædi Albini præponit; quemadmodum etiam Orosius, Joannes Zonaras, et Hugo Floriacensis. Nec obstat, quod Herodianus dilatum adhuc scribat bellum Parthicum, tum quod fides major haberi debeat Latino quam Græco scriptori, qui nullum historiæ ordinem observavit, tum quod Spartianus postmodum iterum profectum scribat in Arabas, Parthos, et Adiabenos, et bello contra eos confecto triumphum egisse, eumdem nempe de quo infra anno Severi x. Præsertim, quum extent et Marmorum et Nummorum inscriptiones, in quibus bis Parthicus nuncupatur. Altera anni xi. ejusdem in Arcu Septimii Romæ : IMP. CÆS. L. SEPT. M. F. SEVERO. PIO. PERT. AUG. P. P. PART. ARAB. PART. ADIAB. PONT. MAXI. TRIB. POTES. XI. COS. III. PROCOS. ET IMP. CÆS. M. AUREL. L. F. ANTONINO AUG. PIO FELICI. TRIB. POT. VI. COS. PROCOS. P. P. OPTIMIS FORTISSIMISQ. PRINCIPIBUS. INSIGNIBUS EORUM VIRTUTIBUS DOMI FORISQ. S. P. Q. R. Anni xv. altera : L. SEP. SEV. AUG. IMP. XII. PART. ARAB. PART. ADIAB. AA. X. PROFECTIO. AUG. quantum apparet, in Britanniam. Quarum priori partim etiam explicatur illud : *quot populi repugnati!* Quemadmodum et illud : *quot ordines illustrati!* de Ordinibus nempe seu Legionibus Militaribus, per inscriptiones annorum Seve. II. III. ac IV. istas : IMP. CÆS. L. SEV. etc. TRIB. POT. II. IMP. IV. COS. II. PROCOS. P. P. Ordo CLUS. et : VIRG. DIAN. SACR. PRO SALUTE IMP. L. SEPT. SEV. etc. TRIB. POT. III. IMP. V. Ordo CLUS. ac : IMP. CÆS. etc. IMP. VIII. TRIB. POT. IV. LEG. VII. CLUS. Historiam nihilominus nostram auspicabimur a primo Severi anno, et TERTULLIANI jam Christiani ab anno illius tertio, dummodo quædam præmiserimus de ejus appellationibus Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI CARTHAGINIENSIS, et proinde de ipsius gente, familia, stirpe, parentibus, patria, institutione, studiis et scriptis adolescentiæ, vitæ statu, et ætate, quum Severus Imperium iniit.

§ III. *De ejus prænomine, nomine, cognomine et agnomine.* — 6. Porro Q. (quod auctori nostro tribuerunt jam olim Vincentius Bellovacensis, Trithemius, Politianus, et MS. cod.) Prænomen esse, norunt Antiquarii omnes, fortassis quod quinto loco natus esset, utpote quum Prænomina aut ab eventu, aut ab avis, proavis, seu atavis fere usurpari a Romanis soleant (in quorum locum hodie successerunt propria cujusque nomina) quale est et illud : QUINTA SEPTIMIA, quod inter prænomina feminarum ab Onuphrio recensetur. SEPTIMII, gentis est appellatio, quæ apud Romanos primum Regia, deinde plebeia, postremo Consularis fuit et Patritia. Imprimis enim invenitur : SEPTIMIUS MESIUS ÆQUICOLARUM REX, inde in variis Marmorum inscriptionibus, partim inter Epigrammata antiquæ Urbis, partim in Orthographia Aldi Manutii, feminarum appellationes : SEPTIMIA ANNIA, FL. HORATIA SEPTIMIA OCTAVILLA, SEPT. FELICISSIMA EURESIA, SEPT. SECUNDA, SEPT. EXORTA, et Ordinis Militaris virorum (quæ ad institutum magis faciunt) T. SEPTIMIUS FELICISSIMUS COHORTIS II. et L. FLAVIUS L. F. SEPTIMIUS AFER OCTAVIANUS C. V. TURM. II. EQUIT. ROM. X. VIR ST. LITIBUS JUDICANDIS; et L. SEPTIMIUS ANTIGONUS MIL. COH. VI. PR. et T. SEPTIMIUS C. F. SER. TIVIA TR. MIL. denique L. SEPTIMIUS SEVERIANUS, et SEPT. CARITO V. P. Consularium denique virorum sub Julio Cæsare Augusto P. SEPTIMIUS, Trajano Cæsare SEPTIMIUS AGNIDINUS V. C., AGENS PER HISPANIAS V. C. P. T. VICESACRA COGNOSCENS, sub Marco Imp. SEPTIMIUS SEVERUS, sub Imper. Vero L. SEPTIMIUS SEVERUS, M. SEPTIMII GETÆ F. postmodum Imperator, sub ipso illo Severo D. CLAUDIUS SEPTIMIUS ALBINUS, cum illo, uti supradiximus, Cæs. appellatus, P. SEPTIMIUS M. F. GETA illius frater, Q. SEPTIMIUS PLAUTIANUS Antonini filii ipsius socer, et (mirum de Antonino ejus filio majore natu, quod SEPTIMII appellationem prætermiserit.) P. SEPTIMIUS SEVERI AUG. F. GETA IMP. CÆS. AUG. De quorum gente an fuerit, etiam ipse Afer Auctor noster non ita constat, ipse interim sibi ipse, lib. de vel. Virg., cap. ult., num. 140, his verbis id nominis tribuit : *Pax et gratia a Domino nostro Jesu redundet, cum* SEPTIMIO TERTULLIANO, *cujus hoc opusculum est;* hinc, et a Lactantio Instit. divin. l. 5. c. 1. et a B. Hieron. 188. Epist. ad Fabiolam, SEPTIMIUS TERTULLIANUS appellatur; quibus etiam consentiunt Trithemius, Politianus, et MS. excusique hactenus codices omnes. FLORENTIS cognomen, familiam quidem certam

Digitized by Google

gentis Septimiæ significat, sed quæ apud Romanos fuit incognita; attribuitur tamen auctori non modo in excusis, sed et MS. cod. ac jam olim a Trithemio et Politiano. TERTULLIANI nomine præter alios qui illius mentionem faciunt scriptores omnes, non modo verbis jam citatis, sed etiam hisce scipsum appellat, *Tantum oro ut, quum petitis, etiam* TERTULLIANI *peccatoris menineritis*, et, *Memento in orationibus tuis* TERTULLIANI *ad hæc exhortantis*. Quod videtur derivatitium a Tertullo, sicuti Octaviani ab Octavio, et Septimii a Septimio, et stirpem significare familiæ Florentum. De qua fortassis est quæ extat Montuni ad S. Mauritium, ac Mediolani ad S. Victorem porta Vercellensi hæc inscriptio : C. SARTORIUS L. F. OVF. TERTULLIANUS VETERANUS LEG. XI. CURATOR CIVIUM ROMANORUM MOGUNTIACI, seu MUNGOTIARII. Hoc saltem constat ex Eusebii Chronico et B. Hieron. Cat. Scriptorum Eccles. TERTULLIANUM nostrum Afrum fuisse centurionis Proconsularis filium; quod etiam affirmant B. Isidorus, Ven. Beda, Nicephorus, Freculphus Lexoviensis, Marianus Scotus, Ado, et Vincentius Bellovacensis.

§ IV. *Cujus fuerit, qualisve ejus institutio, litterarum peritia ac scientiarum?* —7. Patriam Carthaginem indicat agnomen CARTHAGINIENSIS : in quo etiam illi consentiunt, quum dicunt *Provinciæ Africæ, Civitatis Carthaginiensis*, sicuti et B. Optatus Milevitanus lib. I. adv. Parmenianum, et nominatim Nicephorus, quum Carthagine in Africa ortum scribit. Quid? quod ipse Auctor id satis superque indicet (1) initio Libri de Pallio : *Principes* (inquit) *semper Africæ, viri Carthaginienses vetustate nobiles, novitate felices... Tamen et vobis habitus aliter olim.... Vobis vero post injuriæ beneficium..., post Gracchi obscœna omina..., post trinas Pompeii aras, et longas Cæsaris moras : ubi mœnia Statilius Taurus imposuit, solemnia Sentius Saturninus enarravit, quum concordia juvat, Toga oblata est... Pallium tamen generaliter vestram, immemores etiam, denotatis. Equidem haud miror præ documento superiore. Nam et Arietem illa dicitur Carthago, studiis asperrima belli, prima omnium armasse. Quum tamen ultimarent tempora patriæ* (en *patriam Carthaginem* vocat) *et Aries jam Romanus in muros quondam suos auderet, stupuere illico Carthaginienses ut novum extraneum ingenium. Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas. Sic denique nec Pallium agnoscitur.* Hæc paulo prolixius, ob opinionem A Vadiani, qui in Charta Palestinæ patriam illi assignat Municipium quoddam juxta Aras Philenorum fratrum.

8. Atqui TERTULLIANI qualis felix fuerit institutio, Libri ejus adversus Gentes testantur, qui (B. Hieron. teste Epist. ad Magnum) cunctam seculi continent disciplinam, e quibus vel solis constat omnes illum Auctores evolvisse, Historicos, Poetas, Grammaticos; de Jureconsultis vero res notior est quam ut probatione sit opus, de Medicis et Philosophis idipsum ex libro de Anima colligere est. Quorum omnium Catalogum in suas classes distributum reperiet Lector inter Indices nostros, tam Græcorum quam Latinorum. Hinc a Lactantio dicitur in omni genere litterarum peritus, ab Eusebio legum et rerum Romanarum peritia clarus, a B. Hier. acris et vehementis ingenii vir quo nihil eruditius, nihil acutius, a B. Augustino disertissimus, qui buccis sonantibus orationem inflaverit, a Nicephoro eloquentia admodum pollens, acris et ingeniosus admodum. Quæ omnia latius multo prosequitur Vincentius Lirinensis : « Hic (inquit) apud Latinos nostrorum omnium facile princeps judicandus. Quid enim hoc viro doctius? quid in divinis atque humanis rebus exercitatius? Nempe omnem Philosophiam, et cunctas philosophorum sectas, auctores assertoresque sectarum, omnesque eorum disciplinas, omnem historiarum et studiorum varietatem mira quadam mentis capacitate complexus est. Ingenio vero nonne tam gravi et vehementi excelluit, uti nihil sibi pene ad expugnandum proposuerit, quod non aut acumine irruperit, aut pondere illiserit? Jam porro orationis suæ laudes quis exequi valeat? Quæ tanta nescio qua rationum densitate conserta est, ut ad consensum sui, quos suadere non potuerit, impellat, cujus quot pene verba, tot sententiæ sunt, quot sensus, tot victoriæ. » Quanquam interim experientia ipsa convicti fateamur necesse sit, quod de eo scribit Lactantius, parum esse facilem, minus comptum, et multum obscurum, et juxta B. Hieronymum, crebrum quidem in sententiis, sed difficilem in eloquendo, ut non mirum sit, stylum ejus et aliorum etiam Afrorum facile potuisse discerni a Nepotiano (uti in Vita ejus testatur idem B. Hieronymus), Minutii Felicis dico, B. Cypriani, Arnobii, Lactantii, Victorini. Obscuritatis vero styli præcipuam causam annotavit alicubi Rhenanus, quod ex Græcorum Auctorum assidua lectione adeo Græcas loquendi formulas imbiberit, ut etiam Latine scribens, illarum oblivisci nequiret. Et vero scripsisse eum quædam in adolescentia, atque adeo ante fidem Christi susceptam, idem B. Hieronymus locuples testis est. Nam « est (inquit lib. 1. adv. Jovin.) hujus loci nuptiarum angustias describere, et quasi in communibus locis Rhetorico exultare sermone. Certe et TERTULLIANUS, *quum adhuc esset adolescens*, lusit in hac materia. » Cujus libri argumentum et titulum idem Epist. 22. ad Eustoch. recenset : « Si tibi placet (inquit) scire, quot molestiis virgo libera, quot uxor astricta sit, legas TERTULLIANUM AD AMICUM PHILOSOPHUM. » Quo fit ut castitatem, quam toto vitæ tempore

(1) Scripsisse videtur *Eusebius* Tertullianum fuisse Romanum et nobilem, Hist. Eccl. lib. II, cap. 2. Ταῦτα Τερτυλλιανὸς τοὺς Ῥωμαίους νόμους ἐκριβωκὼς, ἀνὴρ τὰ ἄλλα ἐνδόξος, καὶ τῶν μάλιστα ἐπὶ Ῥώμης λαμπρῶν. Quod tradit Tertullianum Romanum legum fuisse peritum, quosdam ad credendum induxit, eum auctorem fuisse Jurisconsultum, et revera quidam est Jurisconsultus ejusdem nominis; at constat alium esse a nostro Tertulliano, nec tradit *Eusebius* fuisse Jurisconsultum, sed legum Romanarum peritum. Quod de ejus Patria et nobilitate subjicit *Eusebius*, defendi nequit, ni de Romanis Scriptoribus capiatur, et sensus sit, Tertullianum unum fuisse ex Clarissimis latinis auctoribus. *Rufinus* hoc sensu hunc *Eusebii* locum accepit vertendo, *inter nostros Scriptores admodum clarus.*

Digitized by Google

usque adeo commendatam habuit, etiam jam inde ab illo observatam censeamus. Atque adeo non tam suo quam aliorum nomine, exempli gratia, dictum intelligimus illius Auctoris : « *Ego me scio neque alia carne adulteria commisisse, neque nunc alia carne ad continentiam eniti. Lib. de Resur. car. cap.* 59. »

§ V. *De ejus conversatione in gentilismo, de conjugio.* 9. Conjugium tamen iniisse TERTULLIANUM ex Libris duobus ad Uxorem perspicuum est : fortassis quod nondum sublatæ essent Papia, Poppæa et Julia leges, quæ liberos suscipi cogebant (uti ipse fatetur) et cælibes et orbos vetabant ex testamento solidum capere ; de quibus per Severum Imp. sublatis infra latius. Quarum legum constitutio præscribens matrimonii certam ætatem, utpote juxta Platonem anni XXXV, nostram confirmat conjecturam, quod ante fidem matrimonium contraxerit, quanquam tamen liberorum ejus nulla uspiam mentio. Scribitur autem a Tribemio apud Carthaginem aliquot annis Rhetoricam gloriose docuisse ; postea et Oratorem fuisse seu causarum Advocatum mox comprobabimus. Jureconsultum etiam fuisse constat ex variis quibus utitur phrasibus et JC. vocibus. Fortassis Romæ præceptore usus est Serbidio Scævola, et studiorum collega Severo Imp. et Æmilio Papiniano : ætate tamen minor Severo, qui natus fuit anno Domini CXLVI, ut quadragenarius fuerit initio Imperii illius. Inde enim ad finem usque Imperii ipsius et filii ejus Antonini Caracallæ, sub quibus Auctor floruit, anni efficiuntur XXIV. aut circiter ; et sic simul constituuntur LXIII. ætatis TERTULLIANI, a quo anno (quem climactericum vocant Medici) decrepita ætas, ad quam usque vixit, exordiri solet. Pro quo facit quod B. Hieron. et Nicephorus post mediam ætatem in hæresim Montani lapsum scribunt, nempe nostra quidem sententia circa annum ætatis ejus quinquagesimum tertium, anno Severi XV. toto ante obitum decennio. Verum de his plus satis. Jam ad Historiam pergamus annorum illorum XXIV.

Anno J. C. CXCIV.

10. Anno igitur Domini CXCIV, C. SOSIO FALCONE et C. JULIO ERUTIO CLARO COSS. Victoris, F. Felicis Afri, Romani Pontificis an. VIII. Imp. Cæs. L. Septimii M. F. Afri, P. Pertinacis Augusti anno I. TERTULLIANUS adhuc ethnicus causarum patronum agebat Carthagine ; quod comprobatur his ipsius verbis quæ sub Pallii persona de se scripsit jam Christianis factus : *Ego*, inquit, *nihil foro, nihil campo, nihil curiæ debeo, nihil officio advigilo, nulla rostra præoccupo, nulla prætoria observo, cancellos non adoro, subsellia non contundo, Jura non conturbo, causas non elatro. Plus togæ læsere Remp. quam loricæ* (*De Pall. c.* 5.). Certe ethnicum se fuisse ipse fatetur, agens de judicio extremo, vita et igne æternis, et suscitatione defunctorum : *Hæc*, inquit, *et nos risimus aliquando, de vestris fuimus. Fiunt, non nascuntur Christiani* (1). Apud auctorem vero quandam ad annum hunc pertinentia reperire est. Imprimis de cæde Imper. P. Helvii, P. F. Pertinacis occisi V. Kal. April. illud Apologetici : *Unde qui faucibus exprimendis palæstricam exercent ? Unde qui armati palatium irrumpunt, omnibus Sigeriis atque Partheniis audaciores? De Romanis, ni fallor* (*Apol. c.* 35.), utpote qui in foribus palatii ab armatis Prætorianis militibus interfectus sit, factione Læti præfecti prætorio ejusdem, cujus jussu Commodus Imper. non multo ante a Narcisso athleta, cum quo ille solebat in palæstrica exerceri, strangulatus fuerat. Deinde de Imper. Cæs. Pescennio Nigro, qui occiso jussu Senatus Imper. Cæsar. M. Didio M. F. Commodo Severo Juliano Augusto, exante diem Kalendas Maias Imperium invaserat, illud ejusdem loci : *Plane cæteri ordines pro auctoritate religiosi ex fide nihil hosticum* (*adversus Cæsarem*) *de ipso Senatu, de equite, de castris, de palatiis ipsis spirant. Unde Cassii et Nigri ?* Quorum prius ad Avidium Cassium refertur, qui ex familia Cassiorum C. Julii Cæs. interfectorum, et Antonino Pio et Marco ac Vero Impp. principatus extorquere conatus fuit ; alterum ad Nigri conspirationem adversus Severum Imp. *Jam et solemnia Cæsarum* (quæ etiam Kalend. Juniis in auguratione nova Severi, qui antea Idibus Maii ab exercitu Imperator dictus fuerat, celebrata sunt) ibidem in hæc verba describit : *Ergo die læto non laureis postes obumbramus, nec lucernis diem infringimus ?* et paulo post : *Ipsos Quirites, ipsam vernaculam septem collium plebem convenio ; an alicui Cæsari suo parcat illa lingua Romana ? Testis est Tiberis, et scholæ bestiarum. Jam si pectoribus ad translucendum quamdam specularem materiam natura ob duxisset, cujus non præcordia insculpta apparent novi ac novi Cæsaris scenam Congiario dividundo præsidentis etiam illa hora, qua acclamant : De nostris annis tibi Jupiter augeat annos?* Hoc enim indicant Herodianus l. 2. inter cætera scribens Milites Prætorianos relictis armis pomparum habitu laureatos processisse ; et Spartianus ac Fasti Consulares, dum 30. postquam in urbem venerat die, exante diem Kal. Jul. profectum scribunt Severum in Orientem contra Nigrum tyrannum, datis prius plebi *Congiario*, et Donativo Militibus ; denique et hac numismatis inscriptio : IMP. CÆS. L. SEPT. SEV. PERT. AUG. COS. LIBERALITAS AUG. quo pertinet etiam quod prætermittitur : *Focos et thoros in publicum educere*,

(1) Ipsemet suis diserte testatur Tertullianus verbis se una cum gentilium superstitionibus libidini inserviisse, in libro de Resurrect. cap. 59. : *Ego me scio, neque alia carne adulteria commisisse, neque nunc alia carne ad continentiam eniti* : quo etiam tempore spectaculis delectabatur, de quibus, *nulo*, inquit (*Tert., de Spect. c.* 19.), *non implere, quam meminisse*, id est, pauca de iisdem dicere, quam eorum, quæ vidi, meminisse ; ac libro de pœnitentia se omnium peccatorum maximum fuisse fatetur, lapsisque pœnitentiam suadens, ait (*Idem de Pœnitent. c.* 4. *et c.* 12.) : *eam tu peccator mei similis* (*imo me minor, ego enim præstantiam in delictis meam agnosco*) *pœnitentiam ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicui tabulæ fidens.* Cap. vero 12, de vita in vitiis transacta : *Quid ego ultra de istis* (id est, de pœnitentia), *peccator omnium notarum cum sim, nec ulli rei nisi pœnitentiæ natus.*

Digitized by Google

vicatim epulari, civitatem tabernæ habitu obole facere, vino lutum cogere. Ad hunc præterea annum pertinere censemus illud lib. ad Scapulam : *Ipse etiam Severus pater Antonini Christianorum memor fuit. Nam et Proculum Christianum, qui Torpacion cognominabatur, Euhodiæ procuratorem, qui eum per oleum aliquando curaverat, requisivit, et in palatio suo habuit usque ad mortem ejus : quem et Antoninus optime noverat Christiano lacte educatus* (*L. ad Scap. c.* 4.). Nam morbum illi gravem contigisse initio Imperii, ex Ælio Lampr. vel inde patet, quod quum filii sui id ætatis non haberent ut imperare possent, Severum id in animo habuisse scripserit, ut, si quid sibi forte humanitus accidisset, Niger Pescennius et Claudius Albinus succederent ; quorum ille occisus fuit anno sequenti. Et quum (sicuti infra latius) anno ipsius 4. Antoninus annum agens 13. Cæs. Aug. appellatus sit, oportebit huc referre quod de illius scribit educatione Auctor. Cui simile est illud de illo Spartiani : « Si quando feris objectos damnatos vidit, flevit, aut oculos avertit. Septennis puer, quum collusorem suum puerum ob Judaicam religionem gravius verberatum audisset, neque patrem suum, neque patrem pueri, neque auctorem verberum diu respexit » *Christiano vero lacte educatum*, ex eo confirmatur, quod Lugduni natus sit, ubi vigebat fides Christiana.

Anno Domini cxcv.

11. IMP. CÆS. L. SEP. SEV. PERT. AVG. II. ET D. CLAUDIO SEPT. ALBINO CÆS. II. COSS. anno 9. S. Victoris Rom. Pont. et ipsius Severi II. adhuc Carthagine causarum fuisse advocatum TERTUL. verisimile est. Ad hunc autem annum referri debet illud ipsius lib. ad Scapulam : *Sic et circa Majestatem Imperatoris infamamur, tamen nunquam Albiniani nec Nigriani vel Cassiani inveniri potuerunt Christiani ; sed iidem ipsi qui per Genios eorum in pridie usque juraverant, qui pro salute eorum hostias et fecerant et voverant, hostes eorum sunt reperti* (*Ad Scap.* 2.). Hoc enim anno Imper. Cæs. C. Pescennius Niger Justus August. occisus est apud Cyzicum, sive Isicum juxta Herodianum, quo facto mox Severus eos Senatores occidit qui Nigri partes secuti fuerant et cum Nigro militaverant Ducum aut Tribunorum nomine, aliosque omnes exceptis Militibus, quos impunitate proposita recepit ; Antiochenis privilegia, et Neapolitanis jus civitatis eadem de causa ademit. Aliquot deinde Barbarorum Reges (juxta Onuphrium), qui Nigro fuerant auxilio, a Severo victi sunt ; quare ipse IMP. II. III. et IIII. appellatus est : quos omnes Nigrianos Auctor noster appellat. Quod postremum confirmat nostram sent. de Arabibus, Parthis et Adiabenis hoc anno devictis ; atque adeo huc pertinent inscriptiones Nummorum et Marmorum antiquæ supra citatæ ; et proinde illud Auctoris : *barbari exclusi* (*De Pall. c.* 2.). Et vero Constitutiones his Coss. editæ titulo Severi et Antonini Augg. datæ v. Kal. Martii, xi. Kal. Maii, Nonis Julii vi. Kal. Oct. et xi. Kal. Novemb. confirmant quod supra diximus de Antonino Imp. consorte ab initio ; quæ extant Cod. Lib. 8. T. 14. l. 1. l. 6. T. 2, l. 2. lib. 2. Tit. 1. l. 2. lib. 2. T. 24. l. 1. et lib. 8. T. 16. l. 1. Ad hunc annum pertinere censemus, cujus ex Eusebio supra meminimus, bellum Judaicum et Samariticum, de quo etiam Freculphus Lexoviensis, unde et Judaicum (cognomen) ei oblatum fuisse. Quo videtur ex parte respicere Auctor de Judæis agens : *Dispersi* (inquit), *palabundi, et cæli et soli sui extorres vagantur per orbem, sine homine, sine Deo Rege, quibus nec advenarum jure terram patriam saltem vestigio salutare conceditur* (*Apolog. c.* 21.). Unde conjicio belli illius occasionem, quod Judæam vellent repetere, quia illis ab Hadriano Imp. interdictum fuerat. Huc etiam referendum quod scribit Niceph. Eccl. hist. l. 5, cap. 2. *Severi imperii initio satis bono loco res nostræ fuere, in diesque fidei professio augmenta sua cepit, eorum quos recensuimus Ecclesiasticorum doctorum scriptis atque doctrinis eam provehentibus, idque in maximis quibusque potissimum urbibus, nimirum Alexandriæ, Antiochiæ, Æliæ, et per Palæstinam omnem, Ephesi, Cæsareæ, et Occidentem versus, Thessalonicæ, Athenis, Corinthi, in Galliis, et Romæ maxime. Universæ enim multitudines et domus totæ ad fidem accedebant, quidvis facere et pati paratæ, quam ut quidquam contra religionem nostram agerent aut novarent.* Qua occasione etiam recensendi hic veniunt, quorum tum ille, tum Eusebius, meminerunt ; hujus ætatis Ecclesiastici scriptores, maxime quum ipsorum scriptis et doctrinis haud dubie acceptam debeat suam conversionem Auctor noster. Apud Alexandriam Demetrius Episcopus 12. ac Presbyteri Panthenus et ejus discipulus Clemens Alexand. Antiochiæ 9. Episc. Serapio, Hierosolymorum 34. Gordius, Cæsareæ Palæstinæ Theophilus, Ephesius Polycrates, Ponticus Palmas, Berillus et Bachilus Corinthii, in Africa Carthagine Agrippinus, Lugduni Galliarum S. Irenæus, Romæ denique S. Victor Pont. Atque adeo hinc confirmatur nostra ex MS. cod. lectio apud Auct. *Quales ergo Leges istæ, quas adversum nos soli exercent impii, injusti, turpes, truces, vani, dementes ; quas nullus Pius, nullus Verus impressit?* (*Ibid. c.* 5.) nempe usque ad id temporis quo Apologeticum edidit.

Anno Domini cxcvi.

§ VI. *Quandonam, quave occasione ac quibus momentis Christianus evaserit.* — 12. Q. FLAVIO TERTULLO SCAPULA et T. FLAVIO CLEMENTE COSS. S. Victoris Rom. Pont. anno x. et Severi iii. TERTULLIANUS fidei Christianæ, mea quidem sententia, nomen dedit (1), Imperio jam prorsus pacato, cum Severo im-

(1) Hanc Jac. Pamelii sententiam Petrus Allixius in dissert. de Tertull. vita et script. Paris 1680. et Tillemontius, mémoires, t. III. art. 2, p. 87. rejiciunt. Quidam, ut refert Cl. P. Berti, Dissert. Hist. tom. 2. sæcul. 3. dissert. 4. § 2. p. 415. ad fidem christianam conversum putant circa ea tempora, quibus scripsit librum de Pallio, post annum scilicet 208. Sed plura extant Tertulliani opera antea conscripta quæ nostram ab eo professam fidem exhibent. Ad annum 196 Tertulliani conversionem refert Fabricius, ad annum 170 Oudinus, ad annum 185 Caveus, hæsitantes tamen et solis conjecturis innixi. Vide Lumper, *ibid.* Edd.

Digitized by Google

perantibus Antonino ejus filio et Claud. Albino Cæsaribus, quod adeo *Triplex Imperium* vocat verbis supra citatis, quo Lectorem remittimus; complura enim illic reperiuntur quæ ad hunc annum pertinent. Id tamen non initio, sed sub hujus anni finem: *eradicato jam omni aconito hostilitatis* (*Ad Scap. c.* 3; *Apolog. c.* 23), utpote post excidium Byzantinum, quæ urbs, Herodiano, Zonara et Michaele Glyca testibus, post triennii obsidionem, cœptam anno I. Severi, adhuc vivente Nigro, tandem fame capta est, et libertate omni adempta Perinthiis (qui multa a Nigro passi fuerant), adjudicata est, etiam mœnibus eversis, in vici formam redacta. Cujus etiam Auct. meminit: *Cælius*, inquit, *Lapella in exitu Byzantino, Christiani gaudete, exclamavit* (*Ibid. c.* 19.). Occasionem suæ conversionis ipse, quantum apparet, indicat ex testimonio alicujus Dei qui a Christianis adjuratus dæmonem se confitebatur (*Ibid., c.* 20). *Hæc testimonia* (inquit) *Deorum vestrorum Christianos facere consuevcrunt, qua plurimum illis credendo, in Christo Domino credimus. Ipsi litterarum nostrarum fidem accendunt, ipsi spei nostræ fidentiam ædificant* (1). Neque tamen inde solummodo, sed et ex fide scripturarum sacrarum, quarum fidem dii suo testimonio approbant. Maxime quod illarum auctoritatem (vel ipso teste jam Christiano) summa antiquitas vindicaret, utpote quum: *omnes substantias, omnesque materias, origines, ordines, venas veterani cujusque styli, gentes etiam plerasque et urbes, insignes historiarum causas et memoriarum, ipsas denique effigies litterarum, indices custodesque rerum; ipsos Deos, ipsa templa et oracula et sacra unius Prophetæ Moysei scrinium seculis aliquot anteverterit.* Quum etiam illarum Majestatem divinam prædictionum veritas comprobaret: *Quidquid enim*, inquit, *agitur, prænuntiabatur. Quod terræ vorant urbes, quod insulas maria fraudant, quod externa atque interna bella dilaniant, quod regnis regna compulsant, quod fames et lues, et locales quæque clades, et frequentiæ plerumque mortium vastant, et quod etiam officia temporum et elementorum munia exorbitant, quod et monstris et portenti, naturalium forma turbatur, providenter scripta sunt* (Nempe Matth. 25). *Dum patimur, leguntur; dum recognoscimus, probantur.* De quibus omnibus latius et A l. de Pallio c. 2, et ejusdem Apolog. cap. 40, quo et ad Annotat. nostras Lectorem remittimus.

13. Hic duntaxat addemus, alludere illum inter cætera ad *luem* maximam Romæ et in multis Provinciis, ac terræ motum quo corruit Smyrna urbs Asiæ, quæ recenset Euseb. in Chronicis sub Marco et Vero Impp. et fulmen quod sub Commodo in Capitolium ruens Bibliothecam inflammavit, et bella ejus ætatis civilia, quorum jam meminimus. Item ad *famem*, de qua l. ad Scap. in hæc verba, (*L. ad Scap. c.* 3.): *Sicut et sub Hilariano præside, quum de arcis sepulturarum nostrarum acclamassent: Areæ non sint, areæ ipsorum non fuerunt; messes enim suas non egerunt.* Denique ad *portentum*, de quo ibidem: *Nam et sol ille in conventu Uticensi, extincto pene lumine adeo portentum fuit, ut non potuerit ex ordinario deliquio hoc pati, positus in suo hypsomate et domicilio.* (*L. de testim. animæ cap.* 1.). Et vero, scripta quoque multorum a Christo Patrum adv. Gentes conversioni causam dedisse sentimus, ad quæ alludit alibi: *Nonnulli*, inquit, *quibus de pristina litteratura, et curiositatis labor, et memoriæ tenor perseveraverit, opuscula penes nos condiderunt, commemorantes et contestificantes in suggillationem et originem et traditionem et sententiarum argumenta per quæ recognosci possit, nihil nos aut novum, aut portentosum, suscepisse, de quo non etiam communes litteræ ad suffragium nobis patrocinentur, si quid aut erroris ejecimus, aut æquitatis admisimus.* (*L. adu. Valent. c.* 5.). Inter quos commemorandi Quadratus, Aristides, Anaxagoras, Melito, Theophilus Antiochenus, Apollinarius, Tatianus, Clemens Alexand. et Apollonius Senator, denique ab Auct. alicubi citati *Justinus Philosophus et Martyr, Miltiades Eccles. Sophista, et Irenæus omnium doctrinarum curiosissimus explorator.* Quibus omnibus evolvendis et ante et post fidem susceptam ipsum allaborasse, vel ex Apolog. patet, in quo subinde illos ad verbum fere imitatur. His omnibus adminiculis ad Christi fidem conversus et jam initiatus, quum pallium Christianum indutus (sicuti antea etiam attigimus) inconstantiæ notaretur ab amico, quod *a Toga* transisset *ad Pallium*, Orationem habuit Carthagine (quam LIB. DE PAL. inscripsit), qua et Pallii vetustatem, simplicitatem, facilitatem, libertatem sine cura, Philosophicam gravitatem et sanctitatem commendat; et vitio sibi dari non debere variis exemplis ostendit, quod habitum verterit. Qua occasione et libidinum varia genera, quibus natura mutetur, et Matronarum cultum indecentem insectatur, et fori Judicum et militum vitiis, tum ambitioni et gulæ cauterem adigit. Atqui his Coss. data Constitutio Severi et Antonini v. Idus Martias, quæ extat D. Lib. 9, Tom. I. lib. I. iterum confirmat nostram sententiam de Antonino filio Imperii consorte.

Anno Domini CXCVII.

§ VII. *Unde suam hauserit omnimodam disciplinæ christianæ scientiam.* — 14. C. DOMITIO DEXTRO II. ET L. VALERIO MESSALA THRASEA PRISCO COSS.

(1) Quam oraculi responso tribuit Pamelius Tertulliani conversionem, eam visioni Georgius Ambianensis, uterque fabulam subodoratur. Ex ipsius auctoris testimonio tres præcipuas lubet eruere hujusce rei causas, nempe 1° invictam martyrum in crudelissimis tormentis constantiam. *Quisque*, inquit, *tantam tolerantiam spectans, ut aliquo scrupulo percussus, et inquirere accenditur, quid sit in causa, et ubi cognoverit veritatem et ipse statim sequitur.* Liber ad Scapul. cap. ultim. 2° Potestatem eorumdem stupendam in dæmones eorumque simulacra et oracula. *Quid isto opere manifestius? quid hac probatione fidelius? simplicitas veritatis in medio est: etiam de corporibus nostro imperio excedunt inviti et dolentes et vobis præsentibus erubescentes.* Apologet. XXIII. 3° Metum judiciorum divinorum. *Ad istam disciplinam*, ait in libro de Anima II. *metu prædicti judicii transvolamus.* Quibus et addas velim, quæ supra in Pamelio, auctoritatem scripturarum, divinamque prædictionum majestatem veritate comprobatam, imo et imperii calamitates eo magis sævientes quo vesanior in christianos immanitas grassaretur, ac demum rerum vi graves non secus ac verborum acumine Apologeticos sermones a pluribus qui ea Ecclesiæ tempestate florebant doctoribus evulgatos. EDD.

Digitized by Google

S. Victoris Papæ Romani anno II. et Severi IV. TERTULLIANUS jam Christianus quibus se occupationibus totum dediderit, scripta ejus, de quibus postea, olus satis suo confirmant testimonio. Ex quibus imprimis constat ita versatum fuisse in sacrarum lectione litterarum, ita memoriæ omnia et singula scripturarum loca commendasse, ut vel unica periodo subinde complura complexus sit; sicuti ex Scripturarum Indice nostro, collatione cum Auctore facta, facile est deprehendere. In illis autem citandis editionem sequitur ubique 70. Interpr. quod ad Vetus Instrumentum attinet, quod *per Esdram* (vel ipso teste) *constat restauratum* (*L. de Hab. mul. c.* 3. *Apolog. c.* 18), idque non in Pentateucho Moysi duntaxat, aliisque libris historicis, sed et in Prophetarum vaticiniis: *Quos enim* (inquit) *diximus prædicatores, Prophetæ de officio præfandi dicuntur. Voces eorum, itemque virtutes, quas ad fidem Divinitatis edebant, in thesauris litterarum manent, nec istæ nunc latent. Ptolemæorum eruditiss.* (*quem Philadelphum supernominant*) *et omnis litteraturæ sagacissimus, quum studio Bibliothec. Pisistratum* (*ut opinor*) *æmularetur; inter cætera memoriarum, quibus aut vetustas, aut curiositas aliqua ad famam patrocinabatur, eæ suggestu Demetrii Phalerii Grammaticorum tunc probatissimi, cui præfecturam mandaverat, libros a Judæis quoque postulavit, proprias scilicet atque vernaculas Litteras, quas soli habebant. Ex ipsis enim et ad ipsos semper Prophetæ peroraverant, scilicet ad domesticam Dei gentem ex patrum gratia. Hebræi retro, qui nunc Judæi. Igitur et litteræ Hebrææ, et eloquium. Sed ne notitia vacaret, hoc quoque Ptolemæo a Judæis subscriptum est, Septuaginta duobus Interpr. indultis; quos Menedemus quoque philosophus, Providentiæ vindex de sententiæ communione suspexit. Affirmavit hæc vobis etiam Aristæas. Ita in Græcum stylum ex aperto monumenta reliquit. Hodie apud Serapæum Ptolemæi Bibliothecæ cum ipsis Hebraicis Litteris exhibentur.* Quæ paulo prolixius citavimus, adversus eos qui auctoritatem 70. Interp. elevare non verentur (1). In Novo vero Testamento non tam Latinis Translatis, quam Græcis veteribus codicibus usum Auctorem, Græce doctissimum, ex versione ejus peculiari, ab aliis omnibus multum subinde diversa, manifestum fit; quam adeo discrepantiam in gratiam Professorum sacrarum Litterarum ubique annotavimus. Quam jam olim etiam indicavit B. Ambr. sive quisquis Auctor est Comment. in Epist. Pauli ad c. 5. Rom. « Constat (inquit) quosdam Latinos olim de veteribus Græcis translatis codicibus, quos incorruptos simplicitas temporum servavit et probat. Postquam autem discordia animis dissidentibus et hæreticis perturbantibus torquere quæstiones cœperunt, multa immutata sunt ad sensum humanum, ut hoc contineretur in litteris, quod homini videretur. Unde et ipsi Græci diversos codices habent. Illud autem verum arbitror, quando et ratio, et historia, et auctoritas observabatur. Nam hodie quæ in Latinis reprehenduntur codicibus, sic inveniuntur a veteribus posita, TERTULLIANO, Victorino, et Cypriano. » Hactenus ille. At qui versabatur præterea noctu diuque Auctor noster in perscrutandis non modo quos supra adduximus Apologiarum pro fide Christiana Auctoribus, sed et aliis haud dubie Scriptoribus Ecclesiast. præter Apollonium Senatorem et B. Victorem Græcis omnibus; Philonem dico, Josephum (quem vocat *Antiquitatum Judaicarum vernaculum vindicem*) (*Apolog. c.* 19. *l. de Præsc. adv. hæret. c.* 32. *l. adv. Valent. c.* 5. *carm. adv. Marc. c.* 9. *l. de Præsc. adv. hær. c.* 38. *t.* 1. *Apolog. c.* 35.), Appionem et Hegesippum, Judæos, Clementem Romanum, ac S. Polycarpum (quorum illum *Romanorum a Petro*, hunc *a Joanne Smyrneorum Episcopos ordinatos* agnoscit), S. Ignatium Antiochenum, S. Dionysium Areopag. Galliarum, Papiam Hierapolitanum Episcopos; Agrippam Castorem, Dionysium Corinthiorum, Plinitum ac Philippum Cretenses Episcopos; Musanum, Modestum, Panthenum Alexandrinum, Rhodonem Asianum, Serapionem et *Proculum* quemdam, quem vocat *eloquentiæ Christianæ dignitatem*, de quo postea latius; Sextum denique Appionem, Candidum, Arabianum, Maximum, et Heraclitum. Quibus adjicio primos illos cæteros. Pont. Rom. *in Petri cathedra successores*, quorum extant Decretales, quorumque *cum Lino et Cleto* Auctor meminit, *Anacletum*, *Evaristum*, *Alexandrum*, *Sixtum*, *Telesphorum*, *Hyginum*, *Pium*, *Anicetum*, Soterem item (quem, quod occasio sese non offerret, prætermisit) et *Eleutherum*, quem *Benedictum* nuncupat. Quos omnes Græce scripsisse, ex eodem stylo Latino, qui interpretis ejusdem videtur, censeo; ut pote, qui melius Græce noverint, sicut etiam S. Iren. quam Latine. Quo fit, ut (vel Rhenano annotante) nemo mirari debeat Græcam Auctoris loquendi consuetudinem, quum etiam si qui in Latinam linguam translati essent, mallet ex fontibus bibere (quod aiunt) quam ex lacunis. Atqui hoc primum anno quidam scribunt Idib. Maii die Natalitio Imperii a Severo Imp. appellatum Cæsarem Aug. filium ejus Antoninum apud Viminatium, priusquam in bellum contra Albinum proficisceretur. Verumtamen etiam ab initio Augustum olim fuisse nuncupatum,

(1) Dissertationem de varia et incerta Indole librorum Tertulliani Joh. Salomo Semler, vir tantisper consilii audax ac tritæ viæ non nihil impatiens, ad calcem suæ editionis in lucem protulit, ac imprimis videre est quo animi impetu hæc statuere audeat, nempe Tertullianum *nec adhibuisse græcos codices, nec adhibere voluisse*; totum vero in eo esse ut suam latinam cuilibet extraneæ lectionem anteponat, quasi *græci libri isto jam tempore fuerint* per hæreticos depravati; eoque facilius id in latinorum mente hæsisse, libris nempe latinis accedere præcipuam præstantiam; potiorem vetustatem, quod exemplaria latina antiquius *sua prima habeant initia et recentia rudimenta*; imo et superesse varias novas interpretationes et glossas quarum primus et certus auctor est Tertullianus, ab illoque in omnes codices latinos dimanavisse. Ut ut sit, sedulo cavendum est a duplici quem sibi proponit auctor iste scopo, vulgatam nempe sacrorum librorum lectionem diffamare, prætereaque asserere ex una eademque officina quosdam prodisse veterum libros, Irenæi videlicet, aut Clementis, nec jam satis esse causæ cur eos diversis auctoribus, utpote ab uno confectos, dividere amplius perseveremus. Vid. Tertull. opera recens. Semler, Halæ, 1828, t. V, p. 185-211.

EDD.

Digitized by Google

patet ex Rescriptis præcedentium annorum nomine Severi et Antonini Augg. Conspirationis interim Albini adversus Severum hoc anno factæ meminit etiam Auctor in hæc verba, *Unde Cassi, Nigri, et Albini.*

Anno Domini CXCVIII.

§ VIII. *Quandonam, et in qua rerum tempestate carmina quædam libaverit.* — 15. T. SEXTIO LATERANO ET M. MARIO M. F. CUSPIO RUFINO COSS. S. Victoris Rom. Pontif. anno 12. Severi Imp. v. TERTULLIANUM verisimile est memoriæ exercendæ gratia conscripsisse Carmine GENESIM ET SODOMAM, imo mea sententia integram sacrorum Bibliorum Veteris Testamenti historiam; ut pote quum et prius illorum mutilum sit, et ex initio posterioris satis videatur etiam descripsisse orbis universi diluvium; atque adeo etiam Carmen illud AD SENATOREM EX CHRISTIANA FIDE AD IDOLORUM SERVITUTEM REVERSUM, et libros quinque ADVER. MARC. carmine, ac DE *JUDICIO* DOMINI librum. Hoc vero anno ad XI. Kal. Martias Imp. Cæs. D. Claudius Septimius Albinus Augustus prælio ab Imp. Severo victus et occisus est, idque apud Lugdunum; quæ quod illum antea recepisset (Herodiano teste) et direpta et incensa est; in qua expeditione, uti ex variis Inscript. constat, Imp. VIII. IX. et X. appellatus est. Quo jamjam expugnato, omnes imprimis Galliarum, Hispaniarum, Britanniæque proceres qui illum juverant, deinde Romam reversus amicos ejus undique conquisitos, et inter eos Senatores 40. Severus interfici jussit, tum et eos omnes qui in Pertinacem conspiraverant: Quos adeo Auctor *Albinianos* appellat verbis supra citatis. Ad ann. Domini 195. et per aliquot annos perdurasse hanc illorum inquisitionem significat: *Sed et qui nunc*, inquit, *scelestarum partium socii aut plausores quotidie revelantur, post vindemiam parricidarum racematio superstes;* nempe, quantum apparet, ad triumphum usque Parthicum, atque adeo novum Severi annum, quemadmodum ibi latius. Alibi etiam ad Senatores occisos alludit: *Nemo non*, inquit, *etiam hominis causa pati potest quod in causa Dei pati dubitat. Ad hoc quidem vel præsentia nobis tempora documenta sint; quantæ, qualesque personæ inopinatos, Natalibus et Dignitatibus et Corporibus, et ætatibus suis exitus referunt, hominis causa: aut ab ipso, si contra eum fecerint, aut ab adversariis ejus si pro eo steterint.* (*Ad. Sc. c.* 2. *Apolog. c.* 35. *l. ad. Marc. cap. ult.*) Fuit autem dictorum consulum alter Lateranus tantopere amicus Severo Imp. ut illi magnificentissimas ædes Romæ ædificaverit, quas etiamnum Palatium Lateranense appellamus, quem postea scribit B. Hieron. Epitaphio Fabiolæ, Cæsariano obtruncatum gladio, fortassis Antonini Caracallæ, qui in plerosque amicos patris sui animadvertit. Atqui cum his Coss. scripta sit Epist. II. S. Victoris Rom. Pont. ad Afros Episcopos data Kal. Septemb. et Epist. S. Eleutherii Decessoris ejus. v. Id. Julii Materno et Bradua Coss. necessario hunc annum, non præcedentem XII. Pontif. ejus designavimus, maxime quod B. Damasius in Pont. sedisse Victorem scribat a Consulatu Commodi V. et Glabrionis (quibus Coss. XIII. Kal. Aug. data est prior ejus Epist. ad. Theoph. Alexand.), usque ad Lateranum et Rufinum. A Kal. autem Juniis dicti consulatus, quo die creatus Pont. usque ad v. Kal. Augusti anni sequentis, conficiuntur anni 12. mensis 1. dies 28. Is dicta 2. Epist. discrepantiam Afrorum in Sacramentis increpans, mihi videtur ad celebritatem diei Paschæ alludere (quam Epistola priori die Dominica celebrari debere, juxta quod et prædecessores sui statuerunt, mandaverat, quæcumque incideret a XIV. Luna primi mensis, usque ad XXI. in quo fortassis initio Afri quidam cum Polycrate Asiano contrariam sequebantur consuetudinem, quanquam postea in unum consenserint. Nam de Blasto hæretico quartodecimano, sic Auctor: *Est præterea his omnibus etiam Blastus accedens, qui latenter Judaismum vult introducere; Pascha enim dicit non aliter custodiendum, nisi secundum legem Moysi 14. mensis. Quis autem nesciat, quoniam Evangelica gratia evacuatur, si ad legem Christum redigit?* (*L. de Præsc. adv. hær. c.* 53, *hær.* 22. *l. de Jejun. c.* 14. *Ib. c.* 13.) Ad eamdem observationem pertinet illud ejusdem: *Pascha celebramus annuo circulo, mense* I; atque adeo etiam illud: *Aguntur præterea per Græcias illas certis in locis Concilia ex universis Ecclesiis.* Id enim etsi generatim loquatur, existimamus potissimum intelligi de Conciliis paulo ante celebratis Palestinæ a Theophylo Cæsariensi, Ponti a Palma, Corinthio a Bachylo, et Ecclesiarum apud Osroenum, Alexandrino quoque a Theophilo, denique Asiano, in quo scribit Niceph. hist. Eccl. l. 4. c. ult. Patres dictam sententiam B. Victoris Concil. Romani secutos esse, cui etiam consentit Concil. Galliarum sub Irenæo.

Anno Domini CXCIX.

§ IX. *De libris adversus Judæos in lucem editis.* — 16. T. HATVRIO T. F. SATURNIO, ET C. ANNIO APP. F. TREBONIANO GALLO COSS. S. Zephyrini Papæ Romæ I. ac Severi Imp. VI. videtur nobis contigisse discrepatio illa TERTULLIANI cum Judæo quodam, cujus occasione scripsisse se significat librum ADVER. JUDÆOS. *Proxime accidit*, inquit, (*l. ad. Jud. c.* 1.), *disputatio habita est Christiano et Proselyto Judæo. Alternis vicibus contentioso fune uterque diem in vesperam traxerunt. Obstrepentibus etiam quibusdam spectantibus, singulorum nubilo quodam veritas obumbrabatur. Placuit ergo, quod per concentum disputationis minus plene potuit elucidari, inspici curiosius, et lectionis stylo quæstiones retractatas terminare.* In quo inter cætera annotandum venit, quod de dilatatione fidei per universum pene orbem jam ab ea ætate pulchre deducit. *In quem enim*, inquit, *alium universæ gentes crediderunt, nisi Christum qui jam venit?... Parthi, Medi, Elamitæ*, etc. (*ibid., c.* 7.), sicuti legitur Act. 2. *et cæteræ gentes, ut jam Getulorum varietates, et Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, et Galliarum diversæ nationes,*

Digitized by Google

et Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita, et Sarmatarum, et Dacorum et Germanorum, et Scytharum, et abditarum multarum gentium, et provinciarum et insularum multarum nobis ignotarum, et quæ enumerare minus possumus; in quibus omnibus locis Christi nomen qui jam venit regnat? Est et illud de finibus Imperii Rom. tum temporis memoria dignum : *Germani adhuc usque limites transgredi non sinuntur. Britanniæ intra Oceani ambitum conclusæ sunt. Maurorum gens, et Getulorum barbaries a Romanis obsidentur, ne regionum suarum fines excedant. Quid de Romanis dicam, qui de legionum suarum præsidiis Imperium suum muniunt, nec trans istas gentes porrigere vires regni sui possunt?* Quod ipsum attingit de Germanis Herodianus, hist. l. 2. dum Severum electum dicit per exercitus omnes, qui pro ripis Danubii Rhenique coercendis barbaris excubantes Rom. tuebantur Imp. Et vero hunc annum 1. collocamus Pontif. S. Habundii Zephyrini Habundii F. natione Romani, quod defuncto S. Victore, postquam sedes vacasset diebus 12. ipse creatus fuerit 4. Idus Augusti, his ipsis Coss. vel Damaso teste, qui sedisse eum scribit temporibus Severi et Antonini, a Consulatu Saturnini et Galli, usque ad Præsentem et Extricatum Consules. Quomodo interim nondum incœpta persecutione Christianorum quinta inter Martyres S. Victor collocetur, difficultate non caret, quæ et Eusebium et alios Chronographos movit, ut in annum 8. et 9. aut. 10. Severi ejus Pontificatum protendant. Verum dicta mea et S. Damasi de utriusque temporibus sententia confirmatur per Epist. Decret. Zephyrini datas his ipsis Saturnino et Gallo Coss. priorem 12. Kal. Octob. posteriorem 7. Idus Novemb. et in primitiva Eccl. non fuit insolitum persecutionem a populo Rom. aut præfectis Urbis initium sumere. Quid? quod de hoc tempore id disertis verbis Auctor asserit: *Sed et clarissimas*, inquit, *fœminas et clarissimos viros Severus sciens hujus sectæ esse, non modo non læsit, verum et testimonio exornavit, et populo furenti in os palam restitit* (*Ad Scap. c. 4. Apol. c. 1. 2.*). Atqui ante annum sequentem oportet latam fuisse legem Divorum Severi et Antonini, ne quis absens puniatur, cujus fit mentio lib. 1. ff. de Requir. reis; nam ad eam haud dubie alludit in hæc verba Auctor; *Quid hic*, inquit, *Legibus deperit in suo regno dominantibus, si audiatur? An hoc magis gloriabitur potestas earum, si inauditam damnabunt veritatem?* et rursum : *quando nec liceat indefensos et inauditos omnino damnari.*

A

B

C

D

Anno Domini cc.

§ X. *De Apologetico, Testimonio animæ et Fato, adversus gentes, ac de* TERTULLIANI *sacerdotio, libriscque inde obortis de Pœnitentia, de Oratione, de Circumcisione, de Vestibus Aaron, de Mundis et immundis animalibus, de Trinitate, de Baptismo.*— 17. P. CORNELIO ANULLINO II. ET M. AUFIDIO. M. F. FRONTONE COSS. S. Zephyrini Rom. Pont. anno II. Severi Imp. VII. quum, Imp. cum filiis suis Antonino et Geta ante discessum suum declaratis Cæsaribus Augustis et Imperat. Congiario iterum populo dato et Donativo militibus, in secundum bellum Arabicum, Parthicum et Adiabenicum profecto (de quo supra latius) Antistites Romani Sacrorumque Pont. religionem Christianam initio sumpto a S. Victore Pont. persequi pergerent, TERTULLIANUS ad imitationem aliorum qui ante se id fecerant, et præsertim B. Justini Mart. APOLOGETICUM PRO CHRISTIANIS Romam misit, in quo, vel Lactantio teste, plene hanc causam peroravit. Jam ante tamen discessum suum multas Leges a Severo et emendatas et publicatas vel ipse auctor indicat : *Nonne*, inquit, *et vos quotidie experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis, totam illam veterem et squalentem sylvam Legum novis Principalium Rescriptorum et Edictorum securibus truncatis et cæditis? Nonne vanissimas Papias Leges* (ubi alludit ad Legem Papiam Poppæam, ita dictam a suis latoribus M. Papio M. F. M. N. Mutilo et Q. Poppæo Q. F. Q. N. Secundino Coss.), *quæ ante liberos suscipi cogunt, quam Juliæ matrimonium contrahi, post tantæ auctoritatis senectutem, heri Severus constantissimus Cæsarum exclusit?* (*Apol. c. 4.*). Quæ dictarum legum abolitio quomodo Severo possit attribui et tamen postea Constantino Imper. tribuatur, latius in Annotat. ad hunc locum nostris tractavimus; in quibus si placeat conjectura nostra de l. 1. D. de Stupro et adult. qua definitur etiam in sponsa stuprum et adulterium accusari et vindicari posse, oportebit eam Legem his Coss. latam fuisse. Et vero pro bello secundo Parthico nondum completo (quod his Coss. Cassiodorum etiam incœptum tradit) facit Auctor, dum inter hostes Imper. Romani enumerat *Mauros et Marcomannos, ipsosque Parthos* (*Ibid. c. 37.*). Iterum vero Christianæ fidei dilatationem his verbis celebrat : *hesterni sumus, et vestra omnia complevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, Senatum, Forum;* et paulo ante, quod anno præcedenti diximus de populari persecutione confirmat : *Quoties*, inquit, *etiam præteritos a vobis, suo jure nos inimicum vulgus invadit lapidibus et incendiis? Ipsis Bacchanalium furtis, nec mortuis parcunt Christianis, quin illos de requie sepulturæ, de asylo quodam mortis, jam alios, jam nec totos, avellant, dissecent, distrahant* (*Ib. c. 37.*). Eodem pertinet illud : *nec ulli magis depostulatores Christianorum quam vulgus*, et toties citata ab Auct. popularis vox illa : *Christianos ad leonem.* Complura sunt alia in Apologetico memoratu digna; sed ne hic prolixiores simus, ad Annotat. nostras Lectorem remittimus. Hic duntaxat addemus occasionem persecutionis ortam ex falsis calumniis, quas pulcherrime refutat, potissimum tribus infanticidii, sanguinis humani pabuli, et incesti : *Dicimur*, inquit, *sceleratissimi de sacram. infanticidii, et pabulo inde, et post convivium incesto; quod eversores luminum canes, lenones scilicet tenebrarum, tum et libidinum impiarum inverecundiam procurent* (*Ibid., c. 7.*).

Anno Domini CCI.

18. TI. CLAUDIO SEVERO (non autem severo Imp.

Digitized by Google

III. ut quidam non recte) ET C. AUFIDIO VICTORINO COSS. S. Zephyrini Papæ Romani anno III. Severi VIII: quanquam Imperatore absente adhuc in expeditione Parthica et Adiabenica, Arabibus et Persarum Rege Abagaro in deditione anno præcedenti receptis, persecutio Christianorum Romæ aliquantulum cessare videretur, fortassis Apologetici sui adminiculo; videns tamen Tertullianus et se et alios Scriptores Apologiis suis pro Christianis nihil aut parum profecisse ad conversionem Gentium; alio genere scripti eos aggressus, ab ipsa anima adhuc ethnica adversus idola testimonium flagitat; atque adeo librum de Testimonio Animæ inscripsit. In quo urget illas vulgi voces: *Quod Deus dederit; Si Deus voluerit; Benedicat te Deus; Deus videt omnia; Deo commendo; Deus reddet*; et, *Deus inter nos judicabit*. Fit mihi multum verisimile B hoc etiam anno conscriptum librum de Fato, cujus fragmentum unicum extat, et tamen ab ipso Auctore commemoratur in hæc verba: *Potestates enimvero præsunt: secundum nos quidem*, inquit, *Dominus Deus, et Diabolus æmulus; secundum communem autem opinionem et providentia, et Fatum, et necessitas, et arbitrii libertas. Nam hæc et Philosophi distinguunt, et nos secundum fidem disserenda suo jam novimus titulo.* Atqui in hunc annum etiam rejicimus statum vitæ novum Auctoris, quo in Presbyterorum ordinem (1) allectus sit, fortassis ab Agrippino Carthaginiensi episcopo (2). Eum enim alium fuisse ab Agrippino

(1) In Tertulliani equidem scriptis nullus est locus, ex quo concludi possit, eum in Ecclesia catholica fuisse Presbyterum. Locum quidem proferunt ex lib. de anima cap. 9, C ubi auctor de sorore quadam in extasim rapti, ac prophetare solita, loquitur. Ex quo loco elici, quanquam operose, posset, Tertullianum prædicasse (quod utique tunc non nisi Episcoporum, aut saltem Presbyterorum fuerat) in Ecclesia, sed nonnisi Montanistarum, in qua nimirum facile id juris erat, prophetiæ dona jactantibus, et Tertulliano maxime, quippe in cujus viri, alias celebratissimi, nomen ferme tota Ecclesiæ illius auctoritas jam incubuerat. Verum D. Hieronymus Tertulliano Presbyterale munus ita asseverat, ut nullus sit amplius dubitandi locus super.

(2) Hic porro Tertullianus cum divinis humanisque litteris apprime excelleret, Presbyter deinde est ordinatus, Romanæ an Carthaginensis Ecclesiæ, inter se veteres dissident, neque recentiores critici conveniunt; post Ceillerium (Rem. Ceillier. t. 2. Hist. génér. des auteurs, p. 376.) *Semlerus* communem hoc defendit opinionem, quod scilicet Romæ sit allectus inter Presbyteros sequentibus ex rationum momentis (Semler. tom. 5. opp. Tertull. dissertat. 1. in Tertull. § 2. pag. 222-227): *Tertullianus*, ut scribit Hieronymus, *usque ad mediam ætatem Presbyter Ecclesiæ* (Africanæ? an vero Romanæ? Romanæ putamus, ut statim pluribus illustrabimus) *permansit; postea vero invidia et contumeliis Clericorum Romanæ Ecclesiæ* (scilicet impetitus, atque ab ista Ecclesia expulsus), *ad Montani dogma delapsus est*, etc. Hæc narratio Hieronymi videri omnino potest historiam ipsi non ignotam involvere, etsi verbosius atque accuratius eam describere noluit. Nisi quidem putemus talia Hieronymum ipsum conjecturis reperisse, ex variis horum scriptorum locis; ut e libro *contra Praxeam*, ab initio, e quibus sententiis videri possit, quod *Tertullianus Romæ* et ipse tum fuerit, cum *Praxeas* Romam ex Asia veniens de *Montanistis* talia episcopo Romano narravit, ut hic statuerit, esse e re Romanæ Societatis ecclesiasticæ, si nihil commercii porro cum Montanistis contineatur. Scribit certe Tertullianus (Tertull. contra Praxeam. cap. 1.): «Episcopum Romanum, *agnoscentem* jam prophetias *Montani, Priscæ, Maximillæ*, et ex ea agnitione pacem Ecclesiis Asiæ, et Phrygiæ inferentem, falsa de ipsis prophetis et *Ecclesiis eorum* asseverando, et præcessorum ejus auctoritates defendendo, coegit et *litteras pacis revocare jam emissas* et a proposito recipiendorum charismatum concessare. Ita duo negotia diaboli Praxeas Romæ procuravit: *prophetiam expulit* (i. e. Montani sive Agrippa episcopo, cujus meminit sub M. Aurel. imper. Eusebius et Niceph. sub M. Anton. Philosopho Imper. Zonaras, sub Antonino Vero Uspergensis fautores, qui ibi apud Episcopum illas Ecclesias Asiæ commendatum ibant; quos inter haud dubie hic Tertullianus ipse fuit); *et hæresin intulit* (jam Tertullianus putat Romanam Ecclesiam ipsam in hæresin incidisse; itaque ab illa ipse secessit). Paracletum fugavit, et patrem crucifixit.» Addit luculenter paulo post: «Et nos quidem postea agnitio Paracleti atque defensio *disjunxit a Psychicis*» Hic, ut opinamur, non obscure indicat Tertullianus, quod antea cum istis Romanis in conjunctione ecclesiastica vixerit, quos hic nominat *Psychicos*. Ex isto igitur loco patuit Hieronymus ad historiæ instar reperire *invidia et contumeliis Clericorum romanæ Ecclesiæ factum esse*, ut Tertullianus ad Montanistas ipse transierit; nec enim ulla species historiæ accuratioris apud alios scriptores superest, quæ persuadeat nobis *Hieronymum* talia aliunde accepisse. Illud *expellere, fugare*, significat non obscure, *contumelia* affectum fuisse *ecclesiastica*, seu loco atque ordine sacro, Presbyteri scilicet, hunc scriptorem motum atque dejectum, a romanis Clericis, sic mitius loquitur Hieronymus; ab ipso enim Episcopo Romano id factum esse, Clericorum studiis improbis, facile intelligimus (*a*). Forte hanc causam postea licet diligentius excutere.

Hieronymum per *Ecclesiæ* Presbyterum, intelligere *romanæ* Ecclesiæ Presbyterum, vel ex *Euscbii* illa narratione, Lib. 2. Cap. 2. satis certum est. Ita enim ille de Tertulliano scribit: fuisse eum τῶν μάλιστα ἐπὶ Ῥώμης λαμπρῶν. Sed et clarissime ipse *Tertullianus* scribit, Romæ se vixisse (*b*): «Gemmarum quoque nobilitatem vidimus *Romæ*, de fastidio Parthorum et Medorum cæterorumque gentilium suorum coram matronis erubescentem.» Lubet addere hoc loco alias sententias, quæ id comprobant, Tertullianum in Ecclesia Romana vixisse Clericum. Huc maxime pertinet ille locus (Tertullian. De Præscript. Cap. 30.): «Ubi tunc Marcion, Ponticus Nauclerus, Stoicæ studiosus? ubi tunc Valentinus, Platonicæ sectator? Nam constat neque adeo olim fuisse illos Antonini fere principatu, et in catholicam primo doctrinam credidisse apud Ecclesiam *Romanensem*; donec sub Episcopatu Eleutheri Beneditti, ob inquietam semper eorum curiositatem, qua *fratres* quoque vitiabant, semel et iterum ejecti. Marcion quidem cum ducentis sestertiis suis, *quæ Ecclesiæ intulerat*; novissime in perpetuum discidium relegati, venena doctrinarum suarum disseminarunt. Postmodum Marcion pœnitentiam confessus, cum conditioni datæ sibi occurrit, ita pacem recepturus, si cæteros quoque, quos perditioni erudisset, *Ecclesiæ* (scil. *Romanæ*) restitueret, morte præventus est.» Hic satis patet, eum, qui hæc tam accurate sciret, fuisse *Romæ* ipsum; fuisse inter Clericos, qui rebus istis sic gestis interfuerant. Nempe si adhuc Romæ fuisset, cum hunc librum scripsit, illam sententiam, apud Ecclesiam *Romanensem* non sic perscripsisset, quasi ipse non sit apud istam Ecclesiam; fuit igitur jam *Roma* expulsus, et vixit in *Africa*. Id clarius patet ex capite 36. hujus ejusdem Libri: «*Percurre Ecclesias apostolicas* — proxima est Achaia. Habes Corinthum — si autem Italiæ adjaces, *habes Romam*; unde *nobis quoque* auctoritas præsto est. Nempe Africanos describit, latina lingua utentes. — Ista Ecclesia (Romana) — videamus, quid didicerit, quid docuerit, cum *Africanis quoque Ecclesiis contesserarit*.» Hic est longe clarissimum, scriptorem jam in *Africa* versari, cum hæc scribit; cum igitur antea oportet Romæ fuisse, in ista Ecclesia *Romanensi*, inter Clericos; neque enim scire istas ecclesiasticas interiores res atque historias potuerant alii, quam Clerici. Hujus generis sunt et plurima alia, τοπικά, historica et politica, quæ hominem Romæ multum versatum inter alios Clericos facile produnt. Hæc Semlerus pro Presbyteratu Tertulliani Romano. Dupinius, Schroeckius oppositam propugnant sententiam. Sed, ut mihi videtur, nec horum criticorum sat firma; siquidem unice innititur testimonio Prædestinati auctoris, cujus apud plerosque eminentioris naris criticos, propter innumeros errores, vix ulla est auctoritas. Verum nostra parum interest, an Romæ vel Carthagine, vel ut mavult Cl. Jo. Georg. *Walchius* (*Jo. Georg. Walch.* Hist. Eccl. Sect. II. Cap. I, pag. 645.), nullius certæ Ecclesiæ fuerit Presbyter.

(*a*) Cum Hieronymus istum *Catalogum* scripserit serius, istam in Romanos clericos sententiam, sine veræ historiæ luce, ipse scripsisse videtur, ut se ulcisceretur ab eis, quorum maligna judicia, post *Damasi* mortem, ipse experius fuerat.

(*b*) De cultu feminar. libr. 1. cap. 6. His locis jam usus est *Ceillier* (Histoire générale des auteurs ecclésiastiques, Tome 2. pag. 376) contra *Prædestinatum*, qui Tertullianum adversus *Montanistas* scripsisse dicit, presbyterum *Carthaginensem*.

Digitized by Google

Abbas; inde mihi videtur, quod B. Cyprianus Epist. 70 ad Januar. ex antecessoribus suis Agrippinum fuisse significet, et B. Augustinus lib. 2. contra Donatum cap. 7. ipsum B. Cypriani prædecessorem nuncupet. Maxime cum alia esset ab Africa Ægypti provincia, in qua Alexandrinus ille episcopatum agebat, et B. Cypr. Epist. 71. ad Quintum scribat Agrippinum bonæ memoriæ virum cum suis coepiscopis (quos etiam antecessores suos nuncupat Epist. 70), decretum de hæreticis baptizandis fecisse. Et vero statim accepto sacerdotio continuisse Auctorem a matrimonii usu pari consensu cum sua conjuge, mihi fit verisimile ex consuetudine Ecclesiæ latinæ, jam inde a decreto S. Clementis PP. maxime cum propendere eo videantur hæc ejus ad Uxorem verba : *Ne me putes propter carnis tuæ integritatem mihi reservandam de contumeliæ dolore suspectum, insinuare jam hinc tibi viduitatis consilium* ; item : *Tempus*, inquit, *in collecto est ; superest ut qui matrimonia habent, tanquam non habentes agant. Quod si habentes, oblitterare debent quod habent, quanto magis non habentes ?* (*Ad Uxor. c. 1. c. 5. et 6.*) Certe id multis eo tempore fuisse usitatum ibidem indicat : *Quot enim sunt*, inquit, *qui statim a lavacro carnem suam obsignant ? Quot item, qui consensu pariter inter se matrimonii debitum tollunt ? Voluntariis spadonibus, pro cupiditate cœlesti, salvo matrimonio, abstinentia toleratur* (*De Bapt. c. 15. t. I. ad Scap. c. 3.*) (1). Jam vero Presbyter factus, potestatis sibi concessæ et de absolvendis Pœnitentibus, et de sacrificiis offerendis haud immemor, libros DE PŒNITENTIA ET DE ORATIONE conscripsit, quibus et pœnitendi modum tum Catechumenis, tum Christianis Lapsis, et quos ritus servare debeant in sacrificio fideles, præscribit. Possunt etiam in hunc annum rejici scripta, quorum B. Hieron. meminit hodie desiderata : DE CIRCUMCISIONE, DE VESTIBUS AARON, DE MUNDIS ET IMMUNDIS ANIMALIBUS ; denique de TRINITATE ; fortassis etiam liber DE BAPTISMO græcus ; utpote qui videatur conscriptus post Concilium Agrippini. Nam ejusdem fuisse argumenti Auctor indicat : *Sed circa hæreticos sane*, inquit, *quid custodiendum sit, digne quis retractet. Ad nos enim editum est. Hæretici autem nullum habent consortium nostræ disciplinæ*, etc. *Sed de isto plenius jam in Græco digestum est.* Verum de hoc et Agrippini, et ipsius Paradoxo inter Prolegomena latius. Porro hoc anno etiam oportet contigisse, quod scripsit lib. ad Scapulam anno seq. *Cæterum et imbre anni præteriti, quid commeruerit genus humanum apparuit ; cataclysmum scilicet et retro fuisse propter incredulitates et iniquitates hominum.* Fortassis et illud : *Et ignes qui super mœnia Carthaginis proxime pependerunt per noctem, quid minati sint, sciunt qui viderunt, et pristina tonitrua quid sonarint, sciunt qui obduruerunt. Omnia hæc signa sunt imminentis iræ Dei, quam necesse est, quoquo modo possumus, ut et annuntiemus et prædicemus, et deprecemur localem esse. Universalem enim et supremam suo tempore sentient, qui exempla ejus aliter interpretantur.*

Anno Domini CCII.

§ XI. *De aliis bona fide scriptis ad Scapulam, ad martyras, de Patientia, de Præscriptionibus adversus hæreticos.* — 19. L. ANNIO FABIANO, ET M. NONIO M. F. MUTIANO COSS. S. Zephyrini Pontificis Romani anno III. Severi Imper. IX. quum Scapula vir Consularis Ordinis, Præses Carthaginis, et proinde Africæ Proconsul, nondum adhuc decreta ab Imperatore persecutione, imo fortassis Romæ prohibita, crudelius tamen cæteris Carthagine grassaretur in Christianos, librum AD SCAPULAM scripsit TERTULLIANUS (*Ad Scap. c. 2. Ibid. c. 3. Ibid. c. 4.*). In quo imprimis benevolentiam captat a Christianorum innocentia, et non solum oratione, sed et sacrificiis suis pro salute Imperatoris, ex quo jam Presbyterum fuisse constat. Deinde sanguinis Christiani effusioni imputat *portenta* ejus temporis *et exitium Byzantinum*, quorum ante mentionem fecimus, et exempla punitionis affert, tum *Valgii Saturnini, Hilariani*, et ipsius *Scapulæ in Africa ;* tum *Claudii Herminiani in Cappadocia*, Persecutorum fidei Christianæ. Post hæc hortatur ad dissimulationem ab hujusmodi causis, exemplis tum *Severi et Antonini* Impp. supra adductis, *M. Aurel. Imp. in expeditione Germanica ;* tum Præsidum et Proconsulum *Servilii Prudentis* sub Antonino Vero Imp. *Vespronii Candidi* sub Imp. Commodo, *Cincii Severi*, qui postmodum a Severo Imp. interfectus est, *Apri* quoque *et Arii Antonini* (hic a Lampridio Arius, ab aliis Brusius Præses appellatur) qui sub Anton. Imper. Consules fuerunt. Denique conqueritur quod, quum a *primordio mandatum sit gladio tenus animadverti*, et id observaretur a *Præsidibus Legionis et Mauritaniæ*, jussu ipsius Scapulæ etiam *cremarentur* Christiani. Quo pertinet et illud Apolog. *Surmentitios et Semaxios appellatis, quia ad stipitem dimidii axis revincti sarmentorum ambitu exurimur.* Ubi etiam recenset illud damnationis genus, quod ad *Lenonem damnata fuit Christ. potius quam ad leonem* (*Apol. cap. ult.*). Idem libro AD MARTYRAS in carcere constitutos, quem eadem tempestate conscripsit, præter *gladium et summam ignium pœnam*, addit etiam : *trucem rabiem bestiarum, et omne carnificis ingenium in tormentis* (*Lib. ad Mart. c. 4.*). Ubi etiam meminit consuetudinis, qua

(1) *Tertulliani* Matrimonium supra dubitationem positum est. Rem conficiunt, uti jam diximus, libri ejus ad uxorem, usque ad hanc ætatem conservati. An autem Sacerdotali munere fungeretur eo tempore, quo ad continentiam in viduitate servandam iis libris uxorem hortatus est, inter se scriptores dissident. A maritali autem officio eum tunc omnino non abhorruisse, hæc verba indicant : *Facultatem continentiæ, quantum possumus, diligamus : quam primum obvenerit, imbibamus, ut quod in Matrimonio non valuimus, in viduitate sectemur* (*l. I. ad Uxorem, c. 7.*). Et sane non dixisset : *quod in matrimonio non valuimus*, si perpetuam in eo continentiam sibi injunxissent, ut bene observat Cl. *Samuel Basnagius* (*Annal. politico-eccles.*, t. II. p. 215.). Quare continentiæ vinculis, tunc temporis Presbyteros nondum adstrictos fuisse, nonnulli contendunt : sed quamvis id verum esset, quod adhuc non constat ; inaniter tamen *Tertulliani* exemplo cum *Dallæo* Novatores triumpharent, catholicæ Ecclesiæ insultantes, quod Sacerdotibus continentiam præcipiat. Nam cum moribus magis, et usu, quam legibus continentiæ disciplina inducta fuerit, uno, aut altero ejus ætatis exemplo nullatenus impugnatur.

Digitized by Google

pacem in Ecclesia non habentes, ut pote lapsi, *a Martyribus in carcere exorare consueverunt* (*c.* 1.), quam etsi sub finem vitæ jam hæreticus non probet, in Ecclesia permansit usque ad B. Cypriani tempora, juxta quod tractavimus in Vita illius latius. Eadem omnia Martyrum supplicia repetit libro DE PATIENTIA (*L. de Patient. c.* 13. *l. ad Scap. c.* 3., *l. de hær. mult. c.* 7.), quem etiam hujus persecutionis occasione conscripsit. Ubi fugam quoque in persecutione patientiæ bono imputat, atque adeo nondum Montanistis addictus fuit, ex quorum sententia librum de Fuga in persecutione contrarium postea, sed frustra scripsit. Et vero sub *Scapula damnatum* fuisse *ad bestias S. Manilium Adrumeticum*, disertis verbis attestatur Auctor. Porro Romæ hoc anno fuisse Auctorem ex illis verbis apparet : *Gemmarum quoque nobilitatem vidimus Romæ, de fastidio Parthorum et Medorum, cæterorumque gentilium suorum coram matronis erubescentem, nisi quod nec ad ostensionem fere habentur. Latent in singulis smaragdi, et cylindros vaginæ suæ solus gladius sub sinu novit, et in peronibus uniones emergere de luto cupiunt.* Quod factum interpretamur in triumpho Severi Imper. de quo in Fastos Consulares hujus anni sic relatum invenimus : IMP. CÆS. L. SEPTIMIUS M. F. SEVERUS, PIUS, PERT. AUG. ARABICUS, ADIABENICUS, PARTHICUS, MAXIMUS, PONT. MAX. TRIB. POT. VIII. COS. II. P. P. PROCOS. IMP. XI. ET IMP. CÆS. M. AURELIUS, SEV. AUG. F. ANTONINUS, PIUS FELIX, AUG. TRIB. POT. III. COS. DESIGNATUS IMP. UNA DE ARABIBUS, PARTHEIS, ADIBENEIS Q. ET REGE ARTBANO, TRIUMPHARUNT. Cujus triumphi etiam meminerunt Spartianus et Herodianus. Facit pro hac nostra sententia, quod etiam morem in Triumphis usitatum describat Auctor tanquam testis oculatus : *Hominem*, inquit, *se esse etiam triumphans in illo sublimissimo curru, admonetur. Suggeritur enim ei a tergo : Respice post te, hominem te memento* (*L. Apol. c.* 33.).

A imitatus, quanquam ordine temporum non satis observato, quem nos adeo, quantum fieri potuit, expressimus. Imprimis *Judaismi* 1. *hæreticorum* genera quatuor, *Dositheum Samaritanum*, *Sadducæos*, *Pharisæos et Herodianos*. Deinde eos 2. *qui ex Evangelio hæretici esse voluerunt* (*C.* 46. *hær.* 1. 2. 5. 10. *et* 11), in universum numero XXV. *Simonem Magum*, *Menandrum*, *Nicolaum*, *Cerinthum et Hebionem* (*C.* 46. *hær.* 3. *et* 4. *et cap.* 47. *hær.* 6. 7. 8. *et c.* 48. *hær.* 6.), qui sub Apostolis suas sparserunt hæreseis, atque adeo sub Tiberio, Claudio, Nerone, et Trajano. Item 3. *Saturninum et Basilidem*, *Ophitas*, *Caineos*, *Sethoitas*, *et Carpocratem*, sub Apostolorum discipulis usque ad Hadrianum Imperatorem. 4. *Valentinum* deinceps, ejusque asseclas *Ptolomæum ac Secundum*, *Heracleonem*, *et Marcum ac Colorbasum*, quorum coryphæum illum *in Catholicam primo doctrinam apud Romanenses credidisse sub Hygino Papa*, *Antonini fere Principatu* tradit Auctor, *et sub Episcopatu Eleutheri ob inquietam semper curiositatem*, *una cum Marcione semel et iterum ejectum esse ab Ecclesia* (*Ibid. c.* 30. *c.* 49. *hær.* 12. 13. 14. 50. *hær.* 13. *Ibid. c.* 51. *hær.* 16. 17. 18. *et* 19. 6. *Ibid. c.* 52. *hær.* 20. 7. *Ib. hær.* 21. *c.* 53. *hær.* 22. 23. 24. *ac* 25. 9. *Ib. c.* 3. 10. *Ib. c.* 30. *de Spect. c.* 27. *Ibid. l. de Idol. c.* 25.); sectatores vero ejus sub Piis Pont. et Imper. 5. *Cerdonem* deinde ejusque discentem *Marcionem*, illiusque ex discipulis magistros *Lucanum et Appellem*, quorum prior cum Valentino cœpit, Marcion et alii sub Aniceto, Sotere, et Eleuthero, Imperantibus Pio et Aurelio. 6. *Tatianum* post hæc, quem etiam scholam suam erexisse scribit Clemens Alexand. sub annum XII. Antonini Pii. Quid? quod *Cataphrygas* quoque, in quorum hæresim postea incautus incidit, *hæreticos* nominatim appellet, 7. *quorum quidam dicuntur κατὰ Proclum* (de quo infra latius), *alii secundum Æschinem*, quibus non modo hæresim, sed *et blasphemiam* impingit, *qua in Apostolis dicebant Spiritum sanctum fuisse*, *Paracletum non fuisse*, *et Paracletum plura*, *meliora atque majora in Montano dixisse*, *quam Christum in Evangelio protulisse*, de cujus temporibus mox latius 8. *Blastum* denique, de quo supra; *Theodotum Byzantium* ac *Theodotum Coriarium Melchisedechianum* sub S. Victore Pontifice, et Commodo Imperatore, et *Praxeam* de quo postea, ac *Victorium* qui illius hæresin corroborare conatus est. Fit eodem lib. etiam mentio ex Apost. Paulo aliorum hæreticorum, nempe 9. *Phygelli et Hermogenis*, *Hymenæi et Phileti*. Item 10. *Nigidii*, *nescio cujus*, *et Hermogenis*. Sed de hoc quoque paulo post latius. Porro ad eodem anno indictam persecutionem Christianorum a Severo Imp. alludit Auctor in hæc verba de Amphitheatro loquens : 12. *Illic quotidiani in nos leones expostulantur*, *inde persecutiones decernuntur*, *inde tentationes emittuntur.* Item illud : *Scire volunt scilicet tempus persecutionis*, *et locum tribunalis*, *et personam præsidis.* Aliaque complura in lib. quos infra recensebimus. Hic duntaxat probavimus, non in annum VII. aut XI. sed in

Anno Domini CCIII.

20. IMP. CÆS. L. SEPT. M. F. ARAB. ADIAB. PART. III. ET IMP. CÆS. M. AUREL. SEV. AVG. F. ANTONIN. AVG. COS. Sancti Zephyrini Papæ Romani anno IV. ipsius Severi Imper. X. aut certe præcedenti, jam grassantibus non solum antiquis, sed et recentioribus aliquot hæresibus vel in ipsa Africa, edidit TERTULLIANUS vere aureum illud opus DE PRÆSCRIPT. ADVERS. HÆRETICOS, utpote quod ante alios omnes scriptum ejusdem argumenti libros, ex his Auctoris verbis constat : *Sed nunc quidem generaliter actum est a nobis adversus hæreseis omneis, certis et justis et necessariis præscriptionibus repellendas a collatione scripturarum. De reliquo, si Dei gratia annuerit, etiam specialiter quibusdam respondebimus*, (*L. de Præscr. adv. hær. c.* 45. *n.* 293 *et* 294.). In eo sub finem Catalogum hæreticorum recenset, qui ad id temporis Ecclesiam dilacerarunt, Beatum Irenæum

Digitized by Google

hunc potius x. imperii Severi annum referendum A dictæ persecutionis initium. Imprimis B. Hieron. Cat. Script. Eccles. in Origene et post eum Sophronius ac Nicephorus Græcus scribunt, x. Severi Pertinacis anno adversus Christianos persecutione commota, Leonidem ipsius Patrem, Christi martyrio coronatum; ille vero inter primos martyras recensetur ab Eusebio hist. Eccles. lib. 5. qui Alexandriæ, ubi maxime persecutio abundat, passi sunt. Deinde Judas ad hunc usque annum Chronographiam perduxit; quod instare putaret adventum Antichristi ob hanc persecutionem gravissimam. Denique disertis verbis Spartianus significat, non nisi post Consulatum cum filio in Syria initum (qui in hunc annum incidit) Alexandriam profectum, peregrinatione ea suscepta propter religionem Dei Serapidis: in quo (inquit) B itinere, Judæos fieri sub gravi pœna vetuit; idem etiam de Christianis sanxit. Qua persecutione passi sunt quam plurimi martyres Alexandriæ sub Læto præfecto; ac in Ægypto, Libya et Thebaide sub Aquila tyranno, in Gallis denique SS. Irenæus, Andeolus, Benignus, Andochianus, et Tyrsus. Porro ad hunc annum referunt plerique inscriptionem illam: M. AGRIPPA L. F. COS. III. FECIT, IMP. CÆS. M. AUR. ANTON. COS. PANTHEON. VETUSTATE CORRUPTUM CUM OMNI CULTU RESTITUERUNT. Quod nunc adducendum putavimus ad memoriam Ecclesiæ.

Anno Domini CCIV.

§ XII. *De Baptismo adversus Quintillam.* — 21. P. C SEPTIMIO M. F. GETA, ET L. SEPTIMIO PLAUTIANO II. COSS. S. Zephyrini Pontificis Romani anno v. Severi Imper. XI. etsi persecutione jam vigente, non tamen destitit TERTULLIANUS a scribendis adversus hæreseis libris. Inter quos primo loco collocandum censemus DE BAPTISMO ADVERSUS QUINTILLAM, utpote quem scriptum constat antequam aliquo modo ad hæresim propendere cœpisset, ex eo quod factionis fuerit Montanistarum *Quintilla*, a qua dictos Quintillianos ex Epiphanio illic deduximus. An aliud quid *adversus Montanum* ipsum scripserit Auctor, non æque probari potest, sed verisimile fit, tum ex illius B. Augustini verbis lib. de hæres: « Ad Cataphrygas transiit, quos ante destruxit, » tum maxime ex Niceph. lib. 4. cap. 34. D qui tradit Auctorem ad statam mediamque ætatem in Ecclesia Catholica Presbyterum plura adversus *Montani* dogma conscripsisse, postea vero in illius delapsum errorem, plures rursus libros pro illo composuisse. Qui quum *Montani* hæreseos historiam lib. ejusdem c. 18. 20. 22. 23. 24. et 25. late tractet, ex Apollinari Hierapolitano, Rhodone, Miltiade, Serapione et Apollonio, qui adversus illum scriptis suis disputarent, secutus Euseb. lib. 5. cap. 3. 4. 14. 15. 16. 17. et 18. nos (præter ea quæ ad lib. de Præscript. advers. hæret. annotavimus) eam, uti promissis satisfaciamus, in compendium hic redigendam putavimus (*Lib. de Baptis. n.* 2.).

Excursus fit in Montanismum quem scriptis primo lacessit TERTULLIANUS. — 22. Pagus quidam esse dicitur in Mysia Phrygiæ, quæ nuncupatur Ardabam, ubi ferunt quemdam *Montanum* nomine (*Lib. de Præscr. adv. hær. c.* 52. *hær.* 21), qui nuper ad fidem venerat, Grato tum Proconsule Asiæ, primum insatiabili quadam animi cupiditate in primatu ambiendo incensum, simul atque aditum diabolo ad se patefecerat, spiritu quodam maligno abreptum, et de repente furore et mentis insania exagitatum, peregrinas quasdam voces fundere, et contra quam Ecclesiæ consuetudo ex traditione et successione Apostolorum derivata postulabat prophetare cœpisse. Quas etsi adulterinas voces quidam agnoscentes, ne deinceps ita garriret, increparent, inter quos Episcopi Zoticus Comanæ sive Ostrenus, et Julianus Apameæ, et Martyres quoque Gajus et Alexander cum illo sensu ejusque insanis vatibus *Maximilla et Priscilla*, quas antea meretrices eodem spiritu dæmon impleverat, ad extremum usque spiritum communicare recusarent: pauci tamen ex Phrygibus illi cœperunt adhærere, et Theodotus ille, de quo supra, ejus commentitiæ Prophetiæ quasi procurationem suscepit. Qui inde in Galatiam, Pontum et Asiam, progressi, etiam Alexandrum quemdam sibi adjunxerunt convivio familiariter a Maximilla excipi solitum, Alcibiadem quemdam et Themisionem, qui falso se confessores et Martyras Christi jactitabant. Idque (vel B. Hieron. cum illis consentiente) sub Imperio M. Aurelii Imperatoris initio. Pontificatus S. Eleutherii. Nam ad hunc ex Galliis litteras tulerat B. Irenæus, a Lugdunensibus cum litteris S. Attali, aliorumque Martyrum tum adhuc carcere conclusorum, in Asiam et Phrygiam missus, uti judicium Ecclesiæ Gallicanæ de Pseudoprophetia illorum eo perferret. Idem etiam, mea quidem sententia, *Romanus Episcopus litteras pacis, prædecessorum suorum auctoritate nixus, illis recusavit* (*Tom.* 3. *lib. ad Praxeam. c.* 1.). An ad hoc cooperatus fuerit Praxeas tunc adhuc Catholicus, penes auctorem fides esto. Certe non solum Romæ et in Galliis Episcopi, sed etiam qui Asiam incolebant sæpenumero et multis in locis in unum convenientes, Prophetiam illorum falsam explorarunt, detestabilem ostenderunt, et Montanistas communione privarunt. Et vero Montanus insanæque ejus prophetides in Judæ mortem suspendio interierunt, non Martyrio; et Alexander ille Ephesi ab Æmilio Frontino Proconsule propter latrocinia in judicio condemnatus, quum falso se Martyrem prætexuisset, ne a suis quidem, qui latro, receptus est. Denique Theodotus ille sublimis in cœlum a dæmone elatus, Simonis Magi instar, de repente præceps delapsus, ita misere vitam finiit. Atqui de erroribus Montani, in quos postea Auctor incidit, inter paradoxa ejus latius. Porro hoc anno ante Kalendas Junias, ad quas incipiebat annus XI. Severi censeo accidisse quod scribit Auctor: *Agonas istos, contentiosa solemnia et superstitiosa certamina Græcarum et religionum et voluptatum quanta gratia*

Digitized by Google

istud sæculum celebret, etiam Africæ liquit. Adhuc Carthaginem singulæ civitates gratulando inquietant donatam Pythico agone post stadii senectutem (*Ibid. lib. ad Gnost. c.* 6.). Nam eo pertinere videtur illa nummi vetus inscriptio : SEVER. PIUS AUG. PONT. MAX. TRIB. POT. X. sive : ANTON. PIUS, una ex parte, et ex altera : INDULGENTIA AUG. SC. IN CARTHAGINE ; item et Græca illa : ΑΥ. ΚΑΙ ΣΕΟΥΑΡΟΣ ΠΕΡΤ. ΚΑΡΤΑΓ ΜΗΤΡΟΠΟΑΙΟΣ; utpote qua significetur institutos ludos illos Carthagine a Severo et Antonino Impp.

Anno Domini CCV.

§ XIII. *De quibusdam sublestæ fidei libris, de Spectaculis, de Idololatria, de Habitu muliebri et de cultu feminarum, duobus ad Uxorem, adversus Apelletianos, adversus Hermogenem, de Materia Deo coæterna, de Censu animæ ex eadem materia, adversus Valentinianos, de Anima, de Spe fidelium.* — 23. L. FABIO M. F. SEPTIMIANO II. ET M. ANNIO M. F. LIBONE COSS. S. Zephyrini Papæ Romani anno VI. Severi Imper. XII. partim occasione dicti Pythici agonis, aliorumque certaminum Carthagine exhibitorum, partim quod jam indicti essent Ludi Seculares Romæ, ad quos per præcones convocare solebant omnes, utpote qui nec spectati nec spectandi iterum forent, ut Christianos ab ea profectione deterreret, scripsit TERTULL. et Græce et Latine insignem illum librum DE SPECTACULIS (*Lib. de Spect. n.* 1 *et deinceps.*), quo pulcherrime deducit, quidquid ad 4. Spectaculorum genera pertinet, ab Idololatria suam habere originem, atque adeo Christianis interdicta. Certe hoc anno octavorum Ludorum secularium a Severo celebratorum non modo meminerunt Censorinus lib. de Die natali, et Dion et Herodianus, quorum hic eos vidisse se scribit, sed etiam, testibus Fastis Consularibus : LUDI SÆCULARES OCTAVI EX. SC. FACTI, et invenitur hæc nummi inscriptio : M. AUR. ANTONINUS PIUS AUG. SÆCULARIA SACRA SC. Existimant etiam Aretum Severi triumphalem, qui etiamnum extat, ea occasione hoc anno erectum, Politianus et Onuphrius, cujus inscriptionem habes supra, quorum uterque latissime et originem et omnes ritus Sæcularium Ludorum prosequitur. Et vero tam late de omnibus Ludorum Spectaculis in illis exhiberi solitis Auctor tractat, ut alio Commentario Lectori curioso non sit opus, maxime si consulat et Annotationes nostras. Eodem pene tempore conscriptum constat librum DE IDOLOLATRIA, utpote in quo et hujus libri *ac persecutionis* meminerit (*Lib.* 2. *de Idol. c.* 13. *n.* 164. *lib.* 1. *ad Uxor. c.* 7. *n.* 44. *l.* 2. *ad Uxor. c.* 1.), et *Solemnia Cæsarum* ad Idololatriam pertinere astruit, sicuti etiam multa alia, in quibus directe consistit Idolorum cultus. In eumdem quoque annum referimus libros, DE HABITU MULIEBRI et DE CULTU FEMINARUM, quorum priori nimium ornatum, posteriori magis capilli et cutis curam superfluam reprehendit. Videntur eodem anno etiam conscripti libri AD UXOREM duo. Nam quum priori a nuptiis secundis tantum dehortetur, et posteriori saltem nuptias cum Gentilibus interdicat, apparet eos conscriptos ante hæresin Auctoris, fortassis Romæ, quo frequenter discurrere solet saltem ad absentem, et quantum apparet a valetudinario, quippe qui priorem admonitionem tanquam jam moriturus *Legatum ac Fidei commissum* nuncupet.

Anno Domini CCVI.

24. IMP. CÆS. M. AUR. BASSIANO SEV. AUG. F. ANTONINO AUG. II. ET P. SEPT. SEV. AUG. F. GETA COSS. S. Zephyrini Romani Pontificis VII. Severi Imper. XIII. quum hæreses variæ grassarentur in Africa ad scribendum adversus eos serio se contulit. Inter quos primus occurrit liber ADVERSUS APELLETIANOS, etsi hodie desideratus, id est, *Apellis discipuli Marcionis sectatores*, de quibus Auctor : *Adhuc*, inquit, *in seculo supersunt, qui meminerint eorum, etiam proprii discentes et successores ipsorum; ne posteriores negare possint.* Eodem anno conscriptos putamus libros ADVERSUS HERMOGENEM duos, DE MATERIA DEO COÆTERNA unum, DE CENSU ANIMÆ EX EADEM MATERIA alterum. Qui quo tempore disseminare suas hæreseis cœperit, non ita constat ; attamen ex parte id significare videtur B. Hieron. Catal. Script. Eccles. dum contra *Hæresin Hermogenis* primum scripsisse tradit Theophilum Antiochenum. Qui, etsi sub Imper. Vero floruerit, eidem tamen supervixisse, ex ejus lib. 3, ad Autolycum comprobatur, ubi annos et mundi, et Romani Consulatus, et Cæsarum usque ad obitum Veri Imper. computat. Proinde sub Commodo potius Imper. errores illum suos sparsisse censemus ; qui tamen ætate Auctoris adhuc vixerit, vel eo teste in hæc verba : *Hos* (inquit de Marcione, Valentino, et Apelle loquens jam mortuis) *ut insigniores et frequentiores adulteros veritatis nominamus. Cæterum Nigidius, nescio quis, et Hermogenes, et multi alii, adhuc ambulant subvertentes vias Domini* (*L. de Præscr. adv. hær. c.* 30.). Et vero in Africa *Hermogenem* floruisse testis est Philastrius lib. de Hæres. cui auctor addit tanquam Magistrum aliquem *Nigidium*. Quum etiam superessent adhuc *Valentinianorum hæreticorum examina*, ducibus præter primos illos supra adductos *Theotimo, Axionico, Alexandro et Prodico*, B. Irenæum imitatus ad verbum pene, LIBRUM conscripsit ADVERSUS VALENTINIANOS. De prioribus sic Auctor : *Multum circa imagines Legis Theotimus operatus est. Ita nusquam Valentinus : et tamen Valentiniani, qui per Valentinum. Solus ad hodiernum Antiochiæ Axionicus memoriam. Valentini integra custodia regularum ejus consolatur* (*T.* 3. *l. ad Valent. c.* 4. *n.* 32. 33. *ac* 34. *Ibid. l. de carit. Christi c.* 15. *n.* 127. *Ibid. c.* 16. *n.* 131.). De tertio in hæc verba : *Nam, ut penes quemdam ex Valentini factione legi, primo non putant terrenam et humanam Christi substantiam informatam* (*lb. c.* 17. *Tom.* 3. *l. adv. Gnost. c. ul.*). De quo vero loquatur subjecit : *Insuper argumentandi libidine ac*

Digitized by Google

forma ingenii hæretici locum sibi fecit Alexander ille. Et rursum : *Sed remisso Alexandro cum suis syllogismis* (*Ibid. l. adv. Prax. c.* 3. *Ibid. l. de Præs. adv. hær. c.* 21.). Denique de postremo duo concurrunt loci : unus : *Quod si jam tunc Prodicus aut Valentinus adsisteret ;* alter : *Quum alius Deus infertur adversus creatorem, tunc male quum plures, secundum Valentinos et Prodicos* (*Ib. l. adv. Valent. c.* 5. *Ibid. lib. de Præs. ad hær. c.* 3. *Ibid. c.* 52. *hær.* 52. *n.* 327. *lib. de Anima cap.* 55). Neque enim ibi legi posse *Proclos*, quod erat in excusis codicibus, præterquam quod suo loco comprobaverimus, vel eo convincitur quod *Proclus* seu *Proculus* non Valentinianus fuerit, sed Montanista, a quo dicti κατὰ *Proclum* quidam Montani sectatores ; quum antea adhuc Catholicus adversus Valentinum scripserit. Et vero quum vocet illum Auctor *virginis senectæ et Christianæ eloquentiæ dignitatem*, videmur nobis attigisse primum quod aiunt lapidem offensionis, in quem ipse impegit, dum partibus Montani favere cœpit ; seductus, quantum apparet, admiratione quadam tum *virginis senectæ Proculi*, quem tunc senem fuisse oportuit, utpote vel eodem teste *contemporalem hæresiarcharum Valentinianorum, tum eloquentiæ Christianæ*, quam in scriptis ejus deprehendit : parum memor miser ille, quid antea scripsisset, fortassis hujus tanti viri occasione : *Solent*, inquit, *miriones isti etiam de quibusdam personis ab hærest captis ædificari in ruinam : Quare illa, vel ille, fidelissimi, prudentissimi et usitatissimi in Ecclesia, in illam partem transierunt? Quis hoc dicens, non ipse sibi respondet : neque prudentes, neque fideles, neque usitatos æstimandos, quos hæreses potuerint immutare? Quid igitur, si Episcopus, si Diaconus, si vidua, si virgo, si Doctor, si etiam Martyr lapsus a regula fuerit, ideo hæreses veritatem videbuntur obtinere ? Ex personis probemus fidem, an ex fide personam?* Alioqui certe non est verisimile in tam absurdam hæresin lapsum iri Auctorem, nisi ex tali quapiam occasione, fortassis etiam ex frequentatione ipsius familiari, dum subinde Romam inviseret ; nam Romæ *Proclum* habitasse postea deducemus, maxime quum antea blasphemiam dixerit, *Paracletum* quem Christus promisit, in Montano primum apparuisse, et tamen in sequentibus scriptis non vereatur illi nomen Paracleti frequenter ascribere.

A

B

C

D

Anno Domini CCVII.

25. NUMMIO SENECIO ALBINO ET FULVIO ÆMILIANO COSS. S. Zephirini Papæ Romani VIII. Severi Imp. XIV, plerique passas scribunt Perpetuam et Felicitatem, idque juxta Ven. Bedam die natali Severi, quem assignant Martyrologia Usuardi et Romanum Nonis Martiis, illis præterea annumerantia Revocatum, Saturninum et Secundiolum, simul passos in Mauritania civitate Thuburbitanorum. Quum autem *Perpetuæ fortissimæ Martyris* eo libro meminerit Auctor, oportet non ante scriptum fuisse librum DE ANIMA, quem scripsit ADVERSUS PHILOSOPHOS ET HÆRETICOS. In quo etiam alludit ad librum DE PARADISO. Quem conjicimus conscriptum fuisse occasione eorum, quæ vidisse scribit S. Perpetuam in paradiso. Et vero uti in hac Christianorum per Africam quoque persecutione animos fidelibus adderet, censemus eodem pene tempore scriptum librum DE SPE FIDELIUM. Quanquam interim verissimum comperiamus illud Proverbii, quod Error unus alium trahat, utpote quum paradoxon sit utriusque libri illius argumentum, et haud paucas præterea reperire sit opiniones non satis sanas in dicto libro de Anima, de quibus inter Paradoxa Auctoris cum Antidoto latius. Hoc unum hic addimus, scriptum illum librum, DE OMNI STATU ANIMÆ, vel ipso teste, qui adeo etiam *Commentarium animæ* nuncupat, utpote in quo tractetur quidquid olim a Philosophis et ab hæreticis de Anima tractatum fuit, ut neque Philosophis neque Theologis alio hodie commentario sit opus.

Anno Domini CCVIII.

§ XIV. *De libris Montanismum jam redolentibus, de Carne Christi adversus* IV. *hæreses, de Resurrectione carnis, adversus Marcionem* V, *de Corona Militis, Scorpiacum adversus Gnosticos, adversus Praxeam.*—26. S. Zephirini Romani Pontificis IX. Severi Imp. XV. M. FLAVIO M. F. M. N. AFRO ET Q. ALLIO FABIO CATULLINO MAXIMO COSS. scriptum fuisse a TERTULLIANO librum primum adversus Marcionem ex hisce verbis constat. *At nunc quale est ut Dominus a* XII. *Tiberii Cæsaris revelatus sit, substantia vero ad* XV. *jam Severi Imperatoris annum nulla comperta sit?* (*L. de Resur. car. c.* 2. *cap.* 45. *l. c. adv. Mar.* 1. 15. *To.* 3. *lib. de car. Christi, c.* 7.) Atque adeo hoc tempore simul editos fuisse oportet libros DE CARNE CHRISTI ADVERSUS IV. HÆRESES DE RESURRECTIONE CARNIS, ET ADVERSUS MARCIONEM quinque (*Lib. de Res. car. c.* 2. *Lib.* 5. *ad. Marc. c.* 10. *n.* 150. *l. de Cor. milit. c. ult.*), utpote eodem scriptos tempore. Nam sicut etiam alibi diximus, libro de Carne Christi citatur liber quartus adversus Marcionem, libro de Resurrectione carnis II. et III. adv. Marc. et I. 1. adv. Marc. allegatur liber de Resurrect. carnis, quo fit ut existimem primum scriptos adversus Marcionem quatuor ; intermedios deinde duos illos ; et postremo adversus Marcionem quintum. Porro si hoc anno, uti Onuphrius tradit, celebrata sint Decennalia Antonini Imper. Severi filii, fortassis præoccupata anno integro ob discessum in bellum Britannicum, quem Cassiodorus his Coss. accidisse scribit ; hoc etiam anno scriptus est LIBER DE CORONA MILITIS ; sin anno sequenti (quod mihi magis fit verisimile ex illa nummi inscriptione ANTONINUS PIUS AUG. Cos. III. VOTA SOLUTA DEO) utrumque contigerit, illuc referre poterit Lector, dummodo nobiscum sentiat, ante expeditionem Britannicam. Ad quam pertinet etiam inscriptio supra posita, cum effigie Equitis manu jaculum tenentis : PROFECTIO AUGG. nam utrumque filium secum duxit Severus, a quo quum P. Septimius Geta anno primum sequenti Imper. Cæs. Aug. sit appellatus et Tribunitiam potestatem acceperit, sicuti Fasti ha-

Digitized by Google

bent Consulares, confirmatur dicta nostra conjectura. Conciliari quidem possunt inscriptiones et fasti consulares cum Onuphrio et altera quadam Inscriptione ubi appellatur Antoninus Aug. Trib. Pot. x. Cos. III. desig. ut dicatur cœptus ejus annus x. his Coss. ad Kal. Maias, et finitus anno sequenti Kal. Maiis : sed nos ad annum sequentem referre malumus, ne hic prolixiores simus.

Anno Domini CCIX.

27. S. Zephirini Papæ Romani X. Severi Imper. XVI. Imp. CÆS. M. AUREL. SEVERI AUG. F. ANTONINO AUG. III. ET P. SEPTIMIO SEVER. AUG. F. GETA COSS. Post celebrata Decennalia Antonini Romæ a TERTULLIANO scriptum censemus librum DE CORONA MILITIS. Romæ enim scriptum apparet ex verbis illis : *Erubescite Romani commilitones ejus*, et ad Decennalia videtur referendum illud libri frontispicium : *Proxime facta est* LIBERALITAS *Præstantissimorum* IMPERATORUM; cui subjicienda putavimus quæ sequuntur, eo quod occasionem scripti hujus libri indicent, utpote in quo, contraquam alii mussitabant, Christianis coronæ usum interdictum deducit. *Expungebantur*, inquit, *in castris Milites laureati. Adhibetur quidam illic magis Dei Miles; solus libero capite, coronamento in manu otioso. Singuli designare, eludere eminus, infrendere cominus. Murmur tribuno defertur, et persona jam ex ordine accesserat. Statim tribunus : Cur* [inquit] *tam diversus habitu? Negavit ille cum cæteris sibi licere. Caussas expostulatus, Christianus sum, respondit. Suffragia exinde, et res ampliata, et reus ad Præfectos. Ibidem penulas posuit, speculatoriam de pedibus absolvit, gladium reddidit* (nam militaria omnia insignia in exautoratione militum exui solere, vel ex Herodiano lib. 2. manifestum est, initio Imperii Severi). *Et nunc russatus sanguinis sui spe, donativum Christi in carcere expectat. Exinde sententiæ super illo, nescio an Christianorum* (*non enim aliæ ethnicorum*), *ut de abrupto et præcipiti et mori cupido, qui de habitu interrogatus Nomini negotium fecerit.* Nec vero omittendum illud : *Plane superest, ut etiam martyria recusare meditentur. Mussitant denique tam bonam et longam sibi pacem periclitari. Nec dubito quosdam scripturas emigrare, sarcinas expedire, fugæ accingi de civitate in civitatem. Novi et pastores eorum in pace leones, in prælio cervos. Sed de quæstionibus confessionum alibi docebimus.* Denotat enim ibi aut librum de Fuga in persecutione, aut quod magis placet, SCORPIACON ADVERSUS GNOSTICOS. (*Lib. adv. Gnost. et c.* 1), nempe *Prodicum Scorpianum et* alios *Valentinianos Martyriorum refragatores*, qui jam in Africam irrumpere cœperant : (de quibus videat Lector Annot. nostras) [*Ibid. c.* 1.]. Fortassis etiam Romæ scriptum. In eo enim et *de quæstionibus confessionum*, id est, quod confiteri Christum necesse sit, latissime deducit, et persecutionem omnium gravissimam, quæ dicta occasione post longam pacem (utpote quum Romæ et in Africa ad id temporis pauci leguntur sub Severo passi martyres) recruduisse videtur, his verbis describat : *In præsentiarum est medius ardor, ipsa canicula persecutionis ab isto scilicet cynocephalo* (ubi aut Severum Imperatorem, aut potius urbis Romæ præfectum in absentia illius jam in Britanniam profecti, intelligit) ; *alios ignis, alios gladius, alios bestiæ Christianos probaverunt, aliis fustibus insuper et ungulis degustato martyrio, in carcere esuriunt.* Porro Severum propterea absentem in Britannia diximus, quod expeditionis Britannicæ hoc anno, uti antea probavimus, factæ meminerint Euseb. in Chronic. Oros. lib. 7. cap. 11. Paulus Diaconus lib. 8. cap. 1. ante eos Spartianus, Herodianus, et Dio in Severo. Nondum enim Britanniam Romanis paruisse ad id usque temporis, etiam ipse verbis his supra citatis indicat : *et Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita* (*l. adv. Jud. c.* 7), utpote Lucio Britanniarum Rege paulo ante ope S. Eleutheri Papæ ad fidem converso, item etiam illis : *Britanniæ intra Oceani fines conclusæ sunt.*

Anno Domini CCX.

28. S. Zephyrini Romani Pontificis XI. Severi Imper. XVII M. AURELIO CLAUDIO M. F. POMPEIANO, ET LOLLIANO AVITO COSS. Romæ adhuc existens TERTULLIANUS. scripsisse mihi videtur librum DE VELANDIS VIRGINIBUS, quem Græce quoque scriptum esse his fatetur verbis : *Proprium jam negotium passus meæ opinionis, Latine quoque ostendam virgines nostras velari oportere.* (*Lib. de Vel. virg. c.* 1). De quo argumento anno sequenti latius. Scripsisse etiam verisimile est paulo post, jam Carthaginem reversum, librum ADVERSUS PRAXEAN, de quo Auctor : *Iste*, inquit, *primus ex Asia hoc genus perversitatis intulit Romæ; homo et alias inquietus, insuper et de jactatione Martyrii inflatus ob solum et simplex et breve carceris tædium. Fructicaverant avenæ Praxeanæ hic quoque* (nempe in Africa) *superseminatæ, traductæ dehinc per quem Deus voluit* (quantum apparet, *Zephyrinum* Papam, utpote de quo tale qui tradat B. Opt. Milevit. l. 1. contra Parmenian.), *etiam evulsæ videbantur. Denique caverat pristinum doctor de emendatione sua, et manet chirographum apud Psychicos, apud quos tunc res gesta est, exinde silentium. Avenæ vero illæ ubique tunc semen excusserant. Ita aliquandiu per hypocrisin subdola vivacitate latitavit, et nunc denuo erupit* (*adv. Prax., c.* 1.). Ex quibus verbis satis patet, et revocasse suam hæresin aliquando Praxean disputatione alicujus emendatum, sed iterum relapsum denuo erupisse, et dum hic liber scriberetur, adhuc supervixisse. Quanquam interim, si verum sit quod addit de Montani prophetia ejus ope expulsa, quandoquidem illum floruisse constet sub S. Eleuthero Papa, oporteat jam senem fuisse Praxean. Nos certe vixdum in eo quod dictum est, Auctori fidem adhibendam putamus; tam quod S. Pacianus hæc vera scribat de hæreticis cataphrygibus : « Et primum hi pluribus nituntur Auctoribus; nam puta Græcus Blastus ipsorum est; Theodotus quoque et *Praxeas* vestros aliquando docuerunt : » tum, quod ipse Au-

Digitized by Google

ctor, præterquam quod illic subjungat tanquam discipulos *Blastum*, *et Theodotum*, *et Praxean*, cum *Victorino*, illis qui *secundum Æschinem pronuntiabantur* eamdem hæresin attribuit, et hoc libro impugnat.

Anno Domini ccxi.

§ XV. *Ejus defectionis tempus et causa.* — 29. S. Zephirini Papæ Romani XII. Severi XVIII. M. ACILIO M. F. M. N. FAUSTINO. ET C. CÆSONIO. C. F. TRIARIO RUFINIO COSS. completum fuit, quod scribunt post Auctores supracitatos Cassiodorus in Chronico, et Ven. Beda histor. Eccles. lib. I. cap. 5. de Severo, quod vallum crebris turribus communitum in Britannia, per centum et amplius millia passuum de mari ad mare perduxerit, ut partem provinciæ graviss. præliis receptam a cæteris faceret securiorem, pro quo facit etiam lex Severi et Antonini Augg. Eboraci lata hoc Consulatu Non. Maii, quæ extat Cod. lib. 3. Tit. 32. lib. I. Certe tunc primum leguntur Inscriptiones quibus appellatur Severus BRITANNICUS MAX. TRIB. POT. XVIII. ac Antoninus BRITANN. TRIB. POT. XIII. IMP. II. COS. III. denique et illa : P. SEPT. GETA PIUS AUG. BRIT. TRIB. POT. III. COS. II. uno ex latere, et ex adversa parte : VICTORIÆ BRITAN. Utpote quum tertius fuerit duntaxat iste annus, ex quo Geta Tribunitiam potestatem cum cæteris Imperii insignibus acceperat. Porro hoc fere anno contigisse censemus, quod de TERTULLIANO scribunt B. Hieron. Sophronius Catal. Scriptor. Eccl. ac Niceph. lib. 4. cap. 12. ac 34. quum usque ad mediam ætatem in Eccl. Catholica presbyter permansit, ad Montani dogma delapsum. Verumtamen magna est difficultas, quomodo scribat B. Hieron. id factum invidia et contumeliis Clericorum Rom. Eccl. ac Sophronius : φθόνῳ καὶ προπηλακισμοῖς τῶν κληρικῶν τῆς ἐν Ῥώμῃ ἐκκλησίας, et interpres Nicephori : « propter Cleri Romani invidiam ; » præsertim quum de eo nusquam conqueratur Auctor etiam in lib. adver. Ecclesiam scriptis, maxime quum causam illam reticens Vincentius Lirinensis, etsi B. Hieron. posterior, non aliud dicat, quam TERTULLIANUM Catholici dogmatis et vetustæ fidei parum tenacem, ac disertiorem multo quam feliciorem, mutata sententia in errorem delapsum, magnam fuisse in Ecclesia tentationem. Quem imitatur Abbas Trithemius.

30. Est quidam qui invidiæ causam fuisse putet Auctori eloquentiam. Rhenani conjecturam, quantumvis suspectam, sequuntur etiam Catholici quidam, qui suspicantur illum quum initio favere cœpisset hæresi Montani, statim Ecclesiæ communione privatum prius quam se totum dederet, quare commotus ille prorsus in Montani partes transierit. Verum non video quomodo Excommunicationem Ecclesiasticam, quam Auctor *divinam censuram et futuri judicii præjudicium* appellat (*Apolog. c.* 39.), B. vero Hieron. Epist. ad Heliod. « ante diem judicii judicium quo ejectus de Ecclesia rabido dæmonis ore discerpitur, » non solum invidiæ (quam pro zelo etiam in sanctis agnoscit idem B. Hieronymus Epist. ad Damas. de prodigo et frugi filiis), sed et contumeliarum nomenclatura ipse traduceret. Nos itaque, si quid in re incerta divinare liceat, conjicimus *Tertullianum*, post obitum Agrippini, in obtinendo Episcopatu Carthaginiensi repulsam passum fortassis invidia Clericorum quorumdam Ecclesiæ Romanæ, a quibus proinde etiam contumeliis affectus, ad partes Montani desciverit. Certe fomitem illis invidiæ administrare potuerunt loci aliquot in libris præcedentibus : quibus tacite quorumdam Clericorum, fortassis Romanorum, vitia reprehendit, non aliter atque postmodum BB. Hieronymo et Paulino accidit eadem de causa (*L. de Spect. c.* 25.); Imprimis de frequentatione spectaculorum : *Sed Tragœdo*, inquit, *vociferante, exclamationes ille* (nempe aliquis de Clero) *alicujus Prophetæ retractabit. Inter effeminationis modos, Psalmum secum comminiscetur ; et quum athletæ agent, ille dicturus est repercutiendum non esse ; poterit et de misericordia moveri defixus in morsus ursorum et spongias retiariorum. Avertat Deus a suis tantam voluptatis exitiosæ cupiditatem. Quale est enim, de Ecclesia Dei in Ecclesiam diaboli tendere? de cœlo (quod aiunt) in cœnum ? illas manus quas ad Dominum extuleris, postmodum laudando histrionem defatigare? ex ore quo Amen in sanctum protuleris, gladiatori testimonium reddere? εἰς αἰῶνας ἄλλῃ omnino dicere, nisi Deo Christo ? l. de Idol. c.* 7. (*L. de Cor. milit.* 1.). Item illud in Artifices Idolorum : *Tota*, inquit, *die ad hanc partem zelus fidei perorabit ingemens Christianum ab Idolis in Ecclesiam venire, his manibus adorare, quæ foris adversus Deum adorantur, manus admovere corpori Domini, quæ dæmoniis corpora conferunt. Nec hoc sufficit. Parum sit, si ab aliis manibus accipiant quod contaminant, sed ipsæ tradant aliis quod contaminaverunt. Alleguntur in ordinem Ecclesiasticum Artifices Idolorum. Proh scelus ! Semel Judæi manus Christo intulerunt, isti quotidie corpus ejus lacessunt. O manus præscindendæ!* Rursum illud de Pastoribus in persecutione fugientibus : *Plane superest ut etiam martyria recusare meditetur, qui Prophetias ejusdem Spiritus sancti respuit : novi et Pastores etiam eorum in pace leones, in prælio cervos.* Denique de velandis Virginibus : *Illam consuetudinem quæ virgines negat, dum ostendit, nemo probasset, nisi aliqui tales quales virgines ipsæ. Tales enim oculi volent virginem visam, quales habet virgo quæ videri volet. Invicem se eadem oculorum genera desiderant. Ejusdem libidinis est videri et videre* (*Ibid. l. de Veland. virg. cap.* 2.). Auctor commentarii S. Ambrosio ascripti in Epist. Pauli videtur interpretari invidiam illam, quasi fuisset ipsius Auctoris in Clerum Romanum. Sic enim, inquit, Per invidiam charitatem corrumpentes, scientiam ad nihilum deduxerunt. Nam et Tertullianus et Novatianus non parvæ scientiæ fuerunt; sed quia per zelum charitatis fœdera perdiderunt, in schisma versi, ad perditionem sui hæreses creaverunt. Ex quibus verbis fit etiam verisimilior mea conjectura ex eo,

Digitized by Google

quod ob repulsam Episcopatus Rom. in schisma et hæresim inciderit Novatianus. Porro si excommunicatus fuerat justissimis profecto de caussis, etiam fortassis in absentem eam tulit sententiam B. Zephyrinus Pontifex. Primum enim in lib. omnibus scriptis citra 14. imperii Severi Annum, *Paracleti novæ prophetiæ frequenter*, *Spiritus sancti* etiam Montani verbis jam citatis meminit, sicuti etiam *mulieris Prophetidis* subinde, modo *Priscillam*, modo *Maximillam* significans; et similiter de *Extasi* habet non pauca, locis citatis inter Paradoxa Auctoris (*L. ad Prax. c.* 1). Deinde *Psychicos* quoque, id est *animales* appellare cœpit Catholicos, tum advers. Marc. tum advers. *Praxean*, sicuti etiam ibi latius. Postremo omnia illa simul conjungens lib. adv. Praxean, *Romanum Episcopum*, quantum apparet, *Eleutherium* calumniatur, tanquam qui agnoscens jam *Prophetias Montani, Priscæ et Maximillæ, ex ea agnitione pacem Ecclesiis Asiæ et Phrygiæ inferre paratus fuerit, nisi Praxeas falsa* (perperam inquit) *de ipsis Prophetis et Ecclesiis eorum asseverando, coegisset litteras pacis revocare jam emissas, et a proposito recipiendorum charismatum concessare.* Et insuper *diaboli negotium procurasse* dicit, *qui prophetiam expulit, et paracletum fugavit.* Certe ipse Auctor Excommunicationem in hæreticos approbat non uno in loco (*Scorp. adv. Gnost. c.* 1.).

A

B

Anno Domini CCXII.

§ XVI. *De ultimis Tertulliani montanistæ libris, ac Fuga in persecutione, de Exhortatione castitatis, de Monogamia, de Jejuniis adversus Psychicos, de Pudicitia, de Extasi, adversus Apollonium Septimum.* — 31. S. Zephyrini Papæ Romani XIII. M. Aurelii Antonini Bassiani Pii Felicis Augusti Britannici Germanici Imperii I. Q. EPIDIO L. F. RUFO LOLLIANO GENTIANO, ET POMPONIO BASSO COSS. conscriptum censemus TERTULLIANI librum DE FUGA IN PERSECUTIONE. Idque ante decessum Imper. L. Sept. Severi Pertin. Augusti qui eo anno pridie Nonas Febr. Eboraci mœrore magis quam morbo mortuus est (in hoc adeo punitus a Deo juxta Orosium lib. 7. cap. 11.) nondum elapso anno Imperii sui 18. ut pote quum ab Idibus Maiis anni Domini 194. ad dictum usque hujus anni diem computantur duntaxat anni 17. menses 8. dies 21; quo fit ut hunc anni. I. Anton. facianus, aut saltem ante reditum Antonin ex Britanniis cum fratre suo P. Sept. Geta Felici Augusto Britannico Imperii consorte, adhuc durante persecutione (*L. ad. Scap. c.* 4.), quam ipse [utpote *lacte Christiano* imbutus, sicuti supra ex Auctore diximus] vel Severo Sulpitio teste (*Sacræ Hist. lib.* 2), cessare fecerit, utpote qui scribat ab obitu Severi ad Decium usque pacem Ecclesiis fuisse, præterquam quod a Maximino in Episcopos sævitum fuerit; quam adeo longam pacem appellat B. Cyprian. lib. de Lapsis. Quanquam interim edicta Severi adhuc aliquandiu viguisse ex his Auctoris verbis videantur: *Nisi forte in Senatusconsulta et Principum mandata cotitionibus opposita delinquimus.* (*L. de Jejun. c.* 13. *l. de Fuga in persec. c.* 5.) Hunc quum contra Ecclesiam scriptum asserant, ubi supra, B. Hieronymus, Sophronius et Nicephorus, verisimile fit *Fabium* illum Romanum fuisse Presbyterum. Certe quod aliquo ministerio Ecclesiastico functus, colligere est ex verbis illis: *Sed quum ipsi Auctores, id est, Diaconi, Presbyteri et Episcopi, fugiunt, quomodo laicus intelligere poterit?* Quibus interim quando (contraquam sentit Auctor) fugere liceat, in Annotationibus nostris latius. Meminit in eo etiam *Rutilii sanctissimi Martyris:* porro et sub Severo haud dubie referri debet, quod scribunt Euseb. et Nicephor. de Origenis prima persecutione maxima apud Alexandriam, antequam sese ipse castraret. Atqui ad intellectum Auctoris facit, ubi dicit: *Maledictum esse ante ἀποθέωσιν Deum Cæsarem nuncupare* (1. *Apolog. c.* 34.); id quod late recenset Herod. lib. tertio de ritu observato in relatione Severi Imper. post mortem in Divos per filios Romæ facta, postquam cineres ex Britannia secum allati in urna alabastrina juxta illum, aut ærea juxta Spartianum, in sepulcrum Antonini sunt illati. Hic præterea prætereundum non putavimus, quod quum pridie Non. Februar. perierit Severus, castigari deberent leges duæ Codicis, altera lib. 6. Tit. 45. l. 1. ut legatur v. Kal. Februarii, pro, Januarii: altera ejusdem l. Tit. 37. lib. 3. uti soli Antonino Aug. ascribatur, non Severo et Anton. Augg. utpote quum lata sit. VI. Kal. Maii, diu post illius obitum, maxime quum extet lex Antonini solius Kalend. Maiis lata, et aliæ plures his Coss. latæ.

C

D

Anno Domini CCXIII.

32. S. Zephyrini Romani Pontificis XIV. Antonini Imper. II. M. POMPONIO M. F. ASPRO II ET ASPRO COSS. sive duobus Aspris, quibus Coss. Leges Antonini variæ datæ leguntur (quorum seniorem eumdem illum censemus de quo supra ad annum CCII.), solus Antoninus (testibus Herodiano et Spartiano), fratre Geta ad pectus suæ matris interfecto, postquam imperavit annum unum, dies 21. ac sepulto in septizonio (quod a septem zonis cœli ita dictum Severus, vel Euseb. teste, ædificaverat ac in Divos relato), Imperium usurpavit. Insuper et alios plurimos, quantumvis patri sibique antea carissimos, neci tradi jussit, inter quos commemorandi veniunt Papinianus ille, ejus ac Juliani et Tertylliani JC. præceptor, Juris Asylum cognominatus a Spartiano, et Sammonicus Serenus, cujus libros plurimos extare ille scribit, Gordiani postea Cæsaris pædagogus. In hunc annum referimus librum TERTULLIANI DE EXHORTATIONE CASTITATIS, utpote quem Nicephorus, lib. quarto, capite 54, inter eos recenset, qui contra Ecclesiam catholicam conscripti sunt, et in quo eo dementiæ videtur venisse, *ut apud tres etiam laicos*, utpote Montanum et insanas ejus Prophetides Priscam et Maximillam, esse Ecclesiam existimet, quemadmodum latius idipsum alibi inculcat (*Lib. de Exhor. castit. c.* 7. *Lib. de pudic. c.* 21.). Huic etiam anno ap-

Digitized by Google

plicamus disputationem illam Caii Scriptoris Ecclesiastici adversus Proclum, cujus meminerunt Euseb. lib. sexto, capite decimo quarto : Beatus Hieronymus, in Catal. scr. eccl., et latius in hæc verba Niceph. loco jam citato : « Floruit, inquit, sub Zephyrino Romæ Episcopo Caius, Antonino Severi filio imperante. » Is adversus Proclum Montani propugnatorem dissertationem copiosissimam habuit et composuit, temerariæ audaciæ, quod novam introduxerit Prophetiam, illum redarguens et confutans. Quam quidem nos aliquando existimavimus ansam dedisse Auctori ad Montani partes deficiendi ; quod verisimile fit in *Proclum* hac disputatione convictum, nec resipiscentem, a Zephyrino Excommunicationem latam fuisse, et omnes ejus asseclas, inter quos haud dubie Auctor, utpote Montanistarum κατὰ *Proclum* sectator, non eorum qui secundum Æschinem dicebantur, contra quos egit libro adversus Praxean. Verum jam antea illum defecere cœpisse, imo contra Ecclesiam scripsisse, ex superioribus manifestum fit. Fortassis etiam hoc tempore contigit Origenis discipuli Clementis Alexandrini et Ammonii Romana sub Zephyrino profectio, cujus meminerunt Eusebius et Nicephorus, quorum ille lib. 6. cap. 12. causam illius eam scribit, quod in optatis illi esset antiquissimam illam Ecclesiam invisere. Quo tempore etiam alii Ecclesiastici scriptores ab illis enumerantur, Berillus Arabiæ Bostrenus, Hippolytus juxta quosdam Portuensis, Alexander primum Cappadociæ, deinde Hierosolymorum Episcopus, quibus interserit B. Hier. etiam Minutium Felicem, qui Apologeticum Auctoris per multa imitatus est.

Anno Domini CCX V.

33. S. Zephyrini Papæ Romani XV. Antonini Imper. III. IMP. CÆS. M. AUREL. DIVI SEVERI. F. ANTONINO AUG. BRITAN. GERMAN. IIII. ET P. CÆLIO P. F. BALBINO II. COSS. ipse Antoninus Imp. Trib. potest. XVI. de Britannis triumphavit. Quo anno a TERTULL. scriptum existimamus etiam adversus Ecclesiam librum DE MONOGAMIA. In eo inter cætera sic legitur : *Quum magis nunc tempus in collecto factum sit, annis circiter CLX exinde productis* (*L. de Monog. c.* 3.). Quos qui a Passione Domini computandos voluerit, tota via aberrare ex superioribus plus satis manifestum est, etiamsi, juxta erroneum calculum Auctoris a passo Christo usque ad devastationem Hierosolymorum anni duntaxat computarentur 22, quos alii enumerant 25; quia usque ad annum præsentem non solum 160, sed producti essent 188. Sunt etiam qui ab Apostolis hunc computum ineant, eo quod præmittatur : *post Apostolos ;* in qua sententia et nos fuimus, quum Annotationes nostras in eum scriberemus locum. Verum SS. Petrus et Paulus primum passi sunt anno Neronis ultimo, qui in annum incidit Christi 69, a quo adhuc non nisi computantur anni 146. et S. Joannes Evangelista vixit ad Trajanum usque, mortuus primum anno circiter 100, unde non plures sunt anni quam 114. Propius accedunt qui ab Apostoli Pauli ætate computant annos illos *circiter* A CLX, quorum sententiæ accedimus : sed quia ille primum martyrio affectus fuit cum Apostolo Petro (uti jam dictum est), censemus ab eo tempore numerandos quo Epistolam scripsit priorem ad Corinthios, ab anno nempe Domini circiter LIV. Imprimis enim scriptam Epistolam utramque ad Corinthios, postquam ab ipso ad fidem essent conversi, ex eisdem fit manifestum ; quæ conversio contigisse putatur anno Domini 51, quum ibi hæsit ad annum et menses sex. Deinde si Ephesi scripta sit (sicuti quidam et rectius habent Græci codices) ex historiis Peregrinationis Pauli satis patet dicto anno, qui incidit in duodecimum Claudii Imperatoris, Ephesi illum habitasse. Sive ex Philippis (quod plures præ se ferunt et Latini et Græci codices), certe anno 55. Per Philippos iter fecisse, post- B quam Epheso discesserat, sub festum Paschæ, testantur Acta Apostolorum capite vigesimo. Et vero sic intelligi debere Auctorem, vel ex illis dictis verbis colligitur quæ legerat fere I. Cor. VII, 29 : *Quum nunc tempus in collecto factum sit.* Atqui in hunc annum hoc incidere, non in XV Severi (uti quidam etiam viri eruditi conjecturam faciunt), ex eo perspicuum est, quod ille idem sit cum anno Domini CCVIII, ad quem proinde ab eo quem diximus, non nisi anni CLV. conficiuntur, nec ulterius extendi possunt, quod anno primum 51. fidei catholicæ initiati fuerint Corinthii. Porro fuit hic annus nobilitatus Consulatu trium Imperatorii Ordinis virorum ; nam præter Antoninum et Balbinum, qui quartus ab illo imperavit cum Pupieno, etiam suffectus fuit ex Kalend. Martiis M. AN- C TON. M. F. GORDIANUS, qui postea Imperat. Cæs. Aug. appellatus, a Balbino interfectus fuit, sicuti rursum ex Kalend. Maiis P. Helvius D. Pertinacis F. P. N. Pertinax paulo post occisus ab Antonino.

Anno Domini CCXV.

34. S. Zephirini Romani Pontificis XVI. Antonini Imper. IV, SILIO MESSALA ET Q. AQUILIO SABINO COSS. Imperator ex expeditione Gallica, cujus Spartianus meminit, Romam reversus, a vestis talaris genere inde allatæ, quam plebi distribuit, ut eo vestitu sese salutaret, Caracalla nuncupatus est. Hoc fere anno scriptum censemus a TERTULLIANO etiam adversus Ecclesiam librum DE JEJUNIIS ADVERSUS PSYCHICOS D (*L. de Jejun. c.* 1. *Ibid. c.* 13. *Ibid. c.* 16.). Ex quo imprimis fit verisimile, cum *Proclo* reliquisque Montanistis post dictam disputationem, etiam Tertullianum a Papa Zephyrino excommunicatum fuisse, ex verbis inquam illis : *Dum quaqua ex parte anathema audiamus, qui aliter annuntiamus.* Deinde varia tum fuisse celebrata per Græcias concilia, ita testatur : *Aguntur præterea per Græcias illas certis in locis Concilia ex universis Ecclesiis, per quæ et altiora quæque in commune tractantur, et ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur. Conventus autem illi stationibus prius et jejunationibus operati.* Quæ maxime contra Montanistas convenisse, vel inde mihi colligere videor, quod etiam in Episcopos quosdam ea hæresis canceris in morem serpere cœpisse videatur, ex his Auctoris

Digitized by Google

verbis : *Hæc erunt exempla, et populo, et episcopis etiam Spiritalibus ;* nam spiritales Montani asseclas Psychicis (ita Catholicos calumniose appellat) opponit (*Ibid. c.* 15.). Porro si vera sit lectio apud beatum Hieronymum Epistola quinquagesima quarta ad Marcellam de Montanistis, quod illi tres in anno Quadragesimas facerent, quasi tres passi essent Salvatores ; incipit ab illis nonnihil dissentire Auctor in duarum duntaxat observatione, sicuti ex his verbis, etiam juxta MS. cod. manifestum fit : *Duas*, inquis, *in anno hebdomadas Xerophagiarum, nec totas, exceptis Sabbatis et Dominicis, offerimus Deo, abstinentes ab iis, quæ non rejicimus, sed differimus.* Verum de hoc latius in Annotationibus nostris.

Anno Domini CCXVI.

35. Sancti Zephyrini Romani Pontificis XVII. Antonini Imper. V. AIMILO LÆTO (quem paulo post ab Antonino interfectum scribit Spartianus) ET ANICIO CEREALI COSS. eo ipso quo Antonius in expeditione Germanica (teste Spartiano) juxta Rhetias multos barbaros interfecit, inde potissimum GERMANICUS appellatus, putatur scripsisse TERTULLIANUS librum DE PUDICITIA (*Lib. de Pudicit. c.* 7. *et cap.* 10.). In quo sententiam sancti Damasi in Pontificali de vasis vitreis ad sacrificium ordinatis a sancto Zephyrino, confirmant hæc illius verba : *Cui ille si forte patrocinabitur Pastor, quem in calice depingis ;* maxime quod sequitur : *At ego ejus Pastoris scripturam haurio qui frangi non potest ;* frangi enim facillime possunt calices vitrei ; quos etiam depingi tum solitos esse, hinc fit manifestum. Hic etiam in hoc a Montanistis dissentit, quod quum, teste B. Hieron. Epist. supracitata, Montanus sensisset non posse renovari per pœnitentiam Lapsos, atque adeo illum cum Novatiano conjungat ; Auctor duntaxat mœchis et fornicatoribus (etsi perperam, et contraquam antea scripserat libro de Pœnit.) pacem Ecclesiæ neget, oppugnans ex proposito illud Zephyrini (quem Pontificem Maximum etiam jam hæreticus et *Episcopum Episcoporum* appellat) : *Ego et mœchiæ et fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto* (*Lib. de Pudic. c.* 1.). Atque hoc est mea quidem sententia quod de illo scribit B. August. lib de Hæres., postmodum abs Cataphrygibus divisum sua conventicula propagasse, fortassis quod jam defunctis illis qui κατὰ *Proclum* (cujus ipse sectator) dicebantur, obtinerent palmam illi qui secundum Æschinem. Utpote contra quos tacite scripserit librum adversus Praxean de Patre et Filio non eisdem. Dissensisse etiam illum annotavimus de duabus duntaxat Quadragesimis. Quare falluntur, qui ex eo loco colligunt eum ad catholicam Ecclesiam rediisse, maxime quum B. August. causam hæres. duplicem assignat, tum quia transiens ad Cataphrygas cœpit secundas nuptias damnare, tum quia sua conventicula propagavit.

Anno Domini CCXVII.

36. Sancti Zephyrini Papæ Romani XVIII. et Antonini VI. Q. AQUILIO SABINO. II (ad quem Ulpianus Libros 51. Digestorum scripsit) ET SEXT. AURELIO P. F. ANULLINO COS. censemus scriptos TERTULLIANI LIBROS SEX DE ECSTASI, et ADVERSUS APOLLONIUM SEPTIMUM (*Inter fragmenta*), quos etiam adversus Ecclesiam scriptos testantur B. Hieronymus, Sophron. et Nicephor. Nec obstat quod *Apollonium* collocet Beatus Hieronymus Catal. Script. Eccles. ante Auctorem, quia, quod alias facere solet, nullius imperatoris ascribit tempora. Euseb. quoque Eccles. histor. lib. 5. cap. 17. et post eum Nicephorus, eum inter eos quidem recenset qui adversus Montanum scripserunt, sed aliquandiu postea conscriptum satis indicant illa verba : « Porro *Apollonius* scriptor Ecclesiasticus, quum ea quæ Cataphrygum Hæresis nominata est adhuc in Phrygia vigere videretur, Librum separatim ad patronos ejusdem confutandos conscripsit. Deinde convincit illud ejusdem : Idem iste *Apollonius* in eodem Libro commemorat, quod quadragesimus jam annus, in quo quidem ad hoc opus scribendum se contulit, agebatur, ex quo Montanus conflictam et commentitiam prophetiam incœperit. » Atqui ab initio pontificatus sancti Eleutherii, quo Montanus hæresim sparsit suam, uti supradictum est, ad hunc usque intercedunt anni XLII. Sedit enim Eleutherius post consulatum Cethegi et Clari (utpote creatus pridie Idus Maii, quum exstet illis consulibus Epistola Decretalis sancti Soteris Papæ data X. Calend. Junii) usque ad Maternum et Praduam consules, defunctus VII. Cal. Junii, id est ab anno Domini CLXXII. usque ad annum CLXXXVI. per annos XIV, dies XIII Sanctus Victor, ut supra dictum est, annos XII ; mensem I, dies XXVIII ; cum Sancti Zephyrini XVIII fient anni XLII.

Anno Domini CCXVIII.

§ XVII. *Quonam ultimo tempore floruerit.* —37. S. Zephyrini Papæ Romani XIX. Antonini VII. utriusque ultimo, BRUTTIO PRÆSENTE ET MESSIO EXTRICATO COSS. nos etiam historiæ nostræ Tertullianicæ finem imponimus. Non quod certo velimus asserere postea non supervixisse TERTULLIANUM, quem Trithemius scribit vixisse usque ad senectam et senium, sed quod saltem a scribendo destiterit. Sentiebamus aliquando, quum in illum Annotationes scriberemus, *Librum de Jejuniis*, sub S. Calixto papa editum fuisse, quod *Jejuniorum* meminerit *citra illos dies quibus ablatus est sponsus* (*Lib. de Jejun. c.* 13. *n.* 78. *ibid. c.* 4), id est extra quadragesimam, existimantes alludi ad jejunia IV. Temporum ab illo instituta. Sed ubi penitus inspeximus, potest referri aut ad id quod sequitur : *Et stationum semijejunia interponentes* (nempe feriæ quartæ et sextæ ad horam usque nonam) *et interdum pane et aqua victitantes*, aut ad jejunium Sabbati, quod Romæ celebrabatur ex statuto, non in Africa (cujus etiam paulo post meminit) aut ad jejunia Pœnitentium etiam Catechumenorum, de quibus ipse in hæc verba ante hæresim : *Ingressuros baptismum, orationibus crebris, jejuniis et geniculationibus et pervigiliis orare oportet* (*Lib. de Baptis. c.* 20), aut denique ad jejunia in Vigiliis Festivitatum Ecclesiasticarum. Atque adeo placet B. Hieronymi, Sophronii et Nicephori sententia qui non sub Macrino aut Heliogabalo, sed sub Severo principe

Digitized by Google

et Antonino Caracalla floruisse et scripsisse testantur hunc auctorem nostrum; maxime quum sub S. Zephyrino Pontifice omnes illum claruisse scribant, non sub Callixto; præter unum aliquem neotericum, qui tamen eum jam antea sub Adriano Cæsare eumdem fecerat cum Tertyliano JC. Porro postremum fuisse hunc annum Antonini Caracallæ Imp. non sequentem (uti Cassiodorus habet), patet ex Fastis Consularibus emendatioribus, in quibus sic scribitur: « Hoc anno ad VI. Idus April. IMP. CÆS. M. Aurelius Divi Severi filius Antoninus Augustus Britannicus Germanicus occisus est (*Apolog. cap.* 15.). Quum enim (inquit Spartianus) vellet iterum Parthis bellum inferre atque hybernare Edessæ, atque inde Carras Luni Dei gratia (de quo, quod insuper addit, ad intellectum facit Auctoris, qui alicubi *Masculum* Lunam ridet) venisset, die Natalis sui ipsis Megalensibus, insidiis a Macrino Præf. Præt. positis, qui posteum invasit Imperium, interemptus est, ab eodem tamen in Deos relatus, et templo ei ædificato, et Saliis additis. » Confirmatur hæc mea sententia, quod nullæ extent leges Antonino et Advento Coss. sed Antonini Aug. titulo duæ Præsente et Extricato Coss. altera lib. IX. Cod. data VIII. Kal. Mart. altera lib. VIII. Tit. 38. lib. 3. ex Kal. Martiis paulo ante obitum. Imperavit proinde a pridie Nonas Febr. anni Domini CCXII. usque ad dictum diem, annos VII. menses II. dies IV. Atqui S. Zephyrino Papæ, quem et S. Damasus et alii omnes his consulibus vitam finiisse scribunt, non possunt plures anni tribui quam XIX. et dies XVI. quod a IV. Idus Augusti anni Domini CLXXXIX. usque ad VII. Kal. Septemb., quo defunctus est, totidem computentur. Quem quum Ecclesia inter Martyres celebret, oportet, ut absente jam Antonino, iterum per Pontifices Idolorum excitata fuerit Romæ, et fortassis a Macrino continuata (qui proinde etiam post annum, mensem I. dies aliquot, a Deo cæde punitus est) Christianorum persecutio, sed quia localis duntaxat, non computata ab historicis.

Ac finierit. — 38. Cæterum etiam hic adjiciendum pro historiæ veritate, frustra quosdam illum denuo ad Catholicam fidem rediisse opinari. Nam imprimis id ex S. Augustino colligi non posse ad annum abhinc secundum ostendimus. Deinde inter Martyras minime computandum TERTULLIANUM, sed Tertullinum, supra in ipsis auspiciis annotavimus (*Lib. de Pœnit. in calce Argumenti et suis quibusque locis*). Denique S. Pacianus ad Sympronianum contra Novatianos nihil pro eis facit: « Tertullianus, inquit, post hæresin (etiam addendum censuimus) vester est: nam multa inde sumpsistis. Ipsum Epistola sua, et ea ipsa quam Catholicus edidit, audies confitentem, posse Ecclesiam peccata dimittere. » Neque enim loquitur de epistola, quam post hæresim, sed quam antea adhuc Catholicus ediderat, nempe lib. de Pœnitentia, ex quo multa ipsum descripsisse alibi annotavimus. Certe si ita creditum fuisset, non tantopere hæresim hujus boni viri deplorasset S. Vincentius Lirinensis, cujus interim verba Antidoti loco, ne quis forte ex eo scandalizetur, addenda putavimus: « Fuit iste quoque (alludens ad Origenem, de quo similia scripserat, qui a fine imperii Severi ad Decium usque supervixit) in Ecclesia magna tentatio. Sed de hoc nolo plura dicere: hoc tantum commemorabo, quod contra Mosis præceptum, exurgentes in Ecclesia novellas Montani furias et insana illa insanarum mulierum novitii dogmatis somnia veras prophetias asseverando, meruit ut de se quoque et scripturis suis diceretur: *Si surrexerit in medio tui propheta*, etc. *non audies verba prophetæ illius. Quare? Quia*, inquit, *tentat vos Dominus Deus vester, utrum diligatis eum, an non.* His igitur tot ac tantis cæterisque ejusmodi ecclesiasticorum exemplorum molibus, evidenter advertere, ac secundum Deuteronomii leges luce clarius intelligere debemus, quod si quando aliquis ecclesiasticus magister aberraverit, ad tentationem nostram id fieri providentia divina patiatur, utrum diligamus Deum, an non, in toto corde et in tota anima nostra. »

§ XVIII. *De Tertullianistis.* — 39. Denique coronidis vice, non prætereundum, quod ex B. August. didicimus, durasse adhuc ad sua usque tempora TERTULLIANISTAS Hæreticos, et tum primum in Catholicam Ecclesiam transiisse. Quibus etiam magis, quam ipsi Tertulliano, censemus imputandam absurdissimam illam hæresim qua dicebant animas hominum pessimas post mortem in dæmonas converti, maxime quum ætate primum Augustini post Donatistas et Jovinianistas collocentur Tertullianistæ, qui id senserint, tum ab ipso, tum a S. Isidoro, Honorio Augustodunensi, Rhabano et Gratiano in Catalogis hæreticorum: « Tertullianistæ (inquit ille ad Quodvultdeum, lib. de Hæres.) a *Tertulliano*, cujus leguntur opuscula multa eloquentissime scripta, usque ad nostrum tempus paulatim deficientes, in extremis reliquiis durare non potuerunt (sic enim castigamus) in urbe Carthaginiensi. Me enim ibi posito ante aliquot annos, quod etiam te meminisse arbitror, omni ex parte consumpti sunt. Paucissimi etiam qui remanserunt, in Catholicam transierunt; suamque Basilicam, quæ nunc etiam notissima est, Catholicæ tradiderunt. » Quod utinam illorum exemplo, jam quoque in nostro Belgio (1) fatiscentes nostræ tempestatis hæretici, propediem faciant, Deo auxiliante, cui honor, potestas et gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

(1) Hæc de coævis et conclivibus pius præsul.

TERTYLIANI JC. ROMANI
RESPONSA QUÆ IN LIBRIS DIGESTORUM EXTANT.

EX LIB. I. QUÆSTIONUM OCTO.

D. Lib. I. *Tit.* 3. *de Leg. Senatusque cons. l.* 27.

Ideo, quia antiquiores leges ad posteriores trahi, usitatum est semper, quasi hoc legibus inesse credi oportet, ut ad eas quoque personas et ad eas res pertineant, quæ quandoque similes erunt.

Digitized by Google

D. Lib. 29. *Tit.* 3. *de acquir. vel amitt. hæred. lib.* 82. *juxta MS. cod. Bald.*

Si servus ejus qui capere non potest, hæres instituatur, et antequam jussu Domini adeat hæreditatem, manumissus alienatusque sit, et nihil in fraudem legis factum sit, ipse admittitur ad hæreditatem. Sed et si partem capere tantum possit Dominus ejus, eadem dicenda sunt de parte quam ille capere non potest. Nihil enim interest, de universo quæratur quod capere non possit, an de portione.

D. Lib. 41. *Tit.* 2. *acquir. vel amit. possess. l.* 28.

Si aliquam rem possideam, et eamdem postea conducam; an amittam possessionem? Multum refert in his quid agatur. Primum enim refert, utrum sciam me possidere, an ignorem, et utrum quasi non meam rem conducam, an quasi meam. Et sciens meam esse, utrum quasi proprietatis respectu, an possessionis tantum. Nam et si rem meam tu possideas, et ego emam a te possessionem ejus rei, vel stipuler, utilis erit et emptio et stipulatio, et sequitur ut et precarium, et conductio, specialiter possessionis sofius conducendæ, vel precario rogandæ animus intervenist.

EX LIBRO SINGULARI DE CASTRENSI PECULIO.

D. Lib. 29. *Tit.* 1. *De Testam. mil. l.* 23.

Idem etsi paterfamilias miles de Castrensibus rebus duntaxat testatus arrogandum se dederit : si vero missus jam hoc fecerit, non valet testamentum.

Ibidem, leg. 33.

Si filius familias miles fecisset testamentum more militiæ, deinde post mortem patris posthumus ei nasceretur, utique rumpitur ejus testamentum. Verum si perseverasset in ea voluntate, ut vellet adhuc illud testamentum valere, valiturum illud, quasi rursum aliud factum : si modo militaret adhuc eo tempore quo nasceretur illi posthumus. Sed si filius familias miles fecisset testamentum, deinde postea vivo eo, et adhuc avo quoque superstite, nasceretur ei posthumus, non rumpitur ejus testamentum, quia cum id quod nasceretur, in potestate ejus non perveniret; non videtur suus hæres agnosci, ac ne avo quidem suo hunc nepotem posthumum, cum vivo filio nasceretur, suum hæredem protinus adnasci. Et ideo nec avi testamentum rumpi, quoniam licet in potestate avi protinus esse inciperet; tamen antecederet eum filius. Secundum quæ si filius familias miles testamentum fecerit, et omiserit posthumum per errorem, quem non volebat adhæredatum, deinde posthumus post mortem avi vivo adhuc filio, id est patre suo, natus fuerit; omnimodo rumpet illius testamentum. Sed si quidem pagano jam illo facto natus sit, nec convalescet ruptum. Si vero militante adhuc natus fuerit, rumpetur. Deinde si voluerit ratum illud esse pater, convalescet sic, quasi denuo factum. Sed et si vivo avo nascatur posthumus, hic non rumpet continuo patris testamentum. Si supervixerit post mortem avi vivo adhuc patre, rumpet; quod novus illi nunc primum hæres adnascitur. Ita tamen, ut nunquam possit duorum simul testamenta rumpere, et avi, et patris.

D. L. 49. *Tit.* 17. *De castr. pecul. l.* 4.

Miles præcipua habere debet quæ tulit secum in castra concedente patre. Actionem, persecutionemque castrensium rerum semper filius etiam invito patre habet. Si paterfamilias militiæ vel post missionem arrogandum se præbuerit : videndum erit, ne huic quoque permissa intelligatur earum rerum administratio, quas ante arrogationem in castris acquisierit : quamvis constitutiones principales de his loquantur, qui ab initio quum essent filii familias, militaverint, quod admittendum est.

Dissertatio

DE VERA ÆTATE AC DOCTRINA SCRIPTORUM

QUÆ SUPERSUNT Q. SEPT. TERTULLIANI (1).

Gottfried Lumper, abbot Johann August Nossell

CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

ARTICULUS I.

De Tertulliani ingenio, stylo et existimatione. 89

ARTICULUS II.

De libris Tertulliani, quorum et ætas, et orthodoxia constant. 96

§ 1. — Ratio Instituti *Ibid.*

§ 2. — Quæstiones quædam universe proponuntur. 97

§ 3. — Quonam anno Tertullianus ad montanistas defecerit? Utrum, his relictis, se denuo ad orthodoxos receperit? 98

§ 4. — Quomodo Tertullianus montanizans a Montanista discerni possit. Et hujus discriminis vindiciæ adversus Hoffmannum. 99

(1) Auctore P. Gottefrido Lumper, monacho benedictino imperialis monasterii ad S. Georgium Hercyniæ Silvæ, p. t. Villingæ priore. Hæc dissertatio accipitur ex tom. VI, operis cui titulus : *Historia theologico-critica de vita, scriptis atque doctrina sanctorum patrum, aliorumque scriptorum ecclesiasticorum trium priorum sæculorum ex virorum doctissimorum literariis monumentis collecta*

Digitized by Google

§ 5. — Prima classis librorum, qui sunt tempore prioris vexationis christianorum sub Severo Augusto scripti. 101
§ 6. — De ipsa hac vexatione disputatur, ita ut demonstretur, talem extitisse ante Severi edictum, quam in rem propositis Moshemii argumentis alia nova adjiciuntur, et initium cœpisse A. P. C. N. CXCVII. *Ibid.*
§ 7. — Quæ causæ hujus prioris vexationis. 104
§ 8. — Initium vexationis christian. ex an. quo periit Albinus demonstratur; hunc vero an. CXCVII. interfectum esse probatur primo ex ordine belli quod Severus cum Pescennio Nigro gessit. Obiter quædam notæ in nummis Severi explicantur, et Moshemii rationes emendantur. 105
§ 9. — Albinum anno CXCVII. interfectum fuisse probatur secundo a tempore expugnati Byzantii. 108
§ 10. — Probatur tertio, ex anno, quo Caracallus Cæsaris dignitatem e SCto accepit. 109
§ 11. — E loco quodam Tertulliani ad Scapulam, qui cum alio Spartiani confertur, ostenditur anno CXCVII. initium cepisse priorem hanc vexationem christianorum. *Ibid.*
§ 12. — Idem demonstratur ulterius ex ætate Apologetici Tertulliani, cæterorumque librorum qui eum antecesserunt. 110
§ 13. — Ætas ipsa librorum hujus generis definitur, ita ut liber ad Martyres an. CXCVII. sit exaratus; Hoffmanni conjecturæ explodantur. 111
§ 14. — Liber de Spectaculis an. CXCVIII. conscriptus. Dubitationes Tillemontii, Hoffmanni et Dupinii solvuntur. 113
§ 15. — Liber de Idololatria eidem anno asseritur. Tillemontii et Hoffmanni conjecturæ dispelluntur. 115
§ 16. — Apologeticus an. CXCIX. compositus demonstratur. 117
§ 17. — Libri duo ad nationes anno CXCIX. scripti. 120
§ 18. — Liber de testimonio animæ eidem anno asseritur. 121

ARTICULUS III.

De libris Tertulliani quorum et ætas et Montanismus constat. 122
§ 1. — Liber de Corona an. CCI. docetur conscriptus. *Ibid.*
§ 2. — Secus sentientium opiniones examinantur, et imprimis Hoffmanni et Orsii, qui illum anno CXCVIII. tribuerunt, et Pagii, qui eum assignaverat an. CCII. 126
§ 3. — Baronii argumenta convelluntur pro anno CXCIX. 129
§ 4. — Denique Pamelii et Allixii, qui librum hunc conjecerant in annum CCIX. decreta explodantur. 130
§ 5. — Liber uterque de Cultu feminarum simul editus ostenditur contra Pamelium et Tillemontium. 130
§ 6. — Anno quidem CCI. aut CCII. 132
§ 7. — Liber de Fuga in persecutione vindicatur anno CCII. *Ibid.*
§ 8. — Examinatur popularis sententia de libro Scorpiace libris Tertulliani ad Marcionem posteriore, deque ejus adversus hunc libris deperditis disputatur. 133
§ 9. — Scorpiacen anno CCIV scriptam esse conficitur. 135
§ 10. — Libri V qui supersunt adversus Marcionem, quorum primus refertur ad annum CCVII. aut CCVIII. cæteros dubiæ ætatis esse docetur. 136
§ 11. Tillemontii contraria opinio castigatur. 137
§ 12. Liber de Pallio. Disputatur de triplici præsentis Imperii virtute, et inquiritur in annum quo Geta dignitatem Augusti suscepit. 139
§ 13. — Dubia redditur Basnagii et Walchii sententia, qui an. CCXI. hunc librum editum esse voluerunt, et an. CCVIII. libellus asseritur. 141
§ 14. — Librum ad Scapulam sub initium Imperii Antonini Caracalli, an. CCXI. prodiisse probatur. 143

ARTICULUS IV.

De libris Tertulliani, quorum vel ætas, vel doctrina, vel utraque, latet. 144
1. — Tertia classis librorum Tertulliani, quos, quamvis incertæ ætatis sint, tamen constat scriptos ante ejus defectionem fuisse. *Ibid.*
§ 2. — Liber de Oratione ante defectionem scriptus. *Ibid.*
§ 3. — Liber de Baptismo a Tertulliano catholico exaratus. Confutantur argumenta dissentientium. 148
§ 4. — Pamelius et Dupinius castigantur. Puritas libri a Montanismo demonstratur. 152
§ 5. — Libri II ad uxorem ante lapsum Tertulliani exarati. 156

ARTICULUS V.

Quarta classis librorum, quorum nonnisi Montanismus patet. 157
§ 1. — Liber de Patientia. *Ibid.*
§ 2. — Liber de velandis Virginibus, qui est facile librorum Montanisticorum primus. 159
§ 3. — Liber de Exhortatione castitatis. 160
§ 4. — Liber de Monogamia, Jejuniis et Pudicitia. 161
§ 5. — Libri adversus Hermogenem, Praxeam et de Anima. 162
§ 6. — Libri adversus Valentinianos, et de Præscriptionibus, Carne Christi, et Resurrectione. 164

Digitized by Google

ARTICULUS VI.

Quinta classis, librorum quorum nec ætas, nec doctrina certa est. 168

§ 1. — Liber de Pœnitentia. *Ibid.*

§ 2. — Liber adversus Judæos. 170

§ 3. — De Actis Perpetuæ et Felicitatis, horumque Montanismo. 171

§ 4. — De Montanistis Artotyritis. 174

§ 5. — Whistoni argumenta pro Tertulliano Auctore horum actorum expenduntur. 176

§ 6. — Usus universæ hujus Disputationis exemplis ex Historia christiana ductis demonstratur. 177

ARTICULUS I.

De Tertulliani ingenio, stylo, et existimatione.

Multum valuisse *Tertullianum* litteris, earumque scientia, commentationes, quas edidit, luculenter declarant. Judice *Dupinio*, « acris et acuti erat ingenii, et non satis accurati et recti. Plus splendoris sæpe ejus inest ratiociniis quam solidi. Afficit, et perstringit potius novis et inusitatis elocutionibus, quam vi rationum convincit. Res affectatæ sunt, et interdum aliquanto inflatæ. Lepore quidem grandi, at parum genuino eas exprimit. Præter modum sæpe loquitur : in omnibus fere effervescit et effertur. Figuris et hyperbolis scatet. Multa scientia et eruditione repletus erat, qua apposite admodum utebatur. In Satyra excellebat : ejus urbani sales, et mordaces erant. Adversarios dextre impugnabat, et eos rationum inter se cohærentium multitudine obruebat. Denique ni ratiociniis persuadet, consensum saltem extorquet splendida ratione dicendi. Ejus oratio laconica, dictiones validæ, et in ejus scriptis totidem verba, totidem fere sententiæ. Non immerito tamen in iis tria carpit *Lactantius* vitia non contemnenda. *Tertullianus*, inquit, *plurima erat litteratura peritus*, verum *in loquendo parum facilis, parum comptus, et multum obscurus* (Lactant. lib. V. *Institut. Divinar.*, cap. I.). Tria hæc quidem styli vitia apud plerosque Auctores Africanos occurrunt, exceptis tamen *Minutio*, *Cypriano* et *Lactantio*, qui ab Africanorum stylo recesserant : *Cypriano* tamen adhuc aliquid est reliqui. Verum summo gradu apud *Tertullianum;* et nullius Scriptoris stylus illius auctoris stylo durior est, minus comptus, et obscurior. Singula ejus opera illis laborant vitiis, alia plus, alia minus. Clarior et liquidior est, sed minus elegans in libris Polemicis, obscurior et durior in locis communibus, ut in libro de *Pallio*, quod unum est ex antiquitatis operibus obscurissimis. Liber de *Pœnitentia* omnium est elegantissimus. Ejus opera pulcherrima et utilissima sunt *Apologeticus*, *Præscriptiones*, libri de *Pœnitentia*, *Baptismo*, *Oratione*, et Hortationes ad *Patientiam*, et *Martyrium*. » Hæc Dupinius (Ell. Dupin. *Biblioth. des Auteurs*, tom. I. p. 165. vers. latin. Coloniæ, 1703.). Sed audiendus quoque *Joan. Caveus*, qui cum prædicta *Lactantii* verba recitasset, mox sua hanc in sententiam subdit : *Habet tamen Tertulliani stylus majestatem quamdam sibi propriam, et grandem eloquentiam, sale et acumine plurimum conditam, quæ simul legentis ingenium exercet, et animum suaviter delectat* (Cave, *Hist. litterar.*, tom. I. pag. 92. edit. Basileensis).

Ex supra dictis (prosequitur *Dupinius*) non est difficile judicare, quis fuerit *Tertulliani* Character. Verum æque non est facile asserere, utrum laude, quam vituperio sit dignior ; nam primo si de eo judicatur, prout Ecclesiæ inserviit, difficile dictu est, an ei magis nocuerit, quam profuerit. Inde enim ejus doctrinam contra plures hæreticos fortiter propugnavit, in quibusdam operibus capita non levia ejus disciplinæ tuitus est, et denique mores pulchre passim docuit; at hinc præterquam quod semper multis infectus fuit erroribus, Ecclesiæ disciplinam diserte impugnavit, postquam ab ea descivit. Si deinde de eo judicatur ex ejus ingenio, tanto pollet et bono et malo, ut quod prævalcat, difficile dictu sit. Tandem si ex ejus stylo, nescitur an laudandus grandiloquio et stupendus, aut vitiis vituperandus. Ita sententiis semper dissiderunt, et etiamnum non mediocriter Viri variant in judiciis, quæ de hoc Auctore ferunt : quo ad credendum inducor in eo, quod bonum est, laudare satius esse, et quod malum fuit, vituperare, quam de eo absolutum ferre judicium, quod nunquam non mille disceptationibus esset obnoxium.

En tibi quædam tum Antiquorum, tum Recentiorum de *Tertulliano* judicia. *Cyprianus*, Auctore *Hieronymo*, qui id acceperat a Presbytero quodam, qui id a *Cypriani* scriba didicerat, nonnihil ejus operum quotidie legere solitus erat, et ejus rogando librum, aiebat : *Date mihi Præceptorem meum* (Hieronym., *de Scriptor. Eccles.*, cap. 53.). Revera enim eum imitatus est, et ab eo non pauca desumpsit. Pleraque etiam suorum operum eodem, quo *Tertullianus* instituto composuit, ut suum de *Idololatria* librum ad instar *Apologetici :* Libros de *Disciplina*, et *Habitu muliebri*, *de Zelo*, et *Livore*, de *Oratione Dominica*, *de Opere et Eleemosynis*, ad imitationem Tertulliani. *Eusebius* tradit de Tertulliano, eum unum ex eruditissimis latinis Scriptoribus fuisse, et in singulis Ecclesiis clarissimum (Euseb., *Hist. Eccl.*, *l.* II. c. 2.).De eo judicium fert *Lactantius* a nobis allatum, quod ejus non admodum cedit honori. *Hilarius* in suo in Matthæum commentario scribit, errorem in quem lapsus est, ejus librorum auctoritatem elevasse, qui erant aliqua approbatione digni. De eo nonnunquam honorifice loquitur Hieronymus, ut in Catalogo, ubi loci eum dicit acris et vehementis ingenii Virum; et in sua ad *Magnum* Epistola, tradit eruditione et subtilitate omnes ei auctores inferiores esse; sed alibi ejus errores increpat, et vitia. In sua contra *Ruffinum* Apo-

Digitized by Google

logia, ait : *Ejus ingenium laudo, hæreses damno* : et contra Helvidium, respondet Hæretico Tertulliani auctoritatem apponenti : *De Tertulliano dico, Ecclesiæ hominem non esse. Tertulliani* stylum laudat *Augustinus*, et ejus ubique damnat errores, in libro de *Genesi ad litteram* tradit *Tertullianum* acri ingenio nonnunquam veritatem perspexisse, nec potuisse quin eam aliquando vel contra mentem suam poneret. *Tertullianum* ita suis pingit coloribus *Vincentius Lirinensis : Tertulliani quoque*, inquit, eadem est ratio ; nam sicut ille (nempe *Origenes*) *apud Græcos, ita hic apud Latinos, nostrorum omnium facile princeps judicandus est. Quid enim hoc viro doctius? quid in divinis, atque humanis rebus exercitatius? nempe omnem philosophiam, et cunctas philosophorum sectas, auctores, adversatoresque sectarum, omnesque eorum disciplinas, omnem historiarum, et studiorum varietatem, mira quadam mentis capacitate complexus est. Ingenio vero nonne tam gravi, ac vehementi excelluit, ut nihil sibi pene ad expugnandum proposuerit, quod non acumine irruperit, aut pondere eliserit? Jam porro orationis suæ laudes, qui exequi valeat? quæ tanta, nescio qua rationum necessitate conferta est, ut ad consensum sui, quos suadere non potuerit, impellat; cujus quot pene verba, tot sententiæ sunt, quot sensus, tot victoriæ. Sciunt hæc Marciones, Apelles, Praxeæ, Hermogenes, Judæi, Gentiles, Gnostici, cæterique ; quorum ille blasphemias multis, ac magnis voluminum suorum molibus, velut quibusdam fulminibus evertit. Et tamen hic quoque post hæc omnia, hic inquam Tertullianus, Catholici dogmatis, id est, universalis ac vetustæ fidei parum tenax, ac disertior multo, quam felicior, mutata deinceps sententia, fecit ad extremum quod de eo beatus confessor Hilarius quodam loco scribit : Sequenti, inquit, errore detraxit scriptis probabilibus auctoritatem* (1). *Trithemii, Rhenani, Politiani, Pamelii, Rigaltii*, et cæterorum recentiorum judicia silentio prætermitto, qui a singulis consuli possunt, et duorum Nostratium Gallorum auctorum judicio finem facio, qui uterque *Tertullianum*, sed varie pinxit. Prior est clarus *Balzacius* in Epistola ad *Rigaltium* 2. lib. 5. *Tertullianum*, inquit, *expecto, quem in lucem emittis, ut me patientiam, quam tradit, edoceat..... Cum eo auctore in gratiam redissem tua præfatione, si eum fuissem odio prosecutus, et si ejus dictione dura, et ejus sæculi vitiis ab eo legendo fuissem deterritus. Verum jam diu est, quod eum magni facio, et quamvis spinis sit obsitus et tristis, mihi non videtur injucundus. In ejus scriptis nigrum illud, de quo vetus poeta canit, mihi occurrit lumen, et ejus æque me juvat obscuritas, ac nitentis ebeni et fabrefacti. Ita semper sensi, ut Africanæ formæ, licet a nostris abludant, tamen sua non carent amabilitate, et ut non paucas Italas obscuravit Sophonisbe, sic ejusdem regionis ingenia cum suâ extera placent eloquentia, et huic plures Ciceronis imitatores postponam. Delicatissimis fateamur, et quidem stylum esse ferreum, at nobis quoque fateantur, ex hoc ferro eximia eum arma cudisse, ac Christianæ Religionis cum honorem, tum innocentiam propugnasse : Valentinianos acriter persecutum fuisse, et Marcionem penitus confodisse.* Posterior est *P. Malebranchius* Investigationis veritatis auctor Lib. II. cap. 3. *Tertullianus*, inquit, *procul dubio, vir omni doctrina excultus erat, at plus memoria, quam judicio pollebat. Acri magis et vasto ingenio, quam acri et vasta mente. Denique dubitari nequit, quin fanaticus fuerit eo sensu quo supra explicui, et quin omnia propemodum fanaticis propria ei fuerint. Eo quod Montani ejusque vatum visiones veneratus fuerit, evincitur quod debili judicio fuerit. Acies illa ingenii, impetus de levibus afflatus, mentem effrænatam non obscure denotant; quot in ejus hyperbolis et figuris motus abnormes? quot rationes splendidæ ac magnificæ, quæ suo duntaxat splendore probant, et persuadent solum mentem stupefaciendo atque perstringendo.* Deinde demonstrare conatur hanc veram illius esse imaginem, quædam exscribendo ex libro de *Pallio*, quo existimavit opere id apposite evinci posse.

Si hanc, quam ex Viris doctis dedimus, *Tertulliani* imaginem spectemus, quæri cum nonnullis potest, plus ne profuerit nocuerintne Religioni et Ecclesiæ? majorane damna intulerit Ecclesiæ, an vero commoda? plusne vituperio, an laude dignus sit censendus Tertullianus? Ut varia hac de re doctorum judicia sunt, ita quidpiam determinare oppido difficile est, ac delicatum. Judice tamen elegantissimo Schroeckhio (1), si ejus (Tertulliani scilicet) scripta interrogemus, in ejus fere favorem licet respondere. Montani enim errores, quorum Patronum agebat, non admodum Ecclesiam oppugnabant, multo minus Christianæ religionis fundamenta evertebant, sed ex fervore potius quodam pietatis nimio, rationis discussionem plerumque abjiciente, oriebantur; imo et in his defendendis a Fide catholica, symboloque Apostolico nihil, aut certe non multum discedebat. Quid ergo Montanistæ appellatio plus illius famæ noceat, quam alia veterum Patrum errata auctoribus suis? inter Sectarios meliorem quidem Vitæ suæ partem egit, non habet tamen Ecclesia ea ætate Virum, quem huic eruditione, et meritis comparet. Imo non parum profuisse catholicis Tertullianum etiam Montanistam arbitror, non solum quod suis invectivis eorum in agendo prudentiam acueret, sed quod eos commendatis tanto ardore severioris Ethices principiis ab lusibus allegoricis in exponenda Scriptura sacra, et ingeniosis circa Fidem quæstionibus inter eos hinc inde agitatis ad res longe utiliores avocaret. Nec vero quæ scriptoris hujus sunt vitia (hæc enim non potuit non prodere, qui in alienis detegendis refutandisque tanta fuit inclementia versatus) Virtutes ejus adeo conspicuas obscurant. Scripta ejus plena indiciis fervidi profundique animi, suo se genio distinguentis ; modo animus vehementer assurgit, modo quadam velut ægritudine demittitur, et anxie serpit, propriis inventis et cogitatibus abundans, raro sedatus, in

(1) Vincent Lirinens. Commonitor., cap. XVIII.

(1) Jo. Matth. Schroekh. *Hist. Eccles. Theolusce script.*, tom. III. p. mihi 321

Digitized by Google

exultando quoque subtristis. Apparatus eruditionis, quam ubertim, apteque suis inspersit locis, multiplex non sine legentium sapore atque emolumento imaginandi vis, ampla atque prognata inde ingenii ubertas se undique per exquisitas cogitationes, acutas sententias, imagines vivacissimas, per festivos sales, et mordaces cavillationes, omneque dictionis genus diffundunt; his facultatibus raptim et turbate multoties agitatis judicium non semel cespitat; unde ejus argumenta splendoris ac speciosi multum, ponderis vero et solidi sæpe parum habent. In rebus etiam minimis exardescit. Præter facilitatem quibusque narratiunculis assentiendi, haud infrequenter res veritate majores contemplatur aut fingit, lectorem potius ipse abreptus secum rapit, quam ratione in suas partes invitat. Sæpius quam res nude docenda aut probanda postulat, calamistris et cincinnis delectatur. Multa etiam durius et significantius, quam intelligi voluerit, dicit. Græcam philosophiam apprime callebat; ab ejus tamen usu non tantum odio, quo velut hæresum matrem inter Christianos condemnabat, sed et indole animi, tardam et ab adamatis evagationibus liberam cogitationem abhorrentis, abstinuit, unde et minus frequenter, minusque feliciter, quam ejus capacitas ferebat, philosophabatur. His tamen haud impeditus fuit, quo minus Christiani nominis et Religionis eximius adversus Gentes Apologeta evaderet. In suis scriptis, si paucas quasdam sibi peculiares sententias, neque gravioris momenti, ac præsertim decantata Montani dogmata excipias, puram passim cum gravitate Fidem Catholicam, absque artificiosis explicationibus, et comparandi formulis, quas nonnulli Doctorum hucusque adhibere conati fuere, proponit. In morum doctrina, ubi tam frequenter in rigorem deflectit, quanto severior, tanto sæpe præstantior. Suo namque Religionis promovendæ ardore legentium animos succendit, et generosos in actus inflammat. Quæstiones autem, et assertiones Morales tanta vi ac gratia pertractat ut erranti facile ignoscas, frequens in sacrarum litterarum usu, nec indoctus earumdem interpres, sed parum ingenuus, suarum utpote opinionum ex iisdem eliciendarum plus æquo studiosus. In falsis doctoribus et Christianæ doctrinæ corruptoribus reprimendis acerrimus Athleta, qui eosdem innato animi impetu, capitali odio, dicteriis et opprobriis homine liberali parum dignis, persecutus est. Ad eos fortiter atque omni ex parte debellandos, insuetis utitur argumentandi telis, quæ tamen pleraque non incassum emissa, graviter vulnerant. Stylus ejus duritiem plusquam Africanam, et si accurate velis dicere, Tertullianeam redolet. In verbis amplitudini et vi cogitatuum respondentibus ubique Auctoris singulare studium apparet. Ideæ ideis, vocabula vocabulis condensantur, ut e dictionis obscuritate non nisi raro perspicuitas, et duntaxat velut fulgur e tenebris resplendeat. Voces obsoletæ, aut nove confictæ, aut affectatæ, constructiones verborum asperæ, abusiones variæ, stylus inæqualiter fluens, condensa brevitas, audaces metaphoræ, frigidæ sententiæ, et antitheses ac lusus verborum inanes Tertullianum ubique produnt. Quæ sedeat sententia in mente Tertulliani, verbis quidem exprimit, sed obscuris adeo, ut conjectando potius, quam probe perspiciendo eruatur: rarius dubiæ, quas ad se manifestandum selegit, phrases plene penetrantur; non immerito in hoc carpendus, quod studiose cogitatus suos tenebris ac verborum involucris contexerit. Verum Œdipi labores haud sane inanes erunt, qui solertius styli hujus ænigmata pervestigarit. Dubiam, quam suis scriptis aspergit Auctor, lucem compensat copia et ubertate veritatum quas sollicito scrutatori detegit. O quam jucundus erit conatus antiquitatis studioso hæc scripta meditanti, ex cumulo verborum operose coacto ad penitiorem rerum cognitionem pertingere, et non raro in unico prope verbulo acutius investigato præclaras veritates retegere! Quantopere abludit Tertullianus a Scriptoribus non paucis, qui turgida sua dicendi methodo, verborum nonnisi profluvia fundunt, et cassas nuces lectoribus ad fastidium usque porrigunt. Quot interea Auctor noster difficultatibus scatet, cultoribusque suis lectionem reddit impeditam, tot amœnitatibus e contra sunt ejusdem libri referti, et varietate ac selectu sententiarum ac veritatum utiles magis atque jucundi. Præter enim Eruditionis reconditioris thesauros, invenies in ejus scriptis Fidei Christianæ, disciplinæ Ecclesiasticæ, cæremoniarum in cultu divino usitatarum, impetuumque a sectis hæreticis in doctrinam catholicam factorum, ac hæreticorum sui ævi opinionum enarrationem adeo ingenuam, perspicuam, et jucundam, qualem frustra illa ætate ab aliis expectaveris. Nec est, quod confusionem Montanismi (propriæ suæ opinionis) et Catholicismi, ut ita dicam, metuas, qui multorum est scrupulus, nam illum in paucis, rebusque levioribus professus est, nec suas opiniones a communi sententia discernendi media nos deficiunt. Parum accuratam esse aiunt nonnulli ejus de Gnosticorum erroribus ob Orientalis Philosophiæ ignorantiam recensionem; sed id non satis ingenue creditur. Is, qui tanta diligentia et acumine in horum scriptis erat versatus; is, quo nemo uberius illorum errores discusserat, is horum ignorasse originem credatur? Atqui absurda illorum opinamenta ex Philosophia Græcanica unice derivat, concedendum ergo potius, hunc fontem non fuisse duntaxat philosophiam Orientalem. Præterea Tertullianus latinitatis Ecclesiasticæ seu sermonis in publicis Ecclesiæ negotiis usitati auctor fuit, in quo cum veteris Latii vocabulis et sententiis novæ et a Christianis dogmatibus, Personis, et Consuetudinibus desumptæ notiones junguntur, licet ab orthodoxis suæ communioni non fuerit annumeratus, ejus tamen ingenium, stylumque passim commendabant, quemque inter Occidentales illi æquarent, habebant neminem. Non multo post Cyprianus, inter Episcopos celeberrimus, se suamque orationem penitus ad hujus dictionem effinxit, quod et cæteri minus aperte tentarunt. Montani autem factione paulatim deficiente, periculum quoque ex illius lectione sensim evanescere

Digitized by Google

cœpit, maxime ob commoda quæ inde hauriri poterant plane singularia. Commentationes et interpretationes ejus in sacras litteras illustria sunt monumenta ad historiam Theologiæ Biblicæ, Exegesinque sacram; sed non sine difficultate dirimitur quæstio, quantum ille usus sit interpretatione latina illo tempore jam existente. Numerus et varietas operum Tertulliani sane postulat, ut illa certum in ordinem aut classes redacta perpendantur; sic relate ad res quas continent, seu ratione argumenti quod pertractant, illius scripta in tres classes distingui possunt. Prima complectitur ea, quæ adversus Ethnicos et Judæos, juratos Religionis hostes, scripta fuere, qualia sunt, e. c., *Apologeticus*, *libri II. ad Nationes*, liber *de animæ Testimonio*, ad *Scapulam*, et *adversus Judæos*. Secunda quæ contra Hæreticos, puta liber de *Præscriptione Hæreticorum*, adversus *Praxeam*, *Hermogenem*, *Valentinianos*, *Marcionem*, *de Carne Christi* contra *Apellem*, *Marcionem et Valentinum*, de carnis *Resurrectione* contra *Sadducæos* et Hæreticos Resurrectionem negantes. *Scorpiace* contra *Gnosticos*, liber de *Anima* contra Philosophorum et Hæreticorum sententias. Tertia vero, quæ cum disciplinam, tum mores spectant; in hac classe primus locus debetur *libro de Baptismo*, cujus pars prior dogma adversus *Gajanitas* de Baptismi necessitate ac efficacia demonstrat; posterior disciplinam describit. *Liber de Pœnitentia* primus est eorum qui mere ad Ecclesiasticam disciplinam spectant. *Liber de Oratione* partim de moribus, partim de disciplina agit. Huc spectant etiam Tractatus de *Idololatria*, de *Corona*, de *Fuga*, de *Pallio*, de *Spectaculis*, de *Cultu et habitu Feminarum*, de *Velandis Virginibus*, de *Patientia*, ad *Martyras*, ad *Uxorem*. Habita vero ratione ad Criticem ac Chronologiam quinque Operum classes statuendas esse capite sequenti docebimus. Notanda denique etiam veniunt Tertulliani opera contra Ecclesiam scripta pro Montanistis, hujus generis numero quatuor habentur, nimirum liber de *Pudicitia*, de *Monogamia*, *Exhortatio ad castitatem*, et Tractatus *de jejuniis*.

De tempore atque ordine, quo in exarandis commentationibus suis usus est *Tertullianus*, multa ab Eruditissimis Viris disputantur; nec licet litem hanc ita decidere, ut omnia fiant plana atque accurata. Præter alios, operas suas ad id contulerunt, ut librorum, quos *Tertullianus* composuit, et reliquit, ætates indagarent, ex Protestantibus Samuel *Basnagius* (Sam. Basnag., *Annal. politico Ecclesiast.*, tom. II. p. 215.) et Petrus *Allixius* (Petr. Allix, *Dissertat. de Vita et Scriptis Tertulliani*, cap. IV, seqq., pag. 28.), cujus Chronologiam proxime ad veritatem accedere judicat Guil. *Caveus* (Guil. Cave., *Hist. litterar.*, tom. I. p. 92.) et ipse ordinem, ab eo designatum, in enumerandis his libris præcipue sequitur, ita tamen, ut in nonnullis ab illo dissentiat. Ex Catholicis Sebastianus le Nain, *Tillemontius* (Tillemont, *Mémoires*, tom. III. p. 300. et suiv., édit. de Bruxell., 1732.), Ellies *Dupinus* (Ell. Dupin, *Bibliothèque des auteurs*, tom. I.) et Remi *Ceillier* (Remi Ceillier, *Hist. gén. des Auteurs*, tom. II. chap. 28.) ad investigandam ejus librorum ætatem vires suas et studium impenderunt. Sed nemo felicius, indice Cl. Jo. Matth. *Schroeckhio*, hoc munere functus est, quam Cl. Jo. Augustus *Noesselt* Theologiæ Doctor et Professor publicus Ordinarius in Academia *Halensi* edita disputatione anno 1757. *De vera ætate ac doctrina scriptorum quæ supersunt Q. Septimii Tertulliani*, atque emendatius reimpressa Halæ Magdeburgicæ anno 1768. quam tum ob suam præstantiam, tum ob raritatem (integro enim fere anno Bibliopolas passim litteris pro ea mihi comparanda, adhortatus, tandem multa industria exemplar nactus sum) litteratorum haud ingratiis hic subjiciendam statuit.

ARTICULUS II.

De libris Tertulliani, quorum et ætas et Orthodoxia constant.

§ 1. — *Ratio instituti.*

Postquam, depulsis superioris barbariei tenebris, bonis artibus atque disciplinis pristina elegantia restituta fuit, cœperuntque prodeuntibus annis omnia litterarum genera majori lumine collustrari : non defuerunt magno et excellenti ingenio viri, qui nec arte longa, nec maximis difficultatibus deterriti, quidquid industriæ poterat impendi, ad illustrandam cœtus Christiani historiam contulerunt. Namque hi, ut erant in ea sententia, absque veterum scriptorum severa lectione, neque litterarum elegantiæ, neque arti bene accurateque sentiendi, neque ipsis sanctioribus disciplinis satis posse consuli; ita maxime excutiendos credebant eos, quorum lectione perspexerant ipsius doctrinæ disciplinæque Christianorum intelligentiam plurimum adjuvari posse. Sed, ut ipsorum temporum, ita etiam opinionum est quædam vicissitudo : hæc ex antiquitate sapiendi ratio paulatim apud nos adduci cœpit in contemptum, maxime cum extiterint, qui propterea quod solo sensu communi, a patribus velut hæreditate relicto, virum doctum credebant effici, modo is esset adstrictus subtilitatis geometricæ legibus, instituerunt Theologiæ tirocinia ipsa pro Theologia habere, et, contenti scientia sua tam parva, contemnere eos, quorum studia aut nullam habent novitatis formam, aut acerrimam ingenii contentionem laboremque requirunt operosum. Unde factum est, ut hodie plerisque sordeat omne id, quod habet aliquam notam antiquitatis, et quæ ad sacrarum litterarum, veterum familiæ Christianæ doctorum et historiæ Christianæ intelligentiam pertinent, ea doctoribus umbraticis, quam sagacioribus videantur digniora.

Hæc sæpius mente agitantibus nobis, dolentibusque cum iis, qui bonam mentem amant, temporum nostrorum infelicitatem, visum est, horum æmulari diligentiam potius, quam cæterorum obscuram sapientiam. Ex quo igitur cœpimus cogitare de eo, quo possemus consequi, ut aliquid consecremus ad aliorum utilitatem; religioni nobis duximus, viam sequi popu-

Digitized by Google

larem, quæ sensim ducet nostros homines ad barbariem pristinam, repetendaque putavimus antiquitatis studia, quæ cum opera, in divinis litteris diligentius colendis a nobis collocata, majorem aliquam habeant conjunctionem. Propterea, cum, quoad licebat, etiam ad antiquiorum Ecclesiæ Doctorum libros assidue tractandos animum adjunxissem meum : dignus mihi in primis Tertullianus videbatur, cujus scripta accurata lectione perseqûerer. Namque dubito fere, an quis in antiquitate universa sit eorum, e quibus doctrina moresque veterum Christianorum possunt intelligi, qui cum maximo ingenio majorem conjunxerit rerum divinarum humanarumque scientiam, majoremque in commentando subtilitatem (1). Sed ejus quidem scriptoris usum in veterum Christianorum institutis cognoscendis maxime impedit dubitatio, sitne quis ejus liber tum scriptus, cum in Montanistarum partes discessisset, vel ante hanc defectionem a patriori Ecclesia? quæ quidem quæstio vehementer exercuit doctorum hominum ingenia, [movitque eos ad intelligendam librorum ejus ætatem, ut haberemus certam viam e Tertulliano intelligendi, quid veteres Christiani senserint, quidne minus? Sed dolendum est sane, horum alios, eosque præstantissimos viros, non nisi unum alterumve libellum sumpsisse sibi, alios leviter opus susceptum tractasse, alios præjudicatis opinionibus a vero aberrasse, quod credo consecuturos fuisse, si nudam veritatem nudi expeditique fuissent secuti. Quare cum legissem istius scriptoris libros atque relegissem, et observarem, esse adhuc in iis, quæ, ad librorum ætatem scriptorisque doctrinam pertinentia, disputari utiliter possent, ab aliis non commemorata, ac plerorumque librorum ætatem accuratius posse constitui : consilium cepi benevolo doctorum virorum judicio subjiciendi ea quæ sumpta e libris Tertulliani ipsis, cum scriptorum veterum libris aliisque antiquitatum monumentis collata ad demonstrandam eam facere posse videbantur. Quam quidem disputationem ita instituemus, ut, præmissis quibusdam, quæ universe dicenda sunt, *primum* commentemur de libris iis, quorum et ætas constat et scriptoris doctrina, *deinde* in eos inquiramus, qui quidem non habent certas ætatis notas, sed Montanismi tamen convinci possunt, vel ab ista suspicione liberari; *denique* eos, quorum ætas non majorem habet claritatem, quam indoles doctrinæ, candide diligenterque excutiamus.

A

B

C

D

§ 2. — *Quæstiones quædam universe proponuntur.*

Hæc vero disputatio universa ut occupatur duabus rebus, ætate librorum ac Montanismo : sic duplicem habet difficultatem non parvam, propterea, quod nec ubivis doctrinæ modus certa quadam via ac ratione reperiri potest, nec sunt ubique ætatis librorum certissima indicia. Nam si disputatur de eo, utrum sit aliquis Tertulliani libellus ante scriptus, quam defecerit ad Montanistarum familiam, an postea: ea res duobus modis intelligitur : vel ex ipsa libri ætate, vel ex iis, quæ in quovis libro continentur, Montanistarum doctrinis. Sed ista superior ratio triplicem habet dubitationem. Nam horum librorum alii tam non ostendunt quædam hujus rei vestigia, ut ætas eorum plane sit desperanda; alii nil nobis relinquunt, nisi ut descendamus ad rationem conjecturalem, denique alii dant quidem suspicionem certam ejus libri ætatem intelligendi, sed hoc nimirum est dubium, utrum ista tempestate jam Tertullianus fecerit ab Ecclesia secessionem, aut eodem, unde discesserat, redierit. Contra altera ætatem definiendi ratio, præterea quod non occurrit ubivis, dubitantes relinquit lectores, sitne jam facta Tertulliani disjunctio ita, ut se receperit ad disciplinam Montani, an minus, sed in uno alterove cum ea communiter erraverit, nec tamen jam tum miserit orthodoxæ Ecclesiæ nuntium? Enimvero, sicut in ejusmodi loco, ubi vel nulla est vel dubia ejus ætatis suspicio, alias, indicata ratione dubitandi, veterum illud : *Non liquet*, interponemus, alias conjecturarum nostrarum rationem reddemus probabilem : sic, ut de locis reliquis singulis universe dicamus, tria attingemus brevissime. *Primum* disputabimus de anno, quo ad Montanistas Tertullianus defecerit (erit enim hoc, unde constitui possit ætas eorum librorum, quorum non doctrina quidem, sed ætas patet); *deinde* videbimus, utrum Tertullianus nunquam ad saniorem mentem redierit, sed manserit partibus Montani perpetuo addictus : *postremo* admonitiones quasdam universas proponemus, e quibus quis intelligere possit, an sint e Tertulliani libris nonnulli Tertulliano orthodoxo quidem, sed ad Montanismum inclinanti, aut isti omnes, qui eorum errorum dant suspicionem, Tertulliano jam plane alienato adjudicandi.

§ 3. — *Quonam anno Tertullianus ad Montanistas defecerit? Utrum, his relictis, se denuo ad orthodoxos receperit.*

Quonam vero anno contigisse dicamus istam *Tertulliani* defectionem? Hoc quidem nec potest ex ipsius nec ex alius cujusdam scriptoris testimonio percipi; neque *Hieronymus* eo quod dicit (*In libro* de Viris illustribus, *cap.* 53. *in Jo. Alb. Fabricii Bibliotheca Ecclesiastica*, p. 125.) *Tertullianum usque ad mediam ætatem, Ecclesiæ Presbyterum mansisse*, justam dat viam ejus rei inveniendæ, quoniam, quando natus mortuusve sit *Tertullianus*, quamve ætatem attigerit, non satis constat. Sed est aliqua hujus rei reperiendæ ratio sita in libris iis, quorum, qui se excipiunt temporis ordine, alii nulla habent Montanismi vestigia, alii haud pauca. Atqui nos ostendemus suo loco, nullos esse eorum, qui librum *de Corona militis* antecesserunt, in quibus iste *de animæ testimonio* ultimus est, e quibus quædam Montanismi significatio eluceat,

(1) Ne quid forte videamur dedisse partium studio, unius Jo. Dallæi testimonium adjicimus, quod propter nimiam hujus viri in doctores antiquioris Ecclesiæ acerbitatem, hic non potest esse suspectum. Is vero Tertullianum vocat *scriptorem ad miraculum eruditum, acutum, diligentem, copiosum, testem denique rerum sui ævi Ecclesiasticarum locupletissimum* (de cultibus religiosis latinorum, lib. I, cap. XI. p. 50.

Digitized by Google

sed ejus rei prima esse vestigia in libello *de Corona militis*. Porro planum faciemus, hunc A. CCI. mandatum fuisse litteris, cum liber *de Testimonio animæ* sit fere versus finem A. CXCIX. compositus; unde haud difficile erit intellectu, *Tertullianum* anno fere P. C. N. CC. se Montanistarum partibus adjunxisse. At majori sane difficultati obnoxia est altera quæstio: utrum, susceptis semel Montanistarum erroribus, nunquam *Tertullianus* se ad pristinum cœtum receperit? Cujus tamen quæstionis affirmandæ nulla est idonea ratio. Nam ea erat isti homini austero et supra modum rigido insita animi imbecillitas, ut, quo severiora essent, quæ ad vitam moresque pertinerent, eo magis ista adamaret, crederetque tanto magis probata fore Deo et consentientia cum christianorum perfectione. Atque, ut solent ii, qui atra bile vexantur, tenaciores esse eorum omnium, quæ nutrimento sunt tristitiæ, eorumque opiniones cum annis nova capere incrementa: ita est parum credibile, *Tertullianum* istas opiniones deposuisse, istamque reliquisse palæstram, in qua videbat operam se posse omnibus ejus generis exercitationibus dare. Accedit ad hoc non omnium modo, qui de rebus ad eum pertinentibus commentati sunt, silentium de eo, quod ad religionem pristinam redierit, sed ipsa etiam *Augustini* professio (*De hæresibus*, *cap.* 86.) omniumque consensus, qui ejus auctoritatem in doctrinis probandis admittere noluerunt, quoniam ad perverse sentientium partes se contulisset. Neque cum sententia nostra pugnant libri ii, quos eum ultimo fere loco scripsisse ostendemus, qui pene omnes aliquas habent maculas errorum Montanisticorum aspersas. Sit igitur hæc ea in re præceptio, ut omnes isti libri existimentur ab ipso post discessionem suam elaborati, quos apparet post alios fuisse compositos, qui istorum errorum possunt haud dubie convinci.

§ 4. — *Quomodo Tertullianus Montanizans a Montanista discerni possit? Et hujus discriminis vindiciæ adversus Hoffmannum.*

At sunt permulti e *Tertulliani* libris, quorum ætas cum curiosorum acumen subterfugiat, nulla habent, nisi quædam errorum Montanisticorum vestigia sibi impressa, e quibus vix tamen potest judicari, quosnam libros ante, quosnam post defectionem suam ad Montanistas conscripserit. Unde factum est, ut, qui ista subtilius quærunt, Tertullianum *Montanistam* a *Montanizante* distinguendum esse haud inepte dicerent. Sed aliter visum est Jo. Guil. Hoffmanno, doctissimo olim in Academia Vitebergensi Historiæ doctori, qui, cum in ea esset sententia, ut crederet omnia *Tertulliani*, quæ supersunt, in Montanismo scripta fuisse, hoc sibi demonstrandum dissertatione singulari sumpserat (Vitebergæ 1739.). Is quidem pulchre perspiciens, si ista subtilitas admitteretur, demonstrationem suam aliquid esse detrimenti capturam, negavit hoc admitti discrimen posse. « Carere « enim hoc, ait, (§ IV. p. 17.) finibus certis, nec « minus ambiguum esse vultum Montanizantis et Mon- « tanistæ, quam ejus, qui ægrotare incipit, et ægro- « tantis. » Ego vero vehementer dubito, quod, quid sibi velint, qui ita loquuntur, *Hoffmannus* intellexerit, aut intelligere voluerit. « Libros enim *Tertulliani* « Montanizantis, adjicit (p. 18.), forte esse eos, qui « quidem *Montani* dogmatibus infecti sunt, sed recte « sentientes non exagitant; *Montanistæ* vero, qui « hæresim non solum continent, verum etiam contra « catholicos defendunt. » Sed nobis iisque qui ita loquuntur, quod ego quidem sciam, omnibus, is dicitur μοντανίζειν, qui quidem errores cum Montanistis communes vel omnes habet vel aliquos, sed ita tamen, ut, spreta eorumdem sacrorum cum sua Ecclesia communione, nondum se contulerit ad ejusdem societatis sacra, quacum in nonnullis doctrinis consentit; cum Montanista sit, qui utrumque fecerit. At ista quidem *Hoffmannus* certis carere dicit finibus. Sit ita sane. Sit vultus *Tertulliani* Montanistæ ac μοντανίζοντος ambiguus admodum. Quid ergo est? Nimirum non potest ex vultu *Tertulliani* judicari, fueritne is jam morbo lecto affixus, an leviter tactus quodam ejus impetu. Et id volebamus quidem, non posse ex levibus quibusdam signis errorum *Tertulliano* cum Montanistis communium tute conjici, quod jam ipsa Montanistarum sacra susceperit. Neque tamen id ita intellectum volumus, quasi spurium esset, aut suspectum omne argumentum, quod ducitur a doctrinis Montanistarum in hoc, illove libro *Tertulliani* obviis ad Montanismum istis libris asserendum. Sunt enim ista in re fines et quasi termini, quibus utendum arbitror, ne de *Tertulliani* Montanismo, ex ejus libris cognoscendo, parum aut nimium philosophari videamur. *Primam* igitur legem ejus rei judicandæ hanc volumus esse, ut ejusmodi liber habeatur in eorum numero, quos, familiæ Montanistarum jam adscriptus, composuerit, in quo occurrit nomen *Psychicorum*. Erat enim hoc veluti symbolum, quo socios orthodoxæ Ecclesiæ a suæ sectæ hominibus, quos spiritales dicit, distingueret (*V. Tertullianum, de Monogamia, cap. 1, edit. Nic. Rigaltii 11. p.* 673. R.): atque videtur tum fere confictum, cum eos, qui rigidam Montani disciplinam non recipiebant, oppugnare inciperet. Neque id occurrit in ullo libro alio, quem temporis aut ipsius doctrinæ ratio ostendunt ante ejus defectionem conscriptum fuisse. Itaque non est dubitandum, quin sint isti libri, qui hoc nomen continent, omnes post susceptum Montanismum exarati. *Alter* canon hic esto: omnis liber *Tertulliani* ex Montani officina exisse putetur, qui doctrinas tractat non quidem Montanistarum proprias, sed tamen *Paracleti* cujusdam auctoritate confirmatas. Namque hic erat capitalis Montanistarum error, quod *Paracletum* jactarent suo tempore venisse talem, qui et dux esset ad veritatem omnem, et nova rerum divinarum scientia auditores suos imbueret ita, ut cognoscerent, quæ patefacta nulli essent antiquioris memoriæ homini, et ad maximam perfectionem nunc aspirare possent (*V. eumdem in libro de velandis virginibus, cap. I. et libro I V. adversus Marcionem, c. 22. p.* 537. *C.*). Atque hujus *Paracleti* agnitionem se, ait, sejunxisse ab Ecclesia (*Adversus*

Digitized by Google

Praxeam, *cap. I. p.* 634. D.); neque hunc sibi errorem persuaderi unquam passi sunt orthodoxæ Ecclesiæ socii, quoniam hic principalis erat doctrina eorum, qui Montanum, tanquam magistrum, sectabantur; quamvis cæteri errores Montanistarum omnes, ex aliqua parte, vel ipso hujus controversiæ tempore, vel paulo post, reçepti fuerint a nonnullis antiquæ Ecclesiæ sodalibus. Sed quemadmodum diximus, nunquam deposuisse *Tertullianum* errores eos, quos semel in schola Montanistarum didicerat, id sponte sequitur, quod jam fere diximus, ejusdem generis esse libros *Tertulliani*, in quibus alios, haud dubie Montanistarum scitis infectos, excitavit. Atque his regulis addi possent aliæ, quæ libros Montanismi certissime arguunt, qualis est diserta ipsius *Tertulliani* professio; sed sunt istæ ita fere comparatæ, ut disputatione non egeant, aut non sint certissimæ fidei. Quod si vero extiterit tale quid in quodam libro *Tertulliani*, quod posset referri ad unam regularum istarum; absque erroris periculo licet existimare, eum fuisse *tum* editum, cum jam inimicitias cum orthodoxa Ecclesia *Tertullianus* suscepisset. Sed jam ad libros ipsos veniamus.

§ 5. — *Prima classis librorum, qui sunt tempore prioris vexationis Christianorum sub Severo Augusto scripti.*

Ex his primum pertractandos promisimus eos, quorum nec ætas nec doctrina dubia admodum esset; in quibus sunt primo loco ponendi, quos scriptos esse constat eo tempore, quo calamitatibus multis Christiani, regnante *Severo Aug.*, propter doctrinam affligebantur a Deorum cultoribus. Quorum ætas cum rite haud queat definiri, nisi figatur illud quasi punctum temporis, quo cœpta est adversus Christianos sævitia; id agamus necesse est, ut, quonam hæc tempore contigerit, perspicuum omnibus fiat. Sed ista vexatio quoniam bis extitit, primum quidem ante, deinde post leges Severi Christianis inimicas: observando didicimus, annum a Christo nato ducentesimum libros Tertulliani dividere quasi in duas classes, quarum altera complectitur hos, qui sunt ab eo orthodoxo, altera eos, qui sunt ab eo Montanista perfecti. Nobis itaque cum sit propositum primum dispicere de eo genere librorum Tertulliani, quorum ætas satis liquido constat, ita in hoc tractando versabimur, ut demonstremus, jam ante *Severi* edictum Christianos fuisse propter doctrinam vexatos, deinde, paucis quibusdam de ipsa hujus prioris tempestatis ratione aspersis, in annum, quo ista afflictio initium ceperit, accurate inquiramus.

§ 6. — *De ipsa hac vexatione disputatur ita, ut demonstretur talem extitisse ante Severi edictum; quam in rem propositis Moshemii argumentis alia nova adjiciuntur, et initium cepisse A. P. C. N. CXCVII.*

Culpa, cur erraverint multi in definienda eorum librorum *Tertulliani* ætate, qui tempore vexationis Severianæ scripti sunt, in eo est haud dubie, quod non viderint, et ante *Severi* legem, qua suscipiendam Christianorum religionem vetuit, Deorum cultores vexasse Christianos. Ita enim factum est, ut, cum inter omnes constaret, anno demum P. C. N. CCII. hanc legem a *Severo* latam esse, libri isti omnes post istum annum inepte ponerentur. Atque fuerunt identidem nonnulli, qui hoc quidem cum libris ipsis pugnare perspicerent; sed neque hi veritatem attigerunt propterea quod antiqua harum rerum monumenta nec candide, nec prudenter, tanquam duces, secuti fuerant. Itaque maximis laudibus dignus est vir immortalis memoriæ Jo. Laurentius *Moshemius ὁ μακαρίτης* qui, postquam eo, quo erat, acumine, animique candore summo, inquisiverat in hanc rem diligentius, istum errorem exquisitissimis argumentis explosit (1). Atque hic tantus vir effecit diligentia sua, ut nobis in demonstranda hac re multis laborandum non sit. Quam ob rem ne careant tamen ii, quibus datum non est perlegere ipsam elegantissimam dissertationem, gravissimis argumentis, quibus calamitates Christianorum tempori ante *Severi* edictum antegresso asseruit, ea veluti in compendio recitabimus, quibus assentimur omnino, iisque adjiciemus duo alia, quæ ad confirmanda ea aliquid habere videntur firmitatis. Atque is primum duxit ab eo, quod ipse *Tertullianus* in *Apologetico*, et maxime in universa illa de legibus disputatione, tot signa ediderit, quibus nondum legibus contra Christianos *Severum* pugnasse indicat, ut nullus plane dubitandi locus supersit. Alterum: ex libro *ad Martyres*, c. 4. in quo commemorat *Tertullianus* supplicia, quibus *Albini* amicos affecerat *Severus*, quod factum esse A. P. C. N. CXCVI. aut, quod mallem CXCVII. rectissime *Moshemius* monuit. Tertium ipsi obtulerunt *Clementis Alexandrini* verba (Strom. L. II. Ed. Colon. p. 414. B.), quibus confitetur jam tum tormentis exagitari Christianos, cum Stromatum libros componeret, quod fecit fere eodem, quo diximus, tempore. Quartum dedit ætas, in quam gravissima supplicia a *Scillitanis Martyribus* sumpta incidunt, *Claudio* iterum consule, qui cum *C. Aufidio Victorino* fasces A. P. N. C. CC. tenuit; quibus denique argumentis aliquid auctoritatis arbitratur ex ipso *Orosii* ac *Freculphi* testimonio accedere. Atque nos non sumus ii, qui ista quidem ad rem demonstrandam non sufficere arbitraremur, ea enim omnia putamus rem extra omnem dubitationem ponere. Placuit tamen, ne quid videamur prætermisisse, quod ad rem confirmandam facere quodam modo posset, duo alia argumenta, quæ, quamvis minora esse Moshemianis facile patimur, non tamen omnino rejicienda esse videntur. *Unum* est hoc, quod *Ælius Spartianus* de

(1) *In Commentatione de ætate Apologetici Tertulliani et initio persecutionis Christianorum sub Severo*, quæ inserta est vol. I. Dissertationum ejus ad historiam eccles. pertinentium, pag. 1. seqq. Daturum etiam se promiserat vitam Tertulliani librorumque ejus Chronologiam accuratiorem ea, quam tradidit Allixius (v. Thesaurum Epistolicum *Lacrozianum*, tom. I. p. 284.); sed id consilium postea ipsi eripuerunt graviores sanctioris muneris curæ, ut fatetur in addendis ad vol. I. Diss. Hist. Eccl., p. 752.

Digitized by Google

Caracallo dicit (in Vita *Antonini Caracalli*, cap. I.) : *septennis puer, cum collusorem suum puerum*, ob Judaicam Religionem, *gravius verberatum audiisset, neque patrem suum, neque patrem pueri, vel auctores verberum diu respexit.* Ex quo loco apparet, quod pater pueri istius non ipse eum propter Judaicam religionem castigaverit, sed quod ipse *Severus* puerum jusserit ab aliis castigari. Nam qui potuisset *Caracallus* succensere patri *Severo*, nisi is ipse hoc voluisset fieri? Itaque aliquis datur locus suspicioni, jam tum, cum *Caracallus* septem esset annorum, vi pugnatum esse adversus Christianos; quamvis anno demum P. C. N. CCII. *Severus* leges contra horum Judæorumque religionem tulerit. Ad septimum annum egit *Caracallus* anno a nato Sospitatore nostro CXCV. quod est facile demonstratu. Norunt enim omnes, mortuum esse *Severum* A. CCXI. cui succedens *Caracallus* interfectus est, cum supra VI. annos regnasset (Dionem Cassium *Histor. Roman.*, lib. LXXVII. edit. Reimari, vol. II. p. 1314.), A. CCXVII. Is vero cum diem supremum obiret, annum attigerat 29. quo numero detracto summæ annorum ejus, emergit annus CLXXXVIII. quo natus sit oportet; unde consequitur, *Caracallum* A. CXCV. septimum annum egisse, quo tempore longe posterius est *Severi* edictum. Neque puto quemquam fore, qui nobis opponat, longe diversam esse Christianæ ac Judaicæ religionis rationem, nec posse demonstrari, Christianos fuisse a Deorum cultoribus vexatos, quoniam castigati fuerint, qui se Judaicæ religioni addixerant. Nam qui ita sentiunt, eos necesse est fingere, quod vulgus etiam Christianos jam satis a Judæis distinxerit (ab hoc enim dicimus istum tumultum fuisse excitatum). Hoc vero discrimen cum ante illud tempus, quo Severus imperio potiretur, ne ab iis quidem sit observatum, qui nosse utramque religionem optime poterant, nec sciam, unde probare quispiam possit, eos *Severi* tempore magis perspicaces fuisse quam ante, numquid concitatam multitudinem sub *Severi* imperio id quidem curasse aut distinxisse satis putabimus? Sed si maxime dubium potest illud, tamen apparet adesse exempla odii gentilium in eos qui erant a Deorum cultu alieni ipsumque *Severum* non plane ab odio isto abhorruisse. Quod si *Severus* id fecit in pueris, quibus condonare solemus sæpissime, quæ adultis nequaquam conceduntur; vix dubito, quin præsides avaritia plebisque tumultu eo adducti fuerint, ut gravius in Christianos animadverterent. *Alterum* argumentum desumam ex libro, quem *Tertullianus* scripsit ad *Scapulam* (Cap. 4. p. 87 D.) : *Clarissimas feminas*, inquit, *et Clarissimos viros Severus, sciens hujus sectæ* (sc. Christianorum) *esse, non modo non læsit, verum et testimonio exornavit, et populo furenti in nos palam restitit. Severus* dici non potest populo furenti in Christianos palam restitisse, cum jam edictum contra Christianos constituisset. Namque id quominus credamus, impedit durus et quasi ferreus *Severi* animus, a quo certe is impetrare non potuit, ut legem semel latam rescidisset. Et hoc ipsum, quod *Tertullianus* dicit, plebem exagitasse Christianos, et invito quidem *Severo*, nonne demonstrat, id factum non esse *Severi* legibus? Habemus igitur et hic non obscurum testimonium de eo, quod ante ejus edictum Christiani maximis calamitatibus afflicti fuerint.

§ 7. — *Quæ caussæ hujus prioris vexationis?*

At nunc discutiendus est alter iste locus de tempore, quo prior hæc tempestas contigit; si prius edixero, quænam caussæ hujus facinoris vulgi adversus Christianos videantur fuisse. Atque hoc cum de omni contra Christianos facto a plebe tumultu constat, eam his, tanquam publicis generis humani hostibus, omne calamitatis a Diis immissæ genus tribuisse : tum illud nimirum patet ex *Tertulliani* scriptis, hoc fuisse in causa, ut nunc Christianos maxime insequeretur (Cf. *Apologet.*, c. 40. *ad nationes*, lib. I. c. 9. etc.). Enimvero, quæ *Severum* inter et *Nigrum* intercedebat, maximarum rerum æmulatio, non solum videtur quibusdam displicuisse, qui non *Severum*, sed *Nigrum* contra *Didium Julianum Aug.* postulaverant (V. Herodianum, lib. II. c. 8. III. c. 5. Spartianum, in vita Nigri, c. 2.); sed illud etiam, quod adversus *Albinum* suscepit bellum, omnium animos vehementer concitavit (V. Dionem apud Xiphilinum, l. LXXV. c. 4. p. 1258. B.). Itaque, cum prostrato utroque, *Severus* omnes eos extinguere pararet quos noverat a partibus *Nigri Albinique* stetisse, optima se offerebat plebi occasio Christianos, tanquam rei publicæ ac Imperatoris hostes, violandi. Atque hi homines sibi videbantur hoc eo rectius exequi posse, cum Christianos ipsis etiam Diis infestos crederent, de quibus eo bene mereri posse putabant, postquam Dii ipsis hæc quasi otia fecerant. Et ipsam hanc opinionem Christiani vulgo persuadebant eo magis, quod plane nec ludis ac celebrationibus, propter reportatam *Severi* ab hostibus victoriam institutis, vellent interesse (V. Tertull., *de Spectaculis*, c. 1. et alibi), nec jurare per Principis genium (Idem in *Apologet.* c. 32. et libro I. *ad nationes*, c. 17.), nec Diis pro salute ejus supplicare (Id. *Apolog.*, c. 10. 29. seqq.). Eo ipso autem tumultu vulgus facile eodem poterat adigere Præsides, qui non admodum alieni erant ipsi ab hoc crudelitatis genere. Namque hi eam sibi legem, veluti per manus traditam, præscripserunt, ut, qui semel in jus vocati essent Christiani, nisi a sacris suis discederent, nequaquam dimitterentur (Eusebium, *Hist. eccles.*, lib. V. c. 21. edit. Reading., p. 240.); cujus rei testem habemus ipsum *Tertullianum*, qui, eam ob causam, de recte interpretandis his legibus ex instituto adversus eos disputavit (In *Apolog.*, c. 4. seq.) Atque istam quidem Christianos vexandi occasionem eo libentius arripiebant quæstuosi Præsides, quo certius eam viderent fisco suo haud exiguum emolumentum esse allaturam. Quod me non finxisse scio ex *Rutilii* Martyris exemplo (Apud Tertull., *de Fuga in persecutione*, cap. 5. p. 693. A.), quem suspicor raptum esse in judicium

Digitized by Google

cum nondum *Severi*, sed antiquis legibus judicium fieret (1). Eo enim adducebantur multi Christianorum, qui opibus vitæque suæ timebant, ut, quod alia declinare via non poterant, periculum, oblata pecunia averruncarent. Quas sævitiæ Præsidum vulgique causas si mente complectimur; erit sane, ut sciamus tempus, quo orta est hæc prior tempestas, quando, quo anno hæc speciosa Christianos lædendi occasio extiterit, demonstravimus.

§ 8. — *Initium vexationis Christian. ex anno quo periit Albinus demonstratur, hunc vero a. CXCVII. interfectum esse probatur primo ex ordine belli, quod Severus cum Pescennio Nigro gessit. Obiter quædam notæ in nummis Severi explicantur, et Moshemii rationes emendantur.*

Ad hunc vero investigandum primum ipsis utamur his, quas enumeravimus, calamitatum caussis. Illud enim, quod quasi ansas vulgo dabat ad impugnandam Christianorum familiam, erat *Severi* studium conquirendi omnes eos, quos cum *Nigro* aut *Albino* adversus se stetisse compererat. Quod quoniam factum est, cum, *Albino* exstincto, Romam victor rediisset (tum enim gravissima in eos supplicia constituit [V. Dionem, l. LXXV. c. 7. p. 1262. D. Herodianum, l. III. c. 8. et Spartianum, in Severo, c. 12. 13.]) operæ pretium est videre, quonam anno *Albinus* cum vita imperium deposuerit. Atque in isto definiendo tantum operæ curæque jam positum esse videmus a *Moshemio* (in diss. laudata § XX. seqq.), ut pene isti labori possemus supersedere, nisi quædam essent in promptu, quæ dici posse contra viderentur. Itaque cum hic se offerat occasio in dubitationem vocandi opinionem quamdam popularem, atque ipsa res postulet, ut paulo aliter rationes subducantur : servato ipso argumentorum genere, quod adhibitum est a summo viro, candide disputabimus quæ consentanea sunt veritati ipsi, et quanam in re sentiamus diversa, salva pietate in tantum virum, cujus nomen nobis etiam est post mortem venerabile, adjecta dissentiendi ratione infra notabimus. Cum ad imperium venisset *Severus*, videretque *Pescennium Nigrum* in Syria copias parare, quibus se sibi opponeret, primum, ne ex utraque parte premeretur, *Albinum* Britannici exercitus ducem fecit, eique et nummos decrevit, et alia honoris monumenta. Posthac, lecto per Italiam milite et classe exornata, elapso fere mense Junio (2) A. CXCIII. contra *Nigrum* profectus est. Hic cum *Severi* duces A. CXCIV. manum cum *Nigri* militibus conseruissent, apud *Cyzicum* superiores fuerunt. Eadem fortuna usi sunt anno sequenti, cum pugnatum esset in *Nicææ* ac *Cii* angustiis. Postremo, anno fere CXCVI. cum *Severiani*, casu Castello in Tauro occupato, in Ciliciam irrupissent, vincitur *Nigri* exercitus apud Portas Cilicias, neque ita multo post ipse *Pescennius* interficitur. Sed hic ego quosdam miraturos suspicor, quid sit, quod me commoverit, ut calculos hic plane diversos ab aliis ponerem, cum sint, qui ultimam hanc pugnam A. P. C. N. CXCIV. factam existiment, universi. Quam ob rem mea referre puto, ut recta argumenta producantur, quibus evinci possit, rationes a nobis rectissime fuisse subductas. Primum igitur vellem observari cognomen Imperatoris III. IV. V. VI. VII. VIII. quod datum esse *Severo* in nummis perspicitur. Hoc eum exornatum necesse est intra tempus, quod ab exordio imperii ejus effluxit ad illud, quo superavit *Albinum*, quia eum legimus, cum imperium susciperet, in nummis Imperatorem II. (Vide Vaillantii numismata Impp. Rom. Tom. II. Ed. 3. Paris. p. 238.), victo autem *Albino*, Imperatorem IX. appellatum. (Apud Mediobarbum in Impp. Rom. numism. ad 2. 197. Ed. Mediol. 1730. p. 271.) Enimvero, cum nomine *Imperatoris*, quod numeris distinctum in nummis reperitur, tum Romanorum Augusti exornati fuerint, cum quid in bello eo nomine dignum gessissent (de ea re V. Dionis Cassii *Rom. Hist.*, lib. XL. c. 44. p. 372.) : age! videamus, quo referendum sit hoc intra illud tempus sexies repetitum cognomen *Imperatoris*. Nempe in isto temporis spatio ter legimus *Severum* a *Nigri* militibus victoriam reportasse, tresque gentes Osroenorum, Adiabenorum et Arabum subjecisse Romanorum potestati. Igitur cum hos, jam devicto *Pescennio*, subegerit, referamus cognomen *Imperatoris* VI. VII. VIII. ad victos hos populos (1), ac nomen *Imperatoris* III. propter prælium Cyzicenum, IV. ob pugnam in Nicææ ac Cii angustiis, V. denique ob *Nigrum* apud Portas Cilicias prostratum, *Severo* decretum esse dicamus. Jam dispiciamus, cui tandem numero *Trib. Pot.* adjiciantur singulæ nominis Imperatorii notæ : nam, si eum cognoverimus, sponte se offeret is annus, cui quævis pugna assignanda est (2). Atqui cognomen Imp.

(1) Nempe hic liber scriptus est eo tempore, quo graviores calamitates Christianis expectandæ erant a Deorum cultoribus (Coll. cap. 1.) h. e. ut postea dicetur, cum edictum Severi in lucem prodiisset, timerentque Christiani de securitate sua. Sed istum libellum cum Tertullianus componeret, jam trucidatus erat Rutilius, qui primum aliquoties salutem petierat fuga, postea nummis sibi pacem comparaverat, sed denuo captus ad supplicium rediit. Quod ergo necesse est factum esse ante iniquam Severi legem, et novum dat argumentum ejus quod diximus, Christianos sub Severo ante eam capitis damnatos fuisse.

(2) Namque incipiente Junio A. CXCIII. Romam Severus venit; quod patet tum, cum dies LXVI. quos imperio Didii Juliani Dio (lib. LXXIII. c. ult., p. 1240.), aut II. menses ac 5. dies, quos ei Spartianus (in Juliano, c. 9.) tribuit, numeremus, incipiendo a V. Kalend. Aprilis, h. e. XXVIII. Martii, quo die interfectum esse Pertinacem Jujus Capitolinus (in vita Pertinacis, c. 15.) refert. Apparet, Inde non minus, Severum fere die Junii 2. summi Imperii clavum sumpsisse, ex quo die deducendos simul esse Tribunitiæ potestatis terminos non demonstrabo pluribus, quoniam id quidem facere memini C. G. Schwarzium, elegantissimum virum, in diss. *de numeranda tribunitia potestate Augustorum Cæsarumque Rom.* Obs. IV. Quæ cum ita sint, haud obscurum est tempus, quo Severus Roma profectus est, si quidem recte commemoravit Spartianus (in vita Severi, c. 8.) eum Romam intra XXX. dies, quam eo venerat, reliquisse.

(1) In numuis a Mediobarbo ad a. 196. excitatis, p. 270. Cognomen Imp. VI. et VII. conjungitur cum Tr. Pot. III. et nomine Parth. Arab. Parth. Adiab. aliisque signis victoriæ. Pariter Imp. VIII. p. 271. cum victoria Parthica et Tr. P. IV. ac cum iisdem, tituloque Arabici, Adiabenici, in inscriptione apud Muratorium, in novo thesauro vet. inscript., tom. I. p. 244. legitur.

(2) Sed forsitan quispiam dixerit, hos nummos non eo excusos fuisse tempore, quo Severus victor ex pugnis cum Nigro rediit, sed postea demum, ipsumque Spartianum in

Digitized by Google

III. quod diximus signum esse victoriæ Cyzicensis, conjunctum reperimus cum Trib. Pot. II. (*In Laur. Bergeri continuatione thesauri Brandenburgici, p.* 690. *Vaillantii numism. Impp. Rom. T. I. p.* 221. 22. *et Mediobarbo ad a.* 194. *p.* 269.), hæc vero numeranda est ab altero die Junii A. CXCIV. ad eumdem diem anni sequentis (*Coll. not. y. hujus sectionis Schvarzii diss. laud. obs. 11.*); consequens igitur est, hoc prælium primum ad posteriorem partem A. CXCIV. aut priorem A. CXCV. esse referendum. Porro nummus apud *Vaillantium Severum* Imp. IV. Tribunitiamque potestatem III. sustinentem exhibet, et sunt ejus generis nummi plures apud *Mediobarbum;* ergo incidit altera pugna in Nicææ Ciique angustiis in A. CXCV. posteriorem, aut sequentis anni superiorem partem. Quapropter cognomen imp. V. et ultima victoria a *Nigro* reportata, non videtur fere alii anno posse vindicari, nisi huic, quem diximus, A. CXCVI. cum igitur *Pescennium* initio fere ejus anni prostravisset *Severus*, pergit in Mesopotamiam, indeque contra Osroenos, Adiabenos et Arabes exercitum ducit (*Dio, Libr.* LXXV. *init.*). Facta hæc omnia esse oportet sex fere mensibus (nisi mavelis ultimam partem anni præcedentis *Nigro* mortem attulisse), cum, hoc anno vertente jam contra *Albinum* profectum esse *Severum*, ratio ipsa temporis suadeat, ut suo loco apparebit. At quo fieri pacto potuit, ut mensibus tam paucis tot tantasque bellicosissimas gentes subegerit? At istud quidem potest animo pulchre concipi; nam ipse *Dio* c. 2. libro cit. harum gentium urbes a tribus *Severi* ducibus, non a *Severo* ipso, captas esse ait; quod factum forsitan est, cum jam *Albino* obviam *Severus* ivisset; nam, eo discesso, *Lætus* se his adversariis opposuit, ut videtur ex eodem *Dione, c.* 9. aut jam aliquantum eo tempore, quo *Nigrum Severus* persequebatur; plurima enim tum fecit per duces suos: aut fuit *Severus* qualicumque barbarorum suppressione contentus. Ac videtur certe *Severus* noluisse has sibi gentes prorsus subjicere, nec jam tum subjecisse, cum, ducibus contra hostes emissis, aliena Nisibi ageret, ipseque demum post victum *Albinum* has provincias summo impetu adoriretur; quod ipso confirmari posset *Herodiani* silentio, qui de his gentibus isto tempore victis nihil habet omnino. Itaque hæc prima lex sanciatur: ante finem A. CXCVI. *Severum* contra *Albinum* non fuisse profectum (1).

vita Severi, c. 9. significare, quod Severus non nisi post alterum prælium in angustiis Cii et Nicææ ad senatum hac de re scripserit. Sed præterea, quod Spartianus discrepat aliquantum in narranda hac re a cæteris, iisque primariis scriptoribus, nec nisi de prima alteraque pugna loquitur in isto loco; negari vix potest, quoniam cognomen Imp. III. IV. V. cum diverso plane Trib. Pot. numero conjungitur, hoc Trib. Pot. signo indicari annos eos, quibus ipsam ab hostibus victoriam ter reportavit.

(1) Atque hic nos non audemus plura ex ordine rerum gestarum, quas commemoravimus, deducere, sed postea dabimus. Judicari autem ex dictis potest de eo, quod placuit Moshemio τῷ μακαρίτῃ (in laud., diss. § 21.) A. CXCIV. periisse Nigrum A. CXCV.; legatos in Galliam ad interficiendum Albinum a Severo missos, et hoc anno prope exeunte insidias eorum deprehensas fuisse; quo facto A. CXCVI. citissime in Galliam Severus venisset. Vix crediderim (nam de tempore præliorum jam dixi, quid sit sen-

§ 9. — *Albinum A. CXCVII. interfectum fuisse, probatur secundo a tempore expugnati Byzantii.*

Alterum nec mediocre telum ad hanc rem exequendam existimari debet tempus, quo expugnatum Byzantium est. Namque hoc *Dio* ait L. LXXIV. c. 14. p. 1251. occupatum esse a *Severi* militibus, cum is in Mesopotamia commoraretur, h. e. postquam *Nigrum* superaverat, ac prius quam pergeret adversus *Albinum*. Atqui Byzantinos fame demum in deditionem redactos esse, cum tres integros annos fuissent in obsidione, idem *Dio* memoriæ prodidit Lib. cit. c. 11. p. 1252.; quare cognoscemus annum, quo *Severus* in Mesopotamia versatus est, cum viderimus, quando ista obsidio exordium sumpserit. Sed ejus initium conjunctum arbitror cum initio ipsius expeditionis *Severi* contra *Pescennium* A. CXCIII. quod intelligi potest ex eo, quod vix est credibile, *Severum*, cum *Nigro* occurreret, a tergo relicturum fuisse fortissimam urbem, quam ipsi *Nigri* milites tenebant, et quo adversis rebus se recepturi fuissent; idemque cum re ipsa optime consentit. Fac scilicet mense fere Septembri A. CXCIII. *Severum* hujus oppugnationis initium per milites fecisse (Roma enim, Junio pene præterlapso, discesserat § VIII. n. y.); incidet same expugnatio ipsa, si post triennium integrum facta est, in Septembrem A. CXCVI., quo tempore *Severum* in Mesopotamia fuisse apparet ex iis, quæ in superioribus dicta sunt. Quam ob rem non est necesse, ut a nativa potestate verborum Ἐπὶ δίον, τριετῆ χρόνον recedamus, quo se a *Tillemontio* adduci passus est *Moshemius* ὁ μακαρίτης, cujus interpretatio, ni fallor, vi quidem verborum non facit satis. Itaque cum mense fere Septembri in Mesopotamia versatus fuerit *Severus*, nisi A. CXCVI. jam in finem inclinato in Galliam venire non potuit. Neque vero postea quam in Mesopotamia *Severus* fuerat, usquam legimus eum contra *Osroenos*, *Adiabenos*, *Arabesque* fuisse profectum; hos enim, teste *Dione* l. LXXV. c. 3. p. 1257. cum *Nisibi*, in urbe Mesopotamiæ, *Severus* otium sibi daret, *Laternus Candidus* atque *Lætus*, *Severi* duces, subegerunt. Unde efficitur, famam de seditione *Albini* ad *Severum* in Mesopotamiam fuisse allatam. Enimvero non abhorret, *Severum*, qui celeritate consilii imprimis utebatur, statim devicto *Nigro* misisse, qui *Albino*, occasione allatarum litterarum, insidias facerent, et hæ quidem repente detectæ sunt: quocirca magis apparet, fere Anno CXCVI. vertente *Severum* in Galliam concessisse (1).

tiendum] Legatos istos integro fere anno acquievisse, antequam litteras Albino tradidissent, et, cum A. CXCV. prope exeunte demum detectæ hæ fuissent insidiæ, Severum, qui currenti similior quam proficiscenti recte dicitur a Moshemio, vel integrum fere annum CXCVI. otio transegisse, vel Albino tantum concessisse temporis, ut vires colligeret; cum ad veritatem sit multo propensius, si quis dicat, quod A. CXCVI. prope vertente Severus profectus sit adversus Albinum, neque multum temporis prætermiserit, quo bello dimicare cum Albino potuisset.

(1) Aliam viam ingressus est Moshemius, § 22. Namque A. CXCVI. inquit expugnatam esse Byzantinorum urbem; hanc vero, Herodiano teste lib. III. c. 6. nondum fuisse in potestatem Imperatoris redactam, cum Albino occurreret; igitur eum esse contra Albinum anno CXCVI. profectum. Quod argumentum, haud nego, esse majorem

Digitized by Google

§ 10. — *Probatur tertio, ex anno, quo Caracallus Cæsaris dignitatem e SCto accepit.*

Sed ista quidem ut nondum dant certam viam accurate cognoscendi annum *Albino* fatalem, propterea quod nondum apparet quandiu ista de summa imperii dimicatio duraverit, magis, opinor, nobis scrupulum eximet tempus dignitatis Cæsareæ *Caracallo* collatæ, ex quo efficietur, *Albinum* A. CXCVII. periisse (1). Sunt enim antiquitatis monumenta quædam, qualia *Pagius* (*In critica Annalium Eccles. Cæsaris Card.* Baronii. Sec. II. ad a. c. CXCVII. num. 2. Edit. Paris. 1689. p. 88.), exque *Gutherio Moshemius* attulit in diss. Lud. § XXIII. in quibus *Laterano* et *Rufino Coss. Caracallus Cæsar* ex *SC. Destinatus* vocatur. At ille cognomine quamvis jam *Caracallus* a patre tum exornatus fuisset, cum *Severus* adversus *Albinum* proficisceretur (*V.* Spartianum *in Severo*. c. 10.); istud tamen nusquam reperimus a senatu confirmatum esse prius, quam victor *Severus* Romam, prostrato *Albino*, rediisset; tum enim *Severum* legimus *Cæsarem Bassianum filium suum Antoninum appellari jussisse* (ap. *Spart.* L. c. 14.). At enim *Laterano et Rufino* consules fuisse A. p. N. C. CXCVII. docent fasti universi; itaque sit hoc, *Albinum* eodem anno (*et* XI. *quidem Calend. Mart. quemadmodum habet* Spartianus. L. c. c. 11.) cum vita imperium amisisse. Quæ cum ita sint, patet quod efficiendum promisimus, ex hac occasione plebi ad christianos vexandos post *Albini* interitum nata, istas priores Christianorum calamitates A. CXCVII. initium cepisse.

§ 11. — *E loco quodam* Tertulliani *ad* Scapulam, *qui cum alio* Spartiani *confertur, ostenditur a. CXCVII. initium cepisse priorem hanc vexationem Christianorum.*

Accedimus ad alterum argumentum, ex quo initium istius tumultus a plebe excitati definire volebamus, locum istum quidem superius § 6. productum e libro *Tertulliani* ad *Scapulam*, in quo *Severus* dicitur, « Clarissimas feminas clarissimosque viros sectæ « christianæ non modo non læsisse, verum et exor- « nasse testimonio, populoque in christianos furenti « restitisse. » Quod cum *Severus* non fecerit eo tempore, quo jam edictum opposuerat religioni christianorum, quemadmodum ibi disputavimus; assignandus est ei rei annus, quo *Severus* nondum hac lege molestus fuerat. Neque is tali modo clarissimis quibusdam hujus familiæ hominibus tum videtur gratificari voluisse, cum, victo *Albino*, bellum Parthis aliisque Orientis gentibus intulisset, a quo perfecto non rediit prius, quam hoc idem edictum adversus christianos promulgasset. Namque tum quidem tot erat bellis cum fortissimis nationibus implicatus, ut credi vix possit, eum de istiusmodi rebus cogitasse. Sed verba etiam *Tertulliani* sunt ea, ut facile appareat, *Severum* non has quidem, sed alias tamen feminas, virosque clarissimos eo tempore læsisse, a quibus is christianos cupiebat discerni. Atque ego non video, ad quale tempus possit vis istis illata referri, nisi ad id, quo *interfectos Spartianus* refert (in Sev. c. 12.) *innumeros Albini partium viros, inter quos multi principes civitatis, multæ feminæ illustres fuerunt*: propterea, quod ista in re inter hos scriptores est vel in verbis quædam similitudo. Ego vero vix dubito, quin *Severus* horum christianorum quasi tutelam susceperit, eosque ornaverit testimonio tali, quo doceret, eos non esse ex amicis *Albini*, ne populus, caussam Imperatoris prætendens, hos christianæ religioni addictos insequeretur, raperetque in judicium, quibus, nisi quod christiani essent, aliud nihil vitio verti poterat. Verum igitur sit illud, statim post mortem *Albini* et ante *Severi* profectionem contra Parthos, i. e. A. CXCVII. populum christianos vi aggressum fuisse.

§ 12. — *Idem demonstratur ulterius ex ætate Apologetici* Tertulliani, *cæterorumque librorum, qui eum antecesserunt.*

Denique et hoc non leve est argumentum nostræ sententiæ, quod appareat, *Apologeticum Tertulliani* non prius esse litteris mandatum esse, nisi ante illas leges *Severi*; de qua re nemo dubitare potest, qui cogitate hunc libellum tractavit. Sed poterit ex iis, quæ postea disputabimus, nullo negotio intelligi, istam defensionem veterum christianorum ætate inferiorem esse libris ejus *ad martyres*, *de spectaculis*, atque *de idololatria*. Vicissimque me spero ita effecturum, quod istæ religionis christianæ vindiciæ scriptæ sint sub initium A. CXCVIII., ut nemo vel mediocri in his judicio præditus de ista re dubitare possit. Quare tum apparebit, libros *de Spectaculis* atque *de idololatria* nulli alii anno posse assignari, nisi A. CXCVIII. Enimvero *Tertullianus* martyres proprio libello ad constantiam concordiamque hortatus est prius, quam se accingeret ad scribendos hos duos, quos diximus, libros. Itaque necesse est dicere, librum *ad martyres* fere A. CXCVII. in lucem editum fuisse. Quæ una res nostram sententiam de anno, quo hæc superior vexatio christianorum incepit, ponit extra omnem dubitationem. Namque hi, quibus librum obtulit, jam fuerunt propter religionem christianam in vincula conjecti, *martyresque* isti *designati* argumento sunt, tum Deorum cultores vim christianis intulisse. Sed obiter hæc fere; nunc plura de libris his ipsis dabimus.

vim meo habiturum, nisi Herodiani verba pugnarent cum iis, quæ tradita sunt a Dione Cassio, qui Severum ait nuntium de capto Byzantio in Mesopotamia accepisse. Atque is merito audiendus est, et repudianda Herodiani auctoritas, quod jam egregie monuit V. C. H. S. Reimarus in not. ad Dion. Cass., p. 1252. § 70. et 1256. § 1.

(1) Usi sumus ad hanc rem efficiendam dignitate Caracalli Cæsarea, cum Moshemius maluerit ad eam rem dignitatem Augusti Caracallo collatam adhibere. Sed istius Clarissimi Viri partes deserere hic satius est visum. Nam, p. 66. Caracalla, inquit, Augusti dignitate ornatus est eo anno, qui prælium Lugdunense est consecutus. Itaque cum constet, cum hanc A. CXCVIII. accepisse, Albinus A. CXCVII. occubuit. Hujus argumenti, dubito fere, an superior propositio ex omnibus, quos habemus, scriptoribus sit manifesta, nisi eadem esse censeatur cum altera de ejus dignitate Augusti A. CXCVIII. suscepta, quæ consentit cum omnibus ejus rei significandæ monumentis.

Digitized by Google

III. quod diximus signum esse victoriæ Cyzicensis, conjunctum reperimus cum Trib. Pot. II. (*In Laur. Bergeri continuatione thesauri Brandenburgici, p.* 690. *Vaillantii numism. Impp. Rom. T.* I. *p.* 221. 22. *et Mediobarbo ad a.* 194. *p.* 269.), hæc vero numeranda est ab altero die Junii A. CXCIV. ad eumdem diem anni sequentis (*Coll. not. y. hujus sectionis Schvarzii diss. laud. obs. II.*); consequens igitur est, hoc prælium primum ad posteriorem partem A. CXCIV. aut priorem A. CXCV. esse referendum. Porro nummus apud *Vaillantium Severum* Imp. IV. Tribunitiamque potestatem III. sustinentem exhibet, et sunt ejus generis nummi plures apud *Mediobarbum;* ergo incidit altera pugna in Nicææ Ciique angustiis in A. CXCV. posteriorem, aut sequentis anni superiorem partem. Quapropter cognomen imp. V. et ultima victoria a *Nigro* reportata, non videtur fere alii anno posse vindicari, nisi huic, quem diximus, A. CXCVI. cum igitur *Pescennium* initio fere ejus anni prostravisset *Severus*, pergit in Mesopotamiam, indeque contra Osroenos, Adiabenos et Arabes exercitum ducit (*Dio, Libr.* LXXV. *init.*). Facta hæc omnia esse oportet sex fere mensibus (nisi mavelis ultimam partem anni præcedentis *Nigro* mortem attulisse), cum, hoc anno vertente jam contra *Albinum* profectum esse *Severum*, ratio ipsa temporis suadeat, ut suo loco apparebit. At quo fieri pacto potuit, ut mensibus tam paucis tot tantasque bellicosissimas gentes subegerit? At istud quidem potest animo pulchre concipi; nam ipse *Dio* c. 2. libro cit. harum gentium urbes a tribus *Severi* ducibus, non a *Severo* ipso, captas esse ait; quod factum forsitan est, cum jam *Albino* obviam *Severus* ivisset; nam, eo discesso, *Lætus* se his adversariis opposuit, ut videtur ex eodem *Dione, c.* 9. aut jam aliquantum eo tempore, quo *Nigrum Severus* persequebatur; plurima enim tum fecit per duces suos: aut fuit *Severus* qualicumque barbarorum suppressione contentus. Ac videtur certe *Severus* noluisse has sibi gentes prorsus subjicere, nec jam tum subjecisse, cum, ducibus contra hostes emissis, aliena Nisibi ageret, ipseque demum post victum *Albinum* has provincias summo impetu adoriretur; quod ipso confirmari posset *Herodiani* silentio, qui de his gentibus isto tempore victis nihil habet omnino. Itaque hæc prima lex sanciatur: ante finem A. CXCVI. *Severum* contra *Albinum* non fuisse profectum (1).

vita Severi, c. 9. significare, quod Severus non nisi post alterum prælium in angustiis Cii et Nicææ ad senatum hac de re scripserit. Sed præterea, quod Spartianus discrepat aliquantum in narranda hac re a cæteris, iisque primariis scriptoribus, nec nisi de prima alteraque pugna loquitur in isto loco; negari vix potest, quoniam cognomen Imp. III. IV. V. cum diverso plane Trib. Pot. numero conjungitur, hoc Trib. Pot. signo indicari annos eos, quibus ipsam ab hostibus victoriam ter reportavit.

(1) Atque hic nos non audemus plura ex ordine rerum gestarum, quas commemoravimus, deducere, sed postea dabimus. Judicari autem ex dictis potest de eo, quod placuit Moshemio τῷ μακαρίτῃ (in laud., diss. § 21.) A. CXCIV. periisse Nigrum A. CXCV.; legatos in Galliam ad interficiendum Albinum a Severo missos, et hoc anno prope exeunte insidias eorum deprehensas fuisse; quo facto A. CXCVI. citissime in Galliam Severus venisset. Vix crediderim (nam de tempore præliorum jam dixi, quid sit sen-

§ 9. — *Albinum A. CXCVII. interfectum fuisse, probatur secundo a tempore expugnati Byzantii.*

Alterum nec mediocre telum ad hanc rem exequendam existimari debet tempus, quo expugnatum Byzantium est. Namque hoc *Dio* ait L. LXXIV. c. 14. p. 1251. occupatum esse a *Severi* militibus, cum is in Mesopotamia commoraretur, h. e. postquam *Nigrum* superaverat, ac prius quam pergeret adversus *Albinum*. Atqui Byzantinos fame demum in deditionem redactos esse, cum tres integros annos fuissent in obsidione, idem *Dio* memoriæ prodidit Lib. cit. c. 11. p. 1252.; quare cognoscemus annum, quo *Severus* in Mesopotamia versatus est, cum viderimus, quando ista obsidio exordium sumpserit. Sed ejus initium conjunctum arbitror cum initio ipsius expeditionis *Severi* contra *Pescennium* A. CXCIII. quod intelligi potest ex eo, quod vix est credibile, *Severum*, cum *Nigro* occurreret, a tergo relicturum fuisse fortissimam urbem, quam ipsi *Nigri* milites tenebant, et quo adversis rebus se recepturi fuissent; idemque cum re ipsa optime consentit. Fac scilicet mense fere Septembri A. CXCIII. *Severum* hujus oppugnationis initium per milites fecisse (Roma enim, Junio pene præterlapso, discesserat § VIII. n. y.); incidet sane expugnatio ipsa, si post triennium integrum facta est, in Septembrem A. CXCVI., quo tempore *Severum* in Mesopotamia fuisse apparet ex iis, quæ in superioribus dicta sunt. Quam ob rem non est necesse, ut a nativa potestate verborum Ἐπὶ δλον, τριετῆ χρόνον recedamus, quo se a *Tillemontio* adduci passus est *Moshemius* ὁ μακαρίτης, cujus interpretatio, ni fallor, vi quidem verborum non facit satis. Itaque cum mense fere Septembri in Mesopotamia versatus fuerit *Severus*, nisi A. CXCVI. jam in finem inclinato in Galliam venire non potuit. Neque vero postea quam in Mesopotamia *Severus* fuerat, usquam legimus eum contra *Osroenos, Adiabenos, Arabesque* fuisse profectum; hos enim, teste *Dione* l. LXXV. c. 3. p. 1257. cum *Nisibi*, in urbe Mesopotamiæ, *Severus* otium sibi daret, *Laternus Candidus* atque *Lætus*, *Severi* duces, subegerunt. Unde efficitur, famam de seditione *Albini* ad *Severum* in Mesopotamiam fuisse allatam. Enimvero non abhorret, *Severum*, qui celeritate consilii imprimis utebatur, statim devicto *Nigro* misisse, qui *Albino*, occasione allatarum litterarum, insidias facerent, et hæ quidem repente detectæ sunt: quocirca magis apparet, fere Anno CXCVI. vertente *Severum* in Galliam concessisse (1).

tiendum) Legatos istos integro fere anno acquievisse, antequam litteras Albino tradidissent, et, cum A. CXCV. prope exeunte demum detectæ hæ fuissent insidiæ, Severum, qui currenti similior quam proficiscenti recte dicitur a Moshemio, vel integrum fere annum CXCVI. otio transegisse, vel Albino tantum concessisse temporis, ut vires colligeret; cum ad veritatem sit multo propensius, si quis dicat, quod A. CXCVI. prope vertente Severus profectus sit adversus Albinum, neque multum temporis prætermiserit, quo bello dimicare cum Albino potuisset.

(1) Aliam viam ingressus est Moshemius, § 22. Namque A. CXCVI. inquit expugnatam esse Byzantinorum urbem; hanc vero, Herodiano teste lib. III. c. 6. nondum fuisse in potestatem Imperatoris redactam, cum Albino occurreret; igitur eum esse contra Albinum anno CXCVI. profectum. Quod argumentum, haud nego, esse majorem

Digitized by Google

§ 10. — *Probatur tertio, ex anno, quo Caracallus Cæsaris dignitatem e SCto accepit.*

Sed ista quidem ut nondum dant certam viam accurate cognoscendi annum *Albino* fatalem, propterea quod nondum apparet quandiu ista de summa imperii dimicatio duraverit, magis, opinor, nobis scrupulum eximet tempus dignitatis Cæsareæ *Caracallo* collatæ, ex quo efficietur, *Albinum* A. CXCVII. periisse (1). Sunt enim antiquitatis monumenta quædam, qualia *Pagius* (*In critica Annalium Eccles. Cæsaris Card.* Baronii. Sec. II. ad a. c. CXCVII. num. 2. Edit. Paris. 1689. p. 88.), exque *Gulherio Moshemius* attulit in diss. hud. § XXIII. in quibus *Laterano* et *Rufino Coss. Caracallus Cæsar* ex *SC. Destinatus* vocatur. At ille cognomine quamvis jam *Caracallus* a patre tum exornatus fuisset, cum *Severus* adversus *Albinum* proficiscerctur (*V.* Spartianum *in Severo*. c. 10.); istud tamen nusquam reperimus a senatu confirmatum esse prius, quam victor *Severus* Romam, prostrato *Albino*, rediisset; tum enim *Severum* legimus *Cæsarem Bassianum filium suum Antoninum appellari jussisse* (ap. *Spart.* L. c. 14.). At enim *Lateranum et Rufinum* consules fuisse A. p. N. C. CXCVII. docent fasti universi; itaque sit hoc, *Albinum* eodem anno (*et* XI. *quidem Calend. Mart. quemadmodum habet* Spartianus. L. c. c. 11.) cum vita imperium amisisse. Quæ cum ita sint, patet quod efficiendum promisimus, ex hac occasione plebi ad christianos vexandos post *Albini* interitum nata, istas priores Christianorum calamitates A. CXCVII. initium cepisse.

§ 11. — *E loco quodam* Tertulliani *ad* Scapulam, *qui cum alio* Spartiani *confertur, ostenditur a. CXCVII. initium cepisse priorem hanc vexationem Christianorum.*

Accedimus ad alterum argumentum, ex quo initium istius tumultus a plebe excitati definire volebamus, locum istum quidem superius § 6. productum e libro *Tertulliani* ad *Scapulam*, in quo *Severus* dicitur, « Clarissimas feminas clarissimosque viros sectæ « christianæ non modo non læsisse, verum et exor- « nasse testimonio, populoque in christianos furenti « restitisse. » Quod cum *Severus* non fecerit eo tempore, quo jam edictum opposuerat religioni christianorum, quemadmodum ibi disputavimus; assignandus est ei rei annus, quo *Severus* nondum hac lege molestus fuerat. Neque is tali modo clarissimis quibusdam hujus familiæ hominibus tum videtur gratificari voluisse, cum, victo *Albino*, bellum Parthis aliisque Orientis gentibus intulisset, a quo perfecto non rediit prius, quam hoc idem edictum adversus christianos promulgasset. Namque tum quidem tot erat bellis cum fortissimis nationibus implicatus, ut credi vix possit, eum de istiusmodi rebus cogitasse. Sed verba etiam *Tertulliani* sunt ea, ut facile appareat, *Severum* non has quidem, sed alias tamen feminas, virosque clarissimos eo tempore læsisse, a quibus is christianos cupiebat discerni. Atque ego non video, ad quale tempus possit vis istis illata referri, nisi ad id, quo *interfectos Spartianus* refert (in Sev. c. 12.) *innumeros Albini partium viros, inter quos multi principes civitatis, multæ feminæ illustres fuerunt*: propterea, quod ista in re inter hos scriptores est vel in verbis quædam similitudo. Ego vero vix dubito, quin *Severus* horum christianorum quasi tutelam susceperit, eosque ornaverit testimonio tali, quo doceret, eos non esse ex amicis *Albini*, ne populus, caussam Imperatoris prætendens, hos christianæ religioni addictos insequeretur, raperetque in judicium, quibus, nisi quod christiani essent, aliud nihil vitio verti poterat. Verum igitur sit illud, statim post mortem *Albini* et ante *Severi* profectionem contra Parthos, i. e. A. CXCVII. populum christianos vi aggressum fuisse.

§ 12. — *Idem demonstratur ulterius ex ætate Apologetici* Tertulliani, *cæterorumque librorum, qui eum antecesserunt.*

Denique et hoc non leve est argumentum nostræ sententiæ, quod appareat, *Apologeticum Tertulliani* non posse litteris mandatum esse, nisi ante illas leges *Severi*; de qua re nemo dubitare potest, qui cogitate hunc libellum tractavit. Sed poterit ex iis, quæ postea disputabimus, nullo negotio intelligi, istam defensionem veterum christianorum ætate inferiorem esse libris ejus *ad martyres*, *de spectaculis*, atque *de idololatria*. Vicissimque me spero ita effectorum, quod istæ religionis christianæ vindiciæ scriptæ sint sub initium A. CXCVIII., ut nemo vel mediocri in his judicio præditus de ista re dubitare possit. Quare tum apparebit, libros *de Spectaculis* atque *de idololatria* nulli alii anno posse assignari, nisi A. CXCVIII. Enimvero *Tertullianus* martyres proprio libello ad constantiam concordiamque hortatus est prius, quam se accingeret ad scribendos hos duos, quos diximus, libros. Itaque necesse est dicere, librum *ad martyres* fere A. CXCVII. in lucem editum fuisse. Quæ una res nostram sententiam de anno, quo hæc superior vexatio christianorum incepit, ponit extra omnem dubitationem. Namque hi, quibus librum obtulit, jam fuerunt propter religionem christianam in vincula conjecti, *martyresque* isti *designati* argumento sunt, tum Deorum cultores vim christianis intulisse. Sed obiter hæc fere; nunc plura de libris his ipsis dabimus.

vim meo habiturum, nisi Herodiani verba pugnarent cum iis, quæ tradita sunt a Dione Cassio, qui Severum ait nuntium de capto Byzantio in Mesopotamia accepisse. Atque is merito audiendus est, et repudianda Herodiani auctoritas, quod jam egregie monuit V. C. H. S. Reimarus in not. ad Dion. Cass., p. 1252. § 70. et 1256. § 1.

(1) Usi sumus ad hanc rem efficiendam dignitate Caracalli Cæsarea, cum Moshemius maluerit ad eam rem dignitatem Augusti Caracallo collatam adhibere. Sed istius Clarissimi Viri partes deserere hic satius est visum. Nam, p. 66. Caracalla, inquit, Augusti dignitate ornatus est eo anno, qui prælium Lugdunense est consecutus. Itaque cum constet, eum hanc A. CXCVIII. accepisse, Albinus A. CXCVII. occubuit. Hujus argumenti, dubito fere, an superior propositio ex omnibus, quos habemus, scriptoribus sit manifesta, nisi eadem esse censeatur cum altera de ejus dignitate Augusti A. CXCVIII. suscepta, quæ consentit cum omnibus ejus rei significandæ monumentis.

Digitized by Google

§ 13. — *Ætas ipsa librorum hujus generis definitur ita, ut liber ad Martyres A. CXCVII. sit exaratus.* Hoffmanni *conjecturæ exploduntur.*

Est igitur inter hujus generis libros is primus, quem *Tertullianus ad Martyres* perscripsit. Cujus libri argumentum ipsum jam tum susceptas adversus christianos inimicitias demonstrat; est enim *designatis Martyribus* dicatum (coll. c. I.); modo constituendum est id, fuerintne isti ante, an post *Severi* edictum in carcerem conjecti; atque illud mihi magis placet pluribus de causis. Primum, quoniam christianos non *Imperatoris*, sed *Proconsulis judicia* sustinere dicit c. 2. Quod quidem, haud nego, dici etiam a *Tertulliano* potuisse, si Præsides adhibiti fuerint ab Imperatore legibus contra christianos dimicante, propterea quod Præsides eas exequebantur in provinciis : sed tamen ex eo primum oritur haud inepta suspicio, ipsa hac violentia eo tempore Præsides magis usos fuisse, quam ipsum Augustum. At si istud argumentandi genus videatur in utramque partem posse disputari, hanc controversiam dirimit haud dubie id, quod est ad calcem nostri libelli, ubi : *ad hoc quidem*, inquit, (patiendum in causa Dei) *vel præsentia nobis tempora documenta sint, quantæ qualesque personæ inopinatos natalibus et dignitatibus et corporibus et ætatibus suis exitus referunt, hominis caussa; aut ab ipso, si contra eum fecerint, aut ab adversariis ejus, si pro eo steterint;* quod pertinere ad tempus, quo ab æmulis imperii *Severus* tutum redderet orbem Romanum, nullo modo dubitari potest. Nam cum sublatus e medio esset *Albinus*, tum maxime *Severum* animadvertisse in hos, qui steterant a *Nigri Albinive* partibus, tantum ignorant ii, qui loca superius adducta haud intellexere. Ex quo non minus licet cognoscere, quo modo potuerit *Tertullianus* dicere (c. 2.) hos designatos *martyres*, quibus, nostrum libellum componendo, aliquod afferre allevamentum voluit, *non participare solemnes nationum dies, neque cædi spectaculorum clamoribus.* Quanquam enim me non prorsus præterit, ludos etiam editos fuisse eo tempore, quo superior *Severus* a Parthis cæterisque barbaris rediisset; facit tamen hoc ipsum argumentum, quod ad erigendos martyrum animos petit a viris clarissimis, qui idem experti erant fatum, ut ludos intelligamus eos, quos editos novimus propter victoriam a *Nigro*, magis etiam ab *Albino* reportatam. Cæterum ego non dubito primum locum nostro libello vindicare inter eos, quorum ætas certa quadam ratione cernitur, propterea quod *Tertullianus* non modo commemorat mutuam candidatorum Imperii adversus partis contrariæ socios violentiam, quam rem dici non potest extitisse, nisi eodem anno quo periit *Albinus*, h. e. A. CXCVII.; sed etiam mentionem injicit calamitatum, quas subiere christiani, tanquam earum, quæ nunc quidem initium ceperint; ceterique omnes libri, quibus scribendis occasionem hæc temporum perturbatio dedit, christianos ostendunt jam multis cruciatibus tormentisque exagitatos. Neque ego nunc vereor, ne hunc libellum in numerum eorum referant nonnulli, quos *Tertullianus* composuit, cum ab amicitia orthodoxæ Ecclesiæ se removisset; ipsa enim libelli ætas id quidem non permittit, si verum est id quod diximus alias, § 3, *Tertullianum* huic ante A. CC. bellum non intulisse. Qua in re videmus *Hoffmannum* a nobis, ut solet, dissentientem, sed ad opinionem suam confirmandam usum argumento tali, ex quo magis appareat id quod nos contra volebamus (diss. cit. § 10.), videlicet martyres istos, ad quos est oratio *Tertulliani* directa, existimat partim orthodoxos fuisse, partim Montanistas; idque effecisse, ut dissensio nata sit inter eos, quam ex animis tollere conatur *Tertullianus* sub libri initium. Sed ad uniendos eos *opus erat hortatore*, inquit *Hoffmannus*, *qui utrique parti bene cuperet, qualis erat Tertullianus Montanista, et in catholicos quidem sæpe peracerbus, neque tamen eos ita ut hæreticos perosus.* Audio. Sed ut utraque pars inimicitias deponat, certe non requiritur ut is qui pacem conciliare studet, utrique dissentientium faveat. Illud nimirum necesse est potius, ut dissidentes inter se, cum eo qui pacem conciliat concordent. Planius dicam. Constat ex scriptore nescio quo, cujus verba habet *Eusebius* H. E. V. c. 16. p. 232. edit. Cantabrig. *Readingii*, eos, qui puriori Ecclesiæ addicti erant, adeo contempsisse *Montanistas*, ut, si casu conjecti cum ipsis fuerint in vincula, semper a Montanistis dissenserint, atque detrectaverint eorum societatem. Idem vero non potest de Montanistis dici, cum ejus rei nec ulla exstent vestigia, quin potius ipse *Tertullianus*, etiam in libris iis quos popularis Ecclesiæ doctrinis opposuit, *Psychicos* ab hæreticis subtiliter distinguat; nec ad ullam rem, quæ credendorum a christianis regulam attingerent, discordes esse Montanistas et orthodoxos confirmet. Fac igitur, tum jam *Tertullianum* secessionem fecisse ab orthodoxorum decretis, cum librum conscriberet; potuitne bona cum spe tentare pacem inter dissidentes captivos restaurandam? Non admodum puto. Abhorruisset enim fere a consuetudine eorum inter captivos qui orthodoxæ Ecclesiæ se socios dicebant, sequi præcepta hominis cujus sectam detestabantur vehementius. Contra ea, si tanquam civis purioris Ecclesiæ hæc scripsisse dicitur *Tertullianus*; istud certe odium dici non potest impedimento fuisse, quominus et Montanistæ ea, quibus moniti essent, amice accepturi fuissent. Imo vix mihi persuadeo, *Tertullianum* ad pacem martyribus commendandam usurum fuisse hoc argumento Cap. I, quod, si paci cum aliis studerent, possent forte aliquando et aliis pacem conferre; cum sciant omnes, qui ejus librum *de pudicitia* legerint (c. 22), quam acerbe de isto more dandi pacis libellos judicaverit. Denique exemplo hominis auctorati, quod est in nostro libello c. 5. non minus, quam in primo *ad nationes* libro c. 18, non est, quod diu immoremur. Sit sane

Digitized by Google

librum nostrum recentiorem esse illo, quis dicet ea de caussa nostrum esse Montanismi suspectum, nisi jam certo constet id, quod falsitatis postea convincemus, libros *ad nationes* fuisse a *Tertulliano* confectos, postquam cum Montanistis familiaritatem contraxerat? Præterea si *Hoffmannus* sibi licere putavit, ut nostrum libellum posteriorem esse istis libris diceret; nobis pari jure licet, hos posteriores existimare nostro; idque eo magis, quo certius est, hunc sub vexationis initium, illos in ipso quasi perturbationis æstu prodiisse.

§ 14. — *Liber de Spectaculis A. CXCVIII. conscriptus. Dubitationes Tillemontii, Hoffmanni et Dupinii solvuntur.*

Eadem tempestate, dubium non est, quin *Tertullianus* librum *de Spectaculis* ediderit. Ad quod efficiendum nisi uteremur alio argumento, quam hoc, quod illum librum excitaverit in eo quem *de idololatria* scripsit cap. 13, perfacile esset intelligere, hunc ut minimum A. CXCVIII. luci publicæ expositum fuisse, cum *Tertullianus* illum eodem fere anno cum christianis communicaverit. Sed docet ipsum ejus in hoc libro conscribendo consilium evertendi istam opinionem, quod christianis liceret interesse Spectaculis, maxime tum edita Spectacula fuisse, quæ contempta a christianis tanquam *expedito morti genere*, Deorum cultores dicebant (*de Spect. c. 1*). Quæ quidem valde dubito, an de aliis capi Spectaculis possint, quam de iis, quæ propter *Severi* reditum victoriamque ab *Albino* reportatam, non Romæ solum, sed per provincias etiam (coll. c. 7.) edita esse leguntur; qualia isto tempore habet *Spartianus* in Severo c. 14. Namque si *Tertullianum* ludos commemorare videmus (c. 16.) *de natalibus et solemnibus regum et publicis prosperitatibus*, eumque dicere, nullos a cultu Deorum immunes esse, *sub quocumque demum nomine et titulo ederentur*; id nempe quod diximus suspicamur, maxime inducti eo quod *præsides* dicat (c. 30.) *persecutores dominici nominis, sævioribus, quam ipsi contra christianos sævierint, flammis insultantibus olim liquescentes*; et alio quodam loco (c. 26.) *quod in christianos quotidiani leones expostulentur, ac decernantur persecutiones.* Igitur jam tum Præsides vexabant Christi cultores; quibus pertinaciam in rejicienda Spectaculorum voluptate objici usu venerat (c. 1.). Enimvero diximus § 7. in caussis violandi christianos eam fuisse habitam, quod hi sibi religioni ducerent venire ad ludos, ipsamque hanc sævitiam adversus eos jam A. CXCVII. extitisse: quam ob rem ullum fore dubitamus, qui alio quam hoc aut sequenti anno scriptum esse de Spectaculis librum judicet. Atque ego non ignoro multos fuisse in ea opinione, quasi *Tertullianus* nostro in libello respexisset potius ludos sæculares, quorum memoriam tot nummis novimus celebratam, et ipse ad hanc sententiam inclinavit *Tillemontius*, accuratissimus, si a ratione chronologica discesseris, harum rerum interpres (*Mémoires pour servir à l'Histoire Ecclésiastique des six premiers siècles*, tom. III. edit. Paris. 1701. in-4°. p. 210.). Sed isti opinioni, quo minus calculum adjiciamus, impedit primum hoc, quod *Tertullianus* præsides dicat auctores calamitatum in christianos, ut abhorrens videatur ab ista cautione ac studio Tertulliani removendi a christianis omnem suspicionem neglectæ pietatis adversus Imperatorem. Itaque hac ipsa cautione alias *Tertulliano* ubivis adhibita, quam hic abesse videmus, adducimur in eam sententiam ut credamus, tempore editi hujus libelli nondum sceleris istius adversus christianos participem fuisse *Severum*, qualis tamen fuit A. CCIV. cum ludi isti sæculares ederentur. Deinde efficeretur ipsa hac dissentientium opinione, hunc librum scriptum esse a *Tertulliano*, cum transiisset ad partes Montanistarum; quod longe secus est, ut mox videbitur, ac repudiatur ab ipsis his qui secus existimant. Neque vero aliorsum, quam fere ad hujus anni CXCVIII. initium, hunc librum referri par est, quoniam ante Maium anni præcedentis, vix credibile est, *Severum* Romam rediisse, cum sint post pugnam Lugdunensem (§ 10.) multa adhuc ab ipso composita (Vid. *Herodiani* Hist., l. III. c. 8. ed. Boecleri): unde fit, ut nec libellus *ad martyres*, qui nostro est superior, nisi ad illius anni finem, scriptus possit dici. Cui si addamus id, quod suo loco docebimus, librum *de Idololatria* posteriorem esse eo *de Spectaculis*, et eodem anno compositum; hæc nostra de ætate libri *de Spectaculis* sententia inde necessario intelligetur. Atque hæc eadem libri ætas demonstrat satis, non posse eum haberi in numero eorum, quos addictus sectæ Montanistarum *Tertullianus* conscripsit; huic enim adjunxisse se eum A. P. C. N. CC. supra disputavimus; neque ulla est ipsi libro impressa nota imbuti Montanistarum erroribus animi. At hic tamen libellus libro *de Corona* posterior est, quem nemo Montanismi signa habere negat. Ita fere *Hoffmannus* in diss. laud. § 7.; a quo si rationem ejus rei postulas, nostrum prodiisse librum respondet, « cum pax Ecclesiæ non quidem Severi edictis, sed clamoribus populi et Præsidum auctoritate sublata esset. » At eodem illo argumento adductus, cum animum appelleret ad scribendum librum de Spectaculis, *Tertullianum* plane existimo orthodoxæ familiæ sodalem fuisse. Namque vim argumenti contrarii universam in eo esse video quod in isto libro *de Corona*, c. 1. *Tertullianus* bonam longamque pacem christianis adhuc fuisse dicat; cui quid respondendum sit, postea dabitur commodior dicendi locus. Sed istud a veritate alienum est, quod *de Spectaculis* liber scriptus sit post librum *de Corona*; cujus rei testem habemus ipsum *Tertullianum* plane contrarium, qui in isto *de Corona* libello cap. 6. *huic materiæ*, inquit, *propter suaviludios nostros, græco quoque stylo satisfecimus*; loquimur autem de Spectaculis, quæ ducta putat e diaboli disciplina. Et hoc ipsum jam *Allixium* commovit, ut nostrum *de Spectaculis* librum antiquiorem eo esse decerneret; cujus argumenti vim *Hoffmannus* vult frangere, quod de græco libello sermonem esse

Digitized by Google

pronunciat, negatque, idem de latino propter rationes a se adductas sentiendum esse. Atque ego non inficior, *Tertullianum* de eo libro fuisse locutum, quem de Spectaculis olim græce composuisset; sed neque illud potest esse obscurum, ante istum græcum, latine etiam eum commentatum esse de eodem argumento. Nonne enim is, qui de Spectaculis græce *quoque* se dixisse fatetur, idem hoc voluisse censendus est, se olim alia etiam lingua istud argumentum tractasse? de rationibus autem *Hoffmanni* in contrariam partem allatis, jam monui me postea dicturum. Neque est audiendus *Dupinius*, qui hunc quidem librum cum eo qui est *de Idololatria*, circiter A. CCII. aut CCIII. scriptum esse opinatur a *Tertulliano* jam ad errores Montanistarum proclivi (dans la nouvelle Bibliothèque des auteurs ecclésiastiques, édit. de Paris, 1693. in-4°. t. I. p. 91. et 108. not. 1.). Qua in re deceptum eum esse suspicor natali *Getæ Cæsaris*, cujus memini mentionem fieri in Actis *Perpetuæ et Felicitatis*, quæ quidem creduntur eo anno mortem subiisse. Hunc vero natalem putat a *Tertulliano* in libro *de Idololatria* indicatum, cujus rei, saltem in eo loco quem excitavit, nullum est vestigium, ac, si esset, id nimirum cederet in disceptationem, intellexeritne *Tertullianus* natalem imperii an vitæ *Getæ Cæsaris?* sit igitur stabile, hunc *de Spectaculis* librum editum fere fuisse sub A. CXCVIII. initium.

§ 15. — *Liber de Idololatria eidem anno asseritur. Tillemontii et Hoffmanni conjecturæ dispelluntur.*

Hunc excipit *de Idololatria* libellus. Quem cum *Tertullianus* scriberet, erant sane Romani occupati in eo, quo ostenderent lætitiam summam de temporum istorum felicitate, eaque de causa ipsas januas suas laureis exornaverant et multis lucernis (coll. c. 15.). Id vero in honorem Imperatoris factum esse, demonstrat omnis disputatio, quam subjicit *Tertullianus* super ista quæstione: an pietas imperatori debita requirat, ut christiani, ad declarandum de Cæsaris salute gaudium, se Deorum cultoribus adjungant vario lætitiæ apparatu? Hæc, si quis quæsiverit, ad quænam tempora spectent, nullus ego dubito dicere: ad varia lætitiæ signa, quibus quasi *Severo*, e bello cum æmulis imperii reduci, Romani applaudebant. Namque ter legimus apud scriptores veteres istiusmodi quid factum sub *Severi* imperio; primum A. CXCIII. cum *Severus*, regnum occupaturus, Romam, interfecto *Juliano*, intrasset (*Dio* apud *Xiphilinum* L. LXXIV. c. 2. p. 1242. C.); postea, cum *victor* ex Gallia rediisset, *Albino* prostrato (*Herodian.* l. III. c. 8. *Spartian.*, in Severo c. 12.); denique in *decennalibus imperii sui*, cum reverteretur ex Oriente (*Dio.* l. LXXVI. c. 1. p. 1272. et *Herod.*, l. III. c. 10.); quod omne genus multis confirmari numeris potest. Atque primum illud haud potest a *Tertulliano* significari. Namque, ut hoc non dicam, si adhuc fuisset imperii æmulus, quem plurimi optabant, qualis *Niger* erat post mortem *Juliani*, vix negligentiam in ostendenda adversus novum Cæsarem impietate objici potuisse christianis (quod tamen factum apparet ex omni *Tertulliani* sermone); provocat certe *Tertullianus* ad suum *de Spectaculis* librum, quem diximus demum A. CXCVIII. scriptum fuisse. Neque vero quis debet hærere in eo, quod non de græco hujus argumenti libro, sed de latino loquatur; nam nostrum libellum cum scripserit latine, haud dubito quin, si græcum de Spectaculis librum voluisset denotare, illum designaturus adjecto quodam verbo fuisset; atque nos jam diximus a græco posse ad latinum jam scriptum absque errore argumentari. Neque etiam postrema sententia videtur admittenda, quæ istam publicam lætitiam transferre vult in *decennalia Severi*. Nolo nunc disputare de eo, quod pugnet cum hac opinione ipsa hujus libri ὀρθοδοξίᾳ, quam ei postea vindicabimus; sed est tamen aliquis suspicioni locus, eo tempore in christianos adhuc magistratus fuisse collatos. Namque istam quæstionem quatenus ejusmodi officium progredi deberet in suscipienda religiosa aliqua consuetudine quæ ad Deorum cultum paulisper accederet, dubito an tractasset *Tertullianus*, si quidem tum christiani admissi ad magistratus non essent. Sed quidem haud nego, me subdubitare, quod amplius communicata cum christianis fuerint officia publica, cum jam *Severus* edictum de religione christianorum non recipienda tulisset. Restat igitur alterum quod diximus celebrationum genus, quod post *Severi* ex Gallia reditum extitisse perspicuum est. Cujus sententiæ novum aliquod argumentum, nec istud profecto contemnendum, peti potest ex eo, quod *Tertullianus* isto, quo librum hunc scripsit, tempore Astrologis nuper admodum Urbem et Italiam interdictam esse commemorat. c. 9. Quod quando sit factum, ex *Spartiano* non minus discere licet, quam ex ipso *Tertulliano*. Primum, audiamus nostrum: Apolog. c. 35. *Sed et qui nunc*, inquit, *scelestarum partium socii aut plausores quotidie revelantur,... quam recentissimis laureis postes præstruebant? Quam elatissimis et clarissimis lucernis vestibula nubilabant?... Non ut gaudia publica celebrarent, sed ut vota propria jam edicerent in aliena solemnitate,... nomen principis in corde mutantes. Eadem officia dependunt, et qui Astrologos et Aruspices et Augures et Magos de Cæsarum capite consultant.* Sed in hoc Apologetici loco hæc gaudii publici signa edita *olim* a sceleratis fuisse *Tertullianus* dicit, quæ in libro nostro *nunc* fieri planissime indicat. Est igitur iste *de Idololatria* libellus ante Apologeticum scriptus, adeoque ante initium A. CXCIX. ut postea apparebit. Ego vero haud inepte suspicari videor mihi, pulsos Roma Italiaque Astrologos tum fuisse, cum a multis de salute Cæsaris fuissent consulti. Atque hi, qui tale quid scisciti erant ex Magis, capitis damnabantur eo tempore fere, quo *Severus* proficiscebatur adversus Parthos, h. e. A. CXCVIII. Quod intelligitur e loco quodam *Spartiani* in vit. Sev. c. 15. quem, quoniam non satis est excussus ab aliis, hic subjicio: *Postquam Severus Parthicum bellum susceperat, trajecto exercitu a Brundisio, continuato itinere venit in Syriam, Parthosque submovit.*

Digitized by Google

Sed postea in Syriam rediit, ita ut se pararet ac bellum Parthis inferret. Inter hæc Pescennianas reliquias, Plautiano auctore, persequebatur. — Multos etiam, quasi Chaldæos aut vates de sua salute consuluissent, interemit, præcipue suspectos unumquemque idoneum imperio. Istum locum si conferamus cum eo quem modo ex *Tertulliano* recitavimus, apparet utrumque scriptorem, cum loquatur de reliquiis adversariorum *Severi* perquisitis, ipsum etiam tempus, quo ista contigerint, definire: quod secus est in enarrando altero de adhibitis in consilium Astrologis. Sed quemadmodum illud nobis dat viam certam inveniendi veram ætatem *Apologetici*; ita hoc quidem nos docet, eos qui Magos de salute Cæsaris percunctati fuerant, fere eodem tempore fuisse extinctos; ex quo saltem intelligitur id quod volebamus, nostro in libro *Tertullianum* de altero celebrationum genere sub *Severo* fuisse locutum. Quanquam, si velimus istam rem quærere subtilius, et adhibere legem, e qua ordinem in rebus gestis narrandis a *Spartiano* plerumque observatum judicandum esse experimento didicimus (quam longum est hic luculentius exponere); cognoscere licebit, quod ista supplicia eorum, qui Magis usi sunt ad intelligenda imperii *Severi* fata, non necessario posteriora habenda sint suppliciis constitutis in amicos *Nigri* superstites. Itaque cum hæc extiterint A. CXCVIII, ut dicemus suo loco, illa haud inepte assignari possunt anno præcedenti. Quæ cum ita sint, patet ad Annum CXCVIII. librum *de Idololatria* pertinere. Atque hic ego non puto necesse esse, ut respondeatur ad ea, quæ voluit *Tillemontius*, hunc librum scriptum esse a *Tertulliano* postquam ipse novæ alicujus sectæ auctor extitisset. Quod absque ratione omni defenditur, et est ab *Hoffmanno* confutatum diss. cit. § 8. p. 31., qui argumentis, e quibus eruenda est libri ætas, nobiscum fere consentit, ita tamen, ut a *Tertulliano* Montanista illum existimet scriptum. Quæ quidem opinio stare non potest, si verum est id quod superius probatum dedimus, non nisi A. CC. eum se contulisse ad disciplinam *Montani*. Neque ad eam asserendam bene *Hoffmannus* adhibuit locum *Tertulliani* ipsius (*de Idol.* c. 22.): *Multi dicunt, nemo se debet promulgare;* quem vult indicasse, quod fuerit jam tum inter Montanistas et orthodoxos quæstio agitata de fuga in persecutione. Nempe ipsa series orationis de omni negatione fidei sermonem esse docet, neque de fuga unice; et ex antiquissima veterum christianorum historia, veluti ex *Ignatii* ac *Polycarpi* exemplo, apparet, diversas inter ipsos purioris doctrinæ christianos ea de re fuisse sententias. Sed ortam hanc orthodoxos inter et Montanistas disputationem ex facto militis qui coronam lauream repudiavit, adeoque hunc librum post eum qui est *de Corona* scriptum esse, id vero est hariolari, non probare; quale genus argumentandi debet ab omni disputatione alienissimum esse.

§ 16. — *Apologeticus A. CXCIX compositus demonstratur.*

Sequitur elegantissimus *Apologeticus*, quem librorum *Tertulliani* et doctrina et candore præstantissimum audeo dicere. Cujus ætas tametsi copiose disputata sit ab omnibus, qui cæteros etiam libros non tetigere, maxime a *Moshemio*, elegantissimo viro, cui hoc in genere primæ debentur; tamen post istam messem licet spicas quasdam colligere, atque, prætermissis iis quæ doctissime sunt dicta ab eo, brevissime quam possumus, veluti per gradus ascendendo, quæ ista de re dicenda habemus, exponere. Primum igitur nemini, qui fuit in eo libro tractando cum cura aliqua versatus, potest esse obscurum, isto tempore nondum fuisse legem *Severi* contra christianos emissam. Namque, hunc librum offerendo Præsidibus, quis credet *Tertullianum* ab iis expectare potuisse, ut iram adversus christianos conceptam non mitigarent solum, sed plane deponerent, dimitterentque eos innocentes? si tamen Præsidibus agendum fuisset secundum *Severi* leges, a quibus nec licebat vel latum unguem recedere; præsertim cum constaret, quanta acerbitate usus olim fuisset adversus eos, quos intellexerat officio judicis haud bene defunctos (v. *Spartianum* in Sev. c. 8.). Neque vero mirum cui videri debet, si Præsides cum plebe soli injuriosi fuerint in christianos, quam ob rem non ad Cæsarem ipsum *Tertullianus* provocaverit, neque christiani sese receperint in ejus tutelam. Etenim si christiani, occasione eorum qui propter *Nigri Albinique* amicitiam plectebantur, auctore *Plautiano*, omne calamitatum genus sustinuerunt; talis ad Cæsarem provocatio, propter summam *Plautiani*, *Prætorio Præfecti*, auctoritatem locum non fuisset habitura; ne tum quidem, si facta esset ad ipsum *Plautianum*, impotentissimum crudelissimumque hominem. Præterea quomodo, si vel maxime *Plautianus* auctor tanti sceleris in christianos non fuerit, quomodo, inquam, a *Severo*, infinite et aurum et cædem hominum innocentium ac seditionis suspectorum concupiscente, impetrari auxilium potuisset adversus plebis furiosæ impetus? Quam verendum erat potius, cum nondum publicas cum christianis inimicitias suscepisset, admonitum libellis christianorum, eo progressurum fuisse, ut etiam mala, auctoritate sua Præsidum furorem confirmando, augeret? Hac igitur re constituta, dicere necesse est sane, quod Apologetico scribendo occasionem dederit facta a plebe christianorum perturbatio. Atque quorumdam locorum *Tertulliani* (1) vis ita est manifesta, ut absonum plane sit, aliud ibi quid, quam eam rem quærere. Unde fit, ut neque dici *Tertullianus* possit hanc christianorum defensionem tradidisse Præsidibus, nisi cum annus CXCVII. suam jam summam complevisset; propterea quod horum motuum origines isti anno idoneis argumentis vindicavimus. Itaque nec opus est isto loco (*Apolog.* c. 35.)

(1) *Apol.*, c. 37. Quoties suo jure nos inimicum vulgus invadit lapidibus et incendiis? Ipsis Bacchanalium furiis nec mortuis parcunt christianis, quin illos de requie sepulturæ avellant, dissecent, distrahant. Et c. 35. Nulli magis depostulatores christianorum quam vulgus. Plane cæteri ordines pro auctoritate religiosi ex fide; nihil hosticum de ipso senatu, de comite, de castris, de palatiis ipsis spirat.

Digitized by Google

quo inter hostes imperii *Cassios*, *Nigros Albinosque Tertullianus* retulit, ad asserendam Apologetici ætatem nece *Albiniana* posteriorem; continet tamen is ipse locus vestigia quædam non admodum obscura, quibus insistentes ætatem quam Apologetico constituimus tribuere, accuratius invenire possumus. Nihil jam de congiariis ab Imperatore populo datis; nihil de die solemni Principis omni lautitiarum apparatu celebrato; nihil de votis pro Imperatoris salute susceptis dicemus: sunt enim hæc, vel non apta satis ad rem exequendam, vel a *Moshemio* jam elegantissime disputata. Unum locum excutiamus, et eum quidem superius in medium productum (§ 15); propterea quod et is rem planissime conficit, et movet nos, ut ab istius doctissimi viri sententia paululum deflectamus. Ait igitur *Tertullianus*, *scelestarum partium socios aut plausores*, *post vindemiam parricidarum racemationem superstitem*, *quotidie revelari*; ait etiam, *quosdam Astrologos*, *Augures*, *Magos de Cæsarum capite consuluisse*. Eadem conjunxit *Spartianus*, effecitque ista similitudo, quæ utriusque scriptoris loca excitata intercedit, ut utrumque eadem plane tempora respexisse dicerem. Sed quoniam nec *Tertullianus* consultationem Magorum plane refert in eadem illa tempora, in quæ reliquias amicorum *Nigri* perquisitas, nec *Spartianus*, ubi tempus diserte non definit, ordinem rerum accuratissime sequitur; fit, ut nunc mittamus ea, quæ de consultis magis apud utrumque leguntur. At alterum sequamur judicium temporis, quo scriptus est *Apologeticus*, videlicet istud studium *Plautiani*, protrahendi omnes eos, quos suspectos dicebat aversæ a *Severo* voluntatis. Hos, *Spartianus* ait, persecutum esse *Plautianum* interea, cum *Severus* Parthos adortus fuisset, rediissetque in Syriam, ut se pararet ad bellum Parthis majori cum vi inferendum. Enimvero credibile est, *Severum* fere post medium A. CXCVIII, fuisse adversus Parthos profectum (1); quorum impetus cum aliquantum repressisset, in Syriam rediit forte, ut ibi hiemem transigeret. Ubi cum pararet ea, quæ necessaria videbantur ad Parthos bello persequendos, *Plautianus* investigavit eos, quos superstites noverat e *Nigri* amicis; quod igitur fere factum est sub anni CXCIX. initium. Quare nullus ego dubito, quin sententia *Moshemii*, qua A. CXCVIII. medio hunc librum exaratum esse existimat, relinquenda sit ista in re, propterea quod tum modo adversus Parthos profectus est *Severus*, atque *Tertullianus* non de extinctis *Albini*, sed *Nigri* amicis loquitur, qui erant adhuc post *Albinianos* superstites. Sed neque tempore, isto quod diximus, posteriori facta esse videtur hæc inimicorum *Severi* pervestigatio; hoc enim pugnaret cum eo, quod jam A. CC. *Tertullianus* Montanistarum partibus accessit, scripsitque ante hanc factam ab Ecclesia secessionem libros *ad Nationes* et *de Testimonio animæ*, qui ne minimam quidem dant Montanismi suspicionem, et sunt Apologetico superiores; quod de libro *super animæ testimonio* haud dubium est, ac *de libris ad nationes* probabile admodum. Neque nunc credo fore qui putent *Tertullianum* tum Montanistam fuisse, cum Apologeticum componeret. Etenim nisi mavelint fingere cum *Havercampo* V. C. (in præfat. ad editionem Apologet. Tertull.) *Tertullianum* bis hanc Apologiam paululum immutatam edidisse, argumentis nostris cedant necesse est, quibus eam superiorem esse *Severi* edicto probavimus. Atque ego opinionem *Havercampi* non probo, cum lectiones quædam textus hujus libri discrepantes ipsam rem non conficiant satis; mihique ex *Eusebio* quidem H. E. L. II. cap. 2. constet, quod *Tertulliani* Apologia latine scripta sit, posteaque græce conversa, sed quod bis edita sit, et immutata quidem, nullo modo. Quod si igitur concedant, Apologeticum *Severi* edicto esse antiquiorem; eos profecto oportet contra nos, si possint, certioribus argumentis pugnare, quam iis, quibus sententiam a *Moshemio* demonstratam *Hoffmannus* impugnavit, quæ nihil firmitatis habere egregie commonstravit *Moshemius* in Addendis ad vol. I diss. suarum Hist. Eccles. p. 741.-48. Atque nos ipsi alteri *Hoffmanni* argumento suo loco respondebimus, alterum vero monemus cum ipsa *Hoffmanni* sententia pugnare (lubet enim hos *Moshemianæ* responsioni adjicere). Nam si vera sunt etiam, quæ de cultu *Serapidis* Romæ per *Severum* restituto *Hoffmannus* dicit, facta esse ea tum demum, cum Ægyptum, devictis Parthis, peragrasset, h. e. A. CCII; concidit id, quod antea decreverat, ante *Severi* edictum scriptum Apologeticum esse; quoniam ante A. CCIII. Romam *Severus* non rediit, et tamen A. CCII. edictum adversus christianos promulgatum fuisse, nemo unus vocare in controversiam potest.

§ 17. — *Libri duo ad Nationes anno CXCIX. scripti.*

Narrat in Apologetico suo *Tertullianus* (cap. 16) *proxime* fuisse quemdam, qui imaginem togatam, auribus instructam asininis, altero pede ungulatam, addita inscriptione, *Deus christianorum onochoetes*, proposuerit. Idem *nuper* factum esse refert in priore *ad Nationes* libro c. 14.; quod argumento esse potest, eodem fere tempore cum Apologetico utrumque *ad Nationes* librum editum fuisse, atque ita, ni fallor, ut post eum hi lucem viderint. Utrumque inquam; verba enim, quibus librum posteriorem orditur, statim eum priori subjectum ostendunt post Apologeticum: tum quoniam illud *proxime* videtur brevius temporis spatium designare, quam *nuper*; tum, quoniam verisimilius est si quis dicat *Tertullianum* primum Præsides compellasse, quorum auctoritas major esset animusque tractabilior, quam populi. Atque sunt præter hæc non pauca, quibus eorum ætas multo superior edicto *Severi* intelligi possit; a quibus enumerandis me nunc quidem contineo, sed utor tamen ad hanc rem duobus

(1) *Profectio Augusti* conjungitur apud Mediobarbum ad a. c. 199. p. 172. et apud Vaillantium in num. Impp., vol. I. p. 113. cum Tr. P. VI. quæ desiit A. CXCIX. medio. Sed apud illum p. 273. alius nummus habet Severi Tr. P. VI, cum cognomine Par. Ar. Ad. siguisque victoriæ aliis,

Digitized by Google

argumentis. Unum est, quod isti libri sint populo in primis destinati; alterum, quod victoriam a *Nigro* atque *Albino* tanquam non ita multo ante reportatam significent. Nuspiam Præsides alloquitur, ut fecit in Apologetico, sed unice populum, a quo memini *Tertullianum* alicubi etiam (v. c. L. I. c. 3.) diserte Præsides distinxisse. Deinceps hos, ait, quibus dicavit istos libros, accusasse christianos (L. I. c. 20.); quod quidem convenire video in Præsides, tamen multo magis refertur ad plebem. Denique ipsum cognomen *Nationum*, quod est in horum librorum epigraphe, manifestum est a *Tertulliano* inditum esse iis, qui dediti erant cultui deorum; hic vero proprie plebem superstitiosam designat haud dubie, propterea quod pene eadem, quæ disputata sunt in hoc utroque libello, jam Præsidibus consideranda proposuit in Apologetico. Sed nuperæ stragis *Nigri Albinique* mentionem injicit hoc modo, ut *Syriam cadaverum odoribus spirare, Galliasque adhuc Rhodano suo non lavare* dicat; quod quid sibi vult aliud quam hoc, vix finem bello *Severi* cum *Nigro* atque *Albino* fuisse impositum? Quæ quidem omnia, istos *ad Nationes* libros non post edictum *Severi* editos fuisse, sed ante, luculenter ostendunt, possuntque edocere omnes, non præter rem hos libros comites datos a nobis fuisse Apologetico *Tertulliani*, quippe quos ea de causa oportet scriptos esse, cum jam dimidia pars A. CXCIX. fuisset conversa. Ex quo apparet simul, ipsorum auctorem tum nondum abiisse in Montanistarum sententiam, siquidem id demum A. CC. contigit, neque inveniuntur in libris istis, quæ suspicionem Montanismi movere aliquantum possunt. At unum hoc mihi animadversione dignum videtur in *Hoffmanni* argumentis, qui eidem similitudini insistens, quæ argumentum Apologetici horumque librorum intercedit, pronuntiat in contrariam partem non bene. Namque ea ejus opinio, quæ in hoc versatur, *quod libri ad Nationes cum libello de Testimonio animæ non differant ab Apologetico, nisi prolixitate, eamdemque defensionem, quam Tertullianus in Apologetico velut in pugnum compresserat, aliquanto latius explicent*; ea vero nec recte se habet omnino, nec est ad rem efficiendam satis idonea. De ipsius argumenti conclusione nihil attinet dicere; est enim hoc satis disputatum a nobis, et adhuc quibusdam in locis disputabitur. Et quamvis in Apologetico fere similia tradat *Tertullianus* eorum, quæ fuerunt in libris *ad Nationes* exposita; multa tamen sunt in isto, quæ in his prorsus non exstant, et vicissim in his, quæ frustra in Apologetico quæruntur. Quod qui perspicere plenius velit, eum ad universum librum posteriorem remittimus, quod versatur in explodendis gentilium Diis: ubi si discesseris ab ultimis libri sectionibus, nihil reperies, quod sit in Apologetico tractatum.

§ 18. — *Liber de testimonio animæ eidem anno asseritur.*

Stat mihi eadem sententia de eo libello, quem *Tertullianus de Testimonio animæ* conscripsit. Hunc equidem non nego æqualem esse libris *ad Nationes*. Sed dubito, an recte ab *Hoffmanno* L. c., p. 34. dicatur altera quasi pars esse commentarii, quem in Apologeticum *Tertullianus* ediderit, cum libri *ad Nationes* priorem effecerint. Namque ista verba Apologetici c. 17. *vultis ex animæ ipsius testimonio comprobemus?* quæ ansam *Hoffmanno* ita sentiendi dedere, non ita comparata videntur mihi, ut possint lectores omnes ad hujus opinionis veritatem agnoscendam adducere, cum eodem illo loco *Tertullianus* et demonstrare se posse unum Deum ex ejus operibus dicat; de qua re tamen nusquam eum memini ex instituto disputare, saltem in libro tali, qui sit eodem tempore cum Apologeticis scriptus. Certius hunc librum Apologetico æqualem esse verba docent ea, quibus in sectione quinta p. 81. utitur *Tertullianus*: *Divinæ scripturæ quæ penes nos vel Judæos sunt, multo sæcularibus litteris non modica tantum ætate aliqua antecedunt, ut loco suo edocuimus.* Hoc vero ubinam docuit, nisi in Apologetico? cap. 18. seqq. Quem cum sub initium A. CXCIX., eos vero *ad Nationes* paulo post composuerit, anno isto pene expleto nostrum libellum edidisse censendus est. Neque id abhorret ab eo quod sibi in libello *Tertullianus* exequendum sumpsit, *ut æmuli persecutoresque christianorum veritatis et erroris in se et iniquitatis in eos revincerentur* (c. I.). Sed in alium, eumque posteriorem eo, quem diximus, annum conjiciendum hunc librum non puto. Etenim præterea, quod nulla in isto libro significatio Montanismi appareat, haud inepte quis dixerit, hunc veluti appendicem esse Apologetico librisque ad nationes adjectum; quoniam in eo disputata est paulo amplius doctrina christiana. Neque ullus ejus generis liber adversus ineptum Deorum cultum est a *Tertulliano* compositus, qui posset alii tempori vindicari, quam huic, quo ipsa violentia in christianos requirebat demonstrationem summæ injustitiæ conspicuæ in superstitione ferro flammisque propaganda.

ARTICULUS III.

De libris Tertulliani, quorum et ætas et Montanismus constat.

§ 1. — *Liber de Corona Anno CCI. docetur conscriptus.*

In superiore disputationis parte satis expositum esse putamus de libris iis, quorum ætas et puritas doctrinæ certo quodam modo effici posse videbantur. Nunc sequitur alter locus, qui pertractabit eos, quorum ætas non minus constat, quam id, quod sint a *Tertulliano* tum editi, cum ad *Montani* disciplinam se, relicta vetere, contulisset. Inter quos primum locum tenet liber *de Corona*, in cujus ætatem ut inquiramus paulo plenius, operæ videtur pretium esse eo magis, quo certius hic veluti παράπηγμα est, ad quod exigendi sunt cæteri omnes libri, si illud veniat in controversiam, utrum sint ante *Tertulliani* defectionem scripti, nec ne. Qua de re cum videamus doctos homines variis inter se dissidere sententiis, quibus impedivere magis veritatem inveniendam quam expedivere; candide dicemus, quæ veri similia videntur nobis, ac una utemur eaque prima libri sectione, e qua orui potest et ipsa Scripturis doctrina, et tempus,

Digitized by Google

quo istum librum in publicum protulit. Atque illam cuivis licet intelligere ex ista disputatione universa de fugiendis iis, quæ vel minimam suspicionem cultus commentitiorum Deorum excitare possent; ubi disserentem audiet *Tertullianum*, non eum quidem placidum, modestum, atque cedentem, sed austerum, sed vehementem, sed ira adversus secus sentientes mirabiliter incensum, ut fere solent ii, qui modo ad disciplinam aliquam progressi, plurimum sibi sapere videntur. Alterius enim sectæ *pastores* dum ait esse *in pace leones, in prælio cervos, eosque respuisse Spiritus sancti prophetias;* apparet sane *Montani* discipulum hic loqui, non communis Ecclesiæ sodalem. Namque his verbis et alius se gregis esse profitetur ac ii, quorum doctores impugnat, et quid suum adversus eos animum concitaverit, perspicue indicat, nimirum illud, quod secum eadem *Paracleti* Montanistarum decreta non fuissent secuti. Hanc eamdem libri sectionem iis verbis orditur, quæ fontis instar sunt, e quo omnis hauriendæ est ætatis notitia. Ita vero ille : *Proxime facta est liberalitas præstantissimorum Imperatorum; expungebantur in castris milites laureati. Adhibetur quidam illic magis Dei miles -- solus libero capite, coronamento in manu otioso. -- Murmur tribuno defertur. Statim tribunus : Cur, inquit, tam diversus habitu? Negavit ille sibi cum cæteris licere. Caussas expostulatus : Christianus sum, respondit.* Hujus militis factum cum cæteri christiani improbarent, existimantes, eo tam bonam et longam pacem periclitari, contra nititur illud summis laudibus efferens *Tertullianus*. Atque in isto loco primum videmus ab eo liberalitatem Imperatorum nuperrime factam commemorari, quos dubito an quis alios fuisse dixerit, quam *Severum* et *Caracallum*, utrumque Augustum. At enim in superioribus *Caracallum* dicebamus dignitate Augusti tum fuisse ornatum, cum *Severus* iter in Orientem adversus Parthos pararet, quo fere abiit post dimidiam partem Anni CXCVIII. conversam; et postea ostendemus, pacem, quam hic adduci in periculum nonnulli credebant, esse eam, qua fruebantur christiani nondum *Severi* lege publica exagitati, quam latam esse A. CCII. constat inter omnes. Hunc igitur librum scriptum oportet esse in intervallo eo, quod ab anno sexto *Severi* ad nonum effluxit. In quo temporis spatio tres observavi annos Imperatorum liberalitate notatos : primum paulo antequam *Severus* proficisceretur in Orientem A. CXCVIII. (1). Alterum annum CCI. cum is militibus suis, propterea quod *Caracallum* Augustum, *Getam* Cæsarem, dixerat, Ctesiphontem spoliandam tradidisset (2); tertium A. CCII. cum *Severus* et *Caracallus* iter Ægyptiacum meditarentur (3). Horum annorum primum statim hic intelligendum non esse defendo. Etenim disputari potest, utrum hoc gladiatorium munus et congiarium, quod habet *Spartianus*, idem sit ac illud, quod datum a *Severo* fuisse populo *Herodianus* refert (Lib. III. c. 8. ed. Boec. p. 145.) eo tempore, quo ab *Albino* victo Romam redierat. Neque enim objici debet id, *Spartianum* alio loco (in Sev. c. 12.) idem, quod statim post reditum *Severus* edidit, commemorasse. Namque, ut *Spartianum* non dicam eadem sæpius tanquam diversa repetere, is quidem eo in loco non loquitur de donativo concesso militibus, sed de eo, quod *Severus* militibus tantum stipendiorum, quantum nemo Principum, dederit. Quod si igitur idem congiarium uterque respexit, sane intelligitur non idem voluisse *Tertullianum*, cum anno demum CXCVIII. a Senatu dignitas Augusti in *Caracallum* collata. Verum si detur id etiam, aliud congiarium ab *Herodiano*, a *Spartiano* aliud intelligi; tamen quod ex hoc primo loco excitavimus, non potest ad locum *Tertulliani* referri eam ob caussam, quia ipsi de congiario non nisi populo dato editisque spectaculis, *Tertulliano* autem de re plane alia militibus in castris concessa est dictum. Sed neque illa postrema sententia admittenda est, ut ista liberalitas, finito in Oriente bello, in Syria contigerit A. CCII. post susceptum ab utroque Augusto consulatum. Qui enim ejus rei solus mentionem injicit *Ælius Spartianus*, *datum esse*, ait, *militibus cumulatius stipendium*, quod dubito an donativum dici possit, quale *Tertullianus* significare videtur. Ac si vel maxime sint, qui malint in isto loco *Spartiani* donativum intelligere, eos spero non penitus contempturos sententiam meam, qua liberalitatem a *Tertulliano* expositam credo eam attingere, de qua *Spartianum* locutum esse dixi, dum ea referebat, quæ acciderunt post occupatam Ctesiphontem. Quæ ita cum circumspicimus, non omnia solum, si contentio quædam et comparatio fiat, bene se habere, sed explicari etiam egregie alterum posse ex altero animadvertimus. Nam primum isto tempore duos fuisse Augustos neminem præterire potest; erat enim *Caracallus* jam ante expeditionem Parthicam A. CXCVIII. et nunc a militibus etiam particeps imperii dictus. Deinde donativum militibus datum *Spartianus* commemorat, unde illa liberalitas Imperatorum in castris intelligitur. Denique sub initium hujus anni CCI. nondum erat lex quædam a Severo promulgata, quæ omnes a religione christianorum arceret, quorum familiam mox turbatam esse ea apparebit. Sed hoc donativum fuisse sub initium A. CCI. militibus distributum, id vero cum habeat aliquam dubitationem, quomodo calculi subducendi sint, breviter exponemus. Principio velimus animadverti, quod alio quodam loco disputavimus (*supra* §16. *col.* 119. *not.*) *Severum*, expleta priori parte anni CXCVIII. in Orientem fuisse profectum. Huic bello adversus Parthos suscepto finem fere imposuit occupata Ctesiphonte. Nam, quod postea demum *Dio Cassius Severum* refert bis frustra *Atram* impugnasse; in eo, si recte dixit, *Severus* non videtur multum temporis consump-

(1) Spartianus in Severo, c. 14. : «Profectus ad bellum Parthicum est, edito gladiatorio munere, et congiario populo dato. »

(2) Idem, c. 16. : « Harum appellationum causa donativum militibus largissimum dedit, concessa omni præda oppidi Parthici, quod milites quærebant. »

(3) Id., ibid. : « Post hoc (cum filium majorem consulem secum designasset), dato stipendio cumulatiore militibus, Alexandriam petiit. »

Digitized by Google

sisse, cum altera eaque vehementissima hujus urbis oppugnatio viginti sit diebus confecta (Dio. l. LXXV. c. 13. p. 1265.), eamque statim secutum iter *Severi* in Palæstinam atque Ægyptum. Sed quoquo modo hoc accipiatur, Ctesiphontem hiemali prope tempore captam esse *Spartianus* confirmat in Sev. c. 16. Hoc dici non potest accidisse A. CXCVIII.; quomodo enim, si dicamus etiam *Severum* statim post susceptam a *Caracallo* Augusti dignitatem Roma abiisse, quomodo, inquam, tempore tam brevi tantum iter in ultimas quasi regiones perficere, classem exornare, peragrare Armeniam, Seleuciam, Babyloniemque capere, atque vastare Arabiam potuisset? Neque vero id magis anno sequenti contigisse credibile est. Etenim post captam Ctesiphontem, Atramque bis obsessam, *Severus* venit in Syriam, ubi postea fasces imperii B suscepit. Sed eum cum filio A. CCII. hos habuisse, norunt, qui fastos consuluerunt universi; itaque dicendum erit, per tres fere aut duos annos nihil egisse *Severum* in bello adversus cæteros persequendo: quod prorsus abhorret. Restat igitur, ut captam a *Severo* Ctesiphontem A. CC. fere vertente dicamus, cujus occupationem cum statim exceperit Augusti dignitas in *Caracallum* a militibus collata, ac donativum iis ea de causa concessum; hoc certe non alio tempore, nisi sub anni CC. finem aut sequentis initium contigit. Quæ quidem res egregie confirmatur iis antiquitatum monumentis, quæ utriusque rei memoriam nobis tradiderunt. Etenim, ut a victoria Parthica exordiar, non *Eusebius* solum, cujus forte quidam stare nolent judicio, hanc victoriam a C Parthis, Adiabenis, Arabibusque reportatam transfert in A. CC. (*Chronic.* L. II. ad h. a. Edit. Scaligeri, p. 172.). Sed fasti etiam (apud Pamelium in vita Tertull. p. 18. H.) et nummi (apud *Mediobarbum* ad a. c. 201. p. 274.) cognomen *Parthici Maximi Severo* Tr. P. VIII. sustinenti tribuunt, quam progredi a medio anni CC. ad anni sequentis mediam partem, nemo ignorat. Deinceps in *Caracallum* Augusti, in *Getam* Cæsaris dignitatem a militibus collatam esse A. CCI. ex *Spartiano* intelligitur quodam modo, qui hoc ait factum esse, cum *Caracallus* annum XIII. ageret (l. c. c. 16.); quem eo anno egit haud dubie, ut apparet ex iis quæ de ejus natali alias disputavimus (§ 6.). Ac hujus quidem auctoritas si forte repu- D dianda videtur propterea, quod in definienda Caracalli ætate sibi ipse non constat satis; hunc certe scrupulum eximit elegantissimus nummus thesauri olim *Schwartzburgici*, nunc *Gothani*, quem memoriæ hujus rei conservandæ destinatum fuisse, dubitari non potest (1). Ejus altera pars caput *Severi* laurea cinctum offert addita inscriptione: *Severus Aug. Part. Max. P. M. Tr. P. IX.* altera nudum *Getæ*, et *Caracalli* laureatum caput, quod hunc quidem Augustum, illum Cæsarem fuisse indicat, cum epigraphe: *Æternit. Imperi.* Nempe eo non solum confirmatur id, quod *Spartianus* de tempore hujus ab iis susceptæ dignitatis tradidit, sed hæc etiam sequuntur, quæ antea diximus, eam rem Anno CCI. extitisse, siquidem eo anno *Trib. Pot. IX. Severus* suscepit. Sed redeamus ad librum *de Corona*. Hujus locum supra excussum dicimus intelligi optime posse, si admittatur sententia ea, quam nobis probasse satis videmur. Namque ex ea intelligi maxime potest, qui factum sit, ut milites laureati incederent; quod nemo mirari debet, qui milites etiam triumphantes cinctos coronis fuisse novit, quale quid hic fuisse facile perspicitur. Nam et nunc subacti pene erant omnes, adversus quos *Severus* exercitum duxerat, in primis Parthorum bellicosissima natio, et ipse *Severus*, cum propter articularem morbum agere triumphum de Parthis non posset, de Judæis tamen eum agendum filio, ac Parthici compensandi gratia militibus forte signa triumphantium concessit. Quæ si teneamus, simul illud aperitur, quo modo nunc turbandæ pacis suspicio christianis potuerit oboriri. Jam enim prostrati erant hostes Imperatoris omnes, ipsaque *Severi* jam otiosi asperitas minabatur severitatem summam, quam, districtus adhuc gravioribus negotiis, non potuerat sequi. Et isti inflammandæ maxime idoneum videbatur militis exemplum, quem eo, quod coronam repudiasset, parricidium commisisse, hostemque Cæsaris publicum exstitisse, suo more Deorum cultores arbitrabantur.

§ 2. — *Secus sentientium opiniones examinantur, et imprimis* Hoffmanni *et* Orsii, *qui illum A. CXCVIII. tribuerant, et* Pagii, *qui eum assignaverat A. CCII.*

At, cum his argumentis inductus, librum *de Corona* A. CCI. scriptum esse contendam, video plerosque contradicere, quamvis in diversas plane partes pronuntient. Namque Orsius, familiæ Dominicanæ doctissimus monachus, ejusque adstipulator *Hoffmannus* A. CXCVIII. *Baronius* A. CXCIX. *Pagius* A. CCII. *Pamelius* et *Allixius* A. CCX. postremo *Tillemontius* imperante *Maximino* A. CCXXXV. eum editum fuisse opinatur. Sed isti, si a *Tertulliano* discesseris, omnes ad unum errarunt in eo, quod aliud donativum militibus a *Severo* datum intellexerint, quam quod debeat intelligi. Quocirca supersedere possemus iis confutandis, dum, quale donativum hic fuerit a *Tertulliano* indicatum, docuimus. At quoniam ex istius libelli tempore pendet plurimorum ejus librorum chronologia, facitque ista secus sentientium confutatio plurimum ad confirmandam nostram sententiam, age! eas opiniones brevissime examinemus. Atque hic de opinione *Tillemontii* nihil attinet dicere propterea, quod tota ista res satis tractata videtur ab *Hoffmanno* (In diss. *de Tertulliani omnibus in Montanismo scriptis*, § 6. p. 26. seqq.), et plane sequitur illam hæresim, quæ neque A.

(1) Eum cum erudito orbe communicavit Polycarpus Tentzelius in diss. Jo. Andr. Schmidii præsidio habita, ubi selecta numismata aurea, argentea et ærea maximi moduli ex gazophylacio Amstadio Schwartzburgico explicat; pag. 22. seqq. Aliam inscriptionem, in qua nomina trium istorum cum anno Tr. P. IX. Severi et Tr. P. IV. Caracalli conjunguntur, habet Scaliger in animadvers. Euseb., pag. 228.

Digitized by Google

CXCIX. neque paulo post *Tertullianum* vult ad Montanistas transiisse, quod alio loco disputavimus. Et in ista quidem parte disputationis rectius versatus est *Hoffmannus*, quam tum, cum suam ipse opinionem protulit. Vult enim hunc librum eo tempore fuisse conscriptum, cum pax christianorum ne a Præsidibus quidem, nedum edicto *Augusti* labefactata fuerit, et anno quidem P. C. N. CXCVIII.; quorum illud effici credit eo, quod *Tertullianus* christianos referat credidisse, pacem imprudenti militis, quem hic defendit, facto turbatum iri; hoc vero potentissimis ait ab *Orsio* demonstratum argumentis esse. Quæ cum adhiberentur ab *Hoffmanno*, ut labefactaret *Moshemii* τοῦ μακαρίτου sententiam de vera ætate *Apologetici*; hic quidem (*in addendis ad vol. I. diss. suarum in Hist. Eccl. pertinentium*, p. 741. seqq.), concedit, istam rem rite ab *Orsio* fuisse expositam; sed negat, id recte proferri, quod non simul pace uti christiani potuerint, et ab hostibus tamen suis variis injuriis affici. Atque ego tametsi *Orsio* non assentiar, potiusque refellam postea, sapienter tamen *Moshemium* pronuntiasse agnosco, ubi res christianorum dixit, cum aliis in provinciis urbibusque tranquillæ fuerint, in aliis sæpenumero a Præsidibus turbatas, et talem rei christianæ faciem tempore scripti hujus libri revera fuisse. Pulchre enim id potest intelligi e libro *Tertulliani* ad *Scapulam*; quem editum esse imperante *Caracallo* plurimi eorum confitentur, qui quidquam in isto genere tentarunt; et apparebit id quidem ex iis, quæ postea docebimus. Jam isto ex libro quis non videt, maximis tum calamitatibus expositos christianos fuisse? Et nemo tamen unus est inter scriptores veteres, qui christianos sub *Caracallo* vexatos esse tradat. Unde hoc? Nimirum quia pace tum fruebantur nullo *Augusti* edicto turbata; sed a Præsidum tamen crudelitate non vacabant ubivis. Tum vero se ita rem habuisse omnino, cum in litteras referret *Tertullianus* istas *de Corona* opiniones, videri optime potest, si admittantur ea, quæ nos quidem sentimus de istius libri ætate. Contigit enim hoc facinus militis in Oriente, forte in Parthia etiam, ubi ante *Severi* edictum christianos exagitatos fuisse non legimus uspiam; sed, quæ a *Tertulliano* enarrata sunt in *Apologetico* cæterisque ejus generis libris, in Africa potissimum exstitere, unde cæteri in Oriente christiani plane vereri poterant, ne pace propter facinus militis privarentur. Sed influent in animos forsitan potentius *Orsii* argumenta; itaque quænam quantaque ista sint, videbimus. Sunt vero excursionis *Orsianæ* tres loci, quibus rem istam descripsit (1). Primum monet, hunc librum A. CXCVIII. assignari debere, reperitque liberalitatis *Severi* apud veteres scriptores vestigia; deinde occurrit *Pagio*, qui A. CCII. scriptum hunc librum existimaverat; tum ostendit, quæ adductæ sunt a *Tertulliano*, hujus liberalitatis περιστάσεις omnes cum rebus A. CXCVIII. gestis egregie convenire, sed pugnare cum quocumque anno alio. Igitur et nos sequemur doctissimi viri vestigia, quoniam veremur, ne misceamus ea, quæ jam ab eo permixta sunt satis, ac per singulos locos, quænam recte dixerit, quænam secus, adjecto breviori argumentorum *Pagianorum* examine, indicabimus. In loco isto primo, qui est de numero liberalitatis *Severi* Augusti, quinquies ab eo donatos milites esse, nescio an satis recte, dicit, siquidem aliquot nummi septies eam commemorant (*V. Vaillantii numismata Impp. Rom.*, tom. II. p. 234.); sed potest id salva re controversa concedi. Neque tamen in eo *Orsius* sibi constat ipse, quod *Tertullianum* de donativo Anni CXCVIII. locutum esse judicet (pag. 104.), et postea eum tamen dicat de quarta liberalitate a se indicata dixisse (p. 106.). Est enim ista quarta, ut ipse monuit, hæc eadem plane, quæ occupatam Ctesiphontem secuta est. Alterum locum, quem dedit opinioni *Pagii* examinandæ, non repudiamus per se, sed sunt tamen in ista disputatione, quæ omnino admitti non debent. Etenim id primum inepte dicit: *Tertullianum* de urbanis militibus loqui, quibus ad custodiam Urbis fuissent ad portam Viminalem castra prætoria; cujus rei ne adest ulla quidem significatio, et extra Romam tempore belli, quis dubitet, castra *Severum* habuisse? Deinceps, quod nostræ sententiæ maxime contrarium videmus, liberalitatem omnem dicit pacis tempore postque reditum e bello editam fuisse; qua de re *Spanhemius*, quem obiter citavit, nihil prorsus habet. Istud vero ego si de congiariis dici posse concedam, de donativis, quale hoc erat haud dubie, vehementer equidem dubito. Imo ipsa post captam Ctesiphontem edita liberalitas, admissa ab *Orsio*, num ullo modo per verba *Spartiani* alia intelligi potest, quam quæ extra Romam in bello edita fuerit? Postremo in responsione ad alterum *Pagii* argumentum, male argumentatur, dari ejus opinionem non posse propterea, quod christiani vel pacem a Præsidibus vel ab Imperatore turbandam timuissent; e quibus nec illud defendi posse, quia jam A. CCI. vexati fuissent christiani, neque hoc etiam, fuisse enim eo anno *Severum* absentem et occupatissimum. Quod posterius oppido leve est. Nam et militibus donativa extra Romam data sunt, et isto anno CCI. bello Orientali finem *Severus* imposuit. Sed nihil, fateor, tribuendum est *Pagii* argumentis (1). *Caracalli* enim *quinquennalia*, quorum caussa editam vult liberalitatem *Tertulliano* commemoratam, ad A. CCIII. pertinent, ubi quis nescit jam christianos fuisse propter *Severi* edictum omni scelere laceratos? Tum vero in altero argumento et hoc perperam dicitur, cœptas esse istas inimicitias a militibus, ut *Diocletiani* tempore, atque omnis ista sententia defenditur propter eam opinionem, quod res christianorum ante decimum *Severi* annum nondum fuissent turbatæ; quod est supra satis confutatum. Tertius denique disputationis *Orsianæ*

(1) In diss. hist., qua ostenditur, catholicam Ecclesiam tribus prioribus seculis capitalium criminum reis pacem et absolutionem neutiquam denegasse; sect. II. cap. 3. Digressione 2. p. 104. 113. Ea prodiit Mediolani, 1750. 4.

(1) Ea proposuit in Critica Annalium Baronii ad a. c. CXCIX. n. 3. p. m. 91. 92.

Digitized by Google

locus, in quo verba *Tertulliani* nullum annum præter CXCVIII. attingere posse defendit, non est æquiore Jove tractatus. Etenim quod istam liberalitatem *Severi* exstitisse ante expeditionem parthicam putat, id vero habet aliquam ambiguitatem. Nam si ista bis edita est, primum A. CXCVII. post reditum *Severi*, quam memoriæ prodidit *Herodianus*, deinde A. CXCVIII. ante bellum adversus Parthos susceptum, qualem *Spartianus* tradidit; hæc, uti diximus, nullo modo potest intelligi, nec videtur intellecta ab *Orsio*, qui ad eam rem confirmandam *Herodianum* citavit; illa vero ad rem nihil facit omnino propterea, quod eo anno nondum erat *Augusti* dignitas in *Caracallum* collata. Sed in iis locis, quos ex *Tertulliani Apologetico* c. 35. libroque ad *Scapulam* c. 4. attulit, non est, quod multis versemur. Sunt enim isti a nobis eidem anno CXCVIII. ac sequenti vindicati, absque ullo causæ nostræ detrimento, cæteraque, dum donativa extra Romam distributa esse novimus, sua sponte concidunt.

§ 3. — *Baronii argumenta convelluntur pro A. CXCIX.*

Restant de anno scripti hujus libelli decreta *Baronii* atque *Pamelii* ita comparata, ut convelli nullo negotio possint. Namque *Baronius* (V. ejus *Annales Ecclesiast.* ad a. CCI. tom. II. ed. Col. 1609. pag. 299.) ut probaret, eum librum exaratum esse A.CCI. antequam *Severus* proficisceretur in Orientem, h. e., ut nos loqui rectius solemus, A.CXCIX., nummum excitat, cujus altera pars *Severum* cum Tr. P. XI., altera liberalitatem V. habet, additque multo etiam asseverantius : *hunc nummum ad res nostras, de quibus acturi sumus, pertinere certo scias.* Quod mihi videtur eo planissime modo dictum, quo olim Pythagoræi, cum ex iis quæreretur, quare ita quid esset, illud suum *ipse dixit* interponere solebant; nihil est enim ab eo *Baronii* effato veritate disjunctius. Nam cum clare tradat, annum Tr. P. *Severi* septimum eo anno initium sumpsisse, et tamen nummum excitet cum Tr. P. XI. qui plane ad A. CCIV. aut, si mavis cum ipso *Baronio*, ad An. CCVI. referendus est; nonne repugnantia loquitur? Ac de altero ejus argumento quid dicam? quod duxit ab eo, quod ante hanc expeditionem Parthicam nullæ, post eam multæ calamitates christianorum exstiterint. In quo peccavit dupliciter; primum, quod eas ante fuisse negaverit, quam profectus sit *Severus* adversus Parthos, deinde quod librum *de Corona* eo *de Spectaculis* posteriorem esse non cogitaverit. Atque illud confutavimus suo loco; hoc vero uti nemo negare potest, nisi cui tenebræ sint mero meridie (est enim et hoc satis disputatum); ita de vexatione christianorum, lege *Severi* antiquiore, non potest sermo esse in eo *de Corona*, ubi christiani dicuntur istas calamitates tanquam venturas extimescere; cum tempore eo, quo *Tertullianus* in chartam conjecit librum *de Spectaculis*, jam ad christianos impetum suum Deorum cultores convertissent. Quare ex ipsius *Baronii* mente, librum de Corona ad decimum *Severi* annum referri oportebit.

§ 4. — *Denique Pamelii et Allixii, qui librum hunc conjecerant in A. CCIX. Decreta explodunter.*

Ad *Allixium* venio, doctissimum virum, quem miror tam docilem se præbuisse ad *Pamelii* sententiam, quo dubito, an quis magis contra auspicia ad definiendam scriptorum *Tertulliani* ætatem accesserit? Atque isti *Pamelio*, quoniam liberalitatis mentionem *Tertullianus* injicit, libellus ad A. CCIX. atque ad *decennalia Antonini* plane referendus videtur (*In vita Tertulliani, præmissa ejus operibus a Pamelio*, Colon. 1617. editis. p. 22. E.). Sed ejus quidem liberalitatem in istis decennalibus exstitisse, non probat *Pamelius*, sed plane fingit ad libidinem. Tamen alio quodam loco (*In notis ad hunc librum*, pag. 210. n. 1.) ad nummum provocat dicis caussa, eumque hujus argumenti : *Imp. Cæs. L. Sept. Sev. Pert. Aug..... Liberalitas Augg. SC.* Hic primum mihi quis dicat, ubinam sint decennalium notæ? Deinde cum ego non ignorem, *Severum* et *Caracallum* militibus populoque communiter aliud dedisse in decennalibus; nunquid plura his congiaria non sunt aut donativa edita? Nemo vero id quidem absque temeritate aut ignorantia dixerit. Imo, siquidem *Pamelius* ausus est aliis obtrudere annum CCVIII. absque omni ratione idonea; nobis vicissim non potest vitio verti, si annum CCI. intelligamus; hoc enim anno et liberalitas edita est, et ab Augustis etiam. At quamvis omnino turpiter se ipse dederit, tamen *Allixius* (*In rarissima diss. de Tertulliani vita et scriptis*, cap. VI. p. 49.) secessit in ejus sententiam; nam in libro *de Corona*, inquit, excitatur libellus *de spectaculis*, qui scriptus est A. CCIV. Id vero inepte dictum esse a *Pamelio*, quem unum sequitur, facile intelliget, qui cumque secum reputaverit ea, quæ supra de isto libello pronuntiavimus; neque, si verum hoc esset, maxime de eo super *Spectaculis*, caussam esse perspicimus, quapropter liber *de Corona* ad A. CCVIII. non ad alium referri deberet. Neque ad eam rem defendendam rectius adhibuit errores Montanistarum in libro *de Corona* occurrentes. Quos equidem isti libro non nego inesse; sed eo argumento id posse effici quod debeat, hoc vero nunquam percipietur, nisi ab iis, qui demum eo anno *Tertullianum* putant ad Montanistas transiisse.

§ 5. — *Liber uterque de Cultu feminarum simul editus ostenditur contra* Pamelium et Tillemontium.

Sed satis diu nos tenuit de libro super *Corona* institutio; itaque nobis est properandum ad alios quosdam libros, et eos quidem, quos *Tertullianus de Cultu feminarum* composuit. Atque hic non videtur a suscipienda disputatione alienum, paucis præmonere, qualis fuerit olim horum librorum inscriptio, atque dispicere, fueritne posterior libellus cum altero a *Tertulliano* eodem tempore editus. Videlicet qui ante *Nic. Rigaltium* libros *Tertulliani* ediderunt, hi alterum *de Habitu muliebri* dicebant, alterum *de*

Digitized by Google

Cultu feminarum. Sed iste *Rigaltius*, cum potitus esset vetustissimo illo codice *Agobardi*, primus ausus est, utrumque *de Cultu feminarum* inscribere. Itaque et nos nulli dubitamus, hos libros non disjunctos unquam fuisse, sed unicum quasi effecisse volumen, non ista solum codicis Agobardini auctoritate moti, sed etiam propterea, quod ipsa horum librorum ratio argumentumque suadeat, posteriorem non ita multo post priorem a *Tertulliano* editum fuisse. Quod enim *Pamelius*, qui inscriptionem alias receptam sequebatur, vix potuit concoquere, quod, cum *Tertullianus* cultum ab ornatu in priori libro subtiliter distinxisset, tamen in posteriori, de cultu feminarum appellato, ornatum mulieris pertractarit; ea quidem difficultas, sublata inscriptione utriusque libri diversa, ac argumento ejus studiose cognito, mirum in modum evanescit. Ut enim *Tertullianus* habitum feminæ cultu et ornatu effici dixerat, superioris istius generis exempla putat mundum muliebrem, aurum, argentum, gemmas, vestes, et quæ sunt generis ejusdem; posterioris vero curam capilli et cutis et earum partium corporis, quæ, ut ait, oculos trahunt. Atqui in priori libro aurum, argentum (cap. 4.), gemmas (c. 5.), vestes pertractat (c. 7.); in posteriori de observanda pudicitia in cultus et ornatus institutione agit universe (cap. 1-5.), deinceps de colore ornamentoque capillorum, omnemque librum finit monitis quibusdam de ornatu pudicitiæ adverso. Quare eum in illo de cultu, in hoc de ornatu feminarum egisse, ac tanquam partes utrosque unum librum constituisse clarum est. Nam quod *Tillemontius* ait (*Mémoires pour servir à l'Hist. ecclés.*, tom. III. p. 662. not. 12.) manifestum esse, quod isti duo libri separati fuerint, nec referri unus ad alterum ullo modo possit, id vero facilius dicitur quam probatur, et ne refelli quidem debet; est enim ignorantis. Atque etiam alia est istius sententiæ nostræ probatio; nam in posteriori libro impendentium christianis malorum haud dubiam mentionem injicit, quorum in priori nulla est significatio. Jam si ærumna tum fuissent affecti, quomodo *Tertullianus* abstinuisset a commemoranda ea, ut feminis christianis luxum dissuaderet, cum eo argumento alias frequenter utatur? Sed cum prior iste libellus posterior sit eo *de Spectaculis*, quod deinceps apparebit; dicat mihi quis, utrum in illo quoquam anno, qui efluxit ab eo, quo scriptum *de Spectaculis* librum diximus ad annum CCII., quo cœptæ sunt adversus christianos inimicitiæ, pace christiani usi fuerint, nisi forte A. CCI. aut CCII. Namque a reditu *Severi* ex Gallia ad annum CCI. fuisse christianos maxime vexatos, et ordo librorum docet a nobis in superiori hujus disputationis parte constitutus, et historia martyrum Scillitanorum (V. sup. § 6.). Itaque cum fere post partem anni CCII. priorem editum fuerit *Severi* edictum, ut suo loco docebimus, vix potest prior *de Cultu feminarum* libellus editus alio tempore dici, nisi eo fere, quo in lucem posterior ejus argumenti liber prodiit.

§ 6. — *Anno quidem CCI. aut CCII.*

Quorsum hæc omnia? Nimirum ut intelligatur, si tempus scripti alterutrius libri constat, utriusque ætatem reperiri. Quam ob rem ut certissimam sequamur ejus temporis significationem in libris ipsis; utemur calamitatibus, quibus tum expositos fuisse christianos *Tertullianus* ait, quasque tempore eo, quo alterum *de feminarum cultu* libellum componeret, fere initium sumpsisse verba docent (L. II. c. 13.): *Tempora christianis semper, et nunc vel maxime, non auro, sed ferro transiguntur. Stolæ martyriorum præparantur.* Quæ quidem intelligi de superiore christianorum vexatione a plebe facta nequeunt, propterea, quod in priore hujus argumenti libro ad librum *de Spectaculis* provocat (c. 7.). Namque ego mihi persuadere haud possum, *Tertullianum* voluisse, hunc excitando, græcum similis argumenti librum significare, quoniam et latinum græco antiquiorem esse ostendimus (§ 14.), et ista *Tertulliani* admonitio, qua quid a Deo esse possit pronuntiat, tametsi ejus rei abusus Deum non habeat auctorem, in latino *de Spectaculis* libro omnino occurrit (cap. 2.). Enimvero cum *de Spectaculis* scriberet, jamdudum summis malis affligebantur christiani, de quibus ne verbo quidem in isto priori *de Cultu feminarum* libro loquitur, et tempore posterioris libelli denuo imminebant, quare nec ad priorem sub *Severo* vexationem referri hi libri ullo modo possunt, sed ad annum potius P.C.N. CCI. aut II.; prouti quis velit mala christianorum tum orta, vel impendentia credere. Neque vero est, quod *Tillemontium* audiamus opinantem (L. c. p. 210. Art. VI.), demum post annum CCIII. editum esse librum priorem, posteriorem vero multo ante, et anno quidem CXCVII. Nam in eo loco, quem excitavit (1), æque potest *Tertullianus* priorem *Severi* ex Parthia reditum aut legationem quamdam Parthorum habuisse in animo, quam illam de Parthis victoriam posteriorem. Quod vero caussam aliquam esse dicit credendi, istum librum, quem nos posteriorem dicimus, multo ante esse scriptum, quam alterum ediderit; de eo, quoniam *Tillemontio* non placuit ejus opinionis rationem reddere, nobis vicissim placet tamdiu dubitare, quoad ejus generis aliquid productum ab alio quodam viderimus.

§ 7. — *Liber de Fuga in persecutione vindicatur A. CCII.*

Eidem tempori suam quoque originem debet liber de Fuga in persecutione. Quod argumentum jam in illo *de Corona* alias disputandum promiserat (cap. 1.): cujus loci verba tametsi ad *Scorpiacen* potius nonnulli referenda putaverint, est tamen jamaliis observatum, quod intelligi hæc quidem non possit propterea, quod eam hæreticis, sed illam *de Fuga* commentationem timiditati eorum opposuit, qui erant

(1) Lib. I. c. 6. Gemmarum quoque nobilitatem vidimus Romæ de fastidio Parthorum et Medorum, cæterorumque gentilium suorum coram matronis erubescentem.

Digitized by Google

socii orthodoxæ Ecclesiæ. Igitur apparet, libellum de Fuga demum post A CCI. a *Tertulliano* editum fuisse. Atque ego nullus dubito eum librum anno sequenti vindicare. Equidem ista lenitate ac modestia *Tertulliani* non utar, quæ notari meretur in libro, in quo quæstionem ponit, quæ Montanistas separabat a patriori Ecclesia, quibus tamen eum tum fuisse addictum nemo dubitabit (1); dicere enim quis posset, *Tertullianum*, eum ad eum ista perscriberet, qui stabat a partibus orthodoxorum, se quidem temperasse a verbis durioribus? Sane gravius aliquod argumentum positum est in eo quod, cum nostrum libellum ederet, jam cœpisse quædam adversus christianos flagitia dixerit. Ita enim orditur: *Quæsisti proxime, Fabi frater, fugiendum necne sit in persecutione, quod nescio quid annuntiaretur.* Et paulo post: *hanc materiam et tua consultatio commendavit et conditio temporum suo jam nomine injunxit. Quanto enim frequentiores imminent persecutiones, tanto examinatio procuranda est, quomodo eas accipere fides debeat.* Denique: *Hæc palea illa, quæ et nunc dominicam aream purgat, Ecclesiam scilicet, confusum acervum fidelium eventilans, frumentum martyrum, et paleas negatorum.* Sed quænam hic intelligenda sit christianæ familiæ vexatio, neminem fugere potest, qui superiorem illam A. CXCVII., posteriorem A. CCII. contigisse, nostrum vero libellum post opiniones Montanistarum a *Tertulliano* susceptas scriptum esse animadverterit. Igitur ad finem fere A. CCII. editam esse hanc de Fuga disputationem dicimus maxime propterea, quod anno incipiente *Severo* adhuc fuerit in Syria versatus; unde vix dici potest ante confectam mediam ejus anni partem suam adversus christianos legem tulisse.

§ 8. — *Examinatur popularis sententia de libro* Scorpiace *libris Tertulliani ad Marcionem posteriore, deque ejus adversus hunc libris deperditis disputatur.*

Nunc accedimus ad *Tertulliani Scorpiacen*, quam quidem anno CCIV. asserere ejusque sententiæ rationem reddere decrevimus. Quod opus cum aggrediamur, non dubitamus fore plerosque, qui istam sententiam nostram minime audiendam esse dicant. Etenim stat fere omnibus, quos ista de re novimus disputantes, *Scorpiacen Tertulliani* esse perscriptam post editos demum libros, qui adversus *Marcionem* nostro adhuc tempore habentur. Idque videntur sibi ut præscriptum et quasi imperatum defendere eam ob caussam, quod in quinta *Scorpiaces* sectione Marcionitas ait didicisse a se, Deum suum esse bonum, quam rem certe in primo alteroque contra *Marcionem* libro ex instituto disputavit. Atque ego non ignoro, libros adversus *Marcionem*, primum saltem, A. CCVII. aut CCVIII. editum a *Tertulliano* fuisse, ideoque et veritati consentaneum videri illud, quod *Scorpiacen* anno demum CCVIII. aut postea ediderit. Sed cum semper requiram, quid sit in quaque re maxime probabile, hoc in argumento quanta vis insit, placet quodam modo expendere. Cum *Tertullianus* adversus *Marcionem* librum primum, quem superstitem habemus, componeret, jam quidem ipsi se scribendo bis opposuerat, sed unam harum commentationum, cum postea pleniorem de ea re disputationem instituisset, rescidit, alteram amisit fraude cujusdam, qui eam descriptam cum aliis communicaverat. Hujus damni resarciendi causa eos nunc adversus *Marcionem* libros superstites elaboravit, et primum quidem anno *Severi Imp.* XV., ut ipse fatetur in eo libro (c. 15.) in quo de iis, quæ modo diximus, exposuit (c. 1.). Quæ cum animo cogitem, dubium profecto videtur, utrum *Tertullianus* in libro, quem *Scorpiacen* appellavit, eos respexerit adversus eum libros, qui ad ætatem nostram non pervenerunt, an eos potius, quos superstites esse novimus; erant enim illi ejusdem argumenti. Jam ego non disputo, quid sit ex his eligendum; quod apparebit suo loco; sed id quidem manifestum esse omnes vident, quod dubia sit ista argumentandi ratio eorum, qui secus sentiunt, et parum præsidii inveniat in argumento eo, quod ex facta ista commemoratione posset ad librum anno CCVIII. aut sequentibus vindicandum duci. Neque obstat, quominus ista de re dubitemus, *Hoffmanni* responsio, qua *Tillemontium* hic prudenter hæsitantem excepit. « Primum, inquit, diss. cit. § 14. p. 44. opusculum, ut exile, ipse suppressit, alterum invito *Tertulliano*, cum adhuc rude nec satis exasciatum esset, fraude alterius vulgatum, nec a *Septimio* agnitum est; tertium non extat. Jam cum vix verisimile sit, provocasse *Tertullianum* ad eam controversiæ marcioniticæ tractationem, quam ipse suppressit vel nunquam agnovit, superest, ut intelligantur libri, qui nunc in manibus nostris sunt. » Atque hic quidem non lubet multis notare ea, quæ de altera istius argumenti commentatione *Hoffmannus* non satis accurate disputat, quasi ea, cum ederetur, nec satis elaborata fuerit, nec a *Septimio* agnita. Hoc certe non capio, quomodo possit id e *Tertulliani* verbis intelligi, qui *hanc quoque*, inquit, *nondum exemplariis suffectam* (h. e., nondum pluribus codicibus descriptam), *sed uno tantum* (quod is abstulit) *fraude tunc fratris, dehinc apostatæ amisi, qui forte descripserat quædam mendosissime et exhibuit frequentiæ.* Omnia nunc ab *Hoffmanno* tametsi recte dicta dederim; tamen, si in ejus argumento ea sumpta sunt, quæ demum concludi debebant, omne illud argumentum nihil efficere nemo negabit. Igitur si ista opinione de libris, qui supersunt, adversus *Marcionem*, *Scorpiace* superioribus, ante volumus adstricti teneri, quam quid hac in re rectissimum sit judicavimus, haud verisimile id esse fateor, quod *Tertullianus* aliquem librum suppressum vel agnitum nunquam, in *Scorpiace* laudaverit. Sed istud fac nondum esse exploratum, ut est vere, adeoque forte ante illos scriptam *Scorpiacen* esse; citare primum alterumque

(1) Argumento esse potest Paracleti Montanistarum commemoratio, quem dicit non recipi ab iis, ad quos frater ille pertinebat, cui librum inscripsit (c. 1.); spiritus præterea effatum ad testimonium citat (cap. 9.) quod cum in sacro codice non occurrat, haud dubie spiritus Montanistici est; de quo etiam, c. 1. et c. 14. loquitur.

Digitized by Google

volumen contra *Marcionem*, nunc amissum quidem, satis commode potuit; primum enim opusculum, ut ait ipse *Tertullianus*, demum *pleniore postea compositione rescidit*, et citari id quidem poterat, cum accuratiori oratione nondum hæc persecutus fuisset. Quam ob rem in isto *Hoffmanni* argumento vel ea jam tanquam vera sumuntur, quæ plane sunt in controversia, vel relinquntur in medio potius. Quod si illud est, sane ejus argumentum redit in orbem; sin hoc, nostra quidem sententia non est inferior *Hoffmanniana*. Sed, remota hac difficultate, quæ fraudi nobis esse poterat, scriptæ Scorpiaces ætatem nunc age definiamus.

§ 9. — *Scorpiacen A. CCIV. scriptam esse conficitur.*

Cum *Tertullianus*, quæ de martyrii dignitate disputare in ista *Scorpiace* volebat, in litteras referret; erant deorum cultores in christianis funditus delendis occupati; quod universum docet argumentum hujus libelli iis hæreticis oppositi, qui, *cum fides æstuaret, et Ecclesia de figura rubi exureretur*, suscipere propter religionem mala turpe putabant (c. 1.). Hujusmodi mala jam oportet atrocissima fuisse, ut verba *Tertulliani* ostendunt, quæ in eadem sectione subjicit: *Et nunc præsentia rerum est me dius ardor, ipsa canicula persecutionis, ab ipso scilicet cynocephalo. Alios ignis, alios gladius, alios bestiæ christianos probaverunt, etc.* Atque hic nullum est dubium, quin intelligenda sit vexatio ea, quæ post *Severi* edictum exardescebat; siquidem hunc librum post illum *de Fuga in persecutione* composuit. Namque *Tertullianum* nuspiam legimus probantem, quod tales propter religionem calamitates Deum auctorem agnoscant, nisi in isto *de Fuga* libello, ejusque in primis tertia sectione; qua tamen de re se jam fuisse olim commentatum ait in quarta *Scorpiaces* sectione. Sed, ut de ætate hujus libri pressius dicam, prorsus eum existimo prodiisse A. CCIV. Ubi primum mihi hoc argumento est, quod, cum *Eusebius* H. E. VI. c. 2. Ed. Cantabrig. p. 257. calamitates a *Severo* summa vi christianis illatas esse dixisset, et ita quidem, ut multi jam Antichristi adventum appropinquantem putarent; neque is ipse, neque quis alius scriptorum veterum alia mala litteris consignaverit, præter ea, quæ anno *Severi* decimo, sub *Læto*, Africæ præside, christianis contigerunt, et anno sequenti auctore *Aquila*, Præside ejusdem provinciæ (Euseb. l. c. c. 3. p. 261.). Nam quod hæc eo anno extiterint, ipse *Eusebius* docet, qui *Origenem* tum Catechumenis instituendis præfectum fuisse confirmat, dum *Aquila* se incremento christianæ religionis ejus asseclas lædendo opponebat, eumque XVIII. annorum fuisse, cum eum XVII. ætatis annum egisse dixisset eo tempore, quo pater ejus *Leonides* morti traderetur (c. 2. p. 258.), quod factum est anno decimo *Severi*. Jam si qui tamen pergunt opinari, nostrum libellum scriptum esse A. CCVIII.; dicant mihi tamen, quonam jure ei anno calamitates maximas christianorum possint asserere, quarum nulla tamen apud veteres scriptores exstat memoria? Quo loco libet admirari tot doctissimorum virorum levitatem, qui, cum semel imbibissent opinionem *de Scorpiace* libris nostris contra *Marcionem* posteriore, obliti sunt ejus, quod nihil sit in historia turpius, quam temere credere. Nam si ego duas sententias ferri videam, alteram opinabilem, sed nullo veterum scriptorum testimonio efficiendam, alteram ita comparatam, ut præ se ferat hoc veritatis præsidium; quidni, relicta illa, hanc sequerer? Atqui hoc præsto est argumentum, idque premendum etiam atque etiam, siquidem postea ostenderimus, librum *Tertulliani de Pallio* esse in annum CCVIII. conjiciendum. Namque in eo (c. 1.) *gaudeo vos*, inquit, *Carthaginienses, tam prosperos temporum, cum ita vacat, ac juvat, habitus denotare. Pacis hæc et annonæ otia, ab imperio et a cœlo bene est.* Ubi quo modo *Tertullianus* potuisset temporis prosperitatem commemorare, aut ad res nullius plane momenti, quales sunt istæ de pallio nugæ, descendere ob pacis otia, si gravissimæ tum fuissent christianorum calamitates, quales eas in *Scorpiace* depingit? Itaque quam alii fere quinquennio tardius putarunt scriptam *Scorpiacen*, prius utique prodiisse arbitror, quam istæ, quæ supersunt, adversus *Marcionem* disputationes, et anno quidem CCIII. aut CCIV.; cujus *Eusebium* testem rectissimum habemus, qui nusquam id quidem dicit omnino, sed, uti vidimus, quæ dicit, idem fere ostendunt. Ubi mihi quidem magis placet iste posterior annus, propter ludos, quos nuper admodum editos *Tertullianus* dicit (1). Quod si quis mavelit editos credere in decennalibus *Severi* et *Caracalli* quinquennalibus, non repugnabo admodum; quoniam id satis est a *Spanhemio*, viro in his litteris probato sane et maxime nobili, evictum (2). Pythia alibi quoque quam Delphis, nec in unius Apollinis Pythii honorem, sed Imperatorum etiam acta fuisse. Tamen ego alterum prætulerim propterea, quod ludi Pythii sint in Græcia quovis tertio anno Olympiados editi, ipseque tertius Olympiados CCXLV. annus incidat in annum P. C. N. CCIV. Atque sic nulla vis infertur verbis *Tertulliani*, quæ quidem, si ii ludi editi Carthagine dicuntur, ubi Carthago ipsa præmio non poterat donari, non satis bene videntur cohærere.

§ 10. — *Libri V. qui supersunt adversus Marcionem, quorum primus refertur ad A. CCVII. aut CCVIII. cæteros dubiæ ætatis esse docetur.*

Præter hunc *Tertulliani* librum supersunt ex iis, qui scripti sunt, cum jam ab orthodoxis degenerasset, *adversus Marcionem* libri V. quos dubium non est argui Montanisticorum errorum posse. Etenim, si maxime dubia videretur ipsius *Tertulliani* professio (lib. IV. c. 22.), qua suos dicit et Psychi-

(1) Cap. 6. Agonas istos, contentiosa solemnia et superstitiosa certamina Græcorum et religionum et voluptatum, quanta gratia sæculum celebret, etiam Africæ licuit. Adhuc Carthaginem singulæ civitates gratulando inquietant, donatum Pythico agone post stadii senectutem.

(2) In Epist. I. ad Andr. Morellum, quæ est adjecta hujus specimini universæ rei nummariæ antiquæ, in Ed. Lips., pag. 12. seq.

Digitized by Google

cos in loco de Ecstasi dissentire; neque quis visorum rationem habere velit, quibus ista decreta, ait, confirmata fuisse (l. III. c. 24. V. c. 8.); quoniam omnes isti contra *Marcionem* libri non sunt uno tempore editi: tamen in libro ejus argumenti primo *Montani* disciplinam et suam dicit, et se decreta sua de fugiendis repetitis nuptiis auctore *Paracleto* defendentem (c. 29.); ac ipsa temporis ratio docet eum librum scriptum esse, postquam a partibus Montanistarum jam esse cœperat. De quo altero loco, quem disputandum sumpsimus, cum dubitare ne in mentem quidem venerit multis eorum, qui in definienda librorum *Tertulliani* ætate laborarunt, et ab aliis multa perperam dicta sint, subtilius videmur nobis, re sæpius cogitata, disputare debere. Atque ut de libro primo primum dicamus, nemo est qui ejus ætatem controversam esse dicat. Recte quidem et satis bene; est enim aperta ejus rei et capitalis *Tertulliani* professio (l. I. c. 15.) qui anno decimo quinto *Severi* hunc librum a se compositum fatetur. Sed cum de cæterorum ætate nihil dicant, ipso silentio eos declarant ejusdem ætatis esse. Quod longe secus est. Nam ex verbis iis, quibus finem libro primo *Tertullianus* imposuit (1), haud obscure colligitur, eum esse separatim editum, cæteros diverso tempore exaratos. Etsi autem non audemus dicere, an alterum, tertium et quartum seorsum aut conjunctim, ac quonam tempore scripserit, id tamen dubio carere confirmamus, quod quintum librum *Tertullianus* non eodem cum reliquis tempore ediderit. Est enim liber *de Resurrectione* recentior eo, quem *de Carne Christi* composuit (*de Resurrect.*, c. 2), in quo (*de Carne Christi*, cap. 7), locum excitat ex libro adversus *Marcionem* quarto, de quo postea dicemus. Enimvero in quinto Antimarcionis libro, c. 10. ad eum remittit, quem *de Resurrectione* scripserat; unde *Tertullianum* patet alio tempore, quam quo quartum edidit, quintum in lucem protulisse. Pariter in primo Antimarcionis, c. 1., opus *de Præscriptione hæreticorum* se confecturum aliquando pollicetur; sed in libro *de Carne Christi* tale jam dicit a se scriptum fuisse, c. 2.; igitur et hoc ostendit, primum non esse eodem partu cum cæteris omnibus editum. Quæ cum ita sint, certe quidem confirmamus, primum adversus *Marcionem* librum A. P. C. N. CCVII. aut, si mavis, CCVIII. prodiisse, cum XV. *Severi* annus in utrumque incidat, sed de cæteris, quando sint scripti, dici nihil posse, nisi hoc, quod quintum reliquis æquale non sit.

A

B

C

D

§ 11.— *Tillemontii contraria opinio castigatur.*

At quod verebamur fore, ut quale in loco *de Scorpiace* diximus, libros contra *Marcionem* ibi citatos non eos esse, quos habemus superstites, sed alios abrogatos quasi, et dudum amissos, tale etiam his argumentis nostris nonnulli objiciant, id fere factum videmus a *Tillemontio* (*Mémoires pour servir à l'hist. Eccl.*, tom. III. p. 666. not. 19.), qui istam rem pugnacissime defendit. Oportet igitur et ea, quæ pro nostris responderi possunt, in medium proferri, et discuti ea quæ in illam partem *Tillemontius* disputavit; sed utraque brevissime, et ita quidem, ut quæ aperto firmavimus ipsius *Tertulliani* testimonio, ea nunc plane mittamus. Itaque hoc unum disputari potest: utrum *Tertullianus* in libro *de Carne Christi* quartum contra *Marcionem* librum citaverit, quem adhuc superstitem habemus? quod prorsus existimo, primum, quoniam in illo libro *Marcionis* codicem sacrum examinavit, et ibi (lib. IV. c. 19.) reperitur omnino id, quod in eo *de Carne Christi* tetigit; deinde quod, cum librum primum adhuc superstitem *Marcioni* opponeret, librum *de Præscriptione hæreticorum* nondum ediderat. Hic tamen uti jam prodierat in publicum, cum *Tertullianus* de *Carne Christi* commentaretur, quod modo probavimus, ita necesse est sane, ut tum quoque primus inter superstites contra *Marcionem* libellus jam editus fuerit. Enimvero cum hunc scriberet, duo illa opuscula, quibus olim *Marcionem* impugnavit, rescinderat amiseratque *Tertullianus*; quocirca apparet, eum in libro *de Carne Christi* remittere lectores non potuisse. Sed *Tillemontium* tamen contra disputantem audiamus. Is primo hos *Tertulliani*: *Scorpiacen*, *de Carne Christi*, *de Anima* et *de Resurrectione* libros ait superiores dici posse libris qui supersunt adversus *Marcionem*, hujusque nominis in iis citatos esse eos qui dudum periere. Ac *de Scorpiace* ego non repugno; est enim illa quæstio satis tractata: sed de cæteris non assentior. Nam de libro qui *de Carne Christi* inscribitur, modo diximus, quid sit sentiendum, cui si quis resistere velit, eum audiemus. Atque cum hoc ostendimus, simul illud aperiebatur, a libro *de Resurrectione* (qui eo est haud dubie recentior), quod *Tillemontius* contra volebat, remotissimum esse. Denique quod animus hominis non aliunde agitetur, in libro *de Anima*, c. 21, ait se *Marcionem* docuisse. Atque ista de re cum multa dixerit in altero, qui superest, adversus eum libro, c. 6. seqq., non absurdum est dicere, quod hunc in illo respexerit; nec tamen mordicus id quidem tenebimus, qui usi non sumus istius libri testimonio. Altera dubitatio etiam puerilis est. In loco eo, quem e libro *de Carne Christi* ad testimonium citavimus, *Tertullianus* illum librum contra *Marcionem*, quem appellavit, *libellum* dixit; itaque *quartum* inter superstites non voluit laudare, qui non libellus sit, sed magnum volumen. Inepta conclusio! quasi vero *Tertullianus* omne opus contra *Marcionem* non *opusculum* dixisset, lib. I. c. 1. c. 31. II. c. 1. etc., aut quasi is dici libellus non posset, qui partem majoris operis constituit. At eo modo dicendum est, *Tertullianum* opus nondum perfectum citasse! Hoccine vero et potuit tanto viro scrupulum injicere, qui millies in commentariis suis ipsos libros suos nunquam absolutos antestatus est? Eodemque modo *Tertullianum* egisse quis negabit, si quidem nostras nostri argumenti vindicias legerit? Denique dicit *Tertullianum* de loco, quo sancti viri contineantur a

(1) Si cui minus quid videmur egisse, speret reservatum suo tempori, sicut et ipsarum Scripturarum examinationem, quibus Marcion utitur.

Digitized by Google

morte ad ultimi judicii diem, alia in libro *de Anima*, c. 55, *deque Resurrectione*, c. 43., alia in *Antimarcione* IV. c. 34., tradere. Audio. Sed numquid isti libri pugnant in iis locis, quos se ait in disputatione adversus *Marcionem* pertractasse? Hoc vero nec *Tillemontius* unquam probavit, nec quisquam, si in aliis ad causam propriam non pertinentibus a se *Tertullianus* defecerit, dicet admitti talem conclusionem posse.

§ 12. — *Liber de Pallio. Disputatur de triplici præsentis Imperii virtute, et inquiritur in annum quo Geta dignitatem Augusti suscepit.*

Jam nobis libellum *de Pallio* tractandum sumamus, obscurum illum quidem et satis confusum, sed magna tamen omnis antiquitatis scientia refertum. De cujus ætate cum sint tot discrepantes virorum doctissimorum sententiæ, id agamus necesse est, ut vel eas candide examinemus, vel nostram proponamus. Existit autem hic primo loco quædam quæstio facile expedienda, quænam sit ista *præsentis imperii triplex virtus*, *Deo tot Augustis in unum favente*, cui *Tertullianus* tribuit eorum temporum felicitatem (1). Namque alii (Jac. Gutherius, *de Officiis domus Augustæ*, edit. Lips. p. 277.) his unum *Severum* indicatum volunt propterea, quod tres illos imperii æmulos *Julianum*, *Nigrum et Albinum* superaverat; alii cum *Nigro et Albino Severum* (*Centuriatores Magdeburgici*, cent. III. p. 241.); alii *Albinum*, *Severum et Antoninum* (Pamelius, *in vita Tertull.*, p. 10. D. 14. F.); denique alii *Severum* cum duobus filiis *Bassiano Getaque* intelligunt. Sed trium priorum opinionum nullam probo. Nam ea *Gutherii* opinatio contorta est et perinepta, ut pene nesciam, an quis unquam tam aperte et perversa et falsa secutus sit. Non tangam id quidem, bonum virum non vidisse triplicem illam virtutem *præsentis* imperii, Deumque dici *tot Augustis favisse* in unum, hos etiam multas urbes produxisse, auxisse, reddidisse; quod dicat mihi quis, an de *Juliano*, *Nigro et Albino* affirmari queat, maxime tum, cum jam essent interempti? Nec dicam, quam male adhibita sint *Herodiani* verba, lib. III. c. 7., qui *Severum* miratur ἵνα ἄνδρα τρεῖς καθελόντα βασιλέας ἤδη κρατοῦντας; sunt enim hæc jam a *Bœclero* satis disputata (*In annot. ad Herod.* p. 420.). Hoc unum lubet examinare, quod ad rem nostram imprimis pertinet, utrum *Geta*, vivo *Severo*, nunquam sit factus *Augustus*. Quod cum velit *Gutherius*, primum *Getam Severi* fratrem a *Geta Cæsare*, *Severi* filio, non quidem, ut par erat, distinguit. Nam cum *Spartianus*, in Sev. c. 10. *Severum* dicit filium suum *Bassianum* Cæsarem appellasse, ut fratrem suum *Getam* a spe imperii, quam ipse conceperat, submoveret, nonne consentaneum est, eum de *Geta*, *Severi* fratre, fuisse locutum? Deinde quod in multis codicis titulis nomina *Severi et Antonini* Augustorum reperiantur, sed

(1) Cap. 2. Quantum urbium aut produxit aut auxit aut reddidit præsentis imperii triplex virtus, Deo tot Augustis in unum favente, quot census transcripti!

A *Getæ* nunquam, hoc vero ad rem nihil facit omnino; ab eo enim tempore, quo *Geta* dignitatem Augusti suscepit, ut postea docebitur, semper fuit patris in bello comes, in quo, quod de legibus ad rem publicam spectantibus cogitare non potuerit, nemo mirari debet. Id vero nullo modo ferendum est, quod *Getam*, patre vivente, Augustum appellatum esse neget, nummisque utatur ad hoc efficiendum, in quibus *Getæ* Tr. P. II. legitur. Nam cum ipse adjiciat, *Getam*, mortuo patre, cum fratre non nisi X. menses, XV. dies regnasse; necesse est sane ut *Geta* ante patris mortem Augustus sit appellatus. Altera opinio doc-
B tissimorum virorum, qui Magdeburgi historiæ sacræ centurias composuerunt, *Severum* cum Nigro *Albinoque* statuit fuisse illam triplicem virtutem, et recte, ut cum *Tillemontio* loquar, erroris convincitur, eo quod fontem malorum imperii Romani fontem constituit, unde manaverit tanta felicitas imperii, de qua *Tertullianus* loquitur. Ac de *Pamelio* meliora sentiam, a cujus caussa veritas plerumque remotissima est? qui *Albinum*, quem omnes norunt propter dignitatem Augusti sibi negatam adversus *Severum* inimicitias suscepisse (V. *Dion. Cassium*, l. LXXV. c. 4. p. 1258.), etiam Augustum dicere potuit, et *Caracallum* ejus in imperio socium, cui demum, interfecto jam dudum *Albino*, honores Augusti concessi sunt? Quem si jocantem hæc affirmasse cum *Scaligero* dicam, parum dicam; tot tenebras veritati offudit. Igitur hoc unum restat, ut triplicem
C istam virtutem *Severum* cum filiis, jam Augustis, putemus; in quibus Deus dici potest in unum favisse, ut verbo *Septimiano* utamur, cum unus, si recte velimus loqui, *Severus* regnaverit, cæteri duo nomine magis quam re Augusti fuerint. Unde, si teneamus quonam anno *Geta* ad Augusti dignitatem evectus sit, hæc non magis ad cognitionem intelligentiamque ætatis convertent. Enimvero *Dodwellus* scite, ut alia multa, monuit (*Prælect. Camden* XIX. § 21. p. 621. sq.), multisque comprobavit exemplis, Romanorum Imperatores curasse, ut *Trib. Pot.* filiorum suorum a quinquenniis aut decenniis Imperii
D numeraretur. Sed A. CCVIII. quis nescit quindecennalia *Severi et Caracalli* decennalia exstitisse? Quocirca vix quisquam dubitare potest quin eodem anno in *Getam* Augusti dignitas collata fuerit, et quid impedit quominus pro more Imperatorum rom. idem eodem die etiam *Getæ* contigisse, quo olim *Severo et Caracallo*, dicamus? Ac ista res si forte dubia videri posset propterea, quod vel id citius potuisset accidere, vel quod unam hanc regulam Imperatores non fuissent ubivis secuti, quamvis id quidem verisimile in *Severo* non sit, qui artis Chaldæorum studiosissimus fastos dies diligenter tenebat, nummi tamen hoc ponunt extra omnem dubitationem. Nam si ad numerum *Trib. Pot. Getæ* attendimus, quibus anni hujus dignitatis possunt accuratissime effici, iste quidem ultra quartum in *Getæ* nummis non progreditur. Sed *Geta* summum cum *Caracallo* principium ad mensem fere Februarii

Digitized by Google

Anni CCXII. tenuit (1); igitur numerus quartus *Trib. Pot. Getæ* medio A. CCXI. merito debet assignari; a quo si regrediamur numerando, efficitur sane, *Getam* post confectam dimidiam partem A. CCVIII. suscepisse dignitatem Augusti; unde apparet et hoc, librum *Tertulliani de Pallio* medio ejus anni esse recentiorem.

§ 13. — *Dubia redditur Basnagii et Walchii sententia, qui A. CCXI. hunc librum editum esse volucrunt, et A. CCVIII. libellus asseritur.*

Sed cum accuratior anni ejus, quo scriptus hic liber est, ratio postuletur, qui ista subtilius disserunt, abeunt, quantum video, in eam sententiam, ut in annum CCXI. cum conjiciendum arbitrentur. Nihil enim cæteros moramur, qui versus finem imperii *Severi* hoc opus exaratum, magis universe pronuntiant. Sed qui magis eam rem ad subtilitatem chronologicam exegerunt, *Sam. Basnagius* (*In Annalibus politico-ecclesiasticis*, tom. II. p. 217.) et, qui illum sequitur, Ven. Gœttingensium *Walchius* (*In Antiquitatibus pallii philosophici veterum christianorum*, p. 227. sq.), hi, inquam, eo, quo diximus, anno scriptum hunc librum esse decernunt; sunt enim quædam ejus anni similitudines cum rebus quarum hic *Tertullianus* mentionem injecit. Verum, ista re diligenter examinata, mihi animus magis inclinavit in eam sententiam, quod iste libellus sit fere ad annum CCVIII. compositus. Quam ob rem, pace venerandi viri, quem spero facile veniam daturum esse homini ingenuo, verumque sine ulla contentione invenire volenti, ea explicabo brevissime quæ me movent, ut de veritate ejus sententiæ subdubitem, quæque ad eam, quam obiri vellem, commendandam facere aliquo modo videntur. Videlicet ista secus sentientium opinio universa efficitur similitudine eorum quæ *Tertullianus* habet, cum iis quæ scimus isto anno CCXI. contigisse. Sed istud quidem argumentum tametsi non videatur repudiandum per se, non tamen multum, opinor, firmitatis habet, si eadem similitudo eorum quæ a *Tertulliano* dicta sunt, intercedit cum iis, quæ extiterunt A. CCVIII., et amittit vim probandi omnem, si possit ostendi A. CCXI. plane diversa accidisse ab iis quæ is in libro nostro memoriæ prodidit. Quod utrumque hic ita se prorsus habet. Nam, ut de hoc dicam primo loco, cum nostrum libellum litteris mandaret *Tertullianus*, Africa jam vacabat a terræ motibus (c. 2.); *pacis erant et annonæ otia, ab imperio et a cœlo bene erat* (c. 1.). Sed eo tempore quo ad *Scapulam* perscripsit ea quibus animum ejus revocaret a crudelitate adversus Christianos, quod fere factum est A. CCXI., ut postea docebimus, jam ante annum imbribus, igne, tonitrubus, defectu solis aliisque perterriti erant Africani. Quæ omnia cum *Tertullianus* defendat pœnarum instar fuisse deorum cultoribus propterea, quod tot miseriarum in christianos incendia excitaverant, necesse est sane, istam horum vexationem jam usque ab integro anno ductam fuisse. Age igitur fac A. CCXI. scriptum esse *de Pallio* libellum, nonne *Tertullianus* pugnantia loquitur, qui eidem tempori et summam prosperitatem et calamitates gravissimas tribuit? Atque hic ego non inficior, dici forsitan posse quod, his calamitatibus aliquantisper remissis, quieta quasi ac tranquilla interjecta intervalla fuerint. Sed cum veteris historiæ monumenta nihil prorsus prodiderint, ex quo ista res possit quodam modo intelligi, numquid ista fingere liceret, ut opitularemur opinioni quæ pene videtur ad exitum adducta? Fuerint interim istæ calamitates ad tempus dispersæ, tamenne summas adversus christianos injurias etiam intermissas dicamus? Etiam dices; prospera enim tempora qui potuissent exstitisse, nisi et hæ aliquantum desiissent? At ego qui *Tertullianum* didici hostes in omnes quasi latebras persecutum, usumque vel levissima re ad convincendos erroris ac flagitii eos qui erant rebus christianorum adversi; hunc ego *Tertullianum* putaremne adversus eos disputaturum modo eo, ut, quemadmodum injurias adversariorum in christianos secutæ fuissent summæ calamitates, ita vicissim felicissima tempora excepisse eorum in hos benevolentiam diceret? Atque aliud adhuc in promptu est. Nam cum *Tertullianus* istum *de Pallio* libellum componeret, *pacis otia erant, et revera orbis cultissimum rus imperii, concultus et amœnus super Alcinoi pometum et Midæ rosetum* (c. 2.). Id vero quonam modo? *Eradicato omni aconito hostilitatis.* Sit itaque hic liber scriptus initio A. CCXI.; nam sub Februarii initium inter vivos esse *Severus* desiit, et desiit etiam « triplex imperii virtus. » At isto tempore bellum adversus Britannos nondum erat absolutum, nec unquam postea fuit, vivo *Severo*, sed eo mortuo demum *Antoninus* pacem cum Britannis iniit (V. *Herodianum*, l. III. c. 15. p. 173.). Isto igitur anno cum certe nec fuerint *pacis otia*, nec *orbis cultissimum rus imperii*, commodior locus videtur huic libro assignari debere, et annus quidem CCVIII. in finem inclinatus, præsertim quoniam cum eo optime concordant ea omnia, quæ *Tertullianus* hic tradidit. Namque si requiris *triplicem præsentis imperii virtutem*, sane jam modo *Geta* Augusti dignitatem sumpserat; si *Carthaginenses novitate felices*, eos jam dudum nummi prodiderunt (1); si *cactum et rubum subdolæ familiaritatis, Plautianus* familiarissimus *Severo* jam erat A. CCIV. e medio sublatus (V. Tillemont, *Hist. des Empereurs*, l. c. p. 413. sq.); si *spem Campaniæ deustæ de montibus suis* (c. 2.), illud *Dio*

(1) Hoc ut multis confirmemus, non ita necesse est; satis enim ea opera functus est Tillemontius in opere cui titulus : *Histoire des empereurs*, tom. II. p. I. éd. de Bruxell., p. 185. et dans les notes p. 391.

(1) V. Spanhemium in immortali opere de præstantia et usu numismatum, diss. XII, vol. II. p. 443. qui istos nummos Severi et Antonini, in quibus est Felix Karthago, ad jus nummos cudendi urbi huic restauratæ datum pertinere dicit. Quam ipsam rem, aut cognatam certe, si respiciant ii nummi creberrimi, qui laudant *Indulgentiam Augg. in Carthag.* (ita enim mihi videtur), hoc fere exstitit A. CCIV. aut V., quia in quibusdam cum ea re Tr. P. VI. Caracalli conjungitur. Certe editi sunt ante scriptum libellum *de Pallio*; nusquam enim in iis Getæ, sed Severi tantum et Caracalli nomen reperitur.

Digitized by Google

Cassius (lib. LXXVI. c. 2. p. 1272.), tempore eo quo *Plautianus* periit, plane quidem commemoravit; si denique *eradicatum omne aconitum hostilitatis ac pacis otia*, erant ista sane prius, quam *Severus* in Britanniam proficiscebatur. Sed *exclusi* ubinam tandem sunt *barbari?* Ii quidem nondum eo tempore muro Britannico, sed tamen ab imperii Romani finibus ipsis legionum Romanarum præsidiis arcebantur, et ipse *Tertullianus* cum loquatur de multis barbaris, quidnam est caussæ cur solos Britannos intelligamus? Itaque cum A. CCVIII. exstiterint omnia ea quæ commemorata a *Tertulliano* fuere; cum nullus alius possit excitari, cui aliquo majori jure eadem possent asseri; cum ipsa denique recens dignitatis *Getæ* memoria videatur occasionem *Tertulliano* præbuisse, ut ejus mentionem faceret: parum videtur a certitudine abesse id, quod diximus, librum *de Pallio* ad A. CCVIII. pertinere.

§ 14. — *Librum ad Scapulam sub initium Imperii Antonini Caracalli, A. CCXI. prodiisse probatur.*

Ultimus liber hujus generis, et forte credo omnium *Tertulliani*, est is quem scripsit ad *Scapulam*, Africæ Præsidem; cujus adversus christianos crudelitas sine dubio post *Severi* Imperatoris edictum exstitit. Fuit enim *Hilarianus*, cujus in nostro libello mentionem *Tertullianus* injicit, Africæ Præses eo tempore, quo *Felicitas ac Perpetua* cum sociis suis morti traditæ sunt, quam post leges a *Severo* latas accidisse omnes confitentur. Atque ex iis ipsis, quibus *Scapulam* arguit summæ injustitiæ, existimans (cap. 4) *potuisse eum officio jurisdictionis suæ fungi, et humanitatis tamen meminisse, cum nihil amplius mandetur, quam nocentes confessos damnare, negantes autem ad tormenta revocare*; ex iis verbis, inquam, haud obscure colligitur, tum exstitisse leges quasdam *Severi*, christianis inimicas. Istæ enim antequam editæ erant, Præsidesque agebant earum duntaxat auctoritate, quibus olim Imperatores exagitaverant christianos, adversus vim earum *Tertullianus* vehementer in Apologetico disputat. Leve hoc quidem videbitur, neque proprio quodam argumento egeret, nisi *Pamelius* (In *vita Tertull.* p. 13. C.) A. CXCV. hunc librum assignandum putasset; qui quam leviter disputaverit, ipsa verba docent quibus se ait inductum ut ita sentiret, si quidem *Tertullianus* et *Albinianos* numeravit in hostibus Imperatoris (cap. 2.). Jam si verum est id, has calamitates, quibus *Scapula* christianos insectatus est, posteriores esse *Severi* lege; non minus ea intelliguntur regnante quidem *Severo* non contigisse, quod tamen video placuisse quibusdam. Nam in eo loco (*De Pallio*, c. 4.), ubi *Tertullianus Severum* dicit, *patrem Antonini, christianorum memorem fuisse, ipsumque Antoninum, lacte christiano educatum, novisse Proculum*, dicat mihi quis, cur *Severum* patrem *Antonini* appellaverit, quod ad rem sane non pertinebat, aut cur ipsum *Antoninum* ad testimonium citaverit, nisi hæc hoc regnante scripta sint. Neque vero ea de re dubitandum est propterea, quod nullos christianorum cruciatus sub *Caracallo* reperimus ab aliis scriptoribus traditos, aut quod etiam ii *Caracalli* tempore possunt esse posteriores. Etenim, quod isti nemini alii commemorati sint, ejus est haud dubie ratio aliqua in eo, quod illi nec diu, nec nisi in Africa extiterint. Namque *Tertullianus* nunc quidem a Præside legionis et *Mauritaniæ* dicit familiam christianorum impugnari, *Scapulamque* petit, ut saltem Carthagini parcat et provinciæ, *Arriique Antonini* exemplum imitetur, qui in Asia olim christianos avocasset potius a cruciatibus, quam ad supplicia pertraxisset. Eos autem nec fuisse *Caracalli* tempore posteriores eo efficitur, quod *Hieronymus* (*De viris illustribus*, c. 73. ed. Fabric. p. 126.) *Tertullianum* ultra *Antonini* tempora non vixisse dicat, nullæ præterea usque ad *Decium* adversus omnis generis christianos inimicitiæ reperiantur (1), et quod cum *Caracalli* temporibus hæc, quæ tradita sunt in nostro libello, optime consentiant. Tametsi enim non sit certissime exploratum, quo anno hæc christianorum defensio elaborata sit, tamen ratione quadam probabili, ut est in tali re, primo imperii *Antoniniani* anno vindicari ea posse videtur. Namque illum solis defectum quem *Tertullianus* ait anno superiori exstitisse (c. 3.). *Antoninus Lalovera* asseruit A. CCX. (2). Cui quamvis *Tillemontius* resistat eo, quod *Tertullianus solem* dixerit *non potuisse hoc ex ordinario deliquio pati, cum fuerit in suo hypsomate positus*, tamen hunc *Septimii* argumentandi modum, qui omnia novit sæpius inepta satis in rem suam convertere, jam dudum derisit harum rerum peritissimus *Scaliger* (*In animadvers. ad Eusebii Chronicon*, p. 10.). Deinde cum nullam unquam legem *Caracallus* tulerit adversus christianos, oportet profecto has calamitates iis a *Scapula* inflictas reliquias *Severianæ* crudelitatis fuisse, quæ tum penitus exstinctæ videntur, cum *Caracallus*, imperium sibi confirmaturus, in exilium missos revocasset (V. *Dionem Cassium*, lib. LXXVII. c. 3.). Quod cum fecerit paulo post, quam *Getam* fratrem sub initium A. CCXII. sustulerat, non inepte id quidem dicimus: *Scapulam* A. CCXI. adversus christianos egisse.

ARTICULUS IV.

De libris Tertulliani, quorum vel ætas, vel doctrina, vel utraque latet.

§ 1. — *Tertia classis librorum Tertulliani, quos, quamvis incertæ ætatis sunt, tamen constat, scriptos ante ejus defectionem fuisse.*

Tertia hæc disputatio finem faciet exercitationum, quas instituimus, Septimianarum; in quibus cum hactenus pertractati sint isti libri, quorum et ætas et doctrina poterat certa quadam via et ratione demonstrari, nunc oportet subjici cæteros, qui ætatem suam

(1) Hoc satis adversus Scaligerum aliosque defendit Sam. Basnagius, l. c. p. 218. n. 11.

(2) In epist. ad Jo. Bessonum quam edidit Petr. Possinus in notis ad Acta Perpetuæ et Felicitatis, in Ruinarti Actis primorum martyrum sinceris, Ed. Amstelodam., p. 119.

Digitized by Google

non satis definite produnt, sed doctrina tamen non est admodum obscura, nisi in quibusdam paucis, qui ancipitem habere formam videntur. Itaque *primum* illos excitabimus ætate majores, qui *Tertullianum* ostendunt nondum plane Montanistarum partibus addictum; *deinde* eos, quibus notæ Montanismi non sunt leviter impressæ; *postremo* hos, qui lectorem dimittunt dubitantem, fueritne *Tertullianus* tum, cum illos præscriberet, a communi Ecclesia sejunctus, necne? Cui triplici librorum Septimianorum generi cum dicamus ætatem asseri non satis certe posse, non volumus id quidem, prorsus ignorari ætatem cuivis tribuendam (erit enim etiam, quod probabiliter de hac disputari possit), sed accurate ipsum annum scriptorum librorum definiri posse, id quidem audemus negare propterea, quod nullæ in iis sunt significationes certæ, quæ vindicari certo quodam ac definito anno possint. Sed ad propositum veniamus.

§ 2. — *Liber de Oratione ante defectionem scriptus et anno* 196. *vel* 197. *editus.*

Primi generis haud dubie dici potest liber de *Oratione*, qui, nisi vehementer fallor, primus est omnium *Tertulliani*, qui ætatem tulerunt, magnoque omnium consensu, si ab *Hoffmanno* discesseris (*Dissertat. citat.* § 11. p. 57. sq.) cujus interciderat omnia *Tertulliani* scripta ad eum Montanistam referre, in libris castioris doctrinæ numeratur. Atque si forte suspecta est fides *Hilarii Pictaviensis*, qui scriptum hunc libellum ante *Tertulliani* defectionem non obscure significat; tamen in libro ipso tot sunt notæ sententiarum diversarum ab iis, quas postea in scriptis, erroribus Montanistarum infectis, defendit, ut libri istius doctrina nemini sit ad reperiendum difficilis, qui comparare utrorumque sententias velit. Nam primum quantæ hic (1) sunt laudes operis *Hermæ*, quod *Pastor* inscribitur, cum consuetudinem considendi finita oratione observatam ab *Herma* non secum pugnare ostendit, quod *fere Scripturam*, ac (ne illud *fere* cuidam invidiam nostræ sententiæ moveat) postea *Scripturam* appellat? quod tametsi non sic ceperim cum *Muratorio* (*loc. cit. not.* 3. *p.* 31.) aliisque, quasi *Tertullianus Hermæ* libros referat in libris N. T. canonicis (loquitur enim ex more magis adversariorum quam suo); tamen non contemnit *Hermæ* auctoritatem, sed sibi conciliat, longe secus atque in libro *de Pudicitia*, c. 10. et 20., in quo non modo *Hermæ* effata repudiat, sed spurium illud omnibus consentientibus scriptum appellat et illum *mœchorum Pastorem*. Quod miror argumentum miratum in *Allixio* fuisse *Hoffmannum* existimantem, non exagitasse *Tertullianum* in nostro libello *Hermæ Pastorem* propterea, quod sibi *Hermæ* auctoritas non tantum obstitisset quam tum, cum exararet librum *de Pudicitia*, quare nec fuisset necesse ut ejus pretium elevaret. Nam etiamsi non negemus magis adversariam fuisse *Hermæ* auctoritatem *Tertulliano* in rebus iis, quarum mentio est injecta in libello de *Pudicitia*, ejus tamen de *Herma* judicium in nostro de *Oratione* libro non solum multo est mitius, sed ita comparatum etiam, ut ipse *Hermæ* auctoritatem non universe contempsisse videatur. Ac illud *fere Scriptura*, quod vim hujus argumenti minuere *Hoffmannus* arbitratur, satis est ab eo inepte explicatum sic, ut temere dicere voluerit *Tertull.* nomen *Pastoris Hermæ* libello imponi, cum illud nomen nullo modo mereatur; nam illud *fere Scriptura* certe est ita intelligendum, *Hermiani* libelli auctoritatem fere eamdem, quam sacrorum librorum putari; quod ipsum ex eo patet, quod eum postea prorsus *Scripturam* dicat, neque sic eum, ut opinor, appellasset, si tam ipsi contemptus *Hermas* fuisset, quam erat tempore conscripti *de Pudicitia* libri. Sed sunt hic etiam alia *Tertulliani* dicta multum discrepantia ab iis quæ in libris Montanisticis proposuit, quæ ostendunt clarissime tum longe aliam fuisse *Tertulliani* disciplinam quam postea. Videlicet sectione 18. (p. 35. Murat.) cum disputat adversus eos, qui, dum se cibo abstinebant, nec alios solebant osculo excipere, *non* ait, *nisi die Paschæ, quo communis et quasi publica jejunii religio est*, jure osculum cæteris negari debere; quod ostendit profecto *Tertullianum* tum ex illa societate sacra fuisse, quæ nullum diem publica et communi abstinentia a cibo celebrat præter eum, quo Christus mortuus erat; nam *Dies Paschæ* est is, qui erat memoriæ Jesu interempti consecratus (1). Enimvero christiani veteres *Tertulliani* tempore non nisi hunc diem communiter inedia celebrabant propterea, quod tum aiebant sponsum fuisse ablatum; et tamen *Tertullianus* in libro *de Jejuniis*, c. 2., qui est haud dubie e numero Montanisticorum suorum, multum vituperat hanc consuetudinem, unum hunc diem communi jejuniorum religione celebrandi; estque satis clarum Montanistas plures alios dies præter diem Christi emortualem celebrasse. Unde elicitur illud: *Tertullianum* cum hunc *de Oratione* librum componeret, nondum in partes Montanistarum secessisse. Quod novo potest argumento ducto ex utroque libello confirmari, quorum si quis loca alio potest modo in concordiam redigere, quam eo, quo diximus, ducto a diversa *Tertulliani* disciplina tempore utriusque conscripti libelli, cum audiemus. Nam cum in eo de Oratione c. 25. descendisset ad disputationem de tempore precum Deo offerendarum, bonum id quidem esse inquit, quasdam certas et fixas quasi horas precibus destinari, tertiam scilicet, et sextam et nonam ab Apostolis quoque observatam; sed id quidem fieri, adjicit, *sine ullius observationis præcepto*, neque lege præceptas esse alias præter *legitimas orationes*, h. e. eas: quæ sub ortum lucis noctisque pronuntiantur. Et c. 23. extr.: *De temporibus*, inquit, *orationis nihil omnino præscriptum est, nisi plane omni in tempore et loco orare.* Sed ille in libello *de Jejuniis* peracerbe exagitat orthodoxæ Ecclesiæ addictos

(1) C. 16. Edit. Lud. Ant. Muratorii, qua utimur, qui nostrum libellum antea mutilum e Bibliothecæ Ambrosianæ codice integrum edidit in *Anecdotis latinis*, tom. III, p. 9. sq.

(1) Vid., exempli caussa, *adversus Judæos*, libr., c. 10.

Digitized by Google

Cassius (lib. LXXVI. c. 2. p. 1272.), tempore eo quo *Plautianus* periit, plane quidem commemoravit; si denique *eradicatum omne aconitum hostilitatis ac pacis otia*, erant ista sane prius, quam *Severus* in Britanniam proficiscebatur. Sed *exclusi* ubinam tandem sunt *barbari?* Ii quidem nondum eo tempore muro Britannico, sed tamen ab imperii Romani finibus ipsis legionum Romanarum præsidiis arcebantur, et ipse *Tertullianus* cum loquatur de multis barbaris, quidnam est caussæ cur solos Britannos intelligamus? Itaque cum A. CCVIII. exstiterint omnia ea quæ commemorata a *Tertulliano* fuere; cum nullus alius possit excitari, cui aliquo majori jure eadem possent asseri; cum ipsa denique recens dignitatis *Getæ* memoria videatur occasionem *Tertulliano* præbuisse, ut ejus mentionem faceret: parum videtur a certitudine abesse id, quod diximus, librum *de Pallio* ad A. CCVIII. pertinere.

§ 14. — *Librum ad Scapulam sub initium Imperii Antonini Caracalli, A. CCXI. prodiisse probatur.*

Ultimus liber hujus generis, et forte credo omnium *Tertulliani*, est is quem scripsit ad *Scapulam*, Africæ Præsidem; cujus adversus christianos crudelitas sine dubio post *Severi* Imperatoris edictum exstitit. Fuit enim *Hilarianus*, cujus in nostro libello mentionem *Tertullianus* injicit, Africæ Præses eo tempore, quo *Felicitas ac Perpetua* cum sociis suis morti traditæ sunt, quam post leges a *Severo* latas accidisse omnes confitentur. Atque ex iis ipsis, quibus *Scapulam* arguit summæ injustitiæ, existimans (cap. 4) *potuisse eum officio jurisdictionis suæ fungi, et humanitatis tamen meminisse, cum nihil amplius mandetur, quam nocentes confessos damnare, negantes autem ad tormenta revocare;* ex iis verbis, inquam, haud obscure colligitur, tum exstitisse leges quasdam *Severi*, christianis inimicas. Istæ enim antequam editæ erant, Præsidesque agebant earum duntaxat auctoritate, quibus olim Imperatores exagitaverant christianos, adversus vim earum *Tertullianus* vehementer in Apologetico disputat. Leve hoc quidem videbitur, neque proprio quodam argumento egeret, nisi *Pamelius* (In *vita Tertull.* p. 13. C.) A. CXCV. hunc librum assignandum putasset; qui quam leviter disputaverit, ipsa verba docent quibus se ait inductum ut ita sentiret, si quidem *Tertullianus* et *Albinianos* numeravit in hostibus Imperatoris (cap. 2.). Jam si verum est id, has calamitates, quibus *Scapula* christianos insectatus est, posteriores esse *Severi* lege; non minus ea intelliguntur regnante quidem *Severo* non contigisse, quod tamen video placuisse quibusdam. Nam in eo loco (*De Pallio*, c. 4.), ubi *Tertullianus Severum* dicit, *patrem Antonini, christianorum memorem fuisse, ipsumque Antoninum, lacte christiano educatum, novisse Proculum*, dicat mihi quis, cur *Severum* patrem *Antonini* appellaverit, quod ad rem sane non pertinebat, aut cur ipsum *Antoninum* ad testimonium citaverit, nisi hæc hoc regnante scripta sint. Neque vero ea de re dubitandum est propterea, quod nullos christianorum cruciatus sub *Caracallo* reperimus ab aliis scriptoribus traditos, aut quod etiam ii *Caracalli* tempore possunt esse posteriores. Etenim, quod isti nemini alii commemorati sint, ejus est haud dubie ratio aliqua in eo, quod illi nec diu, nec nisi in Africa extiterint. Namque *Tertullianus* nunc quidem a Præside legionis et *Mauritaniæ* dicit familiam christianorum impugnari, *Scapulamque* petit, ut saltem Carthagini parcat et provinciæ, *Arriique Antonini* exemplum imitetur, qui in Asia olim christianos avocasset potius a cruciatibus, quam ad supplicia pertraxisset. Eos autem nec fuisse *Caracalli* tempore posteriores eo efficitur, quod *Hieronymus* (*De viris illustribus*, c. 73. ed. Fabric. p. 126.) *Tertullianum* ultra *Antonini* tempora non vixisse dicat, nullæ præterea usque ad *Decium* adversus omnis generis christianos inimicitiæ reperiantur (1), et quod cum *Caracalli* temporibus hæc, quæ tradita sunt in nostro libello, optime consentiant. Tametsi enim non sit certissime exploratum, quo anno hæc christianorum defensio elaborata sit, tamen ratione quadam probabili, ut est in tali re, primo imperii *Antoniniani* anno vindicari ea posse videtur. Namque illum solis defectum quem *Tertullianus* ait anno superiori exstitisse (c. 3.). *Antoninus Lalovera* asseruit A. CCX. (2). Cui quamvis *Tillemontius* resistat eo, quod *Tertullianus solem* dixerit *non potuisse hoc ex ordinario deliquio pati, cum fuerit in suo hypsomate positus*, tamen hunc *Septimii* argumentandi modum, qui omnia novit sæpius inepta satis in rem suam convertere, jam dudum derisit harum rerum peritissimus *Scaliger* (*In animadvers. ad Eusebii Chronicon*, p. 10.). Deinde cum nullam unquam legem *Caracallus* tulerit adversus christianos, oportet profecto has calamitates iis a *Scapula* inflictas reliquias *Severianæ* crudelitatis fuisse, quæ tum penitus exstinctæ videntur, cum *Caracallus*, imperium sibi confirmaturus, in exilium missos revocasset (V. *Dionem Cassium*, lib. LXXVII. c. 3.). Quod cum fecerit paulo post, quam *Getam* fratrem sub initium A. CCXII. sustulerat, non inepte id quidem dicimus: *Scapulam* A. CCXI. adversus christianos egisse.

ARTICULUS IV.

De libris Tertulliani, quorum vel ætas, vel doctrina, vel utraque latet.

§ 1. — *Tertia classis librorum Tertulliani, quos, quamvis incertæ ætatis sunt, tamen constat, scriptos ante ejus defectionem fuisse.*

Tertia hæc disputatio finem faciet exercitationum, quas instituimus, Septimianarum; in quibus cum hactenus pertractati sint isti libri, quorum et ætas et doctrina poterat certa quadam via et ratione demonstrari, nunc oportet subjici cæteros, qui ætatem suam

(1) Hoc satis adversus Scaligerum aliosque defendit Sam. Basnagius, l. c. p. 218. n. 11.

(2) In epist. ad Jo. Bessonum quam edidit Petr. Possinus in notis ad Acta Perpetuæ et Felicitatis, in Ruinarti Actis primorum martyrum sinceris, Ed. Amstelodam., p. 119.

Digitized by Google

non satis definite produnt, sed doctrina tamen non est admodum obscura, nisi in quibusdam paucis, qui ancipitem habere formam videntur. Itaque *primum* illos excitabimus ætate majores, qui *Tertullianum* ostendunt nondum plane Montanistarum partibus addictum; *deinde* eos, quibus notæ Montanismi non sunt leviter impressæ; *postremo* hos, qui lectorem dimittunt dubitantem, fueritne *Tertullianus* tum, cum illos præscriberet, a communi Ecclesia sejunctus, necne? Cui triplici librorum Septimianorum generi cum dicamus ætatem asseri non satis certe posse, non volumus id quidem, prorsus ignorari ætatem cuivis tribuendam (erit enim etiam, quod probabiliter de hac disputari possit), sed accurate ipsum annum scriptorum librorum definiri posse, id quidem audemus negare propterea, quod nullæ in iis sunt significationes certæ, quæ vindicari certo quodam ac definito anno possint. Sed ad propositum veniamus.

§ 2. — *Liber de Oratione ante defectionem scriptus et anno* 196. *vel* 197. *editus.*

Primi generis haud dubie dici potest liber de *Oratione*, qui, nisi vehementer fallor, primus est omnium *Tertulliani*, qui ætatem tulerunt, magnoque omnium consensu, si ab *Hoffmanno* discesseris (*Dissertat. citat.* § 11. p. 57. sq.) cujus intererat omnia *Tertulliani* scripta ad eum Montanistam referre, in libris castioris doctrinæ numeratur. Atque si forte suspecta est fides *Hilarii Pictaviensis*, qui scriptum hunc libellum ante *Tertulliani* defectionem non obscure significat; tamen in libro ipso tot sunt notæ sententiarum diversarum ab iis, quas postea in scriptis, erroribus Montanistarum infectis, defendit, ut libri istius doctrina nemini sit ad reperiendum difficilis, qui comparare utrorumque sententias velit. Nam primum quantæ hic (1) sunt laudes operis *Hermæ*, quod *Pastor* inscribitur, cum consuetudinem considendi finita oratione observatam ab *Herma* non secum pugnare ostendit, quod *fere Scripturam*, ac (ne illud *fere* cuidam invidiam nostræ sententiæ moveat) postea *Scripturam* appellat? quod tametsi non sic ceperim cum *Muratorio* (*loc. cit. not.* 3. *p.* 31.) aliisque, quasi *Tertullianus Hermæ* libros referat in libris N. T. canonicis (loquitur enim ex more magis adversariorum quam suo); tamen non contemnit *Hermæ* auctoritatem, sed sibi conciliat, longe secus atque in libro *de Pudicitia*, c. 10. et 20., in quo non modo *Hermæ* effata repudiat, sed spurium illud omnibus consentientibus scriptum appellat et illum *mœchorum Pastorem*. Quod miror argumentum miratum in *Allixio* fuisse *Hoffmannum* existimantem, non exagitasse *Tertullianum* in nostro libello *Hermæ Pastorem* propterea, quod sibi *Hermæ* auctoritas non tantum obstitisset quam tum, cum exararet librum *de Pudicitia*, quare nec fuisset necesse ut ejus pretium elevaret. Nam etiamsi non negemus magis adversariam fuisse *Hermæ* auctoritatem *Tertulliano* in rebus iis, quarum mentio est injecta in libello de *Pudicitia*, ejus tamen de *Herma* judicium in nostro de *Oratione* libro non solum multo est mitius, sed ita comparatum etiam, ut ipse *Hermæ* auctoritatem non universe contempsisse videatur. Ac illud *fere Scriptura*, quod vim hujus argumenti minuere *Hoffmannus* arbitratur, satis est ab eo inepte explicatum sic, ut temere dicere voluerit *Tertull.* nomen *Pastoris Hermæ* libello imponi, cum illud nomen nullo modo mereatur; nam illud *fere Scriptura* certe est ita intelligendum, *Herniani* libelli auctoritatem fere eamdem, quam sacrorum librorum putari; quod ipsum ex eo patet, quod eum postea prorsus *Scripturam* dicat, neque sic eum, ut opinor, appellasset, si tam ipsi contemptus *Hermas* fuisset, quam erat tempore conscripti *de Pudicitia* libri. Sed sunt hic etiam alia *Tertulliani* dicta multum discrepantia ab iis quæ in libris Montanisticis proposuit, quæ ostendunt clarissime tum longe aliam fuisse *Tertulliani* disciplinam quam postea. Videlicet sectione 18. (p. 35. Murat.) cum disputat adversus eos, qui, dum se cibo abstinebant, nec alios solebant osculo excipere, *non* ait, *nisi die Paschæ, quo communis et quasi publica jejunii religio est*, jure osculum cæteris negari debere; quod ostendit profecto *Tertullianum* tum ex illa societate sacra fuisse, quæ nullum diem publica et communi abstinentia a cibo celebrat præter eum, quo Christus mortuus erat; nam *Dies Paschæ* est is, qui erat memoriæ Jesu interempti consecratus (1). Enimvero christiani veteres *Tertulliani* tempore non nisi hunc diem communiter inedia celebrabant propterea, quod tum aiebant sponsum fuisse ablatum; et tamen *Tertullianus* in libro *de Jejuniis*, c. 2., qui est haud dubie e numero Montanisticorum suorum, multum vituperat hanc consuetudinem, unum hunc diem communi jejuniorum religione celebrandi; estque satis clarum Montanistas plures alios dies præter diem Christi emortualem celebrasse. Unde elicitur illud: *Tertullianum* cum hunc *de Oratione* librum componeret, nondum in partes Montanistarum secessisse. Quod novo potest argumento ducto ex utroque libello confirmari, quorum si quis loca alio potest modo in concordiam redigere, quam eo, quo diximus, ducto a diversa *Tertulliani* disciplina tempore utriusque conscripti libelli, cum audiemus. Nam cum in eo de Oratione c. 25. descendisset ad disputationem de tempore precum Deo offerendarum, bonum id quidem esse inquit, quasdam certas et fixas quasi horas precibus destinari, tertiam scilicet, et sextam et nonam ab Apostolis quoque observatam; sed id quidem fieri, adjicit, *sine ullius observationis præcepto*, neque lege præceptas esse alias præter *legitimas orationes*, h. e. eas: quæ sub ortum lucis noctisque pronuntiantur. Et c. 25. extr.: *De temporibus*, inquit, *orationis nihil omnino præscriptum est, nisi plane omni in tempore et loco orare.* Sed ille in libello *de Jejuniis* peracerbe exagitat orthodoxæ Ecclesiæ addictos

(1) C. 16. Edit. Lud. Ant. Muratorii, qua utimur, qui nostrum libellum antea mutilum e Bibliothecæ Ambrosianæ codice integrum edidit in *Anecdotis latinis*, tom. III, p. 9. sq.

(1) Vid., exempli caussa, *adversus Judæos*, libr., c. 10.

Digitized by Google

(c. 2.) propter eam caussam, quod abstinendum esse dicebant a cibo *ex arbitrio, non ex imperio novæ disciplinæ pro temporibus et caussis uniuscujusque, et orationes etiam fere hora nona concluderent de Petri exemplo;* additque diserte, c. 10., *salva plane indifferentia semper et ubique et omni tempore orandi, tamen tres istas horas solemniores fuisse in orationibus divinis;* et cap. 13. ad ipsam provocat legem a *Paracleto* datam, qua hanc Montanistarum consuetudinem confirmasset. Quibus omnibus evincitur haud dubie, aliam prorsus *Tertulliani* sententiam fuisse, cum *de Oratione* librum componeret. Denique, ut alia omittam multa, id mihi videtur magno argumento esse ad asserendam libro nostro ὀρθοδοξίαν, quod nullam in hoc libro, cum de Jejuniis ac stationibus crebrius disserat, injiciat mentionem xerophagiarum, quas tanto cum fervore in libro *de Jejuniis*, cap. 2. 5. seqq., defendit; cujus omissionis dubito an ulla alia ratio reddi possit, quam ea, quod tempore scripti libelli nostri isti Ecclesiæ addictus fuerit, quæ xerophagias (ut ait in libro *de Jejuniis*, c. 2.) *novum* dicebat *affectati officii nomen esse et proximum ethnicæ superstitionis.* Hæc omnia mihi multo videntur magis audienda, quam quæ *Hoffmannus* ad vindicandam opinionem suam profert, quibus alia non nullius auctoritatis nos etiam ipsi possemus, si necesse esset, addere. Simillima scilicet esse ait ea, quæ hic c. 22. de virginibus velandis præcipiat, eorum quæ ab eo in libro hujus argumenti defenduntur: quod longe secus est. Nam tametsi in utroque libro velit ut virgines obtegantur velo, non ipse tamen iste consensus librorum, ex eadem disciplina prodiisse utrumque, demonstrat; sed, si quis utriusque loca accurate contulerit, magnus erit a se *Tertulliani* dissensus, qui nostram multo magis quam *Hoffmanni* sententiam confirmat. In libro *de Virg. velandis* vehementer et ex ipsa imprimis lege Montanistarum hanc consuetudinem defendit, sed in nostro *de Orat.* libello, c. 22. p. 43., non tenendam jubet hanc consuetudinem, *legemque* adeo *virginibus quoque injicientem velamentum* ait *excusari posse;* atque in principiis illius disputationis, c. 21., *quasi incertum retractandum esse illud, quod promiscue observetur per Ecclesias, velarine debeant virgines an non?* Leve igitur est istud viri docti argumentum, potuissetque ille rectius ad testimonium sententiæ suæ citare cap. 6., ubi cum rogationem quartam orationis dominicæ non proprie, sed tropice de sacra cœna esse intelligendam dixerat, *Sed et quia,* adjicit, *carnaliter admittitur ista vox, non sine religione potest fieri et spiritalis disciplinæ,* ubi *spiritalis disciplina* aliquam dat Montanistici scriptoris suspicionem, qui spiritales se, cæteros Psychicos appellabant. Sed potuit *Tertullianus* sub spiritalibus etiam quosvis probos homines et christianos intelligere, quod mihi magis placet propterea, quod hos non ita multo post interpretatur per *fideles*, eosque non orthodoxis v. Psychicis opponit, sed *nationibus*, h. e. non credentibus in Jesum; neque usquam reperi *Tertullianum* vel in ipsis Montanisticis libris orthodoxis nomen fidelium negasse. Jam cum hunc librum ex iis esse constet, qui castigatiorem doctrinam continent, quemcumque illi locum in hujus modi *Septimianis* scriptis dederis, idem est. Nobis, quibus ex eo nulla se vel levis suspicio errorum Montanistarum obtulit, optimum videtur, cum inprimis hujus generis collocare.

§ 3. — *Liber de Baptismo a Tertulliano catholico exaratus. Confutantur argumenta dissentientium.*

At dicere quænam doctrina asserenda sit libro *de Baptismo*, majori est cum difficultate conjunctum. Equidem non ignoro omnes sic sentire, quasi sit hujus libri ὀρθοδοξία extra omnem dubitationem posita, leviter, ut in cæteris, repugnante *Hoffmanno;* sed in ea re miranda venit multorum doctorum hominum levitas, qui libros alios, quorum argumentum certam habet puritatis significationem, *Tertulliano* Montanistæ tribuerint, et hunc tuto exemerint e numero horum librorum, cujus tamen loci, si vel præcipuas Montanistarum in eo vel orthodoxorum sententias requisiveris, tam sunt obscuri, ut, inquisitis omnibus, vix quo se vertat animus videat. Sed ut, quantum fieri possit, dicamus tamen quænam in libro nostro doctrina vel ad has vel ad illas magis inclinata regnet, primum placet examinare locos qui huic libro suspicionem Montanismi conficiunt, deinde eos qui sunt in contrariam partem, rarius licet, propositi. Atque, ut omittamus ea quæ subdubitans objecit *Baronius*, satis ille ab *Allixio* confutatus (in Vit. Tert. p. 29. sqq.), *Hoffmannus* in illam superiorem partem hæc excitat argumenta. Primum quod in libro *de Baptismo Tertullianus* dictis utatur similibus eorum quæ in eo *de Pudicitia* defenderat, ita ut exagitet eos qui sibi sumebant potestatem dandi veniam delictorum, quæ uni tamen Deo competeret. Cujus rei, ni fallor, significationem in illis verbis reperit: *neque peccatum dimittit, neque spiritum indulget, nisi Deus solus;* quæ quomodo nonnisi a scriptore disciplinæ *Montani* dedito pronuntiari potuerint, non perspicio. Nam neque illud sodales orthodoxæ Ecclesiæ negabant, neque de ea re erat eos inter et Montanistas disputatio; sed illi orthodoxi, quamvis nonnisi Deo potestatem remittendorum peccatorum assignarent, negandam tamen pacem iis qui propter peccata fuerant e societate sacra ejecti, non putabant, siquidem illi se vitam emendaturos pollicerentur. Postea hunc librum vir doctus ait ad calamitatum christianis a Deorum cultoribus immissarum plena tempora pertinere; quæ est levis profecto conjectura. Nam c. 16. libri nostri, quem locum ille antestatur: *est nobis etiam secundum lavacrum, sanguinis scilicet*, nullo modo tum præsens periculum ostendit. Quod si commemoratum etiam a *Tertulliano* fuisset, non propterea hic liber ad scripta Montani erroribus referta abjici posset; sunt enim multa Tertulliani scripta (ut diss. I. docebamus), æqualia his calamitatibus, ante *Tertulliani* defectionem composita. Sed neque ipse ille dicendi modus, quo *Tertullianus* cruciatus aliquem

Digitized by Google

veluti baptismum appellat, statim Montanistam prodit, nisi velimus dicere *Origenem* quoque et alios, quorum loca habet *Dodwellus* (*Dissert. Cyprian.* XIII. *quæ est de secundo martyrii baptismo, imprimis* § 2.), qui nunquam accusati Montanismi fuere, propter eam rem Montanistarum addictos societati haberi debere (1). Denique quod non obscure *Tertullianum* eodem in loco significare *Hoffmannus* dicit injuria Montanistas fuisse e societate communis Ecclesiæ proscriptos, cum iis cæterisque christianis unus Deus, unum baptisma, una denique in cœlis Ecclesia, cum cæteris autem hæreticis nulla societas sit (c. 15.), illud certe argumentum opinioni ejus nihil firmamenti affert. Nam *Tertullianus* de consensu Montanistarum cum orthodoxis in ista doctrina ne verbum quidem habet, sed illam christianorum fidem opponit *Caianorum* hæresi, hosque spurios esse christianos ex eo docet, quod adempta ipsis cum cæteris christianis communio fuerit. Ac si, quæ ille putat, vera essent, tam A se non defenderet Tertull. ab injuria Montanistis illata, ut potius se Montanistasque hæreticos esse fuisset confessus. Nam in illo ipso capite 15. *hæreticos* ait *extraneos* (h. e. non christianos) *testari ipsam ademptionem communicationis*. Igitur si *Tertullianus* significasset in hoc loco, orthodoxos ex Ecclesia projecisse Montanistas, se certe suosque hæreticos dixisset, quod prorsus abhorret. Atque hic alii occurramus necesse est difficultati propositæ ab *Allixio* adversus receptam de doctrina in hoc libro regnante sententiam (*Diss. de Tertulliani vita et scriptis*, c. 4, p. 33.) qui suspicari nos posse dicit, *Tertulliani* mentem jam tum ad *Montani* disciplinam inclinatam fuisse, quod et christiani *pisciculi* et Christus PISCIS (ΙΧΘΥΣ) dictus ab eo fuerit, quæ nomina essent hausta e libris *sybillinis*, ab aliquo Montanista vel ipso etiam *Montano* exaratis; et c. 20. aliquam charismatum mentionem injecerit, quod Montanismum redolere videretur, imprimis cum conferuntur ea cum iis quæ sunt c. 29. libri *de Spectaculis* tradita. Sed bene ille fecit, quod hanc ipsam suspicionem non nimis subtilem et acutam putaverit. Nam etsi dederimus esse etiam eos libros, qui nunc sub nomine *Sibyllinorum* jactantur, vel a *Montano* vel ab aliquo ejus discipulo conflctos, quos tamen magis vellem *Gnostico* cuidam asserere, *Tertullianum* etiam inde hoc nomen Piscis Christo datum hausisse; tamen ex eo argumento non magis suspectus Montanismi *Tertullianus* haberi posset, cum hunc composuisset librum, quam *Justinus martyr*, *Clemens Alexandrinus*, *Origenes*, aliique, qui sæpius libros quosdam *sibyllinos* ad testimonium citant. Atque si isti libri generatim exstiterunt ipso hoc tempore, quis est qui possit præstare non fuisse eos postea adulteratos, ut eam, quam nunc habent, formam receperint? Quod est verendum imprimis in acrostichide libri octavi: Ἰησοῦς Χριστος Θεοῦ υἱὸς σώτηρ, unde ipsum hoc ἰχθύος cognomen sumptum vulgus existimat. Neque enim illa prius est a quoquam veterum proposita, quam a *Constantino M.* (*in oratione ad Sanctorum cœtum*, c. 18.) cui, vel ex eo, quod *Virgilium* cecinisse de *Jesu Christi* nativitate dicat (c. 19, seqq.), patet, quam nullo negotio verba dari ab hominibus religionem fingentibus potuerint (1). Atque

(1) At dicere quis posset, illos, qui post Tertullianum vixerint, christianos scriptores, cum summa existimatio eorum orta esset, qui vel morte vel cruciatibus susceptis Christum confessi publice erant, ut alia plura, hanc quoque dicendi consuetudinem a Montanistis sumpsisse; neque ergo horum loca esse idonea ad liberandum hunc sermonem a Montanismi suspicione, præsertim cum is primus in Tertulliano aliorumque Montanistarum scriptis, veluti in *Actis Perpetuæ* et *Felicitatis* (§ 22.), appareat. Quam forte suspicionem pellam alia suspicione, si ostendero, ipsum jam Marcionem eamdem dicendi consuetudinem habuisse. Nempe Epiphanius, hæres. XLII. § 3. edit. Colon., p. 304, tres ait baptismos defensos a Marcione fuisse (οὐ μόνον παρ' αὐτῷ ἓν λοὐτρὸν δίδονται, ἀλλὰ καὶ ἐως τριῶν λούτρων). In quo narrando etsi damus vera esse falsis ab Epiphanio permixta, tanquam cum dicat: Marcionem triplicem baptismum excogitasse, ut se a flagitio cum virgine commisso purgaret (quod est, ut multi ostenderunt, mera calumnia); etiam cum dicat dedisse Marcionem triplicem baptismum, quod cum argumento ad hunc baptismum triplicem confirmandum, ut postea patebit, nullo modo consentit; neque tamen hoc Epiphanii testimonium universe contemnendum arbitror. Erit igitur operæ pretium, ut quisnam is fuerit triplex Marcionis baptismus, breviter ostendam. I. Multa sunt in disciplina Marcionis similia disciplinæ Manichææ, quem Manetem constat suos in *Auditores* et *Electos* distinxisse; quare haud scio an Marcionitis non possit eadem distributio assignari, cum Tertull. advers. Marc., lib. V. c. 7. videatur indicare, non nisi sanctioribus ex suis Marcionem nuptiarum licentiam negasse, his verbis: *Marcion totum concubitum aufert Fidelibus, viderint enim catechumeni ejus*; in quibus potuit catechumenos appellare minus perfectos modo eo, quo Epiphanius aliique hoc nomen etiam adhibent de auditoribus Manichæorum; neque credibile est, Marcionem in universum omnes nuptias sustulisse apud suos, cum, quemadmodum constat, nuptiarum auctorem non Deum malum, sed medium illum putarit, quem *justum* nuncupabat. Ex quo II. non inepte potest cum Bellosobrio conjici (*Histoire du Manichéisme*, t. II. p. 123.) unum Marcionis baptismum in omnes collatum, altero initiatos fuisse interioris admissionis Marcionitas; imprimis quia Epiphanius diserte adjicit: ἔξεστι δὶς δόναι (scilic. λοὐτρον) παρ' αὐτοῖς τῷ βουλομένῳ, quod pugnaret cum omnibus super ea re locis Tertulliani, qui nuptiis se abdicare debuisse cunctos ait, qui tingi sacro lavacro a Marcionitis voluissent (lib. IV. adv. Marc. c. 11. lib. I. c. 29. etc.) nisi duplicem hunc baptismum admitteremus. At nunc III. restat dicere, qualem baptismum tertium Marcion crediderit, in qua re nostra proprie caussa versatur; quem quomodo oporteat intelligi, clarissime docet argumentum, quo Marcionem Epiphanius ait triplicem baptismum confirmasse, ductum e loco illo apud Lucam (c. XII, 50.), ubi haud dubie de supplicio suo deque aliquo sibi adhuc imminente baptismo Christus loquitur: quod allatum quoque a cæteris ad defendendum alterum martyrii baptismum videmus. Qua re motus sine ulla dubitatione sic statuo, eum suppliciis christianorum ad exemplum Jesu Christi suscipiendis etiam nomen baptismi cujusdam indidisse.

(1) Mirum fortasse videbitur doctissimum Auctorem nostrum ac veteris disciplinæ scientissimum, hærere quasi anxium in propalata via, incertumque dubitare *christianisne an Montanistis peculiarior esset notissima tessera* ΙΧΘΥΣ, quin et asseverare *a veterum nemine, Magnum ante Constantinum eamdem symbolicam acrostichidem fuisse propositam*. Multa ex adverso occurrunt dicenda, quæ, usque dum ad librum, de Baptismo deventum fuerit, satius est opportuno loco disserenda differre. Nunc nonnulla tantum carptim et accinctus prælibare lubet.

Enimvero ad primum satis superque innumera respondent monumenta, sufficientia prorsus et indubiæ vetustatis, ac vere christiana manu data dedicataque; in quibus emicat quidem prælata tessera, sive scalpro incisa, sive ære fusa aut ebore cœlata, sive delineata coloribus aut litteris expressa, carminibusve adornata cæteris, ut plerumque fit, immixta signis sicilisque, unde puram putam fidei sanioris integritatem indigitaveris: hinc piscis sæpe sæpius cum columba depictus (Aringhi, t. I, 580. t. II. 238): aut anchoræ connexus Christive monogrammati, quod, ut quis que novit, diu ante constantinianum labarum vulgari usu fuit acceptum, (Boldett. 370. 366 453. Aringhi, I. 529. II. 327. 620. Bottari, III, 19). Nunc demum ad orantium pedes,

Digitized by Google

ut omnia quæ velit susceperim, ne ipsa quidem hæc, quæ sunt in hoc viri docti argumento collecta, consistere et secum consentire possunt. Antiquissimi scriptorum christianorum, quod *Guillelmus Beveregius* (*In codice canonum Ecclesiæ primitivæ*, lib. I. cap. 14. § 4. sqq) et *Guill. Whisthonus* (1) multis docent, hos, quos appellant, libros *Sibyllinos* antiquissimos confitentur; ex quo necessaria consecutione efficitur, multum eos diversos fuisse ab his qui horum nomen nostro tempore mentiuntur, qui ipsi adversario videntur sæculo P. C. N. secundo compositi. Quid? idem ille, de quo quærimus, *Tertullianus*, cum tempore eo quo proxime aberat a defectione sua, in libror. *ad Nationes* c. 12. antiquissima dicit *Sibyllæ* effata; potuitne igitur ille libros *Sibyllinos* a *Montano* vel aliquo gregis istius profectos B putare? Neque vero quidquam probat alterum illud, quod de charismate *Attixius* subjicit, cujus me fateor non satis dilucidam citato c. 20. memoriam invenire; ac si inveniatur, tam profecto non sequeretur librum *de Baptismo* ex officina *Tertulliani* montanistæ fuisse egressum, quam illud dici de libro *super Spectaculis* non potest, qui est haud dubie, ut alibi ostendebam, ante ejus defectionem exaratus. Ac ne quid prætereamus silentio, quo posset quis aliquo modo huic opinioni adversæ libro nostro *de Baptismo* veritatem conciliare, fortasse possit excitare c. 20. hujus libelli, in quo magnam *Tertullianus* ait esse utilitatem abstinentiæ a cibis ad evitandas peccati sollicitationes; quod videri posset consentiens cum laudibus inediæ iis quas decantavit in libro *de Jejuniis*. Magis etiam C illud est suspectum, cum cap. 8. extr. dicat: *Igni destinatur homo qui post baptismum delicta restaurat.* A At neque hoc utrumque decretum abhorruit a disciplina recte sentientium sic, ut proprium esset Montanistarum. Nam in illo quidem superiori, quod admitti non potuerit nihil est, etiamsi aliis in locis *Tertullianus* nimium huic abstinentiæ tribuat, et hoc vel ab ipsis quibusdam orthodoxæ Ecclesiæ addictis quamvis inepto sensu defensum est, ut postea docebitur, vel dici commode potuit de iis, qui post baptismum ad vitam impiam delati, de ea emendanda non cogitant.

§ 4. — *Pamelius et Dupinius castigantur. Puritas libri a montanismo demonstratur.*

Sed age audiamus etiam eos longe plures qui *de Baptismo* librum scriptum ante *Tertulliani* secessionem uno ore confitentur. In quibus ineptus est error eorum, tanquam *Pamelii*, qui, præeunte quodam modo *Epiphanio* (*Hær.* 42, n. 1. 2.), *Quintillam* eam, quæ hujus libri conscribendi occasionem dedit, ex disciplina Montanistarum putant fuisse, cui feminæ cum se etiam contumeliis opposuerit *Tertullianus*, sequeretur eum tum, cum hunc librum perscriberet, adhuc a partibus Ecclesiæ purioris stetisse. Quod argumentum omnem certe rem conficeret, nisi levissimus in exponendis Hæreticorum opinionibus homo *Epiphanius* etiam hic more suo errori se dedisset. Nam et *Caianorum* sectæ hanc mulierem addictam fuisse ait ipse *Tertullianus*, c. 1., quorum et decreta et mores multum discrepant a Montanistarum disciplina, et nunquam repudiatum baptismum a Montanistis legimus, sed defensum etiam a *Tertulliano* montanista multis in locis, ut *de Pudicitia*, c. 19. Sed sunt alia duo argumenta apud *Dupinium* (*Nouvelle bibliothèque des auteurs ecclésiastiques*, tom. I. p. 91.), quibus hunc librum in indicem scriptorum emendationis doctrinæ infert; alterum quod nulli sint huic libro errores Montanistarum aspersi, alterum quod dicat potestatem conferendi baptismi non nisi episcoporum esse, nefas etiam esse, si quis illam mulieribus concedat; quæ verba *Tertulliani* illi videntur contraria Montanistarum disciplinæ. At illud superius eludere quivis facile potest eo, quod dicat non esse hunc librum oppositum orthodoxæ Ecclesiæ doctrinis, unde nec admirationem haberet hoc, quod *Tertullianus* hic nullum ab illa Ecclesia dissensum profiteatur, quod D nec in aliis fecit, in quibus sibi non pugnandum cum *psychicis* esse videbat, veluti in libro *de Pallio* aliisque supra pertractatis. Sed in altero *Dupinii* argumento falsa veris sunt mixta. Itaque, quæ recte ex eo pro integra hujus libri doctrina depromi possint, postea disputabimus, et unum hic animadvertemus viri docti errorem. Videlicet Montanistas suspicatur feminis potestatem publice docendi dedisse, quam cum iis adimat licentiam *Tertull.* in nostro libello, hunc putat e numero non montanisticorum esse. In quo haud dubie errat, et contra niteremur hoc loco ex ipsis *Tertulliani* scriptis montanismo infectis, e. c. e libro *de Velandis virginibus*, c. 9. nisi eam disputationem occupasset Cl. V. *Theophilus Wernsdorfius* (*In*

nunc ad latera Boni Pastoris adpositus (Bold., 573. Bolt., pl. XXXV. Videsis et cf. Costadoni dissertazione sopra i pesce come simbolo de primi cristiani; Raccolta d' opuscoli scientifici da Calogera, t. XLI. 1749. — Lupi dissert. ad Severæ Epitaphium, Panormi, 1734. p. 103. 156. 145. 153. 165, 183. — Fabretti, Inscript. antiq., lib. VIII, p. 569. n° 124-126; p. 590, n° 107, — Münter, Sinnbilder und Kunstvorstellungen der alten Christen. — Thiersch. Jahres-Berichte der Kœniglich Bayerschen Akademie der Wissenschaften. München. 1829.)

Constantino autem *magno* longe antiquiorem esse Sybillini acrostichii usum, nec pauciora nec sublestæ fidei faciunt scripta, sculptave testimonia. Imo mirare quanta ab ætate apostolica ad usque tempora nostra assurgat ea de re testium turba, qui quasi manum dant nonnullis primæ hominum ætatis traditionibus, undequaque diffusis, ac in medio temporum, orta jam Ecclesia, in ipsius gremio, renovatis ac reviviscentibus; donec, pace per orbem composita, piscis ac columba, cæteraque quotquot floruerint in abdito signa vel siglia symbolica palam in lucem prodierint. Nunc ergo de ΙΧΘΥΟΣ acrostichide ad quosdam sit tantundem satis referre Patres, nempe Clementem Alexandr. in quatuor locis, t. I, p. 260, 312; p. 289, p. 787. Potter Nostrummet. *Tertulliamum de Baptismo, de Resurrectione, de Spectaculis*, ut infra fusius erit occasio dicendi. Nec etiam addere pigeat ex marmoreis vetustis duas recenter effossas inscriptiones publicique juris factas, unam nempe cura D. *Raoul Rochette*, Mémoires de l'académie royale des inscript., t. XIII, p. 98, et D. *Thiersch*, loco citato. — Alteram e vetustissimo prope urbem Æduensem cœmeterio *sancti petri a via strata* erutam, ac typis mandatam in opere cui titulus: *Annales de philosophie chrétienne*, t. XIX. Præterea cf. Costadoni, § 23-27, 30, 33; Secchi, epigramma greco cristiano de' primi secoli trovata preso l' antica Agustoduno, Roma 1840.— Franz, Christliches Denkmal von Autun erkloit, Berlin, 1841. Edd.

(1) In libro suorum facile optimo: *a vindication of the Sibylline oracles*, Propos. 10, p. 56, sq.

Digitized by Google

Commentat. de Montanistis sæc. 2. vulgo creditis hæreticis, Gedani. 1751. § 19.). Quam ob rem exponamus oportet illud, quod nos commoveat, ut de libro nostro magis in honestiorem, quam pejorem partem pronuntiandum esse putemus. Hujus judicii duplex est caussa. *Primum* cum quæstionem tractat de iis, quibus jus sit baptismi conferendi (c. 17.) illam potestatem *summum habere* ait *sacerdotem, qui est Episcopus, dehinc Presbyteros et Diaconos, non tamen sine Episcopi auctoritate propter Ecclesiæ honorem. Alioquin etiam*, pergit, *laicis jus est*, — *sed cum ea majoribus competant, ne sibi assumant dicatum Episcopis officium Episcopatus.* Unde hæc consequuntur, *Tertullianum* librum nostrum scripsisse tum, cum versaretur in aliquo cœtu sacro, qui et Episcopos summos esse putabat rerum sacrarum moderatores, et laicis non nisi summa in necessitate versantibus jus concedebat aliquem sacro lavacro abluendi. Sed in Montanistarum conventiculis longe alia videtur consuetudo obtinuisse. Nam etsi non negem, iis etiam suos et Presbyteros fuisse et Diaconos, tamen alium in eorum doctoribus collocandis ordinem observatum fuisse, testis est *Hieronymus* (*Epistola ad* Marcellam, *quæ est* 27. *edit.* Jo. Martianæi, tom. IV. part. II. p. 65.): qui *apud nos*, inquit, *Apostolorum locum Episcopi tenent, apud eos Episcopus tertius est. Habent enim primos de Pepuza Patriarchas, secundos quos appellant Cenonas, atque ita in tertium, i. e., pene ultimum locum Episcopi devolvuntur.* Quam si quis dicere velit consuetudinem Montanistarum ab *Hieronymo* fictam esse, vel *Tertulliani* ævo recentiorem, neque quid movere *Hieronymum* potuisset video, ut talia fingeret, quæ magno crimini dari Montanistis non poterant, neque abhorret aliquo modo, qui ipsi se suis vel doctrinis vel institutis a communi Ecclesia sejunxerant, eos etiam ordinem sacerdotum diversum a communi consuetudine constituisse, præsertim cum jam ipse *Montanus Pepuzam* Phrygiæ oppidum Hierosolymam appellasset (V. *Eusebii Hist. Ecclesiasticam*, lib. V. c. 18.). Atque ecce mihi quantum in nostro libello honorem Episcopis asserat, cum omnem tingendi aqua sacra potestatem ab iis deducat, et ipsius Ecclesiæ honorem cum horum dignitate conjunctissimum tradat. Sed in libro de *Pudicitia*, tam vehementi illo in consuetudinem orthodoxæ Ecclesiæ, quam salse, obsecro, perstringit (c. 1.) *Pontificem scilicet maximum Episcopumque Episcoporum, ejusque edictum peremptorium!* quam nihil dat tanto viro, ut ait hic, a quo dignitas Ecclesiæ pendebat! Ac si quis putat, quod ego non diffiteor, *Tertullianum* in illo libro magnam animi permotionem ad caussam attulisse, alium dabo e libro *de Exhortatione castitatis* haud dubie Montanistico locum, qui longe majorem, ut mihi videtur, laicis tribuit baptismi conferendi licentiam, quam eam, qualem nostro in libro defenderat, ut jam video magnum virum, quem honoris caussa nuncupo, *Justum Henningium Bœhmerum* acute monuisse (*Diss.* IX. *Juris Ecclesiast. antiqui*, § 5.). Ubi cum neque sacerdotibus V. T. neque christianæ Ecclesiæ sacerdotibus repetitas permissas esse nuptias *Tertullianus* dixisset, neque illas ait suscipi a laicis debere, quoniam et ipsi sacerdotes a Christo constituti fuissent, quare illi etiam *offerendi tingendique haberent potestatem et sacerdotes sibi soli essent.* Quod tametsi non dicat fieri debere, nisi *ubi non sit ecclesiastici ordinis consessus*, tamen neque mentionem auctoritatis Episcoporum vel cæterorum doctorum publicorum injicit, ut fit in nostro libro, neque hanc laicorum potestatem ex officiorum jurisque vicissitudine, ut hic (1), deducit, sed plane ex mystico omnium christianorum sacerdotio; unde magna, ni fallor, duci suspicio potest, aliam plane disciplinam *Tertulliani*, scribentis hos erroribus Montani infectos libros fuisse, quam ejus, cum animum ad nostrum scribendum adjungeret. Atque ut illud magis confirmem proponam hic aliquam conjecturam meam, non quasi ipse me putarem errare in ea non posse, sed ut offeram iis quorum hac de re potest esse judicium, quod videant, valeatne quidquam ad caussam nostram viris doctis probandam. Nempe c. 17. libri nostri confutat *Tertullianus* argumentum illud, quod, quibuscum pugnabat, homines solebant ex actis quibusdam *Pauli* sumere, ut feminis potestatem publice docendi vindicarent. Hæc ego *Pauli* Acta si, quænam fuerint quemque auctorem habuerint, ostendere potuero, tum mihi quidem *Tertullianus* vix videtur ea spernere potuisse, si hunc de baptismo librum jam disciplinæ Montanistarum deditus scripsisset. Atque hæc ego Acta ea fuisse suspicor, quæ apud veteres sub nomine *Actorum Pauli et Theclæ* exstitisse novimus, non quidem eo habitu ac forma, qualem habent edita illa a *Jo. Ernesto Grabio* (*In spicilegio SS. Patrum et Hæreticorum*, tom. I. sec. 1. p. 95. sq.), sunt enim hæc haud dubie temporibus prodeuntibus adulterata: sed sunt in illis tamen *Grabianis* quædam quasi venæ aut fragmenta eorum *Theclæ* Actorum, quæ veteribus celebrata fuerunt, veluti p. 115. is locus, ubi *Paulus Theclæ* potestatem imponit doctrinam Christi aliis publice tradendi. Quæ ipsa res, opinor, ostendit, *Tertullianum* in loco excitato hæc *Acta Theclæ* habuisse ob oculos posita propterea, quod mentionem injicit scripti cujusdam commentitii, quod *Pauli apostoli* nomen mentiebatur, in quo concessa erat feminis hæc docendi licentia; id quod magis postea confirmabimus. Sed si quæratur quis fuerit is qui sub *Pauli apostoli* nomine finxerit hæc acta spuria, tum ego nullus dubito *Leucium* hæreticum, quem vulgo Manichæum non recte putant, horum Actorum, quæ *Tertullianus* affert, scriptorem extitisse. Cur ita censeam breviter exponendum videtur. *Primum* negari non potest *Leucium* ut aliorum Apostolorum, sic etiam *Pauli* quædam Acta finxisse, quod *Photius* testatur (*In Bibliotheca*, sect. 114. p. m. 156.), qui talia sæpius tractaverat. *Deinde Leucium* non Manichæorum, sed Docetarum vel Encratitarum disci-

(1) Ita enim de baptismo, c. 16. Laicis etiam jus est baptismum dandi; quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari potest.

Digitized by Google

plinæ deditum fuisse, præclare probavit vir egregie doctus maximeque limatus *Isaacus Bellosobrius*, (Beausobre, *histoire critique de Manichée et du Manichéisme*, lib. II. c. 2. § 2. sq.) quorum capitalis error continebatur in contemnendis nuptiis; et Actorum universorum *Pauli et Theclæ* hic finis est, ut vitam sine nuptiis summis laudibus efferant, multa item sunt alia sub Apostolorum nomine a *Leucio* ad illum errorem per ipsam Apostolorum doctrinam et usum confirmandum conficta. Porro multis argumentis *Bellosobrius*, l. c., docuit, *Leucium* jam sæc. II. exstitisse, et *Epiphanius* (*Hær.* LI. 6. p. 427.) *Leucium* clarissime appellat *Joannis apostoli* discipulum. Itaque et tempore *Tertulliani* exstiterunt hæc Acta *Pauli*, quæ *Leucium* auctorem habuisse diximus, et est admodum verisimile, *Tertullianum* non alia nisi *Leucii* Acta indicare voluisse; nam horum Actorum scriptorem ait fuisse Presbyterum, qui fraudis in ea re convictus de loco fuerit, h. e. de munere sacro dejectus. Cui si quis addiderit *Hieronymum* (*In catal. scriptorum eccles.*, c. 7. p. 104.), qui diserte ait, *Tertullianum* dixisse hunc Presbyterum apud *Joannem* convictum et remotum a munere publico fuisse propter fraudem commissam; profecto videbit scriptorem Actorum *Pauli et Theclæ* auctoritati *Joannis apostoli* fuisse subjectum, quod dici de *Leucio*, ut modo ostendi, optime potest. *Denique* mihi peropportune cecidit, ut hujus rei etiam in *Philastrio* (*De Hæresibus*, c. 55. edit. Fabricii p. 112.) aliquam significationem reperirem in loco eo, ubi de *Seleuco* hæretico ejusque doctrina disserit. Nempe confitentur omnes *Seleucum* hæreticum et *Leucium* nostrum eosdem esse. Jam ecce mihi quæso, quid de *Seleuco* suisque *Philastrius? Baptismo*, inquit, *non utuntur propter verbum hoc, quod dixit Joa. Baptista: Ipse vos baptizabit in spiritu et igne.* Nihil similius hoc esse potest illorum errorum, quos *Tertullianus* in libro *de Baptismo* confutat. Negabant hæretici, adversus quos ibi disputat, sacro lavacro tingendos christianos esse, atque is ipse dicta Joannis de baptismo per spiritum et ignem suæ sententiæ conciliat; quare, quid est probabilius quam adversarios *Tertulliani* a sententia *Leucii* stetisse, qui, teste *Philastrio*, idem prorsus dixerat, Nemo mihi occurrat? *Seleucum* v. *Leucium*, de quo *Philastrius* loquitur, *Manichæum* fuisse atque diversum a *Leucio Joa. apostoli* discipulo; *Philastrium* etiam hominem nullius pretii esse, unde existeret: quod fidei hujus male ambulanti credere nos non oporteat. Namque istud discrimen fictum esse, ac nullum, satis adversus *Fabricium Bellosobrius*, loc. cit. § 3, defendit, et *Philastrium* non quidem ignoro negatorem esse in plerisque, etiam in enarrandis ipsis *Seleuci* erroribus, qui certe *Leucio Joa. discipulo* tribui non omnes possunt; sed in nugis illis *Philastrianis* quis nulla dicere audeat veritatis semina latere? Sit igitur hoc constitutum, *Tertullianum* in libro nostro, cum Acta *Pauli* rejiceret, scriptum aliquod repudiasse, quod fictum erat a *Leucio*, qui justitiam vitæ sine nuptiis transactæ omni modo defendebat. Jam placet provocare ad *Pacianum* Episcopum Barinonensem sæc. IV. qui (*Epist. I. ad Sympronianum Novatianum, edita in Biblioth. maxima PP. Lugdunensi*, tom. IV. p. 305. G.): *Phryges*, h. est, Montanistæ, inquit, *se animatos a Leucio mentiuntur.* Neque illud testimonium videtur a vero aberrare, propterea quod certum est Montanistas eodem modo atque Encratitas, e quorum disciplina *Leucius* erat, nimium tribuisse iis qui abhorrebant a nuptiis. Unde hoc effici posse credo: *Tertullianum*, siquidem librum nostrum inter *Montani* discipulos constitutus scripsisset, cautius fuisse locuturum de libro tali, qui *Leucium* auctorem habebat, neque illum fraudis accusaturum, cum is ipse cum Montanistis sentiret. Quod si quis contra dicat, elabi nobis illam caussam, propterea quod non satis constat, ignoraveritne *Tertullianus* horum Actorum parentem (quod vix credibile est in tam curioso universæ antiquitatis exploratore), dabo illud, si ita placet; hoc tamen mihi quisque vicissim dederit, nisi quis contrariam sententiam docuerit, satis hanc suspicionem impedire debere, quo minus hunc *Tertulliani* librum ad genus eorum librorum abjiciamus, quos post secessionem ab orthodoxis factam composuit.

§ 5. — *Libri II ad Uxorem ante lapsum Tertulliani exarati.*

Venio nunc ad libros quos *Uxori suæ Tertullianus* inscripsit, qui quod sint conjunctim editi, dubitari non patitur libri posterioris principium (1). In quibus libris tametsi sint quæ videantur erroribus Montanistarum consentanea, tamen ego hos ausim potius in numero eorum collocare quos ante hanc defectionem perscripsit. Quod mihi primum videtur confirmari eo, quod nusquam suum *Paracletum Tertullianus* jactat in rebus iis, in quibus multum auctoritatis hujus effata habitura fuissent. Namque, ut hoc utar, cap. 7. lib. I. extrem., ubi satius esse disputat fugere secundas nuptias, nullum excitat *Paracletum*, quem locum nunquam prætermittit in libris qui e Montanistarum disciplina prodiere; sed unam adhibet auctoritatem disciplinæ Ecclesiæ et Apostoli legem, qua qui bis (2)

(1) *Proxime tibi... quid feminæ sanctæ sectandum sit prosecutus sum.*

(2) Perspicue, nisi fallor, hic locus, et alter ille e libro *de Exhort. castit.*, c. 7. excitatus, ut alia multa non tangam, docet, antiquam christianorum Ecclesiam verba Pauli I. Tim. III. 3. de Episcopo μιᾶς γυναικὸς ἀνδρὶ sic cepisse, ut Paulus de secundis doctorum nuptiis dixerit. Nam in illo Tertulliani loco, cum interdictas has sacerdotibus V. T. dixisset: *Christo*, inquit, *servabatur sicut in cæteris, ita in isto quoque, legis plenitudo. Inde igitur apud nos plenius atque instructius præscribitur, unius matrimonii esse oportere, qui allegantur in ordinem sacerdotalem. Usque adeo quosdam nemini digamos loco dejectos.* Ubi neque vult illis de sacerdotibus intelligi, qui præter uxorem etiam meretrice quadam utebantur, ut videbatur Heumanno in Erklærung des N. T. part. IX. p. 179. neque more Montanistarum loquitur. Nam contra illam Heumanni interpretationem pugnat universum Tertulliani consilium, qui clare dicit de *castrata licentia sæpius nubendi*, et c. 6. de duplici Dei *dispositione*, una illa: *crescite et multiplicamini*, altera: *Tempus jam in collecto est*, etc., qua Deus *abolefecerit* priorem. Neque commemorat sententiam Montanistis propriam, sed illis atque Catholicis communem. Nam primum in locis similibus libri *de Monogamia*, c. 11. convincit adversarios iniquitatis repetitarum nuptiarum sic, ut eos *tale matrimonium postulare* dicat *ab iis quibus non liceat tale habere, ab Episcopo monogamo, a presbyteris et Diaconis ejusdem Sacramenti, a viduis etiam, et laicis*, et ab Apostolo interdictas argumentatur nuptias, propterea quod *totum ordinem Ecclesiæ*, h. e., sacerdotes *de*

Digitized by Google

matrimonium contraxerant, ait ab officio publico sejungi; quæ verba haud scio, an non sint minus accommodata scriptori Montanistico quam ei qui doctrinas Ecclesiæ rectius sentientis sequebatur. Deinde in eadem sectione uxorem, si denuo societatem conjugalem inierit, non ait male facere, adjicitque e mente *Pauli apostoli* non quidem non honestas esse secundas nuptias, sed tamen eas sollicitudinem non levem calamitatesque inducere. Neque lib. II. c. 1. abstinentiam a novo matrimonio aliunde commendat, nisi ex eo, quod ea majorem afferat utilitatem. Quod est nimiæ lenitatis in scriptore Montanistico, cujus disciplina omnes secundas nuptias in loco summorum vitiorum habebat. Denique libro II. uxori suæ permittit novam post obitum suum conjunctionem ineundam, neque illud alia severiori lege, nisi ut nubat christiano, dicitque c. 1. difficilium rerum facilem esse veniam. Sed Montanistæ quo modo excipiebant eos qui ad nuptias redierant? *Digamos*, inquit *Tertullianus*, *de Pudicit.* c. 1. extrem., *foris sistimus, eumdem limitem mœchis quoque et fornicatoribus figimus,— non amplius ab Ecclesia publicationem dedecoris relaturis.* Scilicet hoc est facilem veniam dare. Jam haud difficile est ad judicandum num possint ista tam clara, quæ caussam a nobis propositam adjuvant, loca convelli aliqua tali similitudine dictorum quorumdam, quæ sunt in istis libris, cum iis quæ severior *Montani* disciplina in aliis *Tertulliano* persuasit. Illud vero unum, quod habet *Hoffmannus*, l. c. § 12., argumentum, quod libri isti scripti sint cum quæstio *de Fuga* in periculo propter religionem agitata fuisset, eaque salutem petere quemquam debere *Tertullianus* cum Montanistis negasset; hoc illud unum adeo nos non movet, ut eamus in ejus sententiam, ut ab ea magis retrahat. Nam ille ipse locus, quem promit e lib. I. c. 3.: *Etiam in persecutionibus melius est ex permissu fugere de oppido, quam deprehensum et distortum negare*; ille satis docet *Tertullianum* non omnem fugam in tali tempestate non legitimam existimasse; cum igitur confirmat tempore eo quo hos composuit libros, cum Montanistis minus, quam cæteris sensisse.

ARTICULUS V.

Quarta classis librorum, quorum non nisi Montanismus patet.

§ 1. — *Liber de Patientia, an.* 200 *vel* 201 *scriptus*

Quam ob rem etiam hos eximamus e librorum Montanisticorum numero, et qui eo rectius referri debeant, videamus. In quibus non dubito aureum *de Patientia* librum primo loco ponere. Nam etsi *Tillemontius* (*Mémoires pour servir à l'histoire Ecclésiastique*, tom. III. p. 262.) hunc velit iis adjungere, qui superiores sunt defectione *Tertulliani* ad Montanistas, propterea, quod et fugam in publicis christianorum propter religionem calamitatibus non spernit, et magnam modestiam adhibet; tamen illa nequaquam idonea ad hanc rem confirmandam arbitror. Nam de modestia ea non video quare uti *Tertullianus* non etiam post susceptam in orthodoxos inimicitiam potuisset, neque enim ea propria est virtus recte sentientium; et illi alteri ne sua quidem veritas constat. Etenim in eo loco, e quo potestatem fugiendi a *Tertulliano* concessam excitare conatur (c. 13.) fuga illa nullo modo conceditur, sed ipsam patientiam affirmatur firmitatem humanæ imbecillitatis præstare, ignem etiam et crucem et bestias et gladium ipsa constantia vinci. Atqui sunt etiam in hoc quamvis præclaro libello plura, quæ animum *Tertulliani* Montanistarum erroribus non leviter tinctum ostendunt, suntque ibi omnes fere Montanistarum errores propositi. Ac significatio illa quidem *Paracleti* subobscura est, nonnulla tamen in hoc loco, c. 1, *ad capienda et præstanda ea, sola gratia divinæ inspirationis operatur.* Porro præstantia nuptiarum non repetitarum ita fere proponitur c. 13.: *Patientia sanctitati quoque procurat continentiam carnis; hæc, et viduam tenet, et virginem assignat, et voluntarium spadonem ad regna cœli levat.* Secundas item nuptias adulterii nomine traducit c. 12. Inediæ ex arbitrio susceptæ maxima laus ex h. l. cernitur c. 13.: *Afflictatio carnis hostia Domino placatoriâ per humiliationis sacrificium, quum sordes cum angustia victus Domino libat contenta simplici pabulo puroque aquæ potu, quum jejunia conjungit, quum cineri et sacco inolescit.* De fuga jam dixi. Negata denique semotis a Societate sacra peccatoribus venia nonne est in his verbis c. 12. ubi omnem peccatorum spem non in venia ab Ecclesiæ sodalibus obtinenda ponit, sed in salute ea, quam christiani horum emendationem exspectantes vel exoptarent vel exorarent; præter quod a collegio sacro Montanistarum exspectandum nihil erat (vide *de Pudicitia* c. 1. extr.). Qui Montanistarum errores, quamvis non possint nisi per quædam veluti involucra in hoc libro perspici; tamen ex eo nihil efficitur, nisi quod hic libellus sit ex eo tempore, quo illa *Tertulliani* contentio in defendendis Montanistarum scitis vel nondum exarserat, vel restincta aliquo modo erat. Ætas igitur hujus libelli non satis certa est. Quod imminente jam christianis periculo scriptus sit, non admodum dubitem, etenim aliqua hujus sententiæ non inepta ratio in ipso libri argumento quærenda. At vero scripseritne illum *Tertullianus* inter metus *Scapulæ* adversus christianos, imperante *Caracallo*, excitatos, quod *Allixio* placuit, an sub initium calamitatum publicarum sub *Severo Aug.*, quo tempore et ille

monogamis disponat. Quæ omnia ostendunt, Catholicos secundas sacerdotum nuptias repudiasse, cum ex eorum sententiis colligat, nec laicis hujusmodi nuptias concedi posse. Ac c. 12. planissime sic ait catholicos argumentatos: *Solos qui sunt in clero monogamiæ jugo adstrinxit; ergo id non omnibus præscribit. Deinde* hanc constitutionem, qua sublatæ sint secundæ nuptiæ, non *Paracleto*, sed *Christo* tribuit, et adhibet Apostoli verba, qui *plenius atque instructius* (quam in V. Test.) *præscripserit: unius matrimonii esse oportere, qui allegatur in ordinem sacerdotalem. Tum* statim addit: *usque adeo meminit Digamos loco dejectos.* Quod de catholicis oportet intelligi, nam Montanistæ ne laicum quidem secundarum nuptiarum reum tulissent. In nostro vero loco sic loquitur: *Quantum detrahant fidei, quantum obstrepant sanctitati nuptiæ secundæ, disciplina Ecclesiæ et præscriptio Apostoli declarat, cum digamos non sinit præsidere, cum viduam adlegi in ordinem, nisi univiram, non concedit.*

Digitized by Google

de Fuga in persecutione placidus ille non minus et mitigatus commentarius prodiit, id nemo facile dixerit: quare ad alium transeamus.

§ 2. — *Liber de velandis Virginibus, qui est facile librorum Montanisticorum primus.*

Est is *de velandis Virginibus* liber, quem ad primos errorum Montani plenos pertinere non admodum dubito. Nam de illo nos hæsitare non sinit creberrima *Paracleti* novæque ejus disciplinæ commemoratio; ut ne necesse quidem sit vel libri istius similitudinem cum iis *de Cultu feminarum*, qui sunt e Montanistarum disciplina, vel obscuriorem unius conjugii (c. 3.) defensionem referre. Quid enim illa significatio revelationum, quibus, ut ait ille c. 17., Dominus velaminis spatia metatus est? Quid novitas correctionis, quam lege fidei (in Symbolo apostolico comprehensa) manente, cætera disciplinæ et conversationis, operante et proficiente usque in finem gratia Dei, admittant (c. 1.)? Quid ille *Paracletus*, quem miserit Dominus, ut paulatim dirigeretur et ad perfectum perduceretur disciplina (*ibid.*)? Quid enarratio ætatum disciplinæ christianæ, in quibus justitia demum per *Paracletum* componenda sit in maturitatem? Quid, inquam, hæc omnia aliud, quam *Tertullianum Montani* discipulum testantur? Sed neque illud magis obscurum est, primum hunc fere fœtum esse quem conjunctus cum Montanistis ediderit. Namque, ut ab hoc ordiar, nullus fere est inter omnes ejus Montanisticos liber, in quo majorem vim adhibeat ad defendendam disciplinam Montanistarum a culpa novitatis, quam is de quo quæritur, imprimis sect. 1. 2.; quod certe dat locum suspicandi non inepte *Tertullianum* hunc, quam primum se Montanistis adjunxerat, composuisse, ut crimen a se novarum rerum removeret. Nec in ullo alio magis videtur *Paracletum* ejusque disciplinæ divinam originem defendere, nisi in hoc ipso; quam non modo agnitionem *Paracleti*, sed defensionem cum alibi (adv. *Praxeam*, c. 1.) dicat se disjunxisse a *Psychicis*, facile est intellectu, nostrum librum, in quo vehementer eum quidem defendit, inter primordia temporis ab ipso apud Montanistas acti exaratum fuisse. Atque illud confirmari multis argumentis non probabilitate destitutis potest. *Primo* sub isto ipso tempore scripti sunt libri *de Cultu feminarum*, ut alio loco disputabamus, isti vero ejusdem prope sunt cum nostro argumenti. *Deinde*, cum haberet occasionem satis opportunam invehendi severius in orthodoxæ Ecclesiæ addictorum, nonnullorum saltem, in velandis Virginibus consuetudinem contrariam suæ, tamen hic multo modestius disputat, quam in aliis qui sunt orthodoxis oppositi, quod, nisi quod vellemus admittatur, conceptu difficile esse quisque dicet, qui vehementissimam *Tertulliani* in defendendo Montanismo animi commotionem aliunde intellexit. *Denique*, tametsi multum profuisset caussæ, cujus in libro nostro defensionem susceperat, si calamitatum publicarum et periculorum, quibus christiani a Deorum cultoribus objiciebantur, mentionem injecisset, ipse etiam *Tertullianus*, qui nihil solet omittere caussæ suæ proficuum, cum illud argumentum in libris *de Cultu feminarum* nostri similibus adhibuerit, tamen hic ne uno quidem verbo eas ait exstitisse. Qua ex re colligi potest, eum scriptum esse tum, cum talibus malis non essent christiani oppressi. Atqui cum cum dixerimus compositum esse postquam *Tertullianus* se Montanistis adjunxerat, apparet nostrum librum non posse antiquiorem esse anno CC., quoniam *Tertullianum* alibi docebamus eo anno ad Montanistas transiisse; neque multo posteriorem etiam, cum anno CCII. calamitates a *Severo* excitatæ jam ceperint initium. Sed eum librum noluimus inter illos referre, quorum ætas certissime constaret propterea, quod conjectando magis quam adhibitis certissimis argumentis, ejus potuerunt natales constitui.

§ 3. — *Liber de Exhortatione Castitatis anno 201. exaratus.*

Neque vero ita multo post scripti videntur libri ii, quibus domesticas Montanistarum doctrinas a contemptu et impetu contrariæ partis vindicare studuit, quales sunt *de Exhortatione castitatis*, *de Monogamia*, *de Jejuniis*, *deque Pudicitia* commentationes. Quas esse omnes plenas errorum *Montani*, nemo est qui dubitet; et eas hoc fere tempore, h. e. sub initiis Montanismi *Septimii* prodiisse, dubitari vix magis potest. Quod utrumque, singulos hos libros percurrendo, breviter docebimus, ne hæc nostræ scriptionis pars, quamvis ab aliis etiam tractata, desiderari videatur. Sunt vero isti, si quid video, eodem ordine editi, quo eos enarravimus; ita ut horum primus videri possit is, qui est *de Exhortatione castitatis*. Qui quidem non refertur ab *Hieronymo* (Catal. scriptor. Eccl. c. 53.) in numero librorum quos ad defendenda *Montani* scita *Tertullianus* composuerit; sunt etiam in hoc libro quæ rem non satis excutienti persuadere possent, nondum tum de illa disciplina cum fuisse: sed ea quidem sunt leviora. Nam quod *Hieronymus* in indice horum librorum nostrum non habeat, hujus rei potest hæc ratio esse, quod non voluerit enumerare nisi libros eos, quos opponendi orthodoxis consilium *Tertulliano* fuit, is vero *de Exhortatione castitatis* liber non iis oppositus est, sed scriptus ad docendum fratrem nescio quem, quem non tam confutare de nuptiis repetendis cogitantem voluit, quam ad omittendas istas adhortari. Præterea non equidem inficior, satis hic modestiæ et plus esse quam in cæteris, qui doctrinam aliquam Montanistarum disputant, ipsum etiam *Tertullianum* in hoc libro suadere magis et utile honestumque dicere unum conjugium, quam perfectam intermittendarum secundarum nuptiarum necessitatem defendere; unde colligere quis posset, eum inclinasse forte, sed nec tum se applicasse ad partes Montanistarum, quemadmodum et illud in libris *ad Uxorem* supertus diximus. At ista modestia

Digitized by Google

facilitasque ejus apparet etiam in aliis libris haud dubie tempore eo scriptis, quo jam se disciplinæ *Montani* dediderat, et admiranda non nimis est in libro tali, qui est instar epistolæ suasoriæ, in qua solemus uti summissiori placidaque dictione, ac scriptus videtur non ad aliquem Montanistarum, qui severiore disciplina delectabatur, sed ad quemdam de Ecclesia orthodoxorum hominem. Cujus rei non obscura est in principiis libri significatio, ubi fratrem illum ait sine dubio *de exitu singularitatis* (h. e. de restaurandis nuptiis) *cogitare;* quod haud scio, an non cadat in eum qui cum Montanistis non legitimas putabat secundas nuptias. Neque ego ignoro scrupulum *Tillemontii* (l. c. p. 202.), qui et magnam sibi fingit inter hunc et *de Monogamia* commentarium dissimilitudinem, quæ nulla fere est recte attendenti, et præteritam silentio *Montani* memoriam miratur. At ne appellem illum locum, quem non expressum in libris nostris *Rigaltius* (in not. ad h. l. p. 114.) restituit, in quo summæ *Priscillæ*, vatis Montanisticæ, laudes continentur, non fuisset prudentiæ ei laudare *Montanum*, qui repudiare ejus disciplinam videbatur. Sed si qua est etiam alia dubitatio, omni illi opponi potest, non solum summa, etiam ad verba, similitudo cum libro *de Monogamia*, quem fere libri nostri posses dicere παράφρασιν; sed quoque id, quod est c. 6: *Deus in primordio sementem generis emisit indultis conjugiorum habenis, donec mundus repleretur, donec novæ disciplinæ materia proficeret; nunc vero sub extremitatibus temporum compressit quod emiserat, et revocavit quod indulserat.* Neque vero est a veritate magis alienum, librum nostrum fere primum dicere eorum, quorum ipsum argumentum versatur in defendendis Montanistarum erroribus. Nam *de Monogamia* librum non possumus eodem, cum nostro, tempore scriptum existimare propterea quod, uti dicebamus, est prorsus ejusdem argumenti. Deinde nostrum videtur *Tertullianus* prius scripsisse, quam illum, qui, si jam exstitisset, cum se ad nostrum scribendum accingeret, nostri scribendi nulla necessitas fuisset, sed fratrem illum potuisset ad commentarium *de Monogamia* tanquam ad publice editam disputationem remittere. Sed nostrum si prius scriptum esse arbitremur, non poterat is commendari *Psychicis;* siquidem non publice erat, sed privato alicui propositus. Denique ostendemus postea, librum de *Monogamia* esse fere sub initium calamitatum ab ipso Severo A. CCII. excitatarum scriptum, cæterosque *Psychicis* consulto oppositos posteriores esse eo *de Monogamia;* itaque necesse est credere, nostrum de *Exhortatione castitatis* librum illos ætate fere superare.

§ 4. — *Libri de Monogamia, Jejuniis et Pudicitia, ann. 203 scripti.*

Devolvitur ergo oratio nostra ad illum de *Monogamia* librum: in quo cum ubivis *Psychicos* redarguat, *Paracletum* auctorem suum (c. 4. init. cap. 14. cæt.) cum nova prophetia decantet, suosque crepet spirituales, ita propter agnitionem charismatum appellatos, denique in impugnandis secundis nuptiis consumat universum, non necesse est multis hunc librum asserere Montanisticis. Sed paulum juvat in tempus scripti hujus commentarii inquirere. Cum illum locum *Pauli* quo abstinentiam a nuptiis suadet propter injuriam illius temporis, quo subjecti christiani erant periculorum perpetuitati, *Tertullianus* ad caussam suam contorsisset, *magis nunc*, addit, *tempus in collecto est* (c. 3.), neque his ipsis verbis obscure significat magnam tempestatem calamitatum tum, cum de monogamia scriberet, in christianos irruisse. Quod etiamsi quis diceret etiam dici a *Tertulliano* potuisse nulla adhuc calamitate publica in christianos existente, illud tamen multo est probabilius propterea quod admodum credibile est, *Tertullianum* statim sub initium suscepti Montanismi animum ad hujus disciplinæ doctrinam defendendam appulisse. Id si verum sit, incidit profecto hic liber in ea tempora, quibus jam ignis calamitatum publicarum inter christianos exarserat. Hoc igitur loco dum requiratur qualis vexatio christianorum intelligenda sit, demonstrari ista nullo negotio potest. Nam post *Tertulliani* ad Montanistas secessionem ea repente exstitit rerum perturbatio, quam *Severus Aug.* edicto suo concitaverat. Atque hæc cum cœpta A. CCII. fere post annum CCIV. desierit, scriptique sint post librum nostrum libri *de Jejuniis*, deque *Pudicitia*, non librum nostrum abhorret in annum fere CCIII. conjicere. Neque vero vereor huic subjungere illum *de Jejuniis* librum, quem posteriorem esse libro *de Monogamia* et alteram veluti disputationis adversus Psychicos partem, initium istius libri satis ostendit, ipsumque illud docet non ita multo post illum editum a *Tertulliano* fuisse. Est igitur is quoque in publica quadam vexatione expositus, quam significare hinc inde, veluti in extrema libri parte, videtur; nec potest vindicari a Montanismi suspicione, non modo propter illam libri ætatem, sed propter *Paracleti* etiam defensionem, c. 10. c. 11. c. 13. et bellum *Psychicis* publice in hoc libro indictum. Post hunc una restat commentatio *Psychicis* studio opposita, ea videlicet, est de quæ *Pudicitia* instituta. Quam esse contra adversarios Montanistarum scriptam nemo unquam dubitavit, nec dubitare quis potest propterea quod ipse illud Tertull. seque alienum a societate Psychicorum profitetur. c. 1. c. 6. c. 10. c. 16. et cæt.) Suntque multa vel libro ipsi impressa (c. 22.) vel aliunde certa signa, qualia *Orsius* (*In diss. de pace et absolut. capitalium criminum a catholica Ecclesia tribus prioribus sæculis non denegata*, (c. 4. digress. 3. p. 120. sq.) produxit, quæ non admodum recentiorem hunc librum calamitatibus a Severo christianorum familiæ inflictis, annum igitur natalem hujus libri fere CCIV. aut sequentem ostendunt.

§ 5. — *Libri adversus Praxeam, Hermogenem, et de Anima, anno 204. vel 205. editi.*

Hos nondum fere libros contra Ecclesiam ortho-

Digitized by Google

doxam confecerat, cum alii se generi disputationum adversus hæreticos dederet. Namque horum doctrinas libris statim sibi subjectis *Tertullianum* exagitasse, non abhorret a vero, quoniam ipsi hi libri eamdem fere ætatem magna sub *Severo* calamitate christianorum paulo posteriorem produnt; et si quis conjecturæ dandus est locus, non inepte quis *Tertullianum* concentum cum vera Ecclesia suum in rebus ad fidem pertinentibus ipsis his doctrinis adversus hæreticos defendendis confirmare voluisse diceret. Ac in his libris nulla videtur antiquior disputatio illa quæ est adversus *Praxeam*; nam et videtur paulo ante librum *contra Valentinianos* conscripta, nusquam enim in hoc *Antipraxea*, quamvis sæpenumero *Valentinianos* commemoret, ad librum Valentinianis oppositum provocat, quem morem alias, id quod omnibus ipsum legentibus constat, tenere solet *Tertullianus*; et quod videtur ad ea, quæ diximus, confirmanda accommodatius, *Praxeas* is erat hæreticus, quem Montanistæ sibi longe molestissimum putare debebant, quoniam is ipse, præterquam quod errorem doctrinæ de Triade sanctissima adversum disseminaverat, persuaserat etiam Pontifici Romano, quem viri docti satis bene *Victorem* fuisse existimant, ut jam paratam Montanistis pacem refringeret (vid. c. 1.). Neque ergo difficile est credere, initium disputationum suarum *Tertullianum* a velitatione cum *Praxea* fecisse. Quam nemo negabit a *Tertulliano* Montanista fuisse susceptam; ipsum enim nomen *Psychicorum* (c. 1), ipse *Paracletus*, in quo se melius de veritate mysterii de summa maxima Triade edoctum profitetur (c. 2. c. 8, etc.), ipsa denique professio agnitionem *Paracleti* et defensionem sejunxisse se a *Psychicis*, ponunt illud supra omnem dubitationem. Sed de ipsa hujus libri ætate nos non audemus asseveranter pronuntiare, quamvis, si ista adversus *Praxeam* disputatio prima est inter concertationes cum hæreticis, atque hæ secutæ sunt statim libros orthodoxæ Ecclesiæ oppositos, anno fere CCIV. aut V. assignari non male possit. Hanc excepisse librum *adversus Hermogenem* non dubitarim dicere, est enim iste antiquior libro *de Anima* et illo *adversus Valentinianos*, ut postea docebitur, qui cum compositi sint fere transactis furoribus *Severianis*, eidem cum *Antipraxea* anno tribuendus videtur noster libellus, quem a Montanista *Tertulliano* profectum esse peracerba in repetitas ab *Hermogene* nuptias oratio (c. 1.) non obscure declarat. Huic veluti appendicem adjecit, quod initium libri et multa alia loca docent, librum *de Anima* refertum somniis innumerabilibus, qui habet haud dubias Montanismi notas (1); sed fueritne eodem fere cum libro adversus Hermogenem anno, an post annum demum CCVIII. scriptus, illud vero cadere in disceptationem potest. Nam c. 2. *Inesse*, ait, *nobis τὸ αὐτεξούσιον naturaliter jam et Marcioni ostendimus*; quæ disputatio in libro, qui exstat, *adversus Marcionem* secundo, c. 6., occurrit; sed potest etiam a *Tertulliano* unus librorum contra *Marcionem* deperditorum intelligi. Si illud statueris, erit *de Anima* scriptio posterior anno CCVIII.; sin hoc, potest etiam ante illum annum collocari. Quarum sententiarum mihi magis posterior probatur: nam ut appendices librorum, qualis est noster libellus, magis moris est statim, non longo post tempore, iis subjicere, sic et eodem modo *in Scorpiace* amissos jam libros adversus *Marcionem* excitat, et erit ordo librorum Tertulliani, si ista admittatur sententia, multo concinnior. Etenim in ista *Scorpiace*, quam probavimus anno CCIV. scriptam fuisse, *hæreticos*, *Gnosticos et Valentinianos* queritur impugnare supplicia sponte a christianis propter religionem suscepta (c. 1. c. 4. 3.). Sed in libro *de Anima*, c. 55, multa disputat de gloria martyrum, et huic libro, ut postea apparebit, statim subjecit *adversus Valentinianos* librum, in quo, c. 30. init., impugnatam ait a *Valentinianis* martyrii necessitatem. Itaque satis videtur veritati consentaneum, nostrum *de Anima et adversus Valentinianos* librum non multo post *Scorpiacen* anno fere CCV. fuisse conscriptum.

(1) E. c. cum c. 55. et 58. Paracleti monita et testimonium excitat, ibidemque et c. 9. dicit suos *Spiritalia charismata agnoscere, ac post Joannem quoque Prophetiam meruisse consequi.*

§ 6. — *Libri adversus Valentinianos et de Præscriptionibus, Carne Christi et Resurrectione, post ann. 203 scripti.*

Ordo igitur librorum postulat, ut nunc de hac *Valentinianorum* reprehensione dicamus. Et vero illa defectione *Tertulliani* ad Montanistas inferior: quod quidem dicta huic disputationi aspersa non planissime docent; nihil est enim in hoc libello doctrinarum, quod non potuisset etiam ab orthodoxo proficisci; sed tamen id apparet dupliciter. Primum quod jam se dicat, c. 16., extrem., cum *Hermogene* de eodem atque cum *Valentinianis* argumento congressum fuisse, quæ *Antihermogeniana* disputatio est a nobis modo Montanistico scriptori asserta; deinde quod vehementer optat, c. 5. extr., ut sibi daretur assequi *Proculum* in omni opere, quem et *virginis senectæ et christianæ eloquentiæ dignitatem* appellat. Hunc *Proculum* ego non dubito *Proculum* illum Montanistam fuisse, cujus exstat apud *Eusebium*, l. VI. H. E. c. 20. memoria, cum propter laudem virginitatis ejus, quam tanquam præclaram in eo virtutem *Tertullianus* collaudat, tum propterea, quod ipsum nostrum nuncupat, distinctum hoc nomine ab iis quos modo laudaverat, *Justino Martyre*, *Miltiade* (*Ecclesiarum sophista*, ut ait forte incensus odio hujus viri, qui [ut refert *Eusebius*, l. c. lib. V. 17.] etiam se Montanistis opposuerat), atque *Irenæo*, scriptoribus orthodoxæ Ecclesiæ. Sed ipsam hujus libri ætatem si quis subtilius percunctatur, satis videtur consentaneum dicere, eum esse non ita multo post sopitam quodam modo crudelitatem in christianos exaratum. Nam et confessionem veritatis christianæ sub potestatibus istius sæculi et apud tribunalia præsidum (quam urget c. 30.) defendere non admodum necesse erat, nisi tum vel ipsum illud calamitosum tempus, vel

Digitized by Google

ejus viva memoria exstitisset, et est, ut modo dicebamus, hic liber eodem fere cum *Scorpiace* tempore scriptus postquam furor Severi restinctus fuerat, ut historia hujus temporis docet. Itaque placet ad librum *de Præscriptionibus hæreticorum* progredi, quem huic subjicere non dubitamus; quidquid etiam in contrariam partem *Tillemontius* (*L. c. part.* III. *p.* 203. *et not.* 6. *in Tertullian. p.* 656.) *et Whistonus* (*In scripto : The true origin of the Sabellian and Athanasian Doctrines of the Trinity*, p. 3. sq.) disputaverint. Nam libro I. *adversus Marcionem*, c. 1., se aliquando exaraturum promittit disputationem *de Præscriptione* adversus hæreticos, e quo hoc necessaria conclusione elicitur, demum post annum CCVIII. nostrum librum luci fuisse expositum. Atque illud ipsum, neque tempore eo, quo librum nostrum perscriberet, vacuum a Montanistarum erroribus fuisse animum Tertulliani clarissime ostendit, ut non dicam horum errorum vestigia non obscura esse in hoc libro, veluti c. 40., ubi, cum doceat, etiam malignum genium æmulari institutiones divinas : *quid quod*, inquit, *et summum Pontificem in unis nuptiis statuit, habet et virgines, habet et continentes*; et quæ sunt generis ejusdem. Sed age aperiamus ea capita, unde omnis ad hanc caussam disputatio ab iis qui contra sentiunt ducitur. Ac primum aiunt, locum a nobis e libro adversus *Marcionem* excitatum significare etiam posse librum jam scriptum; *Wisthonus* etiam aliud exemplum ponit hujus loquendi modi, nec necessarium in re omnibus nota, nec ullo modo aptum, e lib. V. c. 19. Sed illud defendi non satis potest. Nam quotiescumque *Tertullianus* aliquem librum jam a se compositum profert, nunquam futurum adhibet loquendi genus, sed ubivis præteritum, atque eodem, opinor, modo præteriti temporis flexionem usurpaturus fuisset *Tertullianus*, ut fecit de hoc libro alibi (In libro *de Carne Christi*, c. 2.), si illum jam a se compositum voluisset dicere. Neque vero illud minus est contortum, cum locum ex *Antimarcione Tillemontius* putat remanere potuisse e libris iis, quos ante hoc, quod exstat, opus *adversus Marcionem* jam contra eum scripserat. Nam et illud mera conjectura est nullo modo probabilis propterea, quod *Tertullianus*, cum se ad scribendos nostros *adversus Marcionem* libros accingeret, unam illi oppositam disputationem rescissam, alteram amissam confirmat; et istud argumentum *Tillemontii* in se etiam ineptum est. Quod vero dicit librum *de Carne Christi* esse priorem libris nostris *adversus Marcionem*, hunc vero posteriorem libro *de hæreticorum Præscriptione*, ea non conor attingere; est enim ea de re satis supra disputatum, unde intelligatur, primum nostrum librum *Antimarcionis*, de quo hic quærimus, non esse cum cæteris editum, nec ullo modo illo *de Carne Christi* posteriorem. Sed in fine libri de Præscriptione *Tertullianus : nunc quidem generaliter*, inquit, *actum est a nobis adversus hæreses omnes, certis et justis et necessariis præscriptionibus repellendas a collatione Scripturarum. De reliquo ... etiam specialiter quibusdam respondebimus.* Audio. Quid ergo est? omnes sunt *Tertulliani* adversus hæreticos libri posteriores eo qui est *de Præscriptione*? At istum locum *Tertullianus*, ut mihi videtur, non recte cepit. Nam in eo loco non generatim in hoc libro *Tertullianus* ait se hæreticos confutasse, sed addit, se id fecisse universe *certis et justis et necessariis præscriptionibus*. Itaque in aliis libris non se pollicetur separatim confutaturum hæreticorum singulorum doctrinam, sed ostensurum se, singulos etiam hæreticos eorumque scita, ætate doctrinis recte sentientium cedere. At denuo *Whistonus*, l. c. p. 4 : Antiquior est is *de Præscriptione* Commentarius *Apologetico Tertulliani*. Quamobrem obsecro? *Expedite*, inquit in *Apolog.* c. 47., *præscribimus adulteris nostris, illam esse regulam veritatis, quæ veniat a Christo, transmissa per comites ipsius, quibus aliquando posteriores diversi isti commentatores probabuntur.* Acutum vero hominem, qui cum de præscriptione audit, etiam librum super ea re scriptum videt! Et ea quidem oppugnatio ad ætatem hujus libri magis pertinebat; cætera, quibus se adactos eo dicunt, ut hunc librum e numero Montanisticorum proscriberent, hæc sunt : *Primum Whistonus* adjectum libro nostro libellum, qui hæreticos ortos in familia christianorum recenset, objicit, in quo planissime οἱ κατὰ φρύγας hæretici condemnantur; quod esset argumentum nullo modo eludendum, si, quod probandum suscipit *Whistonus*, hic libellus vindicari *Tertulliano* posset. Sed quid pro sententia hodie a viris doctis prorsus profligata disputet, audiamus tamen. Idem est, ait, in hoc, quod in scriptis *Tertulliani*, dicendi genus. Quomodo tandem? Græca sæpius verba libellus latinis miscet; loquitur eo modo, quo Africani solent, horrido illo et pene barbaro; acutis persequitur hæreticos conclusiunculis; multa etiam ex *Irenæo* sumit; denique hæreticos narrat a *Tertulliano* commemoratos, etiam eos, quos unus ille habet, veluti *Ebionem* et *Praxeam*. At si, qui hunc libellum scripsit, Afer genere fuit, vel *Tertullianum* descripsit? Nihil ad hæc *Whistonus*. Progrediamur ergo. Clarissime *Augustinus* de Hæres. n. 86.: *Tertullianus transiit ad Phrygas, quos antea destruxerat.* Ubinam tandem? Nusquam, ait *Wisthonus*, tam ample quam in hac appendice. Certe audiam, unde hæc *Wisthonus* didicerit. *Hieronymus adversus Luciferianos* ex hoc, de quo quærimus, libello, multa, tanquam ex antiquo scripto sumit, itemque *Epiphanius*. Sit ita sane, descripserint igitur multa. Ergo hic libellus magnam habet antiquitatem. Habet profecto, etiam *Tertulliano* forte æqualem; an eum etiam parentem habeat, id nondum video a *Whistono* planum his testimoniis factum. Deinde, abhorrere arbitrantur quod *Tertullianus* separatus a communi Ecclesia scripserit librum tam bellum, tam fortem ad exagitandos omnes, qui se erroribus ab Ecclesia separassent : ac, etiamsi tanta vis insit veritati, ut etiam invitis se conspiciendam defendendamque præbeat, ipse quoque *Tertullianus* sæpius in libris haud dubie in Montanismo conscriptis præscriptioni adversus hæreticos insistat,

Digitized by Google

tamen tanto cum consilio et amplitudine nusquam hoc telo eum fuisse usum animadvertere jubent. Quæ disputatio est magis, quam decet, arguta. Nam Montanistæ, ipse etiam *Tertullianus*, id quod constat (v. de Jejun. c. 1. de Virg. vel. c. 2.), nunquam se alienos in doctrinis ad fidem pertinentibus ab orthodoxis professi sunt, neque *Tertullianus* usquam *Psychicos* ponit in numero hæreticorum, sed ab iis planissime distinguit (e. g. in lib. de Monog. sub init.). Modo emendatam aiebant et perductam ad perfectionem disciplinam suam, neque in rebus, quæ sub fidem cadunt, de quibus dissensio unice hæreticos constituit, se discrepantes a doctrina Christi et Apostolorum confirmabant. Itaque nihil mirari attinet, quod ex ætate recentiori doctrinarum ab hæreticis defensarum argumentum ad eos impugnandos duxerit. Alterum vero illud *Tillemontii* nihil est. Etenim etsi suscipiam quod hic consilio, sed in cæteris libris obiter, de hac regula doctrinarum judicandarum *Tertullianus* disputaverit, tamen illam non obscure, sed plane satis, proponit in libris adversus hæreticos, et ad illam rem ex instituto disputandam librum nostrum destinaverat, alioque modo confutat in cæteris hæreticorum ineptias. Atque hæc ipsa possunt etiam opponi alii cuidam adversariorum argumento, non levi illi quidem, sed ita forti, ut pene nos videri posset pertrahere in adversarias partes posse, sed a *Tillemontio*, quod miror, non satis illustrato. Videlicet summum in doctrinis apostolicarum Ecclesiarum cum suis consensum, sed vehementem ab hæreticis dissensum proponit cap. 36.; et quod longe majus est, vehementer, c. 21., exagitat hæreticos, propterea quod consueverant dicere, non omnia Apostolos scisse, quod ipse illis videbatur *Jesus Christus* dixisse apud *Joannem* verbis his : *Multa vobis a me dicenda restant, sed suscipere ea nondum potestis.* Hos postea retundit verbis Christi iis, quæ superioribus subjecerat : *Cum venerit ille Spiritus, is vos ad omne id, quod verum est, cognoscendum perducet;* unde effici posse putat omnia fuisse edoctos Apostolos; nam ipsos illos Spiritum a *Christo* postea omnino accepisse ait ex Actis Apostolorum haud dubie constare. Atqui hæc cogitanti cuidam, et apud se reputanti scita Montanistarum, qui, fere ad eumdem illum locum *Joannis* posteriorem provocantes, *Paracleti* disciplinam perfectiorem quoque disciplina *Christi* et *Apostolorum* defendebant, videreturne igitur illi *Tertullianus* tam clare adversus ipsos Montanistas sententiam dicere, ut dubitari de ὀρθοδεξίᾳ hujus libri non posset? Non equidem puto. Nam, etsi hic locus magnam habeat rationem, potuit tamen proferri etiam ab eo qui stabat a Montanistarum partibus. Etenim, uti diximus, nusquam *Tertullianus* ullum admittit inter Montanistas et orthodoxos Apostolorum sectatores dissensum de iis esse, quæ fide accipienda sunt; et quod nullius veræ doctrinæ expertes fuisse Apostolos defendit, illud dari a quovis Montanistarum poterat. Sed emendatiorem demum per *Paracletum* disciplinam, doctrinas etiam non novas, sed magis confirmatas veteres christianorum propugnabant; imo ipsos ritus, quos recentius inductos apud *Montani* sectatores rectius sentientes clamabant, ut probet e sacris litteris, ipsorum etiam Apostolorum vel consuetudine vel præceptis, multis in locis *Tertullianus* laborat. Sed ii hæretici adversus quos *Tertulliani* instituta est in libro de Præscriptione disputatio, multarum Christi doctrinarum vel rudes Apostolos dictitabant fuisse, vel *Christum* non omnia omnibus tradidisse, ut Noster ait in ipso hoc, quem tractamus, loco. Quam ob rem cum locus is, de quo disputamus, a Montanista non minus potuerit adhiberi, quam a socio Ecclesiæ recte sentientis, hoc quæritur, utra sit sententia vel interpretatio ad veritatem propensior? ubi ego non multum dubito quin ipsum hunc librum dicam a *Tertulliano* Montanista proficisci. Nam primum, sunt libri *Septimiani* e disciplina Montanistarum ducti, in quibus illi instat præscriptioni in caussa hæreticorum, nec ullo modo, quod usu ipsi venit de libris omnibus suis, ad quos remittere lectores poterat, suum *de Præscriptione hæreticorum* opus antestatur, veluti in libro *adversus Praxeam*, c. 2., *adversus Hermogenem* c. 1. Deinde, si is esset loci superius tractati e libro nostro sensus qualem *Tillemontius* fingit, non admodum credibile est *Tertullianum* potuisse post scriptum hunc librum ad Montanistas delabi, qui tam dilucide sententiam adversus *Montani* scholam dixerat, vel hunc librum, in quo Montani molitiones tanto impetu damnati fuerant, etiam in libris, quos tanquam Montanista exaravit, ut in lib. *de Carne Christi* c. 2. extr. laudare. Neque vero mirari quis debet, *Tertullianum* tam se adjunxisse defensioni doctrinarum in christianorum Ecclesiis susceptarum in libro quem tempore defectionis suæ ab his Ecclesiis scripserat; tum enim jam ipso tempore restinctus aliquo modo erat ille *Tertulliani* in secus sentientes orthodoxæ Ecclesiæ socios furor, seque, placato paulisper animo, in hæreticos converterat, unde major cum recte sentientibus consensus et mitior de iis sententia exstitit (1).

ARTICULUS VI.

Quinta classis librorum, quorum nec ætas nec doctrina certa est.

§ 1. — *Liber de Pœnitentia.*

Jam de libris, qui sunt de *Carne Christi*, *deque carnis Resurrectione*, non est quod multa dicamus, cum hunc eo posteriorem esse illius libri in hoc excitatio satis

(1) Ardua sane, si qua fuerit, ac angustiis intricata videtur hæc de Præscriptionum tempore controversia : quam rursus in hujus operis decursu in promptu erit aliquatenus exagitare, nostramque, etsi nobis non liceat tantas componere lites, sententiam qualemcumque explicare. Nunc autem id obiter tantum dicere juvat, nec jam videlicet displicuisse quam subodoratur Tillemontius opinionem, qua librum hunc, equidem ante Tertulliani defectionem, cum adhuc sana fide floreret, ac forsan dum Romæ agens traditiones apostolicas penitus introspiceret, conceptum fuisse ac incœptum, nec tamen nisi post libros in Marcionem, hærente jam auctore in montanismi fœce, in lucem editum arbitraremur. Edd.

Digitized by Google

doceat (*c.* 2,), ac ille demum post librum *de hæreticorum Præscriptione* compositus sit, quod eodem modo apparet (*Vid. art.* 4, § 6); at certus horum librorum annus non constat. Restant igitur ii libri, quorum nulla, ut mihi videtur, ratio vel ætatis vel doctrinæ tradi potest (is enim erat tertius nostræ scriptionis locus), de quibus cum alii, qui eam rem a se perfectam putarunt, decrevisse sibi visi sint cum aliqua certitudine, quæcumque in istam rem disputarunt, ea nos, quibus magis placet in hac causa verecundius loqui, oportet paululum postremo loco excutere. Est hujus generis liber *de Pœnitentia*, quem *Tertulliani* esse adeo negabat *Erasmus*, probatus in hac re a *Dallæo* aliquando, etiam ab *Hoffmanno*, maxime propter styli dissimilitudinem in hoc cæterisque *Tertulliani* libris; quam ego, fateor, deprehendere non satis queo, etiamsi hic non tam appareat impeditum illud et concisum dicendi genus, quod regnat in cæteris. Neque enim tanta est, quanta putatur, hæc dissimilitudo, sed eadem fracta et interrupta dictio hic exstat, quæ est in aliis mitigatæ paulisper dictionis libris veluti in iis, qui sunt *de Patientia, deque Fuga in persecutione*. Sit igitur hic liber *Septimii* nostri, sed eum cum scriberet, cujusnam sectæ fuerit, dicere non audeo. At hic intercedunt fere omnes, certissimumque esse aiunt, cum orthodoxis tum *Tertullianum* sensisse, namque et eum cœtui sacro potestatem concedere delicta condonandi iis qui gravius peccassent, quam prorsus destruxisset in libro *de Pudicitia*, et in illo libro ipsum illum profiteri, se nunc confutare velle librum quem olim, hæresi communis Ecclesiæ addictus pro hac potestate scripsisset. In qua universa disputatione multo sapientior mihi videtur *Hoffmannus*, quam in cæteris. Namque l. c. § XIII pulchre monet is, longe diversam esse quæstionem in libro *de Pœnitentia* propositam ab ea, quam *Tertullianus* in commentario *super Pudicitia* posuit, atque etiam Montanistas omne illud potuisse defendere quod est in libro *de Pœnitentia* propositum. Videlicet non super ea re erat orthodoxos inter et Montanistas quæstio: possentne ii, qui ad impuritatem pristinam gravioribus delictis rediissent, interposita pœnitentia, veniam malefactorum a Deo impetrare, quod neutri, ne Montanistæ quidem, negabant, quos potius constat ipsam ἐξομολόγησιν a reis postulasse, sed eam quidem non ita, ut impetraret, qui peccaverat, veniam ab Ecclesia et conjunctionis cum illa restitutionem, sed ut incitarentur probi ad supplicandum Deo, ut huic peccatori tandem aliquando veniam concederet; sed illud quærebatur potius, liceretne Ecclesiam usurpare potestatem, qua se non destitutam etiam ipsa sentiret, recipiendi sejunctos a societate sua peccatores in amicitiam veterem et communionem sacrorum; quod Montanistæ ita negabant fieri debere, sed orthodoxi ita posse fieri aiebant. Hanc igitur licentiam usurpatam ab orthodoxis *Tertullianus* in libro eo, qui est *de Pudicitia*, vehementer salseque exagitat, sed in libro *de Pœnitentia* neque confirmat, neque impugnat etiam, sed de illa venia loquitur, ad quam etiam iis qui immersi essent gravissimis flagitiis, apud Deum, si ad bonam mentem rediissent, aditus non esset impeditus. Ex quo etiam illud efficitur, non revocare *Tertullianum* in libro *de Pudicitia* id, quod in singulari libello orthodoxorum olim sententiæ addictus scripsisset, sed nihil nunc fatetur, nisi se aliter sentire de ista venia a cœtu sacro concedenda, quam olim inter orthodoxos non quidem scripsisset, sed sensisset tamen. Quid ergo est? *Tertullianum*ne putaremus hunc librum in montanismo scripsisse? Neque hoc audeo dicere. Nam etsi peccatoribus ad pristinam eamque perversam vitam redeuntibus non nisi unam eamque ultimam spem veniæ apud Deum impetrandæ polliceri videatur c. 8, tamen et in ea re nihil docet, quod proprium fuisse legamus Montanistarum, sed quod etiam ab aliis orthodoxorum vehementer propugnatum esse inveniamus (*Vide Hermæ, Pastorem Mandato* 4, *in Fabricii Apocryphis N, t. T. III, p.* 845, *sq., et loca ibi a Fabricio citata*), nullam spem esse salutis iis qui post susceptum baptismum iterum gravius et ad jacturam veræ pietatis peccassent, quod pessimam baptismi differendi consuetudinem in Ecclesiam postea intulit; et quæ durius locutus esse videri poterat, ipse his verbis subjectis mitigat: *Verum non statim succidendus ac subruendus est animus desperatione*. Quare ad quam vel ætatem vel doctrinam hic liber referendus sit, cum aliæ rei dirimendæ in hoc libro significationes non exstent, me quidem prorsus nescire profiteor.

§ 2. — *Liber adversus Judæos.*

Atque etiam illud non me fateri pudet de libro quem *adversus Judæos* conscripsit, in quo nihil est, quod *Montani* ineptias saperet: sed neque illud admirationem habet; nulla enim fere exstitit *Tertulliano* in hoc libro talium commemorandarum opportunitas. Quare illud est videndum, utrumne ibi aliqua reperiatur temporis significatio. Et ea est quidem subobscura in duobus locis: Prima c. 7 in quo *Britannorum inaccessa Romanis loca commemorat*, et paulo post eos *Oceani sui ambitu conclusos*. Quæ res quidem *Baronium* (*Annal. Ecclesiast., ad an.* 212.), *Alixium*, aliosque deduxit in eam opinionem, ut crederent post victorias *Severi* a *Britannis* reportatas scriptum hunc librum esse, et ita anno fere CCIX; quod ego non dixerim; nam quomodo tum tandem loca Britannorum dici inaccessa potuissent, quorum sibi aditum Romani fecerant; et qui potuisset *Tertullianus* dicere: *Trans istas gentes Romanos porrigere regni sui vires non posse*, cum illud ipsum inter Britannos fecissent. Nimis profecto clare confirmat *Herodianus* (*Hist., lib.* III, *c.* 14, *p. m.* 170), *Severum* non modo *Getam* in iis Britannorum regionibus reliquisse, quæ imperio Romanorum subjectæ erant, sed *Severum* quoque, pergit, latius se profudisse. Neque vero murus a *Severo* in Britannia exstructus, qui *Baronium* cæterosque decepit, is est, quo *Tertullianus* significat conclusos finibus suis Britannos fuisse, neque enim muro, sed *intra Oceani ambitum conclusos Britannos*

Digitized by Google

planissime dicit. Sed ista demum, quæ de Britannis cæteri scriptores tradiderunt, sunt in expeditione *Severi* adversus eos facta, quam constat fuisse anno CCVIII. susceptam. Prior igitur hic *Tertulliani* liber exstitit, et multo prior quidem, si quid video, recteque *Tertullianus* altero in loco disputavit, qui est c. 13. Neque enim tempore scripti hujus libri cuiquam Judæorum permissus erat aditus ad Bethlehemum aut agrum circumjacentem, aut Hierosolymam. Enimvero constat, *Severum* multas rogasse Judæis amicas leges, quas in compendio recitavit *Jacobus Basnagius* (*Hist. des Juifs*, t. VIII, p. 49, *seq.*), ac ista jura *Spartianus* (*In Vita Severi*, c. 16) ait fundata ipsis esse tum, cum *Severus*, capta Ctesiphonte, in Ægyptum proficisceretur, h. e. an. fere CCII. Itaque non est credibile, cum multa ipsis jura concesserit, amplius quemquam prohibuisse ab aditu vel Hierosolymorum vel cujusquam alius in Palæstina loci, nec dici potest exilium Judæorum vel *Tertulliani adversus Judæos* librum demum post illum annum exstitisse, sed anteo magis. In qua sententia confirmari videor loco aliquo *Tertulliani* ex *Apologetico*, c. 21, ubi præter alia Judæis narrat ne advenarum quidem jure concedi, ut terram patriam saltem vestigio salutarent. Quod etiamsi falsum sit de universo Palæstinæ tractu, e quo non videntur Judæi ne per *Adrianum* quidem ejecti, quod multis locis scriptorum veterum imprimis docuit *Jo. Masonus* (*In collect. histor. ad op. Aristidis ed. a Sam. Jebbio*, § 6, n. 8); tamen *Tertullianum* ita oportuit existimasse in *Apologetico*. Unde cæteris, quæ diximus, assumptis, ejusdem fere ætatis esse librum *adversus Judæos* colligi quodam modo potest. Sed cum neque annus hujus libri accurate possit definiri, neque perspicuum sit, senseritne jam tum *Tertullianus* cum Montanistis, placuit etiam hunc librum iis adjungere, quorum nec ætas nec doctrina appareat; et collectis omnibus iis quæ hactenus proposita sunt, ita fere ordinem librorum Tertulliani constituere.

Ante suscept. montanism.	*In Montanismo.*	
De Oratione.	De Corona.	Scorpiacen.
Ad Martyres.	De Virg. velandis.	Adv. Valentin.
De Spectaculis.	De Cultu feminar.	Adv. Marcion. l. I.
De Idololatria.	De Fuga in persecut.	De Præscript. hæretic.
Apologeticum.	De Exhort. castitatis.	II, III, IV, advers. Marc.
De Testim. animæ.	De Monogamia.	De carne Christi.
Lib. 2 ad nationes.	De Jejuniis.	De Resurrectione.
De Baptismo.	De Pudicitia.	Lib. V, adv. Marc.
Lib. 2 ad uxorem.	Advers. Praxeam.	De Pallio.
(adversus Judæos)	Adv. Hermog.	(De Patientia.)
	De Anima.	Ad Scapulam.
		(De Pœnitentia.)

§ 3.—*De Actis Perpetuæ et Felicitatis, harumque montanismo.*

Atque hic possemus finem facere disputationis nostræ; neque enim cætera *Tertulliani* scripta, quæ vel perperam sunt ipsi adscripta, vel non exstant, excutere nobis est propositum. Sed in animum venit quædam de Actis illis SS. *Perpetuæ et Felicitatis* dicere, quæ sunt, qui etiam *Tertulliano* tribuerint. In quibus unum illum *Whistonum* impugnare placet, qu omnem operam dedit, ut hæc Acta *Tertulliano* asse- A reret (*In the sacred history of the Jewish and christian church*, part. II, vol. 6, pag. 477-78). Atque is SS. illas martyres non quidem arbitratur e disciplina Montanistarum fuisse, quod quibusdam placuit, velut *Samueli Basnagio* (*Annalib. Polit. Eccles.*, *tom.* II, *pag.* 224, *qs.*); sed hæc qui collegit, eum plane putat non montanistam modo, sed et *Tertullianum* fuisse. Qua de re nobis sedet contraria sententia. Nam primum multa sunt in ipsis, quos *Perpetua* reliquit, commentariis, quæ haud dubie eam ostendunt e Montanistarum familia fuisse. Idque jam occupavit *Basnagius*, sed nactus est, qui contradiceret, *Josephum Augustinum Orsium*, qui, quamvis eum, qui acta ista collegit, montanistam existimet, tamen strenue in defendenda harum martyrum fide laborat B (*In diss. Apologet. pro SS. Perpetuæ, Felicitatis et sociorum martyrum orthodoxia, adversus Sam. Basnagium, Florent.*, 1728, in-4°); cujus argumenta memini mihi olim legenti rem istam non persuadere, sed plurima continere ab hac disputatione prorsus aliena. Sed nunc quidem non est ad manus; itaque unum *Whistonum* persequamur. Ille ne litteram quidem quæ montanismum sapiat ait esse in his *Perpetuæ et Saturi* commentariis, e quibus pene ista Acta composita sunt; quod quam a veritate abhorreat postea docebimus; deinde hoc unum sufficere ad omnem litem componendam putat, quod *Tertullianus* primus fuerit qui errores Montanistarum in Africam tempore fere eo, quo supplicia ab his martyribus sumpta sunt, induceret: quare cum vix in C. Africam hæc scita fuissent delata eo tempore, non posse dici homines litterarum rudes longe remotos a Carthagine, quales isti fuerunt, jam istam disciplinam suscepisse. In quo sermone non unus error reperitur. Primum hoc sumit sibi haud dubie, quod isti martyres mortem subierint *Tuburbii*, cujus urbis scio mentionem injectam esse in spuriis horum Actorum exemplis, et est quoque ejus nomen a *Whistono* expressum, sed et per meliora ἀπογράφα et argumentis *Valesii ac Ruinartii* (*In not. ad Acta martyr.*, *pag.* 90, 91, *ed. Amstel.*) satis explosum. Quare si eos, ut illi viri docuerunt, Carthagine interemptos credamus, facile accipere hi notitiam errorum Montanistarum potuissent, cum *Tertullianum* Carthagine vixisse D omnes norint. Unde vero *Whistonus* docebit *Tertullianum* primum fuisse, qui in Africa hos errores et tempore fere suppliciorum ab his martyribus sumptorum sparserit? Et si hæc etiam dederim, quid, obsecro, incredibile est errores a *Tertulliano* in Africa disseminatos, quos ante annum CCV, jam scriptis defenderat (huic enim anno mortem SS. Martyrum *Whistonus* adjunxit), perceptos ab his martyribus fuisse, imprimis cum plurimi ad societatem *Montani* accedentes, expertes litterarum fuerint, et ita horum martyrum similes. Ac multo magis abhorret id, quod nihil sit somniorum *Montani* commentariis ipsius *Perpetuæ et Saturi* aspersum: Nam *primum* magna est suspicio humani sensus in ipsis speciebus his hominibus objectis. Etenim *Perpetua* non modo sta-

Digitized by Google

tim cum baptismo se profitetur dotem futurorum prænuntiandorum accepisse (1); sed ita etiam fidenter de ea dote loquitur, ut pro arbitrio futura præsagire et vel ab ipsis inferni suppliciis mortuos liberare posset (2). Quam postremam arrogantiam non excutiam nunc quidem, sed vehementer tamen dubito, an temporibus iis, in quæ ætas *Perpetuæ* incidit, h. e. sæculo P. N. C. secundo labenti, illa miraculorum facultas et quasi immanens virtus, quæ Apostolis Ecclesiæque Apostolicæ data erat, recte tribui debeat. Cujus sententiæ, ut brevitati locus detur, duas proponam rationes. Una hæc est, quod doceri nullo modo possit, quemquam, si ab Apostolis discesseris, vel accepisse talem facultatem, nisi manibus eorum sibi impositis, vel illam communicare iterum cum aliis potuisse; contra, qui in contrariam partem disputari possint, plures sunt et satis illustres loci. *Petrum et Joannem Apostolos*, ut hoc utar, quare tandem a cæteris missos esse Samariam (*Act.* VIII, 14, *sq.*), quare manibus impositis virtutem efficiendorum miraculorum distribuisse novis christianis dicas, cum ipse jam *Philippus Evangelista* multis miraculis Samariæ celebritatem esset consecutus? quare Christiani Ephesini (*Act.* XIX, 2, *sq.*) ad quos primus nunc *Paulus Apostolus* accesserat, neque accepisse se *Spiritum S.*, neque etiam scire quid hoc rei esset, potuissent dicere, nisi ita, quemadmodum dicebamus, fuisset? Quod si ita est, neminem affirmare audeo sub finem sæc. II. fuisse christianorum qui hujusmodi facultate splendesceret; neque enim tum, qui ab Apostolis eam potuissent accipere in vivis versabantur. Altera ratio in loco Eph. IV, 7, sq., continetur. Etenim cum *Paulus* multa superius disputasset, quibus iis etiam qui adhuc fuerant cultum deorum secuti, eamdem cum Judæis partem vindicaret gratiamque divinam, ut dissentientes inter Christianos judæos ac gentiles in concordiam redigeret; postea animadvertens, facultates ad miracula multum ad alendam utrorumque discordiam facere, et quod ipsæ hæ pro arbitrio Christi sapientissime sint distributæ, et quem finem habeant, et quod non exstituræ sint nisi ad certum tempus, perspicue confirmat. Quo in loco quin intelligendæ sint non communes omnibus christianis eæque spirituales facultates, sed quorum-

A dam christianorum ad propria miracula producenda idoneæ, nemo, opinor, dubitabit, qui vel hæc cum iis contulerit, quæ sunt ab Apostolo Rom. XII, 3 8, et ad I Cor. XII, sq., disputata. Atque illas addit *Paulus* V, 13, ad Ephes. IV, V, 13-14, datas esse μέχρι καταντήσωμεν οἱ πάντες εἰς τὴν ἑνότητα τῆς πίστεως, καὶ τῆς ἐπιγνώσεως τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ, εἰς ἄνδρα τέλειον, εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ χριστοῦ. κ. τ. λ.; unde efficitur eo tempore exstinctas has facultates fuisse, quo cum ii, qui e Judæis, tum qui e Gentilibus christiani facti erant, (οἱ πάντες) in iisdem rebus credendis agnoscendoque uno illo Filio Dei consensissent, et universa ex utrisque collecta societas christianorum (quæ hic, ducta a tabernaculo Mosaico, repleto illo divino splendore, similitudine, πλήρωμα του χριστοῦ coll. c. I, 22, 23, dicitur) ad virilem quasi

B ætatem perducta, non se jactandam amplius frandibus doctorum ἰουδαιζόντων permitteret. Sed istud tempus non ita multo post Apostolorum omnium obitum, aut sub mediam fere sæc. II partem exstitisse suspicor. Etenim ut *Adrianus* Judæis Hierosolyma cultumque ibi publice celebrandum interdixerat, christianos, quorum animi adhuc ad Judæorum religionem fuerant inclinati, paucis exceptis, *Sulpitius Severus* (*Histor. sacra*, lib. II, c. 31), et hunc errorem abjecisse, et *Marcum* e gentilibus episcopum Hierosolymitanum creasse, quorum haud dubie exemplum cæteri ejusdem generis imitati fuere; neque enim post hæc disruptam christianorum societatem

C pristinis de observanda lege Mosaica dissidiis unquam deprehendimus. Nam etsi quis obverterit *Cerinthianorum*, *Ebionitarum*, *Nasaræorum et Elcesaitarum* familias, tamen qui his, transacta priori sæc. II parte, se adjungerent, paucissimi fuere, neque existere ullo tempore tanta christianorum concordia potest, ut nulli sint prorsus, qui dissensum a cæteris profiteantur (1).

§ 4. — *De Montanistis Artotyritis.*

Est *porro*, quæ magnam moverat suspicionem montanismi *Perpetuæ* visio ea, e qua se illa fatetur instantem sibi violentam mortem intellexisse (*Sect.* 4). Nempe illi in visione offertur a quodam pastore buccella casei; edit illa, et qui adstant universi *Amen* dicunt. Quid hoc est? Nempe significatio necis vio-

D lentæ. Quomodo hoc sequitur: casei particula, et

(1) Acta *Perpet. et Felicit.*, in *Ruinarti* Actis martyrum sinceris. Ed. Amst., p. 93. § 3. *In ipso spatio paucorum dierum baptizati sumus. Mihi autem spiritus dictavit : nihil aliud petendum in aqua, nisi sufferentiam carnis.*

(2) Ibid., p. 94, § 4 : *Dixit mihi frater meus : Domina soror, jam in magna dignitate es, et tanta, ut postules visionem, et ostendatur tibi, an passio sit, an commeatus?* i. e. an futurum sit, ut mortis periculum effugias? V. Hostenii not. ad h. l. ibid., p. 106, qui bene observat locum Tertulliani, in quo *sorores a Domino* commemorat *dignationem* i. e. gratiam singularem, *quotiescumque desiderent, consequi*. Pergit illa : *Et ego, quæ me sciebam fabulari cum Domino, cujus beneficia tanta experta eram, fidenter repromisi ei dicens : Crastina die tibi renuntiabo...* Deinde p. 96, § 7, *profecta est ipsi vox et nominavit Dinocratem*, fratrem jam mortuum, *et cognovit se statim dignam esse et pro eo petere debere..... continuo ipsa nocte ostensum est ei in oramate :* periclitari mortuum Dinocratem. Sed § 8, crebras *post preces intellexit translatum esse de pœna.* Tantam vim ne preces quidem Apostolorum, aut cujusvis magni legati Dei unquam leginus habuisse.

(1) Istam infaustam sane, tantisque martyribus ingratam, Valesii et Basnagii sententiam, quam male refricat hic auctor noster, strenue fusam fugatamque habet in peremptoria *Jos. Aug. Orsi* postea S. R. E. cardinalis *dissertatione apologetica pro SS. Perpetuæ, Felicitatis et SS. MM. orthodoxia*, Flor. 1728, in qua hæc imprimis statuuntur: 1° constare ex gravissimis testimoniis cultum fuisse SS. martyribus nostris ab omni ævo in ecclesia præstitum; 2° etiamsi e fontibus montanistarum dimanarint acta SS. martyrum, nihil inde in ipsis præjudicii suboriri; 3° nihil reapse in ipsismet actis occurrere quod Montani officinam redoleat, aut quod cum genuinis cæterorum martyrum actis non apprime consonet; 4° eas demum esse martyrum nostrorum virtutes, eos visionum fructus, vaticiniorum eventus, miraculorum, doctrinæ, totiusque considerationis caracteres, ut pateat illos fuisse spiritu divino afflatos et a montanistarum institutis a toto cœlo alienos; quæ videre est infra in III tom. hujusce Biblioth. ubi de SS. Perpetuæ et SS. actis cum variorum veterum et recentiorum notis loco suo edendis. Edd.

Digitized by Google

Amen, et violentum mortis genus? Mihi, si quid video, non videntur ea conjuncta aliquo modo, nisi hanc e Montanistarum familia virginem fuisse dicam; quippe quos, aliquos certe, *Epiphanius* (*hær.* 49, § 2) aliique dicunt in sacra cœna (in agapis forte volebant dicere homines non nimis accurati) caseum adhibuisse. Jam vero usu venerat inter christianos, ut qui adessent ex multitudine *Amen* adderent in sacro epulo, id quod e *Justino Martyre* (*In Apolog. maj. c.* 85 *et* 87, *ed. Grabii, p.* 125, 131, 132), et distribui solebat etiam illud in carcere iis qui morti erant destinati. Omnia igitur perpicua sunt, si ista virgo e *Montani* disciplina fuisse putatur; si negatur, explicari nullo modo, ut mihi videtur, possunt (1).

A

§ 5. — *Whistoni argumenta pro Tertulliano auctore horum Actorum expenduntur.*

Sed ad alterum veniamus, quod est in eo positum: fueritne is, qui hæc Acta collegit, vel scriptor e Montanistarum secta, vel idem ipse *Tertullianus* quod utrumque *Whistono* placet; recte quidem, si de illo quæritur; si de ipso *Tertulliano*, longe secus. Illud igitur superius plane *Whistono* assentior propterea, quod et ille scriptor (in præfatione) *prophetias* ait *se et visiones novas agnoscere et honorare*, unde se et fatetur *nova hæc documenta martyrum et revelationum adjecisse*, seque (*Sect.* 26), *quoniam permiserit et permittendo voluerit Spiritus S. ordinem istius muneris* (h. e. pugnam martyrum cum bestiis in theatro) *conscribi*, hæc composuisse jactitat; quod haud scio an non alium quam montanisticum scriptorem prodat, hanc præcipue ob causam, quod orthodoxi non solebant magni æstimare Montanistarum martyres, et ita multo minus, ut supplicia ipsorum atque constantiam, etiam cum visionibus, quas contemnebant profecto, in litteras referrent. At quod est caput hujus disputationis, *Tertullianum* eum ipsum scriptorem fuisse, non dabo *Whistoni* argumentis, quæ sunt ab eo latius proposita hoc modo: *Primum* hæc Acta sunt, ut præfatio docet, non ita multo post ipsum hoc factum composita; *deinde*, exarata latine; *tum*, ab homine Africano, cujus rei est non leve in horrido Afrorum dicendi genere hic adhibito documentum; *itemque* multa adsunt verba familiaria illa quidem *Tertulliano* (quod pluribus exemplis probant *Holstenianæ* ad hæc Acta notæ); *postremo*, scriptor fuit haud dubie e schola *Montani*, quam primus hoc fere, quo isti martyres interempti sunt, tempore *Tertullianus* in Africa propagavit; necesse est igitur *Tertulliani* etiam hæc Acta esse. Quæ omnia nihil, si quid video, docent, nisi *Tertullianum* esse posse eum, cui collecti hi commentarii debeantur, at eum istos etiam condidisse, illud *Whistonus* non est istis argumentis adsecutus. Et sunt profecto in his quæ, cum ficta sint ad libidinem, vel plus efficiant quam velit, nihil efficiant. Nam et illud commentitium est, uti diximus, *Tertullianum* primum Montanismi in Africa disseminati fuisse auctorem; et verba *Tertulliani* cum his Actis communia, non sunt ex ejus quidem proprio dicendi genere, sed ex Africano. Etenim si plura verba quæ sunt in *Tertulliani* consuetudine loquendi ostenderent, ipsum *Tertullianum* tale scriptum composuisse, certe necesse esset, etiam ipsius *Perpetuæ Saturique* commentarios non ab ipsis, sed a *Tertulliano* fuisse compositos; multa enim sunt, ut *Holstenianæ* observationes docent, vocabula in illis ipsis commentariis quæ in *Tertulliani* etiam scriptis reperias. Atque occurri etiam suspicionibus *Whistonianis* potest argumentis contrariis. Nam in libro *de Anima*, c. 55, *Tertullianus* quamdam *Perpetuæ* visionem in his Actis narratam commemorat, affertque ad comprobandam aliquam doctrinam;

B

C

D

(1) Sunt, quæ ex hac Perpetuæ fabula occurrunt non sine magna ratione adversus ea quæ dixi disputanda, et adhibita etiam multo cum ingenio a laudatissimo historiæ Montanistarum scriptore, Theoph. Wernsdorfio, § 18, quibus breviter placet et modeste respondere. Atque mihi non contemnenda omnino videntur, quæ veterum nonnulli de adhibito a Montanistis in sacris epulis caseo tradunt, unde nomen Artotyritarum traxerunt. Nam etiamsi illud inepte de modo sacræ Cœnæ apud eos dicatur, longeque illud præclarius etiam a viro docto ad agapas Montanistarum et oblationes referatur, nostra tamen causa nihil postulat magis, nisi ut usus casei his eorum agapis vindicetur. Quod fieri facile potest non modo propterea, quod nulla alia reddi ratio potest originis tam ridiculæ culpæ atque cognominis, sed quod etiam constat, Montanistas xerophagiarum studiosissimos fuisse, unde nec lauta fuisse eorum sacra convivia facile intelligitur; eoque cibo tenui, qualis caseus erat, Perpetuam quoque cæterosque martyres in carcere etiam, cum veluti agapas haberent, usos fuisse, non magis dubitabit qui, quam miserabilis sors eorum in vinculis fuerit, ex Actis illis didicerit. Sed quod illam rem adhibuerimus ad efficiendum horum martyrum, imprimis Perpetuæ, Montanismum, convelli videtur iis, quæ vir doctiss. l. c. attulit; primum Augustini ac Tertulliani auctoritate, quorum alter illam Perpetuæ visionem laudavit, alter non commemoravit in lib. de Anima. Quorum neutrum, opinor, admirationem habet. Tertullianus enim, dubitari potest, num hanc ipsam, de qua quæritur, visionem significaverit: cum a Perpetua non nisi martyres in paradiso visos fuisse dicat, cujus rei quis forte mentionem in nostra visione desiderabit; neque is ad caussam suam, quæ unice in asserenda solis martyribus ante ultimum judicii diem perfecta felicitate versatur, apte congruenterque a Perpetua sumptum caseum commemoraturus fuisset. Augustinum vero, qui in laudibus Perpetuæ totus est, alioque modo traditam illi casei buccellam interpretatur, eum vero quis hanc rem tamen laudasse mirabitur? Sed alterum gravius est; Augustinus illam casei buccellam signum putat fuisse dulcedinis felicitatis Perpetuæ, istamque interpretationem persuasit viro cl., qui omnem illam significationem mortis violentæ quærere videtur in scala illa spinis, gladiis, aliisque munita, per quam ascendendum Perpetuæ erat; caseus vero cur adhibitus sit ad sempiternam felicitatem adumbrandam, rationem dicit in lege persequendæ metaphoræ, ductæ ab imagine Pastoris, fuisse. At ego, si nulla alia, nisi hæc, fuisset sumptionis casei significatio, quærerem quid esset, quod Perpetuæ caseus a Pastore mulgente fuisset oblatus, non aliquid potius lactis, quod esset ad felicitatem cœlestis Chanaan, melle quasi et lacte fluentis, adumbrandam multo accommodatius? Deinde dicat mihi quis, quare Perpetua hoc commemoret objectum menti suæ, quod istam *casei buccellam acceperit junctis manibus* (ex more in cœna sacra apud veteres christianos recepto) *et universi circumstantes Amen dixerint*, cujus an ullam rationem dare possit quisquam dubito, nisi quis causæ nostræ faveat. Denique si ista casei sumptio aliquid in regno cœlesti Perpetuæ eventurum significat, et cœnam forte adumbrat Agni, descriptam in Apocalypsi Joannis, ex qua fere omnes sunt istæ visiones in Actis laudatis desumptæ, Montanistam si dixeris Perpetuam, multo faciliorem habet cogitationem, quam ob rem ad hoc significandum casei buccella tradita illi fuerit, cum caseo, uti diximus, Montanistæ in Agapis uterentur; at si illum caseum non aliquid cœleste dicis respicere, sed conjunctum quidvis aliud cum morte violenta Perpetuæ, explicari istud visum e cœna libera potest, quam Acta illa (Sect. 8) referunt martyres, pridie quam supplicia sustinerent, tanquam agapen sumpsisse.

Digitized by Google

sed ne verbum est quidem ibi, quo se scriptorem horum Actorum significaret, quod haud dubito quin, uti solet, facturus esset, si ipse scriptor hujus historiæ exstitisset. Deinde nihil, ut mihi videtur, quemquam oportet scripta *Tertulliani* modumque dicendi cognovisse, qui dicere ausit, genus dicendi illud, quod est in fine horum commentariorum, simul esse ejus, quod aliis in scriptis *Tertulliani* deprehenditur. Itaque eximenda sunt ista Acta e libris *Tertulliani*, nec necesse est igitur de ipsa eorum ætate disputare.

§ 6. — *Usus universæ hujus Disputationis exemplis ex historia christiana ductis demonstratur.*

Atque, dum nos finem scribendi facimus, non dubitamus fore, quibus omnis hæc opera, disputandis his rebus impensa, levis maleque collocata videatur. Sunt enim qui vel contemnendam putent omnem disputationem quæ versatur in rebus parum certis et exsanguibus quodam modo, vel eas res quarum usus se non prima quasi fronte offert, sed perrecondítus est, omni utilitate destitutas pronuntient. Quibus occurrere possemus magnorum virorum exemplis, quibus in hoc genere disputationum versari turpe non fuit visum, et præclaris vener. *Ernestii* verbis, qui profecto, si quis alius, scit quantum sit pretium cuivis disciplinæ statuendum, atque (*in Prolus. de usu chalcographiæ, p.* 5) de singulis artibus ita judicandum censet, *ut earum dignitatem et præstantiam, non tam utilitatis magnitudine et necessitate, quam inveniendi exercendique difficultate metiamur, neque quantum quæque prosit, sed quanti quæque sit, ponderemus; nisi vero quia magis et necessarium est et utile panes pinsi, quam tabulas pingi, propterea pistorum opificium arti pictoriæ præferendum putemus.* Atque ego in enucleandis rebus subobscuris multo rectius industriam ponendam esse arbitror, quam in pervagatis aliis, quamvis eæ quidem magis videantur ad usum communem accommodatæ; cum in his parum vel nihil sit quod effugerit multorum diligentiam, in illis semper sit quod disputari amplius possit. In rebus vero iis quæ non certæ sunt, sed probabiliter constituendæ, longe major est ad impetrandam intelligendi scribendique facultatem usus, quam in certis et quasi necessariis, propterea, quod illæ multas habent veluti formas, et cogitari ac disputari in utramque partem possunt, quod magnam habere vim ad impetrandam ipsam intelligendi subtilitatem dudum est rectissimeque a veteribus traditum. Sed quid ego universa conquiram, cum et operam dederim, ut ipsi caussæ, quantum fieri poterat, aliena, nec tamen a proposito nimis sejuncta, interponerem, quibus aliquantum satietati similium rerum mederer, et uti liceat exemplis, quibus declaretur, ea quæ dedimus, quanquam leviora forte, tamen esse necessaria, si quis majoris momenti locos velit ex historia sacra excutere. In quibus ponendis non is ego sum, qui velim viros doctos reprehendere, sed pauca, quæ non multum quærenti occurrunt, afferam, ut usus tamen hujus disputationis quodam modo intelligatur. Disputant, ut ab hoc ordiar, viri docti quid causæ fuerit ut se Montanistis *Tertullianus* adjungeret, in quibus multi audiendum *Hieronymum* putant, qui odio doctorum Ecclesiæ Romanæ ait incensum eum valedixisse communi Ecclesiæ; quod, ut alia præteream, vix est credibile, propterea, quod magnis laudibus *Romanam Ecclesiam* in libro *de Præscript.*, montanistico illo, uti diximus, persequitur (c. 36.); nec in eo *adversus Praxeam*, c. 1, ubi vehementer eum, adulterantem illam Ecclesiam erroribus, insectatur, quidquam contumeliarum in ipsam hanc Ecclesiam ejusve Episcopum projicit. In historia deinde Montanistarum quot evitari peccata, quot argumenta emendari potuissent, si qui ante defectionem *Tertulliani*, quique postea libri scripti fuerint, accuratius fuisset constitutum? sunt, ut hoc utar, qui in flagitiis Montani ridiculum et muliebre oculos, capillos aliaque ornandi studium posuere, ducti rebus iis quas Apollonius apud Euseb., H. E. V. 18, memoriæ prodidit; cujus verba, si quid video, hanc rem nullo modo confirmant, estque ab omnibus in eo peccatum, quod *prophetam* ibi commemoratum Montanum esse crediderint, cum Apollonii verba de vitiis universe intelligenda sint, quæ a vatibus, quorum multos Montanistæ jactabant, abesse deberent. Sed potest illa calumnia etiam retundi severioribus illis Tertulliani, in libris *de Virg. vel. Cultuque femin.*, dictis adversus nimium muliebris elegantiæ studium. Porro Epiphanius, hær. 49, sect. 14. Montanistas dicit inter orandum manum ori admovisse, unde *Tuscodrugorum* nomen meruissent; quam culpam Wernsdorfius, vir clarissimus, l. c., § 21, confutare vult loco quodam Tertulliani e libro *de Orat.*, c. 13, ubi non esse modestiæ ait manus inter preces sublimius efferre : qui locus e libro, a Tertulliano recte adhuc sentiente conscripto, nullam vim ad depellendam culpam habet, ut non dicam Epiphanium hoc non nisi de quibusdam montanistis referre. Præterea disputationes Tillemontii aliorumque de calamitatibus Christianorum sub Severo, quam confusæ sunt eæ, omnesque earum loci quam perturbate ac præpostero ordine positi, hanc unam ob causam, quod qui flagrante priore, imperante Severo, vexatione, cum eadem cum orthodoxis sentiret Tertullianus, quique sub posteriore, cum ab iis se sejunxisset, scripti sint, libros non recte distinxerit. Denique nihil est disputatione nostra efficacius ad convellenda Whistoni somnia quæ in libro superius citato (*the true origin of the Sabellian and Athanasian doctrines of the Trinity, Lond.* 1720, *in*-8°) proposuit, in quo Sabellianorum et, ut eos vocat, Athanasianorum de sanctissima Triade scita inventa per Simonem Magum ac per Montanistas resuscitata fingit, atque propterea Tertulliani ea in re sententiam triplicem fuisse conatur docere e triplici librorum genere qui essent ab eo exarati, cum vel recte sensisset, vel inclinasset ad Montani errores, vel imbutus iis omnino fuisset. Ubi in quovis librorum genere tales libros refert qui plane alii librorum generi a nobis asserti fuere, quo ipso omnis Whistoniana disputatio ad nihilum redigi-

Digitized by Google

tur. Sed est tandem aliquando desinendum, ne nimii in his rebus videamur; et committendus noster libellus doctorum hominum judicio, quod tanto magis æquum rogamus nobis, quo magis vel ipsa rerum disputatarum natura, vel, quibus oppressi in iis proponendis fuimus, labores alii, effecerunt ut non potuerimus accuratoria tradere.

PARADOXA TERTULLIANI,

CUM ANTIDOTO

JACOBI PAMELII.

1. De angelis desertoribus qui duxerunt filias hominum. *Tom.* II. *lib. de Idolol. c.* 9. *n.* 47. *Libro de Habitu mulieb. cap.* 1. *num.* 17. *lib. de Cultu fœmin. c.* 10, *num.* 56, *et l. de Velandis Virgin. c.* 7, *num.* 32. *Item tom.* III. *lib.* V. *adv. Marc. cap.* 18, *num.* 291. (*Juxta edit. Pamelii, Antverp.*, 1579; *Paris.*, 1583.)

Hujus Paradoxi Tertullianus primus auctor non est, neque postremus; sed, sicuti partim adnotavimus ad lib. de Habitu virg., ubi maxime ex proposito illud tractat, ante eum Joseph. Antiquit. lib. I, S. Justinus Mart. Apolog. utraque, Athenag. in Apol., Clemens Alexand. lib. III et V. Stromat post eum Lactant. lib. II. Instit. divin. cap. 15., S. Cyprian. lib. de Disc. et Hab. virg. num. 54., Euseb. lib. V. Evang. Præpar., et Method. serm. de Resurrect. Causam erroris dedit, quod LXX editio Græca vetus, quam illi secuti sunt, post Philonem legeret: οἱ ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ, et Latina Italica, vel SS. Ambros. August. Procopio testibus, *Angeli Dei*, pro eo quod postea lectum invenitur οἱ υἱοὶ τοῦ Θεοῦ, et Latine, *filii Dei*, quam utramque agnoverunt suo tempore S. August. et Procopius. Verum pulchre eam sententiam per absurditatem refutat S. Chrysost. hom. 22. in Genesin, asserens nusquam alibi in Scripturis (nempe juxta editionem LXX quam solam noverat) vocari angelos filios Dei, item S. Ambros. lib. de Noe et Arca, cap. 4., S. August. qu. 3. in Gen. et latius lib. XV. de Civit. Dei, cap. 15.; S. Epiphan. Epit. divin. dogmat. et Procopius in Comment. quorum Chrysost. et August. etiam auctoritatem libri Enoch, quo niti videtur Tertullianus, impugnant. Qui omnes et angelos et filios Dei, posteros Seth, utpote Dei cultores, interpretantur, sicuti etiam B. Hieron. lib. de Tradit. Hebr. in Genesin; denique ven. Beda, Rhabanus noster et Haymo Com. in Gen. scribentes et in Scripturis sacris frequenter angelorum nomine viros fideles et justos appellari. Quid, quod Philastrius lib. de Hæres. cap. 108. inter hæreseis recenset eos qui asserunt angelos miscuisse se cum fœminis ante diluvium, et inde natos esse gigantes?

2. De angelorum apparitionibus in vera humana carne. *Tom.* III, *lib.* III *adv. Marc. cap.* 9. *num.* 61. *ac cap.* 11, *num.* 72.

Videntur quidem tale quid sonare verba illa Tertulliani: *Dehinc scito, nec illud concedi tibi, quod putativa fuerit angelis caro, sed veræ et solidæ substantiæ humanæ.* Sed in aliis libris eodem conscriptis tempore ita seipsum explicat sicuti adnotavimus ad lib. de Carne Christi, cap. 6, num. 60. ut nihil certi ea de re voluerit asserere, alioqui enim sibi videbitur contrarius. *Constat*, inquit ibi, *angelos carnem propriam non gestasse, utpote naturæ substantiæ spiritalis, et si corporis alicujus, sui tamen generis, in carnem autem humanam transfigurabilis ad tempus, ut videri et congredi cum hominibus possint.* Et apertius lib. de Resurrect. carn., c. 62: *Quia et angeli*, inquit, *aliquando tanquam homines fuerunt, edendo, bibendo et pedes lavacro porrigendo; humanam enim superficiem induerant, salva intus substantia propria.* Hoc sufficere ubique visum est Auctori, quod dogmati Apellis non consentiret, qui ex aerea substantia angelos creatos dicebat, ut ne videretur illi et in hoc consentire, quod Christi corpus ex ætherea materia originem haberet suam. Atqui qualia corpora, et unde assumpta ab angelis fuerint, etiam hodie controversum est apud Magistrum Sententiarum, lib. II. dist. 8. § 4: nos loco jam citato cum S. Bernardo de hoc sententiam nostram suspendere maluimus quam certi quid definire. An autem senserit Auctor, quod illi quidam impingunt, *corporeos esse angelos et dæmonas*, non immerito dubitare licet. Maxime quum auctor, etsi videatur hic *sui generis corpus* angelis tribuere, tamen faciat eos *substantiæ spiritalis*, sicuti etiam non semel in Apologetico, et nominatim c. 22. spiritales vires et angelis et dæmonibus attribuit, et spiritus vocat. Magis tamen recepta est, mihique placet eorum sententia, qui incorporeos faciunt, inter quos veniunt commemorandi SS. Dionys. Areop. c. 2. Cœlest. Hierarch., Athanas. de Commun. Essent. Patris et Filii et Spiritus sancti Chrysost. homil. 22. in Gen. Cyrill. libro 4, in Joann. capite.

3. De anima primi hominis ex materia Dei. *tom.* III. *lib.* IV. *advers. Marc. c.* 38. *num.* 611.

Huc quidem pertinere videntur illa auctoris verba explicantis illud Luc. XX. *Reddite quæ sunt Dei Deo: Hominem igitur reddi jubet Creatori, in cujus imagine et similitudine et nomine et materia expressus est.* Qui locus fortassis in causa fuit uti sic scribat de illo

Digitized by Google

Gennad. lib. de Dogmat. Eccles.: Nihil ex Trinitatis essentia ad creaturarum naturam credamus deductum, ut Plato et *Tertullianus*. Verum quum S. August. qui toties deducit animam non posse partem Dei dici, nihil tale illi attribuat, ego etiam a tam absurda hæresi ipsum purgandum existimo. Atque adeo nihil illum aliud voluisse dicere quam quod *ex afflatu Dei* sit animæ origo, juxta illud Gen. II : *Et flavit Deus flatum vitæ in faciem hominis, et factus est homo in animam vivam*, sicuti frequentissime ipse inculcat, maxime vero lib. de Anima c. 11. Quo loco, sicuti etiam lib. de Bapt., c. 5. nu. 43, eam interpretationem consentire ostendimus cum SS. Iren., Prudentio, Chrysost., August. et Theodoreto. Quorum iste : Nomine flatus, inquit, non intelligimus partem aliquam essentiæ divinæ secundum Cerdonis et Marcionis rabiem, sed animæ naturam per id denotari, quod anima spiritus sit rationalis et intellectualis. Quæ verba mihi etiam aliam conjecturam faciunt, loqui Auctorem non ex sua, sed ex Marcionis sententia, præsertim quum ex Fragmentis lib. de Censu Animæ adv. Hermog., constet, sensisse illum animam longe Deo inferiorem, utpote passibilem, etsi immortalem. Et vero etiam repetendum, quod utrobique adnotavimus recte censuisse S. Aug. libro de hæres., quod Philastrius multas hæreses recensuerit quæ Hæreses non sunt, qualis est non hæresis, sed Catholica Patrum sententia, *Flatum*, seu spiraculum vitæ de anima rationali interpretatur.

4. De Animabus posterorum Adæ ex traduce, *Tom.* III. *lib. de Anima cap.* 9. *num.* 123. *cap.* 19. *num.* 256. *cap.* 22. *num.* 294. *et integris capitibus.* 27 *et* 36.

Paradoxon istud Tertulliano adscribunt Rufinus Apolog. pro Origene, et S. Hieron. libro. II. et III. Apolog. adv. eumdem, quorum ille nihil definiendum putat, hic satis dubie loquitur, quanquam magis sentire videatur esse damnatam sententiam. Nam tum maxime Apolog. ad Pamach., adversus Errores Joann. Hieros. disertis verbis dicit, Ecclesiasticam esse sententiam Deum novas quotidie animas corporibus jam conceptis infundere, allegans ad id Scripturas Joan. V, Zach., XII, Psal. XXXII, quanquam interim epist. 99. quæ est ad Marcellinum et Anapsychiam, mitius loquatur, et illud quidem sibi videri scribat, sed ad S. Augustinum remittat utpote nihil volens certi definire, quod illum legisset dubiam adhuc suspendere sententiam : alludens ad Epist. illius ad se scriptas, et 157. ad Optatum de origine animarum, in qua Tertullianum non tam damnat quod ex traduce, quam quod corporeas animas faceret, de quo Paradoxo paulo post latius. Nam et illi, inquit, qui animas ex illa una propagari asserunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita eas ex parentibus trahi dicunt, si Tertulliani opinionem sequantur, profecto eas non spiritus, sed corpora esse contendunt, et corpulentis seminibus exoriri. Quo perversius quid dici potest? Neque hoc Tertullianum somniasse mirandum est, qui etiam ipsum creatorem Deum, non esse nisi corpus opinatur. Sed de illo quoque Paradoxo infra ex eodem Augustino latius. Gennadius autem lib. Eccles. Dogmat. [quem vel hinc patet S. August. non esse], enarrata Origenis sententia, et jam dicta, ut dicit, Luciferianorum Cyrilli, et aliquorum Latinorum (inter quos haud dubie Tertullianus), definit, formato jam corpore animam a Deo creari et infundi. Nec aliter auctor Dialogi de Animarum origine inter SS. Hieron. et August. Nos tamen nihil tanquam fidei docere maluimus, quandoquidem et Ecclesia tot jam inde celebratis Conciliis nihil expresse, quod quidem sciam, definitum reliquerit. Sufficiet autem quædam in Annotationibus adjecisse, quibus tum S. Hieron. sententiam nihil magis probari significavimus, tum ad argumenta Tertulliani absurda, qui sentit ex corpulentis seminibus animam exoriri, ex S. August. et Lactantio paucis respondimus.

5. De animæ sexu. *Ibid. cap.* 36.

Hoc quidem colligit Tertull. ex prædicto paradoxo. Si enim anima simul seminatur cum corpore, videtur illud consequi ; sed disertis verbis contrariam definiunt sententiam S. Cyrill. Hieros. Cathec. 4. et S. August. lib. I. de Anim. et ejus origine ad Vincentium cap. 8. Hujus verba quædam adduximus in annotat. nostris, quo Lectorem remittimus. Ille sic habet : Omnes Animæ tam virorum quam mulierum pulchræ et similes sunt, sed membra tantum corporis discrimen faciunt.

6. Animam peccatricem potius quam carnem. *Tom.* III. *lib. de Anima* I, *integro cap.* 40. *et c.* 58. *num.* 650. *et lib.* V. *adv. Marc. c.* 10. *num.* 165.

Ad istud Paradoxum in hæc verba alludit, et eadem opera confutat Petrus Lombardus, verbis etiam a nobis illic citatis lib. II. Sentent. cap. 31. Putaverunt, inquit, quidam secundum Animam trahi originale peccatum, non solum secundum carnem, quia non solum carnem, sed et animam ex traduce arbitrati sunt. Ideoque sicut de corrupta carne caro seminatur, ita etiam de Anima peccatrice Animam peccatricem corruptione originali infectam a gignentibus trahi. Hoc autem, inquit, fides Catholica respuit, et tanquam veritati adversum damnat, quæ non Animas, sed carnem solam ex traduce esse admittit. Allegavimus ibidem num. 455. pro contraria sententia SS. Ambros. et August. locos ab eodem Lombardo citatos.

7. De Anima corporea. *Tom.* I. *Apolog. c.* 48. *num.* 608. *ac* 609. *et Tom.* III. *lib. de Anima, integris capitibus* 5. 6. 7. 8. 9. 22. 36. 37. *libro de Carne Christi, cap.* 11. *num.* 98. *lib. de Resurr. carnis c.* 17. *num.* 131. *cap.* 45. *num.* 320. *et c.* 55. *nu.* 381. *lib.* 5. *adv. Marc. c.* 10. *num.* 158. *et c.* 15. *num.* 248. Quod proinde proprie spiritus non sit, *ibid. lib. de Anim. cap.* 11. *et Tom.* 4. *in Fragmentis lib. de Censu animæ adversus Hermogenem.*

Paradoxon istud Auctori impingunt SS. August.

Digitized by Google

libro X. de Gen. ad litt., duobus ultimis capitibus, et libro de Hæres., et Fulgent. libro II. de fide ad Petrum. Sed non tam quod *corpoream* faciat (quod aliquo sensu commode in Hilario, Cassiano, et Hieronymo adscripto Commentario in Job, quidam interpretantur) atque quod *effigiatam* et *coloratam* dicat, ille arguit. Sic enim loco priori : Denique *Tertullianus*, inquit, quia corpus esse animam credidit, non ob aliud fecit, nisi quod eam incorpoream cogitare non potuit, et ideo timuit ne nihil esset, si corpus non esset. Qui sane, quanquam acutus est, interdum contra opinionem suam visa veritate superatur. Quum enim animæ *colorem* daret *aereum ac lucidum*, ventum est ad sensus quibus eam membratim quasi corpus instituere conatus est, et ait : *Hic erit homo interior, alius exterior, dupliciter unus, habens et ille oculos et aures suas, quibus populus Deum videre et audire debuerat, habens et cæteros artus, per quos in cogitationibus utitur, et in somnis fungitur.* Ecce quibus auribus et quibus oculis debuit audire et videre Deum populus, quibus anima in somnis fungitur, quum si ipsum *Tertullianum* quisquam videret in somnis, nunquam se diceret ab eo visum, et cum eo locutum, quem vicissim ipse non vidisset. Postremo si anima seipsam videt in somnis, quum jacentibus utique uno in loco membris corporis sui, ipsa per varias imagines evagatur, quas videt, quis eam vidit aliquando in somnis *aerei coloris ac lucidi*, nisi forte ut cætera, quæ similiter falso videt? Nam et hoc potest videre, sed absit, ut eam talem, quum evigilaverit, credat; alioquin quando se aliter viderit, quod magis crebrum est, aut mutata erit anima ejus, aut nec tunc animæ videtur substantia, sed imago corporis incorporea, quæ miro modo sicut in cogitatione formatur. Quis enim Æthiops non pene semper se nigrum videt in somnis; aut si in alio colore se vidit, non magis miratus est, si fuit cum illo memoria; *aereo* tamen *colore* ac *lucido* nescio utrum se unquam vidisset, si nunquam istum legisset vel audisset. Quid quod ducuntur homines talibus visis, et de Scripturis nobis volunt præscribere tale aliquid esse non animam, sed ipsum Deum, qualis figuraliter Sanctorum spiritibus demonstratus est, qualis etiam in sermone allegorico ponitur. Similia quippe sunt illa visa talibus dictis, sic errant, constituentes in corde suo simulacra vanæ opinionis, nec intelligentes ita Sanctos de suis visis talibus judicasse, qualiter judicant, si talia divinitus in figuris dicta legerent vel audirent, sicut septem spicæ, et septem boves, septem anni sunt, sicut linteum quatuor lineis alligatum, velut discus plenus variis animalibus, orbis terrarum est cum omnibus gentibus; sic etiam cætera, et multo magis quæ de rebus incorporeis, corporalibus significantur, non rebus, sed imaginibus. Et item sequenti capite : Noluit tamen *Tertullianus* animam crescere substantia sicut corpus; asserens etiam timoris sui caussam, *ne etiam decrescere substantia dicatur*, inquit, *atque ita et defectura credatur;* et tamen quia per corpus eam localiter tendit, non invenit exitum incremen- A torum ejus, quam vult de semine exiguo æquari corporis quantitati, et ait : *Sed vis ejus, in qua naturalia peculia consita retinentur, salvo substantiæ modulo, quo a primordio inflata est, paulatim cum carne producitur in membris.* Hoc forte non intelligeremus, nisi adhibita similitudine eorum quæ videmus, planum faceret quod dicebat. *Constitue*, inquit, *certum pondus auri, vel argenti rudem adhuc massam, collectus habitus est illi, et futuro interim minor, tamen continens intra lineam moduli totum, quod natura est auri vel argenti; dehinc quum in laminam massa laxatur, major efficitur initio suo, per dilatationem ponderis certi, non per adjectionem, dum extenditur, non dum augetur. Etsi sic quoque augetur, dum extenditur; licet enim habitu augeri, cum statu non licet. Tunc et* B *splendor ipse provehitur auri vel argenti, qui prius fuerat quidem et in massa, sed obscurior, non tamen nullus. Tunc et alii atque habitus accedunt pro facilitate materiæ, qua duxerit eam qui agit, nihil conferens modulo nisi effigiem. Ita et animæ crementa reputanda, non substantiva, sed provocativa.* Quis hunc crederet cum isto corde tam disertum esse potuisse? sed tremenda ista sunt, non ridenda; ad hoc enim nunquam cogeretur, si aliquid cogitare posset quod et sit, et corpus non sit. Quid autem absurdius quam putare massam cujuspiam metalli ex aliqua parte crescere posse dum tunditur, nisi decrescat ex altera, vel augeri latitudine, nisi crassitudine minuatur? Aut ullum esse corpus manente naturæ suæ quantitate, quod undique crescat nisi rarescat? Quomodo C igitur implebit anima ex illa stilla seminis magnitudinem corporis quod animat, si et ipsa corpus est, cujus substantia nullo accessu crescat? quomodo, inquam, implebit carnem quam vivificat, nisi tanto rarior fuerit, quanto gravius quod animaverit? Timuit videlicet, ne deficeret etiam minuendo si cresceret, et non timuit ut deficeret rarescendo, quum non cresceret. Sed quid amplius immorer, quando et sermo pergit in prolixiorem modum, quam patitur terminandi necessitas, et sententia mea jam satis sit nota vel quid certum teneam, vel unde adhuc dubitem, et quare dubitem. Loco item posteriori : *Animam* dicit *immortalem* quidem, sed eam *effigiatum corpus* esse contendit. Hactenus S. Augustinus. Nos etiam An- D notationibus nostris in cap. 6. et ex S. Gregorio et Nysseno et Nazianzeno, ac Claudiano, de Statu animæ, argumenta Platonicorum de anima incorporea confirmavimus; et in cap. 7. ac partim 8. argumenta ipsius Auctoris, vel ex Scripturis quædam, non concludere, ex SS. Justino Mart. Gregorio Nysseno, August. Epiphanio, et dicto Claudiano ostendimus, et c. 9. n. 109. et 110. citavimus contra animæ effigiem, et Platonem, et Clementem Alexandrinum. Deinde c. 11. allegavimus locum Auctoris lib. de Pœnitent. c. 3. n. 12. ubi contrarium antea senserat, *animam* vocans *spiritum*, *Dei afflatu consummatum.* Neque vero ex Scripturis Isaiæ XLII. et LVII. quas ibi pro se citat, concludi potest animam, spiritum in aliis Scripturis non vocari. Cæterum quo sensu corpus pos-

Digitized by Google

sit dici anima, sese explicat libro adversus Hermogenem, cap. 35. num. 124. in hæc verba : *Ut concedam*, inquit, *aliquid esse incorporale de substantiis duntaxat, quum ipsa substantia corpus sit rei cujusque.* Videtur itaque ad id absurditatis de *anima aerei et lucidi coloris* fuisse seductus, per falsas quasdam *revelationes* cujusdam montanisticæ feminæ, non quidem Priscillæ aut Maximillæ [uti aliquando existimavimus], quæ jamdudum antea suspendio perierant, sed cujusdam earum discipulæ, sicuti patet ex dicto libro de Anima, cap. 9. num. 111. Idipsum Paradoxon attribuit alicubi Origeni S. Hieron. atque adeo etiam ad illius opera hoc Antidotum usui esse poterit.

8. Animam nihil pati posse sine corpore. *Tom.* I. *Apolog. c.* 48. *num.* 609. *libro de Testim. anim. cap.* 4. *num.* 14.

Magdeburgenses Centuriatores non inter Paradoxa, sed inter dogmata fidei illud collocant, et ex *Tertulliani* jam dicto loco confirmant, sed frustra. Ipse enim Auctor, quasi retractans quod initio fidei non satis caute pronuntiaverat, postea de fide Catholica melius institutus, libro de Anima, integro cap. ult., late et pulchre deducit : *Animas pati interim apud inferos*, id est, usque ad judicium extremum, ubi inter cætera : *Quid ergo fiet in tempore isto? Dormiemus? At enim animæ nec in viventibus dormiunt. Jam vero quam iniquissimum etiam apud inferos, si et nocentibus adhuc illis bene est? Nonne et de suo sufficit sibi ad titulum passionis? quotiens illæso corpore anima sola torquetur bile, ira, tædio plerumque nec sibi noto? Adeo novit et apud inferos anima dolere sine carne, quia et in carne illæsa, si volet, dolet. Hoc si ex arbitrio suo in vita, quanto magis ex judicio Dei post mortem? Nam et solos cogitatus et nudas voluntates censura divina persequitur. Ergo propter hoc congruentissimum est, animam, licet non expectata carne, puniri, quod non sociata carne commisit. In summa, quum carcerem illum, quod Evangelium demonstrat* (Matth. V) *inferos intelligimus, et novissimum quadrantem, modicum quodque delictum illic luendum interpretamur; nemo dubitabit, animam aliquid pensare apud inferos.* Id ipsum etiam inculcat libro de Resurrectione carnis, cap. 17, num. 133 ac 134. Ad quod caput etiam adduximus similia testimonia Auctoris quæst. et respons. inter opera S. Justini Mart., Lactantii et S. Augustini, et indicavimus eam esse conformem Patrum sententiam.

9. Animam Sanctorum in sinu Abrahæ, seu Paradiso, sive sub altari, seu loco non cœlesti, sed tamen inferis superiori, foveri et gaudere, ad diem usque judicii Domini. *Tom.* I. *Apolog. cap.* 47. *num*, 601. *Tom.* III. *libro de Anim. capite* 7. *num.* 94. 95. 96. 97. *cap.* 9. *n.* 124. *capite* 55. *n.* 66. 58. 610. 611. *cap.* 56. *n.* 622. *ac cap. ult. n.* 644. *lib. de Resurrectione car. cap.* 17. *num.* 132. 134. *libro* III. *advers. Marc. capite* 34. *num.* 548. 549. 550. 551. *et Scorp. adv. Gnost. capite* 12. *num.* 95. *Tom.* 4. *libro de Judic. Domini cap.* 11. *num.* 15. *et in Fragment. libro de Parad. Denique tom.* V. *Novatiani lib. de Trinit. cap.* 1. *num.* 10.

Huic Paradoxo non solum apud Tertull. et Novatianum, sed etiam apud alios veteres occasionem dederunt, tum Lazari sive historia sive parabola, (*Luc.*, XVI) quem vidit dives in sinu Abrahæ, tum visio S Joan. Apostoli Apocal. VI. qua vidit animas Martyrum sub altari indutas stolis albis, quibus dictum est ut requiescerent, donec impleretur numerus conservorum suorum, tum denique illud Christi ad latronem (*Luc.*, XXIV), Hodie mecum eris in paradiso. Hinc enim, quum viderent distinguendum esse statum animarum sine corpore usque ad futurum judicium, a statu perfectiori animarum cum corporibus post resurrectionem universalem, dictis *sinus Abrahæ, quietis placidæ sub altari, et paradisi* appellationibus nuncuparunt : quemadmodum statum illum secundum, contrario, *cœlestem sinum, altare superius, et cœlestem portum.* Non vero, quod sentirent animas sanctorum tantisper carere divini intuitus gloria, sicuti hodie Anabaptistæ et Cornelius Agrippa eorum assecla, ut pote qui legissent apud Apostolum (*Philipp.* I) : Desiderium habeo dissolvi, et esse cum Christo. Item illud (II. *Cor.* V) : Bonam voluntatem habemus peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum. Et illud de ipsa Dei visione : Nunc videmus per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Certe ipse auctor suam sententiam indicare videtur in hæc verba dict. lib. de Anima, cap. 56. num. 622 : *Usquequo perfectum illud repromittitur ad angelicæ plenitudinis mensuram temperatum.* Si quis interim apud eum sit locus, aut alios Patres, qui hanc commodam interpretationem non recipiat, meminerit Lector, hunc errorem non officere eruditioni et pietati tam illustrium Scriptorum, quum Ecclesia illorum temporibus nihil adhuc certi de hoc articulo credendum statuisset. Sed circa Synodum Œcumenicam Florentinam, quæ post primam damnationem factam Epist. Decretalibus Innocentii III. et Benedicti XII. id definivit, aliter sentire non licet. Illius adversus errores Armenorum hæc sunt verba : Definimus illorum animas qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatæ, in cœlum mox recipi, et intueri clare ipsum Dominum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius : illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, pœnis tamen disparibus, puniendas. Quid? quod dicta Scripturarum loca pro alia non faciant sententia, si diligentius inspiciantur. Primum enim etsi Lazarum et alios Patres Veteris Testamenti in sinu Abrahæ, et latronem ibidem, sive in paradiso aliquandiu fuisse, satis in confesso sit : tamen inde per Christum in cœlum sunt deducti, juxta illud Psalm. LXVII. et Ephes. IV : As-

Digitized by Google

cendens Christus in altum captivam duxit captivitatem : id est, vel ipso Apostolo interprete : super omnes cœlos. Deinde loco illo citato (*Apoc.* VI.) S. Augustinus stolas interpretatur albas, Serm. 4. de Solem. Sanct., mercedem baptismi, præmium Martyrii, et gaudium cœlestis patriæ : allegans ad hoc verba sequentia (*Apoc.* 7.) : Stabunt ante thronum in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum ; unde concludit : Stant in conspectu Agni ante thronum Dei coronati, nulla illic ratione a contemplanda ejus gloria separandi. Nos itaque locos similes et Cypriani et ejusdem S. Augustini, ac SS. Ambrosii et Chrysost. (apud quos etiam loca quædam obscura reperiuntur) citavimus in Annotat. nostris ad Epist. S. Cypriani 16. num. 19. Annotavit etiam aliquot pro nobis loca Feu-ardentius in S. Irenæo, contra quam alii sentiunt, lib. I. cap. 2. num 3. et alibi. Si quis plura desideret, videat Sixt. Senens. Bibl. Sanctæ libro 6. Annot. 264. et 345. Hinc interim addemus, quod Auctor, ubi lib. de Anim. cap. 55. *Solis Martyribus patere paradisum* dicit, quum alibi *omnium Sanctorum commune receptaculum* vocet : sic explicet B. Cyprianus ejus discipulus, Epist. 32. ad Antonin. : Aliud est ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire, aliud missum in carcerem non exire inde donec solvat novissimum quadrantem, aliud statim fidei et virtutis accipere mercedem ; aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari et purgari diu igne, aliud peccata passione purgasse ; aliud denique pendere in die judicii ad sententiam Domini, aliud statim a Domino coronari. Quod ipsum facere ad confirmandam traditionem Ecclesiæ de Purgatorio, ibidem annotavimus numer. 59. et ad Tertulliani lib. de Anima capit. 55. num. 611. Cæterum Auctori, qui *omnes animas* etiam *fidelium priorum sequestrari* vul usque ad diem judicii, prorsus contraria est illa B. August. affirmatio, lib. 20. de Civit. Dei : Jam inde quo sanguis Christi antiquos sanctos ex inferis eruit, deinceps boni fideles, effuso illo pretio redempti prorsus inferos nesciunt.

A

B

C

10. Animarum Mortuorum omnem exhibitionem incorporalem præstigias esse. *Tom.* III. *libro de Anim. capite* 57. *num.* 643.

Prima quidem facie videtur istud Paradoxon, sed agit Tertullian. ex instituto contra *Simonis Magi* discipulos *hæreticos, qui etiam Prophetarum animas ab inferis movere se spondebant*, quod non nisi *mendacio in anima Samuelis Pythonico spiritui licuisse*, (I. *Reg.* XVIII.) ipse sentit : sed *transfiguratum Satanam angelum lucis :* de quo etiam alios Patres quosdam dubitasse ibidem adnotavimus num. 638. Deinde seipsum explicat adjiciens : *nulli animæ inferos patere*, idque adprobans ex dictis Abrahæ ad divitem (*Luc.* XVI.). Quum interim fateatur *quasdam animas in corpora Dei virtute posse revocari*, quidni et ex peculiari Dei privilegio extra corpus etiam exhiberi ? maxime quum (de quo etiam ibi, num. 643.) exemplum habeamus in Libris Machabæorum de apparitione Oniæ sacerdotis et Hieremiæ Prophetæ. Ut ut sit, S. Augustinus pulchre hac de re sic scripsit libro de Cura pro mort., c. 10. 11. 15, ac 16 : Narrantur visa quædam, feruntur mortui nonnulli vel in somnis, vel alio quocumque modo apparuisse viventibus, atque ubi eorum corpora jacerent inhumata nescientibus, locis demonstratis admonuisse, ut sibi sepultura quæ defuerat, præberetur. Hæc si falsa esse responderimus contra quorumdam scripta fidelium (utpote, exempli gratia, S. Ambrosii Serm. de Inventione corporum SS. Gervasii et Protasii, et S. Luciani de Inventione corporis Sancti Stephani Protomartyris, et aliorum) et contra eorum sensus qui talia sibi accidisse confirmant, impudenter venire videbimur. Angelicis igitur operationibus fieri, inquit, crediderim, sive permittatur desuper, sive jubeatur. Id autem aliquando utiliter fit, sive ad vivorum qualecumque solatium, sive ut his admonitionibus generi humano sepulturæ commendetur humanitas. Deinde post multis in utramque partem productis argumentis, sic concludit : Mitti quoque ad vivos aliquos ex mortuis, sicut e contrario Paulus ex vivis in paradisum raptus est, divina Scriptura testatur. Nam Samuel Propheta defunctus vivo Sauli Regi futura prædixit (quamvis nonnulli, inter quos, uti jam dixi, Auctor noster, non ipsum fuisse, qui potuisset magicis artibus evocari, sed aliquem spiritum tam malis operibus congruentem illius existiment similitudinem figurasse), quum liber Ecclesiasticus, quem Jesus filius Sirach scripsisse traditur, et propter eloquii nonnullam similitudinem Salomonis (etiam ab ipso Tertulliano alicubi) pronuntiatur, contineat in laude Patrum (c. XLVI.) quod Samuel etiam mortuus prophetaverit. Sed si huic lib. ex Hebræorum, quia in eo non est, Canone contradicitur, quid de Mose dicturi sumus, qui certe et in Deuteronomio mortuus, et in Evangelio cum Helia, qui mortuus non est (*Matth.* XVII.), legitur apparuisse viventibus ? Hinc et illa solvitur quæstio quonam modo Martyres, ipsis beneficiis quæ dantur orantibus indicant se interesse rebus humanis, si nesciunt mortui quid agant vivi. Non enim solis beneficiorum effectibus, verum etiam ipsis hominum aspectibus, Confessorem apparuisse Felicem (quod ipsum etiam S. Paulinus adtestatur Carmine in Felicem), quum a Barbaris Nola oppugnaretur, audivimus, non incertis rumoribus, sed testibus certis. Verum ista divinitus exhibentur, longe aliter quam sese habet usitatus ordo, singulis creaturarum generibus attributus. Quanquam ista quæstio, inquit, vires intelligentiæ meæ vincat, quemadmodum opitulentur Martyres his quos per eos certum est adjuvari. Res hæc altior est quam ut a me possit attingi, et abstrusior quam ut a me valeat perscrutari ; et ideo quid horum duorum sit, an vero fortassis utrumque, ut aliquando ista fiant per ipsam præsentiam Martyrum, aliquando per angelos suscipientes personam Martyrum, definire non audeo : mallem a scientibus ista perquirere, quæ ipsa in compendium contraxit auctor libri de Spiritu et Anima, cap. 26, exstantis inter opera B. Augustini.

D

Digitized by Google

11. Animos hominum pessimos post mortem in Dæmonas verti. *S. August., libro de hæres., ad Quodvultdeum.*

Istud paradoxum non tam Tertulliano tribuendum quam Tertullianistis, supra adnotavimus ad finem Vitæ Auctoris, quod illis id nominatim attribuant B. Isidorus, Honorius, Rhabanus et Gratianus, in Hæreticorum Catalogis. Quo fit, ut etiam apud B. Augustin. censeamus legi debere *dicunt* et paulo post *credunt*, pro *dicit* et *credit* : maxime cum nihil tale reperire sit in scriptis Tertulliani, neque illi uspiam, sed Origeni adscribat Beati Hieronymi Epist. 59. ad Avitum, et lib. II. adv. Ruffin. Ea vero tam absurda est, ut non alia confutatione opus habeat, quam quod hæresis nomine damnata sit, tum a scriptoribus jam dictis, tum a Sexta Synodo, etsi paulo obscurius, in Origene et ejus complicibus, Act. 11, Epist. Sophron. Patriarchæ Hierosolym. Orta quippe ex Platonis schola, qui vel Auctore teste, lib. de Anima, capit. 23. 24. et 28. aiebat animas hinc in cœlos abire unde venerant, et rursus huc redire. Cui nimirum quid tribuebant Origenes et hæretici reliqui, ut verissimum sit quod non semel Auctor repetit, *Patriarchas hæreticorum esse Philosophos.* Imo quod eadem ratione sequeretur bonos homines in angelos converti, expresse negat ipse. Sic enim lib. adv. Valent. cap. 32. num. 362 : *Et tamen illuc habeo devertere, ubi post excessum omnino non nubitur, ubi superindui potius quam despoliari, ubi etsi despolior sexui meo, deputor angelis, non angelus aut angela.* Denique l. de Anima cap. 56. num. 622. non angelorum substantiam hominibus pollicetur, sed *perfectum illud ad angelicæ plenitudinis mensuram temperatum.* Deinde lib. de Resur. carn. c. 62. num. 428 : *Denique*, inquit, *non dixit, Erunt angeli, ne homines negaret, sed, Tanquam angeli, ut homines denegaret. Non abstulit substantiam cui similitudinem attribuit.* Quare satis mirari nequeo (sicuti etiam adnotavi ad lib. III. adv. Marc. cap. 9. num. 68.) Guidonem Carmelitam lib. de Hæres. cap. 36. Tertulliano utramque hanc hæresim adscribere, quas rectius Philastrius lib. de Hæres., cap. 36. inter innominatas sine auctore certo collocat.

12. De baptizandis hæreticis, eo quod apud illos omnia veritati extranea et contraria. *Tom. III. lib. de Præscript. adv. hæret. c. 12. nu. 78. ac. 80. et lib. de Baptis. c. 15. n. 106. Tom. 4. inter fragmenta lib. de Baptis. Græci, Tom. 5. lib. de Pudic. cap. 19. num. 162.*

De hoc Agrippini Carthaginiensis, aliorumque Coepiscoporum, et Tertulliani, ac postmodum S. Cypriani, aliorumque Africæ et Cappadociæ Episcoporum Paradoxo, ne hic sim prolixior, videat Lector Adnotat. nostras in Epist. S. Cypriani LXX. ad Januarium, LXXI. ad Quintum, LXXII, ad Stephanum, LXXIII. ad Jubaianum, LXXIV. ad Pompeium, et LXXVI. ad Magnum; item Concilium Carthaginiense sub ipso celebratum; et Vitam ejusdem ad annos Domini 252. ac 256; item Firmiliani ad Cypr. Epistolam inter ejus Opera LXXV ; denique adnotat. nostras in Tertull. ad fragmenta lib. de Baptis. et in Vita ejusdem etiam nostra ad annum Domini 201. Quibus adjicio non mirum cuipiam debere videri, si Agrippinus cum suis Coepiscopis tale decretum de baptizandis iis, qui ex hæresi ad Catholicam revertebantur, ediderit, et Tertull. scripto Græce jam dicto libro adprobaverit. Nam plerique usque ad id temporis hæretici, aut non eumdem Christum confitebantur, atque adeo in Regula fidei ab Apostolis tradita (quam posteriores Patres ad hunc usque diem Symbolum fidei vocant) non conveniebant, quum tamen solemne semper fuerit, *obsignare* (uti loquitur Auctor) *fidem in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto, adjecta necessario Ecclesiæ mentione*, sicuti latius videre est, Adnot. nostris ad lib. de Baptis. num. 2. inter. Baptismi cæremonias, et cap. 6. n. 45. 46. ac 47. Certe eodem modo interpretatur Carolus Bovius Apost. canonem 47. et 5. Clement. Romani Constit. Apost. lib. 6. cap. 15. Hinc et Synodus Nicæna 1. Can. 19. et ejusdem ætatis Synod. Laodicena C. 8. et Concil. Arelat. 2. Can. 17. Paulianistas et Cataphrygas baptizari debere definit, quibus addit Synod. II. Constantinopolitana Can. 7. Eunomianos, Sabellianos et Galatas hæreticos; Synodus denique VI. in Trullo celebrata, Manichæos, Valentinianos, Marcionistas et similes. Atqui tempore Tertulliani potissimum florebant *Hermogeniani* (quos eadem cum Praxeanistis sensisse tradit S. August. lib. de Hæres. cap. 41. 44. et 45.), *Praxeani, Cataphryges, Valentiniani, Marcionitæ*, et ejus asseclæ *Apelletiani*, denique et *Quintillianistæ*, contra quos ex professo latinum librum, ex quo fragmenta libri græci desumpta sunt, quæ de Baptis. Auctor conscripsit. De illis verum est illud Auctoris lib. de Præsc. adv. hæret.: *Apud illos omnia extranea et contraria nostræ veritati*, et illud lib. de Baptis.: *Non idem Deus est nobis et illis, nec idem Christus, ideo nec baptismus, quia non idem.* Quod satis constat de Hermogenianis, Praxeanis, Cataphrygibus, et Quintillianistis, qui aut unicam agnoscebant in Deitate personam, aut Patripassiani fuerunt. De Marcionitis, Valentinianis, et Apelletianis, vel ipse August. dubitat, lib. III. de Baptist., cap. 15. an verbis Evangelicis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti baptizaverint, eo quod et de Deo et de Christo male senserint. Quare et nobis (sicuti de Paulianis scribit B. August.) credere licet eos regulam baptismatis non tenuisse, et (juxta quod loquuntur 2. et 6. Synodis) in unam duntaxat mersionem baptizasse. Quanquam interim S. Augustinus, lib. 6. de Bapt. cap. 25, etiam illum pro vero baptismo agnoscat, cujus precibus quædam inseruntur contra catholicam fidem, dummodo verbis evangelicis consecretur. Atque adeo ad similia S. Cypriani verba, qualia auctoris, eo quod in genere ea allegavit contra hæreticos omnes, Antidotum afferre solet libris septem de Baptismo contra Donatistas, qui omnium hæreticorum baptisma impugnabant. Imprimis ad id quod dictum est : *baptismum unum esse, et hæreticorum baptismum veritatis non esse*, quod habet lib. de Pudic.

Digitized by Google

lib. II. c. 3. respondet et S. Aug., lib. 5. c. 21. et 29. lib. 6. cap. 8. 9. 12. 13. Ad illud : *Nemo inde strui potest unde destruitur : Nemo ab eo illuminatur, a quo contenebratur*, lib. 4. cap. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. sicuti etiam ad illa supradicta : *Non idem Deus est nobis et illis, nec idem Christus*, ibid. et lib. 5. cap. 26. Ad illud : *Apud hæreticos extranea aut adversaria veritati omnia*, lib. 6. cap. 40. Ad illud denique : *Baptismum, quum rite non habeant, nec possunt accipere, quia non habent*, lib. 7. cap. 29. 33. 35. et 47. Cæterum hoc unum hic repetendum, quod fateatur non semel Augustinus, neque Agrippinum, neque Cyprianum cum suis emissuros fuisse Decretum tam generale adversus hæreticorum baptismum, si aliquid aliquo Concilio plenario definitum fuisset, sicuti postea, exceptis solis Paulianistis, a Nicæno generali 1. uti jam dictum est.

13. De Christo Dei Spiritu. *Tom.* I. *Apolog. cap.* 21. *num.* 314. *Tom.* II. *lib. de Orat. cap.* 1. *num.* 2. *Tom.* III. *advers. Marc. lib.* I. *cap.* 19. *num.* 127. *lib.* III. *cap.* 6. *num.* 38. 39. *ac cap.* 16. *lib.* 4. *cap.* 21. *num.* 314. *et lib. advers. Prax. cap.* 26. *num.* 155.

De hac phrasi veterum, verba S. Hieron. adnotavimus in cap. IV. Epist. ad Gal. et Epist. ad Pammach. et Ocean. de erroribus Origenis, in librum S. Cypriani de Idol. vanitate, num. 71. Multi, inquit, per imperitiam Scripturarum (quod et Firmianus in octavo ad Demet. Epistolarum libro facit), asserunt Spiritum Sanctum sæpe Patrem, sæpe Filium nominari. Quod usque adeo verum est, ut præter Lactantium eamdem sit reperire apud Auctores Librorum de Montib. Sina et Sion, et adv. Jud. qui insecuti sunt Christum in operibus S. Cyp. nostris. Eodem haud dubie pertinet, quod toties *Christum Dei spiritum* appellet Tertull. idque eodem sensu quo Deus spiritus vocatur Joan. III. et I Joan. IV. Alioqui distinctas ab eo, sicuti ab aliis etiam Veteribus, tres in divinitate personas, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum constat ex eodem lib. adv. Prax. cap. 2. num. 24. cap. 4. num. 40. c. 8. n. 90. c. 9. n. 61. c. 13. n. 75. ac 78. et illo ipso c. 26. n. 158. c. 30. n. 183. denique c 30. n. 182. Quibus locis illud longe apertissimum, quum *Spiritum Sanctum* vocat, *tertium numen divinitatis, et tertium nomen majestatis.*

14. De Christo revelato per prædicationem anno Tiberii Cæsaris 12., passo anno ejusdem 15. *Tom.* I. *lib. adv. Jud. c.* 8. *n.* 82. *et tom.* III. *l.* 1. *adv. Marc. c.* 15. *n.* 102.

Quanquam varient in priori loco exemplaria Tertulliani, tamen eam ejus fuisse sententiam asserit Euseb., in Chronic., et ex posteriori loco patet ; imo et ex priori, eodem c., n. 92. ubi *Passionem Domini* collocat *Coss. Rubellio Gemino et Rufio seu Fusio Gemino*, quorum consulatus incidit in annum 15. Tiberii. In quo illum sunt imitati Jul. African., lib. de Tempor., apud S. Hier. Comm. in Danielem, Lact., l. IV. c. 10 ; Paul. Oros. l. VII. c. 10. Atqui quum id sit contra expressa Evangelii verba Luc. III. ubi anno 15. Imperii Tiberii Cæsaris baptizatus legitur, fateri oportet humanitus hic aliquid Auctori illisque contigisse. Quare rectius Clem. Alexandr., sub finem lib. I. Strom., Euseb. in Chron., Jornand. in Annal. Honor. Beda, Nicephor. in Chron. anno Tiberii 18. passum Christum scribunt, ætatis nempe suæ 33. jam incepto. De consulatu quo passio Christi contigit, non ita conveniunt omnes. S. Aug. lib. XVIII. de Civit. Dei, c. ult., et Severus Sulpitius Hist. sacræ lib. II. fortassis auctoritate ducti Tertulliani, non examinatis Fastis Consularibus, sub duobus Geminis collocant, sicuti etiam suprascripti loco priori Auctores. Recentiores aliquot, qui Dominum anno ætatis 34. passum scribunt, Consules assignant Galbam et Syllam, qui anno Tiberii 19. consulatum gesserunt. Verum Evangelio magis conformis est eorum sententia, et nominatim Cassiodori castigatioris, qui annum passionis assignant Consulibus Cn. Domitio L. F. L. Ahenobarbo et A. Vitellio P. F. Q., cum quibus consentiunt adeo omnes supranominati, qui anno Tiberii 18. passum Christum scribunt. Qui plura desiderat, videat Paulum Midelburgensem, Episcopum Forosempronianum libris 33. de anno et die Passionis Domini. Hoc unum adjiciam, quod habet S. Aug., l. II. de Doctrina Christ.: Ignorantia consulatus quo natus est Dominus, vel quo passus est, nonnullos coegit errare, ut putarent quadraginta sex annorum ætate passum Dominum, quia per tot annos ædificatum est templum, quod imaginem Dominici corporis habeat. Ubi fortassis tacite significat S. Irenæum, lib. II, cap. 39. et 40. qui nititur probare passum Christum anno fere quinquagesimo, et saltem post quadragesimum ætatis annum, ex illo Joan. VIII : Quinquaginta annos nondum habes. Et vero ignorantiam illam consulatus contigisse verisimile est variis Fastorum Consularium exemplaribus. Quorum quosdam citans, prorsus alios quam hodie exstant, Epiphan., hær. 51. Salvatorem passum scribit Vinnicio Cassioque Coss., quorum consulatus incidit duntaxat in 13. annum Tiberii juxta castigatiores Fastos. Facit pro eodem liber ille Consulatuum ms. in quo adnotavit Cuspinian. in Cassiod. Consules collocari duos Geminos anno 18. Tiberii.

15. De Deo corporeo, quod nihil incorporale sit. *Tom.* II. *lib. de Pœnit., c.* 3. *n.* 12. *Tom.* III. *lib. adv. Hermog. cap.* 35. *num.* 124. *lib. de Carne Christi. cap.* 2. *num.* 97 *ac* 98. *lib.* II. *adv. Marc. cap.* 16. *num.* 100. *et apertissime lib. adv. Praxean cap.* 7. *num.* 54.

Hunc errorem Tertulliano adscripserunt jam olim S. August. locis mox citandis, S. Fulgent. lib. II, de fid. ad Petr. et Gennad. l. de Dogmat. Eccl. Verum S. August. eum excusat his verbis lib. X. de Gen. ad litt. cap. ult.: Timens ne nihil esset, si corpus non esset, nec de Deo valuit aliter sapere. Qui sane quanquam (sic enim lego, pro : quoniam) acutus est, interdum contra opinionem suam visa veritate superatur. Quid enim verius dicere potuit, quam id quod ait quodam in loco (nempe l. de Anima, cap. 7, 98.) : *Omne corporale passibile est?* Debuit ergo mutare sententiam, qua alibi dixerat (nempe

Digitized by Google

l. ad Prax.) etiam *Deum corpus esse*. Neque enim arbitror eum ita desipuisse, ut etiam Dei naturam passibilem crederet, ut jam Christus, non in carne tantum, neque in carne et anima, sed in ipso Verbo, per quod facta sunt omnia, passibilis et commutabilis esse credatur, quod absit a corde christiano. Et rursum ibidem verbis etiam supra citatis : Sed tremenda sunt ista, non ridenda. Ad hæc enim nunquam cogeretur, si aliquid cogitare posset, quod et sit, et corpus non sit. Rursum lib. de hæres. ad Quodvultd., hær. 86. ipsum etiam Deum corporeum esse dicit, licet non effigiatum (ubi alludere videtur ad lib. II, adv. Marc.). Nec tamen hinc hæreticus creditur factus. Posset enim quoquo modo putari, ipsam naturam substantiamque divinam corpus vocare, non tale corpus, cujus partes aliæ majores, aliæ minores, valeant vel debeant cogitari, qualia sunt omnia, quæ proprie dicimus corpora (quamvis de anima tale aliquid sentiat), sed potuit, ut dixi, propterea putari *Corpus Deum* dicere, quia non est nihil, non est inanitas, non est corporis vel animæ qualitas, sed ubique talis, et per locorum spatia nulla partitus, in sua tamen natura atque substantia immutabiliter permanet. Certe ipse Auctor satis se explicat. Sic enim l. adv. Hermog.: *Ut concedam esse aliquid incorporale, de substantiis duntaxat; quum ipsa substantia corpus sit rei cujusque*, et lib. de Anima, cap. 7, n. 96 : *Nihil enim, si non corpus*. Item lib. de Carne Christi : *Quum autem sit, habeat necesse est aliquid, per quod est. Si habet aliquid per quod est, hoc erit corpus ejus. Omne quod est, corpus est sui generis; nihil est incorporale, nisi quod non est*. Denique lib. II adversus Marcionem : *Nam et dextram*, inquit, *et oculos et pedes Dei legimus, ne ideo tamen humanis comparabuntur, quia de appellatione sociantur. Quanta erit diversitas divini corporis et humani sub eisdem nominibus membrorum*, etc. Cæterum *Deum incorporeum* docent cæteri Patres omnes, et inter hæreses collocant contrarium affirmare, sicuti patet ex Philastrio, S. August., Epiphan., Theodoreto, Damasceno, Isidoro, Rhabano in Catalogis hæretic. quum Audianorum sive Anthropomorphitarum faciunt mentionem.

16. De Dei ira. *Tom.* I. *lib. de Testim. Anim. cap.* 2. *num.* 7. *Tom.* III. *lib. de Anim. cap.* 16. *num.* 214. *Advers. Marc. lib.* I. *cap.* 26. *num.* 181. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 94. *lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 195 *et cap.* 31. *num.* 507.

Prima quidem facie videtur Tertullianus *Deo* attribuere *iram* dictis locis, sed ubique fere *vindictam*, seu *ultionem* Dei interpretatur. Et vero id inculcare eum oportuit toties, non solum contra Gentes, sicuti primo loco, sed maxime adv. Marcion. qui *Deum* asserebat *bonum* duntaxat, non vero *vindicem* aut *judicem*. Quo fit ut latissime adversus illum disputet, et contrarium ex Scripturis ostendat, illis usus subinde, quæ *iræ Dei*, atque adeo *vindictæ* mentionem faciunt, maxime l. adv. Marc. c. 25. 26. 27. et 28. l. II. c. 11. 12. 13. 14. 15 et 16. Est quidem locus unus, ubi *motus animi* in Deo videtur agnoscere, sed præter quam quod ibidem, *æmulari*, *irasci*, interpretatur, *damnare*, *vexare*, postremo omnium loco se magis explicat, quum *moveri Deum*, et *motus in Deo*, pro ira accipit. Denique prorsus seipsum explicat dicto c. 16, l. II. in hæc verba : *Sive ira, sive æmulatio, sive sævitia, debita hæc omnia sunt severitati, sicut severitas debitum est justitiæ*. Deinde quum objecisset verba Marcionis : *Si Deus irascitur et æmulatur, et extollitur, et exacerbatur, ergo et corrumpetur, ergo et morietur*. Scite admodum respondet : *Stultissimi qui de humanis divina prædicant, ut quoniam in homine corruptoriæ conditionis habentur hujusmodi passiones, idcirco et in Deo ejusdem status existimentur. Discerne substantias et suos eis distribue sensus, tam diversos, quam substantiæ exigunt, licet vocabulis communicare videantur. Nam et dexteram, et oculos, et pedes Dei legimus; nec ideo tamen humanis comparabuntur, quia de appellatione sociantur.*

17. Ecclesiam esse in tribus, etiam laicis. *Tom.* V. *lib. de Exhortat. castit. cap.* 7. *num.* 40 *et lib. de Pudic. cap.* 21. *num.* 191.

Non male Tertull. lib. de Pœnitent., c. 10, n. 60, dixerat, utpote ante omnem hæresim : *in uno et altero Ecclesia est*, utpote qui ibi alluderet ad illud (*Matth.* XVIII) : Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo ibi sum in medio eorum ; quum præmisisset paulo prius : Dic Ecclesiæ. Quod tamen de præfectis Ecclesiæ Episcopis, non vero de laicis interpretantur veteres omnes, ipse quoque eodem loco loquens de sacerdotibus, quibus fiebat exomologesis. Prorsus etiam catholicum est illud l. de Baptism., cap. 6, num. 47 : *Ubi tres, id est, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, ibi Ecclesia, quia trium corpus est*. Verum ad hæresim pertinet, sicut etiam in Vita ejus adnotavimus, illud lib. de Exhort. castit.: *Sed et ubi tres, Ecclesia est, licet laici. Unusquisque enim de fide sua vivit.* Maxime quum iisdem fere verbis idipsum repetat l. de Pudicit.; ex quo loco colligitur eo venisse eum dementiæ, uti existimaverit *Ecclesiam* fuisse *in tribus*, nempe Montano, Prisca et Maximilla : quo pertinet quod ibi præterea negat, *Ecclesiam esse numerum Episcoporum*. Verum late contrarium deduximus Adnot. nostris in locum priorem, vel ex ipso Tertulliano adhuc catholico, uti etiam adversus Magdeburgenses, qui inde colligebant Ecclesiam esse in paucis. Si quis plura desideret, perlegat libros, quotquot scripsit S. August. contra Donatistas, qui Scripturas tum Veteris, tum Novi Testamenti undequaque congessit, quibus constet non in uno solo terrarum loco, utpote Africa, Ecclesiam esse, sed toto orbe terrarum dispersam, juxta et vaticinia Prophetarum et Apostolorum testimonia sole clariora : quo Lectorem remittimus, ne hic prolixiores simus. Hoc unum addemus, ad eamdem ejus hæresim pertinere, quod ait tom. II, lib. de Coron. milit., cap 4, num. 47 : *An non putas omni fideli licere concipere et constituere, duntaxat quod Deo congruat ?*

Digitized by Google

18. De Ecstasi *sive* amentia, *sive* spiritu Prophetico, Montani et insanarum Vatum Priscillæ et Maximillæ, et similium. *Tom.* II. *lib. de Virgin. veland. c.* 1. *n.* 12. *Tom.* III. *l. de Anima. c.* 9. *n.* 111. *c.* 45. *n.* 488. *c.* 47. *n.* 543. *lib. de Resurrect. carn. c.* 11. *n.* 98. *ac c. ult. n.* 436. *Adv. Marc. lib.* IV. *c.* 22. *num.* 325 *et lib.* V. *cap.* 8, *num.* 135 *ac* 136, *lib. ad Prax. c.* 1. *num.* 7. 8. *ac* 10. *et cap.* 15. *num.* 93, *ac cap.* 30. *num.* 183. *Denique in Fragmentis librorum septem de Ecstasi.*

Istam hæresim Tertulliano jam olim impegerunt S. Pacianus, S. Hieron. et Nicephorus locis citatis ad Fragmenta librorum ejus *De Ecstasi*, tom. IV, ubi ex eodem Hieron. et Epiphan. ostendimus *Ecstasin in Adamo* (Gen. II), fuisse *profundum soporem, non mentis evictionem, et ecstasin in Apostolis* (*Matth.* XVIII *ac Luc.* IX) *Petro, Joanne, ac Jacobo*, neque *amentiam* fuisse, sed admirationis ecstasin, neque etiam cum prophetia aliqua conjunctam. Deinde ex Apostolo (I *Cor.* XIV. quantumvis contrarium Auctor eliciat, addita perperam clausula : *in ecstasi* constare spiritum Prophetarum Prophetis subjectum esse, utpote quum (juxta Hieron. verba ibi citata, et Origen. Hom. 6. in Ezechielem) prophetia visio vocetur, quam adeo intelligebant Prophetæ, propterea Videntes appellati, non vero ut amentes inviti loquebantur, aut sine mente sonum dabant. Unde colligere est revera *amentiam* fuisse, non *Prophetiam*, in Montano et ejus pseudoprophetissis, atque adeo Deo disponente factum esse, ut vel hac appellatione sibi ipsi contradiceret Auctor. Idipsum pulchre ante illos adversus Montanum deduxit Apollinarius Hierapolitanus Episcopus apud Euseb. lib. 5. cap. 15. scribens illos spiritu quodam maligno abreptos, derepente furore et mentis insania (quam *ecstasin* vocabant) exagitatos, peregrinas quasdam voces fundere, et contraquam Ecclesiæ consuetudo, cum traditione, tum successione antiquitus ab Apostolorum temporibus eousque derivata postulabat, prophetare scilicet cœpisse. Citat ille (apud Euseb. c. seqq.) et Miltiadis librum adversus eumdem, in quo ostendit, minime credi oportere, quemquam *Prophetam* furore percitum *prophetare* solere. Neque enim (uti ex illo citat) quemquam Veteris aut Novi Testamenti *Prophetam* allegare poterunt, qui insano spiritu (per *ecstasin*) ad hunc modum fuerint aliquando exagitati. Neque de Agabo, neque de Juda, neque de Sila, neque de Philippi filiabus (*Act.* XI. 15. 21.) neque de Ammia ex Philadelphia, neque de Quadrato (cujus meminit Hier. Catal. Script. Eccles.), neque de aliis quibusvis præterea, quod vesano ipsorum more illa ex parte aliquando prophetaverint, omnino gloriari poterunt. Quorum nomina propterea sese recensuisse postmodum indicat, quod jactitarent, mulieres illas Montani illis omnibus in prophetiæ munus proxime successisse, non aliter atque (teste Hieron. loco jam citato) in libris *septem de Ecstasi*, quorum septimum scripsit adversus Apollonium Tertullianus, in confirmationem ejusdem illarum pseudoprophetiæ scripsit, *Melitonem suorum prophetam putatum*, ut ita tacite successionem quamdam prophetiæ tanquam veræ insinuaret. Denique Apollonius libro suo adversus Cataphrygas (uti legitur apud Euseb. ejusdem l. c. 17) testatur Zoticum Episcopum Comanæ, quum Pepuzam adventasset, ibi Maximilla prophetare se simulante, insanum in illa spiritum deprehendisse. Similiter Serapion (ibidem c. 18.), Antiochenus Episcopus, Beatum Sotam in Anchialo voluisse Priscillæ dæmonem ejicere, sed veteratorios illos hypocritas neutiquam permisisse. Cæterum nihil pro Auctore facit, quod lib. V, adv. Marc. *Prophetandi jus etiam mulieres habere* contendat, ex eo quod 1. Cor. XI. Apostolus *Mulieri etiam prophetanti velamen imponat* : quia non veram prophetiam, sed mentis amentiam fuisse in insanis illis vatibus Priscilla et Maximilla jam probatum est : ut taceam quod illa impugnet ipse adhuc catholicus, lib. de Præscr. adv. hæret. XLI. in hæc verba : *Ipsæ mulieres hæreticæ quam procaces : quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan et tinguere*, sicut latius ibi deduximus, num. 260. 261. 262. ac 263. ad Lib. de Bapt. adv. *Quintillam*, etiam montanicæ factionis fœminam, num. 2.

19. Filium Dei Christum, semper visum ab hominibus, in vera, etsi non nata carne. *Tom.* I. *lib. adv. Jud. cap.* 9. *n.* 114. 115. *Tom.* III. *lib. de Carne Christi c.* 6, *n.* 58. *adv. Marc. lib.* II. *c.* 27, *n.* 187. *lib.* III. *cap.* 6. *num.* 39, *cap.* 9. *num.* 65. *lib.* V. *cap.* 19, *n.* 296, *lib. adv. Prax. cap.* 14, *n.* 86. 87, *cap.* 16, *num.* 96. 98. 100. 101. *et tom.* IV. *lib.* V. *adv. Marc. carm. cap.* 5. *num.* 8.

Non illud Paradoxum videtur, quod scribit Tertullianus, *Filium Dei*, non Patrem, quoties id in Scripturis legitur, *visum vel auditum ab hominibus*, nempe quum apparuit *Adamo*, Gen. III; *Noe*, Gen. IX; *Abraham*, Gen. XII. XVII. XVIII; *Loth*, Gen. XIX; *Agar*, Gen. XXII; *Jacob*, Gen. XXIX. XXXII. XXXV. et *Moysi*, Exod. III et sequ. XXXII ac XXXIII. quum id desumpserit ad verbum fere ex S. Justino Mart., Dialogo adv. Tryphonem, et partim ex S. Iren. lib. III. cap. 6 ac lib. IV. cap. 23. et eos sequantur Novatianus lib. de Trinit. cap. 25. 26. 27, B. Cyprian. lib. II. Testim. adv. Jud. cap. 5 et 6, ex iis locis comprobantes, Christum non hominem solum aut angelum, sed et Deum fuisse appellatum : nec aliter S. Ambr. Præfat. in Lucam, S. Epiph. in Ancoratu, Prudentius adv. Anthropomorphitas, et Arnob. in Psal. CIV. Quo videntur adducti tum verbis illis *Deum Patrem* (sicut legit Auctor) *nemo videbit unquam, et vivet.* Exod. XXXIII. ac similibus, Joan. VI non quia Patrem quis vidit, nisi qui a Deo est : et e contrario illis Christi, Joan. VIII. *Abraham exsultavit ut videret diem meum, vidit et gavisus est.* Quanquam interim S. August. lib. III. advers. Maxim. cap. 26. et lib. II de Trinit. cap. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16 ac 17, maluerit asserere, Deum Patrem et totam Trinitatem visum dictis locis per subjectas creaturas, ut ne consentiret Maximino Arriano, cui non suffecit dictas apparitio-

Digitized by Google

nes de Christo interpretari, sed inde colligere nitebatur Christum per divinitatis suæ substantiam visibus humanis apparuisse, a qua hæresi procul certe abfuit Auctor, quantumlibet eam quidem illi impingant. At illud Paradoxum est, et Tertulliano peculiare quod aliquot locis dicat, *visum Christum in carne vera, et solida, etsi non nata*, idque zelo non secundum scientiam, uti tanto magis probaret, adversus Marcionem, aliosque ejus asseclas, *carnem Christi*, quam postea ex virgine accepit, *non phantasticam fuisse, sed veram ac solidam*, si jam olim ante in carne vera visus diceretur. Alioqui certe lib. contra Praxean. S. Justini Mart. sententiam secutus, qui eas apparitiones figuratas fuisse affirmat, seipsum explicat: *Dicimus enim* (inquit priori loco) *et Filium suo nomine eatenus invisibilem* (quod tamen negabat Maximinus) *qua sermo; visibilem autem fuisse ante carnem eo modo quo dicit ad Aaron et Mariam* (Num. XII.): *Et si fuerit prophetes in vobis, in visione cognoscar illi, et in somnio loquar illi.* Et post allegata verba illa Exod. III: *Os ad os loquar illi in specie*, subjungit: *Igitur quum Moysi servat conspectum suum et colloquium facie ad faciem in futurum* (*nam hoc postea adimpletum est in montis secessu, sicut legimus in Evangelio, Luc.* IX. *visum cum illo Moysen colloquentem*) *apparet retro semper in speculo, et ænigmate, et visione et somno Deum, id est Filium Dei, visum tam prophetis et Patriarchis, quam et ipsi adhuc Moysi.* Nec absimiliter loco posteriori: *Ipse enim et ad humana semper colloquia descendit, ab Adam usque ad Patriarchas et Prophetas, in visione, in somno, in speculo, in ænigmate.* Cæterum S. Augustino locis jam citatis magis placet, ut dictis visionibus Christus quidem fuerit figuratus, sed per angelos figura duntaxat Deum apparuisse, id probans ex Scripturis, Osee XII, ubi *angelum* fuisse dicitur, qui cum Jacob colluctatus est, et Hebr. XIII, quum dicuntur quidam nescientes angelos recepisse hospitio. Quibus adjicere licet, quod Deum, quem sibi in rubo et in Sina apparuisse Moses dixit, hunc ipsum S. Stephanus, Act. VII. angelum fuisse testatur.

20. De Fuga in persecutione non licita. *Tom.* II. *lib.* I *ad Uxor. cap.* 3. *n.* 17. *lib. de Cor. milit. cap.* 1. *num.* 18. *et tom.* V. *libro integro ejus argumenti.*

Hunc Tertulliani errorem, quem late deducit lib. de Fuga in persecutione, conscripto juxta S. Hieron. Sophron. et Nicephor. adv. Ecclesiam, tam late confutavimus nostris in illum Adnotationibus, ut non multis hic sit opus. Vide ibidem, quod ad calcem argumenti subjecimus, antidotum ex ipso auctore adhuc catholico, tom. II. lib. de Patient. cap. 13. num. 88. S. Cypriani locis aliquot; S. Athanasii Apologia pro sua fuga, et S. August. Epist. 180. ad Honoratum: e quibus etiam ad singula pene argumenta contraria respondimus: maxime cap. 4. num. 35. cap. 5. num. 39. cap. 6, num. 43. 47 ac 49, cap. 7. num. 54, cap. 8. n. 55. 57 ac 58, cap. 9. num. 60. et cap. 18. num. 75. Verba Auctoris citata sunt ista: *Carnis patientia in persecutionibus præliatur. Si fuga urgeat, incommoda fugæ caro militat; si et carcer præveniat, est in illa paupertate lucis, patientia mundi.* Quid, quod ex dicti libri cap. 11, videtur potissimum fugam improbare. *Præpositorum Ecclesiæ*, utpote *quibus* (etiam juxta S. Athanas. Epist. ad Dracontium, et locum citatum S. August.) *fugere non licet, nisi grege fugiente, aut Præpositum non desiderante*, id est, non indigente ejus opera; quum personalis est, ut sic loquamur, Episcoporum aut Pastorum persecutio? Quo casu etiam illis fugere licere, et multorum exemplis, et ex Scripturis late deducit S. Athanas. dicta sua Apolog. ad quam Lectorem, ne hic prolixiores simus, remittimus. Neque quidquam pro Auctore facit, quod *invitet Christus ad passionem contrariam fugæ. Qui me confusus fuerit, et ego confundar eum*, (*Marc.* VI) quantumvis Scorp. advers. Gnosticos inde colligere videatur *Martyria præcepta esse*: quia æque *præceptum* esse Tertullianus agnoscit illud: *Quum cœperint persequi vos, fugite de civitate in civitatem*: quia neutrum præceptum videtur, nisi secundum personas, tempora et causas, hoc quidem tempore persecutionis ob fidem Christi, iis quibus per animarum curam abesse licet: illud vero, si apprehensi fuerimus, vel in ipsa fuga. Præterquam etiam quod utrumque apud Matth. eodem capite contineatur, oportet sanam accipiat interpretationem, ne sibi Evangelista contrarius videatur.

21. De Job, quod filiis ei non restitutis, voluntariam orbitatem sit passus. *Tom.* II, *lib. de Patient. cap.* 14, *num.* 98.

In exemplaribus libri Job, quæ viderat Tertullianus, desideratum fuisse videtur, quod de filiis septem et filiabus tribus ei restitutis legitur in Hebræis, Chaldæis, Græcis et Latinis exemplaribus: atque hinc factum opinor, uti peculiare istud, quod apud neminem Veterum reperire potui, Paradoxon sit secutus. Certe pluribus id improbare superfluum foret, quum ejusdem fere ætatis Origenes, Homil. 6 in Ezechiel. illud legisse se significet, et post eum Patres omnes, tam veteres, quam mediæ ætatis, et recentiores. Quibus Auctor consentiret, si duntaxat dixisset, *Job reliqua quæ amiserat, reduplicata possedisse, exceptis filiis*, utpote quos septem duntaxat recepit, atque adeo totidem quot antea. Id propterea interpretantur Philippus Presbyter, S. Gregorius Papa, Beda, et Rupertus Comment. in Job, quod septem priores filii adhuc vivere censerentur apud Deum.

22. De Maria Virgine, quod communi lege patefacti corporis Christum peperit. *Tom.* III. *lib. de Carne Christi, cap.* 4. *num.* 31, *cap.* 20. *num.* 155, *cap.* 23. *num.* 174 *ac* 175. *Advers. Marc. lib.* III. *cap.* 11. *num.* 78, *lib.* IV. *cap.* 21. *num.* 311, *et lib.* V. *cap.* 19. *num.* 304.

Tale quid Tertullianum scripsisse satis manifestum est, sicut etiam Origenem, hom. 14 in Lucam, et S. Ambros. in eumdem. Verum possunt intelligi, juxta quod interpretatur S. Thomas Aquinas alicubi, de tali

Digitized by Google

patefactione uteri, quæ claustra virginitatis non violaverit, sicuti etiam nos adnotavimus ad illud Luc. II, pro se citatum ab Auctore : *Omne masculinum adaperiens vulvam*, ad dict. lib. de Carne Christi num. 175, adductis ad hoc testimoniis Græci cujusdam interpretis, et S. Hieron. qui agnoscunt Christum nondum apertam vulvam virginalem aperuisse supernaturaliter, et clausulam naturaliter servasse, juxta Ezechielis vaticinium, de porta Orientali clausa, per quam solus Pontifex egreditur, quæ nihilominus semper clausa permanet. Quo pertinet etiam S. Ambros. comparatio, Epist. 81 ubi scribit, Christum sic exisse de utero Virginis, sicut aquæ fluxerunt de petra, denique illud Auctoris loco secundo citato dicti libri : *Quid fuerit novitatis in Christo ex Virgine nascendi palam est, scilicet hoc solummodo quod ex virgine ;* significans ibidem, et aliis locis hic citatis, se illud usque adeo ursisse, ut *verum* probaret *partum Christi ex Virgine*, contra Marcionem, qui phantasticum dicebat. Postmodum interim, ubi satis fuit ea hæresis confutata, maluerunt Patres definire, Virginem Deiparam clauso utero incorruptibiliter peperisse.

23. De Maria virgine semel nuptura post partum. *Tom.* II. *lib. de Veland. virg. c.* 6. *n.* 48. *Tom.* III. *lib. de Carne Christi c.* 23. *n.* 174. *et tom.* V. *lib. de Monog. cap.* 8. *nu.* 55.

Satis quidem obscure in hanc hæresim impingere videtur Auctor, ita ut aliquo modo sanum sensum possint ejus verba recipere ; verum quandoquidem S. Hieronym., quum illum pro se citasset hæreticus Helvidius, non neget illum tale quid scripsisse, neque ego ab ea ipsum excusandum putavi. Respondere sufficeret id, quod B. Hieron. de Tertulliano : Non aliud dico, quam hominem Ecclesiæ non fuisse. Verum quia seductum fuisse verisimile est iisdem, quibus Helvidium, Evangelistarum verbis, Matth. XII. Luc. VIII. Joan. VII. *de fratribus Domini*, quos *vere fratres*, uti et *vere matrem* fuisse *Christi*, jam dict. lib. de Carne Christi cap. 7. num. 67 asserit, uti carnis Christi veritatem tanto comprobaret magis, aliquid de ejus phrasis intellectu adjiciendum est. Origenes, Hilarius, Euthymius, et Theophyl. in Matthæum, Euseb. lib. II. hist. Eccl. c. 1. S. Epiphan. lib. III. Panarii adversus Antidicomarianitas, S. Ambros. et Œcum. in Comm. c. 2 ad Galat., *fratres Domini* putant appellari filios Joseph ex Maria Cleophæ fratris sui vidua, ex qua liberos sex sustulerit, utpote Jacobum Joseph, Simonem, Judam et fratres ejus. Idque (vel teste Origene) juxta Evangelium quod Petri aut Jacobi titulum habebat. Verum rectius S. Hieron., in Comm. Quidam *fratres Domini* de alia uxore Joseph filios suspicantur, sequentes deliramenta apocryphorum, et a quadam Escha muliercula confingentes. Nos autem, inquit, sicut in libro, quem adversus Helvidium scripsimus, continetur, *fratres Domini*, non filios Joseph, sed consobrinos Salvatoris, intelligimus, Mariæ liberos materteræ Domini, quæ esse dicitur mater Jacobi Minoris, et Joseph, et Judæ, quos in Evangelio *fratres Domini* legimus appellatos ; fratres enim consobrinos dici, omnis Scriptura demonstrat. Ubi alludit tum ad Scripturas de Loth fratre Abrahæ, Gen. XIII, tum ad Matth. c. XVII ubi juxta crucem adstitisse dicitur Maria Jacobi, et Jose seu Joseph mater : quod de matre Domini non posse intelligi recte adnotavit Euthymius. Cæterum vide definitionem Ecclesiasticam hac de re apud S. Fulgentium, lib. de Fide ad Petrum inter opera B. Augustini.

24. De mille annis post resurrectionem corporum. *Lib. de Resurr. carn. cap.* 25, *num.* 203. *advers. Marc. lib.* I. *cap.* 29. *nu.* 203. *lib.* III. *cap.* 24. *n.* 191 *et seq. lib.* IV. *cap.* 29. *num.* 471. *et tom.* IV. *in Fragment. libri de Spe fidelium.*

Quid Tertullianus hac de re senserit, satis arbitror deduxisse me t. IV ad Fragmenta lib. de Spe fidelium, ex ipsis ejus verbis, nempe, *in terra quidem regnum Christi nobis repromissum ante cœlum post primam resurrectionem*, sed tamen ita, *ut in eo reficiantur sancti omnium spiritalium bonorum copia.* Quam etsi erroneam, utcumque tolerabilem tamen fatetur B. August., l. XX de Civit. Dei, quantum opinor, quod eam etiam sit reperire apud S. Irenæum, l. V. de hæres., c. 32. 33. 34. 35 ac S. Justinum Martyrem, Dialogo adv. Tryphonem et Melitonem, qui in hoc sunt imitati, vel S. Hier. auctore, Papiam. Quibus assentiuntur etiam Apollinarius, qui frustra libros Dionysii Alexandrini contra Nepotem nisus fuit impugnare ; Lactant. l. II, c. 13 ac l. VII, c. 24 ; Victorinus in Apocalypsin, antequam a S. Hieron. emendaretur ; et, eodem teste, Severus in Gallo Dialogo de Vita S. Martini. Quanquam etiam illis imputet (uti et Tertulliano, sed, quantum apparet, non recte) Gennad. lib. de Dogmat. Eccles., potus et cibi deliciis fruituros sanctos. Alioqui certe, longe diversam patet fuisse Cerinthi, Marci ac Nepotis hæresim, de quibus ipse ibidem, et Euseb., l. III. c. 22 ac l. VII. c. 20. post eum, et Nicephorus alicubi, aliorumque Chiliastarum seu Milliariorum, adversum quos agit S. Epiph., hær. 76. Utpote qui (sicuti et hodierni quidam Anabaptistæ) in illo etiam nuptiarum copulam, imo Cerinthus et Marcus omnia libidinum genera exspectabant, et uti S. Hier. asserit, juxta Judæorum δευτερώσεις circumcisionis injuriam, instaurationem templi, taurorum et arietum victimas, otium Sabbati, et cunctarum gentium servitutem, atque adeo bella, exercitus, triumphos, superatorum neces, mortemque centenarii peccatoris. Porro quum omnibus iis imposuerit illud Apocalypseos S. Joannis Apostoli (nam illi adscribunt omnes illi) c. XX, *Hæc est resurrectio prima*, beatus est sanctus, qui habet partem in resurrectione prima, in his erunt sacerdotes Domini et Christi, *et regnabunt cum illo mille annis*, de ejus loci intellectu aliquid hic adjiciendum est. B. Hier. Præf. in l. XVIII. Isai., Apocalypsin, non juxta litteram, sicuti a Judaizantibus, sed spiritaliter, ut scripta est, edisserendam dicit, quod ipsum disertis verbis facit Comm.

Digitized by Google

MS. Victorini in Apoca se emendato, Dionysium opinor Alexandrinum secutum, dictis advers. Nepotem libris S. August. apertius lib. de Civit. Dei II. c. 7. 8. 9. *primam resurrectionem* interpretatur animarum resurrectionem, etiam in Scripturis agnitam, secundam corporum, et *mille annos*, aut tempus gratiæ, quæ remanebit ad sæculi finem, eo loquendi genere, quo pars significatur a toto, aut pro annis omnibus hujus sæculi, ut perfecto numero notetur ipsa temporis plenitudo. Quem sequuntur Ambrosio adscriptus Commentarius, Primasius, Andreas, ac Beda Comm. in Apocalypsin. Neque etiam pro illis facit quod legitur Apoc. XXI. de *Civitate Jerusalem descendente* in terram novam. Quia ipse Apostolus Joannes indicat se loqui de Jerusalem non terrena, quum addit: Et templum non vidi in ea (quod tamen aliqui ipsorum, uti supradictum est, etiam restitutum iri sentiebant): Dominus enim Deus omnipotens templum illius est et agnus. Proinde de Ecclesia rectius Patres alii interpretantur, et militante in hoc sæculo, cujus fundamenta duodecim Apostoli, et in cœlis postmodum regnante. Sicuti etiam illud Gal. IV. de *Jerusalem* libera, *quæ est mater nostra*; ubi repugnantia est in ipso adjecto: *quæ sursum est*, quæ etiam est in illo Philipp. III. πολίτευμα *nostrum in cœlis est*, proinde non in terris, ut mirum sit hæc pro dicta sententia ab Auctore nostro citari. Magis videbantur pro illo militare quæ habentur Isai. LXV. et LXVI. ac Hierem. XVI. ac XXXI. denique Ezechiel. XX. XXVII. XXVIII. de *restitutione Judææ* (ad quæ his tantum verbis Auctor alludit), quæ nominatim citantur, partim a sancto Irenæo, partim a sancto Justino martyre; verum pulchre in Commentariis suis Hieronymus allegorice de Ecclesia Christum confitente, ejusque mysteriis illa omnia interpretatur, ubique irridens mille annorum illas fabulas, quo lectorem compendii gratia remittimus. Facilior est responsio ad Scripturas Gen. XIII. ac XV. quas (Irenæum imitatus) pro se citat Auctor, *de prima et secunda promissione Abrahæ semini facta*, prius *in multitudinem arenæ*, deinde *ad instar quoque stellarum, quasi terrenæ et cœlestis dispositionis auspicia*, quia primam promissionem impletam constat multiplicatione filiorum Israel in terra Chananæorum, sive Palestina: secundam vero interpretatur Apostolus Paulus de gentium Ecclesia, Rom. IX. et Gal. III. quo modo etiam utramque hanc promissionem distinxit Rhabanus noster Comment. in Genes. nec minus facilis ad illud Genes. XXVII. ubi ad Jacob. cujus figuram Christianos ex gentibus gestare novimus, *prima promissio est cœlestis roris, secunda terræ opimitatis*, quia illam benedictionem tanquam terrenam interpretatur vel ipse Jacob verbis suis ad Esau postmodum prolatis, ubi dixit: Frumento, et vino, et oleo, stabilivi eum: et, si allegoricos velimus accipere, Procopius in Comment. de cœlesti rore interpretatur, qui instillatur piorum animis, et de terræ pinguedinibus, quas habet accipiens semen, idque centupliciter reddens. Denique facillima ad illud Luc. XII. *Quærite primum regnum Dei, et reliqua adjicientur vobis*: quia loqui Christum de hac vita, non illa futura post resurrectionem, initium ejus Christi sermonis manifestum facit: Ideo dico vobis: *Nolite curam agere animæ de victu et corpori de vestitu*. Cæterum partim ex Platone Dialog. de Rep. et in Phædro, desumptum hunc Millenariorum errorem, annotavimus ad l. de Anima c. 30. n. 376. ubi quum pro fabulis habeat Auctor, mirum est quod postea in eumdem impegerit: sed, sicuti satis deducit S. Hieron. Papiam, Melitonem, et alios supradictos Auctores, et maxime S. Irænеum secutus est.

25. De Nuptiis secundis damnatis tanquam stupris. *Tom. II. lib. I. ad Uxor. cap. 1. num. 11. et lib. de Veland. Virgin. cap. 10. num. 84. ac cap. 11. num. 98. Tom. III. lib. adv. Hermog. cap. 11. num. 7. Lib. de Resur. carn. cap. 8. num. 82. ac lib. adv. Marc. cap. 15. num. 245. denique tom. V. integris libris de Exhort. castit. et de Monogamia, ac lib. de Pudic. cap. 1. num. 15.*

In hanc hæresim Montanisticam paulatim delapsus est Tertullianus. Primum, castitatis amore, librum scripsit ad Uxorem de *unis nuptiis*, in quo quidem ab illis dehortatur, sed tanquam stupra non improbat: imo quum lib. II. ad Uxor. si nubere velint, *saltem in Domino nubere debere, id est, Christiano*, late deducit; non omnino tunc damnasse videtur secundas nuptias. Quanquam interim omni errore non careant hi libri duo. Imprimis quum l. I. c. 1. n. 11. *secundas nuptias confusionem*, et cap. 4. n. 23. *contumeliam*, et c. 5. n. 34. *detestabiles*, et alibi quoque *spurcas*, et, *dedecus voluptuosum* appellat, quales sunt etiam loci illi jam citati lib. de veland. Virgin. *De secundis* enim *nuptiis*, his locis locutum fuisse, non de primis, vel hæc S. August. l. I. de bono viduitatis convinciunt, quæ etiam antidoti loco hic afferunt: Non quia, inquit, innuptarum bonum honestum dixit Apostolus, ideo putare debemus turpe esse vinculum conjugale, alioquin etiam primas nuptias condemnabimus, quas nec Cataphrygas nec Novatiani, nec disertissimus eorum adstipulator Tertullianus, turpes ausus est dicere. Deinceps l. adv. Hermog. errorem suum magis aperit his verbis: *Legem Dei in libidinem defendi*, ac, *totus adulter, et prædicationis et carnis; nubentium contagio fœtet*. Denique libris de Exhortatione castit. et de Monog. Montanum secutus, non solum *stupra et adulteria et mœchiam* appellat *secundas nuptias*: sed etiam variis argumentis id probare nititur; sed frustra, sicuti ex antidoto Annotationum nostrarum in utrumque, lectori perspicuum esse poterit, quo, ne hic prolixiores simus, lectorem remittimus. Ubi subinde pro catholica de *nuptiis secundis non prohibitis* sententia, citavimus B. Hier. Epist. de Monogam. ad Ageruchiam, vulg. Gerontiam, de Viduitate ad Salvinum ac ad Pammachium, S. Aug. l. de bono Viduitatis, ac l. II. contra adv. legis et Prophetarum, S. Epiphan. adv. Montanum hæres. 59. et adv. Catharos, et Commentarios veterum super Epistolas Pauli Rom. VII. 1. Cor. 7. et 1. Cor. V. Qui-

Digitized by Google

bus licebit addere et illud B. Hieron. 54. Epist. ad Marcel. (qui alioqui videtur subinde iis iniquior), pro *secundis nuptiis* : Nos secundas nuptias non tam appetimus quam concedimus, Paulo jubente, ut viduæ adolescentulæ nubant, illi (nempe Montani sectatores) in tantum putant scelerata conjugia iterata, ut quicumque hoc fecerit adulter habeatur. Item illud in Epist. ad Titum etiam a nobis alibi citatum : Scripsit et Tertullianus librum de *Monogamia* hæreticum, quem Apostolo contraire, nemo qui Apostolum legerit, ignorabit. Item illud S. August. hær. 126. lib. de Hæres. : Ideo Tertullianus factus hæreticus, quia transiens ad Cataphrygas, quos ante destruxerat, cœpit etiam *secundas nuptias* contra apostolicam doctrinam *tanquam stupra* damnare.

26. De Paracleto Montano. *Tom.* II. *Lib. de veland. Virg. cap.* 1. *num.* 6. *Tom.* III. *l. de Anima, c.* 51. *num.* 613. *ac* 58. *num.* 652. *Lib. de Resurr. carn. cap.* 11. *num.* 98. *et cap. ult. num. ult. Adv. Marc. lib.* I. *cap.* 29. *num.* 203. *ac lib.* V. *cap.* 15. *num.* 247. *et lib. adv. Prax. cap.* 1. *num.* 11. *cap.* 2. *num.* 22. *cap.* 8. *num.* 59. *cap.* 13. *n.* 78. *Tom.* V. *lib. de Monogamia, cap.* 2. *integro, et non semel in aliis libris sequ. de Fuga in persecutione, de Jejuniis et Pudicitia.*

Adversus hanc hæresim longe absurdissimam sufficere possunt ipsa Tertulliani verba ante hæresim, l. de Præscript. adv. hæret. cap. 52. hæresi 21. n. 327. ubi *blasphemiam* appellat, *eorum qui Cataphryges dicebantur, hæreticorum, quia in Apostolis quidem dicebant Spiritum Sanctum fuisse, Paracletum non fuisse, et quia dicebant Paracletum in Montano plura dixisse, quam Christum in Evangelium protulisse.* Et tamen miser, forte ab illis seductus, quod secundas nuptias detestarentur, tot locis jam citatis *Paracletum* vocat *Montanum*, et subinde verba illius *Paracleti* titulo citat. Imo detorquet ad suam hanc hæresim illud Joan. 16 : *Adhuc multa habeo loqui vobis; sed non potestis portare modo. Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis.* Quod ipsum tamen catholice interpretatur dicto lib. de Præscript. adv. hæret. c. 8. n. 62. de Apostolis loquens : *Consecuturi* mox *Spiritum Sanctum Paracletum, qui illos deducturus esset in omnem veritatem*, et rursum : *nationibus destinati Apostoli, ipsi quoque doctorem consecuturi erant Paracletum.* Ubi pro eisdem habet, *Spiritum Sanctum*, et *Paracletum*, quum perperam illi distinguerent (uti vel ex ipso Tertulliano dictum est) *Spiritum sanctum*, et *Paracletum* : et illud ipse contextus Evangelistæ convincat, atque adeo sic locum illum interpretantur veteres omnes, ex professo vero adv. hanc hæresim S. Aug. tractatibus tribus in Evangelium Joannis : quo lectorem compendii gratia remittimus.

27. De Pœnitentia mœchis neganda. *Tom.* V. *integro libro de Pudicitia.*

Sicut in Vita Auctoris annotavimus, quum omnino pœnitentiam omnem tollerent Montanus et ejus sectatores Cataphryges (vel B. Hieronymo teste Epist. non semel citata ad Marcellam, et S. Paciano Tract. adversus Novatianos), in hoc ab iis dissentit Tertullianus, quod solis *mœchis* eam *negandam* senserit, fortassis primum seductus ab illis suæ ætatis Episcopis, qui, S. Cypriano teste lib. de Lapsis, dandam mœchis pœnitentiam non putarunt. Verum præterquam quod ex Scripturis ille ibidem contrariam sententiam comprobet, de omnium peccatorum veniæ potestate in Ecclesia, Auctor adhuc catholicus Tom. II. lib. de Pœnitentia, quem ibidem ille imitatur disertis verbis : *Pœnitentiam de omnibus delictis necessariam* deducit. Atque hoc est, quod dicit libro de Pudicit. cap. 1. num. 9. *adversus meæ quoque sententiæ retro penes illos societatem*, et haud absimiliter verbis etiam alibi non semel citatis S. Pacianus ad Novatianos verba faciens : Tertullianus post hæresim vester est, nam multa inde sumpsistis. Ipsum Epistola sua, et ea quam catholicus edidit, audies confitentem : *posse Ecclesiam peccata dimittere.* Item et S. Hieronymus dum dicit Tertullianum in libro quem de pudicitia adversus Pœnitentiam scripsit, sententiam veterem nova opinione dissolvisse, in hoc secutum insanas et blasphemas fœminas suas. Quibus addere licebit lectori scripta illa veterum omnia de *Pœnitentia*, quorum a nobis facta est mentio. Tom. II. dict. lib. de Pœnitent. cap. 1. et quæ a nobis dicta sunt, tum ad illum librum, tum ad alterum illum de Pud. ubi ad singula Auctoris in contrarium argumenta plerumque ex Paciano respondimus, adducta ad id præterea Scripturarum aliquot explicatione sæpe ex ipso Tertulliano. Citavimus etiam ad cap. 9. num. 72 et 73. S. Hieron. Epist. ad Damas. de duobus filiis, ubi ex professo contra Auctorem agit, et inter cætera etiam defendit, publicanos fuisse, non ethnicos, quod ille volebat, sed Judæos, idque exemplis, Matth. ex circumcisione Apostoli, publicanorum a Joanne baptizatorum, et publicani orantis in templo, Luc. V. VII. ac XVIII. qui si ethnici fuissent, cum illis Christus non habuisset convivium, ne legem solveret, neque hic in templum admissus fuisset. Et vero quoties id in Christo denotabant, quod cum publicanis cœtum communicaret, fere simul conjunguntur peccatores et publicani : atque adeo quod cum ethnicis convivaretur, non reprehendebatur, sed quia cum peccatoribus. Quo pertinet Pharisæi murmuratio, Luc. VII. de Peccatrice fœmina, in qua *pœnitentiam* agnoscit et *veniam* ipse Tertul. lib. IV. adv. Marc. cap. 18. num. 265. quam tamen ethnicam, nusquam Auctor *audet* dicere, quia ejus castellum Hierosolymis vicinum fuisse constat, Joan. XI. Neque pro auctore quidquam facit illud : *Non erit vectigal pendens ex filiis Israel* : quia, etiamsi non deberent pendere vectigal, antequam, Deo sic disponente, Romanis subjecti essent; quanquam odiosum fuisse publicanorum exercitium satis constet et infame, tamen sine peccato etiam potuisse exerceri, videtur ex illis Joannis Baptistæ ad illos verbis (Luc. III.) : Nihil amplius

Digitized by Google

quam constitutum est vobis faciatis, sive uti ex Græco vertitur, *exigatis*. De cæteris dictas Annotationes nostras consulat studiosus Lector.

28. De Psychicis, quo nomine Catholicis calumniam fecit. *Tom.* III. *Adv. Marc. lib.* IV. *c.* 22. *num.* 225. *advers. Prax. cap.* 1. *num.* 17. *Tom.* V. *lib. de Monogam. cap.* 1. *num.* 4 *et* 5. *ac cap.* 11. *num.* 86. 87. 88. *et cap.* 16. *nu.* 120. *lib. de Jejun. adv. Psychicos integro, et lib. de Pudicitia, cap.* 1. *num.* 8. *cap.* 6. *num.* 47. *cap.* 10. *num.* 83. *et cap.* 21. *num.* 190.

Psychicos, *animales* intelligi, satis comprobavimus, vel ex Apost. I. Cor. II. ad initium lib. de Jejun. advers. Psychicos. num. 2; quod nomen jam in hæresin lapsus, catholicis impingit, suos Montanistas e contrario *spiritales*, quod spiritum Paracletum Montanum sequerentur, nuncupans; illis calumniam faciens quasi prorsus animales, *passivitatem*, id est, licentiam vitæ sequerentur, utpote ad secundas nuptias transeuntes, martyria fuga vitantes, et jejunia Montanistica improbantes. Verum miser non animadvertit, Montanum animalem vitam gessisse, utpote quum scorta essent Priscilla et Maximilla, quæ, relictis maritis, Montanum sequebantur, et earum assecłæ martyria Christo negato evaserint; et si quid passi sint, ob latrocinia ante acta id toleraverint; denique etsi tres Quadragesimas (de quo mox latius) celebrarent, tamen reliquo anni tempore genio indulgebant. Neque tamen novum id hæreticis, ut catholicos *Psychicorum* nomine appellarint, seque spirituales; nam idipsum ridet auctor in Valentinianis lib. contra Valent. c. 29 et 30. S. Irenæum secutus: quod post hos etiam scripsit B. Epiphan. l. de Hæres.

29. De Quadragesimis duabus. *Tom.* V. *lib. de Jejunio advers. Psychicos, in earum defensionem conscripto, maxime cap.* 15. *num.* 90.

Quum Montanistæ tres observarent quotannis plenas septem septimanarum Quadragesimas, in hoc ab illis dissensisse videtur Tertullianus, quum separatu ab illis cœpit habere conventicula, quod duas duntaxat, sic enim ille: *Quantula est apud nos interdictio ciborum? duas in anno hebdomadas Xerophagiarum, nec totas, exceptis scilicet Sabbatis et Dominicis, offerimus Deo.* Neque tamen propterea illi hæretici censendi sunt. Nam Amalarius lib. I. de divinis Offi. cap. 36. et lib. IV. cap. 37. describit piorum quorumdam Jejunia, qui tres Quadragesimas observarent: unam ante Pascha, juxta traditionem Apostolicam, alteram ex devotione ante S. Joannis aut potius post Pentecosten, tertiam vero ante Nativitatem Domini; nec absimiliter secundam Quadragesimam pro Pœnitentibus recenset Micrologus noster lib. de Observa. Eccles. cap. 35. quæ etiam hodie quibusdam Monachis in usu est. Quo pertinet et illud S. Hieron. Epist. ad Lucin. Beticum, ab Amalario citatum: Utinam omni tempore jejunare possimus, quod in Actibus Apostolorum diebus Pentecostes, et die Dominico Paulum Apostolum, et cum eo credentes fecisse legimus; item jejunia illa strictissima priscorum monachorum, tam ab illo quam a Theodoreto et Nicephoro late descripta. Verum hoc pro hæresi in Montanistis damnatum est, quod necessitatem observandi has Quadragesimas, seu tres, seu duas usque adeo urgerent, ut vel eo nomine catholicos *Psychicorum*, id est, sicuti jam dictum est, *animalium* hominum appellatione calumniarentur, quod secum eas observare nollent. Atque hoc est quod Epist. 54. ad Marcell. adv. Montanum urget S. Hieron. Nos (inquit) unam Quadragesimam, secundum traditionem Apostolorum, tempore nobis congruo jejunamus, illi *tres in anno faciunt Quadragesimas*, quasi tres passi sint Salvatores, non quod et per totum annum, excepta Pentecoste, jejunare non liceat, sed quod aliud sit, necessitate, aliud voluntate munus offerre. Hinc et Eusebius (juxta emendatiorem ex Græco translationem, antea corruptam a quibusdam, uti in universum Jejunia Ecclesiastica tanquam Montanica damnarent) lib. V. Eccl. hist. cap. 17. Theodor. hæret. fabul. lib. III. de Montanistis, et Nicephorus lib. IV. hist. Eccl. c. 22. Montanum novas Jejuniorum leges præter Ecclesiæ consuetudinem introduxisse et sanxisse scribunt.

30. De Repudio christianis licito, ita ut alteram ducant, adulterii caussa. *Tom.* II. *lib.* II. *ad Uxor. cap.* 1. *num.* 4. *Tom.* III. *lib.* IV. *adv. Marc. cap.* 34. *num.* 537.

Videtur quidem prima facie tale quid Tertullianus sentire, quum *divortium* comparat *excessui mariti*, uti magis probet post hunc non licere alteri nubere, sicuti non licet post divortium nisi adulterii caussa. Verum sese explicat tom. V. lib. de Monog. cap. 9. num. 70. et cap. 11. num. 89. Priori quidem loco, de repudiata uxore sic loquitur: *ut in totum sive per nuptias, sive vulgo, alterius viri admissio, adulterium pronuntietur a Deo;* et mox clarius, *per mortem utique, non per repudium facta solutione, quia repudiatis non permitteret Apostolus nubere adversus pristinum præceptum.* Valeant itaque Erasmus et ejus assecłæ qui pro se auctorem perperam citant. Certe contrarium jam definitum est Concilii Trident. sess. 34. can. 9.

31. Circa Trinitatem. *Tom.* I. *Tertull. Apolog. cap.* 21. *n.* 316. *et lib. advers. Hermogen. c.* 3. *n.* 15. *l. advers. Prax. c.* 3. *n.* 29. *c.* 3. *n.* 34. *c.* 4. *n.* 39. *c.* 8. *n.* 55. 59 *et* 60. *c.* 9. *n.* 62. *ac.* 63. *Item tom.* V. *Novatian. l. de Trinit. c.* 11. *n.* 56. *c.* 22. *n.* 98. *c.* 24. *n.* 106. *et c.* 31. *n.* 141.

De *Trinitatis fide*, id est, trium Personarum, *Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, sed unius essentiæ, non dubitasse Tertullianum, ex compluribus ejus locis manifestius est quam ut probatione sit opus, maxime toto libro ejus argumenti, imo et tituli juxta editionem nostram adversus Praxean, ubi adversus illam ejusque sectatores Montanistas, qui *secundum Æschinem* dicebantur, non modo probat *eum-*

Digitized by Google

dem non posse dici Patrem et Filium, sed etiam dissertis verbis asserit : *Regulam fidei quæ ab initio Evangelii decucurrit unitatem in Trinitatem disponere : Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum.* Nec aliter Novatianus, libro de Trinitate, *Regulam fidei* proponit, c. 1. 3. ac 29. qua *credamus in Deum Patrem et Dominum omnipotentem, rerum omnium perfectissimum creatorem, et in Filium Dei Jesum Christum Dominum Deum nostrum, et etiam in Spiritum Sanctum.* Verum dum illis Paradoxa *circa Trinitatem* ascribimus, hoc solum volumus, subinde ipsos, utpote ante omnem de Trinitate hæresim, obscure loqui in hac materia ; et ut ne quis inde fortassis occasionem sui erroris aut hæreseos accipiat, quomodo sano intellectu tales loci explicari possint, adjicimus, omittentes jam primum Rhenani calumnias in scholasticos theologos, quas habet illa sua ad lectorem admonitione de quibusdam Tertulliani dogmatis : maxime quod calumniam faciat ipsi quoque Tertulliano, tum in locis quibusdam corruptis, aut male intellectis, de quibus mox latius, tum in eo quod falso illi hæresim adscribat putantium in Eucharistia corpus Christi tantum esse in figura, a qua illum vindicavimus Annot. nostris in lib. IV. adv. Marc. cap. 40. n. 662. tum quod inter dogmata sive Paradoxa ponat, quæ ille pulcherrime non solum de pœnitentia publica, sed etiam de confessione secreta, vel ipso fatente, late deducit in libro de Pœnitentia, de quo etiam dubitare non est veritus an Tertulliani esset, quum tamen S. Pacianus ex illo multa descripserit. Quo magis miror, non solum retentam fuisse in postrema anni 1580. editione parisiensi dictam illam admonitionem integram, sed præterea universos errores Rhenani hæresim plerumque sapientes, sine addito antidoto : usque adeo ut catholicus lector mihi monendus sit, non minus illas illi cavendas annotationes, etsi subinde omisso Rhenani nomine, quam eas quæ per Pium IV. et V. romanos pontifices interdictæ sunt in editionibus prioribus, donec repurgatæ fuerint. Verum ad rem veniamus. Primum ubi sic loquitur Tertullianus in Apolog. et adv. Praxean : *Tres sunt non statu, sed gradu, nec substantia, sed forma ; nec potestate, sed specie ; unius autem substantiæ, et unius status, et unius potestatis ; quia unus Deus, ex quo et gradus isti et formæ et species ;* vocat *statum*, quod scholastici, et ipse quoque *substantiam; gradum*, quod illi *notionem; formam*, quod illi *proprietates; speciem*, quod illi *habendi modum.* Deinde illud lib. adv. Hermog : *Fuit tempus, quum dclictum et filius non fuit*, ex zelo secundum scientiam dictum est vehementius, ut ostenderet materiam non esse æternam ; volens per hoc significare duntaxat, quod habet S. Hilarius lib. XII de Trinit., solum Patrem æternum, Filium autem illi coæternum esse, ut omittam quod ibidem ad similia verba, quæ sibi ex persona Ariani proponit respondeat : Hoc humanum sensum et intelligentiam excedere mundi, non hoc capere rationem humanæ intelligentiæ, sed prudentiæ fidelis professio em esse. Seipsum autem explicat eodem sensu auctor lib. adv. Prax. c. 5. n. 43. et seq. et totius cap. 6. ac 7. Deinceps his verbis eod. lib. adv. Prax. *Filio et Spiritu Sancto secundum et tertium sortis locum, tam consortibus substantiæ Patris :* id vult quod dicunt scholastici, duabus emanationibus productos Filium et Spiritum Sanctum a Patre improducto ; aut *Filium esse secundam personam, et tertiam Spiritum Sanctum*, sicuti postea non semel loquitur. Verum perperam illi impingit ibidem Rhenanus, quasi Filium et Spiritum Sanctum appellet *membra, priora, et instrumenta*, quum ea verba referantur potius *ad angelos, alienos a substantia Patris*, qui tamen monarchiam Dei non evertunt. Similiter quum Spiritum Sanctum tertium gradum dicit, *gradum* intelligit originem. Quod rursum lib. adv. Prax. προβολήν non solum Spiritui Sancto, sed etiam Filio ex Patre attribuit, malunt ita distinguere SS. Hilarius ac August. libris de Trinit. et alii Patres posteriores, ut generationem Filio, processionem attribuant Spiritui Sancto. Quod ibidem eam interpretatur *prolationem rei alterius ex altera*, intelligit personas realiter non essentialiter disjunctas, sequitur enim : *quia prolatum dicimus Filium a Patre, sed non separatum.* Commode etiam sunt interpretandæ propositiones illæ : *Omnis origo parens est, et omne quod ex origine profertur, progenies est;* item : *Trinitas per connexos et consertos gradus a Patre decurrens.* Jam vero ibi : *Pater est tota substantia, Filius vero derivatio totius et portio :* totum accipit pro pleno seu plenitudine, non aliter atque scholastici doctores, dum dicunt : Pater plenitudinem deitatis possidet, in primo signo originis, quia a se eam habet : Filius in secundo signo originis, quia ab uno per generationem communicatam a Patre ; Spiritus Sanctus in tertio signo, quia a duobus per spirationem eamdem numero essentiam accipit. Atque hoc est quod aliis verbis postea auctor extulit : *Ex uno Patre omnia, quæ in Deo per substantiæ unitatem, et in unitate Trinitas unius substantiæ.* Item : *unitas in semetipsa derivans Trinitatem, non destruitur ab illa, sed administrans* ; ut *tota substantia* sit idem quod una substantia indivisa in tribus. Denique videtur *Filius* ab Auctore appellari *portio*, quia nec Pater, nec Spiritus Sanctus est, tametsi, unus Deus sint tres personæ, et non Filius, qui Pater, nec Pater qui Spiritus Sanctus. Quum vero dicit ibidem : *Patrem majorem* esse Filio, intelligi debet, non quoad deitatem quæ sit minor in eo, sed quatenus (sicuti indicant verba sequentia) a Patre generato genitus. Atqui quanquam hic satis obscure dicatur : *Ipsum quod Pater et Filius dicuntur, nonne aliud pro alio est?* pulchre seipsum explicat postea, ita ut cum scholasticis in eo consentiat, quod *alius dicatur Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, sed non aliud*, eo quod non sint idem Pater, Filius et Spiritus Sanctus, et tamen ejusdem substantiæ. Si quæ præterea sunt alia dicto lib. adv. Praxean, quæ durius aut obscurius dicta sint, meminerit lector totum hunc librum caute legi et commode intelligi debere. Ad *Novatiani* redeamus *librum de Trinitate.* Imprimis quod habet

Digitized by Google

c. 11. *divinitate sermonis in ipsa concretione permixta*, etsi quid tale inveniatur jam dicto lib. adv. Praxean, intelligi debere de permixtione unionis, non vero permixtione naturarum divinæ et humanæ, ibi annotavimus n. 56. id comprobantes ex aliis pluribus ejus libri locis. Est fides recta (juxta Athanasii Symbolum) ut credamus et confiteamur quod unus sit Christus, non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum, unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Deinde illud ibidem : *Ante quem nihil præter Patrem*, eodem intellectu accipiendum, quo id quod supra adduximus ex Tertul. lib. advers. Hermog. juxta quod annotavimus ad eumdem lib. cap. 31. num. 141. Nec aliter quam jam diximus, quod ibidem *minorem Patre* dicit *ut Filium*. Caute etiam debet legi illud, quod videatur non aliam *unitatem Patris et Filii* interpretari quam *societatis concordiam*, afferens perperam ad hoc locum, I. Cor. III. pro sua sententia ; quia catholica fides et Scripturæ etiam veritatem essentiæ agnoscunt in Patre et Filio. Denique quod de Spiritu sancto non videatur consentire catholicæ Patrum traditioni ex Scripturis, factum putamus, non quod negaret Spiritum Sanctum æqualem Patri et Filio ; sed nondum re definita, obscurius solent loqui Patres veteres ob materiæ summam obscuritatem, ita tamen ut commodum aliquem sensum patiantur.

PROVERBIALES
FORMULÆ TOTO OPERE

HOC TERTULLIANICO CONTENTÆ, BREVIBUS SCHOLIIS ILLUSTRATÆ,

AUCTORIBUS BEATO RHENANO ET AND. HOYO BRUGENSI.

Beatus Rhenanus and Andreas Hoy

1. Abiit jam, et reverti debet. *Tom.* I. *lib. de Testim. Animæ, cap.* 4. *num.* 22.

Proverbii hujus, quod Teutonis Gallisque etiam usitatum, usum ipse Tertul. fusissime explicat : ut, abiisse hominem, sit, e corpore excessisse animam, atque ita inter vivos esse desiisse. Sic Græci uti his verbis solent, οἴχεσθαι, κατοίχεσθαι, ἀπέρχεσθαι, ὑπογίνεσθαι, hoc est mori : quæ omnia abitum excessumque significant. In dictiuncula *jam*, quæ longum spatium innuit, tota Proverbii vis videtur consistere. Tanta vis fuit veritatis de resurrectione et immortalitate animæ, ut ea ex hominum animis, ne in tantis quidem vanarum opinionum tenebris, a majoribus veluti per manus tradita, potuerit evelli, sed trito usitatoque proverbio sit frequentata, de iis qui jamdudum essent defuncti ; quasi præsumerent, hoc est præciperent, et anticiparent animis, corporum resurrectionem, sive animorum qui excesserant, ad sua corpora reditum, ἀναστροφήν, ἀνάστασιν, hoc est, *Reverti*, ἐπαναστρέφειν, ἢ ἀναβιοῦν.

2. Abruptum amplissimum salire. *Tom.* III. *lib.* V. *adv. Marc. cap.* 14. *num.* 231.

Salire, pro transilire vel saltu transmittere. Ut sit omnino, aut verba saltem intermedia præmittere. Ab iis sumptum qui malunt compendium facere itineris, saltu, quam dispendium commodiore ambulatione. Sic, « Maximum campum levissimo saltu transvolas, » Scaliger ad Cardanum. Explicat se mox Tertullianus : *Ademisti tanta de Scripturis*, hoc est, intercidisti, rejecisti et abrupisti, ut lacunæ in librorum contextu permagnæ exstent. Lib. V. adv. eumdem. *Quantas foveas in Epistola fecerit, auferendo quæ voluit.* Virg. libro IV :

His medium dictis sermonem abrumpit.

3. Acie figere. *Tom.* I. *lib. de Pall. cap.* 4. *n.* 84.

Est acute, intentis et quasi defixis in rem oculis intueri, ἀτενὲς ὁρᾶν. Virgil.

. . . . . Oculos horrenda in Virgine fixus.

Ut qui vestibus a naturæ moderatione alienis, hominesque transversos de recto statu agentibus induti, palam conspiciendos se, aut potius deridendos præbent, omnium oculos in se convertere velle videantur. Ut tamen hujusmodi inspectio, sive spectatio, quam captant, cum probro contumeliaque eorumdem gestantium, sit conjuncta, ut non laudi, sed vitio vertat. Huic subjungitur : *Digito destinare*, *Nutu tradere*. De quibus infra.

4. Acies macheræ exerta. *Tom.* V. *lib. de Pudicit. cap.* 14. *num.* 115.

Quum quasi plenæ juris, auctoritatis et potestatis habenæ effunduntur in aperta objurgatione. Apud Virgil. « Ense incluso ibat. » Cui contrarium est illud Cic. I. in Catil. « At nos vigesimum jam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis. Habemus enim Sen. Cons., verumtamen inclusum in tabulis, tanquam gladium in vagina reconditum. » Sic in Apio : Dentes exerti ad vulnera infligenda acuti et erumpentes.

5. Nihil ad Andromacham. *ibid. cap.* 8. *n.* 65.

Alludere videtur ad veteris alicujus tragici fabulam, nomine *Andromachæ* inscriptam. Et ex Tertull. colligere est, nihil aliud isthoc proverbio significari, quam hisce : Nihil ad versum, nihil ad Bacchum, οὐδὲν πρὸς ἔπος, ἀπροσδιόνυσα, hoc est, aliena a re. Nam hæreticos cum histrionibus comparat. Hi allegoricos gestus accommodantes canticis, alia longe a præsenti et fabula et scena exprimunt (ut videatur ad græca proverbia respexisse, ἐκτὸς χοροῦ ὀρχεῖσθαι, vel ad τὸ ἄκος-

Digitized by Google

χεῖσθαι (extra chorum saltare, et desaltare); illi, hæretici scilicet, easdem parabolas quo volunt tribuunt, non quo habent aptissime excludunt.

6. Ad scamma producere. *Tom.* II. *lib. ad Martyras, cap.* 3. *num.* 44.

Rhenanus. Locus certaminis in quo congrediuntur athletæ σκάμμα Græcis dicitur quod is fossa cingi soleret, παρὰ τὸ σκάπτειν. Hinc proverbialiter dictum D. Hieron. de *scammate* et loco certaminis egredi; pro eo quod est : A proposito digredi, sive lineas transilire. Sic enim apud illum legendum, scribentem adversus errores Joannis Hieros. ad Pammachium. Quum ergo ista quærantur, inquit, cur tu, omissis super quibus pugna est, de *scammate* et loco certaminis egrediens, in peregrinis et longe alienis disputationibus immoraris? Porro seipsum exponit, quum addit : *Et loco certaminis. Et*, enim idem valet, quod : id est. Non omittendum, valde signanter loqui Tertull. Nam athletæ et gladiatores produci dicuntur in spectaculis ab ipsis muneratiis qui ludos edunt. Sic mox : *ut ad stadium tribunalis bene exercitati incommodis omnibus producamur.* Ex sententia Tertull. est in theatrum, arenam, locum publicum certaminis adducere, ostentandi periclitandique artem, vires, gratia, et præmium, sive βραβεῖον auferendi, in arenam descendere. Paulus Leopard. lib. I. Miscell. cap. 22. vocis significatum explicat : et *scamma* Erasmi et Cælii refutat. B. Ambros. lib. I. Offic. « Adhuc athletæ in *scammate* sunt, » etiam proverbialiter, quasi dicat : Etiamnum de præmio certatur, et palma dubia est.

7. Ad quod venimus, hoc age. *Tom.* III. *lib.* IV. *advers. Marc. cap.* 7. *num.* 65.

In sacris imperari solitum silentium, his verbis : Favete linguis; et Græce, σῖγα πᾶς ἵστω λεώς, et eadem de caussa clamari solitum : *Hoc age.* Idque Plutarchus in Numa dicere videtur : ὧν ἴχνός τι μέχρι νῦν διασώζοντες, ὅταν ἀρχὰν πρὸς ὄρνιθα ἢ θυσίαις διατρίβῃ, βοῶσιν ὧν ἄγε. Muret. Variar. Lect. 15. lib. Proverbium igitur erit, quo ad rem institutam attentum aliquem esse jubemus ut in eam unam tota mente incumbat, ut nec verbis aliud usurpet, nec in animo secum cogitet.

8. Ex ære collatitio. *Tom.* III. *lib. adv. Valent. cap.* 12. *num.* 136.

Rhenanus. Qanquam hic symbolæ et collationis fit mentio, (nam Tertull. *conferunt*, inquit, *in medium*, et mox, *unum omnes bonum conferebant.* Item Irenæus : Unumquemque, inquit, eo quod habebat in se optimum florentissimumque conferentes, collationem fecisse. Rursum mox : Et secundi Christi, quem Soterem dicunt, ex collatione composita fabricatio) nihilominus, quando vel exemplaria constanter habent : *ære collatitio*, video non tam *collatitio* legi posse, quod omnibus obvium est, quam *collocatitio*, pro ære mutatitio et alieno; quod in unum conferentes boni viri, et apud amicum negotiationi intentum collocantes, sic illum quum ornant, tum adjuvant, prius ab eo cavente. Unde fortassis vulgo Afrorum usitatum id temporis proverbium, ut *ære collocatitio* aliquid fieri diceretur, aut dives quispiam esse jactaretur, qui propriis opibus non polleret, sed commodatitiis et alienis. Sane apud Irenæum alio loco de hoc ipso Sotere legitur : In eum disponentibus velut florem suum, ut *collocatitium*, sit hic depositicium. Idem sensus erit, *si collatitio* legas, aut certe non magnopere diversus. Equidem apud veteres multa fiebant *ære collato;* quibus operibus inscribebantur hæ notæ : Ære col. Ad quem morem fortassis hic respexit Tertullianus. Stips collatitia quæ in pauperum usus erogatur; et *collatio* sive collecta, quæ et indictio, pensitationis pecuniariæ genus est, et σύμβολον, collatio in cœnæ apparatum sive pecuniaria, sive penuaria. Unde *Cœna collatitia* sodalium aut contubernalium accubatio, ubi suas quisque afferunt epulas, ἔρανος, proverbium in eos conveniet qui per se nihil valent, sed toti alienis nixi sunt opibus, quibus substractis corruant, et fide fortunaque fiant expertes. Divites in ære alieno, uti Horatius dixit : Meo sum pauper in ære.

9. Æsopi graculus. *Ibid. cap.* 12. *num.* 139.

Rhenanus. De hoc exstat Apologus inter eos qui *Æsopo* vulgo tribuuntur. Unde Græcis natum proverbium : Αἰσώπιος κολοιός, id est, *Æsopicus graculus.* Dicto solitum in eos, qui aliena pro suis ostentant. Horat. 3. Epist. lib. I :

Quid mihi Celsus agit? monitus, multumque monendus
Privatas ut quærat opes, et tangere vitet
Scripta, palatinus quæcumque recepit Apollo.
Ne, si forte suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula risum
Furtivis nudata coloribus.

Gabriæ μυθολόγου τὸ ἐπιμύθιον ad sententiam Tertull. est plane accommodatum.

Ἀλλοτρίοις πτεροῖσιν ἡμφιεσμένος
Ηὐχεῖ κολοιὸς ὀρνίων ὑπερφέρειν·
Πρῶτον δὲ δῶρον ἡ χελιδὼν ἥρπακε.
Μεθ' ἣν ἅπαντες εἶτα· γυμνὸς εὑρέθη.
Ἐπιμύθιον· τὸ ἐξ ἑράνου κάλλος διαλύεται.

Quod sic vertimus :

Dum jactat alienis amicta plumulis
Præstare volucres cæteras cornicula;
Hirundo primum deripit munus suum,
Exinde reliquæ, et nuda tandem cernitur.

10. De Æsopi puteo Asinus. *Tom.* III, *lib.* IV. *advers. Marc. cap.* 23. *num.* 349.

Ut subaudiantur verba : *modo venis*, *modo apparuisti.* In eum qui aliunde incognitus, nullaque celebritate nominis præclarus, et quasi ex angulo modo advenit; qui latuit, sive ut verbo Horatiano utar, fefellit hactenus, quique subito magnum quid et præclarum audeat jactare, imo auctoritatem et gratiam, cum fama sibi vindicare. Quum Apologus inter Æsopicos hic non exstet, futile esset aliquid hic ex conjectura afferre, unde eorum sit proverbium, quidquid alii nugentur περὶ τῆς τοῦ ὄνου παρακύψεως.

Digitized by Google

11. Agina media, *seu* Aginæ æquilibrio ferri. *Tom.* III. *lib. advers. Hermog. cap.* 41. *num* 142. *et Tom.* V. *lib. de Pudic. cap.* 9. *num.* 73.

In lib. de Pudicit. *Non enim admittetur exemplorum adæquatio, licet in agina congruentissima, si fuerit saluti nocentissima.* Si, ut ait Rhenan. ex Festo, *Agina* est foramen illud in quo inseritur scapus trutinæ, hoc est, in quo agitur sive vertitur trutina, et tum in media *agina* consistere trutina dicatur, quoties accidit æquipondium, ut neutra pars propendeat: idem erit cum Ansa (quantum ad Proverbii usum), quæ est λαβή, in quo examen vertitur, sive in cujus meditullio lingula obversatur, et huc illuc nutat, dum lancibus æquatis respondeat summo puncto, hoc est, neutro inclinet, sed æquo momento discrimen partiatur. Usus proverbii esse poterit in eos qui neutrarum partium sunt, sic ut neque hos, neque illos offendant. In eos qui virtutes amplectuntur, quæ mediocritates sunt quædam inter extrema vitia constitutæ. In judices integros, et similia. Videantur Annot. Pamelii.

12. Alexandro sublimior. *Tom.* I. *Apolog. cap.* 11. *num.* 173.

In elati excelsique animi homines. Decantatissima animi in *Alexandro* Magno altitudo, quæ in dictis juxta ac factis enituit. Qui nihil sibi quod ipse perficeret, a patre relinqui, puer doluerit; qui in Olympiis stadium decurrere, nisi cum antagonistis regibus, recusarit; qui asiaticum regnum dispertiri cum Dario, rebus integris, noluerit; qui quum ab Anaxagora innumerabiles esse mundos audiisset, illacrymarit, qui nedum unius dominus esset factus.

13. Amazona audacior. *Tom.* III. *lib.* I. *advers. Marc. cap.* 1. *num.* 14.

Amazones, vel *Amazonæ*, singulare omnium sæculorum exemplar, inquit Justin. lib. II. Quarum audaciæ plus quam virilis plena facinora, bella, expeditiones commemorantur. At quoniam audacia in muliebri sexu cum impudentia plerumque est conjuncta, proverbium in eos conveniet, qui impudenter sunt audaces et temerarii. Videantur annot. Pamelii.

14. Aries in nos temperatur, quo quassatur caro. *Tom.* III. *lib. de Resurr. car. cap.* 5. *num.* 43.

Aries, trabs funibus tensa, suspensa, cujus caput ferro vestitur, ut durissimam, arietis instar, frontem videatur habere, et more etiam arietis retro ducitur, ut majore impetu feriat, subruatque muros. Hinc verbum *temperari*, quod in apparatu et libratione in ictus destinata, arte opus esset et certa temperatura. Subjungit Tertullianus verbum *quassatur*. Virgil. Pulsabant ariete muros, Labat ariete crebro janua, Arietat in portas. Cicero, Aries murum percusserit. Proverbialiter dici poterit, pro eo quod validum argumentum nobis objicitur, quod difficile sit dissolvere. Aperta vi oppugnamur. Ut arietes et cuniculi in argumentis, inter se opponantur.

15. Aristide justior. *Tom.* I. *Apolog. cap.* 11. *num.* 173.

Tam celebris apud Græcos, et præsertim Athenienses, justitia et æquitas *Aristidis*, ut τοῦ δικαίου cognomentum meruerit. Tanta non legum modo, sed æqui boni etiam fuit in homine observantia; ut hoc solo nomine in exsilium ab improbis sit ejectus, et diversis studiis cum Themistocle Remp. administrarit.

16. Aspis a vipera venenum mutuatur. *Tom.* III. *lib.* III. *adv. Marc. cap.* 8. *n.* 53.

De *Aspide* sic Plin. lib. VIII, cap. 23. Colla *aspidum* intumescere nullo ictus remedio præterquam si confestim partes contactæ amputentur: tam præsentaneum scilicet est venenum. De *vipera*, eodem lib. cap. 29. Serpentum *vipera*, sola terra dicitur condi, cæteræ arborum aut saxorum cavis. Sed Aristot. lib. V. de Natura animal. contra tradit *viperam* sub petris sese condere, reliquas serpentes in terra abdi; omnes secessus tempore veneno orbe dormiunt. Lib. 7. cap. 2. ait qui montem Athon incolant, *viperinis* carnibus ali. Quod certe argumentum est veneni minus efficientis. Proverbio igitur isto significabitur pestilentissimum a minus malo ad nequitiam edoceri.

17. Attalicæ divitiæ. *Tom.* V. *lib. de Jejun. cap.* 15. *num.* 93.

Si *Attalicæ* legatur, nihil difficultatis; notæ *Attali*, Regis Pergameni, *divitiæ*, queis pop. Rom. ex hereditate adierit. De quo Horat. in Odis:

> Non opes neque *Attali*
> Ignotus hæres regiam occupavi.

Et *Attalicis* conditionibus. Ut magnificæ et supervacaneæ illæ *divitiæ* atque deliciæ, pani opponantur; hoc est simplicissimo victui. Sin *Attellanæ*, personatæ illæ in cultu et vestibus lautitiæ intelligentur. Nam *Attellanis* (ex Atella Campaniæ oppido) histrionibus celeberrimis, hoc jus concessum erat, ut Personam in scena deponere non cogerentur. Unde fabulæ personatæ pro *Attellanis* κατ' ἐξοχήν. Dicetur in vestitum supervacaneum, et ad luxum ostentationemque comparatum.

18. A toga ad pallium. *Tom.* I, *lib. de Pallio cap.* 5. *n.* 94. *et cap.* 6. *n.* 116.

Rhenanus. *Pallium* Græcorum erat et philosophorum. Hoc etiam Romani, *toga* rejecta, amicichantur. Hinc illud admirantis vulgi dicterium de potentioribus ad christianam religionem transgressis, *A toga ad Pallium*. Unde motus Tertull. ut scriberet pro *Pallio* librum. Ammian. Marcell. de Juliano. Aug. Namque in pace, inquit, ejus mensuram tenuitas erat recte noscentibus admiranda, velut ad *pallium* mox reversuri.

19. Cæcus a cæco in eamdem deductus foveam. *Tom.* III, *lib.* III, *adv. Marc, c.* 7. *n.* 44.

Proverbium vel ipsi Servatori usitatum, Luc XVI. quoties indoctus indoctum docere conatur, vel imprudens imprudenti dare consilium, atque ita in eosdem errores, aut pravas opiniones secum præci-

Digitized by Google

pitat. Tertullian. sic interpretatur. Ab eodem ratiohem errorum et ducatum mutuari.

20. Cæcus in petram offendit. *Tom.* III. *lib.* V. *adv. Marc. cap.* 7. *num.* 119.

Tertullianus allegorice de Marcione qui, errorum pravitate excæcatus, male de Christo (petra spiritali) sentiret. Non absimile : Impingere in scopulum, lib. de Trinitate, cap. 28. *Duobus istis locis, quibusdam effossis luminibus orbatus, totus in doctrinæ suæ cæcitate superatus.* Usurpabitur in eum quem opinionum perversitas ad absurda quæque præcipitem agit.

21. Cædere cominus. *Tom.* III, *lib.* II. *adv. Marc. c. ult. num.* 205. *et lib.* III. *c.* 5, *n.* 14.

Cominus *cædere*, *cominus* dimicare, συστάδην μάχεσθαι, καὶ ἐγγύθεν; cui contrarium, πόρρωθεν, διὰ δοράτων ἢ βέλων. Translatum a bello, in quo nunc conserti pugnant gladiis, et conserere, sive conferre manus dicuntur, nunc machinis aut etiam amentis procul tela in hostem torquentes. Utemur eo, quum significare voluerimus nos rem propius, seu de propinquo velle expendere, agitare, argumenta ex rei ipsius natura, non extrinsecus assumpta, ad infirmandam alicujus sententiam afferre.

22. De calcaria ad carbonariam. *Tom.* III, *lib. de Carne Christi, cap.* 6. *num.* 52.

Rhenanus. *Calcaria* taberna est, ubi calx asservatur aut venditur. Sic *carbonaria* a carbonibus. Usus erit, quum res sordida aut molesta, æque sordida aut molesta mutatur. Et elegans proverbium est, quoties de impuro loco ad nihilo puriorem nos recipimus ; quum ex uno malo in aliud diversum incidimus. Postquam Tertullianus Marcionis respondisset impurissimæ hæresi, ad Apellis æque impuri confutationem sese accingit. Non absimile : E Scylla in Charybdim ; e fumo in flammam. Nisi quod illo Proverbio quædam malorum diversitas, et quasi repugnantia significari videatur, uti calx et carbones, ratione contrariorum colorum repugnant. Sumptumque est ab iis, quibus sordes odiosæ, neque facile vestitum contaminari sibi patiuntur, quod fuligo utrorumque efficit.

23. Campis suis diffundere. *Tom.* V, *lib. de Trinitate, cap.* 6. *num.* 26.

Hæc inter se opponit Novatianus, *Intra hæc corporis nostri lineamenta modum aut figuram divinæ majestatis includere ; et suis illam interminatæ magnitudinis campis sine ullo fine diffundere.* Nota sunt patentia æquora camporum et immensitates, in propria vocis significatione. Et illud Virgil.:

Equites Messapus in armis,
Et cum fratre Coras, latis *diffudit campis.*

Κατὰ τὴν μεταφορὰν hæc : Rhetorum campi ; In aliquo campo Oratorem versari; Ex ingenti quodam immensoque campo in exiguum gyrum Oratorem compellere; et, Hæc latissimum dicendi campum rhętori solent aperire. Ex quibus et hujus et sequentis proverbii usus patet.

24. Campus fusus et latus aperitur. *Ibid. cap.* 28. *num.* 127.

Cui contrarium, non habere satis magnum campum in quo versetur, apud Ciceronem. Novatianus etiam alibi eodem libro : *Hæc breviter sint nobis dicta et strictim posita, et non longa disputatione porrecta. Latius enim potuerunt porrigi, et propensiore disputatione produci.*

25. Capitis supercilio loqui. *Tom.* III. *lib. adv. Hermog. cap.* 27. *n.* 91.

In *superciliis* notatur fastus, qua parte aut negamus aut annuimus. Haud dubie mutuatus ab Homero illud est Tertull. Iliad. α. Thetis ad Jovem :

Νημερτὲς δή μοι ὑπόσχες, καὶ κατάνευσον.
Haud dubitanda mihi promitte atque annue.

Respondet Jupiter :

Εἰ δ' ἄγε τοι πειρὴν καταλεύσομαι, ὄφρα πεποίθῃς·
Τοῦτο γὰρ ἐξ ἐμέθεν γε μετ' ἀθανάτοισι μέγιστον
Τέκμωρ· οὐ γὰρ ἐμὸν παλινάγρετον, οὐδ' ἀπατηλόν,
Οὐδ' ἀτελεύτητον γ' ὅ, τι κεν πειρὴν καταλεύσω.
Ἦ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων.

Id est,

Annutabo tibi capite, ut bene fida quiescas;
Hoc si quidem magnum est diis cum immortalibus a me
Judicium, neque enim revocabile mi, neque fallax,
Quodque tibi capite annutabo, neque imperfectum.
Dicta superciliis Saturnius annuit atris.

Unde Plinius, lib. I. epist. ad Octavium Rufum : Vide in quo me fastigio collocaris, quum mihi idem potestatis, idemque regni dederis, quod Homerus Jovi,

Υἱῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατὴρ, ἕτερον δ' ἀνένευσεν,
Unum concessit voto pater, annuit unum.

Nam ego quoque simili nutu ac renutu respondere voto tuo possum. Huc pertinere non temere existimem : Censorium *supercilium*, quasi qui *supercilio* solo vel damnet, vel probet, quod alii tetricam severitatem interpretantur.

26. Catharticum dare. *Tom.* I. *lib. de Pallio, cap.* 5. *num.* 111.

Καθαρτικὸν ἢ καθαρτήριον φάρμακον, ἢ κάθαρσις, medicamentum ventrifluum, sive quod alvum dejicit. Hinc ὑπήλατον dictum Hippocrati. Explicat se Tertull. *Sermone me suasisti medicamine sapientissimo :* ex græco Senario :

Λόγῳ μ' ἔπεισας φαρμάκῳ σοφωτάτῳ.

Καθαιρεῖν est lustrare et expiare, ad quod alludit Horat. lib. I. epist. 1. loquens de vitiis animi :

Sunt verba et voces, quibus hunc lenire dolorem
Possis, et morbi magnam depellere partem. *Et,*
. . . . . sunt certa piacula, quæ te
Ter pure lecto potuerunt recreare libello.

Huc pertinet, Elleboro purgare, et similia.

27. Catone sapientior et gravior. *Tom.* I. *Apolog. cap.* 11. *num.* 173.

Catum Sabini acutum dixerunt, unde *Catonum* nomen. Hujus autem *Catonis*, apud Tertull. primi et Censorii, elogium habes apud Plinium lib. VII. cap. 27.

Digitized by Google

et apud Ciceron. lib. de Amic. ubi de *Catone* Lælius: Aut enim nemo, aut si quisquam, ille sapiens fuit. Et in lib. de Senect. qui *Catonis* hujus nomine inscribitur.

28. Caucaso abruptior. *Tom.* I. *lib.* I. *adv. Marc. cap.* 1. *num.* 15.

Caucasus, mons Scythiæ vastissimus, cujus, ut ait Plin. lib. VI. cap. 5. juga in colchica Ponti regione ad Riphæos montes torquentur, altero latere in Euxinum et Mæotim devexa, altero in Caspium et Hyrcanium mare, variis nominibus. Virgil. IV. Æneid.:

Duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanæque, etc.

Quibus verbis *abruptum* explicatur. In hominem agrestem, et durum, intractabilem et inhospitalem.

29. Cerebrum vel cor non habere. *Tom.* III. *lib.* IV. *adv. Marc. cap.* 10. *num.* 118.

In hominis *cerebro*, spirituum vitalium receptaculo, suprema et quasi regia rationis potestas; in *corde* totus ipse vitæ fons et sapientiæ sedes. Hinc vecordes et insipidi, *cerebro cordeque* vacui dicuntur. Atque adeo ipsa corporis vitia, si vel *cerebro vel cordi* sint affinita, mentem quoque et actionem labefactant. Notus Æsopi apologus de vulpe caput larvæ admirante, ὦ οἵα κεφαλή, καὶ ἐγκέφαλον οὐκ ἔχει· πρὸς τοῖς κατὰ τὴν ψυχὴν ἀλογίστοις. O quale caput! et *cerebrum* non habet.

30. Cervi in prælio. *Tom.* II. *lib. de Coron. milit. cap.* 1. *num.* 18.

Rhenanus. Proverbialem figuram sapit, natum ut apparet, ex illo Chabriæ apophtegmate, qui dixit, Formidabiliorem esse *cervorum* exercitum duce leone, quam leonum duce *cervo*. Meminit Plut. *Cervus* est simplex et notæ timiditatis animal, cujus omne in fuga præsidium, quum sit pernicissimum. Hinc *cervini* viri dicuntur quum fugæ magis quam viribus fidunt, quique formidolosi sunt. Quibus Mavors, ut ait Virgil. lib. II., ventosa in lingua pedibusque fugacibus. Et apud Hom. Iliad. α Achilles Agamemnoni timiditatem in congressibus præliorum exprobrat:

Οἰνοβαρὲς, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην τ' ἐλάφοιο;
Ebrie, *cervinum* cor habens, oculosque caninos

31. Chrysippus ad elleborum. *Tom.* III. *lib. de Anima*, *cap.* 6. *num.* 89.

Chrysippus, Cleanthis discipulus, homo acerrimo ingenio, de quo versiculus,

Εἰ μὴ γὰρ ἦν Χρύσιππος, οὐκ ἂν ἦ Στόα . . . .
Nisi fuat *Chrysippus*, aut fuat Stoa.

Refert Val. Max. lib. VIII. cap. 7. Carneadem cum *Chrysippo* disputaturum, *elleboro* se ante purgare solitum, ad exprimendum ingenium suum attentius, et illius refellendum acrius. Idem A. Gel. lib. XVII. cap. 15. Carneades Academicus scripturus adversus Stoici Zenonis libros, superiora corporis *elleboro* candido purgavit. Et cap. ubi *ellebori* efficientem et duplex genus explicat. Et Plin. lib. XXV. c. 5. idem Carneadi attribuit, et *ellebori* naturam describit. Tertull. ipsi *Chrysippo* tribuere videtur. *Sententias suas non intelligendo, valetudinis corruptelam suspicari.* Quod Valerius de *Chrysippo* eodem capite scribit: Cujus studium in tractandis ingenii sui monumentis tantum operis laborisque sustinuit, ut ad ea quæ scripsit, penitus cognoscenda, longa vita sit opus. Et ut Cic. de eodem: Quædam, inquit, proponebat, quæ ne ipse quidem potuit dissolvere. At Lucianus fabulatur in II. verar. Narrat. lib. Non licuisse *Chrysippo* in beatorum insulam immigrare, nisi quartum jam sumpto *elleboro*. Alludens huc, quod ter in vita bibisse memoratur. Hinc *elleborum* bibere, edere, eoque se purgare jubentur, qui mentis capitisque vitia sibi levari velint.

32. De cœlo supervenit. *Tom.* I. *Apolog. cap.* 10. *num.* 162.

Videantur Annotationes Pamelii. Explicat Tertullianus in ignotos, et vel ex inopinato apparentes; qui et cœlites et cœlo delapsi, vel e cœlo cecidisse dicebantur, οὐρανοπετεῖς. Illud sumptum videri potest a scenis Tragicis, in quibus fere, ἀπὸ τῆς μηχανῆς θεὸς. Est enim machina supra scenam locus, unde ex improviso Deus aliquis apparebat.

33. De cœlo in cœnum. *Tom.* II. *lib. de Spect. cap.* 25. *num.* 189.

Tertul. *De Ecclesia Dei, In diaboli Ecclesiam tendere.* Et lib. de Coron. milit. *De castris in castra tenebrarum nomen deferre.* Elegantiam affectavit Tertull. ἐκ τῆς παρονομασίας: ut sit luci tenebras, vitæ mortem præferre. Quum ab honestissimis actionibus studiisque, ad flagitia, ad vanas turpesque exercitationes deflectimus.

34. Cœna æstiva post assum. *Tom.* III. *lib. de Anima*, *cap.* 32. *num.* 387.

Videtur innuere Tertullianus in *cœnis æstivis post assum*, hoc est, carnes assas, nihil præterea ferculorum importari solitum, ita ut finis cœnæ fuerit assum. Uti Empedocles in ardenti Ætna probe assus, in nullum aliud corpus est mutatus, atque ideo finis fuit metensomatoseos. Quid si huc alludat? Græcis, qui ova cum turdis et leporinis carnibus ac mellitis placentis, secundas mensas dabant, mos iste fuit, ut in fine cœnæ linguas igne torridas post sermones, degustandas darent. Quare, finitum aliquid esse, nihil esse reliqui, Proverbio significabitur.

35. De Corio suo ludere. *Tom.* I. *lib. de Pallio*, *cap.* 3. *num.* 49.

A Chamæleonte tractum, qui toto corpore reddit colorem quemcumque proximum attigerit, præter rubrum et album. Itaque adagium patet in hominem versipellem, inconstantem ac pro tempore in omnem habitum sese vertentem. Cui simile, Proteo mutabilior.

36. Crœso et Crasso copiosior. *Tom.* I. *Apolog. cap.* 11. *num.* 173.

Crœsi, Lydorum regis, opulentia apud Græcos in Proverbium abiit, qui Cyro Persæ bellum facere ausus. *M. Crasso* apud Roman. divitis cognomentum

Digitized by Google

additum qui in agris suis sestertium vicies mille possedit, et neminem esse divitem, nisi qui exercitum alere possit suis fructibus, dixisse memorat Cicer. in Paradox.

57. Cubito pellere. *Tom.* III. *lib. de Anima, cap.* 55. *num.* 605.

Si quid perperam dictum aut improbius reprehendimus, in latus proximi, cujus dicta non probamus, cubitum impellere solemus, et procul a nobis, quasi abhorrentes, detestationis caussa, arcere. Horat. lib. I. Epist. 6 :

Mercemur servum, qui dictet nomina, lævum
Qui fodiat latus.

Intelligit servum a memoria, sive nomenclatorem. Ubi fodere latus, est manu vel pungere, vel tundere, quod fit monendi, suggerendi, et impellendi gratia. Erit igitur, aspernari et respuere homines tam prava opinione imbutos.

38. Cuneo extrudere. *Tom.* III. *lib.* I. *adv. Marc. cap.* 21. num. 150.

Hoc cuneo veritatis omnis extruditur hæresis. Cuneus, ferreum vel ligneum instrumentum quo, ut ait Virgilius, scindebatur fissile lignum; a cujus forma *Cuneus* in acie pedites conferti, qui juncti cum acie, primo angustius, deinde latius procedunt, et adversariorum ordines rumpunt, quia a pluribus in unum locum tela mittuntur. Quibus opponitur ordinario, quem forficem vocant, quæ lectissimis militibus confertis, in V. litteræ formam componitur, et illum *cuneum* excipit, atque ex utraque parte concludit. Quo facto, aciem non potest erumpere. Ex priore significato sunt illa : Malo nodo, malus quærendus *cuneus;* a sectoribus roborum, pro, Malum malo retundere, et clavum clavo pellere. Ad quæ hic alludere videtur Tertull. In sequentibus ludere videtur altero significato.

39. Cuneo occurrere. *Tom.* III. *lib. de Resurr. carn. cap.* 2. *num.* 18.

Sumptum a re militari. Virgil. :

Agmina densentur cuneis..... *Et,* omnes
Dant *cuneum,* densaque ad muros mole feruntur. *Et,*
Qua globus ille virum densissimus urget.

Eritque valida confertaque alicujus rationibus argumenta opponere.

40. Cuneum primum congressionis armat. *Tom.* III. *lib. adv. Valent. cap.* 3. *num.* 24.

Cui subjungit Tertullianus, *Detectorem conscientiæ illorum, primam hanc victoriam auspicamur.* Sic Antecursores, equites præmissi, solent detegere hostiles copias, insidias, et numerum. Et prima victoria quasi omen est pugnæ. Omnia translata a conflictu martio prælii, ad disputationem, quod est certamen litterarium.

41. Demosthene eloquentior. *Tom.* I. *Apolog. cap.* 2. *num.* 173.

Nihil *Demosthenis* oratoria vi clarius, inquit Valer. Max. lib. IV, cap. 5 et cap. 7, lib. VIII. *Demosthenes*, cujus commemorato nomine, maximæ eloquentiæ consummatio audientis animo oboritur. Quinctil. lib. IX. ejusdem commemorat elogium.

42. Digiti nutu loqui. *Tom.* III. *lib. adv. Hermog. cap.* 27. *num.* 91.

In Apolog. *cum digitorum supputatoriis gesticulis.* Priscis usitata supputandi ratio, quæ fiebat digitorum flexu. A Vener. Beda loquela digitorum, sive per gestum digitorum, dicitur. Alexand. ab Alexand. lib. I. cap. 14. Veteres gestu manus, modo dextræ, modo sinistræ, et digitorum depressione aut circumflexione, sæpe annos dinumerarunt, etc. Ad quem morem alludit Tertull. quum addit : *nutu accommodato; altius tollens, et quasi retro jactans.* Usurpatur in hominem plus nimio sibi sumentem, et pro arbitratu suo, quod lubet, statuentem.

43. Digito destinare. *Tom.* I. *lib. de Pallio capite, num.* 84.

Tertullianus lib. de veland. Virg. *dum digitis demonstrantium titillatur.* Est potentis, digitis denotari et monstrari. Horat. Od. 3. lib. 4 :

Quod monstror digito prætereuntium,
Romanæ fidicen lyræ.

Et lib. Ep. Od. 4. explicat nostrum proverbium ex Tertull. sententia,

Videsne sacram metiente te viam
Cum bis ter ulnarum toga,
Ut ora vertat et huc euntium
Liberrima indignatio?

44. Dimicare ad certum. *Tom.* III. *lib.* III. *adv. Marc. cap.* 5. *num.* 14.

Solent gladiatores et pugiles inter se congressuri, antequam ad manus ictusque veniant, quoddam quasi præludii specimen edere, et, ut B. Paulus ait, aerem verberare. Virgil. lib. V :

Talis prima Dares caput altum in prælia tollit,
Ostenditque humeros latos, alternaque jactat
Brachia protendens, et verberat ictibus auras.

Tum postmodo,

Immiscentque manus manibus pugnamque lacessunt.

Et lib. 12 :

Ventosque lacessit
Ictibus, et sparsa ad pugnam proludit arena.

Potest et videri sumptum a jaculatoribus, qui scopum, ad quem colliment, sibi proponunt. Huc pertinet B. Pauli illud, I. Cor. IX. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aerem verberans.

45. Dimicare cominus. *Ibidem. Vide* Cedere cominus, *superius.*

46. Epicitarisma post fabulam. *Tom.* III. *lib. adv. Valent. cap.* 33. *num.* 367.

Rhenanus. Quum fabulæ recensebantur olim publice, ad demulcendos spectatorum animos, qui tædio longæ narrationis jam languebant in fine, priusquam dimitterentur, citharœdus aliquis prodibat. Solent et ante et post justam fabulam quædam cani in odeo a re aliena, ad auditorum fastidia dispellenda duntaxat.

Digitized by Google

Unde illa prœmium, quasi præcentio, πρὸ τῆς ᾠδῆς, ante cantum ordinarium, quod rhetores per translationem suæ orationis *exordium* dixerunt. In poesi, prologus, et contra, epilogus. In tibiarum incentione, Proaulion. Poterit dici, corollarium vani alicujus cœpti, aut commentum additum.

47. Favos post fella gustare. *Tom.* II. *lib. de Cor. mil. cap.* 14. *num.* 196.

Rhenanus. Proverbii speciem habet, de eo vulgo dici solitum qui, toleratis adversis, lætioribus tandem rebus potitur. Huc faciunt illa : Ex tempestate in portum, Post agonem corona. Vulgare : Ab atro pane ad candidum; Virtutis radices amaræ, fructus suavissimi.

48. Fibulam laxare seu relaxare. *Tom.* II. *lib. de Cor. milit. cap.* 11. *num.* 144.

Rhenanus. Proverbialiter dictum, pro aperire fenestram, et ansam dare delictis ; quæ et ipsa proverbii schema habent. Huic opponitur quod idem lib. de Monogamia dixit : *fibulam imponere*, quod est, compescere et cohibere. Natum videtur a *fibula* cinguli, qua vestis fluxa adstringitur, vel adstricta remittitur. Virgil. :

Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Sed quoniam ad carnis lubricas voluptates plerumque Tertullianus refert, referri poterit ad *fibulæ* adstrigmentum, qua olim adolescentulis in venerem prurientibus pronisque partes genitales trajiciebant, quod *infibulare* vocabant. Cujus rei ratio est apud Corn. Celsum, mentio apud Martial. Juvenal. ut in eos dicatur qui, ruptis pudoris repagulis, in libidinem præcipites feruntur, et dissoluti in omne licentiæ genus.

49. Filum tenuissimum pendente vestigio aggredi. *fortassis*, ingredi. *Tom.* V. *lib. de Pudicit. cap.* 10. *num.* 83.

Tertullianus sese explicat, et a *funambulis* hoc locutionis genus, translatum significat, dum præmittit : *funambulæ pudicitiæ. Funambuli*, νευροβάται, et σχοινοβάται, per extentum funem incedebant, cujusmodi incessus in imperitis periculo lapsus non carebat ; et hinc *vestigio pendente* (nam in aere pendere videntur) opponit : *In gradu totum esse, in solido esse.* In eos ergo competet, qui rem periculo plenam aggrediuntur. Ovid., de casuum humanorum varietate :

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo.

50. Fossam determinare. *Tom.* III. *lib. de Præscript. adv. hæret. cap.* 10. *num.* 68.

Rhenanus. Ultra quam transilire non licebat : metaphorica locutio. Vallum castrorum consuevit, vel ex cespite aggesta humo, vel ducta ingenti fossa, quam cum munitionibus nemo transcenderet, communiri, intra quam milites continebantur, vel huc pertinet, quod supra de *Scammate* dictum est. Erit igitur, certas alicui leges esse præstitutas, quibus nefas sit recedere. Græcis non absimile, ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν, ultra fossam salire.

51. Fluctus utrumque te involvunt. *Tom.* III. *lib.* I. *adv. Marc. cap.* 7. *num.* 50.

A tempestate maris, et decumanis fluctibus ; ad argumenta utrimque adversarium capientia ; Nam et dilemmate utitur Tertullian. Quasi dicat ; Non est effugio locus, utrimque sive ex utraque argumenti parte constrictus et irretitus teneris. Potest et usurpari in eum qui geminis et ancipitibus malis circumcluditur. Virgil.:

Vario curarum fluctuat æstu.

52. Frenare. *Tom.* V. *lib.* I. *de Pudicit. cap.* 16. *num.* 136.

Tertullianus, *Tenebitur frenandis continentiæ conjugiis.* Usitatissima ab equis Metaphora. Virgil. :

Justitiaque dedit gentes *frenare* superbas.

Horat. :

Hunc (animum) frenis, hunc tu compesce catenis :

Hoc est, coerce et comprime animi perturbationes. Cui opponere ex Tertull. *fibulam laxare vel relaxare carni.* Cicero, alicui frenos furios injicere et alicujus furorem *freuare.*

53. Frenatos relaxare, *vel* laxare. *Tom.* V. *lib. de Pudicit. cap.* 2. *num.* 22. *et* Frenos restringere. *Ibidem.*

Contraria sunt. Virgil. lib. I. Æneid. :

Qui fœdere certo
Et premere et laxas sciret dare jussus habenas.

Cicero : Alter *frenis* eget, alter calcaribus. Tertull. ad disciplinam transtulit, ut significet, vel nimia indulgentia, vel immodica severitate, in disciplinæ observatione uti.

54. Fronte sua proponi. *Tom.* V. *lib. de Monog. cap.* 12. *num.* 100.

Rhenanus. Quod libere et aperte debeat proponi, non coacte et recte. Vera *Fronte* apud Cic. pro C. Rabir. ex animo et citra fucum facere quid vel dicere, et contra : mendaci fronte et vultu, per simulationem. Hinc illud : *Fronti* nulla fides. *Frons* enim et oculi declarant maxime affectum animi. Et apud Terentium : Vultum fingere, est componere ad simulandum vel dissimulandum aliquid. Opinor tamen verisimilius ad hoc respexisse Proverbii Auctores Quum in *fronte* pudori sit sedes (unde perfrictæ frontis hominem), quum quid ab honestate non discrepans, quodque non temere vertat pudori, vel facimus vel dicimus : nostra *fronte* id nos facere vel dicere, possumus usurpare. Quum si quid contra vel turpe vel indecorum faciendum sit, aliena *fronte*, sive per subornatos, id faciamus dicamusque, et nostro parcamus pudori.

55. Qui fugiebat, rursus prœliabitur. *Tom.* V. *de Fuga in persecutione, cap.* 10. *num.* 72.

Rhenanus. Demosthenes olim fugiens ex prœlio Chæronensi, in quo succubuerunt Athenienses adversus Philippum Macedonum Regem pugnantes, fœdam eam fugam, ob abjectum clypeum exprobrantibus solitus est hoc versiculo respondere : Ἀνὴρ ὁ φεύγων

Digitized by Google

πάλιν μαχήσεται, hoc est : Vir qui fugit, rursum capesset prælia. Tertullianus paulo ante hæc opponit : *Stare immobiles præcipit utique nec fugam, mobiles, et accinctos in fugam, an in accursum Evangelii?* Hastam abjicere, et Græcis ῥίψασπις ou ἀσπιδαποβλὴς, ἀπὸ τοῦ ῥίπτειν καὶ ἀποβάλλειν τὴν ἀσπίδα : Proverb. pro diffidere caussæ, vel caussæ defensionem deserere. Tertull. Proverbio (quod a Græcis profectum) moneri possumus, non protinus despondere animum, si quid infelicius successerit, et quum hac non successit, ut ait Comicus, alia aggredi via.

56. Funem contentionis ducere. *Tom.* III. *lib.* IV. *adv. Marc. cap.* 4. *num.* 28.

Frequens est apud bonos auctores, *Ducere funem*, quod sumptum μεταφορικῶς a comica saltatione, quam κόρδακα et κορδακισμὸν appellant. Terent. Adelph. Tu inter eos restim dictitans saltitabis ; et apud Aristoph. νεφέλαις οὐδὲ κόρδακι ἔλκυστην. In quibus choreis qui præsultor est, et moderator, *funem ducit*, quem alii, apprehenso fune, præeuntem sequuntur. Hinc apud Cic. familiam *ducere* est, esse principem et auctorem alicujus sectæ, et Horat. de Pecunia, epist. I :

Totum digna sequi potius, quam ducere funem.

Sed quid hæc ad contentionem et certamen? Ad pertinacem opinionum defensionem? Alludere igitur videtur ad aliud lusus genus, in quo forte *funem* medium utraque pars in diversa obnitens ac se pertrahere nitebatur, et alteris extorquere. Qua in re propositum erat victoriæ præmium : quod non paucis locis a pueris observatur hodie, quem *funem* contentionis vel contentiosum a partium contentione (ut *Kyfbal* Flandri) in lusu pilæ palmariæ, quum luditur dätatim appellat Tertull. qui addit : *pari hinc inde nisu fluctuante ;* fortasse : fluctuantem sub funem.

57. Func contentioso diem ad vesperam ducere. *Tom.* I. *lib. adv. Jud. cap.* 1. *num.* 1. *et tom.* III. *lib de Resurr. carnis. cap.* 34. *num.* 254.

Vel in vesperam trahere. Cui addit Tertull. *alternis vicibus*, ut supra : *pari hinc inde nisu.* Cic. 2. epist. I. lib. Famil. Hac controversia usque ad noctem ductæ : et 2. epist. IV. lib. ad Attic. Quum ad Clodium ventum est, cupit diem consumere. Plinius : Actionem meam, ut prælia nox dirimit, et : Dixit in noctem, atque etiam illatis lucernis. Apud Roman. quum quid differri, vel in diem diffindi vellent intercessores, dicendo diem ducebant, ne quid eo die ipso a Senatu decerneretur : dicebanturque diem extrahere, tempus trahere et prolatare consultationes, apud Salust. Itaque significabitur contentionis diuturnæ pertinacia. In lib. de Resurr. carn. *contentioso fune deducere*, est, argumentis prolixis perplexisque rem agitare.

58. Funem contentiosum alterno ductu in diversa distendère. *Tom.* V. *lib. de Pudic. cap.* 2. *num.* 22.

Præter ea quæ supra allata sunt, hoc proverbio admoneor, *Ductarium funem* dici, qui per orbiculos trochleæ (quæ est machina tractatoria, cum æreo ligneove orbiculo qui circum axiculum versatur, sive rotula striata quam *Caterol* et *Mouſle* Belgæ appellant) trajicitur. Qua Machina utimur in oneribus, fascibus, saccis frumentariis in altum attollendis, et per fenestras immittendis. Qui funis dicitur contra demitti. Virg. :

Demissum lapsi per *funem.*

Æterno ductu, ut supra, *Alternis vicibus*, *pari nisu hinc inde.* Idemque significabit : Utrimque magna cum pertinacia rem disputando agitare.

59. Funem longum attrahere. *Tom.* II. *lib. de veland. Virg. cap.* 14. *num.* 115.

Notum est illud B. Gregorii Moralibus : Oritur ex suggestione cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione consensus, etc. usque ad certam damnationem. Quæ est longa illa et horrenda peccatorum catena. Qui funes atque compedes, quibus constrictum hominem Satanas non solum in omne genus malorum, sed etiam in tartaream abyssum præcipitat. Apud profanos auctores : Catena negotiorum, Catenati labores. Pind. δυσφόρων χοινίων μεριμνῶν.

60. Glacie fragilior. *Tom.* III. *lib.* I. *adv. Marc. cap.* 1. *num.* 14.

Aliis, *Gelu fragilior.* De homine inconstante et fœdifrago. Nam fragile opponitur firmo et stabili. Fragilitatis in glacie caussa est, partium, excreto calore, quod conjungendi vinculum est, raritas.

61. Gradu cedere, de gradu cedere, sive paulisper decedere. *Tom.* III. *lib. de Præsc. adv. hær. cap.* 9. *num.* 64. *et lib.* V. *adv. Marc. c.* 16. *num.* 256. *ac Tom.* V. *lib. de Pudic. c.* 7. *num.* 53.

Omnes metaphoræ ab athletis sumptæ jam congredientibus, sive gradum, pedem, manum congredientibus. Lib. de Præscript. adv. hær. *Cedo nunc sponte de gradu isto.* Quod est, Non impulsus, nec argumentis evictus, de jure meo concedo : hoc dono adversario, quod defendere mihi sit proclive, et ad firmiores rationes recurro.

62. Gradu eodem occurrere. *Tom.* III. *lib.* IV. *adv. Marc. cap.* 29. *num.* 492.

Sumptum a gladiatoribus, qui cum antagonista decertaturi gradum figunt, et ictus declinandi caussa cedentes, iterum procedunt, et eodem gradu consistunt, obviam euntes reniluntur. Erit, eodem argumento et telo uti.

63. Gradu excludere, expellere, de gradu pellere. *Tom.* III. *lib. de Anim. cap.* 6. *num.* 82. *et lib.* I. *Adv. Marc. cap.* 13. *num.* 71. *ac lib.* IV. *adv. Marc. cap.* 9. *num.* 104.

Libro de anima : *Hujus definitionis gradum exclusero ;* hoc est, Ostendero definitionem consistere non posse, neque rem, definitionem cum ea retro commeare, quod est vitium in rei definiendæ ratione primarium. *Cum Deo hoc gradu expellimus*, hoc est, quum Deo hanc potestatem, prærogativam, vim

Digitized by Google

crendi adimimus. *Te gradu pellam*, hoc est, convincam te falsi, et tuas rationes infirmabo. Hæc omnia a colluctatoribus sumpta, significant adversarium confutare, et in certamine disputationis superare.

64. De gradu dejici, aut moveri. *Tom.* III. *lib. de Resurr. carnis, c.* 2. *num.* 18.

Apud Cicer. lib. I. Offic. *De gradu dejici*, est animo consternari, et velut a statu mentis demoveri, nec præsentis animi uti consilio. Huc pertinent, Moveri loco, Deturbari gradu. Cui contraria : Reponi in gradum, et Restitui in locum. Tertull., *Dejectus vel motus de gradu ejus spei*, hoc est, qui jam spem abjecit, in qua innitebatur, alienis persuasionibus inductus.

65. Gradum alium inire. *Tom.* III. *lib.* IV *adv. Marc. cap.* 6. *num.* 52.

Est alia aggredi via, et novum inire certamen, vel saltem novo modo, vel, re una jam improbata et labefactata, ad alterius eversionem sese accingere.

66. Gradum conferre. *Tom.* I. *lib. adv. Jud., cap.* 2. *num.* 6 *et cap.* 7. *num.* 27. *et lib.* III. *adv. Marc. cap.* 2. *num.* 4.

Militaris phrasis; ut illa, Collato pede prœliari; conferre manum vel pedem; conferre gradum cum hoste. Κατάρχεσθαι τῆς μάχης, Auspicari certamen disputationis : Ad rem propius accedere, Hoc ἐγγὺς ἰόντες, cominus congressi.

67. Gradum dirigere. *Tom.* III. *lib.* IV. *adv. Marc. cap.* 37. *num.* 601.

Est aliquo referre *vim* ingenii, ad aliquid expendendum se comparare.

68. Gradum figere. *Tom.* II. *lib. de veland. Virg. c.* 1. *n.* 86. *et Tom.* III. *lib.* IV. *adv. Marc. cap.* 2. *n.* 18. *lib.* V. *adv. Marc. cap.* 10. *num.* 154. *lib. advers. Praxean. cap.* 8. *num.* 56. *et cap.* 22. *num.* 135. *Tom.* V. *lib. de Jejun. cap.* 11. *num.* 71.

Rhenanus. Translatio ab athletis in certamine congredientibus, sermo proverbialis. Consistere cum constantia, et apud Tertull. tot locis est sententiam semel conceptam acriter defendere, in eaque persistere : aut premere argumentum suum, ut loquitur Cicero : vel in unius rei diligenti pensitatione immorari, et nullis uti excursionibus a re alienis.

69. Gradum in acie figere. *Tom.* V. *lib. de Fuga in persecut. cap.* 11. *num.* 80.

Apud Virgilium frequens, State viri, adhortantis ut ex fuga sistant, unde Jovis Statoris nomen. Et Æneid., lib. 10 :

Fidite ne pedibus : ferro rumpenda per hostes
Est via.

Proverbial. argumentis adversariorum non moveri, pertinaciter in sententia persistere, suam caussam acriter defendere. Lib. de Jejun. *State in isto gradu, si potestis.*

70. Gradum movere. *Tom.* V. *lib. de Jejun. cap.* 13. *num.* 78.

Tertullianus sic interpretatur : *Movistis gradum excedendo traditionem, quum quæ non sunt constituta, obitis.* Est igitur recedere ab instituto, sive a præscripta norma, cedere adversario victum. Virgil., lib. II :

Retroque pedem cum voce repressit.

71. Gradum obstruere. *Tom.* I. *Apolog. cap.* 27, *n.* 424. *Tom.* II. *lib. de veland. Virg. cap.* 15. *n.* 120. *Tom.* III. *lib. de Præscript. adv. hær. cap.* 15. *n.* 99. *et lib. de Resurr. carn. cap.* 48. *n.* 344.

Hunc igitur gradum potissimum obstruimus, non admittendi eos ad ullam de Scripturis disputationem, hoc est : Hoc primum opponimus, a congressu removemus. In Apolog. *Provocati ad sacrificandum obstruimus gradum perfidiæ* (al. pro fide) *conscientiæ nostræ*, hoc est, Antevertimus, ne perfidia irrepat mentibus nostris. Cicero : obstruere perfugia improborum. Lib. de Resurrect. carn., ut *quod adversarii in prima statim acie obstruunt, in ultima congressione prosterneremus.*

72. Gradum sustinere. *Tom.* III. *lib.* I. *advers. Marc. cap.* 1. *num.* 23.

Qui oppugnantur, dicuntur vim et impressionem hostilem sustinere, sive sufferre. Hinc proverbialiter, pro, Suscipere alicujus rei defensionem, sive sustinere. Tertullianus sic transtulit ad litterariam disputationem : *Alius libellus hunc gradum sustinebit adversus hæreticos.*

73. Gradum unum insistere. *Tom.* III. *lib. Scorp. adv. Gnost. cap.* 8. *num.* 52.

Addit Tertullianus, et explicat se : *In hoc solum provocamus. Insistere*, et referre pedem, et longius procedere, contraria sunt. Cicero : *Insistere*, in aliquo statu est commorari. Proverb. ab instituta disputatione non egredi, et in unius rei disquisitionem incumbere.

74. Gradus hic stabit. *Tom.* III. *lib. de Anima, cap. num.* 83.

Tertullianus. *Sed nec hic gradus stabit*, hoc est : Hæc ratio, hæc definitio, hoc argumentum firmum non erit neque consistet; facile poterit refelli et infirmari : Affirmate, hoc ego defendendum adversus omnes rationes suscipiam; hujus pronuntiati veritatem propugnabo.

75. Ad gradum præsentem occurrere. *Tom.* III. *lib.* I. *advers. Marcion. cap.* 19. *num.* 125.

Cicero : Consiliis alicujus *occurrere atque obsistere.* Tertulliano est, argumentum pro re nata, eludere responso et contraria ratione.

76. De gradu primo præludere. *Tom.* III. *lib.* III. *adv. Marc. cap.* 5. *n.* 14.

Adjungit Tertullian. *Adhuc et quasi de longinquo*, cui statim oppositum subjungit : *Ad certum et cominus dimicare*, quæ supra explicata huc faciunt. Solent gladiatores, ante justum cum antagonista certamen, ostentandæ artis et oblectandi spectatoris caussa præludere, ut apud Virgilium Acestes :

Ostentans artem pariter, arcumque sonantem.

Est igitur levia et quasi ludicra afferre argumenta et

Digitized by Google

imbecilliora, initio, antequam ipsum robur argumentorum depromatur.

77. In gradu esse. *Tom.* V. *lib. de Pudicit.* 6. 10. *num.* 83.

In uno argumento insistere. Cui opponit Tertull. *pergere*. Quod interpretari possumus, Ex sumptionibus sive pronuntiatis complexionem elicere, et ad rei probandæ summam pervenire. *In gradu* totus *esse*, ille dici potest, qui proponit quidem, sed nihil concludit. Qui sorite, sive argumentatione acervali utens initiis immoratur, longeque abest ab extremo conclusionis.

78. In gradu deducere. *Ibid. cap.* 21. *num.* 183.

Ad novam rei disquisitionem se comparare; una explicata, ad aliud progredi.

79. In gradum rursum. *Tom.* III. *lib.* I. *adv. Marc. cap.* 9. *num.* 155.

Quum ab instituto per digressionem, sive ἐκβασιν, abrepti abductique longius, eodem unde divertimus regredimur, et eamdem rem denuo agitamus expendimusque.

80. In gradu ipso provocare. *Tom.* III. *lib.* V. *advers. Marc. cap.* 1. *num.* 12.

Sumptum a provocantibus ad pugnam, qui quum gradum institerint, adversarium opperiuntur et intentato telo lacessunt. Significat itaque, caput rei aggredi, et rem altius non repetere neque longe arcessere, sed ea super quibus pugna est, initio inquirere, ab eorumque inquisitione non recedere.

81. Habenis effusis. *Tom.* V. *Epist. de cibis Judaicis, cap.* 4, *num.* 14.

Habenæ lora sunt, quæ freno utrimque alligantur ad equum regendum. Hinc illæ Metaphoræ : laxissimas *habenas* dare amicitiæ. Cic. Virgilius, lib. V :

Spumantiaque addit
Frena feris, manibusque omnes effundit *habenas*. (Proprie *lib.* XII.)
Nullo discrimine cædem
Suscitat, irarumque omnes effundit *habenas*. (Translate.)

Et Orator dicitur in peroratione totos eloquentiæ aperire fontes, et omnes affectuum habenas effundere. Contrarium est : Injicere habenas, pro, Compescere, et impetum sistere. *Habenas effundere*, dare, laxare, Græcis δοῦναι χαλινοὺς πᾶσαν ἀφιέναι, ἢ ὅλην ἐρίεναι τὴν ἡνίαν, pro, Nimium indulgere, nimiamque permittere libertatem. *Habenis effusis*, est licentissime, liberrime et intemperantissime, vel immodice. Idem Novatianus, lib. de Trinitate : *Indulgentiæ suæ sinus largos profudit*, et : *Sub jugo enim naturalis legis omnibus datæ, alia quasi frenis revocata retrahuntur, alia quasi effusis habenis excitata impelluntur.*

82. Hamaxobio instabilior. *Tom.* III. *lib.* I. *adv. Marc. cap.* 1. *num.* 12.

Videantur Annot. Pamelii. Historicis et Poetis celebrati *Hamaxobii*, vel Hamaxobitæ, Sarmatiæ gens. Quos sic describit Horat., lib. III. Od. 24 :

Campestres melius Scythæ,
Quorum plaustra vagas rite trahunt domos,
Vivunt, et rigidi Getæ,
Immetata quibus jugera liberas
Fruges, et Cererem ferunt,
Nec cultura placet longior annua.

Ergo non modo in eum dicetur, qui sedes subinde mutat, et fabulam undecumque motoriam agit : sed qui versatili est animi sententia inconstans.

83. Hieme frigidior. *Tom.* III. *lib.* I. *adv. Marc. cap.* 1. *num.* 14.

Verba, judicia, homines frigere dicuntur Ciceroni; et : In re frigidissima calere, in ferventissima frigere, opponit metaphoricos; et : Lentus in dicendo, et pene frigidus, de homine insulso, tardi stupidique ingenii; ut Calidus, de alacri et excitato animo. Et : Calida consilia, est, præcipitia et temeraria.

84. Hypobrychium irrespirabile. *Tom.* II. *lib. de Idolol. cap. ult. num.* 170.

Videantur Annotat. Pamelii : ὑποβρύχιον, τὸ ὑπὸ τοῦ κυμάτων καλυπτόμενον, quod fluctibus est obtectum. Homer. Odyss. :

Τονδ' ὑπόβρυχα θῆκε πολὺν χρόνον.

ubi ὑπόβρυχα Poet. pro ὑποβρύχιον, τὸν καταδεδυκότα εἰς τὸ ὕδωρ, qui sub aqua subiit. Hæc fere Paul. Leop., l. VIII. Miscell., c. 23. Sed quum Tertull. dicat : *Inenarrabile excussis profundum, inextricabile impactis naufragium, irrespirabile devoratis hypobrychium*, videtur locum significare, imum scilicet maris fundum, in quem et excussi natandi imperiti et impacti, nec tabulis nec scopulis adhærescentes deferantur. Significabit ergo Proverb. Extremum periculum, ut omnis salutis emergendique e malis spes adempta sit.

85. In alium ictum considerare. *Tom.* III. *Scorp. adv. Gnostic., cap.* 5, *num.* 35.

Occursum est huic plagæ, in alium ictum consideremus, etc. Alii longe aliter distinguunt. A gladiatoribus sumptum. Cicer., I. Catil. Quot ego tuas petitiones, ita conjectas ut vitari posse non viderentur, parva quadam declinatione, et ut aiunt, corpore effugi; et Virgil., lib. V de Pugil. :

Nunc hos, nunc illos aditus, omnemque pererrat
Arte locum, et variis assultibus irritus urget :
Ostendit dextram insurgens Entellus, et alte
Extulit, ille ictum venientem a vertice velox
Prævidit, celerique elapsus corpore cessit.

Ut sit : uno argumento refutato, alius infirmationem inquirere, et rationem secum inire qua improbari possit.

86. Istro fallacior. *Tom.* III. *lib.* I. *advers. Marc. cap.* 1. *num.* 15.

Videantur Annotat. Pamelii. Quis ab histrice animante hoc sumptum dicat? *Istriæ* regionis incolæ, non *Istri* aut Histri, sed Istrii dicuntur : quibus quis fallaciam tribuat, non reperio. Reliquum est igitur, ut Ister fluvius, alio nomine Danubius, huic proverbio locum fecerit. Quum Tertull. Marcioni tot titulos honorificasque appellationes a locis, gentibus, Ponto, Patriæ vicinis, et rebus eidem peculiaribus, assignet. Dicetur autem, fallax Ister, vel propter sinuosos flexus (ut Mæander), unde a poetis retortus et sinuatus dici-

Digitized by Google

tur, vel propter ostiorum multitudinem (inter quæ unum est Pseudostoma, quasi falsum vel fallax ostium) quæ fallat in instituto cursu navigantes, vel quod subita inundatione plerumque accolas inopinato opprimat, Tibul.:

Fallax quoque testis,
Pannonius qui Istri accola,

Auson.:

Et fontem latiis ignotum annalibus Histri.

(adspirat namque) Ignotum, quia fallit et latet.

87. Jugum excutere; *et :* Cervicem a jugo excusare.

Tom. V. *lib. de Pudic. cap.* 10. 12. *num.* 81. *et* 95.

Jugum, quod boves induunt cum trahunt aratrum vel currum. Cicer. Boum cervices natæ ad *jugum.* Metaphoricōs servitutem aut onus grave significat. Hinc illa : *sub jugum mittere. Jugum* dejicere a cervicibus, est : liberare violenta dominatione, gravi onere servitutis. Contrar. apud Virgil. XII :

Ni frenum accipere, et victi parere fatentur.

Tertull., lib de Idol. *Vinculum et jugum nobis relaxavit,* et lib. de Pudic. *Operum juga rejecta sunt, non disciplinarum.*

88. Lamiæ turres. *Tom.* III. *lib. advers. Valent. c.* 3. *num.* 23.

De Lamiis multa Politianus in Præfatione in Dialect. et Brassicanus ejus commentator, Hadrian. Junius Adagio 34. Cent. 2. et Cæl. Rhodrig. c. 5. l. XXIX. ubi de Menippi Lycii amica, in conjugem jamjam adsciscenda, post multa ait quidam philosophus : Bella hæc sponsa una est τῶν Ἐμπουσῶν, ἃς λαμίας τε καὶ μορμολυκίας οἱ πολλοὶ νοοῦσιν εἶναι, hoc est : ex Empusis, quas et *Lamias* et Mormolycias plerique putant. *Turres* autem commemorat. Tertull. quod ingentem specum ad rupis radices insedisse fabulantur *Lamiam* in Libyæ locis reginam. Dicetur igitur de rebus in speciem formidabilibus, in quibus nihil insit periculi. Nomina ad terrorem inventa, fabulæ aniles.

89. Latere hoc defendit. *Tom.* III. *lib. de Resurr. carn. cap.* 2. *num.* 21.

In acie, hoc est, exercitu ad pugnam procincto hæc fuere : frons, tergum, duo latera, quæ et alæ et cornua dicebantur. Tectum latus, de iis qui armis et præsidio muniti sunt ; apertum de iis qui periculo expositi. Terent. Hauton. :

Triumpho, si licet me latere tecto abscedere :

hoc est, sic ut nihil mihi accersam periculi. Cesar., lib. II. bell. Gall. Quæ res et latius unum castrorum ripis fluminis muniebat, et : Totis fere castris a fronte, et a sinistra parte nudatis, et : quorum pars aperto latere legiones circumvenire. Nennius in Miscellades (si rite memini) et eum secutus Muret. in Terent. a gladiatoribus sumptum volunt, quibus si minus plagam ἀντιπάλῳ possint infligere, satis honorificum est, latere tecto, id est, integros illæsosque abire. Dicebantur præterea : latus apertum præbere, quum ictum non declinarent, sed lictori mortique se gratis objicerent. *Latere hoc defendi* igitur est, his iisdemque argumentis, rationibus, probationibusque constabiliri ; quo verbo, uti et militari, *muniri,* eodem loco utitur Ter.

90. Ex latere utroque. *Tom.* V. *lib. de Trinit., cap.* 26, *num.* 112.

Verbâ Jureconsultis frequentia. Ulpian., lib. III. Dig. tit. de procurat. Ut ex utroque latere quasi actor habeatur. Et Justin., lib. V. Cod. Juris. inquit, Auctores *ex utroque latere* magnum habuere certamen. Tertull. *Ex utroque latere nos veritas in istam concludit sententiam,* id est : utrimque, et ex utrimque argumenti parte.

91. Quoquo latere velis. *Tom.* III. *lib.* IV. *adv. Marc. cap.* 31. *num.* 544.

Idem cum *superiore : ex utroque latere,* quod Tertull. declarat : *Habes nuptiarum quoque velis latere prospectorem,* hoc est : quamcumque in partem te vertas.

92. Quo laterum. *Tom.* V. *lib. de Jejun. cap.* 11. *num.* 72.

Ultra parte argumenti; qua ratione, quam in partem? Et hic utitur verbo *confirmatum,* ut ad latus tectum, in exercitu vel gladiatore, referatur.

93. Leones in pace; *vide supra :* Cervi in prælio. *Tom.* II. *lib. de Cor. milit. cap.* 1. *num.* 18.

Convenit in eos qui præpostere se gerunt : ubi res postulat audaciam et virtutem, ibi timidi; feroces, ubi nihil ferocitate opus. Livius. In otio tumultuosi, in bello segnes. Synesius : ἐν μὲν εἰρήνῃ θρασεῖς, ἐν δὲ πολέμῳ δειλοί, in pace feroces, in bello formidolosi.

94. In limine occurrere. *Tom.* V. *lib. de Monog., cap.* 8, *num.* 52.

In ipso operis disputationisque ingressu sese offerre.

95. De limine offendere. *Tom.* III. *lib. adv. Valent., cap.* 3, *num.* 22.

Rhenanus. Proverbium de his qui initio rei, quam agendam susceperant, peccant. Simile illi : Cantherius in porta. Cum hoc conveniunt : In portu impingere : In limine deficere. Virgil. :

Cur indecores in limine primo
Deficimus?.....

pro, in ipso operis negotiique suscepti primordio peccare. Ab iis translatum, qui ex ædibus egressori in limine pedem offendunt. Offendisse autem limen, laciniam ad id adhæsisse, vel prolapsum cecidisse, ostenta fuere inauspicata et mali ominis, passim apud poetas. Ovidius :

Dicitur offenso procubuisse pede,

96. Lineas agere. *Tom.* III. *lib. de anima, cap.* 43. *num.* 480.

Humani vel maxime initii ac finis lineas quotidie agere. Proverbia a lineis ducta, quæ consequuntur, partim a Geometria, quæ lineis omnia perficit, partim a curriculis et palæstris, quorum spatia certis lineis includebantur : partim a pictoribus, qui penicillo *lineas ducere* solent priusquam umbram sine colore colorare incipiant, translata sunt. Hoc autem primum

Digitized by Google

Tertull. ducere videtur vel ab initio et fine spatiorum in Dromone, vel a pictura, quum addit : *Manum fidei porrigens facilius adjuvandæ per imagines et parabolas, sicut sermonum ita et rerum.* Deinde : *proponit igitur tibi*, quasi ob oculos subjicit in pictura : *Etiam per imaginem mortis.*

97. Lineas aliquas præducere, ad quas erit dimicandum. *Tom.* III. *lib. adv. Marc, cap.* 5. *n.* 14.

Hoc sumptum ab iis qui duello, sive singulari certamine congrediuntur; vel ab iis qui in stadio decurrunt, pro : certam materiæ legem præfinire.

98. Lineis certis determinare. *Tom.* I. *lib. advers. Judæos, cap.* 2. *num.* 6.

Addit Tertullian. *summam quæstionis ipsius.* Ab iisdem certantium lineis, intra quas decertaturi consistunt. In lib de Pudicit. *Eumdem limitem liminis figimus.* Ubi *limen* est linea, ut apud Virgil. *limenque relinquunt.* Certos terminos certasque leges præstituere institutæ disputationi.

99. Lineis claudere. *Tom.* III. *lib.* I. *advers. Marc, cap.* 7. *num.* 51.

Quanquam tota materia de duobus Deis dimicetur, his interim lineis eam clausimus, intra nos congrediemur. Est igitur stata quædam argumenta præfinire intra quæ ceu cancellos quosdam coerceatur liberior orationis evagatio.

100. Lineis deducere. *Ibid. cap.* 25.

Cicero : Huc causa deducitur. Rem de huc deduxi, id est in hunc statum, locum adduxi. Tertull. *Quod attinet ad bonitatis quæstionem, his lineis deduximus eam minime Deo adæquari*, hoc est : intra hosce terminos tractavimus.

101. Lineas certas præducere in unam congressionis speciem. *Tom.* III. *Scorp. adv. Gnost., c.* 4. *n.* 32.

Præcedit apud Tertull. *Nos alibi de Deo dimicantes.* Certas leges sibi præscribere quas intra de una eademque re decurrat disputatio.

102. Linea extrema. *Tom.* III. *lib. adv. Hermogen., cap.* 3. *num.* 19. *et cap.* 38. *num.* 132. 133. *et lib. adv. Prax., cap.* 16. *num.* 100.

Rhenanus : In spatiis olim, in quibus cursus publice fiebat, initium et finis lineis notabatur. Hinc quidquid postremum est, *extrema linea*, Proverbialiter dici cœpit. Ergo quum Tertull. Hermogenem hic vocat non *intelligentium extremam lineam*, imperitissimum accipe. Horatius Epistolam ad Quintum sic claudit :

Mors ultima linea rerum est.

Hæc etiam Turneb. Advers. lib. XII. cap. 10. Ubi similem Terent. locum explicat, et calx dicebatur quod scilicet calce et creta notaretur. Ultra autem calcem nihil superest quo cursus tendatur. Atqui quum Deus universitatis, I. advers. Prax., *Extrema linea* dicitur, alludere potius videtur auctor ad illud Apoc., I. et XXII. Ego sum α et ω, sive principium et finis. Lib., advers. Hermogen. *Si determinatur, habet lineam extremam; quam quantum proprie pictor, agnoscis finem esse omni rei cujus linea extrema est.* Apud Terentium *extrema linea* amare, est impensissime ἡ ἄκρα γραμμὴ summa linea et extremus terminus, ut ibi summus amor significetur. Quomodo Eurip. cum extremum terminum malorum et miseriarum intelligeret, ἐπ ἄκρον ἥκομεν γραμμὴν τῶν κακῶν dixit. Non tamen inepte apud Terent. intellexeris *extremam lineam* in amore, ipsum rei amatæ aut concupitæ adspectum, quasi longis lineis, hoc est, de longinquo amare. Erasmus Hermogenem, *extremam lineam* a Tertulliano appellari autumat, quasi extremum et postremum sui temporis hæreticorum, qui ætate Tertulliani superesset.

103. Ad lineam dimicare. *Tom.* V. *lib. de Pudicit., cap.* 6. *num.* 59.

Ad hanc jam lineam dimicabit nostra congressio. Deinde explicat se : *Præscribam tamen tibi formam necesse est, ne ad vetera manum emittas, ne in terga respicias.* Est itaque in disputando a re proposita non evagari.

104. A lineis excedere. *Tom.* III. *lib. adv. Hermogen., cap.* 39. *num.* 137.

Ab instituto et proposito aberrare, quæ translatio videtur sumpta ab iis, qui lineis non insistentes, excidunt, aut excedunt, hoc est, ultra lineam pedem inter dimidicandum efferunt.

105. Ultra lineam. *Ibid.*

Ultra præstitutum disputationis limitem.

106. Linea una est. *Tom.* III. *Scorpiac. adv. Gnost., cap.* 11, *num.* 84.

Unus est scopus, ad quem totius disputationis summa est dirigenda.

107. Ad lineam unam congressionis dirigere. *Tom.* III. *lib. de Carne Christi, cap.* 17, *num.* 135.

In re una insistere, et eam allatis utrimque rationibus disputare, ut supra : *Eodem gradu dimicare.*

108. Lineæ insistere. *Tom.* III. *lib.* IV. *adv. Marc., cap.* 17. *num.* 250.

Cui superius contrarium est : *A lineis excedere.* Est, in instituto permanere, neque evagari. Quia, ut ait Turneb., sic interdum collato pede pugnabatur, ut lineæ ductæ pedem semper oporteret insistere, nec inde referri.

109. Lineis eisdem dimicare. *Tom.* III. *lib.* V. *adv. Marc. cap.* 1. *num.* 12.

Intra certa argumentorum septa permanere, sive intra eosdem fines in disputando versari.

110. Ad lineas rursum. *Tom.* III. *lib.* I. *adv. Marc. cap.* 9. *num.* 55.

Hoc est, ad propositum atque institutum post digressionem sive παρέκβασιν reverti. Sumptum ab iis, qui quum a lineis jam exciderint, rursum gradum colligunt. Vide supra : *In gradum rursum.*

111. In lineas easdem gradum colligere. *Tom.* III. *lib. de Anima, cap.* 26. *num.* 345.

Digitized by Google

B. Hieron., in Dialog. adv. Lucifer.: in gradum rursum ac lineas regredere.

112. Intra lineam extremam includere. *Tom.* III. *lib. adv. Hermogen., cap.* 38. *num.* 134.

Hoc sumptum videtur magis a Geometris, quorum tractatio est de quantitate, loco, superficie, et linea. Loquitur de Materia Tertull. quam Hermogenes corpore infinitam faciebat, et locum tamen ei adscribebat, quo ambiret, hoc est, *extrema linea* includeretur. Significabit igitur Proverbium, si placet, certis limitibus aliquid comprehendere et finire.

113. Lineas ducere. *Tom.* III. *lib. de Anima, cap.* 36, *num.* 432.

Græcis ἄγειν ἢ γράφειν γραμμήν. Et linearis pictura, ἡ γραφίς. Hinc illud : *Primas lineas ducere*, eleganti metaphora a pictoribus, pro eo quod est, umbram tantum alicujus rei exhibere, atque obiter quid intelligi cupias delineare. Ducit et primas lineas, qui formulam exordiendi negotii præscribit. Et mittere lineam, pro : Rem tantum adumbrare, et conjecturis quibusdam investigandam proponere. Siquidem ex linearum ductu justum etiam picturæ artificium discimus. Unde versiculus :

Linea quæ veterem longe fateatur Apellem.

Plinius, lib. XXXV, c. 10, meminit linearum Apellis. Solent enim pictores, uti etiam Rhen. annotavit, penicillo lineas ducere, priusquam umbram sine colore colorare incipiant.

114. Lineas rectas ducere. *Tom.* III. *lib. adv. Herm., cap.* 36. *num.* 126.

Adaptat hæc Proverbia, a pictoria arte deducta, Hermogeni, qui ante hæresim pictoriam exercuerat : *Nisi quod si tam rectas lineas ducis Hermogenes, quam ratio ista, pictor te bardior non est.* Referri potest ad eum qui officium suum probe facit ; qui ab honestatis præceptis non discedit; qui suæ artis peritus est. Cui opponatur etiam : *a lineis excidere.*

115. Lineamenta ductare. *Tom.* III. *lib. de Resur. car., num.* 35.

Cicero : Aspersa temere pigmenta in tabella, oris lineamenta effingere possunt. Græcis sunt περιγράφαι et ἐκτυπώσεις. Item Cic. in Orat. ad Brut. Numerus quasi quamdam palæstram et extrema lineamenta orationi attulit, hoc est, venustatem ad ostentationem adhibitam, et extremam quasi manum. Tertullianus : *Exprimere* interpretatur, *lineas ducere.* Rem scilicet clarius ob oculos proponere et demonstrare.

116. A Lineis excidere. *Tom.* III. *lib. adv. Hermog., cap.* 39. *num.* 137.

Præter superiorem interpretationem ab athletis ductam, pictoribus hoc potius in Hermogenem antea pictorem refert. Pictores namque a lineis penicillo deductis excidentes, ultra lineam picturam protendunt suam, ut sit : exorbitare ab instituto, vel etiam, ab officio discedere, et falli atque errare.

A **117. Per lineam eamdem serram reciprocare.** *Tom.* II. *lib. de Coron. milit. c.* 3. *num.* 28.

Rhenanus : Habet Proverbii speciem de inutili et vano labore. Metaphora sumpta a sectoribus lignorum : qui sic ducant *serram*, ut aut non dimittant, aut in eadem tantum linea perseverent, nihil agent, vel certe non multum agent. Innuit Tert. inutilem laborem circa unam eamdemque rem, ut ii qui in eodem argumento immodici sunt, et velut cupressum simulant. Hæc eodem spectant : Eadem semper oberrare corda : Eamdem incudem noctu diuque tundere. Apud Virg. Argutæ lamina *serræ*, innuit reciprocationem. Sic fullones dicuntur : *Argutari pedibus*, hoc est, alterno et reciproco pede exculcare et lavare pannos.

B **118. Lucifugæ.** *Tom.* III. *lib. de Resurrect. car., c.* 47. *num.* 341.

Lucifuga et *Lucifugus*, infame nomen. Homo nimirum naturæ contrarius et præposterus, luce dormit, noctu vigilat, quem Jureconsulti appellant vespertilionem, quod exacto jam diei curriculo, sub noctem, vespertilionis in morem prorepat. Græce λυχνόβιος, quibusdam Tenebrio, quasi amans tenebrarum. Cicero in Catil. Dormientes appellat, quum vigilantibus opponit. Tertul. *Lucifugæ scripturarum*, qui in summa scriptorum claritate, et in iis, ut verbis Tertull. utar, *quæ vel ipsius solis radio scriptæ clarent*, impingunt, et ut dicitur, in sole caligant.

C **119. Lucernam meridie circumferre.** *Tom.* III. *lib.* I. *adv. Marc. cap.* 1. *num.* 19.

Proverbialiter idem significabit quod, lucernam adhibere vel accendere in meridie, quod est, facere aliquid non suo tempore, vel : in re clara obscuritatem aucupari. Natum a Diogene, qui accensa lucerna meridie hominem quærebat.

120. Luminibus effossis orbatus. *Tom.* V. *lib. de Trinit. cap.* 28. *num.* 127.

D Virgil., lib. III. de Polyp.

Luminis effossi fluidum lavit inde cruorem.

Et paulo superius : Cui lumen ademptum, et : Telo lumen terebramus. Vide supra : *Cæcus in petram offendit.* Adjungit Novatianus per Epexegesin. *Totus sit in doctrinæ suæ cæcitate superatus.* Ut proverbialiter de eo dici possit, qui doctrinarum vel errorum pravitate excæcatus est, et cui nihil sanæ mentis intelligentiæve sit reliquum. Vel ad Novatiani sententiam propius : cui nihil subterfugii restat, quo argumentis victus recurrat, nihilque secum potest dispicere, quo errorem tueatur.

121. A lumine exorbitare caligine. *Tom.* V. *lib. de Pudic. cap.* 8. *num.* 59.

Ab orbita, quod est vestigium decurrentis in via rotæ, est verbum *exorbitare*, quasi a via deflectere, præ errorum cæcitate veram doctrinam, quæ per se lucet, non posse perspicere. Lib. ad. Gnost. *Ab illo* (Deo) *in idololatria exorbitaverunt.*

(*Huit.*)

Digitized by Google

122. Malum foras. *Tom.* III. *lib. adv. Valent. c.* 10. *num.* 119.

Detestantis et abhorrentis vox, et malum infortuniumque deprecantis. Virgil. II.

Quod di prius omen in ipsum
Convertant..... *et :*
Di meliora piis, erroremque hostibus illum.
Di prohibete minas, Di talem avertite casum.

Solet apud veteres in Vestibus ædium statui Hercules ἀλεξίκακος, hoc est, malorum depulsor, et adscribi interdum, boni ominis caussa, μηδὲν κακὸν εἶναι τῳ, nihil mali ingrediatur. A sacris præterea mali profa nique homines sacrificorum voce solebant arceri. Virgil.

procul hinc, procul este profani.

Theoc. in idil.

Ἀεισω συνετοῖσι, θύρας δ' ἐπιθίεσθε βέβηλοι.

Hoc est

Expertis cantabo, fores operite profani.

123. Manu injecta detinere. *Tom.* III. *lib.* 1. *adv. Marc. cap.* 6. *num.* 44.

Injicere manum, proprie antiquo verbo Juris, est quoties nulla Judicis expectata auctoritate rem nobis debitam, aut etiam nostram vindicamus, et Dominus in prædium beneficiarium manum injicere consuevit. *Injicitur* autem *manus* in aliquem ejusque bona mercesve, quum inde abire vel moveri auctoritate aliqua sive edicto vetantur. Sic recipere manus injectionem, est retinere facultatem reprehendendæ rei alienatæ. Virg.

Injecere manum *Parcæ*,

id est, morti destinarunt. Explicat se Tertul. *Porro et hic eadem regula summi magni patrocinabitur nobis, utpote quæ totum statum vindicet divinitatis.*

124. Manum porrigere. *Tom.* III. *lib. de Anima, cap.* 23. *n*, 408. *et lib. de Resurrect. car. cap.* 53. *num.* 382. *ac libro* IV. *advers. Marc. cap.* 41. *num.* 677.

Satis vulgatum, pro : Auxilio esse. Cicero in Orat. post redit.: Qui mihi primus afflicto et jacenti consularem fidem dextramque porrexit. Sic Deus dicitur a Tertull. *manum porrigere fidei*, hoc est, confirmare, et in sua firmitate conservare. Virg., lib. III.

Dat dextram, atque animum præsenti pignore firmat.

Manuum porrectione etiam alienæ sententiæ comprobatio fuit significata, quæ Græcis, χειροτονία, τὸ χειροτονεῖν.

125. Manum tradere. *Tom.* V. *lib. de Pud. cap.* 15. *num.* 126.

Pro eodem cum superiore usurpat. Virgilius, l. VIII.

Accepitque manu, dextramque amplexus inhæsit.

Tradere de manu in manum, Cicer., est dedere et commendare.

126. Manus dare. *Tom.* V. *lib. de Trinit. cap.* 11. *num.* 55.

Cicero in Amicit. Ad extremum det manus, vincique se patiatur. Virgil.

Neque enim ipse manus feritate dedisset.

Est igitur se victum agnoscere, et adversario cedere. Nam qui se victori dedunt ne interimantur, ultro manus ad vincula offerunt. Virg. etiam Tendere, et Protendere dixit lib. XII.

Ille humilis supplexque oculos, dextramque precantem
Protendens, et victus, et victum tendere palmas
Ausonii videre.....

127. Inter manus tenere, *Ibid. cap.* 1. *nu.* 95.

Est certum quid habere, ob oculos quasi propositum habere. Sic dicimus : Victoriam in manibus tenere. Vir.

Cætera qua rerum jaceant perculsa ruina,
Ante oculos interque manus sunt omnia vestra.

Quasi dicat : Narratione non egent, omnibus patent claraque sunt.

128. Mappa missa. *Tom.* III. *lib. adv. Valent. cap.* 36. *num.* 381.

Hoc est, veluti signo quopiam dato. Alludit Tertul. ad morem Circencibus Romæ Ludis receptum, quo *mappa* Tragœdis usitata a Prætore dimittebatur in signum aurigationis et certaminis auspicandi. Quem morem attingit Juven. Sat. II.

Interea Megalesiacæ spectacula mappæ
Idæum solemne colunt.... *Et Martial.*
Cretatam (al. ceream) præter cum vellet mittere *mappam;*

Et Sueton. in Nerone : Aliquo liberto mittente *mappam.* Vide Adnot. Pamelii ad lib. de Spect. cap. 16. num. 145. Tom. II.

129. Massageta inhumanior. *Tom.* III. *lib.* I. *adv. Marc. cap.* 1. *num.* 13.

Videantur Adnot. Pamelii. Scbytarum natio trans mare Hyrcanum, Alani, Abasgi, et Augi postea dicti, et ab Hebræis Magogi, hospitibus infestissimi, neque cum vicinis populis diuturna amicitiæ fœdera, neque fidem possunt servare. Lac equorum sanguine mixtum bibunt; præterea tam prodigiosæ immanisque naturæ, ut senio confectos in frusta cædere, illorumque carnibus cum pecudinis admixtis pasci consueverint. Hinc nobile illud inhumanitatis nomen.

130. Μὴ θεομαχεῖν. *Tom.* I *l. ed. Scap. c.* 4. *n.* 22.

Noli cum Deo bellare. Cicero in l. de Senect.: Quid est enim aliud Gigantum more bellare cum Diis, nisi naturæ repugnare? Hinc, θεομάχοι. Dei hostes vel qui Deo obluctantur. Tractum videtur a notissima Gigantium in Jovem belligerantium fabula. Usurpari poterit, ubi quis viribus suis fretus temere res non tentandas molitur, et uti admoneamus infeliciter credere, quæcumque adversus divina humanaque jura per vim instituuntur. Horat. in Od.

Quid æternis minorem
Consiliis animam fatigans?
Virgil.
Crede Deo..... *et :*
Heu nihil invitis fas quemquam fidere Divis.

Bis in Act. Apost. μὴ θεομάχωμεν..... θεομάχοι εὑρεθῆτε. Plato ejusmodi homines, e Titanum genere, dixit.

131. Micas infarcire. *Tom.* III. *lib. de Anima, cap.* 6. *num.* 85.

Ex contentione Platonis et Aristotelis, quam instituit Tertull. aliquid poterit elici. Plato varius, mul-

Digitized by Google

tiplex et copiosus, singulari eloquentia et suavitate orationis, in cujus Dialogis locutio, etsi absit a versu, tamen quod incitatius feratur, et clarissimis verborum luminibus utatur, potius Poema putanda, quam Comicorum Poetarum. Aristoteles brevitate dicendi præstitit, vel potius siccitatem quamdam tenuitatemque in diecndo, hoc est, orationem angustam, pressam et concisam (quæ in Platone est ampla, copiosa, redundans) adamavit. Hinc illa : *Mulsa aqua* de eloquio Platonis, et : *Micæ* de minutiloquio Aristotelis, Proverbialiter accipi possunt. Ut hoc quidem genus orationis siccum, et cui nihil temere detrahi possit, illud autem redundans, et ex quo si quid demas mutesve, de sententia nihil detraxeris. Nihilominus *Micas infarcire*, interpretari etiam poterimus, Tenuiter et cum parcitate quid distribuere, ut : *mulsam aquam infundere*, largiter et benigne.

132. Mulsam aquam infundere. *Ibid.*

A *qua mulsa*, ὑδρομέλι, ἢ μελίκρατον, aqua melle mixta. Ut alludat non solum ad copiosam, sed ad mellitam sive melleam in Platone eloquentiam. Lib. de Anim. de eodem Platone, *ob mella facundiæ*. Quum contra quod siccum est, facillime frietur, et in micas minutatim dissolvatur. Eodem faciunt verba : *Infundere*, et : *Infarcire*. Fortasse et *Micas infarcire*, cum Tulliano, præmansum in os inserere, conveniet, quod est : rem in docendo nimis enucleate, minusque frustulatim tradere, et crasse explicare, græce : Μικρολογεῖν, λεπτολογεῖν, sive ut Cicero ad Attic. περὶ μικρὰ σπουδάζειν, quod est, cura minutula anxium esse.

133. Mulum de asino pungere. *Tom.* III. *lib. adv. Valent. cap.* 19. *num.* 237.

Muli, quos asini et equæ generant, unde ἡμίονοι, quasi dimidiati asini, a patribus. Hinnuli, vel potius ex Columellæ sententia, Hinni, a patris equi hinnitu, equo et asina geniti. Gigni, cum equa muli coitu nati. Hinc proverbium : ex asini mulique, id est : dimidiati asini ; ex etymologia græca, similitudine, quando exemplar et res affectas non multum sunt discreta, vel quando ineptiæ ineptiis repræsentantur, vel mendacia mendaciis astruuntur. Cujusmodi farinæ et illa : Non tam ovum ovo simile, armenti ejusdem, Cum Bytho Bacchius.

134. Narem contrahere. *Tom.* III. *lib.* I. *adv. Marc. cap.* 13. *num.* 71.

In naso irrisionis sedes. Hinc nasuti, et nasum habere, irrisores dicuntur, Plin. lib. XI. c. 37. Nasum novi mores subdolæ irrisioni dicavere. Hor.

Naso adunco suspendere.

Martial.

Et pueri nasum rhinocerotis habent,

Pers.

Rides, ait, et nimis uncis
Naribus indulges.

Et Græci μυκτηρίζειν, ἀπὸ τοῦ μυκτῆρος, a naso irridere. Ex naribus etiam indicium iracundiæ, ubi animantes quædam iram narium flatu produnt. Theoc. in Thyrsi :

Καὶ οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται.
Aspera ei semper sedet ira in naribus.

Unde corrugare et contrahere nares dicuntur, qui offenduntur. Horat.

Ne sordida mappa
Corruget nares.

135. Naso agere. *Tom.* III *lib. adv. Marc. cap.* 25. *num.* 178.

Cicer. Ridiculo scommaticoque dicterio lædere.

136. Naso deridere. *Tom.* V. *lib. de Pudic. cap.* 6. *num.* 18.

B. Paulus ad Gal. 6. Θεὸς οὐ μυκτηρίζεται, id est, non irridetur, non agitur naso, μύζειν enim apud Græcos, id est, mussare vel mussare, non aliud fere signat, quam labiis occlusis sonum naribus elicere unde μυκτήρ. Sonus autem μυγμή, irrisioni plerumque dicatus, atque hinc, qui citra reprehensionis morsum agit, ἀμύγμων dicitur, Homero passim ἀμύμων. Addit Tertull. *adulantium*, ut significari videatur postica sanna, quæ est clancularia et tecta irrisio a gestu ridentium aliquem a tergo sive occipitio, ut sit : obtrudere palpum Deo.

137. Naufragium inextricabile. *Tom.* II. *lib. de Idolol. cap. ult. num.* 169.

Græcis : ναυάγιον ἄφυκτον, quod vitari non potest. Qui in scopulos impinguut navemque frangunt, sese extricare sive expedire a periculo non possunt. Virg. de Labyrintho, *inextricabilis* error. Vide *Hypobrychium*.

138. Navigare inter scopulos et sinus, per vada et freta. *Ibid.* 168.

Est, versari in ancipiti periculo. Nam *scopuli*, hoc est, montes saxei, sive rupes e mari eminentes, et quandoque sub aquæ æquore latentes, et *Sinus*, littora incurva mare amplectentia, et *vada*, minus profunda maris loca, et undarum brevibus infesta, et *freta*, maris angustiæ, ubi quasi æstu fervescit mare, navigantibus et insidiosa et periculosa sunt. Lib. 1. advers. Marc. *Duas Symplegadas naufragii sui.*

139. Nubilo obscurior. *Tom.* III. *lib.* I. *advers. Marc. cap.* 1. *num.* 14.

Videantur Adnot. Pamelii de Cimmeriis tenebris, quæ in idem incidunt proverbium. *Nubilum*, *nubes* densior sive crassamentum exhalationum, aquæ gignendæ fœcundam vim habens. Unde cœlum nebulosum seu nubilum. Nebulas vel *Nubilium* offundere, est obscurare. Sed quum Tertull. ad mores Marcionis alludat, tristitia et recondita animi severitas significabitur, ut apud Comicum Græcum διακεκδὼν τὸ ὀφρὺς τοῦ μετώπου, discutere frontis nubilum, quod est tristitiam abigere, lætumque vultum inducere. Et supercilium nubilum ὀφρὺς ξυννεφὴς, pro *tristi*. Horat. *Deme supercilio nubem*. Virg.

Sed frons læta parum, et dejecto lumina vultu : et :
Sed nox atra caput tristi circumvolat umbra.

Digitized by Google

140. Nutu tradere. (*nisi* traducere *quis malit.*) *Tom.* I. *lib. de Pall. cap.* 4. *num.* 84.

Vide : *Acie figere*, *et digito destinare*. Est derisentium et improbantium aliquid clanculum inter se, quod palam facere non sit impune vel decens : quum neque conjectis in hominem remve oculis, neque protentis digitis id facere licet : tum clanculario saltem ac nutu demonstrari potest.

141. Oculis clausis. *Tom.* I, *lib. de Pall. cap.* 2. *num.* 20. *Apolog. cap.* 3. *n.* 36. *Tom.* III. *lib. de Resurr. carnis, cap.* 51. *num.* 361.

Si subaudias verbum, liquet, res est clarissima, luce meridiana clarior, ut nolens volensque quivis vel videre possit vel intelligere. Si subaudias Agere quid, est abrupte, temere, sine discrimine facere. Ut impingunt in odium nominis Christiani *clausis oculis*, et cæcitate odii in naufragium, qui rei veritatem neque explorant neque explorare laborant, sed affectibus suis iniquissime indulgent ; et juxta Terent.

Neque jus neque bonum atque æquum sciunt.
Melius, pejus, prosit, nihil vident, nisi quod lubet.

B. August. Quæ tandem vis, nisi cæcitas et vanitas animi cogit hominem clausis, ut dicitur, oculis, tanquam in alterum jacere, quod cum in eum jecerit, continuo redeat ? B. Hieronym. More Andabatarum in tenebris gladium ventilant, *et* : Melius est tamen *clausis* (quod dicitur) *oculis* Andabatarum more pugnare, quam directa spicula clypeo non repellere veritatis. Et B. Basil. νυκτομαχίαν dixit, nocturnam pugnam, in eos qui nullo judicio insectantur aliquid.

142. Oculis Homericis. *Tom.* I. *lib. de Pall. cap.* 2. *num.* 20.

Videantur Adnot. Pamelii. Idem cum superiore. *Homerus*, antea Melesigenes dictus, a cæcitate [nam ab ineunte ætate luminibus captus proditur τὸν ὁμήρου nomen sortitus est. Unde illa omnium admiratio, omnium rerum humanarum simulacra expressa nobis ante oculos constitui potuisse ab eo qui nunquam ea oculis usurparat.

143. Palos Terminales figere. *Tom.* V. *lib. de Jejun. cap.* 11, *num.* 72.

Terminalis lapis, et aliquando *palus*, qui in agrorum finibus ponitur, et ut Virgil. de Saxo :

Campo qui forte jacebat
Limes agro positus, litem ut discerneret arvis.

Et in Georg.

Nec signare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat.

Palos autem loco lapidum aut saxorum poni consuevisse indicat nomen, *Palen*, Flandris pro agrorum terminis usitatum. Vel alludit Tertull. ad dromonem sive stadium equestre ; ubi terminus erat ubi peracto cursu quiescebant, et meta, *palus* erat acuminatus in stadii fine positus, circa quem girabant cursum. Est igitur, *palos terminales figere*, intra angustos et certos fines aliquem concludere, ne quid vel entet, vel possit, vel imperium exerceat ulterius.

144. In partem unam incumbere. *Tom.* V. *lib. de Trinit. cap.* 23. *num.* 102.

Sumptum a militia, ubi in dextrum vel sinistrum latus sive cornu sive partem majore impetu et pertinacia conversa undique signa inferentibus adversariis incumbitur. Quibus dejectis et loco summotis proclivis sit victoria, Cæsa. 2. Bel. Gal. Cæsar ad dexterum cornu profectus ubi suos urgeri, etc. His verbis se explicat Auctor lib. de Trinit. *Inclinaverant*, *trahere*, *superare*, quæ a militia ducta sunt.

145. Pepone magis insulsus. *Tom.* III. *lib. de Anima cap.* 32, *num.* 387.

Πέπονες molles et faciles dicuntur, metaphora a maturis fructibus ducta ; vel etiam a cucumeribus, qui *pepones* quod mollescant, et, simul atque maturuerint, flaccescant, appellantur. Inde illa : μαλακώτερος πέπονος σύκου, mollior ficu matura ; πεπαίτερος μώρων, maturior moris. Et convivium proverbiale per translationem, πέπονες, τουτέστιν ἀπαλοὶ καὶ ἀσθενεῖς. Est et interdum blanda et amica vox, ὦ πέπον, τουτέστι, προσηλίστατε, ἢ, προσηνέστατε, a maturis placidisque moribus, vel quod τὰ πέπονα hoc est mollia maturaque amemus omnes.

146. Peponem cordis loco habere. *Tom.* III. *lib.* IV. *adv. Marc. cap.* 40. *n.* 666.

Videantur hoc loco adnotat. Pamelii, et Feuardentii ad illud B. Irenæi lib. 1, cap. 3, num. 10. *O pepones* Sophistæ vituperabiles, et non viri : quod ex Homer. Ilia β. desumptum est.

Ὦ πέπονες, κάκ' ἐλέγχε', ἀχαιΐδες, οὐκ ἔτ' ἀχαιοί

id est :

O molles, mala probra, et Acheides, haud enim Achivi,

Quod Virgil. imitatus :

O vere Phrygiæ, neque enim Phryges.

Significat itaque proverbium : excordem esse, vel corde esse insulso. In corde enim primariæ animi vires. Hinc cordati, quibus cor recte affectum est et robustum. Excordes, quibus *peponis* instar, molle, flaccidum, minime virile. Vide supra : *Cerebrum vel cor non habere*, *et*, *Cervi in prælio.*

147. Personam agere. *Tom.* III. *lib.* III. *adv. Marc. cap.* 11. *num.* 77.

Vide infra : *Scenam decurrere*. *Persona*, pro munere sive partibus. Cicer. Has partes lenitatis semper egi, illam gravitatis *personam* non appetivi. Ab histrionum persona. *Personam* gerere, tueri, sustinere, agere, ab histrionicis auctoribus.

148. Physcone impurior. *Tom.* I. *lib. de Pall. cap.* 4, *num.* 79.

De homine qui se in omne luxus libidinisque genus ingurgitat. Fuit enim Ptolemæus *Physcon.* 8. Ægypti Rex, qui quum Cyrenæ imperaret fratri Evergetæ defuncto successit, qui supra belluinam libidinem et

Digitized by Google

crudelitatem (quæ facinora commemorat Justin. lib. 83) sagina ventris, et corporis vultusque deformitate belluæ quam homini similior. Quæ fœditas in eo pellucidæ vestis subtilitate, quasi de industria, sive potius ex intemperantia augebatur, infame *Physconis* nomen ex re tulit, quasi ventricosi et aquarioli, propter abdominis studium. φύσκων enim ὁ γάστρων ἢ παχὺς, ἀπὸ τῆς φύσεως, quod est, intestinum crassum. Cui et Persius ait:

Pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstat.

149. Plagæ occurrere. *Tom.* III. *Scorp. advers. Gnost. cap.* 5. *num.* 35.

Sumptum a gladiatoribus, qui vel adversarii petitionem corporis declinatione effugiunt, vel parmulæ excipiunt, ut sit frustra conatus. Vide supra: *In alium ictum considerare*, B. Hieron. contra Jovin. Quasi de loco videmur cedere, et adversario feriendi occasionem dare. Et: directa spicula clypeo refellere veritatis.

150. Plaudere in sinum. *Tom.* V. *lib. de Pudic. cap.* 9. *num.* 42.

Si qua vobis exempla in sinum plaudent, hoc est, tam grata vobis accidant, quæ informatam in animis vestris opinionem videantur confirmare, ut inde tacitam apud vos voluptatem sentiatis, vestroque affectui indulgeatis. Apud Homer. ἐν θυμῷ χαιρεῖν. Tib. *In tacito gaudere sinu.*

151. Plaudere parti. *Ibidem, cap.* 16. *num.* 160.

Legitur apud. Tertull. *diversæ parti supplaudere*, C vel *subplaudere*, quasi suffragari et subscribere aliorum sententiæ. Ab iis qui pedibus strepitum edunt, vel manuum complosione approbant. Cicero: Pedem nemo in illo judicio supplausit.

152. Polycrate felicior. *Tom.* I. *Apolog. cap.* 11. *num.* 173.

Polycrates, Sami Tyrannus, aureus fortunæ fœtus, cui ad nutum voluntatemque omnia fluxerunt. Sed qui tamen prosperum ad invidiam usque vitæ cursum miserabili exitu in Mycalensis montis vertice cruce suffixus conclusit. Val. Max. lib. 6. cap. 11.

153. Pompeio sublimior. *Ibidem.*

Pompeii elogium habes apud Cicer. Orat. pro Leg. Manil.; Apud Plin. lib. VII. toto cap. 26, a quo ait non D modo Alexandri Magni rerum splendorem æquatum, sed etiam Herculis prope ac Liberi. Cognomentum Magni cum Alexandro commune, communem quoque sublimitatis titulum dedit.

154. In ponti æstu medio hærere. *Tom.* III. *lib.* I. *adv. Marc. cap.* 7. *num.* 50.

Virgilius lib. V.

Saxis in procurrentibus hæsit. *Et:*
In scopulo luctantem brevibusque vadis.

Et lib. X.

Inflicta vadis dorso dum pendet iniquo,

Quæ, uti Tertullianicum, Proverbialiter accipi possunt. Contrarium erit ex eodem lib.

Labitur alta secans, fluctuque æstuque secundo.

Æstus autem aliquando accipitur pro ipsa maris crescentis decrescentisque commotione, hoc est, accessu sive incremento, vel recessu sive reciprocatione. Aliquando pro arena illa instabili, quæ absorbet et haurit omnia. Virgil.

Furit *æstus* arenis..... *Et*
Æstu miscentur arenæ

Similia illa: Hærere in iisdem scopulis, in aqua, in vado, in salebra. Metaphoræ a navigantibus ductæ, qui vado illisa navi cursum institutum tenere non possunt. Sic dum navis *æstu* reciproco huc et illuc impellitur, neque progredi potest, ut significetur proverb. Se non extricare aut expedire, non satisfacere argumento, sed eodem relabi. Vide: *Fluctus utrimque.*

155. In præruptum imponere. *Tom.* III. *lib.* IV. *adv. Marc. cap.* 37. *num.* 607.

Præruptum, substantive, ut abruptum quidquid altum et præceps, saxa *prærupta*, et mons *præruptus*, altus. Plin. Græcis τὸ ἀπόκρημνον, unde proclive præcipitium. Explicat se Tertullianus: *Sciens præceps ituros homines, ipse illos in præruptum imposuit:* ut sit: aperto periculo exponere, nec satis providere, ne quid mali contingat, ut si homini avaro et furi pecuniæ administratio committatur, adolescenti libidinoso pudicitia virginum.

156. Profundum inenarrabile. *Tom.* II. *lib. de Idol. cap. ult. num.* 169.

Qui navi excussi in maris profundum delabuntur, C natatione vix unquam emergunt de periculo ineluctabili. Vide *Hypobrychium*, et: *Naufragium.* Contrarium erit illud Virgil. lib. V.

Fundo vix tandem redditus imo est.

et lib. 6.

Adnabam terræ, et jam tuta tenebam.

157. Ad regulas perducere. *Tom.* III. *lib.* I. *adv. Marc. cap.* 22. *num.* 153.

Regula, alias norma, est instrumentum fabrile quo structuræ longitudinem, an respondeat, exigunt fabri, et utitur Tertull. verbo fabrili, ad examinandam Dei bonitatem. Hinc illa: *Regula* rectior, Amussi exactior, ad perpendiculum et amussim. Rem diligenter D expendere, ut omnibus suis partibus numerisque absolute tractetur.

158. Sardanapalo mollior. *Tom.* I. *lib. de Pall. cap.* 4. *num.* 79.

Sardanapalus postremus Assyriorum Rex, vir muliere corruptior, inquit Just. lib. 1, qui inter scortorum greges inventus, purpuram colo nere, et muliebri habitu, cum mollitia corporis et oculorum lascivia omnes fœminas anteiret, pensa inter virgines partiri, adeo ut ejus cognomen ob insignem mollitiem in proverbium abierit apud Græcos et Latinos.

159. Scenam decurrere et desaltare. *Tom.* III. *lib.* III. *adv. Marc. cap.* 11, *num.* 7.

Scena, proprie fons theatri, locus nimirum Acto-

Digitized by Google

rum, obstructus peripetasmatis, e quo in proscenium A
acturi histriones prodibant. Frequenter pro ipsa fabula, Tragœdia, aut comœdia. Virgil.

Scenis agitatus Orestes;

id est, Tragœdiis celebratus et frequenter actus. Horat.

Quam non adstricto percurrat pulpita socco.

Pulpita pro *scena*, hoc est, quam inconditas et male aptas conscribat comœdias. Erit igitur *decurrere scenam*, perficere ejus rei, quæ instituta erat, summam. Cicero : Quæ abs te breviter de arte decursa sunt. *Decurrere scenam phantasmatis* Tertull. est, omnino et absolute probare carnem Christi phantasma tantum fuisse, et in eo probando hærere. Sic Cæl. ad Cicer. lib. 8. *Scena* totius rei, hoc est, id in quo tota res vertitur, et consumi debet. Lib. advers. Valentin. appellat Tertull. *desultricem virtutem*, instabilem et male firmam et motoriam, et inde : *desultorii* homines, a desultoribus equitibus proprie etiam usurpat, uti *decurrere*, ut *desaltare*, sit saltu mimico repræsentare. Nam in *scena*, orchestra chori propria est, sicuti *scena* histrionum, in qua mimi solebant suas actiones exhibere. ὀρχηστὴς, ars saltandi, et ipsa saltatio, ut alludat ad utrosque utroque verbo, et ad scenicos histriones, et ad mimos, et ab iisdem diversas trahat metaphoras.

160. Scalpellum immergere. *Tom.* I. *lib. de Pall. cap.* 11. *num.* 173.

Scalpellus, vel *scalpellum*, est scalprum chirurgicum, φλεβότομον. Nescio an etiam *scalpella*, ut pistilla Plauto, pro pistillo, vulgo lanceola, a chirurgis tractum. Nam voce *acerbitati*, videtur cholerici humoris in vedio abundantia significari. Cicer. pro Sest. Non ea est medicina, quum sanæ parti corporis *scalpellum* adhibetur. Solent chirurgi immerso *scalpello* venam incidere, et humorem redundantem elicere. Usus erit proverbii in morborum animi medicina, uti et ea quæ consequuntur apud Tertull. *Catharticum dare.*

161. Scipione justior, et militarior. *Tom.* I. *Apolog. cap.* 11. *num.* 173.

Plinius, lib. 7, num. 27. Cato primus tres summas D
in nomine res præstitisse existimatus est : Optimus orator, Imperator, Senator; quæ mihi omnia etiamsi non prius, attamen clarius fulsisse in Scipione Æmiliano videntur. Ejusdem laus apud Cicer. lib. de Amicit. Justitia et bonitas in altero Scipione Nasica, commendatur. Utrumque tamen et justitiæ et militaris scientiæ studium Scipioni minori sive Æmiliano attribuit Lælius apud Cicer. lib. eodem. Major, sive Africanus, utraque etiam laude excelluit.

162. Scytha tetrior. *Tom.* III. *lib.* I. *adv. Marc. cap.* 1. *num.* 11.

Vide adnotat. Pamelii. Gens *scythica* omni memoria, et omnium fere gentium scriptorumque existimatione ad bella et ad immanitatem magis, quam ad ullum humanitatis studium nata.

163. Sylvam cædere et truncare. *Tom.* I. *Apolog. cap.* 4. *num.* 50. *et* 51. *et lib. de Præscript. adv. hær. cap.* 37. *num.* 222.

Quo jure sylvam meam cædis, quæ a jure civili transfert omnia; hoc est : quid in meam possessionem irruis? in meam messem falcem immittis? Apolog. *Totam illam veterem et squallentem sylvam legum, novis principalium rescriptorum et edictorum securibus truncatis et cæditis. Sylva* Latinis, uti et Græcis ὕλη, metaphorice, pro copia et materia. Cicero : Omnis ubertas et quasi *sylva* dicendi et : Rerum et sententiarum *sylva*. Hoc autem proverbium sumptum ab arboribus, quæ vel putantur ne sylvescant sarmentis, et in omnes partes nimiæ fundantur, vel radicibus una cum trunco exciduntur.

B 164. Sylvam cædere, eradicare, et excaudicare. *Tom.* V. *lib. de Pudic. cap.* 16. *num.* 135.

Quantum securi omnem sylvam libidinum cædat, et eradicet et excaudicet. Addit, *Ne quidquam de recidivo fruticare permittat.* Est penitus aliquid abolere, idemque cum superiore. Nam truncus est stipes ipse ramis et frondibus exutus. Caudex cum frondibus. Itaque truncare, et *excaudicare*, eadem.

165. Sylvam ingentem commovere. *Tom.* V. *lib. de Trinit. cap.* 16. *n.* 81.

Sylvam scripturarum *commovere* circa aliquid. Multa excutere, et undique argumenta desumere, lato campo evagari.

C 166. Quanta sylva. *Tom.* III. *lib. de Anim. cap.* 2. *num.* 30.

Quæ vis? quæ copia? quam ampla lateque patens materia?

167. Socrate sapientior. *Tom.* I. *Apolog. cap.* 11. *num.* 137.

Non modo hominum existimatione, sed Pythii Apollinis oraculo sapientissimus judicatus *Socrates*, et cunctis prælatus proditur. Plin. lib. 7. cap. 31. Cicer. lib. de Amicit.

268. Solis pectines. *Tom.* III. *lib. adv. Valent. cap.* 3. *num.* 24.

In *pectinibus*, quibus comas vel discriminamus vel D
pectimus, radii densi et rari, a solarium radiorum similitudine, dicuntur; et reciproca metaphora : *pectines solis*, quod omnem in partem radios, quasi crenula instar pectinis intercisos emittat. Unde apud Lucret. *Tela diei*, quasi missiles, telorum in morem, radii. Et ἐκηβόλος Ἀπόλλων, Sol. At cum his verbis, puerorum terriculamenta, uti et, *Lamiæ turres*, significentur, consueverunt fortasse nutrices, vel puerilem ejulatum compescere, vel obstinatam, dum caput sibi pecti non ferunt, contumaciam, hisce verbis infringere, dum *pectines solis*, veluti strigiles, ad se afferri imperant.

169. Solis radio scriptum. *Tom.* III. *lib. de Resurr. carn. cap.* 47. *num.* 341.

Pro perspicuo, et eo quod claret. Nam quæ maxime constant, maximeque in confesso sunt, ea sole cla-

Digitized by Google

riora dicimus. Hinc illa : In sole caligare; adversus solem loqui. Lib. de Pudicit. cap. 7. *Quibus exquirendis non lucernæ spiculo lumine, sed totius solis lanceæ opus est.*

170. In solido esse. *Tom.* V. *lib. de Pudicit. c.* 10. *num.* 83.

Securum esse, et bene firmum, munitumque. Cui opponit : *Pendente vestigia ingredi*, et : *In gradu totum esse, Decuti de tenore.* Huic similia : Duabus ancoris fultum esse. In vado esse. Virg. lib. II.

Multos alterna revisens
Lusit, *et in solido* rursus fortuna locavit.

171. Ad speculum respondere. *Ibidem. c.* 8. *num.* 64. *lib.* IV. *adv. Marc. cap.* 31. *num.* 511.

Adversus speculum parabolæ, dixisse videtur pro sensu anagogico, sive ipsa anagoge, qui est sensus scripturarum, parabolarum, oraculorum mysticus et reconditus; quique interius et quasi sub cortice latet. *Sic ad speculum respondere* (uti in rebus fabrilibus, ad regulam, amussim, perpendiculum) erit omnia ea, quæ parabola proponuntur, posse accommodari iis, quæ eadem significantur. Et, ut loquitur Tertullianus, *exempla peræquari.*

172. Spongia Marcionis. *Tom.* III. *lib.* V. *adv. Marc. cap.* 4. *num.* 43.

Usus *spongiæ* pictoribus in colore delendo; quod patet ex Plin., lib. 35. cap. 10. de Pictorib. et de Protogene. Abstèrserat sæpius, mutaveratque penicillum, postremo, *spongiam* eam impegit, inviso loco tabulæ. Auson. in Epist. quadam : Fuco tuæ emendationis adjecto impingas *spongiam*, quæ imperfectum opus equi male spumantis absolvat. Usus etiam in extergendis mensis numulariorum, præcipueque abacis, in quibus scribebant, et inducta *spongia* corrigebant. Et in palimpsestis, hoc est tabellis membranisve deletitiis, in quibus stylo graphiario exarare solemus. Hinc Augustus, Ajacem Tragœdiam, quam conscriptam a se delerat, in *spongiam* decubuisse dicebat, ad exemplum Ajacis, qui in ferrum incubuerat. Aristides in Orat. quadam οὐδὲν δεῖ τῆς Στησιχόρου παλινωδίας, ἀλλὰ σπόγγος ἥξεται, nihil opus fuerit Stesichori palinodia sive recantatione, sed *spongia* medebitur. Sic quum *Marcion*, quos vellet, sacræ Scripturæ libros deleret (quod declaratum est supra : *Abruptum amplissimum salire;* et hoc loco statim subjungit : quæ abstulit, quæ servavit), *spongiam Marcionis* appellavit, audaciam illam in expungendis Libris, et censoria temeritate intercidendis.

173. Sportulam furunculus captat. *Tom.* III. *lib.* III. *adv. Marc. cap.* 16. *n.* 111.

Sportula, a sportulis sparteis, nummorum receptaculis dicta, donarium, sive potius obsonium, quod divites Rom. salutatoribus dabant, ipsi secreto cœnantes. Cui opposita Recta cœna, quam civiliores clientibus salutatoribus suis legitimum convivium exhiberent, quæ olim pauperibus tantum dabatur, postea divites etiam *sportulam* captare et exposcere cœperunt. Qui vero quum cliens non esset, nec ordinarius salutator, alii sese ingerebat, ut *sportulam* accipere ignotus contendebat, *furunculus* hoc loco dicitur. In eum convenit qui falso sibi quid vindicat, ut deus Marcionis nomen Christi.

174. Stipulam quis in alieno oculo facilius perspicit, quam in suo trabem. *Tom.* I. *Apolog. cap.* 39. *num.* 510.

Proverbium Evangelicum, Matth. 5, et Luc. 6. quo philautia notatur eorum, qui aliorum vel minimis vitiis offenduntur, suis et maximis blandiuntur, κάρφος, *stipula* Tertullian. vulgatæ editionis interpreti : festuca. Horat.

Qui ne tuberibus propriis offendat amicum
Postulat, ignoscat verrucis illius æquum est.

Et aliud Proverb. Pustulas alienas, ulceribus scatens.

175. Sub sinu et tunica. *Tom.* V. *lib de Fug. in persecut. cap.* 12. *num.* 89.

Addit Tertull. *ut furtivo*, et opponit : *eorum toto mundo.* Quidquid propatulo non fit, sed insidiose et clam, remotis arbitris, et aliena conscientia, sub sinu fieri dicitur. Sic : In sinum conferre, vertere, id est, in privatum commodum referre. Et Plinio Seaurus dicitur rapinarum provincialium sinus, qui in suæ avaritiæ voraginem omnia converteret. In sinu gaudere, est gaudium suum in vulgus non edere, nec palam facere.

176. Sylla felicior. *Tom.* I. *Apologet.* 11. *num* 173.

Huic *Syllæ* felicitatis ostentum datum est fulmine, ut ait Plin. lib. II. cap 54. Unus hominum, inquit idem Plinius, lib. VII. cap. 44. ad hoc ævi, felicis sibi cognomen asseruit. Quam temeritatem cum stultitia conjunctam eodem loco refellit.

177. Tanti vitreum, quanti margaritum? *Tom.* II. *lib. adv. Marc. cap.* 4. *num.* 58.

Istud non solum legitur apud Tertull. sed etiam apud B. Hieronym. Quo dicto summa rerum inæqualitas significabitur. Margaritarum, alias unionum, summum inter gemmas pretium. Vitrum vilissimum, quod tamen margaritam mentiri potest, et imperitis imponere, explicat se Tertull. et hæc inter se confert, *Terrenam gloriam*, *gloriam cœlestem*, *præmium laudis humanæ*, *divinam mercedem.*

178. Tempus omnia revelat. *Tom.* I. *Apolog. cap.* 7. *num.* 107.

Seneca : Veritatem dies aperit. Horat.

Quidquid sub terra est in apricum proferet ætas,
Defodiet, condetque nitentia.

χρόνος πάντων βασανιστής, tempus omnia explorat. Et Sophocli χρόνος dicitur πάνθ' ὁρῶν καὶ ἀκούων καὶ πάντ' ἀναπτύσσειν, omnia videre et audire, etiam in apertum prolaturum. Atque hinc Veritas Temporis filia apte dicitur, quæ temporis progressu, quum aliquandiu delituerit, in lucem emergat. Hinc illud : Ἄγει δὲ πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος. At veritatem tempus in lucem eruit.

Digitized by Google

179. Terræ filii. *Ibidem cap.* 10. *num.* 162.

Videantur adnot. Pamelii. *Terræ Filios* (inquit Tertull.) *vulgus vocat, quorum genus incertum est,* γηγενεῖς, et inde gigantes, quasi e terra nati. Apud Juvenal. Fraterculus gigantum, pro ignoto. Persius: Progenies terræ. Vide supra: *De cœlo supervenit.*

180. Terram gravem imprecari. *Tom.* I. *lib. de Testim. animæ. cap.* 4. *num.* 21.

Solebant antiqui, ut ex omnibus fere patet latinis Poëtis, manibus ejus, cujus memoriam, ut Tertull. ait, *cum alicujus offensæ morsu facerent*, et maledicere vellent, *terram gravem imprecari*; ejus vero cui gratiam deberent, ossibus et cineribus refrigerium comprecari. Et mense præsertim Februario duodecim continentes dies, pro impetranda mortuorum manibus quiete, populus lustrationes et piacula faciebat. Hinc illa:

Molliter ossa cubent,.....
Et cinerem tellus non onerosa premat.
Ossa quieta precor tuta requiescere in urna,
Et sit humus cineri non onerosa tuo.

181. Thales in puteum. *Tom.* III. *lib. de Anim. cap.* 6. *num.* 89.

Vide hoc proverbium tractatum a Platone in Theæteto. De iis qui nec pro pedibus prospiciunt. *Thales* e septem Græciæ sapientibus unus et primus, dum cœlestia intentius contemplatur, in foveam incidit. Hinc a vetula sive ab ancilla irrisus.

182. Themistocle sublimior. *Tom.* I. *Apolog. cap.* 2. *num.* 173.

Militarem illum appellat Tertull. Hinc legendum videtur *militarior*, vel militiæ aut militaris artis peritior. Ipsius autem adolescentis gloria emicuit bello Medico, pugna Marathonia, sub auspiciis Miltiadis. Deinde aliquot annis post dux Atheniensium, adversus Xerxis navales copias ad Salaminem memorabili cum laude conflixit.

183. Titulum dispungere. *Tom.* V. *lib. de Monog. cap.* 8. *num.* 55.

Dispungere rationes apud Jurisconsultos est computum, ut vulgo loquimur, examinare, sive, ut Papian. describit, conferre accepta et data, et alibi: percontari, examinare, describere rationes, pro eo quod est *dispungere*. Aliud est expungere, quod est punctis circumducere et tollere, et quasi rem conjectam eximere e codice. Utitur Tertull. metaphora a ratiocinatoribus ducta, et a censoribus, qui in tabulas referunt nomina et titulos eorum qui profitentur. Si proverbialiter usurpare placet, erit: rationem vel caussam, justane sit an contra, expendere; vel dijudicare idoneusne sit quis ad munus aliquod obeundum et suis dotibus affatim instructus. Lib. IV. advers. Marc. *Creatorem* vocat *judicem et dispunctorem* meritorum. Lib. V. *dispunctionem boni atque mali operis.* Lib. de Patient. *Omnis injuria quum patientiam offenderit, eodem exitu dispungetur, quo telum in petra libratum et obtusum*, hoc est: evanescet et irritus erit conatus, uti evanescunt ea quæ delentur sive dispunguntur, pro expunguntur.

184. Titulum incidere. *Tom.* III. *lib.* I. *adv. Marc. cap.* 9. *num.* 57.

Incidere est notare aliquid in monimentis rerum gestarum. Cicero: *Incidere* elogium (aliis, et Mureto imprimis elogium) in sepulcro, in æs, in marmore. Plin. de Pomp. Magno, cap 26. lib. VII. commemorat titulos victoriarum et triumphorum notatos. Quem ad morem allusit Tertull. ut sit, publico cognomento honestare vel infamare, et elogio nobilitare.

185. Tullio eloquentior. *Tom.* I. *Apolog. cap.* 11, *num.* 17.

M. *Tullii* elogium habes lib. VII. nu. 30. apud Plin. ubi eum vocat facundiæ Latinarumque litterarum parentem. Quintil. lib. IX. Instit. In quem, ait, copiam Platonis, vim Demosthenis, suavitatem Isocratis fuisse transfusam.

186. Vanitatem vanitate depellere. *Tom.* III. *lib.* IV. *adv. Marc. cap.* 30. *n.* 496.

Est artem arte, mendacium mendacio eludere. Frivolum argumentum, et ad rem non accommodatum, frivolo et alieno infringere et refellere. Illa persimilia: Cum vulpe vulpinari, cum Cretensi cretizare.

187. Venas deducere. *Tom.* V. *lib. de Trinit.* 1. *cap.* 2. *num.* 131.

Translatio ducta a fontibus, unde rivi et quasi venæ aquarum deducuntur. Hinc illa: Divite vel tenui vena, quod fontium alii angustiore vena manant, alii majore, ut flumen efficiant; vel etiam a metallis, quorum venæ, ut genere, ita copia interdum differunt. Quintil. Pleniore canali fluunt. Et poetæ venas ab Homero tanquam Poeseos fonte, duxisse dicuntur.

188. Via eadem sursum et deorsum. *Tom.* III. *lib.* II. *adv. Marc. cap.* 28. *n.* 195.

Hoc proverbium Heraclito usurpatum, transferre videtur Tertull. ad suam argumentandi rationem. Nam eo faciunt: Supra, et infra se. Hæc quidem ad dignitatem, illa sursum ac deorsum ad locum spectantia. Hoc enim vere est adversus Marcionem antitheseis æmulas facere, quæ non solum in sententiis, si ignoravit, omnino non scivit, sed in vocabulis, quæ dixi, consistant. Heraclitus usurparit forte in Psychicis disciplinis hoc obscurius dictum; quum Sursum ac deorsum in loci ratione sint ex numero eorum quæ dicuntur πρός τι, sive relata. Cicero: Ferri *sursum* rectis lineis, et *deorsum* ad lineam. Atque ita Tertull. argumentationem suam, τουτέστιν Heracliti axiomate probat.

189. Viva voce. *Tom.* III. *lib. de Præscript. adv. hæret. cap.* 21. *num.* 128.

Huic statim opponitur, *per Epistolas*, subintell. prædicando. *Viva vox*, quasi vivida atque efficax ab ipso pronuntiantis ore, percepta, in qua nativa et genuina elucescit gratia, et actio cum motu, quæ in orationis est vita, inhæresci. Quæ omnia a scriptura,

Digitized by Google

quæ veram vivamque vocem tantum imitatur, sunt sejuncta. Quinct. Actio orationis quasi vita est, rerum inventio ossium instar est: ordo nervos imitatur, elocutio carnem, cutem et colorem refert; memoria spiritus vice fungitur. Quibus omnibus accedit pronuntiatio, velut motus quidam vitalis. Nullum enim certius argumentum vitæ, quam motus; unde flumina viva, a motu. B. Hieron. in Præfat. Gen. Habet nescio quid latentis energiæ *viva vox*. Huic opponit, ut dixi, Tertull. *per Epistolam prædicare*. Et aliis: Muti magistri, quæ sunt scripta eorum, qui eruditi ingenii monumenta posteritati litteris mandata reliquerunt, quasi vocis et vitæ expertes.

A 190. Umbram sine lumine colorare. *Tom. III. lib. adv. Hermog. cap. 2. num 12.*

Ab arte pictoria, quam Hermogenes exercuerat, tractum. Prima picturæ initia (inquit Plin.) *umbra* hominis lineis circumducta, quæ linearis dicta, secunda singulis coloribus, et monochromatos appellata. Itaque prima sine ullo colore fuit, adeo ut quos pingerent, adscribere esset institutum. Deinde lineæ colorari cœptæ testa trita. Cujusmodi picturæ in arte tectonica par est ἐχνογραφία, quæ est areæ jacens effermatio et superficiaria descriptio, futuri operis specimen exhibens: Detorquebitur ad sermonis, argumenti, rei demonstratæ obscuritatem.

ARGUMENTA CAPITUM PROUT IN MSS. CONCIPIUNTUR,

NAM COPIOSIORA ET ACCURATIORA NOS SINGULIS CAPITIBUS PRÆFIXIMUS.

CAPUT I. *De iniquitate judicandi.*
—— II. *Contra Inquisitionem.*
—— III. *De Nominis exprobratione.*
—— IV. *De Legibus.*
—— V. *Contra Idola.*
—— VI. *De Legibus neglectis.*
—— VII. *De Infanticidio et Fama Incestus.*
—— VIII. *De Fama Incerti.*
—— IX. *De Sceleribus Gentilium.*
—— X. *De non colendo Idolo.*
—— XI. *De hominibus post mortem in Divinitatem allectis.*
CAP. XII. *Contra Deorum Simulacra.*
—— XIII. *De irreverentia erga Deos.*
—— XIV. *De Sacrificando.*
—— XV. *De Fabulis et Minis Deorumque fœditatibus.*
CAP. XVI. *De Capite Asinino et cæteris insignibus, quæ Christiani dicebantur colere.*
CAP. XVII. *De Deo.*
—— XVIII. *De Prophetis et Scripturis Dominicis.*
—— XIX. *De Moyse Propheta,*
—— XX. *De Statu Temporum.*
—— XXI. *De Christianis et Judæis, Christo et Omnipotente.*
CAP. XXII. *De Dæmonum natura.*
—— XXIII. *De Phantasmatibus magicis et dæmoniacis.*
CAP. XXIV. *De Varietate Deorum.*
B —— XXV. *De Religiositate Romanorum.*
—— XXVI. *De Regno Dei*
—— XXVII. *De Spiritu Dæmoniaco.*
—— XXVIII. *De Regno Imperatorum.*
—— XXIX. *An possint prodesse Idola.*
—— XXX. *De Precibus Christianorum.*
—— XXXI. *De Oratione pro inimicis, pro Imperio et potestate Imperatorum.*
CAP. XXXII. *De non jurando per Genium Cæsaris.*
—— XXXIII. *Pro Imperatore.*
—— XXXIV. *Pro Augusto Imperatore.*
—— XXXV. *De Solemnibus Cæsarum.*
—— XXXVI. *De Æqualitate omnium personarum.*
—— XXXVII. *Ne malum contra malum.*
—— XXXVIII. *De Cœtu.*
—— XXXIX. *De disciplina Christianorum.*
—— XL. *Contra Ethnicam rationem.*
—— XLI. *Quod Deus spernitur et statuæ adorantur.*
C —— XLII. *Quod Infructuosos dicunt.*
—— XLIII. *De Lenocinio.*
—— XLIV. *De Custodiis Ethnicorum.*
—— XLV. *De Innocentia Christianorum.*
—— XLVI. *De Christianis et Philosophis.*
—— XLVII. *Quod Philosophi et Poetæ sua ex Lege Dei desumpserint.*
CAP. XLVIII. *De Resurrectione Corporis.*
—— XLIX. *De Tolerandis Christianis.*
—— L. *Præstantia doctrinæ Christianæ.*

LECTORI CANDIDO

S. P. D. SIGEBERTUS HAVERCAMPUS.

Semper Africa novi aliquid. Illa, solitudine horrida, ferarum altrix, scholas bestiarum, Romanorumque olim munera, mille, diversa horroris specie roborisque amplitudine, ditavit animalibus. Illa in sanctissima Martyrum corpora, spectante læta Romuli plebe, spectatoribus non dissimilia Lybica immisit monstra. Fuit eadem Africa, quæ non vulpes solum, doli plenum D *genus, triste malum uvis, protuberantivus primum in Ecclesia Christiana vitibus, procreavit; sed et metuendos dentibus apros, vineta ipsa effodientes, horrendum rugientes leones, immitesque ursos submittebat. At vero sicut ad temperandam Urbis Æternæ, quæ falso nomine sibi blandiebatur Roma, lætitiam, Afri præsertim efflagitabantur venatores, qui, viribus valentes,*

Digitized by Google

frustrandisque bestiarum morsibus artifices, impetum earum eluderent, ipsasque conficerent; sic etiam satis magnum æterna vere Dei veri Civitas contra Valentinianos, Gnosticos, Arianos, similiaque Naturæ portenta, genitum ex eadem sibi Africa vidit præsidium. Quid enim Augustini ego subtilitatem et eruditionem laudem? mellifluam Lactantii eloquentiam probem? Arnobii doctam curiositatem persequar? Undique in Cypriani scriptis relucentem pietatem, quam ipse sanguine suo signavit, suspiciam? Quid denique, qui uno etiam libello multum veræ gloriæ meruit, Minucii admirer rotundum et lenefluens eloquium! Unus instar omnium est TERTULLIANUS, *in quo multum sibi placet Augustinus; Omnis generis litterarum peritiam agnoscit Lactantius; Quem sequendum sibi proponit Arnobius; Magistrum, quoties libros ejus poscit, vocat Cyprianus; in suo denique Dialogo, qui velut contractum ex vasto Apologetici hujus pelago sinus est curvamen, tantum non transcribit Minutius. De quo quidem* TERTULLIANO, *quid Veteres et Recentes Auctores non sine laudum cumulo senserint, quamvis hic exscribere mihi non sit propositum, tamen non possum, quin pauca delibem. Et Veterum quidem perhonorifica testimonia hisce contraxit Vincentius Lirinensis, quinti seculi, cui illum Cangius, assignat, non infacundus scriptor.* Hic, *inquit*, apud Latinos nostrorum omnium facile princeps judicandus. Quid enim hoc viro doctius? Quid in Divinis atque Humanis Rebus exercitatius? Nempe omnem Philosophiam et cunctas Philosophorum Sectas, auctores assertoresque Sectarum, omnesque eorum disciplinas, omnem historiarum et studiorum varietatem mira quadam mentis capacitate complexus est. Ingenio vero nonne tam gravi et vehementi excelluit, uti nihil sibi pene ad expugnandum proposuerit, quod non aut acumine irruperit, aut pondere illiserit? Jam porro orationis suæ laudes quis exequi valeat? Quæ tanta, nescio qua, rationum densitate conserta est, ut ad consensum sui, quos suadere non potuerit, impellat: cujus quot pene verba, tot sententiæ sunt, quot sensus, tot victoriæ. *Ex Recentioribus quidem, Illustris Nobilitatis Josepho Scaligero sublimius et perfectius in omni genere doctrinæ et Scientiarum non novit Orbis eruditus. Vide itaque quantum sit a laudato laudari. Verba ejus sunt in Primis Scaligeranis pag.* 96. « TERTULLIANUS *semper in manibus habendus accurateque legendus est, tum propter Linguæ Romanæ proprietatem, tum propter disciplinarum ac litterarum omnium cognitionem; Fuit enim doctor omniscius et argutus, qui illotis manibus tractandus non est, nec obiter legendus, ubique enim remoratur lectorem.* TERTULLIANUS *certe excellentissimus auctor est in omnibus.* « *Exstant etiam doctissimi et accuratissimi Lipsii litteræ, lib.* IV. *Ep.* IX. *ad Jacobum Pamelium, in hunc sensum.* « *Audio te, clarissime Pameli, in emendando* TERTULLIANO *esse.* « *Major, an utilior a te res suscepta, nescio. Scriptorem plenum antiquæ et reconditæ doctrinæ corrigere arduum; eumdem correctum dari, non solum vestra* « *Theologorum interest, sed nostra omnium, qui litteras Græcas Romanasque tractamus.* « *Merito itaque nobili litterato, et diffusæ eruditionis Barthio audit* PATER ERUDITIONUM, *lib. Adversar.* XIII. *Cap.* XVI. *Apud quem lib.* XIX. *Cap.* I. *hæc etiam legi possunt.* « *Scriptorum, quantum ad nos venit, eruditior nemo est, exque quo plura condiscere possis, quam* TERTULLIANUS, « *Nullus in eo apex est non cum cura positus, ut, quo pacto alii inopia, hic abundantia litterarum peccare nonnunquam videatur.* » *Quibus merito adjungendum Thomæ Campanellæ testimonium, viri cujus ingenii vehementiam et judicii acrimoniam sæpe sum admiratus. Ille in Libello de Libris Propriis et Recta Ratione Studendi Cap.* IX. *Edit: Crenianæ pag.* 216. *ubi virtutes et vitia Scriptorum quorumdam, qui Theologica tractarunt, enumeravit, ita in hoc Nostro Auctore finit.* « TERTULLIANUS *denique ut Theologorum Magister, plus probat duobus verbis, quam cæteri mille argumentis: gravis, arduus, acer, efficax, brevis, concinnus: philosophicæ grammaticæ, non autem civilis cultor, et suo africanismo homines velut ad peregrinas merces alliciens.* »

Quid igitur mirum, si tantus Auctor non tantum tam insignes laudatores, sed et omnium Gentium invenerit Commentatores. Cum TERTULLIANI *enim nomine consecrata Æternitati, ex omni statu et disciplina, manebunt nomina* RHENANORUM, PAMELIORUM, JUNIORUM, DE LA CERDARUM, HERALDORUM, GOTHOFREDORUM, SALMASIORUM, RIGALTIORUM. *Ut jam taceam* ZEPHYROS, BARRÆOS, GAGNÆOS, LATINIOS, GELENIOS, MERCERIOS, WOUWERIOS, *aliamque satis numerosam eruditorum turbam, qui hujus Auctoris studium publicis ingenii sui monumentis testatum posteris voluerunt. Et ex his quidem plurimi cuncta nobis* TERTULLIANI *Opera elucidationibus suis exornata dederunt. Inter quos primus* RHENANUS, *(cui et hunc et plurimos alios Auctores in lucem protractos grata debet posteritas) bis terve repetitis editionibus,* GELENIUM BARRÆUMQUE *habuit secutores,* PAMELIUM *dehinc* JUNIUMQUE, *et egregiæ doctrinæ* LUDOVICUM DE LA CERDA. *Post quos, ut et quemdam* GEORGIUM AMBINATEM, *qui operosi sui Omniloquii trium voluminum hiatu nihil dignum præstitit, tantum non ex mortuis redivivum retraxit notæ doctrinæ vir* NICOLAUS RIGALTIUS. *Cujus editiones sæpissime Parisienses sub prælum revocarunt,* PHILIPPI PRIORII *auspiciis, sed ipsius Rigaltii inquinatiores multo, ut sæpius a Nobis in hoc uno libello est ostensum. Per partes vero iverunt reliqui, vel Emendationes Notulasque ab Auctoris opere separatim editas reliquerunt. Quos inter eminet industria* DESIDERII HERALDI, *qui in hunc* APOLOGETICUM, *cui et Nobis animum et cogitationes primum applicare libuit, Commentarium variæ eruditionis plenum, Digressionumque libros sane doctos condidit; sed et scriptum hoc jam olim* FRANCISCUS ZEPHYRUS *Paraphrasi quadam utcumque illustraverat, et* ALDUS *Baptistæ Egnatii secutus curam, ediderat separatim ad calcem Lactantii, Anno* MDXV. *et* MDXXXV. *Quem tamen præoccupaverat Joannes Tacuinus, qui itidem Lactantio annexuerat illum Venetiis, anno* MDIX.

Et tamen post tot tantosque viros in publicum prodire

Digitized by Google

sum ausus, non ut studium meum diligentiamque vinditarem, aut ex reprehensione florilegiisque aliorum, quod detestor et odi, mihi laudis corollam texerem, sed ut Theologus Theologo TERTULLIANO, Theologisque nostris meam qualemcumque navarem operam; Ut ad Auctoris, omnium elogio, Græcarum Romanarumque antiquitatum et disciplinarum peritissimi, intellectum subministrarem, si quid se mihi, dum illum forte sub manibus tero, in utriusque Linguæ Scriptoribus, quod ad hoc ejus Scriptum faceret, obtulit; quorum quidem lectione et versatione non inficior me a teneris valde fuisse delectatum raptumque; Denique, ut illi, si quis alius, post tot medicos, corruptissimo adhuc et pessime affecto, medicinam aliquam facerem. Quod ultimum, cum haud ignotum mihi esset, quam sit difficile, in hoc præsertim Auctore, vel ex his Magni Scaligeri verbis in Scaligeranis pag. 47. « Beza aliquid fecerat in Ter« tullianum, sed bene fecit, quod non edidit: difficile « est aliquid in illum Auctorem edere sine MSS. cæpi « circumspicere subsidii illud genus, quo certe eruditi « carere non possunt, nec arceri debent. « Nec tamen mihi excurrendum putabam Augustam Taurinorum usque, ubi sexcentorum annorum ætatem referentem hujus APOLOGETICI Codicem offendisse se testatur Mabillonius in Itinerario Italico, pag. 8. Consulant Membranas istas, quibus licet esse tam beatis. Nobis vero sese obtulit insignis Codex Membranaceus, in quo præter hunc libellum plurima TERTULLIANI scripta continentur. Occupat ille secundum inter MSS. instructissimæ bibliothecæ Lugduno-Batavæ locum, ibique, pag. 324. recenseturr. Quem sicut valde veterem asserere non audemus, tamen ex optimo et vetustissimo esse derivatum, nobis conferentibus liquido constitisse, et cum Fuldensi aliisque optimis in multis convenire, asseveramus.

Non enim puto usquam terrarum aliquos exstare Codices hujus APOLOGETICI, qui cum illo, qui quondam in Bibliotheca Fuldensi fuit, singularitate et præstantia comparari possit. Hujus Codicis Lectiones Variantes ad exemplar quod Michael Julianus (non vero ut JUNIUS, qui illam editionem, quæ hinc a nobis etiam accurate est recensita, non inspexit, scribit, RENATUS LAURENTIUS) Lutetiæ Parisiorum Anno MDLXXX. RENATO LAURENTIO BARRÆO auctore edidit, adscripserat Franciscus Modius Brugensis, vir diligentissimus doctissimusque; quæ cum postea in Gasparis Scioppii manus pervenissent, ab illo ad JUNIUM sunt transmissæ. Sed quum tota jam adornata esset ejus editio, ab illo ad calcem TERTULLIANARUM suarum notarum fuit rejecta. Quod vero mihi maxime semper mirum est visum, nec DE LA CERDA, nec ipse HERALDUS oculos in hanc tam nobilem Collationem conjecerunt, latuitque post illas JUNII Notas, nulli fere nisi GOTHOFREDO cognita. Donec acris vir doctrinæ NICOLAUS RIGALTIUS illis in emendatiore sua prioribus editione usus est, sed ita, ut quæ ipsi placuerint, inde desumpserit, neque ullam reliquarum, quæ satis multæ erant, in Notis suis mentionem fecerit. Itaque et nobis satis fœcundum ex illa ipsa Collatione reliquit Spicilegium, cujus Lectiones ubique fideliter, prout fide dignissimus excerpsit Modius, in Notis nostris repræsentavimus. Accessit insuper accurata Codicis Agobardini Collatio, non quidem illius, ex quo tantum non ex inferis excitata jam leguntur reliqua TERTULLIANI scripta, et in quo solo et unico, depravatissimi hinc hactenus duo ad Nationes libri inveniuntur; sed tamen notæ satis bonæ, nullisque hactenus, quod et de Codice Lugduno-Batavo dictum sit, editoribus TERTULLIANI inspecto. Diversos esse duos istos Codices Agobardinos tribus mihi argumentis persuadeo. Primo, quod RIGALTIUS, qui quamplurimos Tertulliani libros ex MS. antiquissimo Agobardino ante octingentos, et quod excurrit, annos scripto, emendavit, singulisque libris prænotavit, ex quo libro et quot locis emendaverit, ante APOLOGETICI libellum hujus Codicis non meminerit. Secundo, quod in accuratissima Agobardini istius antiquissimi MS. Collatione, quam juxta Pamelianam Editionem sua manu instituit, Agobardi, ut ipse adscripsit, Anno 1625. JOSIAS MERCERUS, non vero JOANNES MERCERIUS, ut impressum in Bibliotheca, pag. 71. nisi plane fallat me memoria, qui illo libro sæpissime sum usus, APOLOGETICI oræ nullis notis conspersæ sint. Visitur autem hodieque is liber in Bibliotheca Lugduno-Batava, p. 71. Tertio præcipue, quod JACOBUS GOTHOFREDUS, Librorum Ad Nationes editor, qui ipse insignis hujus Thesauri, antequam Regis Gallorum Bibliothecæ inferretur, fuit possessor, ubi in Præfatione librorum Ad Nationes diligenter catalogum contexit illorum Librorum, qui Codice isto comprehendantur, APOLOGETICUM illis non annumeret. Hæc vero Collatio alterius Agobardini Codicis, quam Nos jam damus itidem a JOSIÆ MERCERI, qui a JOANNE MERCERIO, qui Antecessor Biturencensis fuit, et Notas in Tertulliani librum de Pallio conscripsit, et multum ante vixit, distinguitur, diligentia profecta est. Testatur id manus PAULI COLOMESII, qui hæc oræ Rigaltianæ editionis alleverat. « In « margine hujus voluminis habes JOSIÆ MERCERI Notas « et Varias Lectiones e Codice Agobardino ab eodem « erutas Descripsit Soudlejæ, prope Windsoram in « Ædibus. Vossianis PAULUS COLOMESIUS, Anno MDCLXX« XII. » Hujus libri mentionem injecerat mihi FRANCISCUS FABRICIUS, SS. Theologiæ in Academia Lugduno-Batava Doctor et Professor celeberrimus, seque eum possidere dixerat, petenti dein proferri jussit, et pro singulari sua humanitate copiam ejus fecit. Sed jam operæ ad finem usque Cap. XI. erant progressæ, quare postulare mihi res visa fuit, ut priorum undecim Capitum Collatio Addendis insereretur. Par ratio habenda fuit alterius MS. Membranacei, qui recensetur in Bibliotheca Lugd. Bat. pag. 376. cum Cypriani aliorumque scriptis colligatus. Fugerat is liber primo diligentiam Nostram, sed tamen nuperrime a Nobis diligentissime collatus est, iisdemque Addendis Variæ ejus Lectiones insertæ sunt. Codex erat sane præstans, et licet scriptionis ratione prioribus Lugd. Bat. Membranis minus nitidus, vetustate tamen et accuratione superans. Usus sum præterea JUNII Editione, cui JOSEPHUS SCALIGER conjecturas nonnullas adscripserat, quæ debito honore nomini tanti viri ubique sunt redditæ; ut et ejusdem editionis exemplari, cui PETRUS SCRIVERIUS emendationes nonnullas ex Co

Digitized by Google

dicibus vetustis adjecerat, quod mihi dudum ex Bibliotheca almeloveniana in ejus distractione comparaveram. Referri forsan debent ad Codices Jesuitæ docti et amici Scriverii, Heriberti Rosvveidi. Ad illum certe pertinent hæc, quæ libro suo olim præfixit doctissimus SCRIVERIUS : « *Heribertus Rosvvey epistola anno* MDCIII. *sexto « Maii ad me scripta : Nactus sum nuper duo exem- « plaria MScripta* APOLOGETICI TERTULLIANEI, *quæ « mire conspirant, et veteres lectiones tuentur contra « Criticorum acumen. Sane miratus sum magnum Sca- « ligerum, quod* Gomphosin *nobis in* TERTULLIANO *ex- « cogitarit, plausibili quidem conjectura, sed minime « necessaria*, etc. » *Nec plus apparet ibidem, Præter hanc MStorum Codicum accessionem, quotquot hactenus exierunt* TERTULLIANI *Operum, vel* APOLOGETICI *hujus editiones, diligenter conquisivi, contuli, et in quo variarent annotavi; ut nemo imparatum me ad tantum Auctorem, et tam nobile ejus Scriptum, quale in primis hic* APOLOGETICUS, *accessisse dicturus sit. Quid vero præstiterim æqui lectoris erit judicare, qui sicubi lapsus fuero, quod et maximis ante me Viris in hoc ipso opusculo sæpissime accidit, et in isto scribendi genere evitari non potest, facile, ut puto, condonabit.*

Supersunt adhuc quædam dicenda mihi, quæ pertineant ad vitam TERTULLIANI, *mores, opiniones, non omnes in omnibus cum orthodoxa Ecclesia consentientes, tempus quo* APOLOGETICUM *hunc scripserit, quibus tunc partibus, et an Montani fuerit addictus, et cur huic* APOLOGETICO *quasi antebulones fecerit duos Ad Nationes Libros, Justini Martyris scilicet, ut mihi observatum est, exemplo; sed hæc partim uberius ab aliis pertractata sunt, partim in ipso hoc Commentario perstringuntur, partim etiam proferentur a nobis in Prolegomenis ad reliquos, quos adversus Gentes variis titulis composuit libros, quos brevi jam si Deo humanarum rerum arbitro placuerit, Notulis Nostris aliorumque illustratos, edere est animus. Et sane non mediocrem in illis diligentiam a Nobis positam esse, vel inde patet, quod ex duobus parvis Ad Nationes Libellis, non quæsita sed ultro oblata occasione, in hoc Nostro Commentario plus viginti mendas sustulerimus, in quibus, quoniam nullum a MSS. unico tantum superstite, superest subsidium, ingenio fuit indulgendum.*

Id tamen sciri velim, magnam non modo curam in hoc APOLOGETICO *a* TERTULLIANO *adhibitam, sed et his idem hoc Scriptum, hic illic paulum in verbis et oratione immutatum, ab illo in publicum emissum esse, quod Lectori evidenter, ut putamus, apparebit, si conferat, quæ a nobis afferuntur paginis 292. b. 313, a. 409. b., et præsertim 439, a. b. Nec id mirum videri debet, etiamsi nullus ante nos observaverit, cum idem et Lucretio et Lucano accidisse in promptu sit ostendere; adeoque non immerito Hugo ille Grotius idem judicium de Lucano ferat lib. VI. versu 187. agnoscatque in multis Auctoribus id observari posse Conradus Rittershusius, in Commentario ad Oppianum, cujus verba inde excerpta exhibentur a Gaspare Scioppio De Arte Critica pag. 87. invictis denique argumentis evicerit magnus Salmasius in Notis ad Achillem Tatium.*

Et hæc quidem hactenus, quæ si tibi placuerint, benigne Lector, spondemus, indesinenter operam nostram usui tuo profuturam, nam et multa habemus inchoata, semiperfecta, absoluta etiam, quæ non parco excutiemus sinu, dum animus et otium suppetit, et dum

—— integer ævi

Sanguis inest, solidæque suo stant robore vires.

Namque ut sobrie præcipit Syracusani dulcis Musa Theocriti, Idyll. XIV. *versu ultimo :*

—— ποιεῖν τι δεῖ ὄς γόνυ χλωρόν.

Dabam ex Museo meo, in pago Stad aan 't Haringvliet, *in Insula* Overflakke, *ipsis Calendis Junii, Anno* MDCCXVIII.



Digitized by Google

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS

TERTULLIANI

OPERUM PARS PRIMA,

IN QUA CONTINENTUR

LIBRI ANTE SUSCEPTUM AB AUCTORE MONTANISMUM SCRIPTI.

Series prima.

LIBRI APOLOGETICI.

APOLOGETICUS ADVERSUS GENTES.
AD NATIONES libri II.
DE TESTIMONIO ANIMÆ.
AD MARTYRES.
DE SPECTACULIS.
DE IDOLOLATRIA.
LIBER AD SCAPULAM,
APPENDICIS INSTAR.

APOLOGETICUS

ADVERSUS GENTES PRO CHRISTIANIS.

TOTIUS OPERIS ARGUMENTUM.

Imperante Septimio Severo, et cum Antonino filio res Romanas administrante, Tertullianus, veræ religionis ardore flagrans, illius utpote sacris initiatus, moleste, pro eo ac debuit, patiebatur religionem, quæ efferre sese quodammodo cœperat, opprimi, sub initium persecutionis quintæ, qua sæviente, insontes passim Christiani, nulla sexus aut ætatis habita ratione, inauditis ante illam diem suppliciis cruciabantur. Pro summa qua tunc pollebat facundia, Christianorum patrocinium suscepit, quorum adeo deplorata erat conditio, ut indicta causa, et solius nominis præjudicio damnarentur. Communi malo ac publico occurrere, et erumpentem in dies tempestatem, quantum in se erat, compescere, partes suas duxit, missaque hanc ob caussam ad antistites romanos apologia, effrænatos adversariorum impetus fregit tantisper ac debilitavit. Eo quippe vigore eaque eruditione caussam egit, ut si rationibus et veritate disceptandum fuisset, gentiles omnes redegisset ad incitas. Justini martyris et Aristidis vestigia premere poterat, verum ita eloquentiam est imitatus, ut et dicendi charactere, et argumentorum pondere ac doctrinæ varietate, utrumque superasse videatur.

CAPUT PRIMUM.

ARGUMENTUM.— *Cum sub Severo negatum esset Christianis in judicio se defendere, scriptum hoc præsidibus Romani imperii obtulit auctor, ostendens hoc capite iniquam istam judicandi formulam, per quam defensio negatur insontibus, et veritas absconditur; cum interim tot tantique, qui quotidie ad hanc sectam transeant, illam aliqua consideratione dignam faciant, qui sane omnes, remoti ab aliqua perversitatis culpæ, ostendant sese longe alium affectum induisse, quam istum qui in maleficis semper deprehenditur.*

Si non licet vobis, Romani imperii antistites (a),

CAP. I. — (a) *Imperii antistites.* Antistites vero ap-

Digitized by Google

in aperto et edito ipso (1) fere vertice (*a*) civitatis præsidentibus ad judicandum, palam dispicere (2) et coram examinare quid sit liquido in caussa Christianorum; si (3) ad hanc solam speciem (*b*) auctoritas (*c*) vestra de justitiæ diligentia in publico aut timet aut erubescit inquirere; si denique, quod proxime accidit, domesticis (*d*) judiciis (4) nimis operata (5) (*e*) sectæ hujus infestatio (*f*) obstruit viam (6) defensioni, liceat veritati vel occulta (*g*) via tacitarum literarum ad aures vestras pervenire. Nihil (7) illa de caussa sua deprecatur (8), quia nec de conditione miratur. A Scit se peregrinam (*h*) in terris agere, inter extraneos facile inimicos invenire, cæterum genus, sedem (*i*), spem, gratiam, dignitatem in cœlis habere. Unum gestit interdum, ne ignorata damnetur. Quid hinc (9) deperit (*k*) legibus in suo regno dominantibus, si audiatur? Ad hoc magis gloriabitur potestas earum, quod etiam auditam (10) damnabunt veritatem? Cæterum, inauditam si damnent, præter invidiam iniquitatis etiam suspicionem merebuntur alicujus conscientiæ, nolentes audire, quod auditum damnare non possint. Hanc itaque primam caussam

LECTIONES VARIANTES.

(1) Et in ipso loco *Paris.* Et edito, in ipso *Rigalt.*
(2) Describere *Barr. MS. L. B.* Despicere. *Rhenan. Jun.*
(3) Sed ad hanc *alii.*
(4) *Ita Herald. Rigalt. Haverc.* Indiciis *cod. F. vett. edit. de G.*
(5) Onerata *Paris.* Animis M. F.
(6) *Ita Pamelius, La Cerda, Rhen.* Viam *del. Jun. Herald. Rig. Haverc. ex MS.* os defensioni *MS. F.*
(7) Nilus de causa *Junius.*
(8) Deprecaretur *Rhen. Paris.*
(9) Hic *Paris. Venet.*
(10) Quod etiam *Rhen. La Cerd. Pamel.* Quod inauditam *cod. Putean. Jacob. Bongars. et Hugol.* Quo etiam auditam *Herald. Rigalt. Havercamp. scribere maluit:* at... earum quod veritatem.

COMMENTARIUS.

pellat, inquit Franciscus Zephyrus (in suis quæ nostris conjunximus scholiis), ipsos pontifices, quorum auctoritas rem sacram, cæremonias, omnem denique religionem administrabat, in quibus interpretandis summa Reip. versabatur, unde et principes publici consilii a Cicerone appellantur *et deorum immortalium antistites.* Atque inter eos etiam ipsos imperatores fuisse constat ex inscriptionibus antiquis, in quibus Pontifices Maximi vocantur. PAMELIUS.

(a) *In ipso fere vertice civitatis præsidentibus ad judicandum.* Capitolium significat. Et Chalcidius in *Tim.* Plat. rationem dicit suam obtinere sedem in capite, tamquam totius corporis Capitolio. RIGALTIUS.

(b) *Ad hanc solam speciem.* Quoniam deplorata videtur caussa Christianorum, propter præjudicia et varia decreta, adeo ut nemo pro iisdem loqui non reformidet, sicque aperto patrocinio indigeant, nobis saltem privatim pro Christianis disceptare concedatur, datisque ad vos literis, doloris nostri testibus et amoris, linguis subsidium aliquot reservate. LE PRIEUR.

(c) *Auctoritas vestra.* Per *auctoritatem* intelligit actum summum administrationis, summam in administrando imperio potentiam atque auctoritatem. Itaque auctoritas est institutoris, dispensatoris, procuratoris. Ut ergo isti indigent auctoritate summa, ita de præsidibus istis, inquit, auctoritatem esse illorum, neminem timere et erubescere, quominus tuto possint judicare. LA CERDA.

(d) *Proxime accidit, domesticis judiciis.* Innuit recentem historiam sævitiæ quorumdam ex iis quos *imperii. Romani antistites* vocat, qui scilicet domestico judicio in liberos aut servos suos, eo quod Christianorum sectæ nomen dedissent, aliquid atrocius statuerant, quasi inde contracta asperitate, allatis domo præjudiciis, ad ipsa tribunalia caussis Christianorum judicandis infestiores accederent. LAC.

(e) *Operata.* Hellenice et Virgilius, I Georgic., *Lætis operatus in herbis.* Dicit autem ethnicos conatos ab iis qui familiariter cum Christianis versabantur, a famulis, inquam, et ancillis investigare crimina, de quibus vulgo infamabantur, nihilque unquam deprehensum esse. LAC.

(f) *Sectæ hujus infestatio.* Eodem sensu Chalcidius in *Tim.* Plat. sectam sanctiorem dixit, ex Hebræa Christianam significans. Quod quidem, inquit, verum esse testatur eminens quædam doctrina sectæ sanctioris. LAC.

(g) *Occulta via tacitarum literarum.* Similiter de eadem hac re loquitur in lib. *ad Scapulam*, cap. 1: *Necesse est vel hoc modo erumpere ad proponenda vobis ea quæ palam non vultis audire.* Et huic affine illud Martialis in Præfatione lib. XI *Epigr.*: *Video quare tragœdi epistolam accipiant, quibus pro se loqui non licet.* HAVERCAMPUS.

(h) *Sic se peregrinam in terris.* Prosper Aquitanus in lib. *Epigramm.*, ubi exprimit illud Augustini: *Omnis qui ad supernam pertinet civitatem, peregrinus est mundi; et dum temporali utitur vita, in patria vivit aliena*; ita canit:

Cœlestem ad patriam, Christo redimente, vocatus,
Vitam labentis temporis hospes agit:
Dumque ad promissam requiem non per sua tendit,
Mundanæ patitur multa pericla viæ:
Quæ nunc obsessa adversis, nunc plena secundis,
Aut frangit trepidos, obligat aut dubios:
Inter quos laqueos currentem ad gaudia vitæ,
Non capiet mundus cui via Christus erit.

HAVERC.

(i) *Sedem.* Id est patriam; quam quærit, quam curat, exoptat. Anaxagoras philosophus summus, cum rei publicæ et privatæ valde esset negligens, compellatus a quodam hoc modo: Nullane tibi patriæ cura est? respondit, ἐμοὶ γὰρ καὶ σφόδρα μέλει τῆς πατρίδος, δεῖξας τὸν οὐρανόν, i. e. *Mihi vero patriæ cura, et quidem summa est; digitum in cœlum intendens* Narrat Diogenes in Vita ejus. Chrysost. Homel. de SS. Bernice et Prosdoce: *At mulieres alta tranquillitate fruebantur: siquidem undique illas spes futurorum muniebat, quoniam et peregre cum degerent, peregre non degebant: veram enim patriam fidem habebant; civitatem propriam habebant confessionem, et cum optima spe alerentur, nullis rebus præsentibus afficiebantur, futuras namque solum spectabant.* Adeo cum Græcorum omnium liberrimo Diogene gloriari poterant. Ἔχειν πατρίδα ἀδοξίαν καὶ πενίαν ἀνάλωτον τῇ τύχῃ. i. e. *Habere se patriam, contemptum gloriæ et paupertatem, quæ in potestatem fortunæ numquam sint cessura.* HAV.

(k) *Deperit legibus.* Rarum verbum, et quod vix apud alios invenias. Est tamen apud Lucretium, quem studiose legit noster Septimius. Is., lib. XI, 296:

Nam neque adaugescit quidquam neque deperit inde.

Quod si quædam testimonia collegerit Festus, ea perierunt, truncatumque hoc solum nobis reliquit epitomator ejus Paulus, *deperire significat valde perire.* HAV.

Digitized by Google

apud vos collocamus (*a*), iniquitatem (1) odii erga nomen Christianorum. Quam iniquitatem idem titulus et onerat et revincit, qui videtur excusare, ignorantia scilicet. Quid enim iniquius, quam ut oderint homines, quod ignorant etiamsi res mereretur odium? Tunc etenim meretur (2), cum cognoscitur, an mereatur. Vacante autem meriti notitia, unde odii justitia defenditur quæ non de eventu, sed de conscientia probanda est? Cum ergo propterea oderint (3) homines (4), quia ignorant, quale sit quod oderunt, cur non liceat ejusmodi illud esse, quod non debeant A odisse? Ita utrumque ex alterutro redarguimus, et ignorare illos, dum oderunt, et injuste odisse, dum ignorant. Testimonium ignorantiæ est, quæ iniquitatem, dum (5) excusat, condemnat; cum omnes, qui retro oderant, quia ignorabant quale esset quod oderant, simul ut (6) desinunt ignorare, cessent (7) et odisse. Ex his fiunt Christiani, utique de comperto et incipiunt odisse quod fuerant, et profiteri quod oderant; et sunt tanti (*b*), quanti et denotamur (8). Obsessam vociferantur civitatem (*c*), in agris, in castellis, in insulis Christianos; omnem sexum,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Iniquitatis. *Rigalt. Semler. Leopold. Haver.* odium *Pamel. Barr.*
(2) Mereretur. *Pamel. Fran. Semler.*
(3) Fatentur. *Paris.*
(4) Performamur. *Rhen. Herald. Rigalt. Haverc.* Præformantur. *Pamel. Barr.*
(5) *Wowwer mavult scribi ex MSS.* Quis negat tamen quod vere malum est quos capit defendere.
(6) *Pamelius, Semler, aliis* christianus vero quid simile? *Rhen. in edit.* christianis v. quid simile? *Cod. Lugd. B.* christianorum, *sed recte statuit Havercamp. cod. fuld. scripturam restituendam esse, nec repugnant quæ sequuntur.*
(7) Naturam mali. *Rhen.* Barr. Semler. Leopold.
(8) Denotantur *Paris. Barr. Rhen. Herald. Lacerd. Gangnæus-Gelenius.*

COMMENTARIUS.

(a) Quam potiorem sequimur præ aliis lectionem, inquit de Gourcy, ea sane præ aliis nitide, obvioque sensu sonat et egregio. *Collocare caussam apud judices*, idem est enim ac diem coram judice dicere, rem sigillatim explicare, minime vero rei caussam afferre. Nec totus eo loci est Tertullianus in assignandis odii in Christianos causis, quin potius præcipua eorum causæ capita recenseat. Summæ esse injuriæ eos damnare in hoc primo capite asserere aggreditur. Ineunte vero postea capite IV jam quinam sit genuinus ibidem sensus ipsemet aperte patefacit cum ait: « Atque adeo quasi præfatus hæc ad suggillandum odii erga nos publici iniquitatem, etc. » EDD.

b *Et sunt tanti.* Perinde ac si dixisset, Tanta est eorum multitudo, quanta vos non præterit, sed judicatis ac deploramini multa proclamatione dolentes sub prætextu justitiæ, et quasi accepto detrimento obsideri orbem hac Christiana religione, et ad hoc nomen omnes homines confugere, ut merito de Ecclesia Hospitianum illud decantari posset: *Merges profundo, pulchrior evenit.* PAM.

c *Obsessam vociferantur civitatem*, etc.), Barr. *Civitatem obsessam vocif.* Ex multitudine hominum undique ad veritatem confluentium probare conatur Septimius non tam iniquam Christianorum esse religionem ac illi suspicarentur, ad quam ubique et ab omni sexu et conditione tantus fieret concursus, adeoque non vulgus tantum instabile, sed et viri claritate natalium et existimatione insignes ad illam sectam transirent. Infra cap. 111. *Bonus vir Caius Seius, tantum quod Christianus*, et ibidem: *Ego Lucium sapientem virum repente factum christianum demiror.* Illud pati non poterant tenebris Gentilium addicti, unde vel Taciti illa indignatio, lib. xv. Annal. cap. XLIV. *Repressaque in præsens* (supplicio scil. Christi a Pontio Pilato necati) *exitiabilis superstitio rursus erumpebat, non modo per Judæam originem ejus mali, sed per urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque*, loquitur de tempore Neronis. Plinius, lib. x. epist. 97. *Multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam, vocantur in periculum, et vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam, atque agros superstitionis istius contagio pervagata est.* Hinc Rutilii, qui Honorii temporibus floruit, in Itinerario versu 395, amarulentum illud:

Atque utinam nunquam Judæa subacta fuisset
Pompeii bellis imperioque Titi.
Latius excisæ gentis contagia serpunt,
Victoresque suos natio victa premit.

Illi enim utriusque religionis ignari Judæos et Christianos confundebant. Unde Dion in Domitiano dicit ipsum Clementem et Domitillam, necessarios suos, illum capitis supplicio, hanc deportatione in insulam Pandatariam punisse, εἰς τὰ τῶν Ἰουδαίων ἤθη ἐξοκέλλοντας, i. e. *prolapsos in ritus Judæorum* erant vero Christiani. Idem de Nerva successore tyranni refert vetuisse illum quemquam οὔτε ἀσεβείας εἴτε ἰουδαϊκοῦ καταιτιᾶσθαι i. e. *neque contemptus Deorum, neque Judaici ritus crimine in posterum accusare.* Sulpitius Severus, lib. II. Hist. sacræ: *Qua tempestate Hadrianus existimans se Christianam fidem loci injuria peremptum, in templo ac loco Dominicæ passionis simulacra constituit. Et quia Christiani ex Judæis potissimum putabantur* (namque tum Hierosolymæ *non nisi ex circumcisione habebat Ecclesia sacerdotem*) *militum cohortem custodias in perpetuum agitare jussit, quæ Judæos omnes Hierosolymæ aditu arceret. Quod quidem Christianæ fidei proficiebat, quia tum pene omnes Christum Deum sub legis observatione credebant. Nimirum id Domino ordinante dispositum, ut legis servitus a libertate fidei atque Ecclesiæ tolleretur.* Unde forsan nec Arrianus illos discernit Dissert. Epictet. II. 9. ubi taxat illos qui philosophi personam sumunt: cum revera non sint. Τί οὖν, inquit, στοικὸν λέγεις σεαυτόν; τί ἐξαπατᾷς τοὺς πολλούς; τί ὑποκρίνῃ, ἰουδαῖος ὤν, ἕλληνας; σὺχ ὁρᾷς, πῶς ἕκαστος λέγεται ἰουδαῖος; πῶς σύρος; πῶς αἰγύπτιος; καὶ ὅταν τινὰ ἐπαμφοτερίζοντα ἴδωμεν, εἰώθαμεν λέγειν· Οὐκ ἔστιν ἰουδαῖος, ἀλλ' ὑποκρίνεται. ὅταν δὲ ἀναλάβῃ τὸ πάθος, τὸ τοῦ βαπτισμένου, τότε καὶ ἔστι τῷ ὄντι, καὶ καλεῖται ἰουδαῖος. i. e. *Quid appellas te Stoicum? quare decipis et fallis tam multos? quam ob causam vis haberi inter Græcos, cum sis Judæus? an nescis quam ob causam quis habeatur pro Judæo, pro Syro, pro Ægyptio? At quando conspexerimus aliquem incertarum partium, atque ancipite fide, dicere solemus: Judæus non est, sed simulat. Quum autem affectum induit baptizati et inter sectatores adsciti, tum revera et est et appellatur Judæus.* Quamvis etiam Judæorum proselyti non incogniti illi fuerint ex furore illo quem Pharisæis adscribit Christus, Matth. XXIII. 15. Elegans vero verbum usurpat ἐπαμφοτερίζειν, quod notat ita ad utramque partem propendere, ut quo pertineat nescias. Aristoteles de Anima, lib. II. 8. ἔνια δὲ τῶν ζώων ἐπαμφοτερίζει τὴν φύσιν, τῷ τε ἀνθρώπῳ καὶ τοῖς τετράποσιν, οἷον πίθηκοι. i. e. *Sunt quæ natura ancipite, partim hominem, partim quadrupedem imitentur, ut simiæ;* et versus IV. 10. ὁ δὲ πίθηκος, διὰ τὸν τὴν μορφὴν ἐπαμφοτερίζειν, καὶ μᾶλλον τ' εἶναι καὶ ἀμφοτέρων, διὰ τοῦτο οὔτε σύριγξ ἔχει, οὔτε ἰσχία. i. e. *Simius vero, quod controversa sit inter bipedes et quadrupedes,*

Digitized by Google

ætatem, conditionem, etiam dignitatem (*a*) transgredi ad hoc nomen quasi detrimento mœrent. Nec tamen hoc (b) ipso modo ad æstimationem alicujus latentis (1) boni promovent animos; non licet rectius sus-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Latentis *Paris.*

COMMENTARIUS.

quod quidem ad formam attinet, ideo nec caudam habet, nec nates : videlicet, ut bipes cauda vacat : ut quadrupes natibus. Et in pulchro puero venuste expressit Ausonius epigr. c. v.

Dum dubitat Natura marem faceretne puellam :
Factus eo pulcher pene puella puer.

Et in simili argumento de Gyge Cnidio Horat. Carm. II. v. 21.

Quem si puellarum insereres choro,
Mire sagaces falleret hospites,
Discrimen obscurum, solutis
Crinibus, ambiguoque vultu.

Sed ut unde digressus sum redeam, procul dubio de Christianis loquitur fragmentum illud Senecæ, quod nobis servavit Augustinus in lib. de Civitate Dei VI. 11. *De illis sane Judæis cum loqueretur, ait : Cum interim usque eo sceleratissimæ gentis consuetudo convaluit, ut per omnes jam terras recepta sit. Victi victoribus leges dederunt.* En cui commercium litterarum cum Paulo fabulantur! Quem locum eo libentius adduxi ut quæ ibi sequuntur emendem. *Illi tamen*, inquit verbis Senecæ Augustinus, *causas ritus sui noverunt, major pars populi facit, quod cur faciat ignoret.* Ita habent libri optimi literis Longobardicis exarati, quorum collationem servo, non *et major pars*, ut passim legitur. quamvis enim in illo suo qualicunque scripto, quod jam deperditum est, superstitionem istam odiosam sibi damnet Seneca, fatetur tamen illos ritus sui causam nosse, cum major pars populi, Romani nempe, cujus vecordiam et ignaviam ibidem taxabat, ignoret cur faciat id quod facit. Et sane præter MSS. auctoritatem evincunt id præcedentia apud auctorem verba : *Subjecit plane sententiam, qua significaret, quid de illorum sacramentorum ratione sentiret. Ait enim, illi tamen*, etc. Facit huc etiam Suetonii locus in Domitiano, cap. XII. *Præter cæteros Judaicus fiscus acerbissime actus est, ad quem deferebantur, qui velut professi Judaicam intra urbem viverent vitam, vel dissimulata origine imposita genti tributa non pependissent. Interfuisse me adolescentulum memini, quum a procuratore, frequentissimoque concilio inspiceretur nonagenarius senex an circumcisus esset.* Vides circumcisionis discrimine opus fuisse ut dignoscerentur. Imo adeo nullum discrimen inter has sectas facit Ælius Spartianus ut in principio vitæ Caracallæ de eo scribat : *Septennis puer, quum collusorem suum puerum, ob Judaicam religionem gravius verberatum audisset, neque patrem suum, neque patrem pueri, vel auctores verberum diu respexit.* Unde et Lampridius de Alexandro Severo Imperatore. *Clamabatque sæpius quod a quibusdam sive Judæis sive Christianis audiverat, et tenebat; idque per præconem, quum aliquem emendaret, dici jubebat : Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Quem eundem Imperatorem Christum inter Deos referre et templum illi exstruere voluisse narrat, sed prohibitum ab iis, qui *consulentes sacra, repererant omnes christianos futuros, si id optato evenisset et templa reliqua deserenda :* De multitudine Christianorum adi etiam infra apud Auctorem nostrum cap. XXXVII. et quæ ibi notantur. Hav.

a *Et jam dignitatem)* Recte ita Rigalt. et MS. Lugd. Bat. Alii *etiam*. quomodo MS. Fuld. Xiphilinus in epitome Dionis de crudelitate Domitiani. Καὶ τῷ αὐτῷ ἔτει ἄλλους τε πολλοὺς, καὶ τὸν Φάβιον Κλήμεντα, ὑπατεύοντα, καίπερ ἀνεψιὸν ὄντα, καὶ γυναῖκα καὶ αὐτὴν συγγένη ἑαυτοῦ Φαβίαν Δομιτίλλαν ἔχοντα, κατέσφαξεν ὁ Δομιτιανός, ἐπηνέχθη δὲ ἀμφοῖν ἔγκλημα ἀθεότητος, ὑφ' ἧς καὶ ἄλλοι ἐς τὰ τῶν Ἰουδαίων ἤθη ἐξοκέλλοντες πολλοὶ κατεδικάσθησαν. Ἡ δὲ Δομιτίλλα ὑπερωρίσθη μόνον εἰς Πανδατερίαν. i. e. *Eodem anno Domitianus cum alios multos, tum vero Fabium Clementem Consulem* [*etsi patruelis ejus erat, et Flaviam Domitillam Domitiani consanguineam uxorem habebat*] *morte affecit, illato ambobus crimine atheismi* [ita enim Christiana religio vocabatur quæ Deos irridebat] *Cujus rei causa multi, qui in mores Judæorum transierant, damnati sunt : quorum pars occisa est, pars spoliata facultatibus : Domitilla tantummodo in Pandatariam relegata est.* Nota etiam hic Judæos et Christianos confundi, et repone pro φάβιον φλάβιον, ut expresse dicitur a Suetonio in Domit. c. XV. nec alias patruelis principis esse potuit nisi ex gente Flavia non Fabia. Uxor ejus videtur hoc nomen adepta B in honorem matris Domitiani, quæ ita vocabatur et cum cognomine filia mature periit. Addit ibidem Xiphilin. virum clarissimum Glabrionem ob idem crimen perisse. Τὸν δὲ δὴ Γλαβρίωνα τὸν μετὰ τοῦ Τραιάνου ἄρξαντα, κατηγορηθέντα τά τε ἄλλα καὶ οἷα οἱ πολλοί, καὶ ὅτι καὶ θηρίοις ἐμάχετο ἀπέκτεινεν. i. e. *Glabrionem quoque, qui cum Trajano magistratum gesserat, accusatum præter cætera superioris criminis, etiam cum bestiis quando pugnasset, interfici jussit.* objectus enim fuerat ab illo leoni ferocissimo, quem ope Dei et virtute sua confecerat. Singularis quoque est inscriptio quæ reperitur in cœmeterio D. Agnetis via Nomentana, referente Aringio Romæ Subterra. lib. III. cap. 22. p. 340.

SIC PREMIA SERVAS VESPASIANE DIRE
CIVITAS VBI GLORIE TUE AUTORI
PREMIATUS ES MORTE GAUDENTI LETARE
PROMISIT ISTE DAT KRISTUS OMNIA TIBI
QUI ALIUM PARAVIT THEATRUM IN CELO. C

Refert Aringius ad Domitianum qui Gaudentio architecto theatri ædificandi curam commiserat, eique, cum alia, tum civitatem dono datarum promiserat; hunc autem re perfecta, cum velut Christianus delatus esset ad principem, martyrium putat pro mercede sortitum esse. Quam conjecturam impugnat Reinesius in inscript. p. 955. legens VE. PASIAN. DIRE. CIVILITAS. UBI. ut sit interjectio minantis et detestantis, et refert ad Antonium Bassianum Caracallam, qui sextæ persecutionis auctor fuit. negatque Vespasiani nomine insignitum unquam Domitianum, quod tamen probant, quæ citat Hermolaus Barbarus ad Plinii Præfat. monumenta prisci æris, in quibus ita scriptum est, IMP. CÆS. DOMITIANUS VESP. AUG. GERM. JOVI VICTORI. Unde dubium ad quem referri debeat illud nomen in rarissimo magni æris nummo apud Patinum in Thes. p. 148. ubi ab una parte superbissimi amphitheatri structura, ab altera D figura spoliis insidens, cum ramo olivæ, et hac inscriptione DIVO AUG. DIVI VESP. F. VESPASIAN. Etenim ad Titum referri potest, ut sit *Vespasiano*, et ad Domitianum qui id memoriæ fratris tribuerit; quamvis ad priorem potius pertinere arbitrer; cum aliter nomen Imperatoris non exprimatur. Cuicunque Imperatori tribuenda sint verba, satis obscure certe theatri structura intelligitur per illa GLORIE TUE AUTORI ex oppositione theatri in cœlo. Quod si ad Domitianum referas, malim secundo versu legere

CIVILITAS UBI GLORIE TUE AUTORIS.

ita enim de illo Svetonius, cap. XVIII. *Commendari se verecundia oris adeo sentiebat, ut apud Senatum sic quondam jactaverit, Usque adhuc certe animum meum probastis et vultum.* Vox ALIUM quoque offendit me in ultimo versu male forsan descripta pro AGION. i. e. *Sanctorum.* Hav.

c *Nec tamen hoc* etc.) Acer ad inquirendum stimulus, tot ac tales homines ad sectam illam tran-

Digitized by Google

picari, non libet (1) propius experiri. Hic tantum humana (2) curiositas torpescit, amant ignorare, cum alii gaudeant cognovisse. Quanto magis hos Anacharsis denotasset imprudentes de prudentibus judicantes, quam immusicos (3) de musicis (a)! Malunt nescire (b), quia jam oderunt; adeo quod nesciunt, præjudicant (4) id esse, quod, si sciant, odisse non poterant (5); quando si nullum odii debitum deprehendatur, optimum utique sit desinere A injuste odisse; si vero de merito constet, non modo nihil odii detrahatur (c), sed amplius acquiratur adperseverantiam, etiam justitiæ ipsius auctoritate. Sed non ideo, inquit (6), bonum, quia multos convertit (d). Quanti enim ad malum (e) præformantur (7), quanti transfugæ in perversum? Quis negat (8)? Tamen quod vere malum est, ne ipsi quidem, quos rapit, defendere pro bono audent. Omne malum aut timore aut pudore natura perfudit (f).

LECTIONES VARIANTES.

(1) Libet *Paris.* licet... libet *Rig.*
(2) *Rhen.*: Hic t. urbana, *al.* Sic t. urbana.
(3) Non musicos *Paris.*
(4) Præjudicandi esse *Rig.*
(5) Poterunt *Jun.*
(6) Inquiunt *Jun.*
(7) *Rhen., Herald., Rigalt. et Haverc. e codd. Put., Bong. et Lugd.* performantur; *cod. Fuld.* reformantur; *Pamel. et Barræus:* præformantur.
(8) *Wouwer. mavult scribi ex MS.* Quis negat tamen quod vere malum est..... quos capit defendere.

COMMENTARIUS.

sire. quare augetur ignorantiæ crimen, quod non hisce exemplis ad penitius inquirendum moveatur, non enim ut vulgus, cujus aures et oculi sæpe testes mali sunt, ut ait Publius, ita et qui sapere existimantur et in bonis quod perdant habent, tam repente transirent, nisi occultum et ignotum quoddam antea bonum sese ipsis obtulisset. Infra cap. ult. *Illa ipsa obstinatio quam exprobratis magistra est. Quis enim non contemplatione ejus concutitur ad inquirendum quid intus in re sit? quis non ubi requisivit accedit? ubi accessit, pati exoptat?*

(a) *Anacharsis.* Laertius in ejus vita: Θαυμάζειν δὲ ἔφη πῶς τοῖς ἄλλησιν ἀγωνίζονται μὲν οἱ τεχνῖται, καὶ κρίνουσι δὲ οἱ μὴ τεχνῖται, hoc est, interprete Rhenano: *Mirari autem se dixit, quomodo apud Græcos, artifices quidam certarent, verum judicarent qui non essent artifices.* Pam.

(b) *Malunt nescire.* Causam ostendit cur in illis exemplum aliorum et curiositas humana non ultra progrediantur, quia malunt nescire, etc. Minucius p. 51. *ut ante incipiunt homines odisse quam nosse: ne cognitos aut imitari possint, aut damnare non possint.* Quo facit et illud Senecæ Epist. XXIX. de quodam Marcellino: *Raro ad nos venit, non alia ex causa, quam quia verum audire timet. a quo periculo jam abest: nulli enim nisi audituro dicendum est.* Hav.

(c) *Odii detrahatur.* Ms. Fuld. legit *odio detrahatur.* Non dissimile valde est argumentum, quo utitur Prometheus ad Jovem, apud Lucianum, vinculis solvi et a Caucaso liberari cupiens. Οὐ γὰρ ἀγνοήσεις αὖθις ἔνθα ὁ Καύκασος ἔστιν. οὐδ' ἀπορήσεις δεσμῶν ἤν τι τεχνάζων ἁλίσκωμαι. i. e. *Non enim ignoras rursus ubi Caucasus est? neque indigebis vinculis, si quo modo versutias agens deprehendar.* Fictusque ille latro apud Apuleium in Asino lib. VII. *præsertim vobis, si sententia hæc mea displicuerit, liceat rursus ad asinum redire.* Sensus est, cognosci utique debere causam Christianorum, quæ si insons, illi tamen eam odisse si velint possunt, quamvis *bene meritis non insidiari* debere ille apud Curtium ait lib. VI. 10. sin secus accidat in criminis examinatione, justa odii causa est, ut quæ etiam justitiæ auctoritate nitatur. Idem Curtius VI. II. in fine: *Itaque anceps quæstio fuit: dum inficiatus est facinus, crudeliter torqueri videbatur, post confessionem, Philotas ne amicorum quidem misericordiam meruit.* Hav.

(d) *Quia multos convertit)* Hanc superius causam in prærogativam suam traxerat Auctor, tot omnis generis, sexus, locorum, ad Christianos transire: sed quia juxta Publii illud vers. 148.

Est turba semper argumentum pessimi,

ideo diluit hanc objectionem egregie in sequentibus ex virtute Christianorum. Dixerat ante quoque, non tantum omnem sexum, sed et dignitatem ad hoc nomen transgredi, facilem inde quoque viam defensioni monstrante eodem Publio versu 489.

Non qua multis placeas, sed qualibus, stude (Hav.).

(e) *Ad malum præformantur.* Editio Barræi et Pamelii B *præformantur*, quasi illos respiciat quos Cebes ex poculo Erroris et Ignorantiæ ab Impostura propinatæ largius haurire dicit, atque ita ad malum præformari, quum ii quos Tertullianus vocat *transfugas*, sint qui ibidem ab Opinionibus, Voluptatibus, etc. in transversum a recta via rapiuntur. Sed ipse Cebes dignus est cujus verba adscribantur. Ὁρᾷς, inquit ibi monstrator tabulæ, παρὰ τὴν πύλην θρόνον τοῦτον, καθ' ὃν εἰσπορεύεται ὁ ὄχλος, ἐφ' οὗ κάθηται γυνὴ πεπλασμένη τῷ ἤθει, καὶ πιθανὴ φαινομένη, καὶ ἐν τῇ χειρὶ ἔχουσα ποτήριόν τι; Ὁρῶ. Ἀλλὰ τίς ἐστιν αὐτὴ, ἔφην. Ἀπάτη καλεῖται. φησὶν, ἡ πάντας τοὺς ἀνθρώπους πλανῶσα. Εἶτα τί πράττει αὐτὴ; Τοὺς εἰσπορευομένους εἰς τὸν βίον ποτίζει τῇ ἑαυτῆς δυνάμει. Τοῦτο δὲ τί ἐστι τὸ ποτόν; Πλάτη, ἔφην. καὶ Ἄγνοια. Εἶτα τί; Πιόντες τοῦτο, πορεύονται εἰς τὸν βίον. Πότερον οὖν πάντες πίνουσι τὸν πλάνον, ἢ οὔ; Πάντες πίνουσιν ἔφην. ἀλλ' οἱ μὲν πλεῖον, οἱ δὲ ἧττον. Ἐπὶ δὲ οὐχ' ὁρᾷς ἔνδον τῆς πύλης πλῆθός τι γυναικῶν, ἑταιρῶν παντοδαπὰς μορφὰς ἐχουσῶν; Ὁρῶ Αὗται τοίνυν, Δόξαι καὶ Ἐπιθυμίαι, καὶ Ἡδοναὶ καλοῦνται. Ὅταν οὖν εἰσπορεύεται ὁ ὄχλος, ἀναπηδῶσιν αὐτὰ, καὶ πλέκονται πρὸς ἕκαστον, εἶτα ἀπάγουσι. Ποῦ δὲ ἀπάγουσιν αὐτοὺς; Αἱ μὲν εἰς τὸ σώζεσθαι, ἔφη, αἱ δὲ εἰς τὸ ἀπόλλυσθαι διὰ τὴν Ἀπάτην, i. e. *Videsne, inquit, juxta portam solium positum, qua turba ingreditur, cui mulier insidet, ficto vultu, argutaque specie, et manu poculum quoddam tenens? Video, inquam, sed quæ illa est? Impostura, inquit, quæ omnes homines deducit. Et quid agit illa? iis qui in vitam ingrediuntur, facultatem suam propinat. Quæ vero est illa potio? Error, inquit, et ignorantia. Quid tum? Hac pota veniunt in vitam. Num ergo omnes Errorem bibunt? Omnes bibunt, inquit; sed alii plus, alii minus. Nonne præterea intra portam vides turbam quandam mulierum prædituarum variis meretricum formis? Video. Hæ ergo opiniones, cupiditates et voluptates appellantur, turbaque ingrediente exilientes, amplectuntur singulos, atque abducunt. Quo vero abducunt eos? Aliæ ad salutem, inquit, aliæ ad interitum ob imposturam.* Sequitur ibidem: Οἱ δὲ διὰ τὴν ἄγνοιαν, καὶ τὸν πλάνον, ὃν πεπώκασι παρὰ τῆς Ἀπάτης, οὐχ εὑρίσκουσι ποία ἐστὶν ἡ ἀληθινὴ ὁδὸς ἡ ἐν τῷ βίῳ, ἀλλὰ πλανῶνται. i. e. *Illi vero propter ignorantiam et errorem, quem apud imposturam hauserunt, veram degendæ vitæ viam non inveniunt: sed temere oberrant.* Et hanc quidem tabulam veteres sapientes sæpe respiciunt, ita ut Paulo Apostolo haud incognitam fuisse appareat cum aliis in locis, tum Ephes. IV. 22. Τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον τὸν φθειρόμενον διὰ τὰς Ἐπιθυμίας τῆς Ἀπάτης. Hinc illud Lucretii lib. II, 9.

Despicere unde queas alios, passimque videre
Errare, atque viam palantes quærere vitæ.

Quomodo lectio hæc *præformantur* augeret sensum apud Tertull. nostrum, cum non tantum multi a bona via quam ingressi sunt avocentur ab opinionibus, etc. sed etiam plerique nimis poti de Imposturæ poculo tota via vel a principio aberrent. Hav.

(f) *Natura perfudit.* MS. Lugd. Bat. *perfundit.* Ele- (*Neuf.*)

Digitized by Google

ætatem, conditionem, etiam dignitatem (*a*) transgredi ad hoc nomen quasi detrimento mœrent. Nec tamen

A hoc (b) ipso modo ad æstimationem alicujus latentis (1) boni promovent animos; non licet rectius sus-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Latentis *Paris.*

COMMENTARIUS.

quod quidem ad formam attinet, ideo nec caudam habet, nec nates : videlicet, ut bipes cauda vacat : ut quadrupes natibus. Et in pulchro puero venuste expressit Ausonius epigr. c. v.

Dum dubitat Natura marem faceretne puellam :
Facies eo pulcher pene puella puer.

Et in simili argumento de Gyge Cnidio Horat. Carm. 11. v. 21.

Quem si puellarum insereres choro,
Mire sagaces falleret hospites,
Discrimen obscurum, solutis
Crinibus, ambiguoque vultu.

Sed ut unde digressus sum redeam, procul dubio de Christianis loquitur fragmentum illud Senecæ, quod nobis servavit Augustinus in lib. de Civitate Dei vi. 11. *De illis sane Judæis cum loqueretur, ait : Cum interim usque eo sceleratissimæ gentis consuetudo convaluit, ut per omnes jam terras recepta sit. Victi victoribus leges dederunt.* En cui commercium litterarum cum Paulo fabulantur! Quem locum eo libentius adduxi ut quæ ibi sequuntur emendem. *Illi tamen*, inquit verbis Senecæ Augustinus, *causas ritus sui noverunt, major pars populi facit, quod cur faciat ignoret.* Ita habent libri optimi literis Longobardicis exarati, quorum collationem servo, non *et major pars*, ut passim legitur. quamvis enim in illo suo qualicunque scripto, quod jam deperditum est, superstitionem istam odiosam sibi damnet Seneca, fatetur tamen illos ritus sui causam nosse, cum major pars populi, Romani nempe, cujus vecordiam et ignaviam ibidem taxabat, ignoret cur faciat id quod facit. Et sane præter MSS. auctoritatem evincunt id præcedentia apud auctorem verba : *Subjecit plane sententiam, qua significaret, quid de illorum sacramentorum ratione sentiret. Ait enim, illi tamen*, etc. Facit huc etiam Suetonii locus in Domitiano, cap. xii. *Præter cæteros Judaicus fiscus acerbissime actus est, ad quem deferebantur, qui velut professi Judaicam intra urbem viverent vitam, vel dissimulata origine imposita genti tributa non pependissent. Interfuisse me adolescentulum memini, quum a procuratore, frequentissimoque concilio inspiceretur nonagenarius senex an circumcisus esset.* Vides circumcisionis discrimine opus fuisse ut dignoscerentur. Imo adeo nullum discrimen inter has sectas facit Ælius Spartianus ut in principio vitæ Caracallæ de eo scribat : *Septennis puer, quum collusorem suum puerum, ob Judaicam religionem gravius verberatum audisset, neque patrem suum, neque patrem pueri, vel auctores verberum diu respexit.* Unde et Lampridius de Alexandro Severo Imperatore. *Clamabatque sæpius quod a quibusdam sive Judæis sive Christianis audiverat, et tenebat; idque per præconem, quum aliquem emendaret, dici jubebat : Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Quem eundem Imperatorem Christum inter Deos referre et templum illi exstruere voluisse narrat, sed prohibitum ab iis, qui *consulentes sacra, repererant omnes christianos futuros, si id optato evenisset et templa reliqua deserenda :* De multitudine Christianorum adi etiam infra apud Auctorem nostrum cap. xxxvii. et quæ ibi notantur. Hav.

a *Et jam dignitatem*) Recte ita Rigalt. et MS. Lugd. Bat. Alii *etiam*. quomodo MS. Fuld. Xiphilinus in epitome Dionis de crudelitate Domitiani. Καὶ τῷ αὐτῷ ἔτει ἄλλους τε πολλοὺς, καὶ τὸν Φάβιον Κλήμεντα, ὑπατεύοντα, καίπερ ἀνεψιὸν ὄντα, καὶ γυναῖκα καὶ αὐτὴν συγγενῆ ἑαυτοῦ Φαβίαν Δομιτίλλαν ἔχοντα. κατέσφαξεν ὁ Δομιτιανὸς, ἐπηνέχθη δὲ ἄμφοιν ἔγκλημα ἀθεότητος, ὑφ' ἧς καὶ ἄλλοι ἐς τὰ τῶν Ἰουδαίων ἤθη ἐξοκέλλοντες πολλοὶ κατεδικάσθησαν. ἡ δὲ Δομιτίλλα ὑπερωρίσθη μόνον εἰς Πανδατερίαν. i. e. *Eodem anno Domitianus cum alios multos, tum vero Fabium Clementem Consulem* [*etsi patruelis ejus erat, et Flaviam Domitillam Domitiani consanguineam uxorem habebat*] *morte affecit, illato ambobus crimine atheismi* [ita enim Christiana religio vocabatur quæ Deos irridebat] *Cujus rei causa multi, qui in mores Judæorum transierant, damnati sunt : quorum pars occisa est, pars spoliata facultatibus : Domitilla tantummodo in Pandatariam relegata est.* Nota etiam hic Judæos et Christianos confundi, et repone pro φάβιον φλάβιον, ut expresse dicitur a Suetonio in Domit. c. xv. nec alias patruelis principis esse potuit nisi ex gente Flavia non Fabia. Uxor ejus videtur hoc nomen adepta B in honorem matris Domitiani, quæ ita vocabatur et cum cognomine filia mature periit. Addit ibidem Xiphilin. virum clarissimum Glabrionem ob idem crimen perisse. Τὸν δὲ ἢ Γλαβρίωνα τὸν μετὰ τοῦ Τραιάνου ἄρξαντα, κατηγορηθέντα τά τε ἄλλα καὶ εἰς οἱ πολλοί, καὶ ὅτι καὶ θηρίοις ἐμάχετο ἀπέκτεινεν. i. e. *Glabrionem quoque, qui cum Trajano magistratum gesserat, accusatum præter cætera superioris criminis, etiam cum bestiis quando pugnasset, interfici jussit.* objectus enim fuerat ab illo leoni ferocissimo, quem ope Dei et virtute sua confecerat. Singularis quoque est inscriptio quæ reperitur in cœmeterio D. Agnetis via Nomentana, referente Aringio Romæ Subterra. lib. III. cap. 22. p. 340.

SIC PREMIA SERVAS VESPASIANE DIRE
CIVITAS VBI GLORIE TUE AUTORI
PREMIATUS ES MORTE GAUDENTI LETARE
PROMISIT ISTE DAT KRISTUS OMNIA TIBI
QUI ALIUM PARAVIT TIIEATRUM IN CELO.

C Refert Aringius ad Domitianum qui Gaudentio architecto theatri ædificandi curam commiserat, eique, cum alia, tum civitatem dono daturum promiserat; hunc autem re perfecta, cum velut Christianus delatus esset ad principem, martyrium putat pro mercede sortitum esse. Quam conjecturam impugnat Reinesius in inscript. p. 955. legens VE. PASIAN. DIRE. CIVILITAS. UBI. ut sit interjectio minantis et detestantis, et refert ad Antonium Bassianum Caracallam, qui sextæ persecutionis auctor fuit. negatque Vespasiani nomine insignitum unquam Domitianum, quod tamen probant, quæ citat Hermolaus Barbarus ad Plinii Præfat. monumenta prisci ævi, in quibus ita scriptum est, IMP. CÆS. DOMITIANUS VESP. AUG. GERM. JOVI VICTORI. Unde dubium ad quem referri debeat illud nomen in rarissimo magni æris nummo apud Patinum in Thes. p. 148. ubi ab una parte superbissimi amphitheatri structura, ab altera D figura spoliis insidens, cum ramo olivæ, et hac inscriptione DIVO AUG. DIVI VESP. F. VESPASIAN. Etenim ad Titum referri potest, ut sit *Vespasiano*, et ad Domitianum qui id memoriæ fratris tribuerit; quamvis ad priorem potius pertinere arbitrer; cum aliter nomen Imperatoris non exprimatur. Cuicunque Imperatori tribuenda sint verba, satis obscure certe theatri structura intelligitur per illa GLORIE TUE AUTORI ex oppositione theatri in cœlo. Quod si ad Domitianum referas, malim secundo versu legere

CIVILITAS UBI GLORIE TUE AUTORIS.

ita enim de illo Svetonius, cap. XVIII. *Commendari se verecundia oris adeo sentiebat, ut apud Senatum sic quondam jactaverit, Usque adhuc certe animum meum probastis et vultum.* Vox ALIUM quoque offendit me in ultimo versu male forsan descripta pro AGION. i. e. *Sanctorum.* Hav.

c *Nec tamen hoc* etc.) Acer ad inquirendum stimulus, tot ac tales homines ad sectam illam tran-

Digitized by Google

picari, non libet (1) propius experiri. Hic tantum humana (2) curiositas torpescit, amant ignorare, cum alii gaudeant cognovisse. Quanto magis hos Anacharsis denotasset imprudentes de prudentibus judicantes, quam immusicos (3) de musicis (a)! Malunt nescire (b), quia jam oderunt; adeo quod nesciunt, præjudicant (4) id esse, quod, si sciant, odisse non poterant (5); quando si nullum odii debitum deprehendatur, optimum utique sit desinere A injuste odisse; si vero de merito constet, non modo nihil odii detrahatur (c), sed amplius acquiratur adperseverantiam, etiam justitiæ ipsius auctoritate. Sed non ideo, inquit (6), bonum, quia multos convertit (d). Quanti enim ad malum (e) præformantur (7), quanti transfugæ in perversum? Quis negat (8)? Tamen quod vere malum est, ne ipsi quidem, quos rapit, defendere pro bono audent. Omne malum aut timore aut pudore natura perfudit (f).

LECTIONES VARIANTES.

(1) Libet *Paris.* licet... libet *Rig.*
(2) *Rhen.*: Hic t. urbana, *al.* Sic t. urbana.
(3) Non musicos *Paris.*
(4) Præjudicandi esse *Rig.*
(5) Poterunt *Jun.*
(6) Inquiunt *Jun.*
(7) *Rhen., Herald., Rigalt. et Haverc. e codd. Put., Bong. et Lugd.* performantur; *cod. Fuld.* reformantur; *Pamel. et Barræus:* præformantur.
(8) *Wouwer. mavult scribi ex MS.* Quis negat tamen quod vere malum est..... quos capit defendere.

COMMENTARIUS.

sire. quare augetur ignorantiæ crimen, quod non hisce exemplis ad penitius inquirendum moveatur, non enim ut vulgus, cujus aures et oculi sæpe testes mali sunt, ut ait Publius, ita et qui sapere existimantur et in bonis quod perdant habent, tam repente transirent, nisi occultum et ignotum quoddam antea bonum sese ipsis obtulisset. Infra cap. ult. *Illa ipsa obstinatio quam exprobratis magistra est. Quis enim non contemplatione ejus concutitur ad inquirendum quid intus in re sit? quis non ubi requisivit accedit? ubi accessit, pati exoptat?*

(a) *Anacharsis.* Laertius in ejus vita: Θαυμάζειν δὲ ἔφη πῶς τοῖς ἄλλησιν ἀγωνίζονται μὲν οἱ τεχνῖται, καὶ κρίνουσι δὲ οἱ μὴ τεχνῖται, hoc est, interprete Rhenano: *Mirari autem se dixit, quomodo apud Græcos, artifices quidam certarent, verum judicarent qui non essent artifices.* Pam.

(b) *Malunt nescire.* Causam ostendit cur in illis exemplum aliorum et curiositas humana non ultra progrediantur, quia malunt nescire, etc. Minucius p. 51. *ut ante incipiant homines odisse quam nosse: ne cognitos aut imitari possint, aut damnare non possint.* Quo facit et illud Senecæ Epist. XXIX. de quodam Marcellino: *Raro ad nos venit, non alia ex causa, quam quia verum audire timet. a quo periculo jam qbest: nulli enim nisi audituro dicendum est.* Hav.

(c) *Odii detrahatur.* Ms. Fuld. legit *odio detrahatur.* Non dissimile valde est argumentum, quo utitur Prometheus ad Jovem, apud Lucianum, vinculis solvi et a Caucaso liberari cupiens. Οὐ γὰρ ἀγνοήσεις αὖθις ἔνθα ὁ Καύκασος ἔστιν. οὐδ' ἀπορήσεις δεσμῶν ἥν τι τεχνάζων ἁλίσκωμαι. i. e. *Non enim ignoras rursus ubi Caucasus est? neque indigebis vinculis, si quo modo versutias agens deprehendar.* Fictusque ille latro apud Apuleium in Asino lib. VII. *præsertim vobis, si sententia hæc mea displicuerit, liceat rursus ad asinum redire.* Sensus est, cognosci utique debere causam Christianorum, quæ si insons, illi tamen eam odisse si velint possunt, quamvis *bene meritis non insidiari* debere ille apud Curtium ait lib. VI. 10. sin secus accidat in criminis examinatione, justa odii causa est, ut quæ etiam justitiæ auctoritate nitatur. Idem Curtius VI. II. in fine: *Itaque anceps quæstio fuit: dum inficiatus est facinus, crudeliter torqueri videbatur, post confessionem, Philotas ne amicorum quidem misericordiam meruit.* Hav.

(d) *Quia multos convertit)* Hanc superius causam in prærogativam suam traxerat Auctor, tot omnis generis, sexus, locorum, ad Christianos transire: sed quia juxta Publii illud vers. 148.

Est turba semper argumentum pessimi,

ideo diluit hanc objectionem egregie in sequentibus ex virtute Christianorum. Dixerat ante quoque, non tantum omnem sexum, sed et dignitatem ad hoc nomen transgredi, facilem inde quoque viam defensioni monstrante eodem Publio versu 489.

Non qua multis placeas, sed qualibus, stude (Hav.).

(e) *Ad malum præformantur.* Editio Barræi et Pamelii B *præformantur*, quasi illos respiciat quos Cebes ex poculo Erroris et Ignorantiæ ab Impostura propinatæ largius haurire dicit, atque ita ad malum præformari, quum ii quos Tertullianus vocat *transfugas*, sint qui ibidem ab Opinionibus, Voluptatibus, etc. in transversum a recta via rapiuntur. Sed ipse Cebes dignus est cujus verba adscribantur. Ὁρᾷς, inquit ibi monstrator tabulæ, παρὰ τὴν πύλην θρόνον τοῦτον, καθ' ὃν εἰσπορεύεται ὁ ὄχλος, ἐφ' οὗ κάθηται γυνὴ πεπλασμένη τῷ ἤθει, καὶ πιθανὴ φαινομένη, καὶ ἐν τῇ χειρὶ ἔχουσα ποτήριόν τι; Ὁρῶ. Ἀλλὰ τίς ἐστιν αὐτὴ, ἔφην. Ἀπάτη καλεῖται. φησὶν, ἡ πάντας τοὺς ἀνθρώπους πλανῶσα. Εἶτα τί πράττει αὐτὴ; Τοὺς εἰσπορευομένους εἰς τὸν βίον ποτίζει τῇ ἑαυτῆς δυνάμει. Τοῦτο δὲ τί ἐστι τὸ ποτόν; Πλάτη, ἔφην, καὶ Ἄγνοια. Εἶτα τί; Πιόντες τοῦτο, πορεύονται εἰς τὸν βίον. Πότερον οὖν πάντες πίνουσι τὸν πλάνον, ἢ οὔ; Πάντες πίνουσιν ἔφην. Ἀλλ' οἱ μὲν πλεῖον, οἱ δὲ ἧττον. Ἐπὶ δὲ οὐχ ὁρᾷς ἔνδον τῆς πύλης πλῆθός τι γυναικῶν, ἑταιρῶν παντοδαπὰς μορφὰς ἐχουσῶν; Ὁρῶ Αὐτὰι τοίνυν, Δόξαι καὶ Ἐπιθυμίαι, καὶ Ἡδοναὶ καλοῦνται. Ὅταν οὖν εἰσπορεύεται ὁ ὄχλος, ἀναπηδῶσιν αὐτὰ, καὶ πλέκονται πρὸς ἕκαστον, εἶτα ἀπάγουσι. Ποῦ δὲ ἀπάγουσιν αὐτοὺς; Αἱ μὲν εἰς τὸ σώζεσθαι, ἔφη, αἱ δὲ εἰς τὸ ἀπόλλυσθαι διὰ τὴν Ἀπάτην, i. e. *Videsne, inquit, juxta portam solium positum, qua turba ingreditur, cui mulier insidet, ficto vultu, argutaque specie, et manu poculum quoddam tenens? Video, inquam, sed quæ illa est? Impostura, inquit, quæ omnes homines deducit. Et quid agit illa? iis qui in vitam ingrediuntur, facultatem suam propinat. Quæ vero est illa potio? Error, inquit, et ignorantia. Quid tum? Hac pota veniunt in vitam. Num ergo omnes Errorem bibunt? Omnes bibunt, inquit; sed alii plus, alii minus. Nonne præterea intra portam vides turbam quandam mulierum præditarum variis meretricum formis? Video. Hæ ergo opiniones, cupiditates et voluptates appellantur, turbaque ingrediente exilientes, amplectuntur singulos, atque abducunt. Quo vero abducunt eos? Aliæ ad salutem, inquit, aliæ ad interitum ob imposturam.* Sequitur ibidem: Οἱ δὲ διὰ τὴν ἄγνοιαν, καὶ τὸν πλάνον, ὃν πεπώκασι παρὰ τῆς Ἀπάτης, οὐχ εὑρίσκουσι ποία ἐστὶν ἡ ἀληθινὴ ὁδὸς ἡ ἐν τῷ βίῳ, ἀλλὰ πλανῶνται. i. e. *Illi vero propter ignorantiam et errorem, quem apud imposturam hauserunt, veram degendæ vitæ viam non inveniunt: sed temere oberrant.* Et hanc quidem tabulam veteres sapientes sæpe respiciunt, ita ut Paulo Apostolo haud incognitam fuisse appareat cum aliis in locis, tum Ephes. IV. 22. Τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον τὸν φθειρόμενον διὰ τὰς Ἐπιθυμίας τῆς Ἀπάτης. Hinc illud Lucretii lib. II, 9.

Despicere unde queas alios, passimque videre
Errare, atque viam palantes quærere vitæ.

Quomodo lectio hæc *præformantur* augeret sensum apud Tertull. nostrum, cum non tantum multi a bona via quam ingressi sunt avocentur ab opinionibus, etc. sed etiam plerique nimis poti de Imposturæ poculo tota via vel a principio aberrent. Hav.

(f) *Natura perfudit.* MS. Lugd. Bat. *perfundit.* Ele-

Digitized by Google

Denique maleſici gestiunt latere (*a*), fdevitant appa- A rere, trepidant deprehensi, negant accusati, ne torti (*b*) quidem facile aut semper confitentur; certe condemnati (1) mœrent; dinumerant in semetipsos (*c*), mentis malæ impetus (2) vel fato (*d*) vel astris (*e*) imputant; nolunt enim suum esse, quod

LECTIONES VARIANTES.

(1) Damnati *Semler*. Condemnati *Paris. et alii*.

(2) *Cod. Fuld.*: mentis ignaviam.

COMMENTARIUS.

gans est hujus verbi usus, translatus a rebus liquidis, in quo, ut sæpe, secutus est Latinissimum auctorem Lucretium. Ille lib. IV. 80 :

Tam magis hæc intus perfusa lepore
Omnia conrident, conrepta luce diei.

Idem describens vim mortis lib. eodem, versu 921 :

Namque jaceret
Æterno corpus perfusum frigore lethi.

Quia vero turbatur ita mens affectibus, non raro foras ostendit monstri quid intus alat. Sallustius de Boccho Mauritaniæ rege, dubitante an Sullam Jugurthæ, Jugurthamne Sullæ traderet, cap. CXIII. B *Maurus adhibitis amicis, ac statim immutata voluntate, remotis cæteris, dicitur secum ipse multa agitavisse, vultu corporis pariter atque animo varius : quæ scilicet tacente ipso occulta oris patefecisse.* lege *pectoris* ex MS. magistri quondam mei Petri Francii. HAV.

(a) *Gestiunt latere.* Prout pulchre preces illorum describit Horatius lib. Epist. I, XVI, 60.

Pulcra Laverna,
Da mihi fallere; da justo sanctoque videri :
Noctem peccatis, et fraudibus objice nubem.

Impii poetæ Lucretii pii versus sunt v. 1153. in improbos :

Nec facile est placidam, ac pacatam degere vitam,
Qui violat factis communia fœdera pacis.
Etsi fallit enim Divum genus humanumque :
Perpetuo tamen id fore clam diffidere debet.

Quare salubre illud Ciceronis consilium : *Satis per-* C *suasum esse debet, si omnes Deos hominesque celare possimus, nihil tamen avare, nihil injuste, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum.* HAV.

(b) *Ne torti quidem.* Idem scelus ibidem apud Apuleium *revalescente prorsus astutia, constantissime negare et accersere mendacii medicum non desiit.* Et paulo post, evidentius etiam convicto *nec rota vel equuleus, more Græcorum tormentis ejus apparata jam deerant: sed obfirmatus mira præsumptione, nullis verberibus ac ne ipso quidem succubuit igni.* Cicero Partit. Orat. c. L. ubi torturam dissuadet : *Alii autem*, inquit, *aut natura corporis, aut consuetudine dolendi, aut metu supplicii, aut mortis, vim tormentorum pertulerunt.* HAV.

(c) *Dinumerant in semetipsos.* Id est, recolunt collustrant et recensent intus semetipsos, hoc est, acta sua, vere semetipsos scrutantur. Numerare enim est recensere, teste Virg., IV Georg.

Atque chao densos divum numerabat amores.

Quod si penitius explices *dinumerant*, esse poterit, æstimant se; nam qui numeratur et censetur, in pretio aliquo est et censu. LAC.

(d) *Vel fato.* Primum objectum, in quod homo culpam a se removens conjicit. Zeno Stoicus olim servum, in furto deprehensum, cum castigaret, atque ille se purgans reclamaret, *fatale mihi erat furari*, tangens doctrinam magistri, ille non insolite, *et cædi* καὶ ὀφγᾶσθαι inquit. Illa enim natura hominis; *objurgamus quotidie fatum*, dicit Seneca in præstantissima illa epist. XCIII. Idem de Provid. c. V. ex illorum mente : *Quare tamen Deus tam iniquus in distributione Fati fuit, ut bonis viris paupertatem, vulnera, et acerba funera adscriberet?* Idque ex disciplina Aristotelis, ut docet nos Theodoretus in pulcherrimo libello, qui inscribitur, *Græcarum affectionum curatio*, vel, *Evangelicæ veritatis ex Græca Philosophia cognitio.* p. edit. Sylburg. 86. Adde Lucianum Dialog. XXV. cujus oratio cum minus sit religiosa, succedat illi Prosper Aquitanus, cujus verba sunt : *Fati enim opinio vana est, et de falsitate concepta; prædestinationis autem fides multa sanctarum auctoritate Scripturarum munita est : cui nullo modo fas est ea, quæ ab hominibus male aguntur, adscribi : qui in proclivitatem cadendi non ex conditione Dei, sed ex primi patris prævaricatione venerunt.* in responsionib. ad capitula Gallorum c. I. et ibid. *Prædestinationem Dei nullus Catholicus negat : fatalem aut necessitatem, multi, etiam non christiani, refutant.* Ipse enim Tertullianus de Anima c. XX. *Super hæc si et alia quæ præsunt potestates : enim vero præsunt. Secundum nos quidem Dominus Deus, et Diabolus æmulus, secundum communem autem opinionem et Providentia et Fatum et Necessitas et arbitrii Libertas. Nam hæc et Philosophi distinguant, et nos secundum fidem disserenda suo jam novimus titulo.* sapienter itaque ad Auctoris mentem magnus ille Homerus Odyss. A. versu 32. apud quem Jupiter.

Ὢ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται.
Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ᾽ ἔμμεναι· οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε᾽ ἔχουσιν.

Va Prob, quam nunc homines injuste Numine culpant!
Ex nobis namque esse mala ajunt : at sibi ipsi.
Nequitia propria, præter Fatum, mala gignunt HAV.

(e) *Vel astris.* Significat vanam eorum opinionem, qui vitæ suæ casus prosperos et adversos ab astris dependere credebant, quæ ars Genethliaca dicebatur vulgo, de qua etiamnum exstat vetustissimum carmen Manethonis Ægyptii, cujus Apotelesmatica primus luce donavit et ab interitu vindicavit præceptor meus, vir summus, Jacobus Gronovius : multa quoque apud Manilium Fulgentium et alios in hanc rem passim legas. Merito autem pro ridiculo habitum hoc a Christianis, melius edoctis, quorum passim scripta perstringunt vanissimam hanc opinionem. Noster de Idololatria c. IX. *De astrologis ne loquendum quidem est. Sed quoniam quidam istis diebus provocavit, defendens sibi perseverantiam professionis istius, paucis utar. Non allego, quod idola honoret, quorum nomina cœlo inscripsit, quibus omnem Dei potestatem addixit : quod propterea homines non putant Deum requirendum, præsumentes stellarum nos immutabili arbitrio agi*, etc. quos ibidem ex Suetonio Urbe et Italia expulsos quondam narrat. Valerius Maximus lib. I. c. 4. C. *Cornelius Hispallus prætor peregrinus M. Popillio Lænate, Cn. Calpurnio consulibus edicto Chaldæos intra decimum diem abire ex Urbe, atque Italia jussit : levibus* D *et ineptis ingeniis fallaci siderum interpretatione, quæstuosum mendaciis suis caliginem injicientes.* Eximii ex veteribus Theologi, Prosperi Aquitani, versus ad hanc vanitatem pertinentes adscribendos duxi, sunt autem ex aureo poemate de Providentia Dei.

Sed quo te præceps rapit orbita? vis bonus esse
Absque labore tuo? credis hoc cedere posse,
Si tibi mutentur natalia sidera, quorum
Te pravum decursus agit, quid vana vetusti
Perfugia erroris Chaldæis quæris in astris?
Quamvis sollicitis adeas cœlestia curis,
Et penitus causas rerum scruteris apertas,
Non renuit magè nosse Deum, quam cuique elemento
Naturam dederit : qua pontum lege moveri
Jusserit : aut teneris quam vim conseverit auris :
Sidereosque ignes in quæ momenta creavit.
Qui cum sincerus sit fons æquique bonique,
Immitem jussis legem præscripsit iniquis,
Si prius ipse hominum mores constrinxerat astris.
Namque adversa sibi sunt hæc, nimiumque repugnant,
Exigere insontes actus : delictaque pœnis
Afficere, et cunctos eadem ad promissa vocare :

Digitized by Google

malum agnoscunt, Christianos vero, nihil simile (1); A neminem pudet (*a*), neminem pœnitet, nisi plane (*b*) retro non fuisse. Si denotatur, gloriatur; accusatur; non defendit; interrogatus (2) *vel ultro* confitetur; damnatus gratias agit. Quid hoc mali est (3) quod naturalia (*c*) mali (4) non habet, timorem, pudorem, tergiversationem, pœnitentiam, deplorationem? Quid hoc mali est (5), cujus reus gaudet? cujus accusatio votum est, et pœna felicitas (6)? Non potes dementiam dicere, qui revinceris ignorare.

CAPUT II.

Jam vero, si ut maleficos tractare velint Christianos, oportuit saltem eodem modo in Jure cum utrisque agi, nec facultas quocunque modo se defendendi, illis abnegari, cum crimen ex circumstantiis vel dilui, vel B *probari soleat. Imo ostendit vel inde Sectæ hujus innocentiam, quod olim Trajanus inquiri eos prohibuerit, licet oblatos damnari voluerit, cujus ridet censuram sibi ipsi contrariam, pergitque, cum in illa explodenda, tum in reprehendendis perversis judicum, in emendandis Christianis, actibus, simul in causam hujus mali inquirens, quod illos cum nudo Nomine Christianorum facit prœliari.*

Si certum est denique nos nocentissimos esse, cur a vobis ipsis aliter tractamur, quam pares nostri, id est cæteri nocentes? cum ejusdem (7) noxæ eadem tractatio deberet intervenire. Quodcumque dicimur (8), cum alii dicuntur (*d*), et proprio ore et mercenaria advocatione (*e*) utuntur ad innocentiæ suæ commendationem. Respondendi, alter- candi (*f*) facultas patet, quando nec licebat indefensos

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Pamel., Semler., all.*: Christianus v. quid simile? *Rhenanus in ed.* I. Christianis v. quid s. *Cod. Lugd. B.* Christianorum v. q. s. *sed recte statuit Haverc. cod. Fuld. scripturam restituendam esse; nec repugnant quæ sequuntur.*

(2) Interrogatur *Paris.*

(3) Quod hoc malum est *Cod. Agob. Lugd.*

(4) Naturam mali *Rhen. Semler. Leopold.*

(5) Quod hoc malum est *alii.*

(6) *Cod. Fuld.* pœna victoria.

(7) Noxietatis *Rigalt. Haverc.*

(8) Dicimus *Paris.*

COMMENTARIUS.

Contra autem natis violentum affigere sidus,
Quod nec velle homini cedat, nec posse, sed omnes
Desuper ignaros et virtus ducat et error.
Ergo aut æthereis nullum est jus ignibus in nos.
Aut si quid nostri retinent, amittere possunt.

Ubi versu septimo scribendum puto, exigente sensu, *opertas*. Gregorius Nazianzenus Orat. XXXIX. in sancta lumina. Οὐδὲ ῥᾴδιον ἁπτῆδι etc. id est: *magorum sacrificandi facultas, atque ex fibrarum incisione præscientia: nec Chaldæorum astrologia et nativitatum ob-* C *servatio res nostras eodem cum sideribus motu volvens, cum tamen nec quid ipsimet sint, aut futuri sint cognoscere queant.* ubi consulendus Scoliastes Nicetas p. 601. Hav.

(a) *Neminem pudet n. p.* Plinius in celebratissima ista epist. *Interrogavi ipsos, an essent christiani; confitentes iterum ac tertio interrogavi, supplicium minatus: perseverantes duci jussi. Neque enim dubitabam, qualecumque esset quod fatebantur: pervicaciam certe, et inflexibilem obstinationem debere puniri.* Quam potius animi constantiam præ se fert noster etiam Tertullian. in libro ad Scapulam c. 1. *Nos quidem neque expavescimus, neque pertimescimus ea, quæ ab ignorantibus patimur: cum ad hanc sectam utique susceptæ conditione ejus pacti venerimus, ut etiam animas nostras auctorati in has pugnas accedamus, ea quæ Deus repromittit, consequi optantes, et ea quæ diversæ vitæ comminatur, pati timentes. Denique cum omni* D *sævitia vestra concertamus, etiam ultro erumpentes: magisque damnati, quam absoluti gaudemus.* Hav.

(b) *Nisi plane retro non fuisse.* Tantum abest, ut omnino mœreant non ante et olim tales factos esse. Ita Lucretius dixit *de plano* pro *certe* vel *omnino*, I, 412.

Hoc tibi de plano possum promittere, Memmi. Hav.

(c) *Naturalia mali.* Ita MS. Fuld. et Pamelius, quem sequitur Junius, et Rigaltius. alii MSS. Barr. et Rhen. habent *naturam mali*, quam lectionem malit Scriverius, non ego. Noster enim ita singulare *naturale* usurpavit, C. XLI. de anima. *Malum igitur animæ, præter quod ex obventu spiritus nequam superstruitur, ex originis vitio antecedit, naturale quodammodo. Nam, ut diximus, naturæ corruptio alia natura est, habens suum Deum et patrem, ipsum scilicet corruptionis auctorem: ut tamen insit et bonum animæ, illud principale, illud divinum atque germanum, et proprie naturale.* MS. L. B. *natura alia mali n. h.* Hav.

(d) *Cum alii dicuntur.* Sensus est, cum alii rei accusantur ejus criminis, quod nobis imponitur, qualecumque id sit, datur illis proprio ore, etc. Hav.

(e) *Et mercenaria advocatione utuntur.* Barr. *mercenarii.* Cic. lib. VII. Ep. II. *hoc consilii dederim, ut a singulis interregibus binas advocationes postulent.* vide Senecam in Controv. in procœmio et in lusu de morte Claudii. MS. Fuld. *et proprio et mercenario ore, et advocatione utuntur.* Est enim *advocatio* id quod jam *consultatio* dicitur. Cic. ad Trebat. lib. VII. Ep. 13. *In re militari multo est cautior, quam in advocationibus.* et III. Verr. c. 12 p. *Quo sæpenumero senatus convocatur, quo maximarum rerum quotidie advocationes fiunt.* Triplex itaque præsidium reis, vel in eloquentia sua, nam ut Publius 71.

Qui pro innocente dicit, satis est eloquens.

Suetonius de censura Claudii c. XVI. *Nec quemquam nisi sua voce, utcumque quis posset, ac sine patrono, rationem vitæ passus est reddere.* Diogenes Laertius de Aristippo narrat objurgatum illum, quod in causa propria rhetorem conduxisset, respondisse, et coquum conducere solere dum cœnam faceret; vel in lingua advocati conducta, cujus

mœstos
Defensura reos vocem facundia mittit,

ut de Pisone auctor panegyrici ad eum, qui nec Ovidius nec Lucanus, sed alius quispiam non ineptus poeta, ut alias ostendam; vel denique in *advocatione*, quum instruitur reus argumentis, quibus causam suam defendat. Talis mercenarius Tertullus Act. XXIV, 1. cum Paulus proprio ore se defenderet. Hav.

(f) *Respondendi, altercandi.* Quod semper fere in judiciis Romanorum obtinebat, eratque [ut veteres testantur] in istis altercationibus mordacis joci mirus artifex Tullius Cicero. Apuleius hæc quoque ita conjunxit lib. X. Aurei Asini: *Quibus autem verbis accusator inveneris, quibus rebus diluerit reus, ac prorsus orationes altercationesque, neque absens ipse apud præsepium scire, neque ad vos, quæ ignoravi, possum enuntiare.* Nemo vero melius describit quam ipse Quintilianus, qui ex professo de hac arte agit Inst. Orat. VI, 5. *Neque alia dicuntur in altercatione*, quam sc. in oratione ipsa, *sed aliter, aut interrogando, aut respon-*

Digitized by Google

et inauditos omnino damnari (*a*). Sed Christianis solis nihil permittitur loqui, quod caussam purget, quod veritatem defendat, quod judicem non faciat injustum (*b*). Sed illud solum exspectatur (1) (*c*) quod odio publico necessarium est, confessio nominis, non examinatio criminis : quando si de (2) aliquo nocente cognoscitis, non statim confesso eo nomen homicidæ, vel sacrilegi, vel incesti, vel publici hostis (ut de nostris (3) elogiis (4) (*d*) loquar) contenti sitis ad pronuntiandum, nisi et consequentia exigatis, qualitatem facti, numerum, locum (5), modum, tempus, conscios, socios. De nobis nihil tale, cum æque extorqueri oporteret, quodcunque falso jactatur, quot quisque jam infanticidia degustasset, quot incesta contenebrasset (6), qui coci, qui canes affuissent. O quanta illius præsidis gloria, si eruisset (7) aliquem, qui centum jam infantes comedisset ! Atquin invenimus inquisitionem quoque in nos prohibitam. Plinius enim Secundus (*e*) cum provinciam regeret, damnatis quibusdam Christianis, quibusdam

LECTIONES VARIANTES.

(1) Spectatur *corrigit Avercamp.*
(2) Alio *Semler.*
(3) *Semler altique :* vestris.
(4) De nostris eclogiis *Parisin.*
(5) Numerum *abest Par. Rig.*
(6) *Rhenanus in ed. I. et Gelenius :* concelebrasset.
(7) Invenisset *Parisin.*

COMMENTARIUS.

dendo. Et paulo post : *Ita in iis causis* [*quæ sunt frequentissimæ*] *quæ vel solis extra artem probationibus, vel mistis continentur, asperrima in hac parte dimicatio est, nec alibi dixeris magis mucrone pugnari. Nam et firmissima quæque memoriæ judicis inculcanda sunt, et præstandum quicquid in actione promisimus, et repellenda mendacia. Nusquam est denique qui cognoscit intentior. Nec immerito quidam, quanquam in dicendo mediocres, hac tamen altercandi præstantia meruerunt nomen patronorum.* ostenditque ibidem non cujusvis esse, ibi : *Opus est igitur in primis ingenio veloci ac mobili, animo præsenti et acri. Non enim cogitandum, sed dicendum statim est, et prope sub conatu adversarii, manus erigenda.* Rodolphus Agricola, omnis litteraturæ sæcularis accuratus vindex, jactavit olim lib. III. de Invent. Dialect. c. XV. et II. c. XII. habere se M. Fabii Altercationum librum unum cujus fidem in hoc suspectam habuit Petrus Pithœus, si tamen vera, fuit ejusmodi opus [hodie enim nusquam, quod scio, invenire est] quale controversiæ Senecæ, et forte eædem ; vel declamationum hodie etiam Quintiliano inscriptarum libellus, eo titulo insignitus fuit. HAV.

(a) *Quando nec liceat etc.* Apud Livium Titus Quintius clamitat, *reum capitis indemnatum indicta caussa non debere violari.* Ita tamen cum christianis actum. Vide. c. XXXI. *Admittitis enim probare, quodcumque defendimus.* Ironice. HAV.

(b) *Judicem non faciat injustum.* Eleganter dictum, sic supra c. I. *Cæterum inauditam si damnent, præter invidiam iniquitatis, etiam suspicionem merebuntur alicujus conscientiæ, nolentes audire quod auditum damnare non possint.* Alexander apud Curtium VII. 2. *Nisi quæ delata essent excussissem ; valde dissimulatio mea suspecta esse potuisset.* Ipse quoque

Se damnat judex, innocentem qui opprimit.

Publius vers. 602. HAV.

(c) *Exspectatur.* Meliori sensu, ut puto, legas *spectatur.* simile mendum obsedit codices Augustini de Civitate Dei, lib. VI. c. 10. *Doctus Archimimus, senex jam, decrepitus, quotidie in Capitolio Mimum agebat, quasi Dii libenter exspectarent, quem illi homines deriserant.* ubi ita lego : *quasi Dii libenter spectarent, quem illi* forte *olim, homines,* etc. sed neque sic sanus locus : lege itaque ultima ex collatione optimi codicis MS. litteris Longobardicis exarati, Bibliothecæ Fuldensis, quæ penes me est, *quem illis homines desierant,* sc. spectare, erat enim jam decrepitus, hæc verissima est lectio. Apud Virgil. lib. II, 102. Sinon :

si omnes uno ordine habetis Achivos
Idque audire sat est.

Illud vult dicere Tertullianus, non curam gerere legum judices, ut illæ observentur, sed vulgi amentis et vecordis ; ne illud irritetur, hinc in principio Apolog. hujus, *si non licet vobis, Antistites :* odium enim contra christianos erat publicum. Sane Pontii Pilati similes judices hic mihi contemplari videor, et fateberis, si conferas Joh. XIX. 12. HAV.

(d) *Nostris elogiis.* Recte iidem : non, *vestris,* hæc enim elogia erant christianorum, ut satis ex sequentibus apparebit. Gaudet autem sæpius Tertull. hanc vocem repetere eo significatu, quem in re judiciaria obtinebat ; moris enim erat, ut nominibus damnatorum adjiceretur brevis quædam scriptura, seu titulus demonstrans, cujus potissimum criminis rei essent, quod clarissime apparet ex Suetonio in Callig. c. 27. *custodiarum seriem recognoscens, nullius inspecto elogio, stans, tantummodo intra porticum medium, a calvo ad calvum duci imperavit.* Et insigni loco apud Vulcatium Gallicanum in Vita Avidii Cassii : *Vides multis opus esse gladiis, multis elogiis, ut in antiquum statum publica forma reddatur.* Et optime Spartianus de Severo : *In qua legatione, quum quidam municipum suorum Leptitanus, præcedentibus fascibus, ut antiquum contubernalem ipse plebeius complexus esset, fustibus eum sub elogio ejusdem præconis cecidit, Legatum P. R. homo plebeius temere amplecti noli.* Hinc Noster intelligendus, cum scribit ad Scapulam c. IV. *Pudens etiam missum ad se christianum, in elogio concussione ejus intellecta, dimisit, scisso eodem elogio, sine excusatore negans se auditurum hominem.* Et de Corona militis c. V. *Omne autem quod contra naturam est, monstri meretur notam omnes penes, penes nos vero etiam elogium sacrilegii, in Deum naturæ dominum et auctorem;* de Anima c. XVII. *Imo jam ne ipsis quidem caussis adscribendum est fallaciæ elogium.* HAV.

(e) *Plinius enim secundus.* Magni istius naturæ] Indagatoris ex sorore nepos, omnibus jam satis notus, cujus etiamnum exstant tersi et elegantes epistolarum libri X. quorum ultimus rescripta quoque Trajani Cæsaris continet, in quibus et divinus, ut vocabat Scaliger, ad Imperatorem Trajanum Panegyricus. Hujus epist. 97. lib. X. et Trajani responsum ep. 91. dignissimæ sunt legi et non tantum ad hanc veteris Christianismi notitiam memoriter tenendæ. Nam eas legisse suo tempore Hieronymum notat Scaliger in laboribus Eusebianis. Orosius lib. VII. Histor. c. 8. de Trajano : *In persequendis christianis errore deceptus tertius a Nerone cum passim repertos cogi ad sacrificandum idolis, ac detrectantes interfici præcepisset plurimique interficerentur; Plinii Secundi, qui inter cæteros judices persecutor datus erat, relatu admonitus eos homines præter confessionem Christi honestaque conventicula nihil contrarium Romanis legibus facere, fiducia sane innocentis confessionis nemini mortem gravem ac formidolosam videri, rescriptis illico levioribus temperavit edictum.* Hieronymi verba ex Eusebio et Tertulliano conflata sunt in Chronico suo Euscbiano

Digitized by Google

gradu pulsis (*a*), ipsa tamen multitudine perturbatus, quid de cætero ageret, consuluit tunc (1) Trajanum imperatorem, allegans præter obstinationem non sacrificandi, nihil aliud se de sacramentis (2) eorum comperisse, quam cœtus antelucanos (*b*) ad canendum (*c*) Christo ut (3) Deo et ad confœderandam (4) disciplinam, homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam, et cætera scelera prohibentes. Tunc Trajanus rescripsit, hoc genus inquirendos quidem non esse, oblatos vero puniri oportere. O sententiam necessitate confusam! Negat inquirendos ut innocentes, et mandat puniendos (5) ut nocentes. Parcit et sævit, dissimulat et animadvertit. Quid temetipsum (6) censura circumvenis? si damnas, cur non et (7) inquiris? si non inquiris, cur non et absolvis? Latronibus vestigandis (8) per universas provincias militaris statio sortitur; in reos majestatis et publicos hostes omnis homo miles est, ad socios, ad conscios usque inquisitio extenditur. Solum Christianum inquiri non licet, offerri licet, quasi aliud esset actura inquisitio, quam oblationem (9). Damnatis A ergo oblatum; quem nemo voluit requisitum, qui, puto, jam non ideo meruit pœnam, quia nocens est, sed quia, non requirendus, inventus est (10). Itaque nec in illo ex forma malorum judicandorum agitis erga nos, quod cæteris negantibus adhibetis tormenta ad confitendum, solis Christianis ad negandum; cum, si malum esset, nos quidem negaremus, vos vero confiteri tormentis compelleretis. Neque enim ideo putaretis non (11) requirenda (*d*) quæstionibus scelera, quia certi essetis admitti ea ex nominis confessione, qui hodie de confesso homicida, scientes homicidium quid sit, nihilominus ordinem extorquetis admissi: quo perversius, cum præsumatis de sceleribus nostris ex nominis confessione B (12) cogitis tormentis de confessione decedere, ut negantes nomen pariter utique negemus et scelera, de quibus ex confessione nominis præsumpseratis. Sed, opinor, non vultis nos perire, quos pessimos creditis. Sic enim soletis dicere homicidæ (13); (14) Nega (*e*): laniari (*f*) jubere sacrilegum, si confiteri perseveraverit. Si non ita agitis circa

LECTIONES VARIANTES.

(1) Tunc abest *Parisin.*
(2) *Heraldus e MS. et Haverc. e cod. Fuld.* sacramentis; *Semler all.:* sacris. *Cf. Plinii epp.* 10, 96.
(3) *Ita cod. Fuld.*; *Rhen.* et Ch. et Deo; *alii* : Ch et deo.
(4) Conferendam *Paris.*
(5) Puniri *Paris.*
(6) *H ouw., Rig. et Haverc.* temetipsam.
(7) Et *abest Fran.*
(8) Investigandis *Paris.*
(9) Oblatio *Semler.*
(10) Est *abest aliis.*
(11) Non putaretis requirenda *Rig.*
(12) De confesso *Latin.*
(13) Homicidas *Fran.*
(14) Negare *Fran.*

COMMENTARIUS.

ad annum mundi XXCXXI. *Plinius Secundus, cum quamdam provinciam regeret, et in magistratu suo plurimos christianorum interfecisset, multitudine eorum perterritus, quæsivit de Trajano, quid facto opus esset, nuntians ei præter obstinationem non sacrificandi, et antelucanos cœtus ad canendum cuidam Christo ut Deo, nihil apud eos reperiri, præterea ad confœderandam disciplinam vetari ab his homicidia, furta, adulteria, latrocinia, et his similia. Ad quæ commotus Trajanus rescripsit : hoc genus quidem inquirendos non esse, oblatos vero puniri oportere. Tertullianus refert in Apologetico.* Hav.

(a) *Quibusdam gradu pulsis.* Ex iis sc. qui ex honestiore ordine ad istam sectam inclinabant, nam ad hoc nomen omnis conditio, etiam dignitas transgrediebatur, ut supra dixit. Quod cum Severi etiam temporibus accideret, principis ejus clementiam et D justitiam prædicat Tertull. noster ad Scapulam c. IV. *Sed et clarissimas fœminas et clarissimos viros Severus sciens hujus sectæ esse, non modo non læsit, verum et testimonio exornavit, et populo furenti in eos palam restitit.* Hav.

(b) *Cœtus antelucanos.* De cœtu est quod notes, solitam dari vocem hanc rebus sacris. Hinc Meursius illud Constantini Manassæ in annalibus :

Οὗτοι καὶ γὰρ ἀθροίσαντες ἄνδρας θεοφρήτους.

ita reddit : *nam hi religiosorum hominum cœtu coacto* Dionysius Exiguus hanc vocem dat interpretans in Vita S. Pachomii : *Monachorum cœtibus aggregabat.* Lac.

(c) *Ad canendum.* Pium exercitium, de quo et ad Uxorem lib. II. c. 9. *Non furtiva signatio, non trepida gratulatio, non muta benedictio : sonant inter duos Psalmi et Hymni, et mutuo provocant, quis melius Deo suo canet.* scribe *cantet* vel *canat.* et exhortat. ad Castitat. c. X. *Si orationem facit ad Dominum, prope est cœlo. Si Scripturæ incumbit, totus illic est. Si Psalmum canit, placet sibi.* Hav.

(d) *Ideo non putaretis. La Cerda sic legit : Neque enim ideo non putatis requirenda quæstionibus scelera, quia certi essetis admitti ea ex nominis confessione. Qui hodie, de confesso homicida, scientes homicidium quod sit, n. o. q. admissi?* addita nota interrogationis et explicans *qui* per *quomodo.* Affinis huic valde est locus in lib. Ad Nat. II. cap. 15. quem in gratiam JCtorum illustrabo, et emendabo. Scriptura male per injuriam temporis habita hæc est. *Quomodo..... de fugitivo palam factum solemus et operam ejus percon..... abusu nundinare :* Summi viri Rig. et Gothofredus attingere non sunt ausi. Supple meo periculo et scribe : *Quomodo, quando de fugitivo palam factum, solemus et operam ejus percontando abusui nundinare.* Nullus dubitabit, qui locum inspexerit. Ut enim nos JCti, inquit, male nimis inquirendo agimus, modum patrandæ fugæ docentes, ita et poetæ fabulis suis de Diis. Dixit supra hoc eodem capite : *Quando si de aliquo nocente cognoscitis, non statim confesso eo nomen homicidæ, vel sacrilegi, vel incesti, etc., contenti sitis ad pronuntiandum, nisi et consequentia exigatis, qualitatem facti, locum, modum,* etc. Hav.

(e) *Sic enim soletis dicere homicidæ, Nega. Laniari jub. sacr.* Qui torquendo christiano præsidebat, dicere solebat, *Nega* te esse christianum : quasi suggereret per quod evadere ille posset. Idem Christianum confitentem torqueri nihilominus jubebat : cum tamen frustra torqueatur qui confitetur. Itaque perversam et absurdam judiciorum formam carpit Tertullianus; Nempe, inquit, sic soletis dicere homicidæ confitenti, Nega te esse homicidam : nempe sacrilego fatenti se sacrilegum admoveri jubetis tormenta. Ipse Tertullianus lib. I. ad nationes : *sane cæteros ad hoc tenditis et excarnificatis, ut negent esse quod esse dicuntur,* etc. Hic vero in sequentibus legendum videtur : *Si non ita agitis circa nocentes.* Pam.

(f) *Laniari.* Tormentis nempe, qualibus Philotas apud Curtium VI. II. *Sed postquam intumescens corpus*

Digitized by Google

nocentes, ergo nos innocentissimos judicatis, cum quasi innocentissimos non vultis in ea confessione perseverare, quam necessitate, non justitia damnandam a vobis sciatis. Vociferatur homo : Christianus sum. Quod est dicit; tu vis audire quod non est. Veritatis extorquendæ præsides, de nobis solis mendacium elaboratis audire. Hoc sum, inquit, quod quæris, an sim; quid me torques in perversum? confiteor, et torques; quid faceres, si negarem? Plane aliis negantibus non facile fidem accommodatis; nobis, si negaverimus, statim creditis. Suspecta sit vobis (1) ista perversitas, ne qua vis lateat in occulto (a), quæ vos adversus formam, adversus naturam judicandi, contra ipsas quoque leges ministret (2) (b). Nisi enim fallor, leges malos erui (c) jubent, non abscondi; confessos damnari (d) præscribunt, non absolvi. Hoc senatus consulta, hoc principum mandata definiunt, hoc imperium, cujus ministri estis. Civilis, non tyrannica dominatio (3) [vestra] est. Apud tyrannos enim tormenta etiam pro pœna adhibentur; apud vos soli quæstioni temperantur (e). Vestram illis servate legem usque ad confessionem; et si (4) confessione præveniantur, vacabunt. Sententia opus est; debito (f)

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Barraeus* : sit nobis, *Pamel. et Semler* : fit nobis, *cæteri omnes* : sit vobis; *legendum fortasse* : sit in vobis.
(2) Infestet *Wouwer.*
(3) Definiunt. Hoc... dominatio est *Rigalt.*
(4) *Al.* ad conf. necessariam; et jam si conf., etc.

COMMENTARIUS.

ulceribus, flagellorum ictus nudis ossibus incussos ferre non poterat; qui pro eo quod noster *laniari*, dixit *lacerari, Per ultimos deinde cruciatus, utpote damnatus, et inimicis in gratiam regis torquentibus laceratur.* Proprium hoc verbum in gladiatoribus, unde acclamatio Senatus de cadavere Commodi apud Lampridium : *Hostis patriæ, parricida, gladiator, in spoliario lanietur.* Sensum Tertulliani unice tetigit Heraldus qui hic est : Vos scilicet in quæstione habenda admonetis homicidam, ut neget homicidium; ita si confitetur, cujus rei gratia quæstionem habetis, tamen, quasi confessum nondum, torquetis. Id certe leges prohibent, nec vos facitis; nobiscum itaque si nocentes sumus, agite ut cum nocentibus : loqui per ironiam patet. Fuld. legit *laniari debere.* In cæteris MS. Lugd. Bat. Barraei edit. et Her. et Rig. consentit, quomodo etiam Junius legit, sed male interpretatur. Pam. la Cerda et Rhenan. pessime legunt, *quos pessimos creditis (sic enim soletis dicere) homicidas. Negatis laniari jubere sacrilegum,* etc.; quasi ita medium suggererent quo evaderent, et tale *quid hic innuere vellet Tertullianus, quale respicit* in libro ad Scapulam c. IV. Quanti autem [i. e. quot] *præsides et constantiores et crudeliores, dissimulaverunt ab hujusmodi canssis? ut Cincius Severus, qui Thistri ipse dedit remedium quomodo responderent christiani, ut dimitti possent.* Ubi non placet *crudeliores*, corrigo : *et iidem meliores*, qui lapsus ex litterarum ductu facile liquere potest. Talem ipsum Augustum, sed ex misericordia injustum, descripsit nobis Suetonius in Vita ejus XXXIII. *Dixit autem jus non diligentia modo summa sed et lenitate; siquidem manifesti parricidii reum, ne culeo insueretur, quod non nisi confessi afficiuntur hac pœna, ita fertur interrogasse : Patrem tuum non occidisti?* Sed et hic loci acetum Septimii adverte, et vocem tyrannorum propriam, ut Gallieni in vindicanda seditione vel ad senum et infantum internecionem; *lacera : occide, concide.* apud Trebellium Pollionem. HAV.

(a) *Ne qua vis lateat in occulto.* Satanam intelligit. Pariter Lactantius Instit. Divin. II. I. *Quamam istud ex caussa fieri putemus? nisi esse aliquam perversam potestatem, quæ veritatis sit super inimica,* etc. Noster infra vocat *rationem æmulæ operationis.* HAV.

(b) *Quæ vos contra ipsas quoque leges ministret.* Hoc est, Quæ contra ipsas leges vestro ministerio utatur. PAM.

(c) *Erui jubent.* Amat hoc verbum Tertullianus in disquisitione judiciaria de maleficis. Supra : *o quanta illius præsidis gloria, si eruisset aliquem qui centum jam infantes comedisset.* Et infra c. VII. *dicimur tamen semper, nec vos, quod tam diu dicimur eruere curatis. Ergo aut eruite, si creditis, aut nolite credere, qui non eruistis.* HAV.

(d) *Confessos damnari.* Ex vetustissima lege. Sallust. Catil. LII. *de confessis, sicuti de manifestis rerum capitalium, more majorum supplicium sumendum* Curtius supra. adde Suetonii locum mox adductum inde illud Matth. XXVI, 65. Ὅτι ἐβλασφήμησε· τί ἔτι χρείαν ἔχομεν μαρτύρων; nam ut recte Publius vers. 473.

Nisi vindices delicta improbitatem, adjuvas.

et eodem teste vers. 642.

Qui culpæ ignoscit uni, suadet pluribus.

imo vers. 99.

Bonis nocet quisquis pepercit malis.

denique vers. 215.

Felix improbitas, optimorum est calamitas.

Tertull. Ad Scap. cap, IV. *Quid enim amplius tibi mandatur, quam nocentes confessos damnare, negantes autem ad tormenta revocare?* Nam ut idem De Spectac. cap. XIX. *Bonum est cum puniuntur nocentes.* HAV.

(e) Ultra confessionem itaque quæstio non procedit. Cicero Orat. pro Milone cap. LVII. *Quid opus est tortore? quid quæris? occideritne? occidit. Jure, an injuria? nihil ad tortorem. Facti enim in equuleo quæstio est, juris in judicio.* Commendatur interim hic nobis consuetudo mitis et humana imperii Romani; quam laudans Livius lib. I. cap. 18. ubi crudele Metti Fuffeti proditoris supplicium descripsit, addit : *Primum ultimumque illud supplicium apud Romanos exempli parum memoris legum humanarum fuit. In aliis gloriari licet, nulli gentium mitiores placuisse pœnas.* Ut vero noster dixit *quæstioni temperare*, ita Sallustius etiam videtur locutus esse, dum dicit *victoriæ temperare*, neque enim illud, ut fit vulgo, explicare ausim, quasi esset scriptum *obtemperare*, prout pejoris notæ codices nonnulli exhibent. Locus est Catil. cap. XI. *Igitur ii milites, postquam victoriam adepti sunt, nihil reliqui victis fecere. Quippe secundæ res sapientium animos fatigant. Ne illi, corruptis moribus, victoriæ temperarent.* i. e. tantum abest, ut nequissimi illi et perditi moderentur victoriæ, non ut victores, sed ut latrones grassatoresque se gerentes. HAV.

(f) *Expungendus est.* Hoc verbum et Tertulliano proprium. Adv. Judæos c. IV. *Sequitur itaque, ut quatenus circumcisionis carnalis, et legis veteris abolitio expuncta suis temporibus demonstratur, ita sabbati quoque observatio temporalis fuisse demonstretur.* Significat apud illum passim *explere, perficere.* hic vero eamdem significationem habet, quam apud Persium Sat. II. vers. 12.

Pupillumve utinam, quem proxime hæres
Impello, expungam! Namque est scabiosus, et acri
Bile tumet :

ubi vetus Scholiastes notat *tractum a militibus, qui*

Digitized by Google

nocens expungendus (1) (*a*) est, non eximendus (*b*). Denique illum nemo gestit absolvere (2), non licet hoc velle; ideo nec cogitur quisquam negare. Christianum, hominem omnium scelerum reum (*c*) deorum, imperatorum, legum, morum, naturæ totius inimicum existimas, et cogis negare, ut absolvas, quem non poteris absolvere, nisi negaverit (3). Prævaricaris in leges (*d*). Vis ergo neget se nocentem, ut eum facias innocentem, et quidem invitum jam, nec de præterito reum. Unde ista perversitas? ut etiam illud non recogitetis, sponte confesso magis credendum esse, quam per vim neganti; vel ne compulsus negare, non ex (*e*) fide negarit; et absolutus ibidem post tribunal de vestra rideat æmulatione, iterum A Christianos (4). Cum igitur in omnibus nos aliter disponatis, quam cæteros nocentes (5), id unum contendendo, ut de eo nomine excludamur (excludimur enim, si facimus, quæ faciunt non Christiani), intelligere potestis non scelus aliquod in caussa esse, sed nomen, quod quædam ratio æmulæ operationis insequitur, hoc primum agens (6), ut homines nolint scire pro certo, quod se nescire pro certo sciunt. Ideo et credunt de nobis quæ non probantur, et nolunt inquiri, ne probentur non esse, quæ malunt credi esse, ut nomen illius æmulæ rationis (7) inimicum, præsumptis, non probatis criminibus, de sua sola confessione damnetur. Ideo torquemur confitentes, et punimur perseverantes, et absolvimur

LECTIONES VARIANTES.

(1) Expugnandus *Parisin. Rhenan.*
(2) Vobis *addit Wouwer.*
(3) Ita *Wouw.*
(4) *Alii,* inter Christianos.
(5) *Semler aliique :* in nos aliter disponitis (*Rhen.* dis- B ponatis), *quam in cæt. Sed tuenda est scriptura cod. Fuld.* respondet enim voc. *disponere* gr. διατίθεσθαι.
(6) Agentes *Paris.*
(7) Æmulationis *Franeq.*

COMMENTARIUS.

expuncti dicuntur, dum foras a militia emittuntur. Item metaphora a bello, in quo, cadente qui primus est, succenturiatur alius. Itaque *expungi* est deleri, de medio conferri. Adde notam Rigaltii, qui recte docet a rationibus desumptum. Hav.

(a) *Debito Pœnæ nocens expungendus est.* Noxii quique debent pœnas. Damnati dicuntur servi pœnæ: supplicio sumpto, dedisse pœnas intelliguntur. Itaque in peragenda cognitione, exactor pœnarum de tabella seu matricula, damnati cujusque nomen cum elogio seu caussa citatum, simul supplicio sumpto expungebat. Sic peracta cognitione, damnatorum omnium nomina C in catalogo cernebantur expuncta, et debito pœnæ nocentes expuncti. Rig.

(b) *Non eximendus.* Alexander Severus, referente Lampridio in Vita ejus, *præfectis suis semper detulit, asserens eum, qui mereatur injuriam pati, ab imperatore damnandum esse, non dimittendum.* Graviter quoque Pythagoras, seu quis alius apud Stob. Serm. XLIV. Καὶ οἱ φυγῆς ἄξια, etc. i. e. *Damnandi, non absolvendi sunt, qui aliquid dignum exilio, aut vinculis, aliave pœna committunt. Si quis vero temere absolverit, lucri aut voluptatis gratia, injuste facit: et injustitiam ei cordi esse necessarium est.* Usus est verbo *eximere* Tertull. perinde ut et Livius, apud quem Papirius, de Quinto Fabio, Maximo postea, ita insit: *non noxæ eximitur Q. Fabius; sed noxæ damnatus donatur Populo Romano.* Horat. II. Carm. II, 21.

> Redditum Cyri solio Phraaten
> Dissidens plebi, numero beato-
> Rum eximit Virtus. Hav.

(c) *Omnium scelerum reum.* De quibus omnibus insigniter eos purgat Tertull. In hoc Apolog. *naturæ inimicos* vocat, quia infanticidæ, incesti, infructuosi negotiis, ut putabant. Ita de Dolabella, quondam amico sibi, Cicero ait Philipp. XI. cap. 10. se neque nunc fortasse alienum ab eo fore, nisi super alia multa scelera *denique naturæ et humanitati inventus esset inimicus. Imperatorum*, quoniam crimen perduellionis et læsæ majestatis iis intentabatur. *Genus hominum superstitionis novæ ac maleficæ* appellat Sueton. cap. XVI. Ut tales persecuti fuere principes impii. Vetus inscriptio ex Diocletiani et Maximiani ævo apud Gruter. p. 280. SUPERSTITIONE CHRIST. UBIQ. DELETA. Unde et eorumdem apud Baronium in Annal. et Spanhem. in lib. De Usu et Præst. Num. Diocletiani et Maximiani Impp. inscriptio, NOMINE CHRISTIANORUM DELETO, QUI REMP. EVERTERANT. *Legum et morum*, quia festivitates publicas et idolorum cultum negligebant. Tacitus XV. Annal. 44. *Igitur primi correpti qui fatebantur, haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis convicti sunt.* Hoc odium unde illis ut crimen fuerit objectum, quare *hostes publici* dicebantur, disces ex Tertull. Cap. XXXV. Pone comma post *christianum.* Hav.

(d) *Prævaricaris in leges. Ita leges* V. C. quem consuluit Scriverius, non male. Festus, *Prævaricatores a* prætergrediendo *sunt vocati.* itaque *prævaricari leges* est prætergredi. Asconius Pedianus in libello, qui est inter veteres Grammaticos, *Rejiciens malos et retinens bonos, verus accusator intelligitur. Qui vero contra facit, ut sit impedimento cæteris, astuque tegat, de hoc intelligitur, quod prævaricator.* quæ sensum Tertull. optime illustrant. Pro *vis ergo* Cod. Fuld. mox *vis ut neget.* Barræi editio delet *jam.* Hav.

(e) *Non ex fide negarit.* Falso simulavit se non christianum, supplicando diis, quos corde abneget. Trajanus Imperator ad Plinium epist. XCVIII. *Ita tamen, ut qui negaverit se Christianum esse, idque reipsa manifestum fecerit, id est supplicando Diis nostris, quamvis suspectus in præteritum fuerit, veniam ex pœnitentia impetret.* Nec gentiles tantum ita christianos Deum suum abnegare persuadere conati sunt, ut latius apparebit, sed et inventa est perversa Ossenorum hæresis, quam ob hoc crimen in jus vocat Epiphanius lib. I. hæres. 19. ὑποκρίτας δὲ διδάσκει, etc. *Hypocritas autem docet, dicens non esse peccatum, etiamsi simulacra ipsos adorare contingat, persecutionis tempo-* D *re instante, si solum in conscientia non adorent: et si tantum confiteantur in ore, non autem in corde.* Talis Hippolytus apud Euripidem, cujus exsecranda vox:

> Ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος.

quod vertit Grotius in Excerpt. p. 214.

> Jurata lingua est, mente juravi nihil.

Sed improbum hoc consilium. Vere Tertull. et ex meliori mente De Idol. cap. XIII. *Cur enim lateas, cum ignorantia alterius tuam conscientiam contamines. Non si ignoraris quod sis christianus* (ita scribe) *tentaris? Et contra conscientiam alterius agis, tanquam non christianus? Enimvero etsi simulaveris, tentatus addictus es.* Hav.

(e) *Non ex fide negarit.* Notanda unice hujus viri, proprietas; est enim in jure, *non ego*, medium quiddam inter negantem, et vere affirmantem. Ideo illam tradit christiano, non neganti ex animo. Lac.

Digitized by Google

negantes, quia nominis prælium est. Denique quid de tabella (*a*) recitatis illum Christianum, cur non et homicidam? Si (1) homicida Christianus, cur non incestus? vel quodcunque aliud nos esse creditis? In nobis solis pudet aut piget ipsis nominibus scelerum pronuntiare (*b*)? Christianus si nullius (2) criminis reus est, nomen valde infestum, si solius nominis crimen est (3).

CAP. III.

Odii eorum cæcitatem ostendit, qui quos vituperant eo ipso elogio laudare coguntur, sed qui tam sunt efferati, ut malint uxorem familiamque probris onustam pati, quam Christianam, id est emendatam. Cum itaque nudum illud Nomen tantas concitet rixas, inquirit in illud, quod nusquam spernendum, vel perperam ab illis pronuntiatum, amabile quid continet, et id commune habet cum reliquis Sectis, quod Nomen ab Auctore mutuetur, cum tamen nunquam Secta quædam ob Nomen solum persequatur. At Christiani, et quoad Sectam, et quoad Nomen probi, justi, ob Nominis tantum odium, inauditi, incogniti condemnantur.

Quid? quod ita plerique clausis oculis in odium ejus impingunt, ut bonum alicui testimonium ferentes admisceant nominis exprobrationem : Bonus vir Caïus Seius (*c*), tantum quod (*d*) Christianus. Item alius : Ego miror (4) Lucium sapientem virum repente factum Christianum. Nemo retractat : Nonne ideo bonus Caïus, et prudens Lucius (5), quia Christianus? aut ideo Christianus, quia prudens et bonus? Laudant quæ sciunt, vituperant quæ ignorant, et id quod sciunt, eo quod ignorant, corrumpunt; cum sit justius occulta de manifestis præjudicare, quam manifesta de occultis prædamnare. Alii, quos retro ante hoc nomen vagos, viles, improbos (*e*) noverant, ex ipso denotant (*f*), quo laudant (6); cæcitate odii in suffragium impingunt. Quæ mulier! quam lasciva, quam festiva! Qui juvenis! quam lascivus, quam amasius! Facti sunt Christiani. Ita nomen emendationi imputatur. Nonnulli etiam de utilitatibus suis cum odio isto paciscuntur, contenti injuria, dum ne domi habeant, quod oderunt. Uxorem jam (7) pudicam (*g*) maritus jam non zelotypus ejecit, filium jam subjectum pater retro patiens abdi-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Et *addit Wouwer.*
(2) Nomine *addit Paris.* nomen est *Rig.*
(3) *Hæc est lect. vulg.; Rhen.* si nullius criminis nomine reus est, valde infestum, etc. *Cod. Fuld. Chr.* si nullius criminis nomen est, valde ineptum; *codd. Pul. et Bong.* incestum, *codd. Agobardi et Lugd.* ineptum incestus) si sol. nom. crimen est. *Recepit hanc lect. Haverc. additis in fine verbis :* valde infestum, *eumque secutus est Ios. Ign. Ritter.*
(4) *Rigalt. et Haverc. e cod. Fuld.* Ego miror Luc., etc.; *cæteri :* Ego Lucium... *Chr.* de fero, *quod v. in plurimis codd. non magis desideratur, quam v.* miror. Sed cf. ad Nat. c. 4. *Hæc Leop.*
(5) *Codd. plerique :* Lucius s. Lutius s. Lusius; *codd. Ursini et Scriverii :* lascivus.
(6) *Wouwer ex vett. lib. sic legit :* ex ipso quo denotant laudant; c. o. i. s. i. Quod mulier, quod lasciva, quod festiva. Quod juvenis, quod lascivus, quod amasius, facti sunt Christiani.
(7) Jam *abest Paris.*

COMMENTARIUS.

(a) *Quid de tabella.* Olim, inquit Rhenanus, sententia animadversionis capitalis de tabella recitabatur. Quod confirmatur ex vita D. Cypriani per Pontium et Paulum Diaconum. PAM.

(b) *Ipsis nominibus scelerum.* Cicero de Legibus II. *Legum leges voce proponam.* Cum autem reliqui nocentes suum in tabella habent elogium, sacrilegi, homicidæ, etc., cur Christiani, inquit, quos et istorum et omnium criminum reos habetis, soli isto tantum nomine, nullo addito crimine, proponuntur? hinc istud nomen ut peculiaris illius titulus noxæ occurrit in elegantissimo Auctoris loco c. XLIV. *Vestros enim contestamur actus, qui quotidie judicandis custodiis præsidetis, qui sententiis elogia dispungitis : tot a vobis nocentes variis criminum elogiis recensentur. Quis illic sicarius? quis manticuliarius? quis sacrilegus, aut corruptor aut lavantium prædo? quis ex illis etiam Christianus adscribitur? aut cum Christiani suo titulo offeruntur, quis ex illis etiam talis quales tot nocentes?* Post *pronuntiare* notam interrogationis ponunt Pam. et Rhenan. Rigalt. vero Barr. Fuld. et Herald punctum. Utrumque rectum, sed posteriori modo cum ironia proferri debet, quasi scripsisset, In nobis solis scilicet. HAV.

(c) *Caïus Seius.* Verba sunt Jureconsultis frequentissima, ubi exempli gratia, aliquid inculcare volunt de personis in genere. LAC.

(d) *Tantum quod.* Familiaris Auctori nostro locutio : Suetonius quoque in Nerone c. VI. de tempore nativitatis ejus : *tantum quod exoriente sole, pœne ut radiis priusquam terra contingeretur.* Sensus est Neronem intercepisse radios solares, qui prius ipsum quam terram luce sua perfuderunt : sumpsit, ut plura, ab Lucretio. Ille lib. II. 220.

tantum quod nomen mutatum dicere possis.

Veteres excusi habent hic *sed malus tantum quod*, quod putidum nulli meliores libri MSS. agnoscunt, et Salmasius, Rigalt. la Cerda et Scaliger delent. *Tantum quod* idem quod græcis πλὴν ὅτοι vel πλὴν ὅτι. Synesius, citante Stephano πλὴν ὅσον ἠὐξάμην. Sic quoque Aristophanes Nubibus dixit πλὴν ὅτι. HAV.

(e) *Vagos, viles, improbos. Vagos* ob libidinem, *viles* ob copiam sui vilifactam, *improbos* ob mores malos : *vagos* istos per *ambulare* expressit Adrianus Cæsar in illo ad Florum epigr. apud Spartian.

Ego nolo Florus esse,
Ambulare, per tabernas,
Latitare per popinas,
Calices pati rotundos.

(f) *Ex ipso denotant*, etc. Pamelius et Rig. legunt : *ex ipso denotant, quo laudant, cæcitate odii in suffragium impingunt. Quæ mulier! quam lasciva! quam festiva! Qui juvenes! qui Lucius!* Rigalt. *quam lusius! quam amasius, facti sunt Christiani.* MS. Fuld. *ex hoc ipso denotant, quo laudant, cæcitate odii, in suffragium enarrantes, quæ mulier, quam lasciva, quam festiva! qui juvenes, quam Lusius, quam amasius*, etc. Rhenan. *ex ipso denotant, collaudant c. o.* MS. quem consuluit Scriverius : *ex ipso quo denotant, laudant*, al. *collaudant*, et mox, *quod mulier, quod lasciva, quod festiva, quod juvenis, quod lascivus, quod amasius*, etc., approbante illo. Scaliger denique ex ingenio corrigebat rotundius, *eo ipso quo denotant, laudant.* Diogenes Laertius pariter de Aristophane et Comicis dicit illos, dum Socratem traducere et vituperare conantur, eo ipso laudare. Verba ejus sunt in Socratis vita : οἱ λανθάνουσιν ἑαυτοὺς, δι' ὧν σκώπτουσιν ἐπαινοῦντες αὐτόν, et de Zenone : οἱ γε μὴν κωμικοὶ ἠλίθιον ἐπαινοῦντες αὐτὸν διὰ τῶν σκωμμάτων, i. e. *comici tamen imprudentes, hunc dum vituperant, laudant.* Spectant ad sequentia illa Nostri ad Scap. cap. II. *nec aliunde noscibiles quam de emendatione vitiorum pristinorum.* HAV.

(g) *Jam pudicam.* Rhen. et MS. Lugd. Bat. *uxorem*.

Digitized by Google

cavit, servum jam fidelem dominus olim mitis ab oculis relegavit : ut quisque hoc nomine emendatur offendit. Tanti non est bonum, quanti est odium (1) Christianorum. Nunc igitur, si nominis odium est, quis nominum reatus? Quæ accusatio vocabulorum, nisi si aut barbarum sonat aliqua vox nominis, aut infaustum, aut maledicum, aut impudicum? Christianus vero (*a*), quantum interpretatio est, de unctione deducitur. Sed et (2) cum perperam Chrestianus pronuntiatur a vobis (nam nec nominis certa (3) est notitia penes vos), de suavitate vel benignitate compositum est. Oditur ergo in hominibus A innocuis etiam nomen innocuum. At enim secta (*b*) oditur in nomine utique sui auctoris. Quid novi, si aliqua disciplina de magistro cognomentum sectatoribus suis inducit? Nonne philosophi de auctoribus suis nuncupantur Platonici, Epicurei, Pythagorici? etiam a locis conventiculorum et stationum suarum Stoici, Academici? atque medici ab Erasistrato, et grammatici ab Aristarcho, coci etiam ab Apicio (*c*)? Nec tamen quemquam offendit professio nominis, cum institutione transmissa ab institutore. Plane si qui (4) probet malam sectam et ita malum auctorem, is probabit et nomen malum dignum odio de

LECTIONES VARIANTES.

(1) Jam *addit Paris.*
(2) Et *abest Paris.*
(3) Certa *abest Par.*
(4) Probavit *Paris.*

COMMENTARIUS.

pudicam. Ita lib. Ad Scap. cap. III. Claudius Herminianus indigne fert *uxorem suam ad hanc sectam transisse.* Fiebat id prava præsumptione, quæ patere potest ex sacrilegis Apulei verbis As. Aur. lib. IX. *Tunc spretis atque calcatis Divinis Numinibus, in vicem certæ religionis, mentitæ sacrilega præsumptione Dei, quem prædicaret unicum, confictis observationibus vacuis, fallens omnes homines, et miserum maritum decipiens, matutino mero et continuo stupro corpus manciparat.* Loquitur ibi de matutinis Christianorum conventibus, sacris illis et innocuis, sed a Gentilibus mandaciis et calumniis oneratis. Omnia vero hæc per hyphen juxta antiquitatis morem sunt scribenda *jam-pudicam retropatiens, jam-fidelis, olim-mitis.* ut apud Virgil. Eccl. I.

Namque erit ille mihi semper. Deus,

et Georg. III. 92. de nobili equo, qui ut Ennius *senio confectu, quiescit.*

Hunc quoque ubi aut morbo gravis, aut jam segnior annis
Deficit, abde domo nec-turpi ignosce senectæ.

In cujus interpretatione turpiter se dat Gifanius in indice Lucretiano, qui ipse quoque I. 125.

Unde sibi exortam semper-florentis Homeri
Commemorat speciem.

nec alio modo Publius, vers. 731.

Suum sequitur lumen semper innocentia.

Quomodo acclamatio Senatus apud Vopiscum, probo Imperatori facta, accipi etiam debet : *Probe Auguste, dii te servent. Olim-dignus, et fortis, et justus*, etc. Denique ille dominus *olim-mitis* est Terentio afro *heri semper-lenitas.* Quod non observatum et infra, ut suo loco dicetur, elegantiam auctori nostro abstulit, et nitorem Lucano magnifico Poetæ, qui lib. IX. 158. ita legendus :

Evolvam busto jam-numen gentilius Isim Hav.

(*a*) *Chrestianus.* Ita viri Docti docuerunt jam olim hanc appellationem fuisse immutatam, et novissime elegantem doctumque de hac immutatione libellum edidit Groningæ Michael Rossal. Nota sunt, quæ protulerunt Suetonius et Tacitus. Ille in Claudio c. XXV. *Judæos, impulsore Chresto assidue tumultuantes, Roma expulit.* Dubitat Orosius an et Christiani sint expulsi : *Me magis*, inquit lib. VII. cap. 4. *Suetonius movet, qui utrum contra Christum tumultuantes Judæos coerceri et comprimi jusserit, an etiam Christianos simul, velut cognatæ religionis homines voluerit expelli, nequaquam discernitur.* Causa tumultus (ut vocat Suetonius) fuit compulsatio inter hos et illos, dum venisse Christum negant Judæi, affirmant Christiani. Sed Orosius frustra dubitat : hoc est enim referendum edictum Claudii Act. XVIII. 2. διὰ τὸ διατεταχέναι Κλαύδιον χωρίζεσθαι πάντας τοὺς Ἰουδαίους ἐκ τῆς Ῥώμης. Tacitus iterum Annal. XV. 44. *quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat. Auctor nominis Chrestus*, etc. Lucianus denique in Philopatride aperte Χρήστον appellat. Imo idem Lucianus ita blas- B phemo ore latrat in Philopatr. p. 1003. *εἰ τύχοι γε Χρηστὸς καὶ ἐν ἔθνεσι, siquidem et inter gentes Chrestus fuerit.* Nec mirum hanc appellationem apud Gentiles invaluisse, cum plurimos Chrestos apud illos sit invenire, nullos vero Christos. Libet etiam aliquos apponere. Apud Appianum in Mithridaticis non longe a principio memoratur Socrates quidam cognomine *Chrestus*, quem Bithyniæ regno imposuit Mithridates, Ponti rex, expulso Nicomede. Imo et Chrestus quidam memoratur Aurelio Victori in Annibaliano : *conspiravere aliquanti militares in ejus necem, auctoribus Chresto et Marcellino, simulque Magnentio.* Exstantque Martialis epigrammata in Chrestum quemdam lib. VII. 54. et IX. 28. ut et in Chrestillum, lib. XI. 91. Fit et Chrestæ mentio in Iscrip. antiqua quæ est in vineis Vall.

Hoc, virtus, fatique decus, et amabile nomen,
Dote pudicitiæ, celebrata laboribus actis
Vitæ Chresta jacet condita nunc tumulo.

C Fulgentius quoque in libello, quem composuit de Sermone Prisco, in voce *injuges boves*, meminit cujusdam Manilii Chresti, quem librum de Deorum hymnis scripsisse ait, ibidemque fragmentum inde adducit. Ausonius denique eleganter in significatione vocabuli lusit epigr. XXXIX.

Χρήστος, Ἀκίνδυνος, εἰσὶν ἀδελφοί, οὐκτιὰ δὲ τέκνα.
Moribus ambo malis nomina falsa gerunt.
Οὐδὲ οὗτος χρηστὸς, οὐδὲ, οὗτος ἀκίνδυνός ἐστιν.
Una potest ambos littera corrigere.
Ἄλκιν Χρῆστος ἴλῃ, καὶ Ἀκίνδυνος ἄλφ' ἀπολίσῃ,
Κίνδυνος hic fiet, frater Ἄχρηστος erit.

et epigr. XL.

Germani fratres sunt : Chrestos, Acindynos alter.
Falsum nomen utrique, sed ut verum sit utrique,
Alpha suum Christo det Acindynos ipse sine alpha
Permaneat : verum nomen uterque geret.

Male in edit. Rig. est *aut Christianus.* Quamvis et ms. L. B. *perperam Christianus.* In eodem ms. *quantum interpretatione* pro *interpretatio est.* Rhen. *Sed cum perperam christianus.* Hav.

(*b*) *At enim secta oditur*, etc. Et hic et passim apud Auct. nostrum *secta*, ut Græcorum αἵρεσις, in bonam accipitur partem, quod semel monuisse sufficiat. pari modo ut Act. XXVI. 5. Apostolus Paulus ὅτι κατὰ τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν τῆς ἡμετέρας θρησκείας ἔζησα φαρισαῖος. Hunc vero locum paulo amplificat noster c. XLVI. *Cur ergo, quibus comparamur de disciplina, proinde illis non adæquamur ad licentiam impunitatemque disciplinæ? vel cur et illi ut pares nostri non urgentur ad officia, quæ nos non obeuntes, periclitamur?* etc. Itaque Donatus proprium locutum est e Terentium in Phormione I. II.

Sectari, in ludum ducere et reducere,

docet, annotans : *Bene cavillatus est et jocularitèr in adolescentem, cui ætas ad sectandos philosophos apta erat.* Hav.

(*c*) *Apicio.* Notissimo helluoni. Exstant etiamnum de

Digitized by Google

reatu sectæ et auctoris. Ideoque ante odium nominis competebat prius de auctore sectam recognoscere, vel auctorem de secta. At nunc (*a*) utriusque inquisitione et agnitione neglecta nomen detinetur, nomen expugnatur, et ignotam sectam, ignotum et auctorem vox sola prædamnat, quia nominantur, non quia revincuntur.

CAPUT IV

Præparat jam se ad defensionem criminum quibus Christiani onerabantur. Sed, cum vel post justissimam defensionem tamen violentia legis obsequium exigat, artificiose et valide ostendit, leges, ut condi, ita reprobari et mutari posse, imo debere nonnunquam, nec id sine exemplo; cum scilicet vel crudeles, vel injustæ sint deprehensæ. Lex enim justa esse colligitur, postquam in valorem ejus inquisitio facta est; improba vero, non jam lex, sed tyrannis invenitur.

A Atque adeo quasi præfatus hæc ad suggillandam (*b*) odii erga nos publici iniquitatem, jam de caussa innocentiæ consistam (*c*), nec tantum refutabo quæ nobis objiciuntur, sed etiam in ipsos retorquebo qui (1) objiciunt; ut ex hoc quoque sciant omnes in Christianis non esse quæ in se non nesciunt esse (*d*), simul uti erubescant accusantes, non dico pessimi optimos, sed jam, ut volunt, compares (*e*) suos. Respondebimus ad singula quæ in occulto admittere dicimur, quæ illos palam admittentes invenimus (2), in quibus scelesti, in quibus vani, in quibus damnandi, in quibus irridendi deputamur (*f*). Sed quoniam, cum ad omnia occurrit veritas nostra, postremo legum obstruitur (*g*) auctoritas adversus eam, ut aut nihil dicatur retractandum (*h*) esse post leges, aut ingratis necessitas obsequii præferatur veritati : de legibus prius concurram (3) vobiscum ut cum tutoribus legum. Jam

B

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quæ *Paris.*
(2) *Ita Mst. Biblioth. regiæ.* 2616 — quæ palam adinvenirentur. *Rig.*
(3) Consistam *Rig.*

COMMENTARIUS.

Re Culinaria libri Apici, non hujus [ita etiam falsum habemus Macrum de herbis aliosque], sed qui, quod facit ad confirmationem sententiæ Auctoris nostri, ad istius palatum et ex ipsius sententia sunt conscripti. Hujus vero non tantum meminit in libro de Pallio c. v. *Taceo Nerones, et Apicios, et Rufos.* Sed et Adv. Psychicos c. XII. *Quid ergo cessatis Paracletum, quem in Montano negatis, in Apicio credere?* unde *condimenta Apiciana* in lib. de Anima c. XXXIII. *Nonne illa anima plus solatii quam supplicii relatura est? quod funus inter coquos pretiosissimos invenit, quod condimentis Apicianis et Lurconianis humatur, quod mensis Ciceronianis infertur, quod lancibus splendidissimis Syllanis effertur;* etc. Pro *æque modici* Barr. et L. B. et Rh. *atque :* Herald, *neque*, sed melius MS. Fuld. Rig. et Pam. *æque.* Hav.

C

(a) *Nomen detinetur.* Non assentior De la Cerdæ Junioque legentibus *denotatur.* Nomen enim solum in jus rapi ostendit, et quasi maleficum et parricidam collo inserta catena trahi, ut depinxit nobis Bessum interfectorem Darii a Spitamene adductum Curtius VII. 5. Hav.

(b) *Ad suggillandam.* Id est convincendam non tantum, sed turpitudinem, livorem et vibicem inurendam, ut publice ostentui sit. Ita *suggillationem* dicit cap. XI. *suggillatio est in cœlo vestra justitia.* Minus recte MS. I. B. et conjectura Junii item ex MSS. *sigillandam.* Eodem modo licet invenias in Fabulis Æsopicis Anonymi apud Nevelesum Fab. XVI. de Leone jam sene,

D

Sævit asellus iners et frontem calce sigillat.

id est *notat.* Hav.

(c) *Consistam.* Amat ita loqui Tertullianus. Sic de Idol. c. XIII. *De hoc quidem primo consistam;* et in Apol. c. XLVI. *Constitimus ut opinor adversus omnium criminum intentionem, quæ Christianorum sanguinem flagitat.* Est autem genus loquendi tractum ab athletis et gladiatoribus, qui pedem in arena figunt, ne facile supplantari vel dejici possint. In re quoque militari, cum jam ad manus est veniendum, *subsistere*, vel *consistere* agmen, dicitur. Lucretius eodem modo lib. VI 454. ubi rationem reddit, quomodo nubes condensentur et cœlum obscuretur.

Hæc faciunt primum parvas consistere nubes.

et paulo post :

Propterea quia cum consistant nubila primum.

vel denique a judiciis translatum. Psalmo I. vers ult. *ideo peccator non consistet in judicio, neque improbus in cœtu justorum.* Hav.

(d) *In se non nesciunt esse.* Ut sciant adversarii nostri nos non tantum immunes esse istorum scelerum, sed illos ipsos illa palam perpetrare, si verum inspicere velint. Ita vero ex Coll. Mod. Rigalt. alii, *in se nesciunt esse.* Hav.

(e) *Compares.* Ideo *compares* i. e. similes, qui Christianis illa objiciunt, falso quamvis, quæ ipsi revera faciunt. Acer autem Tertull. est in perstringendis falso scommate Gentilibus. Ita quod cum hoc loco valde congruit c. XVI. *Sed et qui crucis nos religiosos putat, consecraneus erit noster.* Utitur rursus Auctor hac voce *compar* pro *pari* lib. de Orat. c. X. *Nemo adversarium recipit, nemo nisi comparem suum admittit.* Et adv. Marcionem I. I. c. XVI. *Alia membra fortia, alia infirma : alia honesta, alia inhonesta : alia gemina, alia unica : alia comparia, alia disparia.* Hav.

(f) *Deputamur.* Id est valde putamur, ducimur, illud enim *de* in compositione auget. Alias *deputari* Auctori nostro est *detruncare.* Sic exhort. ad Castit. c. VI. *Erat Vetus dispositio, quæ in Evangelio Novo deputatur; in quo, etc., securis ad radicem arboris posita est.* Hav.

(g) *Legum obstruitur auctoritas.* Pam. et Rhen. *adstruatur*, quod minus elegans. MS. L. B. *obstruatur*, quod necesse non est. Dicit autem eleganter obstrui leges defensioni, ut molem invictam, quam fas non sit veritati perrumpere, est enim inde desumpta similitudo, ita apud Lucanum lib. II. versu 495.

Obstruitis campos fluviisque arcere paratis :

et 661 :

Sed molibus undas
Obstruit, et latum dejectis rupibus æquor.

Et planius etiam noster c. I. *obstruit defensioni*, simili locutione. Ut hunc locum imitatus sit Lactantius Instit. Div. II. 20. *Nunc vero major nobis ac difficilior cum philosophis proposita luctatio est, quorum summa doctrina et eloquentia, quasi moles aliqua mihi opponitur.* Hav.

(h) *Nihil dicatur retractandum.* Quasi dicat, Vana defensio; aut enim respondebit judex, nihil contra leges fieri debere, illasque reformari non licere, ideoque inauditum, ut lex jubet, ablegabit, aut si defensionem audiat pronus etiam, facilis, imo convictus, velit nolit, sibi tamen dicet legibus obtemperandum. Vocibus *retractare* et *ingratis* vel *ingratiis*, Gr. ἀκουσίως, sæpe utitur Auctor. adv. Hermogenem

Digitized by Google

primum (1) quam dure definitis dicendo : Non licet esse vos! Et hoc sine ullo retractatu humaniore præscribitis; vim profitemini et iniquam ex arce dominationem (*a*) (2), si ideo negatis licere, quia vultis, non quia debuit non licere. Quod si quia non debet, ideo non vultis licere, sine dubio id non debet licere, quod male fit (3), et utique hoc ipso præjudicatur licere, quod bene fit. Si bonum invenero esse, quod lex tua prohibuit, nonne ex illo præjudicio prohibere me non potest (4), quod si malum esset, jure prohiberet? Si lex tua erravit, puto, ab homine concepta est; neque enim de cœlo ruit (*b*). Miramini hominem aut (5) errare potuisse in lege condenda, aut resipuisse (6) in reprobanda? Nonne (7) et ipsius Lycurgi leges a Lacedæmoniis emendatæ, tantum auctori suo doloris incusserunt, ut in secessu (*c*) inedia de semetipso judicarit? Nonne et vos (*d*) quotidie experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis totam illam veterem et squalentem silvam legum novis principalium rescriptorum (*e*) et edictorum securibus truncatis (8) et cæditis? Nonne vanissimas Papias (*f*) leges, quæ ante liberos suscipi cogunt, quam Juliæ (9) matrimonium (*g*) contrahi,

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Al.* cum dure; *Rhen.*, *Fr. Junius et Wouwer :* quam dure; *Havercamp.* cum jure.
(2) Ex arce *Paris. Rig.*
(3) Quod male fit *delet Paris.*
(4) *Sic. cod. Lugd., Herald. et Semler.*; *Gelenius :* prohibuit nomen, ex illo prohibere me non potest; *Rigalt. et Haverc.* : n. e. i. præjudico prohibere eam non posse.
(5) Aut *delet Paris.*
(6) Recepisse se *Paris.*
(7) Non enim *Rig.*
(8) *Pamel., Heraldus aliique* : truncatis; *Scaliger et Scriver.* : runcatis; *Rigalt.* rustatis; *Haverc.* ruscatis.
(9) *Wouwer. e MS.* quam Juliæ permittunt matr. etc.

COMMENTARIUS.

C. XVI. *Igitur in præstructione hujus articuli, et alibi forsitan retractandi, equidem definio*, etc., statim, *hoc sine ullo retractatu humaniore præscribitis.* Infra in Apolog. c. XXVI. *ingratis resistimus.* Adde Plautum, Terentium, Lucretium denique, qui tum alibi, tum lib. III. vers. 1082 quasi hunc nostrum judicem describat:

Effugere haud potis est, ingratis hæret et angit. HAV.

(*a*) *Iniquam ex arce dominationem.* Phædrus, Arcem tyrannus occupat Pisistratus. Juvenalis, X,

Nullus ephebum
Deformem sæva castravit in arce tyrannus. RIG.

(*b*) *De cœlo ruit.* Διοπετεῖς ut notant Interpr. Evidenter vero tangit et irridet ancilia Romanorum, et Trojæ originis Æneadarum Palladium; ex quorum imitatione illud, quod legimus in Act. Ap. XIX, 35. de urbe Epheso æditua : τῆς μεγάλης θεᾶς Ἀρτέμιδος καὶ τοῦ Διοπετοῦς; Nymphæ quoque Egeriæ cum Numa Pompilio colloquium sugillare pariter videtur. HAV.

(*c*) *Ut in secessu*, etc. Quod verum Plutarchus affirmat, sed propter aliam caussam, cum nempe, quasi denuo ad Oraculum profecturus, Lacedæmonios obstrinxisset jurejurando leges suas incorruptas ad reditum servaturos, quæ ut semper immotæ manerent, nunquam rediit, sed in Crissa inedia mortem sibi conscivit. Post vero multas alias leges legibus Lycurgi adjectas fuisse demonstrat idem Cragius III. 1.

(*d*) *Nonne et vos*, etc. Ab exteris ad ipsos Rom. transitionem facit, quos quotidie docet veteres abrogare, corrigere, novas superinducere et sancire leges. Huc faciunt quæ legas apud Auctorem nostrum exhort. ad Castitatem c. VI. *Puto autem humanam constitutionem atque decretum postea pristinis prævalere.* Notum etiam est S. C. Orfitianum, factum Orfito et Vetto Coss. de quo intelligendus Hieronymus ad a. CLXXIX. *Imperatores multis multa largiti sunt : et pecuniam, quæ fisco debebatur, provinciis concedentes tabulas debitorum in medio Romanæ urbis foro incendi fecerunt : ac ne quid* [ita lege] *bonitati deesset, duras quasque leges novis constitutionibus temperarunt.*

(*e*) *Principalium rescriptorum.* Rursum Jureconsultorum phrasis. D., l. I, de Orig. jur., l. II, de qua Zephyrus : Rescripta principalia, mandata principis dicebantur, quibus sponte sua precibus exoratus imperator, alicui privatæ personæ vel communiter aliquid aut concedebat, aut excludebat, quæ ex eo nomen traxerunt, quia [ut Tacitus scribit] moris fuit Principem quemquam præsentem scripto adire, quæ scripta libelli supplices a Martiale dicuntur, nostra tempestate supplicationes. PAM.

(*f*) *Vanissimas Papias Leges.* Ad quas in deorum etiam generatione lepide alludit, lib. II. cap. 12. *Erant unde cælibes diu et orbi., antequam mariti et parentes?* Quum vero clarissimus et doctiss. Gothofredus in Notis suis ad finem cap. 6. lib. II. Ad Nat. scribat in hunc modum Severum Imp. legibus Papiis *derogasse*, non etiam eas *abrogasse*, quod, inquit, falso plerisque traditum alibi jam refutare memini, gratam positurum me operam putavi, si maximi viri notam ex commentariis ad legem Juliam de Maritandis Ordinibus hic insererem. Ita scribit ad cap. XXIII. Legis Juliæ et Papiæ. « Orbitatis pœnis conjuges non tenebantur, si vir nondum annorum viginti quinque, uxor nondum viginti essent : *Aliquando* (ait Ulpianus de L. Papia fragm. tit. XVI. in princip. agens) *vir et uxor inter se solidum capere possunt, veluti si uterque vel alteruter eorum nondum ejus ætatis sit, quæ liberos exigit, id est, si vir minor annorum viginti quinque sit, aut uxor annorum viginti.* Ac ne quis dubitare deinceps possit ætatem certe lege Papia suscipiendis liberis definitam, Tertullianus cum Ulpiano collatus Apologetici IV. faciet : *Nonne vanissimas*, etc. Suscipiendis igitur liberis ea, quam dixi, ætas Lege Papia præfinita fuit. Verum laxior a Severo constituta, nempe illa, quam Ulpianus ait. Et ad nuptiarum contrahendarum ætatem id Sozomenus de L. Julia et Papia agens lib. I. cap. 9. errore transtulit. Νόμος, inquit, ἦν Ῥωμαίοις παλαιὸς, ἀπὸ εἴκοσι καὶ πέντε ἐτῶν, τοῦ ἴσων ἀξιοῦσθαι κολύων τοὺς ἀγάμους μὴ τοιούτοις, dicere debuit Zozomenus ἀτέκνους seu ἀπαιδας, non ἀγάμους. Definita itaque Lege Papia suscipiendis liberis ætas fuit; nempe vigesimus quintus annus in masculo, vigesimus in fœmina : intra quam ætatem leges Juliæ antea ne quidem matrimonium contrahi cogebant, ut superiori loco Tertullianus docet. A qua autem ætate matrimonium Leges Juliæ contrahi, vel Papiæ liberos suscipere coegerint, dici liquido non potest. Proinde tertium quod in Tertulliani verbis dubium hæret, quidnam videlicet sit illud, quod Severum Leges Papias, quæ premature liberos suscipi cogebant, exclusisse scribit, sensum hunc habet perspicuum [qui tamen vel sagacissimos hactenus fugit] : Severum videlicet laxiorem ad suscipiendos liberos ætatem, quam Lex Papia fecerat, indulsisse, definivisse, reducto (ut puto) Legum juliarum jure. Et ita quidem tria, quæ superiore Tertulliani loco non cæteris tantum, sed et Apologetici Scoliastis doctissimis, incomperta fuerunt hactenus, accipienda censeo. » HAV.

(*g*) *Juliæ matrimonium contrahi.* La Cerda et Scriver. ex Wouw. Coll. addi volunt *permittunt*, perperam; sensus enim est, Legem Papiam coegisse liberos suscipere ante illud tempus, quo matrimonium et

Digitized by Google

post tantæ auctoritatis (*a*) senectutem heri Severus constantissimus (*b*) principum exclusit? Sed et judicatos retro in partes secari (*c*) a creditoribus leges erant; consensu tamen publico crudelitas postea erasa est et in pudoris notam capitis pœna conversa (*d*); bonorum adhibita proscriptione (1) suffundere maluit hominis sanguinem, quam effundere. Quot adhuc vobis repurgandæ (2) leges latent (*e*), quas neque annorum numerus (*f*), neque conditorum dignitas commendat, sed æquitas sola? et ideo cum

LECTIONES VARIANTES.

(1) Proscriptio *Rig.*

(2) Repugnandæ *Paris.*

COMMENTARIUS.

congressus nuptialis jam ante desponsatis indicebatur per Legem Juliam, adeoque illam rogasse orbitatis pœnas τοῖς ἀτέκνοις, ante illud tempus, quo hæc pœnas cælibatus irrogabat τοῖς ἀγάμοις: quas Leges Papias ideo vanissimas potuit appellare, cum præsertim Christiani jam tum finem sæculi exspectarent. Scilicet cum mature sponsalia fierent inter Romanos, annos aliquot indulserat Lex Julia, antequam necessario nuptiæ et congressus fierent, cum interim desponsati fruerentur jure maritorum. At per Legem Papiam coacti fuerunt maturius dare operam liberis, cujus rei longior vacatio dabatur per Legem Juliam. Quod bene est tenendum, cum huc rursus respiciat in lib. de Monogamia c. XCI. *Aliud est si et apud Christum legibus Juliis agi credunt, et existimant cælibes et orbos ex testamento Dei solidum non posse capere.* Adde de hisce legibus Lipsium ad Tacitum Annal. III. 25. HAV.

(a) *Tantæ auctoritatis senectutem.* Cicero de Legibus I. 21. *Sunt certa legum verba, Quinte, neque ita prisca, ut in veteribus ex iis sacratisque legibus: et tamen, quo plus auctoritatis habeant, paulo antiquiora, quam hic sermo est.* Arnobius similiter *inveteratas religiones* dixit in princip. libri primi.

(b) *Constantissimus principum.* Quem hoc elogio, ut arbitror, ornavit quia ille ipse est, in quo laudat in lib. ad Scapulam c. IV. hanc animi virtutem, quam Horatius in constanti sibi requirit, cum dicit:

> Justum et tenacem propositi virum
> Non civium ardor prava jubentium...
> Mente quatit Solida.

Et elegantissimus locus est apud Ælium Lampridium quo nullus melius hoc auctoris dictum illustrare potest. Ille de Alexandro Imperatore Mammææ filio, cui Severi cognomen fuit, ita disserit: *ob ingentem vigorem animi et mirandam singularemque constantiam contra militum insolentiam, Severi nomen a militibus eidem inditum est, quod illi ingentem in præsentia reverentiam, magnam apud posteros gloriam peperit, quum eo accessisset, ut de animi virtute nomen acceperit.* De nostro Severo Victor: *Acer ingenio, ad omnia quæ intendisset in finem perseverans. Benevolentia quo inclinasset mirabili ac perpetua; ad quærendum diligens, ad largiendum liberalis; in amicos inimicosque pariter vehemens.* Quod vero ex Spartiano adducit Rigalt. id non tam ad laudem quam infamiam et crudelitatem Severi pertinet; ita enim locus integer: *damnabantur autem plerique, cur jocati essent, alii cur tacuissent, alii cur pleraque figurate dixissent, ut esset Imperator vere nominis sui, vere Pertinax, vere Severus.* Capitolinus quoque de Macrino: *Nam et Severum se Pertinacem voluerat nuncupari: quæ duo illi asperitatis nomina videbantur.* At nomen, in quo alii asperitatem notarunt, ab aliis virtuti animi dari potuit. HAV.

(c) *Retro in partes secari.* Vocem *retro* i. e. ante, olim, ex MS. Fuld. inseruit Rigaltius. Extra crepidam nostram est, definire, an olim revera tam crudele exemplum fuerit exhibitum, an vero ipse homo venundatus et quod ex illo redibat, inter creditores fuerit dissectum. Præter nobilem JCtum, qui singulari capite de hac lege agit, videri etiam potest Salmasius de Usuris p. 544. Noster natura austerus severiori adhæsit sententiæ. Itaque hinc rursus eundem illustro et explico, cum scribit in lib. De patientia cap. VII. *Jam qui minutum sibi aliquid aut furto, aut vi, aut etiam ignavia, non constanter sustinere constituit; nescio an facile, vel ex animo, ipse rei suæ manum inferre posset in caussa eleemosynæ. Quis enim ab alio secari omnino non sustinens, ipse ferrum in corpore suo ducit?* Admonet me nobilis hic locus, ut ex eo illustrem id quod legitur apud Matthæum, c. XXIV. 51. et Luc XII. 46. καὶ διχοτομήσει αὐτὸν καὶ τὸ μέρος αὐτοῦ μετὰ τῶν ὑποκριτῶν θήσει: ubi omnino ad corporis ex hac lege supplicium respici puto, quamvis inde ad spiritualem sensum transferri posse non negem, adeoque ad hanc legem alludi; quod supplicium certe gravius, quam vel dimensum ejus diurnum minuere, ut vult Beza, eumque a reliquis separare, aut etiam flagellis cædere et dilacerare, quod habet Casaubonus ad Suetonii Aug. c. XIII. qui ibidem legem ipsam (quod et hic facit Junius) ex notissimo Gellii loco affert, sed tantum ut doceat dissecari homines jam olim fuisse in usu, non ut inde locum S. S. illustret, quem alter, ut puto, ita nondum explicuit. Servus hic perfidus apud Evangelistas quis alius, quam bonorum domini sui, quibus illum absente se præfecerat decoctor? patet, quia absente illo ἄρξηται ἐσθίειν τε καὶ πίνειν μετὰ τῶν μεθυόντων, et ex vinolentia in violentiam versus, conservos suos, qui recta monebant τύπτειν. Quid inde nisi grande æs alienum domino suo contrahere potuit? Jam vero, regresso domino, vel rigidissimæ legis pœnam mereri potuit ille famæ bonorumque domini sui prodigus. Si quoque hæc ad mentem solam transferri debent, cur non elegantissimo verbo διχοθυμέω (ita vero scripsisse dicere non ausim) usi sunt? quod formare poterant a διχόθυμος quod notum est apud Lexicographos. Denique si quo modo ab antiquitate adjuvari possem, lubens ea quæ sequuntur ita explicarem καὶ τὸ μέρος αὐτοῦ μετὰ τοῦ ὑποκριτῶν θήσει, i. e. dissectas ejus partes [ut hodieque fit in Anglia | in illo loco suspendet, ubi facinorosorum et ex lege dissectorum hypocritarum,

> Qui Curios simulant et Bacchanalia vivunt,

adeoque creditores suos ære emungunt, corpora sepeliuntur. Prout servus ille apud Plautum de cruce, consueto servorum supplicio, in quo pater, avus, abavus, tritavus sepulti erant jocabatur, certe pro rostris cæsa cervix dextraque Ciceronis pependit, ibidemque capita proscriptorum; ut et aliis in locis, proponebantur: mos ex Appiano præcipue satis notus. Scio hoc postremum tamen aliter posse accipi, sed nec hæc contemnenda videntur; ita enim de ipso Severo noster: *Sed et clarissimas fœminas et clarissimos viros Severus sciens hujus sectæ esse, non modo non læsit, verum et testimonio exornavit, et populo furenti in os palam restitit.* HAV.

(d) *Et in pudoris notam capitis pœna conversa est.* Totum hoc abest a MS. Lugd. Bat. nec vacat suspicione. Redolet enim nescio quid alienæ manus, in alieno opere male sedulæ.

(e) *Suffundere maluit hominis sanguinem quam effundere.* Optatus, lib. II. *Fundentes sanguinem, non corporis, sed pudoris.* At quis alius pudoris sanguis, quam corporis? Gregorius Bæticus, sive quis alius auctor libri de Fide adversus Arianos: Impudens eorum frons illa, quæ est sine signo Dominii, crebris testimoniorum lapidibus elidenda est, ut si non caro illorum effundit cruorem multis effossa vulneribus, tamen vel pudor suffusione sanguinis erubescat. Rig.

(f) *Quas neque annorum numerus.* Τὸ quas, non ad leges repurgandas referri debet præcise, sed generaliter ad leges: Quasi diceret: Leges, neque annorum numerus, neque conditorum dignitas commendat, sed

Digitized by Google

iniquæ recognoscuntur, merito damnantur, licet damnent (1). Quomodo iniquas dicimus? imo, si nomen puniunt, etiam stultas. Si vero facta, cur (2) in nobis de solo nomine puniunt facta, quæ in aliis de admisso, non de nomine probata defendunt (3)? Incestus sum, cur non requirunt? infanticida, cur non extorquent? in deos, in Cæsares aliquid committo, cur non audior (4), qui habeo quo purger (5)? Nulla lex vetat discuti quod prohibet admitti; quia neque judex juste ulciscitur, nisi cognoscat admissum esse quod non licet; neque civis fideliter legi obsequitur, ignorans, quale sit, quod ulciscitur. Nulla lex sibi soli conscientiam justitiæ suæ debet, sed eis, a quibus obsequium exspectat. Cæterum suspecta lex est, quæ probari se non vult, improba autem, si non probata dominetur.

CAPUT V.

Inquirit in ejusmodi legum originem, et occasione Alburni, quem Æmilius in Deorum numerum referri volebat, ostendit, per illas divinitatem hominum placito subjectam. Inde Tiberii de Christo sententiam pronuntiat, senatusque refragationem: ostendit nullos, nisi Neronem, illique simillimos, nomen christianum afflixisse, cum contra M. Aurelius, miraculo etiam monitus, cum illo Verus, et ante illos Vespasianus, Trajanus, Hadrianus, Pius, christianos esse passi sint. Concludit denique, illos, ut a bonis probatos, a malis afflictos, bonos, non malos, ex similitudine morum, putari debere.

Ut (6) de origine aliquid retractemus ejusmodi legum vetus erat decretum (*a*), ne qui deus ab imperatore consecraretur (*b*), nisi a senatu probatus. (*c*) (7). Scit (8) M. Æmilius de deo suo Alburno. Facit et hoc ad causam nostram, quod apud vos de humano arbitratu divinitas pensitatur. Nisi homini Deus placuerit, Deus non erit (*d*); homo jam Deo propitius esse debebit. Tiberius ergo, cujus tempore nomen christianum in sæculum introivit, annuntiatum sibi ex Syria Palæstina, quod illic veritatem illius divinitatis revelaverat (9), detulit ad senatum (*e*)

LECTIONES VARIANTES.

(1) Damnentur *Paris.*
(2) In nobis *addit Wouwer.*
(3) *Wouwer. et Rigalt.*: probanda definiunt, *Haverc.*: probanda defendunt, *Heraldus*: probata defendunt.
(4) Cur non audior, si quid habeo, *Wouw.*
(5) Purgem *Par.*
(6) At *Par.*
(7) Probaretur *Par.*
(8) *Heraldus et Haverc.* Scit; *Pamel. et Seml.*: Ut; *Rhen.*: Ut — Alburno fecit; *Gangnæus*: Ut — Alburno facit. Et etc.
(9) *Heraldus*: annuntiatum — quæ — revelarat; *Rig. et Haverc.*: annuntiata — quæ — revelarant.

COMMENTARIUS.

æquitas sola. Ideoque apud Livium, lib. XXXIV. L. Valerius trib. pl. leges dicit alias esse mortales, alias æternas: Ex his legibus quæ non in tempus aliquod, sed perpetuæ utilitatis causa in æternum latæ sunt, nullam abrogari debere fateor, nisi quam aut usus arguit, aut status aliquis reipublicæ inutilem fecit: sic quas tempora aliqua desiderant leges, mortales ut ita dicam, et temporibus ipsis mutabiles esse video. *Idem.*

(a) *Ne qui Deus ab Imperatore consecraretur nisi a senatu probatus.* Ejusdem sensus est quod in fragmentis Ulpiani legimus, Deos hæredes institui non posse, præter eos, quos senatusconsulto, constitutionibus principum instituere concessum est. RIGALT.

Vetus decretum. Habes legem ipsam apud Ciceronem II. de Legib. SEPARATIM NEMO HABESSIT DEOS, NEVE NOVOS: SED NE ADVENAS, NISI PUBLICE ADSCITOS, PRIVATIM COLUNTO.

(b) *Ab imperatore.* Infra exemplum ponit in Tiberio, ipsum Christum in deorum numerum inferre conato. HAV.

(c) *Nisi a Senatu probatus.* Et hanc illorum stultitiam eleganter taxat Prudentius lib. I. in Symmachum versu 223.

> Vera ratus, quæcumque fiant auctore Senatu,
> Contulit ad simulacra fidem, dominosque putavit
> Ætheris, horrifico qui stant ex ordine vultu.

Illic Alcides, etc. Rhen. *probaretur.* De auctoritate Senatus et Imperatorum postea consensu in recipiendo aliquo inter Deos consule Petrum Fabrum lib. III. Semestrium cap. 1. Exstat apud Dionem Cassium elegans locus de fanis Serapidis demolitis, quia privato consilio exstructa erant. Protulimus illum ad finem, cap. 6. HAV.

(d) *Nisi homini Deus*, etc. Elegans illud, cui par quod habet c. XIII. *Nam ut supra perstrinximus, status Dei cujusque in Senatus æstimatione pendebat. Deus non erat, quem homo consultus noluisset, et nolendo damnasset.* Copiose Lactantius Instit. Div. I. 15. *Quis enim tam demens, qui consensu, et placito innumerabilium stultorum, aperiri cœlum mortuis arbitretur? aut aliquid quod ipse non habeat, dare alteri posse? apud Romanos Deus Julius, quia hoc scelerato homini placuit Antonio: Deus Quirinus, quia hoc pastoribus visum est: cum alter germani fratris exstiterit, alter patriæ parricida: quod si Consul non fuisset Antonius. C. Cæsar pro suis in Rempublicam meritis, etiam defuncti hominis honore carnisset.* HAV.

(e) *Tiberius.* Totum hoc descripsit Eusebius et Historiæ suæ Ecclesiasticæ II. 2. inseruit, cujus verba Græca citat Junius, prout ex Tertulliano se vertisse testatur Eusebius, qui hæc ante illa est præfatus: *Interea cum per omnem jam locum*, etc. Inprimis vero memorabile illud, quod legimus apud Ælium Lampridium in Vita Alexandri Severi, ita de illo: *Christo templum facere voluit, eumque inter Deos recipere. Quod et Adrianus cogitasse fertur, qui templa in omnibus civitatibus sine simulacris jusserat fieri: quæ hodie idcirco quia non habent numina, dicuntur Adriani, quæ ille ad hoc parasse dicebatur: sed prohibitus est ab iis, qui consulentes sacra, repererant omnes Christianos futuros, si id optato evenisset, et templa reliqua deserenda.* Imo idem Severus, *quum Christiani quemdam locum qui publicus fuerat, occupassent, contra popinarii dicerent, sibi eum deberi, rescripsit, melius esse ut quandocumque illic Deus colatur, quam popinariis dedatur.* Narrat idem Lampridius. Sed de Tiberio nostro operæ pretium est conferre Tanaquillum Fabrum tomo II. Epist. XII, qui multis evincere conatur deceptum esse Tertullianum, veritatemque hujus rei elevat. Argumentis quatuor utitur: quod historia ex libro supposito sit hausta, Actis Pilati scilicet. Quod religionis curam nullam gesserit Tiberius, unde Suetonio dicitur *circa Deos ac religiones negligentior*; quod Senatus Romanus sub Tiberio ad vilissimam adulationem prolapsus, ne hiscere quidem contra Principem ausus fuisset; quod ex chronologia pateat, Christianum nomen eo tempore vix notum Romæ fuisse. Quibus addo infensum potius Tiberium ut Judæo, ita et Christiano nomini fuisse, ut clare patet ex Sueton. cap. 36: *Externas cæremonias, Ægyptios, Judaicosque*

Digitized by Google

cum prærogativa suffragii sui (*a*). Senatus, quia non ipse probaverat, respuit; Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus christianorum. Consulite commentarios vestros; illic reperietis primum Neronem (*b*) in hanc sectam cum maxime Romæ orientem (*c*) Cæsariano

COMMENTARIUS.

vitus compescuit. Judæorum juventutem per speciem sacramenti in provincias gravioris cœli distribuit, reliquos gentis ejusdem, vel similia sectantes Urbe submovit, sub pœna perpetuæ servitutis, nisi obtemperassent. Hic per *similia sectantes* nulli nisi Christiani intelligi possunt. Si vero aliquando curiosior Tiberius, privatus adhuc Rhodi agens, Diogenem, Grammaticum, *disputare Sabbatis solitum*, ut narrat Sueton. cap. 32, audire fuit avidus, huic de Christo opinioni nihil [ut quidem putabat Torrentius] conferre potest. Contrarium enim docet Suetonius. Et sane creduli nimis fuerunt et simplices prisci illi Patres, qui oblata quæcumque avide arripientes plumbeis sæpe gladiis pugnarunt. Hav.

Hæc audacior subinde ac præter solitum vi repentina altercandi in veteres Patres abreptus, Havercampius intendere non dubitavit. Quonam amabo jure? Sub lectore judice lis esto.

Porro multa sunt ac præclara Veterum, nec jam ulla sane credulitate vel simplicitate nimia, plumbeove gladio despicabilium testimonia, quibus hæc a Tiberio ad Senatum de morte stupenda Christi relatio confirmatur. Exstat enimvero testis in memoria hominum primus S. Justinus martyr in Apologia ad Imperatores prima, Romæ et propemodum ante fores Curiæ data, oculis subjecta hostium scedula invidia audientium, quibus hanc facillimam redarguendi ac in falsum revocandi ansam dare non potuit tantus eximiaque rerum notitia Auctor commendatus. Testis est ab ipso secundus nec impar hic noster Tertullianus, accuratus ex omnium confesso rerum vetustarum indagator, ac præfatæ traditionis adeo peculiariter certior, ut semel et iterum idem in scriptis quam latissime evulgandis, invidia quam infensissima legendis conscripserit (cf. S. Justin Apol. 1. n. 35. Tertull. apologet. v. id. XXI.). Testes præterea habuimus sibi continuo succedentes, albumque suum singulis sæculis calculum adjicientes, Eusebium nempe Cæsariensem*, S. Joannem Chrysostomum, Orosium Augustini disciplina edoctum, Gregorium nostrum Turonensem, tum Cedrenum, Nicephorumque, cæterosque inferioris ævi permultos. (Cf. Euseb. Hist. eccles. lib. V. c. 2. S. Jo. Chrys. hom. 26. Ep. II. ad Cor. et alios vett. collatos apud Nat. Alex. sect. I. c. IV. et J. C. Otton. I. de S. Justin. scriptis et doctrina, p. 110. not. 45.).—Imo ipsimet suffragantur gentium scriptores, Plinius nempe cum ex illius epistola ad Trajanum constat id præsidibus moris fuisse quæcumque in provincia sua acciderant memoranda ad imperatorem deferre; tum Suetonium, a quo Tiberium, licet circa Deos ac religionem negligentiorem, fuisse nihilominus audiendi Judæos Christianosve disputantes avidum accepimus; tum demum Lampridium ab ipso Havercampio laudatum, nec obscure innuentem quam sollicite plures Cæsares, quæ Christianis interessent, investigaverint.—Nec insuper arduum est quælibet prælallata Tanaquilli Fabri Havercampique argumenta rescindere. Nam ad primum, subinde occurrit, id hanc Tertulliani sententiam, nullam erui ex mentitis Pontii Pilati actis quæ circumferantur, imo vero ab instrumentis Senatus publicis ac diurnis depromi: quod sane tam audacter, nisi habuisset penitus in compertum, afferre non sustinuisset. — Satis ad secundum, prælaudatis modo auctoribus paganis, factum fuisse videtur et insuper ex eodem Suetonio noverimus, nihil, vel imperante Tiberio, accidisse sive parvum sive magnum, ut publicis, privatisve rebus, quod non fuerit ad Senatum continuo relatum. Ad tertium, memineris velim jam Tiberium, secus licet consulente senatu ac deprecante, respuisse templa, juraque Divina quæ nemini proinde, ipso superstite, a Senatu conferri par erat.

Nihil vero eo loci facere chronologiam liquet, cum de ipso Christo in Judæa passo et coram toi testibus redivivo, minime vero de nomine Christianorum serius ociusve nuncupato agitetur. — Nec demum de grato infensove Tiberii inquirendum est animo, dummodo et reipsa constat varium fuisse, ad nova insolitaque pronum, nec proinde a stupenda rerum in Judæa gestarum relatione arrectis auribus audienda alienum.

An vero, inquit Doctissimus Mansi, scripta hæc Pilati ad Tiberium modo supersint, incertum. Neque enim Pseudo Hegesippus qui litteras Pilati ad Tiberium recitat in sua epitome libri Josephi de bello Judaico tam asserta auctoritas est ut a nobis fidem extorqueat. Multo vero incertissimum si forte supersint inter multa et varia id generis scripta et ex mss. vetustis codicibus evulgata, genuinum quidsit, quidve spurium. Horum actorum exempla plura collegit Jo. Albert. Fabricius in codice apocrypho Nov. Testament. part. I, p. 298 et part. IV, p. 456. Aliud ego ab his fabricianis plane diversum (quantum fugienti oculo inspicere potui) nactus sum in vetustissimo codice sæculi VIII, quod, Deo dante, cum per otium licebit mihi, describam et in anecdotis quæ meditor, suo tempore evulgabo. Edd.

(*a*) *Cum prærogativa suffragii sui.* Sane quam miraandum [si verum] in hoc principe, qui omnia ex Senatus auctoritate facere velle videretur, simulandi mirus artifex, ut passim describit Tacitus III. et IV. Annal. cujusque sententia in simili casu de libris Sibyllinis prævaluit. *Relatum inde ad Patres a Quintiliano Tribuno plebi de libro Sibyllæ, quem Caninius Gallus Quindecim vir recipi inter cæteros ejusdem vatis, et ea de re Senatusconsultum postularat. Quo per discessionem facto, misit litteras Cæsar, modice Tribunum increpans, ignarum antiqui moris ob juventam. Gallo exprobrabat, quod scientiæ, cæremoniarumque vetus, incerto auctore, ante sententiam collegii, non ut assolet, lectò per magistros æstimatoque carmine, apud infrequentem Senatum egisset.* VI. Annal. 12. Tertulliano adhæret. Christoph. Cellarius Dissert. XIV. Hav.

(*b*) *Primum Neronem.* Et hæc quoque ad verbum descripsit Eusebius et in Commentarios suos de Hist. Eccles. contulit, ut notavit Junius, addito insigni de auctore nostro testimonio, qui postquam omnibus flagitiis infamem Neronem ostendit, ita orditur: *His igitur omnibus deerat, ut ipse primus ex Imperatoribus romanis etiam in ipsum Deum impietatis arma converteret, sicut Tertullianus vir scriptorum nobilissimus, refert, dicens: Consulite*, etc. Hieronymus in Chronico Eusebiano. *Primus Nero super omnia scelera sua etiam persecutionem inter Christianos facit.* Noster quoque iterum c. XV. adv. Gnosticos: *Vitas Cæsarum legimus; orientem fidem Romæ primus Nero cruentavit.* Inde intellige istud Orosii, qui ubi lib. VII. cap. 8. de persecutione sub Trajano facta verba fecit, addit: *Verumtamen continuo Romæ aurea domus a Nerone tot privatis publicisque rebus impensis condita, repentino conflagravit incendio: ut intelligeret missa etiam ab alio persecutio in ipsis potissime monumentis, a quo primum exorta esset, atque in ipso auctore puniri.* fecit vero amoliendæ invidiæ causa quam incensa Roma conflari sibi videbat. Hav.

(*c*) *Cum maxime Romæ.* MS. Fuld. *maxime Romæ.* Rhen. et Pam. *tum maxime Romæ*, id est tempore Neronis. Non placet; sensus est, non alibi magis, quam Romæ hanc sectam suos sectatores invenisse: quod innuere videtur Tacitus XV. Annal. 44. *Repressaque in præsens exitiabilis superstitio rursus erumpebat, non*

Digitized by Google

gladio (*a*) ferocisse. Sed tali dedicatore (*b*) damnationis nostræ etiam gloriamur. Qui enim scit illum, intelligere potest, non nisi grande (*c*) aliquod bonum a Nerone damnatum. Tentaverat et Domitianus, portio (1) Neronis (2) (*d*) de crudelitate (3); sed qua (4) et homo (*e*), facile cœptum (5) repressit, restitutis etiam quos relegaverat (*f*). Tales semper nobis insecutores (6), injusti, impii, turpes, quos et ipsi damnare consuestis, et a quibus damnatos restituere soliti estis. Cæterum de tot exinde principibus [usque (7)] ad hodiernum divinum humanumque sapientibus (*g*), edite aliquem debellatorem (*h*) Chris-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Prænomine Ner. *Paris.*
(2) Prænomitu Neronis *Wouw.*
(3) Eamdem crudelitatem *Wouw.*
(4) Quia *Paris.* quid? *Wouwer.*
(5) Receptum *Paris.*
(6) Persecutores *Wouwer.*
(7) Usque *abest Paris.*

COMMENTARIUS.

modo per Judæam originem ejus mali; sed per Urbem etiam : quo cuncta undique atrocia atque pudenda confluunt, colebranturque. Hav.

(*a*) *Cæsariano gladio.* Certe gladius hoc loco pro omni instrumento accipitur, quo mors infertur. Nam non dubium quin Tertullianus loquatur, cum respectu ad Petrum et Paulum : atqui Petrus non gladio vitam finiit. Lac.

(b) *Tui dedicatore damnationis nostræ.* Dixit *dedicatorem* auctorem, institutore primum. Ita *pœnitentiam dedicaverit*, i. e. primus instituit, lib. de Pœnit., c. 2. et in hoc apolog., cap. 12. *in patibulo primum corpus Dei vestri dedicatur*, id est inchoatur. Ad Septimii nostri verba respexit Sulpitius Severus, cum scribit in Historia Sacra lib. II. Pauli deductionem Romam factam *Nerone imperante : qui non dicam Regum, sed omnium hominum et vel immanium bestiarum sordidissimus, dignus exstitit, qui persecutionem in Christianos primus inciperet.* Et mox : *Hic primus Christianum nomen tollere aggressus est: quippe semper inimica virtutibus vitia sunt, et optimi quique ab improbis quasi exprobrantes aspiciuntur : namque eo tempore divina apud Urbem religio invaluerat.* Hav.

(c) *Non nisi grande.* Qui nihil laudabat, nisi grande malum. Suetonius de eo c. XXIX. *Ex nonnullis comperi, persuasissimum habuisse eum, neminem pudicum, aut ulla corporis parte parum esse : verum plerosque dissimulare vitium, et calliditate obtegere : ideoque professis apud se obscœnitatem, cætera quoque concessisse delicta.* Imo de quo portentum recens nato, ominosa vox Domitii patris excepta est, *inter gratulationes amicorum negantis, quidquam ex se et Agrippina, nisi detestabile, et malo publico nasci potuisse*, ut narrat idem ibid. cap. 6. Hav.

(d) *De crudelitate.* Hæc vera est et germana lectio, quam confirmat noster c. XI. *Quot tamen potiores viros apud inferos reliquistis : aliquem de sapientia Socratem, de justitia Aristidem, de militia Themistoclem, de sublimitate Alexandrum, de felicitate Polycratem, de eloquentia Demosthenem*, et aliis locis. Haud vero frustra addidit *de crudelitate*, in illa enim se ostendit portionem Neronis, in reliquis vitiis *magis homo*, ut mox subjecit. Naturam hanc ejus evidenter docet in illo muscarum captandarum horario. Suetonius cap. 3. qui etiam cap. 10. ita de eo loquitur. *Sed neque in clementiæ, neque in abstinentiæ tenore permansit : et tamen aliquanto celerius ad sævitiam descivit quam ad cupiditatem.* Et cap. 11. *Erat autem non solum magnæ sed et callidæ inopinataque sævitiæ*, etc. Hav.

(e) *Qua et homo.* Hæc est optima lectio quam editi et MSS. meliores agnoscunt, etiam L. B. cum in Fuld. sit *quia homo* et apud Rhen. *quia et homo*, minus sincere. Hanc enim scripturam confirmat ipse infra cap. 30. *Sciunt quis illis dederit imperium, sciunt qua homines.* Petron. *nam et homo sum.* Vult dicere Tertullianus Domitianum, qui non instar Neronis omnem plane humanitatem exuerat, tandem mutasse sententiam. Hav.

(f) *Restitutis etiam quos relegaverat.* Ex Egesippo (ex quo noster) pariter et Tertullianus repetit; hæc Eusebius Hist. eccl. III. 20. *Ad hæc Domitianus, cum neque in eis quicquam criminis inveniret, et utilitatem eorum cum maxime contemneret, abire eos libere jubet. Sed et persecutionem, quam adversum Ecclesias agitari jusserat, datis rursum compescuit edictis :* Hæc quidem Egesippus. Cujus verba recoquunt post Eusebium Zonaras atque Nicephorus, scribentes Domitianum κατα πεῦσαι διὰ προστάγματος τὸν κατὰ τῆς Ἐκκλησίας διωγμόν i. e. *edicto edito Ecclesiæ persecutionem repressisse.* Inter hos relegatos quoque Eusebius et ex illo Hieronymus narrant *Flaviam Domitillam Flavii Clementis Consulis ex sorore neptem in insulam Pontiam relegatam, quia se Christianam testata sit.* ad annum MMCX. de quo Flavio Clemente et ipso a Christi sacris haud aliene, patrueli vero Imperatoris nos plura ad c. XL. II. At Nervæ rectius tribuit Orosius lib. VII. cap. 7. *Hic primo edicto suo cunctos exules revocavit. Unde et Joannes Apostolus hac generali indulgentia liberatus Ephesum rediit.* Et Xiphilinus in Nerva : ὁ Νερούας τούτοις κρινομένους ἐπ' ἀσεβείᾳ ἀφεῖκε, καὶ τοὺς φεύγοντας κατήγαγε, i. e. *Nerva eos, qui rei facti erant impietatis* (intelligit Christianos, ut supra ex Dione alicubi notamus) *absolvit, exulesque restituit.* Cum itaque constet non Domitianum, sævum illum et sanguinarium, sed mitissimum senem Nervam Cocceium revocasse relegatos, non immerito summus Scaliger in N. ad. Euseb. p. 205. Tertulliani hoc σφάλμα μνημονικὸν notat, aut illorum quos sequitur : a qua culpa doctissimum Patrem liberabis, si cum Codice Vaticano totum hoc expungas. Si vero mihi aliquid deferendum, scripsit potius auctor *restituistis;* non, *restitutis :* quod sequentia confirmant: *a quibus damnatos restituere soliti estis.* Ut ita dicat Domitianum non ad finem usque æque acriter Christianos esse persecutum; imo Pop. Rom. postea reditum exulibus indulsisse. Res certe clara esset, si ita in MSS. exstaret, *sed Nerva bonus facile cœptum repressit, restitutis etiam quos relegaverat.* Ille certe laudatissimus Princeps fuit, qui cuncta in melius mutavit, placidus et mitissimus appellatus a Martiale lib. VIII. ep. 70.

Quanta quies placidi, tanta est facundia Nervæ,

et XII, 6.

Contigit Ausoniæ procerum mitissimus aulæ
Nerva, licet toto nunc Helicone frui.

Expresse *bonus Nerva* dicitur Symmacho I. 13. Ad quæ felicia tempora aspirat mente idem poeta, dum in casu columbæ quæ delapsa erat in sinum Aretullæ inter alia hæc ludit lib. VIII. 32.

Si meliora piæ fas est sperare sorori,
Et dominum mundi flectere vota valent.
Hæc a Sardois tibi forsitan exulis oris,
Fratre reversuro, nuntia venit avis. Hav.

(g) *Divinum humanumque sapientibus.* Summa laus, quam Josepho quoque Jacobi Patriarchæ filio ausus est tribuere Trogus Pompeius, nobilissimus scriptor, si ejus sunt verba, quæ leguntur apud Justinum, XXXVI. 2. *Nam et prodigiorum sagacissimus erat, et somniorum primus intelligentiam condidit, nihilque divini juris humanique ei incognitum videbatur.* Hav.

(h) *Debellatorem.* Ex opposito *protectorem* ostendit quid per *debellatorem* intelligi velit, non scil. extinctorem, sed aggressorem, persecutorem. Eodem vero

Digitized by Google

tianorum. At nos e contrario edimus protectorem, si litteræ (*a*) M. Aurelii gravissimi imperatoris requirantur, quibus (1) illam germanicam sitim (*b*) christianorum forte militum precationibus impetrato imbri discussam contestatur. Qui sicut non palam (*c*) ab ejusmodi hominibus pœnam dimovit, ita alio modo palam dispersit (*d*), adjecta etiam (*e*) accusatoribus damnatione, et quidem tetriore. Quales ergo leges istæ, quas adversus nos soli exsequuntur impii (2), injusti, turpes, truces, vani (3), dementes? quas Trajanus ex parte frustratus est vetando inquiri christianos, quas nullus Adrianus (*f*), quanquam curiositatum

LECTIONES VARIANTES.

(1) Illam *abest Paris.*
(2) Exsequuntur *Haverc.*
(3) Varii *Paris.* truces *abest Haverc.*

COMMENTARIUS.

ordine hos a Tertulliano nominatos Imperatores collocat Theodoretus, nisi quod contrario censu hos omnes persecutores Ecclesiæ vocet, quam tamen debellare et exstinguere nequiverint. Convenient autem, si dicas id, quod res est, tecte quidem omnes, non vero aperta vi, ut Nero, ut Domitianus, fuisse grassatos. Is itaque p. 126. Τῶν δὲ ἁλιέων τε καὶ τελωνῶν, etc., i. e. *At leges quas nostri piscatores et publicani, quasque sutor tentoriorum tulerunt ac promulgarunt, non Caius, non Claudius dissolvere potuerunt, nec qui eis successit Nero. hic enim tametsi duos optimos legislatores sua immanitate prostraverit; Petrum namque ac Paulum interfici jussit; at certe, quas illi promulgarunt leges, minime sustulit. Non denique Vespasianus, non Titus, non Domitianus; quanquam multis ac variis machinationibus eas oppugnare contenderit, multos enim de medio sustulit, qui se legibus illis addixerant, omne tormentorum genus contra eos intendens. Trajanus insuper atque Adrianus, magno se apparatu contra eas leges instruxerunt. Ac Trajanus quidem Persarum potentatum dissolvit, Armeniosque Romanorum fræno subjecit; Scythicas præterea nationes compulit sceptris suis parere: piscatorum tamen nostrique sutoris leges abolere non potuit. Adrianus vero, urbem Judæorum, a quibus crucifixus est Christus, totam diruit et evertit: at eos, qui in Christum crediderunt, abducere a Christi servitute non potuit.* Hav.

(a) *Litteræ M. Aurelii.* Hieronymus ad ann. Christianæ æræ CLXXIV. *Imperator Antoninus multis adversum se nascentibus bellis sæpe ipse intererat, sæpe duces nobilissimos destinebat, in quibus semel Pertinaci, et exercitui, qui cum eo in Quadorum regione pugnabat, siti oppresso, pluvia divinitus missa est: quam e contrario Germanos et Sarmatas fulmina persequerentur, et plurimos eorum interficerent. Extant litteræ M. Aurelii gravissimi Imperatoris, quibus illam Germanicam sitim Christianorum forte militum precationibus impetrato imbri discussam testatur.* Ad quem locum omnino videndus Scaliger, et judicium ejus de suppositis quæ hujus Imperatoris nomine ad finem Apologetici Justini circumferuntur. p. 222 et 223. qui et hunc Orosii locum adducit: *Extare etiam nunc apud plerosque litteræ Imperatoris Antonini ubi invocatione nominis Christi, per milites Christianos et sitim illam depulsam, et collatam fatetur fuisse victoriam.* Hav.

(b) *Germanicam sitim.* Inimicum exercitui malum, quod tamen sæpe contingit, Curtius non uno loco, Lucanus lib. IX. de exercitu Catonis in desertis Libyæ, apud quem Afranius et Petreius in Hispania ob idem infortunium castra tradere victori Cæsari coacti sunt, ut latius poeta exequitur lib. IV. Germanicæ hujus sitis, cum Marcus adversus Marcomannos copias duceret, meminit rursus Auctor in lib. ad Scapulam c. 4. *Marcus quoque Aurelius in Germanica expeditione Christianorum militum orationibus ad Deum factis, imbres in siti illa impetravit. Quomodo non geniculationibus et jejunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsæ; Tunc et populus acclamant Deo Deorum, et qui solus potens, in Jovis nomine Deo nostro testimonium reddidit.* Invidentes tamen gloriæ Christianorum gentiles, ab illis hoc decus amoliri conati sunt. Itaque moribus sanctis Aurelii ipsius tribuit in Vita ejus Capitolinus: *Fulmen de cœlo precibus suis contra hostium machinamentum extorsit, suis pluvia impetrata, quum siti laborarent.* Huc pertinet Jupiter ille Pluvius, cujus iconem ex Columna Antoniana dedimus et de quo propediem singularem Dissertationem prælo subjiciemus, quam confer, si placet (iconem hunc passim editum videas velim nempe apud Baron.). Hav.

(c) *Non palam.* Marcus Aurelius et conscientiæ suæ satisfacere et legibus nihil detrahere voluit. Itaque ne accusarentur facile, crucem delatoribus constituit, cum tamen accusatos et convictos, fidemque abnuere recusantes per leges mors certa maneret. Pessime itaque τὸ *non* sustulerunt nonnulli, ut Rhen. Huic rei valde affine est, quod occurrit in libro Esther. cap. VIII. 8. 11. in perditissimo Judæorum statu et felici exitu periculi, ut et Daniel. III. 29. Hav.

(d) *Dispersit.* Id est frustratus est, annihilavit, in ventos disjecit. Hav.

(e) *Adjecta etiam.* Exstat hujus Imperatoris rescriptum ad Asianos apud Euseb. in lib. IV. Hist. Eccl. cap. 13. quod quoniam longiusculum, inde petant studiosi, in fine hæc habentur: *Quod si quis persistit hujus modi hominibus absque ullo crimine movere negotia, ille quidem qui delatus pro hoc nomine fuerit, absolvatur, etiamsi probetur id esse quod ei objicitur, Christianus. Is autem qui crimen obtendit, reus pœna ipsius, quam objecit, existat.* Adde epistolam Adriani, quæ mox repræsentabitur. In illo Rescripto vero Aurelii falso ponitur absolutio Christiani. Ille enim non absolvebatur, si constanter fidem defenderet, sed necabatur, ut patet exemplo Apollonii apud eumdem Eusebium Hist. Eccl. v. 21. et videre est apud Heraldum, at non facile accusabatur, metuente delatore certissimam pœnam. Sed in istis Rescriptis multa fraus dominatur. Itaque, ut Plinii utar verbis ex insigni illo Panegyrico Trajano dicto: *At tu, Cæsar, quam pulchrum spectaculum nobis exhibuisti, cum contigit desuper intueri delatorum supina ora retortasque cervices. Agnoscebamus et fruebamur, cum velut piaculares publicæ sollicitudinis victimæ, supra sanguinem noxiorum ad lenta supplicia gravioresque pœnas ducerentur,* etc. Verius hic princeps quam apud Suetonium. In Cal. cap. 16. perditus ille *negavit se delatoribus aures habere.* Nam ut pulchre apud eumdem Domitianus, sed nondum efferatus, cap. 9. *Princeps, qui delatorem non castigat, irritat.* De quibus vere affirmat Tacitus esse *genus hominum publico exitio repertum, et pœnis quidem nunquam satis coercitum.* Annal. IV, 30 Hav.

(f) *Nullus Adrianus.* Hunc post Vespasianum collocat Modiana Collatio, approbante Junio. Non vero sunt divellendi, qui ab antiquitate, ut insigne bonorum par, semper fuerunt conjuncti. Gregorius Nazianzenus invectiva secunda in Julianum ait, illum Trajanos illos et Adrianos sibi proposuisse, quorum pariter et cautio in periculis vitandis et animi magnitudo in contemnendis admirationi esse solebat. πρὸς τοὺς, inquit, βλέπων ἐκείνους, καὶ τοὺς Ἀδριάνους. ὧν οὐκ ἦττον τῆς ἀνδρείας, τὸ ἀσφαλὲς ἐθαυμάζετο. Et ita passim junguntur. Metius Falconius Nicomachus in oratione ad Tacitum, Imperatorem electum: *Imitare Nervas, Trajanos, Adrianos,* apud Flavium Vopiscum in Vita Tacit. de quo et in Floriani Vita de Probo: *vir Aureliano, Trajano, Adriano, Antoninis, Alexandro, Claudioque præferendus.* Imo si Lampridio fides a sa-

Digitized by Google

omnium explorator (a), nullus Vespasianus, quanquam Judæorum debellator, nullus Pius, nullus Verus (1) impressit (b). Facilius (2) utique pessimi ab optimis quibusque, ut ab æmulis, quam a suis sociis eradicandi judicarentur.

CAPUT VI.

ARGUMENTUM. — *Quin ipsos illos legum et antiqui crepatores quam longissime a paternis institutis desciviſse, ostendit: Utpote prodigos, sumptuosos, voluptuarios, immodestos, superbos, vinosos, conjugii osores factos: qui nec in ipsis religionibus veterum decreta servarint, sed peregrinas religiones Romam advexerint, damnatasque restituerint: qui in omnibus novitati studentes, magis quam ipsi christiani, Deos suos neglexerint; quod ultimum cum latius alibi sit exsecuturus, in fine se præparat ad diluendas occultorum facinorum objectiones falsas.*

Nunc religiosissimi (c) legum et paternorum institutorum protectores (d) et cultores (3) respondeant velim de sua fide et honore et obsequio erga majorum consulta, si a nullo desciverunt, si in nullo (4) exorbitaverunt (e), si non necessaria et aptissima quæque disciplinæ oblitteraverunt. Quonam (5) illæ leges (f) abierunt sumptum et ambitionem comprimentes, quæ centum æra non amplius in cœnam subscribi jubebant, nec amplius quam unam inferri (g)

LECTIONES VARIANTES.

(1) Severus. *Paris.*
(2) Itaque *Seml.*
(3) *Herald., Rig., Haverc.* : cultores; *codd. Fuld.*, *Agob. et Lugd.* : ultores.
(4) Illo *Parisin.*
(5) Quomodo *Jun.*

COMMENTARIUS.

eris Christi non omnino abhorruit Adrianus; ut alibi in hoc Commentario ostendimus, qui et idem cum optimis principibus, ut Noster, conjungit in Heliogabalo: *compensationem sibi lector diligens faciet, quum legerit Augustum, Vespasianum, Titum, Trajanum, Adrianum, Pium, Marcum, contra hos prodigiosos tyrannos.* Rursusque Flavius Vopiscus inter acclamationes a Senatu Tacito datas et hanc numerat: *Et Trajanus ad imperium senex venit: et Adrianus ad imperium senex venit: et Antoninus ad imperium senex venit.* Sextus Aurelius Victor denique in Cocceio Nerva: *Quid enim Nerva prudentius aut moderatius? quid Trajano divinius? quid præstantius Adriano?* Quod quidem et famæ litteratissimi principis vellicatæ a nonnullis, et lectioni Tertulliani veræ fuit dandum.

HAV.

(a) *Curiositatum omnium explorator.* Quale studium in Bruto quoque laudat Appianus in extremo l. IV, ὁ μὲν Κάσσιος, etc. *Cassius quidem in unum bellum intentus, sicut gladiator in adversarium, nihil spectabat aliud: Brutus vero, ubicumque erat, visendarum rerum et audiendi fuit cupidus, quippe qui Philosophiam liberaliter attigerat.* Quæ certe curiositas Adriani observatur ab Epiphanio, in libello de Mensuris et Ponderibus, qui ubi de itineribus ejus in Syriam, Phœnicem et Palæstinam agit, illum ἄνδρα φιλοτατορα vocat. Hac voce utitur Auctor rursus lib. de Testim. Animæ cap. 1. *Nonnulli, quibus de pristina litteratura et curiositatis labor et memoriæ tenor perseveravit.* Glossæ MSS. quibus usus Barthius Advers. XIX, 1. *Curiosus, Facilis, dicax, facetus, docilis, urbanus.* quæ cuncta Adrianus. Si vero talis Adrianus, exploratam quoque habuit Christianorum religionem, quam non persequendo tacitus collaudavit. Imo si fides Orosio, aliisque lib. VII. 13. *per Quadratum discipulum Apostolorum et Aristidem Atheniensem, virum fide sapientiaque plenum, et per Granium legatum* (de quo supra) *libris de Christiana religione compositis instructus atque eruditus præcepit per epistolam, ad Minucium Fundanum Proconsulem Asiæ datam, ut nemini liceret Christianos sine objectu criminis aut probatione damnare.* HAV.

(b) *Impressit.* A re militari desumptum, ubi *impressionem facere* dicuntur cohortes; cum in hostium aciem procursant, eamque turbant. Loci apud historicos, et præcipue Cæsarem, sunt obvii. HAV.

CAP. VI.— (c) *Nunc religiosissimi.* Postquam leges ipsas ostendit pro utilitate et commodo publico corrigi, mutari, deleri, pergit, ut doceat, eas ipsas, quæ laudandæ sint, male passim observari, adeoque illos ipsos contra illas leges, quas tantopere crepent, peccare. Illud *religiosissimi* ironice pronuntiandum est, quomodo cap. IX. *religiosissimam urbem Æneadarum* vocat Romam.

(d) Nonnulli ut MS. Fuld. legunt *ultores*, et in MS. L. B. est *ut ultores*, quod dicet exsecutores pœnarum quas lex minatur. Ita ipsa lex *ulcisci* dicitur, id est punire: *nesciens quid sit quod ulciscitur lex;* atque ita videre maleficum et ultore oculo observare. Publius Syrus versu 348.

Lex videt iratum, iratus legem non videt.

(e) *Exorbitaverunt.* Commodum occurrit mihi, quod est in Plauti Trinummo IV. 3. 30.

Mores leges perduxerunt jam in potestatem suam,
Magis qui sunt obnoxiosi quam parentes liberis.
Eæ miseræ etiam ad parietem sunt fixæ clavis ferreis,
Ubi malos mores affigi nimio fuerat æquius.

Qui idem nimis lepide calidæ comparat, mox frigidæ, Curcul. IV, II. 25.

Quasi aquam ferventem frigidam esse, ita vos putatis leges.

Sensus est: leges cum primum feruntur, ut ferventem aquam timeri, post ut eamdem aquam frigere, et absque noxa transgredi. *Exorbitaverunt* vero, id est a recta via deflexerunt. Ita rursus cap. IX. *per quod exorbitare eos vultis.* et cap. XVI. *exorbitantes et ipsi a Judaico more.* et libro de Pallio cap. V. *si quid exorbitavit, reformato.* et passim. Fuit scilicet tempus, quo Florus diceret lib. II. cap. 19. *Hactenus Populus Romanus pulcher, egregius, pius, sanctus, atque magnificus.* Rhen. *exorbitarunt.*

(f) *Quoniam illæ leges.* Alludit ad leges sumptuarias, et de ambitu, quas partim retractasse, partim ex integro sanxisse Augustum Imp. testis est Suetonius in Octavio, cap. 34. Ex quibus de Licinia sive centussi satis apte Zephyrus in sua paraphrasi, sicut et de Censoria, quæ ex censura Fabricii Licinii, juxta Valer. Max., lib. II. cap. 4. decem argenti libras Senatori duntaxat concedebat, et ea qua spectacula interdicta sunt, ac de dignitatum ingenuorumque insignibus, ut pluribus non sit opus, quod ad eas 4. leges attinet. PAM.

(g) *Unam inferri gallinam.* Cum postea nec phœnicopteris sua raritas, nec psittacis imitandi ars verba nostra, nec pavoni sua pulchritudo quidquam profuerit. Quid mirum itaque, si veteribus et sanctis viris indigna romano imperio visa est Metelli luxuria? quam taxat Sallust. apud Macrob. II. Serm. 9. *epulæ vero exquisitissimæ; neque per omnem modo provinciam, sed trans maria ex Mauritania volucrum et ferarum incognita antea plura genera.* Ubi et pontificis vetus cœna vituperatur, recenseturque inter multa gulæ irritamenta gallina altilis. Videndus Suetonius de in-

Digitized by Google

gallinam, et eam non saginatam (*a*); quæ patricium (*b*), quod decem pondo argenti habuisset, pro magno titulo ambitionis senatu summovebant; quæ theatra stuprandis (*c*) moribus orientia statim de-

A struebant (*d*); quæ (1) dignitatum (*e*) et honestorum natalium insignia non temere, nec impune usurpari sinebant? Video enim et centenarias cœnas (*f*), a centenis jam sestertiis dicendas, et in lances (*g*)

LECTIONES VARIANTES.

(1) Dignitatem *Paris.*

COMMENTARIUS.

gluvie Cæsarum quorumdam. Martialis etiam. lib. XIII. Epigr. 70.

Miraris quoties gemmantes explicat alas,
Et potes hunc sævo tradere, dure, coquo.

Et Publius Syrus in magnificis illis apud Petronium versibus:

Tuo palato clausus pavo pascitur,
Plumato amictus auro Babylonico.
Gallina tibi Numidica, tibi gallus spado.
Ciconia etiam grata, peregrina, hospita,
Pietatis cultrix, gracilipes, crotalis tria,
Avis exul hiemis, titulus tepidi temporis,
Nequitiæ nidum in cacabo fecit tuo.

(a) *Non saginatam.* Cujus gulæ primus artifex Aufidius Lurco. Noster de Pallio cap. v. *qua Aufidius Lurco primus sagina corpora vitiavit, et coactis alimentis in adulterinum provexit saporem.* Itaque Martialis lib. XIII. ep. 62.

Pascitur et dulci facilis gallina farina,
Pascitur et tenebris. Ingeniosa gula est.

Docent rem Varro et Columella. Joannes etiam Sarisberiensis in Policratico, sive de Nugis Curialium, Varronis ista considerans, de temporum suorum incontinentia addit: *Nihil autem eorum luxus jam habet notam, sed est civilitatis insigne, quicquid incentivum est gulæ.* Dicitur vero Caius Annius Fannius Romæ lege prohibuisse. Temporibus vero Cæsarum pro munere habitum est; unde Vetus Inscriptio Romæ in Via Appia, quam produxit Reinesius. p. 534.

CINNAMVS
TI. CÆSARIS
AVIVM FARTOR
C. SVLPICIO NYMPHALI
FILIO FECIT.

Et apud Gruterum DLXXX. 15. cognoscitur Antigonus Drusi Cæsaris AVIUM FARTOR. Imo ad privatos hunc luxum transiisse docemur ibidem apud Reinesium XXXIII. 11. ubi L. Vavi Ambibuli memoratur AVIARIVS ALTILIARIVS.

(b) *Quæ Patricium.* Refert Valer. Max. Censorem Fabricium, Senatu movisse Cornelium Ruffinum, duobus consulatibus et dictatura speciosissima functum, quod tanquam malo exemplo luxuriosus, decem pondo vasa argentea comparasset: ad hoc exemplum adspirat Tertullianus. LAC.

(c) *Theatra stuprandis moribus orientia.* Unde *consistorium impudicitiæ* vocat lib. de Spectac. cap. XVI. et cap. X. *sacrarium Veneris.* In quæ spurca, sæva, vilia voluptatis genera acriter declamarunt scriptores Christiani. Salvianus: *In theatris nihil bonum reatu vacat, quia et concupiscentiis animus et auditu aures, et aspectu oculi polluuntur.* Cyprianus Ep. II. Ad Donatum: *Deinde morum quanta labes? quæ probrorum fomenta? quæ alimenta vitiorum? histrionis gestibus inquinari.* Joannes Chrysostomus in Cap. Matthæi X. Hom. XXXIX. *Malefici autem nonne a theatralibus ludis multi constituuntur? Nam ut universum populum ad hæc possint inflammare, ut tripudiantes suas consequantur voluptates, ut modestas mulieres meretricibus commixtas corrumpant, ad tantum maleficii genus perveniunt, ut nec ab ossibus quidem mortuorum abstineant. Quid dicam, quod ad diabolicas has sodalitates innumeras multi consumunt pecunias? quid de lascivia; quid de aliis malis? Animadvertis te illum esse, qui universam vitam hominum evertis, cum ad hæc cæteros trahis, non me qui hujuscemodi omnes ludos omittendos censeo.* Revera enim pestis hæc et interitus bene moratæ Reipublicæ, ut bene notat Zosimus in Theodosio: *tantum,* inquit, *complures in Urbe mimi ridiculorum, et quidquid ad obscœnitatem et flagitiosam dissolutamque musicam pertinet, ac tantum ad corruptelam præcipitavit, ideo in Repub. quod essent, qui horum dementiam imitarentur.* Facinus enim illos, quos inquinat, æquat, et *parem noxam contrahunt aures et linguæ* secundum Lactantium, scilicet ut definit Apuleius lib. ult. Miles. *Quod facere vetitum est, idem et adspicere vetitum est. Peccare videlicet et peccato favere perinde est.* Ideo noster Tertull. qui in lib. de Spect. *eodem facinore obstrictum spectatorem cum actore* dicit, ita de carcere loquitur in lib. Ad Martyr. cap. II. *Non vides alienos Deos, non imaginibus eorum incurris, non solemnes nationum dies ipsa commixtione participas, non nidoribus spurcis verberaris, non clamoribus spectaculorum, atrocitate vel furore, vel impudicitia celebrantium cœderis: non in loca libidinum publicarum oculi tui impingunt: vacas a scandalis, a tentationibus, a recordationibus malis.* Quæ ipsa ante oculos habuit Chrysost. cum dixit Hom. LXII. ad Pop. Antioch. *In theatro autem omnia contraria, risus, ineptitudo, diabolicus fastus, effusio, temporis impendium, et superflua dierumconsumptio, malæ cupiditatis inductio, adulterii meditatio, fornicationis gymnasium, intemperantiæ schola, turpitudinis exhortatio, risus materia, inhonestatis exempla.* HAV.

(d) *Statim destruebant.* Tertull. de Spect. cap. X. *Hoc denique modo id genus operis in sæculo evasit. Nam sæpe censores renascentia cum maxime theatra destruebant, moribus consulentes, quorum scilicet periculum ingens de lascivia providebant; ut jam hinc ethnicis in testimonium cedat sententia ipsorum nobiscum faciens, et nobis in exaggerationem disciplinæ etiam humanæ prærogativa. Itaque Pompeius Magnus, solo theatro suo minor, cum illam arcem omnium turpitudinum extruxisset, veritus quandoque memoriæ suæ censoriam animadversionem, Veneris ædem superposuit, et ad dedicationem edicto populum vocans, non theatrum, sed Veneris templum nuncupavit, cui subjecimus, inquit, gradus spectaculorum: ita damnatum et damnandum opus templi titulo prætexuit, et disciplinam superstitione delusit.* Et Augustinus de Civ. Dei, II 13. laudans veterem Romam, addit: *Illas theatrales artes diu virtus romana non noverat, quæ etsi ad oblectamentum voluptatis humanæ quærerentur, et vitio morum irreperent humanorum, Dii sibi eas exhiberi petiverunt.* Quid igitur fecerunt Christiani? Audi Joannem Chrysostomum in cap. Matth. X. Hom. 39. *Diruemus igitur omnium loca ludorum, inquies? Utinam jam diruta essent, quamvis, quantum ad nos attinet, jampridem desolata jacent. Nihil tamen facere horum vos jubeo, quippe cum ædificiorum magnificentia permanere possit, et ludi et tripudia omnino cessare: quod majori vobis laudi erit, quam si cuncta funditus everteretis.* HAV.

(e) *Quæ dignitatum.* Erant enim apud veteres Romanos, non modo ingenuorum, quæ enumerat Zephyr. sed etiam consularia, senatoria, quæstoria, et equestria insignia, de quibus late tractat Pet. Faber præses Tolosanus Semestr., lib. II, cap. 6. ac 22. usque ad 129, et præsertim de annulis aureis, quos jam a tempore Augusti libertinis concedi cœptos tradit. PAM.

(f) *Centenarias cœnas.* Sumptuosissimas, ut in quibus tot sestertia quam olim æra consumebantur. Ita vero in lib. De Corona Militis rosas centum folia habentes vocat *centenarias* cap. XIV. *centenariis quoque vosis ex horto Midæ lectis.* Ita in lib. de Pallio *centenarium pondus.* Adde Salm. de Fœn. Trapez. p. 641. HAV.

(g) *In lances.* Cujus luxuriæ meminit cap. v. de

Digitized by Google

(parum est (1) [enim] si senatorum et (2) non libertinorum (*a*) vel adhuc flagra rumpentium) (*b*) argentaria metalla producta. Video et theatra nec singula satis esse, nec nuda (*c*). Nam ne vel hieme voluptas impudica frigeret, primi Lacedæmonii (*d*) odium penulæ (*e*) ludis (3) excogitaverunt. Video et inter matronas atque prostibulas nullum de habitu discrimen relictum. Circa feminas quidem etiam illa majorum instituta ceciderunt, quæ modestiæ, quæ sobrietati patrocinabantur, cum aurum nulla (4) norat (*f*), præter unico digito (5), quem sponsus oppignerasset pronubo annulo; cum mulieres usque adeo a vino (6) abstinerent (*g*) ut matronam ob resi-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Etiam *Jun.*
(2) Et *delet Jun.*
(3) *Sic Rig. et Hav. e cod. Fuld.; Her., Semi: aliique:* Lacedæmonii penulam, etc.; *Rhen.* penulam nudis, etc.
(4) *Rhenanus:* cum aurum nulla membra norant præter unicum digitum, quem, etc.
(5) Unicum digitum *Par.*
(6) Abstinerent *Par.*

COMMENTARIUS.

Pallio: *item quas lances centenarii ponderis Sulla molitur!* et de Anima cap. XXXIII. *quod lancibus splendidissimis Sullanis effertur.* Imo Maximini Imperatoris temporibus celebratissimam istiusmodi lancem adhuc superfuisse docet Trebellius Pollio in familia Censorinorum vel Pisonum, ubi de Calphurnia Titi tyranni uxore agit: *Hæc uniones Cleopatranas habuisse perhibetur: hæc lancem centum librarum argenti, cujus plerique poetæ meminerunt, in qua majorum ejus expressa ostenditur historia.* Sed maxime tangit animum Juvenalis acre ingenium, graphice describentis lancem vel patinam potius Domitiani, ingentis rhombi capacem. Is Sat. IV. 130.

Quidnam igitur censes? conciditur? Absit ab illo
Dedecus hoc, Montanus ait. Testæ alta paretur,
Quæ tenui muro spatiosum colligat orbem.
Debetur magnus patinæ subitusque Prometheus.
Argillam atque rotam citius properate: sed ex hoc
Tempore jam, Cæsar, figuli tua castra sequantur,

Hic est rhombus ille, ad quem alludit Martialis lib. XIII. ep. 81.

Quamvis lata gerat patella rhombum
Rhombus latior est tamen patella. HAV.

(a) *Libertinorum.* Inter quos excelluerunt Pompeiani et Claudiani. De Pallio cap. V. *Vereor sane ne parva sit iste trutina, cum Drusillanus, equidem servus Claudii, quinquenariam promulsidem ædificat, supra scriptis fortasse mensis necessariam, cui si officina exstructa est, debuit et triclinium.* Rhen. legit *parum est enim*, addito *enim*.

(b) *Vel adhuc flagra rumpentium.* Nuperam admodum servitutem significat, in quorum tergis vestigia recentia exstent disruptorum in cædendo flagellorum. Quos lepide *hesternos Quirites* vocat Persius Sat. III. 106.

At illum
Hesterni capite induto subiere Quirites.

Ubi vetus Scoliastes: *Hesterni: a defuncto pridie manumissi, liberti et cives Romani facti.* Quia vero hic cibus fere atque potus erat miserrimæ conditionis hominibus, inde servi dicti *plagipatidæ* et *flagitribæ* Plauto Mostell. II, 9, et Pseud. I, II, 5. Iidem apud Juvenalem Sat. VI. versu 378.

Hic frangit ferulas, rubet ille flagello.

De mulieribus quoque servorum amore captis Chrysis ancilla Circes ad Eumolpum apud Petronium: *Viderint matronæ, quæ flagellorum vestigia oscillantur.* Sed imprimis luculentus est locus apud Eunapium in Vita Ædesii, ubi irridet anxiam illam veterum Christianorum curam in sanctorum mortuorum reliquiis sibi conquirendis, pag. 65. *Ii namque*, inquit, *condita et salita eorum capita, qui ob scelerum multitudinem a judicibus extremo supplicio fuerant affecti, pro Divis ostendebant: iis genua submittebant, eos in Deorum numerum receptabant, ad illorum sepulcra pulvere sordibusque conspurcati: in his nonnulli martyres, diaconi alii, et legati arbitrique precum apud Deos nominabantur.* ἀνδράποδα δεδουλευκότα κακῶς, καὶ μάστιξι καταδεδαπανημένα, καὶ τὰς τῆς μοχθηρίας ὠτειλὰς ἐν τοῖς εἰδώλοις φέροντα, ἀλλ' ὅμως ἡ γῆ φέρει τούτους τοὺς θεούς. i. e. *cum fuerint servilia infida et flagris pessime subacta, et quæ cicatrices scelerum ac nequitiæ vestigia corporibus circumferunt: ejusmodi tamen Deos fert tellus.* HAV.

(c) *Nec nuda.* Ut plurimum theatra sine tecto et nuda fuere: quare velis et carbasis tegi necesse fuit, ad arcendum vel frigus, vel calorem. LAC.

(d) *Primi Lacædemonii odium penulæ ludis excogitaverunt.* Lacædemonii dura et bellica gens, ad militares potius expeditiones etiam hieme obeundas, quam ad ludos aut theatra, penulas graves ac præ pondere odiosas excogitassent. Itaque Tertullianus ridendo dicit, *Nam ne vel hieme voluptas impudica frigeret, primi Lacædemonii odium penulæ ludis excogitaverunt.* Odium penulæ, ut initio libri de Corona, *Gravissimas penulas posuit, revelari auspicatus.* Etiam gausapinas illas ponderosas fuisse, innuunt illa Martialis XIII, 145. Lemmata Penulæ gausapinæ. Is mihi candor inest, villorum gratia tanta est; Ut me vel media sumere messe velis. RIG.

(e) *Odium penulæ.* Cum ironia pronuntianda hæc omnia, habent enim cuncta suam emphasim. Hanc vero lectionem primus ex præstantissimo MS. Fuld. revocavit Rigalt. reliqui enim omnes et edit *penulam*, nonnulli etiam *penulam nudis* ut MS. L. B. et Rhen. ridicule. Elegante *odium penulæ* etiam dicit pro penula odiosa, et quia gravis materia crassa et pondere, et quia nova Romanis moribus. Tempore Augusti nondum invaluisse ostendit Suetonius, ubi de Claudio cap. 11. *Ob hanc eamdem valetudinem et gladiatorio munere, quod simul cum fratre memoriæ patris edebat, palliolatus novo more præsedit.* De usu penulæ hoc Martialis XIV, 137.

Amphitheatrales nos commendamur ad usus,
Cum tegit algentes nostra lacerna togas.

(f) *Aurum nulla norat.* Atqui pronubus ille annulus ex ferro erat, ut docet Plinius XXX. I. hoccine ignoravit Tertullianus, an pro ævi sui more locutus est? ut putat Kippingius Antiq. Rom. IV. 2. an potius male intellexerunt Plinium, qui non de annulo pronubo est locutus, sed de symbolo frugalitatis et modestiæ, qua ad veteres illas horridasque Sabinas sponsa seu nova nupta revocaretur. Rhenani editiones ita legunt, *cum aurum nulla membra norant præter unicum digitum*, quem, etc.

(g) *A vino abstinerentur.* Ita reposui ex MS. Fuld. cui lectioni succinit MS. L. B. in quo ut et apud Herald. *vino obstinerentur.* Quomodo etiam Rigalt. sed non in omnibus editionibus: memini enim me in aliqua Prioriana invenisse *vino abstinerent*, quomodo passim reliquæ editiones. Sed optime Fuldanus, ita enim Theodorus Priscianus medicus et archiater lib. II. cap. 40. *ab omnibus carnosis sibi et multum nutrientibus abstinendi sunt, ab odoribus bonis vel thymiamatibus, ab aspectu vel commotione pulchrarum penitus figurarum, ut neque tangendi neque visendi eis copia præbeatur.* Amavit novitatem hanc passivorum Tertullianus, ut clare in lib. Ad Nat. I. 12. *in marmor, in lutum, vel æs, vel quodcumque placuit Deum fieri, transmigratur.* Hoc etiam libro cap. IX. *sed et nunc in occulto persevera-*

Digitized by Google

gnatos (*a*) cellæ vinariæ loculos sui inedia necarint. Sub Romulo vero quæ vinum attigerat, impune a Mecenio (*b*) marito trucidata est (1). Idcirco et oscula propinquis (2) offerre necessitas erat, ut spiritu judicarentur (3). Ubi est illa felicitas matrimoniorum de moribus utique prosperata, qua per annos (*c*) ferme sexcentos ab Urbe condita nulla repudium dotem scripsit? At nunc in fœminis præ auro (*d*) nullum leve est membrum; præ vino nullum liberum est osculum (*e*); repudium vero jam et votum est, quasi matrimonii fructus (*f*). Etiam circa ipsos deos vestros quæ prospecte (4) decreverant patres vestri, iidem vos obsequentissimi rescidistis. Liberum patrem cum mysteriis (5) suis consules senatus

LECTIONES VARIANTES.

(1) Est *Paris.*
(2) Etiam *add. Fran.*
(3) Indicarentur *Fr.*
(4) *Rhen.*: perspecte. *Rig., Hav., Seml.*: prospecte, *cod. Fuld.* specte.
(5) Suis *delet Parisin.*

COMMENTARIUS.

tur hoc sacrum facinus. Ita et *abstinere* aliquos dixerunt. Martial. lib. IX. ep. 87.

Languidior noster si quando Paulus. Athini est,
Non se convivas abstinet ille suos.

(a) *Resignatos.* Id est apertos. effractos, Sera enim non tantum, sed et sigillo muniebant cellas in quibus vina atque esculenta condiebant, quo de more elegantem lusum legere est alicubi de Pyrrhonio philosopho, qui cum obsignata janua clavem et annulum per foramen intus jacere solitus esset, servus ejus hoc more observato, semper inde quantum libebat rapiebat, rejecto intus annulo, mira interim arte deludens herum, qui secundum suæ sectæ opinionem nihil pro certo credere tenebatur. Utitur hoc verbo Adv. Marcion. cap. XXVIII. *signat igitur hominem nunquam apud se resignatum.*

(b) *Mecenio marito.* Egnatio Metello adscribit et fuste necasse narrat Valerius Maximus VI. III. 9. Sed Mecennio constanter Plinius lib. XIV. cap. 13. et quidem Egnatio vindicat, quem fuste etiam uxorem interfecisse narrat, ut, quum de uno eodemque homine hisce tribus sermo sit, videatur Plinio magis et Tertulliano adhærendum, vitiatosque esse MSS. Valerii, prout hic in MS. L. B. in Tertull. legitur *Metenino*, pariter mendose. At quid si illud Clodii succurrisset, in ipsam Deam Fatuam, sive Bonam Deam, quod notavit nobis Lactantius Inst. Div. 1. 22. *Sextus Clodius in eo libro, quem Græce scripsit, refert Fauni hanc uxorem fuisse; quæ quia contra morem decusque regium clam vini ollam ebiberat, et ebria facta erat, virgis myrteis a viro usque ad mortem cæsa: postea vero cum eum facti sui pœniteret, et desiderium ejus ferre non posset, divinum illi honorem detulisse, idcirco in sacris ejus obvolutam vini amphoram poni.* MS. L. B. *a Metenino marito;* Barr. *Mecennio.* Attigit exemplum hoc Varro in lib. de Vita Pop. Rom. ut hoc docet fragmentum: *Quantopere abstemias mulieres voluerint esse, vel ex uno exemplo potest videri.*

(c) *Qua per annos.* Carbilius Spurius primus uxorem suam ob sterilitatem dimisit, cum per 520. annos ab Urbe condita inauditum illud fuisset. LE PR.

(d) *Præ auro nullum leve est membrum.* Ut appareat quasi triumphata aliqua Zenobia, quæ in pompam Romæ producebatur ita ut *ornamentorum onere laboraret*, prout de illa scribit Trebellius Pollio, utique sæpe totum patrimonium majorum, minimis corporis partibus gestet. Splendide Tertullianus describit de Hab. Muliebri cap. IX. *Saltus et insulas tenera cervix fert. Graciles aurium cutes kalendarium expendunt, et sinistra per singulos digitos de saccis singulis ludit. Hæ sunt vires ambitionis, tantarum usurarum substantiam uno et muliebri corpusculo bajulare.* Hisce itaque rebus cum obnoxius sit mulierum animus, ita in illas invehitur Cato apud Livium lib. XXXIV. *Quid honestum dictu saltem seditioni prætenditur muliebri? ut auro et purpura fulgeamus inquiunt*, et mox: *ne ullus modus sumptibus nec luxuriæ sit.* In quibus idem ferendum censet ibidem L. Valerius: *Munditiæ, et ornatus, et cultus, hæc fœminarum insignia sunt: his gaudent et gloriantur, hunc mundum muliebrem appellarunt majores nostri.* Irridet nimias Gregorius Nazianz. Adv. mulieres, nihil venustatis accedere affirmans, quod Manus ac pedes aureo vinculo constringant, serviliquc gloria fruantur. Docente Paulo I. ad Timoth. II. 9. cultum fœminarum spectabilem esse ἐν καταστολῇ κοσμίῳ, μετὰ αἰδοῦς καὶ σωφροσύνης κοσμεῖν ἑαυτὰς, μὴ ἐν πλέγμασιν, ἢ χρυσῷ, ἢ μαργαρίταις. Unde, ut christianis præsertim indecora, execratur illa ornamenta Zeno Martyr, Serm. II. de Avar. *Ancilla Christi falsum idolum respuis? Mihi crede, in te colis, cujus ornatum, cujus imaginem non deponit. Ad Ecclesiam Dei opere vario totum inaurata corpus, execrabili metallo procedis onusta, ubique delicata, sub molibus fortis* (ita corrigo pro eo quod in meo est *mollibus*, id enim sequentia satis evincunt) *deque ipso cultus rigore in oratione non flecteris: non manus tendis: tumidum monilibus pectus prosternere dedignaris: sane cervicem curvas non religione, sed pondere, quando ἐξομολόγησιν facies, quæ plus pro ornatu es, quam pro salute sollicita?* Et tamen vecordia hæc viros quoque incessit. prout Micyllus de se apud Lucianum in Gallo p. 245. ἐγὼ δὲ, τὴν ἐσθῆτα τὴν ἐκείνου ἔχων, καὶ δακτυλίους βαρεῖς, ὅσον, ἑκκαίδεκα ἐξημμένους, τῶν δακτύλων. i. e. *Me interim illius veste amictum, annulosque graves, circiter sexdecim digitis insertos, gerentem.* Imo annuli cuderentur leviores et graviores, æstivi et hyemales.

(e) *Præ vino nullum liberum est osculum.* Quod quam turpe in muliere eloquentissime exequitur Chrysostomus Hom. XXVII. ad cap. XIII. Act. Apostol. *Nihil fœdius muliere quæ in deliciis agit, nihil turpius ea quæ ebria est: obscuratur illi flos visus, turbatur serenitas et puritas oculorum, quasi nube quadam radiis solaribus succedente. Opus illiberale ac servile, et omni ignobilitate plenum. Quam insuavis est mulier vinum spirans, quod olet ac corruptum est, dum eructat carnium corruptarum humorem, gravata et excitari non valens, rubicunda quam opus, plena oscitatione et magna nebula.* Quæ totidem verbis invenias in excerpta inde homilia LIV. ad Pop. Antioch. Vere certe Valerius Maximus VI, III. 9. *Et sane quæcunque fœmina vini usum immoderate appetit, omnibus et virtutibus januam claudit, et deliciis aperit.* Nam Luciano etiam auctore de Dea Syria p. 892. Ἅμα δὲ οἴνῳ, etc., i. e. *Pariter cum vino ingrediente et loquendi fiducia accedit: nec admodum turpe est non impetrasse, sed eorum quæ aguntur singula oblivioni traduntur.*

(f) *Repudium vero jam.* Mirum ni ad illa Senecæ aspiraverit lib. III. De Benefic. c. 16. *Nunquid jam ulla repudio erubescit, postquam illustres quædam ac nobiles fœminæ, non Consulum numero, sed maritorum annos suos computant, et exeunt matrimonii caussa, nubunt repudii.*

Sic fiunt octo mariti,
Quinque per autumnos.

inquit Juvenalis VI. 20. Imo judicio Martialis VI. 7.

Toties quæ nubit, adultera lege est.
Offendor mœcha simpliciter minus.

Sed ita apud gentes olim

Lusus erat sacræ connubia fallere tædæ.

Digitized by Google

auctoritate non modo urbe, sed universa Italia elimi- A verant. Serapidem et Isidem et Harpocratem (*a*) cum suo Cynocephalo (*b*), Capitolio prohibitos (*c*) [inferri], id est curia deorum pulsos, Piso et Gabinius consules, non utique christiani, eversis (*d*) etiam aris eorum abdicavêrant, turpium et otiosarum superstitionum vitia cohibentes. His vos restitutis (*e*) summam majestatem contulistis. Ubi religio, ubi veneratio majoribus debita a vobis? Habitu, victu, instructu (*f*), sensu (1), ipso denique sermone proavis renuntiastis. Laudatis semper antiquitatem, et (2) nove de die vivitis. Per quod ostenditur, dum a bonis majorum institutis decceditis, ea vos retinere et custodire, quæ non debuistis, cum quæ debuistis non custodistis (3). Ipsum adhuc quod videmini fidelissime tueri a patribus traditum, in quo principaliter B reos transgressionis Christianos destinatis, studium dico deorum colendorum, de quo maxime erravit (4) antiquitas, licet Serapidi (*g*) jam-Romano aras restruxeritis, licet Baccho jam-Italico furias vestras immolaritis, suo loco ostendam proinde despici (5) et negligi et destrui a vobis adversus majorum auctoritatem. Nunc enim ad illam occultorum facinorum infamiam respondebo, ut viam mihi ad manifestiora purgem (6).

CAPUT VII.

ARGUMENTUM. — *Itaque provocat illos, ut quos gravissimorum criminum reos putant, infanticidas, puerorum voratores, incestos denique, probent, neque famæ, cujus origo sæpe mendax, et rumor incertus, amplius inconsiderate credant.*

Dicimur sceleratissimi de sacramento infanticidii, et pabulo (7) inde (8) (*h*), et post convivium

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Sic libri mss. omnes, Rig.* : censu ; et *addit Paris.*
(2) Antiquos, sed *Rig.*
(3) Custoditis *Haverc.*
(4) Curavit *Jun.*
(5) Perinde *Paris.*
(6) Ut viam mihi ad manifestoria purgem *Jun. ex MS. Haverc.* — *Ita e codd. locum restituerunt Herald., Rig., Hav. all. Edd. vett.* : ut jam inde ad manifestiora pergam.
(7) De *Jun.*
(8) *Rhen.* : pabulo crudæ.

COMMENTARIUS.

ut est apud Martial. VI, 2. At ut vere aureus noster Publius versu 425.

Mulier quæ multis nubit, multis non placet.

(a) *Serapidem et Isidem et Harpocratem.* Prius illud *et* delent MS. Fuld. et editio Barræi. Hæc peregrina numina conjuncta hoc modo apparent in gemmis apud Gorlæum tom. II. num. 468, et 470. Et duo priora C ibidem num. 466.

(b) *Cynocephalo.* Qui passim in gemmis, marmoribus et nummis adjungitur Isidi.

(c) *Capitolio prohibitos inferri.* Templis extra pomœria positis. Dio Cassius lib. XL. καὶ ὅτι γε, etc., i. e. *Ubi ea sententia obtinuit, ut publice jam coli inciperent, extra pomœrium eos deos collocaverunt.* Unde de Serapid. Avienus apud Macrobium lib. I. cap. 7. *ægre a vobis admissum audio. Inferri* vero deest in lib. Ad Nat. I. 10. ut et hic in MS. Fuld. et abesse potest. Omnino vide hic Gothofredi notam ad lib. Ad Nationes.

(d) *Eversis etiam aris eorum.* Quod plus semel accidit. Dio Cassius loco memorato: τοὺς γὰρ ναοὺς αὐτῶν, etc., i. e. *Eorum divorum fana, quæ privatim nonnulli exstruxerant, senatus demoliri jussit, quod eos non magnopere inter numina numerabat.* Idem lib. XLII. ἔδοξε γνώμῃ, etc., i. e. *Itaque aruspices omnia templa Isidis Serapidisque demoliri jusserunt.* Valerius Max. I. III. 3. L. *Æmilius Paulus Consul, cum Senatus Isidis et Serapidis fana diruenda censuisset, eaque nemo opificum attingere auderet : posita prætexta securim arripuit, templique ejus foribus affixit.*

(e) *His vos restitutis.* Meminit Augustin. de Civ. Dei II, 14. *Certe vel Priapo vel alicui Cynocephalo : postremo vel Febri, quæ Romani numina partim peregrina receperunt, partim sua propria sacraverunt.* Factum id temporibus Cæsaris, ut notat Dio lib. XLVII. καὶ νεὼν τῷ τε Σεράπιδι, καὶ τῇ Ἴσιδι ἐψηφίσαντο; i. e. *templum Serapidi Isidique decreverunt.* Multa ibi nefaria Ovid. de Arte I. 77.

Neu fuge Niliacæ Memphitica sacra juvencæ,
Multas illa facit, quod fuit ipsa Jovi.

Et III. 635.

Cum sedeat Phariæ sistris operata Juvencæ,
Quoque sui comites ire vetentur, eat.

Indignabundus itaque Lucanus VII. 83. ad Ægyptum:

Nos in templa tuam Romana recepimus Isim :
Semideosque canes, et sistra jubentia luctus :
Et quem tu plangeus hominem testaris Osirim.

ubi secundo versu potius legerim, *semicanesque deos.* Nescio an Ovidius de Pane,

Semideusque caper, semicaperque Deus.

De Minotauro certe II. *de Arte Amandi*, 24.

Dædalus ut clausit conceptum crimine matris
Semibovemque virum, semivirumque bovem.

(f) *Instructu.* Intelligit splendidum apparatum et instrumentum domesticum invidiosum. Isidorus Orig. V. 25. *Instructum, quod per instrumentum efficitur : ut baculus, codex, tabula.* Barræus et Rhen. *et instructu.*

(g) *Serapidi jam-Romano.* Ita restituendus est nativus antiquitatis splendor Auctori nostro, quod et supra docui : lege mox, ut editum, *jam-Italico.* Eleganter Lucanus lib. I. 63. ad Neronem :

Sed mihi jam-Numen :

et lib. IX. 158. ferox Pompeius patrios ulturus cineres, minatur in hæc verba :

Evolvam busto Numen-jam Gentibus Isim;

ita enim hi loci sunt corrigendi et passim multi alii eodem modo apud omnes veteres scriptores. Seneca quoque Tragicus in Hercule furente versu 2. *semper-* D *alienum Jovem.* Huc spectat, quod de Adriano refert in Vita ejus Spartianus : *sacra Romana diligentissime curavit : peregrina contempsit.* Contra ac idem de Bassiano Caracallo, in Vita ejus : *Sacra Isidis Romam deportavit, et templa ubique magnifica eidem deæ fecit. Sacra etiam majore reverentia celebravit, quam ante celebrabantur. In quo quidem mihi mirum videtur, quemadmodum sacra Isidis primum per hunc Romam venisse dicantur, quum Antoninus Commodus ita ea celebraverit, ut et Anubin portaret, et pausa cederet : nisi forte iste addidit celebritati, non eam primus invexit.* Et Lampridius item de Alexandro Severo: *Isim et Serapim decenter ornavit additis signis et deliciis, et omnibus mysticis.*

CAP. VII.— (h) *Et pabulo inde.* In quibusdam libris legitur, *Et pabulo crudæ*, quasi objectum fuerit christianis, crudas infantis jugulati carnes pabulo fuisse, quod quidem significare videtur ipse Tertullianus lib. I. ad Nationes, cum ait: *Quis unquam tamen semeso puero su*

Digitized by Google

incesto, quod eversores (*a*) luminum canes, lenones scilicet, tenebrarum et libidinum impiarum (1) inverecundia (*b*) procurent (2). Dicimur tamen semper, nec vos quod tam diu dicimur eruere curatis. Ergo aut eruite, si creditis, aut nolite credere, qui non eruistis. De vestra vobis dissimulatione præscribitur, non esse, quod nec ipsi audetis eruere. Longe aliud munus carnifici in Christianos imperatis, non ut dicant quæ faciunt, sed ut negent (*c*) quod sunt. Census (*d*) istius disciplinæ, ut jam edidimus, a Tiberio est. Cum odio sui cœpit veritas, simul atque apparuit, inimica esse (*e*). Tot hostes ejus, quot A extranei, et quidem proprii (3) ex æmulatione Judæi, ex concussione milites (*f*), ex natura ipsi etiam domestici nostri (*g*). Quotidie obsidemur, quotidie prodimur, in ipsis plurimum cœtibus et congregationibus nostris opprimimur. Quis unquam taliter vagienti infanti supervenit? Quis cruenta, ut inveneral, Cyclopum et Sirenum (4) ora (*h*) judici reseravit (5)? Quis vel in uxoribus aliqua immunda (6) vestigia deprehendit? Quis talia facinora, cum invenisset, celavit, aut vendidit (*i*) ipsos trahens homines (7). Si semper latemus, quando proditum est quod admittimus? Imo a quibus prodi potuit? Ab ipsis enim

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Rigalt. e Ms. emendavit* ; tenebras, tum et libidinum impiarum inverecundiam procurent. — Impiarum *delet Jun.*

(2) Tenebras, tum et libidinum imp. inverecundiam p. *Wmuver. Haverc.*

(3) Proprie *Par.*

(4) Sirenarum *Paris.*

(5) *Codd. Agob. et Lugd.* judicium reservavit; Her., *Rig. et Hav.* judici reservavit ; *Rhen.* judicium reservavit; *Gangnæus et Seml.* judici reseravit.

(6) *Forte :* aliqua unquam *Haverc.*

(7) Vendens *Paris.*

COMMENTARIUS.

pervenit? Hic tamen tantum de sanguinis pabulo, et pane quo sanguinis jurulentia colligatur, nec inter illa quæ subjungit patris sacrorum dictata, de crudis carnibus vorandis quicquam : nec ibidem etiam, in illo ad Nationes ; sed panis qui in sanguine infringitur, et sanguis in quo panis satiatur. Imo ad convincendos Christianos produci debuisse ait non solum infantarios, sed et coquos. Producerentur, inquit, infantarii et coqui, ipsi canes pronubi ; emendata res esset. Ric.

(a) *Eversores luminum canes.* Quibus putabant annexa candelabra, quæ, saltu illis in objecta ossa se proripientibus, evertebantur. Vide cap. sequens. Apud posterioris ævi christianos leginus candelas projectas et extinctas in excommunicationibus, prout multis illustrat Dom. Du Cange in gloss. mediæ et inf. Latinitatis. Sed hunc morem Tertulliani ævo non puto fuisse in usu.

(b) *Inverecundiam procurent.* Lucianus in Lapithis : ἀλλὰ πολλὰ ἐπράχθη, καὶ δεινὰ ἐν τῷ σκότῳ, etc., i. e. *et multa ac gravia in tenebris commissa sunt. Et cum tandem aliquis lucernam afferret, deprehensus est Alcidamas* (erat verò ille philosophus Cynicus) *quidem tibicinæ vestem attollens, et per vim cum ea congredi properans.*

(c) *Ut negent quod sunt.* Atqui, inquit, Tertullianus, ne objiciatis, confessos turpitudinem suam damnari Christianos; adeo illud falsum est, ut cogatis tormentis negare hoc nomen, quod si sceleris participes, omnibus modis extorquenda erat ejus confessio. Cyprianus Septimii magistri sui vestigiis insistens ad Demetrianum p. 256. *Torquentur rei, qui se negant crimine, quo accusantur, teneri, ut facinoris veritas, quæ indice voce non promitur, dolore corporis exprimatur. Nunc vero, cum sponte profiteor ac clamem, et crebris ac repetitis identidem vocibus christianum me esse contester, quid tormenta adhibes confitenti. Torqueri debui, si negarem.* Hav.

(d) *Census istius d.* Origo, æstimatio, professio, et sic sæpe Noster. Lege c. v.

(e) *Cum odio sui*, etc. Sensus est : veritas, simul atque apparuit, cœpit cum odio sui et inimica fuit. Odio itaque non tantum habent, sed ut hostes etiam persequuntur. Junius ita distinguit, *a Tiberio est cum odio sui ;* Coll. Mod. *cum odio sui cœpit simul veritas atque inimica est.* Barræus, *cepit veritas : simul atque apparuit esse.* Membranæ Lugd. Bat. *a Tiberio ;* delet τό *est. Cum odio sui cœpit simul veritas, atque apparuit inimica est.* Lego *Cum odio suo cœpit veritas : simul atque apparuit, inimica est ;* i. e. quamprimum apparuit. Potest et sic distingui *cum odio sui cœpit* sc. disciplina *veritas simul atque apparuit, inimica est.*

(f) *Ex concussione milites.* Qui gratum se facere arbitrati imperatoribus suis commilitones suos tradunt, produnt, et deferunt. Ita rursus *concussoris* vocabulo utitur de Fuga in perseq. c. XII. *Quid enim dicit ille concussor? Da mihi pecuniam. Certe ne eum tradat.* Et ibid. c. XIII. *dum scias verisimile non esse, ut concussores nostri in amicitiam redacti per mammonam, recipiant tunc nos in tabernacula æterna.* Item ut hic *concussionis*, ad Scapulam c. IV. *Pudens etiam missum ad se christianum, in elogio concussione ejus intellecta, dimisit, scisso eodem elogio.* Florus quoque lib. III in epitome belli Jugurthini : *Atqui non leviter se Numidia concussit.* Et Flavius Vopiscus in Tacito imp. *Hac oratione et Tacitus ipse vehementer est motus, et totus Senatorius ordo concussus.* Imo ipse Sallustius Catil. c. XXII. *quod factum primo populares conjurationis concusserat.* Ita æmulatione pro *odio* est usus, ut supra declaratum. Pro *quot extranei*, Mod. Coll. habet *tot extr.* manifesto vitio. Hav.

(g) *Ex natura.* Naturali simultate, quæ illis nobiscum est innata. Zephyrus. Nam certe servus erepta libertate invitis domino passim et malevolo in illum animo concipitur. *Naturale est enim et odisse, quem timeas, et quem metueris infestare, si possis*, inquit Minucius Felix p. 51. edit. Ouzelianæ. Quod ante illum olim dixerat Seneca IV. De benef. 19. *Nec quisquam amat quos timet.* Videri potest respexisse ad illud Servatoris nostri effatum, quo sortem Evangelii ostendit, Matth. X. 36. Καὶ ἐχθροὶ τοῦ ἀνθρώπου οἱ οἰκιακοὶ αὐτου. Pertinent huc etiam verba Chrysostomi, Homilia de SS. Bernice et Prosdoce, quas ipse pater una cum uxore sua illarum matre Domnina prodidit. Verba ejus sunt : *Duplex enim erat hoc bellum* (loquitur de statu Ecclesiæ) : *unum quidem intus, alterum vero foris exortum ; hoc a domesticis, illud ab hostibus ; unum ab alienis, a familiaribus illatum alterum*, etc.

(h) *Reservavit.* Ita MS. Putean. et Coll. Mod. quam veram esse lectionem docent illa præcedentia : *cruenta ut inveneral ;* quamvis et *reseravit*, quod Barræus et Pamelius et la Cerda habent, omnino non damnem ; significare enim potest ferinum illum hominis belluæ simulis rictum, dentium ordine quasi sera clausum, vi diffractum et apertum, quomodo nondum ad stomachum missæ particulæ carnis humanæ in ore deprehendantur. Cyclopibus Sirenas junxit, quoniam et mares et fœminas hoc scelere confœderari inter christianos putabat. Mendose apud Rhen. *indicium* pro *judicii.*

(i) *Quis talia facinora cum invenisset celavit aut vendidit.* Quæsitores criminum facinora vendere dicuntur, qui scelera vestigando deprehensa pretio corrupti non deferunt ad tribunalia. Quis autem credat faci-

Digitized by Google

reis non utique, cum vel ex forma (*a*) omnibus mysteriis (1) silentii fides debeatur. Samothracia (*b*) et Eleusinia (*c*) reticentur: quanto magis talia, quæ prodita interim (2) etiam humanam animadversionem provocabunt, dum divina servatur (3)? Si ergo non ipsi proditores sui, sequitur ut extranei. Et unde extraneis notitia? cum semper etiam piæ (4) initiationes (*d*) arceant profanos et ab arbitris (5) caveant, nisi si impii minus metuunt? natura famæ omnibus nota est. Vestrum est:

Fama (6) malum, quo non aliud velocius ullum.

Cur malum fama (7)? quia velox? quia index? an quia plurimum mendax? quæ ne tunc quidem, cum aliquid veri affert, sine mendacii vitio est, detrahens, adjiciens, demutans de veritate. Quid? quod ea illi conditio est, ut non nisi cum mentitur perseveret, et tamdiu vivit, quamdiu non probat. Siquidem ubi probavit, cessat esse, et quasi officio nuntiandi functa, rem tradit, et exinde res tenetur, res nominatur. Nec quisquam dicit, verbi gratia: *Hoc Romæ aiunt factum;* aut: *Fama est illum provinciam sortitum;* sed: *Sortitus ille provinciam*, et: *Hoc factum est Romæ* (8). Fama, nomen incerti, locum non habet, ubi certum est. An vero famæ credat, nisi inconsideratus? Qui est sapiens, non credit incerto (9). Omnium est (10) æstimare (11) (*e*), quantacumque illa (12) ambitione diffusa sit, quantacumque asseveratione constructa. Quod ab uno aliquando principe exorta sit, necesse est exinde in traduces linguarum (*f*) et aurium serpat. Et ita modici seminis vitium cætera rumoris obscurat (13), ut nemo recogitet, ne primum illud os mendacium seminaverit, quod sæpe fit aut ingenio æmulationis, aut arbitrio suspicionis, aut non nova, sed ingenita quibusdam mentiendi voluptate. Bene autem, quod omnia tempus revelat (*g*) tes-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Omnium mysterium *Semler*.
(2) Interiment, jam *Paris*.
(3) Servantur *Fran*.
(4) Impie *Fran*.
(5) Et arbitros *Fran*.
(6) N. f. o. nota est vestrum. Est fama m. — *Paris*.
(7) Famæ malum. *Semler*.
(8) Fama est, hoc Romæ factum *Paris*.
(9) *Ita hunc locum emendavit Haverc.; alii* quia sapiens non credit incerto.
(10) Erit *Rig*.
(11) Existimare *Par*.
(12) Illa *delet Par*.
(13) Obscurant *Paris*.

COMMENTARIUS.

norosos potuisse facinora sua redimere, cum ipsi quotidie ad Proconsulem pertraherentur? Pam. — *Aut vendidit, ipsos trahens homines.* Interpretes silent, vel præter Rigalt. turbantur varie et æstuant, ut Heraldus, cujus notam, ut sæpe, suam fecit La Cerda. Sensus tamen est simplicissimus. Dicit Tertullianus, *Quis talia facinora, cum invenisset, celavit aut vendidit?* scilicet non *homines*, ut absurde in explicatione, quam notis suis præire fecit La Cerda, sed ita *facinora* illa accepto pretio celans, *ipsos trahens homines?* i. e. cum tamen reos ipsos eorum in judicium raperet? Pro *inveneral* alii habent *sset*. Minucius huc respiciens: *Nec intelligebamus ab his fabulas istas semper ventilari, et numquam vel investigari vel probari, nec tanto tempore aliquem existere, qui proderet, non tantum facti veniam, verum etiam judicii gratiam consecuturum.* Rhen. *ipsos vendens homines.* Hav.

(a) *Cum vel ex forma.* MS. L. Bat. exhibet, *cum vetus ex forma*, ut referatur ad id quod sequitur, *fides.* Julius Firmicus *Astron.* lib. VII, in Præf.: *Cum ignotis hominibus Orpheus sacrorum cæremonias aperiret, nihil aliud ab iis quos initiabat, in primo vestibulo, nisi jurisjurandi necessitatem, et cum terribili quadam auctoritate religionis exigit, ne profanis auribus inventæ ac compositæ religionis secreta proderentur. Sed et Plato Timæum perpetuo apud se frequenter continuit, ne secretarum disputationum veneranda commenta imperitis aliquando intimaret, patiuntur enim hæc omnia jacturam, cum perditis et desperatis animis ingeruntur. Apud Pythagoræos noster Porphyrius religiosa epulantem animum nostrum silentium consecravit.* Hav.

(b) *Samothracia.* « In Samothrace insula, inquit Zeph., initiationes quædam fuisse dicuntur, ad remedia nonnullarum periclitationum, ubi et Corybantum mysteria et Hecates sacra celebrabantur, cui canes ad antrum Zerinthum immolabant. » Pam.

(c) *Eleusinia reticentur.* Nihil notum magis, præsertim postquam Meursii Eleusinia notiora facta sunt, qui de hoc silentio pluribus c. XX, quo de fonte omnes potant. Hinc tritum illud Horatii III, Od. 2:

Vetabo qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanæ, sub iisdem
Sit trabibus fragilem mecum
Solvat phaselum.

Noster vero pudori adscribit, detegens eorum nuditatem *ad Valentin.* c. I: *Nam et illa Eleusinia, hæres et ipsa Atticæ superstitionis, quod tacent, pudor est.* Hav. — Patres fere omnes de hisce sacris meminerunt. Erant autem sacra Cereri et Proserpinæ dicata, quæ a Musæo instituta fuerunt, et celebrari solita in pago quodam Attidis qui Eleusis dicebatur. Le Pr.

(d) *Piæ initiationes.* Ita Rigalt. ex MS. Fuld. et ante illum Heraldus et la Cerda, ipseque Tertull. *Ad Nat.* I, 7, et os sit ferreum, cor plumbeum, cui non probetur. Legebatur *impiæ in.* Cum vero, inquit, piæ initiationes, i. e. quæ piæ et sacrosanctæ habentur apud vos, extraneos arceant, an non multo magis impiis id facere convenit, metu legis etiam territis? in extremo Coll. Mod. legit, *nisi impii*, deleto τὸ *si*, non recte: nam et sic supra eleganter est locutus cap. III. *nisi si aut barbaram sonat aliqua vox nominis, aut infaustum:* ubi etiam τὸ *si* redundat, quemadmodum in loco quem ex Ovidii *Metam.* lib. V, 20, adduxit ibi La Cerda,

Nisi si crudelis idipsum
Exigis, ut pereat.

Item alio ex Plinio, qui ibidem videri potest. Mox in MS. Fuld. *nisi si inconsideratus.* Hav.

(e) *Omnium est æstimare*, etc. Id teneri vult, quantumvis magno apparatu dispersa sit fama, quantumvis adseveretur palam, unum tamen tantum habere auctorem, nec omnes illos magis curandos, quam si unus loquatur, imo dilatando, immutando, abjiciendo, addendo, veritas amittitur. Hav.

(f) *Traduces linguarum.* Ita eleganter illam appellat, quam Hebræi vocabant *alteram linguam*, hinc *tradux incesti*, c. I, et *de Præscript. adv. Hæret.*, c. XXXII, discipuli et successores Apostolorum *traduces* vocantur eorum *quos ab Apostolis in episcopatum constitutos, apostolici seminis traduces habent.*

(g) *Tempus omnia revelat, testibus etiam proverbiis vestris.* Agellius, lib. XII, cap 2. Alius quidam veterum poetarum, cujus nomen nihil nunc memoriæ non

Digitized by Google

tibus etiam vestris proverbiis atque sententiis, ex dispositione naturæ, quæ ita ordinavit, ut nihil diu lateat, etiam quod fama non distulit. Merito igitur fama tamdiu conscia sola est scelerum Christianorum (*a*). Hanc indicem adversus nos profertis, quæ, quod aliquando jactavit tantoque temporis spatio in opinionem corroboravit, usque adhuc probare non valuit.

CAPUT VIII.

ARGUMENTUM. — *Nec falsa tantum, sed, ut contra naturæ fidem, haud credenda ostendit, idque oratione vehementi. Tollit dein objectiones, quasi recentes Christiani per ignorantiam et imposturam seducantur, nec postea metu pœnæ proclamare ausint; cum e contrario tales sint, qui mortem pudendis anteferant.*

Ut fidem naturæ ipsius appellem (*b*) adversus eos qui talia credenda esse præsumunt, ecce proponimus horum facinorum mercedem; vitam æternam repromittunt. Credite interim. De hoc enim quæro, an et qui credideris, tanti habeas ad eam tali conscientia pervenire. Veni, demerge ferrum (*c*) in infantem nullius inimicum, nullius reum, omnium filium (*d*); vel si alterius officium est, tu modo adsiste morienti homini antequam vixit (*e*); fugientem animam novam exspecta (1); excipe rudem sanguinem, eo panem tuum satia, vescere libenter. Interea discumbens dinumera loca, ubi mater, ubi soror; nota diligenter, ut, quum tenebræ ceciderint caninæ, non erres. Piaculum enim admiseris, nisi incestum feceris (2). Talia initiatus et consignatus vivis in ævum. Cupio respondeas, si tanti æternitas, aut si non, ideo nec credenda. Etiamsi credideris, nego te velle; etiamsi volueris, nego te posse. Cur ergo alii possint, si vos non potestis? Cur non possitis, si alii possunt? Alia nos (3), opinor, natura; (4) cynopœne (*f*) aut sciapodes (*g*)? Alii ordines dentium (*h*), alii ad incestam libidinem nervi? Qui ista credis de homine, potes et facere. Homo es et ipse, quod et Christianus. Qui non potes facere, non

LECTIONES VARIANTES.

(1) Specta *Paris.*
(2) Piaculum enim nisi incestum feceris *vel* admiseris *conjic. Havercamp.*
(3) Vos *Wouw.*
(4) Cyclopes *Wouw.* Cynophanes *Fran.*

COMMENTARIUS.

est, *Veritatem Temporis filiam* esse dixit. Et sunt in eam sententiam versus Sophoclis.

Πρὸς πάντα κρύπτει μηδὲν, ὡς ἅπανθ' ὁρῶν
Καὶ πάντ' ἀκούων, πάντ' ἀναπτύσσει χρόνος. RIG.

(a) *Christianorum.* Sequuntur loco hæc: *Quid dicitur semper est, quia quod est, desinit dici.* Suppeditat vero solum MS. Fuld.; adscripsit Scioppius, argute dictum et ungue Tertulliani dignum. Rigalt. præteriit, La Cerda improbat, et fatetur sensum se non capere, qui hic potest esse, illud esse semper quod dicitur, i. e. Christianos semper pro impiis haberi, quia dicuntur, quod vero est, non dici, sed esse. Sed est insigne sophisma. Ut apud Aristophanem in *Ranis*, Act. v. sc. I, ubi Euripidem captat Æschylus:

ΕΥ. Εἶτ' ἐγένετ' αὖθις ἀθλιώτατος βροτῶν.
ΑΙ. Μὰ τὸν Δί' οὐ δῆτον καίσατο.
EU. Postea hominum repente fuit miserrimus.
ÆS. Non per Jovem: nam haud unquam miser esse [desiit.

Loquuntur de Œdipo. Præterquam quod sensus hic sit nimis contortus. Itaque, post aliquam cogitationis moram, intrepide pronuntio pertinere hæc ad illa quæ superius hoc cap. reperiuntur: *Et tam diu vivit, quam diu non probat.* HAV.

CAP. VIII. — (b) *Ut fidem naturæ ipsius appellem.* Postquam rumori vano et sæpissime falso non esse credendum demonstravit, conatur ex ipsa hominis natura docere id quod illis ut crimen imponitur in nullum hominem cadere posse. HAV.

(c) *Veni, demerge ferrum.* Hanc quasi legem christianismi proponit, qua initiandus ejus sacris præformatur; *demergere ferrum* dixit respectu vulnerum, quæ acubus fieri arbitrabantur in infantem per farris superficiem impressis. HAV.

(d) *Omnium filium.* Ex communi incerto natum. Disce ex Epiphanio de Gnosticis, *Hæresi* XXVI: ἐὰν δὲ καὶ προληφθῇ τις αὐτῶν, etc. *Si vero etiam quis præoccupatus fuerit, ut immittat dejectionem defluxus naturalis, et prægnans facta fuerit mulier, quid gravius ac horribilius designent tales, audi; detractum enim fœtum quocumque tandem tempore id adgressi fuerint, accipiunt, et in mortario quodam pistillo tundunt, et admixto melle et pipere, et aliis quibusdam aromatis et unguentis, ad avertendam nauseam, sic congregati omnes, porcorum ac canum horum sodales, participes fiunt contusi pueri, atque sic humanæ carnis esu peracto, deinceps preces fundunt ad Deum. Quod non illusum est nobis, inquiunt, a principe concupiscentia, sed collegimus delictum fratris.* HAV.

(e) *Morienti homini antequam vixit.* Crebra tela, acuta, instat, urget. Lucanus quoque II, 109:

Crimine quo parvi cædem potuere mereri?
Sed satis est jam posse mori.

In marmore antiquo, ubi anus et pueruli defletur funus; hæc est clausula:

Vix lucem vidisse satis, qui vivere posset.
Vivere quæ nollet, vix potuisse mori.

Nec longe abit dira Jobi imprecatio, X, 18 et 19: *Ex utero cur me protulisti? utinam animam efflassem, nec oculus me vidisset! essem quasi non fuissem, ex utero matris migrassem ad sepulcrum.* HAV.

(f) *Cynopœne.* Magno consensu libri veteres. Cynopenne: pro Cynopœne, id est Cynopesne. Cynopes Tertulliano Cynopæ. ut Sirenæ p. 308,A, et Amazonæ t. II, *advers. Marc.* l. IV. Cynopes autem sive Cynopæ, sunt Cynocephali, homines caninis capitibus, de quibus ex Indicis Ctesiæ Plinius, lib. VII, cap. 2; atque his subjungit etiam Sciapodas. Habet autem Tertullianus a Plinio non pauca. Augustinus quoque, lib. XVI *de Civitate Dei*, cap. 8 [illegible]odas recenset, et mox Cynocephalos. Notandum obiter, quod idem Augustinus tradidit hujusmodi hominum, vel quasi hominum genera, in maritima platea Carthaginis, musivo picta fuisse, ex libris, ut ipse ait, de prompta vel ut curiosioris historiæ. RIG.

(g) *Sciapodes.* Plinius lib. VII, cap. 2: *eosdem Sciapodes vocari, quod in majore æstu humi jacentes supini umbra se pedum protegant.* Hesychius: Σκιάποδες οἱ ἐν Λιβύῃ πλατεῖς ἔχουσι τοὺς πόδας καὶ τοιοῦτοι σκίαν αὐτοῖς ἐν τῷ καύματι. *Sciapodes populi in Libya, habentes latas pedum plantas, et iis umbram sibi in calore facientes.* De iisdem Stephanus Bysantinus: Σκιάποδες, ἔθνος Αἰθιοπικὸν, ὡς Ἑκαταῖος ἐν περιηγήσει Αἰγύπτου; *Sciapodes, gens Ethiopica, ut Hecateus in periegesi Egypti.* HAV.

(h) *Alii ordines dentium.* Quasi dracones Cadmæii. Ovid. *Metam.* lib. III. in princip.:

Triplici stant ordine dentes.

Idem vero dicit quod Solinus c. LII. de capite canino prædicit: *Megasthenes per diversos Indiæ montes esse scribit nationes capitibus caninis, armatas unguibus, amictas vestitu tergorum, ad sermonem humanum nul-*

Digitized by Google

debes credere. Homo est enim et Christianus, et quod et tu. Sed ignorantibus subjicitur et imponitur. Nihil enim tale de Christianis asseverari sciebant, observandum utique sibi et omni vigilantia investigandum. Atquin volentibus initiari moris est, opinor, prius patrem illum sacrorum (*a*) adire, quæ præparanda sint describere (*b*). Tum ille : infans tibi necessarius, adhuc tener, qui nesciat mortem, qui sub cultro tuo rideat ; item panis, quo sanguinis jurulentiam colligas (1) ; præterea candelabra et lucernæ, et canes aliqui et offulæ, quæ illos ad eversionem luminum extendant (*c*), ante omnia cum matre et sorore tua venire debebis. Quid, si noluerint, vel nullæ fuerint ? Quid denique singulares christiani ? Non erit, opinor, legitimus christianus, nisi frater aut filius. Quid nunc, et si ista omnia ignaris præparantur ? Certe postea cognoscunt, et sustinent et ignoscunt. Timent plecti, qui si proclament, defendi merebuntur, qui etiam ultro perire malint, quam sub tali conscientia vivere. Age nunc timeant, cur etiam perseverant ? Sequitur enim, ne ultra velis id te esse, quod si prius scisses, non fuisses.

CAPUT IX.

ARGUMENTUM. — *At vero cuncta illa crimina, quæ falso Christianis objiciuntur, vera in Gentibus accusatoribus deprehendi ; apud illos sacrificia humana, et olim in aperto, et nunc in occulto committi ; homicidia lætis in theatro oculis spectari ; infanticidia quotidie abjecto, necato etiam partu, vel abortu coacto perpetrari ; sanguinem quoque gladiatorum recens necatorum sitiri ; humanum pabulum de ferinis quæri ; imo in seipsos invicem incendi : Christianos contra, ab omni cruore, animalium etiam, abhorrere ; apud illos incestum quotidie committi, cum, per scortationem vagam et gnatorum abjectionem, liberi etiam a parentibus ignorentur ; quæ cuncta a Christianis, utpote castis, continentibus, veneris etiam licitæ (prout nonnulli apud illos) expertibus, longissime abesse ; neque hæc de Christianis ab ullis credi posse, nisi qui credant, et ipsi illa faciant, et ex se de aliis judicent.*

Hæc quo magis refutaverim, a vobis fieri ostendam (*d*) partim in aperto, partim in occulto, per quod forsitan et de nobis credidistis. Infantes penes Africam (*e*) Saturno immolabantur palam usque ad proconsulatum (*f*) Tiberii, qui ipsos sacerdotes in eis-

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Rhen., Barræus et cod. Agob.* virulentiam.

COMMENTARIUS.

la voce, sed latratibus tantum sonantes, asperis rictibus. Ita enim Solinum scripsisse contendo, non ut emendat Salmasius, *ritibus*, sunt enim alia catellis Melitensibus, alia Molossis ora. Clarissime Lucretius v. 1062.

Inritata canum cum primum magna Molossum
Mollia ricta fremunt, duros nudantia dentis :
Longe alio sonitu rabie districta minantur :
Et quum jam latrant, et vocibus omnia complent.

Mollia ricta Lucretio dicuntur respectu cutis et carnis quæ ora Molossorum tegunt, si tangas sunt mollissimæ, at *asperis rictibus* Solinus respectu dentium. In eodem loco apud Solinum, ubi vir maximus valde anxie versatur, non dubito, quin sit legendum : *amictas vestitu tigrium* vel *pantherarum*, id est enim, quod Plinius dicit *ferarum pelles*.

(a) *Patrem illum sacrorum.* Qui ἱεροφάντης dicebatur ; de quo multa scitu digna vide in aureolo Meursii libello Eleus. c. x[illegible]ro ad Nat. 1. 7. *ad Magistrum sacrorum vel Patrem adire.*

(b) *Describere.* Ex libris nempe ritualibus, qui continebantur lapidibus duobus quam aptissime coagmentatis, quod πέτρωμα appellabant, ut discere est itidem ex Eleusinis Meursii c. x, Pausanias Arcadicis p. m. Ed. Wech. 249. ubi agit de Pheneatis, quibus omnia cum Atheniensibus communia : Φενεάταις δὲ καὶ Δήμητρος ἐστιν ἱερὸν Ἐλευσινίαι, etc., i. e. : *Est apud Pheneatas etiam Cereris cognomento Eleusiniæ fanum ; cui initia eodem ritu, quo apud Eleusinem peraguntur, cum ipsi tamen ea sacra apud se primum instituta autument.* Et statim : *Prope fanum Eleusiniæ, lapides eminent prægrandes duo, alter apte alteri impositus : Petroma vocant eos lapides, ubi anniversarii sacri, quæ majora nominant initia, dies appropinquant, disjungunt, atque inde litteras educunt, quibus pompæ ritus, et quæ fieri oportet omnia consignata sunt. Eum commentarium cum sacrificulis audientibus recitandum curarint, ea ipsa nocte in pristinam sedem reponunt.*

(*a*) Mirum quantum facillimis in rebus desudent quandoque commentatores, cum rictus asperi nihil sint aliud quam ingratus quidam ridendi modus vel parum liberalis oris contractio, et vestitus tergorum idem sonit ac pellium. EDD.

(c) *Extendebant.* Cogitabam primo *incendant* ; sed omnino ita scripsit Tertullianus. *Extendi* enim dicit canes, quum in pedes se conjicientes, spe prædæ internodia corporis laxant et spiras extendunt, significat enim mensuram corporis canini, quæ in motu dilatatur. Clarissime Ovidius Metamorph. lib. XII. vers. 476. de Latreo Centauro a Cæneo interfecto.

Jactanti talia Cœneus
Extentum cursu missa latus eruit hasta,
Qua vir equo commissus erat.

CAP. IX. — (d) *A robis fieri ostendam.* Porphyrius apud Theodoret. p. 108. et 109. Græc. Aff. cur Ἔθυτο γάρ, φησὶν, ἐν Ῥόδῳ, etc. *Mactabatur enim, inquit, XVI. kalend. Novembris homo apud Rhodios in honorem Saturni : quod, cum perdiu servatum fuisset, in consuetudinem abiit. quemdam enim ex iis, qui publica sententia damnati essent ad capitale supplicium, adusque Saturnalia virum asservabant :* addit ibidem alios populos, qui in infandum hunc ritum consenserint. Imo notat Lactantius Inst. div. I. 13. in Historia sacra Ennii olim fuisse scriptum : *Saturnum et Opem, cæterosque tunc homines, humanam carnem solitos esitare ; verum primum Jovem leges hominibus moresque condentem edicto prohibuisse, ne liceret eo cibo vesci.* Itaque *cujus est pudoris, quin imo inverecundiæ, cujus quod agere te videas, in eo alterum reprehendere ? Maledicti et criminis loco dare ea, quæ in te possint reciprocata vicissitudine retorqueri ?* ut loquitur Arnobius lib. II. HAV.

(e) *Infantes penes Africam.* Testimonia Veterum si quis desideret, adeat Elmenhorstium et alios ad illud Minucii p. 34. *Merito in nonnullis Africæ partibus infantes immolabantur, blanditiis et osculo comprimente vagitum, ne flebilis hostia immoletur.* Et Plutarchus in Apophthegmat. narrat Gelonem tyrannum victis Carthaginiensibus ad Himeram coegisse inscribere fœderibus, quod cessarent immolare filios Saturno. HAV.

(f) *Proconsulatum Tiberii.* Nodum, qui eruditos multum torserat, solvisse vel scidisse potius Scaligerum, testatur Heraldus in Notis. Et sane digna legi est Epistola ejus ad Casaub. LXVI. ubi disputat a Proprætore vel Proconsule Tiberii (qui et sacrificia cruenta Gallorum, teste Plinio, sustulerat) et hæc sublata

Digitized by Google

dem arboribus templi sui obumbratricibus (*a*) scelerum votivis crucibus (1) (*b*) exposuit, teste militia patriæ nostræ (*c*) quæ id ipsum munus illi proconsuli functa est. Sed et nunc in occulto (*d*) perseverat hoc sacrum facinus. Non soli vos contemnunt Christiani, (*e*) nec ullum scelus in perpetuum eradicatur, aut mores suos aliquis deus mutat. Cum propriis filiis Saturnus non pepercit, extraneis utique non parcendo perseverabat, quos quidem ipsi parentes sui offerebant, et libentes respondebant (2) (*f*), et infantibus blandiebantur, ne lacrymantes immolarentur (*g*). Et tamen multum homicidio parricidium differt. Major ætas apud Gallos Mercurio prosecabatur (3) (*h*). Re-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Vivos *addit. Havercamp. e cod. Fuld.*

(2) *Vocem in rebus sacris solemnem habent codd. Put., Bong., Fuld., Lugd., edd. Rhen., Pam. et Semler.*, exponebant. *Sed in cod. Agob. et in altero Lugd. desunt voces:* et libentes resp. *et inf.* blandiebantur.

(3) Prosecatur. *Rig. Semler.*

COMMENTARIUS.

esse. Quod ut verum puto, tamen non possum illustr. viri emendationem probare, *usque ad Proconsulem Tiberii;* ita enim legit, licet operæ expresserint *Proconsulatum*, contra sententiam ejus. Peccavit enim in Genium Tertulliani, qui omnino *Proconsulatum* voluit, sed ita, ut illo Proconsulem exprimeret, quemadmodum in hoc libro sæpe locutus est, ut cùm dixit *naufragiis* pro ipsis naufragis, cap. 39. et *ministeriis* alibi pro *ministris.* Hav.

(a) *Arboribus templi sui obumbratricibus scelerum.* Arbores dicit tenebris suis obscurasse scelera templi et sacrorum, quæ ita ut cap. vii. de canibus dixit fuerint *lenones tenebrarum.* Unde apparet vetustissimus mos templa arboribus obumbrare, et propter horrorem religionis, et ad ventorum vim arcendam, ut fit hodie. Prout vero sua cuique Deo dicata erat arbor, ita illa Dei sui templum obumbrabat. Virgil. ii. Æneid. 713. Æneas ait ad suos :

Est urbe egressis tumulus templumque vetustum.
Desertæ cæreris, juxtaque antiqua cupressus ;

ubi docte notat Servius poetam *funebrem arborem bene ante templum Deæ lugentis* induxisse. Cujus antiquitatis nobile monumentum exhibet sculptura gemmæ, quæ spectanda proponitur Dactyl. Gorl. tom. ii. num. 321. ubi sacra, et ad latus arbor, statimque a nobis ad notam decimam repræsentabitur. Ut vero noster dicit *iisdem arboribus*, ita de obscœna cujusdam libidine Seneca verba faciens Nat. Quæst. lib. i. cap. 17. de monstro illo dicit, *ad speculum suum immolandus fuit.* Et Nazianzenus de illis, qui christianas exenteratas et hordeo fartas porcis objiciebant, dignos qui ipsi Dæmones suos pascerent. Locum ipsum vide infra ad illa : *cruditantes adhuc ;* hoc cap. Pam. comma post *scelerum* neglexit. Hav.

(b) *Votivis crucibus vivos exposuit.* Vocem *vivos* ex Cod. Fuld. apposuimus, quam sane non debuerat ita negligere Rigaltius. *Votivas cruces* cum eodem Rigaltio ita explico : Tiberium istum ex votivis arboribus votivas fecisse cruces, in quibus scelerati isti sacerdotes pulchre pendebant, tanquam anathemata ex voto. Narrat Lucianus sacrificii quemdam ritum, qui hinc non longe abit in Dea Syria p. 910. Δένδρα μεγάλα ἐκκόψαντες, etc. *Magnas arbores excisas in atrio collocant : postea adductas capras, oves, aliasque vivas pecudes, ex arboribus* sc. illis *suspendunt : inter quæ sunt etiam aves, vestes, et aurea argenteaque opera. Ac postquam omnia perfecte composuerunt, et simulacra deorum circa arbores tulerunt, pyram accendunt, et omnia repente cremantur.* Hav.

(c) *Militia patriæ nostræ.* Quoniam Tertullian. patre centurione proconsulari fuit prognatus, suspicari quis possit reponi debere *patris nostri*, quomodo certe præ se ferre dicitur Cod. Fuld. Sed cum ille Tiberii Imperatoris tempora attingere non potuerit, diversus ab isto proconsul quidem Tiberius foret statuendus, de quo hic loqueretur, quod non puto. Mox idem Cod. *quæ ad ipsum manus.* id est apud ipsum, vide indicem ; cum vero mox sequatur *illi* hic : locum non potest habere. Solebant vero Proconsules majoresque magistratus per centuriones vel tribunos talia exsequi. In simili fere casu luculentum exstat testimonium apud Prosperum Aquitanicum De Promiss. et Prædict. Dei, parte iii. cap. 38. *Sub Constantio et Augusta Placidia, quorum nunc filius Valentinus pius et christianus imperat, Urso insistente tribuno, omnia illa ad solum usque perducta, agrum reliquit in sepulturam scilicet mortuorum : ipsamque viam sine memoria sui nunc Vandalica manus evertit.* Hav.

(d) *In occulto perseveratur.* Pueruli ejusmodi oblatio super pateram, quam Pythia sacerdos tenet, ante oculos ponitur in sculptura gemmæ hujus, quam produxit olim Leonard. Augustinus, tom. i. num. 107. ubi simile Apollini sacrificium apud Cretenses, exhibitum fuisse docetur. Vid. tab. 1. n° 1. Hav.

(e) *Non soli vos c. C.* Sensus est, non solos Christianos religioni suæ, spretis idolis adhærere, cum etiam occulta illa Saturni sacrificia licet eradicata publicè et prohibita, apud quosdam durent. Hav.

(f) *Libentes respondebant.* Vox nota in sacris, quæque in optimis MSS. Herald. Fuld. L. B. invenitur male Barr. et Rhen. et Pam. *Exponebant* significat votum misellorum istorum parentum. Plutarchus in lib. de Superstitione, in fine, ubi taxat hunc Carthaginiensium morem, Empedoclis hos profert versus :

Μοῦνον δ' ἀλλάξαντα πατὴρ, φίλον υἱὸν ἀείρας,
Σφάζει ἐκευχόμενος μέγα νήκιος. ἀλλ' εἰδότες, addit, καὶ γινώσκοντες αὐτοὶ τὰ αὐτῶν τέκνα καθιερεύουν. Hav.

(g) *Ne lacrymantes immolarentur.* Notum est id in sacrificiis maxime quæsitum, ne reluctantes immolarentur. Generosa itaque ad tyrannum vox Romani martyris, quam refert Chrysost. Hom. de S. Romano in fine : *Cervices meas incide, nec uram commacula : habes victimam voluntariam, cur captivum taurum colligas reluctantem ?* Et ipse Tertullianus ad Scap. cap. ii. *Ita etsi nos compuleritis ad sacrificandum, nihil præstabitis Diis vestris : ab invitis enim sacrificia non desiderabant, nisi contentiosi sunt.* Adde infra. cap. xxviii.

(h) *Mercurio prosecabatur.* Et de hoc satis interpretes ad Minucium. Ita vero edidit Rigalt. ex Coll. Mod. *Prosecta* in sacrificando dicebantur exta, quæ aris dabantur ex fibris pecudum dissecta, teste Nonio, *prociciem extorum* Varro dixit apud eumdem, et hinc *prosecare* pro sacrificando Deo offerre apud Nostrum passim, ita enim c. XLVI. de Socrate : *Æsculapio tamen gallinaceum prosecari jam in fine jubebat.* Quomodo et c. xxiii. *alia vis pronuntietur in eo, qui genitalia vel lacertos, alia qui sibi gulam prosecat.* Firmant lectionem Modianam illa Suetonii in Claudio. c. xxv. *Druidarum religionem apud Gallos diræ immanitatis, et tantum civibus sub Augusto interdictam penitus abolevit.* Nam certe desiisse testatur etiam Pomponius Mela lib. iii. c. 2. *Aliquando adeo immunes Galli, ut hominem gratissimam Diis victimam crederent : manent vestigia feritatis jam abolitæ, atque ut ab ultimis cædibus temperant, ita nihilominus ubi devotas altaribus admovere, delibant.* Unde etiam Gallograeci ab his orti, et ritus cum nomine retinentes, apud Justinum xxvi. 2. *in auspicia pugnæ hostias cædunt : quarum extis cum magna cædes, interitusque omnium prædice-*

Digitized by Google

mitto Tauricas (*a*) fabulas theatris suis. Ecce in illa religiosissima urbe Æneadarum piorum (*b*) est Jupiter quidam (*c*), quem ludis suis humano proluunt sanguine. Sed bestiarii (*d*), inquitis. Hoc, opinor, minus quam hominis. An hoc (1) turpius, quod mali hominis? Certe tamen de homicidio funditur. O Jovem Christianum et solum patris filium (*e*) de crudelitate! Sed quoniam de infanticidio nihil interest, sacro an arbitrio perpetretur (licet parricidium homicidio (2) intersit) convertar ad populum. Quot vultis ex his circumstantibus et in Christianorum sanguinem hiantibus, ex ipsis etiam vobis justissimis et severissimis in nos præsidibus apud conscientias pulsem, qui natos sibi liberos enecent (*f*)? Siquidem et de genere necis differt (3) utique crudelius (*g*) in qua spiritum extorquetis, aut frigori et fami et canibus (*h*) exponi-

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Forte* ut hoc *Haverc.*

(2) *Sic ed. Rhen., Her., Seml.; cod. Agob.* homicidium parricidio. *Rig. et Hav.* licet de parricidio intersit. *Sed tota sententia videtur non a Tertull. profecta esse.*

(3) *Haverc. e collatione Modiana:* Si quid et de genere necis? Differt. Utique, *etc. Quam scripturam servato eodem ordine verborum Semlerus quoque prætulit cæterorum librorum auctoritati.*

COMMENTARIUS.

tur, non in timorem, sed in furorem versi, sperantesque Deorum minas expiari cæde suorum posse, conjuges et liberos suos trucidant. Ante legebatur, *prosecant.* Hav.

(a) *Tauricas fabulas.* Huc pertinet ille *scriptus et in tergo, necdum finitus* Orestes. De his sat multa ad Minucium. Nec carpere cessat Lucian. in Dial. Junonis et Latonæ et Apoll. et Bacchi. Hav.

(b) *Æneadarum piorum.* Ita eos vocat ratione auctoris generis et originis (qui nullibi non hac commendatione apud Poetam introducitur), sed ut simul impietatem illorum sub tali nomine flagellet. Imitatur autem Lucret. qui ita lib. VI. 1277. Atheniensium populum *pium* vocat, sed absque ironia:

Nec mos ille sepulturæ remanebat in urbe,
Ut pius hic populus semper consuerat humari.

(c) *Jupiter quidam.* Postremam vocem non agnoscit MS. L. B. Intelligit vero Latiarem, de quo satis multa alii. Insignem vero Cypriani locum producit in notis suis doctissimus vir Desiderius Heraldus. videsis plura apud Minucianos interpretes. Et revera id olim in more fuisse docet pluribus Scaliger ad Eusebium p. 56. et qui ex Plinio docet, quando ab hac crudelitate sit temperatum, in cujus sacrificii locum sanguis deinde bestiariorum successit effusus. Prudentius vers. 379. lib. I. Contra. Symm.

Respice terrifici scelerata sacraria Ditis,
Cui cadit infausta fusus gladiator arena,
Heu male lustratæ Phlegetontia victima Romæ!

Quidni igitur usurpemus illa Senecæ in extremo Octaviæ vers. 978.

Urbe est nostra mitior Aulis,
Et Taurorum barbara tellus.
Hospitis illic cæde litatur
Numen superum: civis gaudet
Romæ cruore.

(d) *Sed Bestiarii. Bestiarorum,* Ed. Barræi. Hi sunt qui cum bestiis congrediebantur in arena, sive nocentes, sive inopia illorum, alii cum immanibus feris comparati. Hisce ultimum cœnantibus liberaliter apponebatur mensa. Apol. c. XLII. *Non in publico liberalibus discumbo, quod bestiariis suprema cœnantibus mos est.*

(e) *O Jovem christianum et solum patris filium de crud.* Objiciebantur Christianis initia quædam sacramento infanticidii cruenta, quasi Deus ac Dominus noster sanguine gauderet, homicidioque coleretur. Quod Tertullianus primo falsissimum esse ostendit, deinde crimen ipsum in accusatores retorquet. Etenim Saturno suo infantes immolari, ipsumque adeo propriis filiis non pepercisse, unico Jove patris impii dentibus erepto fuga. Sed et Jovem Romæ quoque humano sanguine coli. Unde colligit, jocaturque exclamando, O Jovem christianum, qui scilicet humano sanguine placari velit ut Christus: nam hoc de Christo fama calumniosissime vulgaverat; et, *solum patris filium*, quasi hoc sit etiam Jovi commune cum Christo, et quemadmodum Christum unigenitum Patris filium christiana fide credimus, sic et Jupiter solus et unicus Saturni filius habeatur. Utrumque autem de crudelitate. Jupiter christianus, quia Christo sanguine humano litari mentiebantur, ut Jovi suo Latiali. Jupiter solus Patris filius, quia solus patri superstes, ceteris ab Saturno illo manduco crudelissime devoratis. Rig.

(f) *Natos sibi liberos enecent.* O crudele, o inhumanum facinus, in infantes ferrum stringere, nullius inimicos, nullius reos, qui vel ad hostes sub cultro rideant! et tamen nihil magis tritum apud illos. Unde admiratio simul et locus Germanorum apud Tacitum c. XIX. *Numerum liberorum finire, aut quemquam ex agnatis necare, flagitium habetur.* Graviterque impietatem istam taxat Lactant. lib. VI. 20. *Ergo ne illud quidem concedi aliquis existimet, ut recentes natos liceat oblidere: quæ vel maxima est impietas. Ad vitam enim Deus inspirat animas, non ad mortem. Verum homines, ne quod sit facinus, quo manus suas non polluant, rudibus adhuc, et simplicibus animi abnegant lucem non a se datam.* Clare vero Barr. et hinc MS. Fuld. præferunt *enectent.*

(g) *Siquid et de genere necis,* etc., Ita Coll. Modiana, omnino melius quam alii, *siquidem et de genere necis differt, utique,* etc. Cum utique quocumque modo perpetratum sit parricidium et homicidium, tamen si et necis genus consideres, aliud alio est crudelius; ferrum quod cito absumit hominem, quodque ideo majores natu, occidentes se eligunt, lenius mortis genus est quam longa in aquis jactatio, aut frigore fameve consumptio, aut deni¡que viva vivo sepeliri corpora busto, ut loquitur Lucretius. In sequentibus nonnullæ editiones legunt: *Spiritum extorquetis, aut frigori et f. et c. e. ferro enim mori ætas q. m. optavit.* Ita vero distinguo: *et siquid et de genere necis? differt. Utique crudelius in aqua,* etc. Hav.

(h) *Frigori et fami et canibus exponitis.* Lactant. l. V. *Qui natos ex se pueros aut strangulant, aut si nimium pii fuerint, exponunt.* iterum VI. 20. *Quid illi, quos falsa pietas cogit exponere? Non possunt innocentes existimari, qui viscera sua in prædam canibus objiciunt: et quantum in ipsis est, crudelius necant, quam si strangulassent.* Itaque merito de Saturno lib. II. Ad Nat. cap. 12. *Itaque filios virili sex devorabat: melius ipse, quam lupi, si exponeret.* Notatu vero dignum est, quod observavi in lectione Isidori, apud quem hæc Tertullianæa inveniuntur, sed more suo auctores, unde profecerit, nomine absconditio, et verbis paulum inversis. Is itaque *de pœnis in legibus constitutis.* lib. V. c. 27. *In ipso quoque genere necis differt. Crudelius est enim in aqua spiritum torquenti extingui: ignibus uri, frigore et fame necari, canibus et bestiis exponi. Nam ferro mori, ætas quoque major optarit,* additque aliunde, *gladius enim sine graviori cruciatu compendiosa morte vitam finire novit.* Pertinet huc fragmentum illud Sallustii ex lib. Histor. *Sin vis obsistat, ferro quam fame æquius perituros,* quam Pompeius ibidem *mortem* vocat *omnium miserrimam.* lib. III. Hav.

Digitized by Google

tis; ferro enim mori (*a*) ætas quoque maior optaverit. (*b*) Nobis vero, homicidio semel interdicto, etiam conceptum utero (*c*), dum adhuc sanguis in hominem delibatur (*d*), dissolvere non licet. Homicidii festinatio est prohibere nasci; nec refert natam quis eripiat A animam, an nascentem disturbet: homo est (*e*), et qui est futurus; etiam fructus omnis jam in semine est. (*f*) De sanguinis pabulo (*g*) et eiusmodi tragicis ferculis legite, nuncubi relatum sit (1), [est apud Herodotum, opinor] (2) defusum (*h*) brachiis san-

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Edd. omnes:* legite necubi rel. sit (*cod. Agob. et Lugd.* est), *præter unum Scriverium, qui recte habet:* nuncubi. *Verba uncis inclusa, quæ desunt in Rhenani ed., nescio an debeantur manui librarii male sedulæ. Ritum autem istum Scytharum describit Herodot.* 4, 70.

(2) Diffusum *Semt.*

COMMENTARIUS.

(a) *Ferro enim mori.* Unde Æneæ illa indignatio apud Virgilium lib. I, 130.

O Danaum fortissime gentis
Tydide, mene Iliacis occumbere campis
Non potuisse! tuaque animam hanc effundere dextra!

Mortem hanc ferro inventam, Romanam appellatam, quasi fortem et virilem collige ex istis Martialis, lib. I, 79. de Festo, qui laborabat faucium morbo. HAV.

(b) *Semel interdicto.* Elegans hujus vocis, sed non ita passim notus, multa loca apud bonos auctores corrupit, ita hic ante meliores MSS, *semper* legebatur; et apud Lucretium in *simul* hodieque est mutatum, apud quem a bene multis illum aliquando mendis, quæ adhuc resident, vindicaturi ex MSS. Vossianis Biblioth. Lug. B. reponimus ita:

Admistum quoniam semel est in rebus.

et ego ante jam ita correxeram, adductus loco Lucani VIII. 707. ubi de Pompeio.

Simul impulit illum
Dilata Fortuna manu, pulsatur arenis,
Carpitur in scopulis, hausto per vulnera fluctu
Ludibrium pelagi.

Noster denique rursus c. X. *Sequetur ut eadem ratione pro aliis non sacrificemus, quia nec pro nobismetipsis, semel deos non colendo.* HAV.

(c) *Conceptum utero.* Accepta potatione ad abortum. Juvenalis Sat. VI. 594. quem vide. Ovidius idem abominatur lib. II. etc. ut et versu 29. Fit itaque in formæ lenocinium et scortis est familiare. Hinc Prosper Aquitan. De Prom. et Prædict. lib. II. cap. 15. *ut sit jam uxor, quæ paulo ante fuerat meretrix, habeatque filios, quæ studebat filios non habere, nec jam libidini, sed suscipiendæ serviat proli.* At vero *nulla mulier*, ut bene Augustinus, *potationes ad abortum accipiat, nec conceptos aut natos occidat. Quæ mortiferas potiones accipit, ut non concipiat, quantoscumque parere potuisset, tantorum homicidiorum est rea:* est vero *tantorum*, tot, tam multorum, ut sæpe apud Nostrum etiam. Res sane medicis prohibita. Theodorus Priscianus in Victoriam libro III. *Abortum dare nulli unquam fas est: ut enim Hippocratis testatur oratio, tam duri reatus conscientia medicorum innocens officium non debet maculare.* Imo lege prohibita: Paulus I. Si quis aliquid. §. Qui abortionis. § ne pœnis. *Qui abortionis aut amatorium poculum dant, etsi dolo non faciant, tamen quia mali exempli res est, humiliores in metallum, honestiores in insulam, amissa bonorum parte, relegantur. Quod si eo mulier aut homo perierit, summo supplicio afficiuntur.* Similis lex Mosis Exodi XXI, 22. Codex Fuld. legit *conceptum uterum*, notatque Scioppius ex jure phrasin esse. HAV.

(d) *In hominem delibatur. Deliberatur* Jun. male, aliæ editiones melius *delibatur. Delibari* in hominem dicitur sanguis, dum ex præstantissimo hominis succo embryo nutritur. Lucretius.

Floriferis ut apes in saltibus omnia libant.

Estque id ipsum quod Jobus c. X. vers. 13. *Nonne sicut lac mulsisti me, et caseum me coagulasti!* Theodoret. p. 78. quo alludit rex David Ps. CXXXIX. 15. *nonne occultatum est os meum in abdito, et artificiose acupictus sum in imis partibus terræ?* Rigaltius tamen ex MS. Puteano edidit *deliberatur*, quod et ego feci ex L. B. et non est improbandum. Lucem haud parvam accipit ex notissimo Ausonii disticho:

Dum dubitat Natura marem faceretne puellam,
Factus es, o pulcher, pene puella, puer.

Sed omnium instar elegantissimus ille Varronis locus sit de Origine humana apud Censorinum de Die Natali cap. IX. ex sententia Pythagoræ. Quæ quidem fragmenta, reconditæ antiquitatis plena, emendata auctaque et notis illustrata, adjecto omnium verborum vocabulario, ad editionem habemus parata. Sed ipse Varro: *numeros, qui in unoquoque partu aliquid adferunt mutationis, dum aut semen in sanguinem; aut sanguis in carnem, aut caro in hominis figuram convertitur.* Denique ipse rursus Tertullianus lib. IV. Adv. Marcionem cap. 21. *non decem mensium cruciatu deliberatus.* Ita et ibi enim meliores MSS. pro quo alii *delibatus.* Sensus est, dum deliberat Natura in utero, velitne conceptum semen commixtumque in hominem formare, an sinere ut effluat, naturalemque patiatur abortum. HAV.

(e) *Homo est et qui est futurus.* Martialis lib. IX. ep. 42.

Ipsam crede tibi naturam dicere verum.
Istud quod digitis, Pontice, perdis, homo est.

Licet enim JCtis partus nundum editus nondum homo dicatur, recte tamen Paulus § de statu hominum testatur, *qui in utero est, perinde ac si in rebus humanis esset, custodiri.* Quomodo enim prius a JCtis dicatur, patet ex collatione verborum Papiniani ad Legem Falcidiam Dig. XXXV. tit. 2. § 9. *In Falcida placuit, ut fructus postea percepti, qui maturi mortis tempore fuerunt, augeant hæreditatis æstimationem fundi nomine, qui videtur illo in tempore fuisse pretiosior. Circa ventrem ancilla nulla tempori admissa distinctio est, nec immerito, quia partus nondum editus, homo non recte fuisse dicitur.* Sermo est de legato et hæreditatibus. *Pecus* appellat informe illud nondum hominem Tertull. lib. de Anima cap. 25. et membrana fœtum involvens ἀμνίον, quasi pellem agnelli dicas, veteribus nuncupata fuit. Itaque nec audiendus est Aristoteles, qui nimiam civium multitudinem in una civitate dissuasurus, semen vult corrumpi et abortivum reddi, antequam homo possit nominari. Verba ejus sunt lib. VII. Politicorum cap. 16.

(f) *Etiam fructus omnis, jam in semine est.* De Zenone Stoico Theodoret. p. 73. τὸν γάρ τοι ἀνθρώπινον σπορόν, ὑγρὸν ὄντα καὶ μετέχοντα πνεύματος, τῆς ψυχῆς ἔφησεν εἶναι μέρος τε καὶ ἀπόσπασμα. *Genitale siquidem hominis semen, quod humore ac spiritu præditum esse cernitur, partem esse animæ, quamdamque veluti abscissionem putavit.* Impiæ itaque Platonis leges apud eumdem p. 131. Ὅταν δὲ αἱ γυναῖκες, etc. *Ubi autem viri et mulieres gignendi tempus excesserint, liberos eos sinemus conversari ut velint; hoc solum præmonentes, ne quem amplius conceptum fœtum in lucem edant: si quis autem institutum hoc ita violarit, ut fœtum ad partum perducat, ita eum denique exponat, ut omni prorsus alimonia careat.* Alii, *et fructus o. jam in s. e.* Rhen. *et fructus hominis.*

(g) *De sanguinis pabulo.* Retorquet in adversarios crimen de pabulo crudæ et sanguinis haustu; de quo more multa congesserunt Interpretes Minuciani.

(h) *Defusum brachiis sanguinem.* Vide Lydii Syntagma sacrum de Re Mil. p. 203. et notas ad Minu-

Digitized by Google

guinem ex alterutro degustatum nationes quasdam fœderi comparasse. Nescio quid et sub Catilina (*a*) tale degustatum est. Aiunt et apud quosdam gentiles Scytharum defunctum quemque a suis comedi (*b*). Longe excurro. Hodie istic (1) Bellonæ sacratos sanguis (2) de femore proscisso parmula (3) (*c*) exceptus et suis datus signat (4). Item illi, qui munere in arena noxiorum jugulatorum (5) (*d*) sanguinem recentem [de jugulo decurrentem exceptum] avida siti comitiali (*e*) morbo medentes hauserunt, ubi (6) sunt? item illi, qui de arena ferinis obsoniis (*f*) cœnant, qui de apro, qui de cervo petunt? Aper ille, quem cruentavit, colluctando (7) (*g*) detersit; cervus ille in gladiatoris sanguine se jactavit. Ipsorum (8) (*h*) ursorum alvei appetuntur cruditantes (9) adhuc de visceribus humanis. Ructatur

LECTIONES VARIANTES.

(1) Et hic *Wouw.*
(2) Sacratur *Wouw.* Succatus *Barr.*
(3) In palmulam *Fran.*
(4) *Cod. Lugd.* Hodie istic Bellonæ sacratus sanguis de fem. proscisso in palmulam exceptus et sui datus signat. *Cod. Fuld.* Hodie i. B. secator s. de f. pr. palmula exceptus et usui datus signat. *Cod. Put. et Bong.* exceptus et sui datus signat. *Rhen.:* parmula.

(5) Rigulatorum *Cod. Fuld. Forte :* vigilatorum *Haverc.*
(6) Auferunt *Par.*
(7) Conculcando *Paris.*
(8) Jacuit *Paris.* Cervus ille se glad. sanguine jactavit *Haverc.*
(9) Trucidantibus *Jun.* Tuditantibus *vel* truditantibus *Havercamp.*

COMMENTARIUS.

cium. Athenæus Carmanorum morem narrat lib. II. solitos illos mutuum sanguinem in compotationibus propinare firmandæ amicitiæ. In Cod. Fuld. est *alterutro.* MS. L. B. et Pam. *diffusum.*

(a) *Nescio quid et.* Addit hoc *tale* Coll. Mod. et recte dubitantis more expressit Auctor, quoniam nec ipse Sallustius asseverat, sed ut rumorem ponit. *Fuere ea tempestate, qui dicerent, Catilinam,* etc. ubi videndus doctissimus Putschius. Simile contigisse fertur sub tyranno Magnentio.

(b) *A suis comedi.* Adv. Marcionem lib. I. *Parentum cadavera cum pecudibus cæsa convivio convorant. Qui non ita decesserint, ut escatiles fuerint, maledicta mors est.* Similis Massagetarum ingluvies. Hieron. adversus Jovian. II. *Massagetæ miserrimos putant, qui ægrotatione moriantur, et parentes cognatos, propinquos, cum ad senectam venerint, jugulatos devorant :* τὸ *et* non agnoscebat Edit. Barræana.

(c) *Parmula exceptus.* Ita Rhenan. editio, et recte, quid enim illud quod omnes alii substituunt *palmula?* an vola manus, an palmæ arboris lignum? Rem ipsam, ipsum sacrum, in ipso actu Bellonarium vide ad aram Deæ in sculptura gemmæ hujus insignis, in Dactyl. Gorlæana tom. II. num. 664. et hic pag. 91. ubi velim notes clypeolum vel parmulam æræ innixam et ad sanguinis exceptionem destinatam. Sed et palmulam adhibitam in his sacris patet ex notabili hac gemmæ sculptura, quam produxit doctiss. Leon. Augustin. I. 171. ubi nudus talis Bellonarius conspicitur, qui latus ferro sibi, quod sinistra gerit, fodit, cruore qui de femore proscisso labitur, dextram plenam ante Bellonæ signum sublevans. Sed accuratius intuenti diversus hujus sacri ritus apparet, et ut sanguinis esus in prima, ita devotio in secundæ gemmæ sculptura.

(d) *Jugulatorum. Rigulatorum* Cod. Fuld. pro in omnibus aliis est *jugulatorum.* Probat Scioppius et de fascia explicat, qua obvolvebant vulnus sanguinemque sistebant. Itaque Nonium in partes adducit in voce *rica.* Posset et Festum. Is : *ricæ et riculæ vocantur parva vicinia, ut palliola ad usum capitis facta. Granius quidem ait esse muliebre cingulum capitis, quo pro vittæ Flaminica redimatur.* Et Isidorum XIX. 31. *Rigula est mitra virginalis capitis ;* non enim placet repetitio illa *jugulatorum* et mox *jugulo.* Quid si ex vestigiis MS. lectionis facias *rigidulorum,* ut innuat gladiatores noxiosve jam ex disciplina jugulum præbere fortiter jussos, ex vulnere pallere et rigere, qui status corporis animæ fugam comitatur. Adrianus Cæsar moribundus apud Spartianum in Vita ejus, hos versus effundit :

Animula vagula, blandula,
Hospes, comesque corporis,
Quæ nunc abibis in loca
Pallidula, rigida, nudula,
Nec, ut soles, dabis jocos.

Ipse denique Tertullian. *Rigere et pallere post lavacrum mortuus possum,* infra c. XLII. Frustra enim obligatur jugulum in arena, ubi vulnus est, mortiferum, et quem, ut notum est, victi præbere debebant. Eadem Collatio mox delet *exceptum,* quod et abesse potest. Sed quod Rigaltius quoque inducat in Edit. sua hæc, *de jugulo decurrentem,* ferre non possum, nempe concursus iste repetiti vocabuli non placuit, nec inventa est medicina, nisi atrox urendo, secando. Hav.

(e) *Comitiali morbo.* Minucius : *Ipsum credo* Jovem Saturni filium *comitialem morbum hominis sanguine, id est, morbo graviore, sanare.* Ubi Wouwerius ex Scribonio Largo medico notat c. XII. *ex jecinore gladiatoris jugulati particulam aliquam novies datam consumant.* Nota quoque historia Faustinæ Antonini Philosophi Imperatoris uxoris, cui gladiatorem amanti in remedium amoris sanguis ipsius occisi oblatus est, ut narrat Julius Capitolinus. Hav.

(f) *Ferinis obsoniis cœnant.* Totum locum adumbravit Minucius, p. 34. *Non dissimiles et qui de arena devorant illitas cruore, vel membris hominis et viscere saginatis.* Quos quomodo notabit Ovidius, apud quem brutorum etiam esum dissuadentis Pythagoræ oratio est Metam. lib. XV. vers. 88.

Heu! quantum scelus est, in viscera viscera condi,
Congestoque avidum pinguescere corpore corpus,
Alteriusque animantem animantis vivere letho!

(g) *Colluctando.* MS. Fuld. *conluctando.* Barr. *luctando.* At vero Rhenan. et MS. Lugd. Bat. legunt *conculcando,* quod magis rectum puto, ut magis proprium apris. Itaque ex natura illorum loquitur Christus Matth. VII. 6. μήποτε καταπατήσωσιν αὐτοὺς ἐν τοῖς ποσὶν αὐτῶν. Hav.

(h) *In gladiatoris sanguine jacuit.* Ita MS. L. B. et editiones Rhen. et Rigaltii. At vero Barr. et Herald. Pamelinsque *jactavit :* quomodo fere MS. Fuld. seu Coll. Mod. *sanguinem jactavit.* Puto reponi debere : *cervus ille se glad. sanguine lactavit.* Cæcil. apud Nonium in *lactare : Quid proluvium, quæ voluptas ; quæ te lactat largitas?* i. e. mulcet, delectat, afficit, vel *in g. s. lactavit.* Cicero ibid. *Malevolentia lactans malo alieno,* et hoc verissimum. Si enim jactavit vel jacuit tantum; detracta pelle cruenta nihil sceleris remanet; nec humani sanguinis vestigium, sed si hauserit cruorem, jam alia res est. Non ingratum fore judico hic inserere, quare Ægyptii a quibusdam dicantur suilla abstinuisse. Ælianus in libro de Animalib. X. c. 16. ingluviem suum vel ab esu humanæ carnis non abstinentium notat. Il ὑς καὶ τῶν ἰδίων τέκνων, etc., i. e. *Suillum pecus tantopere explendo abdomini deditum est, ut nec propriis quidem suis fœtibus parcat, neque helluationem suam ab humano corpore abstineat. Quæ causa est, cur hujusmodi animal, ut impurum, detestabile et voracissimum, apud Ægyptios in summo odio habeatur.*

Digitized by Google

proinde (1) ab homine caro pasta (*a*) de homine. Hæc qui editis, quantum abestis a conviviis Christianorum? Minus autem illi faciunt, qui libidine fera humanis membris inhiant, quia (2) vivos vorant? minus humano sanguine ad spurcitiam (3) consecrantur, quia futurum sanguinem lambunt (*b*)? non edunt infantes plane, sed magis puberes. Erubescat error vester Christianis, qui ne animalium quidem sanguinem in epulis esculentis (*c*) habemus, qui propterea suffocatis quoque et morticinis abstinemus, ne quo (4) sanguine contaminemur vel intra viscera sepulto. Denique inter testamenta Christianorum botulos (*d*) etiam cruore distentos admovetis, certissimi (5) scilicet, illicitum esse penes illos, per quod exorbitare eos vultis. Porro quale est, ut quos sanguinem pecoris horrere confidatis, humano inhiare (6) credatis, nisi forte suaviorem eum experti? Quem quidem et ipsum proinde examinatorem Christianorum adhiberi ut foculum, ut acerram (*e*) oportebat. Proinde (7) enim probarentur sanguinem humanum appetendo, quemadmodum sacrificium respuendo (*f*); alioquin necandi (*g*) si gustassent (8),

LECTIONES VARIANTES.

(1) Deinde *Paris.*
(2) Qua *Jun.*
(3) A spurcitia *Paris.*
(4) Quo modo *Fran.* quoque *MS. L. Bat.*
(5) Certissimi — Porro *abest Paris.*
(6) Initiare *legit Wouwerius ad Minucium p.* 39.
(7) Perinde *Par.*
(8) *Sic Her., Wouw., Rig., Hav. e MS.; Cod. Fuld. necandi (Pamel. aliique :* negandi) si non gustassent, qu. si immolassent.

COMMENTARIUS.

Oratio Septimii nostri ita intelligi debet: Animalia ista, quorum carnes vos avide devoratis, priusquam in arena a bestiariis strata sunt, multos ante adversariorum occiderunt, ita aper cruorem, quem e vulnere dentibus elicuit, dum conculcat seminortuum hominem, detersit et hausit; cervus potum defessus sitiens avide ingurgitavit, ursus hominem ipsum intra viscera sua etiam sepelivit. Martialis I, ep. 44.

Ponatur tibi nullus aper post talia facta;
Sed tu ponaris, cui Charidemus, apro.

Tertull. de Spectac. cap. XII. *nisi et feris humana corpora dissiparentur.* Et cap. XXI. *idem in amphitheatro derosa et dissipata, et in suo sanguine squallentia corpora patientissimis oculis desuper incubat.*

(a) *Pasta de homine.* Utitur et hac locutione Prudentius contra Symm. I. vers. 383. increpans voluptatem oculorum in cædibus gladiatorum :

Quid sanguine pasta voluptas.

Intellige ex illis Senecæ Nat. Quæst. II, 3. *Pars est nostri, manus, ossa, nervi, oculi : materia, succus retenti cibi, iturus in partes.* Hav.

(b) *Futurum sanguinem lambunt.* Epiphanius de Gnosticis, Hæresi XXVI. Οἱ δὲ τάλανες, μιγέντες ἀλλήλοις, καὶ ὡς ἐπὶ ἀληθείας αἰσχύνομαι εἰπεῖν τὰ παρὰ τοῖς αὐτοῖς αἰσχρὰ πραττόμενα, κατὰ τὸν ἅγιον Ἀπόστολον, καὶ τὰ παρ' αὐτοῖς γινόμενα αἰσχρόν ἐστι καὶ λέγειν· ὅμως οὐκ αἰσχυνῶ λέγειν, ἃ αὐτοὶ ποιεῖν οὐκ αἰσχύνονται, ἵνα κατὰ πάντα τρόπον φρίξιν ἐργάσωμαι τοῖς ἀκούουσι τὰ παρ' αὐτῶν γενόμενα αἰσχρουργήματα. μετὰ γὰρ τὸ μιγῆναι πάθει πορνείας, προσεπιχύτοις ἀνατείνοντες τὴν ἑαυτῶν βλασφημίαν εἰς οὐρανόν, δέχεται μὲν τὸ γύναιον καὶ ὁ ἀνὴρ τὴν ῥύσιν τὴν ἀπὸ τοῦ ἄῤῥενος εἰς ἰδίας αὐτῶν χεῖρας, etc., καὶ οὕτως αὐτὸ ἐσθίουσι, μεταλαμβάνοντες τὴν ἑαυτῶν ἀκαθαρσίαν, καὶ φασι· Τοῦτό ἐστι τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ. Supra : *homo est, et qui est futurus, et fructus omnis jam in semine est.* Hav.

(c) *Sanguinem in epulis esculentis.* Multis hæc illustravit Elmenhorstius ad Minucii locum, hinc explicans illud Act. XV, 27. quod nos superius aliter exposuimus. Ibidem docet sequiores christianos in totum nonnunquam carnibus abstinuisse ex hoc Prudentiano Cathemer.

Absit enim procul illa fames, etc.
Cædibus ut pecudum libeat
Sanguineas lacerare dapes.
Sint fera gentibus indomitis
Prandia de nece quadrupedum,
Nos oleris coma, nos siliqua
Fœta legumine multimodo
Paverit innocuis epulis.

unde Biandina apud Euseb. Hist. Eccl. V, 1. Ruffini *verbis : Multum erratis, o viri, quod putatis infantum visceribus vesci eos, qui ne mutorum quidem animalium carnibus utuntur.* Nota verò illud, *epulis esculentis*, Minucius *edulium* dicit, quæ significant lautiores epulas, quibus nonnunquam pro temporis ratione Christiani se invitabant, qui itaque ne in deliciis quidem suis sanguine vel bestiarum vescerentur, quomodo humanum ingurgitarent? Clementiæ hinc quoque laudem apud Romanos sibi peperit Domitianus, sed initio imperii, proferens Virgilii versum :

Impia quam cæsis gens est epulata juvencis.

adeo ut *edicere destinaverit, ne boves immolarentur*, prout in Vita ejus c. IX. narrat Suetonius. Scripsit libellum de hac re Evanthius Abbas, scriptor pius et vetustus. Hav.

(d) *Botulos etiam cruore distentos.* De his omnino videndus Leo Imperator in Constitutione LVIII. quæ botulorum et omnino sanguinis esum vetat. Jamque Homeri tempore hoc genus edulii notum fuit, ut patet ex Odyss. Σ. vers. 44 et 117. Ut vero Græci γαστέρες et γαστριμάργους appellarunt helluones, quod loco citato latius exsequitur Eustathius, ita etiam Noster tales *botulos* vocat adversus Psychicos c. 1. *exteriores et interiores botuli Psychicorum.* Lego vero hic ex Modiana collatione efficacius : *in tormenta christianorum botulos etiam cruore*, etc.; quo enim vexarent miseros, botulos in os infarciebant, habentes exploratum, sanguine omnino abstinere. Hav.

(e) *Ut foculum, ut acerram.* Quibus nonnunquam vitam suam redimebant, qui eam animæ cariorem habebant. Adv. Marc. I, 27. *Quid non et in persecutionibus statim oblata acerra animam negatione lucraris?* MS. L. B. transponit, *adhiberi oportebat ut foculum, ut acerram.* Pietatem meram spirant illa, quæ Ausonii carmina inter leguntur. Sunt in Parecbasi :

Nec thus cremandum postulo,
Nec liba crusti mellei :
Foculumque vivi cespitis
Vanis relinquo altaribus.

(f) *Quemadmodum sacrificium.* Prætulerim lectionem MS. Fuld. *appetendo christiani, qui sacrificium respuendo.* Sensus est, iis qui recusatione sacrificii probantur christiani, magis illius sectæ probarentur esu sanguinis, quod illis solemne. Sed hanc et multas alias ejus Codicis lectiones prætermisit Rigaltius. Hav.

(g) *Necandi si gustassent.* Hanc lectionem præferunt Herald. Wouwerius et Rigalt. ad quam aspirat MS. Fuld. in quo *necandi si non gustassent.* Sed et altera non infirmo tibicine nixa est, *negandi si non gustassent, quemadmodum si immolassent;* quam receperunt Pam. et la Cerda et Junius, et antè illos Barræus et Gelenius, tutatur etiam MS. Lugd. Bat. Negandi scilicet christiani, qui sanguinem non appetent, æque ut nunc qui sacrificent. Priorem lectionem ita explico, tum demum morte puniri debere ut patratores infanticidii et humani sanguinis appetentes, si degu-

Digitized by Google

quemadmodum si non immolassent. Et utique non decesset (*a*) vobis in auditione custodiarum et damnatione sanguis humanus. Proinde incesti qui magis, quam quos ipse Jupiter docuit (*b*) ? Persas cum suis matribus misceri Ctesias refert. Sed et Macedones suspecti, quia quum primum Œdipum tragœdiam audissent, ridentes incesti dolorem, ἤλαυνε, dicebant, εἰς τὴν μητέρα (1) (*c*). Jam nunc recogitate, quantum liceat erroribus ad incesta miscenda, suppeditante materias passivitate (*d*) luxuriæ (2). Imprimis filios exponitis suscipiendos ab aliqua prætereunte misericordia (3) extranea (*e*), vel adoptandos melioribus parentibus (*f*) emancipatis. Alienati generis necesse est quandoque memoriam dissipari; et semel error impegerit, exinde jam tradux proficiet incesti, serpente genere cum scelere. Tunc deinde quocumque in loco, domi, peregre, trans freta, comes est libido, cujus ubique saltus facile possunt alicubi ignaris (3) filios pangere vel ex aliqua seminis portione (4); ut ita (5) sparsum genus per commercia humana concurrat in memorias suas, neque eas coitus incesti sanguinis agnoscat. Nos ab isto (*g*) eventu diligentissima et fidelissima castitas sepsit, quantumque ab stupris et ab omni post matri-

LECTIONES VARIANTES.

(1) *In codd.* μάμηνε, ἔμινε, ἔμηνε *vel* ἔμεν dic. εἰς τὴν μητέρα; *Gothofredus in lib. ad Nat. I*, 16. ἤλαυνε dic. τὴν μητέρα, *et ita Hav., Semi., Ritt. Sed v.* εἰς *non est delendum.*

(2) *Rhen.* : suppeditare materias passim invitante luxuria.

(3) Matre extranea *Paris;* misericordiæ extraneæ *Fran.*

(4) *Rig. et Hav.* pangere, velut ex al. sem. sparsione, etc.

(5) Uti aspersum *Franeq.*

COMMENTARIUS.

stando fidem fecerint, quemadmodum sacrificare negantes, interficiuntur. Hav.

(a) *Non deesset vobis.* Tacitam diluit objectionem, unde iste sanguis petatur; quasi homicidium vel ob id, vel venarum incisio necessaria essent, cum semper apud illos æstuaret noxiis carcer, et quotidie hominum, vel christianorum, sanguis funderetur. Hav.

(b) *Ipse Jupiter docuit.* Seneca in Apocolocynt. de Claudio : *Illum Deum ab Jove? quem, quantum quidem in illo fuit, damnavit incesti. L. Silanum enim generum suum occidit. Oro per quod? Sororem festivissimam omnium puellarum, quam omnes Venerem vocarent, maluit Junonem vocare.* Ita interpungo, et explico : potestne ille fieri Deus Jovialis, ut ita dicam (locutio est ut apud Lucretium *Ceres ab Iaccho*, id est Iacchi mater, et apud Tertullianum sæpius *de prudentia, de justitia*, etc.) qui Jovem incesti damnavit in Silano, quem occidit, quoniam sororem suam Juniam Calvinam, ut Jupiter Junonem, id est, pro uxore habere dicebatur. Et quemadmodum Noster non Persarum adjungit exemplum, ita lepide Lucianus Jovem dicit uxores quidem complures duxisse alias, sed postremo loco Junonem germanam suam, idque juxta Persarum et Assyriorum institutum. Verba ejus sunt in Dialogo de Sacrificiis, Ἔγημε δὲ πολλὰς μὲν ἄλλας, ὑστάτην δὲ, τὴν Ἥραν τὴν ἀδελφήν, κατὰ τοὺς Περσῶν τοῦτο, καὶ Ἀσσυρίων νόμους. Hav.

(c) ἤλαυνε *dicebant τὴν μητέρα.* Cum locus hic in MSS. hujus Apologetici varie sit conceptus, ridiculos multos fœtus eruditi commentatores inde extraxerunt, prout in illorum notis videri potest. Scriptura codicum quidem illa est. Barræus *μέμηνε dicebant*, etc. Aldus et MS. Bongars. ἔμινε. Rhen. aliique ἔμηνε vel ἔμεν *dicebant εἰς τὴν μητέρα*, alii aliter. Tandem Rigalt. finxit suum ἤλαυνε *dicebant εἰς τὴν μητέρα*, quasi ad Œdipum ut ducem et regem clamassent, *age duc in matrem*, ut urbem vel castellum expugnaturus; eamdemque lectionem contra MS. Agobardini fidem in lib. Ad Nat. I. cap. 16. intrusit. Priorius denique, cum de suo etiam afferre aliquid vellet, nihilque haberet, suffuratus est conjecturam Heraldi, omnium pessimam, ἐμίηνε, i. e. *incestavit*, tam oscitabundus, ut velut MSS. lectionem nobis obtruderet, quorum ille ne uno quidem unquam usus videtur. Illa sola vera lectio est, quam suppeditat liber Ad nationes, quamque ibi probavit Gothofredus : *Atque exinde alter ad alterum, elaune ten matera, dicebatis.* Id est si vertas, *agitavit matrem*, prout verbum illud passim de equorum agitatione et incitatione sumitur. Confirmaturque MS. Fuld. in quo τὸ εἰς non invenias; nam Lugd. Bat. hic nihil sani, *dolorem, dicebant epala.* Nec potuisse aliter dicere Macedones patet inde, quia conversi alter ad alterum ita locuti sunt, non ad tragœdum sive Œdipum ipsum conversi, ut putavit Rigaltius. Scilicet illi, qui tanto cachinno spectaculum trucidati oculos Œdipi exceperant, improbam hanc causam derisus sui assessoribus suis in eodem theatro dederunt. Huc spectare possit illud Minucii, *Memoriæ et tragœdiæ vestræ incestis gloriantur, quas vos libenter et legitis et auditis.* In Fuld. MS. erat ἐλάγτατ aiebant μετέρα. Hav.

(d) *Passivitate luxuriæ.* Ita appellat Venerem istam erroneam et passim per licita et illicita vagantem. Quomodo cum sæpe, tum etiam vox illa occurrit lib. Adv. Hermogenem cap. XLI. *Hæc inquies non est, hæc turbulentia et passivitas non est, sed moderatio et modestia*, Male itaque Rhen. *suppeditare materias passim invitante luxuria.* Græcis εἰκαιότης, unde εἰκαῖα πρόβατα, *passales oves.* vide Scaligerum ad Manilium p. 68. Hav.

(e) *Misericordia extranea.* Ita passim libri MSS. longe melius quam editi quidam *misericordiæ extraneæ*, aut Rhenani *matre extranea* : quomodo etiam Barræus. Eleganter Paulus JCtus, citante Wouw. ad Minuc. *Necare videtur non tantum is qui partum præfocat, sed et is qui publicis locis misericordiæ causa exponit, quam ipse non habet.* Non possum quin Lactantii locum adducam, sed ita ut emendatior legatur. I. VI. 20. ut vulgati libri habent. *Quis dubitet, quin impius sit, qui alienæ misericordiæ locum non tribuit? quin etiam si contingat ei quod voluit, ut alatur, addixit certe sanguinem suum, vel ad servitutem, vel ad lupanar.* Nihil minus dicit, quam quod videtur velle, in meo certe exemplari. Repone, *qui alienæ misericordiæ locum, non suæ tribuunt*, id exigunt quæ ibi sequuntur. Extraneam talem misericordiam videre licet Charicleæ evenisse apud Heliodorum Æthiop. lib. II. p. 118. edit. Commel. Sed nos de crudelitate hac plura in initio hujus capitis, quibus addi potest Kippingius lib. I. cap. I. p. 13. novæ editionis. Hav.

(f) *Adoptandos melioribus parentibus.* Qui alienos liberos amore paterno complectantur, quos parentes ipsi ablegando a se odisse professi sunt. Interim tamen laudibus apud Scriptores hic adoptandi mos non caruit. Notabilis locus est apud Philonem Judæum in initio libelli de Agricultura, quem vide. Hav.

(g) *Nos ab isto.* Pulcherrimum christianæ continentiæ encomium. Minucius p. 85. *At nos pudorem non facie, sed mente præstamus, unius matrimonii vinculo libenter inhæremus; cupiditatem procreandi aut unam scimus, aut nullam.* Et mox ibid. *Tantum denique abest incesti cupido, ut nonnullis rubori sit etiam pudica conjunctio.* Sed maxime huc facit locus Origenis contra Celsum lib. I. quem quum me docuerit Elmenhorstius, religio est nomen ejus reticere. Οἱ δ' ὑπ' αὐτῶν ἐπὶ ἰδιωτίᾳ ἐξουθενούμενοι, etc., id. est : *Cæterum, homines idiotæ ab illis pro nihilo habitis, ut stulti et il-*

Digitized by Google

monium excessu, tantum et ab incesti casu tuti sumus. Quidam multo securiores totam vim hujus erroris virgine continentia depellunt, senes pueri. Hæc in vobis esse si consideraretis, proinde in Christianis non esse perspiceretis. Iidem oculi renuntiassent utrumque. Sed cæcitatis duæ species facile concurrunt, ut qui non vident quæ sunt, videre videantur quæ non sunt. Sic per omnia ostendam. Nunc de manifestioribus dicam (1).

CAPUT X.

ARGUMENTUM.—*Progreditur jam ad crimen irreligiositatis, aitque Christianos Deorum cultum recusare, quia Dii non sunt, colendi, si Divinitas eorum demonstrari possit. Provocat itaque ad conscientiam Gentilium, quæ negare non potest omnes illos Deos homines olim fuisse, quod jam unius Saturni exemplo liquido demonstrat.*

(a) Deos, inquitis, non colitis, et pro imperatoribus sacrificia non impenditis. Sequitur ut eadem ratione pro aliis non sacrificemus, quia nec pro nobis ipsis, semel deos non colendo. Itaque sacrilegii (b) et majestatis rei convenimur. Summa hæc causa, imo tota est, et utique digna cognosci, si non præsumptio aut iniquitas judicet, altera quæ desperat, (2) altera quæ recusat (3) veritatem. Deos vestros colere desinimus (c); ex quo illos non esse cognoscimus. Hoc igitur exigere debetis, uti probemus non esse illos deos, et idcirco non colendos, quia tunc demum coli debuissent, si dii fuissent. Tunc et Christiani puniendi, si quos non colerent, quia putarent non esse, constaret illos deos esse. Sed nobis inquitis, dii sunt. Appellamus et provocamus a vobis ipsis ad conscientiam vestram, illa nos judicet, illa nos condemnet, si poterit negare omnes istos deos vestros homines fuisse (d). Sed et ipsa inficias si ierit, de suis antiquitatum instrumentis revincetur, de quibus eos didicit, testimonium perhibentibus ad hodierum et civitatibus, in quibus nati sunt (e), et regionibus, in quibus aliquid operati vestigia reliquerunt, in quibus etiam sepulti (f) demonstrantur. Nec ego per sin-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Vv. Sic per omnia ostendam *desunt in ed. Rhenani, et quæ sequuntur* : Nunc de manifestioribus dicam, *c. X. adscripta. Rig. de Hav.* Nunc et manifestis.

(2) Desperet *Paris.*

(3) Recuset *Paris.*

COMMENTARIUS.

liberales, si modo committant se in fidem Dei, et doctrinam Jesu recipiant, tantum absunt ab omni lascivia, spurcitia, turpitudine libidinum, ut in morem perfectorum sacerdotum ab omni coitu abhorrentium, multi eorum in totum caste pureque vivant, alieni a congressu mulierum etiam legitimo. Mox a Rhen. abest *et fidelissima.* HAV.

CAP. X. — (a) *Deos, inquitis, non colitis.* Passim apud Arnob. ut lib. I. *Ergone impiæ religionis sumus apud vos rei, et quod caput rerum et columen venerabilibus animus obsequiis (ut convicio utamur vestro) infausti et athei nuncupamur.* Lib. V. *Audere vos dicere ex his atheum, irreligiosum, sacrilegum, qui Deos esse, omnino aut negant, aut dubitent.* Et lib. VI. *In hac enim consuestis parte invidias nobis tumultuosissimas concitare, appellare nos atheos, et quod minimum tribuamus Diis.* Vide plura apud Interpretes Arnobianos. HAV.

(b) *Sacrilegii.* Convicium quod confestim christianis ingerebatur, supra c. II. *quando de aliquo nocente cognoscitis,* etc.; et ibid. *laniari jubere sacrilegum, si confiteri perseveraverit.* et ad Scapulam c. II. *Tamen nos, quos sacrilegos existimatis, nec in furto unquam deprehendistis, nedum in sacrilegio.* Imo solita populi erat acclamatio in deposcendis innocentum suppliciis, *Tolle sacrilegos.* Rufinus ex Eusebio Eccl. Hist. IV. *Judex ad Polycarpum : habeto ætatis tuæ reverentiam, et parce ultimæ senectuti tuæ, jura fortunam Cæsaris, gerens de prioribus pœnitudinem, et conclama etiam tu : Tolle sacrilegos.* Ibidem, de morte Policarpi : *Cum ex hujus tam insignis morte stuporem cepisset astantis populi multitudo et totius christianorum gentis mirari virtutem de contemnenda morte cæpissent, conclamant omnes : Tolle sacrilegos.* Ex quorum comparatione lucem capere possunt, quæ de Judæorum in Servatorem clamore legimus apud Lucam XXIII. 18. Ἀνέκραξαν δὲ παμπληθεί, λέγοντες· Αἶρε τοῦτον. Quod idem in Paulo accidit Act. XXI, 36. Ἠκολούθει γὰρ τὸ πλῆθος τοῦ λαοῦ κράζον· αἶρε αὐτόν, et multo magis XXII, 22. Αἶρε ἀπὸ τῆς γῆς τὸν τοιοῦτον· οὐ γὰρ καθῆκον αὐτὸν ζῆν. HAV.

(c) *Colere desinimus.* Egregia oratio resipiscentiæ, cui par audax libertas Subrii Flavii Tribuni, conspirationis in Neronem convicti, apud Tacit. XV. Ann. 67. qui interrogatus a Nerone, quibus causis ad oblivionem sacramenti processisset : *Oderam te, inquit, nec quisquam tibi fidelior militum fuit, dum amari meruisti; odisse cœpi, postquam parricida matris et uxoris, auriga, histrio et incendiarius exstitisti.* HAV.

(d) *Homines fuisse.* Hæc habet Tullius Tuscul. I, 12. *Quid totum prope cœlum, ne plures persequar, nonne humano genere completum est? Si vero scrutari vetera et ex his ea quæ scriptores Græciæ prodiderunt eruere coner, ipsi illi majorum gentium dii qui habentur, hinc a nobis profecti in cœlum reperiuntur. Quære quorum demonstrantur sepulchra in Græcia : reminiscere quoniam es initiatus quæ traduntur mysteriis, tum denique quam hoc late patent intelliges.* Hæc similiter de diis Ægyptiorum, ceterorumque populorum tradit Diodorus Sicul. lib. I, p. 17 : Περὶ μὲν οὖν τῶν ἐν οὐρανῷ θεῶν, καὶ γένεσιν ἀΐδιον ἐσχηκότων τοσαῦτα λέγουσιν Αἰγύπτιοι. Ἄλλους δὲ ἐκ τούτων ἐπιγείους γίνεσθαι φασὶ· ὑπάρξαντας μὲν θνητοὺς, διὰ δὲ σύνεσιν καὶ κοινὴν ἀνθρώπων εὐεργεσίαν τετυχηκότας τῆς ἀθανασίας. Ἐνίους καὶ βασιλεῖς γεγονέναι κατὰ τὴν Αἴγυπτον. Μεθηρμηνευομένων δ' αὐτῶν τινὰς μὲν ὁμωνύμους ὑπάρχειν τοῖς οὐρανίοις, τινὰς δὲ ἰδίαν ἐσχηκέναι προσηγορίαν, Ἡλίου τε, καὶ Κρόνου, καὶ Ῥέας, ἔτι δὲ καὶ Διὸς τὸν ὑπό τινων Ἄμμωνα προσαγορευόμενον. Hæc autem de diis qui in cœlo sunt et quorum æternum est genus Ægyptii commemorant. Ex iis aiunt e terra ortos, mortalesque primum fuisse, tunc ob ingenium collataque omnibus hominibus beneficia immortalitatem adeptos; quorum nonnullos in Ægypto reges extitisse; quorumdam nomina vel ita mutata fuisse, ut cum cælestibus voce consimiles fierent, vel ad priorem normam servata, absque mutatione, videlicet Solis, Saturnique et Reæ ac ipsiusmet Jovis quem quidam Ammonem appellarunt. EDD.

(e) *In quibus nati sunt.* Non tantum Apollo, Diana, Bacchus, Hercules, alii, sed Jupiter ipse Divum pater atque hominum, æternus rex, de cujus ipse noster natali solo c. XXV. solita irrisione. *Sed non statim et Jupiter Cretam suam romanis fascibus concuti sineret, oblitus antrum illud Idæum et æra Corybantia, et jucundissimum illic nutricis suæ odorem.* HAV.

(f) *Sepulti demonstrantur.* Hinc illud infra c. XII. *In insulas relegamur? Solet et insulis aliquis deus vester aut nasci, aut mori.* Jovis certe incunabula quis nescit

Digitized by Google

gulos decurram, tot ac tantos (*a*), novos, veteres, barbaros (*b*), Græcos, Romanos, peregrinos, captivos, (*c*) adoptivos, proprios, communes, masculos, feminas, rusticos, urbanos, nauticos, militares; otiosum est etiam titulos persequi, ut colligam in compendium (*d*), et hoc non quo cognoscatis, sed recognoscatis; certe enim oblitos agitis. Ante Saturnum deus penes vos nemo est, ab illo census totius vel potioris vel notioris divinitatis. Itaque quod de origine constiterit, id de posteritate conveniet. Saturnum itaque, si quantum (1) litteræ docent, neque Diodorus Græcus, aut A Thallus, neque Cassius Severus, aut Cornelius Nepos, neque ullus commentator ejuscemodi antiquitatum aliud quam hominem promulgaverunt; si quantum rerum argumenta, nusquam invenio fideliora, quam apud ipsam Italiam, in qua (*e*) Saturnus post multas expeditiones postque Attica hospitia consedit, exceptus a Jano, vel Jane, ut Salii volunt. Mons, quem incoluerat (*f*), Saturnius dictus; civitas, quam depalaverat, Saturnia usque nunc est; tota denique Italia, post Œnotriam, (*g*) Saturnia cognominabatur (2). Ab ipso primum tabulæ et imagine signatus numus (*h*), et inde ærario

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Cod. Lugd.* si quantum; *cæteri* : quantum, *atque in altera periodi parte pro eo, quod Gelenius aliique substituerant* : si quæras rer. arg., *e codd. Herald. et Rig. restituerunt* : si quantum rer. argumenta, etc.

(2) *Rhen. et Gelen.* : Mons quem coluerat Saturnius dictus, civitas quam debellaverat Saturnia cognominabatur.

COMMENTARIUS.

et illum
Vagitum, in Creta quondam ocultasse feruntur.

quem olim Curetes, quum

Armati in numerum pulsarent æribus æra,
Ne Saturnus eum malis mandaret adeptus,
Æternumque daret matri sub pectore volnus,

ut cecinit Lucret. lib. II. vers. 633. Epiphanium adde in lib. Ancoratus aliquanto ante finem : Οὗ τὸ μνῆμα εὖκ ὀλίγοις ἐστι δῆλον, ἐν Κρήτῃ γὰρ τῇ νήσῳ, ἐν τῷ ὄρει τῷ λεγομένῳ Λασίῳ, ἕως δεῦρο δακτυλοδεικτεῖται, id est : *Cujus monumentum non paucis notum est, in Creta enim insula, in monte Lasio appellato, usque huc digito ostenditur.* Quod indignatus Callimachus, veterem tamen famam confirmat hymno I. vers. 8. Hav.

(a) *Tot ac tantos*, etc. De his ex professo agit Augustinus de Civ. Dei lib. III. c. 12. *Sub hoc tot Deorum præsidio, quos numerare quis potest? indigenas et alienigenas, cœlestes, terrestres, infernos, marinos, fontanos, fluviales, et ut Varro dicit, certos atque incertos, in omnibusque generibus Deorum, sicut in animalibus, mares et fœminas*, ubi etiam forte melius legas, *tot ac tanto*, quomodo ex Cod. MS. ad exemplar Augustini mei. ab ipso Vive, ut puto, est adscriptum. Minucius Felix quoque p. 6. *Quum undique hospites Deos quærunt, et suos faciunt: dum aras exstruunt etiam ignotis numinibus.* Hav.

(b) *Barbaros, Græcos.* Antisthenes Thracia matre et inde irrisus a Græcis, dixisse fertur, Καὶ ἡ μήτηρ τῶν Θεῶν, Φρυγία ἐστιν. i. e. *Et Deorum mater Phrygia est.* Laertius in Vita ejus. Hav.

(c) *Captivos.* Quod ut turpe quum amovere a se vellent miseri, prius evocare conabantur, obsessaque urbe aliqua transferre in se favorem Deorum tutelarium. Notat Servius ad illud Virgil. II. Æncid. 351.

Excessere omnes, adytis arisque relictis
Di, quibus imperium hoc steterat.

Quia, inquit, *ante expugnationem evocabantur ab hostibus numina, propter vitanda sacrilegia.* Et ex illo Macrobius III, 9. *ut cum obsiderent urbem hostium eamque jam capi posse confiderent, certo carmine evocarent tutelares Deos : quod aut aliter urbem capi posse non crederent, aut si posset, nefas æstimarent Deos habere captivos.* Quo refero consilium forsan Balaci et Bileami, Numeror. XXIII. 3. 23. Notabile illud est Livii lib. V. cap. 22. quod vide. At quid confidere poterant cæci gentiles istis Diis, qui impotentes erant sua defendere, ut infra ostendet Auctor; quare etiam paruit consilio Philotæ Alexander apud Curtium V, 2. cum jam in eo esset, ut sacram Diis mensam, qua vesci solitus Darius, et e re nata pro scabello sibi in regia sede altiore substratam, subduci juberet, monitus his verbis : *Minime vero hæc fecerit rex, sed omen quoque accipe: mensam, ex qua libavit hostis epulas, tuis pedibus esse subjectam.* Quare in dubio est, utrum Philistæi ut tropæum de hoste victo, an vero divinæ B existimationis ergo et opis, arcam fœderis in templo Dagonis Dei sui collocarint, de quo I. Sam. c. V. Certe non levia de Israelitarum Deo sensisse, constat ex vers. 7. c. IV et 6. cap. VI. Gravissime vero tulit Deus, quos vicerant, et populorum quos eradicarant, in numina sua reciperent, ut patet ex II. Reg. XVI, 3, et XVII. 7. 8. Hav.

(d) *Colligam in compendium.* Notetur locutio Hincmari Rhemensis arch. qui in epist. ait, *ut cuncta breviter cingulo perstringamus*; unde allucet locutionem istam breviter perstringere, usitatam Latinis auctoribus, sumptam a re vestiaria, et præsertim a cingulo. Unde hic Tertullianus signate, *colligam in compendium*, quasi vestes cingulo, ne diffluant. Neque a vestibus abit locutio Senecæ ep. 76. *ut in arctum quæ dicta sunt, contraham.* Lac.

(e) *In quo Saturnus.* Prudentius in Symmachum lib. I. vers. 42. hic inspiciendus, ubi incipit.

C Num melius Saturnus avos rexisse Latinos
Creditur? edictis qui talibus informavit
Agrestes animos, et barbara corda virorum. Hav.

(f) *Mons quem incoluerat.* Hunc locum videtur desumpsisse ex Varrone l. IV. de lingua latina, citatum etiam a D. August. l. VII. de Civ. Dei cap. 2. *Mons*, inquit, *in quo Capitolium est, ante Tarpeius dictus est.* Hunc antea montem *Saturnium* appellatum prodiderunt, et ab eo late Saturniam terram, ut etiam Ennius appellat. Antiquum oppidum in hoc fuisse Saturnium scribitur. Ejus vestigia etiam nunc manent tria; quod Saturni fanum in faucibus, quod Saturnia porta quam Junius scribit, quam nunc vocant Pandanum, quod post ædem Saturni, in ædificiorum legibus, parietes postici, muri, sunt scripti. In quem locum affert Scaliger ipsos Ennii et similes Maronis versus de Janiculo. Pam.

(g) *Œnotriam.* Italia dicta est Œnotria ὑπὸ τοῦ οἴνου, a vino, non ab aliquo rege hujus nominis : quæ opinio consentit cum Aristotele lib. VII. Politic. et cum D Strabone lib. VI. qui nulla facta Œnotorii mentione, illam indigitant. Lac.

(h) *Imagine signatus numus.* Isidorus Orig. l. XVI. c. 17. *Postea a Saturno æreus nummus inventus est. Ipse enim signari nummos et scribi constituit. Propterea et ærarium Saturno a gentilibus consecratum est.* vide plura apud Elmenhorst. in N. ad Min. ut et apud Lipsii excerpta, quæ novæ editioni Kippingianæ adjecta sunt p. 597. et grande litterarum decus, suæque Germaniæ verum hodie splendorem Jo. Alb. Fabricium in Bibliographia Antiquaria p. 525. Non est vero reticendum, quod ita exhibeat Collatio MSS. Fuld. *et imagine et signatus nummus.* unde conjeceram, scriptum forte, *et imagines, et signatus nummus.* Minucius certe, qui gnaviter nostrum descripsit, tantum habet *nummos signare*, ut et reliqui. Quum vero alii de putatione arborum, de coronis, de navigiis addant, potuit Noster inventum statuariæ et sculptoriæ

Digitized by Google

præsidet. Tamen si homo Saturnus, utique ex homine, et quia ab homine non utique de cœlo et terra. Sed cujus parentes ignoti erant, facile fuit eorum filium dici, quorum et omnes possumus videri (*a*). Quis enim non cœlum et terram matrem et patrem venerationis et honoris gratia appellet, vel ex consuetudine humana, qua ignoti vel ex inopinato apparentes de cœlo supervenisse dicuntur? Proinde Saturno repentino (1) (*b*) ubique cœlitem contigit dici. Nam et terræ filios vulgus vocat, quorum genus incertum est. Taceo quod ita rudes tunc (2) homines agebant, ut cujuslibet novi viri aspectu quasi divino (*c*) commoverentur, quum hodie jam politi, quos ante paucos dies luctu publico mortuos (*d*) sint confessi, in deos consecrent. Satis jam de Saturno, licet paucis. Etiam Jovem ostendemus tam hominem (*e*) quam ex homine, et deinceps totum generis examen tam mortale quam seminis sui par.

A

B

CAPUT XI.

ARGUMENTUM.—*At cum post mortem homines ob meritorum præstantiam in Deos adlecti dicantur, inquirit hoc capite in causas quæ hoc exegerint: quæ quidem respectu summi Dei inveniri nequeunt, cum ille aliorum ope non indigeat: respectu ipsorum, vel vanæ sunt, vel tales, ut mereantur potius ob illas cum maleficis in imum tartarum detrudi, ubi collocarunt eos viros, qui et inventis, et meritis illos longe superarunt.*

Et quoniam, sicut illos homines fuisse non audetis negare, ita post mortem deos factos institutis asseverare, caussas quæ hoc exegerint retractemus. Imprimis quidem necesse est concedatis esse aliquem (*f*) sublimiorem Deum et mancipem (*g*)

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Ita Her. et Hav. e codd.*; *Wouw.*: Saturno de repentino adventu.

(2) *odd. Fuld.* tunc.; *cf. ad Nat.* II, 12. *Cæteri* adhuc.

COMMENTARIUS.

artis Saturno adscribere, quum ante simulacra rudi et informi palo constarent. HAV.

(a) *Quorum et omnes possumus videri.* Hinc patet quomodo locus, qui luxatus est in lib. II. Ad Nat. cap. XII, sit restituendus, ibi: *sed cui parentes.... quibusdam facile fuit illum Deorum filium dici, quorum poss.... videri.* supplerunt per *ignoti*, et *possunt* vel *possumus omnes*, recte. Sed et *τὸ Deorum* prima littera minui oportebat. Sequitur et ibi enim, *quis enim Cœlum et Terram*, etc. HAV.

(b) *Repentino ubique.* Ita MS. L.B.Herald. et Rigalt. Intruserunt alii minus recte vocem *adventu*. Itaque nec illud Wouwerianum prohandum *de repentino adventu utique*. Dicit enim de Saturno Tertull. id quod de subornato falsoque Agrippa Tacitus II. Annal. 39. *relinquebat famam, aut præveniebat.* Notat similiter Laertius in Empedoclis Vita, a Selinuntiis illum repentina sua apparitione divinos honores impetrasse. Sed et qui pro desperato ab aliis relictus est locus lib. II. Ad Nat. cap. XIII. una opera sanabo. Ibi de eodem Summo: *Proinde... semper eg... repentino. ubique inolevit Cœlitem dici.* Scripserat Tertullianus, *Proinde Saturno semper egeno et repentino.* Ille enim pulsus regno a Jove filio, dicitur ibidem plurimas terras peragrasse; quare illum mendico, qui nusquam diu manet, assimilat. HAV.

(c) *Quasi divino.* Apud Justinum v. 4. Athenienses Alcibiadem cum victore exercitu subito sibi redditum mirantur: *in hunc oculos civitas universa, in hunc suspensa ora convertit: hunc quasi de cœlo missum, et ut ipsam Victoriam contuentur.* Lactantius loco supra memorato: *Minucius Felix in eo libro, qui Octavius inscribitur, sic argumentatus est: Saturnum, cum fugatus esset a filio in Italiamque venisset, Cœli filium dictum: quod soleamus eos quorum virtutem miremur, aut eos, qui repentine advenerint, de cœlo cecidisse dicere.* Hinc illud vulgatum:

Tertius e cœlo cecidit Cato.

Nec jam mirum amplius, cur Paulum et Barnabam, Mercurium esse Jovemque, et cœlites descendisse putaverint Lystrenses Act. Apost. XIV. 12. quomodo ibidem XXVII, 6. Paulum nihil a vipera læsum Deum crediderunt Melitenses, et barbari et insulani. HAV.

(d) *Luctu publico mortuos.* Codex Fuld. postrema ita concipit: *humatos mortuos*, quod referri possit ad morem descriptorum qui ita variam lectionem invenientes utramque connectentes reponebant; nisi malis ita scribere: *mortuos et humatos.* Videre facile licet, quod-

C

acri aceto Cæsarum consecratio et adoratio hic a Tertulliano perfunditur, non enim mortui tantum, sed et conclamati, sed et sepulti. Possis etiam legere *humane mortuos*, i. e. more hominum, quibus opposuerit *in deos consecrent.* Similis irrisio peregrinorum numinum, quorum cultus Romæ invaluerat, apud Lucanum lib. VIII. versu 833.

Et quem tu plangens hominem testaris Osirim.

Male mox Rhen. *ostendimus.* HAV.

(e) *Tam hominem*, etc. Sanchoniathon, vetustissimus scriptor, apud Theodoret. Serm. III. p. 42. Saturnum fuisse hominem, Ream mulierem, Saturni conjugem tradit, qui Jovem et Junonem filios procrearint, quique omnes, ob beneficia collata, postea ab Phœnicibus pro Diis sunt habiti. Totam quoque Jovis genealogiam cum ex sacris libris Ennii retulisset Lactantius, ita concludit lib. I. c. 14. *Hæc (ut scripta sunt) Jovis fratrumque ejus stirps, atque cognatio, in hunc modum ex sacra scriptione tradita est.* HAV.

CAP. XI.—(f) *Sublimiorem Deum.* Qui non tantum sit Ἀρχαιότατος, ut de Jano Herodianus lib. I. cap. 16. sed et Αὐτοκράτωρ, ut in nummo, quem ad cap. XXXIV. proferemus, vocatur Caius respectu scil. ad Solem et Lunam, qui *θεοὶ αὐτοκράτορες* vocantur apud Philonem de Monarch. lib. I. p. 812. adeoque *Deorum Deus*, ut Macrobio rursus Janus vocatur, lib. I. cap. 9. Δημιουργὸς καὶ θεὸς θεῶν, quomodo Hierocles in Aur. Carm. describit summum Deum, *Creatorem solum Deum, quem Deum Deorum dixerit aliquis, et Deum summum et optimum.* τον δημιουργὸν μόνον ὃν θεὸν θεῶν ἂν εἴποι τις, καὶ θεὸν ὕπατον καὶ ἄριστον. HAV.

D

(g) *Mancipem.* Qualem intelligere dat Lactatius vel Lactantius Statii Scholiastes ad lib. IV. Thebaid. cum scribit: *Infiniti autem Philosophorum, Magorum, Persæ item confirmant, revera esse præter hos Deos cognitos qui coluntur in templis, alium principem, et maxime Deum, cæterorum Numinum ordinatorem.* Tertull. rursus lib. De Spectac. c. X. *Quæ vero voce et modis et organis et lyriæ transiguntur, Apollines et Musas et Minervas et Mercurios mancipes habent.* HAV. — *Mancipem quemdam divinitatis.* Quasi magnarium quemdam divinitatis negotiatorem. Mancipes Asconius interpretatur Principes publicanorum Redemptores. Sic apud Auctores juris, Mancipes Viarum, Salinarum, etc. Sic et Tertullianus lib. de Idololatria dixit, Mancipes idolorum. RIG. — *Mancipem quemdam.* Venuste, inquit Rhenanus, mancipem divinitatis vocat Deum illum superiorem, ac potiorem, qui reliquis divinitatem communicarit, sicuti Sutrinæ

Digitized by Google

quemdam (*a*) divinitatis, qui ex hominibus deos fecerit. Nam neque sibi illi potuissent sumere divinitatem (*b*), quam non habebant, nec alius præstare eam non habentibus, nisi qui proprie possidebat (1). Cæterum si nemo esset, qui deos faceret, frustra præsumitis deos factos auferendo factorem. Certe quidem si ipsi se facere potuissent, numquam homines fuissent, possidentes apud se scilicet melioris conditionis potestatem. Igitur si est qui faciat deos, revertor ad caussas examinandas faciendorum ex hominibus deorum, nec ullas invenio, nisi si (2) ministeria (*c*) et auxilia officiis divinis desideravit ille magnus Deus. Primo indignum est, ut alicujus opera indigeret, et quidem mortui, quem dignius ab initio deum aliquem fecisset, qui mortui erat operam desideraturus. Sed nec operæ locum video. Totum enim hoc mundi corpus sive innatum et infectum secundum Pythagoram, sive natum et factum secundum Platonem, semel utique in ista (3) constructione dispositum et instructum et ordinatum cum omnis rationis gubernaculo inventum est. Imperfectum (*d*) non potuit esse, quod perfecit omnia. Nihil Saturnum et Saturniam gentem exspectabat. Vani erunt homines, nisi certi (*e*) sint, a primordio et pluvias de cœlo ruisse (*f*), et sidera radiasse, et lumina floruisse, et tonitrua mugisse et ipsum Jovem, quæ in manu ejus ponitis, fulmina timuisse (4); item omnem (*g*) frugem ante Liberum et Cererem et Minervam, imo ante ullum aliquem principem hominem (*h*) de terra exuberasse, quia nihil continendo et sustinendo homini prospectum post hominem potuit inferri. Denique invenisse dicuntur necessaria ista vitæ, non instituisse. Quod autem invenitur (*i*), fuit; et quod fuit, non ejus deputabitur, qui invenit, sed ejus qui instituit: erat enim, antequam inveniretur. Cæterum si propterea Liber deus, quod vitem demonstravit, male cum Lucullo (*j*) actum est, qui primus (*k*) cerasa ex Ponto Italiæ promulgavit, quod non est propterea consecra-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Possidebant *Paris.*
(2) Mysteria *Paris.*
(3) In ipsa dispositione *Haverc.*
(4) In Rhen. et Gel. desunt vv. et ipsum — timuisse.

COMMENTARIUS.

magistrum Plinius mancipem vocat, et in qualibet re qui summi sunt, mancipes dicuntur. Pam.

(a) *Quemdam.* Ed. Barr. *quidem.* ut et MS. L. B. Hav.

(b) *Sumere. divinitatem.* Infra c. XXII. *æmulantur divinitatem, dum furantur divinationem.* ubi vide quæ notamus. Hav.

(c) *Nisi si ministeria.* Adverte Tertullianum dilemma conficere. Idcirco magnus Deus adjutorem sibi postulavit, vel quia indigeret auxilio et ministerio alicujus, sine quo non posset hæc machina mundi fieri: vel quia hoc petebant merita alicujus Dei. Non primum, quia nullus locus merito attollendi in cœlum, cum sint multa merita supprimendi ad Tartarum, et hæc vis tota hujus capitis. Lac.

(d) *Imperfectum non potuit esse.* Docet la Cerda hæc non de Deo isto mancipe, sed mundo esse accipienda, quo facto seu creato omnia erant consummata; id itaque imperfectum censeri non potest, quod perfecit omnia, i. e. quod finem omni creaturæ de novo faciendæ dedit, neque ulla ejus pars Saturnum aut alios expectabat, a quibus ut diis crearetur, jam in initio sui perfecta; cui explicationi et ego assentior: nam istam abunde exigunt illa quæ præcedunt, *sed nec operæ locum video*, et quæ mox sequentur jam, *a primordio et pluvias de cœlo ruisse*, etc. Hav.

(e) *Nisi certi sint, a primordio*, etc., Manilius lib. I. cap. 5.

> Jam tum cum Graiæ verterunt Pergama gentes,
> Arctos et Orion adversis frontibus ibant.
> Hæc contenta suos in vertice flectere gyros,
> Ille ex diverso vertentem surgere contra
> Obvius, et toto semper decurrere mundo.

Semel scilicet posuit Deus ordinem rerum, qui cum mundo constitutus et observari cœptus, durabit cum illo, Hippodamus Pythagor. in fragmento, quod superest nobis, de Felicitate: Αἴτε γὰρ μὴ ἦ ὁ κόσμος, οὐδ' ὁ ἥλιος ἦν, οὐδ' ἀ σελανα, οὐδ' οἱ πλανᾶτες ἀστέρες οὐδ' οἱ ἀπλανέες. Ὄντος δὲ γε τοῦ κοσμοῦ, καὶ τούτων ἕκαστον ἔστι. i. e. *Si enim mundus non esset, nec sol, nec luna, nec vel fixæ vel errantes extarent stellæ: Postquam vero mundus est, horum quoque singula cernuntur.* Hav.

(f) *Lumina floruisse.* Lucretium, ut sæpe alias, est imitatus. is lib. IV. vers. 451. Hav.

(g) *Item omnem frugem.* Aut alludit ad ætatem Saturni, quem scribit Macrobius in Latio primum agriculturam docuisse, et vini quoque usum demonstrasse, Servius in VIII. Æneid. Virg. Aut certe ad historiam Geneseos ubi c. III. dicitur emissus Adam de paradiso voluptatis ut operaretur terram, et cap. 2. Abel pastor ovium fuisse dicitur et Cain agricola, cui consentiens Josephus. I. antiq. Jud. Pam.

(h) *Hominem.* Coll. Mod. *hominum.* Non probo; sed breviter locum explicabo. Omne etiam frugum genus, inquit, debuit ex terra provenire, ante Bacchum, Cererem, Minervam. imo etiam ante primum hominem, quicumque ille fuerit, quia nihil, quo homini, ut in vita perduraret, prospiceretur, postquam jam fuit homo, creari potuit vel debuit.

(i) *Quod autem invenitur, fuit.* Nimis premit Septimius etymon ejus quod inventum dicitur. Nam in ista disputatione, inventum, idem est quod commentum, et inventores artium dicuntur, qui primi excogitaverunt artes, et machinas: verbi gratia arandæ telluris, panis pinsendi, coquendi: vitis pastinandæ, propagandæ: vini factitandi, condendi, servandique, et cætera hujusmodi ad vitam necessaria, sive utilia et jucunda. Rig.

(j) *Male cum Lucullo.* Non minus lepide quam vere idipsum D. Hieronymus ad Marcellam [Plin. haud dubie secutus lib. XV. Natur. hist. c. 25.]: *Accepimus*, inquit, *et canistrum cerasis refertum talibus et tam virginali verecundia rubentibus, ut ea nunc Lucullo delata existimarem.* Siquidem hoc genus pomi, Ponto et Armenia (bello nempe Mithridatico, an. v. c. 680.) subjugatis, de Cerasunte primus Romam pertulit, unde et de patria, arbor nomen accepit. *Ostensor et inventor*, a Puteani libro absunt. Pam.

(k) *Qui primus cerasa ex Ponto.* MS. Fuld. legit, *qui primus Romanis c. e.* P. quod cum non poterat tolerari, ob id quod mox sequitur, *Italiæ*, plausum non invenit. Forsitan scripsit, *qui primus Romanus cerasa*, etc. quomodo Lucretius, quem exprimit sæpe, locutus est quondam de magnifico poeta Ennio, qui primus Romanorum laurum meruit lib. I. versu 118.

> Ennius ut noster cecinit qui primus amœno
> Detulit ex Helicone perenni fronde coronam;

i. e. primus nostrum; sic *primus Romanus* est primus Romanorum. Idem Lucretius lib. V. vers. 37.

> Quo neque noster adit quisquam, neque barbarus audet.

Pompeio tribuitur hoc ipsum ab ipso nostro Tertul-

Digitized by Google

tus, ut novæ frugis auctor, quia inventor et ostensor. Quamobrem si ab initio et instructa et certis exercendorum officiorum suorum rationibus dispensata universitas constitit, vacat ex hac parte caussa allegendæ humanitatis in divinitatem, quia quas illis stationes et potestates distribuistis, tam fuerunt ab initio, quam et fuissent, etiamsi deos istos non creassetis. Sed convertimini ad caussam aliam, respondentes collationem (*a*) divinitatis meritorum remunerandorum fuisse rationem. Et hinc concedetis, opinor, illum Deum deificum justitia præcellere, qui nec temere, nec indigne nec prodige tantum præmium dispensarit. Volo igitur merita recensere (1), an ejusmodi sint, ut illos in cœlum extulerint, et non potius in imum tartarum demerserint, quem carcerem pœnarum infernarum cum multis affirmatis. Illuc enim abstrudi (*b*) solent impii quique in parentes, et in sorores incesti, et maritarum adulteri, et virginum raptores et puerorum contaminatores, et qui sæviunt, et qui occidunt, et qui furantur, et qui decipiunt, et quicumque similes sunt alicujus dei vestri, quem (*c*) neminem (2) integrum a crimine aut vitio probare poteritis, nisi hominem negaveritis. Atquin ut illos homines fuisse non potestis negare, etiam istæ notæ accedunt, quæ nec deos postea factos credi permittunt. Si enim talibus vos puniendis præsidetis, si commercium, colloquium, convictum malorum et turpium probi quique respuitis, horum autem pares Deus ille majestatis suæ consortio ascivit, quid ergo damnatis, quorum collegas (*d*) adoratis? Suggillatio (*e*) est in cœlo (3) vestra justitia. Deos (4) facite (*f*) criminosissimos quosque (*g*), ut placeatis diis vestris. Illorum est honor consecratio coæqualium. Sed ut omittam hujus indignitatis retractatum (*h*) probi et integri et boni fuerint. Quot tamen potiores viros apud inferos reliquistis? aliquem de sapientia Socratem (*i*), de justitia Aristidem (*j*), de militia Themi-

A B

LECTIONES VARIANTES.

(1) Vultis *Rig.*
(2) *Rhen. et Gelen.*: Quem hominem negaveritis?
(3) *Cod. Fuld. et Har.* : in cœlum.
(4) Deos facitis *Seml.*

COMMENTARIUS.

liano in lib. Ad. Nat. II. 16. *Cerasium Cn. Pompeius de Ponto primus Italiæ provulgavit.* Hav.

(a) *Collationem divinitatis meritorum remunerandorum fuisse rationem.* Plinius libro II. Hic est vetustissimus referendi bene merentibus gratiam mos, ut tales numinibus adscribantur. Rig.

(b) *Abstrudi solent impii*, etc. Enumerat ibi pariter hos Lucianus in Necromantia : ἐτέρωθεν δέ, inquit, προσήγοντο, etc., i. e. *Ex altera vero parte adducebantur ordine multi longa catena vincti, qui dicebantur adulteri, lenones, publicani, adulatores, sycophantæ, atque istiusmodi turbæ quidvis in vita turbantium.* Respicit noster Tertullianus satis evidenter majestatem Virgilianam, quæ in describendo pœnarum infernalium loco, inter alia, hæc ediserit : lib. VI, vers. 608. 614. et 621, 24 Vide.

(c) *Quem neminem.* Non debuit hanc lectionem sollicitare Latinius, nec depravatam alii laudare. Latinissime enim locutus est Afer noster, et plane ut Suetonius de Nerone c. XXXIX. in Vita ejus : *Ex nonnullis comperi, persuasissimum habuisse eum, neminem hominem pudicum, aut ulla corporis parte purum esse; verum plerosque dissimulare vitium, et calliditate obtegere.* Eodem modo supra dixit cap. X. *Ante Saturnum Deus penes vos nemo est.* Quod vero Ed. Aldina habet et Rhen. *hominem*, quasi novum hic Tertulliani argumentum incipiat, probare non possum, nec enim cum interrogandi signo, ut facit Barræus, est scribendus locus, apud quem frustra quæras illa verba : *atquin ut homines illos fuisse non potestis negare.* Hav.

(d) *Collegas.* Ut infra : *nihil aliud deprehendo, quam materias sorores esse vasculorum, instrumentorumque communium.* Psellus ad Nazianz. p. 1084. *Quonam pacto derideam tales cultus?* idolorum sc. et simulacrorum, *et subsannabo eos qui talia colunt? et qui attribuunt cultus et honores creaturæ et materiei : si ipse adorem conservos, et quæ nihil vel parum distant ab his, qui apud illos habentur Dii.* Loquitur de figmento circa Filium Dei, ut creaturarum primum. Hav.

(e) *Suggillatio est in c. j. v.* Ita coll. Mod. quam probissimam expertam passim sequor. Alii omnes, pari fere sensu, *in cœlo.* Non abludit hinc illud ex lib. II. Ad Nat. cap. 7 *sepulcris Regum vestrorum cœlum infamatis.* Cœterum elegans est locus, et plenus acri scommate. Cum enim maleficos, adulteros, homicidas, fures, juste in terris puniant, non vident eodem judicio se Deos suos, quos in cœlis collocarunt, damnare, quorum certe nullum esse probat, quod et passim constabat apud omnes, quin sit incestus, adulter, fur, homicida, virginum et puerorum raptor atque corruptor; quare quum pares Deorum suorum atque in sceleribus collegas puniant, hoc certe contumeliam ab illis deputabunt Dii sui, ut loquitur in fine c. XIII. Hav.

C

(f) *Deos facite*, etc. Ut unda undam, sic telum telum apud Nostrum excipit. Quasi jam patronus impietati factus, defendet eam, quo certe auxilio vel defensore non gaudeat. Par sarcasmus, quem invenies c. XIII. *Sed digne Imperatoribus defunctis honorem divinitatis dicatis, quibus et viventibus eum addicitis, accepto ferent Dii vestri, imo gratulabuntur, quod pares eis fiunt domini sui.* Pessime vero editio Pamelii exhibet *Deos facitis.* Dis enim, cur non ex vinctis pessimos nocentes Deos facitis, hoc facto rem gratam Diis vestris præstabitis, par enim pari gaudet. Recte itaque scribunt *facite* Membr. L. B. Herald. La Cerda, Rigal. Rhenan. et reliqui. Hav.

D

(g) *Criminosissimos quosque.* Arnobius lib. V. *Si contemptor aliquis Numinum, et sacrilegi pectoris immanitate furiosus, intendisset animum maledicere Diis vestris : auderet in eos quidquam gravius dicere, quam ista prodit historia, quam, velut quiddam mirabile, commentarii contulistis in formulam? ac ne illam vis temporis, et vetustatis obsolefaceret longitudo, perpetuitatis honore mactastis. Quid est enim de Diis in ea positum, quidve conscriptum, quod non, si in hominem dixeris pudibundis moribus, et disciplinis horridioribus educatum, et contumeliæ reus sis, et injuriæ, et offensionis odium simultatibus subeas inexpiabilibus comparatum?* Hav.

(h) *Potiores vivos apud inferos reliquistis.* Libera pariter vox Diogenis, qui rogantibus Atheniensibus ut initiaretur, atque dicentibus, quod apud inferos ii qui initiati sunt, præsident, Γελοῖον, ἔφη, εἰ Ἀγησίλας μὲν καὶ Ἐπαμινώνδας ἐν τῷ βορβόρῳ διάξουσιν, οὐτιδεῖς δέ τινες μεμυημένοι ἐν ταῖς μακάρων νήσοις ἔσονται; i. e. *Perridiculum, respondit, siquidem Agesilaus et Epaminondas in cœno degent, viles autem quique initiati in beatorum insulis erunt.* Hav.

(i) *Socratem.* Cui recte inter sapientes primas partes assignat, ab ipso Apolline sapientissimus mortalium dicto. Hav.

(j) *Aristidem.* Cujus tanta in tolerandis adversis pa-

Digitized by Google

stoclem (*a*), de sublimitate Alexandrum (*b*), de felicitate Polycratem (*c*), de copia Crœsum (*d*), de eloquentia Demosthenem (*e*)? Quis ex illis diis vestris gravior et sapientior Catone (*f*), justior et militarior Scipione (*g*)? quis sublimior Pompeio (*h*), felicior Sylla (*i*), copiosior Crasso, eloquentior Tullio (*j*)? Quanto dignius istos deos ille assumendos expectasset, præscius utique potiorum? Properavit, opinor, et cœlum semel clusit, et nunc utique melioribus apud inferos mussitantibus (*k*) erubescit.

CAPUT XII.

ARGUMENTUM. — *Jam porro ostendit, Numina illa nihil esse, nisi inania mortuorum nomina, quorum simulacra, respectu materiæ fabricæque, maxime contemni mercantur, ut adeo in solatium sint ipsis Christianis, qui propter illa puniuntur. Ut enim Dii fiant, crucibus, velut Christiani, figuntur, asciis edolantur, truncantur denique. Leonibus etiam cinguntur, et in lapicidinis habitant, atque ex insulis proveniunt. Quæ sicut ipsi non sentiunt, ita nec honores, qui ipsis fiunt. Non itaque magis damnandi Christiani, qui illos respuunt, quam ipse olim Seneca, qui similiter inanes superstitiones improbavit: Ridiculos enim esse Deos, qui injuriæ vilissimarum etiam bestiolarum pateant, imo qui, cum non sint, nec illis qui sunt benefacere, nec ab illis lædi possunt.*

Cesso jam de istis, ut qui sciam me ex ipsa veritate demonstraturum quid non sint, quum ostendero quid sint. Quantum igitur de diis vestris, nomina

COMMENTARIUS.

tientia, ut cum suffragia comportarentur, quibus ille in exsilium mitteretur, ignoto cuidam ignotus ipse petenti, ut nomen Aristidis illiterato sibi in calculo scriberet, parnerit. nihil aliud causanti, quam non placere sibi nimis justum audire Aristidem. Cujus tanta integritas, ut post reditum ab exsilio, quum semper maximis in Rep. muneribus functus esset, in re tenui defunctus, publice sit elatus et filiabus de publico dos sit data. Laudatus hoc nomine cum ab aliis, tum a Nazianzeno in carm. Cygneis. O sæculi felicitatem. HAV.

(a) *De militia Themistoclem.* Themistoclis gloria emicuit bello Medico, pugna Marathonia, sub auspiciis Miltiadis, et mox ipse aliquot annis post, dux Atheniensium, adversus Xerxis navales copias ad Salaminam memorabili cum laude conflixit. LAC.

(b) *Alexandrum.* Cujus μεγαλοψυχία omnem paginam apud Arrianum et Curtium implet. HAV.

(c) *Polycratem.* Non is pari passu ambulat, in fine vitæ ab omni fortuna deturbatus, et misere in cruce necatus, felicis tamen nomen vindicavit illi nimia Fortunæ indulgentia, et a pisce reportatus abjectus in mare annulus. HAV.

(d) *De copia Crœsum.* Miror hæc in Ed. Juniana non comparere, cum etiam Aldus agnoscat, ubi perperam *Crassum* ponitur. Delubra vero Deorum Lydiæ hujus auro ditata opulentiam ejus ostenderunt. Omisit quoque Rhenanus. HAV.

(e) *Demosthenem.* Cujus volubilis linguæ fulmina attonita stupuit Græcia. HAV.

(f) *Catone.* Illo, qui de cœlo cecidisse dicebatur, qui bonus esse quam videri malebat. HAV.

(g) *Scipione.* In quo duas istas virtutes conjungit, quemque Aristidi et Themistocli opponit, quantis viris! et certe in laude militiæ omnibus ab Luciano anteponitur, uno Alexandro excepto, in jucunda ista altercatione Annibalis et Alexandri, inter Dialogos Mortuorum, qui etiam in recensione imperatorum romanorum primas obtinet apud Theodoret. Ad Græcos p. 121. Οὐχὶ Ῥωμαίων περιφανέστατοι στρατηγοὶ, ὁ Σκιπίων ὁ πρῶτος, etc. i. e. *Non Romanorum præclarissimi imperatores, Scipionum major*, etc. Etiam *justi* elogium meruit Scipionis nomen insigni isto facto, quo de præda virginem omnium formosissimam intactam sponso suo restituit. Historiam narrant Livius lib. XXVI. in fine, et Valerius Maximus lib. IV. cap. III. Factum hoc (nam Tertullianus Scipiones, omnes sibi simillimos, confundit, ut et Catones duos) etiamnum loquitur insignis raritate clypeus antiquus, cujus ectypon nunc passim est notum, et ut alibi sic in Bibl. Lugd. Bat. pendet. HAV.

(h) *Pompeio.* Magno illo, factorum omnium dictorumque Alexandri æmulo. Testis Sallustius in fragm. quæ de III. Hist. libro supersunt. Sed *Pompeius a prima adolescentia, sermone fautorum, similem fore se credens Alexandro regi, facta, consultaque ejus quidem æmulus erat.* HAV.

(i) *Syllæ.* Inde cognomine *Felix* appellatus, et quod raro sanguinariis contingit, placida morte ablatus, nam,

Sine cæde et vulnere pauci
Descendunt reges, et sicca morte tyranni.

Lucanus de illo lib. II, vers. 221.

Hisne salus rerum? Felix his Sulla vocari?
His meruit tumulum medio sibi tollere campo?

(j) *Tullio.* Juvenal. Sat. X. vers. 114.

Eloquium ac famam Demosthenis aut Ciceronis
Incipit optare, etc.

(k) *Mussitantibus.* Scribendum forte *musinantibus*, quod propius accedit ad scripturam MS. L. B. et Aldinam, quæ est *musitantibus*. Ut vero docet Isidorus Orig. lib. XII. c. 1. *musino* est animal natum ex capra et ariete; unde hoc verbum formari potuit, atque ita satirice dicit fortes illas animas, apud inferos coniscare, et quasi arietes, cornibus ob illatam injuriam minitari, concursuras, si copia detur, cum inferioribus sibi diis cœlestibus. Respexit puto, ut sæpe illa Luciani in Bis Accus. p. 309 ubi Mercurius ad Patrem Jovem: Πάνυ ἀγανακτοῦσιν, ὦ πάτερ, καὶ σχετλιάζουσιν. καὶ ἐς τὸ φανερὸν μὲν οὐ τολμῶσι λέγειν, ὑπογογγύζουσι δὲ συγκεκυφότες; i. e. *Valde indignantur, pater, et animo iniquo ferunt; nec palam profiteri audent, sed apud se submurmurant inclinati.* Vel certe illud Senecæ in lepidissimo illo de Claudii Apotheosi lusu? *Nuntiantur Jovi venisse quemdam bonæ staturæ, bene canum, nescio quid illum minari: assidue enim caput movere.* Si vero tutior cui vetus videatur lectio, sciat pari modo *mussitare* suum fabricasse Tertullianum, quo μύζειν Homerus Iliad. Δ

αὐ δὲ τὶ μύξαν Ἀθηναίη τε καὶ Ἥρη.

et *mussare* hinc Lucretius lib. II, vers. 658.

Sed quia multa sibi vident contraria mussant.

et lib. VI, vers. 1177.

Mussabat tacito medicina dolore.

nec Virg. imitari puduit. is Æn. XII.

Mussat rex ipse Latinus.

mussare itaque valet hic non audere hiscere, ne μῦ quidem proferre audere, ut ex Varrone recte vir Græce Latineque doctissimus Dionysius Lambinus.

Digitized by Google

solummodo video quorundam veterum (a) mortuorum, et fabulas audio, et sacra de fabulis recognosco; quantum autem de simulacris ipsis, nihil aliud deprehendo, quam materias (1) (b) sorores esse vasculorum instrumentorumque communium, vel ex iisdem vasculis et instrumentis quasi fatum consecratione mutantes, licentia artis transfigurante, et quidem contumeliosissime et in ipso opere sacrilege, ut revera nobis maxime, qui propter deos ipsos plectimur, solatium pœnarum esse possit, quod eadem et ipsi patiuntur, ut fiant. Crucibus et stipitibus (c) imponitis christianos: quod simulacrum non prius argilla deformat cruci et stipiti (d) superstructa? In patibulo primum corpus dei vestri dedicatur (e). Ungulis deraditis (f) latera christianorum; at in deos vestros per omnia membra validius incumbunt asciæ, et runcinæ, et scobinæ (g). Cervices ponimus (h): ante plumbum et glutinum et gomphos (i) sine ca-

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Her. et Rig.*: materias sorores, *Haverc. ex uno cod.* *Ald.*: matres sorores, *Seml.*: matre sorores.

COMMENTARIUS.

CAP. XII. (a) *Veterum mortuorum.* Similiter Lactantius Inst. div. lib. II. c. 2. *et ideo simulacra constituunt, quæ quia mortuorum sunt imagines, similia mortuis sunt, omni enim sensu carent.* Et apud eumdem versus Sibyllini l. c. 11.

Δαίμονας ἀψύχους, νεκύων εἴδωλα καμόντων,
Ὧν Κρήτη κατίγημα τάφους ἡ δύσμορος ἴσχει·

i. e. *Dæmones inanimes, cadaverum simulacra mortuorum, quorum Creta in jactantiam sepulcra misera habet.* Prudentius quoque I, contra Symmachum

Et tot templa Deum Romæ quot in orbe sepulcra
Heroum numerare licet. HAV.

(b) *Materias sorores esse.* Ex eadem quippe materia et dii et vasa domestica fingi solebant, atque etiam quæ vasa prius fuerant in deos mutabantur contrita et pistillo aliquo contusa, unde materia soror hoc est συγγενής, atque ut habetur apud Georgium Palamam: ἀδελφὰ φασι, καὶ ὁμόχωρα, καὶ τῆς αὐτῆς κεραμείας. LE PR.

(c) *Crucibus et stipitibus.* Pulchre deducit iisdem suppliciis affici ab illis deos suos, quibus in Christianos animadvertebant, quæ erant cruces, stipites, ungulæ, capitis pœna, bestiæ, ignes, et in metalla relegatio. Imitatur autem etiam hic per omnia Tertullianum Minucius, distinguens inter simulacra; ut in ligneum competat suspendi, cædi, dolari, runcinare, construi; in æreum vel argenteum conflari, fundi, plumbari, tundi malleis, et incudibus figurari; in lapideum denique cædi, sculpi, lævigari et erigi. Atqui illud *argilla deformat cruci et stipiti superstructa*, ita explicat Josephus Scaliger in Festum, ut alludat auctor ad derivationem stipitis a stipa, quæ proprie crux est cui argillam imponunt plastæ. PAM.

(d) *Cruci et Stipiti.* Plastæ enim cum simulacrum aliquod deformare velint, necesse habent erectum ponere stipitem, cui corpus circumstruatur, et lignum transversum, ut brachia formentur. Totum hoc argumentum Minucius quoque similiter exsequitur p. 26. *Quod si in animum quis inducat, tormentis quibus, et quibus machinis simulacrum omne formetur, erubescet timere se materiem, ab artifice, ut Deum faceret, illusam. Deus enim ligneus, rogi fortasse, vel infelicis stipitis portio, suspenditur, cæditur, dolatur, runcinatur, et Deus æreus vel argenteus, de immundo vasculo, ut sæpius factum Ægyptio regi, conflatur, tunditur malleis, et incudibus figuratur: et lapideus cæditur, scalpitur, et ab impurato homine lævigatur.* Ubi vide Elmenhorst. Arnobius lib. VI. *Fornacibus incocta figulinis, ex incudibus et malleis, tormis rasa, descobinata limis; serris, perforcutis, asciis, secta, dolata, effossa; terebrarum excavata vertigine, runcinarum lævigata de planis.* HAV.

(e) *Dei vestri dedicatur.* Sic supra Neronem dixit dedicatorem damnationis Christianorum, accipiens *dedicare* pro incipere, in quo illum imitatur etiam D. Cyprianus, ep., 33. PAM.

(f) *Ungulis eraditis.* Ita malim cum MS. Fuld. quam *deraditis.* Chrysostomus Hom. de S. Romano martyre, *Tanquam enim belluæ quædam immanes corpus ejus circumcidentes carnifices latera effodiebant, carnem deradebant, ossa denudabant, viscera ipsa interiora pervadebant.* Hæc vero pœnarum genera recenset etiam Theodoret. adv. Græcos Serm. VIII. p. 112. Καὶ οὐχ ἁπλῶς ἔπεισεν, etc., id est: *Neque vero tenuem ut superinnatantem fidem fecerunt, sed adeo profundis nixam radicibus, ut magna hominum multitudo pro hisce retinendis doctrinis mortem libentissime sustinuerit, eaque inficiari volentibus, non linguas ad defensionem objecerit, sed flagris humeros, sed lampadibus latera ferreisque ungulis, et cervices gladiis supposuerit, tympanis ac fidiculis extenta fuerit, palis infixa constiterit, ab immanibus se feris laniari conspexerit, vivique sunt inflammati.* Unde patet, *stipitibus* imponere, hic esse erudelissimum illud supplicii genus, quo inferiora hominis acuto palo in terra erecto imponuntur, ita ut fere per humeros et ad cervicem emineat, hoc Græcis erat ἀνασκινδυλεύεσθαι, quod Hesychius exponit ἀναστολοπισθῆναι, *in festucam tolli.* Idem, σκινδαλμος vel σκινδάλμος, σκόλοψ, i. e. *festuca.* Seneca quoque inter terribilem suppliciorum apparatum recenset Ep. XIV. *Ingens alterius mali pompa est, ferrum circa se et ignes habet, et catenas, et turbam ferarum, quam in viscera immittat humana. Cogita hoc loco carcerem, et cruces, et equuleos, et uncum, et adactum per medium hominem, qui per os emergat, stipitem, et distracta in diversum actis curribus membra; illam tunicam alimentis ignium et illitam et intentam;* et Consol. ad Marciam c. XX. *Video istic cruces non unius quidem generis, sed aliter ab aliis fabricatas, alii capite conversos in terram suspendere, alii per obscœna stipitem egerunt, alii brachia patibulo explicuerunt;* et refero mollissimos effœminati Mæcenatis versus apud eumdem Ep. CI.

Vita dum superest, bene est.
Hanc mihi, vel acuta.
Si sedeam cruce, sustine.

Græci recentiores πατταλεύειν dixerunt. Hujus etiam suppliciі meminit Procopius lib. III, Belli Gothici. HAV.

(g) *Scobinæ.* Et hæc instrumenta erant ad politiorem ornatum, Glossarium Κοσμητήριον, *scoba* dicebant enim Ha pro *scopa*, et hinc *scobina*, et verbum *scobere.* Guido II. prior Cartusiensis, qui obiit a. 1188, et editus est a Chifletio in statutis ejusdem ordinis c. XX. § 2. *Habeat itaque Martha laudabile quidem, sed tamen non sine sollicitudine et perturbatione ministerium: nec sororem sollicite Christi vestigiis inhærentem, et quoniam ipse est Deus, vacando videntem, spiritum suum scobentem, suamque orationem in sinum suum convertentem.* HAV.

(h) *Cervices ponimus.* Respicit morem veterum cum, ut hodieque in Anglia, securi percutiebantur decollandi: nam apud antiquissimos, ut Lucanus lib. VIII.

Nondum artis erat caput ense rotare.

Quæ mortis conditio honoratior visa est postea, ut patet ex indignatione Bassiani apud Spartianum in Vita Getæ: *Ut et Papianus ipse securi percussus sit, improbante Bassiano, quod non gladio res peracta sit.* HAV.

(i) *Gomphos.* Scaliger ad oram libri sui emendavit ita: *Cervices ponimus ante plumbum: glutinum et gomphosis capiti sunt Diis vestris*: hancque proponit in no-

Digitized by Google

pite (*a*) sunt dii vestri. Ad bestias impellimur, certe quas Libero (*b*), et Cybele, et Cœlesti (1) applicatis. Ignibus urimur : hoc et illi a prima quidem massa (*c*). In metalla damnamur (*d*) : inde censentur (*e*) dii vestri. In insulas relegamur (*f*) : solet et in insulis aliquis A deus vester aut nasci aut mori (*g*). Si per hæc constat divinitas aliqua, ergo qui puniuntur consecrantur, et numina erunt dicenda supplicia. Sed plane non sentiunt (*h*) has injurias et contumelias suæ fabricationis dii vestri, sicut nec obsequia. O impiæ

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Rhen. et Semi.* : Cereri.

COMMENTARIUS.

tis ad Manilium p. 509, adeo sibi placens, ut eum encomio repetat in notis ad Euseb. p. 226. Sed fallitur vir illustriss. Ita enim, ut editi Rhen. Jun. la Cerdæ et Rig. et omnes, scribendum est ; sensus est simplex et elegans. Quod et in ora codicis mei notavit P. Scriverius, scribens : « Scaliger ad Manilium, *Cervices*, « etc. Improbat Epistola ad me sua Heribertus Roswey « a. 1602, et in libello edito a. 1607. *Cervices*, etc. « Ita distinguendum videtur, quæ minima mutatio est. « Rogo, utique cum sic optimo sensu legatur, quid « fluctus in simpulo excitamus ? Hactenus ille. » Tria vero, quæ circa capita Deorum, quæ statuis imponebantur, fiebant, recenset Tertullianus, *plumbum*, *soudeerzel* vel *soldarzel* nobis, quod *et a solidare*, quod in aureis, argenteis, stanneis, plumbeis fiebat simulacris; *glutinum*, quod in ligneis et ex argilla confectis, gomphos, quod in colossis, ubi caput cervicibus, quod quidem ob longitudinem prospectus non ita incurreret in oculos, clavis ferreis affigebatur, vel plumbeis binis aut ternis, ut hodieque est videre Romæ in antiquissimis statuis, teste Scaligero ad Euseb. vers. 226. Quo respicit Jeremias propheta, cum de illis dicit x. 4. *affigunt gomphis et malleis, ne fatiscant*, confer Isaiam cap. XLI, 7. Modum vero conjungendi per glutinum et plumbum, plus uno in loco docet insignis artifex Pomponius Gauricus, in elegantI libello de sculplura seu statuaria, qui, post repetitam bis terve editionem, novissime accessit Vitruvio. Glossarium Gr. Lat. H. Steph. Γόμφος, *ἐπίουρος*. *Compages*, *Sudis*. Insignis locus est in Actis S. Thyrsi n. 21, de simulacris : *Quia ipsa magis leguntur gomphis ferreis, et plumbo et saxo*. Coll. Mod. *Glutini et correptos* nescio quid sibi velit. Aldus et Herald. ita, sed male distinguit, *c. p. a. plumbum, et glutinum*, etc. Hav.

(a) *Sine capite*. Demere enim solebant caput alicujus dei, ut aliud imponerent, ita Vespasianus caput Neronis colosso ejus ademit et caput Solis habens septem radios imposuit, quo rursus dempto sacrilege suum caput imposuit Commodus, ut narrat Spartianus in Vita ejus. Apud Suetonium in Tiberio cap. LVIII. *Statuæ quidem Augusti caput dempserat, ut alterius imponeret*. Ubi summus Casaubonus notat frequens illud apud Rhodios fuisse, de quorum statuis urbani homines dicere sint soliti, eas esse histrionibus similes, adducitque hunc Dionis Chrysostomi in Rhodiaca oratione locum : Ὥσπερ γὰρ ἐμείνων ἑκαστον ἄλλοτ' ἄλλον εἶναι, καὶ τοὺς ἀνδρίαντας αὐτοῖς ἄλλοτε ἄλλα λαμβάνειν πρόσωπα, καὶ μικροῦ δεῖν ὑποκρινομένους ἑστάναι. Et apposite ad hunc locum citat Scaliger loco supra notato illum Hieronymi in cap. III. Habacuci : *Si quando tyrannus detruncatur, imagines quoque ejus deponuntur, et statua : et vultu tantummodo commutato, ablatoque capite, ejus qui vicerit facies superponitur ; ut manente corpore, capitibus præcisis, caput aliud commutetur*. Quamdiu igitur caput dei commutetur, est sine capite, imo a prima fabrica, antequam vel plumbo, vel glutino, vel gomphis, caput humeris et cervicibus aptetur. Hav.

(b) *Libero et Cybele*. Bacchi enim currum tigrides et lynces trahunt, de Cybele vero Lucret. lib. II, vers. 600.

Hanc veteres Grajum docti cecinere poetæ
Sedibus in curru bijugos agitare leones.

Apparet res ex Boissardi tabula Antiq. III, 47. Grut. Thes. I, 27, et nummis præclaris, quos olim in Thesauro suo vulgavit Patinus p. 82 et 158, sed nota quod ibi quadrijugi appareant leones. Nomen Cœlesti apud Asios, tutelare Carthaginis numen : et hodieque in nummis Severi et Caracallæ, qui ex Africa oriundi visitur currenti insidens leoni, dextra fulmen, læva sceptrum tenens, caput cincta diademate, prout etiam repræsentatur in gemma cornal. Dactyliothecæ Goleo Gronov. n. 566, quæ sculptura notari debet, quoniam in nummis pro fulmine crotalum suspicabatur Antonius Augustinus. Hujus deæ etiam duobus lenionibus cinctæ statua valde memorabilis occurrit apud Boissard. Antiq. IV, pag. 95, quæ eadem conspicienda præbetur in Thesauro Gruteri, novæ editionis tom. I, p. 86. Plura de hac dea ad cap. XXIV. Male alii Edit. *Cereri*.

(c) *A prima*. Certe dum rudis adhuc materia de monte effossa igni colliquatur, non tantum quum formis infunditur. Hav.

(d) *In metalla damnamur*. Hoc quidem queritur Hilarius contra Constantium Augustum, qui ipsos adhuc episcopos huic operi damnavit. Verba ejus : *Jussos a te Episcopos, quos condemnare nullus audebat, etiam nunc Ecclesiasticis frontibus scriptos metallicæ damnationis titulos recensere*. Et Lucifer Calaritanus Episcopus lib. I. pro Athanasio ad eumdem Constantium. Lac.

(e) *Dii vestri*. Sunt enim vel ex metallo quædam, vel saxo, vel marmore. Lucianus de Sacrificiis : ὅμως δ' οὖν οἱ παριόντες, etc., i. e. *Attamen qui templa ingrediuntur, non jam arbitrantur, se videre, vel ebur ab Indis advectum, vel e Thracum venis effossum aurum : verum ipsum Saturni Rheæque filium a Phidia in terram hospitem adductum*. Noster infra cap. XXIX, de statuis Deorum : *Puto autem et hæ ipsæ materiæ de metallis Cæsarum veniunt*. Hav.

(f) *In insulas*. Ita Fuld. et Rig. sed Ald. *in insula* ; Herald. *in insulis*. Alii mox *aliquis*, non pro more Nostri. Solebant olim damnatis quibusdam igni et aqua interdicere, quo modo, nemine necessaria hæc vitæ præbere auso, peribant misere. Successit in hujus crudelitatis locum relegatio in insulam, sive, ut loquuntur JCti, *deportatio*, sterilem plerumque, utpote ibidem necessariis ad vitam rebus deficientibus plerisque : non dissimilis valde pœna. Lege II. Digest. de Pœnis : *deportatio in locum aquæ et ignis interdictionis successit*. Lege I. Cod. de Repudiis *si Matrimonium quidem deportatione, vel aqua et ignis interdictione non solvitur*. Tacitus de Cassio Severo IV. Annal. 21. *bonis exutus, interdicto igni atque aqua, saxo Seriphio consenuit*. Hav.

(g) *Aut nasci aut mori*. In Delo Apollo et Diana, in Samo, ad Imbrasum fluvium Juno, sub vitice planta, prout patet ex singularissimo apud Seguin. nummo p. 171, in Creta ipse Jupiter supra c. x. et infra c. XXV. *Sed non statim Jupiter Cretam suam Romanis fascibus*, etc. Lactantius quoque Inst. Div. lib. I. c. II. *Ætate pessumata, in Creta, vitam commutavit, et ad deos abiit. Eumque curetes filii sui curaverunt, decoraveruntque eum. Et sepulcrum ejus est in Creta in oppido Gnosso : et dicitur Vestam hanc urbem creavisse, In qua sepulcro ejus est inscriptum*, ὁ Ζεὺς τοῦ Κρόνου, *id est Latine, Jupiter Saturni*. Quamobrem etiam Cretæ urbs Ierapyrna in signum nati atque educati Jovis, aquilæ typum in nummis signavit, ut videre est apud Patin. in Thes. p. 22. et Spanh. de Usu et Pr. N. p. 475. qui etiam inde ex Tristano Jovis ΚΡΗΤΑΓΕΝΟΥΣ meminit. Hav.

(h) *Non sentiunt*. Jeremias in libro Barachi cap. VI. 25. *neque sentiebant cum funderentur*. Ridicule

Digitized by Google

voces, o sacrilega convicia! infrendite, inspumate! iidem estis, qui Senecam (a) aliquem pluribus et amarioribus de vestra superstitione perorantem reprehendistis (1). Igitur si statuas et imagines frigidas mortuorum suorum simillimas non adoramus, quas milvi (b) et mures et araneæ intelligunt, nonne laudem magis, quam pœnam, merebatur repudium aguiti erroris? Possumus enim videri lædere eos, quos certi sumus omnino non esse? Quod non est, nihil ab ullo patitur, quia non est (2).

CAPUT XIII.

ARGUMENTUM. — *Si tamen hæc numina censeri velint, colere utique oportebat, non spernere, quod tamen passim facere illos ostendit, cum singuli plures colant, cum divinitas ab humano pendeat arbitrio, cum simulacra eorum, ut domestica instrumenta pignerentur, venditentur, nec privata tantum, sed et publica, ut adeo majestas quæstuaria efficiatur: mortuis quoque id honoris quod diis habeatur, qui tanto dignius scilicet imperatoribus etiamnum viventibus tribuitur, quoniam et ipsi deos faciunt; at certe meretricibus, cinœdis, similibusque publicæ libidinis victimis, non sine insigni deorum contumelia, licet ii ipsi nihilo nobiliores sint, addici potest.*

Sed nobis dii sunt, inquitis. Et quomodo vos e contrario impii et sacrilegi et irreligiosi erga deos vestros deprehendimini, qui quos præsumitis esse, negligatis, quos timetis, destruatis, quos etiam vindicatis, illudatis? Recognoscite, si mentiar. Primo quidem, cum alii alios colitis, utique quos non colitis offenditis (c). Prælatio alterius sine contumelia alterius non potest procedere, quia nec electio sine reprobatione. Jam ergo contemnitis quos reprobatis, quos reprobando offendere non timetis. Nam ut supra perstrinximus (3), status dei cujusque in sensus æstimatione pendebat. Deus non erat, quem homo consultus noluisset et nolendo damnasset. Domesticos deos (d), quos lares dicitis, domestica potestate tractatis pignerando, venditando, demutando aliquando in cacabulum (e) de Saturno (4), aliquando in trullam de Minerva, ut quisque contritus atque contusus est,

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Herald. e codd. Put. et Borg.* : quam pluribus et amarioribus — reprehendistis. *Wowwer. e codd. Pithœi et F. Ursini* : non reprehendistis. *Cod. Lugd., ed. Rhen. et Ald.* : plur. et a majoribus — reprehendistis vel reprehenditis. *Cod. Fuld.* : perorantem probetis. *Rig. et Haverc.* : aliquem — peror. probatis.

(2) Ab eo patitur qui non est, *Semler*.

(3) præstruximus, *Seml*.

(4) *In edd. Rhen. et Gelenii desunt* vv. aliquando in cac. de Saturno. *codd. Fuld. et Lugd.* : caccabulum.

COMMENTARIUS.

æque, sed alio sensu, de Baccho vapulante Æacus apud Aristophanem in Ranis Act. II. sc. VI.

Εἰπερ θεὸς γάρ ἐστιν, οὐκ αἰσθήσεται, i. e. *Si enim deus est, nihil plagarum sentiet.* HAV.

(a) *Idem estis qui Senecam aliquem pluribus et amarioribus de vestra superstitione perorantem probatis.* In libris scilicet quos de superstitione Romanorum composuit, qui libri citantur ab Augustino lib. VI. de Civ. Dei. Dixit autem Septimius, aliquem Senecam, ut alibi passim, aliqua Dido, aliquis Licianus, aliquis Lazarus. Itaque non est quod movere nos debeat auctoritas codicis Pithœani quem laudavit Nic. Faber præfatione ad Senecam editum Lutetiæ M. D. LXXXVII. Credo quia tunc temporis, cum editio illa Senecæ prodiret, adhuc in Tertulliano legebatur, *pluribus et majoribus perorantem reprehendistis*; quæ scriptura vitio non carebat. In vetustissimo exemplari bibliothecæ Puteanæ disertissime scriptum legimus, *Idem estis qui Senecam aliquem pluribus et amarioribus perorantem reprehendistis*; omissa perperam in postremis istis dictione, quam servavit Pithœanus, eoque sane præstat. In Fuld. legitur *probatis*. RIG. — *Qui Senecam aliquem.* Seneca volumen scripsit de superstitione gentilium cujus meminit Aurelius Augustinus. RHENANUS. — *Senecam aliquem.* Exstat hujus de superstitione fragmentum, quod affert Lipsius lib. II. Elect. cap. 18. et sumpsit ex August. lib. VI. de Civit. Dei cap. 10. LAC.

(b) *Quas milvi, et mures, et araneæ intelligunt.* Hoc est, Sciunt non esse deos; sed æra, vel saxa, vel ligna. In iis ergo nidulantur. immo hæc ipsa quæ pro Diis colitis, inquinare omni contumelia non verentur. Nempe id sibi per ipsos impune fore intelligunt. Huc pertinet lepida illa Priapi Horatiani dejeratio,

Mentior at si quid, merdis caput inquiner albis
Corvorum. RIG.

— *Milvus, et mures, et araneæ.* Clemens Alex., Arnobius, aliique vetustissimi christianæ religionis defensores, deorum apud gentiles stultitiam arguebant ex incuria et sordibus quibus scatebant, cum mures in iis nidularentur, et araneæ telas extenderent. Sicque rom nus ille imperator qui seniorum opera decem millium pondo aranearum coegerat, satis significavit, quantum in idolis squalloris resideret, quandoquidem araneæ in ipsis habitare solerent. LE PR.

CAP. XIII.—(c) *Non colitis, offenditis.* Quorum itaque iram miseri et vindictam exspectare habebant. Curtius de Alexandro in nece Cliti l. VIII. c. 2. *Scrutantemque, num ira deorum ad tantum nefas actus esset, subit, anniversarium sacrum Libero patri non esse redditum statuto tempore, itaque inter vinum et epulas cæde commissa, iram dei fuisse manifestam.* Quæ eadem cum narrasset Arrianus lib. IV. p. 163. edit. Gronov. prudenter, ut philosophus, addit: Ἐπεὶ οὐδ' αὐτῷ ἄλοιτι ἦν ἐς μῆνιν τοῦ θείου, μᾶλλον ἢ τὴν αὐτοῦ κακότητα, ἀναφέρεσθαι τὴν συμφοράν. *Siquidem non ingratum ei erat, casum illum ad iram numinis potius quam ad suum maleficium referri.* Ingens itaque admiratio virtutis C. Fabii Dorsonis apud Livium lib. V. c. 46. qui Capitolio a Gallis obsesso sacrificium genti suæ in colle Quirinali solemne, per medias hostium stationes vadens peregit. Sed vanos hos metus non immerito ridet Lactantius lib. XI. c. 17. *Quotics autem pericula impendent, ob aliquam ineptam et levem caussam se profitentur iratos: sicut Juno Varroni, quod formosum puerum in templo Jovis ad exuvias tenendas collocarat: et ob hanc caussam Romanum nomen apud Cannas pene deletum est.* Cum etiam satis ridicule apud Lucianum in Philospende æreus aliquis Hippocrates neglecto solcum sacrificio omnes pixides et cuncta medicamenta perturbet, ut narratur ibi pag. 483. Pro *procedere* MS. Fuld. mox habet *esse*. HAV.

(d) *Domesticos deos.* Quomodo Lares etiam appellat Hieronymus in Isaiæ cap. LVIII. *Nullus fuerit locus, qui non idololatriæ sordibus inquinetur, sed in tantum, ut post fores domorum idola ponerent, quos domesticos appellant Lares, et tam publice quam privatim animalium suorum sanguinem funderent.* Vide III. Cuperum in Inscript. et Marmorib. Antiq. Homeri Apotheosi subnexis p. 279. ubi de Sylvano, Phœbo, et Jove ipso domestico erudite disserit, et hoc Auctoris in partes vocat. HAV.

(e) *Caccabulum.* Ita manifeste Membr. Fuld. et Lugd. Bat. non *cacabulum*. Quæ vox etiamsi notione

Digitized by Google

dum diu colitur, ut quisque (1) dominus (*a*) sanctiorem expertus est domesticam necessitatem. Publicos æque publico jure fœdatis, quos in hastario (*b*) vectigales habetis. Sic Capitolium, sic olitorium (*c*) forum petitur; sub eadem voce præconis, sub eadem hasta (*d*), sub eadem annotatione quæstoris divinitas addicta conducitur. Sed enim agri tributo onusti viliores, hominum capita stipendio censa ignobiliora; nam hæ (2) sunt notæ captivitatis. Dii vero qui magis tributarii, magis sancti; imo qui magis sancti, magis tributarii. Majestas quæstuaria efficitur. Circuit cauponas (*e*) religio mendicans (*f*). Exigitis mercedem (*g*)

LECTIONES VARIANTES.

(1) Dominum, *Paris*, Deum, *Hav.*

(2) Hæc *Paris*.

COMMENTARIUS.

spurca passim non occurrat, ultro tamen patet adhibita esse cum altera voce *trulla*, ut instrumenta, quibus ventris et vesicæ onus excipiatur, notet, ut vero deos in vasa immundis usibus destinata commutari dicit noster, ita et Minucius inde illos ipsos derivat p. 26. *Deus æreus vel argenteus de immundo vasculo, ut sæpius factum Ægyptio regi, conflatur.* Horum certe sorores esse elegans docet locus ab Elmenhorstio adductus Philonis de Vita Contemplat. p. 610. ὧν τὰ ἀδελφὰ μέρη καὶ συγγενῆ λουτροφόροι γεγόνασι καὶ ποδονίπτρα, καὶ ἄλλα ἄττα τῶν ἀτιμοτέρων, ἃ πρὸς τὰς ἐν σκότῳ χρείας ὑπηρετεῖ μᾶλλον, ἢ τὰς ἐν φωτί; i. e. *quorum* [sc. simulacrorum] *cognatæ partes versæ sunt in serias et pelluvia, cæteraque vasa sordida adhibenda secretis usibus.* Desunt hæc in Rhenana. Hav.

(a) *Ut quisque Deum*) Ita ex MS. Fuld. Rigaltius. At Latinius, Rhen. Aldus, Pamelius unius malunt, *ut vel et* (prout Aldus) *quisque dominum sanctiorem expertus est domesticam necessitatem.* Quod quamvis bonum et aptum faciat sensum, longe tamen Fuldensem scripturam præfero. Viderat et Scalig. qui *Dominum* emendat. Ait enim revera illos cognoscere nihil sibi boni a diis istis accedere, qui majori vi subjecti sunt, necessitati nempe domesticæ. Itaque Martialis ad Priapum suum VIII. 40.

> Non horti neque palmitis beati,
> Sed rari nemoris, Priape, custos,
> Ex quo natus es, et potes renasci,
> Furaces moneo manus repellas,
> Et sylvam domini focis reserves.
> Si defecerit hoc, et ipse lignum es.

Huc facit et Diagoræ illud scomma apud Epiphanium in libro Ancoratus, qui in penuria ligni Herculem suum ligneum excussit, et per ludibrium ad ipsum dixit : Age Hercules, decimum tertium laborem subiturus adesto, obsonium nobis cocturus. Et sane, inquit Epiph. acceptum ipsum in scandulas fidit, peridens proprium Deum, velut qui nullus esset, et apposito illi prandio, illudens pascebatur. In Græca ed. mihi, p. 512. Οὐκ ἀκούουσι γὰρ Διαγόρου, etc., Aldus habet, *et quisque dominum.* Pamelius, Herald. et la Cerda, *ut quisque dominus sanctiorem e. d. n.* Sed forsan olim ita scriptum, *ut quisque Dominus Deum* etc. Hav.

(b) *Quos in hastario vestigales habetis.* Ipse lib. 1. ad Nationes dixerat. Quos in hastarium regessistis. Hastarium igitur est Liber hastarius, seu Tabularium et Regestum vectigaliorum, quæ sub hasta et voce præconis quinquennio quoque addici redemptoribus solebant. Sic foricæ conducebantur : sic forum olitorium, et alia hujusmodi publica; nam et Serapea et Capitolia eodem jure proscripta. Denique sub eadem hasta Capitolium et Olitorium addicebatur petenti redemptori. Sed quid transibat ad redemptorem ea addictione? Hoc videlicet, ut olitorio foro in quinquennium addicto, ex mercimoniis quæ inibi toto eo tempore proponerentur, certas stipes cogeret; similiter, Capitolio conducto, exigeret mercedes pro iis quæ notat ipse Tertullianus lib. 1. ad Nationes, cap. 10, pro solo templi, pro aditu sacri, pro stipitibus, pro ostiis. Ric.

(c) *Sic Olitorum.* Ita recte Rigaltius, cui adstipulatur MS. L. B. et lib. ad Nat. et edit. Aldina, alii, *si Capitolium, si Olitorium.* Totum hunc locum male perceptum ab Interpretibus, qui multis insudant, ut sensum idoneum eliciant, solus recte explicavit Nicolaus Rigaltius, quem vide. Atqui Tertullianus hic non de venditione deorum vel statuarum ex præda et manubiis hostium partarum agit, ut somniat la Cerda, sed de conductione seu locatione, unde vectigal fisci publici augebatur. Scilicet non attenderunt viri docti eximiam antiquitatis notitiam nobis hic indagari. Nam ut ubique omnia Romæ statuarum erant plena, ita ut quasi alter populus esset, adeoque non immerito ille apud Petronium dicat : *utique nostra regio tam præsentibus plena est numinibus, ut facilius possis deum quam hominem invenire;* totque deorum ædes, ut et hic potuisset exclamare Græculus ille, *Audite templa;* ita Capitolium illius maxime ornatum erat, quod a publicanis conducebatur, ut pro aditu sacri, pro solo templi et similibus, unde gratis deos non licere nosse ait, ædituis et custodibus ingens proveniret emolumentum. Eodem itaque modo ut olitorium forum, ubi olera vendebant, petebatur, etiam Capitolium et templa sacra maxime licitabantur ab aliis in commodum suum et publicum. Hav.

(d) *Sub eadem hasta.* De hastarum et auctionum origine ac ritu videri possunt Alexander Ab Alexandro III. 16. et Junius Rabirius, cujus liber ex editione Parisiensi A. 1551. 4. insertus est tomo V. Thes. Græviani. Conferri cum his debent verba ex lib. Ad Nat. 1. 10. quæ totum hoc unice illustrant. *Jam primum quos in hastarium regessistis, publicanis subditatis, omni quinquennio inter vectigalia vestra proscriptos addicitis : sic Serapeum, sic Capitolium petitur, addicitur, conducitur Divinitas sub eadem voce præconis, eadem exactione quæstoris.* Ubi egregie etiam ante Rigaltium, quæcumque huc pertinent docuit doctissimus JCtus Gothofredus, ostenditque in quinquennium a publicanis fuisse conductum. Hav.

(e) *Circuit cauponas.* Gentilium turpissimum lucrum arguit, apud quos sacerdotes Cybeles stipem ostiatim exigebant, unde sat. 8. Juvenalis :

> Inter carnifices, et fabros sandapilarum,
> Et resupinati cessantia tympana Galli. Le Pr.

(f) *Religio mendicans.* Coll. Mod. *religio m.* Lucretius non sine aculeo lib. II. vers. 624.

> Ergo, cum primum magnas invecta per urbes
> Munificat tacita mortales muta salute,
> Ære atque argento sternunt iter omne viarum,
> Largifica stipe ditantes.

Noster rursus c. XLII. *non enim sufficimus, et hominibus, et diis vestris mendicantibus opem ferre.* Minucius p. 26. *mendicantes vicatim deos ducunt;* ubi vide Interpretes. Hunc tamen locum intelligi debere non de circumforaneis sacerdotibus et ostiatim mendicante religione, sed de invitatione publica ad locationem, abunde ostenditur in lib. Ad Nat. 1. 10. *Negotiatio religione proscribitur, sanctitas locationem mendicat.* Fallitur itaque Pamelius. Hav.

(g) *Exigitis mercedem.* Quam publicanis pendere

Digitized by Google

pro solo templi, pro aditu sacri (*a*); non licet deos nosse gratis, venales sunt. Quid omnino ad honorandos eos facitis, quod non etiam mortuis vestris conferatis? ædes proinde, aras proinde (1). Idem habitus et insignia in statuis. Ut ætas, ut ars, ut negotium mortui fuit, ita deus est. Quo differt ab epulo Jovis silicernium (*b*), a simpulo (2) (*c*) obba, ab haruspice pollinctor? nam et haruspex mortuis apparet (*d*). Sed digne imperatoribus defunctis honorem divinitatis dicatis, quibus et viventibus eum addicitis (3). Accepto ferent dii vestri, imo gratulabuntur, quod pares eis fiant domini sui (*e*). Sed quum Larentinam (4), publicum scortum, velim saltem Laidem aut Phrynen, inter Junones et Cereres ac Dianas adoratis; quum Simonem Magum statua (*f*) et inscriptione sancti dei inauguratis; quum de pædagogiis (5) aulicis nescio quem (6) synodi (*g*) deum facitis: licet non nobiliores dii veteres, tamen contumeliam a vobis deputabunt, hoc et aliis licuisse, quod solis antiquitas contulit (7).

CAPUT XIV.

ARGUMENTUM. — *Obiter inde avaritia in victimis probis offerendis taxata, Homerum reliquosque vates aggreditur, docetque quam turpia doctôres hi de diis loquantur, qui tamen ut exemplar linguæ et morum juventuti proponuntur: Tragicos item et Comicos, imo et Philosophos, quorum princeps Socrates, cum Diogene et Varrone, deos irrisit, destruxit.*

Nolo (8) et ritus vestros recensere; non dico

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ædes perinde aras. *Paris.*
(2) *Rhen. et Gelen.* : simpuvio.
(3) Adjicitis, *Paris.*
(4) *Rhen., Ald., Scaliger* : Larentiam. *Cf. Minutii Fel. Oct.* c. 25.
(5) aut *addit Paris.*
(6) Cinœdum, *Semler.*
(7) *Hav. e cod.: Fuld.:* quod soli ab antiquitate præceperant. *Rig.* : perceperant.
(8) *Codd. excepto Lugd. omnes* : Volo; *illam Lugd.*

COMMENTARIUS.

necesse erat, nam de locatione ut apparet ex lib. Ad Nat. 1. 10. *Majestas constituitur in quæstum : negotiatio religione proscribitur, sanctitas locationem mendicat : exigitis mercedem pro solo templi, pro aditu sacri, pro stipibus, pro hostiis, venditis totam divinitatem, non licet eam gratis coli : plus denique publicanis refigitur, quam sacerdotibus.* Pro *sacri* Cod. Fuld. legit *sacrarii*, et pro *honorandos* ibidem *inhonorandos*. HAV.

(a) *Pro aditu sacri.* Quid itaque mirum, si et Judæi annuam pensionem dare coacti fuerint pro loco in quo sacra sua transigebant? Vide infra cap. XVIII. ad illud : *vectigalis liber* scilicet, ut Juvenal. Sat. III. 15.

Omnis enim populo mercedem pendere jussa est
Arbor, et ejectis mendicat sylva camænis.

Mendicat poeta dicit, ut Noster supra, *circuit cauponas religio mendicans.* HAV.

(b) *Ab epulo Jovis, etc.* Epulum cœna est Jovi jam grandi deo sacra, silicernium proprie erat convivium funebre senibus exhibitum. Simpulum vel simpuvium vas erat quo in sacrificiis vinum libabatur, obba vero erat vasis ventricosi genus, quo diis manibus litabatur. LE PR.

(c) *A simpulo obba.* Diligenter de hisce egerunt Interpretes. Nihil differre ait epulum Jovis jam natu grandis a funebri senum convivio, nec vasa et utensilia in utroque, nec ministeria, quæ cuncta suo nomine appellat. Dicebant vero *simpulum et simpuvium*, quomodo est apud Rhenanum. Inde forsan diversa, quod hoc ex ligno esset, illud fictile. Nonius : *simpuvium est vas ligneum.* Festus : *simpulum vas parvum non dissimile cyatho, quo vinum in sacrificiis libabatur.* Apuleius : *In hodiernum populus romanus Diis immortalibus simpulo et catino fictili sacrificat.* Plurima congessit Kippingius Antiq. Rom. p. 209. novæ editionis. De *Silicernio* vide Donatum ad Terent. Adelph. p. 299. HAV.

(d) *Apparet.* Hinc patet quomodo hoc verbum debeat accipi in lib. II. Ad Nat. c. 5. quem locum una opera emendabo : *cui* (deo) *apparere videatur universa negotiatio mundalis proveniens ad humani generis utilitatem, et.... onem.* Supplet Gotofredus *seu accessionem?* ego vero *et læsionem?* Docent id quæ præcedunt, quæ sequuntur. HAV.

(e) *Domini sui.* Admirabiliter! Ipsi enim jam in numinum ordinem rediguntur, qui ante et diis imperabant, et faciebant deos. Manilius lib. IV. de Aug.

Jam facit ipse Deos, mittitque ad sidera numen
Majus, et Augusto crescit sub principe cœlum,

ob consecrationem divi Julii; quem hinc *formatorem puparum* ridens appellat imperator idem et philosophus Julianus in Cæsaribus, quod quemadmodum plastæ nymphas, ita ille deos formaret. Impia quoque, sed diis talibus digna Neronis vox apud Senecam in Octavia vers. 450.

Stulte verebor, ipse cum faciam Deos.

Claud. boletum innuens. Ald. pro *fer.* hab. *ferrent.* HAV.

(f) Eamdem statuam commemorat S. Justinus, Apol. 1. 26. etiam c. 56., eumque præter Eusebium secuti sunt Irenæus adv. hæres, 1. c. 23. §. 1. p. 99. ed. Massuet. — Coll. Clement. Recognn. II. c. 9. — Cyrill. Hieros. Catech. VI. c. 14. — Alios. Hujus rei narrationem defendere conati sunt Thirlbius, Maranus (Præfat. p. III. p. LXXXVI. sq.), Braunius et præ cæteris Fogginius (De romano D. Petri itinere et episcopatu. Florent. 1741. 4. p. 247. sq.). — Contra dixerunt Grabius, van Dale (De oraculis vett. ethnicorum ed. 2 Amstelod. 1700. 4. p. 579. sqq.), Simson (l. c. p. 36. sqq.) aliique permulti.

— Anno 1574. lapis, statuæ olim basis, in insula Tiberina e ruderibus effossus est (vid. Baron. Annall. ad. ann. 44. tom. I. Colon. 1624. p. 363. sq.; coll. Montefalcon. Diarium italic. etc. p. 268.) hacce notatus inscriptione : *Semoni sanco Deo Fidio sacrum*, etc. (apud Gruter. inscript. antiq. totius orbis Rom. ed. Græv. tom. I. p. XCVI. n. 5.). Hic Semo dici etiam poterat Simo, ut sæpe Mircurius, Camina, Gimina al. Sancus (vel Sangus, ut apud Gruter. I. c. n. 6., et Sanctus, ut Ovid. Fast. VI. 213. sq.) Sabinorum erat Deus (cf. Ovid. I. c. 217 et Lactant. Institt. divin. I. c. 15. ed. Le Brun et Dufresn. tom. I.) qui pactis et fœderibus præerat, a sanciendo dictus; quapropter etiam Deus Fidius (Ovid. I. c. 213. et Gruter. II. cc.) appellabatur, a fide. EDD.

(g) *Sinodi Deum.* Vel hinc præstantia MS. L. B. apparet, qui sicut antiquus non est, tamen ex optimo exemplari derivatus apparet. In eo plane erat *sinodi*, ut in Fuld. antiquiore scriptura *Cinhothi*. Male omnes præter Rigalt. edunt *cinœdum*. Alludit, non ad Romanorum Consentes deos seu συμβουλεύοντας et Græcorum Παρέδρους, sed ad illos superioris ordinis et dignationis, qui σύνθρονοι dicebantur. Inscriptio vetus satis superque rem docet, et lectionem confirmat :

ΑΝΤΙΝΟΩ
ΣΥΝΘΡΟΝΩ ΤΩΝ
ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΩ ΘΕΩΝ
Μ. ΟΥΛΠΙΟΣ ΑΠΟΛΛΟΝΙΟΣ
ΠΡΟΦΗΤΗΣ HAV.

Digitized by Google

quales sitis in sacrificando, cum enecta (*a*) et tabidosa et scabiosa quæque mactatis; cum de opimis et integris supervacua (*b*) quæque truncatis capitula et ungulas (*c*), quæ domi quoque pueris vel canibus destinassetis; cum de decima Herculis (*d*) nec tertiam partem in aram ejus imponitis (1). Laudo magis sapientiam, quod de perdito (*e*) aliquid eripitis (2). Sed conversus ad litteras vestras, quibus informamini ad

LECTIONES VARIANTES.

scripturam. Nolo *Haverc. auctore probarunt Semler et Ritter.*

(1) Laudaboo *Seml.*
(2) Deripitis *Jun.*

COMMENTARIUS.

CAP. XIV. — (a) *Enecta.* Tantum deorum contemptum notat, ut vel pessimas diis victimas offerrent, vel pessimas et spernendas partes, cum ex lege et ritu antiquo optima quæque Diis donari conveniret. Qua de re multa collegit Hieron. Magius Miscell. lib. IV. cap. 4. et alii. Debebat enim esse

Victima labe carens et præstantissima forma,

ut indignatur Pythagoras apud Ovid. Metam. XV. 130. Diligenter itaque inquirebant popæ et sacrificuli, victimam a capite ad calcem perscrutantes. **Lucianus in sacrif.** Καὶ πολὺ γε πρότερον ἐξετάσαντες ἐκ ἐντελὴς εἴη ἵνα μὴ δὲ τῶν ἀχρήστων τι καταφάττωσι; i. e. *Multóque ante explorant, num legitima sit, et sacris idonea : ne quid forte mactent ex his, quæ religio repudiat.* Unde in Passione S. Victoris Massil. quam MS. exstare docet Du Cange in Bib. Vaticana, ubi in Glossario tom. III. explicat verbum *Occare*, ita martyrem alloquitur gentilis :

Surge deosque voca, sumensque per occiput occa
De grege quidquid ames.

Quæ victima ita lecta et justa appellabatur *mystica.* Tibullus lib. I. Eleg. II.

At nobis ærata, Lares, depellite tela.
Hostia erit plena mystica porcus hara.

Indignatur itaque Pan apud Lucianum in Bis Accus. p. 515. vetulum hircum sibi offerri. Verba ejus sunt : ὅμως δὲ δὶς ἢ τρὶς τοῦ ἔτους ἀνιόντες, ἐπιλεξάμενοι τράγον ἔνοχον θύσυσί μοι, πολλῆς τῆς κινδέβρας ἀπόζοντα; i. e. *Sed tamen bis terve quotannis ascendentes, segregato ab hoc hirco aliquo coleato, multum grave olenti, mihi sacrificant.* Et magis ipse Jupiter frustratus hecatombis quas promiserat Mnesitheus diis, si navem suam Capharei scopulis eriperent, at ille ἐκκαίδεκα θεοῖς ἑστιῶν, ἀλεκτρυόνα μόνον κατέθυσε, γέροντα κάκεῖνον, ἤδη καὶ κορυζῶντα, i. e. *Sedecim Diis epulum præbens, gallum unicum immolavit, eumque senem, et gravedine jam laborantem.* Infra cap. XXX. *Nec sanguinem reprobi bovis mori optantis.* Imo vero Deo apud Israelitas nihil nisi omnibus partibus absolutum offerri decebat : unde justa indignatio Malach. I, 8. *cum cæcum qui ad sacrificandum adducitis, non videtur vobis malum, cumque claudum quid morbidumve affertis, nec illud vobis malum videtur.* Quo spectat illud quod dicit in eos Chrysostomus, qui eleemosynas ex rapto tribuunt, in cap. XXVI. Matth. Hom. LXXXVI. *Si enim accusabantur, qui claudicantes offerebant hostias, cum tu pejora facias, quomodo veniam impetrabis?* Quod obtinuisse etiam temporibus paganismi, apud avaros certe, est colligere, cum supra, tum ex simili loco Athenæi lib. XII. cap. 13. p. 551. ubi Hermippus ita Bacchum alloquitur :

νῦν οἱ γὰρ πενόμενοι
Ἀνάτηρά σοι θύουσιν ἤδη βοΐδια
Ἀστερφιδοῦ λιπτότερα καὶ Θουμάντιδος ;

i. e. *Nunc vero pauperculi tibi mutilas sacrificant buculas, Leotrephide ac Thaumantide exiliores.* Scribunt quoque fabulatores inde infandum Pasiphaes amorem in taurum esse natum, quod Minos maritus, quum pulcherrimum taurum Jovi patri vovisset, ipso armentis præfecto, alium immolaverit. Hav.

(b) *Supervacua qnæque.* Huc spectat fabella elegans Æsopica inter veras illas, quas Neveletus vulgavit, non Planudeas, num. XLVII. ubi viator Mercurio dimidium rei inveniundæ vovet, inventaque pera cariotarum et amygdalarum plena, comedit eas, τὰ δὲ τῶν φοινίκων ὀστᾶ, καὶ τὰ τῶν ἀμυγδάλων κελύφη ἐπί τινος ἀνέθηκε βώμου, φήσας· ἀπέχεις, ὦ Ἑρμῆ, τὴν εὐχήν· τοῦ γὰρ εὑρηθέντος τὰ ἐκτὸς καὶ ἐντὸς πρός σε διανέμηται; i. e. *Sed cariotarum ossa et amygdalarum cortices super altari quodam imposuit, inquiens : Habes, ô Mercuri, votum; nam rei inventæ exteriora et interiora tecum partior.* Notatque Adfabulatio dictum in avaros καὶ τοὺς Θεοὺς διὰ πλεονεξίαν καταστοριζομένους, i. e. *qui ipsos Deos ob cupiditatem fallunt.* Hav.

(c) *Capitula et ungulas.* Capitulum pro parvo capite etiam Plauto usitatum in Curcul. et Terentio in Eunuc. et ipsi Tertulliano lib. de Pallio. Elegantissime autem, ut ante me annotavit Josephus Scaliger, circumloquitur, quæ Festus et antiqui vocant ablegmina, id est partes quæ diis porrigebantur. Pam.

(d) *Decima Herculis.* In frac. XXXIX. *Herculanarum decimarum sumptus tabularii supputabunt;* ubi vide Junium. Patet vero hinc decimam lucri partem Herculi vovisse, ut et festivo ex joco servi Plautini Getæ in Truculento Act. II. sc. VII. vers. 10. qui ex illa sportula, quam ad meretricem ferri jusserat dominus, sibi quoque benefaciebat.

Nam jam de hoc obsonio, de mina una deminui
Modo quinque nummos : mihi detraxi partem Herculaneam.

Sed et ad hunc pertinet inscriptio Reatina apud Gruterum p. XCVI. num. 7. sub Semonis Sanci nomine, quæ talis est. SANCO. FIDIO. SEMOPATRI. DE. DECVMA. VICTOR. TIBEI. LVCIVS. MVMIVS. DONVM. MORIBVS. ANTIQVEIS. PRO. VSVRA. HOC. DARE. SEMPER. VISVM ANIMO. SVO. PERFECIT. TVA. OPE. ROGANS. TE. COGENDEI. DISSOLVENDEI. TV. VT. FACILIA. FAXSEIS. PERFICIASQ. DECVMAM. VT. FACIAT. VERÆ. RATIONIS. PROQVE. HOC. ADQVE. ALIEIS. DONIS. DES. DIGNA. MERENTI.

Sumptuosus certe Deus, qui tam grandi dispendio coli necesse habebat. Quam in rem elegantissimi simul et veracissimi versus sunt Antipatri Anthologiæ libro I.

Εὔκολος Ἑρμείας ὁ ποιμένες, ἢν δὲ γάλακτιν
Χείρων, καὶ δρύινῳ στεινδόμενος μέλιτι.
Ἀλλ' οὐχ Ἡρακλῆς· ἵνα δὲ κτίλον, ἢ παχὺν ἄρνα
Αἴτει, καὶ πάντως ἐν θύος ἐκλέγεται.
Ἀλλὰ λύκους εἴργειν Τί δὲ τὸ πλέον, εἰ τὸ φυλαχθὶν
Ὄλλυται, εἴτε λύκοις, εἴθ' ὑπὸ τοῦ φύλακος.

Versus Græcos hoc modo eleganter Josephus Scaliger Latinos fecit :

Mercurius, pueri, minimo placabilis illo
Lacte, vel agresti melle litatus erit.
Non sic Alcides : aries aut agnus opimus
Poscitur, aut aliquo de grege lecta pecus.
Dicis, at ille lupos arcet, quasi referat, utrum
Custos, anne rapax perdat ovile lupus. Hav.

(e) *De perdito.* Idem ille Plautinus servus istis versibus qui præcedunt, increpans heri stultitiam :

Domi quidquid habet, verritur tĩ; quandoquidem ipsius perditum se it,
Secreto hercle equidem illum adjutabo, neque mea quidem

Digitized by Google

prudentiam et ad liberalia officia, quanta invenio ludibria! deos inter se propter Trojanos et Achivos ut gladiatorum paria congressos depugnasse; Venerem humana sagitta sauciatam, quod filium suum Æneam pene interfectum ab eodem Diomede rapere vellet (1); Martem tredecim mensibus in vinculis pene consumptum; Jovem, ne eamdem vim a cæteris cœlitibus experiretur, opera cujusdam monstri liberatum, et nunc flentem Sarpedonis casum, nunc fœde subantem in sororem sub commemoratione non ita dilectarum jampridem amicarum (*a*)! Exinde quis non poeta ex auctoritate principis sui dedecorator invenitur deorum? Hic Apollinem Admeto regi pascendis pecoribus addicit (*b*), ille Neptuni structorias operas Laomedonti locat. Est et illis de lyricis (Pindarum dico) (*c*), qui Æsculapium canit avaritiæ merito, qua medicinam nocenter exercebat (*d*), fulmine vindicatum (2). Malus Jupiter, si fulmen illius est (*e*), impius

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Cod. Fuld.*: cum filium suum Æneam, ne interimeretur rapere voluisset. *Quæ Scripturæ diversitas movit Rigaltium, ut hæc verba prorsus deleret. Hæc habet Mscr. codex Bibl. Reg. Paris.* 2616.

(2) *Rig. et Hav. e cod. Fuld.*: judicatum (*i. e. punitum*).

COMMENTARIUS.

Opera numquam nihilominus propere, quam potest [peribit.

et qui pone sequuntur.

Nam hoc assimile est, quasi de fluvio qui aquam derivat sibi,
Nisi derivetur; tamen omnis ea aqua abeat in mare,
Nam hoc in mare abit, misereque perit sine omni bona [gratia.

Huc quoque spectant Lactantii verba in lib. II, cap. 4. *His aurum et argentum consecrant, quæ tam non habent, qui accipiunt, quam qui illa donarunt*, ubi et Dionysii sacrilegi verba adverte. Illi Dii sciilicet sunt ex illis mortuis, de quibus sapiens ille Mimus, Publium dico versu 608.

Mortuo munus qui mittit, nil dat illi, adimit sibi.

Non injucunda igitur altercatio Carionis cum Mercurio apud Aristoph. in Plaut. Act. v. sc. 1.

ΕΡ. Καὶ μὴν ὀκ'ὀτε τι σκεύαριον τοῦ δεσπότου
Ὑφείλου, ἐγώ σε λανθάνειν ἐποίουν ἀεί.
ΚΑ. Ἐπ' ὀτε μετέιχεν αὐτός, ὦ τοιχωρύχε,
Ἦεν γὰρ ἂν σοι ναστὸς εὖ πεπαμμένος
ΕΡ. Ἔπειτα τοῦτον γ' αὐτὸς ἂν κατήσθιες
ΚΑ. Οὐ γὰρ μετεῖχες τὰς ἴσας πλησὰς ἐμοί,
Ὁπότε τι ληφθείην πανουργήσας ἐγώ.
MER. At tu eum vasculum aliquod surriperes hero,
Faciebam ego, ne quis te in furto deprehenderet.
CA. Hoc ideo faciebas, perfossor parietum,
Quod sperares te furti participem fore.
Nam panis mellitus eo cedebat tibi.
MER. Sed eum panem tute ipse edebas postea.
CA. Recte, neque enim tu eorumdem mecum verberum
Fiebas particeps, sicubi deprehenderer
Aliquod committens flagitium.

Et eamdem ob causam Diogenes ἀγάσθαι τῶν ὀρύων, οἱ λαβροπαγοῦντας ὁρῶντες τοὺς δεσπότας, μηδὲν ἁρπάζοιεν τῶν ἐσθιομένων, i. e., *servos mirabatur, qui, quum edaces dominos cernerent, nihil deriperent ciborum*, ut narrat Laertius. Hav.

(a) *Non ita dilectarum amicarum.* Ita malim cum optimo Fuldano codice, quam cum aliis omnibus: *non ita dilectarum jampridem amicarum.* Siquidem istum in vetitum nisum et negatum a natura situm ipsa abunde Juno norat, quapropter nonnunquam se Jovi sub pellicis specie substituisse narrat Philostrat., p. 911, ἴδειν αὐτὸν τότε ἡδέως, ὅτι αὐτὴ συνεστι λάθρα, τὴν γὰρ αἰδεσσίαν τίθεικεν εἰς κλεπτὴν μοιχείας. Et satis bella excusatio amorum Æliæ suæ Vero videbatur apud Spartian., c. v. cum diceret ad uxorem: *Patere me per alias exercere cupiditates meas; uxor enim dignitatis nomen est, non voluptatis.* Sed locus, quem respexit auctor, et cum illo Minucius, est apud Homerum Iliad., Ξ. vers. 314, ubi Jupiter Trojano bello intentus, revocatus vero inde blanditiis uxoris, acrem stimulum Veneris prodit, longamque amicarum seriem pertexit, non unquam erga illas ita, ut tunc erga Junonem affectus. Unde expressius etiam ad Homerum et lectionem nostram in lib. Ad Nat., I, 10, *aut luxuriantem cum Junone fœdissime inducit, commendato libidinis desiderio per commemorationem et enumerationem amicarum.* De Marte suo Venus apud Martialem in epithalamio Iliantidis et Stellæ, lib. VI, 21.

Sed postquam meus est, nulla me pellice læsit:
Tam frugi Juno vellet habere Jovem.

Possis hunc locum ita etiam reformare, *non ita dilectarum quidem amicarum*, vel, *non ita dilectarum haud pridem amicarum.* Quod stultitiam illius Jovis magis arguit, ut qui Junonis suæ recentia fœderet vulnera. Hav.

(b) *Addicit.* Propria prætoris vox in peculium alicujus servitutemque quemquam detrudentis, quod in obæratis et mancipiis fieri solebat. Livius de provocatione Appii Claudii post scelus intentatum in Virginiam: *Rapique in vincula egentem jure libertatis, qui liberum corpus in servitutem addixisset*, lib. III, c. 56, supra: *Divitias addicta conducitur*; de venditionibus et locationibus. Vocem *regi* delet Cod. Fuld. Hav.

(c) *Quia medicinam nocenter exercebat.* Etenim fabulantur, Æsculapium adversus Fata, hoc est, adversus voluntatem Jovis, mortuos quosdam, ingenti pretio captum, ad vitam revocasse. Ἀνδρα ἐκ θανατου κομίσσαι Πδὴ ἐάλωκοτα. Pindarus Pyth. od. III. αντιστρ κωλ. η. Rig.

(d *Nocenter.*) Quia ne secundum Platonem ex Pindaro avarum senem sanitati restituit, et secundum alios deorum jura violavit, mortuos ad vitam revocando? Innuit certe malam famam Theodoret., Sermon. VIII, p. 114, scribens: Καὶ ὁ κεραυνὸς δὲ, καὶ ὁ γενόμενος ἐμπρησμὸς, δῆλοι τῆς φύσεως τὸ ἐπίκρηρον, i. e. *Illud vero incussum fulmen, illaque insequuta combustio, haud penitus sinceræ vitæ impollutique ingenii argumenta sunt.* An potius, secundum lepidam istam Nostri in lib. II, Ad Nat., cap. 14, notam, *quæ quidem ille vivos ad mortem, non mortuos ad vitam, prævaricatione venalis medicinæ agebat*, quod casu matris Epidaurii illustrat, quam dicit *eodem casu obiisse, merito jure, quæ tam malam bestiam ediderat?* Hav.

(e) *Si fulmen illius est.* Egregie. Nam non tantum ante Jovem fuere fulmina, quæ ipse homo timuit, sed et alii dii gestabant, vel saltem a pictoribus et poetis illis tribuuntur. Ita passim Juno Cœlestis Africæ præses occurrit in nummis et sculpturis dextra fulmen tenens, ut supra observabamus, et clypeus Alcibiadis notatur cælatura Cupidinis fulmen vibrantis. Athenæus, lib. XII, c. I, p. 534. Ἀσπίδα γοῦν εἶχειν ἐκ χρυσίου καὶ ἐλέφαντος πεποιημένην, ἐφ' ἧς ἦν ἐπίσημον Ἔρωτα κεραυνὸν ἠγκυλημένος, i. e. *Itaque scutum ex ebore et auro confectum ille habuit, et pro eo in insigni, Cupidinem, qui fulmen vibraret cubito elato*, ita enim explicandus locus, quem male vertit interpres, *qui ulnis fulmen amplecteretur.* Inde de nece Ajacis minoris Valerius Flaccus Argon., lib. I, vers. 372.

Et tortum non a Jove fulmen Oileus
Qui gemet, Euboicas nato stridente per undas.

a Pallade enim fuit interfectus, ut ostendit indignabundæ Junonis oratio apud Virgil., lib. I, vers. 43.

Pallasne exurere classem
Argivum, atque ipsos potuit submergere ponto,
Unius ob noxam et furias Ajacis Oilei?
Ipsa Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem.

et quæ sequuntur, ubi omnino videndus Servius, qui

Digitized by Google

in nepotem, invidus in artificem. Hæc neque vera prodi (*a*), neque falsa confingi (*b*) apud religiosissimos oportebat. Nec tragici quidem aut comici parcunt, ut non ærumnas vel errores domus alicujus dei præfentur (1). Taceo de philosophis, Socrate contentus, qui in contumeliam deorum quercum et hircum et canem (*c*) dejerabat. Sed propterea damnatus est Socrates, quia deos destruebat (*d*). Plane olim, id est semper, veritas odio est. Tamen cum pœnitentia sententiæ (*e*) Athenienses et criminatores Socratis postea afflixerint (2) (*f*), et imaginem ejus auream in tem-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Præ se ferant *Paris.* præferant *Jun.* et — præfantur *Haverc.*

(2) *Cod. Fuld.* Tamen cum pœnitet sententiæ Athenienses, ut criminatores Socr. efflixerint, et — rescissa damnatione test. Socr. reddiderunt.

COMMENTARIUS.

ex Varrone quatuor Deos fulmina sua vibrasse docet, quum ostendat etiam, cur nonnunquam non suum sed Jovis fulmen adhibuerint. Quare etiam fulmen vibrans occurrit Pallas in nummo Antigoni Tutoris, quem exhibet Spanhemius de Us. et Præst. Num., p. 376, illaque clarius Patin. in Thes., p. 26, et Noctua illi idem officium, quod aquila Jovi præstat, unguibus fulmen tenens, ut in aliis nummis videri potest. Exhibetur ab eodem Hercules fulmine armatus, in nummo Herenni, p. 593. Et apud me in veteris gemmæ ectypo olere vecta fulmen quatit Ceres sinistra, dextra spicas gerens. Atque ex illa Thuscorum disciplina Lucretius, lib. VI, vers. 386 :

Quod si Jupiter, atque alii fulgentia Divi
Terrifico quatiunt sonitu cœlestia templa,
Et jaciunt ignes, quo quoique est cumque voluntas.

Quæ quidem fulmina colore distare ex Acrone ad Horatium docet Nammus Amar., Miscell., III, 3. Minatur certe Juno quoque magnum malum Argonautis apud Val. Flaccum, lib. I, versu 114 :

Imbrem ego, et tenebras, sævumque tridentem
Jamjam ego, et inviti torsissem conjugis ignem.

Seneca, Nat. Qu., lib. II, cap. 43. *Quare ergo id fulmen quod solus Jupiter mittit* (MS. Lugd. Bat., antiquissimus legit, *quare id solum fulmen, quod Jupiter mittit*) *placabile est : perniciosum id de quo deliberavit, et quod aliis quoque Diis auctoribus misit? Quia Jovem, id est, Regem progenitum etiam solum oportet* (Recte itaque apud Nostrum, *malus Jupiter, si fulmen illius est*) *nocere non, nisi cum pluribus visum est.* Denique Arnobius, lib. III, ex Plinio docet *Novensiles*, secundum Manilium *Deos novem* esse, *quibus solis Jupiter potestatem faciendi sui permiserit fulminis.* Ibid. *Quod sibi sunt, quos Cincius prædicat, Manilius dicere reperietur falsum, qui alieni fulminis jaculatores sub istius vocaminis appellatione concludit.* Malum hunc Jovem, nihiloque Saturno patre meliorem, porro dicit impium in *nepotem*, Jovis enim filius Apollo, Apollonis Æsculapius. Oraculum infanti datum apud Ovidium Metam., l. II, versu 646.

Animas tibi reddere ademptas
Fas erit; idque semel Diis indignantibus ausus,
Posse dare hoc iterum flamma prohibere avita.
Eque Deo corpus fies exsangue, Deusque,
Qui modo corpus eras, et bis tua fata novabis. Hav.

(a) *Vera prodi.* Coll. Mod. *vero proinde.* Graviter Æschylus apud Aristophanem in Ranis, Act. IV, sc. 2, in altercatione cum Euripide, ibi Euripides :

Πότερον δ' οὐκ ὄντα λόγον τοιοῦτον περὶ τῆς Φαίδρας συνέθηκα;
ΑΙ. Μὰ Δί', ἀλλ' ὄντ.' ἀλλ' ἀκουρίπτειν χρὴ τὸ πονηρόν γε ποιητήν.
Καὶ μὴ παράγειν, μηδὲ διδάσκειν. τοῖς μὲν γὰρ παιδαρίοισιν.
Ἔστι διδάσκαλος, ὅστις φράζει, τοῖς δ' ἡβῶσι ποιηταί.

Quid? egone primus de Phædra scripsi hæc quasi nova, [o Æschyle? dic dum.
ÆS. Imo trita : sed hæc quæ sunt mala, decet occul- [tare poetam,
Non producere, non condocefacere : non pueris solet [æqua
Dictare magister : adultis instillant præcepta poetæ. Hav.

(b) *Confingi.* Lactant., lib. I, cap. 19, *Sed homines ingeniosi hanc secum habebunt fortasse rationem, quia Deus fulminari non potest, apparet non esse factum. Imo vero quia factum est, apparet hominem fuisse.* Notatur Chrysippus apud Laertium, ut qui in Physiologicis fœda de Junone et Jove finxerit. Αἰσχροτάτην γάρ (φασὶ) ταύτην ἀναπλάττει ἱστορίαν, εἰ καὶ ἐπαινεῖ ὡς φυσικήν, χαμαιτύπας μᾶλλον πρέπουσα ἢ Θεοῦς, i. e. *Turpissimam enim (aiunt) hanc fingit historiam, etsi ut naturalem laudat; lustris tamen magis convenientem quam Diis.* Hav.

(c) *Quercum et hircum et canem.* Hujus exemplo Zeno per capparim jurabat, ait Laertius. De hisce juramentis agit Lydius de Juram., cap. III, § 23, 21. Quoniam vero in MS. Fuld., media vox abest, suspicatur Rigalt. ex sono præcedentis *querquum* vitiatis auribus irrepsisse. Sed docte notavit Heraldus ex Scoliaste Aristophanis etiam per hircum dejerasse, imo per anserem et alia quæcumque, ut fuse idem observat. Faciebat vero id docere volens per Deos non esse jurandum. Nos quoniam nihil habemus, quod addamus diligentiæ Heraldinæ, nostra enim proferre volumus, non aliena, symbolum damus ex gemmis Gorlæanis, tom. II, num. 305, 306, 307, 313, 316, 317, 322, 323, ubi conspici possunt capita anseris aquilæ, canis galli, arietis sive hirci, equi, et folium querquus; sunt ibidem, ubi proboscis elephantina occurrit. Hav.

(d) *Deos destruebat.* Ita de Platone judicat Theodoretus, Serm., p. III, p. 50, eum non ausum totam idolorum fabricam tollere, metu populi Atheniensis, sed jussisse ne ex alia materia quam ligno vel saxo fierent, quam putaret contemptui obnoxiam facile vilitatem suo populo persuasuram. Lactantius quoque de omnibus poetis, lib. I, c. 12 : *Metuebant enim malum, si contra publicam persuasionem faterentur, quod erat verum.* Et de Cicerone inprimis, lib. II, c. 3 : *Intelligebat Cicero falsa esse, quæ homines adorarent. Nam cum multa dixisset, quæ ad eversionem religionum valerent, ait tamen non esse ea vulgo disputanda, ne susceptas publice religiones disputatio talis extinguat.* Ubi egregie de Christianis ille Cicero in Marcum Tullium invehitur plenis eloquentiæ velis, dicens inter alia : *Sed nimirum Socratis carcerem times : ideoque patrocinium veritatis suscipere non audes, At mortem, ut sapiens, contemnere debuisti*, et quæ sequuntur. Hav.

(e) *Pœnitentiæ sententia.* Diogenes Laertius in Vita ejus : Ἀθηναῖοι δ' εὐθὺς μετέγνωσε, ὥστε κλεῖσαι καὶ παλαίστρας καὶ γυμνάσια, i. e. *Atheniensibus statim tanta ejus facti pœnitentia incessit, ut palæstras et gymnasia clauderent.* Hav.

(f) *Afflixerint.* Laertius, ibid. : καὶ τοὺς μὲν ἐφυγάδευσαν, Μελίτου δὲ θάνατον κατέγνωσαν,. Ἀνυτόν τε ἐπιδημήσαντα αὐθημερὸν ἐξεκήρυξαν Ἡρακλεῶται, i. e., *ut alios quidem exilio, Melitum vero morte damnarent, Anytum ipsa die, dum peregre esset, Heracleotæ exterminarunt.* Ad hanc opinionem de mortuo Socrate apud judices ipsos alludit Phædrus, nominis et famæ ambitiosus, lib. III, fab. 9.

Cujus non fugio mortem, si famam assequar,
Et cedo invidiæ, dummodo absolvar cinis.

In MS. Fuld. ita scribebatur : *Pœnitet sententiæ Athenienses, ut criminatores Socratis postea efflixerint, et*

Digitized by Google

plo (*a*) collocarint, rescissa damnatio testimonium Socrati reddidit. Sed et Diogenes nescio quid (*b*) in Herculem ludit, et Romanus (*c*) Cynicus Varro trecentos Joves, sive Jupiteres (*d*) dicendum, sine capitibus (*e*) introducit (1).

LECTIONES VARIANTES.

(1) Introduxit *Paris.*

COMMENTARIUS.

imaginem ejus auream in templo collocarint, rescissa damnatione testimonium Socrati reddiderunt; et sic usurpatur *effligendi* verbum, lib. IV., Adv. Marc., c. 12, addit Scioppius. Criminatores hi Socratis rursus apud Gorlæum eodem tomo occurrunt nobis, modo dependentes a vultu Socratis et Palladis, num. 301, modo aliter, num. 330, fueruntque Anytus, Melitus et Lycon. de statua aurea quæ sequuntur, alias copiosius. Locus hic ob angustiam non patitur. Hav.

(*a*) *In templo.* Suspecta quodammodo lectio. Narrat quidem Flavius Vopiscus Tacitum imperatorem statuam argenteam divo Aureliano in templo Solis dedicare voluisse, itemque divorum templum fieri jussisse, in quo essent statuæ principum bonorum. Sed istæ erant numina Romanorum quibus et hostiæ et vota fiebant. Laertius dicit fuisse statuam ἐν Πομπείῳ erectam, publico ædificio ut notat Casaubonus ex Polluce, in quo ut putat, τὰ πομπεῖα, i. e., *pomparum choragia* asservabantur. Unde etiam forsan pretiosiores imagines conditas ibi festis diebus proferri potuerunt ad solemnitatem amplificandam. Scripsit itaque *extemplo* Tertullianus, quod probo ex Laertio, qui dicit pœnitentia correptos Athenienses εὐθὺς, *mox* atque inde publicum luctum indixisse, accusatores perdidisse, Socratem statua honorasse. Sed et in templis Deorum statuas illustrium virorum esse erectas docet Leontino Gorgiæ honos iste in templo Apollinis Pythii habitus, prout sane statuæ illustrium mulierum etiam in loco aliquo numini cuidam dedicato excitabantur. Ita testamento suo non tantum voluit Theophrastus ut Aristotelis imago in simili sacrario reponeretur. In Vita ejus Diogenes Laert., ἔπειτα τὴν Ἀριστοτέλους εἰκόνα τεθῆναι εἰς τὸ ἱερόν. Sed idem ipse Aristoteles de matris suæ statua fieri voluit, ut in Vita ejus eidem scriptor : καὶ τὴν τῆς μητρὸς τῆς ἡμετέρας τῇ Δημητρὶ ἀναθεῖναι εἰς Νεμέαν, i. e., *matris quoque nostræ* sc. statuam *Cereri quæ in Nemea est dicari volo.* Adde quæ de Calphurnia modo diximus. Hav.

(*b*) *Diogenes nescio quid.* Respicit Laertii illud in Vita ejus, quo gloriabatur Diogenes Herculis vitam vivere, μηδὲν ἐλευθερίας προκρίνων, πάντα τῶν σόρων εἶναι λέγων, i. e., *nihil libertate ducere præstantius, et omnia sapientium esse prædicans.* Dicit autem *nescio quid*, quia ultima illa subobscure vim et injurias Herculis innuebant, quas imitabantur illi Cynici, vi capientes si quis petentibus negaret, nec baculo aliter quam Hercules clava utentes, ut passim videri potest apud Lucianum. Quomodo apud illum in Vitarum Auctione interrogatus a mercatore Diogenes, *quem imitaretur? Herculem* respondit. Sic de Hercule legimus apud Lactantium loco quem non longe hinc producemus, *Hercules, solita violentia usus, quia unum accipere non potuit utrumque sustulit.* Imo hunc conditorem sectæ suæ gloriabantur. Lepidissima est confabulatio Diogenis et Herculis inter Dialogos Mortuorum Samosatensis Luciani. Ubi Herculi illudit Cynicus : q. vide, et quæ sequuntur facta sane. Itaque nihil mirum si inter tot Herculis effigies, juvenis, senis, barbati, imberbis, etiam Cynici locum habeat, cujus nudum, squalidum, barba capilloque hirsutum caput ex veteri gemma profert nobilissimus antiquarius Leon. Augustin. in Gemm. Antiq., p. I, N. 6. Hav.

(*c*) *Romanus Cynicus.* Ita dictus ob Satyras Menippeas, quas conscripsit, quarum fragmenta collegit et notis illustravit Ausonius Popma, Aulus Gellius Noct. Att., lib. II, c. 18 : *Ex quibus ille Menippus fuit, cujus libros M. Varro in Satiris æmulatus est : quas alii Cynicas, ipse appellat Menippeas.* Ipse inde *Menippeus* dictus a Symmacho in epistola quam primus edidit et correxit Lud. Carrio Emendat., l. II, c. 14 : *Studium quidem Menippes Varronis imitaris, sed vincis ingenium*, et ab Arnobio, lib. VI, *Varro ut dicit Menippus*, non *ut dicit Menippeis*, ex ejusdem emendatione, c. 17. Hav.

Romanus Cynicus. Libere inquit Rhenanus, Varro locutus est de diis gentium, id quod vel ea sententia satis arguat, quæ citari solet de exstispiciis : Non solum otiosos, sed sordidissimos Deos, si in jecorum et viscerum sterquilinio sua occuluerunt consilia, hominibus ab insanis sacerdotibus manifestanda. Idem Satyras suas Menippæas a Cynico cognominavit. Pam.

(*d*) *Jupiteres.* Vide Priscianum. Nam Jovis non est genitivus τοῦ *Jupiter*, sed antiqui nominativi *Jovis*, ut passim videre est ex exemplis poetarum apud Grammaticos. Unde Varro diserte, lib. VII, de L. L. *Nunc in consuetudine aliter dicere, pro Jovis, Jupiter : pro bovis et bus, bos : pro struis, strues.* Jupiter vero est quasi *juvans pater*, ut *Marspiter* et rectos modo casus habet secundum eumdem. De quo videri potest Ger. Joh. Vossius ille pansophus in addendis ad lib. II, c. 8, de Analogia, MS. Lugd. Bat. legit *Jupitros dicendos.* Fuld., *Jupiteros.* Hav.

(*e*) *Capitibus.* Locus difficilis, tanto magis, quia nec vola nec vestigium ejus apud Varronem, cujus pleraque et longe optima interciderunt, quorum naufragas tabulas collegerunt Riccobonus, Stephanus, Popma, nos etiam in iis operam aliquam posuimus. Junius ex Festo aliquid affert, sed in quo acquiescere non possim. Qui non immerito inde deridetur a la Cerda, cujus la Cerdæ nota est, *sine capitibus*, id est, minuti capite, quorum nec conditionem nec familiam, nec civitatem commemorat, quibus triplex diminutio capitis exprimitur. Hæc ille. Oblique vero etiam Varro taxavit, ut ego quidem puto, Deum Stoicum, mundum, rotundum, globosum, Seneca, Epist. XCVI, *si rotundam illis, qualem Deo dederint formam.* Idem in ridicula illa Apocolocyntosi, quam sine cachinno lego nunquam, de Claudio : *Qualem Deum istum fieri velis? Stoicum. Quomodo potest rotundus esse (ut ait Varro) sine capite sine præputio? Est aliquid in eo Stoici Dei : jam video, nec cor, nec caput habet.* Prout autem nonnulli innumerabiles dixere mundos, ita Varro trecentos Deos sive Jupiteres introduxit, in illo scripto quod ambo, et Seneca et Tertullianus, respexisse videntur. Est adhuc quæ morari nos potest lectio Cod. Ad Nat., 1-10, ubi est *inducit*, quo, nisi usurparit pro introducit, videtur notari expunctio horum Deorum, qui ut la Cerda ait deminuti sint capite, quasi ibi examinarit Varro soliditatem et valorem Divinitatis cujusque Jupiteris inveneritque trecentos, quos ab illo nomine excluserit, quod si placet et hic scribi debuerat *inducit.* Favit huic conjecturæ, quod in eodem libro legitur, cap. XII, de multitudine Deorum. *Tot enim familiæ, tot nationes census bona fide quærunt, ut dispici et distingui describique non possint.* Imo ita clare hoc loco etiam MS. Fuld., ut vix dubitationi locus sit. Aldinus præfert *capidibus.* At vero *Capis* ut notat Festus Pompeius, erat *poculi genus, dictum a capiendo.* Nonius Marcellus jungit cum *armillo*, apud quem Varro de Vita P. R., lib. I, *Etiam nunc copula, quæ vocant capulas, ac capides, quod est copuli genus, item armillum, quod est urceoli genus vinarii.* Ut vero *armillum* inde dictum, *quod armo, id est, humero portetur*, ut Festus, ita *capis* vasculum minoris formæ, quod manu capi tollique posset, Varro de L. L. lib.

Digitized by Google

CAPUT XV.

ARGUMENTUM.—*Demonstrat porro, quam indecore Deorum facta et nomina, ad oculorum et aurium voluptatem, ab ipsis in scenicis voluptatibus inflectantur, ut divinitas plaudente populo constupretur; ut et quam crudeliter in cavea et ludis theatralibus adhibeantur, ubi vilissime majestas illa tractatur; denique quam irreverenter Dii ab ipsis habeantur, dum coram illis libidinem suam explent. Qualis quidem religio cultores suos stultos, insanos, osores vero cordatos et sapientes ostendit.*

Cætera lasciviæ ingenia etiam voluptatibus vestris, per deorum dedecus operantur. Dispicite Lentulorum (*a*) et Hostiliorum (*b*) venustates, utrum mimos (*c*) an deos vestros in jocis et strophis (*d*) rideatis (1) : MŒCHUM ANUBIM (*e*), et MASCULUM LUNAM (*f*), et DIANAM FLAGELLATAM (*g*), et JOVIS MORTUI TESTAMENTUM recitatum, et TRES HERCULES (*h*) FAMELICOS irrisos. Sed et histrionum litteræ (*i*) (2)

LECTIONES VARIANTES.

(1) Rideatis *abest Paris.*

(2) Rhen. : latera; sed cf. Ad Nat. I, 10.

COMMENTARIUS.

IV : *Et minores, capides, a capiendo; quod ansatæ, ut prehendi possint, id est capi. Harum figuras in vasels sacreis ligneas et fictiles antiquas etiam nunc videmus.* Cum *lituis* conjungit etiam Livius, lib. X, c. 7, de habitu Pontificio loquens, *si conspiciatur cum capide ac lituo, capite velato victimam cædat, auguriumve ex arce capiat.* Apparet itaque fuisse instrumentum ad sacra pertinens, nam et *armillum*, teste Festo, *vas vinarium in sacris.* Quasi alicubi in Satyris Menippeis ingentem hanc Jupiterum phalangem introduxisset irrisam quia nullus sacer ornatus circa illos apparebat. Sed ego lectioni MS. Fuld. et libri ad Nat. potius acquiesco. Adde quod hic de abolitione divinitatis agatur quæ non magis apte potest exprimi, quam per verbum *induci.* HAV.

CAP. XV.—(a) *Lentulorum.* De Pallio, c. IV, *meritoque Mimographo Lentulo in Catinensibus commemoratus.* Hujus etiam Hieronymus meminit non semel. HAV.

(b) *Hostiliorum.* Nobilissima inter Romanos familia, et quorum nomina nonnulla nobis reliqua fecit antiquitas. Primus est Hostius Hostilius, qui cum Romulo contra Sabinos pugnavit, memoratus Livio, lib. I. Meminit et Hostilianarum actionum Cicero, lib. I, de Oratore, c. 245, et C. Hostilii Mancini, ibid., c. 238. Apud Reinesium quoque occurrunt, C. Hostilius, qui cum C. Popilio Lenate legatus in Syriam est missus ad Syriæ et Ægypti regnum bellum componendum. Inscript. IV, 8, et L. Hostilius Fortunatus, cum filia Hostilia Januaria, XII, 45. Apud eumdem, XVI, 24.

C. HOSTILIO. C. F. FRUGIONI
C. HOSTILIO. C. F. NEPOTI.

Et rursus, XVII. 154. HOSTILLÆ ATTIIIDI. Quis vero hic Hostilius mihi non liquet et Mimi una cum ipsis inscriptionibus dudum perierunt, *Hostius* vocatur in lib. ad Nationes. De Hostii cujusdam libidine Seneca, N. II, 1. 16. HAV.

(c) *Mimos an Deos vestros.* Lactant., lib. V. cap. 21. *Num pejus? quam iidem ipsi, qui, cum Deos se colere dicant, tamen eos publice turpiterque deridenl : de quibus etiam per mimos agi, cum risu et voluptate patiuntur? qualis hæc religio, aut quanta majestas putanda est, quæ adoratur in templis, illuditur in theatris.* Tertull., de Spectac., cap. XXVII. *Illic nomen Dei blasphematur.* HAV.

(d) *Strophis.* Patet quid per hanc vocem intelligat Auctor, conjungens illam cum *jocis.* Dicit enim proprie callidam in fallendo versutiam, Martialis de mœcha, XI, 8.

Jam stropha talis abit.

à verbo στρέφω, cui affine est nostrum proverbium de re callide surrepta, *uyt donker groen verwem*, Nam certe quod de strophis et antistrophis in carmine lyrico notat la Cerda, hic in mimo innui vix quidem puto. Cum potius a subjecta materia genus ludi tam *stropha* quam *mimus* appellatum fuisse videatur. Hieronymus, Apol. II, adv. Rufin. *Et quasi mimum Philistionis vel Lentuli ac Marulli stropham eleganti sermone conflctam.* Fuit enim ille Marullus insignis Mimographus, cujus exstat dictum hoc ad parasitum gulosum : *Tu Hectorem imitaris, ab ilio nunquam recedis,* ludentis in duplici significatione *Ilii*, qua et urbem et intestinum denotat. Refert Servius ad Virgil., Eclog. VII, 26, et Æneid. VII, 499. Notat passim id quod vulgo dicitur *raillerie, een loop je.* Utitur hac voce rursus in lib. de Anima, c. XXVII, deridens Pantholdem Pythagoram : *Nam qui talem commentus est stropham*, etc., ut adv. Marcion., lib. III, c. 10 : *Quanto dignus necessitas fidem, quam stropham administrasset?* Hieronymus quoque contra Ruff. : *Vis scire totas argutiarum tuarum strophas, vel specularum insidias?* Et hinc voces illæ apud Papiam : *Strophus, tortus, fraudator, Stropha, nequitia, fraus. Stropharius, impostor, fraudator.* Cod. Agobard., *initio strophis.* HAV.

(e) *Mœchum Anubim.* Idem est Deus Anubis et Cynocephalus, unde Virg. dixit, *et latrator Anubis.* Et utriusque forma colebatur Mercurius, sunt autem istæ inscriptiones fabularum. Itaque Anubis mœchus edebatur, sicut Luna masculus, etc. LAC.

(f) *Masculam Lunam.* Ita omnes MSS. et editi. Meursius *Lunum* mavult, quo non opus est. Quæ vero de notitia hujus Numinis et cultu dici possunt, ex lapidibus, nummis, aliisque veteribus monumentis collecta, dabimus in Dissertatione peculiari, de Deo Luno et Diis Hermaphroditis. HAV.

(g) *Dianam flagellatam.* Istud agnomen, inquit La Cerda invenit poeta in contumeliam Dianæ. Ego potius puto titulum seu inscriptionem mimi fuisse, ideoque ut reliquas litteras majusculis efferendos. HAV.

(h) *Hercules famelicos.* Quidquid fuerit, jam ignotum, non absimile tamen illud videtur, quod legere est apud Lactantium, lib. I, c. 21, ubi sacrorum Herculis, quæ apud Lindum, oppidum Rhodi, maledictis et exsecrationibus celebrantur, hanc ex Gentium scriptis rationem narrat : *Hercules quum eo delatus esset, famemque pateretur, aratorem quemdam aspexit operantem : ab eoque petere cœpit, ut sibi unum bovem venderet. Enimvero ille negavit fieri posse : quia spes sua omnis colendæ terræ, duobus illis jumentis niteretur. Hercules, solita violentia usus, quia unum accipere non potuit, utrumque sustulit. At ille infelix, cum boves suos mactari videret, injuriam suam maledictis ultus est : quod homini eleganti et urbano gratissimum fuit. Nam dum comitibus suis epulas apparat, dumque alienos boves devorat, illum sibi amarissime convicIantem cum risu et cachinnis audiebat. Sed postquam Herculi divinos honores ad admirationem virtutis deferri placuit, a civibus ei ara posita est, quam de facto βουζυγον, id est, boris jugum nominavit. Ad quam duo juncti boves immolarentur, sicut illi, quos abstulerat aratori, eumque ipsum sibi constituit sacerdotem, ac præcepit ut iisdem maledictis semper in celebrandis sacrificiis uteretur, quod negaret se unquam epulatum esse jucundius.* Hæ vero mimorum inscriptiones de Jove et Hercule a Codice MS. Fuldano aberant. HAV.

(i) *Histrionum litteræ.* Adumbravit omnia hæc Ar-

Digitized by Google

omnem fœditatem (*a*) eorum designant. Luget Sol filium jactatum (*b*) de cœlo, lætantibus vobis, et Cybele (*c*) (1) pastorem suspirat (*d*) fastidiosum (*e*), non erubescentibus vobis. Et sustinetis Jovis elogia (*f*) cantari, et Junonem (*g*), Venerem, A Minervam a pastore judicari. Quid, quod imago dei vestri ignominiosum caput (*h*) et famosum vestit? quod corpus impurum et ad istam artem effeminatione (*i*) productum Minervam aliquam vel Herculem repræsentat? Nonne violatur majestas et divinitas

LECTIONES VARIANTES.

(2) Et Cybele post.— non erubescentibus vobis *abest Paris.*

COMMENTARIUS.

nobius in fine libri V. *Sed poetis tantummodo licere voluistis indignas de Diis fabulas, et flagitiosa ludibria comminisci. Quid pantomimi vestri, quid histriones, quid illa mimorum atque exoleti generis multitudo? Nonne ad usum quæstus sui abutuntur Diis vestris, et lenocinia voluptatum ex injuriis attrahunt contumeliisque divini?* Notanda est lectio Rhenani *latera*, ut ad effœminationem productum corpus et famosam laterum inflexionem respiciat; in lib. tamen ad Nat., I, 10, leges, ut hic, *histrionicas litteras*.

(a) *Fœditatem eorum.* Amores, adulteria, rixas, et similia. Huc pertinet, quod ibidem apud Arnobium sequitur: *Quod nefarium esset auditu, gentis illa genitrix Marciæ, regnatoris et populi procreatrix amans saltatur Venus et per affectus omnes meretriciæ vilitatis impudica exprimitur imitatione bacchari.* Hav.

(b) *Jactatum.* Cod. Fuld. habet *detractum de cœlo*, quasi rideret Septimius modum etiam quo fulminatio Phaethontis figurabatur, qui machina aliqua ut in curru sublimis sursum erat evectus, ita rursus alia detraheretur et sic in terram præcipitaretur. Reliqui vero, ut et Agobard, *jactatum.* Hav.

(c) *Cybele*) Eodem tenore Arnobius ibidem: *Saltatur et magna sacris compta cum insulis Mater: et contra decus ætatis illa Pessinunti a Dindymene, in bubulci unius amplexu flagitiosa fingitur appetitione gestire.* Quibus ridendi materiam præbuit Deorum ille subsannator Lucianus, et quo et hoc et complura alia mutuatum esse Septimium nostrum agnosco. Is ita loquentem inducit Venerem ad Cupidinem suum in Deorum dialogis: Ἀλλὰ σὺ, ὦ τολμηρότατε, etc., i. e. *Verum etiam, tu audacissime, ipsam Rheam, jam anum, totque Deorum matrem, ad pusionis amorem compulisti, et ad Phrygii illius adolescentis desiderium. Eaque jam a te acta est in insaniam, junctisque leonibus, et assumptis Corybantibus, quippe qui ipsi quoque furore quodam afflati sunt, sursum ac deorsum per Idam oberrant: Hæc quidem propter Attidem ejulans*, etc. Hav.

(d) *Pastorem suspirat.* Quod nobis eleganter ante oculos ponitur in gemma pulcherrima, quæ notanda venit habitu Endymionis pastorali, tomo Dact. Gorl. 11. 498. Describit vero in insigni impostore Alexandro Lucianus in Pseudomante. Καὶ ὁ μὲν καθεύδων, δῆθεν, etc., i. e. *Cum hic dormiens scilicet in medio jaceret: descenderet autem in eum e tecti fastigio, tanquam e cœlo, Lunæ vicem agens, Rutilia quædam formosissima cujusdam e Cæsareæ domus præfectis uxor, quæ nimirum ut amabat Alexandrum, ita vicissim ab illo amabatur. Ac sub oculis perditissimi illius mariti tum complexus agebantur, tum oscula, idque in propatulo. Quod nisi complures fuissent tædæ, forsan nonnihil et eorum, quæ fieri solent infra sinum, patratum fuisset.* Ita vero dictum est hoc *pastorem suspirat*, id est desiderat, ut *suspirat amorem* in Diris, quæ Valerio Catoni assiguantur, ibi:

> Invideo vobis agri, formosaque prata:
> Hoc formosa magis, mea quod formosa puella
> Est vobis. Tacite vestrum suspirat amorem;

ut recte ibi observavit Lindenbrogius, nisi quod malim ex Manutii editione,

> Tacite et vestrum suspirat amorem.

Longe vero aliud Lucani VI, 370.

> Nec tenues ventos suspirat Anauros. Hav.

(e) *Fastidiosum.* Spernentem amores suos. Virgil. in fine Eclogæ II.

> Invenies alium, si te hic fastidit, Alexin.

Ita enim non *Alexis* legi debere, nota quoque Servii indicat. *Alium Alexim, alium puerum formosissimum,* B *qui te minime spernat.* Hav.

(f) *Jovis elogia.* Quæ vox supra a me explicata est. Arnobius loco sæpius memorato: *Quin et ille in fabulis maximus ipse regnator poli, sine ulla numinis majestatisque formidine, adulterorum agere introducitur partes; atque ut fallere castitatem alienarum possit familias matrum, ora immutare pellacia, et in species conjugum subditivi corporis simulatione succedere.* Jovis itaque elogia sunt hi tituli: Jupiter Amphitryo, aurum vel imber aureus, pulma vel cygnus, taurus, et quæ sunt plures furtivorum amorum ejus species. Imo recenset elogia hæc Arnobius iterum lib. VII. *Ponit animos Jupiter, si Amphitryo fuerit actus pronuntiatusque Plautinus? Aut si Europa, si Leda, Ganymedes fuerit saltatus, aut Danae, motum compescet irarum?* quodque ad suspirantem Attin Cybelem attinet, ibidem ait: *Tranquillior, lenior, mater magna efficitur, is Atydis conspexerit priscam refricari ab histrionibus fabulam?* (*Id.*)

C (g) *Junonem.* Vide hoc judicium inter Samosatensis Luciani Dialogos. Ipsa Venus hinc occurrit ut victrix aureum ostentans malum, idque gaudendi similis inspicienas. Dact. Gorl. tom. II. num. 24. 77. 79. 166. 272. et in nummis Plautillæ et Faustinæ. Verum ipsa judicii scena clarissime apparet ex ectypo hoc veteris gemmæ et nummo quem olim protulit Morellius. (Vid. ad Hug. tom. frontem.)

(h) *Imago dei vestri ignominiosissimum caput et famosum vestit.* Hæc verba, totum histrionis caput, ipsius Dei quem repræsentabat, persona convestitum fuisse significant, quod apertissime declarat Gabius Bassus apud Gellium, cap. 7. lib. V. Nam caput, inquit, et os cooperimento personæ tectum undique, unaque tantum vocis emittendæ via pervium, et videmus in antiquis Comicorum exemplaribus personas in hanc omnino formam depictas. Boethius lib. de duabus Christi Nat. ubi de personæ vocabulo. Quod si acuatur antepenultima, inquit, apertissime a sono dicta videbitur. Idcirco autem a sono, quia concavitate ipsa major necesse est volvatur sonus. Ric. — *Ignominiosissimum caput, et famosum vestit.* Respicit scenicum apparatum et inprimis larvas quibus caput suum inserebant histriones. Illæ enim non tantum Socratem aliosque repræsentabant, ut videri potest in gemmis Gorl. t. II. n. 205. 311. 509. 539. sed et ipsorum Deorum facies. Ita larva Panos spectabilis est ibidem n. 503. Ad hunc ritum etiam respicit eloquens ille Gregorius Nazianzenus Orat. Adv. Mulieres: ubi docet indignum esse honestis mulieribus fuco faciem tingere. *Ignominiosum* legit Cod. Agobard. et pro *quid, ipsum.* Hav.

(i) *Artem effœminatione prod.* Pariter Hieronymus ad Marcellam tom. I. ep. 8. *In theatralibus scenis idem histrio nunc Herculem robustus ostendit, nunc mollis in Venerem frangitur.* Quem locum ut et alios Cypriani, Lactantii, Augustini adducit Elmenhorstius

Digitized by Google

constupratur (*a*) plaudentibus vobis? Plane religiosiores estis in cavea, ubi super sanguinem humanum, super inquinamenta pœnarum proinde saltant dii vestri, argumenta et historias noxiis ministrantes, nisi quod et ipsos deos vestros sæpe noxii (*b*) induunt? Vidimus aliquando castratum Atyn (*c*), illum A deum ex Pessinunte; et qui vivus ardebat, Herculem (*d*) induerat. Risimus et inter ludicras meridianorum (*e*) crudelitates Mercurium mortuos cauterio (*f*) examinantem. Vidimus et Jovis fratrem gladiatorum cadavera cum malleo deducentem (*g*). Singula ista quæque adhuc investigare quis possit? Si honorem

COMMENTARIUS.

ad illud Arnobii lib. VII. *in fœmineas mollitudines enervantes se viros.* Coll. Mod. *arcem* vitiose. Scriptura in MS. L. B. compendiosa videbatur velle *scenicam artem.* Hav.

(a) *Plaudentibus vobis.* Ita edidit Rig. ex MS. Fuld. ita et Cod. Agobard. Antea legebatur *laudantibus vobis.* Exprimit hoc ita Arnob. I. IV. *Sedent et in spectaculis publicis sacerdotum omnia magistratuumque collegia, Pontifices Maximi, et Maximi curiones: sedent Quindecimviri laureati,* et quæ sequuntur. Cyprianus etiam: *Homo fractus omnibus membris, et vir* B *ultra muliebrem mollitiem dissolutus, cui ars sit verba manibus expedire, et propter unum nescio quem, nec virum nec fœminam, commovetur civitas tota, ut desaltentur fabulosæ antiquitatum libidines.* Hav.

(b) *Noxii induunt.* Vult dicere noxios illos ex more Romanorum non tantum personas Deorum sustinere, sed sæpe etiam in pœnam ad vivum repræsentare id quod de Diis istis fingitur, castrari, comburi. Huc facit illud Martialis [quem vide lib. I. 5. 7. XI. x. 25.]

Non falsa pendens in cruce Laureolus.

Ausonius etiam alludit illuc Epist. XXXIII.

Deceptæ felix casus se miscuit arti.
Histrio saltavit qui Capanæa ruit,
Idem qui Nioben saltavit saxeus, ut tum
Spectator veram crediderit Nioben.
In Canace visus multo felicior ipsa:
Quod non hic gladio viscera dissecuit.

(c) *Illum Deum ex Pessinunte.* Ubi primo divinitatem C adeptus est, et corpus ejus est consecratum. Historiam vel fabulam vide apud Arnob. lib. V. Cod. Fuld. *Deum vestrum e Pessinunte.* Rhen. *Atten.* Hav.

(d) *Herculem.* Arnob. lib. IV. *Nec non et illa proles Jovis a Sophocle in Trachiniis Hercules pestiferi tegminis circumretitus indagine miserabiliter edere inducitur ejulatus, violentia doloris frangi, atque in ultimam tabem diffluentium viscerum maceratione consumi.* Idem lib. VII. *Indignatio relanguescet Alcidæ, si tragœdia Sophoclis, cui Trachiniæ nomen est, Euripidis aut Hercules actitetur?* Merito itaque irrisus a Lactantio lib. I. c. 9. *Hunc homines Deum putant. Sed Philoctetes ejus hæres non putavit, qui facem supposuit arsuro, qui artus suos et nervos cremari ac dissolvi vidit, qui ossa ejus ac cineres in Oeta monte sepelivit.* Itaque false irridetur ab Æsculapio in Dialogis apud Lucian. et frustratur priori loco, ut serius mortuus. Lucianus ipse ita Æsculapium inducit: Εὖ λέγεις, etc., i. e. *Recte dicis, quoniam et inustiones tuas curavi, quando* D *paulo ante ascendisti ad nos semiustulatus, corpore utrimque corrupto et perdito, et a tunica ista, et post etiam a flamma.* Litem dirimit Jupiter jubens priori loco accumbere Æsculapium non ut prius Deum factum; sed ut πρότερον ἀποθανόντα. Hav.

(e) *Meridianorum crudelitates.* Non erat hi legitimi gladiatores, sed fere ii qui ex spectaculo matutino et bestiariis reliqui facti erant, quibus, quamvis bestias evasissent, tamen missio non dabatur, inter se enim committebantur post prandium ad internecionem nudi ad mortem concursuri, nefandum humanis oculis spectaculum, meritoque a Seneca exagitatum. De his vide Lipsium in egregio illo opusculo, quod inscripsit Serm. Saturnal. I. II. c. 15. et Leonard. Augustin. in Gemm. Antiq. tom. I. N. 167. et 168. ubi tales exhibere putat. Ex hoc vero unico Tertulliani loco possumus colligere, quod si vel nulli vel pauci ex matutinis depugnatoribus superfuissent, talia in cadaveribus etiam fuisse perpetrata. Hav.

(f) *Mercurium mortuos cauterio examinantem. Jovis fratrem cadavera cum malleo deducentem.* Et Mercurio et Diti, seu Plutoni, virgam tribuunt Poetæ. Animas autem ille deducebat; iste cadavera. Itaque per jocum et risum, qui Mercurium induerat, mortuos explorabat virga ferrea candenti, hoc illi cauterium, excitandis animarum reliquiis, languentibus fortean et pigris. Qui vero Plutonem, cum virga quidem incedebat, sed armata malleo, quo facilius contunderet, si quid animæ latentis in illis gladiatorum a pugna recentium cadaveribus inter eundum forte rebellaret. Malleum et clavam Græci ῥάβδον, vocant et νάρθηκα, etc. Rig.

Cauterio examinantem. Quæ partes Mercurio dabantur, quia illius erat defunctorum animas ad tristia tartara mittere, quod dogma ut Pythagoricum etiam, sed restrictius, recenset Laertius in Vita ejus: Τὸν δὲ Ἑρμῆν, ταμίαν εἶναι τῶν ψυχῶν καὶ διὰ τοῦτο Πομπέα λέγεσθαι, καὶ Πελαῖον, καὶ Χθόνιον, ἐπειδήπερ οὗτος εἰσπέμπει, etc., i. e. *Mercurium porro animarum quæstorem esse, atque ideo Ductorem dici, Janitorem et Terrenum, quod is ex corporibus, et ex terra, et mari animas immittat, et puras quidem atque purgatas in excelsum ducat, impuras vero illis ne appropinquare quidem, neque invicem sibi ipsis, cæterum vinciri a Furiis insolubilibus noxibus.* Plurimi vero omnium animarum curam Mercurio dicarunt. Lepidum exstat Epigramma lib. 2. Anthol. Nicarchi in Zopyrum medicum, enumerat enim animas aliquot quas ille sub tristia tartara misit, nihilque mirum dicit, quoniam ut Mercurius caduceo et talaribus instructus, eos quos curandos suscepit, ad inferos deducit:

Κηρύκιον γὰρ ἔχων ξύλινον, καὶ πλαστὰ πέδιλα,
Ὡς, Ἑρμῆς κατάγει τοὺς θεραπευομένους.

At vero quoniam

Corpora viva nefas Stygia vectare carina,

Mercurius prius cauterio an recte essent mortui examinare introducebatur. Aldus *cauterio.* Hav.

(g) *Jovis fratrem.* Illustrat hunc locum lib. Ad Nat. I, 10, ubi ita concipitur. *Quod Dis Pater, Jovis frater gladiatorum exequias cum malleo deducit, quod Mercurius, in calvitio pennatulus, in caduceo ignitulus, corpora exanimata jam mortemve simulantia e cauterio probat.* Unde patet extremitatem caducei ignitum et candentem huic crudelitati inserviisse: ut et recte *deducere* esse retinendum contra Junium qui vult *diducere*, quod et probabat Scaliger. Et hinc intelligi potest clausula illa mimi et gestus histrionis, demonstrato senatu, illud pronuntiantis apud Sueton. in Nerone cap. 39. *Orcus vobis ducit pedes.* Licet enim diduceret forsan illa cadavera Pluto contundendo virga sua malleata, tamen prius pedibus arrepta deducebat. Credo scenam ideo repræsentatam, quia fingebant nihil nostri nisi tenues umbras quasdam et simulacra.

Modis pallentia miris.

permanare ad Orcum. Jam vero Pluto cum malleo fuit introductus, qui tam diu nitida et saginata ista gladiatorum corpora, præsertim si animæ quid a cauterio Mercurii fuisset excitatum et latentis spiritus appareret, tunderet, atque, ut aurifabri metalla, duceret, donec nihil nisi trama figuræ, ut cum Persio loquar, reliquum esset, quod expedite Plutonium suum regnum subire posset. Vir Doctus qui locum hunc corrigere vult in operosissimo Antiq. Rom.

Digitized by Google

inquietant divinitatis, si majestatis vestigia obsolectant (1), de contemptu utique censentur, tam eorum qui ejusmodi factitant, quam eorum quibus factitant. Sed ludicra ista sunt. Cæterum si adjiciam, quæ non minus conscientiæ omnium recognoscent, in templis adulteria (*a*) componi, inter aras lenocinia tractari, in ipsis plerumque ædituorum et sacerdotum tabernaculis, sub iisdem vittis et apicibus et purpuris, thure flagrante libidinem expungi (*b*) : nescio, plusne de vobis dii vestri, quam de Christianis querantur. Certe sacrilegi de vestris semper apprehenduntur. Christiani enim templa nec interdiu norunt; spoliarent forsitan ea et ipsi, si et ipsi ea adorarent. Quid ergo colunt, qui talia non colunt? Jam quidem intelligi subjacet veritatis esse cultores, qui mendacii non sint : nec errare amplius in eo, in quo errasse se recognoscendo cessaverint. Hoc prius capite, et omnem hinc sacramenti nostri ordinem haurite, repercussis ante tamen opinionibus falsis.

CAPUT XVI.

ARGUMENTUM. — *Ostensurus jam, quem Deum, et quomodo illum colant Christiani, antea accingit se ad convellendas opiniones de isto cultu falsas : de capite scilicet asinino, de cruce, de sole, de ficto isto Numine biformi, quod inscribebatur* ONOKOITIS. *Hæc omnia non sine risu morsuque diluit, inque illos ipsos accusatores magis quadrare ostendit. quo pacto sibi viam ad demonstrationem religionis nostræ purgat.*

Nam, ut quidam, somniastis caput asininum esse deum nostrum (*c*). Hanc Cornelius Tacitus suspicionem ejusmodi inseruit (2). Is enim in quinta Historiarum suarum bellum Judaicum exorsus ab origine gentis, etiam de ipsa tam origine, quam de nomine et religione gentis quæ voluit argumentatus (3), Judæos refert (4) Ægypto expeditos (*d*), sive, ut putavit, extorres (5), in vastis Arabiæ locis aquarum egentissimis, cum siti macerarentur, onagris, qui forte de pastu potum petituri æstimabantur, indicibus fontis usos ob eam gratiam consimilis bestiæ superficiem consecrasse. Atque ita inde, opinor, præsumptum, nos quoque ut judaicæ religionis (6) propinquos, eidem simulacro initiari. At enim idem Cornelius Tacitus, sane ille mendaciorum loquacissimus (*e*), in eadem historia refert Cnæum Pompeium, cum Hierusalem cepisset, proptereaque templum adiisset speculandis judaicæ religionis arca-

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Rig. et Hav. e cod. Fuld. :* majestatis fastigium adsolant, *uti etiam scriptum est in lib.* I. *ad Natt. cap.* 10. *extr.*

(2) *Rhen., Ald., Barræus, Gangnæus :* Nam quidam, etc. ; *Gelen., Fr. Junius, la Cerda :* jam ut quidam ; *Havercamp. et Rig. :* Nam et quidam (*ed. a.* 1754. Nam et quidem). *Haverc.* Nam, ut quidam somniastis, caput — nostrum, hanc — ejusmodi inseruit. *Fr. Junius :* Judaismo inseruit. *Sed antiquiorem verborum distinctionem retinuimus, quo facto v. hanc non delendum est, ut voluerunt Heinrichius et Ritter, sed* insevit *pro* inseruit *scribendum.*

(3) Argutatus *Jun.*

(4) Infert *Paris.*

(5) Exterminatos *Havercamp.*

(6) Religionis *abest Parisin.*

COMMENTARIUS.

Lexico, infelicem adhibet medicinam, quoniam non contulit Tertulliani Librum ad Nationes, nec constanti MSS. lectioni attendit. HAV.

(a) *In templis.* Expressit hoc quoque Minucius p. 28. *Ubi autem magis a sacerdotibus, quam inter aras et delubra conducuntur stupra, tractantur lenocinia, adulteria meditantur? frequentius denique in ædituorum cellulis, quam in ipsis lupanaribus flagrans libido defungitur.* Vide ibi Elmenhorstium, et notis ejus adde hoc Ovidii lib. I. de Arte amandi versu 77.

Nec fuge Niliacæ Memphitica sacra Juvencæ.
Multas illa facit, quod fuit ipsa Jovi.

Scilicet ut idem ait lib. III. 635.

Cum sedent Phariæ sistris operata juvencæ?
Quoque sui comites ire vetentur, eat?
Cum fuget a templis oculos bona Diva virorum?
Præterquam si quos illa venire jubet.

Nota vero orationis gradationem a templis ad aras, ab aris ad tabernacula ædituorum, inde ad ipsum sacrum habitum sacrique administrationem, dum data puris quasi manibus thura ardent in foculo. Nota est historia Clodii, qui uxorem Cæsaris in sacris Bonæ Deæ vitiavit, nec dissimile factum, propter quod Dei ira contra familiam Eli accensa est, narratur I. Samuelis II. 22. HAV.

(b) *Libidinem expungi*, i. e. perfici, consummari. De Tiberio Suetonius in Vita ejus c. XLIV. *Fertur etiam in sacrificando quondam captus facie ministri, acerram præferentis, nequisse abstinere, quin pœne vixdum re divina peracta, ibidem statim seductum constupraret, simulque fratrem ejus tibicinem.* HAV.

CAP. XV. — (*c*) *Caput asininum.* Præclara et docte congesta videri hoc loco apud interpretes Taciti possunt quibus addendus Lydius de Re Milit. lib. II. in fine capitis secundi. Pro *ejusmodi* Cod. Fuld. *hujusmodi.* HAV.

(d) *Ægypto expeditos.* In libro ad Nationes scripserat, *Judæos refert in expeditione*, etc.; et in Glossis, Expeditio dicitur ἔξοδος εἰς πόλεμον In aliis, ἔξοδος ἐκδημητικὴ στρατιωτῶν. Hic tamen expeditos Ægypto Judæos dicit, quasi de tristis Ægyptiorum jugo liberatos : non extortes aut exules, ut putavit Tacitus. RIG.

(e) *Mendaciorum loquacissimus.* Quod non mirum ubi de Judæis agit, cum omnes, quotquot sunt, in ista historia cœcutiverint, et eadem erroris chorda oberraverint, lege Tacitum et Justinum, et ridebis. In caussa erat mos Judæorum, de quibus ipse Tacitus V. Histor. c. 5. *Sed adversus omnes alios hostile odium. Separati epulis, discreti cubilibus.* Liberius Juvenalis Sat. XIV. versu 101.

Romanas autem soliti contemnere leges,
Judaicum ediscunt, et servant, ac metuunt jus,
Tradidit arcano quodcumque volumine Moses,
Non monstrare vias, eadem nisi sacra colenti :
Quæsitum ad fontem solos deducere verpos.

Quare ridiculum et intolerabile illud quod la Cerda Tacito affinxit, quasi in multiloquium ejus dixerit Sidonius :

Qua pompa Tacitus, nunquam sine fine loquendus :

ubi quum Varroni, Sallustio, Plauto conjungatur, vel cœco appareat laudes ejus contineri, et legendum : *sine laude loquendus.* Quanquam de omnibus scriptoribus ita pronuntiat Vopiscus in Aureliano. *Nemo scriptorum, quantum ad historiam pertinet, non est aliquid mentitus, in quo Livius, in quo Sallustius, in quo Cornelius Tacitus, in quo denique Trogus, manifestis erroribus convincerentur.* Inter quos Tacitum quidem ab utriusque Vopisci et Tertulliani calumnia acriter,

Digitized by Google

nis, nullum illic reperisse simulaerum (*a*). Et utique si id colebatur, quod aliqua effigie repræsentabatur, nusquam magis quam in sacrario suo exhiberetur, eo magis, quia nec verebatur (1) extraneos arbitros (2) quanquam vana cultura. Solis enim sacerdotibus adire licitum (*b*), et conspectus cæterorum velo oppanso interdicebatur (6). Vos tamen non negabitis, et jumenta omnia et totos cantherios cum sua Epona (4) (*c*) coli a vobis. Hoc forsitan improbamur (3), quod inter cultores omnium pecudum bestiarumque, asinarii tantum sumus. Sed et qui crucis nos religiosos putat (6), consecraneus (*d*) noster erit. Cum lignum aliquod propitiatur, viderit habitus, dum materiæ qualitas eadem sit; viderit forma, dum id ipsum dei corpus sit. Et tamen quanto distinguitur a crucis stipite Pallas (*e*) Attica, et Ceres (*f*) Pharia (7), quæ sine effigie rudi palo et informi ligno prostat (8)? Pars crucis est omne robur, quod erecta statione (*g*) defigitur; nos, si forte, integrum et totum deum colimus. Diximus originem deorum vestrorum a plastis de cruce induci (*h*). Sed et Vic-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Veretur *Jun.*
(2) Arbitros *abest Par.*
(3) Oppanso *Paris; alii,* oppanso intercidebatur.
(4) *Rhen. alique* : Hippona; *cf. ad Natt.* I, 11.
(5) Improbandum se *Semler.*
(6) Consectaneus *Paris.* Consacraneus *Wouw. Jun.*
(7) *Rhen., Her. et Semler.* : farrea; *Rig. et Hav.* Pharia, *nam in codd.* Furia, Fariam, Farina.
(8) Prostat *Paris.*

COMMENTARIUS.

large, et ex professo defendit eloquentissimus Muretus Oper. tom. I. Orat. 14. Recte vero idem Cerda observat argutiam nostri cum Tacitum illum ut loquacissimum et linguæ minimæ continentis denotet, secus ac ipsum nomen præ se fert. Hav.

(a) *Nullum illic reperisse simulacrum.* Quod verum est vel ipsa cæcitate teste. Unquamne quis gentilium majus de Mose et judaica religione, primisque illorum institutoribus ausus est proferre testimonium quam hoc est? δικαιοπραγοῦντες καὶ θεοσεβεῖς ὡς ἀληθῶς ὄντες, *justi et vere religiosi.* Verba sunt Strabonis, ex libro ejus XVI. Cujus testimonium de Mose et cultu Numinis ibidem præcedit, in hunc modum : Μωσῆς γὰρ, etc., i. e. *Nam Moses unus ex Ægyptiis sacerdotibus, cum partem quamdam regionis haberet, ac moleste ferret præsentem statum, inde huc commigravit, multis eum comitantibus, quibus divina cordi erant. Affirmabat enim docebatque, Ægyptios non recte sentire, qui bestiarum ac pecorum imagines deo tribuerent, itemque Afros, nec Græcos, qui Diis hominum naturam affingerent. Id vero solum esse Deum, quod nos et terram et mare continet, quod cœlum et mundum et rerum omnium naturam appellamus, cujus profecto imaginem nemo sanæ mentis alicujus earum rerum quæ penes nos sunt similem audeat effingere. Proinde omni simulacrorum effictione repudiata, dignum ei templum ac delubrum statuendum, ac sine aliqua figura colendum.* Hav.

(b) *Solis enim sacerdotibus.* Notanda sunt quæ de Simili Orientali templo et sacrorum ritu scribit Lucianus in Dialogo de Syria Dea p. 901. in quo cum sanctius conclave atque interiorem thalamum esse narravit, addit hæc : Εἰς μὲν οὖν τὸν μέγαν νηὸν πάντες εἰσέρχονται, εἰς δὲ τὸν θάλαμον οἱ ἱερεῖς μοῦνοι. οὗ μὲν τοι πάντες ἱερεῖς, ἀλλά τοι μάλιστα ἀγχίθεοί τέ εἰσι, καὶ τοῖσι πᾶσα εἰς τὸ ἱερὸν μέλεται θεραπείη; i. e. *Itaque in magnam ædem ingrediuntur omnes : in thalamum soli sacerdotes, nec tamen omnes, sed qui ad Deum proxime accedunt, et quibus omnis in templum cura impenditur.* Hav.

(c) *Cum sua Epona.* Sic habent veteres membranæ, non solum Tertulliani, sed etiam Minucii Felicis, et Apulei; sic et lapides antiqui; denique apud Juvenalem legimus —— *jurat Solum Eponam et facies olida ad præsepia pictas.* Hæc tam fatua vulgus induxit, simul et vocabula prave indidit. Illud obiter dixerim, in Minucio legendum videri. *Vos et totos asinos in stabulis cum vestra bella Epona consecratis.* In cod. Reg. Bib. vetustiss. legitur, Cum vestra vel Epona. Ric. — Legunt nonnulli Hippona, sic apud Minutium; censerem tamen cum Rigaltio legendum Eponam, est autem inquit Juvenalis scholiastes, dea mulionum. Id omne ex Plutarcho patet, in parallelis, καὶ ὠνόμασεν Ἔπονα· ἔστι δὲ ἡ θεὸς πρόνοιαν ποιουμένη ἵππων. Le pr.

(d) *Consecraneus.* Non male emendat Junius, *consacraneus.* Ita enim clare scriptum fuit in lib. Ad Nat.; ita aliquot inscriptiones apud Gruterum, ut 18. 6. 867. 5. SACRANEA DEÆ CERERIS. Ita quoque Capitolini locus est legendus *consacranei*, non *consecranei*, ubi Maximini verba ad milites refert. Denique ut recte emendat vir illustris Car. du Fresne, Anonymus Barensis in Chron. an. 1048. *Rebellavit Tornikei cum Makedonis, et Botazzi consacraneo suo perrexit Constantinopolim, ut faceret se Imperatorem.* Pro *consocraneo.* Ed. Ald. *noster erit.* Rhen. *consectaneus.* Hav.

(e) *Pallas Attica.* Quæ Græcis Ἀθηναίη. Sed quam hac forma prostitisse nemo hactenus docere potuit, certe interpretes Septimii nostri ignorare se profitentur. Puto autem innui illam, quæ a Græcis Ἐργάνη dicta est, cujus simulacrum ex lapide quadrato (quales fere lapides, ut in Atheniensium Mercuriis videre est, rudiores in longitudinem aliquam desinebant) memorat solus Pausanias, insignis Græcanicarum antiquitatum vindex, in Arcadicis, hisce verbis : Εἰσὶ δὲ ὑποκαταβάντι ὀλίγον θεοὶ· παρίχονται δὲ καὶ οὗτοι σχῆμα τετράγωνον. Ἐργάται δὲ ἐστιν αὐτοῖς ἐπίκλησις, Ἀθηνᾶ τε Ἐργάνη, καὶ Ἀπόλλων Ἀγυιεύς, i. e. *Pauxillum descendentibus Dii se ostendunt e quadratis lapidibus, cognominantur vero Ergatæ, seu Operarii : Minerva Ergane, et Agyeus Apollo.* Illa ipsa, cujus meminit Plutarchus περὶ Τύχης, ubi nescio cujus iambi :

Βᾶτ' εἰς ὁδὸν δή, παῖς ὁ χειρώναξ λεών,
Οἱ τὴν Διὸς γοργῶπιν Ἐργάνην στατοῖς
Αἰκνοῖσι προστρέπεσθε;

i. e. *Procedite vos turba operaria qui manibus victum quæritis qui Deam Gorgoniam Erganen canistris colitis.* Et subjungit : τὴν γὰρ Ἐργάνην καὶ τὴν Ἀθηνᾶν αἱ τέχναι πάρεδρον ἔχουσιν. *Erganen enim, quæ et Minerva est, artes patronam sortitæ sunt.* Hav.

(f) *Ceres Pharia.* Quamvis contemnenda sunt, quæ nonnulli afferunt ex Æliano et numnis pro Cerere *Farrea*, quibuscum facit Meursius, tamen altera lectio melior longe, vel inde quod confirmetur ab optimo MS. Fuld. nec Minucius aliam agnoscat, nec ipse denique Tertullianus in libro ad Nationes I. *Quod si de hoc differentia intersedit, quanto distinguitur a crucis stipite Pallas Attica, et Ceres Pharia, qua sine forma, rudi pato, et solo staticulo ligni informis dedicatur,* quæ postrema ita lege cum magno Salmasio ad Solin. p. 94. MS. L. B. *Farina*, ut dubium sit an voluerit *Fariam* dicere an *Farinaceam.* Hav.

(g) *Erecta statione defigitur.* Adv. Judæos cap. x. vel xi. *Num et in antemna navis, quæ crucis pars est, extremitates cornua vocantur. unicornis autem medio stipata palus.* Hav.

(h) *A plastis de cruce.* Lectio Mod. Coll. *in cruce*, potest etiam comma poni post *vestrorum.* Diximus Deu-

Digitized by Google

torias adoratis (*a*), cum in tropæis cruces intestina sint tropæorum (1). Religio Romanorum tota castrensis signa veneratur (*b*), signa jurat, signa omnibus diis (*c*) præponit. Omnes illi imaginum suggestus in (*d*) signis (2) monilia crucum (*e*) sunt. Siphara

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Haverc. emend.* cum in eis cruces int. sed tr. *Sed maluerim singula vocabula ita transponere, ut legatur :* Sed et vict. ador. in tropæis, cum cruces int. sint trop. (2) In signis *emendat Lips. Ep. Qu. V*, 15.

COMMENTARIUS.

rum vestrorum origine supra, inquit ; et quam habent originem? a plastis de cruce induci, ibi : *quod simulacrum non prius argilla deformat cruci et stipiti superstructa? in patibulo primum corpus Dei vestri dedicatur.* c. XII. ubi vide quæ notavimus. Sed vulgata is bona quæ dicit, Deos vestros diximus, cum formantur a plastis, de cruce incipere. Ad Nat. I. 12. *plasta autem lignum crucis in primo statuit, quoniam ipsi quoque corpori nostro tacita et secreta linea crucis situs est.* Ibidem : *Si igitur in genere Deorum crucem originem colitis.* Ald. *a plaustris*, pessime. Scaliger emendat *didicimus.* HAV.

(a) *Sed et Victorias adoratis.* Quod certe ridiculum, cum ita venerarentur arma victorum hostium. Et tamen ut rem indubiam ponit in lib. Ad Nat. I. 12. *Ad manifesta jam*, ita lege, non *at. Victorias, ut numina, et quidem angustiora quanto lætiora, veneramini : Contignatione quid melius extollant, cruces erunt intestina, quodammodo tropæum.* Victoriæ ipsius signum una cum tropæis aliquando in nummis conspicimus, ut in nummis Hostilii et Aurelii, aliorumque. HAV.

(b) *Signa veneratur.* Sequitur in Coll. Mod. *signa adorat.* Vocat ideo Tacitus *propria legionum Numina.* lib. I. Annalium c. 19. Quin non ornabant tantum, de quo mox Auctor, sed ut Deorum imagines inungebant etiam. Quod ut barbarum et molle detestatur Plinius Hist. Nat. lib. XIII. c. 3. *Maxime tamen mirum est, hanc gratiam penetrasse et in castra. Aquilæ certe ac signa, pulverulenta illa et custodiis horrida : inunguntur festis diebus : utinamque dicere possemus, quis primus instituisset. Ita est, nimirum hac mercede corruptæ terrarum orbem devicere aquilæ.* Hunc ritum, ut notum sane, cum multis demonstrent Interpretes, tum docet insignis locus Sozomeni Eccl. Hist. l. I. c. 4. ubi de Labaro Σημεῖον δὲ τοῦτο τιμιώτατον, καθότι ἀεὶ τοῦ βασιλέως ἡγεῖσθαι, καὶ προσκυνεῖσθαι νενόμιστο παρὰ στρατιωτῶν. i. e. *Hoc signum venerabile maxime, quia et principem antecedere, et adorari etiam a militibus solebat.* Videndus Lipsius ad Tacitum qui de cultu, religione et forma eorum agit lib. IV. de Re Mil. Rom. cap. 3. 5. 9. et Causeum Tom. X. A. R. p. 1528. Unde aquila insistens aræ vel fulmini occurrit inter duo signa apud Gorlæum II. 44. et I. 161. et 122. et notabili cultu apud Seguin p. 109. de quo mox. HAV.

(c) *Omnibus Diis.* Nihil aliud innuit Auctor, quam milites facilius sacra omnia et profana polluere, quam militare sacramentum fallere. Eodem modo infra c. XXVII. *Citius denique apud vos per omnes Deos, quam per unum Genium Cæsaris pejeratur.* Lælius ad Scipionem apud Livium lib. XXXVI. in certamine de corona murali inter Q. Trebellium et Sex. Digitium : *Stare hinc Legionarios milites, hinc classicos, per omnes Deos paratos jurare magis quæ velint, quam quæ sciant vera esse, et obstringere perjurio non se solum suumque caput, sed signa militaria et aquilas sacramentique religionem.* Vocem *signa* hic neglexit Rhenanus. HAV.

(d) *In signis.* Palmaria hæc est emendatio Lipsii Epist. Quæst. I. V. ep. 15. quam omnino inspicias velim. Antea inepte legabatur *insignes.* Sed insignis illa Coll. Mod. quoque *in signis*, quod tamen editiones Rigaltii neglexerunt. HAV.

(e) *Monilia crucum.* Pulcherrimus est locus Greg. Nazienzeni Orat I. In Julianum : Τολμᾷ δὲ ἤδη καὶ κατὰ τοῦ μεγάλου συνθήματος, etc., i. e. *Quin eo quoque audaciæ prorupit, ut adversus magnum illud vexillum præceps ferretur.* Loquitur de labro, cruce insignito, de quo Prudentius contra Symmachum :. 48[illegible],

Christus purpureum gemmato textus in auro
Signabat labarum : clypeorum insignia Christus
Scripserat.

Quod simul cum cruce magnifice et cum insigni pompa exercitum ducit, in sublime evectum, quod laborum solvendorum vim habet, ab eoque apud Latinos nomen trahit, principatumque, ut ita dicam, in reliqua omnia vexilla tenet, tam quæ Imperatorum imaginibus, atque expassis texturis in variis tinctionibus litterarumque picturis illustrantur quasique gestiunt, quam quæ horrendis draconum hiatibus super summas hastas elatis involantia ac per tractus contextis squammis distinctos ventilata, jucundissimum simul et formidolosum spectaculum oculis præbent. Hinc [venuste intelligas quare pulchritudini Sponsæ horrorem signorum militarium addat Salomon Cant. VI. 10. Imo quod Tertullianus hic ait, *monilia crucum*, est sane dictum pulchre, et quod Sacras Litteras etiam juvare potest. *Suggestus imaginum* vocat Noster parmulas sive clypeolos qui in orbem signis appendebantur, ita aut multæ essent gradationes, altiores depressioresve, velut tabulata et circuitus in turribus visuntur, in illis depictæ erant imagines imperatorum qui consecrati et inter divos relati erant, vel etiamnum adhuc imperabant, ut ex Lipsiano loco de Vitellii imagine liquet, nam hoc etiam incunculis aureis et argenteis fiebat, ut passim adhuc ex marmoribus et picturis et gemmis, etc., videre est. Adeoque magnifica et regia est illa computatio, quæ in elaboratissimo Salomonis Epithalamio occurrit cap. IV. 4. *Sicut turris Davidis collum tuum, ædificata ad propugnandum, mille clypei protenduntur ab ea, omnes parmæ heroum.* Ita enim locus iste verti debet, ubi mire errant interpretes. Non enim teretem tantum rotundamque altitudinem in collo amatæ suæ laudat, sed in hac comparatione ab ornatu etiam describit et commendat, quod nempe sicut turris Davidis, cum stant undique validi protectores in transtris, per orbem fulgentibus clypeis cincta nitet, ita pretiosa monilia ingens decus nativæ pulchritudini addant. Qualis apud Lucanum *formam fucata nocentem*, lib. X. versu 140.

Plena Maris Rubri spoliis, colloque comisque
Divitias Cleopatra gerit, cultuque laborat.

Non itidem Catonis Marcia, cujus

Baltheus haud fluxos gemmis adstrinxit amictus,
Colla monile decens,

apud eumd. lib. II. 362. Eadem opera, dum aliud ago, explicabo superioris Cantic. c. VII. 5. *Caput tuum super te, ut mons Carmelus, lemniscus comæ tuæ purpureus, rex ligatus est in ejus suggestis;* ita Latine dicas. Græci vocant, πλοκάμους. Hesychius exponit, κονδύλους τῶν τριχῶν πεπλεγμένων, i. e. *cincinnos capillorum, qui digitis crispantur.* Quomodo Juno sese ornat Jovem illectura in amorem sui apud Homerum Iliad. Ξ. versu 176.

ἰδὲ χαίτας
Πεξαμένη, χερσὶ πλοκάμους ὑπέφηνε φαεινούς,

i. e. *et pectens crines, manibus cincinnos disposuit pulchros.* Ita Noster *imaginum suggestus.* Hisce locos Statii et Juvenalis possis addere, notos omnibus. Non perinde ille Nazianzeni, qui Invectivam suam in mulieres ita orditur : *Cavete, o mulieres, ne caput vestrum nothis et adulterinis crinibus, tanquam turribus quibusdam muniatis, mollia colla e scopulis delicate ostentantes ;* scripsimus vero *crucum* non *crucium*, secuti MSS. Fuld. et L. B. et lib. Ad Nationes. Suggestus vero illi

Digitized by Google

(1) illa vexillorum et cantabrorum (*a*) stolæ crucum (*b*) sunt. Laudo diligentiam, noluistis nudas et incultas cruces consecrare. Alii plane humanius et verisimilius Solem credunt deum nostrum (*c*). Ad Persas, si (2) forte, deputabimur (licet solem non in linteo (*d*) depictum adoremus) habentes ipsum ubique (3) in suo clypeo (*e*). Denique inde suspicio, quod innotuerit nos ad orientis regionem (*f*)

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Rhen.* : Sypara illa vex. et candelabrorum, etc.
(2) Sic. *Paris.*
(3) Utique *V. C.*

COMMENTARIUS.

imaginum ut monialia crucum egregie apparent, in nummo Tiberii quem vulgavit clariss. Seguinus inter Select. Num. p. 109. quemque modo, ubi de aquila sermo erat exhibuimus. Cui simillimi duo, quorum alter Germanici Cæsaris est, occurrunt apud Illustr. Spanh. de Usu et Pr. Num. p. 120. Imo ab his diversus apud eumdem p. 558. in denario Gentis Valeriæ. Hav.

(*a*) *Cantabrorum.* Ita et Minucius, et Noster rursus ad Nationes, quare frustra litigant Viri docti, mutando vel in *candes labarorum*, ut Scaliger, vel *cantabrorum*, vel *candelabrorum*, vel *labarorum*, ut alii et Barr. et Aldus, cum fuerit vexilli genus cujus nominis origo ignota est, quæ forsan ad Persas, Romanos vel Hispanos non magis referri potest, quam ad ipsos Afros, qui quoniam multa cum Hebræis communia vocabula habuerunt, vocem habuerunt forsan similem Persico *Kanatb* vel Hebr. *Kendes*, quæque magis hisce cantabris appropinquaverit. Inveni quoque apud posteriores inter vexilliferos recenseri *cantabrarios*, ut docet me Dom. du Cange ex l. 2. C. Th. de Collegiat. *Sypara* passim editiones, sed recte Rig. *Sypharaut* Cod. Fuld. et Agobard. quod et vult L.B. ubi *Sifara*. *Id.*

(*b*) *Stolæ crucum sunt.* Quod belle oculis sese exhibet in nummis quibus Iam, qui passim inveniri inter Arschotanos possunt, Augusti aureus, ubi egregie crucis apparet figura, Argenteus Maxentii, ubi aquilæ figura stolæ intexta conspicitur. Constantis item argenteus ipsam labari sed christiani et sacro nomine insignitam ostendit formam. *Id.*

(*c*) *Deum nostrum.* Juvenal. de Judæis, quos cum christianis confundebant :

Nihil præter nubes et cœli numen adorant.

Unde Noster infra cap. XXIV. *Colat alius Deum, alius Jovem, alius ad cœlum supplices manus tendat : alius ad aram fidei, alius, si hoc putatis, nubes numeret orans, alius lacunaria.* Hav.

(*d*) *In linteo depictum.* De cultu Solis apud Persas multa Interpretes, quibus digna addi sunt quæ collegit ampliss. Brissonius in libello de Regno Persarum lib. II. c. 1. Pro diverso vero cultu diversus habitus depicti Solis erat, quod disco ex memorabili loco Flavii Vopisci in Vita Aureliani, cui inter alia et hoc prodigium futuri imperii obvenisse observat : *Datus est ei præterea, quum Legatus ad Persas isset, qualis solet Imperatoribus dari a Rege Persarum, in qua insculptus erat Sol eo habitu quo colebatur in templo in quo mater ejus fuerat sacerdos.* Itaque verba *in linteo depictum*, non tantum de vexillis Persarum accipio, sed de quibuscumque tabulis et lino in quibus Numen illud depictum intra templi sui mœnia ab illis colebatur. Apud Ægyptios certe varia forma Sol pingebatur, infans, puer, juvenis, vir, senex, ut notat Macrobius lib. I. Sat. XVIII. Cujus verba sunt : *Hæ autem ætatum diversitates ad Solem referuntur, ut parvulus videatur hiemali solstitio qualem Ægyptii proferunt ex adyto die certa : quod tunc brevissimo die veluti parvus et infans videatur : exinde autem procedentibus augmentis æquinoctio vernali similiter atque adolescentis adipiscitur vires, figuraque juvenis ornatur. Postea statuitur ejus ætas plenissima effigie barbæ solstitio æstivo ; quo tempore summum sui consequitur augmentum. Exinde per deminutiones dierum veluti senescenti quarta forma Deus figuratur.* Sed et Pæones Solem colere Maximus Tyrius scribit Orat. XXXVIII. Solisque simulacrum apud illos esse discum brevem perticæ supra longissimæ affixum. Quod ipsum in Trajani Decii aureo nummo exhiberi suspicatus est Hemelarius, illo scil. cui inscribitur PANNONIÆ. Hav.

(*e*) *Ubique in suo clypeo.* Locus notabilis, quemque cum priores interpretes non intellexissent la Cerda primus recte non ad Persas, sed ad ipsos christianos pertinere demonstravit. Sed et a nobis lucem accipere non dedignabitur. Nam in illo assentiri doctissimis viris la Cerdæ et Rigaltio non possum, quod per voces *in clypeo suo* ipsum solis orbem, quasi clypeum Dei, ut vocat Ovid. Metam. XV. 192. intelligit : nam cœlum hic intelligi debet, in cujus orbe præter lunam stellasque minores, insignis Sol eminet. Quot ipsum cœlum, quasi dimidia sua parte clypei imaginem referens poetico artificio clypeo Achillis insculpens Homerus, solem etiam in eo non neglexit. Versus ejus sunt Il. Σ. versu 483.

Ἐν μὲν γαῖαν ἔτευξ', ἐν δ' οὐρανὸν, ἐν δὲ θάλασσαν·
Ἠέλιόν τ' ἀκάμαντα, σελήνην τε πλήθουσαν,
Ἐν δὲ τὰ τείρεα πάντα τά τοῖς τ' οὐρανὸς ἐστεφάνωται.

i. e. *In eo quidem* (scuto Vulcanus) *terram effinxit, et cœlum, et mare, solemque indefessum, lunamque plenam, syderaque omnia, quibus cœlum coronatum est.* Et quæ sequuntur, in compendium collecta ab Ovidio Metam. XIII. versu 110.

Nec clypeus vasti cœlatus imagine mundi.

Jam tibi *clypei* vocabulo cœlum occurrit in antiquissimis illis Ennii versibus ex Iphigenia Euripidis, quos reliquit nobis latinissimus Varro in medio fere lib. VI. de L. L.

Quid nocti videtur! In altisono
Cœli clupeo temo superat
Stellas, cogens sublime etiam
Atque etiam noctis iter.

Hic multam noctem ostendere vult a temonis motu, inquit Varro. Quare suspiciendi veniunt hi duo nummi Trajani et Alexandri Imperatorum, in quibus Sol et luna cum duodecim zodiaci signis in clypeo quasi cœli insculpti apparent. Denique hinc patet, non *utique*, quod vult Wouwverius, sequiturque in editione sua Rigaltius, sed *ubique* quomodo cum alii MSS. tum etiam Agobard. exhibet, legendum esse. Quia inquit Septimius, non illum solem in tabella aliqua suspicimus manu hominis depictum, sed ipsum Dei digitum, in suo loco, et ubique terrarum, quoniam ubique lucet. Imo *ubique*, inquam, legendum est, quod ipsa Luciani verba docere possunt ; quem quidem ego deprehendi mirabiliter Septimio nostro in multis placuisse, impietatem et blasphemias excludo. Ille itaque de Dea Syria p. 904. hanc rationem reddit, cur ibi aliis Diis effigiatis Solis et Lunæ imagines non reperiantur : Λέγουσι, inquit, τοῖσι μὲν ἄλλοισι θεοῖσι, ὅτιον ἔμεινναι ξόανα ποιεῖσθαι· οὐ γὰρ σφέων ἐμφανέα πάντα εἶδεα. Ἡέλιος δὲ, καὶ σελήναιη πάμπαν ἐναργίες, καὶ σφίας πάντες ὀρεύσι, πολὺ οὖν αἰτίη ξοανουργίης, τοῖσι ἐν τῷ ἠέρι φαινομένοισι· i. e. *Cæteris quidem diis fas esse aiunt simulacra facere, quorum species non sunt omnibus conspicuæ. Sol autem et luna plane sunt manifesti, illosque nemo non videt. Quorsum igitur eorum cum in aere appareant effigiem effinxissem?* De cælatura clypeorum præter ea quæ in digressionibus ad hunc auctorem Heraldus habet, videri potest promuscondus antiquitatis et omnis litteraturæ elegantioris liber Jo. Alberti Fabricii, qui inscribitur Bibliographia Antiquaria p. 562. Hav.

(*f*) *Ad orientis regionem.* Exstat de hoc ritu singula-

Digitized by Google

precari. Sed et plerique vestrum affectatione aliquando et cœlestia adorandi ad solis ortum labia vibratis (*a*). Æque si diem solis lætitiæ indulgemus, alia longe ratione quam de religione solis (*b*), secundo loco ab eis sumus (*c*), qui diem Saturni otio et victui (*d*) decernunt, exorbitantes et ipsi a Judaico (*e*) more, quem ignorant. Sed nova jam dei nostri in ista civitate proxime editio publicata est, ex quo (1) quidam in frustrandis (2) bestiis mercenarius noxius (*f*) picturam proposuit cum ejusmodi inscriptione: DEUS CHRISTIANORUM ONOKOITHS (*g*) (3).

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quidam *Par.*
(2) Infrustrandus *la Cerda.*
(3) Rhen., Mer., Gangræus: Ononychites; codd. Bong. et Lugd.: Onochotasis; cod. Vatic.: Onochorsites; codd. Agob., Put. Fuld. et Lugd. alter: Onochoitis; Rig.: Onochoetes; Hav.: Onokoitis.

COMMENTARIUS.

ris disputatio Jac. Thomasii Lipsiæ edita 1670. Viderique, possunt Cosmas Indopleustes v. p. 202. Menardus et alii, quos citat Jo Alb. Fabricius Bibliogr. Antiqu. pag. 361. Quod vero Gentiles etiam ad cœlum suspexerint, et orientem versus precati fuerint, cum alii multi, tum docere potest Kippingius, p. 178 et 180. Hav.

(a) *Labia vibratis.* Tacito murmure. Horat. Epist. I. 16. 60.

> Jane pater, clare, clare cum dixit, Apollo,
> Labra movet, metuens audiri, pulchra Laverna,
> Da mihi fallere, etc.

Sed satis multa la Cerda, ut et de Persis Brouerius de Adorat. Vet. P. 195. et 199. diligens vir et eruditus. Hav.

(b) *De religione solis.* Ita restitue, non *religione S.* idque auctoritate optimi Fuldensis, *de religione* ut supra *de justitia*, *de sapientia* et sæpissime apud Nostrum pro *propter sapientiam*, vel *ob justitiam*. Non vero gravati sunt christiani hoc nomen mutuatum licet ab Ethnicis, in istius diei appellatione retinere, quoniam, ut Ambrosius scribit Serm. LXI. *in ea die Salvator veluti Sol oriens, discussis infernorum tenebris, luce resurrectionis emicuit.* Hav.

(c) *Secundo loco.* Dicit septimius nos solem, ut Persæ faciunt, colere evinci non posse inde, quod status precantis Christiani ad orientem sit conversus (quod obtinebat in prima Ecclesia, quia Soli orienti comparatur Christus, Malach. IV. 2. inde etiam suprema die appariturus in judicio, ut putabant). Nec inde, quod is dies qui festus est nobis, soli sit sacratus apud gentes. Quod forsan stulte suspicarentur, quomodo in jocularium erratum Tacitus incidit de Saturno cogitans Hist. v. c. 4. *Alii honorem eum Saturno haberi; seu principia religionis tradentibus Idæis, quos cum Saturno pulsos, et conditores gentis accepimus; seu quod e septem sideribus, quis mortales reguntur, altissimo orbe et præcipua potentia stella Saturni feratur: ac pleraque cœlestium, vim suam et cursum septimos per numeros conficiant.* Quod vero, jam sequitur, *secundo loco ab eis sumus, qui diem Saturni*, etc. Id etiam egregie sale satyrico aspersum est. Tangit enim, non Judæos, ut passim sibi persuaserunt Interpretes, sed ipsos hic gentiles, qui ita a majorum institutis degeneraverant, ut nulla gens esset, quorum ritus non decerpta aliqua portione suos fecissent, ut pulcre demonstrat Gothofredus in notis suis pereruditis ad Tertulliani librum Ad Nat. quem virum sane doctum non pluris passim fieri indignor. Operæ pretium erit apponere hic locum ex lib. Ad Nat. quia inde hic Noster intelligi debet. Ibi lib. I cap. XIII. *Vos certe estis quis etiam in laterculum septem dierum solem recepistis, ex diebus ipsorum prælegistis, quo die lavacrum subtrahatis, aut in vesperam differatis, aut otium et prandium curetis: Quod quidem facitis exorbitantes et ipsi a vestris ad alienas religiones: Judæi enim festi, Sabbata et cœna pura, et Judaici ritus lucernarum, et jejunia cum azymis, et orationes littorales quæ utique aliena sunt a Diis vestris. Quare, ut ab excessu revertar, qui Solem et diem ejus nobis exprobratis, agnoscite vicinitatem: non longe a Saturno et Sabbatis vestris sumus.* Quod itaque ibi dicit *agnoscite vicinitatem*, etc., id hoc loco ita exprimi *secundo loco ab iis sumus*. Nam quod ad lectionem MS. Agobardini attinet, in quo *Ebreis* legitur, illam probare non possum, nec ulli, speciosa licet primo intuitu, ut puto, placebit. Hav.

(d) *Otio et victui.* Hoc quidem vitio Judæis dabatur a gentibus, quomodo certe violasse sua sacra tanquam sibi non Deo vacarent, sæpe ille summus eorum Legislator per Prophetas suos est questus. Juvenalis Sat. v. versu 106.

> Sed pater in causa: cui septima quæque fuit lux
> Ignava, et partem vitæ non attigit ullam.

Ex eodem forte Tacitus Hist. v. 4. *Septimo die otium placuisse ferunt; quia is finem laborum tulerit, dein blandiente inertia septimum quoque annum ignaviæ datum.* Sed hic ad gentes ipsos pertinet ad quos referenda et illa Persii Sat. v. versu 18.

> At cum
> Herodis venere dies, unctaque fenestra
> Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ,
> Portantes violas, rubrumque amplexa catinum
> Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino.

Nam certe ipsi gentiles aliquot dies, quasi ex Judaico ritu otio transigebant, nihil nisi victum curantes, Id in lib. Ad Nat. dixit, *quo die lavacrum subtrahatis, aut in vesperam differatis, aut otium et prandium curetis.* Seneca, Josephus contra Appionem et Clemens Alexandrinus idem tradunt. Hav.

(e) *A Judaico more.* Depravatum censet locum Gothofredus, vulque illud *a* deleri. Non assentior. Hic enim sensus est: Quid cavillari nos gaudetis, quasi diem solis hilari et voluptate diffluentes transigamus, pedem vestrum premimus, non longe absumus a vobis, vos enim ipsi diem Saturni qui nostrum præcedit, a Judæis, quos non intelligitis, recepto more, lætiori gulæ et inertiæ dicatis, ita a majorum moribus et institutis, peregrinos ritus invehi noluerunt, non tantum discedentes, sed et exorbitantes a vero Judæorum scopo, qui quietem illa die, non inertiam exigit. Nam, ut est in lib. Ad Nat. *Judæi* isti dies *sunt festi, sabbata et cœna pura, et Judaici ritus lucernarum, et jejunia cum azymis, et orationes littorales, quæ utique aliena sunt a Diis vestris.* Hav.

(f) *Mercenarius noxius.* Nec Gothofredi placet interpretatio, nec Rigaltii, multo minus aliorum. Primus *noxium* pro obnoxio capit. Secundus non bona fide ait versatum, quia toties dentes bestiarum eluserat, ideoque *noxium*. At quid simplicius quam intelligere talem, qui cum nullam habuisset necessitatem pugnandi cum bestiis, inter noxios illis non addictus, tamen lucelli cupiditate, mercede pacta, ipse se lanistæ tradiderat. Pugnam cum bestiis vero eleganter frustrationem dicit, quoniam audacis illius artis maxima pars erat impetum bestiarum eludere. *Noxiis* Cod. Agobard. quasi ad Gentes pertineat, quos *noxios* vocet, quod non puto. Hav.

(g) DEUS CHRISTIANORUM ONOKOITHS. Monstrum hoc varie deformarunt monstra lectionum. Nonnullæ editiones *onochoisitis*, quod Baptista Pius emendat, in *ononychites* reformans, placuitque id Barræo, Pamelio aliisque. Hariolatur tamen adhuc *ononychotitis*, ab asino, ungue et aure sic dictum, vel *ononychoitis* Annot. Post c. XIX. Junius ex MS. Vatic.

Digitized by Google

Is erat auribus asininis (*a*) altero pede ungulatus (*b*) librum gestans, et togatus. Risimus et nomen et formam. Sed illi debebant (1) adorare statim biforme numen (2), quia et canino et leonino capite commistos (*c*), et de capro et de ariete cornutos (*d*), et a lumbis hircos, et a cruribus (*e*) ser-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Debuerant *Haverc*.

(2) Nomen *Paris*.

COMMENTARIUS.

mavult *Onocorsites*. Denique Rigaltius edidit *Deus christianorum Onochoetes*. *Is erat*, etc. Qui quoque in notis *onocoitis* explicat quasi ex asino et homine conceptum, optime. Itaque in textum recepimus. Vult enim illam lectionem clare MS. Lugd. Bat. in quo legi *Onochoitissis erat*. Et Aldin in quo *Onochoitis erat*, ut et ipse præstans Codex Agobard. in quo clare *Onochoitis*. *Is erat*, etc. Denique MS. Fuld. qui male tamen ita distinguit : DEUS CHRISTIANORUM *Onochoites is erat*. Unde putaret forsan quis vocem *Onochoites* non pertinere ad inscriptionem ipsam a scurra inditam, sed esse explicationem quam ipse Tertullianus adjungat, eam quoniam Græce uno vocabulo apte expresserat, ob Latini sermonis egestatem pluribus circumscribere coactus, nisi mox adderet, *Risimus et nomen et formam*. Verbum tamen ὀνοκοίτης quod Latinis, ut mos olim descriptoribus, repræsentabatur, nusquam illo sensu apud græcos scriptores invenias ut fœtum ex asino et alio animali conceptum notet, sed quidem concumbentem asino, ut παρακοίτης dicitur qui uxori suæ concumbit, et ἀκοίτης vel ἄκοιτις quæ marito latus tegit, sed invenitur tamen simile apud LXX. Interpretes, qui voce κοίτης pro prole, sæpius usi sunt, unde explicat Grotius locum Pauli ad Romanos c. IX. versu 10. Ἀλλὰ καὶ Ῥεβέκκα ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα Ἰσαὰκ τοῦ πατρὸς ἡμῶν. Qui ipse locus nondum satis perspectus mihi videtur : illud enim ἐξ ἑνὸς non refero ad Isaacum, ut fit passim, absurdum enim in tam casta conjuge Rebecca peregrinam opem cogitare, sed ad congressum maritalem, ipsum concubitum ; et certe inde augetur vis argumentationis Apostolicæ qui de sterili hactenus Rebecca agens, notat illam uno congressu gemellos in utero concepisse, ut omnem superfœtationem excludat, de qua agit Hippocrates in libro de Diæta et quam Medicorum filii norunt. Imo multo magis ut ostendat Jacobum et Esavum uno utero progressos, uno codemque tempore conceptos et editos, dissimillimam tamen fortunam apud Deum invenisse. Adeo verissimum illud Persii est sano sensu receptum Sat. VI. versu 18.

Geminos horoscope varo
Producis genio.

Præterea vox Ἰσαάκ non referenda est ad ἐξ ἑνὸς, sed ad Ῥεβέκκα, ut ita comma ponatur ante et Ἰσαάκ, quasi esset scriptum Ῥεβέκκα, Ἰσαὰκ τοῦ πατρὸς ἡμῶν ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα, i. e. *Rebecca, uxor patris nostri Isaaci ex una congressione prolem* [quam binam laudat in sequentibus] *quum suscepisset*. Hunc itaque Deum lictum ex habitu corporis quasi ὀνοκοίτην denotavit scurra Judæus, turpi quasi mœcha prognatum, qualis ferina libido apud Juvenalem Sat. VI. versu 330.

Si nihil est, servis incurritur, abstuleris spem
Servorum, veniet conductus aquarius, hic si
Quæritur, et desunt homines : mora nulla per ipsam,
Quo minus imposito clunem submittat asello.

Tale quid in Pasiphaes fabula ad vivum repræsentata spectasse ausos Romanorum oculos, sub impurissimis belluis Nerone et Domitiano, auctores Sueton. cap. XII. Martial. I. 5. Hav.

(a) *Auribus asininis*. Unde Petronius in epigrammate :

Judæus licet et porcinum numen adoret,
Et cilli summas advocet auriculas.

Ita emendavit Pithœus pro *cœli* κιλλὸς ὄνος apud Hesychium. Hominem fere talem describit Martialis Epigr. VI. 39.

Hunc vero acuto capite, et auribus longis,
Quæ sic moventur, ut solent asellorum,
Quis morionis filium neget Gurthæ?

Sunt insignes duo loci apud Epiphanium contra Gnosticos l. I. hæresi 26. φασὶ δὲ τὸν Σαβαὼθ οἱ μὲν, ὄνου μορφὴν ἔχειν, οἱ δὲ χοίρου. i. e. *Deum Sabaoth alii asini formam, alii porci habere dicunt*. Et paulo post : Ἐκ τούτου γάρ φασι τὸν Ζαχαρίαν, etc., i. e. *Ex hac enim causa inquiunt Zacharium occisum in templo, quoniam visionem vidit, et ex timore volens narrare visionem, oris obturationem pertulit. Vidit enim, inquiunt, in hora suffitus faceret, hominem quemdam stantem, asini formam habentem, et quum egressus esset, ac dicere vellet : væ vobis ! quem adoratis ! obturavit ipsius os ille qui visus est ab ipso in templo, ut loqui non posset. Quum vero aperiret os suum ut loqueretur, tunc revelavit ipsis, et occiderunt ipsum*. Hav.

(b) *Altero pede ungulatus*. Cur non utroque, prout in auriculis ? mixturam hominis enim reliquum corpus docere potuit. An respexit Empusam ? Fuit enim spectrum Hecates meridianæ hoc nomine, altero pede ut homo incedens, altero ut asinus. Docent Philostratus lib. II. et IV. De Vita Apollonii Tyanæi. Scholiastes Apollonii Rhodii ad lib. III. Argonaut. Etiam Aristophanes in Ranis, ubi Xanthus et Bacchus ad Inferos descendunt. Act. I. Sc. VI. καὶ βοὸς θάτερον, i. e. *alterum crus asininum*. ubi doctus Scholiastes spectrum illud explicans inde vocari dicit ὀνάκωλον ; i. e. *altero pede asinum*. Idem Scholiastes appellat ὀνοσκελίδα *crure asinino* ad Concionatr. non longe a fine. Ipsam illam Empusam conspicor ex Aristophanis descriptione inter Gemmas Gorl. Dact. tom. II. n. 41, quam, ut puto, hactenus Viri Docti ibi denotari non intellexerunt. Hav.

(c) *Commixtos*. Quod captavit olim jam Porphyrius in subtilissimo scripto suo de Abstin. ab Animal. lib. IV. docens quodlibet animal cum homine olim assumptum ad simulacrorum compositionem, veluti cum humano corpori facies avis cujuspiam, aut leonis jungeretur, atque inde nefas tale quid edere, aut manducare. Hav.

(d) *Ariete cornutos*. Lucan. lib. IX. de Jove Lybico

Stat certior illic
Jupiter, ut memorant, sed non aut fulmina vibrans
Aut similis nostro, sed tortis cornibus Ammon ;

ita lege ex optimi MS. emendatione. Reliqui sunt Panes, Satyri, Cynocephali, Mithræ. Adde Spanhemium de Usu et Præst. Num. p. 349. Hav.

(e) *A cruribus serpentes*. An innuit Palladis crimen Vulcani filium Erichthonium ? de quo multa Lactantius I. 1. c. 17. cuique *apporrectum draconem* affingit Ovid. Met. 11. 563. Quem per serpentem ad pedes Minervæ Phidiacæ innui putat Pausanias. Cui ob originis sublimitatem et factorum claritatem templa et aræ signaque erecta fuerint, quamvis de illo nihil legisse memini, ut Deo culto. Tamen id fieri potuit, cum etiam Euripides notet in ejus honorem mansisse morem Atheniensibus mulierculis, ubi regnavit, ut parvulos aureis serpentibus ornent. Verba ejus sunt in Ione :

ὅθεν Ἐρεχθεΐδης ἐκεῖ
Νόμος τίς ἐστιν, ὄφεσιν χρυσηλάτοις
Τρέφειν τέκνα.

Hunc sculptura quadam innui apud Gorl. Dact. tom. II. n. 489. putant nonnulli, sed magister meus Gronovius, vir summus, rectius ad gigantem serpentipedem pertinere docuit. An potius innuit Serapin ? cujus caput est in postico Antonini Pii, corpore serpentino cum multis spiris, quibus spicam involvit

Digitized by Google

pentes, et planta (*a*) vel tergo alites (*b*) deos receperunt. Hæc ex abundanti, ne quid rumoris irrepercussum (1) quasi de conscientia præterissemus. Quæ omnia, conversi jam (2) ad demonstrationem religionis nostræ, repurgavimus (3).

CAPUT XVII.

ARGUMENTUM. — *Deum verum, qui omnia fecit, cujus, et naturam describit, Christianos colere asserit : hujus notitiam et agnitionem naturaliter homini insitam docet, ita ut magnitudinem ejus, bonitatem, benignitatem, auxilium et justitiam non ignoret, inque cœlis agere, non in terra, credat.*

Quod colimus [nos] (4), Deus unus est; qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo, quo jussit, ratione, qua disposuit, virtute, qua potuit, de nihilo expressit, in ornamentum majestatis suæ : unde et Græci nomen mundo κόσμον accommodaverunt. Invisibilis est (5), etsi videatur; incomprehensibilis, etsi per gratiam repræsentetur; inæstimabilis, etsi humanis (6) sensibus (*c*) æstimetur; ideo (7) verus et tantus est. Cæterum quod videri communiter, quod comprehendi, quod æstimari potest (*d*), minus est et oculis quibus occupatur, et manibus quibus contaminatur, et sensibus quibus invenitur. Quod vero immensum est, soli sibi notum est. Hoc est quod Deum æstimari facit, dum æstimari non capit (*e*). Ita (8) eum vis magnitudinis et notum hominibus objicit et ignotum. Et hæc (9) est summa delicti (*f*) nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt. Vultis ex operibus ipsius tot ac talibus, quibus continemur, quibus (10) sustinemur, quibus oblectamur, etiam quibus exterremur, vultis ex animæ ipsius testimonio comprobemus? Quæ licet carcere corporis pressa, licet institutionibus pravis (*g*) circumscripta, licet libidinibus ac concupiscentiis evigorata, licet falsis diis exancillata (11), cum tamen resipiscit, ut ex crapula, ut ex somno (*h*), ut ex aliqua valetudine, et sanitatem suam (12) patitur (*i*), DEUM nominat, hoc solo nomine, quia proprio

LECTIONES VARIANTES.

(1) Impercussum *Paris.*
(2) Conversari jam *Jun.*
(3) Repurgabimus *Paris.*
(4) Nos *abest Paris.*
(5) Et si *Paris.*
(6) Sensibilis *Paris.*
(7) Adeo *Fran.*
(8) Sobjicit *Sun.*
(9) Est *delet Paris.*
(10) Quibus sustinemur *abest Paris.*
(11) Exanculata *Jun.*
(12) Et *add. Paris.*

COMMENTARIUS.

recensente Montfauconio in Diario Italico p. 443. An vero draconem illum cum humano capite? qualem depictum in nummo quodam Amphipolitarum, vidisse se memorat Ill. Spanhem. de Usu et Pr. N. p. 174. quemque ibidem p. 181. in Nicomediæ nummo sub Caracalla signato a Tristano vulgatum docet : eumdem scilicet quem describit Lucianus in Pseudomanti, et cujus jam a tempore Antoninorum magna sub Glauconis nomine, divinitatis, apud imperitum vulgus, fama erat. Cui fere cuncta applicari possint, nullum aliud Numen video quam Mithræ, de quo Deo egit singulari opere Ph. a Turre. Etiam apud Gorlæum in Abraxeis semper fere anguibus comitatur, capite etiam leonino ut videre est. Eminent vero icones, quas publicavit et contemplatus est antiquitatis studiosissimus Bernh. de Montfaucon in Diario Ital. p. 198. HAV.

(a) *A planta.* Mercurium innuit Cyllenium illum, qui

pedibus talaria nectit
Aurea, quæ sublimem alis, sive æquora supra,
Seu terram rapido pariter cum flamine portant;

Apud Virg. IV. Æn. versu 244. *Id.*

(b) *Tergo alites.* Cupidinem intelligit et agmen Amorum, ipse πτερόεις ὅσον ὄρνις, *sicut pennipotens avis circumvolat*, describente matre apud Moschum Eidyl. 1. Horum omnium pleniorem notitiam dabit spectatæ eruditionis vir Matth. Brouerius qui de Diis Alatis syntagma promisit in præfatione ad libellum de Adorationibus Veterum. *Id.*

CAP. XVII. — (c) *Humanis sensibus.* Tacitus V. Hist. *Judæi mente sola, unumque Numen intelligunt. Profanos, qui Deum imagines, mortalibus materiis, in species hominum effingant.* Facit huc locus Pauli ad Ephesios c. V. versu 17. Διὰ τοῦτο μὴ γίνεσθε ἄφρονες, ἀλλὰ συνιέντες τί τὸ θέλημα τοῦ Κυρίου. HAV.

(d) *Minus est.* Pulcherrima oratio, qua docemur nolle nimis altum sapere, cum sibi arcanorum suorum solus conscius sit Deus, nobis ex iis quæ revelavit et secundum ea (Taciti verbis utar) gloria obsequii sola relicta sit. Imo inde gloriam futuri ævi præstantiamque perfectioris naturæ nostræ deducit Apostolorum coryphæus, quod plenior et perspicacior Dei notitia nobis sit seposita. Ita enim ille I. ad Corinth. XIII. 12. Βλέπομεν γὰρ ἄρτι δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι, τότε δὲ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον· ἄρτι γινώσκω ἐκ μέρους, τότε δὲ ἐπιγνώσομαι καθὼς καὶ ἐπεγνώσθην. HAV.

(e) *Capit.* Ita græcissat Noster sæpe. De Spect. c. III. *Generaliter dictum intelligamus, cum quid etiam specialiter interpretari capit.* Adv. Marc. I. V. c. 10. *animale dici capit. capit* est ἐνδέχεται ut recte la Cerda. HAV.

(f) *Summa delicti.* Ἀνακεφαλαίωσις, *redactio in summam*, breve compendium, ita potius explico, quam ut alii, summum delictum. HAV.

(g) *Institutionibus pravis.* Multa bona docte Interpretes congesserunt ad hanc capitis partem; sed omnino animadvertendum est nihil tam ab Nostro spectari, quam pulcherrimam illam Cebetis tabellam, ubi hæ pravæ Institutiones, quibus homo circumscribitur, i. e. fallitur, sunt Δόξαι, *Opiniones*, *et* ψευδοπαιδεια, *falsi nominis eruditio*, Poetæ, Oratores, Dialectici, Musici et quicumque ibi recensentur. Libidines et concupiscentiæ ibi Ἐπιθυμίαι, καὶ Ἡδοναί, *Cupiditates et Voluptates* appellantur. Tandem ex crapula resipiunt ii, quibus in afflictis rebus forte Μετάνοια, *Pœnitentia* fit obviam, quæ illis comites dans alias Opiniones et Cupiditates εἰς τὴν Ἀληθινὴν Παιδειαν, ad *Veram eruditionem* perducit. Quem libellum cum hisce conferre, si quis dignetur, operæ non pœnitebit. Statim Aldus *et concup.* non vero *ac;* sed non est tanti. HAV.

(h) *Ex somno.* Prosper Sentent. lib. ex Augustino c. CCXV. *Sic sunt, qui colunt idola, quomodo qui in somnis vident vana. Si autem evigilet anima ipsorum, intelligit a quo facta sit, et non colit quod ipsa fecit.* Idem Lucianus in Bis Accus. p. 323. Καὶ ὥσπερ ἐξ ὕπνου βαθέος ἀνεγειρόμενος, etc., i. e. *Ac velut e profundo somno experrectus, cum se aspiciebat quo pacto esset affectus, tum vitam anteactam damnabat, et rubor ille ex temulentia coortus defloreseebat, evanescebatque : ipse autem præ pudore eorum quæ fecerat, erubescebat.* HAV.

(i) *Et sanitatem suam patitur.* Mirabar *patitur*

Digitized by Google

Dei veri : DEUS MAGNUS, DEUS BONUS, et QUOD DEUS DEDERIT, omnium vox est. Judicem quoque contestatur illum, DEUS VIDET, et DEO COMMENDO, et DEUS MIHI REDDET. O testimonium animæ naturaliter christianæ (*a*)! Denique pronuntians hæc, non ad Capitolium, sed ad cœlum respicit. Novit enim sedem Dei vivi ; ab illo, et inde descendit.

CAPUT XVIII.

ARGUMENTUM.— *Istum Deum, non contentum insita sui hominibus notitia, aberrantes verbo et scriptura docere voluisse ostendit : itaque prophetas misisse Spiritu divino inundatos, qui populum suum de se suoque cultu et potentia edocerent. Hæc, quoniam prærogativa erat Judæorum, hebraicam requirebant linguam ; sed quoniam jussu Ptolemæi in græcam linguam monumenta ita versa erant, facile adiri posse, tanta quidem veritatis vi coruscantia, ut qui legerit vel audierit, etiam credere cogatur.*

Sed quo plenius et impressius tam ipsum dispositiones ejus et voluntates adiremus, instrumentum adjecit litteraturæ, si qui velit de Deo inquirere, et inquisito invenire, et invento credere, et credito deservire. Viros enim justitia et innocentia dignos deum nosse et ostendere a primordio in sæculum emisit spiritu divino inundatos, quo prædicarent Deum unicum esse, qui universa condiderit, qui hominem de humo struxerit ; hic enim est (1) verus Prometheus ; qui sæculum certis temporum dispositionibus et exitibus ordinaverit ; exinde qui signa (*b*) majestatis suæ judicantis ediderit per imbres, per ignes (*c*) ; qui demerendo sibi disciplinas determinaverit, quas ignoratis aut deseritis (*d*) ; sed et observantibus (2) præmia destinarit, ut qui (3) prodacto ævo isto judicaturus sit suos cultores in vitæ æternæ retributionem, profanos in ignem æque perpetem et jugem, suscitatis omnibus ab initio defunctis, et reformatis et recensitis, (*e*) ad utriusque meriti dispunctionem. Hæc et nos risimus aliquando. De vestris fuimus (*f*) ; fiunt, non nascuntur christiani (*g*). Quos diximus (4) prædicatores, prophetæ de officio præfandi (5) vocantur. Voces eorum itemque virtutes (*h*), quas ad fidem divinitatis edebant, in thesauris litterarum manent, nec istæ nunc latent. Ptolemæorum eruditissimus (*i*), quem

LECTIONES VARIANTES.

(1) Non est *Franeq.*
(2) Observationibus *Paris.*
(3) Producto *Fran.*
(4) Dicimus *Jun.*
(5) Prophetandi *Paris.*

COMMENTARIUS.

Rigaltio in editionibus placuisse, sed postea vidi Priorii esse, quod forsan habet a Latinio, sed *patitur* etiam Codex L. Bat. et editi omnes. Pro *et* mavult *dum* Latinius, Fuld. MS. delet. *Pati* vero et de re læta et adversa dicitur, ut Græcum, quod imitari voluit, πάσχειν. *Suam* hic emphasi non caret, sed est ut contrario et tristiori sensu in notissimo illo dictum,

Quisque suos patimur manes,

apud Virgil. lib. VI. In Codice Agobard. est *pascitur*, quod probare non possum. HAV.

(a) *Naturaliter Christianæ.* De Testim. Animæ c. 1. *Sed non eam te advoco* (animam) *quæ scholis formata, bibliothecis exercitata, academiis et porticibus Atticis partam sapientiam ructas. Te simplicem et rudem et impolitam, et idioticam compello, qualem habent, qui te solum habent* etc.

CAP. XVIII. — (b) *Exinde qui signa.* Locus varie ab doctis interpretibus sollicitatus, prout apud Wouwerium, La Cerdam, aliosque videre est. Pamelius, MS. Lugd. Bat. Agob. Herald. et denique Rhenanum, *Exinde quæ signa majestatis suæ judicantis ediderit p. i.*, etc. ; quomodo etiam Ald. nisi quod is habet *indicantis.* Rigalt. melius, *Exinde qui s. m. s. judicantis ediderit.* Barr. *majestati suæ vindicandæ*, quod sequitur Wouwerius. Optimus Fuldanus : *majestatis suæ ediderit, judicando ediderit.* Unde apparet lectionem eam voluisse : *Exinde qui signa majestatis suæ ediderit, judicando per imbres*, etc. Forsitan legendum, *Exinde qui signa majestati suæ vindicandæ ediderit, judicando per imbres*, etc. Dicit hic *exinde*, etc., quod cap. XIX. *et mox ultricem iniquitatis illius ævi vim cataclysmi.* HAV.

(c) *Per imbres.* Respicit judicium primi mundi, et pœnam Sodomæ ; quæ duo plane ita conjunguntur etiam a Petro, Epist. II. 2. 5. 6. καὶ ἀρχαίου κόσμου οὐκ ἐφείσατο, ἀλλ' ὄγδοον Νῶε δικαιοσύνης κήρυκα ἐφύλαξε, κατακλυσμὸν κόσμῳ ἀσεβῶν ἐπάξας. Καὶ πόλεις Σοδόμων καὶ Γομόρρας τεφρώσας καταστροφῇ κατέκρινεν, ὑπόδειγμα μελλόντων ἀσεβεῖν τεθεικώς. HAV.

(d) *Quas ignoratis aut.* Rectissime ita Rigalt. Perperam alii, *quæ ignoratis et deseritis*, vel *quibus ignoratis aut desertis.* Aut enim ignorarunt gentes disciplinas has, ut verbum Dei Judæis suis traditum, aut deseruerunt ; illas scilicet non tantum, quas ex mundi opificio et mirabili rerum omnium ordine colligere debuerant, prout hinc argumentatur Apostolus Paulus Act. XVII. 27. collato c. XIV. 16. 17. quod Moses Israeli inculcat. I. V. c. 17. 19. docens prærogativam ipsorum, quos sibi per se ipsum docendos assumpserat Deus, reliquis populis cœlum, solem, lunam, stellas distribuens, ut ita per longas demum ambages ruditer tantum notitiam Deitatis cujusdam haberent ; sed et, quod hic præcipue respicit, jam sibi etiam per Novi Testamenti indulgentiam oblatas. HAV.

(e) *Recensitis.* Cod. Fuld. *recensis.* Quod sequitur *dispungere* a re nummaria est sumptum, tabulisque accepti et expensi. Unde et illa locutio Apoc. III. 5. μὴ ἐξαλείψω τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐκ τῆς βίβλου τῆς ζωῆς. HAV.

(f) *De vestris fuimus.* Diogenes Laertius de Diogene Cynico. Ille exprobranti sibi, quod aliquando falso pecuniam signasset, ἦν ποτε, inquit, χρόνος ἐκεῖνος ὅτ' ἦμην ἐγὼ τοιοῦτος ὁποῖος σὺ νῦν· ὁποῖος δ' ἐγὼ νῦν, σὺ οὐδέποτε ; i. e. *tempus fuit quum talis eram, qualis tu modo : qualis autem ego modo sum, nunquam tu eris.* HAV.

(g) *Fiunt, non nascuntur. De Anima* c. 1. *Fieri enim, non nasci soles christiana.* Nam *christianos non facit generatio, sed regeneratio*, secundum Augustin. I. III. de peccat. Mer. et Rem. c. 9. scilicet aliter ac poetæ, qui nascuntur, non fiunt. Exstat ad dictum hoc Tertulliani commentariolus Matth. Zimmermanni Lipsiæ 1662. 4. HAV.

(h) *Virtutes.* De moribus intelligunt interpretes, cum potius miracula per illos edita, quæ passim *virtutes* in S. S. audiunt, innuantur. Mox pro *ad fidem* ed. Ald. Herald. et Rhen. *ad finem.* male. HAV.

(i) *Ptolemæorum eruditissimus.* Hæc si vera scriptura est, quomodo hactenus omnes editiones præ se ferunt, innuere vult totam Ptolemæorum gentem studiis valde fuisse deditam : quomodo omnis etiam Cæsarum stirps a Julio descendens satis litterata fuisse traditur. Et certe non tantum imperii formator

Digitized by Google

Philadelphum supernominant, et omnis litteraturæ sagacissimus (*a*), cum studio bibliothecarum (*b*) Pisistratum, opinor, æmularetur, inter cætera memoriarum, quibus aut vetustas aut curiositas aliqua ad famam patrocinabatur, ex suggestu (*c*) Demetrii Phalerei (*d*) grammaticorum tunc probatissimi, cui præfecturam mandaverat, libros (*e*) a Judæis quoque postulavit, proprias (1) [scilicet] atque vernaculas litteras, quas soli habebant. Ex ipsis enim et ad ipsos semper prophetæ peroraverant, scilicet ad A domesticam Dei gentem ex patrum gratia. Hebræi retro, qui nunc Judæi; igitur et litteræ Hebraæ, et eloquium. Sed ne notitia vacaret, hoc quoque Ptolemæo a Judæis subscriptum est, septuaginta et duobus interpretibus indultis, quos Menedemus quoque philosophus providentiæ vindex (*o*) de sententiæ communione suspexit. Affirmavit hæc vobis etiam Aristæas. Ita in Græcum stylum ex aperto (2) monimenta reliquit. Hodie apud Serapæum (*g*) Ptolemæi bibliothecæ cum ipsis Hebraicis (*h*) litteris exhiben-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Scilicet *delet Jun. Haverc.*

(2) Exaperto *Havêrc.* exaperta *coni Sciopp.*

COMMENTARIUS.

Ptolemæus Lagi, etiam Regis et Imperatoris sui Alexandri res gestas litteris consignavit, unde profecisse se Arrianus testatur, sed in qua nomen regium defecit vel fœmina Cleopatra cognitione linguarum strenue fuit imbuta. Aliam tamen lectionem suppeditat codex Fuld. *Ptolemæus* [*quem Philadelphum supernominant*] *eruditissimus rex et omnis*, etc., ita Scioppius corrigit quod ibi vitiosum *rexit omni*. Hujus fuit præceptor Strato philosophus, donatus ab eo LXXX. talentis. Diogenes Laertius in Vita Stratonis. Hav.

(a) *Sagacissimus.* Hoc epiphonemate ex vero illum ornat, innuens quasi canem venaticum omnes angulos bibliothecarum, quæ in Græcia et alibi exstabant, perscrutasse, ingentemque inde prædam asportasse. Athenæus quoque de illo lib. XII. p. 536. παιδείας, εἴ τις ἄλλος, καὶ αὐτὸς ἐπιμεληθείς; i. e. *litteraturæ, si quis alius, studiosissimus.* Qui eumdem summo elogio. πάντ' ἄριστον, i. e. *undequaque optimum*, lib. V. cap. 5. et lib. XII. πάντων σεμνότατον γινόμενον τῶν δυναστῶν. i. e. *omnium principum gravissimum appellat.* Eumdem virtutibus regiis supra omnes ætatis suæ superiorumque sæculorum principes nobilem, prædicat Philo Judæus lib. II. de Vita Mosis. Hav.

(b) *Studio bibliothecarum.* Quas pater ejus Lagides comportare Alexandriam cœperat. Persuasus ab Aristotele vel instituto ejus motus Strabo lib. XIII. Ὁ Ἀριστοτέλης, πρῶτος ἂν ὧν ἴσμεν, συναγαγὼν βιβλία, καὶ διδάξας τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ Βασιλέας Βιβλιοθήκης σύνταξιν, i. e. *Aristoteles primus omnium, qui nobis sunt noti, Bibliothecam composuit, idque Ægypti reges facere docuit.* Ægyptiorum vero studium, ut omnis sapientiæ avidum, ita etiam Bibliothecarum, commendat lib. II. cap. 49. Diodorus Siculus, ubi narrat Osymandiam antiquissimum Ægyptiorum Regem, præter monumenta alia condidisse Bibliothecam, super cujus limen præscribi jusserit ΨΥΧΗΣ ΙΑΤΡΕΙΟΝ, i. e., ut Lipsius vertit, ANIMI OFFICINA MEDICA. Ptolemæorum vero uterque Lagides et Philadelphus, ille cum Berenice, hic cum Arsinoe sorore eadem et conjuge, veteribus nummis aureis, quos Spanhemius publicavit, se conspiciendos præbeant.

Exhibet hos in lib. præstantissimo de Usu et Præst. Num. p. 406. et p. 404. et ante illum tertium item Seguin. in Sel. Num. p. 47. sed quod illud Spanh. male verti putat *Deorum Fratrum*, in eo fallitur: ita enim distincte nobili loco Tertull. lib. II. ad Nat. cap. 13. *Incesto jam junctos Opem et Saturnum fratres recepistis.* Mox Cod. Agobard. *æmulatur.* Hav.

(c) *Ex suggestu Demetrii.* Disertis verbis hoc habent etiam Josephus, et ante illum ni fallor Aristæas locis supra citatis. Vives in D. Aug. de Civ. Dei, addit, Demetrium hunc Athenis antea maximis dignitatibus functum, civium invidia pulsum a Ptolomæo fuisse susceptum, et bibliothecæ præfectum, quod ex Diogene Laertio sumpsit in Vita ejusdem Demetrii, ubi librum ab eo etiam conscriptum dicit qui Ptolomæus inscribebatur, et alterum de Rhetorica, qui fortassis occasionem dedit Tertulliano, ut vocet eum *Grammaticorum tunc probatissimum*, quem interim tanquam Antiquitatum scriptorem citat infra cap. seq. Pamel.

(d) *Demetrii Phalerei.* De insigni hoc viro omnino inspici merentur notæ Eusebianæ maximi eruditorum Josephi Scaligeri p. 153. qui ibidem putat jejune nimis hoc nomine de illo locutum Tertull. cum tamen tempore illius in summa laude vocabulum illud poneretur, ut nobilem illam criticam significaret, qua de scriptis veterum judicamus. Itaque maxime proprie locutus est: unde Donatus lib. II. *litteratum* explicat. Melius Scaliger, falsam docet esse hanc opinionem, quoniam ab hoc Philadelpho statim ut regnare incœpit relegatus est, quippe Patri ejus auctor fuerat transferendi jus regium in filium alia matre natum. Itaque in exsilio morsu aspidis periit. Sed studium suum patri Lagidæ præstare potuit et in nomine fuisse erratum. De hoc viro elegantissimi Mureti testimonium nobis sit instar omnium. Ille Orat. XXIII. ait: « Trecentas sexaginta Demetrio « Phalereo statuas æreas populus Atheniensis anno « uno eoque non toto posuerat: quibus omnibus ipse « Demetrius superstes fuit. At quæ ipse sibi monu- « menta ingenii ac doctrinæ magnitudine exstruxerat, « ea et multis post ipsum sæculis viguerunt; et, cum « postea densa quædam et opaca nox omnem prope « disciplinarum lucem exstinxisset, ex oculis erepta, « incredibile desiderium sui in omnium eruditorum « animis reliquerunt. » Hav.

(e) LIBROS *a Judæis postulavit.* Josephus lib. XII. τὰ τῆς Ἰουδαίων νομοθεσίας βιβλία. Ac deinceps semper hos libros vocat Νόμον, ut ab illis Septuaginta nihil præter Pentateuchum allatum, aut in Græcam linguam translatum fuisse videatur. Hilarius quoque Prologo in Psal. ait Septuaginta senioribus a rege Ptolomæo transferendæ ex Hebræo in Græcum sermonem totius Legis curam mandatam fuisse. At Clemens Alex. Strom. I. conversas ab iis in Latinum sermonem fuisse refert τὰς γραφὰς, τὰς τοῦ νόμου καὶ τὰς προφητικάς. Irenæus quoque Apostolos tradit, ac deinceps horum sectatores prophetica omnia ita annuntiavisse quemadmodum seniorum interpretatio continet. Et tamen ab Apostolis citata quædam ex prophetis Hieronymus notavit, quæ in illa Septuaginta interpretum versione non reperiuntur; qua de re gravis est viri illius doctissimi querela, Præfationibus in Pentateuchum et Tradit. Heb. Rig.

(f) *Providentiæ vindex.* Nimirum divinam ex his Dei providentiam intuens, quod omnes in eamdem sententiam convenissent: quod certe non fuisset mirum, nisi separatim eamdem Scripturam essent interpretati. Itaque separati fuerunt Septuaginta interpretes: id quod tradit Irenæus lib. III. c. 25. Lac.

(g) *Hodie apud Serapæum.* Locus hic aut est Serapides templum, de quo Theodoritus lib. V. cap. 22. aut locus Serapidis templo et Alexandriæ vicinus, in quo Ptolomæi asservatur bibliotheca. Le pr.

(h) *Ipsis Hebraicis.* Unde patet biglosson fuisse hoc

Digitized by Google

tur (1). Sed et Judæi palam (*a*) lectitant; vectigalis libertas (*b*) vulgo aditur sabbatis omnibus. Qui audierit, inveniet Deum; qui etiam studuerit intelligere, cogetur et credere.

CAPUT XIX.

ARGUMENTUM.— *Hujus Dei veram cognitionem, scriptis proditam, antiquiorem omni litteratura sæculari ostendit, imo omnibus illorum diis ipsis, utpote qui postea in deorum numerum sint relati. Cum enim Moses ipso Inacho ætate fere par sit, Danaum igitur, bellum Trojanum, Homerum, et siquid antiquum audit, longe post se relinquit: quod, si velit, se ex chronologis confirmare posse, satis superque ostendit.*

Primam igitur instrumentis istis (2) auctoritatem summa antiquitas vindicat (3). Apud vos quoque religionis est[e] instar, fidem (4) de temporibus asserere.

(*Quæ sequuntur uncis inclusa primus e cod. Fuldensi Havercampus publici juris fecit, sed alteri scriptoris recognitioni tribuens sub finem editionis suæ exprimenda curavit*).

(*c*) [Primus (*d*) enim prophetes Moyses, qui mundi conditionem (*e*) et generis humani pullulationem et mox ultricem iniquitatis (*f*) illius ævi vim cataclysmi de præterito (*g*) exorsus est, per vaticinationem usque ad suam ætatem et deinceps per res suas (*h*) futurorum imagines edidit, penes quem et temporum ordo digestus ab initio supputationem sæculi (*i*) præstitit: superior inveni tur annis circiter trecentis, quam ille antiquissimus penes vos Danaus in Argo transvenisset (*j*);

LECTIONES VARIANTES.

(1) Litteris *abest cod. fuld.*
(2) Istis *abest Paris.*
(3) Vindicat *Jun.*
(4) Finem *fran.*

COMMENTARIUS.

monumentum, quamvis fere sola Græca interpretatione Judæi Alexandrini postea ut et alii fuerint contenti. Adde Scaligeri notam Eusebianam p. 134. ed. optimæ. Cod. Fuld. delet vocem *litteris*, cui facile accedo. Delet et MS. L. Batav. imo et Agobard. qui insuper inducit *cum ipsis*. HAV.

(a) *Sed et Judæi palam.* Quoniam longa via erat ad Serapidis templum in Ægypto, decet propiorem, publicam, cuique opportunam. Unde patet Carthagine etiam et alibi, personata annua pensione, libere synagogas suas frequentasse Judæos. Romæ certe et in Italia mansionem suam redimere debuisse puto, cum singuli etiam ex imperio Titi διδραχμον Jovi Capitolino inferrent, gravius etiam et durius a Domitiano habiti, lenius a Nerva, ut docet ejus nummus inscriptus FISCI. IVDAICI. CALVMNIA SVBLATA. apud Clariss. Patin. in Thesauro. p. 155. HAV.

(b) *Vectigalis libertas.* Ita recte distinguunt Aldus et Rigalt. Alii: *vectigalis libertas vulgo* [La Cerda *vulgi*] *aditur, sabbatis omnibus.* Vide quæ notat Is. Casaub. ad Sueton. Domitian. c. 12. Nos addimus Juvenalem Sat. III, 13.

> Nunc sacri fontis nemus et delubra locantur
> Judæis.

Ut vere in simili fere conquestus fuerit Jeremias in Thren. v. 4. *aquam nostram mercede bibimus: et lignum nostrum pretio nobis venit.* HAV.

CAP. XIX. — (c) Nobile hoc fragmentum pertinet ad initium cap. XIX; mox enim post illa *fidem de temporibus adserere*, totum hoc, quantumcumque est in præstantissimo Codice Fuldano, illoque solo adhibetur, qui et in aliis, ut sæpe nobis notatum, multum a reliquis MSS. discedit. Primus Franciscus Modius Brugensis, vir eruditione et studio undique veteres libros MSS. conquirendi clarus, illo Codice accurate collato, et id observavit; quam collationem postea nactus Gaspar Scioppius, vir in latinis apprime doctus, cum Francisco Junio, hic illic emendatiunculis suis adjectis, communicavit. Sed cum jam ad finem Junii labor (qui hinc multo melior in hoc Tertulliani scripto potuisset emergere) esset perductus, ad calcem libri tota collatio illa rejecta est. Quod vero jure mireris, qui Junium secuti sunt, Heraldus, La Cerda, atque adeo ipse Rigaltius, optime de nostro Auctore meriti, nullam plane hujus Fragmenti mentionem fecerunt, ut Parisienses taceam, qui toties hunc Auctorem nobis dederunt. Ego vero arbitror omnino hæc omnia ab ipsius Tertulliani manu esse, sed quæ in secunda Apologetici sui editione poliverit, mutaverit, quod et nobis alibi in hoc libello, scilicet p. 293 et 315. observatum est. Quoniam vero et hæc exstare et legi eruditorum intererat, hic repræsentare voluimus. HAV.

Non desunt qui genuinum esse illud fragmentum negant. Semler ab editione sua expunxit. Auctor recentis apud Gallos versionis Apologetici, D. Allard, multa verba potius in eo respuendo, quam argumenta suppeditat: nobis vero quibus cuncta veterum auctorum fragmenta vel dubia servare religio est, illud ex editione accurata Leopoldi edendum accepimus. EDD.

(d) *Primus enim.* Non quidem in numero eorum, qui futura prænuntiarunt, sed qui, ut alibi loquitur, mensuræ in perpetuum veritatis famæ scriptis patrocinati sunt. Nota græcam *Prophetes* vocem hic retentam. (Sequentes notæ unius sunt Havercampi.)

(e) *Conditionem.* Hac voce passim utitur pro creatione et creatura. De Corona Militis cap. VI. *Quæris, an conditioni ejus fruendæ natura nobis debeat præire, ne illa rapiamur, qua Dei æmulus universam conditionem certis usibus homini mancipatam, cum ipso homine corrupit.* Mox in MS. *pullatione* vitiose pro *pullulationem.*

(f) *Ultricem iniquitatis.* Cap. XXVIII. *judicando per imbres, per ignes.*

(g) *De præterito.* Ea veri vatis laus, secundum Homerum, nosse et præsentia, et futura, et præterita. Is, de Calchante, Iliad. A. 80.

> Ὃς ἤδη τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα.

Quæ in se conjungit Apollo apud Ovid. lib. I. Metam. versu 17.

> Per me quod eritque, fuitque,
> Estque, patet.

Et in Proteo Virgil. IV. Georg. versu 392.

> Novit namque omnia vates,
> Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

Illa quoque ratione tripodem Phœbo dedicatum notant, quia secundum tria tempora vaticinatur, præsens, præteritum, futurum. Suidas in illa voce: Τρίπους, κατὰ τοὺς τρεῖς χρόνους μαντευόμενος, ἐνεστῶτα, παρεληλυθότα καὶ μέλλοντα. Tria itaque hæc in Mose plenissime conjunguntur.

(h) *Per res suas.* Puto corrigendum esse *verissimas.*

(i) *Supputationem sæculi.* Quum penes vetustissimos gentilium ultra Danaum et Agamemnona ascendere non liceat, Græci Olympiadas, Romani conditæ Urbis annos numerent. Itaque prudenter opinionem de æternitate mundi refellit Lucretius lib. V. versu 327.

> Cur supra bellum Thebanum et funera Trojæ,
> Non alias alii quoque res cecinere poetæ?
> Quo tot facta virum toties cecidere? neque usquam
> Æternis famæ monumentis insita florent?

(j) *Transvenisset.* Legendum videtur *transvenit, et.*

Digitized by Google

Trojano denique (*a*) prælio ad mille annos ante est, unde et ipso Saturno. Secundum enim historiam Thalli (*b*), qua relatum est bellum Assyriorum et Saturnum Titanorum regem (*c*) cum Jove dimicasse, ostenditur bellum (*d*) CCCXX. et duobus annis Iliacum exitium (*e*) antecessisse. Per hunc Moysen etiam illa lex propria Judæis a Deo missa est. Deinceps multa (1) (*f*) et alii prophetæ vetustiores litteris vestris. Nam et qui ultimo cecinit, aut aliquantulo præcucurrit, aut certe concurrit ætate sapientiæ auctoribus, etiam latoribus legis. Cyri enim et Darii regno fuit Zacharias, quo in tempore Thales physicorum princeps, sciscitanti Crœso (2) (*g*) nihil certum de Divinitate respondit, turbatus scilicet vocibus prophetarum, Solon eidem regi finem longæ vitæ intuendum prædicavit non aliter, quam Prophetæ (3) (*h*); adeo respici potest, tam jura vestra quam studia de lege (*i*) deque divina doctrina concepisse. Quod prius est, hoc sit A semen (*j*) necesse est. Inde quædam nobiscum vel prope nos habetis. De sophia amor ejus philosophia vocitatus est, de prophetia affectatio ejus (*k*) poeticam vaticinationem deputavit (*l*). Gloriæ homines (*m*), si quid invenerant, ut proprium (*n*) facerent, adulteraverunt; etiam fructibus a semine degenerare contigit (*o*). Multis adhuc de vetustate modis consisterem (*p*) divinarum litterarum, si non major auctoritas illis ad fidem de veritatis suæ viribus, quam ætatis annalibus suppetisset. Quid enim potentius patrocinabitur testimonio earum, nisi dispunctio (*q*) quotidiana sæculi totius, cum dispositiones (4) regnorum (*r*), cum casus urbium, cum exitus gentium, cum status temporum ita omnibus respondent, quemadmodum ante millia annorum (*s*) prænuntiabantur? Unde et spes nostra, quam ridetis, animatur, et fiducia, quam præsumptionem (*t*) vocatis, corroboratur. Idonea est (*u*) enim recognitio præterito- B

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Haverc. cont. multi; sed verbum aliquod excidisse veri similius est.*

(2) *Cod. Ms.* Cyro.

(3) *Ps. XXXIX*, 5.

(4) *Cod.* cum dispositione regnorum, *etc.*

COMMENTARIUS.

(a) *Trojano denique.* Ita modo male in MS. *nos* pro *vos*.

(b) *Thalli.* Celebris Chronographi, quem utinam haberemus! Hujus bis adhuc mentionem facit, in medio hujus capitis XIX. et supra cap. X. Cave autem putes confecisse historiam belli Assyrii, cum tantum mentio ejus necessario in ipsius Chronico debuerit fieri, et ad certum aliquod tempus restringi.

(c) *Regem.* Pulsus enim a Jove regno et sceptris, ope Titanum, quorum ducem fecit Thallus, recuperare regnum conatus est, victusque profugit in Italiam. Vide Fabulatores. Male in MS. est *reges*.

(d) *Bellum.* Videtur excidisse vox *istud*, vel mutandum in *illum*, ut ita ad Saturnum ipsum referatur.

(e) *Exitium.* Ita manifeste reponendum pro eo, quod in MS. est *exitum*.

(f) *Multa.* Melius forte *multi*; vel innuit, quemadmodum Moses varia prædixit futura, ita et reliquos illo posteriores prophetas similia multa præmonstrasse.

(g) *Crœso.* Vitiose, quod et Scioppius notavit in MS. est *Cyro*.

(h) *Quam prophetæ.* Davidis respicit votum Ps. XXXIX. 5. *Domine, fac mihi cognitum finem meum, quæque sit mensura dierum mearum, ut sciam ego quam sim caducus.* Dixit vero *Prophetæ* illa figura, qua cap. XXI. *Proculi solent*, quum et propheta unus, et unus dixerit Proculus.

(i) *Studia. de lege.* Et leges, inquit, quas vobis condidit, et rationem studiorum, quibus sapiens audivit, a Divinis litteris mutuatus est. Harum enim aliqua saltem cognitione imbutos Thaletem et Solonem affirmare Noster videtur, dum mundana et quæ terrenorum oculos perstringunt despicientes, veram scrutari virtutem voluisse videntur.

(j) *Sit semen.* Theodoretus Græcar. Aff. Cur. p. 6. Φασὶ δὲ αὐτοὺς, etc, i. e. *Aiunt vero philosophos illos in Ægypto, non ab ipsis solum Ægyptiis, sed Hebræis quoque præceptoribus, Dei veri doctrinam cognitionemque percepisse.* Quod idem fere de Platone reliquisque philosophis scribit idem, p. 31. et seqq.

(k) *Affectatio ejus.* Æmulatio, assimilatio. *Affectant veritatem, et affectando corrumpunt.* De iisdem cap. XLVII.

(l) *Deputavit.* Arcessivit, sed ita, ut ramum vi ab arbore avulsum, qui deficiente succo arescit, unde mox dicit *adulteraverunt*. Exhort. ad Casti. cap. VI. *Erat vetus dispositio, quæ in Evangelio novo deputatur.*

(m) *Gloriæ homines.* Philosophi præcipue, de quibus eleganter Cicero pro Archia cap. XXVI. *Ipsi illi philosophi, etiam in illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt: in eo ipso, in quo prædicationem nobilitatemque despiciunt, prædicari se ac nominari volunt.* Noster etiam infra, cap. XLVII. *Mimice Philosophi affectant veritatem, et affectando corrumpunt, ut qui gloriam captant.* Vide ibidem in hunc sensum multo plura.

(n) *Ut proprium.* Addendo, detrahendo, immutando. C Horatius de Arte Poet. versu 47.

> Dixeris egregie, notum si callida verbum
> Reddiderit junctura novum.

Sed ubi in ipsa hoc fit veritate et perfectione, naturæ ejus deperit.

(o) *Contigit.* Forte *contingit*, sed tamen nihil muto.

(p) *Consisterem.* Eadem loquendi formula cap. IV. *Jam de causa innocentiæ consistam*, et alibi. Sensus idem est ac si scripsisset, *multis adhuc consisterem modis de vetustate Divinarum litterarum, si non* etc.

(q) *Dispunctio.* Sæpius hac voce a rationibus desumpta utitur. cap. XVIII. *Ad utriusque meriti dispunctionem.* de Testim. Animæ cap. IV. *Affirmamus te manere post vitæ dispunctionem;* et de Anima. cap. XXXIII. *Cum, si quod judicium animas manet, gravius debeat credi in dispunctione vitæ quam in administratione.* Adde et Indicem nostrum. Est itaque *dispunctio quotidiana sæculi* ille mundi status et exitus rerum, qui quotidie D veritatem prædictionis ipso eventu implet, ut in sequentibus ipse latius persequitur.

(r) *Dispositione regnorum.* Ita reformandus est locus corruptus *nisi dispunctio quotidiana sæculi totius? Cum dispositiones regnorum, cum casus urbium*, etc. Sunt enim *dispositiones regnorum* mutationes et successiones eorum, de quibus libere disponit manceps regnorum et Rex regum: *Usque fateare, Altissimum dominari supra regna hominum, illaque dare cuicumque velit.* minæ sunt Danielis IV. 24. ad Nebucadnezarem. Ipsi Imperatores *sciunt, quis illis dederit Imperium*, infra cap. XXX.

(s) *Millia annorum.* Nota locutionem, qualis apud Apuleium *ardua montium*, et infinita alia apud alios scriptores.

(t) *Præsumptionem.* Dum secta quædam hominis placito innitens creditur christianismus, de quo egit cap. XLVI.

(u) *Idonea est.* Scilicet tot jam videmus impleta, quæ

Digitized by Google

rum ad disponendam fiduciam futurorum : eadem vo- A ces (*a*) prædicaverunt utramque partem (*b*), eadem litteræ notaverunt. Unum est tempus (*c*) apud illas, quod apud nos separari videtur. Ita omnia quæ supersunt improbata (1) sunt (*d*) nobis, quia cum illis, quæ probata sunt, tunc futuris prædicabantur. Habetis, quod sciam (*e*), et vos Sibyllam, quatenus appellatione ita vera vates dei veri passim super cæteros, qui vaticinari videbantur, usurpata est, sicut vestræ Sibyllæ nomen de veritate mentitæ, quemadmodum et dei vestri (2).]

Omnes itaque substantias, omnesque materias, origines, ordines, venas veterani cujusque styli vestri, gentes etiam plerasque et urbes insignes, historiarum canas (3), et memoriarum, ipsas denique effigies (*f*) litterarum, indices custodesque rerum, et (puto adhuc minus dicimus) ipsos inquam deos vestros, ipsa templa et oracula et sacra unius interim prophetæ scrinium (*g*) sæculis vincit, in quo videtur thesaurus collocatus totius Judaici sacramenti, et indè (4) etiam nostri. Si quem audistis interim Moysen, Argivo Inacho pariter ætate est; quadringentis pene (*h*) annis, nam et septem minus, Danaum, et ipsum

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Scoppius :* jam probata, *Haverc.* in probato. *sed legendum statuo :* quæ supersunt improbata, probata sunt nobis, etc.

(2) *Coll. Ms.* Habetis, quod sciam, et nos Sibyllam, quatenus appellatio ista — dei nostri. *Haverc. locum ita restituit :* Habemus, quod sciam, et nos Sibyllam, quatenus appellatio ista veræ vatis dei veri passim super cæteras, quæ vaticinari videbantur, usu probata est. Sciunt vestræ B Sibyllæ, nomen de veritate mentitæ, quemadmodum et dei vestri.

(3) *Rhen. et Gangn.* historias et caussas memoriarum, etc.; *Ald.* historiarum et caussas canas ipsas et mem.; *Herald.* historiarum causas et memoriarum; *cod. Fuld.* historiarum et arcana memoriarum; *codd. Ful. et Lugd.* historiarum et canas memoriarum.

(4) Proinde *v. c.*

COMMENTARIUS.

per Prophetias Deus prædixit, ergo et quæ restant implementum accipient.

(a) *Voces.* Vivæ, illaque, addit quæ dixerunt, non effluxerunt, sed et scriptis consignata sunt.

(b) *Utramque partem.* Et quod jam est impletum, et quod adhuc implebitur.

(c) *Unum est tempus.* Ita intellige, id quod nobis separatim et per diversos temporum tractus occurrit, id Prophetis Spiritus Sanctus uno obtutu et actu C repræsentavit. Imo ut apud Deum præsentia, futura nihil in cognitione differunt, ita nec apud illos a Deo inspiratos et illuminatos.

(d) *Improbata sunt.* Manifesto vitiosum, correxit itaque Scioppius *jam probata sunt.* Sed melius ad mentem Septimii et litterarum ductum, si legas *in probato sunt*, id est, probantur facile. Est vero in eo, ut demonstret, futurum tempus quasi unum et præsens Prophetis apparuisse, quod quidem nobis est diversum, quia partem tantum ex eventu probare possumus, pars probanda ex futuris restat : Sic, inquit, et id, quod jam est impletum, quodque implendum superest, in ipso olim prædictionis tempore, ut futurum considerari debuit, quia nihil adhuc tunc impletum erat. Cujus parti priori quoniam respondit eventus, inde etiam futurorum certitudinem in promptu et probato habemus.

(e) *Habetis, quod sciam.* Totus hic locus mirifice est corruptus, nec ullum sanum sensum admittit, imo quater medicina indiget. Restituo ita : *Habemus, quod sciam, et nos Sibyllam, quatenus appellatio ista veræ vatis Dei veri, passim super cæteras, quæ vaticinari videbantur, usu probata est. Sciunt vestræ sibyllæ, nomen de veritate mentitæ, quemadmodum et dii vestri.* Ita supra cap. v. *Scit M. Æmilius de deo suo Alburno.* Intelligit vero Chaldæam vel Erythræam, quam sæpe laudat Lactantius, aliique Patres credulitate nimia decipi faciles. De Sibyllis videri possunt, præter Suidam, Jo. Alb. Fabricius Bibl. Gr. tom. I. p. 167. Petitus, van Dalen, aliique. Testatur etiam Semlerus in Bibliotheca Gesneriana, recondi Romæ in Bib. Vaticana XIV. libros Sibyllæ, diversos forte a Rhapsodia illa quam habemus. Memoratur ibidem hoc titulo volumen. Ἐκ τῶν προφητικῶν, Σιβύλλης λόγοι θ. μέχρι τοῦ ιδ. Exstat etiam de Sibyllis oratio humanissimi doctissimique Jensii. Pergit jam Cod. Fuld. ita : *Omnes itaque substantiæ*, etc., quæ cap. XIX videri possunt.

(f) *Effigies litterarum indices.* Non inventionem litterarum tantum innuit, quam versutus ille Cadmus ex Phœnicia in Græciam attulit, cui populo hanc famam constans vindicat opinio, unde apud Lucanum lib. III, 220.

> Phœnices primi, famæ si creditur, ausi
> Mansuram rudibus vocem signare figuris.

Qualesve in Alcumenæ sepulcro inventas tradit Plutarchus in lib. de Socratis Genio, vetustissimas, quas vocat τοὺς τύπους seu formas illius grammaticæ, quam Proteo regnante didicit Hercules. sed et litterarum usum sculptis et effigiatis animalibus sensum animi efferebant. Porphyrius, qui et Malchus, in Vita Pythagoræ, p. 15. novæ edit. refert illum linguam Ægyptiorum perdidicisse, triplexque litterarum genus, epistolicum scilicet, hieroglyphicum et symbolicum. Τῶν μὲν κοινολογουμένων κατὰ μίμησιν, τῶν δὲ ἀλληγορουμένων κατά τινας αἰνιγμούς; i. e. *Quorum illud propriam et communem loquendi consuetudinem imitatur; reliqua per allegorias, sub quibusdam ænigmatum involucris, sensum exprimunt.* Rursus Lucanus :

> Nondum flumineas Memphis contexere biblos
> Noverat : et saxis tantum, volucresque, feræque,
> Sculptaque servabant magicas animalia linguas.

Servabant, Nostro *custodes rerum* inde dictæ. Vocabantur hieroglyphica, de quibus singularem composuit libellum Orus, illustratus a Jo. Mercero et aliis. Quo in studio inter omnes emicat industria Laurentii D Pignorii. Hav.

(g) *Scrinium.* Quomodo Prudentium etiam locutum ostendit La Cerda. Inepta scriptio et insulsa apud Persium Sat. 1. versu 106.

> Nec pluteum cædit, nec demorsos sapit ungues.

Ipse Horatius ut Noster pro scriptione I. lib. Sat. 1. 120.

> Ne me Crispini scrinia lippi
> Compilasse putes, verbum non amplius addam.

Cod. Agob. ita legit, *intus interim prophetæ scrinium sæcula vincit.* Hav.

(h) *Quadringentis.* Ita etiam Cod. Fuld. per litteras exprimens, ut passim. cccc. et hæc sine distinctione superioribus connectens. Aldus legit, *octingentis pene annis ante Urbem conditam, centum septuaginta Danaum, ipsam apud vos vetustissimum, prævenit.* Quæ profecto haud absurda sunt. Quocumque enim modo computum inieris, Moses et Danaus per quadringentos annos a se invicem discedere non possunt. Et apte Urbis Ro-

Digitized by Google

apud vos vetustissimum, prævenit (1), mille (2) circiter (*a*) cladem Priami antecedit; possem etiam dicere, quingentis (*b*) amplius et Homerum, habens quos sequar. Cæteri quoque prophetæ, (3) etsi Moysi posthumant, extremissimi tamen eorum non retrosioros (*c*) deprehenduntur primoribus vestris sapientibus et legiferis et historicis. Hæc quibus ordinibus probari possint, non tam difficile est nobis exponere, quam enorme, nec arduum, sed interim longum. Multis instrumentis, cum digitorum supputariis gesticulis assidendum est. Reseranda antiquissimarum etiam gentium archiva, Ægyptiorum, Chaldæorum, Phœnicum; advocandi etiam municipes eorum, per quos notitia subministrata est; aliqui (4) Manethon Ægyptius, et Berosus Chaldæus, sed et Iromus (*d*) Phœnix Tyri rex (5); sectatores quoque eorum Mendesius Ptolemæus, et Menander Ephesius, et Demetrius Phalereus, et rex Juba, et Appion, et Thallus, et qui istos aut probat aut revincit (6), judæus Josephus antiquitatum Judaicarum vernaculus vindex (*e*). Græcorum etiam censuales (*f*) conferendi, et quæ quando sint gesta, ut concatenationes temporum aperiantur, per quæ luceant annalium numeri. Peregrinandum est in historias et litteras orbis. Et tamen quasi partem (7) jam probationis intulimus, quum per quæ probari possint, aspersimus. Verum differre præstat, ne vel minus persequamur festinando, vel diutius evagemur persequendo.

CAPUT. XX.

ARGUMENTUM.—*Sed omissa antiquitate, quæ errare potest, divinitatem Sacræ Scripturæ ostendit, exitu rerum comprobatæ: quæcumque enim fiunt, jam in illa prædicta inveniuntur, ut adeo necesse sit credere quæ adhuc restant futura, quoniam et in illa comprehensa et prædicta sunt.*

Plus jam offerimus pro ista dilatione, majesta-

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Rhen. Gangn. et Aldus*: Siquidem audistis interim Moysen, Argivo Inacho parem ætate (par est ætate, *Franek.*) octingentis pene annis ante Urbem conditam, nam et centum septuaginta Danaum ipsum apud vos vetustissimum prævenit, trecentos circiter cladem Priami antecedit

(2) Trecentos. *v. c.*

(3) Et si *Paris.*

(4) Alioquin *Jun. ex MS.*

(5) Hieronymus *Fran.*

(6) Et Apion et Thallus, et (si qui istos probat aut revincit) Judæus *Jun. ex MS.*

(7) Patrem *Jun.*

COMMENTARIUS.

mæ mentionem facit tam antiquæ. Quare cum nec ipse Moses Inachi ætate vixerit, sed aliquanto post, ut constat, ita ex Cod. Fuld. distinguo: *Argivo Inacho pariter est ætate quadringentis pene annis.* Jam cum Aldina editione, *Octingentis ante Urbem conditam. Centum septuaginta Danaum*, etc. Condidit enim Inachus regnum Argivum circa annum 2093. natus Moses anno 2373. Israelem ex Ægypto eduxit anno 2550. HAV.

(a) *Mille circiter.* Ald. *trecentos circiter.* quod melius cum Chronologis convenit, utpote factum anno 2767. HAV.

(b) *Possem etiam dicere quingentis.* Cod. Fuld. *dicere etiam.* Vocem *amplius* delet Aldus. Eodem vero modo, cum alii, tum etiam Theodoretus argumentatur. Is Græc. Aff. Cur. Serm. II, p. 29. Εἰ τοίνυν τούτων μὲν, etc., i. e. *Cum ergo, ut Porphyrius inquit, Moses hisce poetis* (Orpheo, Lino, Musæo, Thamyri, Philammone) *sit mille annis antiquior, hi vero poetarum sint antiquissimi* (*post eos enim et Homerus et Hesiodus nati sunt, qui et Thaletem et alios philosophos multis annorum spatiis præcesserunt*), *cumque sit Thales, auditoresque Thaletis, vetustior insecutis philosophis: cur non quæso, his omnibus relictis, ad Mosen, oceanum theologiæ, transimus, a quo, ut poetice dicam, fluvii omnes et maria omnia derivantur?* Vides eamdem de Thalete, quæ supra in fragmento, mentionem. HAV.

(c) *Non retrosiores.* Meursius *retrorsiores.* Nam veteres dicebant *retrorsus a. um.* unde in usu permansit substantivum neutrum, ut vocant grammatici adverbialiter usurpatum, *retrorsum.* Sicut ἀπὸ τοῦ *prorsus a. um. prorsum.* Hæc ille. Sed et *prosum* ἀντὶ τοῦ *prorsum* dicebant. Sic posset et *retrosum* pro *retrorsum* dici. Sane Varro *prosis lectis* dixit. Ita ad oram libri mei Scriverius. Sed tamen cum Junio et La Cerda malim deducere a *retro* quod passim apud Nostrum occurrit, ut inde etiam deduxerit suum *retrosior*, qui magis retro, i. e. vetustior, antiquior est. Hinc considerandum relinquo, an non potius τὸ *non* cum Junio, La Cerda, et Rhenano, sit delendum; ut ita non dicat extremissimos prophetarum non esse posteriores sapientibus eorum et legiferis, sed vero vetustiores. Supra in fragmento in princip. hujus cap. *Deinceps multa et alii prophetæ, vetustiores litteris vestris. Nam et qui ultimo cecinit*, etc., ibi qui *vetustiores* hic dicuntur *retrosiores.* HAV.

(d) *Iromus.* Quomodo, sive *Hieronus* legendum esse docuit princeps omnis litteraturæ Joseph. Scaliger in prolegomenis ad. lib. de Emend. Temp, p. 38. et in Fragmentis eidem operi annexis, p. 26. Estque is ipse Hiram, memoratus in historia Sacra (nam et Εἴραμος veteri cuidam Scriptori appellatus est) II. Chron. II. 3. dignissimus amicitia David et Salomonis, quibus non minus ob divitias quam sapientiæ studium amabilis fuisse videtur, posteritati etiam scriptis eruditionem suam testatus. HAV.— *Iromus Phœnix.* In Menandri Ephesii fragmentis a Scaligero editis, ubi de regib. Tyri: Τελευτήσαντος δὲ Ἀβιβάλου διεδέξατο βασιλείαν ὁ υἱὸς αὐτοῦ Εἴρωμος. RIG.

(e) *Vernaculus vindex.* Cave Gorionidem cogites. *Vernaculus vindex* Josephus, sive ut Scaliger et Cod. Fuld. *Josippus* a Tertulliano dicitur, quoniam ipse Judæus Judæorum suorum origines et bella cum Romanis, græce licet, descripsit. Quod imitatum Hieronymum docet Scaliger ad Euseb. p. 186. *Josephus autem vernaculus scriptor.* et apud eumdem Paulam et Eustochiam ad Marcellum: *Denique etiam Jophum, qui vernaculus est scriptor*, et apud eumdem Paulam et Eustochium ad Marcellum: *Denique etiam Josephum, qui vernaculus est scriptor Judæorum.* De Judæorum instrumento supra cap. XVIII *proprias* scilicet *atque vernaculas.* Ita genus Trojanum vernaculum deæ Cybeles appellatur c. 25. Græci dixerunt οἰκεῖον. De Proæresio Sophista celebri Eunapius Sardianus, p. 109. Προαιρεσίῳ δὲ ὁ Πόντος ὅλος καὶ τὰ ἐκείνῳ πρόσοικα τοὺς ὁμιλητὰς ἀνέπεμπον, ὥσπερ οἰκεῖον ἀγαθὸν τὸν ἄνδρα θαυμάζοντες; i. e. *Proæresio vero Pontus universus ac finitimæ gentes discipulos submisere, virum illum tanquam vernaculum bonum admirantes.* Ubi recte in interpretatione addit Junius *et apud se natum.* Noster etiam rursus c. XXXV. Romanos appellat *vernaculam septem collium plebem.* Codex Agob. ita locum effert: *et si quis istos approbat*, etc.; sed postea correctum et scriptum, *reprobat.* HAV.

(f) *Censuales.* Videtur innuere illos qui diaria et annales et acta publica confecerunt, quos vocabulo sui ævi appellat, ut notant interpretes. HAV.

Digitized by Google

tem Scripturarum, si non vetustatem (1) ; divinas probamus, si dubitatur antiquas (2). Nec (3) hoc tardius aut aliunde discendum : coram sunt, quæ docebunt, mundus, et sæculum, et exitus. Quidquid agitur, prænuntiabatur ; quidquid videtur, audiebatur. Quod terræ vorant urbes, quod insulas maria fraudant ; quod externa atque interna bella dilaniant ; A quod regnis regna compulsant ; quod fames et lues et locales quæque clades (*a*) et frequentiæ pleraque montium (4) vastant ; quod humiles sublimitate, sublimes humilitate mutantur ; quod justitia rarescit, iniquitas increbrescit, bonarum omnium disciplinarum cura torpescit ; quod etiam officia temporum (*c*)

LECTIONES VARIANTES.

(1) Vetustate *Paris.*
(2) Antiquitas *Paris.*
(3) Ne *Paris.*
(4) *Rhenan. in ed.* I. frequentium (*in ed.* II. *et Barræus :* efferventium) plerumque montium, *Herald. et cod. Lugd.* frequentiæ plerumque mortium; *Gelen.* frequentiæ pleræque mortuæ ; *Gangnæus* : Frequentiæ plerumque montium ; *Wouw., Rig. et Hav.* frequentiæ pleraque montium.

COMMENTARIUS.

CAP. XX. — (a) *Locales quæque clades.* Tales ut puto regiones intelligit quæ aeris et paludum inclementia infames, multos mortalium, præsertim illis B terris non assuetos, tollunt.

Quod latus mundi, nebulæ, malusque
Jupiter urget.

verbis Horat. lib. I. Carm. Od. XXII. Martialis :

Medio in Tibure Sardinia est,

demonstrans vel in saluberrimis locis mortem inveniri posse, nam

A morte homines semper tantumdem absumus.

secundum Publium, versu 1. Neque neglexit hoc disertissimus naturæ indagator Lucretius, qui ubi demonstravit locos pestilente spiritu avibus et quadrupedibus infestos, docet idem in hominibus obtinere lib. VI, versu 769.

Principio hoc dico, quod dixi sæpe quoque ante,
In terra quojusque modi rerum esse figuras :
Multa, homini quæ sunt vitalia : multaque morbos
Incutere, et mortem quæ possunt ac celerare.

Intelligi possunt etiam terræ motus, montium eruc- C tationes, fluminum inundationes et similia. Hav.

(b) *Frequentiæ pleraque montium.* Intelligit feras bestias frequentes in montibus illorumque incolas, ut leones, ursos, etc., ut recte Wouw. et Rigalt. Nam cum semper Africa feris abundaverit, ita ut Numidas dicat Strabo lib II. οὐ δυναμένους γεουργεῖν, διὰ τὸ πλῆθος τῶν θηρίων τὸ παλαιόν. *antiquitus agrum colere non potuisse propter ferarum multitudinem.* Ita magis adhuc desertæ factæ sunt regiones iliæ assiduis bellorum compulsationibus, feræque inde multiplicatæ late stragem dederunt. Aliæ editiones, Geleniana *frequentiæ pleræque mortuæ.* Aldina *frequentium plerumque montium.* Barr. *efferventium plerumque montium.* quomodo Rhenan. in edit. secunda, nam in prima *frequentium* edidit. Quæ lectio si plausibilis alicui videtur, ita correctam malim : *et efferventiæ plerumque montium.* Certe c. XL. ubi latius omnia hæc exsequitur : *Sed nec Tuscia jam tunc atque Campania de Christianis querebatur, quum Volsinios de cœlo, Pompeios de* D *suo monte perfudit ignis.* Quare et ipse non valde repugno, sed ut aliam præferam in causa est, quod in conclusione dicat *providentiæ scripta sunt.* Innuens ita omnia ista quæ hodie contingant, quæque enumerat jam, in sacris litteris ante prædicta esse. At ubi ardentes montes ultricem Dei flammam eructantes inquiramus ? non certe in Apocalypsi VIII. 8. ubi *magnus ille mons ardens igne in mare dejectus.* Nec ps. LXXXIII. 15. *Velut ignis desertum urit, et velut flamma montes accendit.* Ibi enim de arboribus locus est, quæ vento in montibus agitatæ, aliquando ignem concipiunt. Testis Lucretius lib. I, 896.

At sæpe in magnis fit montibus, inquis, ut altis
Arboribus vicina cacumina summa terantur
Inter se, validis facere id cogentibus austris.
Donec fulserunt flammai flore coorte.

Idem lib. V. 1095.

Et ramosa tamen cum ventis pulsa vacillans,
Æstuat in ramos incumbens arboris arbor.
Exprimitur validis extritus viribus ignis,
Et micat interdum flammai fervidus ardor.

Et antiquior illo Thucydides. Is lib. II. Ἤδη γὰρ ἐν ὕλῃ τριφθεῖσα ὑπ' ἀνέμων πρὸς αὐτὴν ἀπὸ ταὐτομάτου πῦρ καὶ φλόγα ὑπ' αὐτοῦ ἀνῆκε. i. e, *Jam enim in montibus sylva a ventis invicem contrita, sponte sua ex se ignem et flammam sursum extulit.* Quem locum et Iamb. ibidem et Casaub. adducit ad Sueton. Tiberium c. 6. ubi Tiberius *itinere nocturno, discrimen vitæ adit : flamma repente e sylvis undique exorta, adeoque omnem comitatum circumplexa, ut Liviæ pars vestis et capilli amburerentur.* Locus est et Jes. XXXIV. 9. sed ad terram Chanaan pertinens, *terra eorum in picem ardentem conversa erit.* Ut et Deut. XXXII. 22. *Ignis accensus est in ira mea, et ardebit in infima inferni, terramque cum reditibus suis vorabit, et fundamenta montium inflammabit.* Sed hic quidem locutiones ab ardentibus montibus sumuntur; sed ad terram Chanaan pertinent, quam velut ambustam hodie sterilitate Strabo et alii scriptores docent. Euseb. in Demonst. Evang. lib. VI, c. 7. ad verba ps. CVII, 34. hæc notat : Ἃ καὶ νοήσεις ἀναδραμών, etc., e. i. *Quæ quidem plane cognita habebis, si percurreris illam Judaicæ gentis antiquitus celebratam Hierusalem, ejusque gloriam, ac divinæ frugis proventum : eorum utique sanctorum hominum, Deique amicorum, qui in ea vixerint, quam utique in præsenti omnibus his rebus privatam spoliatamque invenies. Nam post Christi adventum facta est vere infructuosa, et sine aqua, et omnino deserta, et ut ait Propheta, in salsuginem, a malitia inhabitantium eam.* Nisi forte respiciat Auctor ad illa quæ Babeli minatur Jeremias c. LI. 25. *ponam te in montem ignis*, i. e. convertam te in montem ardentem. At mihi dubium non est, quin respexerit Auctor ad locum Ezech. v. 17. Ita omnia hæc illic enumerantur, et ipsa quidem ad Judæos spectantia, sed illustrior locus nullus ad manum erat, quo multiplex Dei vindicta per plagas suas in hostes nominis sui quoscumque exprimeretur, *Frequentiæ plerumque mortium* præferunt MS. Fuld. et Agob. D editiones Heraldi et Pamelii, sed frustra, cum hic singularia recenseantur, ut sunt fames, lues, bestiæ, etc. Hav.

(c) *Officia temporum.* Cum nec ver, nec æstas, nec autumnus officio suo satis fungantur in producendis frugibus, quæ lætiores olim evenire solitæ sint, iisque vel nimii imbres, vel solis æstus noceant. De Deo Tertull. in lib. De Patientia cap. II. *qui temporum officia, elementorum servitia, totius genituræ tributa dignis simul et indignis patitur occurrere.* Insignis locus est apud Flavium Vegetium lib. I. de Re militari. Disserit ibi de mundi interitu, et inter alia ita scribit : *Utque de Italia loquar, plurimæ in ea partes sunt, quæ olim a frequentissimis populis habitabantur, nunc autem ferme desertæ videntur. Plurimæ item quas veterum Romanorum temporibus pauci admodum incolebant, ita sunt immutatæ, ut nihil supra. Quod et aliis omnibus orbis partibus fieri non est ambigendum. Proinde si aerem plerumque, qui olim saluberrimus erat, nostris temporibus*

Digitized by Google

et elementorum munia exorbitant (*a*); quod et monstris et portentis naturalium forma turbatur, providenter scripta sunt (1). Dum patimur, leguntur; dum recognoscimus, probantur. Idoneum, opinor, testimonium divinitatis veritas (2) divinationis. Hinc igitur apud nos futurorum quoque fides tuta est, jam scilicet probatorum, quia cum illis, quæ quotidie probantur, prædicebantur. Eadem (3) voces sonant, eadem litteræ notant, idem spiritus pulsat, unum tempus est divinationi futura præfanti apud homines, si forte distinguitur dum expungitur, dum ex futuro (4) præsens, dehinc ex præsenti præteritum deputatur. Quid delinquimus, oro vos, futura quoque credentes, qui jam fidicimus illis per duos gradus credere?

CAPUT XXI.

ARGUMENTUM.— *Hoc insigni capite plenissima propinatur Christi, Dei Filii, historia, qui, prout ad salutem animarum debet cognosci, late et nervose describitur. Ostenditur interim, quid Judæis evenerit, dum in illo verbi Divini implementum agnoscere noluerint: cujus sane divinitate percepta, falsæ religioni renuntiare decet, cum etiam ab ipsis malignis spiritibus, quibus imperat, testimonium aliquando potentiæ suæ exigat.*

21. Sed quoniam edidimus, antiquissimis Judæorum instrumentis sectam istam esse suffultam, quam aliquanto novellam (*b*), ut Tiberiani temporis (*c*), plerique sciunt, profitentibus (5) nobis (*d*) quoque; fortasse an hoc nomine de statu ejus retractetur (*e*), quasi sub umbraculo insignissimæ religionis, certe licitæ (6), aliquid propriæ præsumptionis abscondat, vel quia præter ætatem neque de victus exceptionibus, neque de solemnitatibus dierum, neque de ipso signaculo corporis, neque de consortio nominis cum Judæis agimus, quod utique oporteret, si eidem Deo manciparemur? Sed et vulgus jam scit Christum, hominem utique aliquem, qualem Judæi judicaverunt, quo facilius quis nos hominis cultores existimaverit (7 *f*). Verum neque de Christo erubescimus, quum

LECTIONES VARIANTES.

(1) Providentiæ *Semler.*
(2) Veritatem *Paris.*
(3) Eædem eadem. *Jun.*
(4) Futura *Paris.*
(5) Vobis *Fran.*
(6) Certe licentiæ *Fran.*
(7) Qui — existimaverint *alii Jun.*
(8) Ut quos *Haverc.*

COMMENTARIUS.

pestilentem videmus, cur non multas regiones, quæ diu bellica gloria celebratæ sunt, immutata aeris, qui a cœli statu qualitatem sumit, conditione, in hominum virtute degenerasse affirmabimus? Hujus rei causam ruenti sæculo adscribit Lucretius dum terram quasi effœtam parentem considerari vult. Versus ejus sunt lib. II, 1149.

Jamque adeo affecta est ætas, effœtaque tellus
Vix animalia parva creat, quæ cuncta creavit
Sæcla, deditque ferarum ingentia corpora partu.

Ita lege cum MSS. Voss. Bib. L. B. Quomodo plane etiam Sallustius Cat. c. LIII. de Rep. Rom. *ac veluti effœta parentium, multis tempestatibus haud sane quisquam Romæ virtute magnus fuit.* Idem Lucret. cum agricolæ querelas induxisset versu 1170. ita concludit,

Nec tenet, omnia paulatim tabescere: et ire
Ad scopulum, spatio ætati defessa vetusto.

Et hic scribe ex eleganti istorum MSS. correctione *ad capulum*, i. e. ad sepulturam. HAV.

(a) *Exorbitant.* Barr. et Ald. *exorbitantur.* Adumbravit hæc omnia pulcre Prosper Aquitanus libro Epigramm.

Non idem status est agris, non urbibus ullis,
Omniaque in finem præcipitata ruunt.
Ferro, peste, fame, vinclis, algore, calore,
Mille modis miseros mors rapit una homines.
Undique bella fremunt, hominis furor excitat, armis
Incumbunt reges regibus innumeris.
Impia confuso sævit discordia mundo;
Pax abiit terris, ultima quæque vides. HAV.

CAP. XXI. — (b) *Aliquanto novellam.* Per aliam lectionem, quæ in Cod. Fuld. est, alius sensus huic loco datur, ibi legitur, *quam scient aliquando*, ut ad Judæos referatur. Puto verius ex sequenti *sciunt* hic illam vocem duplicatam esse. Secundum Fuld. MS. sensus, qui sese hic alius aperire videtur, ille est: Ipsi illi Judæi scient aliquando hanc sectam, i. e. intelligent et approbabunt, in nostra castra sese conjicientes, secundum dictum Oseæ III. 5. tum quum scient et cognoscent ipsum, Jerem. XXXI. 34. clamantes: *Deus mi, nos Israel tuus novimus te.* Os. VIII. 2. Alii legunt, Barræus quidem et Ald. et Herald. et Rhen. *quam aliquando novellam.* La Cerda *quam aliquanto novellam*, ut et MS. L. B. et Agobard. et Pamelius et Rigalt. HAV.

(c) *Tiberiani temporis.* Ita clare MSS. Agobard. et L. B. ita Pam. et Rig. et Rhen. qui cum non distinguant post *temporis*, videntur intelligere de scriptoribus Tiberiani temporis, quod hic falsum est. Dicit enim plerosque introgressum novæ hujus sectæ in orbem scire factum tempore Tiberii, fortassis itaque putaturos novam hanc præsumptionem sub illa vetustate sua roborata Judæorum religione, ut post Ajacis alicujus clypeum, latere velle. Alii legebant, *ut Tiberii temporibus*, quod cum sine sensu, additum fuit in Fuld. *ortam*, ita: ut *Tiberianis temporibus ortam.* In editione Prioriana Rig. ex postremis vitiose legitur *Tiberini.* Supra cap. v. *Tiberius ergo, cujus tempore nomen christianum in sæculum introivit.* Hav.

(d) *Nobis quoque.* Ita Rig. Ald. Jun. Alii *vobis*, ut Pam. quod vitiosum est, id enim Judæis et Gentibus facile concedimus, novam esse sectam, sed tamen antiquissimis vel ipsorum Judæorum instrumentis suffultam, quæ disciplinam Deo gratam non tollit, sed illuminat, sed reformat. La Cerda, *nostris.*

(e) *Retractetur.* Cum vero de statu ejus retractari dicit, puto innui malignitatem et invidiam qua judicabant de religione. *Retractare* enim apud Nostrum quidem passim significat diligenter tractare et recognoscere, sed quoniam ille qui lippus ipse recta aliorum aspicere non vult, obtrectationis ergo diligenter inquirit, sicubi faculam invidiæ et maledicentiæ accendere possit, ideo hic pro *carpere* accipio. Quomodo fere utitur in libro de Jejuniis c. XV. certe in malam partem: *Atquin ad Romanos scribens, vos nunc compungit retractatores hujus officii;* i. e. detractatores, inobedientes, irrisores. Hav.

(f) *Quis nos.* Aldinum exemplar *qui nos h. c. existimaverint.* Verus sensus est, vel inde humano ingenio tantum rationis debuisse indulgeri, ut si congruum et simile alicujus veri fingere et mentiri illi voluissent, humanam saltem speciem Dei Christianorum finxissent, non ferinam, monstrosam, ut fecerant in Ono-

Digitized by Google

sub nomine ejus deputari et damnari juvat, neque de deo aliter præsumimus. Necesse est igitur pauca (1) dicamus de Christo ut Deo (2). Tantum Judæis erat apud Deum gratia, ubi et insignis justitia et fides (3) originalium auctorum, unde illis et generis magnitudo et regni sublimitas floruit (*a*) et tanta felicitas, ut Dei vocibus, quibus edocebantur, de promerendo Deo, et non offendendo, præmonerentur (4). Sed quanta deliquerint (5) (*b*), fiducia patrum inflati [ad delirandum] (6), derivantes (7) a disciplina in profanum modum, etsi ipsi non confiterentur, probaret exitus hodiernus ipsorum. Dispersi, pala- A bundi, et cœli et soli sui extorres, vagantur per orbem, sine (*c*) homine, sine Deo rege (8), quibus nec advenarum jure terram patriam saltem vestigio salutare (*d*) conceditur. Cum hæc illis sanctæ voces (*e*) præminarentur, eædem fere semper omnes ingerebant fore, uti sub extimis curriculis sæculi ex omni jam gente, et populo et loco cultores sibi allegeret Deus multo fideliores, in quos gratiam transferret, et pleniorem quidem ob disciplinæ auctioris capacitatem (9). [Venit igitur, qui ad reformandam et illuminandam eam venturus a Deo prænuntiabatur, Christus ille

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Voc. dicamus recepimus auctoritate cod. Fuld.*
(2) Ut de Deo totum *Fran.*
(3) *Rig. et Hav.* ob insignem justitiam et fidem, etc.
(4) *Cod. Fuld. et* t. fel. de Dei vocibus affuit, quibus docebantur, et promerendo Deo et non off. prænonebantur.
(5) Dereliquerint *Fran.*
(6) W. ad delirandum, *quæ Hav. e cod. Fuld. recepit, delevit Rigaltius. Rhen. et Herald.* ad declinandum.
B (7) Derivantes: *ita cod. Lugd. et edd. pleræque; Gelen.* declinantes, *Rig. et Jun. e cod. Urs.* deviantes.
(8) *Sealiger emend.* sine nomine, sine Deo rege: cod. *Lugd.* II. sine homine (*Lug.* I. sine honore), sine Deo, sine rege.
(9) *Ita h. locum emend. Fr. Junius, vulgo scriptum:* transferret, pl. qu. ob disc. auctoris (*cod. Gorz.*: altioris, *cod. Put.* auctoris) capacitatem.

COMMENTARIUS.

choite, de quo paulo superius egit, quasi ex gente Centaurorum, Chimærarum, Sphingum hybrida quis a nobis coleretur. In quo certe egissent ut Judæi olim, qui Deum ipsum, Jesum nostrum, nihil nisi nudum hominem putaverunt. Prout certe egerunt etiam illi inter gentes, qui Christianos accusarunt ut cultores hominis suspensi. Hav.

(a) *Regni sublimitas floruit.* Similia Justini historici illa, licet ab errante profecta: *Semperque exinde hic mos apud Judæos fuit ut eosdem, reges et sacerdotes* C *haberent: quorum justitia religione permixta, incredibile quantum coaluere.* Ut et Strabonis libro XVI. Οἱ δὲ διαδεξάμενοι, χρόνους μέν τινας ἐν τοῖς αὐτοῖς διεμεῖνον δικαιοπραγοῦντες, καὶ θεοσεβεῖς ὡς ἀληθῶς ὄντες; i. e. *Successores* (Mosis) *aliquandiu in iisdem institutis permansere, justi et vere religiosi.* Illa itaque vere fuit Judæorum gloria, quam falso sibi assignabant Romani *pro merito religiositatis diligentissimæ in tantum sublimitatis elatos,* infra cap. XXV. Hav.

(b) *Deliquerint.* Omnes libri, quos ego et Pamelius vidimus, habent *dereliquerunt* vel *dereliquerint.* Rigaltius tamen et Scaliger, et vetustæ editiones, ut et Rhen. et Aldi *deliquerint.* Nec temere. Est enim a *delinquere,* unde seriores formarunt *delinquentiam* pro delicto, Paschasius Radbertus in Epitaph. Walæ l. 1. c. 28. Et in glossario Papiæ *Deliquio* exponitur *oblivio.* Hav.

(c) *Sine homine.* Acute Scaliger, qui in libro suo ad marginem emendavit *sine nomine, sine Deo rege.* Puto illum ita interpretari voluisse Oseæ illa III. 4. *Nam diebus multis desidebunt Israelitæ sine rege, sine principe.* Etsi enim rex non sit, potest tamen nomen imperii esse, quale Judicum post Mosen, et Principum temporibus Esdræ: Imperatorum, quum Maccabæi insurrexissent in oppressores Judæorum. Tamen a vulgata non discedo, quæ vehementior est, nec enim jam Deum regem habent, quem olim jam spreverunt ad exemplum gentium hominem sibi regem quærentes et visibile regnum, in quo εἶδος Τυράννου ἄξιον oculis blandiretur, I. Sam. VIII. 5. Nec hominem ipsum, cujus aspectu contra fortuita casuum corroborarentur, quomodo Tacitum fere alicubi loqui puto. Scaligeranam tamen conjecturam adjuvat, sensumque adauget MS. L. B. in quo *sine homine, sine Deo, sine Rege.* Quæ lectio si placet, ita corrigenda est, *sine Nomine,* *sine Rege, sine Deo;* id est, nec jam Resp., nec Regnum, nec Theocratia. Hav.

(d) *Vestigio salutare.* Legem horrendi carminis præscripsit Adrianus victor. Hieronymus in Chron. Euseb. MMCL. *ex quo tempore etiam introeundi eis Jerosolymam licentia ablata.* Eusebius ex Aristone Pellæo. Τὸ πᾶν ἔθνος ἐξ ἐκείνου, etc., i. e. *Omnis hæc natio jam ex illo ab omni regione finitima Hierosolymorum penitus arcebatur, cum sanctione divinæ legis, tum maxime constitutionibus et decretis Adriani, ita ut ne de excelsiore quidem prospectu eminus eis saltem paternum solum profanis obtutibus liceret inspicere;* l. IV. Hist. Eccl. c. 6. Plura ex Justino Martyre, Hilario, Hieronymo et aliis profert summus Scaliger in Animadv. Euseb. p. 216. edit. opt. Hav.

(e) *Præminarentur.* Deuteron. XXXII. 26. Ps. LIX. 12. *Circumerrare fac per potentiam tuam.* Et præsertim versu 15. *ganniant ut canis et circumerrent civitatem.* Quod certe ex hoc loco quomodo implementum acceperit, jam nemini dubium esse potest. Quandoquidem præsertim ad præfiguratum Davidis regno et casibus Messiæ regnum veri theologi oculus respicere debet. Inspice et Es. I. 7. Ezech. V. 10. Oseæ III. 10. et X. 3. Amos IX. 9. Theodoretus Gr. Aff. Cur. p. 163. Καὶ ὡς εἰς ἅπασαν τὴν οἰκουμένην, etc., i. e. *Fore etiam ut Judæi, qui se crucis ligno affixuri erant, patrio solo extorres, per universum terræ orbem dispergerentur.* D *Agedum itaque videamus, an hæc prædictio ad eventum pervenerit. Ac de Judæis quidem vos dubitaturos non puto. Patria enim urbe expulsi jam sunt, alioque terrarum commigrarunt;* et quæ sequuntur. Ipse Tertullianus in egregio Ad Judæos libro, cap. XI. *Nam et pro istis meritis vestris cladem vestram futuram Ezechiel nuntiat: et non solum in isto sæculo quæ jam evenit, sed in die tribulationis quæ subsequetur.* Et clarissime cap. XIII. *Et alio loco sic per Prophetam dicitur* (est Jes. XXXIII. 17.) *Regem cum claritate videbitis, id est Christum faciem virtutes in gloria Dei Patris, et oculi vestri videbunt terram de longinquo: quod vobis pro meritis vestris post expugnationem Hierusalem, prohibitis ingredi in terram vestram, de longinquo eam oculis tantum videre permissum est.* Ibidem: *Quæ cum ita commisissent, nec intellexissent Christum in tempore suæ visitationis inveniendum, facta est terra eorum deserta, et civitates eorum igni exustæ.* Hieronymus loco supra allato, *primum Dei nutu, sicut prophetæ vaticinati*

Digitized by Google

Filius dei] (1). Hujus igitur gratiæ disciplinæque arbiter et magister, illuminator atque deductor (*a*) generis humani, Filius Dei annuntiabatur, non quidem ita genitus, ut erubesceat de filii nomine (*b*) aut de patris semine; non de sororis incesto (*c*), nec de stupro filiæ aut conjugis alienæ (*d*) deum patrem passus est, squamatum, aut cornutum, (*e*) aut plumatum amatorem (*f*), aut in aurum conversum (*g*) (2) : Jovis enim

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Uncis inclusa delent Rig. et Haverc.*

(2) **Aut in auro conversum Danaidis** *Fran.*

COMMENTARIUS.

sunt, deinde Romanis interdictionibus. Et ibi inspice Scaligerum. Hav.

(a) *Deductor.* Quem Græci hoc sensu δαδοῦχον, Litteræ Sacræ ἀρχηγὸν vocarent. Dicebatur enim ita proprie in sacris Eleusiniis ille qui facem manu tenens alios præibat atque viam illuminans deducebat, ut docet Eustath. ad Hom. Il. A. versum 279. Apud Arrianum ad Epictetum l.m. c. 21. aliquis Deorum contemptor : Οἶκημά ἐστι καὶ ἐν Ἐλευσῖνι, ἰδοὺ καὶ ἐνθάδε· ἐκεῖ ἱεροφάντης, καὶ ἐγὼ ποιήσω ἱεροφάντην· ἐκεῖ κήρυξ, καὶ ἐγὼ κήρυκα καταστήσω· ἐκεῖ δαδοῦχος, κἀγὼ δαδοῦχος ; i. e. *Ædes est, et quidem in Eleusiniis, etiam apud nos est : illic antistes est sacrorum, et ego efficiam ut hic sit : illic præco, et ego constituam hic præconem : illic facem ferens, et ego daduchus.* Ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς Jesum appellat Petrus Act. III. 15. Quæ sequuntur *Filius Dei* delet MS. L. B. ut et Agobard. Hav.

(b) *De filii nomine.* Ita repone cum Cod. Fuld. Vulgati *in filii nomine.* Quantumvis enim gloriarentur apud poetas veteres illi heroes Deos patres et proavos jactantes, debebant tamen post caudæ explicationem cum pavone pedes lutulentos et scabros aspicientes, revera de origine sua, quæ non alia quam stupri vel adulterium esse posset, confundi. Neque decorum hic neglexit ut mirabilis doctrinæ sic summi artificii poeta Virgilius. Qui quum de origine Æneæ sui merito erubesceret, adulterium speciose nomine conjugii velat, apud quem Helenus lib. III. versu 475. ita senem Trojanum affatur :

Conjugio Anchisa Veneris dignate superbo.

Atque ita suis ipse verbis sub persona Didonis in Ænea peccantis lib. IV. 172.

Conjugium vocat, hoc prætexit nomine culpam.

De patris semine. Videtur idem dicere, cum tamen minime sit idem. De modo enim progenerationis jam loquitur, quæ monstrosa et pudenda in illis erat : amplexu draconis, insultu tauri, hirci, arietis, crissatione oloris, et quæ sunt similia. Unde patet lectionem, quæ est in Cod. Fuldano ex glossa marginali esse, *de patris semine, sicut de concubitu tauri,* ex apta tamen et docta interpretatione. Respexisse simul videri potest ad Cœli et Saturni historiam, sed quasi per transennam. Hav.

(c) *Sororis incesto.* Junonis, cum et filiæ Veneri se miscuerit; Proserpinæ item vocatus apud inferos Pluto, cui Jovi nomen apud superos. Imo nec matre Rhea abstinuisse creditur. Theodoret. Gr. Aff. Cur p. 43. Οὐ γὰρ δὴ μόνην τὴν ἀδελφὴν, etc., i. e. *Neque enim tantum sororem, sed matrem quoque ac filias sibi uxores adjunxit : præterque has ipsas, innumeras prope et mulieres et Deas stupri commercio vitiavit.* Unde isti justa indignatio in hanc ferinam cogitationum rabiem, p. 53. Οἱ δὲ τῷδε τῷ πάθει, etc., i. e. *Si qui vero in adulteria inciderunt, necessariis tamen ac consanguineis fœminis pepercerunt. Quod si quis inventus est qui sororiis amoribus captus fuerit, at in matrem debacchatus non est, neque in filiam insanivit : sed humanæ naturæ ac dignitatis eam rationem habuit quam debebat, neque induit brutorum animalium fatuitatem.* Et mox, Οὗτος δὲ, ὃν Θεὸν, etc., i. e. *Iste vero, quem Homerus hominum patrem Deorumque appellavit, Junonem quidem germanam sororem sibi uxorem fecit. Ipsi etiam Rheæ, quam et Deonam et Demetram* (id est Cererem) *vocant quanquam ea sibi mater esset, actus furore libidinis, admixtus est : Phersephattamque* (i. e. Proserpinam) *ex eo genitam stupro, uxorem duxit ; factus filiæ suæ vir.* Merito itaque Noster c. IX. *Proinde incesti qui magis, quam quos ipse Jupiter docuit ?* Hav.

(d) *Conjugis.* Cod. Fuld. *de conjugis,* mendose. Ille enim omnium mulierum vir. Epiphan. πασῶν γυναικῶν ἀνήρ, ut de Cæsare Suetonius.

(e) *Cornutum.* Idem ibidem in lib. Ancoratus : Πηνελόπην μὲν γὰρ φθείρει, δι' ἣν ἦν τράγος γενόμενος· τράγος μὲν οἶμαι, ἐγένετο διὰτὸ ἀκραῖον τῆς τοῦ γενείου παραπλοκῆς ; i. e. *Penelopen enim corrupit, propter ipsam hircus factus. Hircus autem ut puto factus est ob similitudinem acuminatæ implexeque barbæ.* Ita enim locus iste verti et intelligi debet. Præsertim taurus. Ibidem : Καὶ πρὸς Πασιφάην δὲ ταῦρος ἐγένετο, ὡσαύτως καὶ πρὸς Εὐρώπην. *Et erga Pasiphaen taurus factus est, similiter erga Europam.* Un le etiam huc referri meretur Nummus Gortynæ in insula Creta urbis, quem produxit et illustravit Clariss. Patinus in Thesauro suo p. 21. Sedet ab una parte Europa virginitatis florem raptum lugens in platano vel sub umbra ejus, ab altera Jupiter raptor lascivientis forma tauri conspicitur. Plinius lib. 12. cap. 10. *Est Gortiniæ in insula Creta juxta fontem platanus una insignis utriusque linguæ monumentis, nunquam folia dimittens, statimque et Græciæ fabulositas superfuit, Jovem sub ea cum Europa concubuisse,* Vectam tauro puellam, et eleganter depictam exhibet etiam in gemma Leon. Augustinus tom. I. tab. 185. et in Getæ Nummo a Byzantiis percusso rursus Patinus in suo vere Thesauro p. 192. Sidoniorum pariter Nummus apud Spanh. de U. et Pr. N. p. 780. Suavissimum est epigramma Moschi huc respiciens, et cur non addam ? Inscriptio, εἰς Ἔρωτα ἀροτριῶντα.

Λαμπάδα θεὶς καὶ τόξα, βοηλάτην εἵλετο ῥάβδον
Οὖλος Ἔρως πέρην δ' ἔιχε κατωμαδίην.
Καὶ ζεύξας ταλαεργὸν ὑπὸ ζυγὸν ἀυχένα ταύρων,
Ἔσπειρεν Δηοῦς αὔλακα πυροφόρον.
Εἶτε δ' ἄνω βλέψας αὐτῷ Διὶ πρῆσσον ἀρούρας,
Μή σε, τὸν Εὐρώπης βοῦν ὑπ' ἔρωτα βάλω.

I. e. *Face deposita et arcu, bonum agitatricem accepit virgam perniciosus Amor. Pendebat autem illi pera ab humeris : et juncto laborum patienti sub jugum collo taurorum seminavit Cereris sulcum frugiferum : Dixit autem sursum aspiciens ipsi Jovi : Cumbure arva, ne te Europæ bovem aratro subdam.* Ita vulgo vertunt. Sed elegantior usus est dictionis μή σε. significat enim *nec ego te* sc. rursus n. s. cum diphthongo. Perperam quoque in edit. Ald. et Brod. legitur βοηλάτην et πλῆσον.

(f) *Aut plumatum.* Quum cygnus esset factus ob Ledam. De Spectac. cap. VIII. *De cygno Jove non erubescunt.* Furta illa Jovis passim nobis exhibent Gemmæ antiquæ. Ledæ quidem concubitum, Gorlæus I. 26. et Leon. Augustinus II. 19. marmorque Musei Justinianæi.

(g) *In aurum conversum.* Ald. Pam. et aliæ Edit. *in auro c.* Sed ita Rig. et la Cerda. Vocem quæ sequebatur *Danaidis* expunxi cum Rig. et Rhen; est enim a glossa, quales plures hoc cap. Et cur ipsam Danaen potius auro conjungat, quam plumæ Ledam, cornibus Penelopen, Pasiphaen, aut Europam. Ald. legit, *et ista sunt numina vestra.* Epiphanius eodem loco : Πρὸς Δανάην δὲ χρυσὸς ἐγένετο, etc., i. e. *Erga Danaen vero aurum fiebat, ut virginem castam thalamo inclusam corrumperet. At ille aurum fieri nunquam potuit, sed præstigiator fuit, et per auri largitionem virginem decepit. Et apud Ledam rursus cygnus factus est, inflammationem fervoris voluptatis suæ significans;*

Digitized by Google

ista sunt numina (1) vestri (*a*). Cæterum Dei Filius nullam de impudicitia (*b*) (2) habet matrem, etiam quam videtur habere (*c*) non nupserat. Sed prius substantiam edisseram, (3) et ita nativitatis qualitas intelligetur. Jam ediximus Deum universitatem hanc A mundi Verbo et Ratione et Virtute molitum. Apud vestros quoque sapientes (*d*) ΛΟΓΟΝ, id est Sermonem atque Rationem, constat artificem videri universitatis. Hunc enim Zeno (*e*) determinat factitatorem, qui cuncta in dispositione formaverit, eumdem et fatum

LECTIONES VARIANTES.

(1) Nomina vestri *MS.* et numina vestra *V. C.*
(2) *Rhen., Lat., Pam. et Hav.* de pudicitia, *quam scriptu-* *ram defendit etiam Rigalt.*
(3) Et *abest Paris.*

COMMENTARIUS.

ἀναπτερούσθαι enim est accendi cupiditate rei alicujus. Theodoret. p. 51. Καὶ τὴ Λήδᾳ ἐν εἴδει κύκνου μιγνύμενον, καὶ μέντοι καὶ εἰς τὸν Δανάης κόλπον χρυσοῦ δίκην φερόμενον. *Ledæ vero consertum in cygni specie, Danaesque in sinum adinstar auri illapsum.* Parmenio epigrammatarius lib. VII. Anthol.

Εἰς Δανάην ἐρέυσας, Ὀλύμπιε, χρυσὸς, ἵν' ἡ παῖς
Ὡς δῶρῳ πεισθῇ, μὴ τρέσῃ, ὡς Κρονίδην.

Id est ex versione Petrei Tiaræ,

In Danaen aurum fluxisti Jupiter, ut ne
Fulmine terreres, sed caperes pretio.

Quare idem poeta sibi eamdem viam quærendam putat in versiculis, qui proxime sequuntur, quosque ego superioribus connectendos puto. Sunt autem hi :

Ὁ Ζεὺς τὴν Δανάην χρυσοῦ, κἀγὼ δέ σε χρυσοῦ.
Πλείονα γὰρ δοῦναι τοῦ Διὸς οὐ δύναμαι.

Auro te placem, etiam sic Jupiter ipse
[Et tibi quid possum reddere plus] Danaen.

Jam scilicet olim, vel Horatio in ipsa hac fabula teste I. III. Carm. Od. XVI. 12.

Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo. HAV.

(a) *Jovis enim ista sunt numina vestri.* Hæc quidem lectio verissima mihi videtur, quam repræsentavi ex Cod. MS. Lugd. Bat. Scriverius in MSS. non longe hinc C abeuntem invenit *Jovis enim ista sunt nomina vestri.* Ita c. VIII. de Spect. : *Animadverte, Christiane, quot nomina immunda possederint circum.* Quam lectionem si quis præferre velit, nolim repugnare, est enim acerbo sale plena. Sed alteri et vehementia, varia et MSS. et editorum lectio magis blanditur ; Barr. *Jovis, et ista sunt numina vestra.* Quomodo etiam Aldus. Pam. et Herald. et Rhen. et Cod. Agob. *Jovis ista sunt, et numina vestra.* Satis concinne Cod. Fuld. *ista sunt humana vestri.* Rigal. denique edidit quidem *Jovis enim ista sunt numina vestri.* Sed tamen in Notis legendum putat, *Jovis enim ista sunt omnia vestri.* Minus valide.

(b) *Cæterum Dei filius nullam de impudicitia habet matrem.* Quod Latinius et Pamelius in quibusdam exemplaribus scriptum esse testantur : *Nullam de pudicitia habet matrem*, rectum est, nec debuit mutari. Dei filius Dominus noster non ex ullis nuptiis est natus, ne quidem justis aut legitimis. Itaque non D habet de pudicitia matrem. Nempe, Maria virgo facta mater ejus non alicujus matrimonii nexu, quamlibet pudici, sed solo verbo Dei. Vulgo tamen Dominus noster habebatur filius Josephi et Mariæ. Unde ait Tertullianus, Etiam quam videtur habere matrem, ea mater non nupserat. RIG. — *De pudicitia.* Recte adstruit in Notis hanc lectionem Rigalt. præter enim rationes ab eo allatas, confirmatus Rhenani editione. Vult itaque dicere non tantum ex impuro et illicito concubitu non esse natum Jesum nostrum, sed ne quidem ex puro licitoque matrimonio susceptum, Spiritus scilicet sui vi et divinæ naturæ capacitate, quæ sibi domicilium inter homines exstruxit, et humanæ originationis fermentum in utero virginali concitavit. Qui non intellexerunt, substituerunt *de impudicitia.* Judæi amen pudicitiam ejus ausi sunt oppugnare, ut patet ex lib. De Spectac. cap. ult. *Hic est ille (dicam) fabri aut quæstuariæ filius.* Quomodo emendavit Rigaltius, quem tamen reprehendere audet Priorius, cum la Cerda eligens vulgatum *questuarii;* quod quid est aliud, quam post inventas fruges glandibus vesci? Non Rigaltius enim ita tantum in Agobardino exemplari invenit, sed et Josias Mercerus annotavit ad librum suum quem cum isto codice diligentissime contulit, qui liber in Bibl. Lugd. Bat. hodie asservatur. HAV.

B (c) *Non nupserat.* Pessime Barr. et Ald. *nupserat.* Licet enim Matth. I. 19. Josephus dicatur ἀνὴρ αὐτῆς sciendum est id per prolepsin fieri, quomodo Chorœbus apud Virg. I. II. Æneid. 344.

Gener auxilium Priamo Phrygibusque ferebat :
Infelix, qui non sponsæ præcepta furentis
Audierat.

Vocatur jam gener, cum desponsata illi tantum esset Cassandra. Iidem ut Silanus Claudii *gener* vocatur, cum desponsata ipsi esset Octavia apud Sueton. in Claud. c. X. XVII. Mariam ipsam acerbam adhuc et nondum nubilem plenis annis fuisse vel inde colligi potest, quod cum potuisset respondere angelo οὐκ ἔχω ἄνδρα, quomodo Christo respondebatur a Samaritana ista muliere Joh. IV. 7. maluit dicere ἄνδρα οὐ γινώσκω, vel ipsa ætate partum abnuente. Judæi enim non tantum conjugii vinculo, ut omnibus notum impuberes destinabantur, sed vel apud Romanos exemplum dare potuit Cæsar, quæ *dimissa Cossutia, quæ, familia equestri, sed admodum dives, prætextato desponsata fuerat, Corneliam Cinæ* IV. *Cos. filiam, duxit uxorem,* teste Sueton. c. 1.

(d) *Sapientes* Λόγον. Præter, quos nominat, Plutarchus et Numenius, Plotinus et ipse Plato. Theodoret. Gr. Aff. Cur. p. 96. Plotini verbis : Οὕτω δὴ ἐξ ἑνὸς νοῦ καὶ τοῦ ἀπ' αὐτοῦ λόγου, ἀνέστη τόδε τὸ πᾶν καὶ διέστη ; i. e. *Ita igitur ex una Mente, atque ex Verbo, quod ab ea prodiit, omne hoc emersit secretumque est.* Et rursus p. 39. ubi Trinitatis S. S. veritatem ex libris Veteris Testam. vindicavit prorsus egregie, hæc etiam profert: Αὐτίκα τοίνυν τὴν Πλάτωνος, etc., i. e. *Plotinus itaque ac Numenius, explicantes Platonis mentem, tria inquiunt a Platone posita fuisse, quæ sint supertemporalia et æterna ; ipsum videlicet bonum, mentemque, et hujus universi animam. Vocat enim* BONUM, *quem nos dicimus* PATREM ; MENTEM *vero seu Intellectum, quem nos* FILIUM VERBUMQUE *appellamus :* POTENTIAM *vero quæ animet omnia et vivificet,* ANIMAM *vocat ; eam ipsam videlicet, quam* SPIRITUM SANCTUM *Litteræ Sacræ appellant.* Sed et Numenii de Platone dictum exstat apud Hesychium Illustrium Milesium, qui hæc nota illum perstrinxit ὡς ἐκ τῶν Μωσαϊκῶν βιβλίων τὰ περὶ Θεοῦ καὶ κόσμου ἀποσυλήσασαν ; i. e. *quod veluti plagio subripuerit e Mosaicis libris quæ de Deo et mundo prodidit;* quare ab eodem vocatus fuit Moses Atticisans. Τί γάρ ἐστι Πλάτων, ἢ Μωσῆς ἀττικίζων ; *quid enim aliud est Plato, quam Moses Atticisans?* Vide Illustrium in Vita philosophi Pythagorici Numenii. Plura ibidem profert testimonia.

(e) *Hunc enim Zeno determinat actitatorem.* Zenonem aliquid præterea dixisse, ex Laertio discimus. Nempe, Duo esse omnium principia, Creatorem et Materiam. τὸ ποιοῦν καὶ τὸ πάσχον. Et Materiam quidem esse qualitatis expertem substantiam. Creatorem vero, τὸν ἐν αὐτῇ λόγον τὸν θεόν· τοῦτον γὰρ ὄντα ἀΐδιον καὶ πάσης ταύτης δημιουργεῖν ἕκαστα. RIG.

Digitized by Google

vocari, et deum et animum Jovis (*a*), et necessitatem omnium rerum, Hæc Cleanthes in spiritum congerit, quem permeatorem universitatis affirmat. Et nos etiam Sermoni atque Rationi itemque Virtuti, per quæ omnia molitum Deum ediximus, propriam substantiam spiritum (1) inscribimus, cui et Sermo insit pronuntianti, et Ratio adsit disponenti, et virtus præsit perficienti. Hunc ex Deo prolatum didicimus, et prolatione generatum, et idcirco Filium Dei et Deum dictum ex unitate substantiæ. Nam et Deus spiritus. Et cum radius ex sole porrigitur, portio ex summa; sed sol erit in radio (2), quia solis est radius, nec separatur substantia, sed extenditur. Ita de Spiritu Spiritus, et de Deo Deus (3), ut lumen de lumine accensum. Manet integra et indefecta materiæ matrix, etsi plures (4) inde traducs qualitatum mutueris (5). Ita et (6) quod de Deo profectum est, Deus est, et Dei Filius, et unus ambo. Ita et de Spiritu Spiritus, et de Deo Deus modulo alterum, non numero (*b*), gradu, non statu (7) fecit, et a matrice non recessit, sed excessit. Iste igitur Dei radius, ut retro semper prædicabatur (8), delapsus in virginem quamdam, et in utero ejus caro figuratus (9), nascitur Homo Deo mistus. Caro spiritu instructa (10) nutritur, adolescit, affatur, docet, operatur, et Christus est. Recipite interim hanc fabulam, similis est vestris, dum ostendimus quomodo Christus probetur. Sciebant et qui penes vos ejusmodi fabulas æmulas ad destructionem veritatis istiusmodi præministraverunt (11). Sciebant et Judæi venturum esse Christum, scilicet quibus prophetæ loquebantur. Nam et nunc adventum ejus exspectant, nec alia magis inter nos et illos compulsatio est, quam quod jam venisse non credunt. Duobus enim adventibus ejus significatis: primo, qui jam expunctus est in humilitate conditionis humanæ; secundo, qui concludendo sæculo imminet in sublimitate divinitatis exsertæ: primum non intelligendo, secundum, quem manifestius prædicatum (12) sperant, unum existimaverunt. Ne enim intelligerent pristinum, crediturі si intellexissent, et consecuturi salutem si credidissent, meritum fuit delictum eorum (13). Ipsi legunt ita scriptum mulctatos se sapientia et intelligentia et oculorum et aurium fruge. Quem igitur solummodo hominem (14) præsumpserant de humilitate, sequebatur uti magum æstimarent de potestate, cum ille verbo dæmonia de hominibus excuteret, cæcos reluminaret (15), leprosos purgaret, paralyticos restringeret, mortuos denique verbo redderet vitæ, elementa ipsa famularet (*c*), compescens procellas et freta ingrediens, ostendens se esse ΑΟΓΟΝ Dei, id est verbum illud primordiale (16) primogenitum, virtute et ratione comitatum, et spiritu fultum (17), eumdem qui verbo omnia, et faceret, et (18) fecisset. Ad doctrinam vero ejus, qua (19) revincebantur magistri primoresque Judæorum, ita exasperabantur, maxime quod ad eum ingens multitudo deflecteret (20), ut postremo oblatum Pontio Pilato Syriam tunc ex parte (21) Romana (22) (*d*) procuranti (*e*), violentia suffragiorum in crucem (23) dedi sibi extorse-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Spiritus *Paris.*
(2) Exit *Jun.*
(3) Ita de sp. — Deus *desunt in cod. Fuld. et ed. Rhen.*
(4) In *Par.*
(5) *Codd. Fuld. et Pamel.* qualitatis; *Lugd.* II. traducis qualitates.
(6) Et *abest Paris.*
(7) Non gradu sed statu *Paris.* Modulo alternum, numerum gradu, non statu *Fran.*
(8) Prædicebatur *cod. vet. Scrivcrii.*
(9) Figuratus *Jun. Haverc.;* quamdam et in utero ejus caro figuratur *cod. Fuld;* figurata *Semler.*
(10) Structa *MS. Fuld.*
(11) *Sic locum restituerunt Scriver., Rig. et Haverc.; anteu leg.* probetur et qui — præministraverint.
(12) Gelen.: prædictum.
(13) *Rhen. in ed.* I., *Ald., Pamel., Barræus, Gang.:* meritum fuit delictorum.
(14) Solum hominem modo *Seml.*
(15) Illuminaret *Paris.*
(16) *Cod. Fuld.* ostendens se esse filium et illum olim a Deo prædicatum, et ad omnium salutem natum verbum Dei illud, etc., *et omissis verbis:* eumdem qui — fecisset.
(17) *Rhen., Her., Gangn.:* instructum, *cod. Lugd.* suffultum.
(18) *Istam ἔτέραν* eumdem — fecisset *delet Rigaltius; Havercampius autem tuetur sic reformatam:* eumdem qui omnia et faceret et fecisset.
(19) Quia *Par.*
(20) Conflueret *cod. Fuld.*
(21) Plebe *MS. Lugd. Bat.*
(21) *Cod. Lugd.* ex plebe Romana, *Fuld.* ex parte Romanam.
(23) *Ita cod. Fuld.; alii*: in cr. Jesum dedi.

COMMENTARIUS.

(a) *Eumdem et fatum vocari et Deum et animum Jovis.* Eadem verba apud Lactantium. Laertius autem Zenonis sententiam sic retulit, *ἐν τε εἶεθαι Θεὸν καὶ Νοῦν, Εἱμαρμένην, καὶ Δία.* Rig.

(b) *Modulo alterum, non numero.* Alius a Filio Pater est, qua Pater, non qua Deus. Alius a Patre filius est, qua filius, non qua de Deo Deus. Alius a Patre et Filio Spiritus, qua Spiritus, non qua cum Deo Patre et Filio Deus est. Nam cum sit unus a Patre et Filio Spiritus, uno spiritu, una substantia Pater et Filius et Spiritus unum sunt, quod unum Deus est. Rig. — *Modulo alterum.* Sic adversus Praxeam, pag. 640. *Non tamen diversitate alium filium a Patre, sed distributione; nec divisione alium, sed distinctione, quia non sit idem Pater et Filius, vel modulo alius ab alio.* Et pag. 645. *Visibilem vero Filium agnoscamus, pro modulo derivationis.* Itaque modus et modulus est certarum rerum secundum sui generis rationes dispositio, ordinatio, œconomia. *Idem.*

(c) *Famularet.* Cum usum verbi non intelligerent, substituerunt in Cod. Aldino et Agobard. *famularent.* Voluit Noster exprimere græcum δουλοῦν, quod est *in servitutem redigere*, et ita alios etiam locutos notant interpretes.

(d) *Ex parte Romana.* MS. L. B. *ex plebe Romana.* Quasi innuat plebeiam Pontiorum fuisse gentem. Fuld. vero *ex parte Romanam*, quasi nollet Romanorum provinciis annumerari in Syria Comagenen et Judæam, utpote suis dynastis et regulis subjectas. Erat vero illud solitum Romanis istis temporibus, ut sese turbidis rebus populorum et regum dissidiis immiscerent, quo potentiores qui nutu suo Remp. regebant et pedum pulsu exercitus colligerent, ex rapinis ditescerent et regna ac potestates, quibus vellent, donarent. Quomodo illi obnoxii patronis suis ne hiscere quidem contra audebant.

(e) *Procuranti.* Tacitus de nece Christi Annal. XV. 44. *Qui Tiberio imperitante, per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat.* Hieron. in Chron.

Digitized by Google

rint. Prædixerat et ipse ita facturos. Parum hoc, si non et prophetæ retro. Et tamen suffixus spiritum (1) cum verbo sponte dimisit, prævento carnificis officio (*a*). Eodem momento dies, medium (*b*) (2) orbem signante sole, subducta est. Deliquium (*c*) utique putaverunt, qui id quoque super Christo prædicatum non scierunt; [ratione non deprehensa, negaverunt] (3); et tamen eum mundi casum relatum in arcanis (4) vestris habetis. Tunc Judæi detractum et sepulcro conditum magna etiam militaris custodiæ (5) diligentia circumsederunt (6), ne, quia prædixerat tertia die resurrecturum se a morte, discipuli furto amoliti cadaver fallerent suspectos. Sed ecce die tertia (7) concussa repente terra, et mole revoluta, quæ obstruxerat sepulcrum, et custodia pavore disjecta, nullis apparentibus discipulis, nihil in sepulcro repertum est, præterquam exuviæ sepulti. (8) Nihilominus tamen primores, quorum intererat, et scelus divulgare, et populum vectigalem et famularem sibi a fide (9) revocare, subreptum a discipulis jactitaverunt. Nam nec ille se in vulgus eduxit, ne impii errore liberarentur, ut et fides, non mediocri præmio destinata, difficultate constaret. Cum discipulis autem quibusdam apud Galilæam Judææ regionem ad quadraginta dies egit, docens eos quæ docerent. Dehinc ordinatis eis ad officium prædicandi per orbem, circumfusa nube in cœlum est ereptus (10), multo verius quam apud vos asseverare de Romulo (11) Proculi (*d*) solent. Ea

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Edd. ante Rigaltium et Hav.*: prophetæ retro etiam. Tamen suffixus multa mortis illius propria ostendit insignia. Nam spiritum, etc. *Vv. multa.* — *Nam in cod. Fuld. desunt. Rig. emend.* Et tandem suff.
(2) Mediam *Seml.*
(3) *Vv. uncis inclusa in solo cod. Fuld. addita leguntur.*
(4) *Ita Rig. et Hav. e cod. Fuld.*; *cæteri*: In archivis.
(5) Militari manu custodiæ *Franeq. Parisin.*
(6) Circumsepserunt *MS. Agobard.*
(7) Sed ad diem tertiam *MS. Fuld.*
(8) Præter exuvias sepulturæ *cod. Fuld.*
(9) Ad fidem *Franeq.*
(10) Receptus *Fran.*
(11) *Cod. Fuld. Rig. et Hav.* Romulis.

COMMENTARIUS.

Euseb. num. MMXLII. *Pilatus procurator Judææ a Tiberio mittitur.* Quæ quum mirum in modum passim turbentur a quibusdam, sciendum, Vitellium, virum consularem, fuisse tum temporis præsidem totius Syriæ, sed habuisse suos procuratores, qui fere erant equites Rom. quos vel in minores provincias, vel in regna sociorum mittebat, ut ibi administrarent res Pop. Rom. sive in exigendis tributis, et pactis cum Rom. fœderibus servandis, sive in universum inspiciendis ne quid detrimenti Resp. caperet. Sic inter illos Judæam sortitus est partem Syriæ Pontius Pilatus ut eam procuraret. HAV.

(a) *Prævento carnificis officio.* Duo loca apponere libet hæc maxime illustrantia, Suetonii unum, Senecæ alterum. In Vita Tiberii c. LXI. *Mori volentibus vis adhibita vivendi. Nam mortem adeo leve supplicium putabat, ut cum audisset unum ex eis, Carnalium nomine, anticipasse eam, exclamaverit, Carnalius me evasit.* Seneca ad Marciam c. XXII. de patre ejus Cremutio Cordo, sub eodem principe inedia mori certo, ne reus periret. *Accusatores, Sejano auctore, adeunt Consulum tribunalia: queruntur mori Cordum, interpellantes quod coegerant. Adeo illis Cordus videbatur effugere. Magna res erat in quæstione, an morte rei prohiberentur. Dum deliberatur, dum accusatores iterum adeunt, ille se absolverat.*

(b) *Dies, medium.* Confirmat ipse Tertullianus Adv. Judæos c. X. *Nam quod in passione ejus accidit, ut media Et dies tenebresceret. Amos propheta annuntiat, dicens: erit, inquit, in die illa, dicit Dominus, occidet sol media die, tenebrescet super terram dies luminis.* Ibidem: *ut prophetiæ adimplerentur, properavit dies vesperam facere.* Idem hinc explicat Hierem. II. 12. *Expavit cœlum super isto. Et quomodo et quando expavit? Indubitate, quando passus est Christus. Et horruit, inquit, plurimum nimis, et sol media die tenebricavit. Et quando horruit nimis, nisi in passione Christi?* Simile miraculum annotat in lib. Ad Scapulam cap. III. *Nam et sol ille in conventu Uticensi extincto pene lumine, adeo portentum fuit, ut non potuerit ex ordinario deliquio hoc pati, positus in suo hypsomate et domicilio.* Dixit *orbem signante sole*, i. e. occultante lumen suum et obsignante. Nam *signare* antiqui dixerunt pro obsignare et occultare. Nonius, *signatam integram virginem vetustas voluit dicere.* Unde illud Cantic. IV. 12. *scaturigio clausa es, fons obsignatus.* Imo de ipsa luce cœlestium globorum, exstat hæc locutio apud Jobum IX. 7. de Deo qui *Soli dat jussa sua, nec oritur, signat- que stellas.* Cujus ego loci hic respici puto locutionem.

(c) *Deliquium utique putaverunt.* Phlegon nempe et Thallus, insignes chronologi, quorum prioris nomine et studio Adrianus Cæsar, vir multiscius, usus creditur in suis publicandis. Testimonia nota sunt, et digna quæ legantur apud Eusebium Chron. p. 202. De quibus testimoniis et hujus rei miraculo omnino videri debet, ibidem plures locos adducens, illustris Scaliger p. 186. et De Emend. Temporum p. 561. Cui addi potest Bynæus lib. III. c. 8. de Morte I. C. HAV.

(d) *De Romulis proculis.* Ita Rig. ex Cod. Fuld. nota locutio. Alii *de Romulo Proculi.* Augustin. de Civ. Dei l. III. c. 15. ostendit ex Cicerone illam inter Deos Romuli receptionem creditam esse magis quam factam. Nec mirum cum etiam sepulcrum ejus exstiterit, si Varroni fides. Porphyr. ad Horat. Epod. lib. ad carmen, quod incipit *Altera jam teritur.* hoc notat, *nam Varro post rostra fuisse sepulcrum Romuli dicit.* Itaque vere Augustin. *Viderint quidam scriptores etiam, qui eum propter ferocitatem a Senatu discerptum esse dixerunt, subornatumque nescio quem Julium Proculum, qui cum sibi apparuisse diceret, eumque per se populo mandasse Romano, ut inter numina coleretur, eoque modo populum, qui contra Senatum intumescere cœperat repressum atque sedatum.* Nam certe precatio satis divinitatem obtinuisse docet Aurel. Victor in Epit. in Marco Anton. *Et quod de Romulo ægre creditum est, omnes pari sensu præsumpserunt, Marcum cœlo receptum esse.* Et huc forsan referri potest seminudus ille juvenis, qui apud Bellorium in Adm. Rom. Antiq. Vestigiis tab. 36. Faustinam Marci, habitu Dianæ Luciferæ, cœlo inferri, intentis oculis admiratur, nisi potius ex habitu et diademate, quo caput ornatur, Deus Genius sit æstimandus: tanta scilicet gloriæ vecordia homines incesserat. Suetonius de Augusti anima cap. c. *Nec defuit vir prætorius, qui se effigiem cremati eumtem in cœlum vidisse jurasset.* Sed audi Tertull. de Spectat. cap. ult. de pœna inferni: *spectans tot ac tantos Reges, qui in cœlum recepti nuntiabantur, cum ipso Jove et istis suis testibus in imis tenebris congemiscentes.* Verius de triumphatore mortis Jesu nostro illud usurpamus, quod non nisi adulatorie Valerius Maximus de Julio Cæsare dicere potuit IV. 5. *In hunc modum non homines exspirant, sed dii immortales sedes suas repetunt.* Alludere puto Tertullianum cum dicit Ad Nat. I. 10. *coram populo non pejeraret contemplator cœlitis in cœlum recepti.* Sed hic locus monet me medicinæ qua summe indiget illo ca-

Digitized by Google

omnia super Christo Pilatus, et ipse jam pro sua conscientia christianus (*a*), Cæsari tum Tiberio nuntiavit. Sed et Cæsares credidissent super Christo, si aut Cæsares non essent sæculo necessarii (*b*), aut si et christiani potuissent esse cæsares (*c*). Discipuli quoque diffusi per orbem, ex præcepto magistri Dei paruerunt, qui et ipsi a Judæis insequentibus multa perpessi, utique pro fiducia veritatis libenter, Romæ postremo per Neronis sævitiam, sanguinem christianum seminaverunt. Sed monstrabimus (1) vobis idoneos testes Christi, ipsos illos quos adoratis. Multum est, si eos adhibeam ut credatis Christianis, propter quos non creditis Christianis (2). Interim hic est ordo nostræ institutionis, hunc edidimus (3) et sectæ et nominis censum cum suo auctore. Nemo jam infamiam incutiat, nemo aliud existimet, quia nec fas (4) est ulli de sua religione mentiri. Ex eo enim, quod aliud a se coli dicit, quam colit, negat quod colit, et culturam et honorem (5) in alterum transfert, et transferendo jam non colit quod negavit. Dicimus, et palam dicimus, et vobis torquentibus lacerati et cruenti vociferamur: Deum colimus per Christum. Illum hominem putate, per eum et in eo se cognosci vult Deus et coli. Ut autem Judæis respondeam, et ipsi Deum per [hominem] (6) Moysen colere didicerunt; ut Græcis occurram, Orpheus Pieriæ, Musæus Athenis, Melampus Argis, Trophonius Bœotiæ initiationibus homines obligaverunt; ut ad vos quoque dominatores gentium aspiciam, homo fuit Pompilius Numa, qui Romanos operosissimis superstitionibus oneravit. Licuerit et Christo commentari divinitatem rem propriam; non qui rupices (*d*) et adhuc feros homines multitudine tot numinum demerendorum attonitos efficiendo ad humanitatem temperaret, quod Numa; sed qui jam expolitos et ipsa urbanitate deceptos in agnitionem veritatis oculare (*e*). Quærite ergo, si vera sit ista divinitas Christi. Si ea est, qua cognita ad bonum quis reformetur (7), sequitur, ut falsa renuntietur quævis alia contraria comperta; imprimis illa omni ratione (8), quæ delitescens sub nominibus et imaginibus mortuorum, quibusdam signis, et miraculis, et oraculis fidem divinitatis operatur.

CAPUT XXII.

ARGUMENTUM.—*Explicat jam dæmonum naturam, quorum notitiam a Philosophis et Poetis etiam instillatam docet, inde illorum spiritualem substantiam edisserit, atque inde elicit modum agendi in homines, ut noceant, ostenditurque illud fallaciis suis solum agere, ut relicto Deo vero falsæ religioni creduli mortales mancipentur.*

Atque adeo dicimus, esse substantias quasdam

LECTIONES VARIANTES.

(1) Demonstrabimus *Semler.*
(2) Adhibeam, ut credatis christiani *Fran.*
(3) Edidimus *Fran.*
(4) Nefas *al.*
(5) *In cod. Fuld. desunt vv.* et culturam. *In cod. Agob.* in honorem. *Utrumque videtur ab interprete adjectum esse.*
(6) *Cod. Fuld. et Hav.* per Moysem.
(7) Reformatur *Semler.*
(8) Omni rationi comperta-illa omni rationi. *conj. Hav.*

COMMENTARIUS.

pite libellus iste. Legitur ibi: *Quis istam contumeliam excuset, quæ ut aut mortuos cum Deis deputet;* quem locum minus sanum pronuntiat recte Gothofredus, medicinam non adhibet. Rigaltius nihil notat, nihil mutat; unam dele litteram, verissima emerget lectio, scribendo *utut mortuos*, i. e. quocumque more tandem mortui fuerint, ut scil. scævus iste Romulus, qui dissipatis membris ne integer quidem tumulum invenit. Vide plura apud interpretes et Elmenhorst. ad Minuc. p. 56. HAV.

(a) *Conscientia christianus.* Cui cum conscientia dictaret injuste accusatum Christum, nullam vel minimam noxam in illo inveniri posse, coactum non voluntarium se ad puniendum accessisse, ubi nullum erat delictum, necesse habuit, ut ipsi vivo, ita memoriæ ejus favere. *Christianus* itaque Pilatus dicitur nostro, plane ut per jocum Livium Augustus Pompeianum appellare solebat, quod exstat in præclara defensione Cremutii Cordi apud Tacitum IV. Annal. 34. *Titus Livius, eloquentiæ ac fidei præclarus imprimis, Gn. Pompeium tantis laudibus tulit, ut Pompeianum eum Augustus appellaret: neque id amicitiæ eorum offecit.* Libet itaque exclamare ad Pontium, ut Noster ad Trajanum c. II. *O sententiam necessitate confusam!* et: *Quid temetipsam censura circumvenis? si damnas, cur inquiris? si inquiris, cur non et absolvis?* ut paulum inflectam. HAV.

(b) *Si aut Cæsares non essent sæculo necessarii.* Hoc est, Imperio Romano, quod tamdiu duraturum dicebant quamdiu sæculum. Ex illo videlicet Pauli, *Tantum qui tenet, teneat.* Fl. Vopiscus de Aureliano, hic finis, inquit, Aureliano fuit, principi necessario magis quam bono. RIG.

(c) *Aut si et christiani potuissent esse Cæsares.* Longe aliæ mentes christianorum fuere sub Constantino, quem et sæculi præsidem, et christianum esse potuisse dixerunt, et quantis non ingenii Græci viribus probaverunt! Sub eo certe christianarum rerum adhuc ignaro hæretici catholicis insultabant hujusmodi convicio, Quid christianis cum regibus? aut quid episcopis cum palatio? Optatus, lib. I. RIG.

(d) *Rupices* vocat homines rusticos et incultos a Græco ῥύαξ et ῥύακος. De Pallio c. IV. *Ille apud rupicem et sylvicolam et monstrum eruditorem scrupea schola eruditus.* Ibid. *rupices in urbanis, scurras in forensibus, paganos in militaribus:* Et de Anima c. VI. *Quid autem facient tot ac tantæ animæ rupicum et varronum, quibus alimenta sapientiæ desunt?* Ita locum lege, non *barbarorum.* Respexit enim versum Lucilii,

Varronum ac rupicum squarrosa incondita rostra.

(e) *Oculatet.* Ἐξωμμάτωσε inquit Scaliger, quem omnino vide ad Manilium p. 118. Videtur Noster vocem *oculare* usurpare, quasi significaret visum reddere, quomodo apud Nostrum de Pœnit. c. XII. *Hirundo, si excæcaverit pullos, novit illos oculare rursus de sua chelidonia.* Quod transcripsit Pacianus in Parænesi ad Pœnitent. *Excæcatos hirundo pullos novit occulare de sua chelidonia.* Adeoque accepisse ita videtur Cyprianus ille Nostri lector et admirator assiduus. Is de Idolorum et vanitate: *Ut homines ab errore tenebrarum ad viam lucis adducerent, cæcos et ignaros ad agnitionem veritatis occularent.* Differt enim ab *inoculare* quod est petitum a cultura arborum, quæ sub ipsa voce hac *oculeeren* cuivis nota est. *Oculus* enim illis est tuberculus ille, ex quo ramuli germinare debent. Cato de Re Rust. c. VI. *Ibi oculos arundinis pedes ternos, alium ab alio serunto.* Ipse Tertullian. lib. de Anima. c. XIX. *Aut unde mox illis et frutices inoculantur, et folia formantur, et germina inflantur.* HAV.

Digitized by Google

spiritales; nec nomen novum est. Sciunt dæmonas Philosophi, Socrate ipso ad dæmonii arbitrium exspectante. Quidni? cum et ipsi dæmonium adhæsisse a pueritia dicatur, dehortatorium plane a bono (*a*). Dæmonas sciunt Poetæ, etiam vulgus indoctum in usum maledicti frequentat, nam et Satanam (1), principem hujus mali generis, proinde de propria conscientia animæ, eadem execramenti voce pronuntiat (*b*). Angelos quoque etiam Plato non negavit, Utriusque nominis testes vel magi asserunt (2) (*c*). Sed quomodo de angelis (*d*) quibusdam sua sponte corruptis corruptior gens dæmonum (*e*) evaserit damnata a Deo cum generis auctoribus, et cum eo quem diximus principe (*f*), apud litteras sanctas ordine cognoscitur (3). Nunc de operatione eorum satis erit exponere. Operatio eorum est hominis eversio : A sic malitia spiritalis a primordio auspicata est in hominis exitium. Itaque corporibus quidem, et valetudines infligunt (*g*), et aliquos casus acerbos, animæ vero repentinos et extraordinarios per vim excessus. Suppetit illis ad utramque substantiam hominis adeundam mira (4) subtilitas et tenuitas sua. Multum spiritalibus viribus licet, ut invisibiles et insensibiles in effectu potius quam in actu suo appareant : si poma, si fruges nescio quod auræ latens vitium in flore præcipitat, in germine exanimat, in pubertate convulnerat, ac si cæca ratione tentatus aër pestilentes haustus suos offundit : eadem igitur obscuritate contagionis aspiratio dæmonum et angelorum mentis quoque corruptelas agit furoribus et amentiis fœdis, aut sævis libidinibus cum erroribus variis ; quorum B iste potissimus, quo deos istos captis et circumscri-

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Wouw. e ms.* et *Rig.* Dæmonas; *cæteri :* Omnes. *Hav. et alii :* frequentat Satanam. *Sed vv.* nam et, *quæ in codd. Gorz. et Lugd. leguntur, nec supervacua nec ejicienda.*

(2) *Sic cod. Fuld. ; Rhen., Pam. aliique :* vel magos asserunt ; *cod. Put.* vel magi adsunt, *quod receperunt Rig., Hav., Semler.*

(3) Ordo *Semler.*

(4) Mira *abest Fran. Rig.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXII.—(a) *Dehortatorium. Plane a bono.* Ubique antea sic legebatur et distinguebatur, *dicatur. Dehortatoriumplane a bono omnes sciunt poetæ.* Sed recte emendavit Rig. posuitque post *dicatur* comma, nos etiam post *dehortatorium* punctum. Iste enim genius seu dæmon Socratis celebrabatur ut dehortatorius si quid mali ipsi instaret vel occurreret, imo ridens inquit Tertullianus *a bono* sc. ipsum avertens. Itaque sic distinguo, *dicatur dehortatorium. Plane, a bono,* i. e. imo habuit dæmonium, sed quod illum a bono dehortaretur. Ita C *τὸ plane* passim, et lib. Ad Nat. I. 10. *Plane, quoniam illis cœlum patet,* i. e. imo, recte. Itaque ut bene Lactant. I. I. c. 14. *Sed ipsi cum sint perditores hominum, custodes tamen se videri volunt, ut ipsi colantur et Deus non colatur.* Possis ita etiam interpungere locum, *dicatur dehortatorium. Plane a bono.* Sed quomodocumque fiat distinctio, nullus alius potest esse sensus, quam ille quem nos dedimus. Mala certe distinctione deceptus a vero aberrat Casp. Barthius, qui contemplatus est hæc verba in libro Adv. LV. cap. 5. vultque legi, *dehortatorium a bono Orfei sciunt poetæ;* ut ita innuantur illa carmina et hymni, qui hodieque exstant istius nomini inscripti, et satis sunt vetusti. De Dæmonio vero Socratis locuti sapientiores Ethnici, nihil aliud intellexerunt nisi providum ejus animum et perspicacem in futuris rebus. Hinc ὁαίμων ἑκάστου ἡ ψυχὴ *cuique animus dæmon* dicitur a Xenocrate Philosopho apud Aristotelem II. Topicorum, qui ibidem εὐδαίμονα appellat cum cui bona mens D contigisset. Socratica etiam sapientia imbutus Euripides apud Theonem p. 60. Progymn. τὸν νοῦν ἡμῶν ἑκάστου θεὸν dixit, *mentem suam dæmonem cuique.* Hav.

(b) *Nam et Satanam execramenti voce pronuntiat.* Quid ? Satanæ vocabulum Romani unquam usurpavere in maledictis aut execrationibus ? Neutiquam sane. Sed malorum dæmonum principem Satanam pronuntiavere, pronuntiando, *Malum.* Rig. — Sensus verborum mihi hic videtur : Vulgus quoque jam indoctum pro maledicto frequentat Satanam auctorem hujus generis, dæmoniorum scil., unde post *generis* distinctionem cum optimis posui. Cum vero conscientiam animæ hic advocet, latius persequi necesse habuit in libello de Testimonio Animæ : cap. III. quæ quidem ejus verba ex hoc loco lucem capiunt. Sunt vero ista : *Dæmonium vocas hominem aut immunditia, aut malitia, aut insolentia, aut quacumque macula, quam nos dæmoniis deputamus, aut ad necessitatem odii importunum. Satanam denique in omni aversatione, et aspernatione, et detestatione pronuntias, quem nos dicimus malitiæ angelum,* etc. Ut enim absolute *malus* Christianis pro Dæmone et Satana, ita hic Tertulliano *Sanus et Dæmonium* pro *malo.* Hav.

(c) *Utriusque nominis testes esse, vel Magi adsunt.* Hæc omnino est scriptura codicis antiqui Puteanorum, quam esse puto veriorem ista Fuldensi, *vel magi asserunt.* Ait Septimius, etiam hominibus ab Dei civitate alienis haud ignota esse vocabula, Dæmonum et angelorum. Dæmonas, inquit, sciunt philosophi, sciunt poetæ : Angelos quoque etiam Plato non negat. Deinde addit, Utriusque nominis testes esse vel Magi adsunt. Hoc est, adsunt testes ; adsunt testificari ; adsunt testimonio dicendo, nempe esse et Dæmonas et Angelos. Ipse pag. seq. Magos habere dicit invitatorum Angelorum et Dæmonum assistentem sibi potestatem. Rig.

(d) *De angelis.* In stulta ista opinione fuit quoque Tertull. ut putarit ex commistione angelorum cum hominibus natos dæmonas, male intellecto Gen. VI. 2. Itaque rursus De Idolol. cap. IX. *Angelos illos esse desertores Dei, amatores fœminarum.* Lactantius quoque lib. II. c. 15. *Itaque illos cum hominibus commorantes, dominator ille terræ fallacissimus consuetudine ipsa paulatim ad vitia pellexit, et mulierum congressibus inquinavit,* etc. Sed prudentior Augustinus, quem vide de Civ. Dei l. XV. c. 23.

(e) *Gens dæmonum.* Lactant. ibid. *Qui autem sunt ex his procreati, quia neque angeli neque homines fuerunt, sed mediam quamdam naturam gerentes, non sunt ad inferos recepti, sicut nec in cœlum parentes eorum.*

(f) *Et cum eo quem d. p.* Cod. Fuld. *et quem diximus principem aut l. sanctas ordo cognoscitur.* Lactant. rursus : *Hi sunt immundi spiritus, malorum, quæ geruntur auctores, quorum idem diabolus est princeps. unde Trismegistus illum* δαιμονάρχον *vocat.*

(g) *Et valetudines infligunt.* Videtur mihi spectare ad ministros publicos, qui puniunt homines, qui infligunt verbera, qui homines excarnificant. Quemadmodum Joannes Chrysostomus orat. de diabolo tentatore vocat diabolum ipsum ἀσώματον δήμιον, q. d. *carnificem incorporeum.* Et huc ille confert illud Dei ad diabolum ἅψαι τῆς σαρκὸς αὐτοῦ : *tange carnem ejus.* Id est constituo te ad infligenda vulnera publicum carnificem. Lac.

Digitized by Google

ptis hominum mentibus commendat, ut et sibi pabula propria nidoris (a) et sanguinis procuret simulacris et imaginibus oblata, et quæ illis accuratior pascua est, hominem a cogitatu veræ divinitatis avertant præstigiis falsæ divinationis (1). Quas et ipsas quomodo operentur, expediam. Omnis spiritus ales est. hoc angeli et dæmones. Igitur momento ubique sunt: totus orbis illis locus unus est (2); quid ubique geratur, tam facile sciunt (b), quam enuntiant (3). Ve- A locitas divinitas creditur, quia substantia ignoratur. Sic et auctores interdum videri volunt eorum quæ annuntiant: et sunt plane malorum nonnunquam, bonorum tamen nunquam. Dispositiones etiam Dei, et tunc prophetis concionantibus exceperunt (4), et nunc lectionibus resonantibus carpunt. Ita et hinc sumentes quasdam temporum sortes, æmulantur divinitatem dum furantur divinationem (c). In oraculis autem quo ingenio ambiguitates temperent in eventus (d), sciunt Crœsi,

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Codd. plerique:* a cogitatu; *vel:* e cogitatu, *Rig.* a recogitatu, *Hav.* recogitatu. *Ante v.* hominem *inseruit Rhen.* qua, *Herald.*: quam ut, *Rig.*: nisi ut, *addito post* divinationis *interrogandi signo.*

(2) ubi *Har.*
(3) Annuntiant. *Jun. ex Mss.*
(4) Nunc excerpunt *Fran.*

COMMENTARIUS.

(a) *Njdoris et sanguinis. procuret*) Permulta hic docte et industrie congesserunt interpretes, quibus addi possunt, quæ ad similes Minucii et Arnobii locos notata sunt. Credebant enim stulti illi mirifice Deos suos isto nidore delectari, adeoque quod sibi nobisque pædor, ad illis nectar esse. Hinc apud Homerum haud ingratus Trojanis Jupiter liberalitatem eorum commendat Illiad. Δ. versu 48.

Οὐ γάρ μοί ποτε βωμὸς ἰδεύετο δαιτὸς ἴσης,
Λοιβῆς τε, κνίσσης τέ.

i. e. *non enim mihi unquam ara carebat convivio pari, libationeque nidoreque.* Quam stultitiam cum sæpe Lucianus, tum insigniter taxat Theodoretus Serm. VII. p. 101. quem ut inspicias suadeo. Σφόδρα γὰρ αὐτοὺς χαίρειν, etc. Quo sensu Tertullianus ad Martyr. cap. II. *non nidoribus spurcis verberaris.* Theodoretus rursus ibidem p. 110. ex verbis Socratis ostendit, *nullius quidem rei Deum indignum esse, nihilque habere aliud ejusmodi hostias præter fumum, ac putorem quidem multo gravissimum:* καπνοῦ δὲ πλέον οὐδὲν ἔχουσιν αἱ τοιαῦται θυσίαι, καὶ καπνοῦ δυσοσμίας μεστοῦ. Et tamen mirifice appetere hunc nidorem putabant Deos suos. Unde Nonnus in Orat. Nazianz. II. in Julian. p. 818. *Dæmones omnes sacrificiorum nidoribus gaudentes, liguritores sunt, præsertim autem hoc nomine sugillatur Mercurius. Unde et* δηλακρίων *dicitur, quasi* δήων κρέα, i. e. *carnes persequens.* Itaque miseri isti Dii misere esuriebant, nullis sacrificiis oblatis. Mercurius ille apud Aristophanem in Pluto Act. I. Sc. I. 21.

Καὶ τῶν μὲν ἄλλων μοι θεῶν ἧττον μέλει.
Ἐγὼ δ' ἀπόλωλα κατατετριμμαι.

I. e. *De reliquis diis minus anxie laboro: sed quantum ad me attinet, fame confectus perii.* Idemque veretur Jupiter apud Lucian. in Menippo p. 302. et apud eumdem in Bis Accus. p. 307 ἀλλ' ἅ'στ, etc., i. e. *Sed templa coronis carebunt, sine nidore erunt plateæ, sine libamentis crateres, frigidæque passim aræ, denique sine sacrificiis, ac victimis omnia, multaque fames futura.* Rursus lepide Aristophanes. in Avibus ἀντιστρ. κῶλ. IB. versu 32. ubi Prometheus: Ἀπόλωλεν ὁ Ζεύς, etc. Ἀνεν θυηλῶν. *PR. Periit Jupiter. PI. quam diu est quod periit? PR. Ex quo vos habitastis aerem. Sacrificat enim nullus, hominum quidquam amplius Diis, neque nidor a cruribus ascendit ad nos ab illo tempore: sed quamquam festis Cereris jejunamus absque sacrificiis.* Quare cum ipsi Judæi ad stultam hanc opinionem transiissent, increpat illos Deus Ps. L. 13. Jes. 1. 11. Jerem. VI. 20. Amos V. 22. et aliis in locis. Scilicet, *non eget Deus, conditor universitatis, odoris aut sanguinis alicujus. Hæc enim dæmoniorum pabula sunt,* ut recte Noster ad Scap. c. II *Nam quid stultius, quid infirmius, quam sacrificiorum cruentorum et holocaustomatum nidorosorum a Deo exatio?* ejusdem verbis Contra Marc. I. V. c. 5. Quomodo igitur colendus? Ita ut alio sensu ad idololatras Tertull. de Idol. c. V. *Colis autem non spiritu vilissimi nidoris alicujus, sed* B *tuo proprio, nec anima pecudis impensa, sed anima tua.* Hav.

(b) *Tam facile sciunt, quam enuntiant.* Cod. Fuld. et Lugd. Bat. *annuntiant*, sed id mox dicit. Pertinet huc elegans jocus Luciani qui inscribitur Navigium. ubi inter stultos istos optatores postremus Gygis optat annulum, quo induto a nullo possit conspici, atque ita inter alia inquit: *Et quod omnium suavissimum fuerit, uno eodemque die annuntiare Babylonem possem, quisnam in Olympiis vicisset: et si forte in Syria pransus essem, cœnare in Italia.* Et quorsum hæc? addit paulo post, *Ac Deus viderer cæteris:* καὶ Θεὸς ἐδόκουν τοῖς ἄλλοις. Hav.

(c) *Furantur divinationem.* Rapiunt. Satis apposite ad vim verbi hujus Vincentius Belvacensis, scriptor ætate sua non contemnendus: *Homo cum in honore esset non intellexit: quia contra veritatem semetipsum illuminantem intumuit: nam pingui cervice armatus adversus Deum erecto collo cucurrit: et dum ipsam* C *Divinitatem rapere voluit: impetu suo frustratus et elusus, iniquitatis suæ pondere quodam ad semetipsum proruit.* Ita ille in vastis illis voluminibus, quæ inscripsit Speculum Quadripartitum, in Spec. Doctr. lib. II. cap. 1. Quomodo eleganter etiam de Servatore nostro sed contrario et vero sensu locutus est Paulus in Epist. ad Philipp. c. II. 6. Ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεοῦ, negans illum æmulari divinitatem, quia quidquid vellet ex suo posset sumere. Ita tyranni vel imperatores vitio creati *rapere imperium* dicebantur apud Romanos. Et pulchre quadrat locus Ælii Lampridii in Alexandro Severo: *Non enim aut gravitati senatus congruebat omnia simul deferre, aut bono principi raptum ire tot simul dignitates.* Quo refero et illud Vopisci in Taciti Vita: *Tunc odio præsentium, exercitus, qui creare imperatorem raptim solebat, ad senatum litteras misit, petens, ut ex ordine suo principem legeret.* Pulchreque obtegit Severi Afri ambitionem speciosо titulo Ausonius in Cæsarib. ep. XX. D

Di bene, quod spolis Didius non gaudet opimis,
Et cito perjuro præmia adempta seni.
Tuque Severe pater, titulum ne horresce novantis,
Non rapit imperium vis tua, sed recipit.

Sic quoque Christum cœlos, cœlosque illum recepisse non rapuisse possumus dicere. Petrus certe Act. III. 21. Ὃν δεῖ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων. Pro *dum* MS. L. B. mavult *Dei* male. Hav.

(d) *Ambiguitates temperent in eventus.* Lactant. II. 15. *Et ideo solem responsa in ambiguos exitus temperare.* ex Nostro Quare *evenium.* quod habet Cod. Fuld. non probo, quamvis ita etiam in MS. L. B. invenerim. Theodoret. p. 193. Lucian. in Dialogo Junonis et Latonæ Ὁ δὲ Ἀπόλλων προσποιεῖται, etc., i. e. *Apollo autem simulat quidem omnia scire sese, et jaculari et cythara canere, et medicum esse, et vaticinari. Et erectis vaticinandi tabernis hic in Delphis, illic in Claro et*

Digitized by Google

sciunt Pyrrhi. Cæterum testudinem decoqui cum carnibus pecudis (*a*) Pythius eo modo renuntiavit, quo supra diximus; momento apud Lydiam fuerat (*b*). Habent de incolatu aeris et de vicinia siderum et de commercio nubium (*c*) cœlestes sapere paraturas, ut et pluvias, quas jam sentiunt, repromittant. Venefici (1) plane et circa curas valetudinum. Lædunt enim primo (*d*), dehinc remedia præcipiunt ad miraculum nova, sive contraria, post quæ desinunt lædere (*e*), et curasse creduntur. Quid ergo de cæteris ingeniis vel etiam viribus fallaciæ spiritalis edisseram, phantasmata Castorum, et aquam cribro gestatam, et navem cingulo promotam (*f*), et barbam tactu irrufatam (*g*), ut numina lapides crederentur, et Deus verus non quæreretur (2)?

CAPUT XXIII.

ARGUMENTUM. — *Quantumvis vero magna sit dæmonum potentia, majori, Christi nempe, subjici docet; quare etiam de illa ipsi Christiani triumphant, quum scilicet immundos spiritus virtute ejus, vel invitos, ejiciunt. Qui dum imperio Christi obsequium præstant, suam ipsi divinitatem abnuunt, ejusque solam agnoscunt.*

Porro si et magi phantasmata edunt (*h*), et jam

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Cod. Fuld.* Venefici; *cæteri* : Benefici.
(2) *Cod. Fuld.* : non qua effecerint, *unde Haverc. suspicatus est, veram esse scripturam* : non quæreretur, effecerunt.

COMMENTARIUS.

Dydimis, decipit consulentes se, obliqua et in utramque partem quæstionis propositæ inflexa respondendo, ne videlicet erroris possit convinci. Et in Auct. Vitarum ad Heraclitum mercator. Αἰνίγματα λέγεις, etc., i. e. *Heus tu ænigmata loqueris, an griphos componis? plane enim tanquam Apollo, nihil explicas.* Et ad Apollinem ipsum scite Momus in Jove Tragœdo, Τοῦτο μὲν ὀρθῶς εἶπας, etc., i. e. *Equidem hoc recte dixisti, Apollo, collaudatis iis qui in orationibus perspicuitate utuntur, quanquam tu hoc ipsum in promendis atque reddendis oraculis non admodum usurpare soleas, ancipitia et ambiguitate intricata multa in medium secure projiciens, adeo ut audientes alio ad interpretandum oracula opus habeant Pythio.* Sunt apud Arnobium, Minucium, alios, multa similia. Nec ipse Lucian. in Pseudomanti neglexit. HAV.

(a) *Carnibus pecudis.* Cod. Fuld. *carnibus pecoris*, et mox pro *fuerat* idem *fuerant*. Mox MS. L. Bat. pro *renuntiavit*, *denuntiavit*. Nec hoc irridere neglexit Lucianus, apud quem rursus Momus ad Appollinem in Jove Tragœdo p. 212. Λέγε, μόνον σαφῆ δέ, etc., i. e. *Dic, sed perspicua tantum oratione, Apollo, quæ neque patrono neque interprete indigeat. Etenim non ovilla carnes, aut testudo coquitur in Lydia, sed probe scis qua de re sit consultatio.* HAV.

(b) *Momento apud Lydiam.* Ac si dicat eo momento quo testudo a Crœso decoquebatur, in Lydia fuerat, quod in Pyrrhus renuntiabat. Atqui sicuti annotat in sua paraphrasi Zephyrus *habent, etc. Sapere paraturas.* Græca dicendi figura est, quam nostri etiam non refugiunt, ut, habeo multa dicere, id est possum. Et Cicero ad Lentulum : De Alexandrina re causaque regia, tantum habeo me polliceri, me tibi absenti, etc. *Paratura* vero nomen nondum memini apud alios legisse, ex analogia tamen eadem dicitur qua scissura, commissura, et a Plinio *divisura* dictum est, et *volatura* pro volatu, quod non minus novum videri potest. PAM.

(c) *Habent de incolatu aeris.* Notarunt alii phrasin *habent sapere.* Possunt, inquit, incolentes et mansionem habentes in aere, sideribus vicini, et nubibus assueti, scire constitutionem aeris, adeoque pluvias, siccitatem, pestilentiam, famem prædicere. Ita enim dæmonas istos quasi araneas in aere pendentes concipiebant. Lactant. II. 15. *Qui autem sunt ex his procreati, quia neque angeli, neque homines fuerunt, sed mediam quamdam naturam gerentes, non sunt ad inferos recepti, sicut nec in cœlum parentes eorum. Ita duo genera dæmonum facta sunt, unum cœleste, alterum terrenum. Hi sunt immundi spiritus, malorum quæ geruntur auctores, quorum idem Diabolus est princeps.* De Pythagoræ opinione Diog. Laert. in Vita ejus. Εἶναί τε πάντα τὸν ἀέρα ψυχῶν ἔμπλεον· καὶ τούτους δαίμονάς τε καὶ ἥρωας νομίζεσθαι; i. e. *quin totum aera plenum esse animis, eosque et dæmones et heroas existimari.* Quod ille quidem ex Chaldæorum disciplina hausit, de quibus idem Diogenes in Proœmio. Asserere enim ait εἰδώλων πλήρη εἶναι τὸν ἀέρα, κατὰ ἀπόῤῥοιαν ὑπὸ ἀνεσθυμιάσεως εἰσκρινομένων ταῖς ὄψεσι τῶν ὀξυδερκῶν; i. e. *plenum esse dæmonibus aera, qui tenuiter, ac veluti ex evaporatione cernentium oculis influant.* HAV.

(d) *Lædunt enim primo.* Supra : *Corporibus et valetudines infligunt*, etc. Atque ipse Pythagoras non negat. Ὑπὸ τούτων, inquit, πέμπεσθαι ἀνθρώποις τούς τε ὀνείρους, καὶ τὰ σημεῖα, νόσους τε καὶ ὑγιείας· καὶ οὐ μόνον ἀνθρώποις, ἀλλὰ καὶ προβάτοις, καὶ τοῖς ἄλλοις κτήνεσι; i. e. *Ab his immitti hominibus somnia, signaque, morbos etiam et sanitates : nec solum hominibus, sed pecudibus et jumentis.* In Vita ejus apud Diog. Laertium. MS. L. B. *primum.* HAV.

(e) *Post quæ desinunt lædere.* Adhibitis scil. illis remediis novis et inusitatis. Sed Rhen. et Aldus legunt, *sive contraria : Postquam desinunt*, etc., id est quando jam non amplius lædunt videri volunt benefici et sospitatores. Hunc locum respexit sæculo suo egregie doctus Jo. Saresberiensis, Episcopus, qui ita scriptum reliquit de ævi sui presbyteris et purpuratis in libro quem inscripsit Policraticum, lib. VI. cap. 24. *Nocent sæpius, et in eo Dæmones imitantur, quod tunc prodesse putantur cum nocere desistunt.* Vixit is scriptor sæculo undecimo. HAV.

(f) *Et navem cingulo promotam.* Relatum ab Herodiano est lib. 1. hist. Navigium quo Pessinuntia Dea Tiberi advehebatur, subito divina quadam vi substitisse, nec inde ullis viribus moveri potuisse, donec astitit sacerdos Vestalis (ipse non nominat, sed dictam Claudiam Ovidius in fastis canit, et scribit Livius lib. 29.) Ea cum argueretur virginitatem polluisse, damnationemque metueret, petiit a populo, ut judicium de se Deæ Pessinuntiæ committerent. Quo impetrato, clare Deam precata est, ut si se esse intemeratam Dea sciret, navem progredi juberet. Quo dicto zonam recinxit, et navigio illigavit, quod statim ducentem manu virginem consecutum est. Lactantius lib. 2. cap. 7. LAC.

(g) *Barbam tactu irrufatam.* Nota hæc sunt omnia ex historicis et commentatoribus, de nuntiis victoriæ Macedonicæ, virginibus Vestalibus, Tucia et Claudia, et Domitio Ænobarbo, quem respiciens Martialis scribit lib. VIII. Ep. 52.

> Tonsorem fuerum, sed arte talem,
> Qualis nec Thalamus fuit Neronis,
> Drusorum cui contigere barbæ.

Fuit enim Nero ex gente Domitia et familia Ænobarborum : vide Suetonium in Vita ejus cap. 1. et seq. per matrem vero Aggrippinam Drusos attigit. HAV.

CAP. XXIII. — (h) *Magi phantasmata edunt.* Quidquid illi faciunt id faciunt potestate dæmonum sibi ministrantium, quanto itaque facilius simile perpetrare ipsis dæmonibus in propria causa operantibus? Apuleius de

Digitized by Google

defunctorum infamant (1) animas (*a*); si pueros in eloquium oraculi elidunt (2) (*b*), si multa miracula circulatoriis præstigiis ludunt, si et somnia immittunt habentes semel invitatorum angelorum et dæmonum assistentem (*c*) sibi potestatem, per quos et capræ et mensæ divinare (*d*) consueverunt; quanto magis illa potestas de suo arbitrio et pro suo negotio studeat totis viribus operari, quod alienæ præstat negotiationi? Aut si eadem et angeli et dæmones operantur, quæ et dii vestri; ubi est ergo præcellentia divinitatis, quæ utique superior omni potestate credenda est (3)? Non ergo dignius præsumetur, ipsos esse qui se deos faciant, cum eadem edant quæ faciant deos credi, quam pares angelis et dæmonibus deos esse? Locorum differentia distinguitur, opinor, ut a templis deos æstimetis (*e*) (4), quos alibi deos non dicitis; ut aliter dementire (*f*) videatur, qui sacras turres (*g*) pervolat, aliter qui tecta viciniæ transilit; et alia vis

LECTIONES VARIANTES.

(1) Inclamant *Franeq.*

(2) *Ita codd. Fuld., Luqd. et Herald. edd. Rig., Hav., Seml. et Ritteri. Reliqui omnes* : inclamant — eliciunt.

(3) *Sic cod. Fuld., cæteri* : quam utique superiorem — credendum est.

(4) *Wouwer. e ms. et Havere.* distinguit; *cod. Fuld.* distinguit, opinor, ut in templis, etc. *Latinius et Rigalt.* æstimetis, *cæteri* : existimetis.

COMMENTARIUS.

illis: *Horum de numero curant singuli, ut est cuique tributa provincia, vel somniis confirmandis, vel extis fissiculandis, vel præpetibus gubernandis, vel vatibus inspirandis, vel fulminibus jaculandis, cæterisque adeo, per quæ futura prænoscimus.* Hav.

(a) *Defunctorum infamant animas.* Pulcherrima lectio quam ex Cod. Fuld. repræsentavit Rig. laudante etiam Junio. Ego cum ipsam in MS. L. B. quoque deprehendi, ut et Herald. in suis. Ipse Ad Nation. I. 5. *qui superficie vocabuli infamant veritatem.* et II. 7. *sepulcris Regum vestrorum cœlum infamatis.* Nec cum Pam. aliisque *inclamant* mallem. Illud enim est *infamare* animas defunctorum, quando fortium et præstantium virorum umbræ ad libitum impurissimæ veneficæ excitantur, vel excitari simulantur; nam nihil sunt nisi meræ nugæ et fallaciæ. Hinc justa fingitur indignatio Samuelis Saulum increpantis, *cur commovisti me, excitari me faciens?* I. Sam. XXVIII. 15. Apud Eunapium Sardianum legas in Vita Ædesii, Jamblicum, Apollinem exciente quodam Ægyptio, eoque apparente, attonitis viso præsentibus, dixisse: *Desinite, sodales mei, mirari; est enim gladiatoris, qui singulari certamine interiit, spectrum.* Nec plausibilior merces a maga Thessala proponitur excitato cadaveri in gratiam Sexti Pompeii, quam nulli unquam simili infamationi obnoxium fore, apud Lucan. l. VI. 762.

Die, inquit Thessala, magna,
Quod jubeo mercede mihi: nam vera locutum
Immunem toto mundi præstabimus ævo
Artibus Hæmoniis: tali tua membra sepulcro,
Talibus exuram Stygio cum carmine sylvis,
Ut nullos cantata magos exaudiet umbra.
Sit tanti vixisse iterum: nec verba, nec herbæ
Audebunt longæ somnum tibi solvere lethes
A me morte data.

(b) *In eloquium oraculi elidunt.* Et hæc Junii Cod. Fuld. MSS. Herald. L. B. et Rig. lectio est, verissima; alii *eliciunt.* Junius de sacrificiis puerorum, quæ divinatio *βρεφομαντεία* vel pædomantia dicebatur. Vide Elmenhorst. ad Gennad. p. 195 et 210. et Bonifacium lib. VIII. Hist. Ludicræ cap. 21. La Cerda, Herald. et Rig. ad vaticinantis morem ut corrueret referunt. Utrumque verum. Lucan., ibid. versu 554. in magiæ cultu agnoscit.

Nec refugit cædes, vivum si sacra cruorem,
Extaque funereæ poscunt trepidantia mensæ.

Efficax itaque oratio qua Deos Inferos debitum suum agnoscere vult maga versu 707.

Si nunquam hæc carmina fibris
Humanis jejuna cano, si pectora plena
Sæpe dedi, et lavi calido prosecta cerebro:
Si quis, qui vestris caput extaque lancibus insans
Imposuit, victurus erat, parete precanti.

Posterius tamen hoc loco magis convenire puto quomodo apud eumdem poetam lib. I. 695. matrona Romana vaticinari desinens

Lasso jacuit deserta furore.

lege ex MSS. *deserta furore. Elidere* vero est spiritum suffocare. Lactantius seu Luctatius Placidus in Epitoma Metam. Ovid. lib. VII. cap. 2. *ut Æsonem senectute elisum in adolescentiam reduceret.* Flavius Vopiscus tensis membris fieri dicit in Floriano: *Fanaticus quidam in templo Sylvani tensis membris exclamavit.* Hav.

(c) *Assistentem s. p.* De Chaldæis Diog. Laert. in Proœmio: Ἀσκεῖν τε καὶ μαντικὴν καὶ προρρησιν καὶ αὐτοῖς Θεοὺς ἐμφανιζεσθαι λέγοντα,; i. e. *Divinationem præterea prædictionemque exercere, sibi Deos apparere asserentes.* Hav.

(d) *Capræ et mensæ.* Capras primum oraculum fecisse Delphis scribit Diodorus lib. 16. mensæ etiam ad eamdem divinationem ascitæ sunt a gentilibus, et opera dæmonum locutæ. Virg. 2. Æneid.

Huc undique Troia gaza
Incensis erepta adytis, mensæque deorum

(e) *Distinguit opinor: ut a templis,* Ita præclare ex MS. Wouwerius, probante La Cerda. Ita etiam MS. Fuldanum, nisi quod ibi *in templis.* Rig. non secutum miror. Collatio Scriveriana non multum abit, *distinguit* [*ut opinor*] *a templis.* quomodo reponendum esset. *I. d. distinguit ut opinor, a templis Deos existimatis,* etc. Possis etiam legere *distingui opinor.* Sed Wouwerianam ob sequentia magis probo. Vulgati *distinguitur* (*opinor*) *ut a t.* Minucii, p. 30, locus est, quem huic conferunt: *Hi sunt et furentes, quos in publicum videtis excurrere, vates et ipsi absque templo, sic insaniunt,* etc. Quem locum Heraldus non intellexit, quod dum fatetur, depravat, legens: *vates et ipsi ipso in templo.* Error inde quod male distinxerit. Sed procul dubio respexit Tertullianus (quem passim sequitur Minucius) facetum Luciani sui jocum, apud quem in Jove Tragœdo miser Apollo provocatus a Momo, ut quoniam summus haberetur vates, jam tum in concilio Deorum prædiceret quisnam ex Sophistis de Diis et Deorum cultu disputantibus victor foret, nihil habet quod respondeat, quam ridiculum illud: Πῶς, ὦ Μῶμε, δυνατὸν ποιεῖν ταῦτα, μήτε τρίποδος ἡμῖν παρόντος, μήτε θυμιαμάτων, ἢ πηγῆς μαντικῆς, οἵα ἡ Κασταλία ἐστιν; i. e. *Qui hoc ullo pacto fieri possit, Momе, neque præsente nobis tripode, neque thymiamatis, nec fonte augurali, qualis est Castalia.* Hav.

(f) *Dementire.* Ita ex Cod. Fuld. Rig. quod et Pam. et alii amplexi sunt. Ita ego in MS. L. inveni. Barr. et Ald. Rh. *dementare*, Gloss. Lat. Gr. *dementat ἐξίστησιν. ἰδιωτικῶς.* Unde apud posteriores Latinos *dementatus et dementator* pro mente alienato, et illo qui mentem alicujus pervertit. Videtur enim magis significare vim alteri illatam. *Dementire* est insanire. De Anima, c. XVIII. *Nam cum et dementit homo, dementit anima.* Imo ipse Lucretius, III, 464.

Quin etiam morbis in corporis avius errat
Sæpe animus, dementit enim deliraque fatur.

Ita omnes fere MSS. etiam Voss. Lugd. Bat. nec debuit tentare Lambinus substituendo *dementat.* Hav.

(g) *Qui sacras turres,* etc. Huc refero saltum e saxo

Digitized by Google

pronuntietur in eo qui genitalia vel lacertos, alia in eo qui sibi gulam prosecat. Compar exitus furoris, et una ratio est instigationis. Sed hactenus verba, jam hinc demonstratio rei ipsius, qua ostendemus unam esse utriusque nominis qualitatem. Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem dæmone agi constet. Jussus a quolibet christiano loqui spiritus ille, tam se dæmonem confitebitur de vero, quam alibi deum de falso. Æque producatur aliquis ex iis, qui de Deo pati existimantur, qui aris inhalantes numen de nidore concipiunt, qui ructando curantur (1), qui anhelando (*a*) profantur. Ista ipsa Virgo Cœlestis (*b*) pluviarum pollicitatrix, iste ipse Æsculapius medicinarum demonstrator alia die morituris (*c*) Socordio et Thanatio et Asclepiodoto vitæ sumministrator : nisi se dæmones confessi fuerint, christiano mentiri non audentes, ibidem illius christiani procacissimi sanguinem fundite. Quid isto opere manifestius? quid hac probatione fidelius? simplicitas veritatis in medio est; virtus illi sua assistit; nihil suspicari licebit. Magia aut aliqua ejusmodi fallacia fieri dicetis (2), si oculi vestri et aures permiserint vobis. Quid autem inniti potest adversus id, quod ostenditur nuda sinceritate? Si altera parte (3) vere dei sunt, cur sese dæmonia mentiuntur? an ut nobis obsequantur? Jam ergo subjecta est Christianis divinitas vestra; nec utique divinitas deputanda est, quæ subdita est homini, et si quid ad dedecus facit, æmulis suis. Si altera parte dæmones sunt vel angeli, cur se alibi pro diis agere respondent? Nam sicut illi, qui dii habentur (4), dæmones se dicere noluissent, si vere dii essent, scilicet, ne de majestate se deponerent : ita et isti, quos directo dæmones nostis, non auderent alibi pro diis agere, si aliqui omnino dii essent, quorum nominibus utuntur; vererentur enim abuti majestate superiorum (5) sine dubio et timendorum. Adeo nulla est divinitas ista quam tenetis, quia si esset, neque a dæmoniis affectaretur (6), neque a diis negaretur. Cum ergo utraque pars concurrit in confessionem, deos esse negans, agnoscite unum genus esse, id est dæmonas. Verum utrobique (7) jam deos quærite; quos enim præsumpseratis, dæmonas esse cognoscitis. Eadem vero opera nostra ab eisdem diis vestris non tantum hoc detegentibus, quod neque ipsi dii (8) sint neque ulli alii, (9) etiam illud in continenti cognoscitis, qui sit vere deus, et an ille, et an unicus, quem christiani profitemur, et an ita credendus colendusque, ut fides, ut disciplina disposita est Christianorum. Dicent ibidem : ecquis ille Christus cum sua fabula?

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Ita codd. omnes; Rig. emend.* conantur, *Hav.* curvantur, *Nescio an scribendum sit* : occupantur vel occursant.

(2) *Rhen. aliique* : licebit, magica — fieri. Dictis non stetis, si, etc. *Rig. et Hav. receperunt scripturam cod. Fuld.; cod. Bongarsii* : magia — fieri dictis. Non dicetis, si, etc., *codd. Pul., Lugd. et Agob.* fieri dicitis. Non dicetis, si, etc.

(3) *MS. Lugd. Bat.* naturæ, *unde Haverc. suspicatur* natura *vel*, vere natura.

(4) Dici *Par.*

(5) Majestatem superiorem *Fran.*; majestate superiore *Paris.*

(6) *Rhenan. aliique* : affectaretur in confessione, etc., *quæ duo vv. interpretationis causa adscripta deleverunt Rig. et Hav.*

(7) *Fr. Junius, Hav., Seml. et Rittershus. distinguunt* : dæmonas, verum, utrobique. Jam Deos, etc.

(8) Sunt *Parisin.*

(9) Sed *add. Par.*

COMMENTARIUS.

Leucadis prope delubrum Apollinis, quo ab amore liberari creditii sunt amatores, quasi non idem quodvis saxum præstaret mortem pro vita retribuens. Ovidius in Sapphus epist.

Hanc legem locus ille tenet : pete protinus altam
Leucada, nec saxo desiluisse time.

Nec multum differt stultitia Heliogabali, de quo Lampridius : *Paraverat igitur funes blatta et serico et cocco intortos, quibus si necesse esset laqueo vitam finiret. Paraverat et gladios aureos, quibus se occideret, si aliqua vis urgeret. Paraverat et in cerauneis et hyacinthis et in smaragdis venena, quibus se interimeret si quid gravius immineret. Fecerat et altissimam turrim, substratis aureis gemmatisque ante tabulis, ex qua se præcipitaret, dicens, etiam mortem suam pretiosam esse debere et ad speciem luxuriæ, ut diceretur nemo sic periisse.* Hav.

(a) *Anhelando profantur.* Id non fiebat sine confuvocis et valentissione simo anhelitu. Lucan., v. 148.

Sub pectore ficta quieto
Verba refert, nullo confusæ murmure vocis
Instinctam sacro mentem testata furore.

Et mox :

Non rupta trementi
Verba sono, non vox antri complere capacis
Sufficiens spatium, etc.

Adde versum 170 et sequentes. Sed non possunt hæc melius disci quam ex Donati nota ad Terentii Phormionem IV, scena IV, ad illa : *Interdixit ariolus.* Ibi vetustissimus ille et optimus Interpres : *Hariolus est, qui divina mente vaticinatur. Dictus hariolus, quasi fariolus, a fatis et a fando, quum F pro H, et item H pro F in multis locutionibus ponatur. An quod imitantur aspirationem in exhalando? nam halitu solent excludere velut mortalem animam, ut divinam recipiant, unde et vocem ejusmodi dabant, quæ est O E, quod Œ sonus exhalandi vim præstat.* Hav.

(b) *Virgo Cœlestis.* Intelligit Junonem, Carthaginensium Numen primarium, de quo nos supra ad cap. XII, et præclare etiam disputat la Cerda ad cap. sequens, docens virginem illam appellari, et non absurde pluviarum hic mentionem conjungi, quæ ex aere descendunt. Hinc certe Orpheus in hymno ad illam :

Ὄμβρων μὲν διερῶν, ἀνέμων τροφέ, παντογένεθλε.
Nimborum mater, ventorumque omnigenitrix.

At Junonem Virginem fabulosa antiquitas haud conticuit, testis mihi Pausanias in Corinthiacis in fine : Καὶ πηγὴ Κάναθος καλουμένη· ἐνταῦθα τὴν Ἥραν φασὶν Ἀργεῖοι κατὰ ἔτος λουμένην παρθένον γίνεσθαι· οὗτος μὲν δὴ σφίσιν ἐκ τελετῆς ἦν ἄγουσι τῇ Ἥρᾳ, λόγος τῶν ἀπορρήτων ἐστίν, i. e. *Et fons cui nomen Canathus. In eo fonte vulgo apud Argivos proditum, Junonem, ubi quotannis laverit, denuo virginem fieri. Manavit hic sermo ab arcanis initiorum, quæ Junoni solenni ritu fiunt.* Cod. Ald. *vox cœlestis* pessime, ut et Rhen. *vis cœlestis.* Hav.

(c) *Alia die morituris.* Ita præclare restituit Rig. ex MS. Fuld. qui habet *alia die moriturus*, ut et MSS. Herald. in quibus *morituris.* Ridet enim istam vitæ

Digitized by Google

si homo communis conditionis, si magus, si post mortem (1) de sepulcro a discipulis subreptus, si nunc denique penes inferos, si non in cœlis potius (2), et inde venturus cum totius mundi motu, cum horrore orbis, cum planctu omnium, sed non Christianorum (3), ut Dei Virtus et Dei Spiritus et Sermo et Sapientia et Ratio et Dei Filius. Quodcumque ridetis, rideant et illi vobiscum; negent Christum omnem ab ævo animam restituto corpore judicaturum. Dicant hoc pro tribunali, si forte, Minoen et Rhadamanthum (*a*) secundum consensum (4) Platonis et poetarum esse sortitos; suæ saltem ignominiæ et damnationis notam refutent: renuant se immundos spiritus esse, quod vel ex pabulis eorum sanguine et fumo et putidis rogis pecorum (*b*) et impuratissimis linguis ipsorum vatum intelligi debuit; renuant (5) ob malitiam prædamnatos se in eumdem judicii diem cum omnibus cultoribus et operatoribus (6) suis. Atqui omnis hæc nostra in illos dominatio et potestas de nominatione Christi valet (*c*), et de commemoratione eorum, quæ sibi a Deo per arbitrum Christum imminentia exspectant. Christum timentes in Deo, et Deum in Christo, subjiciuntur servis Dei et Christi. Ita de contactu deque afflatu nostro contemplatione et repræsentatione ignis illius correpti, etiam de corporibus nostro imperio excedunt inviti et dolentes, et vobis præsentibus erubescentes. Credite illis, cum verum (7) de se loquuntur, qui mentientibus creditis. Nemo ad suum dedecus mentitur, quin potius ad honorem. Magis fides (8) prona est adversus semetipsos confitentes, quam pro semetipsis negantes. Hæc denique testimonia deorum vestrorum christianos facere consueverunt, quia plurimum illis credendo Christo domino credimus (9). Ipsi litterarum nostrarum fidem accendunt, ipsi spei nostræ fidentiam ædificant. At colitis illos, quod sciam, etiam de sanguine christianorum. Nollent itaque vos tam fructuosos, tam officiosos sibi amittere, vel ne a vobis quandoque christianis (10) fugentur, (*d*) si illis sub christiano, volente vobis veritatem probare, mentiri liceret.

CAPUT XXIV.

ARGUMENTUM. — *Falsum itaque esse crimen irreligiositatis, et ad Romanos potius quam Christianos pertinere, quos vel ex hac subjectione dæmonum pateat, majorem illis et sublimiorem Deum colere; adeoque vel libertatem saltem religionis illis esse relinquendam, quæ cum aliis detur, tum nec ipsis Ægyptiis negetur. Sed apud illos quidvis coli licere præter Deum verum.*

Omnis ista confessio illorum, qua se deos negant esse, quaque non alium deum respondent præter unum, cui nos mancipamur, satis idonea est ad depellendum crimen læsæ publicæ et maxime romanæ religionis (*e*) (11). Si enim non sunt dei pro certo, nec religio pro certo est; si religio non est, quia nec Dei pro certo, nec nos pro certo rei sumus læsæ religionis. At e contrario in vos exprobatio resultabit (12), qui mendacium colentes, veram religionem veri dei non modo negligendo, quin insuper expugnando (13), in verum (14) committitis crimen veræ irreligiositatis. Nunc, ut constaret illos deos esse, nonne conceditis de æstimatione communi aliquem esse sublimiorem et potentiorem velut principem mundi, perfectæ potentiæ (15) et majestatis? Nam et sic plerique disponunt divinitatem, ut imperium summæ dominationis esse penes unum, officia ejus penes multos velint; ut

LECTIONES VARIANTES.

(1) Crucem *Haverc.*
(2) Ocius *Seml.*
(3) Si non *Fran.*
(4) Sensum *Paris.*
(5) Renuncient *Fran. Rig.*
(6) Codd. Put. et Lugd., Rhen., Ald. et Fr. Junius : operationibus.
(7) Verum *abesti Parsin.*
(8) Plena *la Cerda*, proxima *Haverc.*
(9) In Christo dominum *mavult Wouwer.*
(10) Quandoque christianis fugentur *Franeq.* fugarentur *Wouwer. e Cod.*
(11) *Sic Haverc. ex auctoritate cod. Fuld.*; *cæteri* : læsæ maxime R. rel.
(12) Resultavit, *Fran.* reista resultabit *V. Cod. Fuld.*
(13) Oppugando *Jun.*
(14) *Ita cod. Fuld., Rig. et Hav.*; *cod. Lugd.* : in vero; cæteri omnes : in Deum.
(15) Peritiæ *Fran.*

COMMENTARIUS.

largitionem, quæ tamen paulo post cum morte foret commutanda. Vulg. *alias demorituris.* Aldus tamen *alia demorituris*, ut et L. B. et Agob. ut pateat τὸ *die* excidisse. Sallustius Sullam in periculis imperterritum hoc modo argumentari ad Volocem facit, in Bello Jug. cap. CVI. *Etiamsi certa pestis adesset, mansurum potius, quam proditis quos ducebat, turpi fuga incerta, ac forsitan paulo post morbo interituræ vitæ parceret.* HAV.

(a) *Minoen et Radamanthum.* Poetis in hoc consentire Platonem in hæc verba recenset D. Just. Martyr. Apol. 2. Plato, inquit, Radamanthum et Minoen itidem injustos ad se venientes plexurum esse docuit, nos autem idipsum factum iri dicimus, sed a Christo. Addit. orat. pro Christianis Athenagoras : Nos autem sive Minos sive Radamanthus sit sive aliquis eorum pater, ne cum quidem ipsum effugiturum esse judicium Dei dicimus. PAM.

(b) *Putidis rogis pecorum.* Veterum contumeliis oneratos dæmonas notum est. Sulpitius de S. Martino. *Quid hic*, inquit, *adstas, cruenta bestia? Nihil in me, funeste, reperies.* LAC.

(c) *Omnis hæc nostra in illos dominatio, et potestas de nominatione Christi valet.* Notabilis est in hanc sententiam Irenæi locus, lib. II. cap. 5. Domini nostri nomini, inquit, subjecta sunt omnia. Et propter hoc Judæi usque nunc hac ipsa advocatione dæmonas effugant. PAM.

(d) *Si illis.* Sensus obscurior, sed tamen hic est : credite illis, cum adjurati a nobis verum dicunt; si enim liceret illis mentiri, quando homo Christianus veritatem vobis probare vult, faceremt certe; ne vos tam fructuosos sibi amitterent, imo ne a vobis ipsis, olim forte Christianis, ab aliqua possessione sua deturbarentur. HAV.

CAP. XXIV. — (c) *Læsæ publicæ et maximæ Rom. r.* Mirum non advertisse hanc lectionem Rigaltium aliosve, sed edidisse *læsæ maxime Rom. r.* Tria enim diluit : crimen primo læsæ religionis, quam Gentes passim observant, tum imprimis Romanæ, quæ certe distabat a cynocephalis et inquinamentis Ægyptiorum, licet nonnunquam etiam Romæ receptis. Tertio titulum læsæ augustioris majestatis Cæsaris sc. de quo c. XXVIII, cui et Gentium et Romanorum Dii subjecti. Debemus

Digitized by Google

Plato Jovem magnum (*a*) in cœlo comitatum exercitu describit deorum pariter et dæmonum. Itaque oportere et procurantes et præfectos et præsides pariter suscipi (1). Et tamen quod facinus admittit, qui magis ad Cæsarem promerendum et operam et spem suam transfert, nec appellationem dei ita ut imperatoris in alio quam principe confitetur, cum capitale esse judicetur alium præter Cæsarem et dicere et audire? Colat alius Deum, alius Jovem, alius ad cœlum (*b*) supplices manus tendat, alius ad aram Fidei, alius, si hoc putatis, nubes numeret orans (*c*), A alius lacunaria (*d*), alius suam animam (*e*) deo suo voveat, alius hirci (*f*). Videte enim ne et hoc ad irreligiositatis elogium concurrat (2), adimere libertatem religionis et interdicere optionem divinitatis, ut non liceat mihi colere quem velim, sed cogar colere quem nolim. Nemo se ab invito coli volet (3), ne homo quidem; atque adeo et Ægyptiis permissa est tam vanæ superstitionis potestas, avibus et bestiis consecrandis, et capite damnandis qui aliquem hujusmodi deum occiderint. Unicuique etiam provinciæ et civitati suus deus est, ut Syriæ Atagartis (*g*), ut Arabiæ

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Rhen. aliique* suscipi.
(2) Excurrat *MS. L. B.*
B (3) Vellet *Fran.*

COMMENTARIUS.

hanc et plurimas lectiones Cod. Fuld. in quo *læsæ publice et maximæ R. r.* Sed notum in MSS., compluribus diphthongos non ita accurate notari. Hav.

(*a*) *Pluto.* Quem respicere puto Lucianum in Icaromenippo p. 277. Οἱ δὲ ἔμπαλιν ἐπιδαψιλευόμενοι, πολλούς τε αὐτοὺς ἀπέφαινον, καὶ διελόμενοι, τὸν μὲν τινα πρῶτον θεὸν ἐπεκάλουν, τοῖς δὲ τὰ δεύτερα, καὶ τρίτα ἕνεμον τῆς θεότητος; i. e. *E diverso alii liberaliores, multos deos faciebant: quibus divisis, hunc quidem primum deum nuncupabant: illis secundas aut tertias divinitatis partes tribuebant.* Quos ad triginta millia multiplicavit Hesiodus:

Τρὶς γὰρ μύριοί εἰσιν ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ
Ἀθάνατοι Ζηνὸς φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.

Ut non immerito *certos* atque *incertos* prodiderit Varro, et ex illo Prosper Aquit. Prom. et Prædict. III, C 38. At quorsum illi? cum jam Socrates pronuntiaverit non indigere Deum illis nec eorum οἰκείας λειτουργίας, *propriis cujusque officiis*, ut ex ipso Platone notavit Theodoretus, Gr. Aff. Cur. p. 110. Hav. — *Plato Jovem Magnum.* Hunc Platonis locum sic recenset Athenag. Magnus ille dux in cœlo Jupiter, volucrem reperis currum [quæ ipsa verba citat orat. ad gent D. Just.] exornans, orans, et curans omnia. Hunc autem consequitur exercitus Deorum atque Dæmonum. Illud vero, inquit, non ad eum qui Saturni filius esse dicitur, pertinet Jovem; nomine namque ipso conditor rerum universarum designatur: Declarat id ipse Plato. Nam cum non [sic lego] haberet aliud quo eum significanter appellaret, vulgari et usitato, minime autem proprio Dei nomine; evidentioris designationis gratia est usus; adjecta insuper verbo *Magnus*, ut discerneret cœlestem a terreno, ingenituma genito. Paucis idem repetitur ab Arnobio lib. I. adv. gentes, vel ex appellatione qua Jupiter D Opt. Max. dicitur et habetur. Pam.

(*b*) *Ad cœlum.* Demonax apud Lucianum, invitatus ab amico adesset illi ad fanum Æsculapii pro filii salute oraturo, πάνυ, ἔφη, κωφὸν ἡγῇ τὸν Ἀσκληπιὸν, εἰ μὴ δύναται κἀντεῦθεν ἡμῶν εὐχομένων ἀκούειν. *Valde surdum deum narras, inquit, si etiam hic nos non audiat.* Hav.

(*c*) *Alius nubes numeret orans.* Christiani plerumque conveniebant in areis, ibique orantes cœlum suspiciebant absque aris, absque statuis; eos igitur ethnici deridebant, quasi nubes orando numerarent, idcirco Tertullianus absurditatem absurditate alia refellit. Nos, inquit, nubes numeramus, vos lacunaria templorum nempe, sive Capitoliorum. Sic ipse I. pag. 37. Cœlum apud Capitolium quæritis, nubila de laqueribus exspectatis. Pam.

(*d*) *Alius lacunaria.* Pertinet ad gentiles, apud quos deaurata erant templorum laquearia. Vide Lips. lib. III, de Magn. Rom. cap. 5. Meurs. de Luxu cap. XII, et Ryck. de Capitolio p. 200, et in quos repercutit id quod christianis et Judæis objiciebant nubes numerare. Ipsi enim illi sacrificantes in Capitolio manibus non tantum sursum levatis, sed et pedum digitis insistentes arrecti stabant, quasi lacunaria numerarent. Martialis de Æthonte l. XII, ep. 78.

Multis dum precibus Jovem salutat,
Stans summos resupinus usque in ungues,
Æthon in Capitolio pependit. Hav..

(*e*) *Alius suam animam.* Prosper in lib. Epigr.

Quid voveat Domino, quisquis bene corde volutat,
Ipsum se totum præparet et voveat,
Major enim offerri nequit hostia mentis in ara,
Nec Christi ex templo suavior exit odor.

Expressit illud Augustini: *Quisquis bene cogitat, quid Deo voveat, et quæ vota persolvat, se ipsum voveat et reddat. Hoc exigitur, hoc jubetur: imago Cæsaris reddatur Cæsari: imago Dei reddatur Deo.* At vero, ut pulchre Philo Judæus ait in libello, Quod Deter. Pot. Insidi, etc. Πεπλάνηται καὶ οὗτος πρὸς ἀσέβειαν ὁδοῦ, etc.; i. e. *Aberravit ille a vita pietatis, in ceremoniis sanctitatem collocans, et dona dans ei, qui his non capitur, nec unquam alia accipit, et adulans ei, cui palpari non potest, quia cultu vero delectatur, cum anima solum et unicum sacrificium offert, nempe veritatem: adulterinum autem aversatur, quales sunt ostentationes opum externarum.* Hav.

(*f*) *Alius hirci.* Fuld. *alius hircum.* Respicit sacrificia. De Idolol. c. VI, sed alio sensu: *Colis autem non spiritu vilissimi nidoris alicujus, sed tuo proprio: nec anima pecudis impensa, sed anima tua.* Solebat autem hircus vel caper cum Pani, tum Baccho immolari. Notus in vastantem vineas Domitianum versiculus apud Suetonium cap. XIV.

Κήν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω,
Ὅσσον ἐπὶ σπείσαι Καίσαρι θυομένῳ,

Quasi dicas latine:

Rode, caper, vitem, tamen hinc cum stabis ad aram,
In tua quod fundi cornua possit, erit.

Gemmæ rem declarant, quarum una ex Choulio, altera ex Gorlæo mutuata. Dact. I, 21.

(*g*) *Syriæ Atargatis.* Ita restitui ex Cod. Fuld. optimo, qui habet *Adargatis.* Cui lectioni accedit testimonium ex lib. II. ad Nation. c. 8. *Quanti sunt qui norunt visum vel auditum et Argatim* [leg. *Atargatim*] *Syrorum: Cœlestem Afrorum*, ut recte ibidem, et ex illo hunc locum emendat Gothofredus. Varia enim nomina sortita erat hæc Dea. Strabo in fine lib. XVI. Αἱ δὲ τῶν ὀνομάτων μεταπτώσεις, καὶ μάλιστα τῶν βαρβαρικῶν πολλαί· καθάπερ τὸν Δαρεικὸν Δαρεῖον ἐκάλεσαν, τὸν δὲ Φάρζειρι Παρύσατιν, Ἀταργατὶν δὲ τὴν Ἀθάραν [Ἀθάραν corrigit Casaub. ad Athenæi lib. VIII, c. 8], Δερκετὼ δὲ αὐτὴν Κτησίας καλεῖ; i. e. *Nominum enim mutationes permultæ sunt, præsertim Barburorum, quemadmodum Dariacem Darium, Pharzirim vero Parysatim, Atargatam Atharam dixerunt: quam Ctesias Derceto vocavit.* Vocatur et *Derceto*, seu *Dercetis* ab Ovid. Metam. IV. 45. et Plinio Nat. Hist. v. 13. et apud Hyginum mater Semiramidis nomine hoc vocatur Fab. CCXXIII, *quem fecit Semiramis Dercetis filia.* Illa vero Deo Atar-

Digitized by Google

Dusares (*a*), ut Noricis Belenus (*b*), ut Africæ Cœlestis (*c*), ut Mauritaniæ Reguli sui (*d*). Romanas, ut opinor, provincias edidi, nec tamen romanos deos eatis isto nomine præcipue colebatur in urbe Syriæ Bambyca. Strabo lib. XVI. Ὑπέρκειται δὲ τοῦ ποταμοῦ, σχοίνους τέτταρας διέχουσα ἡ Βαμβύκη, ἣν καὶ Ἔδεσσαν καὶ Ἱεραν πόλιν καλοῦσιν· ἐν ᾗ τιμῶσι τὴν Συρίαν θεὸν τὴν Ἀταργατιν; i. e. *Quatuor schœnorum spatio trans flumen est Bambyca, quam Edessam et Hierapolim quoque, id est sacram urbem vocant. In ea Atargatim Syriam Deam colunt.* Quæ lepidam fabellam esurientibus Græculis præbuit apud Athenæum l. VIII, c. 8. Ὅτι Γάτις ἡ τῶν Σύρων βασίλισσα οὕτως ἦν ὀψοφάγος, ὥστε κηρύξαι ἅτερ Γάτιδος μηδένα ἰχθὺν ἐσθίειν, ὑπ' ἀγοιίας δὲ τοὺς πολλοὺς αὐτὴν μὲν Ἀτέργατιν ὀνομάζειν, ἰχθύων δὲ ἀπέχεσθαι; i. e. *Gatin reginam Syrorum in tantum obsoniorum avidam fuisse, ut edicto per præconem vetuerit, piscibus, ἄτερ Γάτιδος; i. e. præter Gatidem quemquam vesci: rerumque ignoratione multos et illam Atergatim vocavisse, et a piscibus abstinuisse.* Adde Lucianum de Dea Syria p. 884. De Astarte vero et illis numinibus quæ sequuntur consule hoc loco Junium et la Cerdam, ex quo pleraque interpretes Minuciani, et Pithœum i. Subsiciv. c 3 et 4. Floridum Sabinus Subsiciv. n. 7. scaligerum de emendatione temporum in Fragmentis, p. 27. Kippingium in Antiqu. Rom. l. 1, c. 6, et in primis Seldenum de Dis Syris. Vulgatæ editiones sic habent *Syriæ Astartes.* Ald. *Astartis.* Hav.

(a) *Dusares.* Ita scribe cum Fuld. qui *Duzares.* nam duo numina Arabes in primis coluisse videntur *Obodan* et *Dussarem*, ut recte observat Gothofredus ita emendans *Obodanedussirem* quod in lib. ad Nationes occurrit, pariterque ostendens ex Hesychio Dusarem esse Bacchum. Barr. et Rhen. *Diasares.* Vulg. *Disares.* Hav.

(b) *Noricis Belenus.* Male Ald. *Norico Tibelenus* et Pamel. *Norici Belenus.* Sed scribendum forte *Norico Belenus*, ut conveniat cum reliquis. Hujus Dei mentio sæpe in Inscriptionibus occurrit apud Gruterum et Reinesium, qui postremus ad inscriptionem 51 lib. I. notat Noricis tribui a Tertulliano, quod in confinio Norici et Illyrici essent in agro Carnorum, Venetorum pars et æmuli quondam, hodie subditi, Aquileienses. Erat enim hoc tutelare numen Aquileiæ urbis, quod cum clarissime pateat ex Capitolini loco in Maximinis, quem adducunt interpretes, tum etiam ex inscriptionibus ibidem repertis, quas cum Deo suo Beleno examinat et explicat ibidem doctissimus Reinesius. Cui suo merito addi debet Jac. Nicol. Loensis, qui ex ruinis Aquileiensibus plurimas inscriptiones congessit et de Beleno, Noricis et Aquilejensibus disserit copiose Miscell. Epiphillid. l. V. c. 15. quemque Lampasi suæ Criticæ inseruit laboriosissimus antiquitatis vindex Gruterus in supplemento tomi quinti. Præterea Scaliger Lection. Auson. lib. I. cap. 10. Le Moyne Notis ad Varia Sacra p. 622. et denique Philippus a Turre in Monumentis veteris Antii. Hav.

(c) *Africæ Cœlestis.* Nec hujus Deæ silentium est apud scriptores. Erat vero Juno, Carthaginis tutelare numen. Vidæ quæ supra notavimus ad c. XII. et XXIII. De qua variæ etiam inscriptiones occurrunt apud Gruterum et Reinesium, etiam Loensis ille modo laudatus pulcherrimum caput coegit, compilatus a posterioribus scriptoribus, lib. VII. c. 13. Existantque in gemmis Gorl. II. 566. et nummis monumenta. Hujus meminit etiam Prosper Aquitanus de Promissionib. et Prædictionib. l. III. c. 38. memorabile ejus templum describens, et mirandam rem quam ipse oculis suis usurpavit. Locum integrum, utpote legi dignissimum nec ab Interpretibus Tertulliani animadversum adscribere haud gravabor. *Apud*

per ipsam quoque Italiam municipali consecratione censentur : Casiniensium Delventinus (1), Narnien-

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Hæc est scriptura cod. Fuldensis, quam probavit Havercampus. Nam pro* Casiniensium *alii* : Casianensium, Casianentium, Crustuminiensium, — *pro* Delv. *al.* Belventinus, — *pro* Narn. Vis. *al.* Narnensium Viridianus. — *pro* Æsc. *al.* Asculanorum (*Reinesius conj.* Fæsulanorum) — *pro* Nortia *al.* Norsia, Norcia, Nursia, Nurscia, Nersia, — *pro* Ocric. *al.* Otriculanorum, Cericulanorum, — *pro* Sutr. Hostia *al.* Sutr. Nortia.

COMMENTARIUS.

Africam, Carthagini cœlestis inesse ferebant templum, nimis amplum, omnium Deorum suorum ædibus vallatum. Cujus platea lithostrata, pavimento ac pretiosis columnis et mœnibus decorata; prope in duobus fere millibus passuum protendebatur. Cum diutius clausum incuria, spinosa virgulta circumseptum obruerent, velletque populus christianus usui veræ religionis vindicare, dracones aspidesque illic esse ob custodiam templi, gentilis populus clamitabat. Quo magis christiani fervore succensi, ea facile omnia amoverunt illæsi, quo templum suo vero cœlesti Regi et Domino consecrarent. Nam cum sanctam Paschæ solemnis ageretur festivitas, collecta illic, et undique omni curiositate etiam adveniens multitudo sacerdotum multorum, pater et dignæ memoriæ nominandus antistes Aurelius, cœlestis jam patriæ civis, cathedram illic loco cœlestis et habuit et sedit. Ipse tunc aderam cum sociis et amicis, atque [*ut se adolescentium ætas impatiens circumquaque vertebat*] *dum curiosi singula, quæque pro magnitudine inspicimus, mirum quoddam et incredibile nostro se ingessit aspectui, titulus æneis grandioribusque litteris in frontispicio templi conscriptus : Aurelius pontifex dedicavit. Hunc legentes populi mirabantur. Præsago tunc spiritu acta, quæ præscius Dei ordo certo isto fine concluserat. Cumque a quodam pagano falsum vaticinium, velut ejusdem cœlestis proferretur, quo rursus et via et templa prisco sacrorum ritui redderentur, ille, inquam verus Deus, cujus prophetica vaticinia nesciunt omnino mentiri nec fallere, sub Constantio et Augusta Placidia, quorum nunc Filius Valentinus pius et christianus imperat, Urso insistente tribuno ; omnia illa ad solum usque perducta, agrum reliquit in sepulturam scilicet mortuorum : ipsamque viam, sine memoria sui, nunc Vandalica manus evertit ;* eamdem, Deam peplo ornari solitam docet Trebellius Pollio in Celso, qui inter tyrannos numeratur XXVIII. *Celsum Imperatorem appellaverunt, peplo Deæ Cœlestis ornatum.* Etiam apud Ammianum Asclepiades philosophus Deæ cœlestis imagunculam secum ubique tulisse dicitur, adeo ut inde cognosceretur. Nec dubium sane unde hujus cultus Carthagine invaluerit, cum nota sit omnibus Phœnicia Dido, atque ita diserte scribat Pausanias in Atticis. Πρώτοι δὲ ἀνθρώπων Ασσυρίοις, etc., i. e. *Primi omnium mortalium Assyrii Cœlestem coluerunt : a quibus Paphii in Cypro acceptum sacrorum ritum, cum Phœnicibus, qui in Palæstina Ascalonem urbem incolunt : Phœnices cum Cytheriis communicarunt,* in Atticis p. 14, ed Wech. 1583. Quæ licet ibi ut Venus celebretur, tamen nihil obstat, quo minus Junoni etiam suæ Afri applicaverint, nam ita *Cœlestis* et Juno et Luna et Venus vocantur. Lucianus in Dialogis Meretric. Dial. VII. Αν ἔτι τοιουτον ἐραστὴν εὕρωμεν, etc., i. e. *Ergo si talem amatorem posthac inveniamus, Musarium, qualis hic Chærea est, immolare oportebit nos, Publicæ quidem Veneri capram candidam, Cœlesti autem et ei quæ in Hortis est, juvencam utique.* Hav.

(d) *Mauritaniæ reguli sui.* Lactantius I. 15. *Hæc scilicet ratione Romani Cæsares suos consecraverunt, et Mauri reges suos,* et pauto post, *Mauri Jubam.* Cypriani similis locus est, sed utroque rotundior Minucius : *et Juba, volentibus Mauris, Deus est.* Huc refero Spartiani locum, ubi crudelitatem Imperatoris Severi notat : *Horum igitur tantorum ac tam illustrium virorum interfector, ab Afris ut Deus habetur.* Erat enim genere Afer, unde de illo Ausonius :

Punica origo illi, sed qui virtute probaret
Non obstare locum, cum valet ingenium Hav.

Digitized by Google

sium Visidianus, Æsculanorum (*a*) Ancharia, Volsiniensium Nortia (*b*), Ocriculanorum Valentia, Sutrinorum Hostia (*c*), Faliscorum in honorem patris (*d*) Curis, unde accepit cognomen, Juno. Sed nos soli arcemur a religionis proprietate. Lædimus Romanos, nec romani habemur, quia non Romanorum deum colimus. Bene, quod omnium Deus est, cujus velimus aut nolimus omnes sumus. Sed apud vos quodvis colere jus est, præter verum Deum, quasi non hic magis omnium sit Deus, cujus omnes sumus.

CAPUT XXV.

ARGUMENTUM.—*Immerito itaque magnitudinem Imperii Romanorum in tam immensum auctam pro merito religiositatis illorum in deos censeri, qui id illis conferre potuerint, adeoque soli dii sint. Cum tamen illi et ridiculi, et pudendi, vel etiam peregrini sint, qui (quod multo cum sale prosequitur) sua potius contra Romanos tutati fuissent, si qua illis vis inesset. Nonnullos quoque eorum deos reges fuisse dicit, quo tempore tamen homines, et illi ipsi reges, sine diis non fuerint: olim etiam paupere cultu dii haberentur; ut adeo non Romani ob Religiositatem magni, sed ob magnitudinem religiosi facti appareant. Quinimo non religiosos habendos, qui religiones lædendo facti sint magni, quandoquidem cum populis etiam Deos eorum devicerint, illorumque templa vastarint, statuas dejecerint, sacra aboleverint; quum etiam illi populi non minus religiosi in Deos suos fuerint, qui tamen a Romanis devicti, in illorum imperii summam conflati sunt.*

Satis mihi quidem videor probasse de falsa et vera divinitate, cum demonstravi, quemadmodum probatio consistat, non modo disputationibus nec argumentationibus, sed ipsorum etiam testimoniis, quos deos creditis, ut nihil jam ad hanc causam sit retractandum. Quoniam tamen Romani nominis proprie mentio occurrit, non omittam congressionem, quam provocat illa præsumptio dicentium Romanos pro merito religiositatis (*e*) diligentissimæ in tantum su-

COMMENTARIUS.

(a) *Æsculanorum.* Nonnulli ut Rigalt. legunt *Asculanorum.* Sed aliter lib. Ad Nat. Ald. Herald. Rhen. et MS. L. B. Repone *Fæsulanorum*, ex emend. Reinesii. Fuit enim *Ancharia seu Ancaria* locale Etrusci hujus populi Numen, qui imaginem seu signum ejus colebat. Quod clarissime patet ex inscriptione inventa Fæsulis antiquo Etruriæ oppido, quæ collapsam vetustate seu alio casu imaginem Deæ civis nobilis privato sumptu restitutam dicit:

L. MAGILIUS L. F. PAVLLI
NVS VARISCUS. III. VIR
SIGNVM ANCHARIÆ
SVA PEC. RESTITV.
L. D. D. D.

publicavit Reines. in Inscript. l. II, Inscr. 23. Hujus Deæ numine afflatos, ejusve ministros fuisse appellatos *Ancarios* putat Turnebus Advers. l. XVII, c. 24. HAV.

(b) *Volsiniensium Nortia.* Ita malui scribere cum Cod. L. B. ut et Fuld. adstipulante MSS. Agob. *Norsia.* Put. *Norcia*, et clarius ipso Tertull. ad Nation. *Vulsiniensium Nortia.* quam ut Barr. Ald. Her. et Rig. *Nursia.* ut Pam. Rhen. Jun. et la Cerda *Nersia.* MSS. codices apud Livium et Juvenalem variant in *Nursia, Nortia* et *Nurscia*, sed clare inscriptio vetus Florentiæ reperta quam protulit Reinesius t. 131. *Nortiam* appellat:

MAGNÆ DEÆ
NORTIÆ.

Hoc certe peculiare numen Volsiniensium fuisse docet Livius, apud quem Cincius memorat in ejus templo *clavos indices numeri annorum fixos.* Et Juvenalis Sat. X.

Idem populus, si Nortia Tusco
Favisset, si oppressa foret secura senectus
Principis, hac ipsa Sejanum diceret hora
Augustum;

ut observavit Lipsius ad IV. Annal. Taciti, qui Sejanum *genitum Vulsiniis* tradit. HAV.

(c) *Sutrinorum Hostia.* Expressi scripturam Cod. Fuldani. Sunt enim nomina quædam tutelarium dearum Deorumque satis ignota nobis, quale hoc. Quomodo ipsa Juno Lucina forsan appellata fuit. Nam quidam secundum Isidorum lib. VIII, c. 11. *Junonem dicunt quasi janonem, i. e. januam, pro purgationibus fœminarum, eo quod quasi portas matrum natorum pandat, id est nubentium maritis.* Corrige: *naturæ vel natis pandat et nubentium maritis.* Sic *Hostiaria* vel *Hostia* vel simili vocabulo appellari potuit, quamvis id affirmare non ausim Vulgati *Sutrinorum Nortia.* Sed ego non puto Volsiniensium *Nursciam*, Sutrinorum *Nortiam* fuisse Deam cum variæ apud omnes auctores MSS. lectiones ostendant satis eamdem deam, nominis vero variam fuisse pronuntiationem. HAV.

(d) *In honorem Patris Curis et a. c. J.* Ita et hæc ipsa antiquitate fere obruta ex MSS. restituerunt Jun. et Rig. ita etiam Cod. Agob. Junius ex Put. legit, *in honore patris Curis, et a. c. J.* Sed melius adhuc forsan MS. Lugd. Bat. qui in his nominibus eximiam bonitatem suam ostendit. In eo ita scriptum inveni, *Faliscorum in honore Patris Curris et accepit cognomen Juno.* Passim enim in hoc scripto confundunt librarii *in honorem et in honore.* Apud illos quoque *Curris* pronuntiatum credo, quomodo et in textu scripsit Rigalt. licet in Notis edatur *Curis.* Nisi velis ita explicare cum Junio, apud Faliscos Juno honorem habet Patris Curis, imo et cognomen inde accepit. Rig. etiam Cod. Fuld. adjutus est, qui habet, *in honorem patris Chumis, et a. c. J.* Vulgati omnes: *in honore est pater Curis, unde a. c. J.* Sed satis patet Tertullianum innuere Junonem Faliscorum in honorem successisse Patris Curis [quo Jupiter nomine dictus putatur ut Curetum princeps] et simile nomen adeptam. Puto ego vocatam fuisse *Curitim*, quod clare docet Festus, quamvis aliam denominationis rationem addat carnifex ejus Paulus Diaconus. Is in lit. C. *Curitim Junonem appellabant, quia eamdem ferre hastam putabant.* De Diis tutelaribus et topicis consule etiam Jo. Alb. Fabric. Sciagr. p. 256. HAV.

CAP. XXV.—(a) *Religiositatis diligentissime.* Ita recte Rig. et alii ex MSS. etiam L. B. sic. Nonnulli ut et editi quidam *r. diligentissime.* Fuld. etiam *religionis*, quasi ita ad Deos potius referri debeat, qui inprimis Reip. Rom. curam gesserint. In lib. ad Nat. II, cap. 17. qui cum Augustino de *Civitate Dei*, IV. et Cypriano de Idolorum Vanitate conferri cum hoc capite debet, est *quod officiis religionum meruerint dominatum orbis.* Ipse hic mox repetit *religiositatis meritis deputare.* De religiositate Romanorum hac et ob hanc favore, ut putabant Deorum, exstat luculentum Ciceronis testimonium Orat. XXX de Haruspicum Resp. cap. 19. *Etenim quis est tam vecors, qui aut, cum suspexerit in cœlum, Deos esse non sentiat, et ea, quæ tanta mente fiunt, ut vix quisquam arte ulla ordinem rerum ac vicissitudinem persequi possit, casu fieri putet? aut, cum Deos esse intellexerit, non intelligat, eorum numine hoc tantum imperium esse natum, et auctum et retentum? Quam volumus licet, P. C. ipsi nos amemus: tamen nec numero Hispanos, nec robore Gal-*

Digitized by Google

blimitatis elatos, ut orbem occuparint (*a*), et adeo deos esse, ut præter cæteros floreant, qui illis officium præter cæteros faciant. Scilicet ista merces Romanis a diis (1) pro gratia expensa est, Sterculius, et Mutunus (2), et Larentina provexit imperium. Peregri-

A nos enim deos non putem extraneæ genti magis fautum (*b*) voluisse quam suæ, et patrium solum, in quo nati, adulti, nobilitati, sepultique sunt, transfretanis dedisse. Viderit Cybele, si urbem romanam ut memoriam Trojani generis adamavit, vernaculi sui scilicet

LECTIONES VARIANTES.

(1) Fr. Jun. Rig. et Hav. a Rom. diis; Cod. Fuld. Scil. ista merces Romano nomini a deis prærogativa exp. est.

(2) Al. Sterculus, Stercutius — Mutinus, Mucunius.

COMMENTARIUS.

los, nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos, nec denique hoc ipso hujus gentis ac terræ domestico nativaque sensu, Italos ipsos ac Latinos, sed pietate, ac religione atque hac una sapientia, quod Deorum immortalium numine omnia regi gubernarique perspeximus, omnes gentes nationesque superavimus. Hæc ut orator Cicero: Polybius vero superstitionem magis, ut erat, appellavit, addita politica hac excursione, lib. VI, cap. 54, quam Latinam dedisse sufficiat. *Sed*, inquit, B *nulla re æque præstare cæteris populis Romanos arbitror, ac opinione illa quam de Diis habent. Atque adeo, quæ res apud reliquos mortales vitio vertitur, ea ipsa continere Rom. Remp. mihi videtur: superstitionem dico. Nam, quod merito multi mirentur, usque eo apud hos superstitio in majus est exaggerata, et cum in privatam hominum vitam, tum in publica consilia est inducta, ut non queat magis, quod equidem multitudinis causa factum ab illis existimo. Enimvero si ex solis sapientibus constitui possit Respublica, esset fortasse totum illud genus non necessarium: nunc quum omnis multitudo sit levis, plena illicitarum cupiditatum, ira æstuet præcipiti, et ad vim iracundia impellatur; hoc restat, ut terroribus nec manifestis, et ejusmodi terribilibus figmentis vulgus cohibeatur.* Aliter vera constat religio, quæ non metu pœnæ tamquam amore boni Deum colens ultro Numen habet propitium. Hinc Moses Deuteron. IV. 6. 7. 8. vel hostes prædicare facit Israeli felicitatem, ut dicant. *Hic ipse populus sapiens vere et magnus est.* Scilicet, ut ipse addit, *Quis magnus adeo populus, cui tam propinqui Dii sunt*, etc. Disputant itaque licet de successu rerum ex religiositate Judæi, R. Lipman. in lib. N. 122. p. 158. et R. Albo cap. XXV. Orat. III. Sepher Ikkar. p. 14. ex vers. Geneb. vere magnus est populus Dei dominator orbis, quoniam subjiciantur necesse est omnia regna Domino, cujus sceptrum ex Sione missum Moabitarum populatur limites filiosque Sethi debellat. *Hic tanta deorum illa turba certorum atque incertorum, quos Varro prodit, illi etiam proceres et electi dii cum ipso rege suo Jove fulmina vibrante, consilio potentiaque, ut eorum cultores ferunt, metuendi, armisque terribiles, hic hic aliquid, si non pro mundo, saltem pro se oportebat agere: ne scilicet unus eos perderet crucifixus. Periisse vero et nos novimus, et David propheta confirmat, dicens: Periit memoria eorum cum strepitu, et Dominus in æternum manet.* Verba sunt Prosperi Aquitanici de Prom. et Præd. lib. III, cap. 38. Itaque de D Romanis recte Noster infra h. c. *Sed quam vanum est, fastigium Romani nominis religiositatis meritis deputare.* Refutat idem in fine cap. *Certe non potest fidei convenire, ut religionis meritis excrevisse videantur, qui ut suggessimus, religionem aut lædendo creverunt, aut crescendo læserunt.* Hav.

a *Ut orbem occuparint.* Propter istam suam scilicet religiositatem. Huc refert Havercampius elegantem sculpturam, ubi Æneadum genitrix inter victricia Romanorum suorum signa conspicitur comitata Diis, Jove, Neptuno, Vulcano et Mercurio, qui illi imperium orbis terrarum confirmare videntur.

Notanda quoque venit antiqua hæc inscriptio, quam memorant Gruterus p. 83. num. 45. et Boissardus part. III. Antiq. Rom. tab. 120. SECULO. FELICI. PHISIAS. SACERDOS. ISIDI. SALUTARIS. CONSECRATIO. PONTIFICIS. VOTIS.. ANNUANT DII. ROMANÆ. REIP. ARCANAQUE. URBIS. PRÆSIDIA. ANNUANT. QUORUM. NUTU. ROMANO. IMPERIO. REGNA. CESSERE. Et hinc est, quod in operosa illa epistola quam pro Ara Victoriæ dedicanda ad Imperatores Valent, Theod. et Arcad. scripsit Symmachus, ita loquens introducatur Roma: *Hic cultus in leges meas orbem redegit.* At vero haud ita credulus Plutarchus, vicissitudini rerum adscribit et Fortunæ imputat. Itaque lib. I, cap. 4. *Quod enim operis nostri proprium est, nostroque tempore mirandum accidit, hoc illud est: quod sicut prope universas totius qua habitatur orbis, in unam partem inclinavit, atque omnia ad unum eumdemque scopum vergere coegit: ita et nos scriptione hac sub unum quasi conspectum lectoribus ponimus, quonam se modo ad operis hujus universi consummationem ipsa se Fortuna gesserit.* Cum potius studia belli et pacis illos in tam alto fastigio locarint, morumque integritas, ut disputat Augustinus lib. V. de Civ. Dei cap. 1. Imo sanctius et verius judicat Prudentius Deum barbaros per illos emolliisse, omnesque populos uno illo Romanæ ditionis vinculo illigasse, ut simul Christo Domino, lapidi sine manuum opera abscisso, subjicerentur, fastusque illorum ab illo contereretur. Notandi sunt versus ejus in S. Laurentii Passione a versu 419. et deinceps, ut et hi contra Symmachum lib. II. 582.

Vis dicam, quæ causa tuos, Romane, labores
In tantum extulerit? queis gloria fontibus aucta
Sic cluat, impositis ut mundum frænet habenis?
Discordes linguis populos, et dissona cultu
Regna volens sociare Deus, subjungier uni.
Imperio, quidquid tractabile moribus esset,
Concordique jugo retinacula mollia ferro
Constituit, quo corda hominum conjuncta teneret
Religionis amor, nec enim fit copula Christo
Digna, nisi implicitas societ mens unica gentes.
Hav.

(b) *Magis fautum.* Digna adscribi sunt, quæ Pomponius Lætus ex veteribus observavit in Rom. Hist. Compendio cap. de Magn. Imp. Rom. in fine. « Bello Punico secundo M. Marcellus, devictis Syracusis, ostendit opes, et signa intulit et Deorum simulacra: in quo reprehensus est a Q. Fabio Maximo, quod relinquere debuisset Deos suis iratos, ut ipse prius fecerat de Tarentinis. Verum invaluit consuetudo Marcelli. Nam longe antea captis Veiis, M. Furius Camillus Veientanam Junonem intulit urbi. » Et ad id certa interrogationis formula utebantur, ut ex Livio patet, qui I. v. c. 22. *Quum jam humanæ opes egestæ ex Veiis essent, amoliri tum Deum dona ipsosque Deos, sed colentium magis quam rapientium modo, cœpere; namque delecti ex omni exercitu juvenes, pure lotis corporibus, candida veste, quibus deportanda Romam Regina Juno assignata erat, venerabundi templum inire, primo religiose admoventes manus. Deinde cum quidam seu spiritu divino tactus, seu juvenili joco, Visne Romam ire, Juno? annuisse cæteri Deam conclamaverunt: inde fabulæ adjectum est, vocem quoque dicentis: Velle, auditam.* Quod quamvis hic joco vel divinitus factum putet, tamen ex lib. I. colligi potest pro ritu etiam obtinuisse, quod enim c. LV. ubi agitur de Deo Termino qui ipsi Jovi cedere noluit, dicit *aves in Termini fano non addixere*, id in Epitome simplicius. *Terminus et Juventas non addixere.* Unde colligere quis possit ipsas Numinum effigies rogatas

Digitized by Google

adversus Achivorum arma protecti, si ad ultores (1) transire prospexit (*a*), quos sciebat Græciam Phrygiæ debellatricem subacturos. Itaque majestatis suæ in urbem collatæ grande documentum nostræ etiam ætati proposuit, cum Marco Aurelio apud Sirmium reipublicæ exempto, die decimo sexto Kalendarum Aprilium, Archigallus (*b*) ille sanctissimus, die nono Kalend. earumdem, quo sanguinem impurum, lacertos quoque castrando libabat, pro salute imperatoris Marci jam intercepti (2) solita æque imperia mandavit (*c*). O nuntios tardos, o somniculosa diplomata (*d*), quorum vitio excessum imperatoris non ante Cybele cognovit, ne deam talem riderent Christiani. Sed non statim et Jupiter Cretam suam Romanis (3) fascibus (*e*) concuti sineret, oblitus antrum illud Idæum, et æra Corybantia (*f*), et jucundissimum illic nutricis suæ

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ad eos ultra, *Fran.*
(2) Interempti, *Seml.*
(3) Facibus, *Seml.*

COMMENTARIUS.

fuisse an cedere vellent, ex auguriis vero de responsis ariolatum.

(a) *Ad ultores.* Ita Jun. ex MS. Put. Herald. ex suis. Rig. ex Fuld. qui Cod. mox *tranferre* pro *transire.* Pam. *ad eos ultra*, ut et La Cerda. Barr. *ultro ad eos*, Ald. Rh. MS. L. B. et Agob. *adulteros.* Sensus est, recte fecisse Cybelen cum cultu suo ad Romanos transiens, quod sciverit forte inde ultores Ilii prodituros. At quomodo tam seram prospicere temporis fortunam potuit, quæ paucos dies in fato Aurelii discernere non potuit? Hic loci sensus est. Subjugando vero Græciam ulti sunt Romani excidium Ilii; semperque hæc incunabula gentis suæ in summo habuerunt honore. Id patet ex Taciti Ann. l. XII. c. 59. et doctis ibidem animadversionibus Justi Lipsii. Late etiam in hoc campo exspatiatur Lucanus sub persona Cæsaris in fine lib. IX. Impiumque Fimbriæ factum notat Appianus, quo reliquias miserandi nominis ullo Agamemnone crudelius vastavit vir cognatus, cum a Sylla ipso in gratiam urbs accepta esset. Verba ejus sunt de Bellis Mithridaticis : Ἴλιοις δὲ πολιορκουμένοις, etc., i. e. *Ilienses autem oppugnati ab eo* (Fimbria) *confugerunt ad Syllam: qui cum se venturum promisisset, denunciassetque Fimbriæ abstineret a suis dedititiis, laudavit ille jam reversos in Pop. Rom. amicitiam, nihilominus petebat ut se quoque hominem romanum reciperent: cavillatus nescio quid in cognationem jactatam ab Iliensibus: tandem irrumpens interfecit omnes obvios, et concremavit omnia.* Hav.

(b) *Archigallus.* De Resurr. c. XVI. *vel Archigalli, vel gladiatoris aut carnificis spiritu infectum.* Inscriptio vetus apud Grut. p. 308. C. CAMERIUS. CRESCENS. ARCHIGALLVS. MATRIS. DEVM MAGNÆ. IDEÆ. ET. ATTIS. POPVLI. ROMANI. Ita dicitur Cybeles cynædorum princeps. Mox *impurissimus* legit Cod. Fuld. ex glossa, quæ τὸ *sanctissimus* voluit interpretari. Virgil.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

(c) *Solita æque imperia mandavit.* An archigallus iste solito more deam rogavit seu jussit tueri Marci valetudinem? Puto nondum satis indagatam antiquitatem in hisce latere, ut quemadmodum in Eleusiniis fuit ἄρχων, qui rex erat seu præfectus mysteriis, Hesychio Βασιλεὺς, ἄρχων τις Ἀθήνησι μυστηρίων προνοῶν, cui, ut subjecti imperio ejus, adjungebantur οἱ Ἐπιμεληταὶ et Ἱεροποιοί, de quibus Pollux VIII. 8. 3. et 26. et præclare Meursius in Eleusiniis c. XV; ita etiam hic in Cybeles ministerio talis gallorum rex seu *archigallus* innuitur qui suos habeat sacrificulos et minores gallos, quibus itidem imperaverit vota facere et lacertos secare pro Aurelii salute. Hav.

(d) *O somniculosa diplomata.* Miror quid Pamelium impulerit ut ad magica metaphorice dæmonum diplomata confugerit. Simpliciter enim intelliguntur nuntii publici et diplomata publica, quibus irascitur quasi Tertullianus quod non citius ad Cybelen et archigallum ejus perrexerint. Multo minus huc faciunt oracula quæ idem somniat, et locus Macrobii, quem non intellexit, lib. I. Saturnal. *Consulunt hunc deum et absentes missis diplomatibus consignatis, rescribiturque ordine ad ea, quæ consultatione abdita continentur.* Id enim vult Macrobius quod fuse in Pseudomanti narrat Lucianus. Solebant enim codicillos obsignatos mittere ad oracula, quos integros, ut putabant, una cum responso dei ad interrogata in scripto isto recipiebant. Sed fraus erat mera, arte enim cera avellebatur rursusque imponebatur sine læsione impressi signi, quomodo facile ad interrogata responderi poterat. Id observans Lucianus, missaque obsignatione accuratiore, quæ sine evidenti fractura dissolvi non poterat, ridicula semper et aliena ad interrogata responsa accepit. Hav.

(e) *Romanis fascibus illam.* Ita recte Heraldus in Notis, declaratque ex Afro Hebræos imitante sermone, adducitque similem Apuleii locum. Sed ipse Virgilius majestatem quamdam in hac voce cognovit, elegantiæ caussa adhibens ubi superflua aliis videretur. Itaque is Æneid. lib. X. versu 707.

Ac velut ille canum morsu de montibus altis
Actus aper;

et lib. XI.

Ac velut ille, prius quam tela inimica sequantur,
Continuo in montes sese avius abdidit altos
Occiso pastore lupus.

et lib. XII.

Saucius ille gravi venantum vulnere pectus
Tum demum movet arma leo.

Quod etiam posteriores poetas Statium, Valerium Flaccum, Claudianum imitatos abunde docet elegantissimus Guilh. Canterus Nov. Lection. III. 26. Quid multa? eccum tibi Tertulliani locum omni exceptione majorem ex lib. Ad Nat. II. 4. *Quod si nomen istud proprium Divinitatis et simplex, nec interpretatorium in illo Deo.* Nec audiendus hic Aldus aut Jun. aut Scaliger, aut Rig. qui, *Romanis fascibus concuti*, aut Pam. qui, *Romanis facibus illum concuti.* Creta a Metello fuit domita : Lucan. lib. III. versu 163. de Cæsare rapiente fiscum P. Rom.

Victorique dedit Minoia Creta Metello.

Causa belli satis impia, ipso fatente Floro III. 7. *Creticum bellum, si vera volumus noscere, nos fecimus sola vincendi nobilem insulam cupiditate. Favisse Mithridati videbatur; hoc placuit armis vindicare.* Unde satis vere ipse Mithridates in Epist. ad Arcacem, quæ integra servata est nobis inter fragmenta Sallustii IV. Histor. *Nam quid ego me appellem*, et mox : *Cretenses solos omnium liberos ea tempestate, et regem Ptolemæum?* MS. L. B. *facibus concuti.* Hav.

(f) *Æra Corybantia.* Nota satis ex Lucretio et aliis. Ovidius apud Lactant. I. 21.

Pars clypeos sudibus, galeas pars tundit inanes,
Hoc Curetes habent, hoc Corybantes opus.

Ubi quæ plura videri possunt egregie ex duobus his nummis illustrantur, quorum alter Trajani, alter Maximini est, quos vulgavit præstantissimus Seguin. in S. N. p. 116. 186. Ibi Curetes seu Corybantes pulsant clypeos ne incurvatæ parturientisque Rheæ gemitus vel nati Jovis vagitus a Saturno exaudiri possint. Præ-

Digitized by Google

odorem(*a*). Nonne omni Capitolio tumulum illum suum præposuisset, ut ea potius orbi terra (*b*) præcelleret, quæ cineres Jovis texit (*c*)? Vellet Juno (*d*) Punicam urbem posthabita Samo dilectam ab Æneadarum utique genere deleri? Quod si

Hic illius arma,
Hic currus fuit, hoc regnum dea gentibus esse,
Si qua fata sinant, jam tum tenditque fovetque.
(Virg. *Æn.* I. 16. *seqq.*)

A Misera illa conjux Jovis et soror adversus fata non valuit plane :

Fato stat Jupiter ipse (*e*).

Nec tantum tamen honoris Romani dicaverunt fatis (*f*) dedentibus sibi Carthaginem adversus destinatum votumque Junonis, quantum prostitutissimæ (1) lupæ Larentinæ. Plures deos vestros regnasse certum est. Igitur si conferendi imperii tenent potestatem, cum

LECTIONES VARIANTES.

(1) Prostratissimæ, *Haver.*

COMMENTARIUS.

clare vero ibi non gladii tantum, sed et sudes apparent. Tertium item Maximini exhibet Patinus in Thesauro p. 123.

(a) *Jucundissimum illic n. s. o.* Apud eumdem Germanicus in Aratueis :

Illa putatur
Nutrix esse Jovis, si vere Jupiter infans
Ubera Cretææ mulsit fidissima capræ.

B Fuit enim aliquando quum mundus esset sub Jove nondum barbato, et ipse capriuo lacte educaretur. Hinc illum in nummis et gemmis puerum et juvenem aliquando conspicimus et capella sua comitatum, eoque refero sculpturas ex Gorlæo tom. II. num. 495. ubi pro meritis illis cœlo nutricem infert. et n. 105. ubi capella est tantum ut in Philippi nummo argenteo, et tom. I. num. 189. ubi ludibundus insidet plane ut in Valeriani nummo argenteo. Jupiter juvenis occurrit inter nummos Commodi, et imberbis simulacrum recenset Pausanias Eliacor. lib. V. Ἔστι δὲ καὶ ἄλλος Ζεὺς οὐκ ἔχων πωγώνια, *est et ibidem alius Jupiter sed imberbis.* Juvat hic una defendere vulgatam lib. ad Nat. I. 10. lectionem, quam frustra omnes sollicitant, substituendo, *quam per ullum Jovem*, quum legatur recte in MS. quod unicum superest *parvulum* C *Jovem*, non tantum præjudicio parvuli Jovis qui omni antiquitati notus est et hic in Apol. etiam sæpius a Septimio subsannatur, sed et ipsius loci in lib. Ad Nat. ubi parvulus Jupiter Cæsari opponitur. Atque juramentum solemne erat per Genium Cæsaris jurare, ut constat ex Apologetico, qui quidem Genii passim ut pueruli expressi etiam nunc in marmoribus visuntur, unde patet collatio Jovis parvuli et Genii Cæsaris. Si tamen ibi numen augustum Cæsaris seu mortui seu vivi intelligitur, æque sibi constat lectio: quid enim parvulus Jupiter ad magnum Cæsarem? Multa adhuc in isto libello mihi notanda et emendanda sunt. Ita ibidem paulum supra, *quanquam perjuria apud vos, quod unusquisque purus est.* Qui fluctus in simpulo excitari amat, consulat interpretes Gothofredum et Rigaltium, cum unica literula immutata integram auctoris manum repræsentet. Legimus itaque, *tanquam*, etc. Quid igitur de tali deo sperandum, qui ætatis rudimenta inter caprarios posuit? Pulchre Jesus ille Siracides XXXVIII. 26. 27. *Quam ab illo exspectes sapientiam qui stivam tenet, qui gloriatur in stimulo quo boves impellit, et educatur in operibus illorum loquiturque de juvencis? Cor suum componet sulcos ut faciat, et vigilabit armentis pascendis.* Noster more suo pungit, respiciens forte Theocriti versus Idyll. VIII. 76. ubi bubulcus Daphnis vitulorum suorum basilis dignus :

Ἁδεῖ' ἁ φωνὰ τᾶς πόρτις, ἁδὺ τὸ πνεῦμα,
Ἁδὺ δὲ χὠ μόσχος γαρύεται, ἁδὺ δὲ χά βῶς.

i. e. *Dulcis vox est vitulæ, dulcis spiritus: suaviter mugit et vitulus, et vacca suaviter.* Hav.

(b) *Orbi terra.* Ita Barr. Pam. Rhen. et Rigaltius, magis commode, quam *orbi terræ*, quomodo Aldus Herald. MSS. Fuld. et L. B. Certe apud Seguinum in elegantissimo Select. Num. libro p. 114. superbissimo titulo Creta ΓΗ ΓΩΝ appellatur, id est *terra terrarum*, ut vocem illam dividit et explicat nobilis Antiquarius. Signatus vero iste nummus ab una parte Tiberium, ab altera Augustum exhibens, sub Stratego Cornelio Lupo. Hav.

(c) *Cineres Jovis texit.* Neminem, opinor, latet floruisse in ultimis Ethnicæ vetustatis temporibus philosophum quemdam, Siculum, ut putatur, Evhemerum nempe, cœcum veluti apostolicæ prædicationis antesignanum, qui aniles labescentis ultro mythologiæ fabulas acriter exagitaverit, *dum*, inquit Lactantius, *res gestas Jovis, et cæterorum qui dii putantur, collegit, historiamque contexuit ex titulis et inscriptionibus sacris, quæ in antiquissimis templis habebantur* (Inst. lib. I. c. 11). Cum autem ætatis nostræ mythographi ac symbolicus quisque pantheista nihil non moveat ut susdeque vertat sententiam Evhemerianam, non nullius operæ pretium erit, eo loci, id saltem quod de Jove homine in Creta insula mortuo nec non et sepulto docet, plenius confirmare. Cui licet adversatus opinioni, eam tamen Callimachus vel invitus patrocinatur, his carminibus Jovi dicatis :

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται· τὸν γὰρ τάφον, ὦ Ἄνα, σεῖο
Κρῆτες ἐτεκτήναντο· σὺ δ' οὐθάνες.

Porphyrius, in Vita Pythagoræ, cap. XVII, testatur hanc Cretensium opinionem ipsummet philosophum ratam habuisse, multaque libamina sparsisse carmenque huic tumulo inscribendum curavisse Εἰς τὸ Ἰδαῖον κειλούμενον ἄντρον καταβὰς ... καθίζησε πρὸ Διΐ, τόν τε στορνύμενον αὐτῷ κατ' ὕπνος θρόνον ἀνέφατο, ἐπιγραμμά τ' ἐπεχάραξεν ἐπὶ τῷ τάφῳ, ἀσυγκάρας· ΜΥΘΑΓΟΡΑΣ ΤΩ ΔΙΙ, οὗ ἡ ἀρχή.

Ἆδε θεῶν κεῖται ζάν, ὃν Διὶ κικλήσκουσι. Edd.

(d) *Vellet Juno*] Cod. Fuld. *vellet et Juno.* recte. ita supra, *Sed non statim et Jupiter.* Lactant. lib. II. c. 17. *Nam Juno audere non poterat, aut Carthaginem defendere, ubi arma ejus et currus fuit, aut Romanis nocere: quia progeniem Trojano a sanguine duci*

Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces. (*Hav.*)

(e) *Fato stat Jupiter ipse.* Theodoret. Græc. Aff. Cur. p. 85. de Jove et Homero : Καὶ γὰρ τούτων ὁ κορυφαῖος τὸν τῶν Θεῶν κορυφαῖον ὀλοφυρόμενον δείκνυσιν, ὡς ἐπαμῦναι τῷ παιδὶ μὴ δυνάμενον, etc., i. e. *Quando et princeps poetarum deorum principem flebiliter introducit conquerentem, quod filium ulcisci non possit; eo quod Clothonæ* D *filio inferior sit, eaque dissolvere quidem velit, sed ab Atropo et Lachesi prohibeatur; eamque ob rem, lamentis, fletibus, ululatuque permulto verba commisceat. Idem et Neptunum inquit velle quidem ultionem sumere de Cephaleniorum duce, qui Polyphemo oculum eruit, haud tamen potuisse Fatum superare, quandoquidem Fato jam decretum erat, Ulyssem Laertæ filium ad Ithacam patriam rediturum esse.* In illam sententiam infinita dicax Lucianus. Herald. *Fato S. J. esse.* Hav.

(f) *Fatis Romani dicaverunt.* Ita transposuit Rig. Alii. *R. de fatis.* Respicit vero Spanhemius hunc locum, cum concludit ex verbis Procopii quæ adducit, fuisse erectum his deabus Romæ templum, sed post Tertulliani tempora, forte a Diocletiano, cujus nummum singularem explicat, cum singulari item inscriptione. Exhibentur ibi tres mulieres vestitæ facibus armatæ, cum inscriptione FATIS VICTRICIBUS; victa scilicet et debellata exstinctaque Christianorum gente. Conspici potest in nunquam laudando satis opere de Usu et Pr. Num. p. 838.

Digitized by Google

ipsi regnarent, a quibus acceperant eam gratiam? quem coluerat Saturnus et Jupiter? aliquem opinor Sterculium [sed Romæ postea] (*a*), cum indigenis suis (1). Etiam si qui non regnarunt, tamen regnabatur ab aliis nondum cultoribus suis, ut qui nondum dii habebantur. Ergo aliorum est regnum dare, quia regnabatur multo ante quam isti dii inciderentur. Sed quam vanum est fastigium Romani nominis religiositatis meritis deputare, cum post imperium sive adhuc regnum [auctis jam rebus] religio profecerit (2). Nam etsi a Numa concepta est curiositas superstitiosa, nondum tamen aut simulacris aut templis res divina apud Romanos constabat; frugi religio et pauperes ritus, et nulla capitolia certantia cœlo, sed temeraria de cespite altaria, et vasa adhuc Samia (*b*), et nidor ex illis, et Deus ipse nusquam. Nondum enim tunc ingenia Græcorum (*c*) atque Tuscorum (*d*) fingendis simulacris urbem inundaverant. Ergo non ante religiosi Romani, quam magni; ideoque non ob hoc magni, quia religiosi. Atqui quomodo ob religionem magni, quibus magnitudo de irreligiositate (*e*) (3) provenit? Ni fallor enim, omne regnum vel im-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Suis *abest Haverc.*
(2) Adhuc regnum religio profecerit? Age jam rebus religio profecerit *Fran.*
(3) De religiositate *Fran.* De vera irreligiositate *Jun.*

COMMENTARIUS.

(*a*) *Sed Romæ postea cum indigenis.* Mira perturbatio et varietas in editis et MSS. Lugd. Bat. et Agob. *sed postea Romanam cum indignis suis.* Fuld. *sed postea apud Romam cum inditamentis suis.* Heraldus et Rigalt. silent, et aliud agit La Cerda, cum in paraphrasi sua, quam editioni subjunxit, nescio quid de aboriginibus, quorum nonnulli regnaverint, nonnulli non, profert, legens: *sed Romæ postea cum indigenis suis etiam si qui non regnarunt, tamen*, etc. Aldus habet, *sed Romam postea cum indigenis cultoribus suis.* Pam. et Rhen. *sed Romæ postea cum indigenis suis.* Herald. et Rig. *sed Romæ postea cum indigenis.* MS. Cod. Fuld. lectioni adscripserat Scioppius, *induamentis*; lego *indigitamentis*, id est libris pontificalibus suis qui Sterculo serviant: salse dictum. Glossarium *Indigitamenta*, Βιβλία ἱερατικά. Ita libri et interpretes, quorum tanta varietas abunde docet jam olim locum fuisse corruptum. Quid igitur sentiam quæris? Delenda illa *sed Romæ postea* et in morboniam releganda. Quis enim non videt ex glossa irrepsisse? Scilicet ita legendum judico *aliquem opinor Sterculum cum indigenis suis*; vel potius, si non frustra *inditamentis* suppeditat MS. Fuld. quod vanum haud reor, hoc modo: *aliquem opinor Sterculum cum indigenis et inditamentis suis.* In eo falsi fuerunt interpretes, quod τὸ *indigenis* ad Romanos, non vero, ut debet, ad Sterculum retulerint. Sunt enim *indigenæ* illi qui una cum Sterculo vernaculi et proprii Romanorum dii, ut Mutunus, Tutunus et similes. Hos *indigenas* appellare voluit, ea forma qua Ovid. VI, Met. 330:

> Naiadum Faunique foret tamen ara rogabam,
> Indigenæve Dei.

Jam vero glossator aliquis, observans hos Romæ demum cultos longe postquam Jupiter a suis in deorum numerum relatus sit, annotavit cultum illum Sterculo Romæ postea præstitum; ineptiores alii ut a Tertulliano profectum receperunt in contextum. Hav.

(*b*) *Vasa adhuc Samia.* Cicero lib. III de Nat. Deorum: *Docebo meliora me didicisse de colendis diis immortalibus, jure pontificio et more majorum, capeduncula quæ Numa nobis reliquit, de quibus in illa aureola oratiuncula dicit Lælius, quam rationibus Stoicorum.* Cujus Lælianæ orationis mentio etiam occurrit inter fragmenta Ciceronis *de Rep.* l. VI. *Exstat oratio Lælii, quam omnes habemus in manibus, quam sympina pontificum diis immortalibus gratia sint, Samiæque, ut is scribit, capedines*; ut emendavit Hadr. Junius. *Vasa Samia* sunt testæ fictiles. Imo usque ad devictam Asiam, quæ opes simul et luxum intulit, ipsa etiam deorum simulacra lignea tantum Romanis vel fictilia, fuisse diserte testatur Plinius *Nat. Hist.* XXXIV. 7: *Mirumque mihi videtur, cum statuarum origo tam vetus in Italia sit, lignea potius aut fictilia deorum simulacra in delubris dicata usque ad devictam Asiam, unde luxuria.* B De vasis Samiis Tibullus lib. I. *Eleg.* I:

> Adsitis, Divi, nec vos e paupere mensa
> Dona, nec e parvis spernite fictilibus.

Illustrat hoc Nostri vetus ille nec vetus minus proverbialis versiculus:

> Doen de kelken waren van hout,
> Doen waren de priesters van goud.
> Maar nu de kelken zyn van goud
> Nu zo zyn de priesters van hout.

Postquam scilicet *munda balnea inventa sunt, spurciores sunt qui lavant*, ut jam olim Seneca Epist. XXV. Sed proverbiale illud desumptum observavi ex dicto Bonifacii (episc. et mart.), quod exstat Decret. parte III. de Consecrat. distinct. I. can. 44. *Cum* inquit, *ligneis uteremur calicibus, aureos sacerdotes habebamus. Nunc aureos habemus calices, ligneos sacerdotes.* Johannes Saresberiensis, in *Polycratico* lib. VI. cap. 24, acerrime sæculum suum increpat. Ibi de sacerdotibus et presbyteris et alia et hæc: *Sedent in ea Scribæ et Pharisæi, ponentes onera importabilia in humeris hominum, quæ digito non contingunt. Dominantur in clero, nec forma fiunt gregi, qui recto calle pergit ad vitam* (forte *pergat* et *quæ*); *pretiosam supellectilem congerunt, auro et argento onerant mensas, sibi etiam ab avaritia nimis parci. Nam pauper aut nullus aut rarus admittitur, quem interdum non tam Christus, quam vana gloria introducit. Concutiunt Ecclesias, lites excitant, collidunt clerum et populum, laboribus et miseriis afflictorum nequaquam compatiuntur, Ecclesiarum lætantur spoliis, et quæstum omnem reputant pietatem*, etc Ibidem paulo post: *Præterea omnes arguunt, quod ruentibus et collabentibus ecclesiis, quas patrum constituxit devotio, altaribus quoque incultis, palatia exstruit, et ipse non modo purpuratus, sed et deauratus incedit. Palatia splendent sacerdotum, et in manibus eorum Christi sordidatur Ecclesia.* Hæc ille. Hav.

(*c*) *Nondum enim ingenia Græcorum atque Tuscor., fingendis simulacris.* Priscos Romanos plusquam annos 170 sine simulacro Deos coluisse Varro tradidit. D Quod si adhuc, inquit, mansisset, castius dii observarentur. Ejus sententiæ suæ testem adhibet inter cætera etiam gentem Judæam. Nec dubitat, inquit Augustinus IV *de Civ. Dei*, eum locum ita concludere, ut dicat eos qui primi simulacra deorum populis posuerunt, civitatibus suis et metum dempsisse, et errorem addidisse, prudenter existimans deos facile posse simulacrorum stoliditate contemni. Pam.

(*d*) *Tuscorum.* A quibus in sacris multa mutuati sunt Romani. Noster *de Spectac.* c. 5. *Igitur in Hetruria inter cæteros ritus superstitionum suarum spectacula quoque religionis nomine instituunt. Inde Romani arcessitos artifices mutuantur, tempus, enuntiationem.* Plinius etiam de simulacris *Hist. Nat.* lib. XXXIV. 7: *Signa quoque Tuscanica per terras dispersa, quæ in Hetruria factitata non est dubium.* Hav.

(*e*) *De irreligiositate.* Ita MS. L. B. Rig. Ald. He-

Digitized by Google

perium bellis quæritur et victoriis propagatur. Porro bella et victoriæ captis et eversis plurimum urbibus constant. Id negotium sine deorum injuria (*a*) non est. Eædem strages mœnium et templorum, pares cædes civium et sacerdotum, nec dissimiles rapinæ sacrarum divitiarum et profanarum. Tot igitur sacrilegia Romanorum, quot trophæa; tot de diis, quot de gentibus triumphi; tot manubiæ, quot manent adhuc simulacra captivorum deorum. Et ab hostibus ergo suis sustinent adorari, et illis imperium sine fine decernunt, quorum magis injurias quam adulationes (1) remunerasse debuerant. Sed qui nihil sentiunt, tam impune læduntur, quam frustra coluntur. Certe non potest fidei convenire, ut religionis meritis excrevisse videantur, qui, ut suggessimus, religionem aut lædendo creverunt, aut crescendo læserunt. Etiam illi, quorum regna conflata sunt in imperii Romani summam, cum ea amitterent, sine religionibus non fuerunt.

CAPUT XXVI.

ARGUMENTUM. — *Deum potius solum regnare, de imperiis, urbibus, hominibus, temporibus ipsis, ut de suo, disponere; qui etiam, ante cognitam Romam, Babyloniis, Ægyptiis, Assyriis dominationem dederit: Judæis ipsis etiam incolume diu regnum præstiterit, destruentibus etiam omnes illos deos, quos Romani Gentesque ut datores regnorum suspiciunt.*

Videte igitur ne ille regna dispenset (*b*), cujus est et orbis qui regnatur, et homo ipse qui regnat; ne ille vices dominationum ipsis temporibus in sæculo ordinarit, qui ante omne tempus fuit (2) et sæculum (3) (*c*) corpus temporum fecit; ne ille civitates extollat aut deprimat. Sub quo fuit aliquando sine civitatibus genus hominum (4)? Quid erratis? prior est quibusdam diis suis (5) silvestris Roma; ante regnavit quam tantum ambitum Capitolii exstrueret (6). Regnaverunt et Babylonii ante pontifices (*d*), et Medi ante quindecimviros, et Ægyptii ante Salios, et Assyrii ante Lupercos, et Amazones ante virgines Vestales. Postremo, si Romanæ religiones regna præstant, numquam retro Judæa regnasset despectrix communium (7) istarum divinitatum, cujus et deum victimis, et templum donis, et gentem fœderibus aliquamdiu Romani (8) honorastis, numquam dominaturi ejus, si non ultimo deliquisset in Christum (9).

CAPUT XXVII.

ARGUMENTUM. — *Satis itaque confutasse se putat crimen læsæ Divinitatis, quæ, quia non est, nihil pati potest. Illam sibi demereri nolle Christianos ait, thure vitam redimentes, quod sciant diaboli hoc esse consilium, æmuli sui et invidi, qui, licet de Christi potentia illis subjectus sit, pro odio tamen et perfidia, pœnalis servitutis more renititur, et numquam magis ab illis, quam cruenta pro fide morte detriumphatur.*

Satis hæc adversus intentionem læsæ (10) religionis ac divinitatis, quo non videamur lædere eam, quam ostendimus non esse. Igitur, provocati ad sacri-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Adulationes *Paris.*
(2) Ante omnia nec tempus *cod. L. B. Agob.*
(3) Qui sæculum *cod. Fuld.*
(4) Genus humanum *Rhen. Paris.* Gens hominum *cod. Lugd.*
(5) Discipulis suis *Rhen.*
(6) *Codd. omnes* exstruereturr; *Rhen. et Rig.* extrueret. *Nescio an scribendum sit:* tanto ambitu Capitolium exstrueretur *Leop.*
(7) Omnium *Jun.*
(8) *V.* Romani *delevit Rig. Wauwer e ms.* aliquando, o Romani, hon.
(9) *Sic leg. in codd. Fuld. et Agob.; in cæteris:* si Deo non deliquisset, ultimo in Christum.
(10) *Vv.* religionis ac *Haverc. addidit e cod. Fuld.*

COMMENTARIUS.

rald. La Cerda ita omnino scribendum. Alii *de religiositate.* Cod. Pith. etiam *devera irreligiositate*, pro quo forte melius substituas *revera de irr.* Mithridates in epistola ad Arsacen, lib. IV. Hist. Sallustii, Romanos negat *quicquam a principio, nisi raptum habere, domum, conjuges, agros, imperium..; quibus non humana ulla, neque divina obstant, quin socios, amicos, procul juxtaque sitos, inopes potentesque trahant excidantque; omniaque non serva, et maxime regna, hostilia ducant.* HAV.

(a) *Deorum injuria.* Livius de Marcello Syracusæ debellatore et destructore lib. XXV, c. 40: *Ornamenta urbis, signa tabulasque, quibus abundant Syracusæ, Romam devexit. Hostium quidem illa spolia, et parta belli jure: cæterum inde primum initium mirandi Græcarum artium opera, licentiæque hinc sacra profanaque omnia vulgo spoliandi, factum est, qua postremo in Romanos deos, templum idipsum primum, quod a Marcello eximie ornatum est, verti. Visebantur enim ab externis ad portam Capenam dedicata a Marcello templa, propter excellentia ejus generis ornamenta, quorum perexigua pars comparet.* Ita enim videtur legendum, non *videtur enim*, etc. Vide de eodem Marcello Plutarchum. HAV.

CAP. XXVI. — (b) *Regna dispenset.* Quod et ipsi imperatores intellexisse se agnoverunt in tot numinis inscriptis PROVIDENTIA DEORUM, ut patet ex illis Pertinacis, Severi, Balbini Pupieni, Aureliani etiam et Antonini Pii. Ut inde etiam in nummo Severi, quem vulgavit Tristanus, legatur *Jupiter Imperator*, quasi illi soli hoc nomen competeret. HAV.

(c) *Qui sæculum.* Ita malo cum Fuld. Cod. quam cum aliis *et sæculum.* Zephyrus intelligit de ætate illa incerta, in qua nec prius nec posterius dignoscebatur, in ordinem vicesque redacta. De mundo tamen mavult Heraldus, ille enim est corpus temporum, a cujus creatione ævum, annos menses, dies numeramus; ultra quem vices temporum distinguere non possumus, sed ipsa est æternitas, ipse Deus sibi et tempus et omnia invenitur. Potest etiam simpliciter sæculum pro corpore centum annorum capi.—HAV. *Et sæculum corpus temporum fecit.* Corpus temporum est collectio seu comprehensio complurium annorum, aut sæculorum. Sic corpus Homeri, omnia scripta Homeri, I. Libror. *de leg.* III. Augustinus dixit ordinem sæculorum a Deo conditum tamquam pulcherrimum carmen, ex quibusdam etiam quasi antithetis honestatum. Cap. 18. lib. XI. *de Civ. Dei.* LAC.

(d) *Babylonii ante pontifices.* Dicti, inquit Varro, *de Ling. lat.* lib. IV, ut Q. Scævola pontifex maximus dicebat, a *posse* et *facere.* Pontifices ego a *ponte* arbitror: nam ab iis Sublicius pons factus est primum, et restitutus sæpe, quod eo sacra et *sis* et *cis* Tiberim fiant. PAM.

Digitized by Google

ficandum, obstruimus gradum pro fide (*a*) conscientiæ nostræ, qua certi sumus, ad quos ista perveniant officia sub imaginum prostitutione et humanorum nominum consecratione. Sed quidam dementiam existimant, quod cum possimus et sacrificare in præsenti, et illæsi abire manente apud animum proposito, obstinationem saluti præferamus. Datis scilicet consilium, quo vobis abutamur; sed agnoscimus, unde talia suggerantur, quis totum hoc agitet, et quomodo nunc astutia suadendi nunc duritia sæviendi ad constantiam nostram dejiciendam operetur. Ille scilicet spiritus dæmoniacæ et angelicæ paraturæ, qui noster ob divortium æmulus et ob Dei gratiam invidus, de mentibus vestris adversus nos præliatur, occulta inspiratione, modulatis et subornatis ad omnem, quam in primordio exorsi sumus, et judicandi perversitatem et sæviendi iniquitatem. Nam licet subjecta sit nobis tota vis dæmonum et ejusmodi spirituum (1) ut nequam tamen servi metui nonnunquam contumaciam (2) miscent, et lædere gestiunt quos alias verentur: odium enim etiam timor (3) inspirat (*b*), præterquam quod (4) desperata conditio eorum ex prædamnatione (*c*) solatium reputat fruendæ interim malignitatis de pœnæ mora. Et tamen apprehensi subiguntur et conditioni suæ succidunt (5), et quos de longinquo oppugnant, de proximo obsecrant. Itaque dum vice (6) rebellantium ergastulorum (*d*) sive carcerum, vel metallorum, vel hoc genus pœnalis servitutis (*e*) erumpunt adversus nos, in quorum potestate sunt, certi et impares se esse et hoc magis perditos (7) ingratis resistimus ut æquales, et repugnamus perseverantes in eo quod oppugnant, et illos nunquam magis detriumphamus (*e*), quam quum pro fidei obstinatione damnamur.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Spiritus, *Paris. Rig.*
(2) Metum nonnunquam contumaciæ, *cod. Fuld.*
(3) *Ita Havercamp. et Fuld. reliqui* spirat.
(4) Præterquam et, *Fran.*, præterque et, *Rig.*
(5) Succinunt, *Paris.*
(6) Repugnantium et *add. Haverc. Fuld.*
(7) Perditos, *Fran. Paris. L.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXVII.—(a) *Pro Fide.* Non contemnenda est lectio Cod. L. B. *perfidia*, cui assentitur editio Rhenani et MS. Agob. ut ita innuat Tertullianus nolle Christianos illud quærere effugium, ut hostias tantum mactent, carnes sacrificiorum comedant, thura accendant, absque inquirendo qua illud occasione fiat, quia perfidam ita redderent conscientiam suam, cui perfidiæ, i. e., persuasioni malæ obviam ire et omnes introitus in corda sua occludere debent. Tunc illud *qua*, quod sequitur et nunc ad fidem refertur, habet relationem ad ipsam conscientiam, quasi scripsisset, per quam certi sumus. Conferri possunt, quæ disputat Paulus de esu εἰδωλοθύτων I. Cor. VIII. 1. 8. 10. Hav.

(b) *Timor inspirat.* Ita reposui ex Fuld.; non enim *spirat*, ut alii, i. e.: audet præ se ferre odium apertum obnoxia servitus, sed inspirat illi odium, quia quem metuit, non diligit. Ennius apud Cic. II Off. *quem metuunt oderunt: quem quisque odit perisse expedit.* Huc pertinet tyrannicum illud:

Oderint dum metuant.

Quod exagitans Seneca I. Clem. 12. scribit: *Nam et invisus est, quia timetur, et timeri vult quia invisus est.* Scilicet.

Necesse est multos timeat, quem multi timent,

pronunciante Publio Syro, vers 455. Hav.

(c) *Ex prædamnatione, solatium.* Adv. Marcionem lib. II. c. 10. *Quem tamen et prædamnando testatus est, ab institutionis forma libidine propria conceptæ ultro malitiæ exorbitasse.* Sensus est, immundos spiritus scientes reservari se ad pœnam in diem Judicii, solatium quærunt pœnarum in ipsa illa mora temporis, ut interim sese expleant omnigena bonorum afflictione et fruantur malignitate sua. Nam

Solamen miseris socios habuisse malorum.

Et hinc invidiosa illa oratio Possini ad Prolemæum de Ponpejo profugo apud Lucanum, VIII. 504.

quærit
Cum qua gente cadat.

Apud Lucianum in Dial. De Syria Dea p. 897. dicunt nonnulli ὡς ἡ Ἥρη φιλέουσα Κομβάβου, πολλοῖσι τὴν τομὴν ἐπὶ νόον ἔβαλλεν, ὅπως μὴ μοῦνος ἐπὶ τῇ ἀνανδρείῃ λυπέοιτο; i. e. *Junonem cum amaret Combabum, multos ad se castrandum impulisse, ne solus ille lugeret, quod eviratus esset.* Castraverat enim sese. Ita *multa sane per diversas terras agit ille qui suæ perditionis socios quærit*, inquit Prosper Aquitanus de Promiss. et Prædict. Dei dimid. Temp. cap. VI. Hav.

(d) *Ergastulorum.* Non dubium quin loquatur cum respectu ad Romanas historias, in quibus tritum est, serviles homines sæpe revelasse: videndus Plutarchus in Vita Crassi, ubi conspirant homines συρτειχθέντες *vincti.* Ponit autem ergastula pro hominibus vinctis in ergastulis, sicut postea metalla pro hominibus damnatis ad metalla. Lac.

(e) *Pœnalis servitutis.* Quibus servi affici solent. Unde inter nefaria Caii Caligulæ facinora numerat Sueton. c. XXVII. *Multos honesti ordinis, deformatos prius stigmatum notis, ad metalla, aut ad viarum munitiones, aut ad bestias condemnavit;* erant enim servorum passim talia. Unde ille apud Plaut. Pœn. IV. II. 5.

Ita me Dii ament, vel in latumiis, vel in pistrino ma-[velim
Agere ætatem, præpeditus latera forti ferro mea.

Et minax Hegio Capt. III. v. 64.

Ducite
Ubi ponderosas crassas capiat compedes.
Inde ibis porro in latomias lapidarias:
Ibi quom alii octones effodient,
Nisi cotidianus sesquiopus confeceris,
Sexcentoplago nomen indetur tibi.

Ex quo loco pulchre etiam pensum diurnum lapicidarum colligi potest. Molestissimum ibidem laborem expertus testatur Tyndarus V. IV. 1.

Vidi ego multa sæpe picta, quæ Acherunti fierent
Cruciamenta; verum enimvero nulla adæque est Ache-[runs,
Atque ubi ego fui in lapicidinis.

Hæc pœnarum genera recensentur ab Nostro etiam infra c. XLIV. *De vestris simper æstuat carcer: de vestris semper metalla suspirant: de vestris semper bestiæ saginantur: de vestris semper munerarii noxiorum greges pascunt.* At vero, *etiam qui damnantur in ludum, quale est, ut de leviore delicto in homicidas emendatione proficiant*, inquit lib. de Spectac. Nota vero metalla etiam significare venas lapidum. Lucanus IV. 303.

Tunc exhausta super multo sudore juventus
Extrahitur duris silicum lassata metallis.

et VI. 34.

Ingentes cautes avulsaque saxa metallis. Hav.

(f) *Nunquam magis detriumphamus.* Prosper Epigr.
Quod plerumque mali in sanctos sævire sinuntur.

Digitized by Google

CAPUT XXVIII.

ARGUMENTUM.— *Hinc, postquam paucis ostendit iniquitatem coactæ religionis, qualis vis Numini probari non potest, cui (vel ex illorum sententia) libens animus addici debet, pergit ad secundum titulum læsæ, et quidem majoris, Divinitatis : siquidem illi Numen viventium Imperatorum præ omnibus Diis suis, mortuis scilicet venerari sint soliti; deprehunduntur que ita irreligiosi erga Deos suos, quos præ Cæsaribus suis contemnere et perjuriis polluere non desistant.*

Quoniam autem facile iniquum videretur (1), liberos homines invitos urgeri ad sacrificandum (nam et alias divinæ rei faciendæ libens animus indicitur) : (2) certe ineptum existimaretur, si quis ab alio cogeretur ad honorem deorum, quos ultro sui caussa placare deberet, ne præ manu esset jure libertatis dicere : Nolo mihi Jovem propitium; tu, quis (3) est me conveniat Janus (*a*) iratus ex qua velit fronte; quid tibi mecum est? Formati estis (4) ab iisdem utique spiritibus, ut nos pro salute imperatoris sacrificare cogatis, et imposita est tam vobis necessitas cogendi, quam nobis obligatio periclitandi. Ventum est igitur ad secundum titulum læsæ augustioris majestatis, siquidem majore formidine et callidiore (5) timiditate (*b*) Cæsarem observatis, quam ipsum de Olympo Jovem, (*c*) et merito (*d*) si sciatis. Quis enim ex viventibus non quilibet mortuo tuo potior (*e*) (6)? Sed nec hoc vos ratione

LECTIONES VARIANTES.

(1) Videtur, *Fran.*
(2) Inducitur, *Rhen. Paris.*
(3) Qui, *Seml.*
(4) Informati, *Paris.*
(5) Calidiore *Haverc. e cod. Fuld.*

(6) *Wouver. e ms. et Scalig.* mortuo potior? *Haverc.* : Quid enim? (*ex conject. Rigalt.*) ex viventibus quilibet non omni mortuo potior? *Herald.* ex viv. non quilibet mortuo potior? *Pamel. aliique* : ex viv. non cuilibet mortuo potior?

COMMENTARIUS.

Quodque bonis pravi sæpe nocere queunt.
Hosque Dei nutu non fit, qui corda suorum
His etiam bellis glorificanda probat.
Crescunt virtutum palmæ, crescuntque coronæ
Mutantur mundi prælia pace Dei.

CAP. XXVIII. — (a) *Ex qua velit fronte.* Quem itaque tuto subsannabo, nec videbit me.

O Jane, a tergo quem nulla cieonia pinsit,
Nec manus auriculas imitata est mobilis albas,
Nec linguæ, quantum sitiat canis appula, tantæ;

apud Persium Sat. I. 5. Qui Janus in ridicula illa Claudii Apocolocyntosi, quam lusit Seneca, vocatur *Homo quantumvis vafer, qui semper videt ἅμα πρόσω καὶ ὀπίσω.* Quem itaque bilinguem inducit Statius Sylv. IV. 2. 15. Consulat. Domitiani :

Levat ecce supinas
Hinc atque inde manus, geminaque hac voce profatur.

Hoc loco τὸ *ex* expungit Fuld. : unde fortasse vera conjectura Junii et *quia velit fronte.* HAV.

(b) *Calidiore timiditate.* Ita expresse legitur in Cod. Fuld. adstipulante etiam Aldino, cum in aliis legatur locumque passim occuparit vox *calidiore.* Quæ hic minus apta videtur; vult enim exprimere auctor fervorem et zelum religionis quem prætendebant gentiles, quemque ostendit ardentiorem multo circa Imperatores, qui homines tantum, quam Deos ipsos quos credebant immortales. Et sicut *calidam* timiditatem appellat Tertull. assentationem illam quæ sub religionis et honoris specie multis ineptis verbis fit Cæsari, ita Lucretius quoque amicam cujus lingua nunquam silet, sed verbosas nugas semper et ubique profundit, aptissimo verbo vocat *flagrantem.* lib. IV. 1159.

At flagrans, odiosa, loquacula, λαμπάδιον fit.

Facile itaque Diis suis superinduxit Asia Romam et Cæsarem, quibus templa erexit adhucdum in nummis conspicua, titulo ROM. ET AVG. COM. ASI. Consule proferentem illos Patinum in Thes. p. 48 et 52. Cod. L. B. *majori et callidiori.* HAV.

(c) *De Olympo Jovem.* Ita eleganter loquitur, cum potuisset dicere *Jovem Olympium.* Sed voluit imitari Lucretium suum, qui ita mammosam Cererem appellavit *ab Iaccho,* pro Iacchi vel Bacchi amicam, vel, ut notat Salmas, ad dedicat. statuæ Regillæ p. 36. Iacchi matrem qui frater fuerit Proserpinæ. Locus poetæ est IV. 1162.

At gemina et mammosa, Ceres est ipsa ab Iaccho.

Quo respiciens Arnob. lib. III. *Avet animus, atque ardet in chalcidicis illis magnis, atque in palatiis cœli deosque deasque conspicere intectis corporibus atque nudis : Ab Iaccho Cererem* [*musa ut prædicat Lucretii*] *mammosam.* etc. HAV.

(d) *Et merito.* Voculam *et* delet L. B. Ald. Barr. et Rhen. ed. prima : *etiam* legunt, Scilicet ut Juvenalis Sat. V. 132. ille deus erat, qui prodesset.

Quadringenta tibi si quis deus, aut similis dis,
Et melior fatis donaret homuncio.

Ille ἐπιφανέστατος cujus præsens erat auxilium. Hinc Valerii Maximi adulatorium, illud in prologo ad Tiberium, quem diis præponit, *quod,* inquit, *cætera Divinitus opinione colligitur, tua præsenti fide, paterno avitoque sideri par videtur.* Quid miremur itaque Ovidii votum, ubi loquitur de Augusto?

Ut mihi Di faveant, deus est manifestior ipsis. HAV.

(e) *Quilibet non omni m. p.* Expressi Cod. Fuld. lectionem. pro qua Rig. mavult *quilibet non mortuo potior?* Quomodo et representant Membranæ L. B. Herald. *non quilibet.* Wouw. ex MS. et Scaliger præferunt *non quolibet mortuo p.* Pam. denique et alii, *non cuilibet m. p.* Puto tamen scripsisse Nostrum, *nonne omni mortuo potior?* Est vero dictum proverbialiter, pulchreque extulit sapientissimus rex Salomo in libro cui titulus Eccles. IX. 4. *Canis vivus mortuo leone potior.* Cum enim mortuus nihil sentiat, lepide non sepulcro, sed sibi vivo videnti sentientique dona exhiberi vult iste in Anthologia lib. II. c. XLVII. ep. 3.

Μὴ μύρα, μὴ στεφάνους λιθίναις στήλαισι χαρίζου,
Μηδὲ τὸ πῦρ φλέξῃς· εἰς κενὸν ἡ δαπάνη.
Ζῶντί μοι, εἴτε θέλεις, χάρισαι· τέφρην δὲ μεθύσκων
Πηλὸν ποίησεις, κ' οὐχ ὁ θανὼν πίεται.

Quod præter alios venuste ita transtulit Buchananus.

Nemo meas cumulet violis fragrantibus umbras,
Nec mihi pyramidum mole sepulcra locet.
Si quis amat, vivo largum se præstet amico,
Talibus officiis dum locus esse potest.
Verum ubi consumptos Lachesis mihi finiet annos,
Vel fracta incultis horreat urna rubis.

Et pressius paulo Opsopœus.

Marmoreas statuas noli redimire coronis,
Grata nec in flammas fundere vina velis.
Viventi, si quid placitum est, largire sodali;
Perfundens cinerem, reddis amice lutum.
Qua tibi re saltem sumptus perduntur inanes,
Et mihi defuncto nullus habetur honos.

Quod argumentum Anaxarchus sophista etiam non neglexit apud Arrianum de Exped. Alex. p. 165.

Digitized by Google

facitis potius quam respectu præsentaneæ (1) (*a*) po- A testatis, adeo et in isto irreligiosi erga deos vestros (2) deprehendimini, qui plus (3) timoris humano dominio dicatis. Citius denique apud vos per omnes deos, quam per unum genium Cæsaris pejeratur.

CAPUT XXIX.

ARGUMENTUM. — *Neque mirari id oportere, quum ipsi illi Dii Cæsarem Dominum agnoscant, qui illos exuviis suis salvos præstet, non quem ipsi numine suo incolumem servent, experti illum et iratum et benevolum. Non itaque irreligiosos haberi debere Christianos Cæsarique inimicos, qui illum rebus suis non subjiciant, sed magis illos, qui salutem Cæsaris suamque non solum a Diis talibus exspectent, qui dare non possunt, sed et illos persequantur, qui a vero Numine illam et petere sciant et impetrare.*

Constet igitur prius, si isti, quibus sacrificatur, salutem imperatori (4) vel cuilibet homini impertiri possunt, et ita nos crimini (5) addicite. Si angeli aut dæmones substantia pessimi spiritus beneficium aliquod operantur, si perditi conservant, si damnati liberant, si denique (quod (6) in conscientia vestra est) mortui vivos (*b*) tuentur: jam utiquè suas primò statuas et imagines et ædes tuerentur (*c*) (7), quæ, opi-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Præsentaneæ, *Paris.*
(2) Deprehendemini, *Fran.*
(3) Cum plus, *Fran., Paris., Rig.*
(4) Imperatoribus, *Fran., Rig.* B
(5) Majestatis, *add. Fran.*
(6) In *add. Fran.*
(7) Vindicarent, *cod. Fuld.*

COMMENTARIUS.

lib. IV. cum contenderet vivo Alexandro divinum honorem esse præstandum. Καὶ γάρ, aiebat, οὐδὲ ἐκεῖνο εἶναι ἀμφίλογον, ὅτι ἀπελθόντα γε ἐξ ἀνθρώπων ὡς θεὸν τιμήσουσι, πόσῳ δὴ δικαιότερον ζῶντα γεραίρειν ἅπερ τελευτήσαντα, ἐς οὐδὲν ὄφελος τῷ τιμωμένῳ; i. e. *Neque enim dubium esse, quin postquam e vivis excessisset, ut deum culturi essent, multo igitur satius esse, vivo illi honores divinos conferre quam mortuo, quum nulla ad eum cultus utilitas esset perventura.* Verissime itaque Publius Syrus Mimus versu 808.

Mortuo munus qui mittit, nil dat illi, adimit sibi.

Imo omnium mortuorum parva ratio habetur, unde Mnesilochus ille Plautinus jussus a Pistoclero Bacch. IV. III. 16. bonum habere animum, respondit:

Unde habeam? mortuus pluris pretii est, quam ego [sum.

Itaque ut mortuo leoni insultant lepores, non aliter C Megapenthes ille a servulo suo, jam mortuus, impune contemnitur, cæditur, conspurcatur. Vide Lucianum in Tyranno. Pro *vos*, in sequentibus, *vobis* habet Cod. Agob. HAV.

(a) *Repræsentaneæ potestatis.* Aldus et Rhen. præferunt *præsentaneæ*, quasi alterum illud vel minus sit latinum vel hoc loco sit inconveniens, quomodo in MSS. suis exstare etiam testatur Heraldus, qui tamen recte veterem et optimorum codicum lectionem adstruit. Est enim *repræsentanea potestas* hic illa, quæ divinam repræsentat et sustinet in terris vicem, quam non ratione illa quod Dei vicem præstet, sed sui ipsius respectu, quasi in se divina sit, illos colere ait Tertullianus, utpote quæ etiam potis erat repræsentare pœnas, id est, confestim exigere, esseque ideo timenda magis quam illa miserorum deorum, qui fato obnoxii inultos dolores cum Junone sæpe flere coguntur, vel si fulmen emittant tandem et sero, nonnunquam aberrantes a scopo alienos a D culpa transverberare putabantur, quum viderent, quomodo ex Epicurea Lucretii mente II. 1102. telum Jovis ipsius

Sæpe nocenteis
Præterit, exanimatque indignos inque merenteis.

Quem locum imitatus est Lucianus cum in Jove Confutato Cynicum ita loquentem facit, altercantem cum Jove: Τί δήποτε τοὺς ἱεροσύλους, etc. i. e. *Qui fit tandem, ut omissis tot sacrilegis, latronibus, flagitiosis, violentis, perjuris, quercum aliquam plerumque, aut lapidem, aut navis insontis velum fulmine petatis, interdum etiam frugi ac sanctum viatorem?* Nec in Nat. Quæst. neglexit Seneca. Ibi cap. XLII. *Utrum enim*, inquit, *cum emisit ignes, quibus innoxia capita percuteret, scelerata transiret, aut noluit justius mittere, aut non successit?* Quare ita quoque interpretatur fax eruditionis Is. Casobonus illud Suetonii in Claudi. c. XXXIV. *pœnasque parricidarum repræsentabat*, i. e. sine dilatione exigebat. Quo nomine Claudium vituperat Suetonius, quod et sæculo suo talem inustam notam vellet et sustineret præsens avide spectare, aliter ac Augustus imperii formator, de quo idem c. XXIII. in Vita ejus: *Dixit autem jus non diligentia modo summa, sed et lenitate: siquidem manifesti parricidii reum, ne culeo insueretur, quod non nisi confessi afficiuntur hac pœna, ita fertur interrogasse: Certe in patrem tuum non occidisti.* Qui Casaub. quoque Valerii Maximi VI. 5. locum adducit de Charonda Thurio, qui cum tulisset legem ne quis ferro accinctus in concione adesset, ipse improvidus peccans suæ legis ultor se interfecit. *Cumque liceret culpam vel dissimulare, vel errore defendere: pœnam tamen repræsentare maluit, ne qua fraus justitiæ fieret.* De Augusto Sueton. cap. ult. *Quam summam repræsentari jussit, nam et confiscatam semper repositamque habuerat:* loquitur de testamento ejus. Idemque de Nerone cap. V. *Sed et in prætura mercede palmarum aurigarios fraudaverit. Notatus ob hæc et sororis joco, quærentibus dominis factionum, repræsentanda præmia in posterum sanxit.* HAV.

CAP. XXIX.—(a) *Mortuis vivos.* Insignis sarcasmus Lucretiano par, qui de matre deum Cybele simile pronunciare non dubitat lib. II. 625.

Ergo cum primum magnas invecta per urbeis
Munificat tacita mortaleis muta salute;

quid enim lapis informis, mutus, homini præstare potest? HAV.

(c) *Imagines et ædes tuerentur.* Fuld. Cod. legit *vindicarent*, quasi nolit cum aliis repetere *tuerentur*, ubi modo dixit *tuentur*. Tantum vero abest, illas ut tueantur miseri dii isti, ut potius illis ipsis non parcant, nec a fulmine vel suo vindicare possint, cum semel ex manibus sit elapsum: testis Lucretius lib. VI. 416.

Postremo cur sancta Deum delubra suasque
Discutit infesto præclaras fulmine sedes,
Et benefacta Deum frangit simulacra, suisque
Demit imaginibus violento volnere honorem?

Idem lib. II. 1100.

Tum fulmina mittat, et ædes
Sæpe suas disturbet.

De quo queritur ille apud Aristophanem ἐν Νεφέλ. quod cum perjuros petere deberet Jupiter, illos negligeret,

Ἀλλὰ τὸν αὑτοῦ νεὼν βάλλει, καὶ Σύνιον ἄκρον Ἀθηνῶν.

Sed templum potius suum et promontarium Athenarum Sunium peteret. Quem quoque romanæ religioni non magis favisse testis est M. Tullius libro de Consulatu:

Nam pater altitonans stellanti nixus Olympo

Digitized by Google

nor Cæsarum milites excubiis suis (1) salva præstant (*a*). Puto autem, hæ ipsæ materiæ de metallis Cæsarum veniunt, et tota templa de nutu Cæsaris constant (*b*). Multi denique dii habuerunt Cæsarem iratum. Facit ad caussam, si et propitium, cum illis aliquid (2) aut liberalitatis aut privilegii, confert. Ita qui sunt in Cæsaris potestate, cujus et toti sunt, quomodo habebunt salutem Cæsaris in potestate, ut eam præstare posse videantur, quam facilius ipsi a Cæsare consequuntur (3)? Ideo ergo (4) committimus in majestatem imperatorum, quia illos non subjicimus rebus suis; quia non ludimus de officio salutis A eorum, qui eam non putamus in manibus esse plumbatis (*c*). Sed vos religiosi (5), qui eam quæritis ubi non est, petitis a quibus dari non potest, præterito eo in cujus est potestate. Insuper eos debellatis, qui eam sciunt petere, qui etiam possint (6) impetrare, dum sciunt petere.

CAPUT XXX.

ARGUMENTUM.— *Solos enim Christianos pro Imperatore Deum verum, Deum vivum invocare, illum Deum, quem naturaliter, et se majorem novit ipse Imperator, cui cuncta debet, a quo exspectat. Ab hoc illos, quæ Imperatori, orbi, sibi tuta sint, pie, vere, recte petere et impè-*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Suis, *abest Paris.*
(2) Si et propitius illis aliquid, *leg. Parisin.*
(3) Consequantur, *cod. Lugd.*
(4) Enim, *cod. Fuldens.*
(5) Irreligiosi, *Fran.*
(6) Possint, *Fran.*

COMMENTARIUS.

Ipse suas arces atque inclyta templa petivit,
Et Capitolinis injecit sedibus ignem.

Quod cum sæpissime accidisse veterum testimonia declarent, tum Apollini etiam accidisse, et quidem pœnarum vice, quando Babylæ martyris cineres loco moveri vellet, auctor est Theodoret. Aff. Græc. Cur. p. 142. Καὶ ὁ Δαφναῖος Ἀπόλλων τὸν ἡμέτερον παρασκευάσας μετατεθῆναι νεκρὸν, οὐρανόθεν ἐδέξατο τὸν σκηπτὸν. Quin hominibus etiam obnoxii sunt, non tantum quando capta urbe ab hostibus eadem strages muros et templa, eadem rapina sacra et profana involvit, sed cum perfossor aliquis, fur vel prædo ipsa simulacra et deorum ornamenta auferet. Notat Diogenes Laertius Demetrium quemdam philosophum Ixionem cognominatum, quoniam injuria affecerat Junonem, quæ qualis fuerit docet Hesychius Milesius. Δημήτριός C τις ἕτερος Ἰξίων ἐπεκλήθη, διότι λεπίδας χρυσᾶς κλέπτων τοῦ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τῆς Ἥρας ἀγάλματος ἐφωράθη; i. e. *Demetrius alter, cognomento Ixion dictus, quod deprehensus fuerit furto subduxisse bracteas aureas ab Alexandrinæ Junonis simulacro.* Rogatque Menippum Jupiter an comprehensi essent qui Dodonæum templum sacrilegio spoliassent. Apud Lucianum p. 294. in Icaromenippo. Scilicet ut vere Baruchus, cap. vi. 56. *Neque contra fures, neque prædones tutari seipsos possunt lignei, argentei, aureique dii.* Quomodo ipsi sacerdotes deæ Syriæ in furto deprehenduntur apud Lucianum in Asino p. 154. occultantes phialam auream, ex delubro raptum donarium, in sinu deæ suæ. Irridetque Solon apud Lucianum Crœsum aureos lateres Apollini destinantem, in Charonte, aliis scilicet paratam et opimam prædam. Lepide Cynicus ad Jovem apud Lucian., in Dial. cui nomen Jup. Confutatus: Ἐῶ γὰρ λέγειν, etc., i. e. *Omitto vos perinde atque nos latrociniis et sacrilegiis compilari a sacrilegis, et ex ditissimis pauperrimos momento temporis evadere, multi enim vestrum ex auro argentove conflati sunt.* Expertus Apollo: quem idem Lucian. misere denudatum prostituit in Jove Tragœdo, ubi ita Mercurius: Καὶ γὰρ καὶ τὸν Ἀπόλλω ὁ αὐτὸς πολύχρυσον, etc., i. e. *Sed enim ille ipse,* Homerus sc., *auri multi et opum possessorem Apollinem dixit: quem tamen in extremis sedentem videbis, direpta ipsi a latronibus corona, et surreptis citharæ verticillis.* Quæ quidem indubie ex Varrone desumpta sunt, cujus fragmentum ex Satyris Menippeis huc spectans exhibet nobis Arnob. lib. vi. *Ubi denique Apollo divinus, cum a piratis maritimisque prædonibus et spoliatus ita est, et incensus, ut ex tot auri ponderibus, quæ infinita congesserant sæcula, ne unum quidem habuerit scripulum, quod hirundinibus hospitis ostenderet.* Sed illud superest, ut miseri verbis etiam contumeliosis rideantur, prout affatim in Dionysio Siculo latrone illo eorum ostendit Lactantius lib. II. c. 4. concludens: *In eo igitur quia homines sacrilegia vindicare non poterant, oportuit deos ipsos sui vindices esse.* Id vero factum non est, nec in Dionysio illo nec in aliis, secure ideo Jovem allatrante Cynisco apud Lucianum rursus, sibi nihil ab ipso metuere prædicans: ἐπεὶ οὐδ' αὐτοὺς, etc., i. e. *quoniam neque illos ipsos sacrilegos puniri video: sed plurimi manus vestras effugiunt.* Quæ omnia pulchre exsequitur Prosper Aquitanicus De Promiss. et Prædict. lib. III. c. 38. ostendens nullam vim cunctis Gentium Diis inesse ut auctoritatem suam contra unum filium hominis Christum crucifixum tueantur. Verba ejus sunt. *Hic tanta deorum illa turba certorum atque incertorum, quos Varro prodit, illi etiam proceres et electi dii, cum ipso rege suo Jove fulmina vibrantes consilio potentiâque, ut eorum cultores ferunt, metuendi, armisque terribiles, hic hic aliquid, si non pro mundo, saltem pro se oportebat agere, ne scilicet unus eos perderet crucifixus. Perisse vero et nos novimus, et David propheta confirmat, dicens: perit memoria eorum cum strepitu, et Dominus in æternum manet.* HAV.

(a) *Excubiis suis salva præstant.* Vocem *suis* non agnoscunt Ald. et Rhenanus. Hinc interim discas licet, pretiosiora simulacra manu militum fuisse custodita, quod et pulcherrime discas ex loco Justini Martyris a La Cerda allato: sed est alter Lactantii; is lib. II. c. 4. de hisce statuis ita disserit: *Adorant ergo mortalia, ut a mortalibus facta: frangi enim, cremari possunt ac perire. Nam et tectis vetustate labentibus sæpe comminui solent, et consumpta incendio dilabuntur in cinerem: et plerumque [nisi sua illis magnitudo subvenerit, aut custodia diligens sepserit] in prædam furibus cedunt;* quod certe accidit Priapo isti marmoreo apud Martial. VI. 72. Adeoque de omnibus istis nugis exclamare libet istud Firmici de Palladio in libello de Errore profan. Gentium: *Incensa est* D *Troja a Græcis, a Gallis Roma, et ex utroque incendio Palladium reservatum est. Sed reservatum non propriis virtutibus, sed humano præsidio, ab utroque enim loco homines liberunt; et translatum est, ne humano flagraret incendio.* HAV.

(b) *Tota templa de nutu* C. De Caligula Sueton. c. XXII. *Datoque negotio, ut simulacra numinum, religione et arte præclara, inter quæ Olympici Jovis, apportarentur e Græcia, quibus capite demto suum imponerent, partem palatii ad forum usque promovit, atque æde Castoris et Pollucis in vestibulum transfigurata, consistens sæpe inter fratres deos medium se adorandum adeuntibus exhibebat.*

(c) *Plumbatis. Plumbatæ manus* sunt fulcro quodam plumbi ferruminatæ, ne facile delaberentur vel dehiscerent, ut recte interpretes. Id in incurvatione brachiorum et manuum extensione præcipue requirebatur. HAV.

Digitized by Google

trare, aliter ac Gentium vota sunt, gravissimæ oratione ostendit. Tales in ipso supplicationis gestu mactent, inquit, animam Deum pro Imperatore ambientem extorqueant, veritatem et Dei devotionem, irreligiositatem, si possint, deputent.

Nos enim pro salute imperatorum (*a*) Deum invocamus æternum, Deum verum (1), Deum vivum, quem et ipsi imperatores propitium sibi præter cæteros malunt. Sciunt, quis illis dederit imperium (*b*); sciunt, qua (2) homines, quis et animam (3); sentiunt, eum Deum esse solum, in cujus solius potestate sunt, a quo sunt secundi, post quem primi, ante omnes et super omnes deos. Quidni (4)? cum super A omnes homines (5), qui utique vivunt et mortuis antistant. Recogitant, quousque vires imperii sui valeant, et ita Deum intelligunt; adversus quem valere non possunt, per eum valere se cognoscunt. Cœlum denique debellet (*c*) imperator, cœlum captivum triumpho suo invehat (*d*), cœlo mittat excubias, cœlo vectigalia imponat (6). Non potest; ideo magnus est, quia cœlo minor est. Illius enim est ipse, cujus et cœlum est et omnis creatura. Inde est imperator, unde est et homo antequam imperator; inde potestas illi, unde et spiritus. Illuc (7) suspicientes Christiani manibus expansis (*e*) quia innocuis, capite nu-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Et, *addit. Paris.*
(2) Quis, *Paris.*
(3) Animos, *Paris.*
(4) Quidni? cum — homines, *abest Paris.*
(5) *In cod. Fuld. et Rhenani edit.* desiderantur vv. B Quidni — homines. *Cod. Lugd. I. et Gelen.:* deos [homines qui, etc. Aldus: Qui diu cum, etc. — *Loco voce.* vivunt *et Hav. e. cod. Fuld.* viventes.
(6) Cœlo — imponat, *abest Paris.*
(7) Sursum, *e cod. Fuld. add. Haverc.*

COMMENTARIUS.

(a) CAP. XXX. — *Pro salute Imperatorum.* Ad Scapulam c. II. *Ita nos magis oramus pro salute imperatoris, ab eodem postulantes, qui præstare potest.* Et sane memorabilis huic rei confirmandæ est sculptura gemmæ, cujus ectypon in Ludovici Chaluci Dactyliotheca MS. quæ est S. Genovefæ Parisiensis exstare testatur Dom. Du Cange in Dissertat. de inferioris ævi numismatibus p. 20. Huic gemmæ insculptum est Christi monogramma cum A. et Ω. ad latera, et hisce in circuitu characteribus, SAL. DO. N. ALEX. FIL. LUCE; i. e. ut explicant, *Salus Domini nostri Alexandri filii Mammææ lucet.* Qualis monogrammatis inscriptio in nummis Constantii et Decentii etiam invenitur. Dubitat tamen illustriss. Du Cange an tempore Alexandri istius sculpta fuerit, quoniam fucum facit illi vox *Domini nostri*, quæ tamen sensu communi non vice Dei dicta, ut loquitur Noster c. XXXIV. sumi potest. Sed ego gemmam istam potius referendam puto ad aliquem Alexium ex Imperatoribus Constantinopolitanis, ut sit *Salus Domini nostri Alexii filiis Manuelis lucet.* Quin pro salute Cæsaris non alium quam ipsum Jovem summum sibi deum invocabant gentiles. Martialis VII. 59. adulatorie admodum:

Tarpeiæ venerandæ rector aulæ,
Quem salvo duce credimus tonantem,
Cum votis sibi quisque te fatiget,
Et poscat dare, quæ Dii potestis:
Nil pro me, mihi, Jupiter, potenti
Ne succensueris, velut superbo.
Te pro Cæsare debeo rogare:
Pro me debeo Cæsarem rogare.

Itaque gemma vel ad Alexium referri debet, vel possessor ejus fuit homo christianus jam sub Alexandro Severo. HAV.

(b) *Dederit imperium.* Quod nequeunt Dii falsi, qui ut ait Jeremias in libro Baruchi cap. VI. 33. *Regem throno imponere vel dejicere nequeunt.* Plinius quoque significanter in Panegyrico ad Trajanum: *Ac, si adhuc dubium fuisset forte casuque rectores terris an aliquo numine darentur, principem tamen nostrum liqueret divinitus constitutum. Non enim occulta potestate fatorum, sed ab Jove ipso coram ac palam repertus, electus est.* HAV.

(c) *Cœlum debellet Imperator.* Pari modo Callisthenis procedit argumentatio apud Curtium lib VIII. c. 5. ubi fœdam Cleonis adulationem de Alexandro vivo ut deo colendo refutat: *Potentiam tuam experiri libet? Fac aliquem regem, si deum potes facere: facilius est imperium dare quam cœlum.* Pro *valere se* Rhen. *se valere.* HAV.

(d) *Triumpho suo invehat.* Notus mos antiquus, captarum urbium picturas, memorabiles etiam pugnas et victorias depictas in thensis circumferri a triumphantibus solitas. Huc alludit Tertullianus. Rhen. Codex sex sequentes voces non agnoscebat. HAV.

(e) *Illuc suspicientes Christiani manibus expansis.* Aptissime ad hunc christianum sensum ritumque Triphon Luciani: ἡμεῖς δὲ τὸν ἐν Ἀθήναις Ἀγνώστον ἐρεύροντες καὶ προσκυνήσαντες, χεῖρας εἰς οὐρανὸν ἐκτείναντες, τούτῳ εὐχαριστήσομεν. Cæterum etiam ethnicos manibus expansis adorasse discimus ex Lucretii versu lib. V.

Nec procumbere humi prostratum, et pandere palmas
Ante deum delubra.

RIG. — *Illuc sursum suspicientes.* Qui ipse habitus in cœlum erectus mundi contemptum indicat. Pulchre Clemens Alexandrinus l. VII. Strom. p. 231. E. *In cœlum erigimur, una cum verbo corpus a terra abducere conantes, erectam et elevatam animam desiderio meliorum cogimus in sancta progredi magno animo carnis vinculum despicientes.* Mauricius Senonensis, de Missa, quem Bibliographiæ suæ annexuit sæpius laudatus Jo. Alb. Fabricius versu 60. de turba in Sacro stante, etc.

Ut sis attentus, patiens, erectus in hostem,
Et caput, et baculus et status ipse docet.
Quippe caput retegens attente audire moneris;
Parcere, cum baculum rejicis, instrueris.
Stans, discis quoniam stantes pugnare solemus,
Quod te pugna gravis sub vigili hoste manet.

Joh. Chrysostomus in Ps. CXXIX. de Elia: *Si vis autem eum etiam rectum videre stantem in oratione, vide eum rursus extensum in cœlum, et ita extensum ut etiam ignem e cœlo dejiceret.* Scilicet erecto corpore spiritus incurvatur, nec pallii sed cordis scissionem postulat Deus. Hinc Hieronymus lib. II. in ep. ad Eph. c. 3. *Sicut externa genuflexio ædificat simplices, sic veram geniculationem esse docemus in animo, quia multi corporale flectentes genu, animæ nequaquam poplitem curvaverunt: et contra alii erecto Deum corpore deprecantes, magis se animo curvaverunt.* HAV. *Manibus expansis.* Quod cum in omni vitæ discrimine homini proprium notet Apuleius in versione Aristotelis de Mundo, tum præsertim Dei servus, qui ab illo et vitam et salutem exspectat, manus ad cœlum Deumque simul cum corde tollere jubetur a Jeremia Threnor. III. 41. De hoc ritu videri merentur Joh. Philoponus ad Hexaemeron p. 43. Joach. Hildebrandus qui tres operosos libros de precibus Christianorum veterum edidit lib. II. cap. 9. Joh. Pricæus, Claud. Espenceus ad I. Timoth. 2. Barth. Advers.

Digitized by Google

do (*a*), quia non erubescimus, denique sine monitore (*b*), quia de pectore oramus. Precantes sumus omnes semper pro omnibus imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, et quæcumque hominis et Cæsaris vota sunt. Hæc ab alio orare non possum, quam a quo scio (1) me consecuturum, quoniam et ipse est qui A solus præstat, et ego sum cui impetrare debetur, famulus ejus, qui eum solum observo, qui propter (2) disciplinam ejus occidor (3), qui ei offero opimam et majorem hostiam (*c*), quam ipse mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de spiritu sancto profectam. Non grana thuris (*d*) unius assis (*e*), Arabicæ arboris lacrymas (*f*) nec duas meri gut-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Sciam, *Paris.*
(2) *Rhen., Gel., Gamgnæus :* eum solum; *cæteri :* solus. *In sqq. Hav. e cod. Fuld.* pro disciplina. vv. qui propter disc. e. occidor *non leguntur in edd. Rhen. Aldi, Heraldi et cod. Lugd. II.*
(3) Qui — occidor, *abest Paris.*

COMMENTARIUS.

III. 2. Hoornbeek Niscell. p. 297. Adam Rechemberg. in N. T. et Hist. Eccles. pag. 145. Brouerius de Miedek eleganti libello de Adorationibus cap. XXI. Et tandem, cujus de hoc argumento exstat singularis dissertatio Adamus iterum Rechenbergius lipsiæ A. 1688. edita. HAV.

(a) *Nudo.* Non ut gentiles velato. Consule interpretes, Heraldum et la Cerdam. Fuld. Cod. *nudato.* Consule et hic laudatum Brouerium p. 144. et Calvoerium Tom. II. Ritualis Ecclesiastici p. 555. HAV.

(b) *Sine monitore.* Apud Ethnicos monitor præibat preces, ac de scripto quidem, ne quid verborum præteriretur, aut præposterum diceretur; rursusque alius custos erat, qui attenderet; alius qui faveri linguis juberet. Plinius cap. 2, lib. XXVIII. RIG. — *Monitore.* Addi potest notis Interpretum Plautus in Mostell.

Ad legionem cum stant adminiculum
Ei dabunt aliquem cognatum suum.

tales enim monitores romanis adolescentibus anno stipendii primo additos docet Servius, et apud Val. Flaccum Iphiclus adest Argaunotis lib. I. 475. non ut C pugnet,

monitus sed tradat ut acres,
Magnorumque viros qui laudibus urat avorum.

qui μνήμονες Græcis dicebantur ut docuit Meursius ad Cassandram Lycophronis p. 158. Ita in Sacris Monitores erant qui formulam precum insusurrabant, quique præibant formulam precum, sive meditatum carmen. Aristander apud Curtium lib. IV. cap. XIII. *in candida veste, verbenas manu præferens, capite velato præibat præces regi.* Plinius hujus religiosi ritus multa persequitur lib. XXVIII. cap. 2. cui adde Alexandrum ab Alex. Genial. Dier. II. 14. et IV. 17. meliorique fato dignissimum Barnabam Brissonium lib. de Formulis, I, p. 61. Formula talis necessaria certe, in tot notis ignotisque nominibus, quorum appellatione Deos suos delectari arbitrabantur, quam βαττόλογίαν appellat Servator noster, monitor melioris formulæ, Matth. VI. 7. 9. cujus S. Spiritus nobiscum et pro nobis ineffabilibus orat gemitibus. HAV.

(c) *Qui ei offero opimam et majorem.* Cum locum hunc detorqueant Magdeburgenses adversus sacrificium altaris, requirebat de eo tractatum latiorem; sed remittimus lectorem ad lib. ad Scapulum, infra: quem etiam perperam pro se allegant: quippe qui nominatim voce *sacrificamus* ibidem utitur. PAM. — Hostiæ aliæ majores, aliæ lactentes dicebantur. De majoribus, id est, maximis est locus Ciceronis 2. Orat. in Rullum. *Erunt hostiæ majores in foro constitutæ.* Porro majores hostiæ sive victimæ (sic enim licenter omnes vocant) erant tauri, nec enim nunc discrimen illud inter oves et tauros constituo. LAC.

(d) *Non grana thuris.* Frustra esset qui locum hunc usui Ecclesiæ adversari diceret, quæ in sacrificiis thure utitur. Adhibetur quippe ex traditione et institutione apostolica. Can. 3. Apost. id habet μὴ ἐξὸν ὃὲ ἔστω προσάγεσθαί τι ἕτερον πρὸς τὸ θυσιαστήριον, ἢ ἔλαιον εἰς τὴν λυχνίαν, καὶ θυμίαμα, τῷ καιρῷ τῆς ἁγίας προσφορᾶς LE PR.

(e) *Unius assis.* Videlicet exigui pretii. Dabatur enim vix tantum, quantum duo tresve digiti comprehendere possent. Lactant. V. 19. ex mente Gentilium. *Nam cruciari atque interfici malle, quam thura tribus digitis comprehensa in focum jactare; tam ineptum videtur, quam in periculo vitæ alterius animam magis quam suam curare.* Hieronymus quoque in Epist. ad Heliodorum: *Non est in eo tantum servitus idoli, si quis duobus digitulis thura compressa in bustum aræ jaciat,* etc. Lactant. rursus I. 20. *Colunt enim thure, ac summis digitis, quæ sensibus intimis colore debuerunt.* Quos itaque digitos liberus a fasciis in sacrificando voluit esse Numa Rex apud Liv. I. 21. *Manuque ad digitos usque involuta rem divinam facere.* Pertinet et huc locus Curtii lib. VIII. c. 5. ubi Cleo adulator Alexandro divinum honorem vivo etiamnum haberi vult: *quibus uno modo referri gratia posset, si quem intelligerent Deum esse, confiterentur, exigua thuris impensa tanta beneficia pensaturi.* Irridet et more suo Lucianus, non tantum in Asino p. 122. ubi maga χόνδρους δύο λαβοῦσα, τὸν μὲν λιβανωτὸν, τῷ πυρὶ τοῦ λύχνου ἐπέθηκε; i. e. *acceptis duobus granis, thus igni lucernæ imposuit.* Sed præsertim in Jove Tragœdo p. 200 ubi de sordibus Menesithei queritur Jupiter, qui vetulum gallum immolaverat. *Præterea quatuor thuris grana, carie obsita, ita ut prunis extinguerentur, neque summis tantillum naribus odorem præberet fumus.* Porphyrii quoque et Ovidii locos adducit Doctissimus Brodæus Miscell. lib. V. cap. 8. quæ Lampadis sui tomo II. inseruit Janus Gruterus. Alexander. Magnus ille, imprimis ab ineunte ætate magnifice Deos coluisse dicitur. Itaque Sacro quodam libera manu thura injiciens flammis, a Leonida, parco et severo viro, ita fuit correptus: *Sic adolebis, quum regiones subegeris, ubi hæc nascuntur.* Cujus vocis memor? quum postea victor Arabia esset potitus, grandem odorum vim Leonidæ misisse dicitur, cum hoc elogio: *ne posthac in Deorum honoribus restrictior esse vellet, quos intelligeret dona hilariter oblata tam larga* D *manu rependere.* Narrant historiam Plutarchus in Alex. C. XLIV. et Apophth. XXXVII. Plin. XII. 14. 17. Denique marmora et nummi rem ante oculos ponunt, ut apud Choulium videre licet in marmore Romano antiquo, quod adducit et exhibet in libro de Religione Veterum Rom. eo in loco ubi de vestibus Sacerdotum xylinis agit, et in nummo Lucillæ Augustæ, ubi illa habitu Pietatis læva acerram tenet, dextra thus mittit, *trinis digitis flore capto*, ut apud Plinium lib. XXIV. c. 10. emendat Scaliger Epist. XVIII. illum Ovidii locum adducens,

Et digitis tria thura tribus sub limine ponit.

Eadem Pietatis facies, idem habitus in L. Ælii nummo cernitur, nisi quod ibi læva etiam pateram teneat. HAV.

(f) *Arabicæ arboris lacrymas.* Barr. Rhen. Herald. et ipse Rigalt. scribunt *non Arabicæ a. l.* quomodo et L. B. Sed minus recte, delet enim Fuld. et Pam.

Digitized by Google

tas (*a*), nec sanguinem reprobi bovis (1) mori optantis, et post omnia inquinamenta etiam conscientiam spurcam : ut mirer, cum hostiæ probantur (2) penes vos a vitiosissimis sacerdotibus, cur præcordia potius victimarum, quam ipsorum sacrificantium examinentur (3). Sic itaque nos ad deum expansos ungulæ fodiant, cruces suspendant, ignes lambant (*b*), gladii guttura detruncent, bestiæ insiliant; paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis (*c*) Christiani. Hoc agite, boni præsides, extorquete animam Deo supplicantem pro Imperatore. Hic erit crimen, ubi veritas est Dei et devotio (4).

CAPUT XXXI.

ARGUMENTUM. — *Idagia christianis si in dubium vocent, in promptu esse ostendit Sacras Scripturas, quæ nec Gentibus variis ex casibus ignotæ sint : ex quibus patere possit, ibidem Christianis injungi, pro Regibus, Principibus Potestatibus et publica tranquillitate orare.*

Quod et naturæ consentaneum, quia turbata Republica ipsi etiam Christiani inquietantur.

Adulati nunc sumus imperatori ; et mentiti vota, quæ diximus, ad evadendam (5) scilicet vim (6). Plane (7) proficit ista fallacia. Admittitis enim nos probare quodcumque defendimus. Qui ergo putaveris (8) nihil nos de salute Cæsarum curare, inspice dei voces, litteras nostras, quas neque ipsi supprimimus et plerique casus ad extraneos transferunt. Scito ex illis, præceptum esse nobis (9) ad redundantiam benignitatis, etiam pro inimicis Deum orare, et persecutoribus nostris bona precari. Qui magis inimici et persecutores Christianorum, quam de quorum majestate convenimur in crimen ? Sed etiam nominatim atque manifeste : *Orate*, inquit, *pro regibus, et pro principibus, et potestatibus, ut omnia* (*d*) *tranquilla sint vobis.* Cum enim (10) concutitur imperium, concussis etiam cæteris membris ejus, utique et nos, licet extranei a turbis (11), in aliquo loco casus invenimur.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Hominis, *Fran.*
(2) Probentur, *Paris.*
(3) Examinentur *mavult Jun., Haverc.*
(4) *Ita cod. Fuld.; alii :* veritas et Dei devotio est. *Totum sententiam :* Hic erit — devotio, *delevit Rigalt.*
(5) Evadendum, *Paris.*
(6) Vim, *abest Paris.*
(7) Tamen, *cod. Fuld.*
(8) Putas, *Fran., Paris.*
(9) Scio ex illis præceptum esse nobis, *Fran., Paris., Rig.*
(10) Tranquilla sint. Vobiscum, *Fran., Paris.*
(11) *Ita legitur in cod. Fuld. et in edd. Rig. et Hav., reliquæ omnes :* a turbis æstimemur.

COMMENTARIUS.

Grana ista *thuris* dicit *Arabicæ arboris lacrymas*, namque ut Plinius copiose disserit N. Hist. XII. 14. De arbore Arabum thurifera : *Mitti semel anno solebat, minore occasione vendendi. Jam quæstus alteram vindemiam affert. Prior atque naturalis vindemia circa canis ortum, flagrantissimo æstu, incidentibus qua maxime videatur esse prægnans, tenuissimusque tendi cortex. Lazatur hic plaga non adimitur. Inde prosilit spuma pinguis. Hæc concreta densatur, ubi loci natura poscat tegete palmea excipiente, aliubi area circumpavita. Purius illo modo, sed hoc ponderosius. Quod in arbore hæsit, ferro depectitur. Ideo corticosum.* Arnobius quoque lib. VII. *Sed tamen, o pietas ! quantus iste est honor, aut qualis, qui ex ignis odore conficitur, et resina ex arboribus comparatur ?* Vide et quæ sequuntur ibidem. Sic omnis humor ab arboribus distillans *lacryma* vocatur, præsertim qui ex vite. Idem Plin. liq. XXXIII. in prœmio : *Lacryma vitium, quæ vetuti grumi est, lepras et lichenas et psoras nitro ante præparatas sanat.* Aldina editio legit *non a radice arboris lacrymas*, quasi vero succus ille a radicibus defiueret. Usum vero quem thura Christianis præstabant vide infra ad cap. XLII. HAV.

(a) *Duas meri guttas.* Præter morem illum, quem ex Arnobio notavit Herald. referri etiam potest ad illum, quo poculum vini haurientes, id quod erat residuum in fundo Diis libantes, pavimento allidebant. Quod illustrari potest ex Tacito lib. XVI. Annal. cap. ult. ubi Thrasea moriturus *porrectis utriusque brachii venis, postquam cruorem effudit, humum super spargens, propius vocato quæstore, Libemus, inquit, Jovi Liberatori.* Id Græci dicebant κατταβίζειν et ipsum plausum κοττάβισμὸς. Xenophon de Theramene uno ex triginta Tyrannis, qui Critiæ jussu interfectus est, Hist. Gr. lib. II. Καὶ ἐπεί γε ἀποθνήσκειν ἀναβαλλόμενος τὸ κώνειον ἔπιε, τὸ λειπόμενον ἔφασαν ἀποκοτταβίσαντα εἰπεῖν αὐτόν. Κριτίᾳ τοῦτ' ἔστω τῷ καλῷ. i. e. *Tandem quum mortem obire cogeretur, ac cicutam biberet : proditum est id, quod reliquum erat in poculo, sic ipsum ejecisse, ut resonaret, simulque dixisse : Hoc sibi pulcher ille Critias habeat.* Apud Plautum in Curcul. Act I. Scena II.

Venus de paulo paululum hoc tibi dabo,

inquit amator. Quoniam vero hic cum thure jungitur, magis id innui videtur quod ait Virg. lib. IV. Georg. 384.

Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam.

Suetonius lib. VII. c. 18. *Nihil invenit præter tepidam in ara favillam, atratumque juxta senem in catino vitreo thus tenentem, et in calice fictili merum.* Hic ritus quam fuerit antiquus patet ex Jothami illo Judic. IX. 13. ubi vitis regnum oblatum repudiat, dicens : *Num dereliquam mustum meum, quod lætificat Deum et homines ?* HAV.

(b) *Ignes lambant.* Corpus circumvoluti adurant. Virg. II. Æneid. 684. de Iulo :

Lambere flamma comas et circum tempora pasci.

Unde transtulit Persius in Prologo :

quorum imgines lambunt
Hederæ sequaces.

Quomodo ignis *edax* etiam dicitur Virgilio eodem lib. versu 758.

Ilicet ignis edax summa ad fastigia vento
Volvitur.

Apud Lucretium lib II.

Subsiliunt ignes ad tecta domorum,
Et celeri flamma degustant tigna trabesque.

(c) *Habitus otantis Christiani.* Hunc habitum mire describit Eusebius in vita Constantini lib. IV. cap. 13 LAC.

CAP. XXXI. — (d) *Ut omnia.* Idem *et omnia.* Respicit vero locos Pauli ad Rom. XIII. 1. Tit. III. 1. Petri I. II. 13. et præsertim Pauli I. Tim. II. 2. Magistratus scilicet Parentes nostri sunt, amandi si boni, ferendi si mali. Prosper Aquitan.

Reddendum est, quicquid mundi bene postulat ordo,
Propositumque piæ non violat fidei.
Mitibus et sanctis nulla est spernenda potestas :
Æquum servire est regibus et dominis,
Ut Christi famulis ad verum prosit honoretur,
Dilexisse bonos et tolerasse malos. HAV.

Digitized by Google

do (*a*), quia non erubescimus, denique sine monitore (*b*), quia de pectore oramus. Precantes sumus omnes semper pro omnibus imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, et quæcumque hominis et Cæsaris vota sunt. Hæc ab alio orare non possum, quam a quo scio (1) me consecuturum, quoniam et ipse est qui A solus præstat, et ego sum cui impetrare debetur, famulus ejus, qui eum solum observo, qui propter (2) disciplinam ejus occidor (3), qui ei offero opimam et majorem hostiam (*c*), quam ipse mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de spiritu sancto profectam. Non grana thuris (*d*) unius assis (*e*), Arabicæ arboris lacrymas (*f*) nec duas meri gut-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Sciam, *Paris.*
(2) *Rhen., Gel., Gangnæus :* eum solum ; *cæteri :* solus. *In sqq. Hav. e cod. Fuld.* pro disciplina. vv. (qui propter disc. e. occidor *non leguntur in edd. Rhen. Aldi, Heraldi et cod. Lugd. II.*
(3) Qui — occidor, *abest Paris.*

COMMENTARIUS.

III. 2. Hoornbeek Niscell. p. 297. Adam Rechemberg. in N. T. et Hist. Eccles. pag. 145. Brouerius de Miedek eleganti libello de Adorationibus cap. XXI. Et tandem, cujus de hoc argumento exstat singularis dissertatio Adamus iterum Rechenbergius lipsiæ A. 1688. edita. HAV.

(a) *Nudo.* Non ut gentiles velato. Consule interpretes, Heraldum et la Cerdam. Fuld. Cod. *nudato.* Consule et hic laudatum Brouerium p. 144. et Calvoerium Tom. II. Ritualis Ecclesiastici p. 355. HAV.

(b) *Sine monitore.* Apud Ethnicos monitor præibat preces, ac de scripto quidem, ne quid verborum præteriretur, aut præposterum diceretur ; rursusque alius custos erat, qui attenderet; alius qui faveri linguis juberet. Plinius cap. 2, lib. XXVIII. RIG. — *Monitore.* Addi potest notis Interpretum Plautus in Mostell.

Ad legionem cum stant adminiculum
Ei dabunt aliquem cognatum suum.

tales enim monitores romanis adolescentibus anno stipendii primo additos docet Servius, et apud Val. Flaccum Iphiclus adest Argaunotis lib. I. 475. non ut pugnet,

monitus sed tradat ut acres,
Magnorumque viros qui laudibus urat avorum.

qui μνήμονες Græcis dicebantur ut docuit Meursius ad Cassandram Lycophronis p. 158. Ita in Sacris Monitores erant qui formulam precum insusurrabant, quique præibant formulam precum, sive meditatum carmen. Aristander apud Curtium lib. IV. cap. XIII. *in candida veste, verbenas manu præferens, capite velato præibat præces regi.* Plinius hujus religiosi ritus multa persequitur lib. XXVIII. cap. 2. cui adde Alexandrum ab Alex. Genial. Dier. II. 14. et IV. 17. meliorique fato dignissimum Barnabam Brissonium lib. de Formulis, I, p. 61. Formula talis necessaria certe, in tot notis ignotisque nominibus, quorum appellatione Deos suos delectari arbitrabantur, quam βαττόλογίαν appellat Servator noster, monitor melioris formulæ, Matth. VI. 7. 9. cujus S. Spiritus nobiscum et pro nobis ineffabilibus orat gemitibus. HAV.

(c) *Qui ei offero opimam et majorem.* Cum locum hunc detorqueant Magdeburgenses adversus sacrificium altaris, requirebat de eo tractatum latiorem ; sed remittimus lectorem ad lib. ad Scapulum, infra: quem etiam perperam pro se allegant : quippe qui nominatim voce *sacrificamus* ibidem utitur. PAM. — Hostiæ aliæ majores, aliæ lactentes dicebantur. De majoribus, id est, maximis est locus Ciceronis 2. Orat. in Rullum. *Erunt hostiæ majores in foro constitutæ.* Porro majores hostiæ sive victimæ (sic enim licenter omnes vocant) erant tauri, nec enim nunc discrimen illud inter oves et tauros constituo. LAC.

(d) *Non grana thuris.* Frustra esset qui locum hunc usui Ecclesiæ adversari diceret, quæ in sacrificiis thure utitur. Adhibetur quippe ex traditione et institutione apostolica. Can. 3. Apost. id habet μὴ ἐξὸν δὲ ἐστω προσάγεσθαί τι ἕτερον πρὸς τὸ θυσιαστήριον, ἢ ἔλαιον εἰς τὴν λυχνίαν, καὶ θυμίαμα, τῷ καιρῷ τῆς ἁγίας προσφορᾶς B LE PR.

(e) *Unius assis.* Videlicet exigui pretii. Dabatur enim vix tantum, quantum duo tresve digiti comprehendere possent. Lactant. V. 19. ex mente Gentilium. *Nam cruciari atque interfici malle, quam thura tribus digitis comprehensa in focum jactare ; tam ineptum videtur, quam in periculo vitæ alterius animam magis quam suam curare.* Hieronymus quoque in Epist. ad Heliodorum : *Non est in eo tantum servitus idoli, si quis duobus digitulis thura compressa in bustum aræ jaciat,* etc. Lactant. rursus I. 20. *Colunt enim thure, ac summis digitis, quæ sensibus intimis colore debuerunt.* Quos itaque digitos liberus a fasciis in sacrificando voluit esse Numa Rex apud Liv. I. 21. *Manuque ad digitos usque involuta rem divinam facere.* Pertinet et huc locus Curtii lib. VIII. c. 5. ubi Cleo adulator Alexandro divinum honorem vivo etiamnum haberi vult : *quibus uno modo referri gratia posset, si quem intelligerent Deum esse, confiterentur, exigua thuris impensa tanta beneficia pensaturi.* Irridet et more suo Lucianus, non tantum in Asino p. 122. ubi C maga χόνδρους δύο λαβοῦσα, τὸν μὲν λιβανωτὸν, τῷ πυρὶ τοῦ λύχνου ἐπίθηκε ; i. e. *acceptis duobus granis, thus igni lucernæ imposuit.* Sed præsertim in Jove Tragœdo p. 200 ubi de sordibus Menesithei queritur Jupiter, qui vetulum gallum immolaverat. *Præterea quatuor thuris grana, carie obsita, ita ut prunis extinguerentur, neque summis tantillum naribus odorem præberet fumus.* Porphyrii quoque et Ovidii locos adducit Doctissimus Brodæus Miscell. lib. V. cap. 8. quæ Lampadis sui tomo II. inseruit Janus Gruterus. Alexander Magnus ille, imprimis ab ineunte ætate magnifice Deos coluisse dicitur. Itaque Sacro quodam libera manu thura injiciens flammis, a Leonida, parco et severo viro, ita fuit correptus : *Sic adolebis, quum regiones subegeris, ubi hæc nascuntur.* Cujus vocis memor? quum postea victor Arabia esset potitus, grandem odorum vim Leonidæ misisse dicitur, cum hoc elogio : *ne posthac in Deorum honoribus restrictior esse vellet, quos intelligeret dona hilariter oblata tam larga* D *manu rependere.* Narrant historiam Plutarchus in Alex. c. XLIV. et Apophth. XXXVII. Plin. XII. 14. 17. Denique marmora et nummi rem ante oculos ponunt, ut apud Choulium videre licet in marmore Romano antiquo, quod adducit et exhibet in libro de Religione Veterum Rom. eo in loco ubi de vestibus Sacerdotum xylinis agit, et in nummo Lucillæ Augustæ, ubi illa habitu Pietatis læva acerram tenet, dextra thus mittit, *trinis digitis flore capto*, ut apud Plinium lib. XXIV. c. 10. emendat Scaliger Epist. XVIII. illum Ovidii locum adducens,

Et digitis tria thura tribus sub limine ponit.

Eadem Pietatis facies, idem habitus in L. Ælii nummo cernitur, nisi quod ibi læva etiam pateram teneat. HAV.

(f) *Arabicæ arboris lacrymas.* Barr. Rhen. Herald. et ipse Rigalt. scribunt *non Arabicæ a. l.* quomodo et L. B. Sed minus recte, delet enim Fuld. et Pam.

Digitized by Google

tas (*a*), nec sanguinem reprobi bovis (1) mori optantis, et post omnia inquinamenta etiam conscientiam spurcam : ut mirer, cum hostiæ probantur (2) penes vos a vitiosissimis sacerdotibus, cur præcordia potius victimarum, quam ipsorum sacrificantium examinentur (3). Sic itaque nos ad deum expansos ungulæ fodiant, cruces suspendant, ignes lambant (*b*), gladii guttura detruncent, bestiæ insiliant; paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis (*c*) Christiani. Hoc agite, boni præsides, extorquete animam Deo supplicantem pro Imperatore. Hic erit crimen, ubi veritas est Dei et devotio (4).

CAPUT XXXI.

ARGUMENTUM. — *Idagia christianis si in dubium vocent, in promptu esse ostendit Sacras Scripturas, quæ nec Gentibus variis ex casibus ignotæ sint : ex quibus patere possit, ibidem Christianis injungi, pro Regibus, Principibus Potestatibus et publica tranquillitate orare.*

Quod et naturæ consentaneum, quia turbata Republica ipsi etiam Christiani inquietantur.

Adulati nunc sumus imperatori ; et mentiti vota, quæ diximus, ad evadendam (5) scilicet vim (6). Plane (7) proficit ista fallacia. Admittitis enim nos probare quodcumque defendimus. Qui ergo putaveris (8) nihil nos de salute Cæsarum curare, inspice dei voces, litteras nostras, quas neque ipsi supprimimus et plerique casus ad extraneos transferunt. Scito ex illis, præceptum esse nobis (9) ad redundantiam benignitatis, etiam pro inimicis Deum orare, et persecutoribus nostris bona precari. Qui magis inimici et persecutores Christianorum, quam de quorum majestate convenimur in crimen ? Sed etiam nominatim atque manifeste : *Orate*, inquit, *pro regibus, et pro principibus, et potestatibus, ut omnia* (*d*) *tranquilla sint vobis.* Cum enim (10) concutitur imperium, concussis etiam cæteris membris ejus, utique et nos, licet extranei a turbis (11), in aliquo loco casus invenimur.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Hominis, *Fran.*
(2) Probentur, *Paris.*
(3) Examinentur *mavult Jun., Haverc.*
(4) *Ita cod. Fuld.; alii :* veritas et Dei devotio est. *Totum sententiam :* Hic erit — devotio, *delevit Rigalt.*
(5) Evadendum, *Paris.*
(6) Vim, *abest Paris.*
(7) Tamen, *cod. Fuld.*
(8) Putas, *Fran., Paris.*
(9) Scio ex illis præceptum esse nobis, *Fran., Paris., Rig.*
(10) Tranquilla sint. Vobiscum, *Fran., Paris.*
(11) *Ita legitur in cod. Fuld. et in edd. Rig. et Hav., reliquæ omnes :* a turbis æstimemur.

COMMENTARIUS.

Grana ista *thuris* dicit *Arabicæ arboris lacrymas*, namque ut Plinius copiose disserit N. Hist. XII. 14. De arbore Arabum thurifera : *Mitti semel anno solebat, minore occasione vendendi. Jam quæstus alteram vindemiam affert. Prior atque naturalis vindemia circa canis ortum, flagrantissimo æstu, incidentibus qua maxime videatur esse prægnans, tenuissimusque tendi cortex. Laxatur hic plaga non adimitur. Inde prosilit spuma pinguis. Hæc concreta densatur, ubi loci natura poscat teyete palmea excipiente, aliubi area circumpavita. Purius illo modo, sed hoc ponderosius. Quod in arbore hæsit, ferro depectitur. Ideo corticosum.* Arnobius quoque lib. VII. *Sed tamen, o pietas ! quantus iste est honor, aut qualis, qui ex ignis odore conficitur, et resina ex arboribus comparatur ?* Vide et quæ sequuntur ibidem. Sic omnis humor ab arboribus distillans *lacryma* vocatur, præsertim qui ex vite. Idem Plin. liq. XXXIII. in proœmio : *Lacryma vitium, quæ veluti grumi est, lepras et lichenas et psoras nitro ante præparatas sanat.* Aldina editio legit *non a radice arboris lacrymas*, quasi vero succus ille a radicibus defluerit. Unum vero quem thura Christianis præstabant vide infra ad cap. XLII. HAV.

(a) *Duas meri guttas.* Præter morem illum, quem ex Arnobio notavit Herald. referri etiam potest ad illum, quo poculum vini haurientes, id quod erat residuum in fundo Diis libantes, pavimento allidebant. Quod illustrari potest ex Tacito lib. XVI. Annal. cap. ult. ubi Thrasea moriturus *porrectis utriusque brachii venis, postquam cruorem effudit, humum super spargens, propius vocato quæstore, Libemus, inquit, Jovi Liberatori.* Id Græci dicebant καταβίζειν et ipsum plausum κονταβισμός. Xenophon de Theramene uno ex triginta Tyrannis, qui Critiæ jussu interfectus est, Hist. Gr. lib. II. Καὶ ἐπεί γε ἀποθνήσκειν ἀναβκαζόμενος τὸ κώνειον ἔπιε, τὸ λειπόμενον ἔρραναν ἀποκοτταβίσαντα εἰπεῖν αὐτὸν. Κριτίᾳ τοῦτ' ἔστω τῷ καλῷ. i. e. *Tandem quum mortem obire cogeretur, ac cicutam biberet : proditum est id, quod reliquum erat in poculo, sic ipsum ejecisse, ut resonaret, simulque dixisse : Hoc sibi pulcher ille Critias habeat.* Apud Plautum in Curcul. Act I. Scena II.

Venus de paulo paululum hoc tibi dabo,

inquit amator. Quoniam vero hic cum thure jungitur, magis id innui videtur quod ait Virg. lib. IV. Georg. 384.

Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam.

Suetonius lib. VII. c. 18. *Nihil invenit præter tepidam in ara favillam, atratumque juxta senem in catino vitreo thus tenentem, et in calice fictili merum.* Hic ritus quam fuerit antiquus patet ex Jothami illo Judic. IX. 13. ubi vitis regnum oblatum repudiat, dicens : *Num dereliquam mustum meum, quod lætificat Deum et homines ?* HAV.

(b) *Ignes lambant.* Corpus circumvoluti adurant. Virg. II. Æneid. 684. de Iulo :

Lambere flamma comas et circum tempora pasci.

Unde transtulit Persius in Prologo :

quorum imagines lambunt
Hederæ sequaces.

Quomodo ignis *edax* etiam dicitur Virgilio eodem lib. versu 758.

Ilicet ignis edax summa ad fastigia vento
Volvitur.

Apud Lucretium lib II.

Subsiliunt ignes ad tecta domorum,
Et celeri flamma degustant tigna trabesque.

(c) *Habitus orantis Christiani.* Hunc habitum mire describit Eusebius in vita Constantini lib. IV. cap. 13. LAC.

CAP. XXXI. — (d) *Ut omnia.* Idem *et omnia.* Respicit vero locos Pauli ad Rom. XIII. 1. Tit. III. 1. Petri I. II. 13. et præsertim Pauli I. Tim. II. 2. Magistratus scilicet Parentes nostri sunt, amandi si boni, ferendi si mali. Prosper Aquitan.

Reddendum est, quicquid mundi bene postulat ordo,
Propositumque piæ non violat fidei.
Mitibus et sanctis nulla est spernenda potestas :
Æquum servire est regibus et dominis,
Ut Christi famulis ad verum prosit honorem,
Dilexisse bonos et tolerasse malos. HAV.

Digitized by Google

CAPUT XXXII.

ARGUMENTUM. — *Adhuc ostendit salutem Imperatoris et Imperii Christianis cordi esse, scientibus horrenda orbi imminere, Romanum Imperium esse desierit, ipsamque adeo clausuram sæculi duratione ejus retardari. Sed et qui per salutem Cæsaris jurent, omnibus Geniis augustiorem, non esse cogendos, ut per ejus Genium jurent, defendit, utpote qui Genios, id est, Dæmonas adjurando lædere, non dejerando honorare consueverint.*

Est et alia major necessitas nobis orandi pro Imperatoribus, etiam pro omni statu imperii rebusque romanis, qui (1) vim maximam universo orbi imminentem, ipsamque clausulam (2) sæculi (*a*) acerbitates horrendas comminantem Romani imperii commeatu (*b*) scimus retardari. Ita quæ nolumus experiri, ea dum precamur differri, Romanæ diuturnitati favemus. Sed et juramus (*c*), sicut non per genios Cæsarum, ita per salutem (*d*) eorum, quæ est augustior omnibus geniis. Nescitis genios dæmonas dici, et inde diminutiva voce dæmonia? Nos judicium dei suspicimus in imperatoribus, qui gentibus illos præfecit. Id in eis scimus esse, quod Deus voluit, ideoque et salvum volumus esse (3), quod Deus voluit (4), et pro magno id juramento habemus. Cæterum dæmonas, id est genios, adjurare consuevimus, ut illos de hominibus exigamus, non dejerare, ut illis honorem divinitatis conferamus.

CAPUT XXXIII.

ARGUMENTUM. — *Imo necessario illos Imperatorem suspicere, utpote quem a Deo suo sibi datum sciant, adeoque vere suum ducant. Quem si Deum non vocent, quia mentiri illumve deridere nolunt, id faciant, quia ipsi Deo subjectus, sub illo imperat, cujus etiam interest Deo cedere, quique ut id faciat in triumphi invidioso honore admoneatur, tanta coruscans gloria ut revocari, ne falso se Deum existimet, necesse habeat.*

Sed quid ego amplius de religione atque pietate christiana in imperatorem? quem necesse est suspiciamus ut eum, quem dominus noster elegerit (5). Et merito dixerim, noster est magis Cæsar, ut a nostro Deo constitutus. Itaque et in eo (6) plus ego illi operor in salutem, non solum quod eam ab eo postulo, qui (7) potest præstare, aut quod talis postulo, qui merear impetrare, sed etiam quod temperans majestatem Cæsaris infra deum magis illum commendo deo, cui soli subjicio. Subjicio autem, cui non adæquo. Non enim deum Imperatorem dicam, vel quia

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quod, *Fran. Paris.*
(2) Clausuram, *Paris.*
(3) Esse *abest cod. Fuld.*
(4) *Vv.* ideoque — voluit *Pamel. e codd. et Rigalt. ex Fuld. recepit; in reliquis libris et scriptis et edd. desiderantur.*
(5) Elegit *Semler.*
(6) Wouwer. *e ms.* et in eo; *Rhen., Ald., Gangnæus:* ut in eo, cæteri: ut meo.
(7) Siquidem non solum abeo postulo eam qui *Fran.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXXII. — (a) *Clausulam sæculi acerbitates horrendas comminantem Romani imperii commeatu scimus retardari.* Paulus cum ad Ecclesiam Thessalonicensium scriberet non venturum diem Domini priusquam Imperium Romanum defecisset, rem ævo illo abominatissimam verbis quæsitissimis obscuravit. Eodem consilio Tertullianus hoc ad proceres Romanos Apologetico rem eamdem significaturus tam ingeniose colores obduxit, ut etiam placere potuerit. Et consimili schemate ad Scapulam procons. Christianus, inquit, nullius est hostis, nedum Imperatoris: quem sciens a Deo suo constitui, necesse est ut et ipsum diligat, et revereatur, et honoret, et salvum velit cum toto Romano Imperio, quousque sæculum stabit, tamdiu enim stabit. At, jampridem Romana res abiit pessum, et commeavit Imperii Romani pompa: venit defectio: et sublatum est de medio quod obstare dicebatur, et tamen durasse mundum legimus, et stare sæculum sentimus. Quid? vanam esse dicimus Pauli sententiam? Apostoli tanti tamque eximie a Domino selecti! Absit. Nam et verissimam credimus, et jam olim disjecti Romanorum imperii rudera calcamus. Quid ergo? jampridem quoque advenisse dicimus hominem peccati? hominem perditionis? cujus mysterium etiam tunc Paulo scribente agitabatur. Venisse inquam jampridem, sed nostrum illud pridem in quæ tempora proferatur si quærimus, nihil agimus, imo satis impie quærimus. Objecit Dominus curiositati nubem, adorandam nobis, non submovendam. Sufficiat intueri quod aperit Petrus, unum diem apud Dominum perinde esse ut annos mille, et mille annos, ut diem unum, Venerit homo ille nequissimus, sive hominum nequissimorum numerus, et jam anni supra millesimum surgant. Quid anni mille, millibus centies centenis in immensam æternitatem continuandis comparati? Si quid hac in re temporis etiam humana cogitatione brevissimi promiserant sibi veteres, bene ac sapienter fuerint decepti. Et bene fallimur, si secundum illos quoque sic decipimur, ut simus ad diem illum velut semper instantissimum vigiles, quem solus Pater novit, ut pendula exspectatione sollicitudo fidei probetur. RIG.

(b) *Romani Imp. commeatu.* De Imperii Romani diuturnitate loquitur tanquam de spatio temporis quo triumphi pompa traducitur. Sic lib. de Pœnit. p. 143. Delinquendi commeatum dixit, tempus quod peccando ducunt catechumeni inter agnitam Fidei veritatem et obsignationem baptismi; quasi delictorum agmini transvehendo. RIG.

(c) *Sed et Juramus.* Quamvis sibi omni juramento interdictum esse agnoscerent Christiani, præ cæteri tamen cavebant, ne per genios aut fortunam Principis jurarent. unde in celeberrimo B. Polycarpi martyrio, apud Eusebium lib. IV. proconsul cum ei dixisset, ὄμοσον τὴν Καίσαρος τύχην, respondit constantissime Beatus martyr: εἰ κενοδοξεῖς, φησὶν, ἵνα ὀμόσω τὴν Καίσαρος τύχην, ὡς λέγεις προσποιούμενος ἀγνοεῖν ὅστις εἰμι, μετὰ παῤῥησίας ἄκουε· Χριστιανός εἰμι. LE PR.

(d) *Per salutem eorum.* Elegans est locus apud Epicteti enarratorem Arrianum lib. I. c. 14. τούτῳ θεῷ ἔδει καὶ ὑμᾶς ὀμνύειν ὅρκον οἷον οἱ στρατιῶται τῷ καίσαρι. Ἀλλ' ἐκεῖνοι μὲν τὴν μισθοφορίαν λαμβάνοντες ὀμνύουσι πάντων προτιμᾶσθαι τὴν τοῦ Καίσαρος σωτηρίαν, I. c. *Etenim par erat vos etiam Deo obstrictos esse jurejurando, quemadmodum milites sunt Cæsari. At vero illi stipendium capientes jurant, Cæsaris salutem omnibus rebus anteferre.* Formulam ipsam exhibet Sueton. in Calig. c. XV. *de sororibus auctor fuit, ut omnibus Sacramentis adjiceretur:* NEQUE. ME. LIBEROSQUE. MEOS. CARIORES. HABEBO. QUAM. CAIVM. ET. SORORES. EIVS. Unde patet militare fuisse Sacramentum adeoque etiam Christianis licitum. HAV.

Digitized by Google

mentiri nescio (*a*), vel quia illum deridere non audeo (*b*), vel quia nec ipse se deum volet dici (*c*). Si homo sit, interest hominis deo cedere; satis habeat appellari imperator. Grande et hoc nomen est, quod a deo traditur. Negat illum imperatorem, qui deum dicit. Nisi homo sit, non est imperator. Hominem se esse etiam triumphans in illo sublimissimo curru admonetur. Suggeritur enim ei a (*d*) tergo : Respice post te (*e*), hominem memento te. Et utique hoc magis gaudet tanta se gloria coruscare, ut illi admonitio conditionis suæ sit necessaria. [Minor erat, si tunc deus diceretur, quia non vere diceretur (1).] Major est qui revocatur, ne se deum existimet.

CAPUT XXXIV.

ARGUMENTUM. — *Quin et Augustum ipsum Domini tyranni cum nomen abhorruisse, quod et, vice Dei dictum, Divinæ Dominationis suggillatio sit, communi more et a Christianis, dici possit. Pater Patria vero qui vocetur, Dominum appellari non debere, multo minus Deum, quod rebellio est in Deum, maledictum in Cæsarem, qui apud Romanos post mortem, demum Deus soleat fieri.*

Augustus imperii formator (*f*), ne dominum quidem dici se volebat; et hoc enim dei est cognomen. Dicam plane imperatorem dominum, sed more communi, sed quando non cogor, ut dominum dei

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Hæc sententia, quæ in ed. Ald. deest, non dubitat Haverc., quin sit a librario quodam illata.*

COMMENTARIUS.

(a) CAP. XXXIII.—*Mentiri nescio.* Prout Christianus sibi Terentianum illud usurpare potest, *mentiri non est meum*, et Septimius indicare vult, ad assentationem se non esse natum, neque posse *ridiculus esse, neque plagas perpeti*, ut apud eundem ille Eunuch. II. 2. Juvenalis Sat. III. versu 41.

Quid Romæ faciam? mentiri nescio, librum
Si malus est, nequeo laudare.

Splendidum certe Ovidii mendacium nihil tamen Domino suo profuturum tale exstat. lib. IV. de Ponto Eleg. IX.

Nec pietas ignota mea est, videt hospita terra
In nostra sacrum Cæsaris esse domo.
Stant pariter natusque pius conjuxque sacerdos,
Numina jam facto non leviora Deo.

Innuit Augustum et Liviam sibi vivo Numina viva, nec minore honore quam ipse Divus Julius culta. HAV.

(b) *Deridere non audeo.* Tam enim hoc absurdum, ut ipse hoc pacto fiam ridiculus et illum simul et palam et intus deridere videar. Justa itaque addubitatio Apellis tragœdi quid Caligulæ responderet, de quo Sueton. cap. XXXIII. *Inter varios jocos, cum assistens simulacro Jovis Appellem Tragœdum consuluisset, uter illi major videretur, cunctantem flagellis discidit.* Quod sibi simil ter ne occideret arguto responso avertit Vitellius, apud Dionem Cassium lib. LIX. καὶ ποτε τοῦ Γαΐου συγγίνεσθαί τε τῇ σελήνῃ, etc., id est, *Aliquando Caius rem sibi esse cum Luna dixit, percontatusque est Vitellium, vidissetne se cum dea congredi : tum Vitellius, oculis in terram demissis, tremens, exiguumque quid sonans : solis, inquit, domine, vobis diis licet invicem videre.* Quam locutionem inveni expressam esse vel potius transsumptam a Martiale lib. VII. 60. ubi Domitianum cum Jove comparat his verbis :

Cum votis sibi quisque te fatiget,
Et poscat dare, quæ Dii potestis.

Sic enim recte Paris. editio Colinæi et aliæ, pro quo Hadrianus Junius *potestas*. *Sed et idem Caligula præ metu crudelitatis ejus, hæres a quibusdam testamento appellatus, derisores vocabat, quod post nuncupationem vivere perseverarent, et multis venenatas macteas misit.* Sueton. in Vita ejus c. XXXVIII. HAV.

(c) *Nec ipse se Deum.* Ad quam dementiam cum aspirasset stultus Caligula merito a sutore derisus est. Namque ut narrat idem Dio eodem lib (nec locum adscribere piget) καὶ ποτε τις ἀνὴρ γαλάτης ἰδὼν αὐτὸν ἐπὶ βήματος ὑψηλοῦ ἐν Διὸς εἴδει χρηματίζοντα, etc. i. e. *Forte quadam accidit, ut Gallus quidam eum pro excelso tribunali sub specie Jovis jus dantem videret, inque cachinnum solveretur ; cum Caius vocatum percontatus est, quidnam ipsi videretur? respondit ille* [*verba enim ipsa ponam*] : *magnus stultus. Idque impune tulit, quod esset sutor : nam in hujusmodi hominibus vulgaribus quam iis qui dignitate aliqua præstant, libertas dicendi facilius toleratur.* Vocula *se* tollit L. B. quasi foret legendum *Deus*. HAV.

(d) *Suggeritur enim.* Præter La Cerdam et alios, vide quæ habet magnus Casaubonus ad Sueton. August. c. XCI.

(e) *Respice post te.* Barr. legit *Respice te.* L. B. vero *Respice post*, quæ forsan vera lectio, brevitas enim talibus monitis amatur. Duo vero memorantur monita : *Hominem memento te : et Respice post te.* Quo ultimo non id innui puto quod Zonaras existimat. tom. II. Annal. *retro videre jubens : quo monebat, ut reliquæ vitæ cursum provideret, nec eo honore elatus superbiret.* Sed potius forsan oblique intueri rotarum mobilitatem juberi, quomodo ut rotam fors omnia verset, ut quondam Sesostrim felicissimum Ægypti regem docuisse traditur unus ex captis regibus, qui currum ejus aureum trahebant. Vel magis ut intuitu servi, qui eodem vehebatur curru post illum, disceret et se re male gesta ab hostibus sub jugum mitti posse adeoque agnoscere illud Publii versu 792.

Heu quam miserum est, discere servire ubi dominari [doctus est!

Servus enim publicus eodem cum triumphatore vehebatur curru, qui ne otiosus videretur auream ejus coronam, satis magni ponderis, manu sustinebat, ut docet Plinius lib. XXXIII. cap. I. *Et cum corona ex auro Hetrusca sustineretur a tergo, annulus tamen in digito ferreus erat, æque triumphantis et servi fortasse coronam sustinentis.* Quem *carnificem* nimis comice appellat Isidorus Orig. lib. XVII. cap. 3. *Quod vero a carnifice contingebatur, id erat indicio, ut ad tantum fastigium evecti mediocritatis humanæ commonerentur.* Factum etiam hoc ad invidiam deprecandam, quam nimiæ felicitatis vindicem credebant antiqui, recte docuerunt V. D. et nobilis in primis locus est apud Livium lib. V. c. 2. ubi captis Veiis precatur Camillus, *ut si cui deorum hominumque nimia sua fortuna Pop. Rom. videretur, ut eam invidiam lenire suo privato incommodo, quam minimo publico Romani Pop. liceret.* Appositeque Callisthenes prohibens decretum de Alexandro Deo faciendo apud Curt. VIII. 5. inquit, *Neu rebus felicissime gestis invidiam tali adulatione contraheres.* Et mox ibidem : *Dii propitii sine invidia, quæ Cleo dixit, audierint, eodemque cursu, fluxere res, ire patiantur.* Apud Sueton. hinc Augustus stipem petiisse narratur. HAV.

CAP. XXXIV.— (f) *Augustus imperii formator.* Nemo nescit Augustum imperatorem, ut refert Suetonius domini nomen repudiasse atque exhorruisse, cumque mimus in ludis publicis dominum eum appellasset, id adeo moleste tulit, ut sequenti die, hanc sibi tribui appellationem edicto prohibuit. LE PR.

Digitized by Google

vice dicam. Cæterum liber sum illi ; dominus enim meus unus est, Deus omnipotens et æternus, idem qui et ipsius. Qui pater patriæ est, quomodo dominus est. Sed est gratius (1) nomen pietatis, quam potestatis ; etiam familiæ magis patres, quam domini vocantur. Tanto (2) abest, ut imperator deus debeat (*a*) dici, quod non potest credi non modo turpissima, sed et (3) perniciosa adulatione ; tanquam si habens imperatorem, alterum appelles, nonne maximam et inexorabilem (4) offensam contrahes ejus, quem habuisti, etiam ipsi timendam, quem appellasti ? Esto religiosus in deum, qui vis illum propitium imperatori. Desine alium Deum colere vel credere, atque ita et hunc deum dicere, cui deo (*b*) opus est. Si non de mendacio erubescit adulatio ejusmodi, hominem deum appellans, timeat saltem de infausto. Maledictum est ante apotheosin (*c*) deum Cæsarem nuncupare (5).

CAPUT XXXV.

ARGUMENTUM.—*Non itaque recte publicos hostes Christianos dici, quod cætera in Imperatores religiosi, solemnia illorum conscientia potius quam lascivia celebrent, observantes illa modeste, verecunde, pudice, pie; aliter ac ipsi Romani inter quos non plebs tantum Cæsarem sæpe convitiis discindat, novum atque novum in dies, lucelli causa, idque in ipso congiario dividundo exoptet, sed ipsi Senatores, Equites, Primores Urbis Castrorumque, vitæ Cæsaris immineant, et cum Cassiis, Nigris, Albinisque conspirent, grandi interim lætitiarum apparatu ad eruptionem usque proditionem suam tegentes. Nullos in his inveniri Christianos, qui nec Astrologos de salute Cæsarum consulant, quod fieri non potest, nisi rerum novarum cupiditate, a qua illi omnino abhorrent.*

Propterea igitur publici hostes Christiani, quia imperatoribus neque vanos neque mentientes neque temerarios honores dicant, quia veræ religionis homines etiam solemnia eorum, conscientia potius quam lascivia celebrant. Grande videlicet officium, focos et toros in publicum educere, vicatim epulari, civitatem tabernæ habitu abolefacere (6), vino lutum cogere (*d*) catervatim cursitare ad injurias, ad impu-

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Sic cod. Lugd. II. et ed. Ald.; alii :* Sed et gr. est, etc., s. sed et gr. nomen est, etc., s. sed et gr. nomen, etc.
(2) Autem *addit Fran.*
(3) Nisi non per. *Eran.*
(4) Inexplicabilem, *cod. Agobard.*
(5) *Codd. Agob, Lugd.* uterque, *et ed. Pamel.* nuncuparl. *In cod Fuld. hæc vv. sequuntur :* Scio te isto nomine male velle et male abominari, ut vivente adhuc imperatore Deum appelles, quod nomen illi mortuum accidit. (Hav. corr. mortuo accedit.)
(6) *Rhen., Gelen. et Scaliger :* obole facere ; pro habitu *Hav. scribere maluit* habitu. *Cod. Fuld. :* civitatem in tabernæ habitum demutare.

COMMENTARIUS.

(a) *Deus debeat dici.* Quod nomen vivos sibi usurpasse Aurelianum et Carum docet Spanhemius de Us., Præst. Num. p. 418. 419. productis etiam ipsis nummis, in quibus legitur : DEO ET DOMINO NATO AVRELIANO AVG. ET DEO ET DOMINO CARO AVG. Imo præter Domitianum et Caium id affectavit, ut patet ex singulari ejus nummo, quem profert Spanh. p. 417. Cum ipsa Ægyptiorum gens adulationi et servituti nata, reges adhuc superstites Deorum quidem honoribus coluerit, sed sine Dei appellatione, quod honoris soli Dario Xerxis patri concessum narrat Diodorus lib. I. HAV.

(b) *Deo.* Fuld *Deis.* Elegans locus est apud Arrian. in Exp. Alex. M. l. IV. p. 166. ubi inter alia argumenta quibus adorationem Regis dissuadet Callisthenes et hoc vel maxime est : Οὔκουν, inquit, οὐδὲ Ἀλέξανδρος, etc., i. e. *Neque enim pateretur Alexander privatum aliquem regios honores electione suffragiisque illegitimis usurpare. Multo itaque justius deos indignaturos, si quis mortalium divinos honores sibi arroget, aut ab aliis delatos sustineat.* HAV.

(c) *Maledictum est.* Omnino egregia sunt quæ hoc capite affert Herald. tum præsertim hic, ubi ex Tacito docet verum loci sensum, ubi Lipsius etiam hunc Tertulliani locum in partes advocare non neglexit. Ego ne aliorum scrinia compilem, addam quæ ex Arriano et Curtio aliisque observavi. Ibi, apud Arrian. lib. IV. p. 165. edit. Præceptoris mei (quo glorior) Jac. Gronovii, Anaxarchus adulatus Alexandro, Græcis persuadere conatur ut Persarum more Deum tanquam colant. Dicit itaque : Καὶ γὰρ οὐδὲ ἐκεῖνο εἶναι ἀμφίλογον, ὅτι ἀπελθόντα γε ἐξ ἀνθρώπων, ὡς θεὸν τιμήσουσι πόσῳ δὴ δικαιότερον ζῶντα γεραίρειν ἢπερ τελευτήσαντα, ἐς οὐδὲν ὄφελος τῷ τιμωμένῳ. i. e. *Neque enim dubium esse, quia postquam e vivis excessisset, ut deum culturi essent. Multo igitur satius esse, vivo illi divinos honores deferre quam mortuo, quum nulla ad eum cultus utilitas esset perventura.* Quibus cum sapienter respondet ibidem Callisthenes, tum Curtius eumdem in hunc modum disserentem facit lib. VIII. c. 5. *Nullum esse eumdem et diuturnum et præcocem fructum ; cœlestesque honores non dare te Regi, sed auferre. Intervallo enim opus est, ut credatur Deus, semperque hanc gratiam magnis viris posteri reddunt. Ego autem seram immortalitatem precor Regi, ut vita diuturna sit, et æterna majestas. Hominem consequitur aliquando, nunquam comitatur divinitas. Herculem modo et Patrem Liberum consecratæ immortalitatis exempla referebas. Credisne illos unius convivii decreto deos factos ? prius ab oculis mortalium amolita natura est, quam in cœlum fama perveheret*, Cæsarum Apotheosin satis aperte deridet Plinius Hist. Nat. lib. VII. cap. 55. ubi contra immortalitatem animæ multa garrit, scribens : *Alias sensum inferis dando, et manes colendo, deumque faciendo qui jam etiam homo esse desierit.* Quem opponas licet impiæ adulationi Valerii Maximi, qui ita ad Tiberium in Prolog. — *Deos enim reliquos, Cæsares dedimus.* Cod. Fuld. habet *male traditum ante* vitiose. HAV.

CAP. XXXV.—(d) *Vino lutum cogere.* Nec hoc intellexerunt librarii. Demutarunt itaque in *vinolentum cogere*, ut est in Cod. L. B. vel in *vinulentiam facere*, prout exhibet Cod. Fuld. Est vero *vinum lutum cogere*, humum multo vino conspergere et inebriare, proteriæ luxusque signum. Tangitque Horatius avarum notans, de quo Publius Syrus ait versu 59.

Avarus, nisi cum moritur, nil recte facit.

Ita enim Flaccus II. Odar XIV.

Absumet hæres Cæcuba dignior
Servata centum clavibus : et mero
Tinget pavimentum superbum
Pontificum potiore cœnis.

Cicero quoque Philipp. II. *Personabant omnia vocibus ebriorum, natabant pavimenta vino, madebant parietes.* Et is quidem mihi loci hujus sensus videtur, quod enim la Cerda refert ad novitium morem vini fontes faciendi, vereor ut antiquis etiam in usu fuisse,

Digitized by Google

dentias, ad libidinis illecebras. Siccine exprimitur publicum gaudium per dedecus publicum? Hæccine solemnes dies principum decent (*a*), quæ alios dies non decent? Qui observant disciplinam de Cæsaris respectu, hi eam propter Cæsarem deserent (1), et malorum morum licentia pietas erit, occasio luxuriæ religio deputabitur? O nos merito damnandos! Cur enim vota et gaudia Cæsarum casti et sobrii et probi expungimus? cur die læto non laureis postes obumbramus (2) (*b*) nec lucernis diem infringimus? Honesta res est solemnitate publica exigente induere (3) domui tuæ habitum alicujus novi lupanaris. Velim tamen in hac quoque religione secundæ majestatis, de qua in secundum sacrilegium convenimur Christiani, non celebrando vobiscum solemnia Cæsarum, quo more celebrari nec modestia nec verecundia nec pudicitia permittunt, sed occasio voluptatis magis quam digna ratio persuasit, fidem et veritatem vestram demonstrare; ne forte et isthic deteriores Christianis deprehendantur, qui nos nolunt Romanos haberi, sed hostes principum Romanorum. Ipsos Quirites, ipsam vernaculam septem collium plebem convenio, an alicui Cæsari suo parcat illa lingua Romana (*c*)?

LECTIONES VARIANTES.

(1) Deserunt? *Fran.*
(2) Adumbramus, *Paris.*
(3) Inducere, *Paris.*

COMMENTARIUS.

possit probare. Fuit etiam Veneris festum, in quo ad templum Deæ multum vini effunderetur; cujus institui Æneam auctorem laudat Plutarchus. Quæst. Rom. XLV. additque effusionis rationem: Ἢ καὶ τοῦτο σύμβολόν ἐστι τοῦ χρῆν νήφοντας ἑορτάζειν, ἀλλὰ μὴ μεθύοντας, ὡς τῶν θεῶν μᾶλλον τοῖς ἐγχέουσι χαιρόντων τὸν σπλῶν ἄκρατον, ἢ τοῖς πίνουσι. *Illo enim significatur sobrie, non vero temulente festa celebranda esse, effusione vini multo magis gaudentibus diis, quam hominum vinolentia.* Quod et huic mori forsan ortum dedit. Id Græci dicerent πηλὸν ποιεῖν ut ille, qui vivo sibi tribui optabat id, quod mortuis fit frustra, in Anthol. lib. II. c. XL. ep. 3.

Ζῶντί μοι εἴτε θέλεις, χάρισαι· τέφραν δὲ μεθύσκων,
Πηλὸν ποήσεις, κοὐχ ὁ θανὼν πίεται·

i. e. *Viventi mihi, si quid voles exhibe, cinerem vero inebrians, lutum coges, mortuus vero non honoratur.* HAV.

(a) *Principum decent.* Miro hic in MSS. turbatur, nam ubi Pam. et alii: *Hæccine solemnes dies principum decent, quæ alios dies non decent?* Fuldanus mirifice: *Hæc in solemnes dixi principum decernuntque alios dies non decet.* Quæ manifesto vitiosa Novum sensum præbet MS. L. B. *Hæccine solemnes dies principium dicent, quæ alios non dicent;* pro quo ultimo legendum *decent. Principium dicere* est omen de reliquis subministrare, fiebant enim hæc vota præcipue Calendis Januariis, ut sic ad totum annum extenderentur. Tacitus lib. IV. Annal. *Cæsar solennia incipientis anni Calendas Januarias epistola precatus,* cui loco geminum ex Caio JCto citat La Cerda. Legiturque apud Dionem lib. LIX. pag. 742. ed. Steph. in principatu Caii Caligulæ prima anni die Machaonem quemdam servum ad pulvinar Jovis Capitolini ascendisse, ibique multa et dira vaticinatum, catellum quem secum attulerat, ac post se ipsum occidisse. Quod profecto futuri temporis dirum erat principium et præsagium, quando Caius, qui ut bonus medicus vulnera Rom. Reip. a Tiberio inflicta debuerat sanare, significabatur et Rempubl. perditurus, et ipse cruenta nece periturus. Eratque ita ille dies *titulus* anni, ut cum Petronio loquar, apud quem avis ciconia est *titulus tepidi temporis.* Dicebaturque Imperator *aperire annum.* Statius IV. Sylv. Carm. I. 2. de Domitiano:

Insignemque aperit Germanicus annum.

et ibidem versu 20:

Sic annos intrare decet.

De quo ritu consuli potest eruditus Joh. Petri Bellorii Commentariolus De Novi Anni Auspiciis ad singularem Antonini Pii Nummum, inscriptum S. P. Q. R. A. N. F. F. OPTIMO PRINCIPI. PIO. i. e. *annum novum, faustum, felicem.* Editus est primum Romæ, inde ad calcem Select. Numism. Car. Carpegnæ, Amst. apud Wetstenium. Lectionem tamen mutare non sum ausus MS. Agob. *q. alios non d.* deleto *dies.* HAV.

(b) *Laureis postes obumbramus.* Rhenan *adumbramus.* minus recte. Tacitus conjuratione in caput Neronis detecta scribit lib. XV. Annal. c. 17. *Sed compleri interim urbs funeribus, Capitolium victimis: alius filio, fratre alius, aut propinquo, aut amico interfectis, agere gratias Deis, ornare lauru domum, genua ipsius advolvi et dextram osculis fatigare.* Noster de Idol. c. XV. *Si autem eorum sunt quæ in ostiis adorentur, ad eos et lucernæ et laureæ pertinebunt. Idolo feceris, quidquid ostio feceris.* Commendat hoc nomine laurum Plinius Hist. Nat. XVI. 30. *Laurus triumphis proprie dicatur, vel gratissima domibus janitrix Cæsarum Pontificumque: quæ sola et domos exornat, et ante limina excubat.* In votis quoque Deos placandi gratia incantationibus operam dantes, laurum postibus applicabant, ut patet ex Diogenis Laertii in Bionem Borysthenitem epigrammate, qui in morbo

Ῥάμνόντε καὶ κλάδον δάφνης
Ἐκὶς θύρην ἐθήκεν.

I. c. *rhamnumque et lauri ramum januæ imposuit.* HAV.

(c) *Parcat illa lingua Romana.* Quod cum a vulgo et fæce hominum, qui nec in fama quod inquinent, nec in re quod amittant habent, facile sit expectandum, tum scurræ isti satis docent apud Trebellium Pollionem in Gallieno, qui uniuscujusque vultum mira inhianione rimantes, *Patrem principis* quærere se dicebant. Is autem erat Valerianus a Persis captus, quos ridicule Gallienus neglecta vindicta genitoris in Pompa traducebat. Nullus descripsit accuratius quam iste qui Cæsarum ritus pari qua vixerunt ipsi libertate litteris commisit Suetonius Tranquillus. in Nerone c. XXXIX. *Transeuntem eum Isidorus Cynicus in publico clara voce corripuerat, quod Nauplii mala bene cantitaret, sua bona male disponeret.* Ibidem: *Datis Atellanarum histrio in cantico quodam ὑγίαινε πάτερ, ὑγίαινε μῆτερ, ita demonstraverat, ut bibentem natantemque faceret, exitum Caii Claudii Agrippinæque significans; et in novissima clausula,*

Orcus vobis ducit pedes,
Senatum gestu notaret.

Ubi famosissimos etiam versus in illum propositos adducit, sicut et ante Claudius et post Domitianus passim idem passi sunt. Sed et optimus Imperatorum Vespasianus ipse urbanus satis dicacitatem istius linguæ non evasit, qui cum esset vultu adducto nitentis i. e. cacaturientis, vellelque ab urbano quodam facetæ linguæ, *ut et in se aliquid diceret,* audire debuit, *dico cum ventrem exonerare desieris.* Imo vel in funere ipsius cum ex more mimi adhiberentur, mortuo parci non potuit, quin ut notat Sueton. c. XIX. *Favo archimi-*

Digitized by Google

Testis est Tiberis (*a*), et scholæ bestiarum (*b*). Jam si pectoribus ad translucendum (*c*) quamdam specularem materiam natura obduxisset, cujus non præcordia insculpta apparerent (1) novi ac novi Cæsaris scenam congiario (*d*) dividundo præsidentis (7)? etiam illa hora qua acclamant :

De nostris annis tibi Jupiter augeat annos.

Hæc Christianus tam enuntiare non novit, quam de novo Cæsare optare. Sed vulgus, inquis. Ut vulgus, tamen Romani, nec ulli magis depostulatores (2) Christianorum, quam vulgus. Plane cæteri ordines pro auctoritate religiosi ex fide; nihil hosticum de

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Pamel. et Herald. :* apparerent, *Fr. Junius e cod. Put.* apparent, *cæteri :* apparerent. *Porro Gelen., Wouw., Gang.:* scena ; *Cod. Fuld.* insculpta pareret novum ac novum Cæsarem. Scena conceario dividundo præsidentem, e. i. h. quo reclamat. *Scriver. :* apparerent hac novi Cæsaris scena.

(31) *Cod. Fuld.* depopulatores.

COMMENTARIUS.

mus personam ejus ferens, imitansque ut est mos, facta ac dicta vivi, interrogatis palam procuratoribus quanti sumus et pompa constaret : ut audivit H. S. centies, exclamarit, Centum sibi sestertia darent, ac se vel in Tiberim projicerent. Ubi scurra iste videtur mihi respexisse ad illud Vespasiani dictum factumque quod idem Sueton. narrat c. XXIII. *Nuntiantibus legatis, decretum ei publice non mediocris summæ statuam colosseam : jussit, ut continuo ponerent, cavam manum ostentans, et paratam basim dicens.* Hav.

(*a*) *Testis et Tiberis.* MS. Fuld. et Herald. *est* pro *et.* Vir Clariss. Gothofredus in Notis ad lib. Ad Nat. I. 17. refert hoc ad domum Tiberianam seu palatium Cæsarum. Sed olim ut puto fluvii ripiæ vulgus adhabitabat, potentiores montes occupabant, tuti ab inundationibus. Cum itaque de plebe loquatur, nihil commodius, quam habitationis locum indigitare potuit. Gallus interpres Giry nescio de qua Tybridis statua somniat, *les placards que l'on attache à la statue du Tibre*. Denique tertium quid innuere videtur MS. L. B. ibi, *Testis et Vesta, Tiberis, et scholæ bestiarum*, voluit forte *et statuæ*, in lib. cum Ad Nat. de statuis etiam loquitur. Hav.

(b) *Scholæ bestiarum.* Rig. *Schola.* Nonnulli ut et Scriverius *bestiariorum Scholæ bestiarum* videtur vocare studium illud Romanorum, quo ad bestiarum pugnas et venationum spectacula tanquam ad scholam conveniebant. Ibi multa oris licentia, ut in cunctis spectaculis, vel innuit locum ubi damnati ad bestias exercebantur, ibi maledictis locus, nihil enim atrocius morte illa, metui poterat. Damnat theatra hoc etiam titulo Chrysost. Hom. I. ad Ès. VI. 1. *An ex contumeliis, convitiis, sconmatibusque, quibus spectatores ejusmodi rerum se mutuo conspergunt ?* Hav.

(c) *Jam si pectoribus.* MS. Fuld.. hoc modo lectionem format, *jam si pect. humanis ad transducendum quoddam specularem materiam n. o.* Unde Scriverius in ora libri mei, et Meursius in Exerc. Crit. ex Juvenale et aliis *quoddam speculare emendant. c.* Ego potius insistens vestigiis lectionis MS. lego, *jam si pectoribus humanis ad translucendum quondam specularem materiam*, etc. Nam vox *humanis* ex Fuld. addenda videtur, et τὸ *quondam* quondam significat tempus illud quo homo formam accepit, quam omnes posteri servant. Illud scilicet dudum Momus reprehenderat, volueratque Socrates fenestratum hominis pectus, ne occultiores delitescerent sensus. Ex cujus philosophia bilingues homines optabat Euripides, ita ut sonus veræ et falsæ cuicumque proderetur : In Hippol. enim vers. 925. Theseus ita loquitur :

Φεῦ, χρὴν βροτοῖσι τῶν φίλων τεκμήριον
Σαφές τι κεῖσθαι, καὶ διάγνωσιν φρενῶν,
Ὅστις τ' ἀληθὴς ἐστιν, ὅστε μὴ φίλος.
Δίσσας δὲ φρενὰς πάντας ἀνθρώπους ἔχειν,
Τὴν μὲν δικαίαν, τὴν δ' ὅπως ἐτύγχανεν,
Ὡς ἡ φρονοῦσα τ' ἄδικ' ἐξηλέγχετο
Πρὸς τῆς δικαίας, κοὐκ ἂν ἡσσώμεθα.

I. e. *Heu ! oportebat hominibus notam amicorum manifestam aliquam esse, et dijudicationem mentis, quisnam verus sit amicus, et quis non ; et omnes homines duplicem vocem habere : unam quidem veracem, alteram vero pro re nata obviam, ut quæ cogitaret injusta argueretur ex veriloquia, neque jam deciperemur.* Jam enim ejus tempore vel Spartani tales erant, ut ait in Andromacha :

Εὖ λέγοντες ἄλλα μὲν,
Γλώσσῃ φρονοῦντες δ' ἄλλ' ἀνευρίσκειν χρεών.

Quod quasi interpres ita noster Publius extulit versu 265.

Homo semper in os fert aliud, aliud cogitat

Dixitque more suo breviter et fortiter Sallust. Cat. c. *Aliud clausum in pectore, aliud lingua promptum habere.* Quandoquidem aliquando *sub hominum effigie* [Senecæ verba sunt] *latet ferinus animus, imo feris lævior et immanior.*

(*a*) *Congiario dividundo.* Congiarium est munus ac summa pecuniæ, qua Imperator populum universum afficiebat; et donativum quo milites. Si quando vero in congiario aliquid præter pecuniam dabatur, apponebatur. Lac.

(e) *De nostris annis.* Occasionem qua verisimile est hanc acclamationem usurpatam, pulchre inquirit Heraldus, quodque sæpius versu concepta fuerint ejusmodi acroamata illustrare potest id quod in Caligula c. VI. notat Sueton. Germanico pristinæ sanitati restituto ut putabatur ab universo populo fuisse acclamatum :

Salva, Roma, salva patria, salvus est Germanicus,

est enim integer trochaicus. Et aperte testatur Coripus in carmine quod in laudem Imperatoris Justini scripsit lib. II. versu 317.

Disponunt cantus, modulos et vocibus addant.

ubi exprimere voluit illud Suetonii in Caligula c. XVI. *nobilisque pueris ac puellis, carmine modulato, laudes virtutes ejus canentibus.* Qui idem princeps imperii initio ut optimi Germanici filius, tantam de se spem et amorem excitaverat, ut ubi in adversam valetudinem incidit, *non defuerint, qui depugnaturos se armis pro salute ægri, quique capita sua proposito titulo voverent*, ibid. c. XIV. quos postea crudelis ille tyrannus votum explere coegit c. XXVII. Vehemens vero amoris iste æstus, quo pro alio mori quis cupit, ipsi ut vita prorogetur, tantoque sceleratius, vel in talibus verbis mortem ejus optare. Hoc plerumque amatoribus in ore erat, unde pulchre Horatius lib. III Carm. IX. 9.

Me nunc Tresse Chlos regit,
Dulces docta modos, et citharæ sciens :
Pro qua non metuam mori,
Si parcent animæ fata superstiti.

cui pulchrius respondet Lydia :

Me torret face mutua
Thurini Calais filius Ornithi,
Pro quo bis patiar mori,
Si parcent puero fata superstiti.

Et apud Plautum, Asin. III. 3. 18. amicæ conquerent

Cur tu obsecro immerito meo me mortis dedere optas,

dat responsum amans juvenis :

Ego te ? quam si intelligam deficere vita, jam ipsè
Vitam meam tibi largiar, et de mea ad tuam addam.

Quod tamen merito magis illi usurpent, inter quos non malis interruptam querimoniis haud citius extrema die copulam amor solvit, ut facit lugens iste Titi Cæsaris libertus Arimetus :

Digitized by Google

ipso senatu, de equite, de castris, de palatiis ipsis spirat (1). Unde Cassii, et Nigri et Albini (*a*)? unde qui inter duas laurus (*b*) obsident Cæsarem? unde qui faucibus (2) ejus exprimendis palæstricam exercent? unde qui armati palatium irrumpunt, omnibus (*c*) Sigeriis (3) atque Partheniis audaciores? De Romanis, nisi fallor, id est de non-Christianis. Atque adeo omnes illi sub ipsa usque impietatis eruptione et sacra faciebant (*d*) pro salute Imperatoris, et genium ejus dejerabant, alii foris (*e*); alii intus, et utique publicorum hostium nomen Christianis dabant. Sed et qui nunc scelestarum partium socii aut plausores (*f*) quotidie revelantur, post vindemiam parricidarum racematio superstes, quam recentissimis et ramossimis laureis

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Sic emend. Rig. et Hav.; reliqui omnes:* spirant.
(2) *Rhen. et Aldus:* fascibus.
(3) *Gel., Gangn., Herald.:* Stephanis; *codd. s.* omnibus Sigeriis, s. omn. tot. Sig. *Cf. Mart. epigr.* 4, 78.

COMMENTARIUS.

Si pensare animas? sinerent crudelia fata,
Et posset redimi morte aliena salus:
Quantulacumque meæ debentur tempora vitæ,
Pensassem pro te, cara Homonœa, libens,

Exstat inscriptio Romæ in cardinalis Cœlii hortis, referique illam Gruterus et alii in inscript. Multi vero Codices editi, ut Ald. Rhen. MSS. ut Fuld. et L. B. habent:

De nostris annis augeat tibi Jupiter annos.

(a) *Unde Cassii.* Pariter in lib. 1. ad Nat. c. 17. *Agnoscimus sane Romanam in Cæsares fidem! Nulla unquam conjuratio erupit, nullus in Senatu vel in palatiis ipsis sanguinis* (leg. *sanguis*) *Cæsaris notam fixit? Nulla in Provinciis affectata majestas? Adhuc Syriæ cadaverum odoribus spirant: adhuc Galliæ Rhodano suo non lavant.* Et huc spectant illa quæ adducit in lib. Ad Martyr. c. VI. *Ad hoc quidem vel præsentia nobis tempora documenta sint, quantæ qualesque personæ inopinatos natalibus, et dignitatibus, et corporibus, et ætatibus suis, exitus referunt, hominis causa: aut ab ipso, si contra eum fecerint, aut ab adversariis ejus, si pro eo steterint.* Hav.

(b) *Inter duas laurus.* Innuit lauretum, quo secesserat Commodus aeris salubrioris gratia, cum in Urbe pestilentia grassaretur. Historiam narrat Herodianus lib. I. Pub. Victor. regione Urbis XIII. meminit Laureti majoris et Laureti minoris. Erant duo luci. Et in vetustis martyrologiis legitur, III. *Id. Aug. Romæ inter duas lauros Tiburtii martyris* Chronicon Alexandrinum, ubi de Valentiniani Imp. nece, ἐσφάγη ἐν Ῥώμῃ μέσον δύο δαφνῶν. Sic et apud Livium, lib. I. Locus inter duos locos. RIG.

(c) *Sigeriis.* Male multi V. D. hoc mutarunt in *Stephanis*, cum non tantum omnes libri MSS. consentiant in illo, sed etiam Xiphilinus inter conjuratos in Domitiani caput clare Sigerium numeret; Martialis quoque cum Parthenio conjungat lib. IV. epist. 88.

Et sacro decies repetis palatia clivo,
Sigeriosque meros Partheniosque sonas.

ut recte notavit Gothofredus ad lib. 1. Ad Nat. c. 17. Illi enim intimæ admissionis erant apud Domitianum, ut docet Xiphilinus, et viri magnæ auctoritatis, maximisque a Cæsare beneficiis affecti, quare illos maluit nominare Tertullianus, quam ignobilem Stephanum, qui roboris causa tantum ad interficiendum tyrannum immissus est. Unde etiam Hadr. Junio assentior corrigenti apud Martial. in Apophoretis ep. C. LXXXII. *Sigillum Sigeri fictile.* malo ibi tamen *Sigerii*, pro *Giberii*. Cæterum cum Fr. Junio facile persuadeo mihi Sigerium hunc germanum fuisse, cum constet, inter illos Batavis in principis custodia maxime locum fuisse. Imo vel frisium fuisse suspicor, apud quos vel finitimos Groninganos non tantum crebra adhucdum sunt composita ista nomina. Sigefridus, Sigebertus, sed etiamnum nobilissima vetus est familia Sigerorum vel Sigeriorum *Sigers*. Cum vero in omnibus fere MSS. exstet *tot Sigeriis*, unde depravatum in L. B. *tot Siquis*, si non pro *omnibus* ut varia lectio substituta fuit, præter nominatos istos duos etiam quoscumque alios includit, qui simili scelere majestatem principis violarunt. Hav.

(d) *Sacra faciebant pro S. I.*] Omnino huc pertinet elegans Luciani Dialogus, qui inscribitur Tyrannus. ibi Clothoni de fictis amicis suis respondet Megapenthes: Καὶ μὲν σπενδοντες ἐν τοῖς συμποσίοις etc. i. e. *Atque si quando in conviviis ex more vinum libarent, magna voce omnia mihi bona precabantur, adeo ut si fieri posset, unusquisque eorum etiam pro me mortem subire paratus esset. In summa, per nihil aliud quam per nomen meum jurabant.* Cui Clotho rursus: τοιγαροῦν παρ' ἑνὶ αὐτῶν etc. i. e. *Propterea ex cœna, quam heri cum quodam eorum cepisti, statim mortem oppetiisti.* Qui idem de hæredipetis similiter in Dial. Mort. Plut. et Merc. ubi ostendit votum esse illorum ut cito senex dives moriatur. *Quod tamen*, inquit, *omnium sceleratissimum est, interea cum talia precantur, tamen observant et colunt manifeste utique illum. Ac quæ ægrotante illo apud se consultent, nemo ignorat; attamen sacrificaturos sese promittunt, si convalescat denuo.* Hav.

(e) *Alii foris.* Inserviat hoc illustrando et emendando libro Ad Nat. 11. cap. undec. ubi post hiatum legitur... *Parcite, Dei impudentes, luctantibus sponsis nemo intervenit,... quorum votum est foris gaudentes erubescunt.* Lacunam priorem non tangit Gothofredus, posteriorem supplet per *illi*, et τὸ *foris* explicat de illis qui foris lætitiæ nuptiali operantur. Perperam. Ita restitue: *Humano pudori parcite, Dei impudentes*, etc. *ipsi, quorum votum est*, etc. Dicit enim illos ipsos, qui gaudium illud nuptiale animo præsumunt et tacite gaudent, ad prætextata tamen verba lascivosque jocos foris rubore suffundi, quomodo devirginata illa apud Theocritum puella Idyll. XXVII. 68.

Ἡ μὲν, ἀνστρομένη διὰστιχε μᾶλα νομεύειν,
Ὄμμασιν αἰδομένη, καρδίη δὲ οἱ ἔνδον ἴαυθη·

i. e. *Ipsaque cum surrexisset, ibat ad oves pascendas, oculis pudore suffusis; cor autem illi intus gestiebat.* Hav.

(f) *Plausores.* i. e. fautores, auxiliatores, vel certe idem optantes. De Pœnit. c. X. *Quid consortes casuum tuorum et plausores fugis?* ita lege, non *ut plausores.* ibi enim de amore Christianorum mutuo, et sacramento quod omnes Christo diximus, agitur. Et satis crudeliter medicinam exercuisse Severum, multumque in eo naturæ periisse, quod vetat Publius Syrus, editionis nostræ versu 365.

Mala est medicina ubi aliquid natura perit.

Item versu 247.

Graviora quædam sunt remedia periculis.

Satis testari potest sapiens consilium Getæ filii, fratre Bassiano vita et imperio dignior. Adscribam verba Spartiani in vita ejus, digna enim sunt cognosci: *Hujus illud pueri fertur insigne, quod quum vellet partium diversarum viros Severus occidere, et inter suos diceret, hostes vobis eripio. consentiretque adeo usque Bassianus, ut eorum etiam liberos, si sibi consuleret, diceret occidendos, Geta interrogasse fertur, quantus esset interficiendorum numerus, cumque dixisset pater, ille interrogavit: Isti habent parentes, habent propinquos? quum responsum esset, habere complures: Plures ergo in civitate tristes erunt quam læti, quod vicimus. Et obtinuisset*, addit ibidem Spart., *ejus sententia, nisi Plautianus præfectus vel Juvenalis institu-*

Digitized by Google

(1) postes præstruebant (*a*) ? quam elatissimis (*b*) et clarissimis lucernis vestibula enubilabant ? quam cultissimis et superbissimis toris (*c*) forum sibi dividebant ? non ut gaudia publica celebrarent, sed ut vota propria jam edicerent (2) et in aliena solemnitate exemplum atque imaginem spei suæ inaugurarent, nomen principis in corde mutantes (3). Eadem officia dependunt et qui astrologos et aruspices et augures et magos de Cæsarum capite consultant, quas artes ut ab Angelis desertoribus proditas et a Deo interdictas ne suis quidem caussis adhibent Christiani. Cui autem opus est perscrutari super Cæsaris salute, nisi a quo aliquid adversus illam cogitatur vel optatur, aut post illam speratur (4) et sustinetur ? Non enim ea mente de caris consulitur, qua de dominis. Aliter curiosa est sollicitudo sanguinis, aliter servitutis.

CAPUT XXXVI.

Hostes igitur haberi posse, qui hostile nihil adversus Romanum vel Imperium vel Imperatorem spirent, imo qui quod Imperatori sunt, etiam sint aliis, quibus male velle, male cogitare non liceat de aliis, multo minus de Imperatore, qui ad tale fastigium a Deo evectus est.

Si hæc ita sunt, ut hostes deprehendantur, qui Romani vocabantur, cur nos, qui hostes existimamur, Romani negamur (5) ? non possumus et Romani esse, et hostes non esse (6), cum hostes reperiantur qui Romani habebantur. Adeo pietas (*d*) et religio et fides imperatoribus dedita non in hujusmodi officiis consistit, quibus et hostilitas magis ad velamentum sui potest fungi, sed in iis moribus, quibus civilitas in imperatorem tam vere (7), quam circa omnes necesse habet (8) exhiberi. Neque enim hæc opera bonæ mentis solis imperatoribus debentur a nobis. Nullum bonum sub exceptione personarum administramus, quia nobis præstamus, qui non ab homine aut laudis, aut præmii expensum captamus : sed a Deo exactore et remuneratore indifferentis benignitatis. Idem sumus imperatoribus, qui et vicinis nostris. (9) Male enim velle, male facere, male dicere, male cogitare de quoquam ex æquo vetamur. Quodcunque non licet in imperatorem, id nec in quemquam, quod in neminem, eo forsitan magis nec in ipsum, qui per Deum tantus est.

CAPUT XXXVII.

A quibus Christianis nihil mali expectandum hinc patere possit, utpote apud quos malum malo compensare non liceat, quod si vellent, iniqua odia et contumelias ulturi, facillime possent, et ob ingentem numerum, quo brevi tempore orbis impletus est, et ob mortis contemptum, quem etiam in tormentis pro Fide præstent : sive id agere mallent per incendia, sive per bella, sive denique per meram discessionem vastaturi Rempublicam. At nunc etiam benefactores inimicorum factos, a Dæmonum incursibus illos liberare, quos tamen generis, quam erroris humani hostes vocare maluerint.

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Hav. e cod. Fuld.* nubilabant ; *Rig. et Jun. e cod. Put.* nebulabant. *In cod. Lugd. desunt vv.* quam elat. enubilabant.

(2) *Rig. et Hav.* edicerent in al. sol., et exemplum *cet. Al.* ediscerent ; *cod. Lugd. II.* edisserent, ne in al. sol. et exemplum cet.

(3) *Rhen. et Gel.:* imitantes, *cod. Lugd.* invitantes.

(4) Separatur, *Hav.*

(5) Negemur, *Par.*

(6) *Pamel. aliique :* et Romani non esse et hostes esse.

(7) *Hanc lectionem restituit Wouw. e Ms., cui assensi sunt Rig., Hav. aliique ; edd. priores :* quibus divinitas imperat, tam vere, quam cet. *Hav. autem et Ritter transposuerunt vv.* civilitas tam vere in imp., quam cet.

(8) Necesse habet *abest. Par.*

(9) Ex ipso quia et vicinis nostris *corrigit Haverc.*

COMMENTARIUS.

sent spe proscriptionum ex quibus ditati sunt. In vocibus vero *sed et qui*, τὸ et expungit Ald. *et* mox in Fuld. pro *superstes* mendosa scriptura habet *superest*, ut et L. B. pro *quam* semper *qui*. Hav.

(a) *Recentissimis.* Nota morem antiquum, recentes maxime lauros adhibere tantamque earum vim et magnitudinem, ut quasi aditus januarum præstrueretur.

(b) *Elatissimis.* Intelligo de serie lucernarum et suggestu, ut Noster supra locutus est, quomodo quasi tabulatis aliquot in vestibulis vel postibus lucernarum istarum series ædificata fuisse videtur.

(c) *Cultissimis et superbissimis toris.* Scriverius ex V. C. notat *taxis*, ut ad sacrificia respiciat, quod non placet, sumi enim debet ut in principio hujus cap. *Grande videlicet officium focos et toros in publicum educere.* ubi vide Herald. Dicit autem *dividebant*, captantes sc. commodissimum optimumque locum, quasi olitores quidam aut tabernarii. Superbiam vero et cultum tororum seu lecticarum nemo melius describit. Martiale. Is. lib. 11. epig. 16.

Zoilus ægrotat, faciunt hanc stragula febrem.
Si fuerit salvus, coccina quid facient ?

Quid torus a Nilo, quid sindone tinctus olenti ?
Ostendit stultas quid nisi morbus opes ?
Quid tibi cum medicis ? dimitte machaonas omnes.
Vis fieri sanus ? stragula sume mea.

Qui idem nos docet tempus diei, quo scena ista dissolvebatur torique domum reducebantur lib. IV. ep. 8.

Imperat exstructos frangere nona toros.

post illam horam enim non facile probus quis per plateas grassabatur, sed domum se ad cœnam et studia recipiebat, meretrices vero lupanar tunc aperire solitæ erant, inde *nonariæ* dictæ Persio in fine Sat. 1.

Si Cynico barbam petulans nonaria vellat. Hav.

(d) *In corde mutantes. Imitantes* Rhen. L. B. *invitantes.* neutrum placet. Illustrat vero hoc admodum calumnia Valerii Omuli qua M. Antonini matrem apud Anton. Pium onerabat. Narrat Julius Capitolinus in vita M. Antonini Philosophi : *Erat autem in summis obsequiis patris Marcus, quamvis non deessent, qui aliqua adversum eum insusurrarent, et præ cæteris Valerius Omulus : qui quum Lucillam matrem Marci in viridario venerantem simulacrum Apollinis vidisset, insusurravit : Illa nunc rogat, ut diem tuum claudas, et filius imperet.* Hav.

(e) *Et qui astrologos.* Attingit hoc crimen Tertullianus, quia sub Severo multi propter astrologos periere. Spartianus in Severo. Lac.

(f) *Adeo pietas et religio.* Hactenus refutavit illos ex propria ipsorum opinione ; nunc clare ait pietatem, et religionem, et fidem debitam Imperatoribus non

Digitized by Google

Si inimicos, ut supra diximus, jubemur diligere, quem habemus (1) odisse? Item si (2) læsi vicem referre prohibemur, nec de facto pares simus, quem possumus lædere? Nam de isto ipsi recognoscite. Quoties enim in Christianos desævitis, partim animis propriis, partim legibus obsequentes? Quoties etiam præteritis (3) vobis sua jure nos inimicum vulgus invadit lapidibus (a) et incendiis? Ipsis Bacchanalium furiis (b) nec mortuis parcunt Christiani, quin illos de requie sepulturæ (c), de asylo quodam mortis, jam alios, jam nec totos avellant, dissecent, distrahant. Quid tamen unquam denotastis (4) de tam A conspiratis, de tam animatis ad mortem usque pro injuria repensatum (5), quando vel una nox pauculis faculis (6) largiter ultionis (7) posset operari, si malum malo dispungi penes nos liceret? Sed absit, ut aut igni humano vindicetur divina sectæ (8), aut doleat pati, in quo probatur. Si enim hostes exsertos, (9) non tantum vindices occultos (e) agere vellemus, deesset nobis vis numerorum et copiarum? Plures nimirum Mauri et Marcomanni ipsique Parthi, vel quantæcumque unius tamen loci et suorum finium gentes, quam totius orbis. Hesterni (10) sumus et vestra omnia implevimus (f), urbes, insulas, castella,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Habebimus, *Paris.*
(2) Idem *ad. Cod. Fuld.*
(3) Præteritos a vobis, *Paris.*
(4) Denotatis, *Fran.*
(5) Repensati, *Fran.*
(6) Facidulis *con. Haverc.*
(7) *Ita Cod. Fuldens. Rigalt.*, etc. in largitatem ultionis.
(8) Divina sacra *Fran.*
(9) Exsortes, Paris.
B (10) *Ita Herald. e ms. Put., Ald., Rig., Hav., Jun., La Cerda; cæteri:* externi.

COMMENTARIUS.

esse positam in his officiis et rebus quibus velatur, tegitur, dissimulatur hostilitas, ut faciunt gentiles. qui cum dicant palam se romanos, clam tamen insidiantur. Lac.

(a) *Lapidibus et incendiis.* Tale supplicium vulgo familiare est, confer Joh. VIII. 59. X. 31. XI. 8. Luc. XX. 6. Act. V. 26. XIV. 19. Hoc modo Eusebius antistes Samosatensis interfectus fuit ab ariana muliere, tegula in caput ejus conjecta. De quo facto Nazianz. Orat. XI. Adv. Ar. et de seipso : ὃν ἐκ τῆς ὑπεροχίας ἀχθέντα λίθοις ἐδίδαξασθε μεσούσης ἡμέρας, ἐν μέσῃ πόλει. i. e. *Quem ab exilio reductum lapidibus excepistis, ipsa in meridie, mediaque in urbe.* Apud Petonium. *Ex his qui in porticibus spatiabantur, lapides in Eumolpum recitantem miserunt.* Ibidem : *Itaque non miror si te populus lapidibus prosequitur.* Imo vel imagines Imperatorum Deorumque et ipsa templa a rabido vulgo lapidabantur, ut in morte Germanici docet Suetonius in Calig. cap. V. Insigne exemplum in Numidico, quem Carthaginiensibus presbyteris commendat, furiarum harum utroque genere proponit Cyprianus lib. IV. ep. 10. *Qui hortatu suo copiosum martyrum numerum lapidibus et flammis necatum ante se misit; quique uxorem adhærentem lateri suo concrematam simul cum cæteris (vel conservatam magis dixerim) lætus aspexit. Ipse semiustulatus et lapidibus obrutus, et pro mortuo derelictus, dum postmodum filia, sollicito pietatis obsequio, cadaver patris inquirit, semianimis inventus, et refocillatus et extractus a comitibus, quos ipse præmiserat, remansit invitus.* Hav.

(b) *Ipsis Bacchanalium furiis* : Alludit ad descriptionem Bacchi, quem postea, inquit B. Just. Mart. lib. de Monarch. furentem vocat. De Bacchi vero sacris, quam turpia, quam furiis plena, videat lector de Au- D gust. lib. VII, de Civ., Dei cap. 21. et ibi annotat. vivis. Pam.

(c) *De requie sepulturæ.* Atqui idem mox fere dicit in *de asylo quodam mortis*, nam ut templa Deorum sanctos et inviolatos præstabant eos qui in illa confugerant, vitam illis servantes, ita mors et sepulcrum cadaveribus nihil nisi requiem præstare possunt. Præferri itaque posset lectio Cod. Fuld. *de reliquiis sepulturæ*, nisi idem diceret mox quoque in *jam alios, jam nec totos.* Graviter itaque taxat Arianos Nazianz. loco adducto, quod nuda sanctorum corpora feris objecissent, prohibuissentque mortuos sepeliri : τίνας inquit, ἐπαφήκαμεν θῆρας ἁγίων σώματιν; ἃς τινες τὴν ἀπάνθρωπον φύσιν δημοσιεύσαντες. id est, *Quasnam feras in corpora sanctorum immisimus? Quod quidam fecerunt, qui naturam humanam publicarunt et prostituerunt.* Et mox : *Quibusnam crimini datum est a nobis, quod mortuos sepelissent, quos etiam ipsæ bestiæ fuissent reveritæ?* Certe, ut idem in laudem Heronis Orat. XXXIII, sepultura ne impiis quidem et facinorosis hominibus negari debet. Hav.

(d) *De requie sepulturæ.* Locus insignis adversus nostræ tempestatis donatistarum asseclas hæreticos, qui sepulta christianorum, imo regum corpora effoderunt, cum tamen *asylum mortis sepultura* recte a Tertulliano vocetur. Et certe gravissimæ pœnæ in sepulcrorum violatores, vel ab ipsis ethnicis, imperatoribus, jam olim statutæ sunt. Pam.

(e) *Vindices occultos.* Prout nunc, vindictam Deo committentes. An fautores subdolos adversarum partium intelligit? cum alias etiam vindices occulti possint dici illi qui, cum defectu virum ulcisci se in C præsenti prohibentur, opportunum tempus vindictæ captant, quomodo inculcat Theognis versu 362.

Εὖ κἀτίλλε τὸν ἐχθρόν. ὅταν δ' ὑποχείριος ἔλθῃ,
Τίσαί νιν, πρόφασιν μηδεμίαν θέμενος.

id est, *Bene demulce inimicum, postquam vero sub potestatem venerit, ultionem sume de eo, nullam admittens excusationem.* Et acutum illud docet Publii Syri Mimi versu 156.

De inimico ne loquaris male, sed cogites.

ad quem locum videri possunt, quæ ex posthumis Jani Gruteri observationibus publico dedimus. Politicum tamen hoc gentiles decet, non christianos. Humane scilicet Sophocles Ajacis Flag. versu 747.

Οτ' ἐχθρὸς ἡμὴν ἐς τοσόνδ' ἐχθραντέος,
Ὡς καὶ φιλήσων αὖθις.

id est, *Quum hostis essem ita odio eram habendus, ut qui rursus amicus fieri possem.* Hav.

(f) *Vestra omnia implevimus.* Rapidus Evangelii cursus et potens sceptrum fortitudinis suæ quod ex Sione misit Dominus cito æternas orbis portas et fores æratas perfregit. Cujus illustre testimonium jam vel secundo post Christum natum sæculo potere est tum ex hoc loco, tum cap. primo. *Obsessam vociferantur*, etc. Ad Scap. etiam cap. 11. *Cum tanta hominum multitudo, pars pene major civitatis cujusque, in silentio et modestia agimus, singuli forte noti magis quam omnes.* et cap. v. *Quid facies de tantis millibus hominum, tot viris ac fœminis, omnis sexûs. omnis ætatis, omnis dignitatis, offerentibus se tibi? Quantis ignibus, quantis gladiis opus erit? quid ipsa Carthago passura est decimanda a te, cum propinquos, cum contubernales suos illic unisquisque cognoverit, cum viderit illic fortasse, et tui ordinis viros et matronas, et principales quasque personas, et amicorum tuorum vel propinquos vel amicos?* Ad Nation. 1. 8. *Verum recogitate, ne quos tertium genus dicitis, principem locum obtineant, siquidem non ulla gens non christiana: itaque quæcumque*

Digitized by Google

459

(1) pos
clarissi
tissimis
bant? n
propria
exempli
nomen
dependu
et mago
ut ab An
tas ne s
autem o
nisi a qu
tur, aut
enim ea n
Aliter cur
vitutis.

Hostes igitu
Romanu
imo qui q
bus male
multo min
Deo evecti

Si hæc ita
Romani voca
mur, Roman

(1) *Hav.* e
Pal. nebulaban
bilabant.
(2) *Rig. et H*
Al. ediscerent;
exemplum cet.
(3) *Rhen. et*
(4) Separatur

sent spe proscri
bus vero *sed et q*
pro *superstes* m
L. B. pro *quam*
(a) *Recentissim*
maxime lauros
magnitudinem, ut
(b) *Elatissimis.*
suggestu, ut Noste
tabulatis aliquot in
istarum series ædit
(c) *Cultissimis et*
V. C. notat *tauris*, u
placet, sumi enim
Grande videlicet of
educere. ubi vide H
tantes sc. commodi
olitores quidam
cultum tororum sc
Martiale. Is. lib.

Zoilus ægrot
Si fuerit s

Quid torus
Ostendit
Quid tibi c
Vis fieri

B

LECTIONES VARIANTES.

(3) Qui
(6) Ver
(7) C
(8) Ut
(9) M
(10)
Hav.
(11) C

COMMENTARIUS

C

D

Digitized by Google

rum divinarum commemorationem (a), si quid præsentium temporum qualitas aut præmonere cogit aut recognoscere. Certe fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præceptorum nihilominus in compulsationibus (1) densamus; ibidem etiam exhortationnes, castigationnes et censura divina (b). Nam et judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu, summumque futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis (c) et conventus et omnis sancti commercii relegetur. Præsident probati quique (d) seniores, honorem istum non pretio (e) sed testimonio adepti: neque enim pretio ulla res Dei constat. Etiam si quod arcæ genus est, non de honoraria (2) (f) summa, quasi redemptæ religionis congregatur (3); modicam unusquisque stipem menstrua die, vel quum velit, et si modo velit (4) (g) et si modo possit, apponit (5): nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis (6) nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis humandisque, et pueris ac puellis re ac parentibus destitutis (7), jamque domesticis senibus (*h*) (8), item naufragis (9), et si qui in metallis, et si qui in insu-

LECTIONES VARIENTES.

(1) In compulsationibus *cod. Fuld. Haverc.*
(2) Ita cod. Put. et all., Rhen., Her. de oneraria, Pam. de ordinaria, Rig. et Hav. dehonoraria (i. e. inhonesta).
(3) Congregat *Parisin.*
(4) Et si modo velit *abest Parisin.*
(5) Opponit *Paris.*
(6) Vv. et si modo velit desunt in ed. Rhen., Ald., Gelen. et Gangn. In sqq. cod. Lugd. et si vel possit, cod Agob. et si modo vel possit. Scribendum videtur: vel cum velit, vel si modo possit, cæteris deletis.
(7) Quippe non epulis inde *cod. Fuld.*
(8) Rhen., Gel., Ald., Gangn. ætateque domitis senibus; Hav. e cod. Fuld. add.: jam otiosis.
(9) Naufragiis *Haverc. cod. Fuld.*

COMMENTARIUS.

Panvinius, Vellerus, Faber et innumeri alii: Pertinetque ad illam, de qua modo, arenæ atrocitatem elegans Demonactis philosophi dictum ad Athenienses, quod narrat Lucianus in Vita ejus. Consultabant Athenienses de spectaculo gladiatorum instituendo ad imitationem Corinthiorum. Ibi sanam hanc vocem edidit Philosophus Μὴ πρότερον ταῦτα, ὦ Ἀθηναῖοι ψηφίσησθε, ἂν μὴ τοῦ Ἑλέου τὸν βωμὸν κατέλητε, id est, *Ne prius, o Athenienses, hæc decernatis, quam subvertatis aram Misericordia.*

(a) *Coimus ad litterarum divinarum commemorationem.* La Cerda habet *cogimur*, id est convenimus, ut ibi explicat. Eadem ferme habet Justinus martyr Apolog. 2. Quæ omnia, tum Justini, tum Tertulliani citantur a Stephano Duranto, lib. 2. de ritibus Ecclesiæ, cap. 18. Le Pr.

CAP. XXXIX. — a *In compulsationibus.* MS. Fuldensis hæc lectio longe melior est, quam aliorum *inculcationibus.* Et hoc enim quam maxime ad divinitatem disciplinæ Christianæ facit, etiam in persecutionibus et assultibus improborum (ita enim usurpat *compulsare* et *compulsationem*), nihil de fide, spe, fiducia, præceptis Domini discedere. Est itaque *præceptorum*, eorum quæ præcepit nobis Dominus. Si cui tamen magis placet *inculcationibus*, ita cum Salmasio de Trapez. Fœnore p. 464. explicet: Non satis habemus fidem canendo ad Deum pascere, et spem *erigere, fiduciamque* in illo figere, quibus omnibus *nos in eum* serio credere testamur; sed et præcepta inculcamus, quæ non facienda et facienda demonstrant, de quibus supra cap. 1. Sed hæc omnia in lectione nostra includuntur. Hav.

(b) *Censura divina.* Locus insignis adversus contemptores excommunicationis Ecclesisticæ a Christo institutæ, et a primis apostolorum temporibus usitatæ. Pam.

(c) *Ut a communicatione orationis.* Vere gravis et rigida fuit disciplina veterum Christianorum, qua vel prorsus a communione sanctorum graves peccatores rejiciebant, vel statuebant onerosas delictorum pœnas. Sic Tertulliani tempore vix, et si modo, mœchis, homicidis, idololatris publica pœnitentia concedebatur, ut patet ex lib. de Pudicitia, c. V; et late exsequuntur qui de pœnitentia et pœnis clericorum ex professo egerunt Jo. Morinus in doctissimo libro de sacramento Pœnitentiæ, et Gabriel Albaspinæus, vir omnis antiquitatis ecclesiasticæ scientissimus, in Observationibus Ecclesiasticis. Pœnitentiæ vero gradus erant *fletus*, cum a limine et omni tecto Ecclesiæ summotus peccator ante fores templi flens et sordidatus fideles ingredientes prensaret, orarent pro se, ut scandalum ab Ecclesia Dei summoveretur. Secundus *Auditio*, quum inter catechumenos in aditu templi stare permittebantur. Tertius *Substratio*, quando ingredi liceret, sed ita ut retro ambonem sese prosternerent et cum catechumenis rursus abirent. Quibus peractis certo temporis spatio, quod pro magnitudine scandali erat definitum, admittebantur ad Σύστασιν, sive *Consistentiam*, quando una cum fidelibus stabant orantes. Nondum vero ad sacram cœnam accedere licebat, sed tum demum, cum plane Ecclesiæ reconciliati judicarentur. Hav.

(d) *Præsident probati quique.* Illustre testimonium Alexandri Severi apud Spartianum, qui eodem modo præpositos provinciis eligi volebat, dicens: *Grave esse, quum id christiani et Judæi facerent in prædicandis sacerdotibus qui ordinandi sunt, non fieri in provinciarum rectoribus, quibus et fortunæ hominum committerentur et capita.* Hav.

(e) *Non pretio.* Quo nec Deus egeat, et dignissimi honore passim excludantur. De illo Lucianus in Jove Confutato p. 183. ὥστε οὐχ ὁρῶ ἀνθ' ὅτου ἀπαιτεῖτε τὸν μισθὸν ἐπὶ τῇ μαντικῇ, id est *quare non video, quamobrem et mercedem exigatis propter vaticinium.* De hoc Lex Theodosiani Cod. I. de Rectorib. Provinciar. Constantiniana: *Non sit venale judicis velum, non ingressus redempti, non infame licitationibus secretarium, non visio ipsa præsidiis cum pretio.* Hav.

(f) *Non dehonoraria summa congregatur.* Sic omnino legitur in vetustissimo codice. In nostris, inquit, conventibus congregatur summa, quæ non sit tamen dehonestamento religioni, nec ideo venalis aut redempta dici debet religio nostra. Rig.

(g) *Si modo possit. Si modo velit.* Justinus: οἱ εὐπορούντες δὲ καὶ οἱ βουλόμενοι κατὰ προαίρεσιν ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ ὁ βούλεται δίδωσι. Le Pr.

(h) *Re ac parentibus destitutis.* Suetonii dictio est, in vita Neronis: senatorum nobilissimo cuique, sed a re familiari destituto, annua salaria constituit. Rig.

(i) *Jamque domesticis senibus.* Hæc est vetus lectio optimorum MSS. et edit. pro quo alii, ut Aldini et Rhen. ponere maluerunt *ætateque domitis*, quod non perinde probo. Scribo hæc per hyphen, ut illa apud Virgil. Georg. III. 92. de equo generoso, jam vetulo:

> Hunc quoque, ubi aut morbo gravis, aut jam segnior annis,
> Deficit, abde domo, nec turpi ignosce senectæ.

quod optime contra Canterum et alios adstruit elegantissimus Andr. Schottus Obs. Hum. lib. II. c. 54. Si vero malis cum Junio simpliciter intelligere de fidei domesticis ex Epist. ad Galat. VI. 10. ad manum est Justini locus, qui sic lib. II. c. 10. Arta-

Digitized by Google

(1) postes præstruebant (*a*) ? quam elatissimis (*b*) et clarissimis lucernis vestibula enubilabant ? quam cultissimis et superbissimis toris (*c*) forum sibi dividebant ? non ut gaudia publica celebrarent, sed ut vota propria jam edicerent (2) et in aliena solemnitate exemplum atque imaginem spei suæ inaugurarent, nomen principis in corde mutantes (3). Eadem officia dependunt et qui astrologos et aruspices et augures et magos de Cæsarum capite consultant, quas artes ut ab Angelis desertoribus proditas et a Deo interdictas ne suis quidem caussis adhibent Christiani. Cui autem opus est perscrutari super Cæsaris salute, nisi a quo aliquid adversus illam cogitatur vel optatur, aut post illam speratur (4) et sustinetur ? Non enim ea mente de caris consulitur, qua de dominis. Aliter curiosa est sollicitudo sanguinis, aliter servitutis.

CAPUT XXXVI.

Hostes igitur haberi posse, qui hostile nihil adversus Romanum vel Imperium vel Imperatorem spirent, imo qui quod Imperatori sunt, etiam sint aliis, quibus male velle, male cogitare non liceat de aliis, multo minus de Imperatore, qui ad tale fastigium a Deo evectus est.

Si hæc ita sunt, ut hostes deprehendantur, qui Romani vocabantur, cur nos, qui hostes existimamur, Romani negamur (5) ? non possumus et Romani esse, et hostes non esse (6), cum hostes reperiantur qui Romani habebantur. Adeo pietas (*d*) et religio et fides imperatoribus dedita non in hujusmodi officiis consistit, quibus et hostilitas magis ad velamentum sui potest fungi, sed in iis moribus, quibus civilitas in imperatorem tam vere (7), quam circa omnes necesse habet (8) exhiberi. Neque enim hæc opera bonæ mentis solis imperatoribus debentur a nobis. Nullum bonum sub exceptione personarum administramus, quia nobis præstamus, qui non ab homine aut laudis, aut præmii expensum captamus : sed a Deo exactore et remuneratore indifferentis benignitatis. Idem sumus imperatoribus, qui et vicinis nostris. (9) Male enim velle, male facere, male dicere, male cogitare de quoquam ex æquo vetamur. Quodcunque non licet in imperatorem, id nec in quemquam, quod. in neminem, eo forsitan magis nec in ipsum, qui per Deum tantus est.

CAPUT XXXVII.

A quibus Christianis nihil mali expectandum hinc patere possit, utpote apud quos malum malo compensare non liceat, quod si vellent, iniqua odia et contumelias ulturi, facillime possent, et ob ingentem numerum, quo brevi tempore orbis impletus est, et ob mortis contemptum, quem etiam in tormentis pro Fide præstent : sive id agere mallent per incendia, sive per bella, sive denique per meram discessionem vastaturi Rempublicam. At nunc etiam benefactores inimicorum factos, a Dæmonum incursibus illos liberare, quos tamen generis, quam erroris humani hostes vocare maluerint.

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Hav. e cod. Fuld.* nubilabant ; *Rig. et Jun. e cod. Pal.* nebulabant. *In cod. Lugd. desunt vv.* quam elat. enubilabant.

(2) *Rig. et Hav.* edicerent in al. sol., et exemplum *cet. Al.* ediscerent ; *cod. Lugd. II.* edisserent, ne in al. sol. et exemplum cet.

(3) *Rhen. et Gel.:* imitantes, *cod. Lugd.* invitantes.

(4) Separatur, *Hav.*

(5) Negemur, *Par.*

(6) *Pamel. aliique :* et Romani non esse et hostes esse.

(7) *Hanc lectionem restituit Wouw. e Ms., cui assensi sunt Rig., Hav. aliique ; edd. priores :* quibus divinitas imperat, tam vere, quam cet. *Hav. autem et Ritter transposuerunt vv.* civilitas tam vere in imp., quam cet.

(8) Necesse habet *abest. Par.*

(9) Ex ipso quia et vicinis nostris *corrigit Haverc.*

COMMENTARIUS.

sent spe proscriptionum ex quibus ditati sunt. In vocibus vero *sed et qui*, τὸ et expungit Ald. *et* mox in Fuld. pro *superstes* mendosa scriptura habet *superest*, ut et L. B. pro *quam* semper *qui*. Hav.

(a) *Recentissimis.* Nota morem antiquum, recentes maxime lauros adhibere tantamque earum vim et magnitudinem, ut quasi aditus januarum præstruerentur.

(b) *Elatissimis.* Intelligo de serie lucernarum et suggestu, ut Noster supra locutus est, quomodo quasi tabulatis aliquot in vestibulis vel postibus lucernarum istarum series ædificata fuisse videtur.

(c) *Cultissimis et superbissimis toris.* Scriverius ex V. C. notat *tauris*, ut ad sacrificia respiciat, quod non placet, sumi enim debet ut in principio hujus cap. *Grande videlicet officium focos et toros in publicum educere.* ubi vide Herald. Dicit autem *dividebant*, captantes sc. commodissimum optimumque locum, quasi olitores quidam aut tabernarii. Superbiam vero et cultum tororum seu lecticarum nemo melius describit Martiale. Is. lib. 11. epig. 16.

Zoilus ægrotat, faciunt hanc stragula febrem.
Si fuerit salvus, coccina quid facient ?

Quid torus a Nilo, quid sindone tinctus olenti ?
Ostendit stultas quid nisi morbus opes ?
Quid tibi cum medicis ? dimitte machaonas omnes.
Vis fieri sanus ? stragula sume mea.

Qui idem nos docet tempus diei, quo scena ista dissolvebatur torique domum reducebantur lib. IV. ep. 8.

Imperat exstructos frangere nona toros.

post illam horam enim non facile probus quis per plateas grassabatur, sed domum se ad cœnam et studia recipiebat, meretrices vero lupanar tunc aperire solitæ erant, inde *nonariæ* dictæ Persio in fine Sat. 1.

Si Cynico barbam petulans nonaria vellat. Hav.

(d) *In corde mutantes. Imitantes* Rhen. L. B. *invitantes.* neutrum placet. Illustrat vero hoc admodum calumnia Valerii Omuli qua M. Antonini matrem apud Anton. Pium onerabat. Narrat Julius Capitolinus in vita M. Antonini Philosophi : *Erat autem in summis obsequiis patris Marcus, quamvis non deessent, qui aliqua adversum eum insusurrarent, et præ cæteris Valerius Omulus : qui quum Lucillam matrem Marci in viridario venerantem simulacrum Apollinis vidisset, insusurravit : Illa nunc rogat, ut diem tuum claudas, et filius imperet.* Hav.

(e) *Et qui astrologos.* Attingit hoc crimen Tertullianus, quia sub Severo multi propter astrologos periere. Spartianus in Severo. Lac.

(f) *Adeo pietas et religio.* Hactenus refutavit illos ex propria ipsorum opinione ; nunc clare ait pietatem, et religionem, et fidem debitam Imperatoribus non

Digitized by Google

Si inimicos, ut supra diximus, jubemur dilligere, quem habemus (1) odisse? Item si (2) læsi vicem referre prohibemur, nec de facto pares simus, quem possumus lædere? Nam de isto ipsi recognoscite. Quoties enim in Christianos desævitis, partim animis propriis, partim legibus obsequentes? Quoties etiam præteritis (3) vobis sue jure nos inimicum vulgus invadit lapidibus (a) et incendiis? Ipsis Bacchanalium furiis (b) nec mortuis parcunt Christianis, quin illos de requie sepulturæ (c), de asylo quodam mortis, jam alios, jam nec totos avellant, dissecent, distrahant. Quid tamen unquam denotastis (4) de tam conspiratis, de tam animatis ad mortem usque pro injuria repensatum (5), quando vel una nox pauculis faculis (6) largiter ultionis (7) posset operari, si matum malo dispungi penes nos liceret? Sed absit, ut aut igni humano vindicetur divina sectæ (8), aut doleat pati, in quo probatur. Si enim hostes exsertos, (9) non tantum vindices occultos (e) agere vellemus, deesset nobis vis numerorum et copiarum? Plures nimirum Mauri et Marcomanni ipsique Parthi, vel quantæcumque unius tamen loci et suorum finium gentes, quam totius orbis. Hesterni (10) sumus et vestra omnia implevimus (f), urbes, insulas, castella,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Habebimus, *Paris.*
(2) Idem *ad. Cod. Fuld.*
(3) Præteritos a vobis, *Paris.*
(4) Denotatis, *Fran.*
(5) Repensati, *Fran.*
(6) Facidulis *con. Haverc.*
(7) *Ita Cod. Fuldens. Rigalt.*, etc. in largitatem ultionis.
(8) Divina sacra *Fran.*
(9) Exsortes, Paris.
(10) *Ita Herald. e ms. Put., Ald., Rig., Hav., Jun., La Cerda; cæteri:* externi.

COMMENTARIUS.

esse positam in his officiis et rebus quibus velatur, tegitur, dissimulatur hostilitas, ut faciunt gentiles. qui cum dicant palam se romanos, clam tamen insidiantur. Lac.

(a) *Lapidibus et incendiis.* Tale supplicium vulgo familiare est, confer Joh. VIII. 59. X. 31. XI. 8. Luc. XX. 6. Act. V. 26. XIV. 19. Hoc modo Eusebius antistes Samosatensis interfectus fuit ab ariana muliere, tegula in caput ejus conjecta. De quo facto Nazianz. Orat. XI. Adv. Ar. et de seipso : ὃν ἐκ τῆς ὑπερορίας ἀχθέντα λίθοις ἐδίδαξασθε μεσούσης ἡμέρας, ἐν μέσῃ πόλει. i. e. *Quem ab exilio reductum lapidibus excepistis, ipsa in meridie, mediaque in urbe.* Apud Petonium. *Ex his qui in porticibus spatiabantur, lapides in Eumolpum recitantem miserunt.* Ibidem : *Itaque non miror si te populus lapidibus prosequitur.* Imo vel imagines Imperatorum Deorumque et ipsa templa a rabido vulgo lapidabantur, ut in morte Germanici docet Suetonius in Calig. cap. V. Insigne exemplum in Numidico, quem Carthaginiensibus presbyteris commendat, furiarum harum utroque genere proponit Cyprianus lib. IV. ep. 10. *Qui hortatu suo copiosum martyrum numerum lapidibus et flammis necatum ante se misit; quique uxorem adhærentem lateri suo concrematam simul cum cæteris (vel conservatam magis dixerim) lætus aspexit. Ipse semiustulatus et lapidibus obrutus, et pro mortuo derelictus, dum postmodum filia, sollicito pietatis obsequio, cadaver patris inquirit, semianimis inventus, et refocillatus et extractus a comitibus, quos ipse præmiserat, remansit invitus.* Hav.

(b) *Ipsis Bacchanalium furiis* : Alludit ad descriptionem Bacchi, quem postea, inquit B. Just. Mart. lib. de Monarch. furentem vocat. De Bacchi vero sacris, quam turpia, quam furiis plena, videat lector de August. lib. VII, de Civ., Dei cap. 21. et ibi annotat. vivis. Pam.

(c) *De requie sepulturæ.* Atqui idem mox fere dicit in *de asylo quodam mortis*, nam ut templa Deorum sanctos et inviolatos præstabant eos qui in illa confugerant, vitam illis servantes, ita mors et sepulcrum cadaveribus nihil nisi requiem præstare possunt. Præferri itaque posset lectio Cod. Fuld. *de reliquiis sepulturæ*, nisi idem diceret mox quoque in *jam alios, jam nec totos.* Graviter itaque taxat Arianos Nazianz. loco adducto, quod nuda sanctorum corpora feris objecissent, prohibuissentque mortuos sepeliri : τίνας inquit, ἐπαφήκαμεν θῆρας ἀγίων σώμασιν; ἆς τινες τὴν ἀπάνθρωπον φύσιν δημοσιεύσαντες. id est, *Quasnam feras in corpora sanctorum immisimus? Quod quidam fecerunt, qui naturam humanam publicarunt et prostituerunt.* Et mox : *Quibusnam crimini datum est a nobis, quod mortuos sepelissent, quos etiam ipsæ bestiæ fuisse sent reveritæ?* Certe, ut idem in laudem Heronis Orat. XXXIII, sepultura ne impiis quidem et facinorosis hominibus negari debet. Hav.

(d) *De requie sepulturæ.* Locus insignis adversus nostræ tempestatis donatistarum asseclas hæreticos, qui sepulta christianorum, imo regum corpora effoderunt, cum tamen *asylum mortis sepultura* recte a Tertulliano vocetur. Et certe gravissimæ pœnæ in sepulcrorum violatores, vel ab ipsis ethnicis, imperatoribus, jam olim statutæ sunt. Pam.

(e) *Vindices occultos.* Prout nunc, vindictam Deo committentes. An fautores subdolos adversarum partium intelligit? cum alias etiam vindices occulti possint dici illi qui, cum defectu virum ulcisci se in præsenti prohibentur, opportunum tempus vindictæ captant, quomodo inculcat Theognis versu 362.

Εὖ κώτιλλε τὸν ἐχθρόν. ὅταν δ' ὑποχείριος ἔλθῃ,
Τίσαι νιν, πρόφασιν μηδεμίαν θέμενος.

id est, *Bene demulce inimicum, postquam vero sub potestatem venerit, ultionem sume de eo, nullam admittens excusationem.* Et acutum illud docet Publii Syri Mimi versu 156.

De inimico ne loquaris male, sed cogites.

ad quem locum videri possunt, quæ ex posthumis Jani Gruteri observationibus publico dedimus. Politicum tamen hoc gentiles decet, non christianos. Humane scilicet Sophocles Ajacis Flag. versu 747.

Οτ' ἐχθρὸς ἦμην ὡς τοσόνδ' ἐχθραντίος,
Ὡς καὶ φιλήσων αὖθις.

id est, *Quum hostis essem ita odio eram habendus, ut qui rursus amicus fieri possem.* Hav.

(f) *Vestra omnia implevimus.* Rapidus Evangelii cursus et potens sceptrum fortitudinis suæ quod ex Sione misit Dominus cito æternas orbis portas et fores æratas perfregit. Cujus illustre testimonium jam vel secundo post Christum natum sæculo potere est tum ex hoc loco, tum cap. primo. *Obsessum vociferantur*, etc. Ad Scap. etiam cap. 11. *Cum tanta hominum multitudo, pars pene major civitatis cujusque, in silentio et modestia agimus, singuli forte noti magis quam omnes.* et cap. v. *Quid facies de tantis millibus hominum, tot viris ac fœminis, omnis sexûs. omnis ætatis, omnis dignitatis, offerentibus se tibi? Quantis ignibus, quantis gladiis opus erit? quid ipsa Carthago passura est decimanda a te, cum propinquos, cum contubernales suos illic unisquisque cognoverit, cum viderit illic fortasse, et tui ordinis viros et matronas, et principales quasque personas, et amicorum tuorum vel propinquos vel amicos?* Ad Nation. 1. 8. *Verum recogitate, ne quos tertium genus dicitis, principem locum obtineant, siquidem non ulla gens non christiana: itaque quæcumque*

Digitized by Google

municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum; sola vobis reliquimus templa. Possumus dinumerare (*a*) exercitus vestros : unius provinciæ plures erunt (1). Cui bello non idonei, non prompti fuissemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur (*b*), si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quam occidere? Potuimus et inermes, nec rebelles, sed tantummodo discordes, solius divortii invidia adversus vos dimicasse. Si enim tanta vis hominum in aliquem orbis remoti sinum abrupissemus a vobis, suffudisset [pudore] (2) utique dominationem vestram tot qualiumcumque amissio civium, imo etiam et ipsa destitutione punisset. Procul dubio expavissetis ad solitudinem vestram, ad silentium rerum et stuporem quemdam quasi mortui orbis (3); quæsissetis quibus imperaretis. Plures hostes quam cives vobis remansissent. Nunc enim pauciores hostes habetis præ multitudine christianorum, pene omnium civitatum (4) pene omnes cives christianos habendo. Sed hostes maluistis vocare generis humani. (5) Quis autem vos ab illis occultis et usquequaque vastantibus mentes et valetudines vestras hostibus raperet? a dæmoniorum incursibus dico, quæ de vobis sine præmio, sine mercede depellimus. Suffecisset hoc solum nostræ ultioni, quod vacua exinde possessio immundis spiritibus pateretis. (6) Porro nec tanti præsidii compensationem cogitantes, non modo non molestum vobis genus, verum etiam necessarium, hostes judicare maluistis : qui sumus plane, non generis humani tamen, sed potius erroris.

CAPUT XXXVIII.

Quæ quum ita sint, tolerari, ut Sectam aliquam, quæ nihil mali operetur debere, non enim metuendum, ne tales ad illicitas factiones coeant, qui loca factionum vitent, qui dudum renuntiare didicerint spectaculis, circo, theatro, arenæ, xysto, unde crudeles, insani, lascivi, vani, turbulenti, et ob id ad conspirandum apti redire soleant homines. Si igitur christiani alias eligant voluptates, easque innoxii, turbas non debere, cum gentibus etiam suas quieti relinquant.

Proinde, nec paulo lenius, inter licitas fonctiones sectam istam deputari oportebat, a qua nihil tale committitur, quale de illicitis factionibus timeri solet. Nisi fallor enim, prohibendarum factionum caussa de providentia constat modestiæ publicæ (7), ne civitas in partes scinderetur, quæ res facile comitia, concilia, curias, conciones, spectacula etiam æmulis studiorum compulsationibus (*c*) inquietaret, cum jam et in

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Vv.* Possumus — erunt *ex uno cod. Fuld. recepit Hav., qui voc.* Christiani *excidisse arbitratus est.*
(2) V. pudore *rec. Hav. e cod. Fuld.; Luqd.* diffudisset utique.
(3) *Sic Rig. et Hav. 'ex auctoritate cod. Fuld.; codd. Put. et Bong.* quasi mortui, urbes quæs.; *Pamel.* quasi mortuæ urbis, quæsissetis, quibus in ea imperassetis; *Rhen. Ald. et Gangn.* : quasi mortuæ urbis reliquias quæs. etc.
(4) *Ita Haverc.; codd. omnes* civium. *Rig. delevit vv.* pene omnium — generis humani, *quibus alii addunt :* potius quam erroris humani.
(5) Potius quam erroris humani *add. Fran. Par. Rig.*
(6) Pateret, *Fran. Paris.*
(7) *Pamel. aliique :* ac modestia publica.

COMMENTARIUS.

gens prima, nihilominus christiana. Adversus Judæos quoque c. VII, ubi exposuit : illud ex Act. Apost. II. 9. — 11. subjungit, *ut jam Getulorum varietates, et Maurorum multi fines; Hispaniarum omnes termini, et Galliarum diversæ nationes, et Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita; et Sarmatarum, et Dacorum, et Germanorum, et Scytharum, et abditarum multarum gentium, et provinciarum et insularum multarum nobis ignotarum, et quæ enumerare minus possumus? In quibus omnibus locis Christi nomen, qui jam venit, regnat : utpote ante quem omnium civitatum portæ sunt apertæ, et cui nullæ sunt clausæ; ante quem seræ ferreæ sunt comminutæ, et valvæ æreæ sunt apertæ. Quamquam et ista spiritualiter sint intelligenda, quo præcordia singulorum variis modis a diabolo obsessa, fide Christi sunt reserata : attamen perspicue sunt adimpleta, utpote in quibus omnibus locis populus nominis Dei inhabitet.* Et ad eosdem c. XII. *Aspice universas nationes de voragine erroris humani exinde emergentes ad Dominum Deum creatorem, et ad Deum Christum ejus. Et si audes, nega prophetatum; statim tibi promissio Patris occurrit in Psalmis, dicens :* etc. De Corona denique militis c. XII : *et apud Barbaros enim Christus.* Vociferaturque impostor ille apud Lucianum in Pseudom. *impiis et christianis impleri Pontum.* Hav.

(a) *Possumus dinumerare exercitus vestros : unius provinciæ plures erunt.* Totum hoc in solo Fuldensi invenitur, et tamen plane Tertull. sapit. Scimus, inquit, quot exercitus hodie Romani alant, quis illorum justus sit numerus at tanta christianorum multitudo est, ut vel una provincia majores copias de iis instruere possit. Pulchre his sequentia respondent. Præteriisse alios, et inprimis Rigaltium, vix fero. Arbitror tamen excidisse vocem *Christiani.* Hav.

(b) *Tam libenter trucidamur.* Nam ut vere Publius Syrus Mimus versu 259.

Heu quam est timendus, qui mori tutum putat.

Ut enim idem versu 422.

Mortem ubi contemnas, omnes viceris metus.

Ex eodem fonte illud Senecæ ad Helvid. c. XIII. *Ex quo pectore mortis metum ejeceris, in id nullius rei timor audebit intrare.*

quos ille timorum
Maximus haud urget lethi metus, inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animatque capaces
Mortis;

de Druidis ut canit magnus Lucani spiritus lib. I. ubi pro *capaces* lego *rapaces.* præripiunt quasi mortem suam. Hav.

(c) *Æmulis studiorum comp.* Prout factiones illæ retiariorum et parmulariorum venetorum, et prasinorum, et similes ex suetonio præcipue et aliis Scriptoribus notæ sunt, de quibus Lipsius in Saturnalibus lib. II. c. 24. Alluditque Chrysost. Hom. ad Esai. VI. 1. ubi vetat compulsationes in Ecclesia. *Neque prohibemus vocem laudis, sed vocem absurditatis et inconditam, ac mutuas inter vos contentiones, manus incassum temereque sublatas in aerem, pedes supplodentes, indecoros effœminatosque mores, qui sunt illorum, qui in theatris ac circensibus ludis versantur, ludicra et deliciæ. Illinc nobis perniciosa invehuntur exempla, illinc irreligiosæ vulgaresque voces, illinc manuum inepiæ gesticulationes, contentiones, concertationes, mores instabiles,*

Digitized by Google

quæstu habere cœpissent venalem et mercenariam (*a*) homines violentiæ suæ operam (1). At enim nobis ab omni gloriæ et dignitatis ardore frigentibus (*b*) nulla est necessitas cœtus, nec ulla magis res aliena, quam publica. Unam omnium rempublicam agnoscimus (*c*), mundum. Æque spectaculis vestris (*d*) in tantum renuntiamus, in quantum originibus eorum, quas scimus de superstitione conceptas, cum et ipsis rebus, de quibus transiguntur, prætersumus (2) (*e*). Nihil est nobis dictu, visu, auditu (*f*) cum insania cir-

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Corrigit Haverc.* vilem et mercenariam omnes violentiæ suæ operam.

(2) Præsumimus, *Latin.* præferimus, *Paris.*

COMMENTARIUS.

atque insulsi incompositique clamores. Itaque tota civitas, ut vulgus in spectaculis, scinderetur in partes. Ibidem: *Ex innumeris contentionibus, ex temere factis dejerationibus male loquentium*, etc. Hav.

(a) *Venalem et mercenariam homines.* Pro *venalem* MS. L. B. ostendit *vellent*, Fuld. vero delet vocem *homines*. Sed legendum puto, *cum jam et in quæstu habere cœpissent vilem et mercenariam omnes violentiæ suæ operam;* ut dicat omnis ordinis et conditionis homines per factiones impulsos, se suaque periculo et internecioni exponere. Is enim miserrimus Reip. status est, quando *avaritia fidem, probitatem, cæterasque artes bonas subvertit, pro his superbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habere edocuit;* ut recte observat Sallustius Cat. cap. x. Quando jam *non amicitiæ inicitiæ qune im ex re, sed ex commodo* æstimantur. ut docet ibidem. Hav.

(b) *Ab omni gloriæ et dignitatis ardore.* Eleganter *ardorem* vocavit gloriæ cupiditatem, quæ homines quasi urit, unde verba *inflammare* et similia Poetis. Ita Iphiclus Argonautis additus apud Val. Flaccum lib i. 75, non ut laboret:

Monitus sed tradat ut acres,
Magnorumque viros qui laudibus urat avorum.

Quum itaque proprio vocabulo Christianos ab illo ardore *frigere* dicit, ex Philosophiæ penetralibus ostendit illos esse viros sapientes, ducentes non esse administrandam sibi corruptis moribus Remp. Videntur vero hæc adumbrata ex Platone, cujus locum multo pulcherrimum huc pertinentem vide infra cap. xlvi. ad illa: *et necessario appetunt.* Sallustius etiam de se ipso in Cat. c. iii. *Ac pie cum ab reliquorum malis moribus dissentirem, nihilo minus honoris cupido eadem, quæ cæteros, fama, atque invidia vexabat.* Fuld. legit. *gloria*, Ald. vero delet τὸ *ab*. Hav.

(c) *Unam omnium rempublicam.* Et hoc ex sapientum definitione, quibus totus mundus domus est et patria ubique. Non abludunt hinc illa Joannis Chrysostomi de sancto Luciano; is, quæstione per tormenta habita, interrogatus, ποίας εἰ πατρίδους; Χριστιανὸς εἰμι, φησι. Τί ἔχεις ἐπιτήδευμα; Χριστιανὸς εἰμι. Τίνας προγόνους; ὁ δὲ πρὸς ἅπαντα ἔλεγεν, ὅτι Χριστιανὸς εἰμι. id est, *Quæ tibi patria est? Christianus sum, inquit. Quam artem profiteris? Christianus sum. Quibus majoribus? Ille vero ad omnia dicebat, audis, quod sum Christianus?* Ita Aristippus εἶναί τε πατρίδα τὸν κόσμον aiebat, et sublimior illo Crates Thebanus in Tragœd.

Οὐχ εἷς πάτρις μοι πύργος, οὐ μία στέγη,
Πάσης δὲ γῆς ὅλισμα καὶ δόμος
Ἕτοιμος ἡμῖν ἐνδιαιτᾶσθαι πάρα.

id est, *Nec pro patria mihi turris una nec casa est, sed universæ arces terræ et domus paratam nobis mansionem et cœnaculum præbent.* Scilicet ut Aristophanes in Pluto v. 1.

Πατρὶς γάς ἐστι πᾶσ' ἐν ἥν πράττῃ τις εὖ.

id est, *patria illic cuique sua est, ubi bene est.* Scripsi locum cum Rigaltio, consentiente MS. L. B. nam Ald. et alii *omnes.* Barr. et Rhen. et alii *cognoscimus.* Cod. vero L. B. ita totum lacum exhibet. *Nobis*, etc. *frigentibus nulla magis res aliena qui publicam unam omnium rempublicam agnoscimus mundum.* Ut autem hic vocat mundum *unam omnium rempublicam*, sic cap. seq. naturam *matrem unam* omnium. Hav.

(d) *Æque spectaculis.* Junius vocem *æque* annecti voluit prioribus, et post illam punctum poni. Inique. Si enim quid mutandum, præstaret legere *Æqui spectaculis vestris*, sc. sumus, quod cum iis quæ sequuntur conciliari potest. Sed vetus lectio omnino sana est. Ut enim foro et curiæ renuntiabant Christiani, quia laudis et gloriæ cupidi non erant, ita etiam spectaculis, quoniam et de idololatria nata erant et humana divinaque jura fœdabant. Membranæ Fuld. legunt, *Atque adeo.* Nec immerito spectaculis renuntiabant Christiani, qui ipsi mundo spectaculum facti cum Paulo 1. Cor. iv. 9. abunde spectaculorum in verbo Dei habent. Prosperum Aquitanicum audiamus Prom. et Prædict. Dei de gloria Sanct. in Peroratione. *Si spectandi voluptas est*, inquit, *habes hic aurigam spiritalem Christum, Heliam, qui curru igneo usque ad metas pervectus est cœli, currusque Pharaonis demersos in profundo. In munere habes Danielem sanctum, leonem non ferro sed oratione vincentem; ursosque vexantes eos, qui Heliseum prophetam contumeliis lacesserant. Habes quoque in sancto spectaculo non mimicas turpitudines, sed Christo sacratas virgines. Habes cabalistarum loco Rebeccæ geminos mystice ludentes. Habes David coram arca saltantem, et nudatum in passione Christum, coram servis et ancillis suis, illa ipsa sua historia exhibentem. Habes postremo fletus planctusque Hieremiæ decantatos, non arte tragica, sed prophetica.* Adde Nostrum lib. de Spect. c. xxix. Hav.

(e) *De quibus transiguntur, prætersumus.* Hæc est constans lectio omnium MSS. quam editiones veteres Barræi, Aldi et Rhenani depravarant in *exiguntur* (vel *transiguntur*) *prætermus.* Restituerant veram Pam. et alii. Sed ubi illi posuerant *cum et ipsis rebus*, Ald. *cum ipsis rebus* edidit. Rigalt. *qui ipsis rebus* etc. contra MSS. tamen. Eleganter autem dicit Tertullianus Christianos præteresse illis ipsis rebus de quibus spectacula transiguntur, id est, quæ corum est materia, sc. furor, libido, crudelitas, quoniam hisce renuntiarunt christiani facti, adeoque illis amplius non vivunt, sed mortui sunt, ut loquitur Petrus Epist. i. c. 11. 24. et Paulus etiam Rom. vi. 2. et Coloss. iii. 7; imo nulli sunt rebus mundanis, quomodo apposite Deum quem sibi fingunt Epicurei *neminem humanis rebus* vocat c. xlvii. Hav.

(f) *Quia et ipsis rebus de quibus transiguntur, prætersumus.* Præteresse dicit, ut superesse. Prætersumus igitur iis rebus, quas præterimus ac prætermittimus, et a quibus valde alieni sumus: videlicet ab insania circi, impudicitia theatri, etc. et M. Cato Præterire dixit, quod vulgo spernere, contemnere. Eorum rationes, inquit, ivi præter. Sic enim habent exemplaria Plinianæ ad Vespasianum præfationis, ubi verba illa Catonis citantur, sub finem. Rig.

(g) *Nihil est nobis, visu, auditu.* Cod. Fuld. *Nihil enim.* Reliqui *nihil est.* sed Rig. τὸ *est* delevit, recte forte, at in illo quod etiam exsulare jubet cum Rhenano illa *dictu, visu, auditu*, sequi non ausim, imo nolo. Omnes enim MSS. agnoscunt, editiones omnes aliæ, denique sensui non repugnat; *dictu* enim respicit clamores inconditos factiosorum, qui cum inter se de illis aurigis qui sibi placebant, certarent et tumultuarentur, tum acclamationibus suas quique

Digitized by Google

ci (a) cum impudicitia theatri (b), cum atrocitate arenæ (c) cum vanitate xysti (d). Licuit Epicureis aliquam decernere voluptatis veritatem (1). Quo vos offendimus, si alias præsumimus voluptates? Si oblectari novisse (2) nolumus, nostra iniuria est, si forte, non vestra. Sed reprobamus quæ placent vobis, nec vos nostra delectant.

CAPUT XXXIX.

Ut itaque gentes de præjudicio suo recedant, liberaliter illis christianæ factionis (ut appellabant) disciplinam communicat, nobis veteris Ecclesiæ statum tantum non ante oculos ponit : quomodo scilicet soliti sint in unum coire, ad quem, pro quibus, quidve precari, monita Scripturæ et voces dirigere, censuram morum exercere, conventum ordinare, eleemosynas colligere, istas distribuere in usum sepulturæ, aut ad alendos egenos, orphanos, senes emeritos, aut ad refocillandos naufragos, vel ob fidem in metella, insulas, carceres relegatos. Quam tantam affectionem omni labe carere docet, verumque amoris titulum mereri, qui apud gentes non nisi impurus sit et simulatus : apud hos convivia esse opipara, sumptuosa, libidinosa, infanda ; apud Christianos, sobria, modica, casta, pia. Talem igitur societatem non factionem vocandam, sed curiam.

Edam jam nunc ego ipsa negotia christianæ factionis, ut qui (3) mala refutaverim, bona ostendam. Corpus sumus de conscientia religionis et disciplinæ divinitate (4) et spei fœdere. Coimus in cœtum et congregationem, ut ad Deum (5), quasi manu facta, precationibus ambiamus. Hæc vis Deo grata est. Oramus etiam pro imperatoribus, pro ministeriis (6) eorum ac potestatibus (7), pro statu seculi (8), pro rerum quiete, pro mora finis. Cogimur (9) ad littera-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Hæc. vv. in edd. ante Rig. in fine demum capitis leguntur ita scripta : Sed licuit Epicureis aliquam decernere voluptatis veritatem, id est animi æquitatem et ampla negotia. Sed hoc loco ea in solo cod. Fuld. posita sunt additis his : id est animæ æquitatem. Herald. scribere maluit : Scilicet licuit Epicureis, etc. Wouw. ex suo cod. hanc protulit Scripturam : Sed licuit Ep. al. dec. vol. veritatem, ἀταραξίαν καὶ ἀπραξίαν id est animi æquitatem et a publicis negotiis requiem.

(2) Rhenanus et Gelenius : si oblectari nolumus ; cod. Fuld. si oblectare novissime nolumus. Nescio an scribendum sit : si oblectare nos vanissime (cf. de pudic. 1.) nolumus.

(3) Quo minus, *Cod. Fuld.*

(4) Veritate, *Paris.* unitate, *Fran.*

(5) Coimus ad Deum, *Rig.*

(6) Orantes *add. Fran. Par.*

(7) Ministris, *Fran. Par.*

(8) Cod. pro statu desunt in codd. Lugd. et in edd. Gel. Hav., Seml. et Rig.

(9) Coimus *Paris.*

COMMENTARIUS.

factiones adhortabantur. Unde famosus ille auriga Scorpus appellatur a Martiale

Clamosi gloria circi.

Visu ad impudicos gestus et nuditates theatri et xysti, *auditu* ad arenam pertinet, cum certe humanum non sit gemitus cadentum et a feris discerptorum ululatum cum voluptate auribus haurire. Hav.

(a) *Insania circi.* Ubi inconditos clamores jaci, cum alii, tum Chrysost. docuit loco supra allato. In arena etiam obtinuisse docet Tertull. ad Mart. c. 1. *Verumtamen et gladiatores perfectissimos non tantum magistri et præpositi sui, sed etiam idiotæ, et supervacue quique adhortantur de longinquo, ut sæpe de ipso populo dictata suggesta profuerint.* Hav.

(b) *Impudicitia theatri.* Quod alibi vocat suo nomine *consistorium libidinis* et *impudicitiæ*. Ubi et argumenta fabularum, et personæ, et verba, et omnia obscœna, turpia, indigna auditu et aspectu boni viri sunt. Itaque acriter passim in illa cum aliis invehitur Chrysost. Ita enim in Ep. ad Cor. 1. cap. iv. Hom. xiii. *Theatra congregant et meretricum choros illuc inducentes, et pueros scortantes, et qui injuria ipsam afficiunt naturam ; totum populum in loco superiore faciunt considere, sic civitatem recreantes.* Et ad Matth. cap. xi. Hom. 37. *Cuncta enim simpliciter quæ ibi fiunt turpissima sunt, verba, vestitus, tonsura, incessus, voces, cantus, modulationes, oculorum eversiones ac motus, tibiæ, fistulæ, et ipsa fabularum argumenta, omnia, inquam, turpi lascivia plena sunt.* etc. *quas ob res non cachinnis diffluere sedentes, sed lacrymis gemere ac dolore oportet.* Graviter itaque increpat christianos nefanda hæc spectare ausos, Hom. vii. in cap. Matth. ii. *Nam et cum eum videris* (Christum), *ita cum relinquis, ut post illum curras ad theatra, ac nimium potius et videre et audire desideres. Christum quidem in spiritali situm præsepio derelinquis, properas vero jacentem in scena spectare meretricem.* Et mox : *At vero ex hac mensa spiritalium fons emanat bonorum, et hanc tu statim relinquens curris ad theatrum, ut natantes fœminas et sexum illum publicis oculis intuearis expositum.* Et ibidem : *Tu vero relinquis hujus sanguinis fontem calicemque reverendum, et ad diabolicum istum fontem festinus accurris, ut scilicet spectes meretricem natantem, et naufragium animæ patiaris, qua quippe illa pelagus quoddam est immane luxuriæ, quo non corpora submerguntur, sed naufragium infertur animabus. Nam illa quidem in mediis aquis nuda ludit natatu, tu vero de sublimi spectans gradu, in libidinis profunda demergeris.* Vide et quæ ibidem longe plura in hanc sententiam sequuntur. Rursus idem Hom de Davide et Saule : *Non metuis, non expavescis, dum oculis, quibus illic lectum, qui est in orchestra, aspectas, ubi detestandæ adulterii fabulæ peraguntur, iisdem hanc sacram mensam intueris, ubi tremenda peraguntur mysteria? Dum iisdem auribus audis et scortum obscœne loquens, et Prophetam Apostolumque ad arcana Scripturæ introducentem?* Denique Hom. Quod omnia vitia orig. ab ignavia ducant : *Quo tempore alii quidem, quum nos hæc ex hoc loco dissereremus, in theatris otiose diaboli pompam spectarunt : et quidem meretricias cantilenas illi tum audiverunt : vos vero jucundissima doctrina spirituali vocastis. Et illi quidem impurissimis diaboli escis vescebantur : Vos vero unguento spiritali delibuti estis.* Unde recte Cyrillus Hierosol. Mystag. sive Catech. i. cap. 4. explicaturus pompam diaboli cui in baptismo renuntiavimus, ait esse θεατρομανίας καὶ ἱπποδρομίας, κυνηγορίαν καὶ πᾶσαν τοιαύτην ματαιότητα.

(c) *Atrocitate arenæ.* Ubi nihil aliud agitur, quam ut deposita humanitate rabidæ feræ fiant homines. Itaque et hic prodeat Chrysost. Hom. xiii. in Epist. Ad Cor. 1. iv. *Quid opus est dicere fraudes et imposturas, quæ fiunt in equorum curriculis, et quæ in pugnis ferrarum. Sunt enim illa omnia plena stuporis et amentiæ. Docent assidue habere populum inmisericordem, sævum, et inhumanum, et exercent ad videndum homines discerpi ac dilaniari, effluere sanguinem, et ferarum crudelitatem omnia confundere.*

(d) *Vanitate xysti.* Idem Chrysost. Hom. in Ps. cxviii. *Non debetis, filii Ecclesiæ, depravari in vanitatibus spectaculorum.* De his ludis scripsere Bulengerus,

Digitized by Google

rum divinarum commemorationem (*a*), si quid præsentium temporum qualitas aut præmonere cogit aut recognoscere. Certe fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præceptorum nihilominus in compulsationibus (1) densamus; ibidem etiam exhortationnes, castigationnes et censura divina (*b*). Nam et judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu, summumque futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis (*c*) et conventus et omnis sancti commercii relegetur, Præsident probati quique (*d*) seniores, honorem istum non pretio (*e*) sed testimonio adepti: neque enim pretio ulla res Dei constat. Etiam si quod arcæ genus est, non de honoraria (2) (*f*) summa, quasi redemptæ religionis congregatur (3); modicam unusquisque stipem menstrua die, vel quum velit, et si modo velit (4) (*g*) et si modo possit, apponit (5): nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis (6) nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis humandisque, et pueris ac puellis re ac parentibus destitutis (7), jamque domesticis senibus (*h*) (8), item naufragis (9), et si qui in metallis, et si qui in insu-

LECTIONES VARIENTES.

(1) In compulsationibus *cod. Fuld. Haverc.*
(2) Ita cod. Put. et all., Rhen., Her. de oneraria, Pam. de ordinaria, Rig. et Hav. dehonoraria (i. e. inhonesta).
(3) Congregat *Parisin.*
(4) Et si modo velit *abest Parisin.*
(5) Opponit *Paris.*
(6) Vv. et si modo velit desunt in ed. Rhen., Ald., Gelen. et Gangn. In sqq. cod. Lugd. et si vel possit, cod Agob. et si modo vel possit. Scribendum videtur : vel cum velit, vel si modo possit, cæteris deletis.
(7) Quippe non epulis inde *cod. Fuld.*
(8) Rhen., Gel., Ald., Gangn. ætateque domitis senibus; Hav. e cod. Fuld. add. : jam otiosis.
(9) Naufragiis *Haverc. cod. Fuld.*

COMMENTARIUS.

Panvinius, Vellerus, Faber et innumeri alii. Pertinetque ad illam, de qua modo, arenæ atrocitatem elegans Demonactis philosophi dictum ad Athenienses, quod narrat Lucianus in Vita ejus. Consultabant Athenienses de spectaculo gladiatorum instituendo ad imitationem Corinthiorum. Ibi sanam hanc vocem edidit Philosophus Μὴ πρότερον ταῦτα, ὦ Ἀθηναῖοι ψηφίζεσθε, ἂν μὴ τοῦ Ἑλέου τὸν βωμὸν κατέλητε, id est, *Ne prius, o Athenienses, hæc decernatis, quam subvertatis aram Misericordia.*

(*a*) *Coimus ad litterarum divinarum commemorationem.* La Cerda habet *cogimur*, id est convenimus, ut ibi explicat. Eadem ferme habet Justinus martyr Apolog. 2. Quæ omnia, tum Justini, tum Tertulliani citantur a Stephano Duranto, lib. 2. de ritibus Ecclesiæ, cap. 18. Le Pr.

CAP. XXXIX. — a *In compulsationibus.* MS. Fuldensis hæc lectio longe melior est, quam aliorum *inculcationibus.* Et hoc enim quam maxime ad divinitatem disciplinæ Christianæ facit, etiam in persecutionibus et assultibus improborum (ita enim usurpat *compulsare* et *compulsationem*), nihil de fide, spe, fiducia, præceptis Domini discedere. Est itaque *præceptorum*, eorum quæ præcepit nobis Dominus. Si cui tamen magis placet *inculcationibus*, ita cum Salmasio de Trapez. Fœnore p. 464. explicet : Non satis habemus fidem canendo ad Deum pascere, et spem erigere, fiduciamque in illo figere, quibus omnibus nos in cum serio credere testamur ; sed et præcepta inculcamus, quæ non facienda et facienda demonstrant, de quibus supra cap. I. Sed hæc omnia in lectione nostra includuntur. Hav.

(*b*) *Censura divina.* Locus insignis adversus contemptores excommunicationis Ecclesisticæ a Christo institutæ, et a primis apostolorum temporibus usitatæ. Pam.

(*c*) *Ut a communicatione orationis.* Vere gravis et rigida fuit disciplina veterum Christianorum, qua vel prorsus a communione sanctorum graves peccatores rejiciebant, vel statuebant onerosas delictorum pœnas. Sic Tertulliani tempore vix, et si modo, mœchis, homicidis, idololatris publica pœnitentia concedebatur, ut patet ex lib. de Pudicitia, c. V; et late exsequuntur qui de pœnitentia et pœnis clericorum ex professo egerunt Jo. Morinus in doctissimo libro de sacramento Pœnitentiæ, et Gabriel Albaspinæus, vir omnis antiquitatis ecclesiasticæ scientissimus, in Observationibus Ecclesiasticis. Pœnitentiæ vero gradus erant *fletus*, cum a limine et omni tecto Ecclesiæ summotus peccator ante fores templi flens et sordidatus fideles ingredientes prensaret, orarent pro se, ut scandalum ab Ecclesia Dei summoveretur. Secundus *Auditio*, quum inter catechumenos in aditu templi stare permittebantur. Tertius *Substratio*, quando ingredi liceret, sed ita ut retro ambonem sese prosternerent et cum catechumenis rursus abirent. Quibus peractis certo temporis spatio, quod pro magnitudine scandali erat definitum, admittebantur ad Σύστασιν, sive *Consistentiam*, quando una cum fidelibus stabant orantes. Nondum vero ad sacram cœnam accedere licebat, sed tum demum, cum plane Ecclesiæ reconciliati judicarentur. Hav.

(*d*) *Præsident probati quique.* Illustre testimonium Alexandri Severi apud Spartianum, qui eodem modo præpositos provinciis eligi volebat, dicens : *Grave esse, quum id christiani et Judæi facerent in prædicandis sacerdotibus qui ordinandi sunt, non fieri in provinciarum rectoribus, quibus et fortunæ hominum committerentur et capita.* Hav.

(*e*) *Non pretio.* Quo nec Deus egeat, et dignissimi honore passim excludantur. De illo Lucianus in Jove Confutato p. 183. ὥστε οὐχ ὁρῶ ἀνθ' ὅτου ἀπαιτεῖτε τὸν μισθὸν ἐπὶ τῇ μαντικῇ, id est *quare non video, quamobrem et mercedem exigatis propter vaticinium.* De hoc Lex Theodosiani Cod. I. de Rectorib. Provinciar. Constantiniana : *Non sit venale judicis velum, non ingressus redempti, non infame licitationibus secretarium, non visio ipsa præsidiis cum pretio.* Hav.

(*f*) *Non dehonoraria summa congregatur.* Sic omnino legitur in vetustissimo codice. In nostris, inquit, conventibus congregatur summa, quæ non sit tamen dehonestamento religioni, nec ideo venalis aut redempta dici debet religio nostra. Rig.

(*g*) *Si modo possit. Si modo velit.* Justinus : οἱ εὐπορούντες δὲ καὶ οἱ βουλόμενοι κατὰ προαίρεσιν ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ ὁ βούλεται δίδωσι. Le Pr.

(*h*) *Re ac parentibus destitutis.* Suetonii dictio est, in vita Neronis : senatorum nobilissimo cuique, sed a re familiari destituto, annua salaria constituit. Rig.

(*i*) *Jamque domesticis senibus.* Hæc est vetus lectio optimorum MSS. et edit. pro quo alii, ut Aldini et Rhen. ponere maluerunt *ætateque domitis*, quod non perinde probo. Scribo hæc per hyphen, ut illa apud Virgil. Georg. III. 92. de equo generoso, jam vetulo :

> Hunc quoque, ubi aut morbo gravis, aut jam segnior annis,
> Deficit, abde domo, nec turpi ignosce senectæ.

quod optime contra Canterum et alios adstruit elegantissimus Andr. Schottus Obs. Hum. lib. II. c. 51. Si vero malis cum Junio simpliciter intelligere de fidei domesticis ex Epist. ad Galat. VI. 10. ad manum est Justini locus, qui sic lib. II. c. 10. Arta-

Digitized by Google

lis, vel in custodiis (*a*), duntaxat ex caussa Dei sectæ (1) alumni confessionis suæ fiunt. Sed ejusmodi vel maxime dilectionis operatio notam nobis inurit penes quosdam. Vide, inquiunt, ut invicem se diligant (*b*) : ipsi enim invicem oderunt; et ut pro alterutro mori sint parati: ipsi enim ad occidendum alterutrum paratiores (2) erunt. Sed et quod fratrum (*c*) appellatione censemur (3), non alias, opinor, infamant, quam quod apud ipsos omne sanguinis nomen de affectatione simulatum est. Fratres autem etiam vestri sumus, jure naturæ matris unius, etsi vos parum homines, quia mali fratres. At quanto dignius fratres et dicuntur et habentur (*d*), qui unum patrem Deum agnoverunt, qui unum Spiritum biberunt (*e*) sancti- A tatis, qui de uno utero ignorantiæ ejusdem ad unam lucem expaverunt (*f*) veritatis (4). Sed eo fortasse minus legitimi existimamur, quia nulla de nostra fraternitate tragœdia (*g*) exclamat, vel quia ex substantia familiari fratres sumus, quæ penes vos fere dirimit fraternitatem. Itaque qui animo animaque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus. Omnia indiscreta sunt apud nos, præter uxores: in isto loco consortium solvimus, in quo solo cæteri homines consortium exercent, qui non amicorum solummodo matrimonia usurpant, sed et sua amicis patientissime subministrant, ex illa, credo, majorum et sapientissimorum disciplina, Græci Socratis et Romani Catonis (*h*), qui uxores suas amicis communicaverunt,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Conflictatur add. cod Fuld.
(2) Erunt *delet Semler*.
(3) Ita cod. Fuld. et edd. Rig. atque Hau.; alii : sed et B quod fratres nos vocamus, non alias, opinor, insaniunt (Her. infamant quam, etc.
(4) Expiraverunt *Paris. Jun.*

COMMENTARIUS.

phernem patruum Artamenis et Xerxis de regno Persarum contendentium vocat *domesticum judicem*, ut et Noster c. I. *domesticis indiciis*. Sed ego non accedo. Hav.

(a) *Vel in custodiis*. Libro ad Martyras c. II. *Ipsam interim conversationem sæculi et carceris comparemus, si non plus in carcere spiritus acquirit, quam caro amittit; imo et quæ justa sunt, caro non amittit, per curam Ecclesiæ et agapen fratrum*. Ex præcepto Christi apud Matth. XXV. 43. 44. Itaque Noster rursus hoc nomine commendat opusculum suum Ad Martyras cap. I. *Inter carnis alimenta, benedicti martyres designati, quæ vobis et domina mater Ecclesia de uberibus suis, et singuli fratres de opibus suis propriis in carcerem subministrant, capite aliquid et a nobis, quod faciat ad spiritum quoque educandum*. Hav.

(b) *Vide, inquiunt, ut se invicem diligant*. Dixerat Christus de caritate, quam tantopere commendavit; ignem veni mittere in mundum, et quid volo, nisi ut ardeat? Ardentis igitur amoris effectus erat certissimus apud vere christianos, quod ita se invicem amarent ut esset alter pro altero mori paratissimus. Le Pr.

(c) *Fratres et dicuntur et habentur, qui unum Patrem Deum agnoverunt*. Christus Dei Filius voluit esse quod homo est, ut homo posset esse quod Christus est, hoc est, Dei filius. Communem igitur habent Christiani patrem in Christo Deum, et cohæredes sumus Christi; hæredes autem Dei, licet viventis. Est enim illic viventis hæreditas, ubi mortui vivunt, et moritur nemo. Hoc divinæ adoptionis sacramento, regni candidatos paterni, fratres appellari voluit Christus, ut fraterni consortii mysterio caritatem sanciret: Ambitiosum vero patris nomen, quo sensu Pharisæi vindicabant, usurpari vetuit, ne sanctissimam fraternitatem inæqualitas ulla premeret, neve aliqua divinitatis æmulatione, prisco generis humani vitio, Patris æterni majestas violaretur. Hujusce tamen disciplinæ regula humanos affectus minime rescidit, quum illa sit a Deo instituta, quo magis, non quo minus caritas admittatur. Itaque et Apostulus Onesimum se genuisse ait in vinculis, et appellatione filii commendat Philemoni suo. Cujus certe appellationis est ad patrem relatio. Rig.

(d) *At quanto dignius fratres*. De præscript. adv. Hæret. c. XX. *Communicatio pacis, et appellatio fraternitatis, et contesseratio hospitalitatis, quæ jura non alia ratio regit, quam ejusdem sacramenti una traditio*. Et ad Uxorem lib. II. c. 9. *Quale jugum fidelium duorum unius spei, unius voti, unius disciplinæ, ejusdem servitutis? Ambo fratres, ambo conservi, nulla spiritus carnisve discretio*. Hinc jam olim Christiani, ut conjunctionem illam animorum et fraternum affectum ostenderent, soliti osculo se mutuo excipere. Testis præter alios Chrysostomus in Epist. II. ad Corinth. Homilia XXX. *Ob id enim nobis datum est osculum, ut charitatis igniculus ac fomes sit, ut affectum inflammet, ut hac ratione nos ipsos mutuo amemus, velut fratres invicem se amant, patresque vicissim filios : imo etiam multo vehementius, illa enim naturæ sunt; hæc gratiæ*. Cod. Fuld. habet *quando nunc*. Scribendum, si ista lectio placet, *quanto nunc*. Hav.

(e) *Spiritum biberunt sanctitatis, ad lucem expaverunt veritatis*. Bibere spiritum et pascere lucem dicit, usitatissimo Christianis schemate, quo solebant vitæ mortalis etiam vocabulis uti, tanquam figuris æternæ Vetus Epigramma de Empedocle : εἰς δὲ πυρὸς κρατῆρας ἐσηλατο, καὶ πλὲ τὸ ζῆν. Rig. C

(f) *Expaverunt*. Pulcherrima metaphora, sicut enim illis, qui in tenebris fuerunt diutius, si subito solem immittas, oculi nictare et quasi expavescere solent, sic illi quoque qui ex carcere tenebrarum, mortis et peccati, ad lucem veritatis et Evangelii pertrahuntur, affliguntur corde et toti tremunt, ut contigit Sergio Paulo illustri viro Act. XIV. 12. et ipsi Apostolo Paulo, ubi ad fidem est vocatus in mirabili ista visione, quæ narratur Actor. IX. 6. Quare frustra Ald. legit *expiraverint*. et Barr. et Rhen. cum Junio *expiraverunt*. Melius quoque Cod. L. B. et Rig. ex Fuld. *expaverunt* quam Pam. et Herald. et La Cerda *expaverint*. Cod. Agob. *pervenerunt*, quod ex glossa est. Hav.

(g) *Tragœdia exclamat*. Respicit Atridas et fratres Thebanos, quæ materiæ quomodo vulgo placuerint disci etiam potest ex c. IX. Unde ob frequentem tragœdiæ repetitionem poetis dicitur

Scenis agitatus Orestes. D

Longe alio spectat quod legitur apud Minucium p. 36. *Nec fratres vos nisi sane ad parricidium recognoscitis*. Hav.

(h) *Romani Catonis*. Qui Hortensio tradidit Marciam suam et post fata ejusdem resumpsit. Cujus Marciæ insignem hanc orationem ad virum exhibet Lucanus lib. II. 338.

Dum sanguis inerat, dum vis materna, peregi
Jussa, Cato, et geminos excepi fœta maritos,
Visceribus lassis partuque exhausta revertor,
Jam nulli tradenda viro;

et quæ sequuntur. Totam historiam narrat in vita Catonis Plutarchus. Prius autem Hortensius Porciam Catonis filiam Bibuli uxorem sed jam duorum liberorum matrem a Catone petierat ὥσπερ εὐγενῆ χώραν κ. τ. λ. id est, *tanquam fœcundum agrum ad sobolem procreandam*. De qua cum ille responderet in sua non esse potestate quam quærebat, ipsam Catonis

Digitized by Google

quas in matrimonium duxerant liberorum caussa et alibi creandorum (*a*), nescio quidem an invitas; quid enim (1) de castitate curarent, quam mariti tam facile donaverant? O sapientiæ Atticæ, o Romanæ gravitatis exemplum! Leno est (2) philosophus et censor (*b*). Quid ergo mirum, si tanta caritas convivatur (3) (*c*)? Nam et cœnulas nostras, præterquam sceleris infames, ut prodigas quoque (4) suggillatis. De nobis scilicet Diogenis dictum est: Megarenses (*d*) obsonant quasi crastina die morituri, ædificant vero quasi nunquam morituri (5). Sed stipulam quis in alieA no oculo facilius perspicit, quam in suo trabem. Tot tribubus et curiis et decuriis ructantibus acescit aër (6) (*e*). Saliis (*f*) cœnaturis creditor erit necessarius. Herculanarum decimarum et polluctorum (7) sumptus tabularii (8) supputabant. Apaturiis, Dionysiis, mysteriis Atticis (*g*) coquorum delectus indicentur. Ad fumum cœnæ Serapiacæ sparteoli (*h*) excitabuntur. De solo triclinio Christianorum retractatur. Cœna nostra de nomine rationem sui (9) ostendit; id vocatur, quod dilectio penes Græcos est (10) (*i*). Quantiscumque sumptibus constet, lucrum est pietatis

LECTIONES VARIANTES.

(1) Enim *Abest Paris.*
(2) Lenones *Havercamp.*
(3) Conviolatur *Franeq. Cod. Fuld.* convivatur; *cod. Agob.* violatur, *alii:* conviolatur.
(4) Quoque *Abest. Parisin.*
(5) *Vv.* ædificant morituri *desunt in codd. Agob. et Lugd. et in edd. Rhen., Aldi, Gel., Barr., Gangn.*
(6) Acrescet *Jun.*
(7) Et *abest Paris.*
(8) Stabularii *Parisin. Codd. Agob., Lugd., et ed. Rhen.:* B stabularii.
(9) Suam *Paris.*
(10) *Sic scriptum exstat in cod. Lugd.; cod. Fuld.* id vocatum quo, etc.; *celeri* vocatur enim ἀγάπη, id quod dilectio penes Gr. est:

COMMENTARIUS.

Marciam poposcit et accepit. Simile narrant Diogenes Laertius et Hesychius Illustrius de Menedemo et Asclepiade philosophis. Menedemum duxisse matrem, Asclepiadem filiam, et quum defuncta esset uxor Asclepiadis, Menedemi cepisse conjugem, illumque, quod Reipub. præesset, aliam duxisse nobilem et locupletem; nihilominus, quoniam communis erat illis domus, rei familiaris administrationem priori uxori permisisse. De Socrate vide mox ad illud, *Lenones* etc. Hav.

(a) *Et alibi creandorum.* Prout in Amphitryone Plautus ait uxorem usurariam præbere, idem esse *ac si agrum sterilem fodiendum loces.* Hav.

(b) Confundit Catones, ut supra Scipiones. Apud C Lucian. in lepidissimo illo Dialogo, qui inscribitur Lapithæ Zenothemidi Cleodemus objicit: Ἀλλ' οὐ μαστρωπὸς ἐγὼ τῆς ἐμαυτοῦ γυναικὸς ὥσπερ εἶ σύ, id est *atque ego uxoris meæ leno non sum, ut tu.* Socratem ut puto tangens, cujus Xanthippe altera uxor communior fuisse perhibetur. Imo Platonici dogmatis auctorem Socratem facit idem Lucianus in Vitarum Auctione, ubi illud mercatori ut præcipuum dogma suum proponit, quodque ad uxorem spectet: Δοκεῖ μηδεμίαν αὐτῶν μηδένος εἶναι μόνου, παντὶ δὲ μετεῖναι τῷ βουλομένῳ τοῦ γάρου; id est, *Videtur mihi nullam debere cujusquam esse propriam, verum unamquamque passim debere accedere ad eum qui eam appetat.* Quod platonicus etiam philosophus satis ridicule in Lapithis proponit.

(c) *Convivatur.* Optimam hanc lectionem ex Fuldensi MS. restituit Rigaltius, et ante illum recte etiam Scaliger in ora libri et Junius docuerant ad sequentia pertinere. Illustrari potest ex Suetonio in Augusto cap. LXX. ubi de illius incontinentia: *Cœna quoque* D *ejus secretior in fabulis fuit, quæ vulgo* δωδεκάθεος *vocabatur: in qua Deorum dearumque habitu discubuisse convivas, et ipsum pro Apolline ornatum, non Antonii modo epistolæ singulorum nomina amarissime, annumerantis exprobrant, sed et sine auctore notissimi versus:*

Cum primum istorum conducit mensa chorægum,
Sexque deos vidit Mallia sexque deas.
Impia dum Cæsar Phœbi mendacia ludit,
Dum nova divorum cœnat adulteria,
Omnia se a terris tunc numina declinarunt,
Fugit et auratos Jupiter ipse thronos. Hav.

(d) *Megarenses.* De Agrigentinis hoc Empedoclem usurpasse in illo testatur Laertius his verbis: Ἀκραγαντῖνοι τρυφῶσι μέν, ὡς αὔριον ἀποθανούμενοι. οἰκίας δὲ κατασκευάζονται, ὡς πάντα τὸν χρόνον βιωσόμενοι. Inter dicta vero Diogenis Cynici hoc recenset, dixisse illum ad τὸν πολυτελῶς ὀψωνοῦντα,

Ὠκύμορος δή μοι τέκος ἔσσαι, οἱ ἀγοράζεις.

id est, *Nate, mihi haud longævus eris:* innuere volens præ fame cito moriturum, cum omnia obliguriisset. Quare et inter Aristotelis cata dicta idem scriptor recenset, *homines plerosque ita parcos esse, ac si semper victuri essent; alios tam prodigos, ac si continuo morituri.* Τοὺς μὲν, οὕτω φείδεσθαι ὡς ἀεὶ ζησομένους, τοὺς δὲ, οὕτως ἀναλίσκειν ὡς αὐτίκα τεθνησομένους. Hav.

(e) *Acescit aer.* Sidon. Apollinaris libr. III. epist. 12. *Alarum specubus hircosis atque ascescentibus latera captiva circumvallatus.* Cicero in Orat. in L. Pisonem cap. XIII. *Paulisper stetimus in illo ganearum tuarum nidore atque fumo: unde tu nos cum improbissime respondendo, tum turpissime eructando ejecisti.* Quod præ multitudine hominum in theatris et spectaculis accidere notant scriptores. Ita Eunapius Sardianus in Ædesio Constantinum Magnum notat undique incolas Constantinopolim traduxisse πρὸς τοὺς ἐν τοῖς θεάτροις χρότους παρεβλυζόντων κραπάλης ἀνθρώπων id est, *ad captandos in theatro a temulentis et crapulam rejectantibus plausus.* Unde et Noster de Spectac. cap. XXVII. *Non ergo fugies sedilia hostium Christi, illam cathedram pestilentiarum, ipsumque aerem, qui desuper incubat, scelestis vocibus constupratum?* Hav.

(f) *Saliis.* Qui lautissimum habebant epulum Calendis Martiis in festo anciliorum. Vide Ovidium, Horatium et alios. Magnificas ejusmodi cœnas enumerat Macrobius Saturn. II. 9.

(g) *Mysteriis Atticis.* Sacra Eleusinia intelligit, unde patet et ibi sumptuosas fuisse cœnas, quod ad Meursium, qui singularem de illis sacris libellum conscripsit, observari potest. Hav.

(h) *Sparteoli.* Qui hi sint, primus docuit Casaub. ad Augustum Suetonii c. XXX. adducens veteris Scholiastæ locum ad illud Juvenalis.

Dispositis prædives hamis vigilare cohortem
Servorum noctu Licinus jubet,

qui ibidem notat dictum *per translationem disciplinæ militaris Sparteolorum Romæ, quorum cohortes in tutelam urbis cum hamis et cum aqua vigilias curare consueverunt vicinis,* ubi P. Pithœus legit *causa ignis* pro *vicinis,* ego malim *viciniis:* Inquirit ibidem Casaubonus de origine nominis, putatque ita dictos quia crebro funes gestabant, vel a tunicis calceisve sparteis: cum possint ita potius videri dicti a vasis sparteis pice illitis ad continendam aquam, *brandemmers,* quibus fuerint instructi. Vocabantur hi etiam *matricarii.* Scholiastes Juliani Antecessoris in Const. XXIII. c. 88. Ubi etiam hamorum usum docet. *Matricarii dicuntur illi quos videmus ad incendia currentes, et portantes spongias cum ferramentis, et alia ferramenta pequæ possint de pariete in parietem transire, et ita incendium extinguere.* Adde Wouwerium ad Sidon. Apollinarem lib. VI. epist. 8 Hav.

(i) *Id vocatur quod d. p. C.* Sic edidit Rigalt. per-

Digitized by Google

nomine facere sumptum, siquidem inopes quosque (1) A affectant ad gloriam (a) famulandæ (2) libertatis sub refrigerio isto juvamus, non qua penes vos parasiti auctoramento ventris (b) inter contumelias (c) sagi-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quoque *Seml.*

(2) Famulare libertatem *Jun. cf. c.* 21.

COMMENTARIUS.

suasus lectione Fuld. quæ ita, nisi quod vitio scriptoris in ea *vocatum quo*. Sed integra exstat in MS. L. B. Depravata apud Aldum *vocatur* ἀγάπη etc. apud alios: *vocatus enim, id* ἀγάπη *quod dilectio penes Græcos est.* Nomen enim hic, non ponere, sed circumscribere voluit. Frequens vero hujus mentio in libris Christianorum. Ipse Tertull. de Baptismo c. IX. *Cum de agape docet* [Christus], *aquæ calicem fratri oblatum inter opera dilectionis probat.* Et advers. Psychicos c. XVII. *Apud te agape in caccabis fervet, fides in culinis calet, spes in ferculis jacet.* Videsis de his Agapis præter La Cerdam, Wouvver. ad Minuc. p. 41. et Elmenhorst. ibid. p. 91. Photium et Balsamonem ad Canonem II. Concilii Gangrensis, Justellum et Beveregium ad Canonem Nicæn. III. Trull. v. Anciran. XIX. Gangrens IV. Nicæni secundi XVIII. et XX. Dodwellum Dissertat. Cyprianic. Valesium ad Eusebium p. 157. Suicerum in ἀγαπητοί, ἀδελφή, συνείσακτος, et præcipue, qui insigni elegio decoratur apud Fabricium [qui hosce recenset] in nunquam satis laudato libro, Bibliographia Antiquaria p. 587, Lud. Antonium Muratorium in Anecdotis Græcis p. 185. 218. seq. Has Agapas etiam cum Philotesiis veterum singulari cura contulit Joh. Fronto Academiæ parisiensis cancellarius in Epist. Selectis, Leodii Ebutonum 1674. 12. editis, epist. I. Tandem vero fuerunt abrogatæ, cum, ut vulgo fit, jam in luxum degenerarent, unde videtur Nazianzenus in Præceptis ad Virgines eas hortari illas similesque cœnas vitare. Ita enim ille in isto carmine versu 166.

Πολλάκι μὲν συνάγειρει ὁμόῤῥοναι ἀλλήλοισί
Πνεύματί, καὶ ῥάος ἦλθεν, ἐπωνυμίην τέ γε σεμνὴν,
Τὴν ἀγάπην κέκλουσιν, ὑπερθύεν αὐτὰρ ἔπειτα
Ἐκκαιδὴς ἐκὶ σάρκας ἄγων πόθον ἠγὶς ἐούσας.
Ἡ πῦρ, ἢ πυρὸς σημῆια λυγρὰ δίδωσιν.
Εἰ τοι μὴ δὶ πυρός σημήιον, ἀλλὰ τάχιστα
Πλήξεις εἰσορόωντας. ἑτοιμότεροι δέ τε πάντες
Εἰς κακίην τελέθουσι, ῥόος δ' ἐκὶ πρηνὶς ὀδεύει.

id est.

Sæpe animis et mente pares collegit in unum,
Et lucis speciem præ se tulit, atque decorum
Cognomentum agapes subiit: mox callidus omnem
Ex animo ad carnes vicinas flectit amorem,
Et flammam aut flammæ tristissima signa reliquit,
Utque etiam flamma non signa impresserit ulla:
At celer ipsa tamen lethali pectus eorum
Vulnere concuties, in te qui lumina torquent.
Ad vitium siquidem ferimur proclivius omnes,
Non secus ac per prona solet rapidissimus amnis.

Improbavit etiam Augustinus tollique optavit Epist. LXIV. Hav.

(a) *Affectant ad gloriam.* Ut ille Gnatho apud Terentium sectam volens instituere ut, quemadmodum philosophi platonici, etc., sic parasiti gnathonici appellarentur. Adde Luciani Parasitum, in quo dialogo miris artem illam laudibus effert. Nec minus Diodorus Sinopensis in Epiclero apud Athenæum p. 239.

Βούλομαι δεῖξαι σαφῶς
Ὡς σεμνόν ἐστι τοῦτο νενομισμένον,
Καὶ τῶν Θεῶν εὕρημα, τᾶς δ' ἄλλας τέχνας
Οὐδεὶς Θεῶν κατέδειξεν, ἀλλ' ἀνδρες σοφοί.
Τὸ γὰρ παρασιτεῖν εὗρεν ὁ Ζεὺς ὁ Φίλιος,
Ὁ τῶν Θεῶν μέγιστος ὁμολογουμένως.

id est, *Aperte probare volo venerandum, legitimum, atque divinum hoc inventum esse; aliarum vero artium nullam a diis repertam, sed a viris omnes sapientibus. Parasitari primus cœpit Philius Jupiter, omnium consensu inter cœlites maximus,* et quæ sequuntur. *Affectant,* id est valde appetunt. sic dixerunt Latini. Virg. IV. Georg.

Viamque affectat Olympo.

Cicero pro Roscio Amerino, *quod iter affectet videtis.* Hav.

(b) *Famulandæ libertatis.* Qui, liberi nati cum sint, servilia patiuntur. Imo qui tales fumos culinæ suæ conducunt illiberalibus et scenicis assimilantur a Chrysost. ad Matth. c. XIV. Homilia 49. gravissima ista oratione: *Quid*, inquit, *amarius, responde, quam ad imaginem Dei factum pugnis lacessere, et ab hac proximi contumelia jucunditate affici? An non pudet spectaculum ex domo tua facere convivio hominum repleta, et scenicos imitari, cum ingenuus vir et generosus esse videaris?* — Idem aureum illud os eodem B in loco: *Quod si uberiores fructus ab iis capere volueris, jube, cum tibi est otium, divinas ab iis legi scripturas: libentius in his tibi morem gerent, quibus tam tu quam illi honestiores efficimini, quam in illis gnathonicis, quibus una omnes dehonestamini, tu quasi contumeliator et temulentus, illi quasi miseri ac ventri servientes. Nam qui ad contumeliam aliquos nutrierit, gravius quid facit, quam si occiderit: qui vero ad lucrum et laudem, is magis prodest, quam si a morte liberaret.* Utitur vero verbo arenæ proprio, illud enim erat gladiatorum auctoramentum, seu ad id sese obligabant, *uri, vinciri, secari.* Sic quoque parasiti ventri auctorati subibant hanc conditionem, alapis, sandalio, patellis cædi, conspui, et omni contumelia affici. Longe aliud Christianorum sacramentum, de quo Tertull. Ad Scapul. c. I. *Nos quidem neque expavescimus, neque pertimescimus ea quæ ab ignorantibus patimur, cum ad hanc sectam, utique suscepta conditione ejus pacti* C *venerimus, ut etiam animas nostras auctorati in has pugnas cedamus.* Rursus Chrysost. de parasitis contra Gentiles in Vita Babylæ: *Nam qui opulentiores inter illos sunt, in ordinem parasitorum cogunt eos, qui ob ignaviam fame pereunt, quos ipsos tanquam canes ad mensas suas enutriunt, eorumque impudentes ventres miquarum cœnarum reliquiis differciunt, iisdem pro animi arbitrio abutentes.* Hav.

(c) *Inter contumelias saginandi.* Qualem eleganter se describit talis scurra in Aristophanis versibus apud Athenæum lib. VI. p. 238.

Προσβαίνειν πρὸς οἰκίαν δεῖ; πρίος.
Ἀναβῆναί τε πρὸς κλιμάκιον; Κατανύς.
Ὑπομένειν πλαγὰς; ἄκμων καὶ κόνδυλος.

id est, *Ad ædes si est progrediendum, sum aries: si ascendendum in scalas, Capanæus: si tolerandæ plagæ, incus atque nodus.* Ibidem Timacles ut sapientem laudat: D

Ὀργὴν ἀνειρηκεῖν ἀγαθὸς · ἀν σκόπτῃς, γελᾷ.

id est, *Iram coercet prudenter; etiam ludibrio si habes, ridet.* Quorum auctoramentum vide ibidem p. 289. in versibus Diodori:

οἷς ἐπειδὴ προσιοῦσι
Ραφανίδα καὶ σαπρὸν σίλουρον κατασχεῖν,
Ἵα καὶ ῥόδ' ἔφασαν αὐτὸν ψῃσμένειν,
Ἐπειδὰν δ' ἀκοσορδᾷ μετὰ τινος καταπίμενος,
Τούτῳ προσάγων τὴν ῥῖνα δεῖ οὐτῷ φράσαι,
Πόθεν τὸ θυμίαμα τοῦτο λαμβάνεις;

id est. *quibus in faciem si quis ructet radicula vorata aut siluro putri, rosam ipsam et violas dicent pransum esse: aut cum quodam accumbens, si pepederit, admotis naribus vult eum sic alloqui: unde suffitum hunc accepisti?* Sed sapientius tales delicias aversatur sanctus Chrysost. ad Matt. XVI. Hom. 49. *Cogita, oro, quot quantasque res tibi gnathones conficiunt? quod*

Digitized by Google

nandi, sed qua penes Deum (a) major est contemplatio mediocrium. Si honesta caussa est convivii, reliquum ordinem disciplinæ æstimate, qui sit (1) de religionis officio: nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittit (2); non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur (b); editur quantum esurientes capiunt; bibitur quantum pudicis est utile. Ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse; ita fabulantur, ut qui sciant dominum audire. Post aquam manualem (3) et lumina, ut quisque de scripturis sanctis vel de proprio ingenio potest (c) provocatur in medium Deo canere hinc probatur quomodo biberit. Œque oratio convivium dirimit (d). Inde discceditur non in catervas cæsionum (e) neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eamdem curam modestiæ et pudicitiæ ut qui non tam cœnam cœnaverint, quam disciplinam. Hæc coitio christianorum merito sane illicita, si illicitis pari merito damnanda, [si non dissimilis damnandis (4),] si quis de ea queritur eo titulo, quo de factionibus querela est. In cujus perniciem aliquando convenimus? Hoc sumus congregati, quod et dispersi; hoc universi, quod et singuli; neminem lædentes (f), neminem contristantes. Quum probi, quum boni coeunt, quum pii, quum casti congregantur, non est factio dicenda, sed curia (g).

CAPUT XL.

Factiosos potius esse illos, qui benemeritis insidiati, publica mala christianis imputent, cum et ante sectam hanc majora et tertiora etiam orbem quassaverint, illa vero exorta, minora levioraque esse ceperint, utpotæ quæ precibus suis meritas Numinis pœnas depellat, licet illi temere deos colentes veri Dei benignitatem idolis adscribant.

40. At e contrario illis nomen factionis (5) ac

LECTIONES VARIANTES.

(1) Disciplinæ de causa æstimate quid sit *Fran.*
(2) Admittitur *Paris.*
(3) Aquæmanalem *Jun.*
(4) Vv. uncis inclusa ex uno cod. Fuld. addiderunt Rig. et Hav.; sed illis receptis Haverc. post damnandis recte inseruisset factiosa vel factio.
(5) Factionem *Par.*

COMMENTARIUS.

emolumentùm tibi aut domui tuæ afferunt? Prandium, inquies, suavius reddunt: quomodo suave quicquam facere possint, qui palmis cæduntur, qui turpissime loquuntur? Hav.

(a) *Sed qua penes Deum.* Non itaque, inquit, ingratis voratrinis dona Dei dispensamus, sed, quod illi acceptius scimus, egenis alendis. Pulchre Chrys. loco sæpius memorato: *Hæc a me dicta, non quia prohibeam illis alimenta ministrari, sed quia hac de causa nollem præstari. Ex misericordia enim, non ex contumelia originem alimonia trahit: miserescе, non derideas, nutriasque quia inops est; nutrias, quia Christum in ipso nutris, non quia diabolicis verbis cachinnum movet, et suam obruit vitam.* Hav.

(b) *Oratio ad Deum prægustetur* Quod si etiam Gentiles, prout docet nos arianus ad Epicteti lib. III. c. 21. οὐδὲ σπείρουσιν ἄλλως, εἰ μὴ τὴν Δήμητρα ἐπι καλεσαμένοις, *non serunt agros nisi prius invocata Cerere*, quanto magis non decet agri ipsum fructum percepturos Domini Dei benedictionem expostulare? Idque rursus ipsos gentiles non neglexisse testatur Quintilianus Declamatione CCCI. *Adisti mensam, ad quam cum venire cœpimus deos invocamus.* Et Christianorum igitur veri Dei verbo et invocatione cibus sanctificatur, 1. Tim. IV. 4. 5. Namque ut pie Chrysost. Ad Pop. Antioch. Hom. LXXIX. *Mensa ab oratione sumens initium, et in orationem desinens, nunquam deficiet, sed fonte largius omnia nobis afferet bona: ne tantum itaque prætermittamus emolumentum.* Nota vero vocem *prægustetur*, qua spiritualem cibum innuit orationem. Hav.

(c) *Vel de proprio ingenio.* Quod de hymnis et canticis interpretor, ab eruditioribus convivis compositis, prius vero de psalmis in Ecclesia publice receptis. Et huc referendum duco insignem locum in Epist. Pauli et Ephesios. cap. v. 19. λαλοῦντες ἑαυτοῖς ψαλμοῖς καὶ ὕμνοις καὶ ᾠδαῖς πνευματικοῖς, ἄδοντες καὶ ψάλλοντες ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμῶν τῷ κυρίῳ. Hav.

(d) *Oratio convivium dirimit.* Rursus ibidem versu 20. εὐχαριστοῦντες πάντοτε ὑπὲρ πάντων ἐν ὀνόματι τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τῷ θεῷ καὶ πατρί, ut adeo hæc respexisse etiam Tert. videatur Chrysostomus etiam loco memorato: *Opus est itaque nos, et mensam petentes, et desistentes, Deo gratias agere. Ad hoc enim paratus, nunquam in ebrietatem decidet aut insolentiam; nunquam crapula disrumpetur: sed orationis exspectationem pro fræno sensibus habens impositam, cum debita modestia ex omnibus appositis sumet, et multa quidem animam, multa etiam benedictione corpus implebit.* Et mox: *Absurdum est enim, servos quidem nostros, si quam appositorum partem a nobis accipiant, et gratias agere nobis, et cum benedictione recedere, nos autem tot bonis potientes, nec tantum honoris Deo rependere.* Hav.

(e) *Non in catervas cæsionum.* Πληκτισμῶν, inquit Scaliger. Hujus petulantiæ meminit Suetonius in Nerone cap. XXIV. *Siquidem redeuntes a cœna verberare, ac repugnantes vulnerare cloacisque demergere assueverat.* Et in Othone c. II. *Ferebatur et vagari noctibus solitus, atque invalidum quemque obviorum vel potulentum corripere; ac distento sago impositum in sublime jactare.* Hav.

(f) *Neminem contristantes.* Verbis scilicet procacibus, ut faciebant Cynici, qui vel in reges latrabant, ut infra. Huc facit inscriptio sepulcralis apud Gruterum Menophili poetæ, in qua inter alia hoc legitur,

Nulli tristis eram, nulli convicia dixi:

quod ad maledicos poetas et veterem comœdiam respicit.

(g) *Sed curia.* Elegantissime, estque imitatus Lucanum, certe paria quæ ille protulit. Sic enim apud eum in pulcherrima oratione graviter Lentulus cum in Epiro inter Pompeianos de summa rerum consuleretur lib. VI. versu 27.

Tarpeïa sede perusta
Gallorum facibus, Veiosque habit ante Camillo,
Illic Roma fuit.

Ante jam versu 10. ipse Lucanus locum illum *curiam* vocaverat,

Secretaque verum
Hospes in externis audivit curia tectis.

addit,

Nam quis castra voces tot strictas jure secures?
Tot fasces?

Non dissimile quid est apud Chrysost. XLIX. in cap. XIV. Matthæi, ubi quum adhortatus esset populum non parasitos ad mensas, sed pauperes potius Dei servos alere, sic infit: *Ita domus tibi non spectaculum sed ecclesia fiet.* Hav.

Digitized by Google

commodandum est, qui in odium bonorum conspirant, qui adversum sanguinem innocentium conclamant (1), prætexentes sane ad odii defensionem illam quoque vanitatem, quod existiment omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi christianos esse in caussa (2). Si Tiberis ascendit in mœnia (3), (*a*) si Nilus non ascendit (*b*) in arva, si cœlum A stetit, (*c*) si terra movit, (*d*) si fames, si lues, statim (4) CHRISTIANOS AD LEONEM. (*e*) Tantos ad unum? Oro vos, ante Tiberium, id est ante Christi adventum, quantæ clades orbem et urbem cecideruntⁿ? Legimus Hieran, (f) Anaphen (5) et Delon et Rhodon et Co (*g*) (6) insulas multis cum millibus hominum pessum abiisse. Memorat et Plato majo-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Clamant *Paris.*
(2) Causam *Semler.*
(3) *Pro* in mœnia *quod omnes, Rig. habet* ad mœnia.
(4) Acclamatur *addit Jun.*
(5) Hierapolim *Fran.*
(6) Con *Par.*

COMMENTARIUS.

(a) *Si Tiberis ascendit in mœnia.* Fuit veteribus genus quoddam superstitionis, ut putarent omnes ipsos adversum quid vaticinari, cum inundarent aquarum mole. Tacit, lib. I. Annal. et lib. I. Tit. Valer. Max. lib. I. cap. 6. Plutarch. in Camillo, Livius, lib. V. B LAC.

(b) *Nilus non ascendit in arva.* Fuld. *rura.* Quid mirum putasse a malitia Christianorum provenire posse, cum etiam crediderint vi magica inhiberi. Lucanus de saga Thessala, lib. VI. 474.

Nilum non extulit æstas.
HAV.

(c *Si cœlum stetit. Stupet* dixit lib. de Jejuniis, quomodo de lingua, cum illam immotam tenemus, dicitur *stupere* lib. Ad Nat. I. 8. *Stupente lingua.* estque id ipsum quod æris et ferri appellatione et assimilatione exprimitur Levitic. XXVI. 19. et Deuter. XXVIII. 23. Nos similiter dicimus '*t voeer staat zo vast als een muur.* in diuturno vel ardore vel gelu, cum non solvitur in imbres. Ita fere Virgilius dixit *stare cœlum*, quando aspectus solis et pelluciditas fluidi aeris præ pulveris multitudine adimitur. Ita enim C Æneid. XII. 407.

Jam pulvere cœlum
Stare vident. (*Hav.*)

(d) *Terra movit.* Quod cum Asiæ multas inclytas urbes evertit, tum etiam Italiam semper misere vexavit. Unde in ipsa etiam Roma in monte Tarpeio inventi fuerunt putei usque ad planum urbis solum excavati, ad sedandos terræ motus, ut putat antiquitatis omnis peritissimus Bernard. de Montfaucon, describens eos in Diario Italico cap. XIII. HAV.

(e) *Christianos ad leonem.* Solemnis formula, de qua egit etiam Ferrarius in erudito libro de veterum Accl. et Plausu lib. VII. c. 18. Et quidem duo in hac immanitate observari possunt, vel quod ad palum alligati bestiis in miserrimæ mortis exspectatione objicerentur, prout exemplis et icone ostendit Lipsius de Cruce lib. III. c. undec. quibus addo locum Theodoreti Gr. Aff. Cur. c. VIII. p. 112. καὶ μὴν τοι καὶ ἐμπεπηχθαι, καὶ θήρας ἀνδρίους ἰδεῖν θοινωμένους τὰ σώματα, id est *Palis infixa constiterit, ab immanibus se feris laniari conspexerit.* Potest tamen ibi melius supplicii duplex modus indicari, de quo supra c, XII. ad *stipitibus imponitis christianos.* Vel quod damnarentur ad bestias, ut cum illis depugnarent. Sic Glabrio vir consularis leoni objectus a Domitiano victor evasit. Xiphilinus: ὅτι ὑπατεύοντα αὐτὸν εἰς τὸν Ἀλβανὸν, etc. id est: *Nam quum eum Consulem in Albanum vocasset ad juvenalia, coegisseque immanem leonem expugnare, Glabrio non solum a leone læsus non est, sed etiam eum egregie confecit,* quem christianum fuisse ibidem indicat et nos ex illo etiam docuimus cap. 1. ad illa *etiam dignitatem ad hoc nomen transgredi.* HAV.

(f) *Ante Christi adventum.* Similis itaque fuit querela gentilium qualis olim Judæorum idololatrarum apud Jerem. XLIV. 18. *Ab illo enim tempore, ex quo cessavimus Reginæ Cœli sacrificare et thymiamata offerre, indigi fuimus omnium, ferroque et fame consumpti sumus.* Adeoque usurpabant illud, quod alio sensu dicit August. in Ps. XXXIII. *Quamdiu ista patiemur quotidie pejora et pejora? Apud parentes nostros* B *fuerunt dies meliores.* Cui recte respondet. *O si interrogares ipsos parentes tuos, similiter tibi de parentibus murmurarent: Fuerunt beati patres nostri: nos miseri sumus, malos dies habemus.* Bene Hieronymus in cap. VII. Eccles. *Ne dicas: meliora tempora fuere quam nunc sunt; virtutes viventi faciunt dies bonos, vitia malos.* Id enim insitum hominibus antiqua novis, præsentibus præterita conferre docet Lucretius lib. II. 1163.

Jamque caput quassans grandis suspirat arator,
Crebrius incassum magnum cecidisse laborem:
Et cum tempora temporibus præsentia confert
Præteritis, laudat fortunas sæpe parentis.

ubi sequentes versus satis deplorati

Tristis item vetulæ vitis sator æqua fatigat;
Temporis incusat nomen, seclumque fatigat,

ita sunt restituendi:

Tristis item vetulæ vitis sator atque fatiscæ
Temporis incusat nomen fœdumque fatigat.

C Sic membranæ Vossianæ, nunc Lugd. Bat. nisi quod ibi *fatiscit, fatigat fœdum.* id est criminatur et convitiis incessit ut fœdum. Lege ibi in postremo libri versu ex iisdem membranis *ad capulum*, id est ad sepulturam et interitum, pro *ad scopulum.* HAV.

(g) *Hieran, Anaphen.* Ex sola vera vexati hujus loci scriptura videtur, vel prout etiam doctissimus vir Jacobus Gothofredus emendat ad libros Ad Nationes *Hieran, Nean, Anaphen*, quod enim substituunt editiones Pamelii, Rhen. et La Cerdæ *Hierapolim*, Barræi, *Hieropolim* aperte falsum est, cum recenseat Tertull. illa quæ ante non quæ post natum et prædicatum Christum evenerunt. Sic enim in lib. ad Nat. loco adducto: *Ætatis nostræ nondum anni trecenti, quantæ clades ante in spatium supra universum orbem* etc. ubi ridicule Priorius supinitatem suam ostendit restringendo clades illas ad tempus Christianorum eorumque afflictiones, qui corrigendo sequentia in D *Heria Anaphe* et *Delos* Gothofredi emendationem bona fide suam facit. MS. Lugd. Bat. *Hyeramcipœam* quomodo fere etiam nonnulli alii codices, ex quorum lectione conjecit Junius *Hierem cepiam*, advocato in partes Plinio lib. V. N. II. c. 31. Sed expresse, prout edit Rigaltius, codex Aldinus *Hierennapen*, quomodo, quod plus est, MS. unicus, in quo libri ad Nationes, ibi plane etiam exprimit. MS. Put. *Hierennapean*, Agobard. *Hierantnapeam.* Bongarf, *Itherannapeam.* Ut sola vera sit lectio illa, quam expressimus. Codex. Fuld. *Hierannanda penes.* ad quod in ora libri mei Scriverius ex conjectura adscripserat: *Legimus inenarranda pene, Delon et Rhodon* etc. qui ex lib. ad Nat. satis refutatur ab ipso Tertull. is in lib. Ad Nat. I, c. 9. *Ubi tunc Christiani, cum Hierennape, et Delphos* etc. lege *Hiera, Anaphe* vel *Napea*, ut facit etiam Salmas us ad Solinum p. 102. et ante illum Gothofredus. HAV. — Heria, Anaphesque duæ videntur esse maris Ionici insulæ inter Sporadas recensitæ, quarum prior

Digitized by Google

rem Asiæ et Africæ terram Atlantico mari creptam. Sed et mare Corinthium (*a*) terræ (*b*) motus ebibit, et vis undarum Lucaniam Italiæ abscissam (*c*) in Siciliæ nomen relegavit. Hæc utique non sine injuria incolentium accidere potuerunt. Ubi vero tunc, non dicam deorum vestrorum contemptores christiani, sed ipsi dii vestri, cum totum orbem cataclysmus abolevit, vel ut Plato putavit, campestre solum- A modo? Posteriores enim illos clade diluvii contestantur ipsæ urbes, in quibus nati mortuique (1) sunt, etiam quas condiderunt; neque enim alias in hodiernum (2) manerent, nisi et ipsæ postumæ cladis illius. Nondum judæum ab Ægypto examen Palæstina susceperat, nec jam illic christianæ sectæ origo consederat, (*d*) quum regiones affines (3) ejus Sodoma et Gomorra (*e*) igneus imber exussit. Olet

LECTIONES VARIANTES.

(1) Morarique *Cod. Fuld.*
(2) Alias hodiernum *Rig. Haverc.*
(3) Ac fines *Semler.*

COMMENTARIUS.

nunc nominatur Μακρη καμενη seu *Magna insula concrementa*, posterior vero dicitur *Nanfio*, ambæque ex igneo monte submarino crevisse ac susdeque multoties versæ fuisse creduntur. Cf. Commentat. D. Salies in actis academ. Inscript. et litter. Paris. tom. III. Edd.

(a) *Et Co.* Sic recte reposuit Rigalt. ut et Salmasius, quem omnino vide loco supra memorato Pam. aliique *Coon.* Ald. et Rhen. *Con.* sed aperte etiam Lugd. Bat. *Cho.* Poterant et plures urbes addi, quarum interitum recenset Lucretius in luculentis istis versibus quos de origine et natura terræ motus exhibet lib. VI. ubi inter alia versu 583.

In Tyria Sidone quod accidit, et fuit Ægis.
In Peloponeso, quas exitus hic animai,
Disturbat urbes, et terræ motus obortus!
Multaque præterea ceciderunt mœnia magnis
Motibus in terris, et multæ per mare pessum
Subsedere suis pariter cum civibus urbes.

Hav.

(b) *Mare Corinthium terræ motus ebibit.* Levi brachio transeunt interpretes, quasi nihil hic obscuri, ambigui aut corrupti. Solus Junius aliquid suspicatus emendat *terræ motu.* Satis infeliciter, non enim aqua C terram, sed terra aquam bibit, cum præterea non addatur quid mare Corinthium ebiberit terræ motu. Et sane quidem et prima fronte innuere videtur Tertullianus non terram aliquam maris inundatione abruptam, sed mare ipsum in imo fundo per terræ motum hiatu facto absorptum, quod adhuc magis videtur innuere Ad Nationes lib. I, c. 9. his verbis, *Cum terræ motu mare Corinthium ereptum est.* prout sane in ipsa Peloponneso quod mare Corinthium seu sinus Corinthicus alluit accidisse simile quid fluvio Inacho innuit Lucianus ille et Charonte sub extremo sub persona Mercurii: ἀποθνήσκουσι γὰρ αἱ πόλεις ὥσπερ ἄνθρωποι, καὶ τὸ παραδοξότερον, καὶ ποταμοὶ ὅλοι. Ἰνάχου οὖν οὐδὲ τάφος ἐν Ἄργει ἔτι καταλείπεται. i. e. *Urbes enim, o portitor, perinde ac homines emoriuntur. et quod longe mirabilius, solidi etiam fluvii, ita ut Inachi ipsius in Argone monumentum quidem reliquum appareat.* Quem quidem ipsum æque ut Alpheum per immensos terræ meatus absorptum alibi emergere jam olim multi pu- D tabant, quos recenset et refellit Strabo lib. VI. fere in medio. Sed accuratius locum pensitati videtur hic idem indicari, quod Strabo idem narrat lib. VIII. sub finem. ἐξαρθὲν γὰρ ὑπὸ σεισμοῦ τὸ πέλαγος κατέκλυσε καὶ αὐτὴν καὶ τὸ ἱερὸν τοῦ Ἑλικωνίου Ποσειδῶνος, i. e. *Terræ motu enim elatum mare et Helicem obruit, et Templum Neptuni Heliconii.* Ovidius Met. lib. XE.

Si quæras Helicen et Buran, Achaidas urbes
Invenies sub aquis, et adhuc ostendere nautæ
Inclinata solent cum mœnibus oppida mersis.

Et hæ Corinthio mari adjacebant, Helice quidem XII. Stadiis a mari dissita et biennio ante Leuctricam pugnam absorpta, ut Strabo refert. Causa ruinæ fuit itaque terræ motus et inundatio, et ita quidem ut in loca rupta et quassata motu terræ, quo ipso etiam vicinum mare agitabatur, irruerit aqua, ibique excavatis alveis permanserit. hinc jam intelligitur quomodo terræ motus i. e. terra mota ebiberit mare Corinthium. Magis proprie legas *imbibit.* Sed *ebibit* validius est. Lugd. Bar. præ se fert *abibit*, quasi foret legendum *sed et in mare Corinthium terræ motus abivit.* B Totam hanc rerum mutationem elegantissimo carmine exprimit Ovidius loco modo memorato, quomodo urbes terræque ab aquis, fluvii a terris absorbeantur, totumque hic reponi meretur.

Vidi ego quod quondam fuerat solidissima tellus
Esse fretum, vidi factas ex æquore terras,
Et procul a pelago conchæ jacuere marinæ,
Et vetus inventa est in montibus anchora summis,
Quodque fuit campus, vallem decursus aquarum
Fecit, et eluvie mons est deductus in æqnor,
Eque paludosa siccis humi aret arenis,
Quæque sitim tulerant, stagnata paludibus hument,
Hic fontes natura novos emisit, et illic
Clausit, et antiquis tam multa tremoribus orbis
Flumina prosiliunt, aut exsiccata residunt.
Sic ubi terreno Lycus est epotus hiatu.
Exsistit procul hinc, alioque renascitur ore.

vide ibidem quæ sequuntur est locus longior sed admodum venustus. Hav.

(c) *Italiæ abscisam.* Vocem *Italiæ* cum MSS. Heraldinis delet Fuldanus retinent L. Bat. et alii. Rhen. et Herald *abscissam.* Meminerunt Strabo, Mela et omnes Geographi. etiam Sallustius in Fragm. Historiarum num. 297. *Italiam conjunctam Sicilia constat fuisse: sed medium spatium aut per humilitatem obrutum est aquis, aut propter angustiam scissum.* Hav.

(d) *Origo consederat.* Et hic persistens in metaphora maxime proprie loquitur. Solent enim novelli fœtus apum quum ex alvearibus erumpunt in proximo arborem ejusque ramum vel si desit aliud quid altum eligere, cui se applicent, cuique insideant, unde a perito hujus rei in nova alvearia verruntur constipanturque, sicque augetur res familiaris dominorum. Id indicare voluit summus ille omnis elegantiæ cultor Virgilius, si satis percepissent interpretes versus ejus ex lib. Georg. IV, 20.

Palmaque vestibulum, aut ingens oleaster obumbret:
Ut cum prima novi ducent examina reges
Vere suo, ludetque favis emissa juventus,
Vicina invitet decedere ripa calori,
Obviaque hospitiis teneat frondentibus arbos.

Adde Claudianum de Raptu Proserpinæ lib. II. 119.

Credat examina fundi
Hyblæum raptura thymum, cum cerea reges
Castra movent, fagique cava demissus ab alvo
Mellifer electis exercitus obstrepit herbis.

Et hinc illustrari potest locus in lib. IV. Mosis c. XXII, 5, ubi de Israelitarum immensa multitudine quasi de examine apum loquitur Rex Moabitarum: *Ecce gens prodiit ex Ægypto, ecce prospectum terræ obtexit considetque mihi e regione.* Ægyptii etiam et Assyrii supra Judæam venturi apum vel muscarum examini comparantur Jes. VII, 18, 10. Hav.

(e) *Sodoma et Gomorra igneus imber excussit.* De Pallio c. 11. ex lectione Salmasi. *Aspice ad Palestinam, quæ Jordanes amnis finium arbiter, vastitas ingens, et orba regio, et frustra ager: at urbes retro, et populi frequentes et solus audiebat: Dehinc ut Deus*

Digitized by Google

adhuc incendio terra, (a) et si qua (b) illic arborum poma conantur, (1) oculis tenus, cæterum contacta A cinerescunt (c). Sed nec Tuscia jam tunc atque Campania de Christianis querebatur, quum Volsi-

LECIONES VARIANTES.

(1) *Rhen., Latin., Gangnæus:* oriantur; *et in sqq. codd.* *Fuld., Agob. et Lugd.* cineres sunt.

COMMENTARIUS.

censor est, impietas ignium meruit imbres. Hactenus Sodoma, et nulla Gomorra, et cinis omnia, et propinquitas maris juxta cum solo mortuum ivit. Et ex carmine non Sodoma inscribitur, et ea nonnullis assignatur Cypriano, similis locus a la Cerda citatur, sed corruptus, itaque hic medicinam accipiat:

Tunc Loth ingreditur Segor, simul exoritur sol,
Ultimus ille quidem, in Sodomamque incendia fervens
Infert; nam totus radios armaverat igni.
Æmula subsequitur caligo includere lucem
Cœptans, atque globos confuso intexere cœlo;
Fumantes coeunt nubes, novus irruit imber,
Sulfura cum flammis flagrantibus, æstuat æther.

Sic locus ille hactenus circumfertur. Restitue ex optimo MS. B

Ultimus ille quidem Sodomis, jam incendia fervent.
Iratus toto radios armaverat igni.
Æmula subsequitur caligo includere lucem
Liventesque globos confuso intexere cœlo;
Fumantes coeunt nubes, novus irruit imber,
Sulfura cum flammis, flagrat chaos, æstuat æther.

Meminerunt Tacitus V. Histor. Strabo lib. XIV. et alii. Chrysostomus aureo ore ignitum imbrem non uno in loco describit. Sed hæc pluribus aliquando suo loco. Hav.

(a) *Olet adhuc incendio terra.* Res verissima et Divinæ vindictæ vivum semper exemplum. Neque enim ipse lacus Asphaltites seu mare Mortuum pestilentem halitum efflat, sed et lapides ruinarum reliqui igni admoti ardent gravissimumque odorem exhalant. Testantur omnia itineraria. Martinus a Baumgarten. Peregrin. lib. II, c. 12. afferrit. « ibi esse odorem te- « terrimum, faciem tristem et quasi tartaream, sapo- « rem aquæ salsissimum, et fellea amaritudine stypti- C « cum. Borchardus : mare Mortuum semper est « fumans et tenebrosum, sicut os inferni. Oculis meis « vidi simul cum aliis pluribus sociis teterrimum et « malum vaporem ex mari Mortuo fumantem. Sali- « gniacus etiam et alii. » De sapore aquæ Illustrissimus princeps Radzivilius, ipse expertus, Ep. II, p. 96. « Aquam valde spissam et fœtentem habet, quæ « guttatim degustata, prout a nobis factum, linguam « atrociter mordet, et caput gravi pestiferoque odore « vehementer inficit. » De lapidibus quod dixi, insigne exstat testimonium apud Jo. J. Ammanum Itin. P. II, p. 131. qui quoniam Germanice scripsit conversa ejus verba in Latinum apposui. « Interim, inquit, lapides « comportabant Arabes, ut et nostram nonnulli, « avulsos rupibus, sive hic illic temere jacentes, in- « cendebantque illos parva flammula, qui quidem « ardent inflammanturque ut lignum, excitato denso « fumo, sed ita olent sulphure et pice ut propius D « manere non diu possis. Quo magis vero Mare Ru- « brum accedas, eo acrius illo modo lapides ardent, « Sunt etiam rupes hæ lapidesque facie alba valde, « quasi conspersæ cineribus albis atque constæ. Con- « fracti intus cinerei luridique apparent. Sed neque « toti igne consumuntur; at vero pice et sulphure « consumpto, aliquanto quam ante minores manent, « fiuntque toti nigri, et sponte sua extinguntur, ne- « que tunc amplius ardent, ut ipse probavi, qui inde « etiam modicum lapidis frustrum attuli. Dicebantque « Arabes rupes illas lapidesque circa mare Rubrum, « ad horæ iter, nec usquam alibi hanc naturam ha- « bere, quod non est credibile neque verisimile. Ipse « id tantum expertus sum ibi, ubi aresonæ sint ru- « pes olere quidem graviter lapides, non vero arde- « re. Hav.

(b) *Si qua illic arborum poma conantur.* Hæc est vera lectio, quam Heraldus etiam cum Pamelio, la Cerda, Aldo, et Rigaltio ex Cod. Fuldano, denique etiam MSS. Lugd. Bat. et Agob. comprobant. Ut adeo non debeat dicere Junius Latinium recte ex Vatic. et codd. omnibus reposuisse *poma oriantur*, quod Pamelius epunxerat. ineptum enim est tam *oriantur*, quod etiam Barræus et Rhenanus, quam *cooriantur*, quod vult Mursius. Denique ipse Tertullianus non aliter amat. Infra c. 47. *dum nostra conantur*, ubi Wouverius et Rigalt. legentes *contaminantur* locum non sanant, qui est integer, sed contaminant, quomodo etiam aliis in locis auctor loquitur. Gronovius Pater in Observ. ad script. Eccl. c. 22. emendat *conatur* ea quasi esse si aliqua arborum conatur. Quanquam, inquit, idem census vulgato, modo pronomen accipias genere neutro, numero plurali. Hæc ille, nec repugno. Videtur alias tam ad poma quam ad arbores referri posse, ut *si qua* ut supra satis ostensum, tantundem sit ac si quo modo, ut *atiqua* apud Virgilium pro aliquo modo. quod dicit mox *contecta*, huc videtur etiam ducere. Potest etiam distingui, *et siqua illic arborum poma, conantur oculis tenus.* vel *qua illic arborum poma*, c. etc. Denique hic quoque carmen quod inscribitur Sodoma est emaculendum, ibi vulgo:

Semiperempta etiam si qua illic jugera, lætas
Autumni conantur opes, facile optima sese
Promittunt oculis, pira, persica, et omnia mala,
Donec carpuntur; nam protinus indice tactum
Solvitur in cinerem, fit vana favillaque pomum.

lege longe elegantius hoc modo,

Donec carpuntur, nam protinus indici tactu
Solvitur in cinerem vacui fallacia pomi.

ita emendamus partim ex præstantissimis membranis, partim ex ingenio; nam in illis erat *indice tactu*, pro quo reposuimus *indici* pro *indicis* id est contactu digitu, nota licentia ex antiquis poetis, ex quibus Lucretium noster diligentissime legit. Sed totum illud poematium, sane pulchrum, aliquando, si Deo placet, quasi ex tenebris redivivum dabimus. Adverte interim etiam hic *ea conantur* inculcari, adeoque omnem illum conatum esse irritum. Hav.

(c) *Contacta sinerescunt.* MSS. Agob. et Fuld. *cineressunt.* sed illud melius, dicit enim in Sodoma.

Solvitur in cinerem.

Affirmant id ex veteribus Josephus, Tacitus, Solinus, Augustinus. Adde Itineraria. Mart. a Baumgarten testatur littus arundinibus putridisque arboribus plenum. Siligniacus etiam affirmat arbores circumcirca crescentes, sed quæ pestifero maris afflatu nil esui aptum producere possint. Videas enim poma visu decora, intus plena cinere ac favilla. Borchardus etiam scribit § 39. « Sub Engaddi juxta littus maris Mortui « arbores quidem sunt pulcherrimæ, sed fructus ea- « rum, cum discerpitur, intrinsecus favilla et cinere « plenus invenitur. » Hegesippus eo amplius lib. IV. Excid. Hierosol. memorat pulcherrimas visu arbores, quæ læta specie *edendi generant spectantibus cupiditatem; si capias, fatiscunt et resolvuntur in cinerem, fumumque excitant, quasi adhuc ardeant.* Sed sive ficta hæc sive temporis spatio immutata sint, nullas amplius superesse scribit princeps Radzivilius. Digna tamen sunt Ammanni supra laudati verba quæ Latio donentur. Visas sibi arbores et dari omnino in via Hierichuntina memorat, sed diversa a priori descriptione specie. En tibi verba ejus. « In via, inquit, « nonnulla arborea etiam offendimus, sive potius « frutices, late expansis copiosis ramis, aculeatas « valde, ut apud nos fere spinera, pulcherrimus et « lætissimus appendet fructus, aspectu ut minora « poma quibus paradasis nomen est, rubicunda,

Digitized by Google

nios (a) de cœlo (b), Tarpeios (1) de suo monte perfudit (2) ignis. Nemo adhuc Romæ Deum verum adorabat, cum Annibal apud Cannas (c) Romanos annulos, cædes suas, modio metiebatur. Omnes dii vestri ab omnibus colebantur, cum ipsum (3) Capitolium Senones (d) occupaverunt. Et bene, quod si quid adversi accidit urbibus, eædem clades templorum quæ et mœnium fuerunt, ut jam hoc revincam, non a deis evenire, quia et ipsis evenit. Semper humana gens male de Deo meruit : primo (4) quidem ut inofficiosa (5) ejus, quem cum intelligeret ex parte (e), non solum non requisivit timendum, sed et alios sibi citius commenta est (6) quos coleret; dehinc quod non inquirendo innocentiæ magistrum, et nocentiæ A judicem et exactorem, omnibus vitiis et criminibus inolevit. (7) Cæterum si requisisset, (sequeretur, (8) ut) cognosceret (9) et recognosceret (10) requisitum, et recognitum observaret, et observatum magis propitium experiretur quam iratum. Eumdem ergo nunc (f) quoque scire debet iratum, quem et retro semper, priusquam Christiani nominarentur. Cujus bonis utebatur ante editis, quam deos sibi fingeret, cur non ab eo etiam mala intelligit evenire, cujus bona esse non sensit? Illius rea est, cujus et ingrata. Et tamen si pristinas clades comparemus, leviora nunc accidunt, ex quo christianos a Deo orbis accepit. Ex eo enim et innocentia seculi iniquitates temperavit, et deprecatores Dei (g) esse

LECTIONES VARIANTES.

(1) Atque *Seml. del.* Jam tunc.
(2) Tarpeios *Gothofredus reposuit ex lib.* 1, *ad natt. c.* 9; *in codd. mss. legitur* Pompeios.
(3) Profudit *Paris.*
(4) Ad *addit Jun.*
(5) In officia *Paris.*
(6) Quemcumque *Paris.*
(7) *Ita cod. Fuld.; vulgo legebatur* : non requisivit, sed B alios insuper sibi commentata est, quos coleret; *Herald. codd.* commenta quos coleret, *Ald.* commentaret *deletis quæ sequuntur.*
(8) Involvit *Paris.*
(9) Sequebatur *Jun.*
(10) Sequeretur ut cognosceret *abest Paris.*
(11) Et recognosceret *delet Jun.*

COMMENTARIUS.

« valde spectabilia. Avulsi nonnulla, ut comederem, « erant vero prorsus illepida gustu et insuavia, in« tus plena albis granis, ut sunt grana promorunt « nostrorum. Quoniam vero pleni fructibus essent hi « frutices, nonnulla inde poma mecum tuli. Erant « vero in illis nonnulla arida et nigricantia, confrac« taque cinerescebant et dispergebantur ut favilla; « cum vero recentia decerpuntur, non sunt ita, ve« rum tempore arescunt ut alii fructus. Hæc ille, unde apparet poma illa si diutius arboribus immo- C rentur corrumpi hoc modo, ut tactu solvantur in cineres. Hav.

(a) *Vulsinios.* Plinius Nat. Hist. II, 52. *Volsinii opidum Thuscorum opulentissimum totum concrematum est fulmine. Volsinios* scribunt plurimi sed Ald. et Rig. *Vulsinios.* L. B. *Ulsineos.* superscriptum *Ulscinios.* Vulgata Scriptura etiam in lib. Ad Nationes. Hav.

(b) *Tarpeios.* Scripti omnes ut et editi habent *Pompeios.* Cum vero jam in eo sit auctor ut clades quæ universo orbi non tantum sed Italiæ etiam acciderunt antequam christianum nomen innotesceret, merito quæri potest quomodo clades, quæ sub Nerone demum contigit, huc referatur. Et sane in lib. MS. ad Nationes non *Pompeios* sed *Trapeios* exstare notavit Gothofredus, qui etiam idem nomen hoc loco reponendum monet. *Tarpe* enim Italiæ fuit urbs testante epitomatore Stephani, quem si haberemus integrum, forsan et hanc cladem, certe plura de urbe illa novissemus. Id malo quam cum Gataltero, theologo vere docto, D memoriæ lapsum in Tertulliano agnoscere, quem virum vide ad similem Antonini philosophi et Imperatoris locum lib. IV, § 48. ubi multa collegit, quæ ad hæc et superiora spectant, quæque exscribere non decet. Puto autem oppidum illud fuisse in Campania, delectumque tali casu, id quod ex ævo suo exstantibus adhuc scriptoribus nosse potuit Tertullianus. Non enim is qui ad nationes *Tarpeios* nominavit tam cito sui oblitus videtur. Constat enim libellum istum ante Apologeticum scriptum, et quasi deformationem ejus esse. In lib. de Pallio, ubi etiam *Pompeii* nominantur, alia est ratio; non explicuit enim ibi quæ ante Christi tempora contigisse erat necesse, sed quæ magis vulgo nota erant collegit. Unde perperam hoc loco idem exstare voluerunt. Hav.

(c) *Annibal apud Cannas.* Late hanc describunt pugnam, D. Augustinus lib. 3. de civit. Dei cap. 16. et Orosius lib. 4. hist. cap. 16. et post eum Paulus Diaconus, et in D. Aug. L. Vives. Contigit ea clades anno ab c. vv. cc. xl. Æmiloi Paulo et P. Ter. Varrone coss. Pam.—Nihil magis obvium apud scriptores quam pugna Cannensis in qua L. Æmilius Paulus tum Consul occubuit, atque cum eo desiderata fuerunt quadraginta quinque Romanorum millia, tantaque fuit strages, ut Hannibal victor cladis magnitudinem, annulorum numero metiretur, quorum tres fuisse modios aiunt nonnulli. Livius unicum fuisse asseverat, in quo adhuc difficulter illi assentior, neque enim tantus erat equitum Rom. occisorum numerus, ut annulorum unus esse potuerit modius; nisi audiamus Plinium qui lib. 39. promiscuum fuisse ait annulorum usum tum equitib. tum plebeiis, bello Punico secundo. Le pr.

(d) *Cum ipsum Capitolium.* Etiam hanc cladem gentib. objiciunt D. August. lib. 2. de civ. Dei cap. 22. et Oros. lib. 2. cap. 19. quorum ille interim Capitolium quo minus caperetur anseres impedivisse scribit: hic obsidione nonclusam quidem in monte Capitolino universam reliquam juventutem, sed mille libris auri discessionis pretium pactos romanos. Oportet itaque, ut occupare, hic accipiatur ab Auctore pro prævenire, sive non opinantem opprimere phrasi Plautina qui dixit in Rudente, occupas prælo qui. Pam.

(e) *Intelligeret ex parte.* Theologia illa naturali, quum duce conscientia etiam rerum creatarum omnium contemplatione exædificare potuerant. Rom. I. 19. II, 14. 15. Job. XII, 7. 8. 9. 10. Actor. XVII, 27. XIV, 17. et alibi, idque εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους, Rom. I, 20. Hinc Noster, *magistro naturæ, anima discipulæ. Quidquid aut illa edocuit. aut ista perdidicit; a Deo traditum est, magistro scilicet ipsius magistræ.* Dicit et alibi. *Præmisit Deus naturam ministram, subjuncturus prophetiam.* Vitiose Rhen. *in officia ejus quecumque.* Vox *quem* deest in ed. la Cerdæ. Hav.

(f) *Eumdem ergo nunc.* Salvianus lib. IV. de Prov: Dei. *Nihil mirum si deteriora quotidie patimur. Nam quotidie deteriores sumus, et nova quotidie mala facimus, et vetera non relinquimus : surgunt recentia crimina, nec repudiantur antiqua. quis ergo est causationis locus? quamlibet aspera et adversa patimur, minora patimur quam meremur.* Pro *ergo* in L. B. est *igitur*, prout etiam in MSS. Heraldinis. Hav.

(g) *Deprecatores Dei.* Ex quo, inquit, vobis servis

Digitized by Google

cœperunt. Denique cum ab imbribus æstiva hiberna suspendunt (*a*) et annus in cura est, vos quidem, quotidie pasti statimque pransuri, balneis et cauponis et lupanaribus operati, (1) aquilicia (*b*) Jovi immolatis, nudipedalia populo denuntiatis, cœlum apud Capitolium quæritis, nubila de laquearibus exspectatis, aversi ab ipso et deo et cœlo. Nos vero jejuniis aridi et omni continentia expressi, (*c*) ab omni vitæ fruge dilati, in sacco et cinere volutantes, invidia cœlum tundimus, Deum tangimus, et (2) cum misericordiam extorserimus, Jupiter honoratur a vobis, Deus negligitur. (3)

CAPUT XLI.

ARGUMENTUM. — *Imo malorum, quæ eveniunt quotidie, illos ipsos in causa esse, qui spreto Deo statuas adorent. Si enim dii illorum vere Dii essent, non et cultores suos Christianorum pœnis involverent: at cum et bonis et malis, ille qui vere Deus est, mala immittat, his in pœnam, illis in admonitione esse: qui non ante æterni judicii rigorem interutrosque discrimen statuet; quod si pertinaciter Diis suis illa adscribi velint, propterea quod christianos esse patiantur, sequitur, injustos, ingratos tales Deos esse, qui cultores suos una cum irrisoribus plecti velint.*

Vos igitur importuni (*d*) rebus humanis, vos reipublicorum incommodorum, vos malorum illices semper, apud quos Deus spernitur, statuæ adorantur. Utique enim credibilius haberi debet, eum irasci qui negligatur, (*e*) quam qui coluntur: (4) aut næ (5) illi iniquissimi, si propter Christianos etiam cultores suos lædunt, (*f*) quos separare deberent a meritis Christianorum. Hoc, inquitis, et in Deum vestrum repercutere est, qui et ipse patiatur (6) propter profanos etiam cultores suos lædi. Admittite prius dispositiones ejus, et non retorquebitis. Qui

LECTIONES VARIANTES.

(1) Operantibus *Reg.*
(2) *Forte* angimus *Haverc.*
(3) *Vv.* a vobis, Deus negligitur *in solo cod. Fuld. legumtur.*
(4) *Forte*: quam qui colitur *Havere.*
(5) Sed næ *cod. Fuld.*
(6) Patitur *Seml.*

COMMENTARIUS.

injustitiæ et omnis mali, orti sunt qui vicem peccatorum vel deprecatorum apud Deum agant. Hic verus sensus est, unde passim apud Plautum aliosque servis applicantur, etiam in hoc Terentiano Heautontimo. Act. V, sc. 2.

Nec tu aram tibi,
Nec peccatorem pararis.

Talis deprecator Abraham Sodomæis, etiam decem illi si inventi fuissent. Genes. XVIII, 32. HAV.

(a) *Æstiva hyberna suspendunt.* Sententia est, cum non pluit neque æstivo, neque hiemali tempore. Puer sic capiat. Cum æstiva aut hyberna suspendunt abstinentque ab imbribus. Annus veteribus in duas tantum partes divisus erat, videlicet in hyemem et æstatem; hinc est ut frequenter has duas partes pro anno sumant auctores, non ver, non autumnum. LAC.

(b) *Aquiliciia Jovis immolatis.* Aquilicia, inquit Rhenanus, dicta ab aquis eliciendis, quod fiebat in magna civitate. Aquilices, sive Aquileges, scrutandorum fontium artifices, ab elicibus dicti qui sunt capita fontium et scaturigines. Nudi pedalia autem nuncupat, quod nudis pedibus juberetur in publicis supplicationibus pluviam invocare populus. PAM.

(c) *Omni continentia expressi.* Ut qui non cum Ammone Davidico præ negata voluptate arent et macerantur II. Sam. XIII, 4. sed quos zelus domus Dei consumit. Quod ibidem ita Nazianzenus persequitur: τοὺς διὰ τὴν νέκρωσιν ἀθανάτους, τοὺς διὰ λύσιν θεῷ συνημμένους, τοὺς ἔξω πάθου καὶ μετὰ τοῦ θεοῦ καὶ ἀπαθοῦς ἔρωτος, id est *propter mortificationem immortales, propter solutionem Deo conjunctos, cupiditate alienos, et divino libidineque vacuo amore correptos.* Idemque, candorem Deo gratum virginibus commendaturus, scribit in Orat. Adv. Mulieres ambitiosius ornatas: *Nempe ut pulchritudini tuæ pallorem adsciscas, Christique laboribus intabescas, atque et precibus et lacrymis, et diurnis nocturnisque pervigiliis teipsam maceres.* Talis magnus Athanasius, quem, in facinore Arianorum, respiciens, idem, ita perorat in Orat. XI. Adv. Arian. et de ipso.: *Quibus meretrices induxi, propemodum carne sanguineque carentibus?* Et ipse Christus loco allato versu 25. *Abeo ut umbra, cum evanescit.* Quos denique, ut nobis idem est proverbium, secundum illud Aristophanis in Pluto IV. 4.

Διὰ δεκτυλίου μὲν οὖν ἰκοὺ γ' ἂν διλκύσαις.

per medium annalum facile pertraxeris. Adeo ut secundum illud Persianum quod hinc intelligi potest Sat. VI, 73. dici possit,

Mihi tramæ figuræ
Sit reliqua, ast illi tremat omento popa venter.

Occurrunt tales sed famæ negotiatores tantum hypocritæ isti pharisæi apud Matthæum, c. VI, 16. Ἀφανίζουσι γὰρ τὰ πρόσωτα αὐτῶν, inquit Servator. Aldus legit *adspersi.* sed male. HAV.

(d) *Importunis rebus humanis.*) Id est calamitosi, incommodi, propter quos pace publica orbis caret. Virgilius XI, Æneid. 305.

Bellum importunum cives cum gente Deorum,
Invictisque viris gerimus.

ubi Servius *importunum* explicat, *ubi nullum refugium est, quod caret portu id est quiete, ubi nullus est portus.* HAV.

(e) *Eum irasci qui negligatur.* Ex ipsa gentilium opinione, unde necem Cliti ad Deorum iras referenti Alexandro, *subit, anniversarum sacrificium Libero Patri non esse redditum statuo tempore. Itaque inter vinum et æpulas cæde commissa, iram Dei fuisse manifestam.* Quæ eadem narrat Arianus IV, 9. Et satis ridicula exstat narratio apud lepidum istum Samosatensem, Lucianum, qui simile de Hippocratis statua narrat in Dialogo qui inscribitur Philopseudes. ibi Atigonus medicus: Κάμοι, ὦ Εὐκρατες, Ἱπποκράτης ἐστὶ χαλκοῦς, etc., id est. *Et mihi, o Eucrates, inquit, est Hippocrates æreus, magnitudine ferme cubitali, qui duntaxat exstincta lucerna, totam domum in orbem ambit, strepens et pyxides evertens, et pharmaca commiscens, et ostium subvertens, imprimis si sacrificium differamus, quod eis quotanis facimus.* HAV.

(f) *Etiam cultores suos lædunt.*) Quod est iniquissimum, cum secundum tritum illud ICtorum, lib. V. Dig. de pœnis satius sit *nocentem impunitum dimittere, quam innocentem damnare.* Polybius etiam lib. V. Οὐ γάν ἐπ' ἀπωλείᾳ δεῖ καὶ ἀφανισμῷ τοῖς ἀγνώμοσι πόλεμον etc. *Bonorum virorum est etiam cum minus probis non internecinum bellum gerere, sed hactenus ut delicta sarciantur atque emendentur: neque insontes cum sontibus una pœna involvere, sed insontium causa etiam sontibus parcere.* Qualis ad Deum etiam est argumentatio Abrahami Genes. XVIII. 23. Quanto magis igitur Dii isti ridiculi, qui cultores suos una cum hostibus perdunt,

Digitized by Google

enim semel æternum judicium destinavit (*a*) post sæculi finem, non præcipitat (*b*) discretionem, quæ est conditio judicii, ante sæculi finem. Æqualis est interim super omne hominum genus et indulgens et increpans; (1) communia voluit esse et commoda profanis et incommoda suis, ut pari consortio omnes et lenitatem ejus et severitatem experiremur. Quia hæc ita didicimus (2) apud ipsum, diligimus lenitatem, metuimus severitatem, vos contra utramque despicitis: et sequitur, ut omnes sæculi plagæ nobis, si forte, in admonitionem, vobis in castigationem a Deo obveniant. Atquin nos nullo modo lædimur: imprimis quia nihil nostra refert in hoc ævo, nisi de eo quam celeriter excedere; dehinc, quia si quid adversi infligitur, vestris id meritis (3) deputatur. (*c*) Sed etsi aliqua nos quoque perstringunt ut vobis cohærentes, lætamur magis recognitione divinarum prædicationum, confirmantium scilicet fiduciam et fidem spei nostræ. Si vero ab eis quos colitis omnia vobis mala eveniunt nostri caussa, quid colere perA severatis tam ingratos, tam injustos, qui magis vos in dolorem Christianorum juvare et asserere debuerant (5)?

CAPUT XLII.

ARGUMENTUM.— *Nec minus perperam christianos infructuosos negotiis appellari, qui cum illis et de illis vivant, qui opera sua et artes misceant, qui una navigent, militent, mercentur: qui si in ceremoniis quibusdam differant, spectaculis renuntient, thure non supplicent, stipes templis non jactent, tamen et homines et cives sint, et illam qualemcumque jacturam facile compensent, cum aliis utilitatibus, tum, non ut illi, publica vectigalia, defraudando, sed ex fide debitum dependendo.*

B 42. Sed alio quoque (6) injuriarum titulo postulamur, et infructuosi in negotiis (*d*) dicimur. Quo pacto homines vobiscum degentes (*e*), ejusdem victus, habitus, instructus, ejusdem ad vitam necessitatis? Neque enim Brachmanæ (*f*) aut Indorum

LECTIONES VARIANTES.

(1) Increpitans *Fran. Paris. Rig.* incessens *cod. Fuld.*
(2) *Cod. Fuld.* qui autem discimus; *codd. Lugd., Gorg. et ed. Pamel.* quia (*Gelen.* qui) æquitatem didicimus, etc.
(3) Vestris id meritis *Jun.*
(4) Confirmatus ut agnoscentes, *cod. Fuld.*
(5) *In vett. libris excepto Fuldensi omnibus addita leguntur vv.* quos separare deberent a meritis christianorum, *quæ incpta delevit Rigaltius.*
(6) Adhuc, *cod. Fuld.*

COMMENTARIUS.

adeoque illorum vindicta secundum Lucretium II, 1103:

Sæpe nocentes
Præterit, exanimatque indignos inque merentes.

Nam ut recte apud Publium Syrum, versu 836:

Ridiculum est, odio nocentis perdere innocentiam.

ubi vide plura, quæ huc spectant. HAV.

(a) *Qui enim semel æternum judicium.* Sensus est, Deum, qui semel constituit in æternum judicare tunc cum sæculi finis advenit, non præoccupare ante illud tempus discretionem inter bonos et malos, in qua judicium partim consistet. ideoque comma post *conditio judicii*, non debet negligi, ut in plurimis editionibus factum est. Vocis *semel* elegantiam et usum supra docuimus. HAV.

(b) *Præcipitat discretionem.* Maxime propria et elegans locutio, est enim illud quod alias *præcipere* et *præoccupare* dicunt. Lucanus II, 106:

Non senis extremum piguit vergentibus annis
Præcipitasse diem.

ubi *præcepisse* quod habet MS. magis est interpretatio quam vera lectio. Apud eumdem enim Pompeius VII. 352:

Si socero dare regna meo, mundumque pararent,
Præcipitare meam latis potuere senectam.

i. e. Dii me morte potuerunt præoccupare ante hanc canitiem.

Rursus idem poeta ejusdem libri versu 51:

Sua quisque ac publica fata
Præcipitare cupit.

Denique lib. V. 795:

Præcipitantque suos luctus

Cum scilicet nondum esset conclamatum. HAV.

(c) *Vestris id meritis deputatur.* Sic MS Fuldensis, nam alii τὸ *id* non agnoscunt, quod negligere nolui, suo enim loco ponitur. Frustra vero Zephyrus, Junius et La Cerda præferunt *nostris id m. d.* contra consensum omnium MSS. Hisce enim non commovemur, inquit, primo quia non curamus de hoc sæculo sitne corpusculo nostro male an bene. secundo, quia magnum habemus solatium quod nobis bona conscientia præstat, vos esse in caussa tantæ Dei iræ, qui illum negligitis, non vero nos qui illum soli colimus et observamus, illique omnibus vestris hecatombis majorem et magis opimam offerimus hostiam, illam quam mandavit ipse, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu Sancto profectam, quæ fere Tertulliani verba sunt supra cap. XXX. tertio, quia magis in religionis nostræ divinitate confirmamur, cum videmus quotidie impleri illa quæ jam olim prædicta legimus. HAV.

C

(d) *Infructuosi in negotiis dicimur.* Itaque hinc est proculdubio, quod illustrem virum Flavium Clementem, Flavii Sabini, Imperatoris Vespasiani fratris, filium, *contemptissimæ inertiæ* vocet Suetonius Tranquillus, christianæ sectæ satis iniquus, ubi illum a Domitiano patruele occisum narrat in Domit. c. XV. quod recte monuit ibidem etiam Torrentius. Ethnico illi apud Minucium p. 8. *latebrosa et lucifugax natio, in publicum muta, in angulis garrula.* Rhen. hic et Cod. L. Bat. legunt. *infructuosi in negotio.* Fuld. vero *infructuosi negotiis.* quomodo fere infra cap. XLVI. *quod usui jam et de commercio innotuit.* Herald. Barr. Ald. Pam. La Cerda, etiam Rigalt. legunt *in negotiis.* Tacitus illis *odium humani generis* impingit XV. Annal. 44. Dicebantur vero infructuosi respectu ad nomen, D quo christiani id est fructuosi esse magis conveniebat. HAV.

(e) *Vobiscum degentes*, etc. Huc pertinent illa in lib. de Idololatr. c. XIV. *Licet convivere cum ethnicis, commori non licet. Convivamus communibus: conlætemur ex communione naturæ, non superstitionis. Paris animæ sumus, non disciplinæ: compossessores mundi, non erroris.* Et ibidem cap. XVI. *Circa officia vero privatarum et communium solemnitatum, ut togæ puræ, ut sponsalium, ut nuptialium, ut nominalium, nullum putem periculum observari de flatu idololatriæ quæ intervenit.* HAV.

(f) Brachmanæ. Theodoretus Gr. Aff. Cur. p. 172. Καὶ Βραχμᾶνας ἱστορεῖσιν ἔτεροι ἐν ταῖς ὕλαις διάγειν, φύλλοις τὸ σῶμα καλύπτοντας, id est: *Alii quoque narrant historici Brachmanas in silvis agere, corpus frondibus vestientes.* Ibi arborum pomis Plinius et Theophrastus victitasse docent, ex quorum descriptione patet,

Digitized by Google

gymnosophistæ sumus, sylvicolæ et (a) exules vitæ. Meminimus gratiam nos debere Deo Domino Creatori; (1) nullum fructum operum ejus repudiamus; plane temperamus, ne ultra modum aut perperam utamur. Itaque non sine foro, non sine macello, non sine balneis, tabernis, officinis, stabulis, nundinis vestris, cæterisque commerciis (b) cohabitamus in hoc sæculo. Navigamus et nos vobiscum et militamus, et rusticamur, et mercamur, proinde miscemus artes, operas nostras publicamus usui vestro. Quomodo infructuosi videamur negotiis ves- A tris, cum quibus et de quibus vivimus, non scio. Sed si (c) cæremonias tuas non frequento, attamen et illa die homo sum. Non lavo sub noctem (2) (d) Saturnalibus, ne et noctem et diem perdam; attamen lavo (e) et debita hora et salubri, (3) quæ mihi et calorem et sanguinem servet; rigere et pallere post lavacrum mortuus possum. Non in publico Liberalibus discumbo, quod bestiariis (f) supremam (4) cœnantibus mos est; attamen ubi ubi de copiis tuis cœno. (5) Non emo capiti coronam (g). Quid tua interest, emptis nihilominus floribus quomodo utar?

LECTIONES VARIANTES.

(1) Domino Deo creatori *Fran. Paris.*
(2) Non lavor diluculo *Fran.*
(3) Ita *cod. Fuld.; reliqui omnes:* Non lavor diluculo Sat. — lavo et honesta hora, etc.
(4) *Sic Riq. et Hav.;* al. suprema, al. sub primam.
(5) *In codd. Agob. et Lugd. post* cœno *interrogandi signum legitur; sed forte post* ubi *v. excludit* discumbo.

COMMENTARIUS.

fructum fuisse illum, quem appellamus *cocos nootem.* Theophrasti locum adducit Salmasius ad Solinum p. 210. ut emendet simul. Εστι δὲ καὶ ἕτερον δένδρον, καὶ τῷ μεγίθει μέγα, καὶ ἡδύκαρπον θαυμαστῶς, καὶ μεγαλόκαρπον, καὶ χρῶνται τροφῇ τῶν Ἰνδῶν οἱ σοφοὶ καὶ ἀπεχόμενοι, i. e. *Est est alia admirabili proceritate arbor magnos fructus eosque valde dulces proferens, victitant illis sapientes Indorum, qui communibus cibis abstinent.* ubi corrigit vir maximus οὐκ ἀμφεχόμενοι id est *non vestiti* sed illa correctione opus non est: οἱ ἀπεχόμενοι enim plane hoc loco illos significat, quos eodem sensu et simillimo vocabulo *naziræos* dicunt Hebræi, quorum vivendi modum cum ritu Gymnosophistarum in multis conveniebat. Hav.

(a) *Exules vitæ.* Elegantiam loci hujus corrumpit Junius perversa distinctione. Vocat enim Tertullianus illos *exules vitæ* perinde ut Deum illum otiosum Epicureum *neminem humanis rebus* dixit infra cap. XLVII. Ita Publio nostro impatiens brumæ ciconia vocatur, *avis exul hyemis* apud Petronium. et infantes illi a Psammetticho in secreto seorsum a commercio hominum enutriti describuntur ut *in totum exules vocis humanæ.* in lib. Tertull. ad Nat. I. 8. Hav.

(b) *Cæterisque commerciis.* Tolerabiliores igitur Christiani vel ipsis philosophorum sectis, quorum stultam tamen sapientiam non tolerabant tantum, sed et admirabantur. Lucianus notat illos in Demonacte, quem doctrina Socratem, frugalitate Diogenem referre dixit, sed humana non canina et ambitiosa, οὐ παραχαράττων, inquit, τὰ ἐς τὴν δίαιταν, ὡς θαυμάζοιτο etc. *Non tamen ambitiose adulterabat ea quæ ad victum pertinebant, admirationis popularis emerendæ gratia, utque ii quibuscum conversaretur in eum conjectos haberent oculos. Verum communi cum aliis vivendi ratione utebatur, ne tantillum quidem philosophico fastu infectus, et cum aliis junctam consuetudinem exercebat, et communibus reipublicæ legibus non gravatim parebat.* Hav.

(c) *Sed si cæremonias tuas non frequento.* Quarum quidem illas, quæ ad Idolorum cultum pertinebant, prorsus abnuebant Christiani. Ad martyras c. 11. *Non solemnes Nationum dies ipsa commixtione participias.* Et de Idololatria c. XIII. *De hoc quidem primo consistam, an cum ipsis quoque nationibus communicare in hujusmodi servus Dei debeat, sive habitu, sive victu, sive instructu, vel quo alio genere lætitiæ earum.* Ibi non agit de communibus negotiis quibus infructuosi non erant Christiani, ut patet ex principio hujus capitis, sed de illis quæ ad superstitiones pertinebant; nam sequitur paulo post: *Sunt quidam dies numerum, quæ apud alios honoris titulum, apud alios mercedis debitum expungunt. Nunc ergo, inquis, recipiam meum, vel rependam alienum: si hunc morem sibi homines de superstitione consecraverunt, tu extraneus ab omni eorum vanitate, quid participas idolothyta solemnia, quasi tibi quoque præscriptum sit de die,* B *quo minus id quod homini debes, vel tibi homine debetur, citra diei observationem tuas vel recipias.* Cod. Fuld. legit *etsi cæremonias.* Lugd. Bat. *sed sincerimonias,* quasi legi debeat *syncerimonias,* id est illas quas aliæ nationes vobiscum celebrant. Hav.

(d) *Non lavo sub noctem.* Legebat, la Cerda, *Non lavor sub noctem Saturnalib.* mense Decembri per quinque aut septem dies celebrabantur Saturnalia. Erat autem Gentilium superstitio, ut diem illum celebrari religiose crederent, si a diluculo inchoarent. Le Pr.

(e) *Attamen lavo.* Cum Saturnalia inciderent in tempus frigidissimum anni, fiebat ut necessario salus in periculum vocaretur, si multo mane fieret lotio. Inde commode post exercitationem adhibebatur lotio in balneo. Lac.

(f) *Bestiariis.* Notavit La Cerda Græcis hos dici παραβόλους id est *projectæ audaciæ.* Recte; nam et Apuleius loco quem citat Heraldus notat ut *perditæ securitatis.* Adde etiam apud Latinos dictos *parabolarios.* Julius Firmicus. lib. VIII. Matheseos. *Nati sub sidere caniculæ erunt venatores, arenarii, parabolarii, et qui sub conspectu populi in caveis cum feris pugnet.* Quem locum frustra sollicitat Broaldus in Notis ad Apuleium legendo *pyrobolarii.* Erat vero vox παραβάλλειν in usu de esca bestiis objecta, prout exemplis adductis confirmat Henr. Stephanus, et apud Athenæum παραβληθεὶς ζώοις est *objectus bestiis.* Idem Stephanus παραβάλλεσθαι exponit, *projecta audacia adire periculum.* Homerus Iliad. I.

Ἀεὶ ἐμὴν ψυχὴν παραβαλλόμενος πολεμίζειν.

id est *semper animam meam projiciens ad pugnandum.* Hinc illustrari potest phrasis Hebræorum *animam suam in manu sua ponere* I. Sam. XXVIII. 21. ubi maga periculum vitæ suæ se adisse præsentissimum confitetur. confer versum 9. Et bene significationis hujus originem in voce παράβολος inde deducit Lexicographus, quod qui eminente et projecta quadam audacia facinus aliquod aggreditur, is perinde facere videatur, ac si quis ultra metas omnes jaculetur. Cujus significationis vis pariter est in παραπίπτειν apud Polybium lib. II. c. 13. ubi de Philopœmene narratur quod viderit mercenarios suos fugere et hostem nimis avidum prælii locum superasse, adeo ut iis desertus appareret, quod certe erat temerarium maxime. Verba ejus sunt: ἅμα τὸ παραπεσεῖν τοὺς διώκοντας καὶ τὸν τόπον γενέσθαι ἔρημον. Quod idem verbum cum unice in N. T. Hebr. VI. 6. occurrat, inde etiam significationem suam mutuari debet, ut significet projectam illam Judæorum audaciam, qui Jesum, Messiam, Evangelii bonitatem, et regni Dei in mundo admirabilem progressum videntes, agnoscentesque, tamen ad pravas suas et carnales opiniones relabuntur. Hav.

(g) *Capiti coronam.* Quod argumentum fuse tractat in libello quem inscripsit De Corona Militis. Vide

Digitized by Google

puto gratius (*a*) (esse) (1) liberis et solutis et undique vagis; sed etsi in coronam coactis, nos coronam naribus novimus, viderint qui per capillum odorantur. (*b*) Spectaculis non convenimus; quæ tamen apud illos cœtus venditantur (*c*) si desideravero, libentius de suis locis sumam. (2) (3) Thura plane non emimus; si Arabiæ queruntur (*d*), scient (3) Sabæi pluris et carioris suas merces christianis sepeliendis profligari (*e*), quam diis fumigandis. Certe, inquitis, templorum vectigalia quotidie decoquunt, stipes quotusquisque jam jactat (*f*). Non (enim) sufficimus et hominibus et diis vestris mendicantibus opem ferre, nec putamus aliis quam petentibus impertiendum. Denique porrigat manum Jupiter et accipiat (*g*), cum interim plus nostra misericordia insumit vicatim, quam vestra religio templatim. Sed cætera vectigalia gratias Christianis agent ex fide dependentibus debitum, qua alieno fraudando abstinemus, ut, si ineatur quantum publico (4) pereat fraude et mendacio vestrarum pro-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Esse *abest cod. Fuld. Big. Haverc.*
(2) *Cod. Fuld. et Lugd., Rhen. et Pomel. liberius. Cod. Fuld.* de suis de propriis locis sumam, *in qua script. interpretis vestigia satis sunt aperta; al.* sumere, *al.* sumantur, *al.* sumatur, *al.* sumo.
(3) Sciant *Fran. Paris.*
(4) *Cod. Fuld. et Hav.* publico; *cæteri:* vectigalibus.

COMMENTARIUS.

etiam interpretes Minucianos, et Sirmondum ad Sidon. lib. I. epist. 1. et Joach. Jo. Maderum de coronis, qui exstat in tom. VIII. Ant. Rom. Grævii. Alios christianorum flores et coronam ex iis suaviorem agnoscit Nazianz. Orat. II. In Julian. Ἔχω καὶ ἄνθη, inquit, πάντων ἐαρῶν εὐκαθέστερα τε καὶ μονιμώτερα, etc. i. e. *Flores quoque habeo, vernis omnibus floridiores et fragrantiores, agri illius pleni, quo Dominus sacris et suaviter olentibus pastoribus et doctoribus, purisque et eximiis plebeii ordinis hominibus benedixit. His coronari ac triumphare cupio, postquam bonum certamen certavero.* Hav.

(*a*) *Puto gratius liberis.* Sic ex Fuld. Rigalt. Alii *gratius esse.* Nolo itaque ingratam molem capiti imponere, inquit. Fuisse enim has corollas satis aliquando grandes et ponderosas docet Lucretius lib. III.

Et inumbrant ora coronis.

et Horat. lib. I. Carm. IV.

Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto,
Aut flore, terræ quem ferunt solutæ. Hav.

(*b*) *Qui per capillum odorantur.* Diogenes Laertius de Diogene Cynico: τῷ μύρῳ τοὺς πόδας ἀλειψάμενος ἔρῃ ἀπὸ μὲν τῆς κεφαλῆς εἰς τὸν ἀέρα ἀπιέναι τὸ μύρον, ἀπὸ δὲ τῶν ποδῶν εἰς τὴν ἔτρηνιν. i. e. *Unguento inungens pedes, dixit, a capite quidem in aerem adscendere unguentum, sed a pedibus in olfactum.* Hav.

(*c*) *Apud illos cœtus venditantur.* Hinc patet nundinatores illuc loci confluere solitos, quod maxime est proprium, quia maxima hominum turba illis captatur. Hanc occasionem negligere Christianos querebantur Gentiles, cum tamen nullum ipsis inde detrimentum, cum necessaria vitæ ex solitis officinis et tabernis peti possent. Hav.

(*d*) *Si Arabiæ queruntur.* Quæ queri non poterant, nam et thure Christiani utebantur, ubi res exigeret. De Corona Militis cap. X. *et si me odor alicujus loci offenderit, Arabiæ aliquid incendo, sed non eodem ritu, nec eodem habitu, nec eodem apparatu, quo agitur apud idola.* Hav.

(*e*) *Christianis sepeliendis.* Hi enim quo certam suam de resurrectione spem testarentur, quæ collatione sementis in terram projecti ibique computrescentis illustratur a Paulo I. Corinth. 15. noluerunt funera sua cremari: illamque funerum curam inter causas incrementi istius sectæ enumerat Julianus Imperator Epist. XLIX. Imo etiam aromatibus condierunt, quod hinc patere potest, de quo post La Cerdam ex illo et aliis more suo multa corrasit Ouzelius ad Minucium p. 63. De medicato funere ex professo agunt Petrus Bellonius lib. II. Obs. c. XLVII. et in tribus libris de Admirabili Oper. Antiq. Præstantia, qui inveniuntur tom. VIII. Thesauri Gronoviani. Item Athanasius Kircherius in Œdipo. Josephus Lauzonus de Pollinctura et Balsamatione apud veteres, et alii. Hav.

(*f*) *Stipes quotusquisque jam jactat.* Prudentius lib. II. in Symm. versu 909.

Ultima legati defleta dolore querela est:
Palladiis quod farra focis, vel quod stipis ipsis
Virginibus, castisque choris alimenta negentur:
Vestales solitis fraudentur sumptibus ignes.

Vide quæ supra observabamus cap. XIII. ad illa: *circuit cauponas religio mendicans.* Solebant præterea et aliis diis aliaque occasione stipes dari. Sic cum deposita prætexta virilem togam sumerent Romani, divæ Juventæ in æde ejus pro felici incremento solvebatur nummus argenteus, ut testatur Dionysius Halicarnass., lib. IV. Magistris suis Minervæ, hoc nomine quasi deæ consecratam stipem, dabant discipuli, quod improbat Noster de Idolatria c. X. *Ipsam primam novi discipuli stipem Minervæ et honori et nomini consecrat, ut etsi non prophanatus alicui idolo, verbo tenus de Idolothyto esse dicatur, pro idololatra vitetur.* Hav.

(*g*) *Porrigat manum Jupiter*) Cavam scilicet, ut mendici solent. Balsamo in Photii Nomocanonem: Τοῦ αἰτοῦντος καὶ λαμβάνοντος ἔγγυς ἵσταται ὁ Χριστὸς, συγκαλινων τοὺτῳ τὴν χεῖρα. i. e. *Petenti accipientique proxime adstat Christus, cum illo cavam manum porrigens.* De quo more omnino inspicienda est doctissimi Casauboni nota ad Suetonii c. XCI. ubi narratur Augustus ne Nemesin nimia fortuna irritaret, *ex nocturno visu stipem quotannis die certo emendicasse a populo, cavam manum asses porrigentibus præbens.* Ubi idem vir doctus multis probat rapacitatis et avaritiæ hanc notam fuisse, cum honestiores cavato sinu pecunias exciperent. Sic extensa chlamyde vel veste donativum congiarium non manu excipientes belle repræsentant nummi Titi Vespasiani, Domitiani et aliorum. Eadem facies est nummi Hadriani cum inscriptione LOCUPLETATORI ORBIS TERRARUM. Lepidam quoque de Vespasiano historiam in vita ejus cap. XXIII. narrat Suetonius: *Nuntiantibus legatis, decretam ei publice non mediocris summæ statuam colosseam: jussit ut continuo ponerent, cavam manum ostentans, et paratam basim dicens.* Scribit hinc Seneca ad Lucilium suum in præfat. ad lib. VI. Nat. Quæst. *Adjice nunc invictum muneribus animum, et in tanto avaritiæ certamine nunquam suppositam manum lucro.* Taxatque amicæ avaritiam Tibullus:

Illa cava pretium flagitat usque manu.

Negabantque Diogenes apud Laertium δεῖν τὰς χεῖρας ἐπὶ τοὺς φίλους ἐκτείνειν συγκεκαμμένοις τοῖς δακτύλοις. i. e. *manus ad amicos digitis extendi debere incurvatis.* Graphice vero Jovem ipsum et deos suos ita descripsit Aristophanes, ubi negat quidquam dare se velle Phidolus, aut in medium conferre, cum accipere tantum sit consuetus. In Concionatricib.

Καὶ γὰρ οἱ θεοί,
Γνώσει δ' ἀπὸ τῶν χειρῶν τε καὶ ἀγαλμάτων,

Digitized by Google

fessionum, facile ratio haberi possit, unius speciei querela (1) (*a*) compensata pro commodo cæterarum rationum. (2)

CAPUT XLIII.

Qui tamen vere de illis conqueri possunt, esse lenones, perductores, sicarios, venenarios, magos, similesque, quibus infructuosos esse magnus sit fructus. Sed et hoc damnum meliori lucro permutari: cum et ab illis dæmonia excutiant, et pro illis Deum venerentur, nullisque, ut tales, rebus novis in exitium Reipublicæ studeant.

43. Plane confitebor, quinam, si forte, vere de sterilitate Christianorum conqueri possint. (3) Primi erunt lenones, perductores, aquarioli (4 *b*), tum sicarii, venenarii, magi, item harioli (*c*), haruspices, mathematici. His infructuosos esse magnus fructus est. Et tamen quodcumque dispendium est rei vestræ per hanc sectam, cum aliquo utique præsidio (*d*) compensari potest. Quanti habetis, non dico qui jam de vobis dæmonia excutiant, non dico jam qui pro vobis quoque vero Deo preces sternant, quia forte non creditis (4), sed a quibus nihil timere possitis.

CAPUT XLIV.

Recogitandum itaque merito, quantum Respublica capiat detrimentum ex cæde tot hominum, et innocentium et bene meritorum: id patere posse ex quotidianis custodiarum actis et elogiis; neminem illic inter tot nocentes maleficum simul et christianum inveniri.

44. At enim illud detrimentum reipublicæ, tam grande quam verum, nemo circumspicit, illam injuriam civitatis nullus expendit, quum tot justi impendimur (*e*), quum tot innocentes erogamur. Vestros enim jam contestamur actus, qui quotidie iudicandis custodiis præsidetis, qui sententiis elogia dispungitis (*f*). Tot (5) a vobis nocentes variis criminum elogiis recensentur; quis illic sicarius, quis manticucularius (*g*), quis sacrilegus (*h*), aut corruptor (*i*), aut lavantium prædo (*j*), idem etiam christianus adscribitur? aut cum christiani suo titulo offeruntur,

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Cod. Fuld.* compensatio pro cæterarum rationum securitate.

(2) *Sic locum auctoritate codd. restituit Heraldus; olim leg.* Plane confitebor qui conquerentur. Nam si qui forte — possint (*al.* possunt, *al.* possent).

(3) *Cod. Fuld.* harioli, *Lugd.* egarioli, *cod. Scriv.* mœcharioli.

(4) *Vv.* quia forte non creditis, *desunt in cod. Fuld. delerique Rig. in ed. sua.*

(5) Quot *cod. Fuld.*

COMMENTARIUS.

Ὅταν γὰρ εὐχώμεθα διδόναι τἀγαθά,
Ἔσχηκεν ἐκτείνοντα τὴν χεῖρ' ὑπτίαν,
Οὐχ ὡς τι δώσοντ', ἀλλ' ὅπως τι λήψεται.

i. e. *Quippe ita et Dii faciunt. Quod disci potest vel ex manibus simulacrorum: nam cum precamur ut bona nobis elargiantur, stant illa porrigentes manum supinam, non quasi datura quidquam, sed ut accipiant.* Hav.

(a) *Unius speciei querela compensata pro commodo. c. v.* Sensus est tantam esse fidem Christianorum in solvendis illis quæ justa et vectigalium publicorum et reipublicæ nomine imponuntur, ut exiguum damnum quod templorum vectigalia ab illis non cultoribus suis capiunt, facile contemni debeat, illis ipsis qui de hoc christianorum crimine conqueruntur, quotidie multo plura sacrilegia committentibus, cum omnibus modis vectigalia publica defraudare lucro habent. Fuld. Codex hic legit *unius speciei querela compensatio pro cæterarum rationum securitate.* Voces *unius speciei* in L. B. non comparent. Hav.

(b) *Aquarioli.* Lenonum famuli ex Festo dicebantur aquarii, nomen adepti ab aqua petenda ad balneum necessaria. Aquarioli autem ut annotavit Turnebus advers. lib. 4. cap. 12. per diminutionem ad contemptum, tanquam omnium vilissimi dicuntur. Pam.

(c) *Harioli.* Dicti vel a *fatis* et *fando*, quasi Farioli, vel ab *halando*: Nam halitu solent mortalem animam excludere sive exhalare, ut divinam recipiant, unde et vocem, ut notat Donatus ad Terentii Phormionem, ejusmodi dabant, quæ est OE, qui sonus exhalandi vim præstat. Notabis autem in viris hoc esse nomen sive hariolos sive fanaticos voces; in fœminis autem *veratrices*, quod divinandi scientia vere profiteantur. Lac.

(d) *Cum aliquo utique præsidio. Præsidium* hic significat lucrum, bona, peculium. Auctor Queroli, qui nonnullis Plauti editionibus adjungi solet. *Ergone manibus meis præsidium paternum, ut efferrent de domo?* Ibid. *Fures mihi ac prædones cui bono? ut si quid tibi spei aut præsidii est, totum conferant.* Rursus: *Præsidium abstulisti, et cineres abdidisti.* Et apud inferioris ævi scriptores passim. Hav.

(e) *Tot justi impendimur.* Est metaphora sumpta ab expensis rei domesticæ. Loquitur sic in lib. De Spectaculis c. XIX. *ut tam creduliter impendantur.* Rursus de Idolol. c. VI. *nec anima pecudis impensa, sed anima tua.* Vitiose in editionibus Rigalt. Prioranis typographi posuerunt *impedimur.* Hav.

(f) *Qui sententiis elogia dispungitis.* Vinctorum singulorum nomina, ætas, forma, crimen (quæ omnia *elogia* vocabantur) judicibus in tabellis exarata offerebantur: quando illi pro cujusque elogio pœnam ejus temperabant. Hinc cum aliquando Caio Caligulæ oblata custodiarum elogia primum in ista serie ultimumque calvos notassent, stultus ille Princeps in re maxime seria, ubi nulla longa nimis poterat esse deliberatio, jocatus, *nullius inspecto elogio, stans, tantummodo intra porticum mediam, a calvo ad calvum duci imperavit.* Suetonius in vita ejus, cap. XXVII. Hav.

(g) *Manticularius.* Vocis significatio ex Festo nota est, ut significet furem qui bulgas scrutetur. Sed etiam Glossæ Lat. Gr. *manticam* exponunt πήραν. unde monachi illi qui pera instructi ambulabant, appellabantur *manticulati.* Matthæus Paris. qui vixit anno 1248. *ut peregrinaret ille monachus manticulatus.* Hav.

(h) *Sacrilegus.* Qui templorum spoliat ornamenta et donaria, unde illa custodiis sepiebantur. Supra cap. XXIX. Hav.

(i) *Corruptor.* Quomodo vox hæc intelligi debeat patet c. XLVII. *Lego partem sententiæ Atticæ in Socratem: Corruptor adolescentium pronuntiatur.* Hav.

(j) *Lavantium prædo.* Quorum sæpe mentio apud veteres. Plautus Rudente Act. II. Scena III. 51.

Qui it lavatum
In balneas, ibi cum sedulo sua vestimenta servat,
Tamen surripiuntur: quippe qui quem illorum observet falsus est:
Fur facile, quem observet, videt: custos, qui fur sit, nescit.

Apuleius As. Aur. lib. IX. *Enim vero vos bonæ frugi latrones inter furta parva atque servilia, timidicule per*

Digitized by Google

quis ex illis etiam talis, quales tot nocentes? De vestris semper æstuat (*a*) carcer, de vestris semper metalla suspirant (*b*), de vestris semper bestiæ saginantur (*c*), de vestris semper munerarii noxiorum greges pascunt (*d*). Nemo illic christianus, nisi hoc tantum (1), aut si et aliud, jam non christianus (*e*).

CAP. XLV.

Quorum quidem innocentia, non ex timore hominis, sed ex reverentia Dei provenire, cujus dictatione perfectissimas leges nacti, didicerint omni malo, vel a prima origine, occurrere, sanctos se et inviolatos Deo judici reservantes.

45. Nos ergo soli innocentes. Quid mirum, si necesse est? Enimvero necesse est. Innocentiam a Deo edocti, et perfecte eam novimus ut a perfecto magistro revelatam, et fideliter custodimus, ut (2) ab incon-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Nisi plane tantum christianus. *Fran. Paris.*

(2) *Ita cod. Agob., Pam., Jun., Rig., Hav. Sed cod. Fuld.* ab intemtibili deo doctore præceptam. *Barræus:* ab incomptibili dispensatore mandatam. *Aldus:* ut ab inconceptibili dispensatore mandatum. *Rhen. et Herald.:* ab incontemtibili dispensatore mandatam.

COMMENTARIUS.

balneas et aniles cellulas reptantes scrutariam facitis. Catullus Ep. XXX.

O furum optime balneariorum,
Vibenni pater, et cinæde fili.

Diogenes Cynicus apud Laertium: τῶν ἱματιοκλέπτην ἐν τῷ βαλανείῳ, ἐπ' ἀλειμμάτιον ἢ ἐπ' ἄλλο ἱμάτιον; id est: *videns vestimentorum furem in balneis, Num inquit ad unguentulum, an vero ad aliud vestimentum?* Noster de Idol. c. V. *Credo et fures balnearios manibus suis vivere.* et De Fuga in Persec. cap. XIII. *inter tabernarios et lanios et fures balnearum et aleones et lenones.* Gloss. *Fur balnearius.* βαλανοκλέπτης. Et huc forsan illud Aristophanis spectat in Ranis Act. IV. Sc. II.

κἀκβάς, τινὰ λωποδυτῆσαι.

i. e. *et egressus aliquem vestitu spoliare.* Quomodo apud Petronium inducitur *juvenis nudus, qui vestimenta perdiderat.* Pretiosioremque ornatum depretiat etiam inde Chrysostomus De Virginitate, quoniam *et in balneis præsto sint et in templis mulieres, quæ illum furentur.* Cogebantur itaque lautiores secum adducere servulos, qui servarent vestes, Martialis. XII. 70.

Lintea ferret pro variis cum vernula nuper,
Et supra togulam lusca sederet anus.

Ovidius lib. III. de Arte Amandi versu 539.

Cum, custode foris tunicam servante puellæ,
Certent furtivos balnea multa jocos.

Quibus væ miseris, minus sedulo si custodientibus aliquid esset ablatum. Hinc servus ille Petronianus cap. XXX. *Dispoliatus procubuit ante pedes, et rogare cœpit ut se pœnæ eriperemus: nec magnum esse peccatum suum propter quod periclitaretur. Subducta enim vestimenta sibi dispensatoris in balneo, vix fuissent* X. HS. ubi adde notam Wouwerii. Deponebantur hæ vestes in apodyterio, furtumque capite puniebatur, ut constat ex libris JCtorum. Rationem dat Aristoteles, cujus locum, quoniam leviter tantum indicat Junius, non gravabor integrum adscribere. Is in Problem. Sectione XXIX. num. 14. in hunc modum disserit. Διὰ τί ποτε ἐὰν μέν τις ἐκ βαλανείου κλέψῃ etc. i. e. *Cur qui ex balneis furatus est, aut ex palæstra, aut ex foro, aut aliquo ejusmodi loco, morte mulctatur: qui autem ex domo privata, furti pretium duplum persolvit?* Et respondet: ἢ ὅτι ἐν μὲν ταῖς οἰκίαις, φυλάξαι etc. i. e. *An quia in domibus rem custodire melius possumus? nam et paries firmus et clavis est, et familiaribus res domesticæ curæ omnibus sunt, ut tuto serventur. At in balneis, cæterisque publicis locis facilis cuique facinoris perpetratio est: nil enim ad custodiam satis, qui sua posuerit, habet præter oculos. Itaque facultas datur furandi, etiam si aspectum paulisper devertit. Quam ob rem legislator ratus sua ipsos custodire satis non posse, legem adhibuit, minitantem acerrime, vitam futuram nemini, qui furtum publicis locis commiscrit.* Pergit deinde: ἔτι δὲ εἰς μὲν τὴν οἰκίαν, etc. i. e. *Item in domo penes dominum ipsum est, quem velit recipere, et cui minus credat, cavere. At ei qui in balneis quicquam posuit, prohibere neminem licet, nec ingredi, nec ingressum vestem suam ibi deponere, unde subrepturus sit, sed prout libitum est, eodem in loco subrepturi et amissuri amicula promiscue jacent.* Unde recte concludit gravissimam esse pœnam debere quæ manus furaces illo in loco coerceat. Hav.

(a) *Semper æstuat carcer.* Ex nostro Minucius p. 40. *denique de vestro numero semper carcer exæstuat.* Tertull. Ad Mart. cap. I. *Domus quidem Diaboli est et carcer, in qua familiam suam continet.* Et ibidem c. II. dicit *expirat*, quod hic *æstuat. Triste illic expirat, sed vos odor estis suavitatis.* Nota hic electa in singulis verba et summam Auctoris curam. Hav.

(b) *Metalla suspirant.* Admodum proprie loquitur. gravis enim iste labor, et ubi præ lassitudine crebra ducuntur suspiria. Describitur pœna ista a Plauto Pœnul. IV. II. 8. Captiv. III. V. 65. et præsertim V. IV. 1.

Vidi ego multa sæpe picta, quæ Acherunti fierent
Cruciamenta; verum enimvero nulla adæque est Acherunis,
Atque ubi ego fui in lapidicinis. Illic ibi demum est locus
Ubi labore lassitudo omni 'st exigunda ex corpore.

Et sic agricolas duro labore fatigatos etiam *suspirare* facit Lucretius, cujus sunt versus lib. II. 1165.

Jamque caput quassans grandis suspirat arator
Crebrius incassum magnum cecidisse laborem. Hav.

(c) *Bestiæ saginantur.* Pro *semper* Fuld. habet *etiam* prave. Loquitur de illis qui ob delicta bestiis vel objiciebantur, vel cum illis pugnare jubebantur. Insignis crudelitas Caligulæ et inhumanitas notatur a Suetonio lib. IV. c. 27. *Cùm ad saginam ferarum muneri præparatarum carius pecudes compararentur, ex noxiis taniandos annotavit.* Sed christiani etiam ad metalla damnati, bestiis objecti. Respondeo, non semper, habuerunt enim sæpius pacem sub Imperatoribus. Non eo elogio, etiam objecti, quo sicarii, manticularii et similes. Hav.

(d) *De vestris semper munerarii noxiorum greges pascunt. De vestris*, quos supra dixit sacrilegos. Hinc Quintilianus in Gladiatore: *Morabar inter sacrilegos, incendiarios, et qua gladiatoribus una laus est, homicidas.* Dixit *greges*, quoniam dementia editorum aliquando aliquod millia parium producebat. Huic loco illustrando maxime inserviunt illa Plutarchi in Crasso, ubi Spartacum gladiatorem, qui gravissimum illud bellum Romanis excitavit, cum sociis effregisse ludum Lentulli narrat. Verba ejus sunt, Λέντυλου τινες Βατιάτου μονομάχους ἐν Καπυῃ τρέφοντος etc. i. e. *Lentulus quidam, cognomento Batiatus, magnam gladiatorum familiam Capuæ nutriebat, quorum maxima pars ex Galatia et Thracia erant oriundi, non ob aliquod perpetratum ab ipsis scelus, sed tantum propter emptoris impietatem necessario gladiatoriam exercere coacti.* Hav.

(e) *Jam non christianus.* Sic Ald. et Fuld. et Agobard. Rigaltiusque. Alii transponunt *non jam.* Infra cap. XLVI. *Sed dicet aliquis, etiam de nostris excedere quosdam a regula disciplinæ: desinunt tum christiani haberi penes nos.* Minucius p. 40. *Christia-*

Digitized by Google

temptibili dispectore mandatam. Vobis autem humana æstimatio (1) innocentiam tradidit, humana item damnatio imperavit; inde nec plenæ nec adeo timendæ estis disciplinæ ad innocentiæ veritatem. Quanta est prudentia hominis ad demonstrandum quid vere bonum (2)? quanta auctoritas ad exigendum? tam illa falli facilis, quam ista contemni. Atque adeo quid plenius dictum est : non occides, an vero : ne irascaris quidem? Quid perfectius prohibere adulterium, an etiam ab oculorum solitaria concupiscentia arcere? Quid eruditius (*a*) de maleficio, an et de maleloquio interdicere? Quid instructius, injuriam non permittere, an nec vicem injuriæ sinere (*b*)? dum tamen sciatis ipsas quoque leges vestras, quæ videntur ad innocentiam pergere, de divina lege ut antiquiore formam (3) mutuatas. Diximus jam de Mosis ætate. Sed quanta auctoritas legum humanarum, quum illas et (4) evadere homini contingat, et plerumque in admissis delitescere (5), et aliquando contemnere ex voluntate (6) vel necessitate delinquendi (*c*), recogitata etiam (7) brevitate supplicii cujuslibet, non tamen ultra mortem remansuri? Sic A et Epicurus (*d*) omnem cruciatum (*e*) doloremque depretiat, modicum quidem contemptibilem pronuntiando, magnum vero non diuturnum. Enimvero nos qui sub Deo omnium speculatore dispungimur, quique æternam ab eo pœnam providemus, merito soli innocentiæ occurrimus, et pro scientiæ plenitudine, et pro latebrarum difficultate, et pro magnitudine cruciatus, non diuturni, verum sempiterni, eum timentes, quem timere debebit et ipse qui timentes judicat, Deum, non proconsulem timentes.

CAPUT XLVI.

Occurrit porro illis, qui non de Deo Christianos sapere, sed ut Philosophiæ genus, fidem et spem illorum æstiment, paria in utrisque virtutum genera ponderantes : quibus ostendit, quantum nomen illud philosophorum infra christianum subsidat, dum illi inveniantur veritatis ignari et omnium scelerum rei, hi Deum intelligunt, et ab omni malitia, vel ipsis stupentibus inimicis, quam longissime sint remoti.

46. Constitimus (*f*), ut opinor, adversus omnium criminum intentionem (8), quæ Christianorum sanguinem flagitat. Ostendimus totum statum nostrum, et

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Cod. Fuld.* humana doctrina ; *in sq. Rhen. et Ald.* hum. damnatio.
(2) Tanta e. p. h. a. d. qui vere bonum *Fran. Paris.*
(3) Antiquiore ferme. *Ald.* ut antiquiore forma *Rhenan.* ut antiquioris formæ *Fran.* ut antiquiores formas *MS. Ludg.*
(4) Illas etsi *Fran.* illas etiam *Jun.*
(5) Delitesceret *Fran.* delitescenti. *Seml.*
(6) Involuntate. *Seml.*
(7) Pro *addit. Seml.*
(8) Intentationem *Seml.*

COMMENTARIUS.

nus ibi nullus, nisi aut reus suæ religionis, aut profugus. Scribi debet per hyphen, ut cap. II. *iterum-christianus.* quomodo etiam *tantum christianus.* Hav.

(a) *Quid eruditius?* Non satis ille eruditur ad virtutem, cui tantum interdicitur maleficium, nisi interdicatur maleloquium. Clarius : Rudis adhuc in virtute erit, qui tantum abstinet a maleficio : nam debet etiam a maleloquio. Similiter expende sequentia : ut quis instructus sit in virtute, non solum ei abstinendum est ab injuria, sed ab umbra quidem injuriæ, et ab re omni quæ habeat vicissitudinem injuriæ. Lac.

(b) *An nec vicem injuriæ.* Hoc est, injuriam non inferre, sed nec referre. Sic libro adversus Marcionem II. *Vicem prohibet Deus.* et lib. 4. *Christus etiam vicem injuriæ cohibet.* Rig. — *Vicem injuriæ sinere.* Elegantissime loquitur ita pro injuriam rependere. Virgilius II. Æneid. versu 432.

> Testor, in occasu vestro, nec tela nec ullas
> Vitavisse vices Danaum.

ubi nugatur Servius. *vices* enim quas se non vitavisse jurat, non sunt pugnandi vicissitudines, ut ipse explicat, sed vulnera et cædes, quas sicut ipse Danais inflixerat ita si fata fuissent ut caderet, ipse etiam perpeti pugnando non recusaverat. Hav.

(c) *Contemnere ex involuntate vel necessitate delinquendi.* Ego Rigaltium sequor et explico humanarum legum præ divinis nullam esse auctoritatem, quod tripliciter ostenditur; primo, quia pœnam sæpe datur evadere ; secundo, quia lex sæpe illum non videt, adeoque scelus ejus in abdito est ; tertio, quia contemnitur aliquando vis illarum, dum prætexitur peccatum involuntarium ei ad quod vi et necessitate sunt coacti. Quod in divinis longe aliter se habet. Et hisce jam quarto addet supplicii brevitatem mortemque adeo timendam, cum in divinis se in immensum ævum pœna extendat. Adde Rigaltium, qui illustrat exemplis. Hav. — *Ex involuntate vel necessitate delinquenti.* Involuntate, hoc est, Casu. Cujus delicti exemplum proponit Marcianus, l. XI. De pœnis : cum in venando telum in feram missum, hominem interfecit; necessitate, cum aliter vitam suam tueri non posset. Fingamus igitur Sempronium in venando telum in feram misisse : eo telo, non feram, sed inimicum forte transeuntem interfecisse. Gaudebit Sempronius de prospero sibi errore ; quod eo casu vitam inimico suo ademerit impune. Sed impune quidem, apud Cæsarem, non apud Christum. Etenim ictum, initio ac destinatione involuntarium, acceptatione aut ratihabitione sua voluntarium fecit. Idem erit dicendum, si Titius furiosum, cujus ante furorem testamento hæres scriptus fuerat, irruentem in se, cum aliter vitam suam tueri non posset, interfecit. Gaudebit in sinu suo quod testatori mutandæ per intervalla dilucida voluntatis facultatem sustulerit, eoque gaudio apud Christum volens occidit, quem nolens et necessitate coactus interfecisse videtur apud Cæsarem, cognitione Christi potentiore ac perfectiore multo quam Cæsaris. Rig.

(d) *Sic et Epicurus.* Cujus sententiam luculentissimis versibus describens Lucretius errorem ejus magnitudine ingenii sui adauxit et multiplicavit, præsertim lib. III. qui caute et præmunito pectore est legendus. Ibi :

> Scire licet nobis nihil esse in morte timendum,
> Nec miserum fieri, qui non est, posse, neque hilum
> Differre, an nullo fuerit jam tempore natus,
> Mortalem vitam mors qui immortalis ademit. Hav.

(e) *Cruciatum doloremque depretiat.* Vox ista auream latinitatem non sapit, videtur ex usu et more Tertuliani usurpata, hac utitur adhuc lib. 4. adv. Marcionem. Usi sunt etiam Sidonius Apollinaris in Burgo, *depretiata suas turpant pigmenta figuras.* item epist. 10. lib. 2. et Symmachus epist. 41. lib. 8. Le rn.

(f) *Constitimus ut opinor.* Arte militari deductum, ubi firmiter stantes, locum quem ceperant tuebantur.

Digitized by Google

quibus modis probare possimus ita esse, sicut ostendimus, ex fide scilicet et antiquitate divinarum litterarum, item ex confessione spiritualium (1) potestatum. Quis nos (2) revincere audebit, non arte verborum, sed eadem forma, qua probationem constituimus de veritate? (3) Sed dum unicuique manifestatur veritas nostra, interim incredulitas, dum de bono sectæ hujus obducitur, quod usui jam (4) et de commercio innotuit, non utique divinum negotium existimat, sed magis philosophiæ genus. Eadem, inquit, et philosophi monent et profitentur: innocentiam, justitiam, patientiam, sobrietatem, pudicitiam. Cur A ergo quibus comparamur de disciplina, proinde illis non adæquamur ad licentiam impunitatemque disciplinæ? vel cur et illi ut pares nostri non urgentur ad officia, quæ nos non obeuntes periclitamur (5)? Quis enim philosophum sacrificare, aut dejerare, aut lucernas meridie vanas (*a*) prostituere compellit? (6) Quin imo et deos vestros palam destruunt (*b*), et superstitiones vestras commentariis quoque accusant, laudantibus vobis. Plerique etiam in principes latrant (*c*) sustinentibus vobis. Et facilius statuis et salariis (7 *d*) remunerantur, quam ad bestias pronuntiantur. Sed merito; philosophi enim non christiani

LECTIONES VARIANTES.

(1) Spiritalium *Rig.*
(2) Existat qui nos *Cod. Fuld. Haverc.*
(3) *Cod. Fuld. et Hav.* : Existat qui nos revincere audebit; non de veritate audebit reniti, *quam scripturam et* B *Rig. probavit ejecta voce* existat. *In sqq. delevit idem vv.* dum u. in. v. nostra.
(4) Usu jam *Rig.*
(5) *Cod. Fuld.* non proinde adæquamur diligentia et immunitate disciplinæ? vel cur et illud pares nostri non urgentur, etc.
(6) Proferre *Fran. Paris.*
(7) Salutariis *Franeq.*

COMMENTARIUS.

Sic supra cap. IV. notavimus Nostrum sæpius uti formulis inde desumptis, ibique hujus verbi usum docuimus. Barr. et MS. L. B. *constituimus.* non probo. sed cum Fuld. et reliquis scribo *constitimus.* Affine est illud De Spectac. cap. XIII. *Satis, opinor, implevimus ordinem, quos et quibus modis* etc. Hav.

(a) *Lucernas meridie vanas.* Respicit ad illud quod dixit cap. XXXV. *nec lucernis diem infringimus,* ne quis Diogenis factum imitari putet, de quo Adv. Marc. lib. 1. c. 1. *Nam illa canicula Diogenes hominem invenire cupiebat, lucernam meridie circumferens.* Hav.

(b) *Deos vestros palam destruunt.* Quod cum in omnibus opusculis intendat Lucianus, tum præsertim in Jove Tragœdo. Ast ille totus ex irrisione factus. C Quid veteres philosophi? De Speusippo in lib. de Nat. Deorum 1. Cicero: *Censuit vim quamdam esse, qua omnia regantur, eamque animalem, volens evellere ex animis cognitionem Deorum.* Sed quid ipse Cicero de diis suis censuerit optime patet ex censore ejus Lactantio. Is lib II. Div. Inst. c. 3. *Intelligebat Cicero falsa esse, quæ homines adorarent. Nam cum multa dixisset, quæ ad eversionem religionum valerent, ait tamen, non esse illa vulgo disputanda, ne susceptas publice religiones disputatio talis extinguat.* Hav.

(c) *In principes latrant.* Quod gloriosum sibi imprimis Cynici putabant. Transeuntem Neronem clara voce corripuit Isidorus Cynicus, *Quod,* ut narrat Suetón. lib. VI. *Nauplii mala bene cantitaret, sua bona male disponeret.* Callisthenem liberæ nimis linguæ fati sui olim admonuerat Aristoteles apud Laertium:

Ἀκύμορος δή μοι τέκος ἔσσαι, εἰ ἀγορεύεις.

i. e. *Qualia mi loqueris, vereor sis, nate, superstes.* Nec D Anaxarcho impune cessit asper spiritus, qui egregio convivio ab Alexandro exceptus et de cœna interrogatus, respondisse fertur: Πάντα πολυτελῶς. ἔδει δὲ λοιπὸν κεφαλὴν σατράπου τινὸς παρατεθεῖσθαι. ἀποβέβαστων πρὸς τὸν Νικοκρέοντα. i. e. *magnifice cuncta. Verum oportere jam caput satrapæ cujusdam apponi. Nicocreontem intuens.* Horum omnium princeps facile Diogenes qui tyranno consulenti e cujusmodi ære statuam fundi præstaret, ausus est respondere, *Quo Harmodius et Aristogiton fusi sunt.* Erant vero hi tyrannicidæ et ob id statuis decorati. *Camcula* appellatur inde a Tertull. lib. Adv. Marcionem, c. 1. Cujus ad Alexandrum dictum quasi liberum admirabantur nonnulli, merito autem alii deridebant et carpit Chrysostomus in lib. Adv. Gentes, seu de S. Babyla. Verba sunt: *Dices, magnam vero philosophus orationis libertatem apud regem præ se tulit. Videamus ergo quæ sit egregia illa libertas, num etiam ea dolii præstigiis vanior sit. quænam igitur illa? Proficiscenti cum exercitu adversus Persas Macedoni, eidemque philosophum magna instantia hortanti, diceret, si qua re indigeret: Nulla, ille inquit, nisi quod regem rogarit, sibi a sole ne obstaret, acciderat enim tum jam ut philosophus a solis radiis calefieret.* Itaque sic in hanc stultitiam invehitur: *Hic non vos ipsos pudore suffundetis? Non oculos frontemque contegetis! Non hinc facessentes terra vos obruetis, ob ea ipsa vobis placentes, ob quæ pudore suffundi oportebat? Quanto enim præstiterat, veste aliqua sumpta, eaque crassiuscula ad opus aliquod se traducere, neque non a rege quidpiam, quod usui foret petere, quam lacero indutum pallio sedentem ad solis radios calefieri, parvorum lactentiumque puerorum more, quos nutrices lotos, atque inunctos ibi collocant, ubi tum philosophus idem sedebat, infelicis aniculæ gratiam flagitans.* Quo spectat sapiens Elihu consilium apud Jobum XXXIV, 18. *Regi quis diceret, Vis Belial es, principibusque, Estis impii?* Scilicet, οὐ πολλῆς τῆς πραγματείας δεῖ τριβώνιον etc. id est *haud enim magni est negotii, tritam vestem induere, et peram collo suspendere, et baculum in manu habere, et vociferari, imo potius rudere aut latrare omnibusque maledicere.* ut ait Lucianus in Fugitivis. qui ibidem aliquanto post de iisdem canibus: Οἱ τὸ μὲν χρήσιμον etc. id est *quod vero in canibus natura optimum est, veluti custodia, aut heri amor, aut memoria, id nequaquam imitantur: sed latratu, gulæ, rapinæ libidinibus, adulationi blandimentis et mensis diligentem operam dant.* Quibus ibidem Homericum illud παρωδεῖ: Hæc enim leges in quas jurant. Idem Lucian. in Vitarum auctione: Υ δὲ μάλιστα δεῖ προσεῖναι, ταῦτά ἐστιν. etc. i. *Hæc vero ante omnia tibi adesse necesse est: impudentem te esse oportet et audacem, et omnibus sine delectu, tam regibus quam privatis maledicere, ita enim fiet ut omnes in te oculos conjiciant, teque fortem esse existiment. Barbara quoque vox, et absonus sonitus tibi sit, quique canino plane similis existat.* Vide quæ ibi sequuntur. Hav.

(d) *Statuis et salarii.* Ita legunt Aldus, Rhen. Herald. Junius Cod. Agob. La Cerda et Rigaltius. Quæ quidem salaria lauta fuerunt satis, ut potest colligi ex Luciano, Is in Eunucho: Συντέτακται μέν, ὦ Πάμφιλε, ὡς οἶσθα, ἐκ βασιλέως μισθοφορά τις etc. Quæ Latine ita sonant: *Scis Pamphile salarium, idque neutiquam exiguum ab imperatore fuisse constitutum singulis philosophorum generibus: puta stoicis, platonicis, epicureis, cumque his etiam peripateticis; ita ut unicuique sectæ præmium esset æquale. Cæterum demortuo ex hisce quopiam, alius aliquis in ejus locum subrogandus est, qui sit optimatum calculis probatus. Porro præmium illud, neque leve erat quidpiam, ut ait poeta,*

Digitized by Google

cognominantur. Nomen hoc philosophorum dæmonia non fugat. Quidni, quum secundum deos philosophi dæmonas deputent (1)? Socratis vox est: si dæmonium permittat. Idem et quum aliquid de veritate sapiebat, deos negans, Æsculapio (*a*) tamen gallinaceum prosecari jam in fine jubebat (*b*) credo ob honorem patris ejus, quia Socratem Apollo sapientissimum omnium cecinit. O Apollinem inconsideratum! Sapientiæ testimonium reddidit ei viro, qui negabat deos esse. In quantum odium (2) flagrat veritas, in tantum qui eam ex fide præstat offendit; qui autem adulterat et affectat, hoc maxime nomine gratiam pangit apud insectatores veritatis, (qua et illusores et contemptores (3). Mimice (*c*) philosophi affectant ve-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Deputant, *Franeq.*
(2) Odio, *Fran. Paris.*
(3) *Vv. uncis inclusa et sq.* mimice *delevit Rig. Cod. Lugd.* quam inclusores et corruptores, *al.* qua illusores et corruptores.

COMMENTARIUS.

nec ludicrum, verum singulos in annos decies mille nummum, quos accipiunt uti doceant juventutem. Ibidem aliquando post: καὶ παρέποντα ταῖς μυρίαις, ὃς χρὴ παρὰ βασιλέως ἀπορέρεσθαι. i. e. *neque indignus videatur decem illis drachmarum millibus, quæ jorent ab Imperatore capienda.* MS. vero L. Bat. *solariis*, quod jam olim in mentem venisse Lipsio testatur La Cerda et explicat de vectigalibus, pro ædibus in solo Reip. structis. Quemodo repetitur apud Eunapium Sardianum ille in Proæresio Julianus Imperator doctis hominibus agros tributarios et vectigales adjudicasse, ut immunes essent onerum. Ἐμέτρει μὲν, inquit, γὰρ ὁ Βασιλεὺς τὴν γῆν τοῖς Ἕλλησιν εἰς τὸν φόρον, ὅπως βαρύνοιντο. Sed quomodo philosophi possunt dici solariis remunerari, id est vectigalibus seu loci tributo, cum liberantur a necessitate solvendi? id enim innuere La Cerdam puto. Explico itaque *solaria* de apricis illis locis, ubi ditiores se calefaciebant et uncti siccabant in sole, illa signis ornabant, itaque recte statuis jungit solaria. Possis etiam legere *lararitis*, Capitolinus in Anton. Philos. *Tantum autem honoris magistris suis detulit, ut imagines eorum aureas in lurario haberet.* Lampridius de Alexandro Severo: *in lurario suo, in quo et divos principes, sed optimos electos, et animas sanctiores, in queis et Appollonium, et quantum scriptor suorum temporum dicit, Christum, Abraham, et Orpheum, et hujusmodi Deos habebat, et majorum effigies.* Erat scilicet duplex lararium viris principibus: primum, in quo divi; secundum, in quo viri docti et magni. Idem scriptor et ibidem paulo post: *Virgilium autem Platonem poetarum vocabat, ejusque imaginem cum Ciceronis simulacro, in secundo lurario habuit, ubi et Achillis et magnorum virorum. Alexandrum vero Magnum inter Divos et Optimos in lurario majore consecravit.* Vopiscus in Floriano inter omnia quæ Taciti mortem præcesserunt: *In lurario Dii omnes seu terræ motu, seu casu aliquo conciderunt.* Pamelius legit *salutariis*, cui adscripsit Scaliger ἀσπαστικόν. Noster infra c. ult. *Et tamen illis omnibus et statuas defunditis et imagines inscribitis, et titulos inciditis.*

(a) *Æsculapio tamen Gallinaceum prosecari jam in fine jubebat.* An docere nos hoc voluit gemma ista quam protulit magister meus Jacobus Gronovius tom. II. Dactyl. Gorlæanæ 229. ubi senex, ipse forsan Socrates, nam frons calva satis est, super aram immolat gallinaceum? Adde Thesaurum Palat. 202. Etiam frequenter in Abraxis in Chiffletio collatis et a Gronovio Gorlæanis gemmis insertis gallinacei aliquid cum Socratica facie invenitur. Confer tom. II. num. 316. 317. Apparet apud Choulium singulari ornatu Æsculapius, ubi præter serpentem baculo involutum, conspiciendus venit deus corona radiata, ut Apollinis filius; iconcula quam sinistra tenet, filia Hygieia est, sicut gallus ad pedes mirifice cum Gorlæano schemate Tertulliani nostri locum illustrat.

(b) *Jam in fine jubebat.* Narrat Plato in Phædone in fine, de Socrate, epoto jam veneno, illa: καὶ ἐκκαλυψάμενος, ἐνεκεκάλυπτο γὰρ, εἶπεν· ὁ δὲ τελευτκῖον ἐρρήγξατο· ὦ Κρίτων, ἔφη, τῷ Ἀσκληπίῳ ὀφείλομεν ἀλεκτρυόνα· ἀλλὰ ἀπόδοτε, καὶ μὴ ἀμελήσατε. i. e. *Et jam obvolutus, caput enim obvolverat, quod quidem ultimum ejus effatum fuit. O Crito, inquit, gallum debemus Æsculapio. Vos persolvite, neque negligite.* Unde Lucianus mortuum dicit ne gallo quidem Æsculapio persoluto: ἔφιεν ἄθλιος τοῦ κωνείου, μὴ δὲ τὸν ἀλεκτρυόνα τῷ Ἀσκληπίῳ ἀποδεδωκώς, ut verba ejus sunt in Bis Accusato. Inquirit in dicti hujus rationem Theodoretus Gr. Aff. Cur. p. 109. et scribit: ἐγὼ δὲ οἶμαι καὶ Σωκράτην, etc. i. e. *Ego autem puto et Socratem, Sophronisci filium immolari gallum jussisse, ut illatum crimen refelleret; quippe quem Anytus et Melitus ut esse Deos abnegantem detulerant.* Cum hoc, tum alia Socratis Tertullianus rid. in lib. De anima cap. I. *Quod si idcirco sapientissimus Socrates secundum Pythii quoque dæmonis suffragium, scilicet negotium navantis socio suo, quanto dignior atque constantiæ christianæ, atque sapientiæ assertio, cujus afflatui tota vis dæmonum cedit? Hæc sapientia de schola Cœli deos quidem sæculi negare liberior, quæ nullum Æsculapio gallinaceum reddi jubens prævaricetur, nec nova inferens dæmonia, sed vetera depellens: nec adolescentiam vitians, sed omni bono pudoris informans, ideoque non unius urbis, sed universi orbis iniquam sententium sustinens pro nomine veritatis, tanto scilicet operosioris, quanto plenioris, et ut mortem non de poculo per habitum jucunditatis absorbeat, sed de patibulo et vivicomburio per omne ingenium crudelitatis exhauriat, interea in isto tenebrosiore carcere sæculi inter suos Cebetas et suos Phædonas, si quid de anima examinandum est, ad Dei regulas dirigat.* De gallinaceo tangit etiam in lib. De Corona Militis cap. X. *Nam et ego mihi gallinaceum macto, non minus quam Æsculapio Socrates.* Vehementer vero Theodoretus dum caussam socratici gallinacei Apollini immolandi scrutatur, errat. Nam Tertullianus Noster, qui scire potuit, ad caussam suam detorsit. Solebant vero gallum vel gallinaceum illi qui ex morbo se receperant Æsculapio immolare, quod apparet ex sculptura gemmæ Gorlæanæ. Quare illi etiam in Chouliana notabili admodum gallus adjungitur inter cætera ornamenta quæ ita descripsit Sextus Pompeius Festus in voce *Insula. In insula Æsculapio facta ædes fuit, quod ægroti a medicis aqua maxime sustententur. Ejusdem esse tutela draconum, quod vigilantissimum sit animal, quæ res ad tuendam valetudinem ægroti maxime apta est. Canes adhibentur ejus templo, quod is uberibus canis sit nutritus. Bacillum habet nodosum, quod difficultatem significat artis. Laurea coronatur, quod ea arbor plurimorum sit remediorum. Huc gallinæ immolantur.* Certe quare illi gallum immolari voluerit Socrates patet, utpote qui jam convaluisset primum, ad meliorem vitam ex caduca hac et morbida emigraturus, *inimicorum existimatione punitus, suo judicio finitus.* Ut eleganter de Theramene Val. Maximus lib. III. cap. II. Hav.

(c) *Mimice.* Vitiose in Fuld. *inimici.* Agob. *inimicæ.* In Lugd. Bat. descriptor assequi non poterat, solam litteram M. ponens, et spatium vacuum. Taxat tales Philo Judæus in lib. Quod Deter. Pot. infid. his verbis. Περύκασι δὲ οἱ σοφισταὶ πολλοῖς χρῆσθαι ταῖς ἐν αὐτοῖς δυνάμεσι, etc. i. e. *Solent enim plerique omnes sophi-*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

stæ adversarias habere suasmet ipsorum facultates, dum verba eorum cogitationibus, et consilia verbis resistunt, haud ullo consensu intercedente. Deliniunt enim aures nostras dissercndo, quam socialis res sit justitia, quantum omnibus conferat temperantia, quantopere probetur fortitudo, quam ingens capiatur ex pietate utilitas, quam salubres virtutes reliquæ: e contra injustitiam esse rem impacatam, intemperantiam morbiferam, impietatem nefariam, reliquam malitiam perniciosam: et tamen contraria dictis suis sapere non desinunt; sed post decantatas laudes prudentiæ, temperantiæ, justitiæ, pietatisque, tum maxime desipiunt, lasciviunt, injuste impieque se gerunt: et ut verbo dicam, deprehenduntur omne fas jusque confundere ac subvertere. Noster vero apposite dicit philosophos mimum agere, quum alii videantur foris alii sint intus, adeoque aliquando detectis vitiis ridiculi fiant. Luciani accommoda illud in Gallo: Εἶτ' ἐπειδὰν πίσωσιν, ὁμοίοι μάλιστα φαίνονται τοῖς τραγικοῖς ὑποκρίταις, etc. i. e. *Qui ubi conciderint, persimiles esse videntur tragicis histrionibus. Nam multi, ut videre est, quoad Cecropes sunt, aut Sisyphi, aut Telephi, diademata gestant, eburneisque capulis gladios, comamque ventilatam, et chlamydem auro intertextam. Quod si quis, qualia plerumque accidunt illorum, impingens media in scena cadat, risum profecto movet spectatoribus: videlicet persona una cum ipso diademate contrita, vero autem actoris capite cruentato, cruribusque magna ex parte renudatis, ut jam interioris amictus, panni quam sint miseri fiat conspicuum: ac cothurnorum quos pedibus induxerunt appareat deformitas, cum pedis modo non respondeant.* Qui idem cum sæpius tum lepide irridet in Dialogis Mortuor. Charontis et Mercurii. Ibi deposito mimo, cuncta philosophi ridicula apparent. Sed ipsum audiamus Lucianum, apud quem Mercurius ad barbatulum illum: Κατάθου σὺ τὸ σχῆμα πρῶτον εἶτα καὶ ταυτὶ πάντα. Ὦ Ζεῦ, ὅσην μὲν τὴν ἀλαζονείαν κομίζει, ὅσην δὲ ἀμαθίαν, καὶ ἔριν, καὶ κενοδοξίαν, etc. i. e. *Depone tu hunc habitum primum, deinde hæc quoque omnia. O Jupiter, quantam ille arrogantiam, quantam inscitiam, et quantum contentionum et inanis gloriæ, quantum quæstionum dubiarum, quantum spinosarum disputationum et cogitationum perplexarum circumfert! Imo quam multos vanos labores; et deliramenta non pauca, quantas item nugas et quantam curiositatem. Sed per Jovem aurum etiam hoc, et voluptatem, et impudentiam, iracundiam, delicias et mollitiem secum habet: neque enim latent me ista, etiamsi studiose celas. Verum abjice mendacia etiam et superbiam, et opinionem illam, qua existimas te omnibus reliquis præstantiorem esse. Nam si cum omnibus istis ingrediaris, quæ quinqueremis te acciperet?* Post hæc amputata barba et abraso supercilio etiam adulatio adimitur: Ἐν ἔτι τὸ βαρύτατον ὑπὸ μάλης ἔχει. Τί, ὦ Μήνιππε; Κολακείαν ὦ Ἑρμῆ, πολλὰ ἐν τῷ βίῳ χρησιμεύσασαν αὐτῷ, i. e. *Unum quiddam adhuc gravissimum gestat sub alis. Merc. Quid, Menippe? Men. Adulationem, Mercuri, quæ illi dum viveret multum profuit.* Ubi idem paulo post pueriliter plorans, causam rogatus cum respondisset ideo plorare quod animam immortalem putaverit, irridetur a Menippo, qui dicit mentiri illum et veras doloris caussas profert, scilicet ὅτι μηκέτι δειπνήσει πολυτελῆ, δεῖπνα, etc. i. e. *Quia non amplius tam opiparas cœnas habebit, neque noctu exiens, clam omnibus circumvoluto palliolo capiti, ordine omnia accedet scorta, nec mane, deceptis adolescentibus sua sapientia, pecuniam accipiet: hæc sunt, quæ illi dolent.* Describit eorum mores etiam in Bis Accus. p. 228. Ἑώρα γὰρ οἶμαι, etc. i. e. *Videbat enim, opinor, eos, qui de tolerandis ac perferendis laboribus multa commemorare solent, privatim autem voluptatem colunt, eo usque juveniliter se jactare, domi autem secundum voluptatis præcepta vitam degere: erubescentes quidem si deprehendantur aliquid de firmitate remittere, suamque professionem prodere.* Idem in fugitivis: Ἃ μὲν, γὰρ ἐν τοῖς συμποσίοις, δρῶσι, etc. i. e. *Quæ vero in conviviis agunt, utque inebriantur, longum esset recensere. Et hæc faciunt, quomodo putas, dum ipsi ebrietatem, adulteria, luxuriam et avaritiam deprehendunt. Nihil igitur invenies inter se magis contrarium, quam ipsorum dicta factaque.* Addit: Οἷον κολακείαν μισεῖν φασι, etc. i. e. *Quale illud, assentationem sibi odiosam esse dicunt, cum illa Gnathonidem et Struthiam superare possint, et alios vera loqui hortantur, cum ipsi ne linguam quidem movere queant, quin mentiantur. Voluptas omnibus verbo tenus est invisa, hostis Epicurus: sed reipsa quidvis ob eam faciunt. Iræ præterea vehementia, levissimarumque rerum perturbatione, nec non iræ facilitate nuper natos infantulos superant. Non parvum igitur risum spectatoribus movent, quum quavis de caussa bilis ipsis effervescit, lividoque colore cernuntur, impudentiam et animi impotentiam aspectu præ se ferentes. Os vero spuma, vel veneno potius, est refertum.* Puto esse reponendum τὸν Στρυθίαν utrumque fuisse, non mulierem. Pergit, nam et illa valde ridicula, hoc modo: Μὴ σύγε ἐτεῖοι τύχοις, etc. i. e. *Ne sis ibi, quum fœda illa illuvies effunditur: Aurum aut argentum, hercle, possidere nolo: sufficit obolus, quo lupinos emam: nam potum fons seu rivus præbebit. At paulo post non obolos vel drachmas paucas, sed totas postulant divitias: adeo ut mercator quispiam tanto onere impleri posset, quantum illis ad quæstum philosophia confert. Inde postquam ad satietatem corrasere, et victum comparavere, abjecta illa infelici lacerna, agros nonnunquam, mollesque vestes, et crinitos pueros, totasque domos emunt, Cratetis peræ, Antisthenis lacernæ, ac Diogenis dolio longum vale dicentes.* Describit eosdem egregie quoque in Necromantia, Theodoretus quoque Socratis vitam acriter taxat in Gr. Aff. Cur. p. 174. ubi inter alia dicit: Καὶ ὁ Σωκράτης δὲ, etc. i. e. *Socrates quoque suadelas omnes atque illecebras cavere non jubet, ut esurientes non comedamus, neque sitientes bibamus: pulchriorum quoque oscula et obtutus vitare penitus jubet; utpote quæ pejus et scorpionibus et phalangiis venenum infundant. Sed mera verba hæc sunt, rebus factisque carentia.* Ibidem enim ostendit Socratem gymnasia assidue obiisse, ut oculos flagitioso conspectu pasceret, inter pocula defessis aliis pernoctasse, et quæ multo plura sequuntur, descripta ex vetustis auctoribus, qui jam perierunt Aristoxeno et Porphyrio. Est et alicubi apud Appianum de philosophis in hunc sensum locus perquam insignis sed qui jam non succurrit. Apud Laertium quoque Diogenes *reprehendebat eos, qui justos quidem, quod pecunias contemnebant, laudabant: pecuniosos vero imitari satagebant.* Nec ipse adeo optimus imperator simul et philosophus Marcus evitare calumniatores potuit, quin similem illi labem adspergerent. Julius Capitolinus: *Dederunt ei vitio quod et fictus fuisset, nec tam simplex quam videretur, aut quam vel Pius vel Verus fuisset.* Martialis denique in cinædum philosophiæ studium simulantem, lib. IX. epigr. 77.

Democritos, Zenonas, inexplicitosque Platonas,
Quidquid et hirsutis squallet imaginibus,
Sic quasi Pythagoræ loqueris successor et hæres:
Præpendet mento nec tibi barba minor.
Sed, quod et hircosis serum est, et turpe pilosis,
In molli rigidum clune libenter habes.
Tu qui sectarum causas et pondera nosti,
Dic mihi, præcidi, Pannice, dogma quod est.

Adeo verum est vetus illud: illum qui proficit in litteris et deficit in moribus, plus deficere quam proficere. Apud Lucianum in Lapithis post ridiculam philosophorum pugnam recte concludit ille, qui sic loquitur: Ἐν ὅσῳ δὲ ταῦτα ἐγίνετο, etc. i. e. *Dum autem hæc fiebant, Philo, varia volvebant in animo: eratque illud in promptu, nullum esse operæ pretium si quis disciplinas perdiscat, ni simul et vitæ rationes ad id quod optimum est, componat: cum viderem illos*

Digitized by Google

ritatem et affectando corrumpunt, ut qui gloriam captant (*a*) : Christiani eam necessario appetunt et integre præstant, ut qui saluti suæ curant. Adeo neque de scientia (1) neque de disciplina, ut putatis, æquamur. Quid enim Thales ille princeps physicorum (*c*) sciscitanti Cræso de divinitate certum (*d*) renuntiavit, commeatus deliberandi (*e*) sæpe frustratus? Deum quilibet opifex (*f*) christianus et invenit et

LECTIONES VARIANTES.

(1) Conscientia *Fran. Paris.*

(2) Adæquamur *MS. L. Bal.*

COMMENTARIUS.

qui verbis alios antecellerent, quam ridiculos factis ipsis sese exhiberent. Qualis publico edicto vere philosophus Athenis pronuntiatur Zeno apud Laertium, utpote ἐπ' ἀρετὴν καὶ σωφροσύνην παρόρμα, πρὸς τὰ βέλτιστα παράδειγμα τὸν ἴδιον βίον ἐκθεὶς ἅπασιν. *Qui quum ad ea quæ sunt optima intendat, vitam suam verbis ac doctrinæ suæ consentaneum exemplar omnibus proponens.* Narratque Eunapius in Procem. Porphyrium et Sotionem undecumque collegisse historiam et vitas eorum τῶν φιλοσόφων ἀνάγων, *qui vere philosophati essent.* Damnatque merito illos philosophos Epictetus ἄνευ τοῦ πράττειν, μέχρι τοῦ λέγειν, i. e. *sine factis dictorum tenus.* Hav.

(a) *Ut qui gloriam captant.* Unde nostro *philosophus gloriæ animal.* De Anima cap. I. Et De Pœnitentia cap. I. *Philosophi quidem, qui alicujus sapientiæ animalia deputantur.* Alii legunt, *sapientiæ animalis.* Verum sapientem descripsit Plato lib. XI. Reip. ἁνδρα ἁπλοῦν καὶ γενναῖον, κατ' Αἰσχύλον, οὐ δοκεῖν, ἀλλ' εἶναι ἀγαθὸν ἐθέλοντα, etc. i. e. *virum simplicem et generosum, qui ut ait Æschylus, esse quidem bonus appetat, minime autem videri. Illud enim videri velle, prorsus tollendum censeo. Nam si justus hominibus videatur, honores illum et munera insequentur. Incertum itaque erit, utrum is præmiorum et dignitatum caussa sit talis.* Talis vir a Sallustio describitur Cato, *qui esse, quam videri bonus malebat: ita, quo minus gloriam petebat, eo magis illam assequeba.ur.* In Catil. cap. LIV. Sed negat in quemquam melius quam christianum cadere posse Theodoretus. Is Græc. Aff. Cur. Serm. XII. p. 170. postquam adduxit illa Platonis verba, subjungit : Καὶ ταῦτα δὲ ὡσαύτως, etc. i. e. *Hæc autem et athletis nostris maxime congruunt. Neque enim quæ recte faciunt fortiterque depugnant, Antisthenis, Diogenis, et Cratetis modo, inanis gloriæ caussa faciunt: sed honestatis solius habita ratione.* Hav.

(b) *Et necessario appetunt.* Non gloriam, sed veritatem. *Et* edidit Rigalt. reliqui *eam.* Cod. L. B. delet. Dicit *necessario* appetere, quoniam aliter finem spei suæ, salutem animarum, consequi non possunt illi, quibus impetrare debetur, famuli Dei, qui est veritas, qui illum soli observant, ut loquitur fere cap. XX. Itaque non possunt non necessario appetere veritatem et appetitam præstare integre. Ut adeo illorum sit studium præstare id quod Scipioni Æmiliano tribuit Velleius Paterculus lib. II. *qui nihil in vita nisi laudandum, aut fecit, aut dixit, aut sensit;* illam virtutis perfectionem ambire, quam describit in Theæteto Plato, cujus verba sunt : Λέγωμεν δὲ περὶ τῶν κορυφαίων, etc. i. e. *Loquamur itaque de summis philosophis, quis enim de iis loqui curet, qui aberrant a legibus institutisque philosophiæ? Hi vero qui summi sunt, neque viam norunt quæ ad forum ducit, neque ubi judicium senatusve sit, alinsve publicus civitatis consessus. Leges præterea et decreta, seu verbis ferantur, seu scripta sint, neque audiunt hi, neque inspiciunt. Studia vero populi, suffragiaque creandis magistratibus collata, cœtus alios et conventicula, et convivia lascivasque cum tibicinis comessationes, ne per somnium quidem sibi obversari velint. Neque vero etiam novit si quis malus est homo in civitate, neque si quid olim peccatum est ab antiquis vel viris vel mulieribus: imo autem magis hæc ignorat, quam quod dici solet, quot aquæ congiis mare constet. Verum et hæc omnia ignorare se nescit. Neque enim his abstinet rebus ea gratia ut laudetur, atque ut hominibus placeat. Solum itaque illius corpus in civitate versatur, mens autem illius, hæc omnia parvi faciens, ac veluti sint nulla contemnens, evolat in partes omnes, ut ait Pindarus, tum inferna terræ loca, tum et summa dimetiens, nihiloque secius ad astra cœli se tollens, omnemque naturam scrutabunda perlustrans.* Talem vero philosophiam, hosque summos sapientes non nisi apud vere sapientes, christianos, inveniri optime docet Theodoret. Gr. Aff. Cur. Serm. XII. p. 169. qui ubi hæc Platonis recitavit, illa de suo subjicit : Ἐν δὲ τούτοις ὁ Πλάτων τὴν τῶν ἡμετέρων φιλοσόφων ἐζωγράφησε πολιτείαν· οὐ γάρ δή τις παρ' ἑκείνοις τοιοῦτος ἐγίνετο. i. e. *Iis autem verbis Plato nostratium philosophorum, id est christianorum hominum vitam effinxit. Neque enim apud priscos illos Græcos philosophos talem ferme invenias virum.* Quorum deinde hypocrisin describit. Hav.

(c) *Princeps physicorum.* Quod elogium ipsi tribuunt hi versus, quos narrat statuæ ejus adscriptos Diogenes Laertius in Vita Thaletis; sunt autem hi :

Τὸν δε Θάλην Μίλητος ἰὰς θρέψας, ἀνέδειξεν
Ἀστρολόγων πάντων πρεσβύτατον σοφίᾳ.

Quos ita vertunt :

Hunc quæ nutrivit Milesia terra Thaletem,
Astrologum primi nominis ipsa tulit.

Dicitur autem illic antiquissimus. Et de illo multa ibi, et apud Herodotum et alios. De illo Cicero, Acad. Quæst. lib. IV. cap. 118 : *Thales, unus e septem, cui sex reliquos concessisse primas ferunt.* Sic emendat Scaliger pro *consensisse primos.* Hav.

(d) *De Divinitate certum.* Quousque tamen pervenire natura duce potuerit, est legere apud Laertium, ibi ejus est sententia : Πρεσβύτατον τῶν ὄντων, Θεός, ἀγέννητον γάρ. i. e. *antiquissimum eorum omnium quæ sunt Deus : ingenitus enim.* Quæ totidem verbis repetit Stobæus Eclog. Physic. lib. I. cap. I. Θάλης ἐρωτηθεὶς τί πρεσβύτατον τῶν ὄντων, ἀπεκρίνατο, Θεὸς, ἀγέννητον γάρ, i. e. *Thales interrogatus, quid omnium esse antiquissimum : Deus, respondit, nam ingenitus est.* Idem apud Laert., interrogatus τί τὸ Θεῖον, *quid est Deus*, respondit : Τὸ μήτε ἀρχὴν ἔχον μήτε τελευτήν : *quod principio et fine caret.* Quid alii statuerint ex Melissi exemplo patet, de quo Laert. et Hesychius : ἀλλὰ καὶ περὶ Θεῶν ἔλεγε, μὴ δεῖν ὑποραίνεσθαι, μὴ γὰρ εἶναι γνῶσιν αὐτῶν. i. e. *De diis nihil definiendum dicebat, neque enim illorum manifestam esse cognitionem.* Hav.

(e) *Commeatus deliberandi.* Proprie apud Romanos *commeatum* petere erat postulare veniam a principe vel imperatore, ut propter necessarium aliquam caussam ab urbe vel exercitu discedere et abesse liceret. Sueton. in Caligula cap. XXIX. *Prætorium virum, ex secessu Anticyræ, quem valetudinis caussa petierat, propagari sibi commeatum sæpius desideran tem, cum mandasset interimi, adjecit : Necessariam esse sanguinis missionem cui tam diu non prodesset elleborum.* Inde ad omnem et dilationem translatum est. Hav.

(f) *Quilibet opifex.* Ita fere de Chrysanthio suo in Vita ejus admirator Sophistarum Eunapius Sardianus. Ὡς ἔδοξε κοινωνῆσαι καὶ τοῖς Θεοῖς τὸ ἔργον περιρρυῆς, ὡς κἂν ἰδιώτην καὶ βαναυσόν διακρῖναι τὰ σημεῖα, i. e. *Visus est ita manifeste cum Diis communicare, ut idiota quivis et sedentarius artifex è plebe, judicium de prodigiis facile dare posset.* Hav.

Digitized by Google

ostendit et exinde totum, quod in Deo (1) quæritur, re quoque assignat; licet Plato (*a*) affirmet factitatorem universitatis neque inveniri facilem, et inventum enarrari (*b*) in omnes difficilem. Cæterum si de pudicitia provocemus (2) (*c*), lego partem sententiæ Atticæ in Socratem corruptorem adolescentium (3) pronuntiatam (*d*). Sexum nec femineum mutat Christianus (4). Novi et Phrynen meretricem Diogenis supra recubantis ardori (5) subantem (*e*). Audio et quemdam Speusippum de Platonis schola in adulterio periisse (*f*). Christianus uxori suæ soli masculus nascitur. Democritus excæcando semetipsum (*g*), quod

LECTIONES VARIANTES.

(1) A Deo. *Seml.*
(2) Provocemur *Rhen. Rig.*
(3) *Rig. et Hav. auctoritate cod. Fuld.* Socratem : corruptor adol. pronuntiatur ; *cæteri :* corruptorem adol. pronuntiatam *aut* pronuntiatum.
(4) Christianus ad sexum nec feminæ mutat *col. Fuld. et edd. Rig. et Hav.*
(5) Ardorem *Fran. Paris.*

COMMENTARIUS.

(a) *Licet Plato affirmet.* In Timæo : p. 28. C. ed. Steph. Τὸν μὲν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς, εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν, i. e. Chalcidio interprete, *Opificem, genitoremque universitatis, tam invenire difficile, quam inventum impossibile digne profari.* Vide plurima testimonia apud Elmenhorst. p. 44. ad illa Minucii p. 21. *Platoni itaque in Timæo Deus est ipso suo nomine mundi parens, artifex animæ, cælestium terrenorumque fabricator; quem et invenire difficile, præ nimia et incredibili potestate, et cum inveneris, in publicum dicere impossibile præfatur.* Cod. L. B. *re quoque affirmat : licet Plato assignet etc.* Hav.

(b) *Enarrari in omnes.* Exstat epistola Thaletis ad Pherecidem apud Laertium, in qua non vult ipsum palam apud omnes hac de re disserere. Sic incipit : Πυνθάνομαί σε πρῶτον Ἰώνων μέλλειν, etc. i. e. *Audio te primum Ionum de rebus divinis apud Græcos palam disserere parare. Verum justiore fortasse sententia inter amicos ea quæ scripseris, leges, quam passim quibuscumque permittes nullo illis emolumento futura.* Minucius etiam de Christianis, post illa Platonis adducta : *Eadem et illa fere quæ nostra sunt. Nam et Deum novimus, et parentem omnium dicimus, et nunquam publice nisi interrogati prædicamus.* Quod capiendum secundum illa Servatoris verba Matth., VII, 6. Μὴ δότε τὸ ἅγιον τοῖς κυσὶ, μηδὲ βάλητε τοὺς μαργαρίτας ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν χοίρων. Atque inde illustrandum obstinatum ejusdem silentium et in aula Cajaphæ et in conspectu Pilati, quibus de Deitate et Regno suo non nisi adjuratus et rite interrogatus respondit, Matth., XXVI, 63. et XXVII, 11, 14. Hav.

(c) *Si de pudicitia provocemus.* Quoniam in principio hujus cap. dixerat philosophos eadem et monere et profiteri, *innocentiam, justitiam, patientiam, sobrietatem, pudicitiam*, singula jam refellit, servata orationis suæ numerositate, dum dicit : *de pudicitia provocemus, et de probitate defendam, et de modestia certem, et de æquanimitate congrediar, et de fide comparem*, denique *de simplicitate consistam.* Pamelius et alii hic legunt *provocemus*, sed Rhen. et Rigalt. emendant *provocemur.* Quod minus cum reliquis convenit. Melius legas *provocem.* Qualis vero philosophorum continentia? audi Lucianum in Fugitivis : Οἱ δὲ μάλα σεμνοὶ,, etc. i. e. *sed hi cum admodum casti et severi extrinsecus et publice appareant, si puerum nacti fuerint formosum, aut speciosam mulierem, aut speraverint, melius est tacere quæ faciunt. Nonnulli vero suorum etiam hospitum uxores corrumpentes abducunt, ut Trojanus ille Paris, credo et ipsas philosophari cupientes.* Chrysostomum etiam Orat. de S. Babyla. *At temperans, inquis, fuit continentemque vitam egit Sinopensis ille, ut qui etiam legitimas nuptias non sustinuerit. Sed adde, obsecro, temperantiæ ac continentiæ illius modum. Tu vero nequaquam addes, qui libentius temperantiæ laudes illi detraxeris, quam temperantiæ ejus modum prodideris, adeo certe ille infamis, ac magno dedecore plenus. Percurrerem hoc loco et cæterorum nugas, stultum ac vanum studium, denique turpitudinem : ubi enim, quæso, utile est, seminis humani gustu non temperare? id quod faciebat Stagirites ; quale commodum cum matribus ac sororibus misceri? quod quidem philosophus Stoæ præfectus lege sanxit. Percurrerem etiam Academiæ principem, illiusque discipulum : item et eos, de quibus major est admiratio, his quos nominavi obscœniores fuisse demonstrarem : obscœnum quoque puerorum amorem ab illis in honestatis et philosophiæ partem annumeratum, omni retecta allegoria denudarem, nisi tum nobis ad alia properantibus oratio longior hac ratione fieret, tum omnium illorum ritus, uno a nobis detecto, satis superque redargueretur.* Hav.

(d) *Corruptor adolescentium pronuntiatur.* Hæc est præstantissimi Cod. Fuld. lectio, quam recepit Rigalt. nam alii minus venuste, *lego partem sententiæ Atticæ in Socratem corruptorem adolescentium pronuntiatam.* Lugd. B. legit. *pronuntiatum.* De Socrate etiam Noster lib. de Anima c. 1. *adolescentium ritians.* Et passim veteres. Lucianus in Vitarum Auctione, et in Eunucho, in dialogis etiam Meretricis Dial. X, Theodoretus Gr. Aff. Cur. p. 174 et 175. Non defuere tamen qui philosophum hoc crimine absolverent, illumque dilexisse pulchros dicant, quoniam ex venusto membrorum et oris habitu virtutem animi et generosam indolem venabatur, quo etiam inclinat Nonnus, in expositione ad Nazianzeni Orat. XLVIII, quæ est in Julianum secunda. Huc pertinet gemma quæ est in tom. II, Dact. Gorl. n. 514, ut quibusdam placet. Hav.

(e) *Phrynen Diogenis super recumbentis ardori subantem.* Inter epulas Cynico cynice morigeram. Lac.

(f) *In adulterio periisse.* Falsum hoc, si scriptoribus qui adhuc exstant fides : Itaque sic scribit ad Eusebium p. 125, Josephus Scaliger, hoc loco in Tertulliano aut μνημονικὸν σφάλμα esse, aut, ait, impostor est qui illi hoc persuasit. Mortuus est enim valde senex ἐξ ἀθυμίας. Non dissimilis tamen mors aliorum quos enumerat Plinius Hist. Nat. lib. VII, c. 13. *Cornelius Gallus prætorius et T. Haterius eques Romanus in Venere obiere.* Et Valerius Maximus, lib. IX, cap. XII. *Fortis hujus mors, illorum perridicula. Cornelius enim Gallus prætorius, et T. Haterius eques Rom. inter usum Veneris absumpti sunt.* Qui idem sapienter pro more suo addit hæc : *Quanquam quorsum attinet eorum cavillari fata quos non libido sua, sed fragilitatis humanæ ratio abstulit! Fine namque vitæ nostræ variis et occultis caussis exposito, interdum quædam immerentia supremi fati titulum occupant : cum magis in tempus mortis incidant, quam ipsam mortem accersant.* Speusippus tamen ἡδονῇ ἥττων, *voluptatibus deditus*, est Laertio. Hav.

(g) *Democritus excæcando semetipsum.* Vincentius Bellovacensis in Speculo Doctrinali lib. V, cap. 98. *Tertullianus quoque refert Democritum philosophum excæcasse seipsum : eo quod mulieres aspicere sine concupiscentia non valebat.* Et rursus cap. CLXXV. *Unde de Democrito philosopho refert Agellius in libro Noctium Atticarum, quod natione Abderites fuerit et ditissimus : qui omne patrimonium suum relinquens suis civibus, Athenas profectus est et ibi oculos sibi erut : tanquam scilicet impedimento bonorum studiorum, ut vegetatiores cogitationes haberet. Liberius tamen dicit*

Digitized by Google

mulieres sine concupiscentia aspicere non posset, et doleret si non esset potitus, incontinentiam emendatione profitetur. At christianus salvis oculis feminam videt, animo adversus libidinem cæcus est. Si de probitate defendam, ecce lutulentis pedibus Diogenes superbos Platonis toros alia superbia deculcat (*a*). Christianus nec in pauperem superbit. Si de modestia certem, ecce Pythagoras apud Thurios (*b*), Zeno apud Prienenses tyrannidem affectant: Christianus vero nec ædilitatem (*c*). Si de animi æquitate congrediar, Lycurgus ἀποκαρτέρησιν optavit, quod leges ejus Lacones emendassent: Christianus etiam damnatus gratias agit. Si de fide comparem, Anaxagoras (*d*) depositum hospitibus denegavit: Christianus etiam extra fidelis vocatur. Si de simplicitate consistam, Aristoteles familiarem suum Hermiam turpiter loco (1) excedere fecit (*e*): Christianus nec inimicum suum lædit. Idem Aristoteles tam turpiter Alexandro regendo potius adulatur (*f*), quam Plato

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Forte* thoro *Haver.*

COMMENTARIUS.

eum oculos sibi eruisse, ne videret bene esse malis civibus. Tertullianus dicit, quod ideo excæcavit seipsum, quia mulieres sine concupiscentia aspicere non poterat. Addit de suo: *porro merito sibi oculos eruit, qui magicas tenebras oculis humanis invenit.* Hav.

(a) *Diogenes superbus* etc. Hieronymus Contra Jovinian. *Plato cum dives esset, et toros ejus Diogenes lutatis pedibus conculcaret, ut posset vacare philosophiæ, elegit Academiam, villam ab urbe procul, non solum desertam, sed etiam pestilentem; ut cura et assiduitate morborum libidinis impetus frangeretur, unde et plures ejus discipuli oculos sibi effoderunt.* Pro *deculcat* Fuld. *decalcat.* Hav.

(b) *Pythagoras apud Thurios.* Sic Rig. Herald. Rh. et Ald. nonnulli *Thyrios.* De morte Pythagoræ cum variæ opiniones, tum et illa fuit vi adversariorum dum dominationem affectat crematum. vide Laertium et Athenagoram. Arnobius lib. I. *Pythagoras Samius suspicione dominationis injusta vivus concrematus in fano est.* Lego *inusta*, vel *injusta.* Hav.

(c) *Christianis vero nec ædilitatem.* Ibidem apud Aldum male *Chr. vere nec civitatem. Ædilitatem* vero non temere nominat, ut ad quam et plebi pateret aditus, et ad quam videntur pertinuisse munera non ampla valde, ut vici magistratus et similia. Martialis de ridiculo Oracilii fastu et æmulatione, lib. X. epigr. 79.

Consul Torquatus, vici fuit ille magister,
Nec minor in tanto visus honore sibi. Hav.

(d) *Anaxagoras depositum hospitibus denegavit.* Rectissime ita Cod. Fuldensis, cujus collationem a Fr. Medio factam et Scioppio descriptam notis suis subjunxerat Junius. Qua cum uti potuissent Heraldus et La Cerda, illam inspicere passim neglexerunt, edentes cum aliis *hostibus*, quod præ hoc nostro absurdum valde est. Rigaltius, qui solus præclara illa collatione in editione sua, uti novit, sic transposuit *denegavit hospitibus;* cur illud, nescio. Tangit Aristoteles hujus delicti iniquitatem Problem. Sect. XXIX. qu. 2. et cur sit gravius quam negare mutuum, πρὸς γὰρ τῇ ζημίᾳ, καὶ τὸν πίστιν παραβαίνει. i. e. *præter damnum enim, fides negligitur.* et ὁ μὲν οὖν ἔδωκε ὡς φίλῳ, ὁ δὲ ἀπεστέρησεν ὡς ἐχθρόν. *hic enim rem suam credidit tanquam amico, ille denegat tanquam inimico* Lucianus de Hermodoro Epicureo simile narrat in Icaromenippo: Καὶ γὰρ αὖ κἀκείνους ἑώρων, Ἑρμόδωρον μὲν τὸν Ἐπικούρειον, χιλίων ἕνεκα δραχμῶν ἐπιορκοῦντα. i. e. *Nam inter eos quidem videbam Epicureum Hermodorum ob mille drachmas pejerantem.* Sed de Anaxagora nihil legitur, nec Interpretes quidquam afferunt. Non dubito tamen quin ad illum pertineant illa Luciani itidem in Lapithis, ita Tertulliani nostri verbis respondent ad amussim, etiam amplius docentes in discipulo suo scelus hoc perpetratum. Ibi Cleodemus: Οὐδὲ τοῦ ξένου μαθητοῦ λαβὼν τουρδίου παρακαταθήκας ἔπειτα ὤμοσα κατὰτῆς Παλλιάδος μὴ εἰληφέναι. i. e. *Neque hospitis discipuli, accepto viatico quod deposuerat, postea per Palladem, a me non acceptum dejeravi.* Vide Ezechielem cap. XVIII. 12. et Laertium in Pittaco et Platone. Hav.

(e) *Hermiam turpiter loco excedere fecit.* Adducit ex Laertio La Cerda Aristippi narrationem, Aristotelem ab Hermia concubinam ejus accepisse, sed hunc vix pertinere ipse fatetur. Potuisset alioquin huc respexisse Lucianus, certe allusisse; dum scribit in Lapithis Σὺ δέ, τὴν Σωστράτου γυναῖκα τοῦ μαθητοῦ ἐμοιχευσας, ὦ Κλεόδημε. *Tu vero, Cleodeme, Sostrati discipuli tui uxorem stuprasti.* Hunc vero Hermiam intimum in Aristotelis amicitia locum obtinuisse, patet ex Athenæo in cujus lib. XV. cap. 16. philosophus ut impius accusatur, quoniam isti Hermiæ divinum tribuisset honorem, memoriam ejus, ut deorum, hymno celebrans, sed defendens Aristotelem Athenæus demonstrat non hymnum sed scholion esse, ipsumque carmen subjicit, ubi ad virtutem sermo est, et de Hermia, quem Herculi, Achilli et Ajaci comparat, illa exstant:

Σᾶς δ' ἕνεκ' φιλίου μορφᾶς
Καὶ Ἀταρνίας ἔντροφος
Ἡελίου χήρωσεν αὐγᾶς.
Τὸν γὰρ ἀοίδιμον ἔργοις,
Ἀθάνατόν τί μιν αὐξήσουσι Μοῦσαι
Μνημοσύνης θυγατέρες,
Διὸς ξενίου, σέβας αὔξουσαι
Φιλίας τε γέρας βεβαίας.

i. e. *Ob amabilem formam tuam se privavit lumine solis alumnus Aterneæ. Quem actis rebus clarum et celebrem sempiterna laude Musæ decorabunt, Mnemosynes ac Jovis Hospitalis filiæ venerationem extollentes, firmæque amicitiæ præmia.* Ibidem citantur illa Aristotelis: Οὐ γὰρ ἂν ποτε Ἑρμείαν θύειν ὡξ ἀθανάτῳ προαιρούμενος, ὡς θνητῷ μνῆμα κατεσκεύαζον, καὶ ἀθανατίζειν τὸν φύσει βουλόμενος ἐπιταφίοις καὶ τιμαῖς ἐκοσμήσατο. i. e. *Hermeiæ, ut immortali, cum ego sacrificare non deliberarem, sepulcrum, ut mortali, extruxi: immortalem vero famam ejus reddere cupiens, funebri commendatione atque laudatione eum cohonestari.* Sed est in MS. L. B. monstrum aliquod lectionis *Herimantra putriculo excedere fecit.* sensum assequi nondum potui. An potius legendum? *Hermiam turpiter thoro excedere fecit.* Quod confirmat Laertius. Hav.

(f) *Alexandro regendo potius.* Idem Codex *regi*, sed male. Debuerat potius, inquit, ferocem ejus adolescentiam regere frœno modestiæ, magister ejus, quam ut aulicus ipsi assentari et dementiam animi augere. Sed hujus in sapientibus sæculi adulationis insigne nobis exemplum præbet Arrianus de Exped. Alex. lib. IV. cap. IX. p. 164. edit. Gron. Ibi indignante sibique irascente Alexandro ob infandam Cliti cædem dicit ille Arrianus: Εἰσὶ δὲ οἱ λέγουσιν Ἀνάξαρχον τὸν σοφιστὴν ἐλθεῖν etc. i. e. *Sunt qui scribant, Anaxarchum sophistam consolandi ejus causa arcessitum, ad eum venisse, quumque cubantem atque suspirantem offendisset, arridentem dixisse, Ignorare ipsum cur veteres sapientes Justitiam Jovi assidentem fecerint; nimirum quia quidquid a Jove decernitur, id juste factum esse censeri debeat: oportere igitur, quæ a magno rege fierent, justa existimari, primum quidem ab ipso rege, deinde a cæteris mortalibus. Atque hoc quidem dicto tunc nonnihil solatii Alexandro attulisse.* Sed ipse præ-

Digitized by Google

Dionysio ventris gratia venditatur (*a*). Aristippus in purpura sub magna gravitatis superficie nepotatur (*b*), et Hippias, dum civitati insidias disponit, occiditur (*c*). Hoc pro suis omni atrocitate dissipatis nemo unquam christianus tentavit. Sed dicet aliquis, etiam de nostris excedere quosdam a regula disciplinæ; desinunt tum christiani haberi penes nos, philosophi vero illi A cum talibus factis in nomine et in honore sapientiæ perseverant apud vos. Quid adeo (1) simile philosophus et christianus, Græciæ discipulus et Cœli, famæ negotiator et salutis (2), verborum et factorum operator, rerum (3) ædificator et destructor, interpolator erroris et integrator veritatis, furator ejus et custos (4).

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Cod. Lugd., Ald., Rig. et Hav.:* Adeo quid; *scribendum fortasse,* Atque adeo quid, etc.

(2) *Edd. ante Rigaltium omnes:* vitæ, *cod. Fuld.* et salutis vitæ.

(3) *Edit. Rig. excepta omnes:* et rerum. *Sed s.* deorum, *ut conjecit A. Neander,* s. idolorum *scripsisse videtur Tertull.*

(4) *Edd. ante Rigaltium:* destr., amicus et inimicus erroris, veritatis interpolator et integrator et expressor, et furator ejus et custos?

COMMENTARIUS.

clare addit: Κακὸν δὲ μέγα ὡς ἐγὼ φημι ἐξεργάσασθαι Ἀλεξάνδρῳ, etc. i. e. *Ego vero majoris errati quam prioris auctorem Alexandro Anaxarchum fuisse censeo, si illum* B *viri sapientis sententiam esse statuit; Non oportere nimirum regem summo studio delectuque habito justa agere; sed quidquid aut qualecumque sit quod rex faciat, justum censeri debere.* Cui culpæ quam affinem fecerint Aristotelem, patet ex ista cum hoc Anaxacho collatione apud Lucianum in Parasito: Εὐριπίδης μὲν γάρ, ὅτι Ἀρχελάῳ μέχρι τοῦ θανάτου παρασίτει, καὶ Ἀναξάρχος Ἀλεξάνδρῳ, πάντως ἐπίστασαι. Καὶ Ἀριστοτέλης δὲ τῆς παρασιτικῆς ἥρξατο μόνου, ὥσπερ καὶ τῶν ἄλλων τεχνῶν. i. e. *Quod autem Euripides apud Archelaum ad mortem usque, Anaxarchus apud Alexandrum egit parasitum, plane compertum habes. Cæterum Aristoteles parasiticam orsus est solum, ut fecit in reliquis artibus.* Mordet philosophum, quod omnia scire et docere cupiens, in nullo perfecte excelluerit. Qui idem tamen aulicas callens artes cognatum suum Callisthenem frustra monuit, temperaret ferociam animi, nè sibi fatum maturaret, Alexandro congredi nesciens, ut supra docuimus. Hav.

(a) *Quam Plato Dionysio* etc. Sensus est, nec alius esse potest: tam turpiter gratiam Alexandri captat Aristoteles, quam lautitias et cœnas Dionysii Plato. Itaque recte La Cerda et Rigalt. jugulaverunt veterem lectionem, licet in omnibus sit MSS. et editis, *Plato a Dionysio.* Lucianus in Parasito: Ὁ δὲ Πλάτων ὑμῶν ὁ γενναιότατος, etc. i. e. *Vester quoque generosissimus ille Plato, in Siciliem hac de caussa venit. Ubi cum paucos dies apud regem esset parasitus, quia ad eam erat inhabilis, excidit. Rursus repetitis Athenis postquam vehemens studium adhibuisset, seque adornasset, secunda navigatione Siciliam petivit: ubi paucos dies cœnatus, iterum præ imperitia excidit.* Idque complures affirmasse scriptis ait. Notatque ob hanc caussam Nazianz. II. in Jul. Cognitumque ex Laertio est, quid Diogeni Plato insusurraverit, Platonique Diogenes responderit. Hav.

(b) *Aristippus in purpura* etc. Hujus luxuriæ multi meminerunt. Nazianzenus in Carm. Cygn. et alii. Vitam descripsit copiose Laertius. Sed et Lucianus illud philosophorum flagellum lepide denotavit. In Vitarum itaque Auctione: JUP. *Alium accerse, Cyrenæum illum purpura amictum et coronatum.* MERCUR. *Agite, animum advertite omnes. Res sumptuosa est quæque divitibus indiget. Vita hæc est jucunda, vita ter beata. Quis cupit delicias? quis emet mollissimum?* MERCAT. *Accede tu, et dic quid noris, emam enim te si utilis fueris.* MERC. *Ne obturba, o bone, neque interroga ipsum, ebrius enim est, itaque non poterit tibi respondere, lingua, ut vides, titubans.* MERCATOR. *Quis mentis compos emat tam corruptum et immodestum mancipium? quoque tot unguenta olet, quam vero gressu lubrico et ratione carente incedit. Sed utique, Mercuri, dic, quibus artibus præditus sit, aut quæ tractare soleat.* MERCUR. *In summa, convivator est et compotor egregius; quin ad exercendas impudicas et lascivas saltationes, una cum tibicina admodum idoneus esset amatori cuidam et perdito hero. Quod ad alia attinet, parandorum bellariorum est gnarus, et in adornandis eduliis exercitatissimus. Breviter, voluptatis artifex est: institutus enim est Athenis, atque Siciliæ tyrannis servivit, quibus magno in pretio fuit.* Idem de eodem in Parasito: Καὶ οὗτος μέντοι κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον, etc. i. e. *Et ille per id ætatis Syracusis versatus est, parasitando apud Dionysium, apud quem parasitorum omnium maxime probabatur, ut qui ad hanc artem præ cæteris singulari præditus esset industria: adeo ut quotidie coquos ad eum mitteret Dionysius, ut ex ipso discerent. Hic quidem videtur digne hanc artem excoluisse.* Itaque in Bis Accusato digladiantes de illo inducit Virtutem et Voluptatem seu Mollitiem. Ibi Virtus: Ἐμὸς γάρ ἐστιν Ἀριστίππος, ὡς δηλοῦσιν οἱ λόγοι καὶ τὰ ἔργα. i. e. *Meus est Aristippus, quod quidem sermones ejus et opera ostendunt.* Repondet Mollities: Οὐμενοῦν, ἀλλ' ἐμὲ, τὴν Τρυφήν· ἐμὸς γὰρ ὁ ἀνήρ, ὡς ἔξιν ὁρᾷς ἀπὸ τῶν στεφάνων, καὶ τῆς πορφυρίδος, καὶ τῶν. i. e. *Minime, sed me* (prius loqui decet) *quæ sum Mollities. Meus enim est homo ille, ut videre est ex coronis,* C *purpura et unguentis.* Ibi tum Justitia judex: Μὴ φιλονεικῆτε, etc. i. e. *Ne contendite: differetur enim et hæc caussa eo usque, dum Jupiter de Dionysio sententiam ferat. Hoc enim illi videtur adsimile: adeo ut si Voluptas vicerit, Aristippum quoque Mollities habitura sit: si contra Stoa, hic Virtuti adjudicetur.* Et hæc quidem animi exhilarandi caussa dicta sunt; sed serio ab Epiphanio appellatur γαυρίμαργος καὶ φιλήδονος. i. e. *gulæ et voluptatibus deditus,* contra Hæresin LXXX. Unde sic Lactantius Div. Inst. lib. III. c. 8 *Aristippo ne respondendum quidem duco, quem in corporis voluptatem semper intuentem, nihilque aliud, quam ventri et Veneri servientem, nemini dubium est hominem non fuisse. Sic enim vixit, ut nihil inter eum pecudemque distaret, nisi unicum, quod loquebatur.* Hav.

(c) *Hippias.* Fuit tali nomine philosophus cujus ut omnium disciplinarum non tantum, sed et artium peritissimi meminit Cicero lib. III. De Oratore. Laudes etiam copiose prosequitur Xenophon Memorab. lib. IV. et Lucianus in Hypia. Sed de hoc nihil tale D legitur. An igitur confudit hunc cum Hippia, qui Fisistrati fuit filius? de quo Cicero scribit ad Atticum. *Nefarius Hippias, Pisistrati filius, qui in Marathonia pugna occidit, arma contra patriam ferens.* Rem quoque narrat Justinus lib. II. cap. 9. Fuit tamen hoc magis apertum bellum quam dispositæ urbi insidiæ. Vel igitur Hippias ille Eleus a quibusdam scriptoribus, quos Septimo videre contigit, urbi suæ insidias struens, hoc modo periit, vel alius quispiam intelligitur cujus nomen est corruptum. Et certe testantur in MS. Fuld. exstitisse *Ychthias*, et ipse in Cod. Lugd. Bat. observavi *Jethiclias.* Potuit itaque fuisse aliquis e Pythagoræ sectatoribus, qui plerique illius criminis rei interierunt. Jamblico sane memoratur inter illos quidem Euthicles Reginensis cap. XXXVI. quod nomen lectionibus MSS. valde est affine, potuitque ab aliis scribi Euthiclias, et hinc corrumpi in *Jethiclias.* Hav.

Digitized by Google

CAPUT XLVII.

ARGUMENTUM. *Imo, si quid sanum vel veritati simile in scriptis philosophorum inveniatur, id totum ab antiquiore lege Dei, quam incorruptam Christiani habeant, mutuatum, sed ita ut pro captu et voluntate sua quilibet eorum id corruperit et mutaverit, quod itaque nullam paritatem inter utrosque inferat, sed magis ostendat, diversas illorum sectas ab unica veritate, quam de antiquiore forma possident Christiani, in infinitos errores procidisse.*

47. Adhuc enim mihi (1) proficit antiquitas præstructa divinæ litteraturæ (*a*), quo facile credatur thesaurum eam fuisse posteriori cuique sapientiæ. Et si non onus jam voluminis temperarem, etiam excurrerem in hanc quoque probationem. Quis poetarum, quis sophistarum, qui non de prophetarum fonte potaverit? Inde igitur philosophi sitim ingenii sui rigaverunt; nam quia quædam de nostris habent, ea propter nos comparant illis (2). Inde, opinor, et a quibusdam philosophia legibus (3) quoque ejecta est, a Thebanis dico (*b*), a Spartiatis et Argivis. Dum ad nostra conantur (4) (*c*) et homines gloriæ (*d*), ut diximus, et eloquentiæ solius libidinosi, si quid in sanctis (5) offenderunt digestis, exinde regestum (6) pro instituto curiositatis ad propria verterunt (7), neque satis credentes divina esse, quo minus interpolarent, neque satis intelligentes, ut adhuc tunc subnubila (8), etiam ipsis Judæis obumbrata, quorum propria videbantur. Nam et si qua simplicitas erat veritatis, eo magis scrupulositas humana fidem aspernata nutabat (9) (*e*), per quod in incertum miscuerunt etiam quod invenerant certum. Inventum enim solummodo Deum non ut invenerant (*f*) disputaverunt, ut de

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Vulgo* : Antiquior omnibus ni fallor? Adhuc, etc. *Rhen., Gangn., Her.* : Ant. omn. veritas [ni fallor] et hoc mihi, etc., *Gelen.* custos antiquior omnibus ni fallor? et hoc m etc. *Sed recte vocc. ista ab hoc loco aliena deleverunt Rigalt. all.*

(2) *Ita hæc verba, quæ deleverat Rigalt., e cod. Fuld. restituit Hav.*, cæteri : ut quæ de nostris habent, ea nos comparent illis.

(3) Legibus *addidit Haverc. e Cod. Fuld.*

(4) Dum nostra conantur *Franeq.* dum nostra contaminantur *Rhen. Wouwer.* nam ad nostra contaminantur *Rig.*

(5) Scripturis *intrusum in rel expunxit Rig.*

(6) *Vv.* exinde regestum *Rig. inscruit auctoritate cod. Fuld.*

(7) Opera *add. Fran.*

(8) Sublimia, *Rhen.*

(9) Mutabat, *Rhenan.*

COMMENTARIUS.

(a) *Antiquitas præstructa Divinæ literaturæ.* Etiam hic inquit instituto meo servit summa Divinæ Scripturæ antiquitas, cujus scriptoribus etiam vetustissimos vestros posthumare aliquot sæculis supra cap. XIX. ostendimus. Ex illis scilicet si quid vero sapiant philosophi vestri sua omnia hauserunt, sed dum ingenii sui modulo metiuntur multifariam deturparunt. HAV.

(b) *A Thebæis.* Hæc quum sit scriptio Fuld. et Lugd. Bat. MSS. pari consensu, non dubito quin voluerit sic exprimere Tertull. licet alii habeant *a Thebanis.* Fuld. etiam mox *et ab Spartanis, et Argæis*, ubi alii *Spartiatis, et Argivis.* Imo ipsis Athenis aliquando exsulare coacti sunt philsophi, quum decreto Sophoclis filii Amphiclidæ omnibus schola interdicta est, nisi quos senatus et plebs probasset. Testis Diogenes Laertius in vita Theophrasti, non longe a principio. Ibi de Theophrasto : Τοιοῦτος δὲ ὤν, ὅμως ἀπεδήμησε etc. i. e. *Quum tamen esset hujusmodi, secessit ad tempus et ipse ut philosophi reliqui. Quippe Sophoclis Amphiclidæ filius legem tulerat, uti ne quis philosophorum præesset scholæ, nisi id senatus aut plebs decrevisset; qui secus faceret, capitale esset.* Sed additur ibidem : Ἀλλὰ αὖθις ἐπανῆλθον εἰς νέωτα etc. i. e. *Verum sequenti anno denuo reversi sunt, quum a Philone Sophocli dies dictus esset. Quo tempore Athenienses ea lege abrogata, Sophoclem talentis quinque mulctarunt, decreverunteque philosophis reditum.* Ubi Casaubonus illa Athænei profert Deipnosoph. lib. XIII. Καὶ Σοφοκλῆς, ὅστις ψηφίσματι ἐξέλασε πάντας φιλοσόφους τῆς Ἀττικῆς. i. e. *Et Sophocles, cujus decreto omnes philosophi Athenis sunt ejecti.* Sed in Italiam transire si velis, ipsa urbe Roma pulsos videas, nam ipsa JCti verba etiamnum exstant apud Gellium Noct. Attic. lib. XV. c. XI. et Suetonium de Claris Rhetoribus in principio. Huc respicit Seneca, quum sæculi sui mores taxat in Consolat. Ad Helviam c. X. *Apicius nostra memoria vixit, qui in ea urbe, ex qua aliquando philosophi velut corruptores juventutis abire jussi sunt, scientiam popinæ professus, disciplina sua sæculum infecit.* HAV.

(c) *Dum ad nostra conatur.* Viri docti dum hæc prioribus annectere volunt, varie turbant sensum. Putant Tertull. velle dicere philosophiam ejectam a quibusdam civitatibus, dum philosophi simile Christianorum dogmatibus somniant, quod jam semel dixit. Simplex ita que et verus sensus hic est : Philosophi, homines et gloriæ et eloquentiæ solius studiosi, dum aliquid de nostro sapere volunt, Sacram Scripturam et cognitionem Dei corrumpunt. Itaque post *Argivis* punctum est ponendum, et sensus planus est. Editio Aldina legebat *dum a vestra conantur*, errore solito. Cod. Agob. *dum a nostra conantur et b. g.* etc. viam ita aperiens ad rectam distinctionem. Wouwer. et Rhen. *dum nostra contaminantur.* Unde Rigalt. *dum ad nostra contaminantur*, quomodo ex v. c. laudat in ora libri mei et amplectitur Scriverius. Pam. et La Cerda *dum nostra conantur.* Rectius MSS. Puteani Fuld. Herald. etiam Lugd. Bat. *dum ad nostra conantur.* Sic fere cap. XL. *et si qua illic arborum poma conantur oculis tenus.* HAV.

(d) *Homines gloriæ*, etc. Philosophus est animal gloriæ, venaleque rumorum mancipium, inquit Tertull. alibi, Augustinus ep. 56. *Inanis gloriæ mancipia*, sicque passim apud Patres et veteres sophistarum tumor suggillatur qui κλεπτὴν σοφίαν dicitur a philosophorum Homero. LE P.

(e) *Nutabat.* Veteres editiones Barr. Ald. Rhen. Heraldi, Pam. Cod. etiam L. B. *mutabat.* quod discedens a Junio, defendit etiam in notis La Cerda. Ast Junius recte emendavit *nutabat*, nec aliter MSS. Fuld. Agob. et ipse Rigaltius. Philosophi illi solius gloriæ et eloquentiæ libidinosi, sicut obnubila illis atque obtecta non intellexerunt, ita illis quæ per se satis clara erant fidere non sunt ausi, assueti sophisticis nugis et philosophicis involucris, itaque omnia miscuerunt. Eleganter in lib. Ad Nat. II. 2. *Nam et alias veritatis simplicitas per scrupulositatem plerumque fide nutat.* HAV.

(f) *Non ut invenerant.* Sensus subobscurus hic est. Illi aliquam Dei cognitionem ex sacris Scripturis haurientes, non, quod debuerant, secundum illas Deum docuerunt, nec ad illas populum relegaverunt, sed quasi sua opera Divinitatem perscrutati essent, gloriam captaverunt, nec in ipsa Dei cognitione valde inter se consentientes, dum alii, etc. in quo a veritate

Digitized by Google

qualitate et de natura ejus et de sede disceptent (*a*), Alii incorporalem asseverant, alii corporalem (*b*), qua platonici, qua et stoici (1); alii ex atomis, alii ex numeris (2) qua Epicurus et Pythagoras, alii ex igne, qua Heraclito visum est; et Platonici quidem curantem rerum; contra Epicurei otiosum (*c*) et inexercitum (*d*), et ut ita dixerim, neminem humanis rebus (3); positum vero extra mundum (*e*) Stoici, qui figuli modo extrinsecus torqueat molem hanc, intra mundum Platonici, qui gubernatoris exemplo, intra illud maneat, quod regat. Si et de ipso mundo natus innatusve sit, decessurus mansurusve sit variant (*f*);

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ut tam platonici quam stoici *Fran. Paris.*
(2) Sicut *Frqn. Paris.*
(3) Immunem ab humanis rebus *Wouwer.*

COMMENTARIUS.

aberrare se docent, quæ est simplex et unica. Nescio qui factum ut ab Edit. Rig. qua u tor, totum hoc abesit, contra omnes MSS. Hav.

(a) *De sede disceptent.* Quem nonnulli hoc modo ubique esse statuunt, ut simul omnia pars sint Divinitatis. In qua impia opinione fuit Lucanus, Lib. IX. 582.

> Estque Dei sedes, ubi terra, et pontus, et aer,
> Et cœlum et virtus. Superos quid quærimus ultra?
> Jupiter est quodcumque vides, quocumque moveturB.

De Deo Epicureorum Cic. lib. I. De Nat. Deorum. cap. CIII. *Verum sit sane, ut vultis, Deus, effigies hominis, et imago. Quod ejus est domicilium? quæ sedes? qui locus?* Deinde ubi dixit etiam cunctis animalibus suum esse locum, ubi degant, pergit cap. CIV. *Quæro igitur vester deus primum ubi habitet?* Idem lib. II. de iisdem ita pergit, *Deorum quos perlucidos et perstatiles induxit sedem esse, tanquam inter duos ludos, sic inter duos mundos, propter metum ruinarum.* Hav.

(b) *Alii incorporalem asseverant, alii corporalem.* Lucianus loco adducto: Ἔτι δὲ, οἱ μὲν, ἀσώματόν τι, καὶ ἄμορφον ἠγοῦντο εἶναι τὸ Θεῖον. Οἱ δὲ, ὡς περὶ σώματος αὐτοῦ διενοοῦντο. i. e. *Ad hæc alii incorporeum quiddam atque informe putabant esse Numen. Alii corporis esse imaginabantur.* Hav.

(c) *Contra Epicurei otiosum.* Describente naturam istius ridiculæ divinitatis Epicureo Lucretio lib. I. 57. et II. 646.

> Omnis enim Divum per se natura necesse est
> Immortali ævo summa cum pace fruatur,
> Semota a nostris rebus, sejunctaque longe.
> Nam privata dolore omni, privata periclis,
> Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
> Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.

Quales dii non potuere non risum excutere cordatis et sapientibus viris. Unde Cicero lib. II. de Nat. Deorum: *Nihil curare Deos, nec sui, nec alieni, sed monogrammos et nihil agentes.* Seneca quoque in lepidissima illa Apocolocyntosi de Claudio agens, Modo dic nobis, qualem Deum istum fieri velis: Ἐπικούρειος Θεὸς non potest esse, οὔτε αὐτος πρᾶγμα ἔχει, οὔτε ἄλλοις παρίχει. quod interpretatur Cicero lib. I. de Nat. Deor. *Quod æternum beatumque sit, id nec habere ipsum negotii quicquam, nec exhibere alteri.* Omnium denique optime dicax Lucianus, cujus verba sunt in Icaromenippo: Εἶτα καὶ προνοεῖν τῶν καθ' ἡμᾶς πραγμάτων οὐπάσιν ἐδόκουν οἱ Θεοὶ, ἀλλὰ ἦσάν τινες, οἱ τῆς συμπάσης ἐπιμελείας αὐτοὺς ἀφέντες, ὥσπερ ἡμεῖς εἰωθαμεν ἀπολύειν τῶν λειτουργιῶν τοὺς γεγηρακότας. οὐδὲν γὰρ ὅτι μὴ τοῖς κωμικοῖς δορυφορήμασιν ἐοικότας αὐτοὺς εἰσάγουσιν. i. e. *Deinde non omnes existimabant, res mortalium curæ Diis esse: verum erant nonnulli, qui ipsos omni cura liberantes (ut nos senio confectos a ministeriis dimittere consuevimus) nihilo aliusmodi eos induceremt, quam cujusmodi satellitia in comœdiis induci solent.* Apte assimilat δορυφορήμασιν κωμικοῖς, quoniam mutæ personæ erant, et quibus nulla oratio aut insignior actus in scena tribuebatur. Hav.

(d) *Et inexercitum.* MSS. Fuld. et L. B. *et inexercitatum.* Manet tales illud Hilarii Pictaviensis in Ps. LXIII. *Porro qui curam humanæ conversationis Deo auferet, cognoscet æterni regni Deum judicem.* Hav.

(e) *Positum vero extra mundum stoici.* Quæsitum quidem fuit inter philosophos, *Deus sedens opus suum spectet, an tractet? utrumne extrinsecus illi circumfusus sit, an toti inditus? immortalis sit mundus, an inter caduca, et ad tempus nata, numerandus.* Verba sunt Senecæ de Vita Beata cap XXXI, quæ, ut ibidem plura, ad caput hoc spectant; sed locatio illa Dei extra mundum, non Stoicorum, sed Epicureorum placitis adscribi debet. Nam ex illorum quidem mente luculentam hanc Dei descriptionem dat Seneca in Præfat. ad Quæst. Natural. *Solus est omnia, opus suum et extra et intra tenet.* Hi vero miseri nugatores Deum extra mundum ejecerunt. Seneca lib. IV. De Beneficiis cap. 19. *Tu denique, Epicure, Deum inermem facis; omnia illi tela, omnem detraxisti potentiam, et ne cuiquam metuendus esset, projecisti ipsum extra metam.* ut ibidem pro *metum* recte corrigit magnus Interpres, conferens cum his locis ex lib. VII. ejusdem libri *Alius Diis objicit negligentiam nostri, alius illos extra mundum suum projicit.* et Epist. XC. *Non de ea philosophia loquor quæ civem extra patriam posuit, extra mundum Deos.* Ubi ergo? nescio in quibus intermundis, ad quos facete respicit Cicero lib. II. de Divinat. *Deorum, quos perlucidos et perstatiles induxit, sedem esse tanquam inter duos ludos, sic inter duos mundos, propter metum ruinarum.* Sed operæ pretium est, ut lectorem ablegam ad Justi Lipsii Physiolog. Stoicor. lib. I cap. ult. seu 21. ubi locum hunc Tertulliani taxat et pluribus testimoniis Stoicos defendit. Nescio an ad hanc philosophorum opinionem respexerit Lucianus, an Christianos potius notare voluerit, cum sacrilega hæc deblaterat in Icaromenippo p. 276. edit. Benedict. Οὓς καὶ μάλιστα ἐθαύμαζον θεὸν μέν τινα τεχνίτην τῶν ὅλων ἐφιστάντας οὐ προτιθέντας δὲ οὔτε ὅθεν ἦκων, οὔτε ὅπου ἑστὼς ἕκαστα ἐτεκταίνετο, i. e. *Quos equidem cum primis admirabar: quod cum Deum quemdam rerum omnium opificem constituissent, non etiam illud adderent, vel unde is esset profectus, neque ubi consisteret, cum singula fabricaretur.*

(f) *Gubernatoris exemplo intra illud maneat quod regat.* Boetius lib. III. metro 9. huc respiciens:

> O qui perpetua mundum ratione gubernas
> Terrarum cælique sator.

et clarius lib. IV. metro 6.

> Sedet interea conditor altus,
> Rerumque regens flectit habenas.
> Rex, dominus, fons et origo,
> Lex et sapiens arbiter æqui.
> Et quæ motu concitat ire
> Sistit retrahens, ac vaga firmat,
> Nam nisi rectos revocans intus
> Plexos iterum cogat in orbes,
> Quæ nunc stabilis continet ordo,
> Dissepta suo fonte fatiscant.

(g) *Sic et de ipso mundo, natus innatusve sit, decessurus mansurusve sit.* Vide Senecam loco modo citato. Præter philosophos multos mundum æternum, fine principioque carentem putavit insignis poeta Manilius lib. I. Astron.

> Hæc æterna manet, divisque simillima forma.
> Cui neque principium est usquam, nec finis in ipso:
> Sed similis toto remanet, perque omnia par est.

Idem, ibidem:

Digitized by Google

sic et de animæ statu, quam alii divinam et æternam, alii dissolubilem contendunt : ut quis sensit, ita et intulit aut reformavit. Nec mirum, si vetus instrumentum ingenia philosophorum interverterunt. Ex horum semine et nostram hanc novitiolam (*a*) paraturam (*b*). viri quidam suis opinionibus ad philosophicas sententias adulteraverunt, et de una via obliquos multos tramites et inexplicabiles (1) sciderunt. Quod ideo suggesserim, ne cui nota varietas sectæ hujus in hoc quoque nos philosophis adæquare videatur, et ex varietate defensionum (*c*) indicet veritatem (2). Expedite autem præscribimus adulteris nostris illam esse regulam veritatis, quæ veniat a Christo, transmissa per comites ipsius, quibus aliquanto posteriores diversi isti commentatores probabuntur. Omnia adversus veritatem de ipsa veritate constructa sunt, operantibus æmulationem istam (*d*) spiritibus erroris. Ab his adulteria (3) hujusmodi salutaris disciplinæ subornata (4) ; ab his quædam etiam fabulæ immissæ, quæ de similitudine (5) fidem infirmarent veritatis, vel eam sibi potius evincerent (6), ut quis ideo non putet Christianis credendum, quia nec poetis, nec philosophis, vel ideo magis Poetis et Philosophis existimet credendum, quia non christianis. Itaque et ridemur Deum prædicantes judicaturum. Sic enim et poetæ et philosophi tribunal apud inferos ponunt. Si gehennam comminemur, quæ est ignis arcani subterranei ad pœnam thesaurus, proinde decachinnamur. Sic enim et Pyriphlegethon (7) apud mortuos amnis est. Et si paradisum nominemus (*e*), locum divinæ amœnitatis recipiendis sanctorum spiritibus destinatum, maceria quadam igneæ illius zonæ a notitia orbis communis segregatum, Elysii campi fidem occupaverunt. Unde hæc, oro vos, philosophis aut poetis tam consimilia ? non nisi de nostris sacramentis : si de nostris sacramentis, ut de prioribus, ergo fideliora sunt nostra, magisque credenda, quorum imagines quoque fidem nveniunt ; si de suis sensibus, jam ergo sacramenta nostra imagines posteriorum habebuntur, quod rerum forma non sustinet ; nunquam enim corpus umbra aut veritatem imago præcedit.

CAPUT XLVIII.

ARGUMENTUM.—*Mirum quoque, quod Philosophis incredibilia docentibus credant, magis credibilia apud Christianos damnent ; quod luculenter admodum exsequitur in resurrectionne et restauratione carnis seu corporis humani, opposita brutæ Laberii Pythagoræque animarum metempsychosi.*

Age jam, si quis philosophus affirmet, ut ait Labe-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Multos et inexplicabiles tramites, *Seml.*
(2) *Sic Her., Pam., la Cerda, Rig., Hav., Ald. et Rhen.* : ut ex veritate defensionum vindicet veritatem. *Wouw.* vanitatem, *cod. Fuld.* defectionem vindicet veritatis.
(3) Adulteriis, *Haverc. e cod. Lugd.*
(4) Subortata, *Fran. Paris.*
(5) Dissimilitudine, *Fran. Paris.*
(6) *Rhen., Ald., Herald.* vel etiam si possent evincerent, cod. Fuld. vel eadem sibi potius fidem raperent.
(7) Ad mortuos, *Haverc. e cod. Fuld.*

COMMENTARIUS.

At manet incolumis mundus, suaque omnia versat,
Quæ nec longa dies auget, minuitque senectus,
Nec motus puncto currit, cursusque fatigat.
Idem semper erit, quoniam semper fuit idem.
Non aliam videre patres, aliumve nepotes
Aspicient.

Sed præter Sophoclem, cujus memorabile excerptum habes in collectione Grotiana, quæ inscribitur Excerpta ex Trag. et Com. Gr. p. 145. Lucanum lib. I. versu 72. Ovidium aliosque, excellentissimis et argumentis et versibus ortum aliquando mundum et perituram olim invicte demonstravit Lucretius lib. v. versu 94.

Horum naturam triplicem, tria corpora Memmi,
Tres species tam dissimiles, tria talia texta,
Una dies dabit exitio : multosque per annos
Sustentata ruet moles et machina mundi.

Vide quæ ibidem sequuntur. Sed hic sibi etiam non deluit Lucianus, quin risum ex hac philosophorum rixa captaret. in Icaromenippo p. 276. edit. Bened. Πρῶτον μὲν γὰρ αὐτοῖς ἡ περὶ τοῦ κόσμου, etc. i. e. *Primum enim varia est de mundo sententia : siquidem aliis non genitus, nec interiturus esse videtur : alii et ejus opificem, et fabricandi modum ausi sunt dicere.* Prorsus impii sunt quæ ibidem sequuntur. In eodem Dialogo p. 273 Οὐ γὰρ εἶχον εὑρεῖν οὐδ' ὅπως ἐγένετο, οὔτε τὸν δημιουργόν, οὔτε ἀρχήν. οὐθ' ὅτε τὸ τέλος ἐστὶν αὐτοῦ. i. e. *Neque enim invenire poteram, neque quo pacto, neque quo opifice factus fuisset, neque quod esset illius vel initium vel finis.*

(a) *Hanc novitiolam paraturam.* Novum instrumentum. RIG.

(b) *Novitiolam paraturam.* Novellam sectam christianorum alibi vocat : est enim ab Tiberio, cujus ævo explicari cœpit hæc lex. LAC.

(c) *Et ex varietate defensionum judicet veritatem.* Sic legitur passim hic locus, tamen, si quis alius, male affectus. Quæ enim in illo vel mica sani sensus ? Cum videant veritatem, exponit La Cerda, a multis diverso tramite defendi. Itane, vir docte, Marcionitæ, Gnostici, Valentiniani et similia hominum purgamenta veritatem aliquo modo defendunt ? Non potest ineptius. Videamus itaque quid libri editi et MSS. suppeditent. Aldus, *ut ex veritate defensionum vindicet veritatem.* Rhen. *ut ex veritate defensionum vindicet veritatem.* Herald. Pam. la Cerda, *et ex varietate defensionum judicet veritatem.* Sed La Cerda in notis cum Wouw. legit *vanitatem.* MS. L. B. conspirat cum Herald. nisi quod præferat cum Rhenano [quod et facit Cod. Agob.] *vindicet.* Optimus denique Fuld. hanc lectionem exhibet *defectionem vindicet veritatis*, adscripsit Junius. quæ lectio est rectissima. Ego huic quoque ac quiesco, nam optimus est sensus : ne quis, inquit, arguat nos a veritate, quæ una est, defecisse, cum tam multæ et diversæ inter nos sint sententiæ, quod abnuit Tertullianus, quia illi qui nobiscum dissentiunt nostri non amplius jam sunt, sed adulteri ex schola nostra ejecti. vide cap. XLVI. in fine.

(d) *Operantibus æmulationem istam spiritibus erroris.* Augustin. de Trinit. lib. III. cap. 10. *Diabolum animas deceptas illusasque præcipitasse, quum polliceretur purgationem animæ, per eas quas τελετὰς appellant transfigurando se in angelum lucis, per multiformem machinationem, in signis et prodigiis mendacii.* Quomodo vero varia Ecclesiæ Dei arcana miseris gentilibus obtenebraverit antiquus serpens, omnino videri debet doctissima Casauboni opera in Exercit. ad Annal. Baron. Exercit. XVI cap. 43. et ejusdem nota ad Persii Sat. v. versum 129.

(e) *Et si Paradisum nominemus.* In eo fuit errore Tertullianus, ut sanctorum animas ad diem usque Judicii in Paradiso servari crediderit. LE PR.

Digitized by Google

rius (*a*) de sententia Pythagoræ, hominem fieri ex mulo, colubram (1) (*b*) ex muliere, et in eam opinionem omnia argumenta eloquii virtute detorserit (2), nonne consensum (3) movebit et fidem infiget etiam ab animalibus abstinendi? proptereaque persuasum quis hoc habeat, ne forte bubulam de aliquo proavo suo obsonet (*c*). At enim christianus, si de homine hominem ipsumque de Caio Caium (*d*) reducem repromittat, statim illic vesica queritur (4) (*e*), lapidibus magis, nec saltem cæstibus (5) (*f*) a populo exigetur. Quasi non, quæcumque ratio præest (*g*) animarum humanarum in corpora reciprocandarum, ipsa exigat illas in eadem corpora revocari; quia hoc sit revocari, esse quod fuerant. Nam si non id sunt quod fuerant, id est, humanum et id ipsum corpus indutæ, jam non ipsæ erunt quæ fuerant. Porro, quæ jam non erunt ipsæ, quomodo redisse dicentur? Aut aliud factæ non erunt ipsæ (*h*), aut manentes ipsæ non erunt aliunde (6). Multis etiam jocis et otio (7) opus erit, si velimus ad hanc partem lasci-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Colubrum, *Fran.*
(2) Distorserit *Seml.*
(3) Sensum *Ald. Rhen.*
(4) Statim illic vesica queritur *addit Hav. e cod. Fuld.*
(5) Cædibus *Fran.*
(6) *Ita Hav. e cod. Fuld. In prioribus edd. locus ita erat descriptus* : Si quæcumque ratio præest animarum humanarum reciprocandarum in corpora, cur non in eamdem substantiam redeant, cum hoc sit restitui, id esse quod fuerat? Jam non ipsæ sunt, quæ fuerant, quia non potuerunt esse quod non erant, nisi desinant esse quod fuerant. *Ex hac quoque scripturæ diversitate conj. Hav., Apologeticum a Tertull. bis editum* esse.
(7) *Sic Wouw. e ms. et Rig., Pamel. aliique* : jocis ex otio, *Gel.* : jocis et ocio, *Hav.* jocis ex otio.

COMMENTARIUS.

CAP. XLVIII.—(a) *Ut ait Laberius.* Poeta fuit mimographus cujus meminit etiam Auctor lib. de Pallio cap. 1, et Macrobius Saturnal. lib. II, ac Gellius lib. XI, cap. 9. de quo plura apud Crinitum in Decio Laberio. Alludit ad eumdem Minutius his verbis : *Mimi officio digna ista sententia est.* Atqui locum ipsum Laberii his verbis expressit idem Crinitus de Honestat. disciпl. lib. II, cap. 3.

Et audio mala multa etiam ex bonis,
Per illud, ut nos olim mutant philosophi,
Et nunc de mulo hominem, de muliere colubrum,
Faciunt, et ex diversis diversa alia. PAM.

(b) *Colubram ex muliere.* Recte sic Junius et Rigalt. etiam Cod. Agobard. alii *colubrum.* Sed veteres illi fœminino magis amarunt, quod hic in muliere etiam aptius. Lucilius satyrographus apud Nonium Marcellum :

Jam disrumpetur medius jam ut Marsu colubras
Disrumpit cantu.

Turpilius ibidem : *Arripuit colubram mordicus;* et Varro Eumenidibus :

Quid dubitatis, utrum nunc sitis cercopitheci,
An colubræ, an beluæ? an de albu cibus labus Athenis?

Quo in loco forsan et ipse irridet pythagoricum dogma, nam ut fragmenta docent, in illa satyræ parte, super cœnam de philosophis sermo fuit. Quod patet evidentius si, cum populari meo Ausonio Popma, ultima ista manifesto corrupta ad græcas litteras retrahas, locumque sic restituas :

An colubræ, an beluæ ἐν κεφαλῇ quibus λόγος ἕπεται;

ut de cristatis gallis sit sermo, pythagoricis etiam apud Lucianum in Micyllo philosophis. HAV.

(c) *Ne forte bubulam de aliquo proavo suo obsonet.* Satis ridicule dictum, potuissetque, si carmen condidisset, ita efferre :

Cumque boum dabitis cæsorum membra palato,
Mandere vos vestros scite et sentite parentes.

Ubi tamen melius forsan legas *sentire;* Ovidii sunt versus, sed ad præsentem rem accommodati, cum ille scripserit, non *parentes*, sed *colonos* (Lib. XV. Met., versu 141). Sed eccum ibidem ipse in hunc modum apposite fatur Pythagoras versu 173. :

Ergo ne pietas sit victa cupidine ventris,
Parcite [vaticinor] cognatas cæde nefanda
Exturbare animas, ne sanguine sanguis alatur. HAV.

(d) *De Caio Caium reducem repromittat.* Caius jurisconsultus adhibetur in exemplum ad res singulas. *Repromittere* autem est nuda pollicitatione cautioneque promittere, non satisdato. Alias habet significationes, vide Schardium. PAM.

(e) *Statim illic vesica queritur.* Apparet hic, sed et passim alibi, bonitas Codicis Fuldensis, absque quo ne per somnium quidem excogitari hoc potuisset. In omnibus certe editionibus et MSS. aliis frustra quæras : locus sic concipitur in istis membranis, *reducem repromittat, statim illic vesica quæritur, et lapidibus* etc. Adscripsit collationi, sive Modius is, sive Scioppius, sive Junius : legendum *vesica quæritur;* id est quasi ventis distenditur cruciaturque pectus illorum vehementissime. Hactenus ille. Sed mihi proverbium hoc videtur desumptum a puerulis, qui mingendi necessitatem ultra ferre non possunt, vesica lotio impleta, adeoque sæpe virgam metuentes exclamant. Sic illi audita hac Christianorum oratione, statim egrediuntur auditorio, quasi mingendi necessitas urgeret. Rigaltius transiit, nec ullo in notulis indicio relicto. Non absimile nobis est proverbium de re ingrata : *Men zeu er de koude pis van krygen.* HAV.

(f) *Nec saltim cæstibus.*) Veteres membranæ, *Cœtibus.* Omnimo legendum, *Cœstibus*, et scite admodum cæstus dixit, pugnos vilis plebeculæ callosos, habuitque in mente illud Juvenalis :

. . . et pugnis concisus adorat,
Ut liceat paucis cum dentibus inde reverti. (Sat. 3.)

Ait igitur Septimius : Si christianus aliquis in turba forte, ad populum verba faciens, de resurrectione corporum sermonem habeat, de qua Caio aut Sempronio ipsum Caium et Sempronium resurrecturos asserat, is bene a populo secum agi putabit, si pugnis tantum, et non magis lapidibus exigatur. Ipse Tertullianus ad Marcionem lib. IV, pag. 568, lapidationem dixit popularibus cœtibus, et inermi tumultui familiarem. Et lib. II, ad Nat., lapidem, telum esse ait vulgare atque caninum. RIG.

(g) *Quæcumque ratio præest.* Ita explico : quasi non omnis argumentorum vis, quibus præstruitur et defenditur reciprocatio animarum humanarum et in alia corpora transmigratio, magis etiam stringit si affirmetur revocari animas ad sua quasque corpora. In hoc enim sensu verbum *præesse* usurpatum discimus ex lib. De Carne Christi, cap. XVII. *Ante omnia autem commendanda erit ratio quæ præfuit.* Cum vero totus ordo dictionis a me ex Cod. Fuld. sit transumptus, æquum est ut etiam vulgata lectio apponatur, quæ ita se habet : *Si quæcumque ratio præest animarum humanarum reciprocandarum in corpora, cur non in eamdem substantiam redeant? cum hoc sit restitui, id esse, quod fuerat? Jam non ipsa sunt quæ fuerant, quia non potuerunt esse quod non erant, nisi desinant esse quod fuerant.* Et omissis quæ uberiora in MS. F. exstant, sequitur *Multis*, etc. Ubi in Juniana editione post *erant* interseritur etiam *nisi desinant esse quod non erant.* Apparet id quod statuimus verum esse, bis a Tertulliano Apologeticum suum publicatum. HAV.

(h) *Aut aliud factæ non erunt ipsæ.* Si enim Euphorbi anima corpus induat Pythagoræ, jam iste homo non Euphorbus est amplius, sed Pythagoras. Itaque non rediit totus homo, quia is anima et corpore constat.

Digitized by Google

vire, quis in quam bestiam reformari videretur (1) (a). Sed de nostra magis defensione, qui proponimus, multo utique dignius credi, hominem ex homine rediturum (b), quemlibet pro quolibet, dum hominem, ut eadem qualitas animæ (c) in eamdem restauretur conditionem, etsi non effigiem, certe quia ratio restitutionis destinatio judicii est, necessario idem ipse qui fuerat exhibebitur, ut boni seu contrarii meriti judicium a Deo referat. Ideoque repræsentabuntur et corpora, quia neque pati quicquam (d) potest anima sola sine stabili materia, id est carne; et quod omnino de judicio Dei pati debent animæ, non sine carne meruerunt, intra quam omnia egerunt. Sed quomodo, inquis, dissoluta materia exhiberi potest? Considera temetipsum, o homo, et fidem rei invenies. Recogita quid fueris, antequam esses : utique nihil; meminisses enim, si quid fuisses. Qui ergo A nihil fueras priusquam esses, idem nihil factus (e) cum esse desieris, cur non possis esse rursus de nihilo, ejusdem ipsius auctoris voluntate, qui te voluit esse de nihilo? Quid novi tibi eveniet? qui non eras, factus es; quum iterum non eris, fies. Redde si potes rationem qua factus es, et tunc require qua fies. Et tamen facilius utique fies quod fuisti aliquando, quia æque non difficile factus es, quod nunquam fuisti aliquando. Dubitabitur (2), credo, de Dei viribus, qui tantum corpus hoc mundi de eo quod non fuerat, non minus quam de morte vacationis et inanitatis composuit (3) animatum spiritu omnium animarum animatore, signatum (f) et per ipsum (4) humanæ resurrectionis exemplum in testimonium vobis. Lux quotidie interfecta resplendet (g), et tenebræ pari vice decedendo succedunt (5), sidera defuncta revivis-

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Ita leg. in cod. Fuld., quod prob. Her., Rig., Hav. In cæt. edd.* : Quis, inquam [*Rhen.* unquam], reformari vidit? B
(2) Dubitatur *Fran.*
(3) *Codd.* scripturam imposuit *ita emendavit Wouw.* as- *sentientibus Rig. et Hav.*
(4) Et ipsum *Fran.*
(5) *Havercampius suspicatur legendum vel* decedendæ succedunt *vel* decedendo succedunt.

COMMENTARIUS.

Juvat adscribere sententiam aurei oris, magni illius Chrysostomi. Is, Homil. I, de Resurr. : *Ad hæc, si non resurgit corpus, non resurgit homo. Homo enim non est anima sola, sed corpus et anima. Si ergo anima sola resurget, dimidium animal resurget, et ita non integrum. Sed et de animæ non proprie dicitur resurrectio. Resurrectio enim ejus est quod cecidit, et quod dissolutum est. Anima autem non dissolvitur, sed corpus.* Hav.

(a) *Quis in quam bestiam reformari videretur.* Editi veteres, ut Aldi, Barræi, Pam. et MS. L. B., *quis, inquam, bestiam reformari vidit?* Rhenan., *unquam*, insulse. Sed ex Vet. Cod. correxit Wouwerius *velit*, quasi rogetur mulier, utrum gallina an vacca, vir vero, an passer, taurus, an scarabæus esse velit. Sed præstat lectio Fuldana, quam amplexus est Scioppius et Rigalt., et ex suis MSS. probavit etiam Heraldus, *videretur;* cui assensum non tantum præbent Latinius et Junius ex MSS. Put. et Ursini, sed et Cod. Agob. Sic quæreretur vir bellicosus, avarus, timidus, voluptuarius, in quæ animalia post mortem corporis animam velit migrare, prout commode Micyllus : ille, somnio dives et nunquam non aurei illius insomnii memor, sciscitatus quis ipse olim fuisset, a contubernali gallo suo docetur fuisse formicam indicam ex illis quæ, aurum effodiunt, ut jocatur Lucianus in Gallo. Imo et hominem induta rursus pythagorica illa anima deberet simillimum priori contubernali reddere. Et quantum ipse Musarchi filius a Panthoide aliisque abfuerit, more suo, id est jocose docet Tertull., lib. De Anima, cap. XXXI : *Ecce enim Euphorbum militarem et bellicam animam satis constat vel de ipsa gloria clypeorum consecratorum : Pythagoram vero tam residem et imbellem, ut prælia tunc Græciæ vitans, Italiæ maluerit quietem, geometriæ et astrologiæ et musicæ devotus, alienus studio et affectu Euphorbi. Sed et Pyrrhus ille fallendis piscibus agebat, Pythagoras contra, nec adeundis, ut animalibus abstinens. Æthalides autem et Hermotimus fabam quoque in pabulis communibus inruerat; Pythagoras vero ne per fabalia quidem transeundum discipulis suis tradidit. Quomodo ergo eædem animæ recuperantur, quæ nec ingeniis, nec institutis jam, nec victibus eædem probabuntur?* Hav.

(b) *Hominem ex homine rediturum.* Minucius p. 38. *Cæterum quis tam stultus aut brutus est, ut audeat repugnare, hominem a Deo, ut primum potuisse fingi, ita posse denuo reformari?* ubi vide notam Elmenhorstii. Pertinet et huc Chrysostomi simillimus locus in Epist. Pauli ad Thessalon. I, cap. IV, Homil. VII : *Si sint quidem græci, qui de his dubitant, iis dicemus innumerabilia. Quidnam? Sunt enim apud ipsos qui animas ad plantas deducunt, ad frutices, et canes. Dic mihi, quid est facilius, suum corpus accipere, an alienum?* Hav.

(c) *Ut eadem qualitas.* Etiam hoc inter Tertulliani errores, quod videatur animæ effigiem attribuere, aut si de hominis effigie agat, etiam caute legendum perinde ac si videatur non satis intellexisse eumdem hominem in eadem effigie resurrecturum. Seipsum autem explicat paulo post dum dicit, *sed erimus iidem qui et nunc, nec alii post. Eo quod omnino de judicio Dei pati debent.* Hæc verba absunt a libro Puteani. Pam. C

(d) *Quia neque pati quidquam*, etc. Iis locis ubi de anima disserit, caute legendus : animas impiorum post mortem nihil pati ait, cum ex sint a corpore separatæ; quod inter Tertulliani errores numerandum, nisi moleste ferant Magdeburgenses, qui inter dogmata illud recensent. Le Pr.

(e) *Idem nihil factus.* Caute etiam hic legi debet et auctor, et Minutius, neque enim nihil sumus, aut esse desinimus post obitum, sed ad illud videtur alludere, quod mortuus homo non sit homo. Pam.

(f) *Signatum et per ipsum.* Non solum creavit mundum ex nihilo, illumque animavit, sed in ipso signata notataque sunt exempla plurima resurrectionis animorum, ut sint illa in testimonium gentibus. Quæ hæc sint narrat in sequentibus. Lac.

(g) *Lux quotidie interfecta resplendet.* Ad hæc et sequentia videri potest industria Elmenhorstii qui ad illa Minutii a Nostro desumpta p. 39. *Sol demergit et nascitur; astra labuntur et redeunt.* etc. in notis p. 100. multa coacervavit. Sed et insignis est locus apud Epiphanium, qui me ἀσύμβολον esse non sinit. Is in libro Ancoratus pag. m. Gr. edit. 595. Καὶ ἡ κτίσις πᾶσα διαῤῥήδην αὐτοὺς ἐλέγχει ὑποραίνουσα καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἀναστάσεως τὸ εἶδος, etc. i. e. *Et universa creatura palam ipsos redarguit, singulis diebus resurrectionis speciem ostendens. Occidit enim dies, et mortuorum modum innuimus per soporem. Exoritur dies nos expergefaciens, et resurrectionis signum demonstrans. Decerpuntur fructus, et status rerum exscinditur, ita ut hinc nostri discessus facies præstituatur. Seminatur terra et germinat, quoniam fracta post sectionem resurgent. Locusta moritur, ubi quamdam sui ipsius fœturam abjectam in terram defodit, et post tempus terra reddit ea quæ defossa sunt Semina fructuum seruntur, et primum moriuntur, deinde perficiuntur : nisi enim mortua fuerint non vivificantur.* Pergit deinde hoc modo : Σπαραγῆσαι ἐν ἡμῖν ὁ D

Digitized by Google

cunt (1), tempora ubi finiuntur incipiunt, fructus A consumuntur (2) et redeunt; certe semina non nisi corrupta et dissoluta fœcundius surgunt, omnia pereundo servantur, omnia de interitu reformantur. Tu, homo, tantum nomen (*a*), si intelligas te, vel de titulo Pythiæ discens (*b*), dominus omnium morientium et resurgentium (*c*), ad hoc moreris ut pereas? Ubicumque resolutus fueris, quæcumque te materia desiderit, hauserit, absolverit, in nihilum prodegerit, reddet te. Ejus est nihilum ipsum, cujus et totum. Ergo, inquitis, semper moriendum erit, et semper resurgendum. Si ita rerum dominus destinasset, ingratis (3) (*d*) experireris conditionis tuæ legem. At nunc non aliter destinavit, quam prædicavit. Quæ ratio universitatem ex diversitate composuit, ut omnia ex æmulis substantiis sub unitate constarent ex vacuo et solido, ex animali et inanimali, ex comprehensibili et incomprehensibili, ex luce et tenebris, ex ipsa vita et morte; eadem ævum quoque ita destinata ac distincta conditione conseruit, ut prima hæc pars ab exordio rerum, quam incolimus, temporali ætate ad finem defluat, sequens vero, quam expectamus, in infinitam æternitatem propagetur. Cum ergo finis et limes medius (*e*), qui interhiat, adfuerit, ut etiam mundi ipsius species transferatur æque temporalis, quæ illi dispositioni æternitatis aulæi vice oppansa

LECTIONES VARIANTES.

(1) Viveseunt *Fran.*

(2) Consummantur *Fran.*

B (3) Ingratiis *conj. Haverc.*

COMMENTARIUS.

Θεὸς ἐποίησε διὰ τῶν ὀνύχων, δέκα καὶ δέκα ἀναστάσεως μαρτυρούσας, etc. i. e. *Signacula in nobis fecit Deus per ungues decem et decem, qui de resurrectionis nostræ spe testimonium præbent. Sed et velut per coronam capilli resurrectionem nostram declaravit. Nam quod in nobis mortuum corpus videtur, hoc est pili, singulis vicibus resecti rursus pullulant, resurrectionis spem indicantes. Et innumera dici possunt ad incredulorum certitudinem ab exemplis. Verum non persuasit his palumbes avicula, neque animalculum myoxus. Moritur enim hoc semestre, et palumbes in diebus quadraginta, et rursus post tempora sua reviviscunt. Scarabæi morti vicini, in pila stercoris se ipsos occultant, talem pilam in terram sepelientes ac defodientes, atque sic ex suo ipsorum humore rursus reviviscentes comperiuntur.* Hav.

(*a*) *Tantum nomen.* Ingens momentum! magna gloria! Horat. lib. III, Ode IX:

Multi Lydia nominis.

Virgil, II. Æneid., 89:

.....Et nos aliquod nomenque decusque.

De Miltiade Nepos in fine: *nobile nomen.* Vere Chrysost. in Ps. CXLIII. de præstantia hujus creaturæ, *magna res homo;* addit enim totius creaturæ præfecturam sortitum. De homine quoque Manilius lib. IV:

Exemplumque Dei quisque est in imagine parva.

Et quæ ibidem sequuntur. Hav.

(*b*) *Vel de titulo Pythiæ discens.* Respicit nobilem illam inscriptionem Delphis ad fores Apollinis, quæ nota satis est: ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ. Male itaque Cod. Agobard. editio Aldina, *dicens dominum omnium, etc.;* et Rhen. *diceris dominus, etc.;* etiam MS. Fuld. *disces Deum, dominus o. m.;* ubi putavit librarius solum Deum hic dici dominum (ita enim vel scripsit, vel voluit) omnium morientium, et resurgentium. Sed vide mox nostram notam. Risi etiam acumen bardi cujusdam, D qui in linguam belgicam hoc opusculum vertere, imo pervertere ausus est, qui interpretatur quasi legisset *tu homo tantum si intelligas tuum, vel de t. P. d. Dominum, etc. Nomen,* inquit, *homo* quasi *humus;* et titulum Pythiæ interpretatur nomen, et in notulis addit in græco sermone fœtorem significare et putredinem. Sed bene quod ab inquinatissimis manibus nova et accurata versione auctorem tam morosum vindicaro [si tamen per typographos emptoresque licuerit], constituerim, ut qui absoluta jam duorum ad nationes lib. interpretatione, etiam in hoc Apolog. satis magnos progressus fecerim. Hav.

(*c*) *Dominus omnium morientium et resurgentium.* Id est qui es dominus etc. eorum scilicet creaturarum, quas modo dixi mori et revivisçere, quæ omnes aut sunt sub jugo hominis, aut commodis ejus serviunt. Chrysost. ad Gen. cap. I, 28, Hom. IX: *Deus fecit hominem principem omnium quæ sunt super terram, et nihil super terram homine majus est, sed omnia sub potestate illius sunt.* Idem in cap. Gen. IV, Hom. XXI: *Nam sicut omnium Deus principatum habet, super omnia tam visibilia quam invisibilia, qui omnium conditor et opifex est; sic et cum formavit rationale hoc animal, voluit omnium visibilium præfectura insigne esse.* Rursus in Sermone, Quod Adam prælatus omni creaturæ: *Maxime, cum idem artifex Deus potestatem suam in omnem fabricam eidem homini fuerat traditurus; ut quem secundum præsidem post se facere disponebat, eumdem faceret plenum atque perfectum, habentem in sese et dignitatem qua præcelleret, et potestatem qua cunctis animantibus imperaret; soli serviens illi, a quo ei cuncta fuerant subjugata, ut imperaret mundo, serviret Deo, Creatorem suspiceret, creaturam sibi parere compelleret, tantumque ditionis sese Domino debere perspiceret, quantum ipse a creatura exigeret.* Sed quandoquidem lectione Chrysostomi delector valde et incredibiliter afficior, liceat mihi alium hisce attexere locum ex Expos. ejus in Ps. IX, ubi ille ostendit diminutum quidem dominium istud in homine post peccatum, sed tamen satis magnum pro utilitate hominis et providentia Divina relictum. Aurea ejus verba sunt: *Si autem parum quid detraxit, hoc est etiam ejus providentiæ. Nam ante inobedientiam dominabatur bestiis; post inobedientium autem de hac potestate aliquantum detractum est. Nam nunc etiam dominatur iis aliquibus artibus, sed cum timore ac tremore. Nam nec totum imperium sustulit, nec totum reliquit, sed quæcumque erant ei quidem ad alimentum et exercitationem necessariæ, subjectas esse permisit: quæ autem sunt efferatiores, non itidem, ut ex sua cum illis contentione, primi parentis Adæ veteris peccati admoneretur. Unde etiam ex eo quod non valde nobis subjiciuntur, magnum lucrum accedit; quid enim nos juvaret, si leonem nostræ potestati obnoxium et mansuefactum haberemus? quid nobis prodesset, si pardum haberemus cicurem? Nihil nisi ad arrogantiam tantum et superbiam: propterea has quidem permisit esse exemptas ab imperio; quæ sunt autem nobis utiles, effecit mansuetas, bovem arantem, et ovem amicientem nostri nuditatem corporis, et jumenta apta ad ea vehenda quæ importari aut exportari possunt, aves et pisces ut esset nobis mensa lautior.* Illustratque rem a simili: *Quemadmodum enim cum quis exhæredat filium, non privat eum omnibus, sed parte aliqua, ut se corrigat, ita etiam Deus. Imo non sic, sed contra potius. Homo enim, qui exhæredat, majore parte privat, minorem vero relinquit; Deus autem majore relicta, exigua privavit portiuncula, idque ad ejus utilitatem, ne alia omnia facile superarent.* Hav.

(*d*) *Ingratis experireris conditionis tuæ legem.* Ingratus, quod alii dicunt Ingratiis, hoc est, Etiam nolens experireris conditionis tuæ legem. Rig.

(*e*) *Cum ergo finis et limes medius, qui interhiat, ad-*

Digitized by Google

est (*a*); tunc restituetur omne humanum genus, ad expungendum quod in isto ævo boni seu mali meruit, et exin dependendum in imminensam (1) æternitatis perpetuitatem. Ideoque nec mors jam, nec rursus ac rursus resurrectio, sed erimus iidem qui nunc, nec alii post: Dei quidem cultores apud Deum semper, superinduti substantia propria æternitatis; profani vero et qui non integri ad Deum, in pœna æque jugis ignis, habentis ex ipsa natura ejus, divinam scilicet subministrationem incorruptibilitatis (2). Noverunt et Philosophi diversitatem arcani et publici ignis. Ita longe alius est qui usui humano, alius qui judicio Dei apparet, sive de cœlo fulmina stringens (*b*), sive de terra per vertices montium eructans (*c*); non enim absumit quod exurit, sed, dum erogat, reparat. Adeo manent montes semper ardentes, et qui de cœlo tangitur, salvus est, ut nullo jam igni decinerescat (*d*). Et hoc erit testimonium ignis æterni, hoc exemplum jugis judicii pœnam nutrientis. Montes uruntur et durant: quid nocentes et Dei hostes?

CAPUT XLIX.

ARGUMENTUM.—*Ineptum itaque, laudari idem in Philosophis et admirationi esse, in Christianis odiri et persequi: quorum opinio, vel si falsa sit, cum tamen ad recte vivendum prosit, irrisui magis quam pœnis adjudicari debeat, quibus tamen exsultat vulgus, inepte quidem, quum pœnæ istæ gaudium sint Christianorum, qui injuste vexari et damnari malint, quam a Deo excidere.*

Hæc sunt (3) quæ in nobis solis præsumptiones vocantur, in Philosophis et Poetis summæ scientiæ et insignia ingenia. Illi prudentes, nos inepti (*e*); illi ho-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Et exinde perdendum immensam *Fr.*
(2) *Hav.* et qui non integre ad deum, in pœna [*Rig.* in pœnam] æque jugis ignis, habentis [*Rig.* habentes] ex i. n. e. divina sc. subm. incorr.
(3) Hæc *Rig. Haverc.*

COMMENTARIUS.

fuerit. Loci subobscuri hic est sensus: quum ergo constitutum tempus et terminus ille extremus, qui inter temporalem et perpetuam ætatem est, dictus a Paulo Apostolo ἄτομος καὶ ῥιπὴ ὀφθαλμοῦ (Epist. I, ad Corinth., cap. xv, 52) aderit, ut etiam ipsius mundi species, quæ æque temporalis est ac ævum et tempus ipsum, et hactenus quasi densum velum et maceria ingens prohibet æternitatis usum, transeat et immutetur, tunc restituetur omne humanum genus, etc. Oratio Septimii ita distingui melius forsan possit, *cum ergo finis et limes, medius qui interhiat, adfuerit.* HAV.

(a) *Aulæi vice oppansa est.* Supra cap. XVI, de velo sanctuarii: *etiam conspectui cæterorum velo oppanso interdicebatur.* Hic forsan respexit ad illud Virgilii, qui sic loquentem Venerem ad filium Æneam inducit, lib. II, 604:

Aspice, namque omnem, quæ nunc obducta tuenti
Mortales hebetat visus tibi, et humida circum
Caligat, nubem eripiam.

Homerus illi præiverat, apud quem, lib. Iliad. E, versu 127, ad Diomedem ita fatur Pallas:

Ἀχλὺν δ' οὶ τοι ἀπ' ὀφθαλμῶν ἕλον ἡ πρὶν ἐπῆεν,
Ὄφρ' εὖ γινώσκῃς ἠμὲν θεὸν ἠδὲ καὶ ἄνδρα.

I. e., *Caliginem vero tibi ab oculis abstuli, quæ prius oberat, ut bene dignoscas, tum hominem, tum Deum.* Quomodo fere Eunapius Sardianus in simili fabula de Jamblichi discipulis, p. 25: ὡς ἐνοχλοῖ ἡ μὲν αὐτῶν πολλάκις μικρὸν εἶνκι φάσκοντες. i. e., *quod forte impeditus esset ipsorum visus minus acer.* Et in vera historia ad preces Elisæ aperuit Deus famuli oculos, ut videret cœlestes copias (II Reg. VI. 17). Spectatque huc omnibus gentibus desiderabilis promissio Dei apud Isaiam, XXV, 7: *Et in hoc monte abolebit Dominus faciei involucrum, et tegumentum quo omnes teguntur nationes.* HAV.

(b) *Sive de cœlo fulmina stringens.* Id est cliciens, adeoque igneum quasi ensem ex nubibus, ut vagina, educens. Sic Ajacem Oilei filium a Minerva fulmine qua ferro transfixum pectora inducit Virgilius lib. I. Æneid. 48.

Illum expirantem transfixo pectore flammas
Turbine corripuit, scopuloque affixit acuto. HAV.

(c) *Sive de terra per vertices montium eructans.* Conjunxit ut pœnales, cap. XL: *Cum Vulsinios de cœlo, Pompeius de suo monte perfudit.* Appellat *vertices* undantes flammas quæ in montibus ignivomis magno urbine adactæ eructantur et foras prorumpunt. Dixerunt veteres et *vorticem* et *verticem.* Lucretius, lib. VI, 296:

Quam cum perscidit, extemplo cadit igneus ille
Vortex.

Idem, lib. I, 294:

Interdum vertice torto
Corripiunt, rapidoque rotantia turbine portant. HAV.

(d) *Ut nullo jam igni decinerescat.* Vel ita locum hunc percepit Minutius, quasi innuat Tertullianus id quod experientia docet, scilicet corpora fulminata illæsa videri, dum scribit, p. 39: *sicut ignes fulminum corpora tangunt, nec absumunt.* Quomodo et Gallus interpres. Vel recessit ab illa opinione quam vel tueri vel respicere videtur Auctor noster. Dum enim dicit salvum, ut nullo jam igni decinerescat, videri potest docere cadavera fulminata ab igni consumi non posse. Sic negabant veteres illis qui venenum hauserant cor cremari. Plinius, lib. XI, cap. 37: *Cor negatur cremari posse in iis qui cordiaco morbo obierunt, aut veneno interemptis. Certe exstat oratio Vitellii, qua reum Pisonem ejus sceleris coarguit, hoc usus argumento: palamque testatus, non potuisse ob venenum cor Germanici Cæsaris comburi.* Et ex illa forsan Etruscorum disciplina lex illa Numæ apud Festum in voce *Occisum.* SEI. HOMINEM. FULMIN. JOBIS. OCCISIT. EM. SUPRA. GENUA. NE. TOLLITO. et ibidem: HOMO. SEI. FULMINE. OCCISUS. ESIT. EI. JUSTA. NULLA. FIERI. OPORTERE. Sepeliebantur enim ibi, ubi erant fulminati, nec ut alia cadavera cremabantur, locusque is sacer erat et *bidental* appellabatur. Persius, Sat. II, 27:

Triste jaces lucis evitandumque bidental.

Ubi inspici possunt doctissimi Casauboni Notæ, ut et Scaligeri ad Festum in voce, *Bidental.* Addique potest Jacob. Nicol. Loensis Miscell., lib. III, cap. XVII, qui ex Euripide et Statio docet græcis moribus illud incognitum. Vel denique, ad hunc ritum respiciens hic auctor, dicere voluit illum, qui fulmine adeoque igni cœlesti interfectus est salvum esse a flamma rogi, quia non cremaretur, sed sepeliretur, quomodo omnes Christiani, qui rogo imponi abnuebant, ut patet ex cap. XLII: *Scient Sabæi pluris et carioris suas merces Christianis sepeliendis profligari, quam Diis fumigandis.* Sed hoc non eligo. HAV.

(e) *Illi prudentes, nos inepti.* Arnobius, lib. I: *Et illi cati, sapientes, prudentissimi vobis videntur, nec reprehensionis ullius, qui Fannos, qui Fatuas, civitatumque Genios, qui Pansos reverentur atque Bellonas.*

Digitized by Google

norandi, nos irridendi, imo eo amplius et puniendi. Falsa nunc sint quæ tuemur, et merito præsumptiones, attamen necessaria; inepta, attamen utilia; si quidem meliores fieri coguntur, qui eis credunt metu æterni supplicii et spe æterni refrigerii. Itaque non expedit falsa dici, nec inepta haberi, quæ expedit (1) vera præsumi. Nullo titulo damnari licet omnino quæ prosunt (2). In vobis itaque præsumptio est hæc ipsa, quæ damnat utilia. Proinde nec inepta esse possunt; certe etsi falsa et inepta, nulli tamen noxia; nam et multis aliis similia, quibus nullas pœnas irrogatis, vanis et fabulosis, inaccusatis et impunitis, ut innoxiis. Sed in ejusmodi errores (si utique) irrisit judicandum est (3), non gladiis et ignibus, et crucibus, et bestiis; de qua iniquitate sævitiæ non modo cæcum hoc vulgus exsultat, sed et quidam vestrum, quibus favor vulgi de iniquitate captatur, gloriantur, quasi non totum, quod in nos potestis, nostrum sit arbitrium. Certe, si velim, christianus sum: tunc ergo me damnabis, si damnari velim; cum vero quod in me potes, nisi velim, non potes, jam meæ voluntatis est quod potes, non tuæ potestatis. Proinde et vulgus vane de nostra vexatione gaudet; proinde enim nostrum est gaudium, quod sibi vindicat, qui malumus damnari, quam a Deo excidere: contra, illi qui nos oderunt, dolere, A non gaudere debebant, consecutis nobis quod elegimus (4).

CAPUT L.

At vero, dum cruciatibus sese objiciunt, dum animam lubentes projiciunt, id non facere eos more gentilium, quibus desperatio et gloriæ pruritus eam contemnendi doloris et mortis viam sternit, sed more fortissimi militis, qui bellum sumit, licet non amet, et de victoria gaudet, in cujus tamen consecutione trepidavit. Fatendum itaque eam veram esse constantiam, quæ factis sese, non verbis prodat, apud Deum gratiam, non apud homines laudem quærat, et contemplatione exemploque obstinationis suæ inconcussæ plures quotidie qui amplectantur ipsam gignat, quam unquam ex omnibus omnium philosophorum scholis, capti verborum lenociniis, discipuli exierint.

Ergo, inquitis, cur querimini quod vos insequamur, si pati vultis, cum diligere debeatis per quos patimini quod vultis? Plane volumus pati (*a*), verum eo more, quo et bellum nemo quidem libens (5) patitur, cum et trepidare et periclitari sit necesse (*b*); tamen et prœliatur omnibus viribus (*c*), et vincens in prœlio gaudet, qui de prœlio querebatur, quia et

LECTIONES VARIANTES.

(1) Et expedit *Fran.*
(2) Quæ prosunt omnino *Fran. Paris.*
(3) *Rig.* Sed in ejusmodi enim, si utique, in risu jud. est, etc. *Hav. delevit v.* enim. *In Heruldi mss.* Sed in ejusmodi enim si utique irrisui jud. est., *et ipse scribere maluit*: Sed in ejusm. error sit. Utique irrisu jud. est, etc. *Cod. Fuld.* ut noxiis: æque enim, si utique in risum, jud. est. *Ald., Rhen. et Gangn.*. Sed in ejusm., si utique, irrisioni adjudicandum est, etc. *Ed. Fran.* Sed in ejusm. error si utique, irrisu vindicandum est, etc. *Gelen.* Sed in ejusm. error, si utique irrisioni adjudicandus est, non gladiis, bestiis vindicandus. *Non dubitavimus pro* error *scribere* errores, *ut adsit, quo referatur et* ejusmodi *et* judicandum.
(4) Eligimus *Fran.*
(5) *Ita Rig. et Hav. ex auctoritate cod. Fuld. Cæteri*: quo et bellum miles. Nemo quippe libens, etc.

COMMENTARIUS.

Nos hebetes, stolidi, fatui, obtusi pronuntiamur et bruti, qui dedidimus nos Deo, cujus nutu et arbitrio omne quod est constat, et in sententiæ suæ perpetuitate defixum est. Idem, lib. II: *Ita non injustissimum ducitis, inequitare, illudere, tanquam stulta nobis et bruta dicentibus. Quid est quod a vobis tanquam bruti et stolidi judicemur?* Lactant., lib. cap. IV, 13: *Cur igitur vulgo pro stultis, et vanis, et ineptis habemur, qui sectamur magistrum, etiam ipsorum deorum confessione sapientem?* Hav.

(a) *Plane volumus pati.* Postremam vocem delet MS, Fuld., et abesse potest. Huc spectant illa, cap. I: *Quid hoc mali est, cujus reus gaudet? cujus accusatio votum est, et pœna victoria.* Et ad Scap., cap. I: *magisque damnati, quam absoluti, gaudemus.* Ibid., cap. II: *Absit enim ut indigne feramus ea nos pati quæ optamus.* Et cap. ult., *Crudelitas vestra gloria est nostra. Vide tantum, ne hoc ipso, quod talia sustinemus, ad hoc solum videamur erumpere, ut hoc ipsum probemus, nos hæc non timere, sed ultro vocare. Absit enim*, inquit, lib. de Patientia, cap. VIII, *a servo Christi tale inquinamentum, ut patientia majoribus tentationibus præparata in frivolis excidat.* Hav.

(b) *Cum et trepidare et periclitari sit necesse.* Ita scilicet natura comparatum est, ut cum ad ipsum prælium et vitæ discrimen ventum sit, etiam fortissimos quosque horror quidam invadat, quandoquidem dies ille

Οὐ μὰν ἐς γε χορὸν κέλετ' ἰλθέμεν, ἀλλὰ μάχεσθαι.

i. e., *non ad tripudium venire jubet, sed pugnare*, ut est apud Homerum, Iliad. O, versu 508. Et eleganter docetur a Lucano in descriptione decretorii illius inter Cæsarem et Pompeium prælii lib. VII, 467:

Tamen omnia torpor
Pectora constrinxit, gelidusque in viscera sanguis
Percussa pietate coit, totæque cohortes
Pila parata diu tensis tenuere lacertis.

quando, ut idem ibidem versu 128,

Animique truces sua pectora pulsant
Ictibus incertis. Multorum pallor in ore
Mortis venturæ est, faciesque simillima fato.

Nam Στρατιώτης ἐν χεροὶν ἔχων μάχην, πῶς οἶδεν εἰ ζήσεται; τοσαῦται τῶν θανάτων εἰσὶν ὁδοί. i. e., *quis enim prælium jamjam initurus, victurum se certus sit, cum tot viæ mortis militi sint?* ut ait Charmides, amoris impatiens, apud Achillem Tatium, lib. IV.

(c) *Tamen et prœliatur omnibus viribus.* Namque, ut Ajaci congruens est verbum, apud Homerum, Iliad. O, versu 808:

Βέλτερον ἢ ἀπολέσθαι ἕνα χρόνον, ἠὲ βιῶναι,
Ἢ δηθὰ τρυγεσθαι ἐν αἰνῇ δηϊότητι,

i. e., *melius aut perire semel aut vivere, quam diu consumi in gravi pugna.* Ibi quoniam

pavido fortique cadendum est,

juxta oraculum Catonis apud Lucan. lib. IX, 583, sæpe ignavi fugientes turpiter pereunt, strenui et vivunt et vincunt. Cicero pulchre, lib. II Tusculanar.: *Ut fit in prælio, ut ignavus miles ac timidus simul ac viderit hostem, abjecto scuto, fugiat quantum possit, ob eamque causam pereat, nonnunquam etiam integro corpore, quum ei qui steterit, nihil tale evenerit: sic qui doloris speciem ferre non possunt, abjiciunt se, atque ita afflicti et exanimati jacent: qui autem restiterint,*

Digitized by Google

gloriam consequitur et prædam (*a*). Prœlium est nobis, quod provocamur ad tribunalia, ut illic sub discrimine capitis pro veritate certemus. Victoria est autem, pro quo certaveris, obtinere. Ea victoria habet, et gloriam placendi Deo, et prædam vivendi in æternum. Sed obducimur (*b*), certe cum obtinuimus : ergo vicimus, cum occidimur; denique evadimus, cum obducimur : licet nunc sarmenticios (*c*) et semaxios (1) appelletis, quia ad stipitem dimidii axis revincti sarmentorum ambitu exurimur. Hic est habitus victoriæ nostræ; hæc palmata vestis (*d*); tali curru triumphamus. Merito itaque victis non placemus; propterea enim desperati et perditi existimamur. Sed hæc desperatio et perditio penes vos, in caussa gloriæ et famæ, vexillum virtutis extollunt. Mucius dextram suam libens in ara reliquit : o sublimitas animi! Empedocles (*e*) totum sese Catanensium Ætnæis incendiis donavit : o vigor mentis! Aliqua Carthaginis conditrix rogo secundum matrimonium dedit : o præconium castitatis! Regulus, ne unus pro multis hostibus viveret, toto corpore cruces patitur: o virum fortem et in captivitate victorem (*f*)! Anaxarchus, cum in exemplum (2) ptisanæ pilo contunderetur : Tunde, tunde, alebat (*g*), Anaxarchi follem (*h*),

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Alii* semassios; *Rhen.*, *Gelen.*, *Barrarus* semissios; *Gelen.* semissarios; *cod. Lugd.* semarios; *Fuld.* sarmentarios et semiaxios.

(2) *Ita cod. Fuld.*, *Ald.*, *Rig.*, *Hav.*, *alii* : in exitium.

COMMENTARIUS.

discedunt sæpissime superiores. Laudat idem animum magnum et constantem in Trebonio, de quo, in Philipp., XI, cap. VI, sit crudelitatem Dolabellæ et corporis carnificinam *tulisse fortiter et patienter.* Additque : *Magna hæc, neque judicio omnium maxima. Ea enim sapientia, quidquid homini accidere possit, id præmeditari, ferendum modice, si advenerit, esse. Majoris omnino est consilii, providere, ne quid ullo accidat; sed animi non minoris, fortiter ferre, si evenerit.* Hav.

(a) *Quia et gloriam consequitur et prædam.* Menedemus duriter nimis filium filium objurgans apud Terentium in Heautontim. Act. I, Scena I, inter alia inquit :

Ego istuc ætatis, non amori operam dabam,
Sed in Asiam abii hinc pronter pauperiem : atque ibi
Simul rem, et gloriam armis belli repperi.

Christianæ militiæ gloria *placere Deo*, præda *vivere in æternum*, prout mox sequitur, imo *accusatio votum est*, *et pœna victoria*, ut dixit, cap. I, Cod. Agob. *qui et g.* Hav.

(b) *Sed obducimur, certe cum obtinuimus.* Morimur, inquit, in prælio, idque objicitis. At vero decorum mori pro patria, quæ nobis cœlum est, cap. I.

Οὐ γὰρ ἄτας ἀμυνόμενος περὶ πάτρης
Τέθνηκεν.

Hectoris apud Homerum generosa vox est, Il. Θ, 496. decorum etiam victores mori ideoque τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸν ἀγωνίζεσθαι, ut de se testatur Paulus II, Timoth., IV, 7. Nam καλῶς ἀγωνίζεσθαι a Lacedæmoniis dicebantur illi qui fortiter et gloriose pro patriæ victoria occubuerant ut notum ex Æliani loco, lib. VI, 6 : Οἱ δὲ καλῶς ἀγωνισάμενοι καὶ ἀποθανόντες θάλλοις ἀνεδοῦντο, καὶ κλάδοις ἑτέροις, καὶ δι' ἐπαίνων ἦγοντο. i. e., *Qui vero se strenue præbuissent, et occubuissent, oliva et aliis ramis redimiti, laudibus vehebantur.* Egregie Chrysost. Serm. de Martyrib. imitand. *Denique in certamine christianus, aut superstes miles prostrato hoste bellum de prælio redit, aut hostem victor moriendo devincit. Feliciter enim vincit, qui post victoriam vinci non novit.* Nam, ut Prosper in lib. Epigramm.,

Non certanti nulla est speranda corona.
Palmam, qua capitur gloria, finis habet.

Recte autem a raitimbus desumptum *obducere* aquæ scil. ut *expungere*, quod dum non intellexerunt librarii locum corruperunt, unde in Fuld, *sed occidimur certe.* Male quoque sic, præter Rigalt. et Junium distinguunt editi, *sed obducimur certe, cum*, etc. Ita supra, c. XLVI, *Dum de bono sectæ hujus obducitur.* Hav.

(c) *Sarmenticios et Semaxios.* Cur ita vocarentur Christiani explicat verbis sequentibus, *quia ad stipitem dimidii axis revincti sarmentorum ambitu exurimur.* Ista enim constanter legunt Mss. omnes tam Belgici quam Gallici et Vaticani, et accessit conjectura qua proxime latinius legendum putat *semiaxarios* et *axis*, pro eo quod hactenus exc. semissarios, et crimitus jam olim de honesta disciplina, lib. I, cap. 15, semissios, ac uterque dimidii assis. Pam.

(d) *Hæc palmata vestis.* Tunica illa palmata, tam celebris apud Romanos, vestis fuit triumphantium dicta palmata a palmis quæ intertextæ erant, sarmenta autem quibus cremabantur prædecessores nostri et axis cui alligabantur, habitus erant triumphi Christianorum, illa erat pompa qua recti in cœlum evolabant. Le Pr.

(e) *Empedocles.* Quem salse deridet lib. de Anima, cap. XXXII, ubi de Pythag. Metemps. *Sed enim Empedocles, quia se Deum deliraret, idcirco opinor dedignatus aliquem se heroum recordari : thamnus et piscis fui, inquit; cur non magis et pepo tam insulsus, et chamæleon tam inflatus? Plane, ut piscis, ne aliqua sepultura conditio reparesceret, assum se maluit in Ætnam se præcipitando.* Le Pr.

(f) *O virum fortem et in captivitate victorem.* Quod illi præconium assignatur a Cicerone, lib. III, de Officiis, cap. XCIX. Ibi narratur historia infelicis fortitudinis : *M. Atilius Regulus cum Consul iterum in Africa ex insidiis captus esset, duce Xanthippo lacedæmonio, imperatore autem patre Hannibalis Hamilcare, juratus missus est ad senatum, ut, nisi redditi essent Pœni captivi nobiles quidam, rediret ipse Carthaginem. Is, cum Romam venisset, militaris speciem videbat, sed eam, ut res declarat, falsam judicavit : quæ erat talis, manere in patria, esse domi suæ cum uxore, cum liberis : quam calamitatem accepisset in bello, communem fortunæ bellicæ judicantem, tenere consularis dignitatis gradum, quis hæc neget esse utilia? Quid censes?* addit-que statim : *Magnitudo animi et fortitudo negat.*

(g) *Anaxarchus cum in exempl.* Celebre est illud Anaxarchi apud Laertium, lib. 9, qui cum tunderetur ab Nicocreonte σιδηροῖς ὑπέροις *ferreis malleis*, propterea quod audisset Nicocreon se dignum esse ut apponeretur epulandus, dixisse fertur philosophum plenum animo : πτίσατ τοῦ Ἀναξάρχου θύλακον, Ἀνάξαρχον δὲ οὐ πτίσεις; *Tunde Anaxarchi folliculum, nam Anaxarchum non tundis.* Lac.

(h) *Anaxarchi follem.* Eleganter dictum : cum enim ad instar ptisanæ vel hordei tunderetur, pariter nihil aliud sibi contingere profitetur quam quod hordeo contingat, scilicet ut divina illa interior particula, vigor mentis, illæsa maneret, solusque caducus folliculus rumperetur, dissiparetur. Ita enim corpusculum suum appellabat, in quo illud nullo modo affligebatur : quod Marco Antonino dicitur lib. X. τὸ ἔνδον ἐγκεκρυμμένον, Jamblicho θεῖος ἄνθρωπος, Stobæo in Excerpt. Phys. τὸ ἡγεμονικὸν μέρος, Philoni Judæo denique in lib. de Conventu ad primas disciplinas ἄνθρωπος ἐν ἀνθρώπῳ, κρείττων ἐν χείρονι, ἀθάνατος ἐν

Digitized by Google

Anaxarchum enim non tundis (*a*) : o philosophi magnanimitatem, qui de tali suo exitu etiam jocabatur! Omitto eos qui cum gladio proprio aliove genere mortis mitiore de laude pepigerunt. Ecce enim et tormentorum certamina coronantur a vobis. Attica meretrix (*b*), carnifice jam fatigato, postremo linguam suam comestam in faciem tyranni sævientis exspuit, ut exspueret et vocem, ne conjuratos confiteri posset, si etiam victa voluisset. Zeno Eleates, consultus a Dionysio quidnam philosophia præstaret, quum respondisset, contemptum mortis (1), flagellis tyranni subjectus sententiam suam ad mortem usque signabat. Certe Laconum flagella, sub oculis etiam hortantium propinquorum acerbata, tantum honorem tolerantiæ domui (6) conferunt, quantum sanguinis fuderint. O gloriam licitam, quia humanam, cui nec præsumptio perdita, nec persuasio desperata deputatur in contemptu mortis et atrocitatis omnimodæ, cui tantum pro patria, pro agro (*c*), pro imperio, pro amicitia pati permissum est, quantum pro Deo non licet! Et tamen illis omnibus et statuas (*d*) defunditis, et imagines (*e*) inscribitis, et titulos (*f*) inciditis in æternitatem; quantum de monumentis potestis scilicet, præstatis et ipsi quodammodo mortuis resurrectionem. Hanc qui veram a Deo sperat, si pro Deo patiatur, insanus est. Sed hoc agite, boni Præsides, meliores multo apud populum, si illis Christianos immolaveritis. Cruciate, torquete, damnate, atterite nos : probatio est enim innocentiæ nostræ iniquitas vestra. Ideo nos

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Sic Gelen. et Rig. Cod Fuld. et ed. Hav.* contemptu mortis impassibilem fieri, etc. *Rhen. et Her.* impassibili- bus flagellis, *alii* : impassibilis flagellis, etc. *Voc.* subjectus *recepimus ex cod. Fuld., vulgo leg.* objectus.

COMMENTARIUS.

θνητῷ, quibus addendus incomparabilis Isaaci Casauboni Commentarius ad Persii Sat. v. 129,

Sed si intus et in jecore agro
Nascantur domini.

Ex hinc intelligitur eruditissimus Pauli sermo, cum scribit ad Rom. VII, 24, Τίς με ῥύσεται ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου; ut et illa quæ leguntur versu 23. Exemplo hujus Anaxarchi passim *follis* et *folliculus* pro corpore mortali usurpatum est, vidi exempla in Notis Lindenbrogii ad Virgilii Catalecta, p. 301. Elmenhorstii ad Arnob., p. 66, et Lydio de Re Mil., p. 77. Quibus addi potest illud Gregorii Nazianz. de Vitæ differ. : *Esto autem, non jam Imperatori ut prius contubernalis erit Gregorius, utri suo nonnihil gratificans, atque inter medios epulones tristis et tacitus accumbens, ægreque anhelitum ducens, ac servilem in modum edens.* Hav.

(a) *Anaxarchum enim non tundis.* Idem Gregorius Cygn. Carm. de Animi Summissione, *Num in mortario contusionem manuum Anaxarchi veluti non præsentis, et tamen jubentis utrem suum vehementer tundi, tanquam ipse non contusus maneret, ne quis esset cernerctur.* De Zenone Diogenes Laertius, cui hoc adscribit :

Ἤθελες, ὦ Ζήνων, καλὸν ἆθλες, ἄνδρα τύραννον
Κτείνας, ἐλῦσαι δουλοσύνας Ἐλέαν.
Ἀλλ' ἴδ' ἁμῆς, δὴ γάρ σε λαβὼν ὁ τύραννος ἐν ὅλμῳ
Κόψει. τί τοῦτο λέγω; σῶμα γὰρ, οὐχὶ δὶ σε.

i. e, *Egregie voluisti, o Zeno, occiso tyranno a servitute liberare Eleam. Sed domitus est, te namque capiens tyrannus contudit in mortario. Quid dico? non te, sed corpus tuum.* Nonnus loco supra citato de Epicteto : *Hunc a Macedone tyranno crus vinculis adstrictum est. Postea autem cum eum solvere tyrannus vellet, ex coque quæreret : Visne, Epictete, te solvam? Quid, inquit, an sum adstrictus? Quibus videlicet verbis hoc significabat, animam suam nequaquam vinctam fuisse. Itaque non corpus homo esse dicitur, sed anima.* Hav.

(b) *Attica meretrix.* Scortum hoc lyræ cantu familiare Harmodio et Aristogitoni, consilia eorum de tyrannicidio, ad mortem usque excruciata a tyrannis, non prodidit. Quamobrem Athenienses eam in honore habere volentes, ne tamen scortum celebrasse viderentur, animal nominis ejus fecere, atque ut intelligeretur causa honoris, in opere linguam addi ab artifice vetuerunt. Pam.

(c) *Pro patria, pro agro.* Cum in Fuld. utiliter nobis augmentum illud suppeditetur *pro agro*, non debuit illud rejicere Rigaltius, nam alios non moror, qui ne dignati quidem sunt inspicere tam præclara. Sic enim singula singulis respondent : Mutius, Regulus, Zeno, patriæ; Lacones, et forsan ipse Zeno, imperio; amicitiæ, meretrix attica; gloriæ humanæ, Empedocles et Anaxarchus. At *agro*, regina Dido, quæ, corio bovis immensam latitudinem dimensa, Afros deceperat; ipsa enim erat Tyria. Nec enim tantum connubium barbæ fugit, sed providenter providit Carthaginem sub illa specie peti, ut egregie patet in nuptiis Arsinoes et Ptolemæi apud Justinum, lib. XXI, cap. 3. Hav.

(d) *Statuas.* Quibus sibi ad æternitatem patrocinata est antiquitas. Unde solers Phidiæ inventum narrat Cicero Tuscul. Quæst. I, 34 : *Sed quid poetas? opifices etiam post mortem nobilitari volunt. Quid enim Phidias? Sui similem speciem inclusit in clypeo Minervæ, cum inscribere non liceret.* Insignis Eusebii locus est in lib. I de Vita Constantini Magni, c. 2, *Videlicet natura hominum sortis fragilis et caducæ commenta solatium, imaginibus edendis, majorum memoriam colere se putavit honore permansuro : partim adumbratione picturæ cera delibutæ, partim e materia sculptum et dolatum experte motus, simulacrum machinata.* Hav.

(e) *Imagines inscribitis.* Quæ passim adhuc in marmoribus, gemmis et sacris veteris ævi reliquiis apparent. Quare de Varronis opere [mortali, heu! et mortalitatis leges experto] quo illustrium Romanorum imagines seu descriptiones amplexus fuit, ita augurabatur Plinius Nat. Hist. lib. XXXV, cap. 2 : *Inventione muneris etiam Diis invidiosus, quando immortalitatem non solum dedit, verum etiam in omnes terras misit, ut præsentes esse ubique et claudi possent.* Hav.

(f) *Et titulos inciditis in æternitatem.* Callido itaque ad nominis sui perennationem consilio usus est architectus ille, qui in superbis Ægyptiorum structuris nomen suum et operis dedicationem duriori materiæ insculpsit, cui calce oblitæ et absconditæ regis nomen superscripsit, facile prævidens fragiliori materia delapsa, regis memoriam abolendam, suam permansuram fore. Eusebius ibidem : *Sunt qui pilas et cippos inscriptos sempiternam commendationem virtutis eorum, quos habent annotatos, conferre crediderint.* Unde Pansam et Hirtium consules pro Rep. cæsos ita celebrat Cicero Philipp. XIV, cap. 33 : *Erit igitur exstructa moles opere magnifico, incisæque litteræ, divinæ virtutis testes sempiternæ : nunquamque de vobis, eorum, qui aut videbunt vestrum monumentum, aut audient, gratissimus sermo conticescet. Ita pro mortali conditione vita immortalitatem estis consecuti.* Hav.

Digitized by Google

hæc pati Deus patitur. Nam et proxime, ad lenonem (*a*) damnando christianam potius quam ad leonem, confessi estis labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœna et omni morte reputari. Nec quicquam tamen proficit exquisitior quæque crudelitas vestra: illecebra est magis sectæ. Plures efficimur (*b*), quoties metimur a vobis: semen est sanguis Christianorum (*c*). Multi apud vos ad tolerantiam doloris et mortis hortantur, ut Cicero in Tusculanis, ut Seneca in Fortuitis, ut Diogenes, ut Pyrrhon, ut Callinicus. Nec tamen tantos inveniunt verba discipulos, quantos A Christiani factis docendo. Illa ipsa obstinatio, quam exprobratis, magistra est. Quis enim non contemplatione ejus concutitur ad requirendum, quid intus in re sit? Quis non, ubi requisivit, accedit, ubi accessit, pati exoptat, ut totam Dei gratiam redimat, ut omnem veniam (*d*) ab eo compensatione sanguinis sui expediat? Omnia enim hūic operi delicta donantur. Inde est, quod ibidem sententiis vestris gratias agimus; ut est æmulatio divinæ rei et humanæ, cum damnamur a vobis, a Deo absolvimur.

COMMENTARIUS.

(a) *Ad lenonem damnando christianam.* Vitiose Fuld. *ad leonem damnandam christianam potius, quam ad leonem putastis, et confessi estis*, etc. Barr. *ad lenonem clamando.* Erat vero et hæc ex populi furentis acclaB mationibus, ut docet Ferrarius de Ver. Acclam. lib. VII, cap 18, Maxima sane pudicarum contumelia, quam mille mortibus redemptam mallent. Itaque non immerito tela orationis suæ vibrat, cum simile fere facinus inhumanum et scelestum exprobret furentibus Arianis Nazianzenus, Orat. Ad. Arian. et de se ipso: Παρθένων, inquit, αἰδὼς καὶ σεμνότης ὄψεις ἀνδρῶν μηδὲ σωφρόνων φέρουσα· σὲ δὲ τῆς ἡμῶν ἠσχυνε καὶ καθύβρισε μέχρι τῶν ἀθεάτων, καὶ ἀσεβῶν ὄψεσι προύθηκε θέαν ἐλεεινὴν καὶ τοῦ Σοδομιτικοῦ πυρὸς ἀξίαν, εἰ γὰρ θανάτους λέγειν τῆς αἰσχύνης ἀνικητοτέρους: id est: *O virginum pudor atque verecundia, quæ ne modestorum quidem vivorum conspectum ferre potes, quis nostrum te affecit ignominia, etiam ad illas usque partes, quas spectari nefas est, et impiorum oculis miserabile spectaculum proposuit, igneque Sodomitico vindicandum? Mitto enim cædes hoc dedecore tolerabiliores.* Sarisberiensis in Polycratico lib. III, cap. XIII, *A patribus tamen pridem definitum est, quia pudicitia auferri non potest, nisi* C *mentis corruptio antecedat. Quod enim, ut magnus asserit Augustinus, non præcedente libidine violenter patitur corpus, vexatio potius dicenda est, quam corruptio. Ibi ergo servari pudicitia potest, ubi nulla nisi voluntaria esse potest corruptio, in mentis scilicet integritate, ubi in æternum servari pudicitia potest.* Scilicet, ut Noster alia in re, in libro De Monogamia, cap. XV: *Utique enim illam magis excusari, capit, quæ in prælio cecidit, quam quæ in cubiculo; quæ in equuleo succubuit, quam quæ in lectulo; quæ crudelitati cessit, quam quæ libidini; quæ gemens devicta est, quam quæ subans.* Hav.

(b) *Plures efficimur, quoties metimur a vobis.* Fuld. Ms. *etiam p, e.* Quid ergo mirum, si Julianum illum Apostatam, Epist. XXIII, Constantium vocare audias πολυκέφαλον ὕδραν; *multorum capitum hydram?* cum etiam Herculii Maximiani numinus ex ære maximo exstet in gaza Christianæ Reginæ, in quo ille velut D Hercules visitur hydræ πολυκεφάλου, cum qua decertat victor, cum inscriptione HERCULI DEBELLATORI. Diocletiani etiam, socii ejus in imperio et odio adversus Christianos, nummus laureus singularis exhibeatur a Spanhemio de U. et Pr. N. p. 838, in quo æque mendaci titulo abolitio christianæ religionis celebratur. Stant ibi tria Fata, cum inscriptione FATIS VICTRICIBUS. Theodoret., Serm. IX, de Leg., p. 127: καὶ κορυβαντιῶντες καὶ λυττῶντες, etc., i. e., *Itaque Corybantium more capita præ furore jactantes, inciti rabie, technisque ac veteramentis usi quamplurimis, piscatorum leges non dissolverunt quidem, sed multo validiores oppugnando eas reddiderunt; planeque illis persimiles inventi sunt, qui flammam quidem restinguere concupiscunt, oleum vero fatui instillantes, ardentiorem illam efficiunt. Etenim hi quoque, contra pietatem bello sumpto, piæ veritatis robur manifestius declararunt. Ac veluti quondam rubus ille, quem vidit Moses, ardore ignis non est absumptus; ita nec Christianos, impiorum bellis petitos, tela hostilia consumpserunt: quin potius, sicut lignatoribus sylvam cædentibus multo plures pullulant propagines ab radicibus, quam sint rami qui inciduntur; ita tunc quoque piis compluribus interfectis, multo plures quotidie ad doctrinam evangelicam accedebant; cruorque ille cæsorum corporum, irrigatio erat novis in Ecclesia emergentibus plantis.* Mox male Junii editio *sanguinis.* Hav.

(c) *Semen est sanguis Christianorum.* Non possunt Christiani persecutionibus imminui, quia si semen est eorum sanguis, cujusque plus effusum fuerit, eo major promittitur fidelium proventus, sicut messis copiosa, amplioris segetis præparatio est. Lac.

(c) *Ut omnem veniam.* Simile est illud D. Cypr. epist. 52, ad Antoniam, ubi martyres dicit statim ad gloriam pervenire fidei, statim et virtutis accipere mercedem, statim a Domino coronari. Atque adeo hic locus annotandus est contra eorum errorem, qui coronam justitiæ, adeoque et martyrii, ad diem usque Judicii differendam dicere non verentur. Pam.

JOANNIS LAURENTII MOSHEIM,
DE

ÆTATE APOLOGETICI TERTULLIANI,

INITIOQUE PERSECUTIONIS SEVERI,

DISQUISITIO.

§ I. *Summa disquisitionum ejusmodi utilitas docetur. Occasio hujus.*

§ II. *Diversarum de hoc argumento opinionum duplex classis constituitur.*

Digitized by Google

§ III. *Sc. producuntur primum, qui post a. CC* Apologeticum *scriptum esse volunt. Contra quos.*
§ IV, V, VI. *Multis ostenditur, cœpisse afflictiones Christianorum sub* SEVERO, *antequam peculiaria is decreta eam in rem rogaret.*
§ VII. *Dodwelli speciatim argutiæ examinantur.*
§ VIII. *Qui post mortem* SEVERI Apologeticum *prodiisse dicunt, refelluntur. Quo facto,*
§ IX. *Ad alteram eorum classem acceditur, qui licet concedant ante a. CC eum esse consignatum, de anno tamen dissident.*
§ X. *Nostræ sententiæ proponendæ initium fit, ac primo sub* SEVERO *scriptum esse ostenditur. Deinde,*
§ XI. *Post motus* ALBINI. *Quo vero annus recte possit constitui.*
§ XII, XIII. *Hos motus a. CXCVI cœpisse. A. CXCVII compressos fuisse novis rationibus docetur, oppositæque rationes evidenter diluuntur. Quo facto,*
§ XIV. *Pro a. CXCVIII. pronuntiatur, ac ex illustri* TERTULLIANI *loco hæc sententia diligenter confirmatur.*
§ XV. *Conclusio.*

§ I.— Si, qua se utilitate commendat certa temporum, quibus libros suos prisci doctores litteris mandavere, scientia, eo semper studio ac diligentia a viris eruditis quæsita fuisset, non dubito quin multo paucioribus hodie difficultatibus historia sacra abundaret, concinniorique instructa esset ordine. At qui barbariei sordes primi absterserant, majores nostri, id potius agebant, ut collapsæ plane litterarum res erigerent, quam ut istis, quas putabant, minutiis sibi aliisque earum conciliarent fastidium. Alia quidem iis, qui divinos illos restauratores consecuti sunt, mens fuit, quos Scaligero, Baronio, Petavio, Calvisio, aliisque præeuntibus, magna in his curis stadia confecisse constat. Sed, et patrum nostrorum, nostraque ætas summos in hoc genere viros tulit, Norisium, Pagium, Lloydium, Dodwellum, Tillemontium, Nourrium, multosque, qui Patrum edidere scripta, benedictinæ familiæ socios. Quorum omnium de laudibus quanquam ego nihil detraho, non tamen multa ab eis relicta esse dissimulo, multa eruditius quam felicius tractata, multa quod sectæ flagrarent amore, aut novæ cuidam nimium faverent opinioni, implicata potius, quam evoluta. Nulla alia ejus rei testimonia si existerent, ipsa, quibus mutuo se oppugnant, scripta, ipsi, quibus novas subinde rationes constituunt, libri loquerentur. In historia præcipue calamitatum, quibus vetustissimi fratrum nostrorum defuncti sunt, magno id fuisset emolumento, si librorum, quos pro illis imperatoribus ac præsidibus oblatos esse accepimus, cæterorumque, quæ fervantibus istis vexationibus consignata sunt, scriptorum ætas curate definita fuisset. Sic etenim de rerum gestarum serie, malorum illatorum magnitudine, confessorum numero, invicto, quo sanctissimi homines valuerunt, animi robore, certior nobis ac plenior esset notitia. Quam quidem egregiam quibuscumque utilitatem præstare posse, nulli, quibus maturius est judicium, ignorare possunt. Certe miror, quum vir aliòqui immortalis, Henricus Dodwellus, bono fortassis consilio, totos martyrum exercitus civitate sacra ejiceret, neminem illorum, qui adversus eum prodiere, in hac sese palæstre exercuisse. Unde tamen illud peti poterat, quo ad audaciam hancce infringendam nil certius, aut utilius esse potest, Patrum quamdiu verba cum aliorum pugnant locis, semper fere elabendi facultas dabitur. Nullum si aliud perfugium adsit, aut nota quædam testibus inuritur, aut novum quoddam critices genus advocatur, quod desperatis opibus auxilium ferat. Intervalla vero temporum si curate notentur, si rerum sibi succedentium ordo diligenter explicetur, aut perfrictæ frontis infamia subeunda, aut vero error ejurandus est. Enimvero defuerunt huic causæ eruditi homines; sive quod molestiam his negotiis familiarem fugerent; sive quod eximium illius commodum non perspicue satis cernerent, sive denique quod non tam circumstantiarum, quam ipsarum rerum, rationem sibi habendam esse putarent. Fuerunt quidem, fateor, quibus partem hujus laboris suscipere placuit. Nescio vero, qui factum sit, ut aut nimis indiligenter, aut nimis infeliciter sese expediverint. Fuerit festinatio, fuerit tædium, fuerit sectæ studium, aut nescio quid præterea; fuisse aliquid, quod, ut pessime interdum rationes subducerent, effecerit, exploratum est. His ego de caussis, etsi illis longe inferiorem me esse sentio, saxum hocce volutandi consilium ante aliquod tempus cœpi, ac de *nova* quadam *afflictionum christianarum historia*, quæ quum aliis rebus, tum præcipue diligentiori temporum notatione emineret, cogitavi. Specimen haud ita pridem nostra *de Athenagoræ ætate Dissertatio* (1) exhibuit, qua me celeberrimi Dodwelli rationibus plurimum intulisse damni, lectio testabitur. Usus quoque ea est felicitate spinosus licet labor, ut non displiceret iis, quorum plurimum valet apud me auctoritas, quosve intelligentes harum rerum existimatores quidquid prudentiorum est agnoscit. Quapropter nunc demo vires periclitari, ac num eadem dexteritate tempus celeberrimi APOLOGETICI, quem ingeniosissimus patrum TERTULLIANUS reliquit, eruere quem, tentare decrevi. Excitavit me, ut citius quam constitueram id oneris mihi imponerem, elegantissima APOLOGETICI illius editio, quam curis viri longe eruditissimi, mihique in primis amici, Sigiberti Havercampi debemus. Tanto eam nitore quum præditam, tam varia elegantique eruditione munitam, tam ab omni parte illustrem ac emaculatam conspicerem, id unice statim optabam, ut eodem habitu non hujus tantum, verum reliquorum etiam Patrum, potiores prodirent libri. Sic etenim statuebam, magna tædii illius parte, quod cum litteris hisce conjunctum est, hoc pacto abstersa, fore ut non amplius relictæ fere ac orbæ a cultoribus antiquitates sacræ reperirentur. Erat tamen, quod in tam exculto opere desiderarem, de ætate nimirum ac rationibus ejus disquisitio. Polliceri quidem intelligebam eruditissimum virum, se in præparatione reliquis TERTULLIANI *adversus gentes* libris præmittenda (*Præf.*), huic etiam desiderio consulturum esse. Ego vero,

(1) Exstat in bibliotheca theol. hist. philol. quæ Bremæ prodiit; t. II, fascic.

Digitized by Google

tantum abest, ut in his promissis adquiescerem, ut vel iis instigarer potius, quo hoc onere eum levarem. Sic enim continuo mecum : Brevior erit eorum, quæ comparat, expectatio, si laboris in alium, quamvis exigua, particula devolvetur. Pondus his adjecit cogitationibus optimi viri adhortatio, quæ, ut ea, quæ molirer, perficerem, cunctantem adhuc impulit. Quid multis ? E vestigio posthabitis aliis manum labori admovi, ac, quod hic exhibeo, in chartam conjeci.

Tuum jam erit dispicere, doctissime HAVERCAMPI, num tanti sit opella nostra, ut novam condendi hujus generis dissertationem molestia supersedere queas. Quod si minus nostra tibi placuerint, animum, scio, qui candor est tuus, probabis. Quis vero ille ? ut commodis litterarum inservirem, historiam malorum in Christianos SEVERO Augusto congestorum explicarem. Teque, si id addi pateris, ad alia perficienda expeditiorem paulo redderem. Si in homine non nimis erudito temerarius, honestus tamen est. De litteris ac TERTULLIANO si minus bene merebor, de te tamen nullo modo male meritus videri possum. Vulgus nimirum consilia ex eventu, boni viri ex affectu æstimant.

§ II. — Circumspicienti mihi, ut fas erat, qui de eadem re ante me eruditi viri sensissent, ab his penitus relictam, ab illis parum dextre ornatam inveni. Generatim dissensiones ac sententiarum divortia etiam hic regnare videbam. Dici quid a nonnullis audiebam : ita vero, ut rationum obliviscerentur. Diligentius alios ad calculos sedisse animadvertebam, quorum tamen conatibus non par fortuna responderet. Plurimos magni nominis viros duces potius sequi, quam in his se macerare numeris voluisse, cernebam. Vel hæc sententiarum varietas, quænam cum veritate congrueret, ut examinarem, me commovit. Equidem tantum lucis, quantum intricati negotii natura permittit, ei conciliare conabor, ac duo propterea opinionum primum genera constituam. Sæcularis annus CC terminus esto, qui utrumque disjungat. Alterum itaque eorum erit, qui ante hunc annum, aut eo ipso, libri nostri natales quærunt. Alterum horum, qui elapso illo ducentesimo anno eum consignatum esse censent. De ultimo, quod quum longius a veritate abest, tum facilius confutatur, priori loco dicam. Prius, cujus rationes majorem postulant industriam, ac ex ipsis historiæ arcanis excutiendæ sunt, posteriori reservabo.

§ III. — Princeps in iis, quos primum audiendos esse diximus, sententiam dicat Guillel. Caveus, maximæ famæ et industriæ vir. Pro anno is pugnat CCII. *Mihi*, ait (*Historia litter. Script. Eccles.* t. I, p. 42. *b. ed. Genev.*), *verisimilius videtur scriptum fuisse sub persecutione sexta, circa a. CCII, quo SEVERUS aliquos christianos fieri sub gravi pœna vetuit.* Adjicit his quædam probationis instar, quæ, si mihi bonum virum exagitandi animus esset, repeterem. Pars eo pertinet ut, vere imperante SEVERO, pacem Christianorum fuisse turbatam appareat : pars non levia fuisse mala illis injecta ostendit. Quæ omnia quum a nemine unquam in dubium vocata, tum ea sunt, ut qua ratione æram, quam defendi, confirment, prorsus nesciam. Quocirca melius omissa fuisset, quam subjungit, conclusio : *Nulli itaque alii epochæ hujus scripti annum natalem majori veritatis specie assignare possumus.* Fundamentum ejus non in omnibus quæ præmiserat, sed in hoc solo positum est, non ante a. CCII. SEVERUM decretis suis Christianorum fortunis molestum fuisse. Quod quam lubricum ac infirmum sit, mox patebit. Scripsit certe TERTULLIANUS cum jam malis undique fratres obsessi essent. Veruntamen hoc non sufficit, nisi et hoc doceatur, non antea quam edicta promulgarentur Augusti, calamo eum manus admovisse. Cujus quidem si ostendi potest contrarium, omnis hæcce computatio nullius æstimanda est. Neque etiam hoc vir doctus attendit, etiamsi rationes ejus multum valerent, ætatem tamen libri ad a. CCIII potius differri debere. Omnia etenim cum ab aliquo jam tempore cædibus ac suppliciis Christianorum fervissent, Noster sectæ suæ defensor exstitit. Quare non satis credibile est, sub ipsum calamitatum exordium, eo ipso, quo natæ erant, anno defensionem istam in litteras relatam esse. Ab hoc alienus tamen non erat Henricus Dodwellus. Licet enim, quid de ætate APOLOGETICI sentiat, aperte quod sciam nusquam proponat, ex illis tamen, quæ de vexationibus Christianorum sub SEVERO disputat, quid mente voluerit sine ulla controversia colligitur. Ante a. CCII nimirum neminem tranquillitatem perturbasse cœtus sacri sibi persuadet, idque nonnullis, quæ mox discutiemus, argumentis stabilire enititur. (*Dissert. Cyprian.* XI, § 41, p. 68. *S. ed. Brem.*) Decebat sic eum, cui nihil minus quam martyrum copia ferenda videbatur. Quod si ergo, ut indubitatum est, non antea quam incrementa cepissent calamitates, præsides provinciarum TERTULLIANUS compellavit, certum quoque ex ejus sententia est post a. CCII. aut eo labente factum illud esse. Et quid conjecturis opus ? Disertiora adsunt eruditi viri verba : *Inde*, inquit (*Diss. cit.*, §, 42. p. 69.), *his ipsis temporibus* (de a. CCII. loquitur) *vel paulo etiam fortasse recentius, nova illa, quam appellat TERTULLIANUS, Christianorum Dei editio, cum ejusmodi inscriptione, Deus Christianorum onochoites, auribus asininis, altero pede ungulato librum gestantis et togati.* Leguntur ea, ad quæ provocat, in APOLOGETICO (*C.* XVI. p. 169. ed. celeb. Havercampi, qua hic semper utor), cujus res hic agitur. Quid clarius itaque, cum Caveo aliisque, circa libri ætatem Dodwellum consensisse ? Latius hodie viri hujus de paucitate martyrum sententia serpsit, ac plurimorum inter eruditos animos occupavit. Igitur, quin multorum mentibus hæc de ætate APOLOGETICI opinio infixa sit, non dubium est. Quorum tamen longius hic recensere, quum duces indicati sint, non necessarium esse arbitror. Ad Antonium Pagium potius accedo, qui, licet omnem fere ætatem in numeris contriverit, eidem tamen se addixit sententiæ. Cum

Digitized by Google

Hypaticam conscriberet *Dissertationem*, nemo eo melius, qui pro a. CXCVIII. diserte pronuntiabat. Accipe verba (*Diss. Hypatica*, P. II. cap. III. § 12. p. 117. *Bulgd.* 1682 in-4°) : *TERTULLIANUS APOLOGETICUM conscripsit A. CXCVIII. quo SEVERUS quinquennalia edidit, Romaque discessit, quam ob causam ad magistratus Romanos illum direxit. Nam licet nullum adhuc ab eodem imperatore adversus Christianos edictum promulgatum fuisset, Plautianus tamen, cujus auctoritate Romæ omnia fiebant, Christianos vexare incipiebat.* Egregie sane, quod tum legem nullam ab Augusto in Christianos latam fuisse, agnoscit. Quod de Plautiano addit, Baroni debet suspicioni (*Annal. Eccles.* t. II. *ad a. CC.* n. VII. VIII. p. 198. *ed. Colon.* 1624. *fol.*), quam ipse deinceps profligavit (*Critica ad Ann. Baronii*, t. II. *ad A. CXCIX.* n. IV. p. 92). Probatio vaga est ac generalior, quæ et in alios annos quadrare posset, quibus Severum etiam urbe abfuisse novimus. Fuerit vero minus infirma : vellem nihilominus in ea sententia vir doctus persitisset. Enimvero cum Baronium castigaret, repudiandam sibi eam esse duxit, ac ætatem APOLOGETICI ad a. CCV. retulit. *Christianorum*, auctis Pagium (ad a. CXCIX. n. VI. p. 93.), *persecutio ante a. CCII. decreta non fuit. Quare cum Tertullianus Apologeticum suum, persecutione ubique jam a multo tempore flagrante, ut ex ipsomet Apologetico colligitur, scripserit, longe tardius præstantissimum illud opus promulgatum, et quidem, ut conjicere licet, anno ducentesimo quinto, quo Antoninus imperii Cæsarei decennalia celebravit, quove persecutio magis sævit.* Nemo pejoribus unquam auspiciis mentem mutavit. Dum alium levius peccantem emendare cupit, gravi sese errato contaminat. Equidem scio, sævisse tum in Christianos nationes a veri Numinis cultu alienas, cum Noster sua consignaret. Qualis vero hinc conclusio? Ergo post emissa a Severo decreta liber exaratus est. Quasi vero tam rerum imperitus fuerit, ut vi legum antea latarum fratres nostros sæpenumero excruciatos fuisse nesciverit. Aut, si minus hoc perspectum ipsi fuisset, hic ipse Apologeticus tum temporis hoc evenisse, cum non docere potuisset. Sed de hac re jam luculentius commentabor.

§. IV.— Vidimus, iis, qui post a. CCII. librum in litteras esse volunt, hoc præcipue obfuisse, quod usque ad a. CCII. pacatissimas fuisse res Christianorum crediderint. Hæc vero ex eo nata est persuasio, quod hoc anno, quem dixi, decreta a SEVERO in Christianos proposita fuisse, multis ex testimoniis didicerant. Non patuit videlicet illis ratiocinationis hujus imbecillitas : Sanxit a. CCII. in Christianos SEVERUS leges ; igitur non antea vexari poterunt. Quamquam Dodwellum hic excipi facile fero, qui ad alias simul argutias confugit, eo quod nihil in hac ratione præsidii positum esse perspiceret. Hæc quum ita sint, nulla ad hos refellendos certior via erit, quam si diu ante, quam Augusti ferrentur leges, plurima mala Christianorum incubuisse cervicibus demonstretur. Totus hicce locus a Theoderico Ruinarto, qui Dodwellum sibi castigandum sumpsit, prætermissus est. Graviter is ac permoleste fert, afflictionem totam unius biennii spatio hunc complecti. (*Præf. ad Acta Martyr. sincera, Sect. II.* § 12, *p.* 48. *ed. Wetsten.*). Generaliora vero tantum, quibus eum refellat, adducit, quorum alter simillia, si quæsivisset, fortassis invenisset. Diligentiorem inquisitionem, temporumque notationem, quam negotii natura unice flagitat, frustra expectaveris. Majorem Pagius industriam adhibuit, ut in hisce rebus plurimum possidebat scientiæ. (*Critica in Ann. Baronii T. III. ad a. CCI. n. VII p.* 2. *et ad a. CCVII. n. III. p.* 7). Neque tamen hoc momentum attingere potuit, quoniam in initio afflictionis designando ab adversario, ut ostendi, non dissidebat. In hoc igitur tantum occupatus est, ut ab a. CCII. ad mortem usque SEVERI pacem sancto cœtui non fuisse redditam evincat. Quod illi itaque, et complures alii, intentatum dimiserunt, id ego mihi nunc perficiendum sumam. De anno, qui malis istis initium dederit, præcise nunc non agitur. Haud difficulter is ex iis, quæ de ætate APOLOGETICI extra dubium collocabimus, erui poterit. Hic id mihi tantum propositum est, ut ante a. CCII. quo SEVERI in Christianos decreta publicata esse concedo, infinitam ærumnarum vim eis exhibitam esse doceam. Primum teneat in testibus eorum ipse noster TERTULLIANUS. Testimonium ex eo ipso *Libro*, cujus ætatem hic constituimus, dicat. Prodiit, id quod nullus negat, cum jam crudelissimis supplicils christiani de medio tollerentur. Idem vero de edictis imperatoris nihil prorsus tum auditum fuisse, non uno loco diserte indicat. Conjecturam nunc omitto, quam spernendam tamen esse nego : illud, quod ad præsides provinciarum directus sit, eos solos, non imperatorem, malorum fuisse auctores, argumento esse. Evidentioribus res peragetur testimoniis. Primum hoc esto (*C. XXXV. p.* 300) : *Nec ulli magis depostulatores Christianorum, quam vulgus. Plane cæteri ordines pro auctoritate religiosi ex fide, nihil hosticum de ipso senatu, de equite, de castris, de palatiis ipsis spirat.* Quid pro nobis evidentius facere possit, equidem nescio. Palatia ipsa, quibus Augustus *cum filiis* continebatur, de hostium Christianorum numero eximit. Hæc qua fronte scripsisset, si legum in vexandis Christianis jam adfuisset auctoritas? Tota, quæ cap. IV, V, VI, legitur, de legibus disceptatio idem luculenter confirmat. Christianorum adversarii leges prætexebant, quæ, ut in eos sæviretur, præciperent. Quasnam vero? Recens editas? Minime. Edicta crepabant a mortuis jam rogata imperatoribus, quæ haud sibi violare licere dicebant. Præclare frigidis hisce ratiunculis vir acutus occurrit. Rationibus ante omnia demonstrat, tam sanctam nullam esse legem, quæ non, si quid iniquitatis contineat, continuo delenda sit. Nec exemplis id carere postea docet, cum Romani vetustissimis licet decretis, quorum injustitiam cognoverint, omnem detraxerint auctoritatem, ac SEVERUS ipse

Digitized by Google

legem Papiam abrogaverit. *Nonne et vos*, inquit (*C. XV. p.* 49), *quotidie experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis, totam illam veterem et squallentem sylvam legum novis principalium rescriptorum et edictorum securibus ruscatis et cæditis?* Vide vero, quibus de legibus sermo sit? De antiquis, ut apertum est, quibus novas opponit. Pergit ad latores legum adversus Christianos (*Cap. V, p.* 56), quos omnes turpitudinis, scelerumque infamia notatos, Neronisque simillimos fuisse contendit. Quam late hæc adseveratio pateat, non inquiro. Satis mihi est, quod ex ea SEVERUM in eorum numero, qui in Christianos decreta sanxerint, ab eo non fuisse habitum, pateat. Ratio ipsa hujus rei testis est. Ecquis enim tam amens, ut sapientem virum sibi persuadeat hoc argumento leges impugnaturum fuisse, si penes quem tum summa rerum erat eodem sese crimine adstrinxisse constitisset? Festivum profecto defensorem! qui imperatorem, cujus animum emollire cupiebat, iis adnumeraret, qui mortalium nequissimi, nullisque flagitiis secundi fuerant. Laudat e contrario aliquoties SEVERUM Noster, ac *constantissimum* appellat *Principum.* (*Cap. V, p.* 52). Adeo remotus erat ab ea opinione, ac si gladium in fratres stringi jussisset. Sed se ipsum explicet TERTULLIANUS, qui Romanos sic alloquitur (*Cap. V, p.* 62) : *Cæterum de tot exinde principibus ad hodiernum divinum humanumque sapientibus edite aliquem debellatorem Christianorum?* Quis *Hodiernus* ille? SEVERUS, puto. Hunc vero in debellatoribus Christianorum numerandum esse negat. Quid clarius? Prætereo celebrem ex eadem dissertatione locum (*Cap. V, p.* 63, 65) : *Quales ergo leges istæ, quas adversus nos soli exsequuntur impii, quas nullus Hadrianus, nullus Vespasianus, nullus Pius, nullus Verus impressit.* Sunt codices, qui *Severum* hic legunt. Ego vero tibi, Havercampi doctissime, assentior, virisque egregiis, qui tecum meliorum librorum beneficio Verum nobis restituere. Quam lectionem etsi minus probat Dodwellus (*Diss. Cyprian. XI*, § 44. *p.* 69., diffiteri tamen non potuit, sæpius in antiquis monumentis Severi et Veri nomina confundi.

§ V. — Hæc sunt, quæ pro nostra sententia ipse nobis subministrat APOLOGETICUS, quibus quid reponi possit, non video. Alius jam succedat TERTULLIANI locus, ex alio ejus libro, eo videlicet, quem *ad martyres* in carcere constitutos misit, petitus. Eos intelligi hic martyres debere, qui SEVERO imperante correpti erant, extra dubium est. Ad hos vero corroborandos ultimi argumenti loco hæc ponit (*Libro ad martyres, c. IV, p.* 468. *Opp.*) : *Nemo non etiam hominis caussa pati potest, quod in caussa Dei pati dubitat. Ad hoc quidem vel præsentia nobis tempora documenta sint, quantæ qualesque personæ inopinatos natalibus et dignitatibus, et corporibus et ætatibus suis exitus referant, hominis caussa : aut ab ipso, si contra eum fecerint, aut ab adversariis ejus, si pro eo steterint.* Statim hic monere possem, apparere satis, quod imperatorem, quem *hominem* hic dicit, malorum martyribus illis illatorum auctorem TERTULLIANUS esse noluerit. Alioqui enim scripsisset, *hominis istius, qui vos excruciat, caussa.* Mitto vero hanc ratiocinationem, ac rem ipsam ad quam verba hæc respiciunt intueor. Cædes multorum hominum dignitate ac meritis illustrium commemorant. Expers historiæ SEVERI sit, qui hæc alio, quam ad necem eorum, quos occasione belli gallici ab ALBINO moti trucidabat, trahi posse putet. Hoc tempus illud erat, quo innumeri, iique præclari, homines præter omnem spem, quod ALBINO favisse putarentur, ad mortem rapiebantur. Audi Spartianum (*Vita Severi, cap. XII. p.* 177. 178. *ed.* Obrechti.) : *Interfectis innumeris ALBINI partium viris, inter quos multi principes civitatis, multæ feminæ illustres fuerunt* (nonne hoc idem, quod TERTULLIANUS dicit), *omnium bona publicata sunt, ærariumque auxerunt. Tum Hispanorum et Suallorum proceres multi occisi sunt.* Mox idem nobilissimorum virorum in istis turbis vita privatorum longum satis indicem subjungit (*Cap. XIII, p.* 178, 179.). Capitolinus (*Vita Cl. Albini, c. XII, p.* 217.) huic et Herodianus (*Historiar. Lib. III et VIII. p.* 147. *ed.* Bœcleri.) jungi potest. Ecquid vero est, quod luculentius TERTULLIANUM explicet? Neque vero dubium ex altera parte ALBINUM, quod hic subindicatur, eadem sævitia usum fuisse, præsertim posteaquam a SEVERO insidias, quas Capitolinus (*Vita Albini, c. VII. VIII. p.* 211. f.) exponit, sibi strui senserat. Cui hoc expendenti grave non accidat, si quis nihilominus non ante a. CCII. vexatos sub SEVERO Christianos fuisse asseveret. Tumultus ALBINI, ut mox docebo, in a. CXCVI. incidit, clades in a. CXCVII. Perinde est, num de hoc, aut illo anno locus intelligatur. Semper enim, longe antequam decreta SEVERI proponerentur, illustres Christianorum sub imperio ejus martyres exstitisse, probabit. *Scorpiacus* TERTULLIANI alia quædam mihi suppeditare posset. Sed alium nunc testem appellari animus est, Clementem Alexandrinum. *Stromata* hunc sua, quæ hodie adhuc leguntur, SEVERO regnante composuisse, Eusebius olim prodidit (*Hist. Eccle. Lib. VI. c. VI, p.* 208.). Priores speciatim libri paulo post imperii ejus initium, COMMODO haud ita pridem exstincto, consignati videntur. Primo enim libro, quo temporum instituit computationem, ultra COMMODI mortem non progreditur. Ἀπὸ δὲ τοῦ πρώτου ἀγῶνος ἐστὶ τὴν Κομόδου τελευτήν, ἔτη ἑκατὸν ἑνδέκα. *A primo autem certamine usque ad mortem COMMODI anni centum undecim* (*Stromatum, Lib. I. p.* 402. *ed.* Potteri). Hic desinit; manifesto indicio, non multo ante quam hæc scriberet, fatis occubuisse COMMODUM. Mihi quidem satis est hoc loco, indubitatum esse, ante a. CCII. hæc edidisse Clementem. Auctis per decreta imperatoris Alexandrinorum malis, exulabat vir egregius, ac in Palæstina Syriaque potissimum versabatur; quod post Hieronymum (*Catal. Scrip. Eccl. cap. XXXVIII, p. III. ed.* Fabricii

Digitized by Google

rec.) ex Eusebio (*Hist. Eccl. lib. VI, c. XI, p.* 212, 213) viri docti bene observarunt. Quo quidem turbulento ac calamitoso tempore tam laborioso operi eum vacare potuisse, nullus facile dixerit. Ipse celeberrimus Dodwellus, qui sua sæpe vineta cædit, hoc agnovit, ac diu ante a. CCII. *Stromata* ista exarata fuisse pluribus rationibus binis locis docuit (*Diss. III. in Irenæum, § XXVII. p.* 276, *s*; *et Diss. de Roman. Pontif. primæva successione, c. XV, § IV, p.* 209.). Quod itaque præcipue nobis optandum erat, id consecuti sumus. Reum habemus confitentem. Quod si non multum provecto SEVERI imperio Clemens scripsit, erroris esse reos, qui ante a. CCII. vexationem cœpisse Christianorum negant, exploratum est. Cædes enim ac supplicia fratrum scribenti ob oculos quotidie versabantur. En quæ dicat: B ἡμῖν δὲ ἄρθονοι μαρτύρων πηγαὶ ἑκάστης ἡμέρας, ἐν ὀφθάλμοις ἡμῶν θεωρούμενοι, παροπτωμένων, ἀνασκινδυλευομένων, τὰς κεφαλὰς ἀποτεμνομένων (*Stromatum Libro II. p.* 494.): *Nobis autem sunt quotidie redundantes martyrum fontes, qui nostris spectantur oculis, qui torrentur, torquentur et capite truncantur.* Respondeant hic, quibus Dodwolli præcepta sequi gloriosum ducitur, ac ante omnia virum cum se ipso concilient. Fatis, quod pueri norunt, ea nocte, quæ annos CXCII. et CXCIII. sejungebat, satisfecit COMMODUS. Scripserit Clemens primum suum librum tribus post mortem ejus annis, a. CXCV. Intercesserint iterum, id quod tamen haud verisimile est, duo prope anni inter primum et secundum *Stromatum* volumen. Nihilominus, jam a. CXCVII. pulchram Alexandriæ C eorum cohortem inveniemus, quæ hoc inspectante cruentam pro SERVATORE mortem oppetierint. Hic vero acumen Baronii mirari liceat, qui ob hæc Clementis verba libros ejus post decimum SEVERI annum conscriptos fuisse asseverat. *Cæterum*, inquit (*Annal., Tom. II. ad a. CXCVI. n.* XXII. *p.* 278, 279.), *cum constet in ipsis Stromatum libris de Christianorum persecutione tunc vigente mentionem fieri, affirmare necesse est, ipsum post annum decimum SEVERI scripsisse.* Indignum Annalium scriptore judicium! Obliviscitur vir illustrissimus eorum, quæ mox ipse defensurus erat, jam a. CXCVIII. Plautiano instigante, Christianis injurias fuisse illatas, quo nomine duplicem committit errorem. Recentiores facit et Christianorum miserias, quam ipse putabat, D et Clementis libros, quam rerum permittit conditio.

§. VI — Nescio an his addi mereatur, ita antiquitus jam fuisse creditum, dudum ante a. CCII. Christianos sub SEVERO exagitatos fuisse? Qui majorum traditionibus non omnem demunt fidem, hanc non penitus observationem spernent. Paulum igitur Orosium, quinti sæculi scriptorem, producam, qui, antequam ALBINUS res novas moliretur, a. minimum CXCVI, gravem SEVERUM Christianis fuisse tradit (*Historiar. Libro VII. c. XVII. p.* 512. *Mogunt.* 1615. 8.). Verba hæc sunt, quæ Treculphus Lexoviensis (*Chronicorum Tom. II. Lib. II. c. XXIV. p.* 488. *ed. Genev.* 1597. in 8.), sæculi noni historicus, nulla vocula mutata, repetiit: A *Quinta post Neronem persecutione Christianos excruciavit: plurimique sanctorum per diversas provincias martyrio coronati sunt. Hanc prophanam in Christianos et Ecclesiam Dei præsumptionem Severi, cœlestis ultio e vestigio acta subsequitur. Nam continuo rapitur, vel potius retrahitur in Galliam Severus e Syria ad tertium civile bellum. Unum jam enim Romæ adversus Julianum, aliud in Syria contra Pescennium gesserat: tertium Clodius Albinus Juliani in occidendo Pertinacem socius, qui se in Gallia Cæsarem fecerat, suscitabat.* Idcirco Numen voluisse, ut quietem imperii ALBINUS turbaret, ait, quod in Christianos SEVERUS fuisset injurius. Equidem non is sum, qui Orosium summa fide scriptorem esse putem. Neque etiam omnia, quæ hic narrat, mea facio. Testem ejus tantum esse cupio, quod suo tempore opinio, quam tueor, communiter recepta fuerit. Si qua fides narrationibus, quas a majoribus traditas accepimus, huic etiam, quin aliqua esse debeat, nullus dubitabit. Abjecissem protinus hominem, cujus manifesta nimis fuisset superstitio, si omnium omnino bellorum, etiam cum Juliano et Nigro gestorum, caussam sævitiam in Christianos dixisset. Jam non prorsus despicio, quoniam religiosius instituit, nec de suppliciis fratrum semper somniat, cum bello orbem terrarum flagrasse intelligit.

§ VII. — Quæ hucusque disserui, tanta prædita esse arbitror perspicuitate ac evidentia, ut in se ipsum iniquus futurus sit, qui contrariis in posterum partibus se adjungeret. Si res ita postularet, longe plura potuissem proferre; quæ, cum nullo modo flagitet, mihi in aliud tempus reservo. Omnia sic cadunt, quæ non sine sudore forsitan pro rationibus suis celebris Dodwellus excogitavit. TERTULLIANUM primo nobis ille eripere conatur. Intellexit enim in *Apologeticum* SEVERUM eorum excludere numero, qui violentas Christianis manus intulissent; etsi, quæ nos excussimus, illustria plane loca ne tangat quidem. Quid vero exinde eum colligere existimas? Vide et mirare. Decreta imperatoris tum quidem jam rogata, sed in eas partes, ubi TERTULLIANUS degebat, perlata non fuisse (*Diss. Cyprian. XI. § 44. p.* 69.). Magnitudinem videlicet miseriarum diminuere omnibus viribus conatur. Frigidum vero somnium! quod fortassis ne iis quidem arridebit, qui Romani imperii statum ignorant. At non minus in explodendo eo frigidus Ruinartus est, qui, si quo loco, hic tum inter nives gallicas versatus fuisse videtur (*Præf. ad Acta Mart. Sect. II. § 44, 45, p.* 46, *C.*). Locis quibusdam tumultuarie coacervatis longe lateque extensam fuisse persecutionem docet. Quid vero hoc ad Dodwelli argutias? qui non hoc negabat, sed non tam immanes in omnibus provinciis fuisse ausus contendit, eo quod latæ ab imperatore leges ad omnes non pervenissent. Si quid video, certius ab hac detorsione TERTULLIANUM vindicavi. Duo alia deinceps testimonia attuli, quæ, si omnia, id quod fieri plane nequit,

Digitized by Google

APOLOGETICI loca possent elidi, nihilominus ante illum, quem designat, annum Christianos excruciatos fuisse docerent. Inanis est suspicio, cui militat vir doctus. Valeat tamen, si qui velint. Alia adhuc superstant, quæ huic non patent artificio. Illis immotis ea quoque jacebunt, quæ idem, ut ad a. CCII. omnium afflictionum initium referat, in medium adduxit (*Loc. cit.* § *XLI*, p. 68.), ad duo redeunt illa capita. Otium ait et occasionem Christianos invadendi gentibus defuisse. Utriusque facile apparet imbecillitas, si cum iis quæ scripsi contendantur. Demus tamen viro erudito loquendi veniam : *Nec otium erat antea*, inquit, *sive ipsi imperatori, sive provinciarum præfectis, nec ipsis urbium plebibus magistratibusque, quos externa saltem ab hostibus pax in eam sæviendi luxuriam plerumque convertit.* Vix dubito, quin alia cogitaverit, cum sic scriberet. ¿Quod, quæso, vinculum harum propositionum : Bello Romani fuerunt implicati, et : Christiani nihil malorum senserc? Aut nihil ego intelligo, aut nullum. Medios inter maximi belli fragores VALERIANUS infinitas Christianis molestias exhibebat. Clariora hæc erunt, si distinctius ejus temporis bella intueamur. In Orientis regionibus et Gallia militiæ vacabat iis annis imperator. Fuerit illic, quod tantisper concedam, in diviniore cœtu pax : quod vero hinc provinciarum aliarum præfectis, quod plebi erat impedimentum, quo minus Christianos in jus vocarent? Quid notius, nunquam majorem scelerum impunitatem esse, quam bellis omnia vastantibus? Quid vulgarius denique gentium illa consuetudine, quæ majores nunquam miserias Christi creabant discipulis, quam cum orbis romanus bellicis aliisque calamitatibus premeretur? Rogati, quid caussæ esset, sacrificuli omnem in Christianis residere culpam confidenter clamabant : *Negliguntur Dii*, hanc vocem eorum Arnobius refert (*L. I. adv. gentes, p.* 16. *ed.* Heraldi), *atque in templis jam raritas summa est : jacent antiquæ derisui cœrimoniæ, et sacrorum quondam veterrimi ritus religionum novarum superstitionibus occiderunt.* Hinc illæ lacrymæ ; hinc novi novis orientibus turbis furores. Non erat itaque, cur hanc rationem clariss. Dodwelli vir alioqui paucis in hoc genere conferendus, Seb. Tillemontius, sibi ut optimam repetendam esse duceret (*Histoire des Emper. Tom. III. P. I. p.* 146. *ed.* Bruxell.). Quæ quidem, tantum abest, ut aliquid probet, ut contrariis potius partibus aliquid auxilii afferat. Sed erilior adhuc altera, occasionem male Christianis faciendi non abfuisse. *Nec occurrebat saltem occasio aliqua, quæ imperatoris iram in Christianos exeitaret, cum nec nigriniani fuissent illi, nec albiniani, ut TERTULLIANUS ait.* Verbis hic parco, eo quod inconsideratius nil dici potuisse putem. Adeone nunquam Christianorum rebus imperatores infesti erant, nisi cum aliqui eorum iis, qui civilia movebant bella, sese addixissent? Ne pueri quidem id ferrent. Neque vero de SEVERO hic potissimum quæritur, an is ante a. CCII. in Christianos sævierit. Quanquam et huic et aliis ipsum Christianorum nomen occasionis satis erat. *Ideo torquemur*, noster ait TERTULLIANUS (*Apologetici c. II. p.* 35.), *confitentes et punimur, perseverantes, et absolvimur negantes, quia NOMINIS PRÆLIUM EST.*

§ VIII. Plura quam cogitabam in eos dicta sunt, qui ante a. CCII. APOLOGETICUM non fuisse natum, contendunt. Nec tamen nimis, quod sic lucis aliquid historiæ sacræ additum ac tempus vexationis Christianorum sub SEVERO curatius constitutum sit. Pergo jam ad eos, quibus longius adhuc procedere, ac, SEVERO extincto, post a. CCX. librum prodiisse defendere, placet. Facilius hi excusantur, quorum non tam mala Christianorum extenuare, quam ad CARACALLÆ quoque initia extendere, animus est. Longe tamen illis argumentorum cedunt præstantia, quorum vis hic prope nulla est. Familiam vir summus ducit Jos. Scaliger, cujus auctoritatem fraudi nonnullis fuisse, equidem nil miror. *Apologeticum*, ait is (*Notis ad Chronicon Eusebii, in Thes. tempor. p.* 229, *ed.* Alex. Mori *ultimæ*), *dubito, an sub SEVERO scripserit, cum dicat : Papias leges heri SEVERUS constantissimus principum exclusit*, videtur de mortuo loqui. Ego vero tam acutus non sum, ut, quid hæc TERTULLIANI verba de mortuo SEVERO exponere cogat, videam? Laudatur ille. At quis vivos laudibus solere decorari neget? Vox *heri* adhibetur. Quamobrem autem illa de præterito SEVERI imperio, quod cum dic sic TERTULLIANUS contulisset, intelligi debet. Tu jam recte, Havercampi doctissime, eam de tempore non longe elapso capi posse, monuisti (*Notis ad Apologet., p.* 287.). Addo ego, capi ita debere, nisi patrum eruditissimum ineptiisse velimus. Ex Scaligeri sententia hæc voluisset : SEVERUS, quum adhuc viveret, leges Papias abrogavit. Tacete profecto! Edocendi fortassis Romani erant, non apud inferos ab imperatore hoc beneficium esse præstitum. Sit itaque *heri* hic nil aliud, quam *haud ita pridem*. Nihilo tamen minus vir celeberrimus, Petrus Allixius, Scaligeri hoc argumentum comprobavit, illique præcipue opinionem suam, minimum non ante a. CCXI. Apologeticum litteris esse mandatum, superstruxit (*Dissert. de Tertulliani vita et scriptis, cum aliis ; edit. Paris*, 1680. *in-4°*). Quod quam improvide factum sit, evidens esse opinor. Adjunxit idem duas alias pro hac computatione rationes, quas, etiamsi a celeb. Dupinio jam brevibus dilutæ sunt (*Nov. Bibl. des Auteurs eccles. Tom. I. p.* 107. 108. *ed. secundæ*), ut hic denuo expendam, institutum postulat. Primum post *librum de præscriptionibus* nostrum esse compositum, ex eo constare ait, quod in hoc ad illum TERTULLIANUS digitum quasi intenderit. De ætate libri *de præscriptionibus* hic commentandi locus non est. Adoptabo interea Cavei (*Histor. litterar. scriptor. eccles., p.* 43.), aliorumque sententiam, circa a. CCVII, publicatum esse. Quemadmodum clariss. Allixius probet, librum hunc in Apologetico commemorari, tantum videndum est. Locus, quem producit, hic est (*c. XLVII, p.* 519.) : *Expedite autem PRÆSCRIBIMUS adulteris nostris*

Digitized by Google

illam esse regulam veritatis, quæ veniat a Christo, transmissa per comites ipsius, quibus aliquanto posteriores diversi isti commentatores probabuntur. Mirabilem cernis viri docti ratiocinationem : Usurpavit *præscribendi* vocabulum TERTULLIANUS ; ergo ad *librum de præscriptionibus* respexit. Tum demum aliqua ejus vis erit, si, antequam de præscriptionibus commentaretur noster, vocem præscribendi Romanis inauditam fuisse, ostenderit. Pergit vero, tangi a TERTULLIANO solis defectum Uticæ a. CCX. observatum. Perii, si vera dicit. Nimis vero ingeniosum, qui ex iis, quæ spectat, verbis hæc elici posse putet. Audi illa (*Apolog., c. XX, p.* 390.) : *Quod etiam officia temporum et elementorum munia exorbitant : quod et monstris et portentis naturalium forma turbatur.* Ubi solis hic defectus? ubi Utica? De anni temporibus fruges nec mature satis, nec optime producentibus sermonem esse reor. At concedamus, quod falsum, de obfuscato sole hic aliquid dici : quo pacto eum, qui a. CCX. obtigerit, defectum hic notari demonstrabitur?

§ IX. Tandem aliquando sic ad eos ventum est, qui aut ante a. CC. aut eo ipso anno Apologeticum exaratum esse confitentur, quosve veritati amiciores esse supra agnovimus. Non eumdem illi cursum tenent, sed in varia discedunt. Sunt quibus a. CXCVI. placet (*Cave Hist. litter. Script. Eccl., p.* 42.). Quorum ego quidem rationes ignoro. A. CXCVIII. PAGIUM quondam elegisse, antea docui. Cæsar Baronius A. CCI. ut ipse quidem computare assuevit, hoc est, æræ vulgaris, quam in disquisitionibus ejusmodi obtinere notissimum est, a. CXCIX. librum prodiisse vult (*Annal. eccles. T. II, ad a. CC. n. VII, p.* 198. *ad a. CCI. n. XXVII, p.* 307, *n. XXXVI, p.* 310), videlicet cum SEVERUS in Parthos, quod hoc anno factum esse sine rationibus censet, moveret, Plautianum prætorio præfectum Romæ relictum pacem violasse Christianorum conjicit. Quam ob causam TERTULLIANUM, in urbe, ut vult, tum præsentem, pericula ista hoc libro repellere voluisse putat. Suspicionem de Plautiano Anton. Pagius jam sustulit, qui eum in Asiam cum SEVERO migrasse, evicit (*Crit. in Baron. T. II. ad A. CXCIX. n. IV. p.* 92, 93). Quod, cum TERTULLIANUS scriberet, non nisi christianos Romæ degentes excruciatos fuisse, contendit, ipse refellit Apologeticus, quem provinciarum præsidibus inscriptum esse certum est. De tempore belli Parthici inferius diligenter agetur. Annus CC. a plurimis electus est, iisque eruditissimis viris. Est in illis JAC. PAMELIUS, (*Vita Tertulliani Opp. ejus præfixa)*, si Jo. Forbesio a Corse (*Instruct. Histor. Theol. lib. VII, c. VII*, § 16. *p.* 520, *T. II, Opp. Theol.*), qui se eum sequi affirmat, credimus ; Baronius enim in sua eum castra pertrahit. Est diligentissimus Tillemontius (*Hist. des Empер. Tom. III, P. I, p.* 94.) : quanquam is alio loco *(In sua Chronologia, ad calcem T. III, Hist. p.* 1221.) dubius est, annon melius a. CCI. ponendus sit? Est L. E. Dupin (*Bibl. des Auteurs eccl. Tom. I, p.* 91), aliique complures, quorum nomina hic recensere, parum arbitror utile. Nonnulli ex his simpliciter sententiam dicunt, rationes omittunt. Manet enim hæc nostra id fati plerumque genus, ut contempta jaceant ac derelicta. Qui diligentissimi sunt, ex eodem sua loco petunt, quem nos in subsidium vocabimus. Differunt in factis, de quibus quæritur, ad annos suos referendis, bello nimirum Parthico, ac Albini motibus. Quapropter nihil huic negotio perficiendo magis conducet, quam si meam, et promam, et stabiliam sententiam. Quo facto, quis aliorum rationibus locus esse queat, obscurum amplius esse nequit. Ordine vero ac per gradus incedere animus est; generaliora præcedent, ac eorum causa, qui post SEVERUM ætatem libri collocant, eo regnante consignatum esse, demonstrabitur. Specialior sequetur disquisitio, ac impedimenta cuncta indubitatis argumentis removebuntur. Ultimo loco de ipso anno deliberabitur.

§ X. Imperante SEVERO opus hoc TERTULLIANUM composuisse, cum loci quidam jam supra a me indicati, tum is quem nunc recitabo declarat. *Cæterum*, inquit (*Cap. V. p.* 294.), *de tot exinde principibus ad hodiernum, DIVINUM HUMANUMQUE SAPIENTIBUS, edite aliquem debellatorem Christianorum.* Eum, qui tum res imperii administrabat, in principibus divinum humanumque sapientibus, seu utriusque juris ac litterarum peritis numerat. Excipe SEVERUM ; et nullus erit imperatorum, in quem hæc conveniant. Aut COMMODUS, aut CARACALLA, quorum ille ante, hic post eum orbi terrarum præfuit, nominandus est. PERTINAX enim et JULIANUS, qui paucis tantum diebus defuncto COMMODO fastigium hoc tenuerunt, in hunc censum non veniunt. At quales, quæso, illi quos dixi? Nec divinum, nec humanum sapientes, belluinis verius quam humanis moribus præditi, flagitiorum, non litterarum scientissimi. Multum e contrario temporis in addiscendis artibus SEVERUS collocaverat. *Philosophiæ ac dicendi studiis satis deditum, doctrinæ quoque nimis cupidum*, Spartianus (*Vita Severi, cap. XVIII. p.* 154.) vocat : Ardorem ejus et industriam Dio commendat, licet ad ea, quæ mente conceperat, in usum deducenda non adeo aptus fuerit. Hunc nimirum verborum, quæ exscribam, sensum esse opinor (*Lib. XXVI, in Excerpt. Peiresc. ab Henr. Valesio edit. p.* 740, *Paris*, 1634, *in-4°*): παιδείας μὲν γὰρ ἐπεθύμει μᾶλλον ἢ ἐπετύγχανε, καὶ διὰ τοῦτο καὶ πολυγνώμων μᾶλλον ἢ πολυλόγος ἦν. Nec enim VALESII mihi versio ex omni parte placet : *Disciplinarum studiosus potius quam peritus;* et reliqua. Talis princeps quin suo jure eruditis connumerari potuerit, quis dubitet? Sed longiori probatione haud opus est. Ipsa res extra omne collocat dubium, sub nullo, quam SEVERO, hoc scriptum in litteras relatum esse.

§ XI. Imperatorem habemus. Non omnes deinde imperii ejus annos, sed eos tantum, qui ab a. CXCIII. quo illud suscepit, ad a. CC. numerantur, spectandos esse ex antea dictis novimus. Octo igitur iste annorum circulus nos jam exercebit. Cui vero non exiguum statim detrahetur spatium, si post civile AL-

Digitized by Google

BINI bellum in Gallia commotum scriptum esse librum demonstrabimus. Fiet id ope loci hujus, quem exhibeo. Nihil unquam in principum capita molitos esse sectæ christianæ socios dum vir ingeniosus contendit, sic inter alia exclamat (*Cap. XXXV, p.* 3000.): *Unde Cassii et Nigri et ALBINI? Unde qui inter duas lauros obsident Cæsarem? De Romanis, nisi fallor, id est, de non christianis.* Præterita imperii mala præsidibus in memoriam hoc loco revocat, periculaque, quibus Imperatores feliciter defuncti sint, recenset. In his præcipue tumultum ab ALBINO excitatum memorat. Ad certiorem itaque scientiam nil amplius requiritur, quam ut, quo anno Albiniani hi conatus compressi sint, disquiramus.

§ XII. Enimvero novi hic circuitus. Dissident ii, quorum magnam in his rebus auctoritatem esse, paucissimi ignorant. Unicus tamen annus tantum eos sejungit. Placet his a. CXCVII; aliis a. CXCVIII. Nos, quibus aliquid, quod ad caussam omnem discutiendam pertinet, prætermittere religio est, indubitatis rationibus, quid sentire oporteat, docebimus. Quod eo quidem libentius fiet, quoniam omnis hæc disceptatio de *Apologetici* anno ex hoc negotio pendet. Pervulgata prior est opinio, quam plerique fastorum conditores (*Vid. Onuphr. Panvinius fastor. consul., p.* 241, *Heidelb.* 1588.), Cæsar Baronius (*Annalium Tom. II, ad annum CXCIX, n. I, p.* 293.), Franc. Mediobarbus (*In Numism. Imper., p.* 271, *Mediob.* 1683), celeberrimus Tillemontius (*Histoire des Emper. Tom. III, P. I, p.* 72 *et p.* 404) compluresque alii tuentur. Hi si majori rationes suas industria munivissent, inviolatas sine dubio ac tectas conservassent. Munivissent vero, ut opinor, si quemquam tam audacem fore putassent, ut eas pervertere ac rejicere conaretur. Ego sine omni mora iis me addictum esse profiteor. Cujus consilii rationes, antequam eorum, qui secus sentiunt, apparatum disjiciam, expositurus sum. Fundamentis enim computationis nostræ indicatis, facilius judicabitur quod pretium alteri sit statuendum. Primo omnium hoc observari volo, non diuturnum Albinianum fuisse bellum, sed altero anno cœptum, altero absolutum. Magnis ac festinatis itineribus in Galliam ex Oriente SEVERUS advolabat. Aderat et statim hostis ALBINUS. Nec mora; congrediuntur, ac velitationibus quibusdam de summa rei publicæ, haud quidem ita magnis, decertant. Ancipiti initio marte pugnabatur, ac in spem victoriæ ALBINUS jam erectus erat. Sed paulo post fatalis ac decretoria prope Lugdunum pugna die XI. kal. martias, SEVERO victoriam, ALBINO afferebat interitum. Omnes, quos habemus, scriptores cuncta hæc brevi tempore gesta, nec ulterius quam in alterum annum protracta esse, testantur. Nec quod excipi possit ullo modo intelligo. Jam, cur duos hosce annos CXCVI. et CXCVII. esse velim, accipe. Tria in aciem argumenta educam. PESCENNIUM NIGRUM, alterum SEVERI æmulum, a. CXCIV. victum vitaque privatum esse, qui in dubium vocet aut vocare possit, nullus est. Non multo vero post in Galliam SEVERUS sicarios mittebat, qui, ne quem augustæ dignitatis porro haberet socium, ALBINUM de medio tollerent. Præter Herodianum (*Historiar. Lib. III. c. V., p. m.* 133.), ipsa SEVERI ad ALBINUM epistola, quam percussoribus ei reddendam tradiderat, apud Capitolinum (*Vit. Cl. Albini c. VII, p.* 212.) hoc confirmat. Anno minimum post NIGRI exitium hanc exaratam esse, vel levis ejus inspectio docere potest. Eventus expectationi imperatoris cum non responderet, insidiæque comparatæ retegerentur, ALBINUS continuo arma in SEVERUM capiebat. Is nuntio hoc accepto nil quieti dandum esse putabat; sed collectis e vestigio, quæ poterant, copiis incredibili celeritate in Galliam, qua animi erat vehementia, properabat, ALBINUMque adoriebatur. Ne Byzantii quidem exspectare volebat expugnationem. Αὐτὸς δὲ, inquit de eo Herodianus (*Hist. L. III, c. VI. p.* 139.) τῆς ὁδοῦ εἶχετο, μηδεμίαν ἀνοχὴν ἀναπαύλης διδοὺς μήτε ἑορταῖς μήτε καμάτοις, κρύους καὶ θάλπους ὁμοίως καταῤῥόων. *Ipse iter faciebat sine intermissione, neque festos dies, neque labores ullos magnopere curans, algoris atque æstus juxta patiens.* Hanc qui festinationem considerat, non potest, quin a. CXCVI, initium a. CXCVII. finem Albiniani belli factum esse constituat. Insidiatores concedam a. CXCV ablegatos a SEVERO esse. Anno hoc pene finito eos in facinore deprehensos esse, adjungam. Denique A. CXCVI jam exorso rei ejus certiorem SEVERUM esse factum dicam. Intra haud ita multos dies moræ impatientissimus imperator, qui currebat potius, quam proficiscebatur, Galliam post hunc nuntium acceptum attingere potuit. Aliud ex obsidionis Byzantinæ tempore præsidium parabimus. Dio Cassius trium annorum spatio, ἐπὶ ὅλον τριετῆ χρόνον, oppugnatam a SEVERO hanc urbem fuisse, scribit (*Hist. Lib. LXXIV, p.* 845, *ed. Francof.* 1606.). Omnes rei circumstantiæ, id quod Tillemontio (*Voy. Not. VIV, sur Sévère, T. III, Hist. des Emper., P. I, p.* 401, 402.) jam observatum esse video, non de completo annorum trium circulo has voces explicandas esse jubent, sed ita tantum, ut tribus annis sibi succedentibus continuatam fuisse obsidionem indicent, licet fortassis primo exeunte cœpta, tertio incipiente perfecta sit. Modus hic loquendi Græcis admodum familiaris est. Non disputabo, cui anno initium ejus assignari debeat, num a. CXCIII aut a. CXCIV: sufficit, quod iterum Dioni debemus (*Histor. Lib. LXXIV, p.* 844.) NIGRO nondum extincto urbem copiis fuisse cinctam. Cecidit is a. CXCIV. Sive igitur, quod aliqui faciunt, finis a. CXCIII, sive exordium a. CXCIV. præferatur, semper vicimus. Nec tamen nego, melius longe eos sentire, qui A. CXCIV. eligunt, ac multis quidem de caussis. Cadit ergo expugnatio in a. CXCVI. Nondum vero in potestatem imperatoris urbs redacta erat id temporis, cum ALBINO occurrebat, Herodiano teste (*Histor. L. III. c. VI. p.* 139.). Quin in itinere gallico jam constitutus fuisse videtur, cum receptæ urbis nuntius ad eum perfer-

Digitized by Google

retur. Quod si ergo Byzantii recuperati et profectionis adversus ALBINUM annus unus idemque est, ille vero necessario a. CXCVI sit, sequitur omnino A. CXCVII prælium lugdunense commissum fuisse. Si ad a. CXCVIII progrediaris, obsidionem una byzantinam per quatuor durasse annos confiteberis, id quod falsissimum esse ex Dione constat. Maximum est, quod postremo loco afferam, argumentum. Magna apud Gruterum, aliosque inscriptionum, magna apud Biragium numorum, vis est, quæ natu majorem SEVERI filium, ANTONIUM, CARACALLAM deinde vocatum, a. CXCVIII Augusti condecoratum esse titulo docet. Qua quidem commoti eruditi homines, licet de die, menseque disceptent (*Vid.* Ant. Pagi *Crit. in Baron. T. II, ad A. CXCVIII, n. VII, p.* 90; Henr. Norisius *de votis decennal. Impp. p.* 91, *S.* Tillemont *Histoire des Emper. T. III, P. I, Not. XIX, sur Sevère p.* 406.) de anni veritate non dubitant, ac Spartianum, qui id a. CC., decimo tertio CARACALLÆ anno, factum fuisse ait (*Vit. Severi c. XVI; p.* 182.), deferendum esse monent. Quo hunc jure reprehendant, quem ego quidem non de titulo Augusti, sed Imperatoris, ANTONINO a militibus imposito, intelligi forte debere, conjicio, non laboro. Ipsam sententiam et amplector, et nullis expositam esse dubiis agnosco. Egregie vero ea nostræ subvenit hoc loco computationi. Anno qui lugdunense prælium secutus est, honorem hunc CARACALLÆ esse habitum ex Historicis liquet. Herodianus paulo ante parthicam expeditionem Romæ (*Histor. Lib. III, c. IX, p.* 148.) Spartianus, ut aiunt, in Oriente illud contigisse docet. Alias rationes prætereo. Utraque sententia in anno CXCVIII conspirat, quo in Parthos Imperator movit. Quod si igitur, imminente jam parthico bello, a. CXCVIII ANTONIUS Imperator salutatus est, nullo modo a. CXCVII occidisse ALBINUM, negari potest.

§ XIII. — Equidem sic argumentis hisce comparatum esse arbitror, ut communem de ALBINI clade sententiam certissimam esse doceant. Si res flagitaret, de aliis addendis essem sollicitus. Jam satius esse puto, ut, quid eos, quibus tritam relinquere viam placuit, commoverit, disquiramus. Levia sunt: nec tamen omittenda. Dion. Petavius primas teneat. Initium is oppugnati Byzantii ad a. CXCV refert. Quam ob rem necessarium quoque fuit, quum triennio obsidio ista continuata sit, ut A. CXCVII., quo Orientem reliquerit SEVERUS, a. CXCVIII quo ALBINUM devicerit, fuisse diceret (*Doctrinæ tempor. Lib. XV. p.* 693. *ed. Paris.* 1627). Perspicuus est error, modo observetur, fontem ejus esse, quod male exordium oppugnationis byzantinæ a. CXCV tribuerit. Hæc vero, ut id faceret, ratio eum impulit, quod NIGRO superstite tantæ molis operi, qualis hæc obsidio, SEVERUM vacare non potuisse, credidit. Contrarium ex Dione vir eruditus discere potuisset, ut jam indicavi. Revocetur itaque cum Dione bysantinæ oppugnationis initium ad verum suum a. CXCIV, et res ipsa, ut in gratiam nobiscum redeat, Petavium coget (*Conf.* Tillemont *Hist. des Emper. T. III, Not. XVI, sur Sevère, p.* 404).

Henricus Norisius eidem se patrocinari opinioni innuit (*Diss. de votis decennal. Impp. p.* 93. *Patavii* 1686), at rationes non aperit, Spartianum ab eo laudari video, quem nihil hujusmodi dixisse scio. Quare me confestim ad Anton. Pagium confero, cui hanc æram ex instituto stabilire propositum fuit. (*Crit. in baron. ad A. CXCVIII, n. V, p.* 89). Fallitur enim Tillemontius, qui Pagium secum facere ait (1). Summa rationum ejus, quas mire disjectas in unum colligo, hæc est: Quinquennalia SEVERI, sine ulla controversia A. CXCVIII, Romæ celebrata sunt, Herodianus vero statim post pugnam lugdunensem ingenti cum celeritate Romam eum petiisse, ac, simul ac adventaverit, Quinquennalia ista exhibuisse narrat. Quare si paulo post interemptum ALBINUM, cujus cladem decima nona februarii die contigisse nullus inficiatur, imperator Romam ingressus est, si inter reditum hunc ejus in urbem et quinquennalia nulla aut exigua mora fuit interposita, eumdem necis ALBINI et quinquennalium annum esse deberi, indubitatum est. Nisi, quam facilis in his rebus lapsus esset, scirem, certe admirarer, ab homine tam erudito infirmas ejusmodi ratiunculas proficisci potuisse. Mihi quidem in illis generatim id displicet, quod sic motibus ALBINIANIS tres annos contra omnem fidem tribuit. Arma A. CXCVI, sumpta esse profitetur. Petavium alio loco reprehendit, qui ob eam, quæ ipsi cum Pagio communis erat, sententiam, sequentem annum prætulerat (*Diss. Hypatica P. II. c.* XII. *p.* 221). Neque tamen, se hoc pacto in longe difficiliores, quam Petavium, tendiculas incidere sentit, quum in tertium annum omnibus repugnantibus bellum istud protrahat. Est et aliud, quod hanc premit sententiam. Iter SEVERI in Orientem ad expeditionem parthicam, quod eodem anno CXCVIII. factum esse conceditur a viro docto, cum quinquennalibus istis, redituque in urbem conjungitur. At hoc omnium scriptorum adversatur testimoniis, qui sic de his rebus exponunt, ut sine omni dubio ad alium annum reditus SEVERI in urbem e Gallia, ad alium migratio ad debellandos Parthos referenda sit. Quid de rationibus speciatim dicam, quarum nulla se sustentare, vel leviter potest? Distincte quamlibet excutiam. Incertissimum est, a. CXCVIII quinquennalia SEVERUM exhibuisse. Ipse celeb. Pagius hanc inculcavit regulam: *Quinquennalia, Decennalia et id genus festa, modo anno quinto ineunte, modo exeunte indiscriminatim celebrabantur* (*Diss. Hypatica P. II, c. II,* § *V, p.* 87). Lubrico eam fundamento ab eo impositam esse non ignoro, illi nimirum, cujus princeps auctor est, sententiæ, imperatores in solemnitatibus ejusmodi consularem semper dignitatem suscepisse. Neque tamen alioqui suis ea nervis destituta est, ut nonnulli sibi

(1) *Histoire des empereurs*, t. III, pag. 408. Le père Pagi, qui met comme nous la défaite d'Albin en 198.

Digitized by Google

persuadent. Exstant et eorum, qui ineunte anno quinto aut decimo, et eorum, qui exeunte eo ludos hos exhibuere, exempla. In illis CONSTANTINUS M. est, cujus primum anni tricesimi diem, XXV Julii, cæremoniis tricennalium illustrem fuisse constat. Applicemus hanc SEVERI annis, et videbimus, tam a. CXCVII quam a. CXCVIII, eum spectacula ista plebi edere potuisse. Præpositus est imperio circa medium forte a. CXCIII. Diem et mensem, de quo alii litigant, scire parum refert (*Vide Tillemont Hist. des Emper. T. III. Not. VII. sur Sevère p.* 395). Ego ipsum interea Pagium sequar, qui Idibus Maii id factum censet (*Diss. Hypat. P. II, c. XII, p.* 220). Quintus itaque imperii ejus a. CXCVII, mense Maio exordiendus erit. Quæ jam vero ratio afferri potest, qua invicte demonstretur, non a. CXCVII, quo quintus SEVERI annus incipit, sed a. CXCVIII, quo desinit, Quinquennalia eum dedisse. Utrumque enim fieri potuisse certum est. Reliquorum deterior adhuc conditio est. Falsum est Herodianum dicere, Imperatorem statim post adventum in urbem plebi munera ista edidisse, quæ quinquennalia vocat. Audiamus viri verba (*Historiar. L. III, c. VIII, p.* 145): Ὁ δ' οὖν Σεβῆρος εἰς τὸ τοῦ Διὸς τέμενος ἀνελθών, καὶ τὰς λοιπὰς τελέσας ἱερουργίας, ἐπανῆλθεν εἰς τὰ βασίλεια, καὶ τῷ δήμῳ προύθηκεν ἐπὶ ταῖς νίκαις μεγίστας νομάς, τοῖς δὲ στρατιώταις ἐπέδωκε χρήματα πλεῖστα, ἄλλα τε πολλὰ συνεχώρησεν ὧ μὴ πρότερον εἶχον. Politianus ita vertit: *Postea vero quam in templum Jovis ingressus est, omniaque sacrificia de more peregit, reversus in palatium magnoque congiario populum Romanum, victoriæ nomine, prosecutus, ac nummos militibus largitus est, simul alia permulta indulsit, quæ nunquam antea acceperant.* Quinquennalium hic mentionem quæro, sed frustra. Pagium quidem dicere audio: *Quæ novitates gratiaque quinquennalium SEVERI indicia.* Infelicem vero divinationem! Quasi non aliis temporibus, quam Quinquennalibus, istiusmodi rebus donari populus potuerit. Et quid obfuit, doctissime Pagi, quod voces illas Herodiani non videres, ἐπὶ ταῖς νίκαις? Ob victoriam de ALBINO reportatam, non Quinquennalis imperii caussa, de quibus ludis postea separatim Herodianus dicit, hanc liberalitatem SEVERUS exercebat. Non minus in eo fallitur, quod ex Herodiano patere ait, Augustum statim post ALBINI cladem Romam contendisse. Dicit is quidem, quum Romam peteret, πολλῷ τάχει eum migrasse. At non iter illud cœdem ALBINI confestim excepisse memorat (*L. c. pag.* 145). Potius, non antea eum Romam esse reversum narrat, quam res ordinasset Britanniæ, composuisset Galliam ac de magna amicorum ALBINI copia supplicium sumpsisset. Quæ tanti momenti sunt negotia, ut multum temporis in perficiendis illis consumptum sine dubio fuerit. Nihil igitur jam certius esse affirmamus, quam A. CXCVII (1) motus ALBINI, auctore ejus occiso, sedatos fuisse.

§ XIV. — Atque sic inoffenso pede ad reliqua pergi, annusque *Apologetici* nostri facilius constitui potest. Libere igitur a. CXCVIII, laborantibus fratribus eo subvenire voluisse, pronuntio. Locus, qui hanc firmat opinionem, hic est: *Sed et qui nunc scelestarum partium socii aut plausores quotidie revelantur, post vindemiam parricidarum racematio superstes, quam recentissimis et ramossisimis laureis postes præstruebant? quam elatissimis et clarissimis lucernis vestibula enubilabant? quam cultissimis et superbissimis toris forum sibi dividebant? non ut gaudia publica celebrarent, sed ut vota propria jam edicerent in aliena solemnitate et exemplum atque imaginem spei suæ inaugurarent, nomen principis in corde mutantes. Eadem officia deperdunt et qui Astrologos et Aruspices et Augures et Magos de Cæsarum capite consultant* (*Apolog. c. XXXV, p.* 458). Non fugit illustris hicce locus Baronium: non Tillemontium præteriit. Sed neuter, quod absque diminutione tantorum hominum dixerim, eo recte uti potuit, eo quod in aliis rebus errarent. Vidit aliquid Baronius ac de strage reliquiarum ALBINI eum interpretandum esse, bene monuit (*Annal. ad a. CC, n. VI, p.* 198). Ætatem libri idcirco recte notare non potuit, quoniam a. CXCVIII. SEVERUM reducem factum fuisse Romam, ac a. CXCIX, Parthis signa demum illata esse, statuit. Tillemontius vero, cujus industriam stupendam alioqui esse fateor, de NIGRI eum sectatoribus improvide intellexit, quos quum Parthis jam SEVERUS immineret, Plautiano suasore, eum persecutum esse, Spartianus (*Vit. Severi, c. XV, p.* 181) prodit. Propterea a. CC aut CCI *Apologeticum* exaratum esse voluit (1). Quamquam ne id quidem intelligo, cur hanc Nigrinianorum stragem, quam Spartianus inter belli parthici initia collocat, post ipsam difficillimam urbis Atræ obsidionem accidisse, vir eruditus censeat. Nos, diligenter excusso TERTULLIANI loco, facilem negotio exitum inveniemus. *Parricidæ* quinam sint in eo, apertum est: ii nempe, qui ALBINO imperium affectanti aut ope aut consilio affuerant. Cicero jamdudum sic senserat (*Philippica II, c. XIII, p.* 446, *T. II, Opp. ed.* Gruteri) *plus etiam quam parricidas* ejusmodi esse homines: *siquidem*, ut addit, *atrocius est patriæ parentem quam suum occidere.* At horum longe plurimi qui aut vere criminis istius rei erant, aut falso habebantur, tam in Gallia, quam Romæ deinde supplicio affecti erant, præter eos qui aperte arma tulerant. Herodianus et Spartianus hic possunt consuli. Atque hoc est, quod *vindemiam* TERTULLIANUS vocat. *Racematio* quædam, ut quidem Imperator putabat, adhuc super-

(1) Neque vero cum Baronio hic facio, qui, nescio quas ob caussas, licet a. CXCVII. ALBINUM debellatum esse concedat, tamen ante a. CXCVIII. SEVERUM Romam redisse, negat. Annal. T. II. ad A. 200. n. I, p. 296. Omnia pugnant cum hac opinione ac post medium fortassis A. CXCVII. Imperatorem urbi se reddidisse, confirmant. Taceo apud Adolphum Occonem in numismat., p. 849, adventus hujus Augusti quarto tribunitiæ potestatis anno facti, indicia quædam in numis occurere.

(1) Hist. des emp. t. III, p. 94, ad A. 200. Une des occupations de Sévère dans l'orient fut de faire de nouvelles recherches des partisans de Niger, et comme Tertullien dit sur cela, de grapiller après la vendange.

Digitized by Google

erat. Suspicax scilicet et simul argenti cupidus princeps, quum jam omnia tranquillitati restituta essent, nihilominus quosdam e latebris veluti protrahebat, quos insidias sibi fecisse aiebat, ac ad mortem ideo rapi jubebat. Ista vigente *racematione*, ut loquitur, TERTULIANUS scribebat. Scire itaque, quo tempore reliquias seditiosorum investigaverit SEVERUS, est ipsum Apologetici annum scire. Ipse vero illud indicat post solemnia quædam Romæ facta evenisse, in quibus isti imperatoris inimici magnum falso gaudium præ se tulerint. Quantum intercesserit intervallum non addit. Patet tamen, haud ita magnum intelligi debere. Est et alius in alio ejus libro locus, qui, quod ad hoc momentum, hinc quasi explicat (*Libro ad Scapulam c. I. p.* 552. *Opp.*): *Nunquam*, ait, *Albiniani, aut Nigriani, vel Cassiani inveniri potuerunt Christiani : sed iidem ipsi, qui per genios eorum in pridie usque juraverant, qui pro salute eorum hostias et voverant et fecerant.* De eadem re loquitur vir ingeniosus, de qua in nostris, quæ exponimus. Vocem itaque *pridie*, quæ breve denotat tempus, ad utrumque trahi, quid prohibet? Quænam vero erant hæc gaudia publica, ad quæ respicit? Fallor aut quinquennalia innuit. Romam quidem quum ingrederetur SEVERUS post interfectum ALBINUM, gaudiis omnia et plausibus personabant (*Vid.* Herodianus *Histor. Lib. III. c. VIII, p.* 145). Nec nobis id obesset, si quis eam hic lætitiam publicam indicari diceret. Longe tamen probabilius arbitror de quinquennalibus sermonem esse, cum alias ob caussas, tum quod vota pro salute Augusti tum esse facta, subindicat : *Sed ut vota propria jam edicerent in aliena solemnitate*, et reliqua. Ecquid vero notius, ludis quinquennalibus hunc morem præcipue observatum fuisse? Equid his numorum inscriptionibus celebrius : VOTA DECENN. SUSCEP.? Tangit has ceremonias sine dubio Herodianus, qui præter munus illud, quod Romam redux Imperator populo exibuerat, aliam ejus hujus generis liberalitatem paulo ante parthicam expeditionem commemorat. νομάς τε μεγαλοφρόνως ἐπεδίδου, ἐπετέλεσε δὲ καὶ ἐπινίκιον ἀγῶνα, τοὺς παντάχοθέν μούσης τε ὑποκρίτας καὶ ἀνδρείας μαθήτας μεταπεμψάμενος (*L. III, c. VIII, p.* 147). *Sed et congiaria dedit uberrima et certamen proposuit, undique accitis ludionibus atque athletis.* Idem Spartianus perhibet (*Vita Severi, c. XIV, p.* 150.) cujus hæc sunt : *Profectus deinde ad bellum parthicum est, edito gladiatorio munere et congiario populo dato.* Vide, quam amice hi duo conspirent: quam apte uterque præcessisse aliquam magnæ munificentiæ solemnitatem expeditionem parthicam tradat. Quæ si celeberrimus attendisset Tillemontius, aliter sine dubio instituisset. De Pescenni NIGRI sectatoribus, quas in Syria venabatur SEVERUS, sermonem hic esse censet. At eos inducit TERTULIANUS, qui Romanis interfuerint spectaculis. Quales, qui in Syria delitescebant, NIGRI sectatores non erant. Quo anno, num a. CXCVII aut CXCVIII festos hosce dies imperator indixerit, parum curo. Id mihi tantum, ut ostendam, incumbit, sanguinem denuo Albinianorum, ut credebantur, profusum fuisse, quum in eo esset, ut Parthos invaderet. Nullus quidem si produci testis posset, nihilo minus certa mea esset computatio, qui omnium instar TERTULIANUM commendare possem. Adest vero commode Spartianus, auspiciaque novi belli cædibus hominum inquinata fuisse, tradit (*Vita Severi c. XIV, p.* 480) : *Multos inter hæc* (dum se novo bello accingeret, dum ludos populo spectandos præberet, de quibus aliisque in superioribus dixerat) *caussis vel veris vel simulatis occidit. Damnabantur autem plerique cur jocati essent : alii cur tacuissent : alii cur pleraque figurata dixisseut : ut esset imperator vere nominis sui, vere Pertinax et Severus.* Huc etiam, quæ paulo post consequuntur, verba refero, quæ, ut opinor, non ad solam Nigrinianorum in Oriente persecutionem pertinent, et cum ultimis TERTULLIANI conferenda sunt : *Multos etiam, quasi Chaldæos aut vates de sua salute consuluissent, interemit, præcipue suspectos unumquemque idoneum imperio.* Transacta res est. a. CXCVIII, omnium consensu, in Parthos SEVERUS profectus est. Tum post quinquennalia exhibita, quum jam nil nisi prælia et Parthorum funera spiraret, *racematio* illa rebellium, de qua TERTULLIANUS, contigit. Igitur, quin eodem anno *Apologeticus* sit exaratus, dubitari amplius nequit. Licet nunc quoque annum primum calamitatum christianis imperante SEVERO illatarum designare. Sustinuerant jam per aliquod tempus furorem hostium, quum pro eis noster verba faceret. Certe nusquam de vulneribus nuper inflictis, sed inveteratis jam malis, loquitur. Quod, si non prius, minimum a præcedenti a. CXCVII miserias eorum repetendas esse, ostendit.

§ XV. — Habes jam, quæ de ætate *Apologetici* TERTULLIANI tecum communicare statui. Equidem, ut cum robur, tum perspicuitatem iis compararem, pro viribus studui, utrumque num consecutus sim, aliorum esto judicium. Aliquid si obscuritatis adhæret, non tam meo id vitio factum esse cogitabis, quam negotii ipsius. Habent hoc disquisitiones ejusmodi, ut semper aliquid domesticarum secum vehant sordium. Sed nec iis, qui prima merent stipendia, scribuntur, verum iis qui jam aliquem inter cives eruditos gradum nacti utriusque historiæ, rerumque criticarum non ignari sunt. Quibus quidem, quod illis perobscurum videtur, nullam difficultatem parere solet. Mihi, si fata velint, suisque labor noster fautoribus non plane caruerit, hac via pergere propositum est. De reliquis TERTULLIANI operibus non eadem tantum industria, verum etiam de vita ejus satisque diligentius, quam huc usque factum video, peculiari libro commentabor ; cui dissertationes quasdam in opera ejus adjiciam.

Dudum est, quod eruditiores novam eorum editionem exoptant. Ac nemo me quidem libentius hoc onus in se devolvisset, si ea mihi vivendi sors obtigisset, ut me rite eo defungi posse putarem. Quæ quum mihi negata sit, ea tamen, qua dixi, ratione, non tam de hac parte, quam de ipsa Historia sacra et civili bene mereri, constitui. Molitus est ejusmodi

Digitized by Google

opus immortalis memoriæ vir, Henricus Dodwellus (*Ex vita ejus a* Fr. Brockesby *scripta vid.* la Roche Bib. Angl. *Tom.* 1. *P.* 1. *p.* 86. 87). Mors quominus ad finem perduceret, prohibuit. Ego vero vehementer dubito, an par eruditioni candor ac judicii maturitas in eo futura fuisset. Habemus TERTULLIANI vitam a PETRO Allixio : At eam, quam si dixero minus esse perfectam ac elaboratam, a veritate non aberravero. Sint ea, quæ in hac Dissertatione ex ea consideravimus, speciminis loco. Petri Thomæ A du FOSSE vitam TERTULLIANI, quam sine nomine auctoris prodiisse, Dupinius testatur (*Bibl. des Auteurs eccl. Tom. XVIII. p.* 258), nec ego, nec omnes forte, qui extra Galliam versamur, vidimus. Palma igitur adhuc in medio posita est; quam ut mihi vindicem, si vixero, studebo. Non is sum, qui me iis, quos nominavi, viris doctrina longe inferiorem esse nesciam. Idem tamen, nimis fortassis audacter, Dodwellum veritatis amore, cæteros assiduitate et diligentia me superaturum esse, spondeo.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI
AD NATIONES
LIBER PRIMUS.

1. Testimonium ignorantiæ vestræ, quæ iniquitatem dum defendit, revincit, in promptu est, quod omnes, qui vobiscum retro ignorabant et vobiscum oderant, simul eis contigit scire, desinunt odisse qui desinunt ignorare, imo fiunt et ipsi quod oderant, et incipiunt odisse quod fuerant. Adeo quotidie adolescentem numerum Christianorum ingemitis. Obsessam vociferamini civitatem; in agris, in castellis, in insulis Christianos; omnem sexum, omnem ætatem, omnem denique dignitatem transgredi a vobis quasi detrimento doletis. Nec tamen hoc ipso ad æstimationem alicujus latentis boni animos promovetis; non licet rectius suspicari, non libet propius experiri; hic tantum curiositas humana torpescit. Amatis ignorare, quod alii gaudeant invenisse; mavultis nescire, quia jam odistis, quasi certe non odituros vos sciatis. Atquin, si nullum erit odii, reperietur optimum utique ab injustitia priore discedere; sin vero caussa constiterit, nihil odio detrahetur, quod adeo amplius justitiæ scientia cumulabitur, nisi si emendari pudet aut excusari piget. Scio plane, qua responsione soletis redundantiæ nostræ testimonium convenire : non utique eo bonum præjudicari, quia plerosque convertat et sibi rapiat, inquitis. Novi demutationem mentis et malas partes. Quot desertores bonæ vitæ? quot transfugæ in perversum? Multi bona fide, imo jam plures pro extremitatibus temporum. Verum deficit adæquatio comparationis istius. Nam de malo ita constat apud omnes, ut ne ipsi quidem rei, qui ad malum transeunt et a vobis in perversa divertunt, defendere malum pro bono audeant. Turpia timori, pudori impia habent; denique gestiunt latere, devitant apparere, trepidant deprehensi, negant accusati; ne torti quidem facile aut semper confitentur, certe damnati mœrent; exprobrant etenim quod erant in semetipsos: B malæ mentis ab innocentia transitum vel fato imputant; adeo nolunt suum esse, quia malum negare non possunt. Christiani vero (*a*) quid tale consequuntur? Neminem pudet, neminem pœnitet, nisi tantum pristinorum. Si denotatur, gloriatur : si tra hitur, non subsistit. Si accusatur, non defendit; interrogatus, confitetur; damnatus, gloriatur. Quod hoc malum est, in quo mali natura cessat?

2. In quo ipsi etiam contra formam indicandorum malorum judicatis. Nam nocentes quidem perductos, si admissum negent, tormentis urgetis ad confessionem, Christianos vero sponte confessos tormentis comprimitis ad negationem. Quæ tanta perversitas, ut confessioni repugnetis, tormentorum officia mutetis, gratis reum evadere, invitum compellentes negare? Præsides extorquendæ veritatis, de solis nobis mendacium exquiritis, ut dicamus nos non esse quod sumus. Opinor, non vultis nos malos esse, ideoque gestitis de isto nomine excludere. Sane cæteros ad hoc tenditis (1) et carnificatis, ut negent esse quod esse dicuntur. Atquin illis negantibus non creditis; nobis, si negaverimus, statim creditis. Si certi estis nos nocentissimos esse, cur etiam in hoc aliter quam nocentes a vobis agimur? Non dico quod neque accusationi neque recusationi spatium commodetis; soletis et inaccusatos et indefensos non temere damnare. Sed verbi gratia si de homicida confutatur (2), non statim confesso eo nomen homicidæ dispuncta caussa est aut satiata cognitio. Quanquam confessis difficile creditis; verum insuper consequentia exigitis, quotiens cædem egerit, quibus in locis, quibus spoliis, sociis, receptoribus, ne quid omnino mali hominis delitescat, aut desit aliquid instruendæ ad sententiam veritati. Porro de nobis, quos atrocioribus ac pluribus criminibus deputatis, breviora ac leviora elogia con-

LECTIONES VARIENTES.

(1) *Le Pr. leg.* tunditis.

(2) *Rigalt conjecit :* consultatur.

COMMENTARIUS.

(a) *Christiani vero.* Christiani nulla vi coacti Christianos se dicebant, eaque de re summopere gloriabantur. sic Apolog. c. 1. *Si denotatur, gloriatur; si accusatur, non defendit, interrogatus vel ultro confitetur; damnatus, gratias agit.* qui vero id ultro fatebantur, ideo damnati aut rei non erant. Le Pr.

Digitized by Google

ficitis. Credo, non vultis oneratos, quos omni opere perditos vultis, aut non putatis requirenda quæ nostis. Hoc ergo perversius, si cogitis negare, de quibus certissime scitis, imo, quod magis odio vestro competebat, seposita forma judicandi, proprio studio non ad negationem certare, ne quos odistis liberaretis, sed ad confessionem singulorum scelerum, quo magis inimicitiæ satiarentur ex aggeratione pœnarum, dum recognoscitur, quot quisque jam convivia illa celebrasset, quotiens in tenebris incursionis incesta. Quid? quod eradicandi generis diffundenda erat requisitio, porrigenda quæstio in socios consciosque. Perducerentur (*a*) infantarii et coqui et ipsi canes (*b*) pronubi, emendata res esset (*c*). Etiam spectaculis gratia aggregaretur; quanto enim studio in caveam conveniretur, depugnaturo aliquo, qui centum infantes devorasset? Sed enim tam horrenda tamque monstruosa de nobis deferuntur. Utique erui debuerunt, ne incredibilia viderentur, et odium in nos publicum refrigesceret. Nam et plerique fidem talium temperant, horrentes (*d*) naturam quærere pabulum ferinum, quam concubitus ab humano genere præclusit.

3. Vos igitur, alias diligentissimi ac pertinacissimi discussores scelerum longe minorum, cum talibus tam horrendis et omnem impietatem supergressis eam diligentiam deseratis, neque confessionem recipiendo judicantibus semper laborandam, neque exquisitionem digerendo damnatoribus semper consulendam: jam apparet, omne in nos crimen non alicujus sceleris sed nominis dirigi. Adeo, si de criminum veritate constaret, ipsa criminum nomina damnatis accommodarent, ut ita pronuntiaretur in nos: illum homicidam, vel incestum, vel quodcumque jactamur, duci, suffigi, ad bestias dari placet. Porro sententiæ vestræ nihil nisi Christianum confessum notant; nullum criminis nomen exstat, nisi nominis crimen est: hæc etenim est revera ratio totius odii adversus nos. Nomen (*e*) in caussa est, quod quædam occulta vis per vestram ignorantiam oppugnat, ut nolitis scire pro certo, quod vos pro certo nescire certi estis, et ideo nec creditis quæ non probantur, et, ne probentur facile (1), non vultis inquirere, ut nomen inimicum sub præsumptione criminum puniatur: adeo ut de nomine inimico recedatur, ideo negare compellimur, dehinc negantes liberamur tota impunitate præteritorum: jam non cruenti, neque incesti, quia nomen illud amisimus. Sed dum hæc ratio suo loco ostenditur, vos quam insequimini ad expugnationem nominis, edite: quod nominis crimen, quæ offensa, quæ culpa? Præscribitur enim vobis, non posse crimina objicere, quæ neque institutum (*f*) dirigit, neque probatio (2) assignat, neque sententia enumerat. Quod præsidi offeratur, quod de reo inquiratur, quod respondetur vel negatur, quod de consilio recitatur, id reum agnosco. Itaque de nominis merito, si qui reatus est nominum, si qua accusatio vocabulorum, ego arbitror nullam esse vocabulo aut nomini querelam, nisi cum quid aut barbarum sonat, aut infaustum sapit, vel impudicum, vel aliter quam enuntiantem delectet. Hæc vocabulorum aut nominum crimina, sicuti verborum atque sermonum barbarismus est vitium et solecismus et insulsior figura. Christianum vero nomen, quantum significatio est, de unctione interpretatur; etiam cum corrupte a vobis Christiani pronuntiamur (nam ne nominis quidem ipsius liquido certi estis), sic quoque de suavitate vel bonitate modulatum est (*g*). Detinetis igitur in hominibus innoxiis etiam nomen innoxium nostrum, non incom-

LECTIONES VARIENTES.

(1) *Hav. corr.* ne prob. falsæ, etc.

(2) *Rig.* prolatio. — *In seqq. scrib.* respondeatur vel negetur — recitetur.

COMMENTARIUS.

(a) *Perducerentur infantarii, et coqui, et ipsi canes pronubi.* Trium nempe criminum postulabantur: impietatis. Thyestæarum epularum, et concubitus incesti, sic Athenagoras τρία ἐπιφημίζουσιν ἡμῖν ἠγκλήματα· ἀθεότητα, Θυέστεια δεῖπνα, Οἰδιποδείοι μείξεις, aiebant enim Ethnici Christianos, ubi convenissent, mactare solitos infantem cujus carne manducata et epoto sanguine fœdus inter se inire, ac post convivium cum quibus-vis mulieribus promiscue commisceri, adeoque adhibere canes in more erat ad candelabra alligatos, qui offa injecta candelabra everterent, extinctisque luminibus tunc fieri dicebant fœdissimarum illarum commixtionum scelera. Le Pr.

(b) *Et ipsi canes pronubi.* In Apologetico, Lenones dicuntur, qui hic Pronubi, eversores luminum. Rig.

(c) *Emendata res esset.* Tum demum justa et legitima inquirendi ratio esset, si perducerentur infantarii, coqui, etc. *Idem.*

(d) *Horrentes naturam quærere pabulum ferinum quam conc.* Sic restituimus quæ in codice Agobardi leguntur absque ullo sensu. Nam ita sunt depravata: *Honorantes naturam quærere pabulum ferinum, quam concubitus ab humano genere præclusit.* Ait Tertullianus, tam horrenda, tamque monstrosa de nobis deferuntur, ut plerique fidem talium temperent, hoc est, fidem talibus non adhibeant; horrentes naturam quærere pabulum ferinum; nempe homines ita natos, ut quærant et appetant pabulum ferinum; naturam adeo ferinam, ut carnibus humanis libenter vescantur, quæ natura est ferarum. Eam vero naturam ferarum, id est, feras ipsas, concubitus ab humano genere præclusit. Unde igitur homines nati, ferum genus? *Naturam quærere* dixit Græco more, quod ita factum et natum est ut quærat. *Idem.*

(e) *Nomen in causa est.* Quoniam penuria criminum laborabant gentiles, ut Christianos opprimerent, nomen ipsum accusabant, qua de re hic multis Tertullianus, et antea in Apologetico. Erant quippe tunc Christiani ὑπὸ συκοφαντῶν σπαττόμενοι, inquit Athenagoras in Apologia pro Christianis. In jus vocabantur et condemnabantur propter unum nomen, neque enim quærebatur an mali quidquam perpetrassent Christiani, inquit idem, ἀλλ' εἰς τὸ ὄνομα, ὡς εἰς ἀδίκημα, lis scribebatur; Nam Christianorum nullus in ullo est facinore deprehensus οὐδεὶς ἀδικῶν Χριστιανὸς ἐλήλεγκται. Nominis tantum ubique ratio et crimen erat, οὐδὲν δὲ ὄνομα, ἐφ' ἑαυτοῦ καὶ δι' αὐτοῦ, οὐ πονηρὸν οὔτε χρηστὸν νομίζεσθαι, et antea, οὐ γὰρ τὰ ὀνόματα μίσους ἄξια, λλὰ τὸ ἀδίκημα δίκης καὶ τιμωρίας. Sic passim Athenagoras sub initium Apolog. Le Pr.

(f) *Neque institutum dirigit.* Hoc est, mandatum. infra, pag. 51. Institutum Neronianum. Rig.

(g) *De suavitate vel bonitate.* De suavitate, Christianus: De bonitate, Chrestianus. Rig.

Digitized by Google

modum linguæ, non auribus asperum, non homini malum, non patriæ infestum, sed et græcum aliis et sonorum et interpretatione jucundum. Et utique non gladio aut cruce aut bestiis puniendæ sunt nomina.

4. Sed dicitis, sectam nomine puniri sui auctoris. Primo quidem, sectam de auctoris appellatione notari, utique probum usitatumque jus est, dum philosophi quoque de auctoribus cognominentur, Pythagorici et Platonici (*a*), ut medici Erasistratei, et grammatici Aristarchii. Itaque si ob auctorem malum mala secta, tradux mali nominis plectitur. Atquin temeritate præsumeretur; prius erat cognoscere auctorem, ut cognosceretur secta, quam de secta inspectionem auctoris retinere. At nunc necessario ignorando sectam, qui ignoratis auctorem, aut non recensendo auctorem, quia nec sectam recensetis, in solum nomen impingitis, quasi in illo detinentes sectam et auctorem quos omnino non nostis. Et tamen Philosophis patet libertas transgrediendi a vobis in sectam et auctorem et suum nomen, nec quisquam illis odium movet, cum in mores, ritus, cultus, victusque vestros palam ac publice omnem eloquii amaritudinem elatrent, cum legum contemptu, sine respectu personarum, ut quidam etiam in principes ipsos libertatem suam impune jaculentur. Sed veritatem seculo operosissimam philosophi quidem affectant, possident autem Christiani; ideoque qui possident, magis displicent, quia qui affectat, illudit (*b*), qui possidet, defendit: denique Socrates ex ea parte damnatus est, quia propius tentaverat veritatem, deos vestros destruendo: quanquam nondum tunc in terris nomen christianum, tamen veritas semper damnabatur. Itaque et sapientem non negabitis, cui etiam Pythius vester testimonium dixerat: Virorum, inquit, omnium Socrates sapientissimus (*c*). Vicit Apollinem veritas, ut ipse adversus se pronuntiaret; confessus A est enim, se deum non esse, sed eum quoque sapientissimum affirmans, qui deos abnuebat; porro apud vos eo minus sapiens, quia deos abnuens, cum ideo sapiens, quia deos abnuens. Quo more etiam nobis soletis: bonus vir Lucius Titius, tantum quod Christianus; item alius: ego miror Caium Seium gravem virum factum Christianum. Pro stultitiæ cæcitate laudant quæ sciunt, vituperant quæ nesciunt, et id quod sciunt eo quod nesciunt vitiant. Nemini subvenit: ne ideo bonus quis et prudens, quia Christianus; aut ideo Christianus, quia prudens et bonus; cum sit humanius occulta manifestis adjudicare, quam manifesta de occulto præjudicare. Aliquos retro ante hoc nomen vagos, viles, improbos norant, emendatos repente mirantur, et tamen mirari quam B assequi norunt. Alii tanta obstinatione certant, ut cum suis utilitatibus depugnent, quas de commercio istius nominis capere possunt. Scio maritum unum atque alium, anxium retro de uxoris suæ moribus, qui, ne mures (*d*) quidem in cubiculum irrepentes sine gemitu suspicionis sustinebat, comperta caussa novæ sedulitatis et inusitatæ captivitatis (*e*), omnem (*f*) uxori patientiam obtulisse, negasse zelotypum, maluisse lupæ quam Christianæ maritum; ipsi suam licuit in perversum demutare naturam, mulieri non permisit in melius reformari. Pater filium, de quo queri desierat, exhæredavit. Dominus servum, quem præterea necessarium senserat, in ergastulum dedit. Simul quis intellexerit Christianum, mavult nocentem. Nam et ipsa per se traducitur disciplina, nec C aliunde prodimur, quam de bono nostro. Si et mali (*g*) de suo malo radiant, cur nos soli contra instituta naturæ pessimi de bono denotamur? Quid enim insigne præferimus, nisi primam sapientiam, qua frivola humanæ manus opera non adoramus; abstinentiam, qua ab alieno temperamus: pudicitiam, quam nec

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Le Prior. conj.* Alii, quos, etc.

COMMENTARIUS.

(a) *Pythagorici et Platonici.* Dixerat antea in apol. *Nonne Philosophi de auctoribus suis nuncupantur Platonici, Epicurei, Pythagorici?* Sic Christiani gloriosum sibi ducebant ducis sui nomine indigetari, unde Chrysostomus de B. Luciano. ποῖας εἶ πατρίδος; Χριστιανός εἰμι, φησί. τί ἔχεις ἐπιτήδευμα; Χριστιανός εἰμι. τίνας προγόνους; ὁ δὲ πρὸς ἅπαντα ἔλεγεν, ὅτι Χριστιανός εἰμι: *cujus es religionis? Christianus sum. Quam artem profiteris? Christianus sum. Quos habes majores? Is vero ad omnia reponebat, Christianus sum.* Le Pr.

(b) *Quia qui affectat includit.* Includit, in Apologetico. *Adulterat.* Rig.

(c) *Virorum, inquit, omnium Socrates.* Vulgare est Apollinis oraculo Socratem mortalium omnium fuisse sapientissimum: Ἀνδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος: unde Valerius Max. lib. III. c. 4. *Socrates non solum hominum consensu, verum etiam Apollinis oraculo sapientissimus judicatus est.* Et Salvianus lib. 8. de gubernatione: Contra seipsum tamen Apollo Pythius locutus est, et veritas superior exstitit, dum enim Socratem hominum sapientissimum pronuntiavit, se deum esse negavit. Socrates quippe quod de diis male sentiret, ab Atheniensibus fuit in judicium vocatus, et morte damnatus. Attendenda vero sunt quæ Minutius Felix: *Quanquam si philosophandi libido est, Socratem sapientiæ Principem, quisquis vestrum tantus est, si potuerit, imitetur. Ejus viri, quoties de cœlestibus rogabatur, nota responsio est:* Quæ supra nos, nihil ad nos. *Idem.*

(d) *Ne mures quidem irrepentes.* Cum hæc scriberet Septimius, habebat in mente illud Juvenalis, *Testiculi sibi conscius unde fugit mus.* Rig. D

(e) *Inusitatæ captivitatis.* Quæ jam Christiana facta, domo pedem vix efferebat, rebus domesticis attenta, quasi ipsa sibi captivitatem indixisset, quæ antea vaga et effreni libidine huc illuc ferebatur. *Idem.*

(f) *Omnem uxori patientiam.* Gentilium consuetudinem et pessimos mores ac corruptissimos tangit, apud quos maritus profundo somno involutum sepultumque se veluti ebrium simulat, et ut habet Juven. Sat. 1.

Doctus spectare lacunar,
Doctus et ad calicem vigilanti stertere naso.

Hic in Christianis nihil ejusmodi ait occurrere. Le Pr.

(g) *Mali de suo malo non radiant.* Insignes fiunt, demonstrantur, denominantur. Rig.

Digitized by Google

oculis contaminamus ; misericordiam, qua super indigentes flectimur ; ipsam veritatem, qua offendimus ; ipsam libertatem, pro qua mori novimus ? Qui vult intelligere qui sint Christiani, istis indicibus utatur necesse est.

5. Quod ergo dicitis : pessimi et probrosissimi avaritia, luxuria, improbitate ; non negabimus quosdam ; sufficit et hoc ad testimonium nominis nostri : si non omnes, si non plures. Necesse est in corpore, [et] quantum velis integro aut puro, ut nævus aliquis effruticet, aut verrucula exsurgat, aut lentigo sordescat. Cœlum ipsum nulla serenitas tam colata purgat, ut non alicujus nubeculæ flocculo resignetur. Modica macula in fronte, in parte quadam exemplari visa, quo universitas munda est : major boni portio modico malo ad testimonium sui utitur. Cum tamen aliquos de nostris malos probatis, jam hoc ipso Christianos non probatis ; quærite, secta cui malitiæ deputatur ? Ipsi in colloquio, si quando adversus nos, cur ille, inquitis, fraudator, si abstinentes Christiani ? cur immitis, si misericordes ? Adeo testimonium redditis, non esse tales Christianos, dum cur tales sint qui dicuntur Christiani, retorquetis. Multum distantiæ inter crimen et nomen, inter opinionem et veritatem. Nam et nomina sic sunt instituta, ut fines suos habeant inter dici et esse. Quot denique philosophi dicuntur, nec tamen legem philosophiæ adimplent ? Omnes nomen de professionibus gestant ; seducant nomen professionis præstantia, qui superficie vocabuli infamant veritatem. Non statim sunt, qui dicuntur ; sed quia non sunt, frustra dicuntur, et fallunt eos, qui rem nomini addicunt cum de re status nominis competat. Et tamen ejusmodi neque congregant neque participant nobiscum, facti per delicta denuo vestri ; quando ne illis quidem misceamur, quos vestra vis atque sævitia ad negandum subegit. Utique enim facilius inter nos inviti desertores disciplinæ, quam voluntarii continerentur. Cæterum sine caussa vocatis Christianos, quos ipsi negant Christiani, qui se negare non norunt (*a*).

6. His propositionibus responsionibusque nostris, quas veritas de suo suggerit, quotiens comprimitur et coarctatur consciencia vestra, tacitæ ignorantiæ suæ testis, confugitis æstuantes ad arulam quamdam, id est, legum auctoritatem, quod utique non plecterent sectam istam, nisi de meritis apud conditores legum constitisset. Quid ergo prohibuit apud executores quoque legum proinde constare, cum de cæteris criminibus, quæ similiter legibus arcentur ac puniuntur, nisi prius requiratur, pœna cessat ? verbi gratia, homicidam, adulterum lege, discutitur tamen de ordine admissi ; et tamen cognitum est omnibus genus facti. Christianum puniunt leges. Si quod est factum Christiani, erui debet ; nulla lex prohibet inquirere. Atquin pro legibus facit inquisitio. Quomodo enim legem observabis cavendo quod lege prohibetur, adempta diligentia cavendi per defectum agnoscendi quid observes. Nulla sibi lex debet conscientiam justitiæ suæ, sed eis a quibus captat obsequium. Cæterum suspecta lex est, si probari se non vult. Merito igitur tamdiu justæ in Christianos et reverendæ et observandæ censentur, quamdiu ignoratur quod persequuntur ; merito, post agnitionem iniquissimæ repertæ, cum suis machæris et patibulis et leonibus despuuntur ; legis injustæ honor nullus est. Ut opinor autem, dubitatur de iniquitate legum quarumdam, cum quotidie novis consultis constitutisque duritias nequitiasque earum temperetis.

7. Unde ergo, inquitis, tantum de vobis famæ licuit, cujus testimonium suffecerit forsitan conditoribus legum ? Quis, oro, sponsor aut illis tunc aut exinde vobis de fide ? Fama est. Nonne hæc est :

> Fama (*b*) malum, quo non aliud velocius ullum.
> (*Virg. Æneid.* IV, 174.)

Cur malum, si vera semper sit, non mendacio (1) plurimum (*c*) ? quæ ne tum quidem cum vera defert, a libidine mendacii cessat, ut non falsa veris intexat adjiciens, detrahens, varietate confundens. Quid, quod ea conditio illi, ut nonnisi cum mentitur perseveret ; tamdiu enim vivit, quamdiu non probat quidquam ; siquidem approbata cadit, et quasi officio nuntiandi functa decedit ; exinde res tenetur, res nominatur ; nec quisquam dicit, verbi gratia : *hoc Romæ aiunt factum ;* aut : *fama est, illum provinciam sortitum ;* sed : *ille provinciam sortitus est*, et : *hoc factum est Romæ.* Nemo famam nominat, nisi incertus, quia nemo sit fama, sed conscientia certus ; nemo famæ credit, nisi stultus, quia sapiens non credit incerto. Fama, quantacumque ambitione diffusa est, ab uno aliquando ore exorta sit necesse est, exinde in traduces quodammodo linguarum et aurium

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Rig. assentiente Haverc. emend.* mendacior.

COMMENTARIUS.

(a) *Qui se negare non norunt.* Erant enim pro fratribus suis mori invicem parati : atque hanc mutuæ caritatis constantiam Ethnici mirabantur. Unde illa in Apologetico : vide, inquiunt, ut invicem se diligant, et ut pro alterutro mori sint parati. Rig.

(b) *Nonne hæc est fama.* Apologetici capite septimo famam descripserat, levem, mendacem, injustam : hic eadem repetit, quasi illius falsitatem iterum argueret. Crederes Tertullianum respicere ad Martialem qui lib. VII. epigr. 5. de Domitiani reditu sic ait :

> Certus abest auctor, sed vox hoc nuntiat omnis :
> Credo tibi, verum dicere, fama, soles.

Ut nimirum illum falsitatis cum fama deprehendat et convincat. Legendus Plutarchus in quæstionibus Romanis quæst. 5. διὰ τί τοὺς τεθνᾶναι φημισθέντας ἐπὶ ξένης ψευδῶς, κἂν ἐπανέλθωσιν, οὐ δέχονθαι κατὰ θύρας, ἀλλὰ τῷ κεράμῳ τροσβαίνοντες εἶτω καθιᾶσιν αὐτούς ; fama quippe ἀθυρόστομος seu ut habet Nicetas Choniates in Andronico ἀθυρόγλωττος. Sic Thebaidos 3. *facta infecta loqui* posse dicitur, et apud Claud. contra Eutrop. lib. II.

> Jam vaga pallentem densis terroribus aulam
> Fama quatit.

(c) *Non mendacio plurimum.* Sic habet exemplar Agobardi. Emendabimus reddita litterula quæ excidit. *Non mendacior plurimum.* Rig.

Digitized by Google

serpit et modicum originum vitium rumores obscurat, ut nemo recogitet, ne primum illud os mendacia seminaverit, quod sæpe fit aut æmulationis ingenio, aut suspicionis arbitrio, aut etiam nova mentiendi voluptate. Sed bene, quod omnia tempus revelat, testibus sententiis et proverbiis vestris, ipsaque natura, quæ ita ordinata est, ut nihil lateat, etiam quod fama non prodidit. Videte, qualem prodiciam (*a*) adversus nos subornastis, quia quod semel detulit tantoque tempore ad fidem corroboravit, usque adhuc probare non potuit. Principe Augusto (*b*) nomen hoc ortum est, Tiberio disciplina ejus illuxit, sub Nerone damnatio invaluit, ut jam hinc de persona persecutoris ponderetis: si pius ille princeps, impii Christiani, si justus, si castus, injusti et incesti Christiani, si non hostis publicus, nos publici hostes; quales simus damnator ipse demonstravit, utique æmula sibi puniens. Et tamen permansit erasis omnibus hoc solum institutum Neronianum, justum denique ut dissimile sui auctoris. Igitur ætati nostræ (*c*) nondum anni CCL. Tot iniqui interea, tot cruces (*d*) divinitatem consecutæ, tot infantiæ trucidatæ, tot panes cruentati, tot strages lucernarum, tot errores nuptiarum, et adhuc Christianis sola fama decernit. Habet quidem grande fundamentum de vitio ingenii humani, felicius in acerbis atrocibusque mentitur; quanto enim proni ad malitiam, tanto ad mali fidem opportuni estis, facilius denique falso malo, quam vero bono creditur. Si quem tamen apud vos prudentiæ locum iniquitas reliquisset, ad explorandam famæ fidem, utique justitia poscebat dispicere, a quibus potuisset fama in vulgus, et ita in totum orbem dari. Ab ipsis enim Christianis non opinor, cum vel ex forma ac lege omnium mysteriorum silentii fides debeatur; quanto magis talium, quæ prodita non evitarent interim humana animadversione præsentaneum supplicium? Si ergo non ipsi proditores sui, sequitur ut extranei. Oro vos, extraneis unde notitia, cum etiam justa et licita mysteria omnem arbitrii extraneum caveant? nisi inclita minus spernunt. Atquin extrancis tam honorare quam confingere magis competit... domesticorum curiositas furata est per rimulas et cavernas. Quid, cum domestici eos vobis prodant? Omnes a nullis magis prodimur, quanto magis, si atrocitas tanta sit, quæ justitia indignationis omnem familiaritatis fidem rumpit, non potuerit continere, quod horruit, mens, quod expavit, oculus? Hoc quoque mirum, si et ille, qui tanto impatientiæ jure prosiluit, deferre et non probare gestit, et ille, qui audiit, non et (1) videre curavit; siquidem par fructus est et delatoris, si quod detulit probet, et auditoris, si quod audit etiam sibi credat. Tunc, inquitis, primo delatum et exhibitum est, auditum et inspectum est, atque exinde famæ commendatum. Hoc quidem superscendit omnem admirationem, si semel deprehensum est quod semper admittitur, nisi desivimus jam talia factitare. Atquin et idem vocamur, et in iisdem deputamur, et de die redundamus; quo (2) plures, hoc pluribus odiosi; magis increscit odium, increscente materia; proficiente multitudine reorum, quid ita non proficit multitudo nuntiatorum? Quod sciam, et conversatio notior facta est; scitis et dies conventuum nostrorum; itaque et obsidemur et opprimimur, et in ipsis arcanis congregationibus detinemur. Quis unquam tamen semeso puero (*e*) supervenit? quis in cruentato pane vestigia dentium deprehendit? quis tenebris repentino lumine irruptis immunda aliqua, ne dixerim incesta, indicia, recognovit? Si præmio impetramus, ne tales in publicum extrahamur, quare et opprimimur? Possumus et omnino non extrahi; quis enim proditionem criminis alicujus sine crimine ipso aut vendit aut redimit? Sed quid extraneis speculatoribus et indicibus detractem, qui talia objiciatis, quæ non ab ipsis nobis cum maxima vociferatione publicentur, aut statim audita, si prius demonstrantur, aut postea reperta, si interim celentur? Sine dubio enim initiatum volentibus mos est prius

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Rigalt.* non et probare — et non videre.

(2) *Rig.* quod.

COMMENTARIUS.

(a) *Qualem prodiciam.* Prodiciam hic vocat quam in Apologetico, Indicem. Hanc, inquit, indicem adversus nos profertis, quæ quod aliquando jactavit, tantoque spatio in opinionem corroboravit, usque adhuc probare non valuit. Rig.

(b) *Principe Augusto*, etc. Dum rerum potiebatur Augustus Imp. natus est Christus Dominus, regnante Tiberio mortis supplicium perpessus est; At Imperante Nerone persecutio gravissima exorta est, in qua nimirum interempti sunt sancti Petrus et Paulus. Le Pr.

(c) *Igitur ætati nostræ nondum anni* CCL. A nato Christo ad Severum sub quo vixit Tertullianus nondum anni CCL. effluxerant. Nam Eboraci in Britannia majoris filii Caracallæ insidiis periit circa an. Ch. 211. regnavitque octodecim fere annis, unde patet nondum effluxisse annos 50. ætatis Christianorum. *Idem.*

(d) *Tot cruces divinitatem*, etc. Tiberii immanitas hic reprehenditur; cujus ea fuit sævitia, et sanguinis fundendi sitis, ut a Constantino Manasse in Annal. dicatur, *Lutum sanguine permistum* πηλὸς αἵματι πεφυρμένος. Le Pr.

(e) *Semeso puero supervenit.* Variis argumentis impietatem illam quæ Christianis impingebatur arcet, facitque sua eloquentia ut crimen illud infanticidii non hæreat in Christianis. Notissimum esse debet calumniam illam desumptam fuisse ex infamibus sacris Saturni, quæ in Africa fieri consueverant in quibus mactabantur infantes. Prudentius lib. 2. adv. Symmachum:

> Cædibus infantum fument Saturnia sacra,
> Flebilibusque truces resonent vagitibus aræ.

Nihil magis obvium apud Lactantium, Minutium; et cæteros. Ipse Tertullianus contra Gnosticos hæc habet. *Sed enim Scytharum Dianam, aut Gallorum Mercurium, aut Afrorum Saturnum, hominum victima placari apud sæculum licuit.* Le Pr.

Digitized by Google

ad magistrum sacrorum vel patrem adire. Tum ille dicet : Infans tibi qui adhuc vagit (1) necessarius, qui immoletur, et panis aliquantum, qui in sanguine infringatur, præterea candelabra, quæ canes annexi deturbent, et offulæ, quæ eosdem canes (2) : sed et mater aut soror tibi necessaria est. Quid, si nullæ erunt? opinor, legitimus Christianus esse non poteris? Hæc, oro vos, denuntiata ab aliis sustinent prodi? Diversum opus non est scire illos (3); prius fallaciæ negotium perpetratur, ignaris et dapes et nuptiæ subjiciuntur. Nihil enim unquam retro de Christianis mysteriis audierunt. Tamen postea cognoscant necesse est vel aliis quos inducunt præministranda. Cæterum quam vanum est profanos scire quod nesciat sacerdos? Tacent igitur, et accepto ferunt, et nihil tragœdiæ Thyestæ vel Œdipodis erumpunt, et non protrahunt ad populum, fide in ministros et magistris et de ipsis potiores morsus jam doctis... rapiunt. Si nihil tale probetur, grande nescio quid æstimari oportet, cujus compensatio tantarum atrocitatum tolerantia constat. Miseræ atque miserandæ nationes, ecce proponimus vobis disciplinæ nostræ sponsionem. Vitam æternam sectatoribus et conservatoribus suis spondet, e contrario profanis et æmulis supplicium æternum æterno igni comminatur; ad utramque caussam mortuorum resurrectio prædicatur. Viderimus de fide istorum, dum suo loco digeruntur; interim credite, quemadmodum nos. Volo enim scire, si per talia scelera adire parati estis, quemadmodum nos? Veni, si quis es, demerge ferrum in infantem; vel si alterius officium est, tum modo specta morientem animam, antequam vixit, certe excipe rudem sanguinem in quo panem tuum saties, vescere libenter; interea discumbens dinumera loca, ubi mater aut soror torum presserit; nota diligenter, ut cum tenebræ irruerint, tentantes scilicet diligentiam singulorum, non erres extraneam incursans : piaculum feceris, nisi incestum. Hæc cum expunxeris, vives in ævum. Cupio respondeas, si tanti facias æternitatem? imo idcirco nec credis, et jam si credideris, nego te velle, et jam si velles, nego te posse. Cur autem alii possint, si vos non potestis? cur non possitis, si alii possunt? Impunitatem, æternitatem quanto constare vultis? An hæ nobis omni modo redimendæ videntur? an alii ordines dentium Christianorum, et alii specus A faucium, et alii ad incesti libidinem nervi? Non, opinior; satis enim est nobis sola veritate a vestra positione discerni. Tertium genus dicimur, cynopennæ (4) (*a*) aliqui, vel sciapodes, vel aliqui de subterranea antipodes (*b*).

8. Si qua istic, apud vos saltem ratio est, edatis velim primum et secundum genus, ut ita de tertio constet. Psammetichus quidem putavit tibi se ingenio exploratus, si de prima generis : dicitur enim infantes recenti e partu seorsum a commercio hominum alendos tradidisse nutrici, quam et ipsam propterea elinguaverat, ut in totum exsules vocis humanæ non auditu formarent loquelam, sed suo promentes eam primam nationem designarent, cujus B sonum natura dictasset. Prima vox (*c*) Bekkos (5) renuntiata est; interpretatio ejus Panis apud Phrygas nomen est; Phryges primi genus exinde habentur. Sed hoc unum erit de vanitatibus vestrarum fabularum non otiose nobis retractandum, quo fidem vestram vanitatibus quam veritatibus (6) deditam demonstrare gestimus. An omnino credibile sit, tali membro desecto, vastato ipsius animæ organo et utique radicitus cæso, castratis faucibus, quæ etiam extrinsecus periculose vulnerantur, exinde tabo in præcordia refluente, postremo aliquamdiu cessantibus alimentis, vitam nutrici perdurasse? Age nunc, perseveraverit Philomelæ medicamentis.... quam et ipsam prudentiores, non linguæ cæde, sed pudoris C rubore mutam interpretantur. Si ergo vixit, potuit effutire aliquid obtusum et exarticulatum sonum tinnitumque, sine modulatu labellorum, expanso ore, lingua stupente, de solis faucibus cogi licet : id fors tunc infantes, quia unicum, facilius commentati, paulo modulatius, utpote linguatuli, in ventum (*d*) alicujus interpretationis impegerint. Sint nunc primi Phryges, non tamen tertii Christiani; quantæ enim aliæ gentium series post Phrygas? Verum recogitate, ne quos tertium genus dicitis, principem locum obtineant, siquidem non ulla gens non Christiana; itaque quæcumque gens prima, nihilominus Christiana. Ridicula dementia, novissimos dicitis et tertios nominatis. Sed de superstitione tertium genus deputamur, non de ratione, ut sint Romani, Judæi, D dehinc Christiani. Ubi autem Græci? vel si in Romanorum superstitionibus censentur, quandoquidem

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Codd.* Mss. vagetur.
(2) *Apol.* 8. « offulæ, quæ illos ad eversionem luminum extendant. » *Quod voc.* extendant *hic aut restituendum aut subintelligendum esse censet Huverc.*
(3) *Rig.* Diversum opus. Non est scire illos, etc.
(4) *Rig.* Cynopennæ; *sed cf. Apol* 8.
(5) *Codd. Mss.* Pactos. *Cf. Herod.* 2, 2.
(6) *Scrib.* van potius quam rev.

COMMENTARIUS.

(a) *Cynopennæ aliqui, vel Sciapodes?* Legit Pamelius, quem sequitur Lacerda, *Cynophane*, sicque sensus est : sumusne canino vultu aut canina impudentia ut homicidium tam facile spectemus seu infanticidium? Vowerenius *Cyclopes* legit, At Desid. Heraldus habet *Cynopennæ*. LE PR.

(b) *De subterranea Antipodes.* Lib. de Anima, pag. 334. dixit, *Animalia subterraneum viventia.* RIG.

(c) *Prima vox Beccos renuntiata est.* Depravatum est quod in codice Agobardi legitur, *Pactos.* Nam apud Herodotum et alios, qui hanc historiam Septimio tradidere, scribitur, Βέκκος Apud Galenum quoque lib II. De diff. ἀλλ' εἰ καὶ Βέκκος ἐθέλεις τὸν ἄρτον καλεῖν, ὥσπερ οἱ Φρύγες, οὐδὲν ἡμῖν διαφέρει. *Idem.*

(d) *In ventum alicujus interpretationis impegerint.* Hoc est, Temerario linguæ in contrarium ventum sive ærem appulsu sonum alicujus interpretationis ediderint. *Idem.*

Digitized by Google

etiam deos Græciæ (*c* 6) Roma sollicitavit, ubi saltem Ægyptii, et ipsi, quod sciam, privatæ curiosæque religionis? Porro, si tam monstruosi, qui tertii loci, quales habendi, qui primo et secundo antecedunt?

9. Sed quid ego mirer vana vestra, cum ex forma naturali concorporata et concreta intercessit malitia et stultitia sub eodem mancipe (*a*) erroris? Sane, quia non miror, enumerem necesse est, et vos recognoscendo miremini, in quantam stultitiam incidatis, qui omnis cladis publicæ vel injuriæ nos caussas esse vultis. Si Tiberis redundaverit, si Nilus non redundavit, si cœlum stetit, si terra movit.... tiva vastavit, si fames afflixit, statim omnium vox : Christi.... tum. Quasi modicum habeant aut aliud metuere! Quid igitur? Opinor, ut contemptores deorum vestrorum hæc jacula eorum provocamus. Ut supra edidimus, ætatis nostræ (*b*) nondum anni trecenti, quantæ clades ante id spatium supra universum orbem ad singulas urbes et provincias ceciderunt? quanta bella externa et intestina? quot pestes, fames, ignes, hiatus motusque terrarum seculum digessit? Ubi tunc Christiani, cum res Romana tot historias laborum suorum subministravit? ubi tunc Christiani, cum Hierenappe (*c*) et Delphos et Rhodos (*d*) et Creta insulæ multis cum millibus hominum pessumierunt; vel quam Plato memorat majorem Asiam aut Africam in Atlantico mari mersam; cum Vulsinios de cœlo, Tarpeios de suo monte perfudit ignis, cum terræ motu mare Corinthium ereptum est, cum totum orbem cataclysmus abolevit? Ubi tunc, non dicam contemptores deorum Christiani, sed ipsi dei vestri, quos clade illa posteriores loca, oppida approbant, in quibus nati, morati, sepulti sunt, etiam quæ condiderunt? non alias enim superfuissent ad hodiernum, nisi posthuma cladis illius. Sed relegere et revolvere non curatis testimonia temporum aliter vobis renuntiata, imprimis ne deos vestros injustissimos pronuntietis, qui propter contemptores etiam cultores suos lædunt; tunc enim vosmetipsos errare probatis, si deos traditis, qui vos a meritis profanorum non discernunt. Quod si, ut unus atque alius..... mus ait, idcirco vobis quoque irascuntur, quoniam de nostra eradicatione negligitis, absolutum est de infirmitate et mediocritate eorum : nam non irascerentur vobis in animadversione cessantibus, si ipsi exsequi possent; quanquam et alias confitemini istud, si quando illos supplicio nostro videmini ulcisci. Abaliud a majore defenditur (*e*).

10. Pudeat igitur deos ab homine defendi. Effundite jam omnia venena, omnia calumniæ tela infligite huic nomini, non cessabo ultra repellere; at postmodum obtundentur expositione totius nostræ disciplinæ; nunc vero eadem ipsa de nostro corpore vulsa in vos retorquebo, eadem vulnera criminum in vobis defossa monstrabo, quo machæris vestris admentationibusque (2) cadatis. Jam primo, quod in nos generali accusatione dirigitis, divortium ab institutis majorum, considerate etiam atque etiam, ne vobiscum communicemus crimen istud. Ecce enim per omnia vitæ ac disciplinæ corruptam, imo delatam in vobis antiquitatem recognosco. De legibus quidem jam supra dictum est, quod eas novis de die consultis constitutisque obruistis. De reliqua vero conversationis humanæ dispositione palam subjacet, quanto a majoribus mutaveritis, cultu, habitu, apparatu, ipsoque victu, ipsoque sermone. Nam pristinum ut rancidum relegatis, exclusa ubique antiquitas in negotiis, in officiis; totam auctoritatem majorum vestra auctoritas dejecit. Sane, quod vobis magis probro est, laudatis semper vetustates, et nihilominus recusatis. Qua perversitate tant..... majorum apud vos permanere probari debuerunt, cum ea quæ probatis recusetis? Sed et ipsum quod videmini a majoribus traditum fidelissime custodire et defendere, vel quo maxime reos non transgressionis postulatis, de quo totum odium christiani nominis animatur, deorum dico culturam, perinde a vobis destrui ac despici ostendam, nisi quod non perinde; nos enim contemptores deorum haberi nulla ratio est, quia nemo contemnit quod sciat omnino non esse. Quod omnino est, id contemni potest, quod nihil est, nihil patitur. Igitur quibus est, ab eis patiatur necesse esse, Quo magis oneramini, credentes esse et contemnentes, colentes et despuentes, honorantes et lacessentes! Licet etiam hinc recognoscere, inprimis, cum alii alios deos colitis, eos quos non colitis,

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Scrib.* Hiera, Anaphe (vel Napea) et delos etc., *Cf. Apol.* 40.

(2) *Rig.* adment. *i. e.* jaculis.

COMMENTARIUS.

(a) *Deos Græciæ Roma sollicitavit.* In omnibus Græcos imitati sunt Romani, usque ad errores et vitia: si quæ in Græcia nata aut exculta fuit superstitio, statim Romam convolavit, ubi magno hominum plausu excipiebatur. Sollicitabant etiam, hoc est numina illa et vanitates barbarorum advocabant, sic Cybele mater Deorum ultro Pessinunte Romam advolavit. LE PR.

(b) *Sub eodem mancipe erroris.* Malum sive Satanam intelligit, magnarium illum fraudis et malitiæ negotiatorem. RIG.

(c) *Ætatis nostræ nondum*, etc. Mox dixerat, *nondum anni* CCL. Hic vere nondum anni trecenti. In eo tamen tam brevi spatio, tot clades exstiterunt, tanta strages edita Christianorum in omnibus orbis partibus, ut incredibile omnino id habeatur parum attente considerantibus. LE PR.

(d) *Hierennape.* Pro Hierenape, ut supra, Cynopenne pro Cynopene. RIG.

(e) *Et Delphos et Rhodos.* Apologetici cap. illud tractavit; vide quæ habet et quæ annotata sunt. Nescio an corrigendum esset, *Hiera*, et *Anuphe* pro *Hierenappe*, et *Delos* pro *Delphos*. Ammianus quippe lib. 17. *ut in Asia Delos emersit, et Hiera, et Anaphe, et Rhodus.* LE PR.

(f) *Ab aliud a majore defenditur.* Sic omnino legitur in vetustiss. codice. Dixit autem Abaliud, eadem forma qua Græci Ἐξαλλον. Abaliud, quod refertur ad aliud, a quo est aliud; ut Deus, aliud ab homine. Homo, aliud a Deo. RIG.

Digitized by Google

utique contemnitis; prælatio alterius sine alterius contumelia esse non potest, nec ulla electio non (1) reprobatione componitur. Qui de pluribus suscipit aliquem, eum quem non suscipit despexit. Sed tot ac tanti ab omnibus coli non possunt. Jam ergo tunc primo contempsistis, non veriti scilicet ita instituere, ut omnes coli non possent. At enim illi sapientissimi ac prudentissimi majores, quorum institutis renuntiare non nostis, maxime in persona deorum vestrorum, ipsi quoque impii deprehenduntur. Mentior, si nunquam censuerant, ne qui imperator fanum, quod in prœlio vovisset, prius dedicasset quam senatus probasset, ut contigit M. Æmilio, qui voverat Alburno deo. Utique enim impiissimum, imo contumeliosissimum admissum est, in arbitrio et libidine sententiæ humanæ locare honorem divinitatis, ut deus non sit, nisi cui esse permiserit senatus. Sæpe censores inconsulto populo adsolaverunt; certe Liberum patrem (e) cum sacro suo consules senatus auctoritate urbe non solummodo, verum tota Italia eliminaverunt. Cæterum Serapem et Isidem (b) et Harpocratem et Anubem prohibitos Capitolio Varro commemorat, eorumque statuas a senatu dejectas, nonnisi per vim popularium restructas. Sed tamen et Gabinius consul Kalendis Januariis, cum vix hostias probaret, præ populariun cœtu, quia nihil de Serape et Isidе constituisset, potiorem habuit senatus censuram, quam impetum vulgi, et aras institui prohibuit. Habetis igitur in majoribus vestris, etsi non nomen, attamen sectam christianam, quæ deos negligit. Horum, si vos saltem integrum honoribus vestris rei esse læsæ religionis: sed invenio conspirasse a vobis tam superstitionis quam impietatis profectum. Quanto enim irreligiosiores deprehendimini? Privatos enim deos, quos Lares et Penates domestica consecratione perhibetis, domestica licentia (c) inculcatis, venditando, pignerando pro necessitate ac voluntate. Essent quidem tolerabiliora ejusmodi contumaciæ sacrilegia, nisi quod eo jam contumeliosiora, quod modica. Sed aliquo solatio privatorum et domesticorum deorum querelæ juvantur, quod publicos turpius contumeliosiusque tractetis. Jam primum, quos in hastarium regessistis, publicanis subd... tis (2), omni quinquennio inter vectigalia vestra proscriptos addicitis. Sic Serapeum, sic Capitolium petitur, addicitur, conducitur (3)..... sub eadem voce præconis, eadem exactione quæstoris. Sed enim agri tributo onusti viliores, hominum capita stipendio censa ignobiliora; nam hæ sunt captivitatis notæ et pœnæ (4). Dei vero, qui magis tributarii, magis sancti, imo qui magis sancti magis tributarii. Majestas constituitur in quæstum, negotiatio (d) religione proscribitur, sanctitas locationem mendicat; exigitis mercedem pro solo templi, pro aditu sacri, pro stipitibus, pro ostiis; venditis totam divinitatem, non licet eam gratis coli; plus denique publicanis reficitur, quam sacerdotibus. Non suffecerat vectigalium deorum contumelia, de contemptu scilicet æstimanda, nec contenti estis deis honorem non habuisse, nisi etiam, quemcumque habetis, depretietis aliqua indignitate. Quid enim omnino ad honorandos eos facitis, quod etiam non mortuis vestris ex æquo præbeatis? Exstruitis deis templa, æque mortuis templa; exstruitis aras deis, æque mortuis aras, eisdem titulis superscribitis litteras (5), easdem statuis inducitis formas, ut cuique ars aut negotium aut ætas fuit: senex de Saturno, imberbis de Apolline, virgo de Diana figuratur, et miles in Marte, et Vulcano faber ferri consecratur. Nihil itaque mirum, si hostias easdem mortuis, quas et deis cæditis, eosdemque odores crematis. Quis istam contumeliam excuset, quæ ut aut (6) mortuos cum deis deputet? Regibus quidem etiam sacerdotia adscripta sunt, sacrique apparatus, ut tensæ et currus et solisternia et lectisternia.... tie (7) et ludi (a). Plane, quoniam illis cœlum patet, hoc quoque non sine contumelia deorum: primo quidem, quod non dederit alios eis annumerari, quibus datum sit post mortem deos fieri; secundum, quod tam libere atque manifeste coram populo pejeraret contemplator Proculus in cœlum recepti, nisi contemneret quos dejeraret, quam ipse, quam ii, qui ei pejerare permittant; consentiunt enim ipsi nihil esse quod dejerant, imo insuper et præmio afficiunt, quia publice contempserit perjurii vindices; quanquam perjurii apud vos (8) unusquisque pu-

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Ex Apol.* 13. *in corrig.* sine reprobatione.
(2) *Haverc. ex Apol.* 13. *emend.* subditatis.
(3) *Hav. ex Apol.*, 13. *emend.* conducitur divinitas sub eadem voce, etc.
(4) *God. ms.* captivitate notæ pœna. *Rigalt.* captivitatis notæ; sed voc. pœnæ non est delendum. *Cf. Apul.* 13.
(5) *Ita Rigalt.* : *Semler* (*vel Schütz*) : aras eisdem tit. superscriptis litt.
(6) *Haverc. ad Apol.* 21. *emend.* utut mortuos.
(7) *Rig.* et feriæ et ludi.
(8) *Cod. ms.* quanquam perjurii apud vos, quod un. p.

COMMENTARIUS.

(a) *Certe Liberum patrem.* Ablata fuisse olim et abrogata sacra Bacchi fere omnes testantur scriptores. S. Augustinus lib. VI. de Civ. Livius l. XXXIX. et alii. Locum hic addam Ciceronis ex lib. I. de legibus. *Quid ergo*, inquit, *aget Jacchus, Eumolpidæque nostri, et augusta illa mysteria, siquidem sacra nocturna tollimus.* Le pr.

(b) *Cæterum Serapem et Isidem.* Idem fere objicit lib. II. Arnobius, *Quid? vos Ægyptiaca numina, quibus Serapis atque Isis est nomen, non post Pisonem et Gabinium coss. in numerum vestrorum retulistis deorum?* Dixerat etiam Lucanus:

Nos in templa tuam Romana accepimus Isim,
Semideosque canes, et sistra jubentia luctus.

Quibus ex locis hujus loci expositio colligi potest. *Idem.*

(c) *Domestica licentia*, etc. Quod vanitatem maxime arguit in fictis illis diis, solebant veteres, vendere, subhastare, et mutare deos suos sicut dixit Apolog. 13. mutantes aliquando Saturnum in cacabulum, Minervam in trullam, pro affectu aut necessitate. *Idem.*

(d) *Negotiatio religione proscribitur.* Aut, Negotiatione Religio. Rig.

(e) *Ut tensæ et currus et solisternia et lectisternia.* Legendum et supplendum : ut tensæ et currus

Digitized by Google

rus est (*a*). Imo jam per deos dejerandi periculum evanuit (*b*), potiore habita religione per Cæsarem dejerandi, quod et ipsum ad offuscationem pertinet deorum vestrorum; facilius enim per Cæsarem pejerantes punirentur, quam per ullum Jovem (1). Sed contemptus honestior est, habens quamdam superbiæ gloriam: venit enim aliquando etiam de fiducia vel conscientiæ securitate vel naturali sublimitate animi. Derisus vero quanto lascivior, tanto denotatior ad contumeliæ morsum. Recognoscite igitur, quam derisores inveniamini numinum vestrorum, non dico quales sitis in sacrificando, quod enecta et tabida quæque mactatis; de opimis autem et integris supervacua (2) esui capitula et ungulas et plumarum setarumque prævulsa, et si quid domi quoque habituri non fuissetis. Omitto quæ vulgæ aut sacrilegæ gulæ videbuntur majorum prope religionem convenire; atquin doctissimi gravissimi, quatenus gravitas atque prudentia de doctrina proficere credunt, et irreverentissimi erga deos vestros semper existunt, nec eis cessit litteratura, quam ut aut turpia aut vana aut falsa de deis inferat. Ab ipso exordiar Homero (*c*) vestro, ejus unda omnis et omne æquor (*d*), cui quantum honorem additis, tantum deis vestris derogastis, magnificando qui de eis lusit. Adhuc meminimus Homeri; ille, opinor, est, qui divinam majestatem humana conditione tractavit, casibus et passionibus humanis deos imbuens, qui de illis favore diversis gladiatoria quodammodo paria commisit: Venerem sauciat sagitta humana, Martem tredecim mensibus in vinculis detinet fortasse periturum, eadem Jovem pœne perpessum a cœlitum plebe traducit, aut lacrymas ejus super Sarpedonem (*e*) excutit, aut luxuriantem cum Junone fœudissime inducit, commendato libidinis desiderio per commemorationem amicarum. Exinde quis non poetarum ex auctoritate principis sui in deos insolens, aut vera prodendo aut falsa fingendo? Et tragici quidem aut comici pepercerunt, ut non ærumnas ac pœnas dei præfarentur? Taceo de philosophis, quos superbia severitatis et duritia disciplinæ ab omni timore securos, nonnullus etiam afflatus veritatis adversus deos erigit: denique et Socrates in contumeliam eorum quercum (l) et canem et hircum (*f*) jurat. Nam et si idcirco damnatus est, cum pœnituerit Athenienses damnationis, discriminatores quoque impenderit, restituitur testimonium Socrati, et possum retorquere, probatum esse in illo, quod nunc reprobatur in nobis. Sed et Diogenes nescio quid in Herculem lusit, et Romani stili Diogenes, Varro trecentos Joves, seu Jupiteres dicendum est, sine capitibus inducit. Cætera lasciviæ ingenia etiam voluptates vestras per dedecus deorum administrant. Dispicite apud vos Lentulorum et Hostiorum sacrilegas venustates, utrum mimos an deos vestros in strophis et jocis rideatis; sed et histrionicas litteras magna cum voluptate suscipitis, quæ omnem fæditatem designant deorum. Constuprantur coram vobis majestates in corpore impuro. Famosum et diminutum caput imago cujuslibet dei vestit. Luget Sol filium fulmine extinctum lætantibus vobis, Cybela pastorem suspirat fastidiosum non erubescentibus vobis, et sustinetis Jovis elogia modulari. Plane religiosiores estis in gladiatorum cavea, ubi super sanguinem humanum, super inquinamenta pœnarum, proinde saltant dei vestri, argumenta et historias nocentibus erogandis, aut in ipsis dei nocentes puniuntur. Vidimus sæpe castratum Attin deum a Pessinunte, et qui vivus cremabatur Herculem induerat. Risimus et meridiani ludi de deis lusum, quo Dis Pater, Jovis frater, gladiatorum exsequias cum malleo deducit, quo Mercurius, in calvitio pennatulus (*m*), in caduceo ignitulus (*g*), corpora ex-

LECTIONES VARIENTES.

est. *Hav. ad Apol.* 25. tanquam pericuria apud vos, quod un. p. est.

(1) *Hav. corr.* per parvulum Jovem.

(2) *Rigalt.* supervacui; *cf. Apol.* 14.

(3) *Rigalt.* heram, *sed* hircum *scribendum esse docet Apol.* 14.

COMMENTARIUS.

solisternia et lectisternia et feriæ et ludi. » A solio sternendo solisternium dici innuit Festus. Solium et Soliar dixere veteres. Et in Glossis Philoxeni legimus, Soliar, δίφρακ. In aliis, Σελλάστρωτις, Sellisternium. *Idem.*

(a) *Quanquam perjurii apud vos unusquisque purus est.* Nam quis haberi perjurii reus debeat, ubi falsæ divinitatis religio nulla? In cod. Agobardi legitur: *quamquam perjurii apud vos quod unusquisque pures est.* Unde aliquis conjiciat legendum, *Quanquam perjurii apud vos quotusquisque purus est?* Augustinus lib. III de Civ. Dei. Corruptissimis moribus, ad hoc mos jurandi servabatur antiquus, non ut a sceleribus metu religionis prohiberentur, sed ut perjurii quoque sceleribus cæteris adderentur. RIG.

(b) *Per deos dejerandi periculum evanuit.* Tolerabilius erat apud Gentiles, si quis in suorum Deorum non jam eorum numen jurasset, quam si Principis nomen aut fortunam non jurasset; unde Christiani aliquando sollicitabantur ut non deos, non Jovem lapidem, sed Cæsaris fortunam jurarent, quod etiam ex Eusebio probavimus in Apolog. LE PR.

(c) *Ab ipso exordiar Homero.* Nihil illustrius habere se credebant antiqui Gentiles, Homero suo, qui tamen absurda plurima, ut et vana et falsa de diis scribit. *Idem.*

(d) *Ejus unda omnis et omne æquor.* a quo ceu fonte perenni Vatum Pieriis ora rigantur aquis. RIG.

(e) *Super Sarpedonem.* Hæc habentur apud Homerum Iliados 16. ubi Sarpedonem intuitus Jupiter, Junonem alloquitur, summumque quem ex ejus morte futura hauriebat dolorem, indicat:

Ὤμοι ἐγὼν, ὅτε μοὶ Σαρπηδόνα φίλτατον ἀνδρῶν,
Μοῖρ' ὑπὸ Πατρόκλοιο Μενοιτιάδαο δαμῆναι.

Quod ut alia infinita deo non solum aut heroe, sed viro forti indigna sunt. LE PR.

(f) *Quercum et canem et feram jurat.* Alii habent *hircum*, sic legimus in Apolog. *solebat etiam jurare anserem et platanum*, ἢ (sic) Σωκράτην ὀμνύειν τὸν κύνα καὶ τὸν χήνα καὶ πλάτανον. Theophilus lib. III. ad Autolycum. *Idem.*

(g) *Incalvitio pennatulus.* Galero pennato.

(h) *In caducæo ignitulus.* Serpentes implexi virgæ linguas ignitulas vibrabant. RIG.

Digitized by Google

animata jam morlemve simulantia e cauterio probat. Singula ista quæque adhuc investigare quis possit? Si honorem inquietant divinitatis, si majestatis fastigium adsolant, de contemptu utique censentur, quam eorum qui ejusmodi factitant, quam eorum qui ita suscipiunt. Quare nescio, ne plus de vobis dei vestri quam de nobis querantur..... ex alia parte adulamini, redimitis si qua delinquitis, et postremo licet vobis in eos quos esse voluistis; nos vero in totum aversamur.

11. Nec tantum in hoc nomine rei desertæ communis religionis, sed superductæ monstruosæ superstitionis. Nam, ut quidam, somniastis caput asinium esse deum nostrum. Hanc Cornelius Tacitus suspicionem fecit. Is enim in quarta historiarum suarum, ubi de bello judaico digerit, ab origine gentis exorsus B et tam de ipsa origine quam de nomine religionis ut voluit argumentatus, Judæos refert in expeditione vastis in locis aquæ inopia laborantes, onagris, qui de pastu aquam petituri æstimabantur, indicibus fontis (1) usos evasisse; ita ob eam gratiam consimilis bestiæ superficiem a Judæis coli, inde opinor præsumptum, nos quoque ut Judaicæ religionis propinquos eidem simulacro initiari. At enim idem Cornelius Tacitus, sane ille mendaciorum loquacissimus, oblitus affirmationis suæ in posterioribus refert, Ponpeium magnum Judæis debellatis captisque Hierosolymis templum adisse et perscrutatum nihil simulacri reperisse. Ubi ergo is deus fuerit? utique nusquam magis quam in templo tam memorabili, præsertim omnibus præter sacerdotibus clauso, quo non vererentur extraneum. Sed quid ego defendam, professus interim confes- C sionem temporalem omnium in vobis ex pari transferendorum? Credatur deus noster asinina aliqua persona; certe negabitis vos eadem habere nobiscum? Sane vos totos asinos colitis et cum sua Epona, et omnia jumenta et pecora et bestias, quæ perinde cum suis præsepibus consecratis. Et hoc forsitan crimini datis, quod inter cultores omnium tantum asinarii sumus. Sed et qui nos crucis antistites affirmat, consecraneus erit noster.

12. Crucis qualitas, signum est de ligno; etiam de materia colitis penes vos cum effigie; quanquam sicut vestrum humana figura est, ita et nostrum propria. Viderint nunc liniamenta, dum una sit qualitas; viderit forma, dum ipsum sit dei corpus. Quod si de D

A hoc differentia intercedit, quanto distinguitur a crucis stipite Pallas Attica et Ceres Pharia, quæ sine forma rudi palo et solo staticulo ligni informis repræsentatur (*a*)? Pars crucis, et quidem majus, est omne robur, quod de recta statione defigitur. Sed nobis tota crux imputatur, cum antemna scilicet sua et cum illo sedilis excessu (*b*). Hoc quidem vos incusabiliores, qui mutilum et truncum dicastis lignum quod alii plenum et structum consecraverunt. Enimvero de reliquo integra est religio vobis integræ crucis, sicut ostendam. Ignoratis autem etiam originem istam deis vestris de isto patibulo provenisse. Nam omne simulacrum, seu ligno seu lapide desculpitur, seu ære defunditur, seu qua cumque alia locupletiore materia producitur, plasticæ manus præcedent necesse est; plasta autem lignum crucis in primo statuit, quoniam ipsi quoque corpori nostro tacita et secreta linea crucis situs est. Quod caput emicat, quod spina dirigitur, quod humerorum obliquatio... Si statueris hominem manibus expansis, imaginem crucis feceris. Huic igitur exordio, et velut statumini argilla desuper intexta paulatim membra complet, et corpus struit, et habitum, quem placuit argillæ, intus cruci ingerit; inde circino et plumbeis modulis præparatio simulacri in marmor, in lutum, vel æs, vel quodcunque placuit deum fieri, transmigratur. A cruce argilla, ab argilla deus; quodammodo transit crux in deum per argillam. Crucem igitur consecratis a qua incipitur consecratus. Exempli gratia dictum erit, nempe de olivæ nucleo et nuce persici et grano piperis sub terra temperato arbor exsurgit in ramos, in comam, in speciem sui generis. Eam si transferas, vel de brachiis ejus in aliam subolem utaris, cui deputabitur quod de traduce provenit? non illi grano aut nuci aut nucleo? Nam cum tertius gradus secundo adscribibitur, æque primo secundus, sic tertius redigitur ad primum transmissus per secundum. Nec diutius super isto argumentandum est, quando naturali præscriptione omne omnino genus censum ad originem refert, quantoque genus censetur, tanto origo convenitur in genere. Si igitur in genere deorum crucum originem colitis, hic erit nucleus et granum primordiale, ex quibus apud vos simulacrorum silvæ propagantur. Ad manifesta jam (2): Victorias ut numina, et quidem augustiora quanto lætiora, veneramini. Con..... one (3) quid melius extollant,

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Sic recte jussit Haverc. scribi pro vulg.*: fontibus; *cf. Apol.* 16.

(2) *Rigalt.* At man.; *Verias Hav.* ad man.

(3) *Hav.* contignatione.

COMMENTARIUS.

(a) *Pars crucis, et quidem majus est*, etc. Cruces nobis reliquuntur, nobis figuntur, at ex eo maximus in nos honos redundat. Apud veteres quippe Christianos crux semper rebus in omnibus adhibebatur, signumque illius ante res omnes imprimebatur. Ipse Tertul. de corona mil. Cyrillus catech. 4 : Ποιεῖ δὲ τοῦτο τὸ σημεῖον, ἐσθίων καὶ πίνων, καθήμενος, κοιταζόμενος, ἐξανιστάμενος, λαλῶν, περιπατῶν, ἁπαξαπλῶς ἐν παντὶ πράγματι. *Fac illud signum, comedens et bibens, sedens, recubans, erectus, loquens, ambulans, uno verbo in omni occasione.* Basilius Mag. l. de S. Spir. c. 27, illud reponit inter traditiones apostolicas non scriptas. Le Pr.

(b) *Cum illo sedilis excessu.* Sedile Crucis palus fuit brevior, medio stipiti impactus. Excessum vero sedilis dicit, quia palus iste in quo sedebant cruciarii, eminebat in medio stipite ad usum sedilis. Ἐν τῷ μέσῳ πηγνύμενον ξύλον ὡς κέρας, καὶ αὐτὸ ἔξεχον, ἐφ' ᾧ ἐποχοῦνται οἱ σταυρούμενοι, inquit Justinus, Dialogo advers. Tryphonem Judæum. Irenæus lib. II, cap. 42. Ipse habitus crucis fines et summitates habet quinque, duos in longitudine, duos in latitudine, et unum in medio ubi requiescit, qui clavis affigitur. Palus iste medianus lib. adv. Judæos dicitur, Unicornis in medio stipata RIG.

Digitized by Google

cruces erunt intestina quodammodo tropæorum. Itaque in Victoriis et cruces colit castrensis religio, signa adorat, signa dejerat, signa ipsi Jovi præfert. Sed ille imaginum suggestus et totius auri cultus monilia crucum sunt. Sic etiam in cantabris atque vexillis, quæ non minore sanctitate militia custodit, siphara illa vestes crucum sunt. Erubescitis, opinor, incultas et nudas cruces colere.

13. Alii plane humanius solem Christianum deum æstimant, quod innotuerit ad orientis partem (*a*) facere nos precationem vel die solis lætitiam curare. Quid vos minus facitis? Non plerique affectatione adorandi aliquando etiam cœlestia ad solis initium labra vibratis? Vos certe estis, qui etiam in laterculum septem dierum solem receepistis, et ex diebus ipsum prælegistis, quo die lavacrum substrahatis, aut in vesperam differatis, aut otium et prandium curetis. Quod quidem facitis exorbitantes et ipsi a vestris ad alienas religiones. Judæi enim festi, sabbata et cœna pura, et judaici ritus lucernarum et jejunia cum azymis et orationes litorales, quæ utique aliena sunt a diis vestris. Quare, ut ab excessu revertar, qui solem et diem ejus nobis exprobratis, agnoscite vicinitatem; non longe a Saturno et sabbatis vestris sumus.

14. Nova jam de Deo nostro fama suggessit. Adeo nuper quidam perditissimus in ista civitate, etiam suæ religionis desertor, solo detrimento cutis Judæus (*b*), utique magis post bestiarum morsus, ad quas se locando quotidie toto jam corpore decutit, cum inoedit, picturam in nos proposuit sub ista proscriptione: *ONOKOITHZ* (3). Is erat auribus canteriorum, et in toga, cum libro, altero pede ungulato. Et credidit vulgus judæo. Quod enim aliud genus seminarium est infamiæ nostræ? Itaque in tota civitate ὀνοκοίτης prædicatur. Sed et hoc tamque externum et auctoritate temporis destitutum etqualitate auctoris infirmum, libenter excipiam studio retorquendi. Videamus igitur, an hic quoque nobiscum deprehendamini. Neque enim interest qua forma, dum deformia simulacra curemus? Sunt penes vos et canino capite et leonino et de bove et de ariete et hirco cornuti dii, caprigenæ vel anguini et alites planta, fronte et tergo (*c*). Quid itaque nostrum unicum denotatis?

15. Plures Onocœtæ penes vos deprehenduntur. Si in deis æqualitate concurrimus, sequitur, ut sacrificii vel sacri quoque inter nos diversitas nulla sit, ut ex alia specie comparationis satis fiat. Nos infanticidio litamus sive initiamus? Vos, si de memoria abierunt, quæ cæde hominis, quæque infanticidiis transegisse, recognoscetis suo ordine; nunc enim differimus pleraque, ne eadem videamur ubique retractare. Interim, ut dixi, ex alia parte non deest adæquatio. Nam etsi nos aliter (*d*), amen non aliter vos (*e*) quoque infanticidæ, qui infantes editos enecantes legibus quidem prohibemini, sed nullæ magis leges tam impune, tam secure sub omnium conscientiæ unius æ ..... tabellis eluduntur. Sed nec eo distant, si vos non ritu sacri, neque deo necatis. Atquin in hoc asperius, quod frigore et fame, aut bestiis..... tis, aut longiore in aquis morte demergitis. At et si quo..... dissimilius penes vos fit, eo addicite, quo vestra pignora ex..... s, et supplebitur. Imo superacervabitur in vobis quidquid..... ratione defecerit. Sed de ea impietatis hostia dicimur..... dum ita quoque in vobis recognoscitur, ubi opportunius positum est, non multo secernimur a vestra voracitate, si illa impudica est, nostra vero crudelis, conjungimur si forte natura, qua semper sævitia cum impudicitia concordat.

16. Quanquam quid minus, imo quid non amplius facitis? parum scilicet humanis visceribus inhiatis, quia vivos et puberes devoratis? parum humanum sanguinem lambitis, quoniam futurum sanguinem elicitis? parum infante vescimini, quia infantem totum præcoquum perhauritis? Ventum est ad horam lucernarum et caninum ministerium et ingenia tenebrarum. Quo in loco metuo ne cedam. Quid enim tale in vobis detinebo? Verum jam laudate consiliu m incesti verecundi, quod adulteram noctem commenti sumus, ne aut lucem, aut veram noctem contamina-

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Hav.* contignatione.
(2) *Scribendum esse* ὀνοκοίτης *ex Apol.* 16. *apparet; Rig. et hoc in l. et in Apologet. scr.* Onochoetes.

COMMENTARIUS.

(a) *Ad Orientis partem facere nos precationem.* Verissimum certissimumque est christianos orientem versus preces suas nuncupare solitos; illius autem consuetudinis hæc erat ratio. Christus dominus in cruce constitutus ad Occasum respiciebat, inde christiani tanquam defixis in Christum oculis versus orientem se obvertebant, S. Hieronymus ad cap 6. prophetæ Amos: *In mysteriis primum renuntiamus ei, qui in occidente est, nobisque moritur cum peccatis, et sic versi ad Orientem pactum inimus cum Sole justitiæ, et ei nos serviturос esse promittimus.* Profani et gentiles, qui veritatis omnino erant expertes obvertebantur quoque ad Orientem, sed Orientem solem deum suum falso credentes Le Pr.

(b) *Utique magis post bestiarum morsus, ad quas se locando.* Ipse libro ad Martyras: Quot otiosos affectatio armorum ad gladium locat? Certe ad feras ipsas affectatione descendunt, et de morsibus et de cicatricibus formosiores sibi videntur. Rig.

(c) *Alites planta fronte et tergo.* In exemplari legitur: *Alites plana fronte et tergo*, mendose; legendum: *Planta fronte et tergo.* Mercurium enim designat. *Idem.*

(d) *Nam etsi nos aliter.* Nos infanticidæ, cum infantes ad sacrificia nostra cædere dicimur; vos infanticidæ, qui infantes recens editos pro arbitrio vestro necatis: Nos pro nostra, ut dicitis, religione. Vos pro arbitrio vestro. Vos quidem infantes, aliter ac nos cædere dicimur, cæditis; verumtamen cæditis. Eo igitur quod cæditis, æque estis infanticidæ. Rig.

(e) *Tamen non aliter vos.* Infanticidii crimen et cætera flagitia in gentiles retorquet, qui christianos earum rerum postulabant quarum erant conscii, et quas soli gnostici perpetrasse dicebantur. Le Pr.

Digitized by Google

remus, quod etiam luminibus terrenis parcendum existimavimus, quod nostram quoque conscientiam ludimus; quodcumque enim facimus, si volumus, suspicamur. Cæterum incesta vestra pro sua libertate et luce omni et nocte omni et tota cœli conscientia fruuntur, quodque felicius proveniat, cum palam misceatis incesta toto conscio cœlo, soli ipsi ignoratis; nos vero etiam in tenebris scelera nostra recognoscere possumus. Plane Persæ, Ctesias edit, tam scientes quam non horrentes cum matribus libere fiunt. Sed et Macedones, id quod probaverunt, palam est factitare, siquidem cum primus scenam coram Œdipus intravit trucidatus oculos, risu ac derisu exceperunt; tragœdus consternatus retracta persona: Numquid, ait, domini, displicui vobis? responderunt Macedones: Imo tu quidem pulchre. Aut scriptor vanissimus si finxit, aut Œdipus dementissimus si ita fecit; atque exinde alter ad alterum, ἤλαυνε dicebat εἰς τὴν μητέρα (1). Sed una vel alia gens quantula macula totius orbis? Nos enim omnem infecimus solem, omnem polluimus Oceanum! Date igitur aliquam nationem vacantem ab eis, quæ omne hominum genus ad incestum trahunt. Si qua gens concubitu ipso et aetatis ac sexus necessitate, ne dixerim libidine et luxuria, caret, ea erit quæ carebit incesto; si qua ab humana conditione privata quadam natura remota est, ut neque ignorantiæ neque errori neque casui opposita sit, ea erit quæ solà Christianis respondere constantius possit. Respicite igitur luxuriam inter errores et ventos fluctuantem, si desunt populi, quos ad hoc sceleris incursent lata vada et aspera erroris. Imprimis cum infantes vestros alienæ misericordiæ exponitis aut in adoptionem melioribus parentibus, obliviscimini, quanta materia incesti, subministratur, quanta occasio casibus aperitur? Plane ex aliqua disciplina severiores aut certo respectu ejusmodi eventuum a libidine temperatis quocumque loco domi aut peregre, ut non dispersio seminum et saltus ubique luxuriæ nescientibus filios edat, quos aut ipsi postmodum parentes, aut alii. . . . . incursent, quando etiam ætatum moderatio libidine exclusa sit. Quotcumque adulteria, quotcumque stupra, quotcumque publicatæ libidinis. . . . . sive stativo vel ambulatorio titulo, tot sanguinis mixtiones, tot compagines generis, tot inde traduces ad incestum; unde adeo mimis et comœdis argumentorum venæ fluunt, unde ista quoque talis ante tragœdia erupit. Fusciano (a) præfecto urbi, judicata punitione reatus, fortuita negligentia comitata ultra januam progressus iter, prætereuntibus tractus domo excidit. Græculus vel a limine Græculo more (b) captaverat intrans (2), inde mutatus Asiæ ætate Romam in venalicio refertur. Emit imprudens pater et utitur Græco. Dehinc, ut vestra, adolescentem dominus in agrum et vincula legat. Illic jam dudum pædagogus et nutrix pœnas dabant. Repræsentatur eis tota caussa, referunt invicem exitus suos: illi, quod alumnus in pueritia periisset; ille, se quoque a pueritia periisse, cæterum eodem eventu Romæ natum honesta domo. Forsitan et signa quædam retexuerit. Igitur Dei voluntate, ut tanta seculo macula exprobraretur, spiritus dei (d) de die concutit: tempora cum ætate respondent, aliquid et oculi de lineamentis recordantur, proprietates nonnullæ in corpore recensentur. Dominos, imo jam parentes tantum prolatæ inquisitionis diligentia impellit. Investigatur venaliciarius (e), infeliciter invenitur. Revelato scelere, parentes sibi laqueo medentur. Bona filio male superstiti præfectus adscribit, non ad hæreditatem, sed ad stipendium stupri et incesti. Satis erat unum istud exemplum publicæ erubescen-

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Cf. Apolog.* 9.

(2) *Corruptum hunc locum ita emendavit Rigalt. ut pro vulg.* senatus *scriberet* reatus *et v.* instrans *deleret.*

COMMENTARIUS.

(a) *Fusciano præfecto.* Scio Fusciano senatorii ordinis viro, condiscipulo M. Antonini philosophi imp. Hujus meminit Julius Capitolinus in M. Antonino et in Pertinace: præfectum Urbi, et hominem sincerum fuisse refert. Iterum consulem fuisse tradit Lampridius in Commodo. Fusciani Numidiæ legati mentio fit l. 7 de leg. præst. quæ est Tryphoni respondentis secundum constitutionem Divi Pii ad Tuscium Fuscianum. RIG.

(b) *Græculo more.* Hunc morem explicat Julianus Cæsar libello quodam acephalo editionis Petavianæ pag. 457. ὥσπερ οἱ τὰ παιδία τοῦ πλακοῦντος ἐξαπατῶντες, τῷ καὶ δὶς καὶ τρὶς προτείνεσθαι πείθουσιν ἀκολουθεῖν ἑαυτοῖς· εἶθ' ὅταν ἀποστήσωσι πόρρω τῶν οἰκείων, ἐμβάλλοντες εἰς ναῦν ἀπέδοντο. RIG.

(c) *Judicata punitione reatus.* Hic vero nonnihil indulsimus conjecturis. In exemplari legitur, *Judicata punitione Senatus.* Quod aperte mendosum est. Nam quid illud tandem significabit? *Tragœdia judicata punitione Senatus.* Quare autem meminit Fusciani Præfecti Urbi, si judicata fuerit punitione Senatus? Imo, nihil hic punitum, neque a Senatu, neque a Præfecto Urbi. Itaque hoc primum statuo, Præcedentia sic esse distinguenda, *Unde adeo mimis et comœdis argumentorum venæ fluunt. Unde ista quoque, talis ante tragœdia, erupit* Ista scilicet vena comici argumenti, quæ talis ante tragœdia fuit. Deinde narare incipit tragœdiam, casum plane miserandum. Fusciano Præfecto Urbi judicata punitione reatus, facinorosi nimirum alicujus, populo ad spectaculum concurrente, fortuita negligentia comitum ultra januam progressus iter, prætereuntibus tractus, domo excidit. Hoc de puero sex aut circiter annos nato intelligendum esse vel ex eo fit verisimile, quod is meminerit se in pueritia periisse, dehinc mutatum ætate, relatum Romam, et jam adolescentem in vincula legatum. Sic igitur procedat historia: Fortuita negligentia comitum ultra januam progressus iter, prætereuntibus tractus, domo excidit. Sequitur in eodem manuscripto codice, *Græculus vel a limine Græculo more captaverat intrans*, ut hæc postrema dictio, *intrans*, interpretatio videatur ejus quod præcesserat, *a limine.* Quod si probavimus, eadem opera probabitur, nulla ratione defendi posse quæ uncis ideo comprehendi voluimus, ut detrahantur. Quare, sic pergat historia: Græculus Græculo more captaverat. Inde mutatus Asiæ ætate, etc. Denique, Ætatem Asiæ dixerit, in Asia transactam.

(d) *Spiritus de die concutit.* In exemplari legitur, *Spiritus Dei die concutit.* Nullo sensu. Vocabulum, *Dei*, proxime antecedit, neque debet hic reperiri; visum scribere, *Spiritus de die concutit. Idem.*

(e) *Investigatur Venaliciarius.* Hic advertendum ve-

Digitized by Google

tiæ ejusmodi scelerum delitescentium in vobis. Nihil semel evenit in rebus humanis, semel plane erui potest. De sacramentis nostræ religionis opinor intentatis, et sunt paria vestris etiam non sacramentis.

17. De Obstinationibus vero vel præsumptionibus, si qua proponitis, ne istæ quidem ad communionem comparationis absistunt (*a*). Prima obstinatio est, quæ secunda ab eis religio constituitur Cæsarianæ majestatis, quod irreligiosi dicamur in Cæsares, neque imagines eorum repropitiando, neque genios dejerando hostes populi nuncupamur. Ita vero sit, cum ex vobis nationibus quotidie Cæsares, et Parthici, et Medici, et Germanici. Hoc loco Romana gens viderit, in quibus indomitæ et extraneæ nationes. Vos tamen de nostris adversus nostros conspiratis. Agnoscimus sane romanam in Cæsares fidem. Nulla unquam conjuratio erupit, nullus in senatu vel in palatiis ipsis sanguis (1) Cæsaris notam fixit (*b*); nulla in provinciis affectata majestas. Adhuc Syriæ cadaverum odoribus spirant; adhuc Galliæ Rhodano suo non lavant. Sed omitto vesaniæ crimina, quia nec ista Romanum nomen admittunt. Vanitatis sacrilegia conveniam, et ipsius vernaculæ gentis irreverentiam recognoscam, et festivos libellos, quos statuæ sciunt (*c*), et illa obliqua nonnunquam dicta a concilio atque maledicta, quæ circi sonant. Si non armis, saltem lingua semper rebelles estis. Sed aliud, opinor, est, non jurare per genium Cæsaris. Dubitatur enim de perjuris jure, cum ne per deos quidem vestros ex fide dejeretis. Sed non dicimus deum imperatorem; super hoc enim, quod vulgo aiunt, sannam facimus (*d*).

18. Imo qui deum Cæsarem dicitis, et deridetis, dicendo quod non est, et male dicitis, quia non vult esse quod dicitis; mavult enim vivere, quam deus fieri. Reliquum obstinationis in illo capitulo collocatis, quod neque gladios neque cruces neque bestias vestras, non ignem, non tormenta, ob duritatem ac contemptum mortis, animo recusemus. At enim hæc omnia apud priores majoresque vestros non contemni modo, sed etiam magna laude pensari ac virtute didicerunt. Gladius quot et quantos viros voluntarios! piget prosequi. Crucis vero novitatem numerosæ abstrusæ Regulus vester libenter dedicavit. Regina Ægypti bestiis suis usa est. Ignes post Carthaginensem feminam Asdrubale marito in extremis patriæ constantiorem docuerat invadere ipsa Dido. Sed et tormenta mulier Attica fatigavit tyranno negans, postremo, ne cederet corpus et sexus, linguam suam pastam exspuit, totum eradicatæ confessionis ministerium. Sed vestris ista ad gloriam, nostris ad duritiam deputatis. Destruite nunc gloriam majorum, quo nos quoque destruatis. Contenti estote detrahere etiam laudi parentum ad præsens, ne nobis locum detis. De his forsitan et temporum qualitas robustioris antiquitatis exegerit ingenia duriora, at nunc tranquillitas pacis et ingenia mitiora et mentes hominum etiam in extraneos (*e*)... Ergo, inquitis, veteribus vos comparate; nobis necesse est in vobis odio prosequi quod a nobis non probatur, quia nec invenitur in nobis. Respondete igitur ad singulas species. Non eadem voce exempla deposco. Si contemptu scilicet mortis gladius de majoribus fabulas fecit, utique non vitæ amore gladio vos ad lanistas auctoratis, sed mortis nomen militiæ datis (*f*). Si feminæ alicui de bestiis famosa mors est, medio quotidie pacis sponte libera ad bestias itis. Si crucem, configendi corporis machinam, nullus adhuc ex vobis Regulus pepigit, attamen jam ignis contemptus evasit (*g*), ex quo se quidam proxime vestiendum incendiali tunica ad certum usquequaque locum auctoravit. Si flagris mulier insultavit, hoc quoque proxime inter venato-

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Ita Hav.; cod. ms.* sanguinis.

COMMENTARIUS.

naliciarium non esse mercatorem, sed mangonem; mangones enim proprie non dicuntur mercatores, quia venalia mancipia non sunt in merce discernunturque merces a venalibus, et mercatus a venalitiis *l.* I. *Cod. de Nund. et mercat.* Mancipia venalia non referuntur ad res mobiles proprie, nam licet res vendatur non tamen traditur qui exceptio apud Jurisconsultos solemnis. Mercis autem appellatio ad res tantum mobiles pertinet ut habetur (*l.* 69. *D. de Verb. signif.*) LE PR.

(a) *Ne istæ quidem ad communionem comparationis absistunt.* Emendatio in promptu videatur. A communione comparationis absistunt: Verum ita scripsisse Tertullianum existimo, *adcommunionem*. Etenim amat hujuscemodi compositiones, Adstudendum, Adsacrificium, Adlaederentur. Hic igitur ait, ne ista quidem quæ objicitis, absistunt adcommunionem comparationis. hoc est, non impediunt quo minus sistat se adcommunio comparationis. RIG.

(b) *Vel in palatiis ipsis.* Romanorum crudelitatem in suos imperatores arguit, qui in regia, in palatiis, in ipso Senatu Principes confodiebant: cum tamen nulla neque seditio a christianis concitaretur, neque novis unquam rebus studere visi fuerint. LE PR.

(c) *Quos statuæ sciunt.* Adfixis aut apponsis ad statuas tabellis RIG.

(d) *Quod vulgo aiunt, sannam facimus.* Sanna derisionis species est quæ fiebat ore distorto vultuque, aut certa digitorum manuumve conformatione, aut ductu labiorum sine ullo verbo, Sanna græce μίκων, Adhibitas fuisse illas Sannas et oris distorsiones ad terrefaciendos plorantes pueros patet ex Arnobio lib. V. *Usque adeone mortales sæculi illius ac temporis corde fuerant vacui, rationisque sensusque nullius, ut ab actionib. improbis tanquam parvuli, pusiones, personarum monstruosissima torvitate sannis etiam constringerentur, et maniis?* Unde Sanniones dicti homines, vultu magis quam facetiis aut dicteriis ridiculi. Genus etiam Sannæ quoddam erat, quod ciconia dicebatur, cum nempe ciconiæ collum manibus fingebatur, de Sannis et derisionibus apud plerosque multa legas, apud Persium Sat. 1, et 5. LE PR.

(e) *Etiam in extraneos.* Ipse in Apologetico Christianus et extra fidelis vocatur. RIG.

(f) *Sed mortis nomen militiæ datis.* Nempe armidoctores et ὁ πλοδιδασκαλοις appellatis lanistas, ducto de lanicna vocabulo. *Idem.*

(g) *Evasit.* Exarsit, perque omnia membra evasit concremata. *Idem.*

Digitized by Google

rios (*a*) ordine transcurso remensus est, ut taccam de Laconica gloria (*b*).

19. Hucusque, opinor, horrenda obstinationum christianarum; quæ si vobiscum communicamus, superest deridenda personarum conferamus; quamquam de persuasionibus omnis obstinatio nostra præstruitur: mortuorum enim præsumimus resurrectionem. Spes resurrectionis fastidium est mortis. Ridete igitur quantumlibet stupidissimas mentes, quæ moriuntur ut vivant; sed quo facilius rideatis et resolutius decachinnetis, arrepta spongia vel interim lingua delete litteras interim vestras, quæ similiter asseverant animas in corpora redituras. Attamen quanto acceptabilior nostra præsumptio est, quæ in eadem corpora redituras defendit? vobis autem quanto vanius traditum est, hominis spiritum in cane vel mulo aut pavone rediturum? Item judicium annuntiamus a Deo pro cujusque meritis post interitum destinatum. Id vos Minoi et Radamantho adscribitis, justiore interim Aristide recusato. Eo judicio iniquos æterno igni, pios et insontes amœno in loco dicimus perpetuitatem transacturos. Apud vos... quoque Pyriphlegethontis et Elysii non alia conditio disponitur. Nec mythici ac poetici soli talia canunt, sed et philosophi (*c*) de animorum reciprocatione et judicii distributione confirmant. Quoniam igitur usque, iniquissimæ nationes, non agnoscitis, imo insuper exsecramini vestros, si nihil inter vos diversitas habet, si unum et eidem sumus; quia non odistis quod estis: date dextras potius, compingite oscula, miscete complexus, cruenti cum cruentis, incesti cum incestis, conjurati cum conjuratis, obstinati et vani cum æqualibus. Pariter deorum numina læsimus, pariter indignationem eorum provocamus. Habetis et vos tertium genus, etsi non de tertio ritu, attamen de tertio sexu (*d*). Illud aptius de viro et fœmina, viris et fœminis junctum. Aut numquid ipso vos collegio offendimus? Solet æqualitas æmulationis materiam subministrare. Sic figulus figulo, faber fabro invidet. Imo jam de fine simulata confessio redigit conscientiam ad veritatem et ad constantiam veritatis, (nam omnia ista in nobis solis erunt, et a nobis solis revincuntur, quibus illata sunt;) agnitione scilicet diversæ partis, unde scientia instructa et consilium inspirat et judicium gubernat. Vestra denique sententia est, ne caussam quis judicet (*e*), nisi duobus auditis. Quod in nobis solis negligitis, naturæ vitio satisfacitis, ut quæ in nobis non refutetis, in aliis .... tis, aut quorum reatum in vobis memineritis, ea in alios jactetis .... opere occupatiores eritis, in extraneos casti, in vosmetipsos incesti, exsertiores foris, subjecti domi. Hæc est iniquitas, ut gnari ab ignaris, absoluti a reis judicemur. Auferte stipulam de oculo vestro, aut trabem de oculo vestro, ut stipulam de alieno extrahatis (1). Emendate vosmetipsos prius, ut christianos puniatis; nisi quod emendaveritis, non punietis, imo eritis christiani, imo si fueritis christiani, eritis emendati. Discite quod in nobis accusetis, et non accusabitis. Recognoscite quid in vobis non accusetis, et accusabitis. Patet etiam hinc vobis, quantum aperire potuerimus (e paucis istis libellulis), erroris inspectio et veritatis recognitio. Damnate veritatem, sed inspectam si potestis, et probate errorem, sed repertum si putatis. Quodsi præscribitur vobis errorem amare et odisse veritatem; cur quod amatis et odistis, non noveritis?

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Haverc. ad Apolog.* 39. *emend.* Auferte trabem de oculo vestro, ut stipulam de alieno extrahatis.

COMMENTARIUS.

(a) *Inter venatorios.* Libro ad Martyras. Inter venatorum laureas. RIGALT.

(b) *Ut taceam de Laconica gloria.* Sic apud Petronium, Eumolpus, *et ego quidem tres plagas Spartana nobilitate concoxi.* LE PR.

(c) *Sed et philosophi.* Non solum poetæ quibus omnia comminiscendi potestas data est, vana illa somnia et vacui cerebri deliramenta invexerunt; sed etiam philosophi, iique majorum gentium ut Plato, qui metempsychosin tuitus est. LE PR.

(d) *Habetis et vos tertium genus.* Alexander Severus, narrante Lampridio, tertium genus hominum Eunuchos esse dicebat, nec videndum, nec in usu habendum a viris, sed vix a feminis nobilibus. RIG.

(e) *Ne causam quis judicet.* Justitiæ leges postulant, ut causæ fiat disceptatio, antequam judicium feratur, unde apud Senecam, Medea, act. II, sc. 2. sic Creontem alloquitur:

Qui statuit aliquid, parte inaudita altera,
Æquum licet statuerit, haud æquus fuit. LE PR.

LIBER SECUNDUS.

1. Nunc de deis vestris, miserandæ nationes, congredi vobiscum defensio nostra desiderat, provocans ipsam conscientiam vestram, ad censendum, an vere dei, ut vultis, an falso, ut scire non vultis. Hæc enim materia est erroris humani per artificem ejus, ne ignorantia erroris (*a*) .... quo magis rei sitis. Patent oculi, nec vident; hiant aures, nec audiunt; cor stupet saliens, nescit animus quod agnoscit. Denique, si tantam perversitatem una præscriptione discuti liceret, in expedito esset nuntiatio, cum om-

COMMENTARIUS.

(a) *Ignorantia erroris..... supplendum*, tollatur, *aut aliquid simile.* RIG.

Digitized by Google

nes istos deos ab hominibus institutos, non .... hinc excidere fidem veræ divinitatis, quo nihil utique aliquando cœptum divinum videri jure possit. Sed enim multa sunt, quibus teneritas conscientiæ obduratur in callositatem voluntarii erroris. Ingenti manu (*a*) veritas obsidetur; at ipsa de sua virtute secura est. Quidni? quoscumque (*b*) vult, de ipsis adversariis socios protectoresque sibimet assumit, et omnem illam expugnatorum multitudinem (*c*) prosternit. Adversus hæc igitur nobis negotium est, adversus institutiones majorum, auctoritates receptorum (*d*), leges dominantium, argumentationes prudentium; adversus vetustatem, consuetudinem, necessitatem; adversus exempla, prodigia, miracula, quæ omnia adulterinam istam divinitatem corroboraverunt. Quare secundum vestros commentarios, quos ex omni theologiæ genere cepistis, gradum conferens, quoniam major in hujusmodi penes vos auctoritas litterarum, quam rerum est, elegi ad compendium Varronis opera (*e*), qui rerum divinarum ex omnibus retro digestis commentatus, idoneum se nobis scopum exposuit. Hunc si interrogem, qui insinuatores deorum? aut philosophos designat aut populos aut poetas. Triplici enim genere deorum censum distinxit: unum esse physicum, quod philosophi retractant; aliud mythicum, quod inter poetas volutetur; tertium gentile, quod populi sibi quique adoptaverunt. Igitur cum philosophi physicum conjecturis concinnarint, poetæ mythicum de fabulis traxerint, populi gentile ultro præsumpserint, ubinam veritas collocanda? in conjecturis? sed incerta conceptio est; in fabulis? sed fœda relatio est; in adoptionibus? sed passiva et muncipalis adoptatio est. Denique apud philosophos incerta, quia varia; apud poetas omnia indigna, quia turpia; apud populos passiva omnia, quia voluntaria. Porro divinitas, si veram retractes, ea definitione est, ut istud neque argumentationibus incertis colligatur, neque fabulis indignis contaminetur, neque adoptionibus passivis judicetur; haberi enim debet, sicut est, certa, integra, communis, quia scilicet omnium. Cæterum quem Deum credam? quem suspicio æstimavit, quem historia jactavit, quem civitas voluit? Dignius multo neminem credam, quam dubitandum aut pudendum aut adoptivum.

2. Sed physicorum auctoritas philosophorum ut mancipium sapientiæ patrocinatur. Sane mera sapientia philosophorum (*f*), cujus infirmitatem prima hæc contestatur varietas opinionum, veniens de ignorantia veritatis. Quis autem sapiens expers veritatis, qui ipsius sapientiæ ac veritatis patrem et dominum deum ignoret? .... divina alias enuntiatio Salomonis (*Prov.* IX. 10; *Ps.* XI. 10): Initium, inquit, sapientiæ metus in Deum. Porro timoris origo notitia est (*g*); quis enim timebit quod ignorat? Ita qui Deum timuerit, omnium notitiam et veritatem assecutus, plenam atque perfectam sapientiam obtinebit. Hoc autem philosophiæ non liquido successit. Licet enim per curiositatem omnimodæ litteraturæ inspiciendæ, divinis quoque scripturis ut antiquioribus possint videri incursasse, et inde nonnulla dempsisse, cum tamen ...ut (*h*), probant sese aut omnia despexisse aut non omnibus .... Nam et alias veritatis simplicitas per scrupulositatem.... ve (1) fide nutat, et ita accedente libidine gloriæ ad proprii ingenii opera mutasse, per quod in incertum abiit etiam quod invenerant, et facta est argumentationum inundatio de stillicidio uno atque alio veritatis; invento enim solummodo eo, non ut invenerant, exposuerunt, ut de qualitate (2) ejus et de natura et jam de sede disceptent: Platonici quidem curantem rerum et arbitrum et judicem; Epicurei otiosum et inexercitum, et ut ita dixerim, neminem; positum vero extra mundum, Stoici; intra mundum, Platonici. Quem non penitus admiserant, neque nosse potuerunt, neque timere, nec inde sapere, exorbitantes scilicet ab initio sapientiæ, id est, metu in Deum. Exstant testimonia tam ignoratæ quam dubitatæ inter philosophos Divinitatis. Diogenes consultus, quid in cœlis agatur: Nunquam, inquit, ascendi.

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Hav. ad Apol.* 47. plerumque.

(2) *Rigalt.* invenerunt — qualitatis; *cf. Apolog.* 47.

COMMENTARIUS.

(a) *Ingenti manu veritas obsidetur.* Quoniam expugnari non poterant Christiani nisi mendacio obruerentur; veritatem nationes quantum in se erat premebant, verbisque et calumniis infinitis causæ suæ licet deploratæ patrocinabantur. Veritas nullo fere testimonio indiget, nullo verborum strepitu, ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔρυ, qui versus Euripidis ea Phœniss. citatur a Juliano imp. orat. 7. subjicitque idem Julianus σκιαγράφιας γάρ φησι τὸν ψευδῆ, καὶ ἄδικον δεῖσθαι quæ verba ex eodem loco Euripidis adducuntur. Sic apud Strobæum Æschylus. Theodor. lib. 1. therap. Basil. Cæsar. orat. 14. et Simeon Cancellar. orat. 1. Le Pr.

(b) *Quoscumque.* In exemplari legitur, *Quæcumque.* Rig.

(c) *Expugnatorum multitudinem.* In libro Agobardi legitur, *expugnatorem multitudinem.* Quod defendi posse jam monuimus ad illud Apologetici, cap. 25. *Græciam debellatorem.* Sed hic tam facilis fuit lapsus, ut in apice nullius momenti veterem manum sequi velle superstitione non careat. Rig.

(d) *Auctoritates receptorum.* Quæ jam pridem recepta, consensus publici actoritatem obtendunt. *Idem.*

(e) *Varronis opera.* Ne tergiversari videatur, atque ut gentiles quavis sponsione premat, illorum testimonia, auctoresque apud eosdem probatissimos excutit, Varronem scilicet Romanorum omnium doctissimum. Le Pr.

(f) *Mera sapientia philosophorum.* Quæ nihil christianum, nihil divinum sapit. Rig.

(g) *Porro timoris origo, notitia est.* Ex illo Salomonis loco verissime argumentatur, ut numen adstruat: Apud gentiles vulgatum erat *Primus in orbe Deos fecit timor...* Nullusque tunc ferme erat qui non ita sentiret ac loqueretur. Le Pr.

(h) *Cum tamen...* Lacuna illa sic explenda videtur: *Cum tamen credunt, probant sese aut omnia despexisse, aut non omnibus credidisse.* Le Pr.

Digitized by Google

Item, an dei essent? Nescio, inquit, nisi ut sint expedire. Thales Milesius, Crœso sciscitanti, quid de deis arbitraretur, post aliquot deliberandi commeatus, nihil renuntiavit. Socrates ipse deos istos quasi certus negabat. Idem Æsculapio gallinaceum secari quasi certus jubebat. Et ideo cum tam incerta et inconstans definiendi de Deo philosophia deprehenditur, quem potuit .....re ejus, quem non liquido tenebat determinare? De mundo .... dicimus. Hunc enim physicum theologiæ genus cogunt : q.....ta deos tradiderunt, ut Dionysius stoicus trifariam deos dividat, unam vult speciem, quæ in promptu sit, ut solem, lunam ..... aliam, quæ non compareat, ut Neptunum, reliquam, quæ de hominibus ad divinitatem transisse dicitur, ut Herculem, Amphiaraum. Æque Arcesilaüs trinam formam divinitatis ducit, Olympios, Astra, Titaneos; de Cœlo et Terra, ex his, Saturno et Ope, Neptunum, Jovem et Orcum et cæteram successionem. Xenocrates Academicus bifariam facit, Olympios et Titanios, qui de Cœlo et Terra. Ægyptiorum plerique quatuor deos credunt, Solem et Lunam, Cœlum ac Terram. Cum reliquo igni superno deos ortos Democritus suspicatur, cujus instar vult esse naturam Zeno. Unde et Varro ignem mundi animum facit, ut perinde in mundo ignis omnia gubernet, sicut animus in nobis. Atqui vanissime. Nam cum est, inquit, in nobis, ipsi sumus; cum exivit, emorimur. Ergo et ignis cum de mundo per fulgura proficiscitur, mundus emoritur.

3. His ita expeditis (*a*), videmus physicum istud ad hoc subornatum, ut deos elementa contendat, cum his etiam alios deos natos alleget; Dei enim nonnisi de deis nascerentur. Quos quoniam in mythico apud poetas plenius suo loco examinabimus, tamen quod de ipsis interim retractandum est, quod ad præsentem speciem facit, simul et de præsenti specie ad ipsos .....an ostensuri sumus, deos nullo modo videri posse, qui de elementis nati dicuntur, ut jam hinc præjudicatum sit, deos elementa non esse, cum qui de elementis nati dicuntur, Dei non sunt; æque demonstrando, orta deos non esse, ad illam agnatorum speciem præstruemus recte non esse defendi, quorum parentes, id est elementia dei non sunt. Scitum, deum e deo nasci, quemadmodum de non deo non deum. Igitur quod elementa contineat mundus iste, ut summaliter tractem de universitate, partibus ejus præministrans; nam quæ conditio ejus, eadem utique erit et elementorum et membrorum, aut ab aliquo institutus sit necesse est, qua Platonis humanitas, aut a nullo qua Epicuri duritia. Et si institutus est, habendo initium habebit et finem, ita quod aliquando non fuit ante initium, et quandoque non erit post finem : non capit utique videri deus carens substantia divinitatis, id est æternitate, quæ sine initio et fine censetur. Si vero institutus omnino non est ac propterea deus habendus, quod ut Deus neque initium neque finem sui patitur : quomodo quidam assignat elementis, quæ deos volunt, generationem, cum stoici negent quicquam Deo nasci? Item, quomodo volunt, quos de elementis natos ferunt, deos haberi, cum Deum negent nasci? Itaque quod mundi erit, hoc elementis adscribetur, cœlo dico et terræ et sideribus et igni, quæ deos et deorum parentes adversus negatam generationem Dei et nativitatem frustra credi proposuit Varro. Et qui Varro indicaverat animalia esse cœlum et astra. Quod si ita est, etiam mortalia sint necesse est, secundum animalis formam; nam etsi immortalem constat animam, ipsi hoc soli licebit, non etiam illi cui adnectitur, id est corpori. Nemo autem negabit mortale corpus esse, cum et contingamus ea et contingamur ab eis, certa corpora ex illis decidere videamus. Ergo si animalia deposita ratione animæ, qua corporum conditio, mortalia, non utique, dii elementa. Et tamen unde animalia Varroni (*b*) videntur elementa? Quoniam moventur. Ac ne ex diverso proponatur, multa alia moveri, ut rotas, ut plaustra, ut machinas cæteras, ultro prævenit dicens, eo animalia credita, quod per semetipsa moverentur, nullo extrinsecus apparente motatore eorum aut minatore, sicut apparet, qui rotam compellit, et plaustra volvit, et machinam temperat. Igitur nisi animalia, non mobilia per se. Porro allegans, quid non appareat, ostendit quid quæsisse debuerat, id est, artificem et arbitrum motus; neque enim statim non est, quod, quia non videmus, non credimus esse. Imo eo altius investigandum est, quod non videatur, ut quod videatur quale sit scire possimus. Alioquin si tantum ea, quæ comparent, deo esse creduntur, quia comparent? Quomodo deos etiam eos recipitis qui non comparent? Si autem videntur esse qui non sunt, cur non sint et qui non videntur? Motatorem dico cœlestium rerum. Sint ergo et animalia, quia mobilia per se, etiam mobilia per se, quia non per alium; tamen illa non statim Dei, quia animalia, ita nec ideo, quia per se mobilia; aut quid vetat universa animalia, ut mobilia per se, deos haberi?..... lia sane vanitate Ægyptiis licet.

4. Aiunt quidam propterea deos fuisse appellatos, quod θεῖν et σεσθαι, procurrere ac motari interpretatio est. Sane vocabulum istud non est alicujus majestatis; a cursu enim et motu, non ab divinitatis denominatione formatum est. Sed cum etiam ille unus Deus quem colimus, θεὸς cognominetur, nec tamen aut motus ullus aut cursus ejus appareat, quia nec visibilis cuiquam sit, palam est, ut vocabulum istud..... sumptum propriumque, quia se nati-

COMMENTARIUS.

(a) *His ita expeditis.* Post turbam illam philosophorum, qui de Deo aut pessime senserunt, aut Deos omnino sustulerunt, validissimis rationibus pugnat ex ipsa re de qua erat quæstio, de ortu scilicet Deorum, de immortalitate, creatione, etc. LE PR.

(b) *Et tamen unde animalia.* Varronem hic attingit qui elementa animalia docuerat, ex eo quod moverentur. In quo illum arguit imperitiæ; debuerat enim motorem investigare, atque ad primum illud principium rationis vi ascendere. LE PR.

Digitized by Google

vum, divinitatis inventum. . . . . interpretationis ejus astutia, verisimilius est non a cursu et motu θεοὺς dictos, sed de appellatione veri dei mutuatum, uti quos æque deos excudisselis, θεοὺς cognominaretis. Denique quam ita sit, probatio suppetit, cum etiam universos deos vestros, in quibus nullius cursus aut motus officium denotatur, θεοὺς communiter appelletis. Itaque si æque θεοὺς æque immobiles, disceditur vocabuli interpretatione pariter et divinitatis opinione, quæ a cursu et motu modulata rescinditur. Quod si nomen istud proprium divinitatis et simplex, nec interpretatorium in illo deo reprehensum, in cætera, quæ deos vultis, docete etiam qualitatis inter illos esse consortium, ut jure consistat collegium nominis communione substantiæ. Porro ΘΕΟΣ ille jam hoc solo, quod non sit in promptu, vacat a comparatione eorum, quæ in promptu sunt et visui et sensui; sed sensui satis, quod est testimonii ad diversitatem occulti et manifesti renuntiatio; si elementa palam proposita omnibus, si contra deus nemini, quomodo poteris ex ea parte, quam non vidisti, quæ vides, congredi? Cum ergo non habes conjungere sensu. . . . ratione, quid vocabulo conjungis, ut conjungas etiam potestate? Ecce enim Zeno (*a*) quoque materiam mundialem a Deo separat, vel eum per illam, tanquam mel per favos transisse dicit. Itaque materia et Deus duo vocabula, duæ res. Pro discrimine vocabulorum etiam res separantur, etiam materiæ conditio vocabulum sequitur. Quod si materia non est, quia sic et appellatio præscribit, quomodo quæ sunt in materia, id est elementa, dei habebuntur, cum membra a corpore alig. . . . esse non possint? Sed quid ego cum argumentationibus physiologicis? S. . . . . ascendere debuit de statu mundi, non incerta descen . . . . . lo platonica forma quadratum eum angulatumque com. . . . . do circino rotunda ita collegit, quod sine capite solum credi laborat. Sed Epicurus, qui dixerat, quæ super nos, nihil ad nos, cum et ipse cœlum inspicere desiderat, solis orbem (*b*) pedalem deprehendit. Adhuc scilicet frugalitas et in cœlis agebatur. Denique ut ambitio profecit, etiam sol aciem suam extendit, ita illum orbem majorem peripatetici denotaverunt. Oro vos, quid sapit conjecturarum libido? Quid probat tanta præsumptione asseverationis otium affectatæ morositatis elo- A quii artificio adornatum? Merito ergo Milesius Thales (*c*) dum totum cœlum examinat et ambulat oculis, in puteum cecidit. . . . . r, multum irrisus Ægyptio illi: In terra, inquit, nihil perspiciebas, cœlum tibi speculandum existimas? Itaque casus ejus per figuram..... s notat, scilicet eos qui stupidam exerceant curiositatem. . . . . naturæ, quam prius in artificem ejus et præsidem, in vacuum. . . . . n dum habituros.

5. Quin ergo ad humaniorem aliquanto (*d*). . . . imur opinionem, quæ de communi omnium sensu et simplici cog. . . . deducta videatur (1)? Nam et Varro meminit ejus, creditam præterea dicens elementorum divinitatem, quod nihil omnino sine suffragio illorum gigni, ali, provehi possit ad vitæ humanæ et terræ sationem, quando ne ipsa quidem corpora aut ani- B mas sufficere licuisset sine elementorum temperamento, quo habitatio ista mundi circulorum conditionibus fœderata præstatur, nisi quod hominum incolatui denegavit enormitas frigoris aut caloris. Itaque deos credi: solem, qui diei de suo cumulet, fruges caloribus, p. . . . . et annum stationibus servet; lunam, solatium noctium, patrocinium mensium gubernaculis, item sidera, signacula quædam temporum ad mutationem notandorum; ipsum denique cœlum, sub quo omnia; terram, super quam omnia, et quicquid illorum inter se ad commoda humana conspirat. Nec tantum beneficiis fidem divinitatis elementis convenire, sed etiam de diversis, quæ tanquam de ira et offensa eorum incidere soleant, ut fulmina, ut grandines, ut ardores, ut auræ pestilentes, item diluvia, item hiatus motusque terrarum. Et jure credi deos, quorum natura honoranda sit in secundis, metuenda sit in adversis, domina scilicet juvandi et nocendi. Porro, si ita sentiuntur in. . . . . conversatione, non perinde rebus ipsis, quibus juvantur sive lædunter aut gratias referunt aut querelas intendunt, sed his, sub quorum ducatu et potestate operatio rerum decurrit. Nam in voluptatibus vestris non tibiæ aut citharæ coronam ad præmium adjudicatis, sed artifici, qui tibiam et citharam suavitatis temperet vi. Æque cum quis valetudine male est, non lanis nec antidotis aut malagmatis ipsis gratiam meministis, sed medicis, quorum opera atque prudentia remedia proveniunt. Item in adversis qui ferro sociantur, non gladium ipsum aut

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Le Prior. supplevit:* convertimur — cognatione. D

COMMENTARIUS.

(a) *Ecce enim Zeno quoque.* Zenonem intelligit Citteium, egregium illum philosophum, qui ab Atheniensibus aurea corona donatus est, et sepulcro magnifico ab iisdem decoratus, ut refert Diogenes Laertius, idque publico decreto sancitum decretumque columnis duabus a scriba publico inscriptum. LE PR.

(b) *Solis orbem pedalem.* Inter problemata a discipulis Zenonis proposita et soluta illud recensetur εἰ ὁ ἥλιος τηλικοῦτός ἐστι ἡλικὸς φαίνεται *an tantus sit sol, quantus apparet?* Idem de luna proponebant; multa enim a præceptore hauserant in physicis aliisque partibus a communi opinione aliena. LE PR.

(c) *Merito ergo Milesius Thales.* Physicorum princeps dicitur Apolog. cap. 46. quoniam de rebus physicis ac cœlo, primus disputasse fertur. Quod autem ab Ægyptio irrisus fuerit traditur hoc in loco, cum tamen a vetula quadam reprehensum fuisse dicat Laertius his verbis: Σὺ γὰρ, ὦ Θαλῆ, τὰ ἐν ποσὶν οὐ δυνάμενος ἰδεῖν τὰ ἐπὶ τοῦ οὐρανοῦ οἴει γνώσεσθαι. *Tu quippe, o Thales, cum ad pedes respicere vix possis, cœlum putas te posse cognoscere.* Antiquis autem excelluisse in Astronomia Thaletem certum est, probatque epigramma iconi ipsius insculptum. LE PR.

(d) *Quin ergo ad humaniorem aliquanto con ...* Ora-

Digitized by Google

lanceam accusant, sed hostem vel latronem. Et quos A ... (1) tegulas aut imbrices arguunt, sed vetustatem ; sicut et naufragi non petris et fluctibus imputant, sed procellæ. Merito. Certum enim est, quodcumque est, ei adscribendum, non per quod fit, sed a quo fit, quia is est caput facti, qui et ut fiat et per quid fiat, instituit. Et sunt in omnibus rebus tres tituli isti : quod est, per quod est, et a quo est ; quia prius est, qui quid velit fieri, et quod possit, inveniri. Et ita recte in cæteris agitis, auctorem considerantes. At in physicis contra naturam regula vestra, qua in cæteris sapientiam judicatis, auferendo summum gradum auctoris et quæ fiunt, non a quo fieri... ita credere contingit elementorum potestates et ar... esse, quæ sunt servitutes et officia. Non in ista investigatione ali.... us artificis intus et domini, servitutis autem non tendi- B mus elementorum .... operis eorum quas facis potestatis. Sed Dei non serviunt; ea igitur, quæ serviunt, Dei non sunt. Aut doceant vulgo fieri, ut de licentia passivitatis libertas approbetur, de libertate dominatio de dominatione divinitas intelligatur. Nam si omnia hæc super nos certis curriculis, legitimis decursibus, propriis spatiis, æquis vicibus sub legis instar constituta volvendis temporibus et exercendis temporibus et exercendis temporum ducatibus occurrere meminerunt, ex ipsa observatione conditionum suarum et fide operum et instantia..... et cura demutationum, memoria reciprocatorum, aliquam dominationem sibi præesse persuadeant vobis, cui apparere videatur universa negotiatio mundialis perveniens ad humani generis utilitatem et ..... onem? C (2) Non enim potest dicere, ea sibi agere ista ac sibi curare nec quicquam hominum caussa disponere, cum propterea defendas elementis divinitatem, quod ab aliis aut juvari te aut lædi sentias ; nam si sibi præstant, nihil eis debes.

6. Age jam, conceditisne divinitatem non modo non serviliter currere, sed imprimis integre stare, neque minui neque intercipi neque corrumpi debere. Cæterum abiit omnis felicitas ejus, si quid patitur unquam. Ecce autem et astra intercidunt, et intercidisse se attestantur. Confitetur et luna (*a*), quantum amiserit, cum resumit. Jam majora ejus detrimenta soletis in aquæ speculo considerare, ut nihil amplius ullam..... credam quod magi norunt. Ipse etiam sol sæpe defectione tentatus est. Fingite quaslibet rationes cœlestium casuum, non volet deus aut minor fieri, aut esse desinere. Viderint igitur humanæ doctrinæ patrocinia, quæ conjectandi artificio sapientiam mentiuntur et veritatem. Nam alias natura sic est, ut qui melius dixerit, hic verius dixisse videatur, non qui verius, is melius.

7. Cæterum cui res examinabitur, verisimilius utique dicet elementa ista ab aliquo regi, quam ultro... igitur non deos, quæ sub aliquo. At si in isto erratur, melius est simpliciter, quam ut physici, diligenter. Sed enim si ad mythic... tes (3), melius jam in physico mortalitas errat, eis divinitatem adscribendo, quæ super hominem putat situ et vi et magnitudine et divinitate sentiri ; quod enim super hominem, credas Deo proximum. Cæterum ut ad mythicum transeamus, quod poetis deputatur, nescio an tantum..... mediocritati nostræ, an tanti de documentis divinitatis conf..... ut Mopsus Africanus et Bœotus Amphiaraus (*b*). Delibanda enim nunc est species ista, cujus suo loco ratio reddetur. Interim hos certe homines fuisse vel eo palam est, quod non constanter deos illos, sed heroas appellatis. Quid ergo contendimus? Si addicenda mortuis divinitas erat, non utique talibus? Ecce vos cum eadem licentia præsumptionis sepulcris regum vestrorum cœlum infamatis, nonne probatos quosque justitia, virtute, pietate et omni bono ejusmodi consecrationis solatio honestatis contenti pro talibus etiam irrideri pejerantes. At e contrario impios, turpes etiam pristinis humanæ gloriæ præmiis aufertis, decreta eorum et titulos lancinatis, imagines detrahitis, monetam repercutitis. Ille (*c*) autem conspector omnium, comprobator, imo largitor bonorum, tantæ indulgentiæ suæ ordinationem vulgo prostituet et plus diligentiæ atque justitiæ hominibus licebit in distribuendis divinitatibus sapere? Mundiores erunt regum et principum comites quam summi Dei? Atquin horretis et aversamini, vagos, exsules, ... debiles, sordide natos,

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Rigalt. suppl.* Et quos tecta opprimunt, non tegulas, etc.

(2) *Gothofredus* utilitatem seu accessionem? *Haverc. ad Apol.* 13 : util. et læsionem? D

(3) *Le Prior suppl.* ad mythicas artes.

COMMENTARIUS.

tionis series postulat ut sit, convertimur, aut aliquid simile, et sequens lacuna sic videtur supplenda : simplici cognitione. Le Pr.

(a) *Confitetur et Luna.* Defectus solis et lunæ labores hic attingit ; luna nempe incrementa sua habet a novilunio seu neomenia ad plenilunium, et detrimenta a plenilunio ad novilunium. Le Pr.

(b) *Et Bœotus Amphiaraus.* Alcmæonis pater fuit Amphiaraus, cujus jussu Eriphilem matrem interemit, conceptoque ex illo scelere immani furore errabundus atque amens vagabatur ; cum vero ad unam ex Echinadibus insulis pervenisset, ex oraculi responsione furore liberatus est. Unde S. Basilius scribens ad B. Gregorium Nazianz. : πάντως γὰρ οὐδὲ Ἀλκμαίων Ἐχινάδος εὗρον, ἔτι τὴν πλάνης ἠνέσχετο. Illos autem heroas ac Deos fabularum audacia defendi testatur Gregorius Nazianz. orat. 20 in funere B. Basilii. Le Pr.

(c) *Monetam repercutitis.* Conflatam scilicet, alterius Principis typo percutitis. Nam reprobi nummi, quia pretii nullius, et commerciis inutiles, ad eos deferebantur quibus erat auri, argenti, æris flandi et feriundi cura et potestas. Tales fuisse Claudianos Dio tradit, lib. lx. *Sed de conflatis fusas Messalinæ jussu Mnesteri statuas indignatus.* Is fuit histrio, quem illa deperibat. Tales quoque fuisse neronianos arguunt hæc Arriani Epictetica : τίνα ἔχει τὸν χαρακτῆρα τοῦτο τὸ τετράσσαρον, Νέρωνος. Ῥῖψον ἔξω· ἀδόκιμόν ἐστι, σαπρόν Rig.

Digitized by Google

inhoneste institutos; contra incestos, adulteros, raptores, parricidas etiam legibus exserendis. Ridendum an irascendum sit, tales deos credi, quales homines esse non debeant? Sed enim in isto mythico genere, quod poetæ ferunt, quam incerti agitis circa conscientiæ pudorem et pudoris defensionem! Nam quotiens misc...., turpia, vel atrocia deorum exprobramus; allegationem poeti .....e ut fabulosa defenditis! quotiens ultro siletur de ejusmodi poetica, non modo non horretis, sed insuper honoratis, utque in necessariis artibus habetis. Denique per hanc initiatricem litteraturæ ingenuitatis studia producitis. Criminatores deorum poetas eliminari Plato censuit, ipsum Homerum sane coronatum civitate pellendum. At cum excipiatis illos et retineatis, cur non credatis talia retexentibus de deis vestris? Igitur si creditis poetis, cur laudem mendacibus fertis, nec cavetis ne offendatis eos, quorum detrectatores honoratis? Sane fides a poetis non exigenda. Nonne qui dicitis deos post mortem factos, homines confitemini ante mortem? Quid ergo novi, si, qui homines fuerint, humanis aut casibus aut criminibus aut fabulis polluuntur? Non creditis poetis, cum de relationibus eorum etiam sacra quænam disposueritis? Cur rapitur sacerdos Cereris, si non tale Ceres passa est? Cur Saturno alieni liberi immolantur, si ille suis pepercit? Cur Ideæ masculus amputatur, si nullus illi fastidiosior adolescens libidinis frustatæ dolore castratus est? Cur Herculeum polluctum (*a*) mulieres Lanuvinæ non gustant, si non mulierum caussa p.....Mentiuntur sane poetæ! sed non ideo quod talia gesserint... homines quas defuerint nec quod divinas adscripserint fo.... divinitatis, cum interim vobis credibilius visum est deos fuisse, sed non tales, quam tales, sed non deos.

8. Superest gentile illud genus inter populos deorum, quos libidine sumptos, non pro notitia veritatis, docet privata notitia. Deum ergo existimo ubique notum, ubique præsentem, ubique dominantem, omnibus colendum, omnibus demerendum. At enim cum illi quoque, quos totus orbis communiter colit, excidant probationi veræ divinitatis, quanto magis isti, quos ne ipsi quidem municipes sui norunt? Nam quæ idonea auctoritas præcucurrit ejusmodi theologiæ, quam etiam fama destituit? Quanti sunt, qui norint visu vel auditu Atagartin Syrorum, Cœlestem Afrorum, Varsutinam Maurorum, Obodan et Dusaren Arabum, Belenum Noricum, vel, quos Varro ponit, Casiniensium Delventinum, Narniensium Visidianum, Atheniensium Numentinum, Æsculanorum Anchariam, et quam prævenerim (1), Volsiniensium Nortiam, quorum ne nominum quidem dignitas humanis cognominibus distat? Satis rideo etiam deos decuriones cujusque municipii, quibus honor intra muros suos determinatur. Hæc libertas adoptandorum deorum quousque profecerit, Ægyptiorum superstitiones docent, qui etiam bestias privatas colunt, p.... crocodilos et anguem suum. Parum est si etiam hominem consecrarunt. Illum dico, quem non jam Ægyptus aut Græcia, verum totus orbis..... Afri jurant; de cujus statu quid conjici potest apud nostras litteras ut verisimile videtur positum est. Nam Serapis iste quidam olim Joseph (*b*) ..... fuit de genere sanctorum, junior inter cæteros fratres, sed excelsior .....ab iisdem fratribus per livorem venum in Ægyptum datus, sæviebat in familia regis Ægyptorum (*c*) Pharao, a regina minus pudica desideratus, sed quia non obsequebatur, e contrario ab eadem delatus, a rege in carcerem datur. Illic somnia quibusdam non perperam interpretatus, vim spiritus sui ostendit. Interea rex quoque somnia terribilia quædam illi, detractis quos convocaverat, voluit exponere. Joseph expedimenta de carcere edocuit, somnium regi aperit: illos boves septem opimissimos, defluentes, totidem annorum ubertatem significare; posteriores æque septem ineptos, subsequentium septem annorum inopiam. Prædicare itaque sæpe de recondendis præsidiis in futuram famem de copia priore, credidit rex; exitus rerum et prudentem et sanctum semper necessarium probavit. Itaque Pharao universæ Ægypto et frumentandæ et exinde curandæ eum præfecit. Hunc Serapidem ex suggestu(*d*),

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Rigalt.* Præverim.

COMMENTARIUS.

(a) *Herculeum polluctum.* Polluctum Herculis erat Esculentorum decima pars, quæ Herculi dabatur. Apud Plautum, Herculi pollucere decimam partem. Putabant nimirum id felices ac fortunatos homines reddere. Apud eumdem Plautum, obsonare pollucibiliter, id est splendide et opipare; sic cœna pollucibilis. Le Pr.

(b) *Serapis iste quidam olim Joseph.* Ruffinus Hist. 11, ubi de statua Serapidis. Quidam in honorem nostri Joseph formatum perhibent simulacrum, ob divisionem frumenti, quo famis tempore subvenit Ægyptiis. Ex eo igitur, quod apud Christianos Serapis figura fuit Josephi et Josephus figura Christi, in errorem inductus fuisse videtur Adrianus Aug. in epistola quadam, ubi de Ægypto ad Servianum Cos. scripsit, *Illi qui Serapin colunt, christiani sunt: et devoti sunt Serapi, qui se Christi Episcopos dicunt.* Idem Joseph, quia Saræ pronepos, Julio Firmico Serapis. Rig. — *Nam Serapis iste.* Monuimus alibi Isim et Serapim idola fuisse Ægyptiis veneranda, hic tantum addo detestationem ægyptiacæ impietatis quæ habetur apud Greg. Naz. orat. 24. hæc omnia complecti luculenter, eamque more Beati illius patris conscriptam. Le Pr.

(c) *In familia regis Ægyptiorum.* Imo in familia Putipharis Eunuchi Pharaonis, nisi dicamus ipsum Eunuchum in familia regis fuisse. Sed in hac deinceps historia Josephi aberrat Tertullianus iterum ac tertio ab iis quæ tradidit Moses Genes. xli. et libro adversus Judæos, cap. 5, historiam Abelis et Caini tractavit indiligentius. Le Pr.

(d) *Hunc Serapidem ex suggestu.* Cumulum et acervum intelligere videtur, quem Græci Σωρὸν dicunt, Frumenti scilicet cumulum, modii figura designatum. Ruffinus, *Cujus caput modius superpositus indicet vitam mortalibus frugum largitate præberi.* Julius Firmicus, *Modius, quo esurientibus et ementibus frumenta diviserat, capiti superpositus est.* Le Pr.

Digitized by Google

quo caput ejus ornatum, vocaverunt, cujus suggestus modialis figura frumentationis memoriam obsignat, et curam frugum super caput ejus fuisse, ipsis spicis, quibus per ambitum notatur, apparet. Propterea et canem, quem apud inferos deputant, sub dextera ejus dicaverunt, quod sub manu ejus compressatur (1)-(a) Ægyptiorum, et Fariam adjungunt, quam filiam regis Pharao derivatio nominis esse demonstrat; nam et tunc Pharao, inter cætera honorum et remunerationum, filiam quoque in matrimonium ei dederat. Sed quia et feras et homines colere susceperant, utramque faciem in unum Anubin contulerunt, in quo naturæ conditionisque suæ potius argumenta videri posset consecrasse gens rixosa, suis regibus recontrans (*b*), in extraneis dejecta, sane et gula et spurcitia..... etiam servi ipsa.

9. Hæc secundum tripertitam dispositionem .... divinitatis aut notiora aut insigniora digessimus, ut possit jam videri satis responsum de physico genere, de poetico, de gentibus. Et quoniam omnis superstitio (2), non jam philosophorum nec poetarum nec populorum, a quibus tradita est, sed dominantium Romanorum, quibus occupata est, auctoritatem sibi exstruxit, alia jam nobis ineunda est humani erroris latitudo, imo silva cædenda, quæ undique conceptis superstitionum seminibus vitii pueritiam (3) obumbravit. Sed et Romanorum deos Varro bifariam disposuit incertos et electos. Tantam vanitatem! Quid enim erat illis cum incertis, si certos habebant? nisi si Atticos stupores recipere voluerunt. Nam et Athenis ara est inscripta: Ignotis deis. Colit ergo quis quod ignorat? Tum si certos habebant, contenti esse debuerunt, nec electos desiderare. In quo etiam irreligiosi deprehenduntur. Si enim dei ut bulbi (*c*) seliguntur, qui non seliguntur, reprobi pronuntiantur. Nos vero bifariam Romanorum deos recognoscimus, communes et proprios, id est, quos cum omnibus habent, et quos ipsi sunt commenti. Et numquid hi sunt publici et adventitii dicti? Hoc enim eræ docent, adventitiorum ad fanum Carnæ, publicorum in palatio. Quare cum communes dei, quam physico, quam in mythico comprehendantur, actum est jam de istis speciebus. De propriis dicere....et. De Romanis stupeamus, tertium illud genus hostilium deorum .... eo quod nulla gens alia tantum sibi superstitionis invenerit .... duas species dirigimus, alios de hominibus assumptos, alios inde conceptos. Igitur quoniam idem illis color suppetit consecrationis mortuorum, tanquam ob merita vitæ, eamdem et nos responsionem opponamus necesse est, neminem ex his quoque tanti fuisse. Patrem diligentem Ænean crediderunt, militem nunquam gloriosum, lapide debilitatum; quod telum quantum vulgare, atque caninum, tanto ignobile vulnus! Sed et proditor patriæ Æneas (*d*) invenitur; tam Æneas, quam Antenor. Ac si hoc verum nolunt, Æneas certe patria flagrante dereliquit socios fœminæ Punicæ subjiciendus (*e*), quæ maritum Hasdrubalem Æneæ timiditate supplicantem hosti non

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Mirum hoc v. Le Prior. mutavit in* compressatus.
(2) *Rigalt.* substitutio.
(3) *Cod. ms.* vitiis pueritatem, *Rigalt.* vitii pueritatem.

COMMENTARIUS.

(a) *Quod sub manu ejus compressatus Ægyptiorum.* In ms. legitur, *Quod sub manu ejus compressatur Ægyptiorum.* In promptu fuit emendatio, *Compressatus.* Nihil enim deesse mihi videtur; aut si quid derasum fuerit in extrema linea post dictionem, *Ejus,* nihil aliud fuerit quam *Esse*, aut quid ejusmodi. Compressatum dicit Tertullianus, pro vexatione quæ oppressura erat Ægyptum, ut habet latina versio Genes. cap. 41. Sic in Scorp. cap. 3. *Manus erat super illos in mala, et compressati sunt valde.* Le Pr.

(b) *Regibus suis recontrans.* Recontrans dicit, quod ætati suæ proximi scriptores dixere, *contrarians.* Quod autem hic de Judæis Septimius, id omnino Lampridius de Gallicanis mentibus in Alexandro Severo. *Gallicanæ mentes, ut se habent, duræ ac retrogradæ, et sæpe Imperatoribus graves.* Rig.

(c) *Si enim Dei ut bulbi seliguntur.* Hoc Tertulliani dictum ab Augustino reprehenditur in principio libri VII. de Civit. Dei, ut facetius, quam verius. Video enim, inquit, etiam ex selectis eligi aliquos ad aliquid majus atque præstantius; quamobrem non ex hoc quod Dii ex multis quidam selecti sunt, vituperandi sunt; sed animadvertendum potius quinam isti sint et ad quam rem selecti videantur. Quæ reprehensio, si diligentius examinetur, subtilior fortasse judicabitur. Nam quod animadvertendum præcipit, quinam isti Dii sint, et ad quam rem selecti, fecit hoc sane luculenter Septimius, et Apologetico illo nobili, et hisce quidem ad Nationes libris. Sed hic merito ridet Varronianam Deorum selectionem, cum dici Deus non debeat, neque esse possit, nisi qui sit solus omnipotens, æternus, iminensus, indefessus. Huic vero comitem si dederis aut vicarium, plane rem feceris superfluam atque inutilem, verum et divinitati prorsus indecoram. Hoc primum argumento Septimius noster Deorum turbam profligat; mox et Varronem ex turba seligentem præcipuos, irreligiosum esse dicit; hoc enim non sine reliquorum injuria fecisse, quos esse quidem Deos censuerit, verum dignitate inferiores, aut potestate. Hos igitur non tantum inofficiosi, verum et læsæ divinitatis querela agere: adversus hominem de Diis judicare ausum, quasi Deus non sit, nisi cui homo propitius fuerit; quod sane est Deos habere tanquam fungos... pratensibus optima fungis Natura est, aliis male creditur, ait Horatius. Quid autem aliud velle cum Electis suis Varronem, nisi electis illis optimam esse numinis naturam; aliis male credi? Quod vero attinet ad exempla quæ reprehensioni suæ confirmandæ affert Augustinus, videndum an conveniant divinitati, sive Deo, cui proprium est unicum esse solum. Itaque ex militibus quidem eliguntur qui fiant centuriones; ex fidelibus, qui fiant præpositi: ex lapidibus, qui fiant angulares, nec propterea tamen reliqui dicuntur reprobari, quia nempe horum omnium disciplina est, ut ordine ac potestate distinguantur. At Deum esse, non recipit τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον. Rig.

(d) *Sed et proditor patriæ Æneas.* Æneas ille qui pius Virgilio, hic proditor dicitur, statimque ratio subjicitur, quia ardentem patriam deseruit, et Didonem Sichæi regis viduam. Cætera quæ in sequentibus habentur, multis tracta sunt in Apolog. cap. 25 et 50. Le Pr.

(e) *Fœminæ Punicæ subjiciendus.* Infra fœminam punicam censendus. Rig.

Digitized by Google

non comitata, raptis secum filiis, formam et patrem sibi habere non in fugam sapit, sed in ignes ardentis Carthaginis ut in amplexus patriæ pereuntis incubuit. Pius Æneas ob unicum puerum et decrepitum senem, Priamo et Astyanacte destitutis. Atquin Romanis magis detestandus, qui pro salute principum et domus eorum adversus liberos et conjuges et omne pignus suum dejerant. Consecrat filium Veneris, et hoc Vulcanus sciens patitur et Juno concedit. Si veredi (*a*) parentum in cœlo sedent, cur non potius Argivi juvenes dei habiti, quod matrem, ne in sacris piaculum committeret, plus quam humano more jugales provexerunt? cur non magis dea, quæ magis pia, illa filia patris in carcere fame defecti uberibus suis educatrix? Quid aliud Æneæ gloriosum, nisi quod prælio laurentino nusquam comparuit? Rursus forsitan solito more quasi desertor e prælio fugerit. Romulus æque post mortem deus, si quia urbem condidit deus, usque in fœminas, urbium auctores. Sane Romulus et fratrem interfecit et alienas virgines dolo rapuit. Ideo Quirinus est, quia tunc parentibus quiritatum est per illum. Quid Sterculus (*b*) meruit ad divinitatem? Si agros stercoribus Juvando diligens fuit, plus fimi Augias conferebat. Si Faunus Pici filius in jus (*c*) agitabatur mente ictus, curari eum magis quam consecrari decebat. Si Fauni filia pudicitia præcellebat, ut ne conversaretur quidem inter viros, aut barbaria aut conscientia deformitatis aut rubore insaniæ paternæ, quanto dignior bona dea Penelopa, quæ inter utilissimos amatores diversata, obsessam castitatem tenere protexit? Est et sanctus, propter hospitalitatem a rege Plotio fanum consecutus: potuit et Ulixes de humanissimo Alcinoo unum amplius deum vobis contulisse.

10. Ad fœdiora festino. Non puduit auctores vestros de Larentina (1) palam facere (*d*). Scortum hæc meritorium fuit, sive dum Romuli nutrix, et ideo lupa, quia scortum; sive dum Herculis amica est, et jam mortui Herculis, id est, jam dei. Nam ferunt, ædituum ejus solum forte in æde calculis ludentem ut sibi collusorem, quem non habebat, repræsentaret, una manu Herculis nomine, alia ex sua persona lusum inisse, si ipse vicisset, cœnulam et scortulum ex stipitibus Herculis sumeret; si vero Hercules, id est manus altera, eadem Herculi exhiberet. Vicit manus Herculis (quoque potuit duodecim titulis ejus adscribi). A Æditus cœnam Herculi dependit, scortum Larentinam conducit: cœnat ignis, qui Sol, et ipsius Herculis co.....nia ara consumpsit. Larentina in æde sola dormit.....de lenonio ludo jactitat se somniis Herculi functam, et potuit, dum animo contemplatur, somnio pati. Eam de æde progredientem mane primo quidam adolescens, tertius quod aiunt Hercules concupiscit, ad se.....s..... id dictum sibi ab Hercule, utique..... ceantur. Non enim impune licui..... dem quoque scribit; mox illa prop ..... per Herculem fuerat insecuta, agrum..... divinitatem et filiabus suis, quas ut ipsas h..... dium a Larentiniana Romanorum numina digni..... sola de tot uxoribus Herculi cara, sola enim dives..... or Cerere quæ B mortuo placuit. Tot exemplis et vo..... quis non deus affirmari potuit? Quis denique Antinoo controversiam divinitatis agitavit, quod decorior Ganymedes (*e*) aut carior suo amatori....(2)? Apud vos mortuis cœlum, viam ab inferis ab astra subigitur. Pass.....ta ascendunt. Ne multum putetis vos præstare regibus vestris.

Non contenti eos deos asseverare, qui visi retro, auditi contrectatique sunt, quorum effigies descriptæ, negotia digesta, memoria propagata, umbras nescio quas incorporales, inanimales, et nomina de rebus efflagitant deosque sanciunt, dividentes omnem statum hominis singulis potestatibus ab ipso quidem uteri conceptu, ut si deus Consevius quidam, qui C consationibus concubitalibus præsit, et Fluviona, quæ infantem in utero ..... hinc Vitumnus, et Sentinus, per quem viviscat infans et sentiat.....: dehinc Diespiter, qui puerum perducat ad partum. Cum prin..... et Candelifera, quoniam ad candelæ lumina pariebant, et quæ..... .....us dictæ.. Perverse natos .....to Prosæ carmentis esse provin..... et ab effatu Farmus, et aliis a lo ..... nem ad cavendum summinist rat ..... rix et Albana, et una Rucinia. Mirum ..... non esse provisos. Exinde et primi cibi sum ..... Potina et Eluda, et statuendi infantis sta.....do, Abeona, et Domiducam, et habent Edeam.....æ et malam. Item voluntatis, Volumnum, Voletam..... Paventinam, Pavoris, Spei, Venilliam; voluptatis, Volupiam.....ntiæ, Præstitiam; æque ab actu, Peragenorem: a consiliis Consum; juventam, novorum to- D

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Rigalt.* Laurentia; *cf. Apol.* 13.

(2) *Gothofredus has lacunas sic explevit*: amatori fuerit? — subigitis. Passim alii ita ascendunt. *Haverc. ad Apol.* 13. amatori? Patet apud vos — subigitis. Passim ita catamiti ascendunt.

COMMENTARIUS.

(a) *Si veredi parentum.* In Agob. lib. legitur, *si bisepte parentum.* Forte an scripserit Septimius, *viceportæ parentum.* Hoc est, qui parentes a quibus portati sunt, vicissim portant senio graves; quod fecisse dicitur Æneas. Rig.

(b) *Sterculus.* Vetus scriptura, *Stercolus.* Rig.

(c) *In jus agitabatur.* Contra jus fasque. Rig.

(d) *Non puduit auctores vestros de Laurentina.* Eadem hæc erat propudiosa mulier cum Flora illa a qua floralia dicta sunt. Variant hic Critici: legunt alii *Laurentina*, seu *Laurentia*; alii vero *Larentia*; alii etiam distinguunt inter Floram et Larentiam, Minutii felicis testimonio fulti qui ait: *Sane et Acca Larentia, et Flora meretrices propudiosæ, inter morbos Romanorum et Deos computandæ.* Le Pr.

(e) *Quod decorior Ganymedes.* Id inter veterum deliramenta commune est de suo Jove, unde Ovid. lib. X. Metamorph.:

Rex superum Phrygii quoniam Ganymedis amore
Arsit, et inventum est aliquid, quod Jupiter esse,
Quam quod erat, mallet.

Digitized by Google

gatorum; virorum jam, fortuna barbata.....nuptiis disseram. Afferenda est ab afferendis dotibus ordinata .....dor, et Mutunus et Tutunus (*a*), et dea pertunda, et Subigus, et Prema..... parcite, dei impudentes, luctantibus sponsis nemo intervenit... quorum votum est foris gaudentes erubescunt (1).

12. Et quonam usque deos ... quia disserendum, quales deos receperitis, quantum vobis erus.... Rideam vanitatem, an exprobrem cæcitatem, est admodum incertum.. Nam quot deos, et quos utique producam? majores, an et minores (*b*)? veteres, an et novitios? mares, an et fœminas? cælibes, an et le, ...? artifices, an et inertes? rusticos, an et urbanos? cives, an et peregrinos. Tot enim familiæ, tot nationes sensus bona fide quærunt, ut dispici et distingui describique non possint, ut quanto diffusa res est, tanto substringenda nobis erit. Et ideo, quis in ista specie unum tuemur propositum demonstrandi, illos omnes homines fuisse : non quidem ut cognoscatis, nam quasi oblita agitis, compendio ab ipsa despiciendi ratione summam originem generis illorum retractando. Origo enim totius posteritatis. Ea origo deorum vestrorum Saturno, ut opinor, signatur. Neque enim si Varro antiquissimos deos Jovem, Junonem et Minervam refert, nobis excidisse debet, omnem patrem filiis antiquiorem, tam Saturnum Jove, quam Cœlum Saturno; de Cœlo enim et Terra Saturnus. Et tamen Cœli et Terræ originem omitto. Erant inde cælibes diu et orbi, antequam mariti et parentes. Longo scilicet ævo crescendum illis fuit ad tantam proceritatem. Denique simul cœpit et Cœlo vox insolescere et ubera terræ lapilliscere, faciunt nuptias inter se. Credo, aut Cœlum descendit ad sponsam, aut Terra ascendit ad sponsum! Concepit tamen Terra de Cœlo et peperit illa Athos, Athos Saturnum mira ratione. Utri parentum similis? Sed et peperit, certe ante Saturnum neminem procreaverunt, nisi unam postea Opem, exinde de subole cessatum est. Nam Saturnus quidem Cœlum castravit dormientem. Legimus Cœlum genere masculino; cæterum quomodo pater, nisi masculinus? Sed et unde castrandum? falx illi : hoc s..l... Nondum enim Vulcanus artifex ferri. Terra vero orbata distulit, etsi adhuc juvenili ætate, alii nubere. Sed nec habebat Cœlum..... tamen nisi illam Mare amplectitur, sed olet salsuginem ....aquis assueta. Ita Saturnus unicus masculus Cœli atque Terræ. Sed ipse pubescens sorori suæ jungitur. Nondum leges, quæ incesta prohiberent, nec quæ parricidium plecterent. Itaque filios virili sexu devorabat; melius ipse, quam lupi, si exoneret; timebat scilicet, ne quis illorum de paterna falce didicisset. Nato mox et abalienato Jove, saxum infantis ementiti deglutivit. Hoc ingenio diu securus, tandem filio, quem nondum digesserat, in tenebris adulto oppressus regnoque privatus est. Hunc vobis patriarcham deorum, Cœlum et Terra, poetis obstetricantibus, procreaverunt. Sed eleganter quidam sibi videntur physiologice per allegoricam argumentationem de Saturno interpretari, tempus esse, et ideo Cœlum et Terram parentes, ut et ipsos origini nullos, et ideo falcatum, quia tempore omnia dirimantur, et ideo voratorem suorum, quod omnia ex se edita in se ipsum consumat. Nominis quoque testimonium compellant : Cronium dictum græce, ut Chronon; æque latini vocabuli a sationibus rationem .....ut, qui eum procreatorem conjectantur, per eum seminalia cœli in terram deferri. Opem adjungunt, quod opem videndi semina conferant, et quod opere semina evadant. Quæ oro, hujus translationem ..... ponas. Aut Saturnus fuit, aut tempus. Quomodo Saturnus ..... quomodo tempus? Utrumque enim non potes, corporale in eo..... mare. Quid autem prohibuit tempus coli in sua qualitate? ..... hominis, aut fabulam hominis, aut famulam hominis in sua specie, non in tempo.... Quid sibi vult intellectio ista, nisi fœdas materias mentitis argumentationibus colorare? Saturnum neque ideo qui.. d.... tempus, aut dum eum tempus facis, jam nec hominem vis fuisse. Pla....s omnino Saturnus in terris humanæ qualitatis apud veteres memorias recensetur. Potest incorporaliter fingi quodvis, quod non fuerit omnino; vacat fingendi locus, ubi veritas est. Cum autem Saturnum constat vixisse, frustra demutatis; non conceditur vobis, quem non negabitis fuisse hominem, qui neque deus neque tempus defendi potest. Exstat apud litteras vestras usquequaque Saturni census, legimus apud Cassium Severum, apud Cornelios Nepotem et Tacitum, apud Græcos quoque Diodorum, quive alii antiquitatem canos collegerunt. Nec fideliora vestigia..... quam in ipsa Italia signata sunt. Nam post plurimas tetras et Attica hospitia Italiæ, vel, ut tunc vocabatur, Œnotriæ, consedit, exceptus ab Jano sive Jane, ut Salii (2) vocant. Mons, quem coluerat, Saturnius dictus; urbs, quam depalaverat, Saturnia usque nunc est; tota denique Italia (*c*) de Saturno vocabatur :

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Haverc. suppl.* Humano pudori parcite — intervenit, ipsi quorum, etc.

(2) *Rigalt ed.* ut si alii vocant. *Cf. Apol.* 10. ut Salii volunt.

COMMENTARIUS.

Quæ hic ut et alia multa non abs re objicit scriptor noster. Le Pr.

(a) *Mutunus et Tutunus.* Conficta de Meo et Tuo inter Venereos amplexus vocabula. Rig.

(b) *Majores an et minores?* Majores et minores Deos fuisse nemo ambigit. Deus item magnos duodecim fuisse perspicuum : hic nescio an iidem sint ac ii de quibus lib. de spectaculis cap. 8. *Ante has tres aræ trinis diis patent, Magnis, potentibus, valentibus; eosdem et Samothracas existimant.* A Samothracibus derivatam olim religionem præter profanos existimat Nazianzenus Theologus contra Julianum imp. aitque θρησκεύειν παρὰ τῶν θρηκῶν deduci; forte ad id conducet quod habet Varro de L. L. lib. 4. Le Pr.

(c) *Tota denique Italia.* Italiam dictam fuisse Saturniam ex Ennio patet:

. . . . . Saturnius illi
Nomen erat, de quo late Saturnia terra.

Et Ovidio lib. Fast. 1 :

Digitized by Google

tali teste terram, quæ nunc dominatur orbi etiamsi de origine Saturni dubitatur, de actu tamen constat hominem illum fuisse. Ita si homo Saturnus, procul dubio de [homine], imo quia homo, non utique de cœlo atque terra. Sed cujus parentes ignoti, quibusdam facile fuit illum eorum filium dici, quorum possunt omnes videri. (1) Quis enim non cœlum ac terram patrem ac matrem venerationis gratia appellet? An de consuetudine humana, qua ignoti quique ex inopinato apparentes de cœlo advenisse dicuntur? Proinde.... semper eg.... repentino (2), ubique inolevit cœlitem dici. Nam et vulgo generis incertos terræ filios jactitamus (*a*). Nihil allego de statu antiquitatis, qua... rudes (3) tunc agebantur et oculi et mentes hominum, ut cujuslibet novi viri aspectu quasi divino commoverentur, nedum et regis, et quidem primi. Adhuc de Saturno immorabor, quod et cæteris compendium præstruam, satiata primordiorum disputatione; nec prætermittam potiora testimonia divinarum litterarum, quibus fides pro antiquitate superior debetur. Ante enim Sibylla, quam omnis litteratura, exstitit. Illa scilicet Sibylla (*b*), veri vera vates (*c*) et cujus vocabula dæmoniorum vatibus induistis. Ea senario versu in hunc sensum de Saturni prosapia et rebus ejus exponit: decima, inquit, genitura hominum, ex quo cataclysmum prioribus accidit, regnavit Saturnus et Titan et Jamfetus, Terræ et Cœli fortissimi filii. Si qua ergo, vel vestris.... oribus litteris vestris superioribus, sed idcirco magis proximis.... in illius ætatis, fides adjacet.

13. Satis de Saturno et Prosapia ejus.... um est, homines fuisse. Tenemus compendium, in cæteros originis præscriptionem, ne per singulos evagemur. Qualitas posteritatis a principibus generis ostenditur, mortalia de mortalibus, terrena de terrenis, gradus ad gradus comparantur, nuptiæ, conceptus natales cucurrerunt patriæ sedes, regna monumenta l.... qui natos non possunt negare, mortuos credant, qui mortuos confitentur, deos non putent. Sed enim manifestis vis sua adsistit; quos a primordio non..... divinitatem, affirmando illos post mortem deos factos, ut Varro, et qui cum eo somniaverunt. Hic igitur consisto..... alle..... in hoc nomen et numen, ut in ordinem senatorium, ... vestra ..... cedatis jam necesse est, aliquem summum dominatorem ..... allegendi potestatem, et quasi Cæsarem; neque quisquam aliis præstare potest, qui non ipse dominetur. Cæterum si potuerunt deos sese facere post mortem, a.... deterioris conditionis ab initio esse voluerunt; aut si nemo est, qui deos fecerit, quomodo facti dicentur, qui non nisi ab alio fieri potuissent? Ita nullus datur vobis renuendi locus, esse mancipem quemdam divinitatis. Perspicianus itaque caussas allegandæ mortalitatis in cœlum. Harum duplicem rationem credo proferetis: aut enim illu ..... quis idem præstans facit, ut habeat vel amminicula vel munimenta vel etiam ornamenta fastigii sui; aut meritorum necessitas .....s dignis quibusque. Aliud quid suspicari non datur. Nemo ..... giendo alicui, aut non sua aut illius caussa facit. Sed neque ..... petere numini inest tanta et potestas, ut scilicet ..... faciat, si tanta humanitas irrogetur, qui egeat opera vel adjumento quorumdam, et quidem mortuorum, quo mirum magis, cum alios sibi immortales instituere potuisset. Nec diutius de..... tus conquiret, qui humana divinis comparavit. Sa..... rior opinio est, discuti debet, si deus reminis..... buta si pristinis viris..... recogitandum. Quod exinde nemo dig..... si capere jam locus non potest. Tantis videlicet ..... a meruerit antiquitas. Ergo an meruerit, re ..... meruisse, proponat ipsius merita. Si quid in cunabulis ..... litatis, valent ad suffragium divinitatis, incestorum ..... Opem et Saturnum fratres recepistis. Furtivus infans.....: ter dignus et tecto et ubere humano, meritoque incre ..... tam mala manebant. Adultus denique qualemcumque genitorem, ... licissimum, regem aurei scilicet seculi, sub quo laboris inopiæ ..... ac pax quiescebat sub quo nulli subigebant arva coloni, ... tellus nullo poscente ferebat. Sed oderat patrem incestum ejus .... castratorem ..... Ecce autem et ipse cum sorore miscetur, ut huic primum dictum putem: τοῦ πατρὸς τὸ παιδίον. Tam pius pater, quam pius filius .....m tunc legibus ageretur, in duos culleos dividi Jovem decuit ..... dubitaret, libidine ab incesto corroborata, in leviora, id est, ... et stupra diffundere? de quo poetica sic lusitavit. Quomodo ..... de fugitivo palam factum solemus et operam ejus percon ..... abusui nundinare (4)? modo in pretia luxuriæ eum figurando .... bovem aut pretium bovis pensaverit, et imbrem pergulis .... aditum pecunia ruperit? modo in similitudines actuum ip..... im, qui rapuit, cycnum, qui cantaverat. Adeo non fabulæ istæ sunt de fa..... sit an non lasciv ..... na hominum, quos ..... emissa jam pridem a fide per incr ..... non est nobis extensius agendum. Si enim et re.....pibus et prose-

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Ita h. l. restit. ex Apolog.* 10.

(2) *Haverc. ex Apol.* 10. *emend.* Proinde Saturno semper egeno et repentine ubique, etc.

(3) *Leg.* qua ita rudes — hominum, ut (*alii*: et) etc.

(4) *Hav. ad Apolog. c.* 2. Quomodo, quando de fugitivo palam factum, solemus et operam ejus percontando abusui nundinare?

COMMENTARIUS.

Inde diu genti mansit Saturnia nomen.

Urbem autem dictam fuisse Saturniam Virgilius testatur Æneid. VIII. a Saturno conditam. *Hanc Saturnus condidit urbem.* Le Pr.

(a) *Terræ filios jactitamus.* Quorum scilicet aut origo ignota est aut incerta, ii Terræ et Filii et γηγενεῖς dicuntur. Le Pr.

(b) *Illa scilicet Sibylla.* Veram et veridicam fuisse illam Sibyllam ait post multos Juvenalis et cum eo infiniti.

Credit me vobis folium recitare sibyllæ. Le Pr.

(c) *Veri vera vates.* Arrianus Epict. III. de Apolline. Ὅσσα μάντις εἶναι καὶ πηγὴ τῆς ἀληθείας. Rig.

Digitized by Google

minatoribus suis morata plebs eadem q..... natura, alibi auctoritas exigebat similitudinem morum ..... quanto deterior, qui non melior? privato enim titulo Jovem optimum..... tis, et est Virgilii æquus Jupiter optimus. Proinde incesti in suos, impudici in extraneos, impii, injusti, cui nullam insignem infamiam fabula reliquit..... deus fieri non fuit dignus.

14. Sed quoniam alios seorsum volunt in divinitatem ab hominibus receptos, et distingui inter nativos et factos secundum Dionysium Stoicum, de ista quoque specie adjiciam. De ipso quidem Hercule..... ma responsionis, an dignus cœlo et divinitate, sic enim pro va.... meritis addicunt divinitatem? Si ob virtutem, quod feras constan...rit, quid tam memorabile? nonne ludo puniti, vel etiam ad... arenariæ vilitatis plurimas in unum, et quidem studiosiores .... ciunt. Si ob peragratum orbem, quantis ad locupletibus dulcis .... tas, aut philosophis famulatoria mendicitas idem præstitit? Non meminerunt, Asclepiadem Cynicum unica vaccula, cujus et dorso vehebatur, et si quando ubere alebatur, orbem totum oculis subegisse? Si..... etiam ad inferos adiit, quis hoc nesciat, viam ad inferos omni .....as plurimas.....s ille Pompeius ..... qui nec hostias al.....n unum agnulum Byrsæ Cartha.....re. Quo magis Scipio, quam Herculis, ob....ti deputatur? Adjicite potius tituli Hercula.....rum, uxorum, et fœtas Omfales, et ob decori pueri amissio ... desertam militiam Argonautarum. Adjicite ad gloriam post turpi....am, etiam furias ejus; auctorate sagittas, quæ filios et uxorem.... erunt; qui tunc dignius rogo sese irrogasset præ dolore parti..... Qui uxoris ob lasciviam venenis circumventus magis metu ... honesta morte moreretur. Hunc vos de pyra in cœlum subie ....a facilitate, qua et alium ignis et divini confectum, qui pauca e... ingenia commentus, dicebatur mortuos ad vitam recurasse ... filius, tam homo, quam Jovis nepos, Saturni pronepos .... spurius ut incerto patre, ut Argivus Socrates detulit ..... repertum, turpius Jove educatum, canino scilicet ubere ..... nemo negare potest; fulmine haustus est. Malus Jupiter,...sus est (1), impius in nepotem, invidus in artificem. Sed enim pin.. .....um ejus non occultavit, cupiditatem et avaritiam lucri...atam, qua quidem ille vivos ad mortem, non mortu .... prævaricatione venalis medicinæ agebat. Dicitur etiam mater ejus eodem casu obisse; merito...sam m... bestiam ediderat iisdem quasi scalis ad cœlum erupisse. Et tamen Athenienses scient ejusmodi deis sacrificare. Nam Æsculapio et matri inter mortuos parentant, quasi non et ipsi Thesea suum adorent: Mer.... deum, qui nisi conservatricem suam in litore peregrino deliquit, eadem oblivione, imo amentia, quæ patri caussa mortis fuit.

15. Longum foret recensere etiam de illis quos in sidera sepelistis, et audaciter dei... tratis. Sic opinor digni de cœlo Castores et Perseus et Erigona, quemadmodum et Jovis expletus. Sed quid mirandum? etiam canes et scorpios cancros in cœlum transtulistis. Differo de his quos in oraculis.... et testimonium hic divini, qui et tristitiæ deos arbitros esse vultis.... dius, qui animam corpore viduet, quem intra muros cludi non permittendo damnastis. Item Cæculus, qui oculos sensu exani.... Orbana, quæ in orbitatem semina exstinguat, et ipsius Mortis.... Ut cætera transvolem, etiam locorum urbis, vel loca, deos ar.... patrem, et diva Arquis et Lana et montium Septemontium (a).... illi faciunt, qui in iisdem locis aras vel ædes habent, præterea.... in alieno loco aut mercedibus habitant. Taceo Ascensum.... et Levicolam (2) a clivis; taceo deos Forculum a foribus, et Cardeam a cardinibus, et liminum Limentinum, sive qui alii inter vicinos ap.... num Janitorum adorantur. Quid enim magnum? cum et habeant in lupanaribus, in culinis, et in imo carcere; in i.... itaque propr.... aliisque Romanorum deis, quibus totius vitæ officia distribuuntur, taliter, ut cæteris deis opus non sit. Imo cum privatim apud Romanos deputentur, quos supra signavimus, nec facile foris cogniti, quomodo ea omnia illos præesse voluerunt in omni genere humano, et in omni gente proveniunt; ubi prædes eorum, non modo honore, sed ipsa quoque notitia carent. Sed enim quidam fructus et necessaria victui demonstraverunt?

16. Quæso vos, cum dicitis invenisse illos, non confitemini prius fuisse quæ invenirentur. Cur ergo non auctorem potius honoratis, cujus hæc dona sunt, sed auctorem transfertis in repertores?... quam invenisset, utique auctori gratias egit, utique illum deum sensit;.... ministerium institutoris; a quo et ipse institutus est qui invenit.... sum quod invenirentur. Ficum viridem Romæ nemo noverat.... um Cato senatui intulit; ut quo jam provincia hostilis esset; cui sub.... semper instabat exprimeret. Cerasum Cn. Pompeius de Ponto (3)..... Italiæ provulgavit. Potuerunt mihi novorum apud Romanos pomorum.... ruisse præconium divinitatis. Tam vanum hoc, quam etiam.... commenta deos haberi; quibus si comparentur nostræ ætatis.... o dignius posteris, quam prioribus consecratio competisset.... on in omnibus jam artificiis antiquitas exolevit, usu quotidiano instruente novitatem; atque adeo quos ob artes sanctifi... in ipsis artibus et provocatis in æmulis insuperatos.

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Rigalt. emend.* Malus Jupiter, si fulmem ipsius est.
(2) *Rigalt. emend.* Clivicolam.
(3) *Leg.* de Ponto primus Italiæ etc. cf. Apol. 11. 2.

COMMENTARIUS.

(a) *Et montium Septemontium.* Lib. de Idololatria cap. 10. idem habet. *Etiam strenæ captandæ, et Septemontium, et brumæ*, etc. Celebritas autem erat quæ lam ut nos alibi annotavimus Romanis usitata dicta a septem montibus, quæ in mensem Decembrem incidebat, atque in honorem urbis conditæ hoc die strenæ captari solebant. Le Pr.

Digitized by Google

17. Denique.... toribus suis non negatis omnibus his quos deus antiquitas voluit, posteritas c.... superstitionum.... l.., præsumptio, cui.... bemus; propterea scilicet Romanos totius orbis domi.... se, quod officiis religionum meruerint domina.... cis prævaleant. Nimirum Sterculus.... hoc imperium.... seu Romanorum distin.... tem extraneo potius.... tores et destitutores in.... ti, sepultique sunt. Ita nempe.... oblitus antrum illud Idæum.... dissimum odorem. Nonne omni Capitolio..... ut illa potius terra regnaret,... posthabita Samo dilecta, et utique Æneadarum ignibus adoleri....

Hic illius arma,
Hic currus fuit, hoc regnum dea gentibus esse,

Si qua fata sinant, jam tunc tenditque fovetque (a). Misera adversus fata non valuit. Nec tamen tantum honoris Romani satis decreverint, ut dedentibus Carthaginem sibi, quantum Larentinæ. Si dei isti conferendi in pote.... uit enim Jupiter Cretæ et Saturnus Italiæ et Isis Ægypto.... regnaverunt, quibus etiam operati plerique traduntur. Itaque.... mines facit, et dedititius Admeti cives romanos imper.... lem cultorem suum Crœsum ambiguis sortibus fallendo.... timebat deum verum constanter prænuntiare regno exc.... potestate regnandi quoque velut in urbes suas tueri..... potuissent. Si Romanis præstitisse valuerunt, cur Athenas a Xerxe Minerva non defendit? vel cur Delfos de manu Pyrrhi Apollo non eruit? Servarint urbem Romam, qui sua perdiderunt! Si hoc religiositas Romana meruit; atqui, non post summum imperium auctis jam rebus superstitio quæsita est? etsi a Numa sacra introducta sunt, nondum tamen aut simulacris, aut templis res vestras divina frustrabant. 28 Frugi religio et paupertina superstitio, altaria temeraria, vasa sordida, et nidor.... ex illis, et deus ipse nusquam.... religiosi, quam majores, quia religiosi. Atquin quomodo..... religionem, et deorum profundissimam curam imperium Romanis.... videri possit, quod læsis potius dei sanctum est? Nisi fallor enim omne regnum vel imperium bellis quæritur et bellis ampliatur. Porro..... ib. et dei urbis. nam eadem strages et mœnium et templorum, pares cædes et civium et sacerdotum, cædem rapinæ profanorum et sacrorum. Tot sacrilegia Romanorum, quot trophæa; tot de deis quot de gentibus triumphi. Manent et simulacra captiva, et utique senti..... os non amant. Sed quia nihil sentiunt, impune læduntur..... læduntur, frustra adorantur. Itaque quorum fastigium..... adultum est, non possunt videri religionis meritis, excrevisse..... nis sive lædendo creverunt. Regnum universæ nationes temporibus habuerunt, ut Assyrii, ut Medi, ut Persæ, ut Ægyptii..... aut penes quosdam, et tamen qui amiserunt, non sine religionibus et cultu, et de propitiorum deorum mora..... cessit universa pene dominatio. Sors temporum ita volutat..... Quærite quis temporum vices ordinavit. Idem regna dispensat, et nunc penes Romanos eam summam, tanquam pecuniam de multis nominibus exactam in unam arcam congregavit (a). Quid de ea statuerit, sciunt proximi ei.

(a) Virg. *Æneid.*, I, 20 *et seqq.*

QUINTI SEPTIMI FLORENTIS TERTULLIANI

DE TESTIMONIO ANIMÆ

LIBER ADVERSUS GENTES(a).

ARGUMENTUM. — *Post uberrimam Scriptorum segetem, qui religionis Christianæ caussam egerant, in arenam descenderat Tertullianus, ut patet ex Apologetico et libris duobus contra Nationes; cum tamen caussam illam nihil juvisse videretur, hunc de Testimonio animæ libellum exorsus est, ut novo pugnandi genere christiani nominis hostes adoriretur, conceptamque perverse ex eorumdem animis opinionem evelleret, et rem Christianam in tuto collocaret. Hujusce operis veluti fundamenta jecerat Apologetici, cap. 17, verum hic ea latius prosequitur, quæ obiter tantum perstrinxerat: Deumque præsertim unum hic, et animæ statum post mortem demonstrat.*

CAP. I. Magna curiositate (b) et majore longe me-

COMMENTARIUS.

(a) Tractatus de Testimonio animæ cum *Apologetico* et libris *adversus gentes* conjunctus est. In hoc enim religionis argumentum, quod in Apologetico, cap. 17 protulerat, animam scilicet naturaliter agnoscere, et quasi invitam, unum duntaxat deum esse, et alteram vitam ista præterita, extendit latiusque prosequitur. Hoc autem ex sensu naturæ ipsi insito demonstrat, et ita penitus ei insculpto, ut nulla re deleri queat; adeo ut ipsi imprudenti excidat: ut cum incogitanter jactatur, *Deus velit, Quod Deo placitum erit, Adsit mihi Deus*, etc., quæ supponunt animam Dei notitia imbutam esse, ut mortis timor naturæ insitus, nomen immortalitati commendandi desiderium, misericordia in defunctos, supponunt aliam ab ista vitam esse. Cum autem hi sensus animæ, et singulis hominibus natura sint insiti, a Deo eos manare necesse est. En quod in eo brevi tractatu lepide admodum Tertullianus amplificat. LUMP.

(b) *Magna curiositate.* Vox usitata in ævo medio: Vopiscus in Aureliano. *Frivola hæc fortassis cuipiam,*

Digitized by Google

moria opus est ad (*a*) studendum (1), si quis velit ex litteris receptissimis quibusque (2) philosophorum vel poetarum vel quorumlibet doctrina sapientiæ (3) sæcularis magistrorum testimonia excerpere christianæ veritatis ; ut æmuli persecutoresque ejus de suo proprio instrumento, et erroris in se, et iniquitatis in nos rei revincantur. Nonnulli (*b*) quidem (4), quibus de pristina litteratura et curiositatis labor et memoriæ tenor perseveravit, ad eum modum (5) opuscula penes nos condiderunt, commemorantes et contestificantes in suggillationem et originem et traditionem et sententiarum argumenta (*c*) (6), per quæ recognosci possit (7), nihil nos aut novum aut portentosum suscepisse, de quo non etiam communes et publicæ litteræ ad suffragium nobis patrocinentur, si quid aut erroris ejecimus, aut æquitatis admisimus. Sed ne suis quidem magistris, alias probatissimis atque lectissimis, fidem inclinavit humana de incredulitate duritia, sicubi in argumenta christianæ defensionis impingunt ; tunc vani poetæ, cum deos humanis passionibus et fabulis designant (8) : tunc philosophi duri, cum veritatis fores pulsant (*d*). Hactenus sapiens et prudens habebitur, qui prope christianum pronuntiarit, cum si quid prudentiæ aut sapientiæ affectaverit, seu ceremonias despuens, seu sæculum revincens, pro christiano denotetur (*e*). Jam igitur nihil nobis erit cum litteris et doctrina perversæ felicitatis, cui in falso potius creditur (9), quam in vero. Viderint si qui de unico et solo deo pronuntiaverunt. Imo nihil omnino relatum fit, quod agnoscat christianus, A ne exprobrare possit. Nam et quod relatum est (10), neque omnes sciunt ; neque qui sciunt, constare confidunt. Tanto (11) abest ut nostris litteris annuant homines, ad quas nemo venit nisi jam christianus. Novum testimonium advoco, imo omni litteratura notius, omni doctrina agitatius, omni editione vulgatius, toto homine majus, id est totum quod est hominis. Consiste in medio, anima (*f*), seu divina et æterna res es secundum plures philosophos, eo magis non mentiens (12). Seu minime divina, quoniam quidem mortalis, ut Epicuro soli videtur, eo magis (*g*) mentiri non debebis (13), seu de cœlo exciperis, seu de terra conciperis, seu numeris, seu atomis concinnaris, seu cum corpore incœperis (14), seu post corpus induceris, unde unde (15) et quoquo modo B hominem facis animal rationale, sensus et scientiæ capacissimum. Sed non eam te advoco, quæ scholis formata, bibliothecis exercitata, academiis (16) et porticibus Attici partam (17) sapientiam ructas (18). Te simplicem et rudem et impolitam et idioticam compello, qualem (19) habent qui te solam habent, illam ipsam de compito, de trivio, de textrino totam. Imperitia tua mihi opus est, quoniam aliquantulæ peritiæ tuæ nemo credit. Ea expostulo, quæ tecum in hominem (20) infers, quæ aut ex temetipsa, aut ex quocumque auctore tuo sentire didicisti. Non es, quod sciam, christiana, fieri enim, non nasci solet (21) christiana (*h*). Tamen nunc a te testimonium flagitant christiani, ab extranea adversus tuos, ut vel

LECTIONES VARIANTES.

(1) Adstudendum *Rigalt.*
(2) Ex litteris receptissimi cujusque *Jun. et P. Ciacon.*
(3) Doctrinæ ac sapientiæ *Rigalt.*
(4) Rei evincantur : Ac nonnulli quidem *Jun.*
(5) Ad gentes *Rigalt.*
(6) In sugillationem et originum et traditionum, et sententiarum, argumenta *Jun. et Latin.* in singula rationem et o. *Rigalt.*
(7) Re cognosci *Le Prior.*
(8) Absignant *Jun.*
(9) Cum in falso ejus creditur *Vet. Cod. Rigalt.*
(10) Relatum sit *Jun. Rigalt.*
C
(11) Tantum *Jun.*
(12) Mentieris *Latin. et Ciaconius.*
(13) Debens *Wouw. Rigalt.*
(14) Inciperis *Jun.* incipis *Rig.*
(15) Inde *Rig.*
(16) Academicis *Paris.*
(17) Pasta *Rig.*
(18) Eructas *Wouw.*
(19) Te *add. Rig.*
(20) Tecum homini *Rig.*
(21) Soles *Wouw. Rig.*

COMMENTARIUS.

et nimis levia esse videantur, sed curiositas nihil recusat. Casaubonus inquit in notis ad Vopisc. periergiam (quæ vox idem est cum curiositate) factam pedissequam philologiæ ab Mart. Capella, et alia quæpiam affert de Aristæa scriptore antiquissimo. Lac.

(a) *Opus est adstudendum.* Opus quod adstuderi debeat magna curiositate, et majore memoria. Rig.

(b) *Nonnulli quidem.* Alludit ad eos, qui ante se adversus gentes scripserunt, Græcos præsertim (nam secundus ab Apollonio Latinorum scriptorum a D. Hieron. in catalogo recensetur), Quadratum dico, Aristidem, Justinum philosophum, Anaxagoram, Melitonem, Theophilum Antiochenum, Apollinarium, Tatianum, Irenæum, Clementem Alexandr. et Miltiadem : quorum quædam ad verbum pene suo Apologetico insparsit, ad quem tacito nomine etiam hic videtur alludere. Pam.

(c) *Et sententiarum argumenta.* Legendum videtur, et argumenta sententiarum, et postea disjungendæ voces *quæ recognosci*, scribendumque *re cognosci*, *disjunctim.* Le Pr.

(d) *Veritatis fores pulsant.* Hanc locutionem vidi etiam in epistola illa magni illius Clementis Papæ ad Jacobum fratrem Domini, ubi loquens de iis qui nondum sunt Christiani, ait illos esse foris. Lac.

(e) *Denotetur.* Hoc verbum, hic et sæpe alias in malam partem sumitur. Hieronymus de suspecto contubernio. *Vos cunctorum digiti denotabunt*, id est, infamabunt. Lac. D

(f) *Consiste in medio, anima.* Prosopopœia ad animam, a qua testimonium adversus gentes deposcit, in qua persistit, usque ad finem cap. 4. Varias autem de quibus hic paucis, Epicuri aliorumque philosophorum de anima opiniones latissime recenset infra lib. de anima. Hoc unum id dicam, nondum cum hæc scriberet, fuisse Auctorem in errore de anima traduce aut corporea. Pam.

(g) *Eo magis mentiri non debens.* In exemplaribus legitur, *Non debebis.* Animam compellat : Si divina, inquit, et æterna res es, eo magis non mentiris, cum sit turpe et indignum Deo mendacium. Si minime divina res es, eo magis mentiri non debes, ut testimonium dicas in gratiam Dei, ad quem minime pertines. Rig.

(h) *Non nasci soles Christiana.* Anima scilicet per fidem regeneratur, sicuti corpora a parentibus ge-

Digitized by Google

tibi erubescant, quod nos ob ea oderint et irrideant, quæ te nunc consciam detineant.

Cap. II. Non placemus, Dominum (*a*) prædicantes hoc nomine unico unicum, a quo omnia, et sub quo universa. Dic testimonium si ita scis. Nam te quoque palam et tota libertate, qua (1) non licet nobis, domi ac foris audimus ita pronuntiare, Quod Deus dederit, et, Si Deus voluerit, ea voce et aliquem esse significas, et omnem illi confiteris potestatem, ad cujus spectas voluntatem, simul et cæteros negas deos esse, dum suis vocabulis nuncupas, Saturnum, Jovem, Martem, Mineryam. Nam (2) solum Deum confirmas, quem tantum Deum nominas, ut et cum illos interdum deos appellas, de alieno et quasi pro mutuo usa videaris. De natura quoque Dei quem (3) prædicamus, nec te latet : Deus bonus est (4), Deus benefacit, tua vox est. Plane ea dicis, sed homo malus scilicet (5), contraria propositione oblique et figuraliter exprobrans, ideo malum hominem, quia a Deo bono abscesserit. Etiam quod penes Deum bonitatis et benignitatis omnis benedictio inter nos summum sit disciplinæ et conversationis sacramentum, Benedicat te Deus, tam facile pronuntias, quam (6) christiano necesse est. At cum (7) in maledictum (*b*) convertis benedictionem Dei, perinde dicto omnem super nos potestatem ejus consistere secundum nos confiteris. Sunt, qui etsi Deum non (8) negent, dispectorem plane et arbitrum, et judicem non putent : in quo utique nos maxime rejiciunt, qui ad istam disciplinam metu prædicati judicii transvolamus; sic Deum honorantes (9), dum curis observationis, et molestiis animadversionis absolvunt, cui ne iram quidem (*c*) adscribunt. Nam si Deus (inquiunt) irascitur, corruptibilis et passionalis est. Porro quod patitur, quodque corrumpitur, etiam interitum potest capere, quem Deus non capit. At iidem alibi animam divinam et a Deo conlatam confitentes, cadunt in testimonium ipsius animæ, retorquendum adversus opinionem superiorem. Si enim anima aut divina aut a Deo data est, sine dubio datorem suum novit. Et si novit, utique et timet, ut tantum postremo auctorem (*d*). An non timet, quem magis propitium velit, quam iratum? Unde igitur naturalis timor animæ in Deum, si Deus non (10) novit irasci? Quomodo timetur, qui nescit offendi? Quid timetur, nisi ira (*e*)? unde ira, nisi ex animadversione? Unde animadversio, nisi de (11) Dei judicio? Unde judicium, nisi de potestate? Cujus potestas summa, nisi Dei solius? Hinc ergo tibi anima de conscientia suppetit domi ac foris, nullo irridente vel prohibente prædicare, *Deus videt omnia*, et *Deo commendo*, et *Deus reddet*, et *Deus inter nos judicabit*. Unde hoc tibi non Christianæ? Atque (12) id plerumque et vitta Cereris redimita (*f*), et pallio Saturni coccinata et deæ (13) Isidis linteata (14) (*g*)? In ipsis denique templis Deum judicem imploras, sub Esculapio stans, Junonem in aere exorans (15), Minervæ (16) calceans (17) furvis galeam (18) formis (19), et neminem de præsentibus deis contestaris; in tuo foro aliunde judicem appellas, in tuis templis alium deum pateris. O testimonium veritatis, quæ apud ipsa dæmonia testem (20) efficit christianorum.

Cap. III. Enimvero cur (21) dæmonia affirmamus esse? sane quasi non et probemus, qui ea soli de corporibus exigimus (*h*). Aliqui Chrysippi adsen-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quia *Rig.*
(2) Nam *abest Rig.*
(3) Quam *Rig.*
(4) Bonus *Rig.*
(5) Plane addicis : sed homo malus; scilicet *Rig.*
(6) Christiane, *alii.*
(7) Quum in maledictum convertis benedictionem Dei *Jun. Rig.* in *abest Lat. Veneta; Rhen. Pam. et Sem. legg.* cum id maledictum convertis in benedictionem Dei.
(8) Negant *Rig.*
(9) Inhonorantes *Jun.*
(10) Vult *Rigalt.*
(11) Dei *abest Rigalt.*
(12) Adeo *Jun. Rigalt.*
(13) Et deæ *abest Rigalt.*
(14) Lino tecta *Jun.*
(15) Ære exaurans *Rigalt.*
(16) Minervam *Paris.*
(17) Calcias *Paris.*
(18) Furnis *Paris.* farris *Rigalt.*
(19) Minervæ furvis galeam formis calceans *Jun.*
(20) Te testem efficit *Jun.*
(21) Cum *Rigalt.*

COMMENTARIUS.

nerantur, ut habet Catech. 4, Cyrillus Hierosol. Tertullianus ipse dixit in Apolog. c. 18 : *Fiunt, non nascuntur Christiani*, quæ verba excripsit B. Hieronymus, habenturque epist. ad Lætam. Mitto hic quosdam legere *solet*, non, *soles*. Le Pr.

(a) *Non placemus Deum.* Rigaltius *Deum* legit cum Pamelio, cum tamen Lacerda *Dominum* habeat, suamque lectionem ex codicibus probet, et locis bene multis quibus utitur. Le Pr.

(b) *At cum in maledictum.* Pamelius habet perperam, *at cum id maledictum convertis in benedictionem Dei*, perperam inquam : nam nunquam præcessit maledictum, ut notat Latinus, cujus est lectio quam sequor. Lac.

(c) *Cui ne iram quidem.* Fortassis hoc ad errorem Tertulliani vergit, quo Deum corporeum alicubi facit, et proinde passionibus obnoxium, nisi iram Dei improprie accipiamus, sicuti alii Patres pro vindicta Dei. Pam.

(d) *Et tantum postremo auctorem.* A quo scilicet tot beneficiis adaucta et cumulata est.

(e) *Quid timetur nisa ira?* Iram, inquam, ait timendam, quæ ejus est naturæ, ut naturam invertat. Ideo enim illam Nicetas David in Vita Ignatii episcop. Constantinop. παράφυσιν vocat, quasi *contra naturam*, et ἔκστασιν, quæ naturam depravat. Lac.

(f) *Vita Cereris redimita.* Frustra adducunt coronam Cereris spiceam, cum Tertullianus vittatam dicat. Moris enim fuit vittas capiti apponere, auctore Plinio lib. XVIII. c. 5. Lac.

(g) *Et Isidis linteata.* Pallio scilicet : ut Saturni coccineum fuerit Isidis lineum. Etenim fuit et pallium muliebre. In exemplari legitur : *Et Deæ Isidis lintiata.* Adjectum Deæ vocabulum putavimus ab iis, qui nomen Isidis quasi minus notum declaratione aliqua indigere crediderunt. Nam cur Isis Dea potius dicatur quam Ceres, Juno, Minerva? quæ hic suis simpliciter nominibus appellantur. Rig. — *Isidis linteata.* Quæ Dea Romanis Ceres dicitur, ea Isis est apud Ægyptios. Le Pr.

(h) *Qui ea soli de corporibus exigimus.* Sic lib. de Anima, pag. 304 : *Christiana potestas vim istam per-*

Digitized by Google

tator (a) illudit ea (1), et esse, et abominationem sustinere, execrationes tuæ respondent. Dæmonium vocas, hominem aut immunditiæ, aut malitia, aut insolentia, aut quacunque macula, quam nos dæmoniis deputamus, aut (2) ad necessitatem odii (3) opportunam. Satanam (b) denique in omni (4) aversatione et aspernatione et detestatione pronuntias, quem nos dicimus malitiæ angelum, totius erroris artificem, totius sæculi interpolatorem, per quem homo a primordio circumventus, ut præceptum Dei excederet, et propterea in mortem datus, exinde totum genus de suo semine infectum, suæ etiam damnationis traducem fecit. Sentis igitur perditorem tuum. Et licet soli illum noverint christiani, vel quæcunque (5) apud Dominum secta, et tu tamen eum nosti, dum odisti.

CAP. IV. Jam nunc quod ad necessariorem sententiam tuam spectet, quantum (6) et ad ipsum statum tuum tendit, affirmamus, te manere post vitæ dispunctionem, et exspectare diem judicii, proque meritis (c) aut cruciatui destinari, aut refrigerio, utroque sempiterno. Quibus sustinendis necessario tibi substantiam pristinam, ejusdemque hominis materiam, et memoriam reversuram, quod et nihil mali ac boni sentire possis, sine carnis passionalis facultate, et nulla ratio sit judicii sine ipsius exhibitione, qui meruit judicii passionem. Ea opinio Christiana etsi honestior multo pythagorica, quæ te non in bestias transfert; etsi plenior platonica, quæ tibi etiam dotem corporis reddit; etsi epicurea gratior (7), quæ te ab interitu defendit: tamen propter (8) suum nomen soli vanitati et stupori, et ut dicitur, præsumptioni deputatur (d). Sed non erubescimus, si tecum erit nostra præsumptio. Primo enim cum alicujus defuncti recordaris, misellum vocas eum: (9) non utique (10) quod de bono vitæ ereptum, sed ut pœnæ et judicio jam adscriptum. Cæterum alias securos vocas defunctos. Profiteris et vitæ incommodum, et mortis beneficium. Vocas porro securos, si quando extra portam (e) cum obsoniis et (11) matteis (f) tibi potius parentans ad busta recedis (g), aut a bustis dilutior redis. At ego sobriam tuam sententiam exigo: misellos vocas mortuos, cum de tuo loqueris, cum ab eis longe es. Nam in convivio (12) eorum quasi præsentibus et conrecumpentibus sortem suam exprobrare non possis, debes adulari propter quos (13) lætius vivis. Misellum ergo vocas, qui nihil sentit? quid quod ut sentienti maledicis, (14) cujus memoriam cum alicujus offensæ morsu facis. Terram gravem (h) imprecaris, et cineri penes inferos tormentum. Æque ex bona parte, cui gratiam debes, ossibus et cineribus ejus refrigerium comprecaris, et ut bene requiescat apud inferos cupis. Si nihil passionis est tibi post mortem, si nulla sensus perseverantia, si denique nihil es ipsa ubi corpus reliquisti: cur mentiris in te, quasi aliquid ultra pati possis? Imo cur in totum times mortem, si nihil est (15) tibi timendum post mortem, qua nec experiundum post mortem (i)? Nam etsi dicere (16) potes, ideo

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ea *abest Rigalt.*
(2) Et *Wouver.*
(3) Importunum *Rigalt.* odiis opportunum *Jun.*
(4) Vexatione *Paris.*
(5) Vel quæcumque capit *Latin.* sapit *Ciaconius.*
(6) In quantum *Jun.*
(7) Gravior. *Rig.*
(8) Suum *abest Latin. Rigalt.* solum *Latin. Rigalt.*
(9) Non uti de bono vitæ dereptum *Lat.*
(10) Quod *abest Jun.* uti de bono *Rig.*
(11) Et mattyis *Jun.*
(12) Eorum *abest Rig.* quum *addit Lat.*
(13) Lautius *Ciacon.*
(14) Si *add. Jun.*
(15) *Malim*, si nihil es? tibi timendum p. mortem?
(16) Dici potest *Rig.*

COMMENTARIUS.

nictosissimam sola traducit. Et tamen hoc etiam Judæos præstitisse adfirmat Irenæus lib. XI. cap. 5. etiam postquam in eorum olea ex oleastro insiti sumus. RIG.

(a) *Aliqui Chrysippi assentator.* Est plane Tertullianicum, *aliqui* pro *aliquis*. Videtur autem Chrysippus philosophus, (de quo latius infra lib. de Anima) dæmonia illusisse, libro quantum apparet de Divinatione, quem citat Lactantius lib. I. PAM.

(b) *Satanam denique in omni aversatione pronuntias.* Ergo Satanæ vocabulum usurpatum Græcis aut Latinis nondum Christianis? etenim alloquitur animam non Christianam, minime vero: Sed Malum dixere, nota interjectione apud Comicos aversantium aliquid, aut aspernantium ac detestantium. Terentius Eunucho, *qui, malum, alii*? Plautus Epidico: *Quæ, malum, hæc, impudentia est.* At Christianis, Malus, absolute ponitur pro Satana. et hoc loco vicissim Tertullianus Satanam posuit pro Malo. RIG.

(c) *Proque meritis*, etc. Auctor libri de fide, pag. 43. habituri unusquisque nostrum specialem resurrectionem, pro merito fidei ac vitæ, sive ad refrigerium sive ad ustionem. Vide quæ ad illud Septimii: Modico quoque delicto mora resurrectionis expenso, pag. 338. RIG. — Locus pro operum meritis, quales alibi complures. En vero rursus vocem obsoletam, *passionalis* pro *passioni obnoxia*. PAM.

(d) *Præsumptioni deputatur.* Resurrectio hoc nomine enuntiabatur a gentilibus. Christiani enim gloriosi hoc titulo, præsumptuosi vocabantur. Ita Apuleius, lib. IX. Christianam fœminam lancinabat. *Tum spretis atque calcatis divinis numinibus, in vicem certæ Religionis, mentia sacrilega præsumptione Dei, quem prædicaret unicum, etc.* LAC.

(e) *Extra portam.* Cautum erat et prohibitum olim Romæ atque legibus 12 tabularum, ne quis intra urbem, sepeliretur aut ureretur. Unde Juvenal sat. 1:

Experiar quid concedatur in illos
Quorum flammia tegitur cinis atque Latina. LE PR.

(f) *Cum obsoniis et matteis.* Certum est hic Matteas esse convivia illa feralia, quæ in sepulcris fieri consueverant, legendum porro videtur *Mattyis*, Nam apud Athenæum Ματτύη πᾶν τὸ πολυτελὲς ἔδεσμα, id, est *Mattya opiparum quodlibet est ferculum.* LE PR.

(g) *Ad busta recedis.* Recedere eos dicit, qui extra urbem ad busta parentatum ibant. RIG.

(h) *Terram gravem imprecaris.* Plinius lib. XI. ubi de Terra: *Cujus numen ultimum jam nullis imprecemur irati grave; tanquam nescianus hanc esse solam quæ nunquam irascatur homini.* Jam nullis, id est mortuis. Cicero Tusculanarum 1. *De mortuis loquor, qui nulli sunt.* RIG. — Proverbialis hæc est formula, *sit tibi terra gravis*, ut et alicea sub hujus capitis finem, *abiit jam et reverti debet*, quæ etiamnum vulgo quoque Teutonico in ore est. PAM.

(i) *Qua nec experiundum post mortem?* Semper

Digitized by Google

mortem timeri, non ut (1) aliquid minantem, sed ut commodum vitæ amputantem : atquin cum et incommoda longe plura vitæ pariter (2) excedas, (3) et lucratione gravioris partis metum diluis, nec jam timenda est amissio bonorum, quæ altero bono, id est incommodorum pace, pensatur. Non est timendum (*a*), quod nos liberat ab omni timendo. Si times vita decedere, quia optimam nosti : certe mortem timere non debes, quam malam nescis. At cum times, scis malam. Non scires autem malam quia nec timeres, si non scires aliquid esse post mortem, quod eam malam faciat, ut timeas. Omittamus nunc naturalem formam timendi mortem. Nemo timeat, quod evadere non potest. Ex altera parte congredior, lætioris spei post mortem. Nam omnibus fere ingenita est famæ post mortem cupido. Longum est retexere (*b*) Curtios (*c*) et Regulos, vel Græcos viros, quorum innumera (4) elogia sunt contemptæ mortis propter posthumam famam. Quis non hodie memoriæ post mortem frequentandæ ita studet, ut vel litteraturæ operibus, vel simplici laude morum, vel ipsorum sepulcrorum ambitione, nomen suum servet (*d*)? Unde anima (5) hodie affectare aliquid, quod velit post mortem, et tantopere præparare, (6) quo sit usura post obitum : si nihil de postero sciret? Sed forsitan de sensu post excessum tui certiores, quam de resurrectione quandoque, cujus nos præsumptores denotamur. Atquin hoc quoque ab anima prædicatur. Nam si de aliquo jam pridem defuncto tanquam (7) vivo quis requirat, præ manu occurrit dicere : Abiit jam (*e*), et reverti debet.

CAP. V. Hæc testimonia animæ quanto vera, tanto simplicia ; quanto simplicia, tanto vulgaria ; quanto vulgaria, tanto communia : quanto communia, tanto naturalia : quanto naturalia, tanto divina. Non (8) putem cuiquam frivolum et frigidum videri posse, si recogitet naturæ majestatem, ex qua censetur auctoritas animæ. Quantum dederis magistræ, tantum adjudicabis discipulæ. Magistra natura, anima discipula. Quicquid aut illa edocuit, aut ista perdidicit : a Deo traditum est, magistro scilicet ipsius magistræ. Quid anima possit de principali institutore præsumere, in te est æstimare de ea quæ (9) in te est. Senti illam, quæ ut sentias efficit! recogita in præsagiis vatem, in ominibus augurem, in eventibus prospicem. Mirum si a Deo data homini, novit divinare. Tam mirum, si eum a quo data est, novit. Etiam circumventa ab adversario, meminit sui auctoris, et bonitatis, et decreti ejus, et exitus sui et (10) adversarii ipsius. Sic mirum, si a Deo data, eadem canit, quæ Deus suis dedit nosse. Sed qui ejusmodi (11) eruptiones animæ non putavit doctrinam esse naturæ et (12) congenitæ et ingenitæ conscientiæ (13) tacita commissa, dicet potius diventilatis in vulgus opinionibus, (14) publicatarum litterarum usum, jam et quasi vitium corroboratum taliter sermocinandi. Certe prior anima, quam littera (*f*) ; et prior sermo, quam liber, et prior sensus, quam stylus ; et prior homo ipse, quam philosophus et poeta. Numquid ergo credendum est, ante litteraturam et divulgationem ejus mutos absque hujusmodi pronuntiationibus homines vixisse? Nemo deum et bonitatem ejus, nemo mortem, nemo inferos loquebatur : mendicabat sermo, opinor, imo nec ullus esse poterat, cessantibus etiam tunc, sine quibus etiam hodie jam beatior, et locupletior, et prudentior esse non potest, si ea quæ tam facilia, tam assidua, tam proxima hodie sunt, in ipsis quodammodo labiis parta, retro non fuerunt, antequam litteræ in sæculo germinassent, antequam Mercurius (opinor) natus fuisset. Et unde ordo ipsis litteris contingit, (15) nosse,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ultre quid *Rig.*
(2) Excedant *Venela.*
(3) Ea lucratione *Jun.*
(4) Ellogia *Jun.*
(5) Animæ *Rig.*
(6) Quæ *al.*
(7) De *add. Rig.*
(8) Puto *Rig.*
(9) Est in te *Rig.*
(10) Et *abest Paris.*
(11) Eruptionis *Wouwer.*
(12) Et *abest Rig.*
(13) Tacite commissam *Wouwer.*
(14) Publicatum *Jun.*
(15) Contigit? Unde nosse *Jun.*

COMMENTARIUS.

hæc particula significat partem, aut locum, ut qua parte, quo loco. Ergo : cur times mortem, si nihil timendum post mortem, eo loco aut parte, qua nihil experiundum post mortem? LAC.

(a) *Non est timendum*, etc. S. Chrysostomus ad pop. hom. 21. nihil ex morte timendum docet quoniam ad meliorem vitam et optabiliorem, καὶ πάσης ἀπηλλάγμεθα ἀνωμαλίας tendimus. Sicque Seneca etiam epist. 102 : *Proinde intrepidus horam illam decretoriam prospice, non est animo suprema, sed corpori.* LE PR.

(b) *Longum est retexere.* Notior est Curtiorum et Reguli qui pro patria mortem oppetierunt, historia, quam ut pluribus sit opus. *Posthumam famam* postea metaphoricôn dixit, eam quæ post mortem perdurat. PAM.

(c) *Curtios.* Hic est ille qui se diis manibus dicavit pro salute patriæ : cum enim ingenti hiatu desedisset terra in medio foro, responsumque accepissent Romani non coituram labem, nisi aliquis ex nobilibus eo se dejecisset, Curtius vitam impendit patriæ. LAC.

(d) *Nomen suum servet.* Virgilius lib. VII. Æneidos de Cajeta Æneæ nutrice paria ferme habet.

Et nunc servat honos sedem tuus, ossaque nomen.
Hesperia in magna, si qua est ea gloria, signat. LE PR.

(e) *Abiit jam.* Veteres pro *mortuus est* dicebant, *vixit, abiit, abiit ad plures*, apud Festum etiam abitio pro morte sumitur. LE PR.

(f) *Certe prior anima quam littera.* Locus iste quandoquidem paulo post hanc animæ loquelam, Traditionem nuncupat, optime potest adaptari ad Traditionum ecclesiast. auctoritatem, quippe quæ libris omnibus et *stylo*, id est litteratura omni priores sunt. PAM. — *Prior anima quam littera.* Idem argumentum conficit Magnus Antonius teste Athanasio in ejus vita, contra philosophos quosdam. LAC.

Digitized by Google

et in usum loquelæ disseminare, quæ nulla unquam mens conceperat, aut lingua protulerat, aut auris exceperat? At enim quum divinæ Scripturæ, quæ penes nos vel Judæos sunt, in quorum (1) oleastro insiti sumus, multo sæcularibus litteris non modica tantum ætate aliqua antecedant, ut loco suo edocuimus ad fidem earum demonstrandam; etsi hæc eloquia de litteris usurpavit anima, utique de nostris credendum erit, non de vestris: quia potiora sunt ad instruendam animam priora, quam postera, quæ et ipsa a prioribus instrui sustinebant (*a*); cum, etsi de vestris instructam concedamus, ad originem tamen principalem traditio pertineat, nostrumque omnino sit, quodcunque de nostris sumpsisse et tradidisse contigit vobis. Quod cum ita sit, non multum refert, an a Deo formata sit animæ conscientia, an litteris Dei. Quid igitur vis, homo, de humanis sententiis litterarum tuarum exisse hæc in usus (*b*) communis callositatem?

CAPUT VI.

Crede itaque tuis, et de commentariis nostris tanto magis crede divinis, sed de animæ ipsius arbitrio perinde crede naturæ. Elige quam ex his fidelius (2) sororem observes veritatis (*c*). Si de tuis litteris dubitas, neque Deus, neque natura mentitur: ut et naturæ et Deo credas, crede animæ; ita fiet, ut ei tibi credas. Illa certe est, quam tanti facis, quantum (3) illa te facit: cujus es totus; quæ tibi omnia est; sine qua nec vivere potes nec mori; propter quam Deum negligis (*d*). Quum enim times fieri christianus, eam conveni: cur alium colens, Deum nominat? Cur, cum maledicendos spiritus denotat, dæmonia pronuntiat? Cur ad cœlum contestatur (*e*), et ad terram detestatur? Cur alibi servit, alibi vindicem convenit (*f*)? Cur de mortuis judicat? Cur verba habet Christianorum, quos ne (4) auditos visosque vult? Cur aut nobis dedit ea verba, aut accepit a nobis? Cur aut docuit, aut didicit? Suspectam habe (5) convenientiam prædicationis in tanta disconvenientia conversationis. Vanus es, si huic linguæ soli aut græcæ, quæ propinquæ inter se habentur (*g*), reputabis ejusmodi, ut neges naturæ universitatem. Non Latinis nec Argivis solis anima de cœlo cadit. Omnium gentium unus homo nomen est (6)., una anima, varia vox, unus spiritus, varius sonus; propria cuique genti loquela, sed loquelæ materia communis. Deus ubique (*h*), et bonitas Dei ubique; dæmonium ubique, et maledictio dæmonii ubique, judicii divini invocatio ubique, mors ubique, et conscientia mortis ubique et testimonium ubique. Omnis anima suo jure proclamat, quæ nobis ne (7) mutire conceditur. Merito igitur omnis anima rea et testis est, in tantum et rea erroris, in quantum (8) testis veritatis; et stabit ante aulas (*i*) Dei die judicii, (9) nihil habens dicere. Deum prædicabas, et non requirebas; dæmonia abominabaris, et illa adorabas, judicium Dei appellabas, nec esse credebas; inferna supplicia præsumebas, et non præcavebas; Christianum nomen sapiebas et Christianum persequebaris.

LECTIONES VARIANTES.

(1) In quorum olea ex oleastro insiti sumus, *Lat. Rigal.*
(2) Fidelibus *Rig.*
(3) Quanti *Jun.*
(4) Nec *Rig.*
(5) Habes *Jun. Rig.*
(6) Unus homo, varium nomen est *Jun. Rigalt.* Omnium gentium varium nomen est *Wouw.*
(7) Nec *Wouwer. Rig.*
(8) Et *add. Rig.*
(9) Nihil habens dicere. sed audiens dicere, Deum prædicabas, *Jun.*

COMMENTARIUS.

(a) *Instrui sustinebant.* Hoc est, exspectabant. Rig.

(b) *In usus communis callositatem.* Consuetudinem significat, quæ longo usu veluti callum obduxit.

(c) *Sororem observes veritatis.* Id est quæ propius ad veritatem accedat, τῆς ἀληθείας ἀδελφήν. Le Pr.

(d) *Propter quam Deum negligis.* Qui scilicet times fieri christianus, ne nobiscum pro nomine Christi animam, hoc est vitam, ponas. Rig.

(e) *Cur ad cœlum contestatur.* Notat Macrobius lib. 3. cap. 9. et Servius lib. 3. Æneid. Veteres pro qualitate numinum, interdum ima, interdum summa respexisse. Et *Contestari* testem palam ciere. Cicero in Verrem: *Deos hominesque contestatus.* Idem Cic. appellat *contestatum* (*de Divinat.*): *Quem enim non moveat clarissimis monumentis contestata consignataque auctoritas.* Est autem *detestor* execror, et abominor. Lac.

(f) *Cur alibi servit, alibi vindicem convenit?* Alludit ad id quod supra cap. 2 dixit, *in ipsis denique templis Deum judicem imploras*, præterquam quod hic non solum ut judicem, sed et ut vindicem invocari ab ipsis Deum innuit, id est ut redemptorem et assertorem, quemadmodum ad leges 12 tab. hunc locum citans latius interpretatur Reynardus noster cap. 8. et 9. Pam.

(g) *Quæ propinquæ inter se habentur.* Veteres enim græcas litteras easdem pene fuisse, quæ nunc latinæ sunt, indicio esse scribit Plinius. Pam.

(h) *Deus ubique*, etc. Ubique præsens est et omnia replet, Ὁ πανταχοῦ παρὼν καὶ πάντα πληρῶν, inquit S. Chrysostomus orat. 2. adversus Judæos. Le Pr.

(i) *Et stabit ante aulas Dei.* Rhenanus, et *stabilis.* Nihil mutandum. Illud, ante aulas Dei, est ante palatia Dei, nisi fortasse sermo ad oves pertineat, et legendum sit, *ante caulas Dei*; nihil tamen mutandum. Lac.

Digitized by Google

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI

AD MARTYRES

LIBER (a).

ARGUMENTUM. — *Quinta persecutione, jamjam imminente sub Severo opusculum istud scripsit Septimius, in quo martyres adhortatur ad constantiam in fide, et alacritatem in subeundo carceris squallore, judicumque decretis. Eos vero potissimum ad pacem invitat, quam qui non habebant in Ecclesia, a martyribus petebant.*

CAPUT PRIMUM.

Inter carnis alimenta, benedicti martyres (*b*) designati, quæ vobis et domina mater Ecclesia de uberibus suis, et singuli fratres de opibus (1) suis propriis in carcerem subministrant, capite aliquid et a nobis quod faciat ad spiritum quoque educandum. A Carnem enim saginari, et spiritum esurire non prodest. Imo, si quod infirmum est, curatur; æque, quod infirmius est (2), negligi non debet. Nec tantus ego sum, ut vos alloquar; verumtamen et gladiatores perfectissimos non tantum magistri et præpositi sui, sed etiam idiotæ et supervacui quique adhortantur de longinquo, ut sæpe de ipso populo dictata suggesta profuerint. In primis ergo, benedicti, nolite contristare Spiritum sanctum (*Eph.*, IV, 3), qui vobiscum introiit carcerem. Si enim non vobiscum nunc introisset, nec vos illic hodie fuissetis. Et ideo date operam, ut illic vobiscum perseveret: ita vos inde perducat ad Dominum. Domus quidem diaboli est et carcer, in qua familiam suam continet. Sed vos ideo in carcerem pervenistis,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Operibus *Rhen. Franeq. Paris.*
(2) *Aug. Neander emend.* firmius.
(*b*) *Alii*, supervacue.

COMMENTARIUS.

(a) Liber seu potius sermo ad *Confessores*, quos *Martyras* ex prisco loquendi more vocat, circa annum CXCVII. judice, Cl. Nœsselto, exaratus est, eo fere tempore abs *Tertulliano* adhuc ex asse catholico, quo *Severus* in eos inquisiverat, qui partes *Nigri* et *Albini* secuti fuerant, quemadmodum hæc ipsius Tertulliani verba innuunt (*Tertullian. lib. ad. Martyr. c.* 6): *Ad hoc quidem vel præsentia vobis tempora documenta sint, quantæ qualesque personæ inopinatos natalibus et dignitatibus, et corporibus, et ætatibus suis exitus referunt, hominis caussa: aut ab ipso si contra eum fecerint, aut ab adversariis ejus, si pro eo steterint.* Acris is liber est ad Martyres adhortatio, qua eos christianæ religionis caussa in vinculis detentos ad constantiam in fide, alacritatem in perferendo carceris squallore et impendentibus sibi suppliciis vehementer movet et animat, eos vero potissimum ad pacem invitat, quam qui non habebant ab Ecclesia, a martyribus expetebant.

Ab initio laudat pietatem fidelium, qui Martyribus in carcere constitutis alimenta corporalia ministrabant; dein ipsos Martyres hortatur, ne *Spiritum sanctum contristari vellent*, sed eum ita custodiant, ut pacem et concordiam invicem servent, *quam quidem in Ecclesia non habentes, a Martyribus in carcere exorare consueverunt.* Et *ideo eam etiam propterea in vobis habere et fovere et custodire debetis: ut si forte et aliis præstare possitis* (*Id. ibid. cap.* I) Ex Tertulliono vepbis viri docti colligunt, eumdem in communione Ecclesiæ catholicæ præsentem tractatum exarasse. Factus enim montanista hæc omnia ludibrio habuit, ut patet ex libro *de Pudicitia* cap. XXII. et lib. *de Jejunio* cap. XII). Ut vero *Tertullianus* Martyribus ad perferendos carceris squallores animos addat, proponit illis ipsum magis mundum carcerem esse, at illico utilitates ex eorum in carceribus detentione profluentes enumerat ita disserens: *Segregati estis ab ipso mundo, quanto magis a sæculo, rebusque ejus?.. Non vides alienos deos, non imaginibus eorum incurris, non solemnes nationum dies ipsa commixtione participas, non nidoribus spurcis verberaris, non clamoribus spectaculorum, atrocitate, vel furore, vel impudicitia celebrantium cæderis: non in loca libidinum publicarum oculi tui impingunt: vacas a scandalis, a tentationibus, a recordationibus malis, jam et a persecutione. Hoc præstat carcer Christiano, quod eremus Prophetis.... Auferamus carceris nomen, secessum vocemus: etsi corpus includitur, etsi caro detinetur, omnia spiritui patent. Vagare spiritu, spatiare spiritu, et non stadia opaca, aut porticus longas proponens tibi, sed illam viam, quæ ad Deum ducit: quotiens eam spiritu deambulaveris, totiens in carcere non eris. Nihil enim sentit in nervo, cum animus in cœlo est* (*Id., ibid., cap.* II). Postea Martyres ad patientiam et constantiam adhuc excitare conatur petita ratione ab obligatione in baptismo contracta militandi pro servitio Dei. *Sit nunc*, inquit, *carcer etiam christianis molestus: vocati sumus ad militiam Dei vivi jam tunc, cum in sacramenti verba respondimus: nemo miles ad bellum cum deliciis venit, nec de cubiculo ad aciem procedit.... etiam in pace, labore, et incommodis bellum pati jam ediscunt.... Sudore omnia constant, ne corpora atque animi expavescant, de umbra ad solem, de sole ad cœlum* (*Id., ibid., cap.* III). Tandem, ne tormentorum acerbitate vinci se sinant Confessores, exempla virorum et mulierum gentilium qui, ex solius vanæ gloriæ motivo, tormenta et mortem fortiter sustinuerunt, adducit (*Id., ibid., cap.* IV *et* V). Nihil sane hoc brevi sermone vehementius, aut movendis animis aptius judice, perdocto viro *Dupinio* (*Dupin. Biblioth. des auteurs, tom.* I). Hoc in argumento *Tertullianum* postea imitatus est beatus *Cyprianus* in suo de Exhortatione et laude Martyrii libro, et in suis ad Martyres et Confessores epistolis. Cæterum ad martyres in aliquo oppido ditionis Carthaginensis, aut etiam in Carthagine ipsa captivos perscripsisse hunc sermonem *Septimium*, censent fere omnes eruditi propter hæc illius verba: *Judicia denique non Proconsulis, sed Dei sustinet* (*Tertull. in Tractat. ad Martyr. cap.* II). Nam de Proconsule Africæ plurima fit mentio in *Notitia imperii.* LUMP.

(b) *Benedicti martyres.* Id est *laudandi*: hoc epithe-

Digitized by Google

ut illum etiam in domo sua conculcetis. Jam enim A foris congressi conculcaveratis. Non ergo dicat : In meo sunt, tentabo illos vilibus (1) scidiis (2) (*a*), affectionibus, aut inter se dissensionibus. Fugiat conspectum vestrum, et ima sua delitescat contractus et torpens, tanquam coluber excantatus aut effumigatus. Nec illi tam bene sit in suo regno, ut vos committat sed inveniat munitos, et concordia armatos : quia pax vestra bellum est illi. Quam pacem (*b*) quidam in Ecclesia non habentes, a martyribus in carcere exorare consueverunt. Et ideo eam etiam propterea in vobis habere et fovere et custodire debetis, ut si forte et aliis præstare possitis.

CAPUT II.

Cætera æque animi impedimenta usque ad limen carceris deduxerint vos, quousque et parentes vestri. Exinde segregati estis ab ipso mundo, quanto magis a sæculo, rebusque ejus ? Nec hoc vos consternet ; quod segregati estis a mundo (3). Si enim recogitemus ipsum magis mundum carcerem esse, exisse vos e carcere, quam in carcerem introisse, intelligemus. Majores tenebras habet mundus, quæ hominum præcordia excæcant. Graviores (4) catenas induit (5) mundus, quæ ipsas animas hominum constringunt. Pejores immunditias exspirat mundus, libidines hominum. Plures postremo mundus reos continet, scilicet universum hominum genus. Judicia denique (*c*) non proconsulis, sed Dei sustinet. Quo vos, benedicti, de carcere in custodiarium si forte translatos existimetis. Habet tenebras, sed lumen (6) estis ipsi : habet vincula, sed vos soluti Deo estis. Triste illic exspirat, sed vos odor estis suavitatis ; Judex exspectatur (7), sed vos estis de judicibus ipsis B judicaturi (*Sap.* III). Contristetur illic, qui fructum sæculi suspirat. Christianus etiam extra carcerem sæculo renuntiavit, in carcere autem etiam carceri.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Odiis *Frm.*, inediis *Rhen.*, *pro* vilibus *Jun. mavult* utilibus ; scidiis *reposuit Rigalt.*
(2) Defectionibus *Rhen.*
(3) A mundo *abest Rigalt.*
(4) Carcas *Rigalt.*
(5) Imbuit *Seml.*
(6) Lumen vos ipsi *Rigalt.*
(7) *Rhen. add.* de judicibus.

COMMENTARIUS.

to martyres ornat Tertullianus, ut paulo post *Imprimis ergo benedicti*, et infra *ad Martyres*. Quod Eleutherio pontifici Rom. et martyri jam defuncto superius etiam attribuit. Cyprianus fortissimos et beatissimos subinde vocare solet, quodam loco fortissimos et fideli-simos. RHEN.

(*a*) *In meo sunt, tentabo illos vilibus odiis.* Hanc esses C Vaticanorum scripturam Pamelius testatur. Sed martyrum inter ipsos odia et quidem vilia, fuisse nemo christianus consenserit. Tum, si odia fuisse inter martyras Tertullianus tradidit, profecto futilem et frivolam affectionum ac dissensionum exprobrationem adjecit. Nam quæ odia sine affectionibus ac dissensione ? Imo frigidissima fuerit Satanæ techna : *Martyres qui sunt in carceres compulsi in meo sunt, tentabo igitur eos vilibus odiis.* Quem non quotidie hujusmodi odiis tentat ? etiam non in suo ? etiam extra carcerem ? Itaque non video qua ratione defendi queat Vaticanorum scriptura. In editionibus ante Pamelium vulgatis legebatur, *Tentabo illos. vilibus inediis, defectionibus, aut inter se dissensionibus.* Sed nec sensus inde boni colligitur quidquam. Etenim quis sanus unquam dixerit, *viles inedias*? aut cur inedias hic ullas suspicabimur, inter carnis alimenta quæ his ipsis martyribus domina mater Ecclesia de uberibus suis in carcerem subministrabit? sic enim disertissime traditur istius scriptionis principio : quo satis etiam refellitur interpretatio Rhenani, vocabulum, *defectionibus*, ad rerum penuriam transferentis. Quare, nec illæ ante Pamelium editiones difficultatem solvunt. Digitum ad veri fontem intendit quisquis codicem Divionensem exaravit. Illic enim legitur, *Tentabo illos vilibuscidiis defectionibus, aut inter se dissensionibus.* Disjungamus quæ prave cohærent, et genuinam Auctoris scripturam habemus : *Tentabo illos vilibus scidiis.* Audierat Tertullianus esse quædam inter martyras non odia, sed defectionum ac dissensionum semina, quibusdam forte sic disputantibus, Scripturarum auctoritate non prohiberi, quominus vincula sua mortemque ipsam annumerata concussoribus pecunia deprecarentur. Itaque hortatur, id potissimum videant ne consilia Satanas adversus ipsos coquat volvendo secum ista : Homines ego tentavi quondam, cum in meo non erant : nempe cum erant in paradiso, tentavi autem præstantissimo divinæ cujusdam arboris fructu : istos hodie, qui in meo sunt, nempe in carcere, tentabo quoque, sed vilibus scidiis. Quasi diceret : Olim tentando homini, cum esset in paradiso, adhibenda fuit magni apparatus tentatio, appetentia scilicet fructus qui de hominibus faceret deos : nunc vero in meo positos, quippe in carcere ac tenebrarum regno, tentabo nugis et quisquiliis, puta momentaneæ cujusdam vexationis formidine, aut producendæ in aliquot annos vitæ in dies mortalis desiderio : denique committam ipsos et exagitabo dissensionibus. Hæc sunt parabilia et obviam atque ad manum Satanæ tela; quasi de vilibus scopis et scidiis arborum cremialibus. Scidiæ sive scidia, unde et discidia, sunt σχίδακες, κλάσματα ξύλων, vilia cæsarum arborum segmina. Vitruvius lib. II. cap. 1. *Intervalla scidiis et luto obstruunt.* RIG.

(*b*) *Quam pacem quidam, etc.* De pace seu reconciliatione cum cæteris christianis ac Deo primum hæc intelligenda. Mos quippe inoleverat, ut qui præ tyrannide in carceribus detinebantur libellos petentibus darent fidelibus in pœnitentia constitutis, quorum ope pacem Dei obtinebant et cum cæteris fratribus communicabant. Ad indulgentiarum vero auctoritatem plurimum ista conducunt, quarum forsan ni- D miam facilitatem arguebat olim Cyprianus. Atque superiori sæculo synodus Tridentina quæ adversus hæresin ex abusus indulgentiarum pretextu pullulantem coacta, hæresi et abusui occurrit : hæresi quidem, cum definit ab Ecclesia pendere, concedere indulgentias (nam B. Paulus Alexandro et Hymenæo olim concessit). Abusui vero, cum *in his concedendis moderationem, juxta veterem et probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit, etc.* sess. 25. Dec. de indulg. unde nos ad antiquos canones rejicit conciliorum veluti ad Ancyranum multis in can. Neocæsariense, Carthag. Agatense, etc. LE PR.

(*c*) *Judicia denique non proconsulis, sed Dei sustinet.* Sustinet, exspectat. RIG.—Nobis liceat dubitare de interpretatione virorum eruditorum, qui in hac palæstra nomen aliquod sibi quæsiverunt : putant nimirum ferme omnes, in aliquo oppido ditionis Carthag. aut etiam in Carthagine ipsa captivos fuisse, propter hanc vocem *Proconsulis*; nam, inquiunt, de proconsule Afri-

Digitized by Google

Nihil interest, ubi sitis in sæculo, qui extra sæculum estis; et si aliqua amisistis (1) vitæ gaudia, negotiatio est aliquid amittere, ut majora lucreris. Nihil adhuc dico de præmio, ad quod Deus martyres invitat. Ipsam interim conversationem sæculi et carceris comparemus, si non plus in carcere spiritus acquirit quam caro amittit, imo et quæ justa sunt caro non amittit per curam Ecclesiæ, agapen fratrum : et insuper quæ semper utilia fidei, spiritus adipiscitur. Non vides alienos deos, non imaginibus eorum incurris, non solemnes nationum dies ipsa commixtione participas, non nidoribus spurcis verberaris, non clamoribus spectaculorum, atrocitate, vel furore, vel impudicitia celebrantium cæderis : non in loca libidinum publicarum oculi tui impingunt : vacas a scandalis, a tentationibus, a recordationibus malis, jam et a persecutione. Hoc præstat carcer christiano, quod eremus prophetis (*Marc*, I). Ipse Dominus in secessu frequentius agebat, ut liberius oraret, ut sæculo cederet (*Luc*, IV). Gloriam denique suam discipulis in solitudine demonstravit (*Matth.*, XVII ; *Marc*, IX ; *Luc*, II ; I *Petri*, 1). Auferamus carceris nomen, secessum vocemus. Etsi corpus includitur, etsi caro detinetur, omnia spiritui patent. Vagare spiritu, spatiare spiritu, et non stadia opaca (*c*) aut porticus longas (2) præponens tibi, sed illam viam, quæ ad Deum ducit. Quotiens eam spiritu deambulaveris, totiens in carcere non eris. Nihil crus sentit in nervo (*d*) (3) cum animus in cœlo est. Totum hominem animus circumfert, et quo velit transfert (*Matth.*, VI) : *Ubi autem erit cor tuum, illic erit et thesaurus tuus*. Ibi ergo sit cor nostrum, ubi volumus habere thesaurum.

CAPUT III.

Sit (4) nunc, benedicti, carcer etiam christianis molestus? Vocati sumus ad militiam Dei vivi jam tunc, cum in sacramenti verba respondimus (5). Nemo miles ad bellum cum deliciis venit ; nec de cubiculo ad aciem procedit, sed de papilionibus (*a*) expeditis et substrictis, ubi omnis duritia et imbonitas et insuavitas constitit. Etiam in pace, labore et (6) incommodis bellum pati jam ediscunt, in armis deambulando, campum decurrendo, fossam moliendo, testudinem (7) densando (*e*). Sudore omnia constant, ne corpora atque animi expaveseant : de umbra ad solem, de sole ad cœlum (8) de tunica ad loricam, de silentio ad clamorem, de quiete ad tumultum. Proinde vos, benedicti, quodcumque hoc durum est, ad exercitationem virtutum animi et corporis deputate. Bonum agonem (9) subituri estis in quo agonothetes, Deus vivus est ; xystarches (*f*), Spiritus sanctus corona, æternitatis ; brabium, angelicæ substantiæ, politia in cœlis, gloria in sæcula sæculorum. Itaque Epistates (*g*) vester Christus Jesus, qui vos spiritu unxit, et ad hoc scamma produxit, voluit vos ante diem agonis ad duriorem tractationem a liberiore conditione seponere, ut vires corroborarentur in vobis. Nempe enim et athletæ segregantur ad strictiorem disciplinam, ut robori ædificando vacent : continentur a luxuria, a cibis lætioribus, a potu jucundiore. Coguntur, cruciantur, fatigantur : quanto plus in exercitationibus laboraverint, tanto plus de victoria sperant. Et illi, inquit Apostolus (I. *Cor.* 9), ut coronam corruptibilem consequantur ; nos æternam consecuturi. Carcerem nobis pro palæstra interpretemur, ut ad stadium tribunalis bene exercitati incommodis omnibus producamur : quia virtus duritia extruitur, mollitia vero destruitur.

CAPUT IV.

Scimus ex dominico præcepto, quod caro infirma

LECTIONES VARIANTES.

(1) Amisisti *Jun.*
(2) Proponens *Fran. Paris.*
(3) Quum manus *Seml.*
(4) Sic *Rig.*
(5) Respondemus *Seml.*
(6) Labor est *Rhen.*
(7) Desiccando *Rhen.* densitando *Lacerda*, desidendo, *vel* desudando *alii.*
(8) De sole ad gelu *Latin.* de sole ad gelum *Jun.*
(9) Finem *Rigalt.*
(10) Benedictæ — subituræ *Rhen.*

COMMENTARIUS.

cæ plurima fit mentio in *Notitia imperii*. Verum pro Cæsarum cupiditate mutatos fuisse magistratus nullus ignorat. Le Pr.

(a) *Stadia opaca*. Arboribus longa utrinque serie dispositis. Le Pr.

(b) *Nihil crus sentit in nervo*. Nervus hic ligni genus est multis foraminibus distinctum, quo tyranni utebantur, ut martyres cruciarent, cruraque disjuncta et luxata frangerentur ; genus illud supplicii græcis nonnullis est ξύλον, sed pluribus vetustiorum, est κᾶλον, quæ duo vocabula idem significant. Atque docuit me Scaliger ἐγκαλοσκελεῖς dictos fuisse reos apud Athenienses. Le Pr.

(c) *Sed de papilionib.* Rhenanum sequor qui tentoria involuta expediri ait, cum in castris extenduntur, et funiculis ad palos terræ fixos substringuntur, alliganturque, ne vento disturbante corruant. Le Pr.

(d) *Testudinem densando*. Sic habent libri veteres : alii vero perperam, *desudando*, aut *desidendo*. Livius lib. XLIV : Quadrato agmine facto, scutis super capita densatis, stantibus primis, secundis submissioribus, tertiis magis et quartis, postremis etiam genu nixis, fastigiatam, sicut tecta ædificiorum sunt, testudinem faciebant. Lucanus, III :

Ut tamen hostiles densa testudine muros
Tecta subit virtus. — Rig.

(e) *Testudinem densando*. Omnium optima mihi videtur hæc Rigaltii lectio, *densando*, id enim intelligendum censeo de testitudine scutorum, quæ densatis scutis fiebat. Junius habet *desudando ;* forte ipsius sensum, non contemnendum. Rhenanus *desiccando*, alii *desidendo*, alii *desudando*, Lacerda *densitando* rescripsit. Le Pr.

(f) *Xystarches spiritus sanctus*. Eleganter xystarchen vocat spiritum sanctum. Nam hujus auxilio constantiam martyres debent. Proinde supra dixit de Spiritu sancto : Si enim non vobiscum nunc introisset, nec vos hodie illic fuissetis. Significat autem Xystarches Xysti præsidem. Rhen.

(g) *Itaque epistates vester Christus*. Epistatem hic accipit pro magistro qui athletis præest, nam utitur hac metaphora Tertullianus. Apud Athenienses qui decem viris diurno imperio præerat, ἐπιστατης appellatur Demostheni ; alioqui in acie ἐπιστάς et παραστὰς substites et astites dicuntur apud Ælianum, quemadmodum elegantissime vertit Thessalonicensis Gaza. Rhen.

Digitized by Google

sit, spiritus promptus. Non ergo nobis blandiamur, quia Dominus consensit carnem infirmam esse. Propterea enim prædixit spiritum promptum (1), ut ostenderet, quid cui debeat esse subjectum, scilicet, ut caro serviat spiritui, infirmior fortiori, ut ab eo etiam ipsam (2) fortitudinem assumat. Colloquatur spiritus cum carne de communi salute, nec jam de incommodis carceris, sed ipso agone et prælio cogitans. Timebit forsitan caro gladium gravem, et crucem excelsam, et rabiem bestiarum, et summam ignium pœnam, et omne carnificis ingenium in tormentis. Sed spiritus contra ponat sibi et carni, acerba licet ista, a multis tamen æquo animo excepta, imo et ultro appetita, famæ et gloriæ caussa; nec a viris tantum, sed etiam a fœminis, ut vos quoque, benedictæ, sexui vestro respondeatis. Longum est, si enumerem singulos, qui se gladio confecerint, animo suo ducti (*a*). De fœminis ad manum est Lucretia, quæ vim stupri passa, cultrum sibi adegit in conspectu propinquorum, ut gloriam castitati suæ pareret (*b*), Mutius (*c*), manum suam dexteram in ara cremavit, ut hoc factum ejus fama haberet. Minus fecerunt philosophi : Heraclitus (*d*), qui se bubulo stercore oblitum exussit; item Empedocles, qui in ignes Ætnæi montis dissilivit; et Peregrinus, qui non olim se rogo immisit : cum fœminæ quoque contempserint ignes : Dido (3), ne post virum dilectissimum nubere cogeretur; item quum Asdrubalis uxor, quæ jam ardente Carthagine maritum suum supplicem Scipionis videret, cum filiis suis in incendium patriæ devolavit. Regulus, dux Romanorum, captus a Carthaginiensibus, cum se unum pro multis captivis Carthaginiensibus compensari nojuisset, maluit hostibus reddi et in arcæ genus stipatus undique extrinsecus clavis transfixus, tot cruces sensit. Bestias fœmina libens appetiit, et utique aspides, serpentes tauro vel urso horridiores, quas Cleopatra immisit sibi, ne in manus inimici perveniret. Sed mortis metus non tantus est, quantus tormentorum (5). Itaque, cessit carnifici (6) meretrix atheniensis? quæ conscia conjurationis, cum propterea torqueretur a tyranno, et non prodidit conjuratos, et novissime linguam suam comestam in faciem tyranni exspuit, ut nihil agere se scirent tormenta, etsi ultra perseverarent. Nam quod (7) hodie apud Lacedæmonas solemnitas maxima est, διαμαστιγωσις (*e*), id est, flagellatio, non latet. In quo sacro, ante aram nobiles quique adolescentes, flagellis affliguntur, astantibus parentibus et propinquis, et uti perseverent adhortantibus. Ornamentum enim et gloria deputabitur majore quidem titulo, si anima potius cesserit plagis, quam corpus. Igitur, si tantum terrenæ gloriæ licet de corporis et animi vigore, ut gladium, ignem, crucem bestias, tormenta contemnant, sub præmio laudis humanæ, possum dicere, modicæ sunt istæ passiones ad consecutionem gloriæ cœlestis et divinæ mercedis. Si tanti vitrum (*f*)? quanti (8) margaritum? Quis ergo non libentissime tantum pro vero habeat erogare, quantum alii pro falso?

CAPUT V.

Omitto nunc gloriæ causam. Eadem omnia sævitiæ et eruciatus certamina, jam apud homines affectatio (*g*) quoque et morbus quidam animi conculcavit. Quot otiosos affectatio armorum ad gladium (9) locat? Certe ad feras ipsas affectione descendunt et de morsibus et de cicatricibus formosiores sibi videntur. Jam et ad ignes quidam se autoraverunt, ut certum spatium in tunica ardente (*h*) conficerent. Alii inter venatorum taureas scapulis patientissimis inambulaverunt. Hæc, benedicti, non sine caussa Dominus in seculum admisit; sed ad nos et nunc (10) exhortandos, et in illo die confundendos, si reformidaverimus pati pro veritate in salutem, quæ alii affectaverunt pro vanitate in perditionem.

CAPUT VI.

Sed hæc exempla constantiæ omittamus de affectatione venientis. Convertamur ad ipsam conditionis humanæ contemplationem, ut et illa nos instruant, si qua constanter adeunda sint, quæ et invitis

LECTIONES VARIANTES.

(1) Esse *addit Franeq.*
(2) Ipsa *Fran. Paris. Rig.*
(3) Cum *Rhen.*
(4) Quum *abest Pam.*
(5) Quantus tormenti. Non itaque cessit carnifici, etc. *Jun.* itaque nec cessit *Latin.*
(6) Carnificis *Semi.*
(7) Quæ *Fran.*
(8) Tanti vitreum? quanti verum margaritum *Rhen.*
(9) *Fortasse* vocat *Jun.*
(10) Tunc *alii.*

COMMENTARIUS.

(a) *Animo suo ducti.* Præclare : nam martyr verus non debet sequi ductum suum, sed Dei : non se interficere, sed tunc cadere cum Deus voluerit. Lac.

(b) *Ut gloriam castitati suæ pareret.* Non fuit pudicitiæ caritas, sed pudoris infirmitas. Augustinus lib. de Civ. Dei. Rig.

(c) *Mutius dexteram suam.* Proculdubio sentit Tertullianus Mutium ex eo vulnere crematæ dexteræ animam amisisse, quod in nemine scriptorum vidi. Ponit enim in Catalogo eorum, qui se voluntaria morte confecerint. Lac.

(d) *Heraclitus.* Is, uti annotavit Rhen., laborabat morbo aquæ intercutis, et cum obscuris sermonibus assuetus homo, quærendum e medicis jussisset, num ex imbre siccitatem facere possent; et ab illis ludi se putantibus fuisset neglectus, tandem ipse sibi subvenire volens, bubulis excrementis oblini corpus suum inflatum fecit. Est apud Laertium. Pam.

(e) Διαμαστιγωσις, *Id est flagellatio.* Hujus meminit et in Apolog. sub finem. Rhen.

(f) *Tanti vitrum, quanti margaritum?* Forma adagii. Hieronym. ad Lætam : *si tanti vitrum, quare non majoris pretii sit margaritum?* Et ad Demetriadem, adhuc ad Salvinam. Sumitur ad explicandam ingentem rerum inæqualitatem et distantiam. Nam quis comparat vitrum cum margarito, nisi amens? Lac.

(g) *Apud homines affectatio.* Quæ ab Ethnicis paulo religiosius fieri videbantur, ea affectationi tanquam morbo cuidam, tribuebantur, ita ut fictum judicetur, et tantum ad ostentationem, non vera virtus. Lac.

(h) *In tunica ardente.* Tunica illa erat pice et bitumine illita, qua induebantur olim sancti martyres antequam in ignem projicerentur. Tunica dicitur molesta Martiali, epigr. 25. lib. 10 et Juvenali Sat. 8.

. . . Quod liceat tunica punire molesta. Rig.

Digitized by Google

evenire consueverunt. Quotiens enim incendia vivos cremaverunt (*a*)! quotiens feræ et in silvis suis et in mediis civitatibus elapsæ caveis (*b*), homines devoraverunt! quot a latronibus ferro, ab hostibus etiam cruce extincti sunt, torti prius, imo et omni contumelia expuncti (*c*)! Nemo non etiam hominis caussa pati potest, quod in caussa Dei pati dubitat. Ad hoc quidem vel præsentia nobis tempora documenta sint, quantæ qualesque personæ inopinatos, natalibus, et dignitatibus, et corporibus, et ætatibus suis, exitus referunt, hominis caussa : aut ab ipso, si contra eum fecerint : aut ab adversariis ejus, si pro eo steterint.

COMMENTARIUS.

(a) *Quoties enim incendia vivos cremaverunt.* Omisit morborum quorumdam acutissimos cruciatus, et febrium, quarum incendia plerumque tyrannicis tetriora, certe diuturniora ; quod eleganter observavit ad Epictetum suum Arrianus, lib. 11 : Οὐδέποτε οὐδεὶς τύραννος ἐξ μηχ! τινα ἔφαξε, πυρετὸς δὲ καὶ ἐνιαυτῷ πολλάκις. Ibidem ait nihil referre qua via perveniatur ad mortem. Imo, si verum amamus, eam esse breviorem, qua duci jubet tyrannus. Rig.

(b) *Et in mediis civitatibus elapsæ caveis.* Hic venit mihi in mentem duarum sævarum ursarum, quas Valentinianus Augustus alebat, earum caveas juxta cubiculum suum locare solitus. Alteri Micæ aureæ nomen erat, alteri Innocentiæ. Multos illæ mortales laniarunt, ridente et hac sævitia delectato principe. Auctor Ammianus Marcell. lib. 39. Ruen.

(c) *Omni contumelia expuncti.* Hic audis Tertulliani verbum, significat nihil contumeliæ omissum, quod illi non sint perpessi. Ruen.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI

DE SPECTACULIS

LIBER.

Cum non Romæ solum, sed per provincias etiam propter Severi reditum, victoriamque de Albino reportatam ederentur spectacula, libros de *Spectaculis* et de *Idololatria* ea occasione scripsisse Tertullianum Cl. Nœsselius demonstravit. Nonnulli equidem conjectant librum de *Spectaculis* abs Tertulliano compositum fuisse in montanismo, quia in illo iis suffragari videtur, qui revelationes petebant (*Tertull. lib. de Spect., cap.* 29). Verum quis nescit, et ipsos Ecclesiæ catholicæ martyres revelationes a Deo postulasse, ut videre est in actis sanctarum Perpetuæ et Felicitatis (*XXXV. Acta sincera, Ruinart; pag.* 87); Quæ publice in collectis legebantur temporibus D. Augustini (*Augustin. Serm.* 280)? Adde, quod S. Cyprianus expresse asserat, confessores de impiguenti eorum martyrio per visionem sæpe admonitos fuisse (*Cyprian. Epist, XI* et *XVI*). Utut autem hæc sint, certe scopus hujus tractatus fuit apud Tertullianum, christianos, ipsosque catechumenos a spectaculis avocare, demonstrando quam inverecunda sint hujusmodi oblectamenta, veræ pietati, cultuique sincero quem Deo debemus, contraria, atque iis etiam infesta qui fastus mundi, voluptates, ac idololatriam ejurarunt. Primo duo plausibilia ethnicorum argumenta removet, quorum primum : *Nihil obstrepere religioni in animo et in conscientia tanta solatia extrinsecus oculorum, vel aurium, nec vero Deum offendi oblectatione hominis.* Secundum : *Christianos, expeditum morti genus, ad hanc obstinationem erudiri abdicatione voluptatum quo facilius vitam contemnant, amputatis quasi retinaculis ejus.* Explosa dein alia ridicula objectione paganorum, quod omnia quæ theatro inserviunt, *terra, saxa, leones, vires corporis, vocis suavitates sint res a Deo creatæ*, atque propterea non repudiandæ, exceptioni quorumdam christianorum asserentium, in Scriptura sacra nullibi spectaculis adesse expresse prohiberi, opponit illa regii Prophetæ : *Beatus vir, qui non abiit in concilium impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit.* Addit dein ad hanc fugam teneri fideles, quia aquam ingressi fidem professi sunt, et renuntiasse diabolo, et pompæ et angelis ejus ore suo contestati sunt, et ludos ac spectacula ad idololatriam pertinere affirmat, a qua originem suam traxisse demonstrat, atque ludorum nomina, eorumdem apparatum idololatricum, loca superstitiosa, et artes recenset. De circo disserens ait : quamvis circus idolis, et signis superstitiosis esset impletus, nihilominus christianos extra spectaculorum tempus sine crimine posse intrare, sicut in ipsa templa intrarent, si caussa intrandi culpa vacet. De circo transit ad theatrum particulariter Veneri et Baccho consecratum; inde ad athletarum certamina suo quæque numini sacrata et denique ad gladiatores, qui suum pompis funereis originem debebant ; ultima hæc spectacula ad amphitheatrum pertinebant. Sed præter idololatriam, caussam principalem, alias adhuc commemorat rationes, ob quas spectacula a christianis vitanda sint, *Periculum* scilicet amittendi Spiritum sanctum in commotione passionum nostrarum ; *damnum temporis* christiano adeo pretiosi ; injurias, maledicta, calumnias, et convicia. Ibi quippe publice omnia nefanda producebantur, quæ alibi summa cura occultabantur. Quantum a sana ratione abhorreat, ostendit, ea in spectaculis cupide quærere, quæ in reliquo vitæ commercio videre vel committere pudor et horror vetant. Tum

Digitized by Google

pergit : *Rerum earum imaginem, quas facere non licet A videre non expedit ; atqui in Tragœdia horrenda crimina, in Comœdia lasciviam, spectatorum oculis exhibetis. Hominem ratione præditum, crudelem et sævum esse non decet, ergo etiam aspectu horrido, ubi homines trucidantur, delectari non decet, quamvis etiam necati fuerint morte ob scelera digni. Insanum est, artem illam magni facere, cujus periti ob infamiæ notam honestorum hominum societate excluduntur.* Exin larvatorum proterviam increpat, virisque, qui vestes muliebres assumerent, intentatam a Deo maledictionem memorat ; quippe viri muliebri habitu mulierum personam in scena agebant. Postea ostendit iterum spectaculorum usum esse baptismo contrarium, ipsosque gentiles christianos a repudio spectaculorum distinguere consuevisse. Tandem exempla duo adducit christia- B norum propter frequentata spectacula punitorum. Dein exhortatur christianos, ut in gemitibus hic vitam degant, dum gentiles voluptatibus sese immergunt, nihilque magis in votis habeant, quam exire de hoc sæculo, ut ad Deum perveniant. Volens autem ostendere Tertullianus quænam sint voluptates, et oblectamenta, quæ christianos decent, scribit : *Quæ major voluptas, quam fastidium ipsius voluptatis, quam sæculi totius contemptus, quam vera libertas, quam conscientia integra.... quod calcas Deos nationum, quod dæmonia expellis, quod medicinas facis, quod revelationes petis, quod Deo vivis?* Hæ voluptates, *hæc spectacula* christianorum, *sancta, perpetua, gratuita.* Tandem agones Martyrum, passionem D. N. J. Christi, propinquum illius adventum, judicium extremum, pœnas impiorum æternas, præmiaque bonorum, ut sedulo contemplentur, hortatur. LUMP.

CAPUT PRIMUM.

Qui status fidei (*a*), quæ ratio veritatis, quod præscriptum disciplinæ, inter cætera sæcularium errorum, etiam (*b*) spectaculorum voluptates admat, Dei servi cognoscite, qui cum maxime ad Deum accedítis : recognoscite, qui jam accessisse vos testificati et confessi estis, ne aut ignorando aut dissimulando quis peccet. Tanta est enim vis voluptatum, (*c*) ut et ignorantiam protelet in occasionem, et conscientiam corrumpat in dissimulationem. Ad utrumque, adhuc forsan alicui opiniones ethnicorum blandiuntur, quæ (1) in ista caussa adversus nos ita argumentari consueverunt : Nihil (*d*) obstrepere religioni in animo et consciencia (2) tanta solatia extrinsecus oculorum vel aurium : nec vero Deum offend oblectatione hominis, qua, salvo erga Deum metu et honore, suo in tempore et suo in loco frui, scelus non sit. Atquin hoc cum maxime paramus demonstrare, quemadmodum isthæc (3) non competant veræ religioni et vero obsequio erga Deum verum. Sunt qui existiment (*e*) (4) Christianos (5) expeditum

LECTIONES VARIANTES.

(1) Qui um, *Seml.*
(2) Tua *add. Fran.*
(3) Ista *Rigalt.*
(4) Existimant *Rigalt.*
(5) Christianum *Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) *Qui status fidei.* Scriptum hunc librum non ad jam Christianos tantum, sed et Catechumenos, quos auctor *Audientes* solet nuncupare, patet, tum ex verbis istis : *Dei servi, cognoscite, qui maxime ad Deum accedítis*, quæ ad Catechumenos : tum ex illis : *Recognoscite qui jam accessisse vos testificati et confessi estis*, quod ad jam baptizatos, qui fidei testificationem in baptismo reddiderant, pertinet. PAM.

(b) *Spectaculorum voluptates.* Illud est profecto quod dixit B. Athanasius hom. de Sem. Θεατρομανεῖς ἡδονάς. LE PR.

(c) *Ut ignorantiam protelet in occasionem.* Tanta est, inquit, voluptatum vis, ut hominem suum tamdiu doceri nolit vitanda esse Christiano spectacula, quamdiu spectandi occasio sperabitur. Hac insania etiam ævi sui Christianos laborasse queritur Augustinus in Psal. lxxx : *Sunt autem multi non digne viventes baptismo quem perceperunt. Quam multi enim baptizati hodie circum implere quam istam basilicam maluerunt!* LE PR.

(d) *Obstrepere religioni.* Verbum pro impedire et esse obstaculo. Omnino quod Seneca ep. 115. *obstrigillant ;* et quod Synodus Tricastina ad Nicol. PP. *obdicere :* quæ duo verba notare volui, ut pecularia. LAC.

(e) *Christianos, expeditum morti genus.* Arrianus ad Epictetum, lib. iv. cap. 7. Christianorum in obeunda morte pro Christi nomine obstinationem non furori tribuit, sed ritui et assuetudini : Ἀπὸ μανίας μὲν δύναταί τις οὕτως διατεθῆναι τρὸς ταῦτα, καὶ ὑπὸ ἔθους οἱ γαλιλαῖοι. Nos talem ritum agnoscimus, et constantissime retinendum scimus ; imo furorem esse non negabimus, sed sanctum, sed divini spiritus afflatum vehementiorem, qui suos agat incitatos. Hujus constantiæ gloriam Ethnici obstinationis appellatione deterere conabantur, adeoque inter proverbia rerum minime sperandarum dictitabant : Θᾶσσον ἄν τις τοὺς ἀπὸ Μωυσοῦ καὶ Χριστοῦ μεταδιδάξειεν ; *Citius quispiam eos Moysen et Christum dedoceret.* Quod usurpavit Galenus lib. iii. de diff. pulf. Et ab Augustino, lib. de Civit. Dei xix, C Apollinis oraculum notatur, sciscitanti Porphyrio, qua ratione ab Christianismo conjugem suam revocare posset, respondentis, Facilius ipsum litteras impressurum flumini rapidissimo, aut per aera volaturum. RIG. — *Christianos expeditum morti genus.* Quasi ἑτοίμους θανάτου ῥιψοκινδύνους, παραβόλους, παρακεκινδυνευμένους. Paulus ad Philipp. cap. 2. de Epaphrodito μέχρι θανάτου ἤγγισε, παραβολευσάμενος τῇ ψυχῇ. Nam ita legitur in vetustissimo exemplari ubi et Latina versio sic habet : Parabolatus de anima sua. Auctor illius versionis addubitavit, dicendum sibi esset, *parabolatus animam suam* an *parabolatus de anima sua.* Eodem vero sensu auctor historiæ Tripart. dixit artificem D *parabolum* lib. xi. sub linem : Crudeli bestiæ artifex, parabolus pugnet. Quod Socrates hist. 7. dixerat, παραβολευσάμενος. Minime autem Epaphroditus aliive Christiani, vitam suam ita sprevisse existimandi sunt, quasi obstinatione sola temerarii, perditi ac desperati mortem oppeterent, κατὰ ψιλὴν παράταξιν. Quod putavit M. Antoninus lib. de vita sua undec. Verum summo judicio, summa ratione ac prudentia paratissimi semper erant ad mortem fortiter obeundam pro Christi nomine, hoc est pro veritate fidei Christianæ, ἀπὸ ἰδίους κρίσεως, λελογισμένως, καὶ σεμνῶς. RIG.

Expeditum morti genus. Multa in hunc locum Rigaltius de voce παραβολευσάμενος, quibus addi potest illud Hesychii : Παραβολευτάμενος, εἰς θάνατον ἑαυτὸν ἐκδούς. Legendus item Phrynichus in ecloge dictionum Atticarum ad vocem παραβόλιον. Qua de re nos nonnulla diximus in notis ad Gloss. græcolat. pag. 141. col. 1. lin. 19. LE PR.

Digitized by Google

morti genus ad hanc obstinationem (*a*) abdicatione voluptatum (*b*) erudiri, quo facilius vitam contemnant, amputatis quasi retinaculis ejus, ne desiderent, quam jam supervacuam (1) sibi fecerint (2) : ut hoc consilio potius et humano prospectu, non divino præscripto definitum existimetur. Pigebat scilicet etiam perseverantes in tantis voluptatibus propter Deum mori. Quanquam etsi ita esset, tam (3)apto consilio, tantæ obstinatio disciplinæ debebat obsequium.

CAPUT II.

Jam vero nemo est, qui non hoc quoque prætendat (*Gen.* 1.), omnia a Deo instituta, et homini attributa (sicut prædicamus), et utique bona omnia, ut boni auctoris (4) : inter hæc deputari universa ista, ex quibus spectacula instruuntur, circum (5) verbi gratia, et leonem, et vires corporis, et vocis suavitates. Igitur neque alienum videri posse, neque inimicum Dei (6), quod de conditione constet ipsius : neque cultoribus Dei vitandum (7), quod Dei non sit inimicum, quia nec alienum. Plane et ipsæ exstructiones locorum, quod saxa, quod cæmenta, quod marmora, quod columnæ, Dei res sunt, qui ea ad instrumentum terræ dedit : sed et ipsi actus sub cœlo Dei transiguntur. Quam sapiens argumentatrix sibi videtur ignorantia humana, præsertim cum aliquid ejusmodi de gaudiis et de fructibus sæculi metuit amittere! Plures denique invenias, quos magis periculum voluptatis, quam vitæ, avocet ab hac secta. Nam mortem etiam stultus utdebitam non extimescit, voluptatem etiam sapiens (8) ut tantam non contemnit, cum alia non sit et stulto et sapienti vitæ gratia, nisi voluptas. Nemo negat, quia nemo ignorat quod ultro natura suggerit, Deum esse universitatis conditorem, eamque universitatem tam bonam, quam homini mancipatam. Sed quia non penitus Deum norunt, nisi naturali jure, non etiam familiari, de longinquo, non de proximo ; necesse est ignorent qualiter administrari aut jubeat aut prohibeat quæ instituit (9), simul quis sit æmulus (10) ex diverso, adulterandis usibus divinæ conditionis, quia neque voluntatem, neque adversarium noveris ejus, quem minus noveris. Non ergo hoc solum respiciendum est, quo (11) omnia sint instituta, sed a quo conversa. Ita enim apparebit cujus (12) vi sint instituta, si appareat cujus non sint (13). Multum interest inter corruptelam et integritatem, quia multum est inter institutorem et interpolatorem. Cæterum omnes species malorum, quæ (*c*) etiam ethnici (14) ut indubitata, et prohibent et defendunt, ex operibus Dei constant : Vis (15) homicidium ferro, veneno, magicis devinctionibus (*d*) perfici (16). Tam ferrum Dei res est, quam herbæ, quam angeli : numquid tamen in hominis necem auctor ista providit? Atquin omnem homicidii speciem uno et principali præcepto interemit : *Non occides* (*Exod.* 20.) Proinde aurum, æs, argentum, ebur, lignum, et quæcumque fabricandis idolis materia captatur, quis in sæculo posuit, nisi sæculi auctor Deus? Numquid tamen ut hæc adversus ipsum adorentur? Atquin summa offensio (17) penes illum idololatria est. Quid non Dei est, quod Deum offendit? Sed cum offendit, Dei esse desiit ; et cum desiit, offendit. Ipse homo omnium flagitiorum actor (18), non tantum opus Dei, verum etiam imago est (*e*), et tamen et corpore et spiritu descivit (19) a suo institutore. Neque enim oculos ad concupiscentias (20) sumpsimus, neque (21) linguam ad maliloquium, et aures ad exceptaculum maliloquii, et gulam ad gulæ crimen (*f*), et ventrem ad gulæ satietatem (22), et genitalia ad excessus impudicitiæ, et manus ad vim, et gressus ad vagam vitam, aut spiritus ideo insitus

LECTIONES VARIANTES.

(1) Supervacuum *Jun. Paris.*
(2) Fecerant *Jun.* fecerunt *Rigalt.*
(3) Quamquam et, si ita esset. Tam *etc. distinguit Jun.*
(4) Bona, ut omnia boni auctoris *Rig.*
(5) Equum *Rigalt.*
(6) Deo *Paris. Rigalt.*
(7) Putandum *Paris.* neque culpæ deputandum *Rigalt.*
(8) Utendam *Jun.*
(9) Administrari jubeat, quæ instituit *Rigalt.*
(10) Quæ vis æmula ex adverso *Rigalt.*
(11) A quo *Wouw. M. S. Rigalt.*
(12) Cui usui *Rigalt.*
(13) Si appareat cui non. *Rig.*
(14) Indubitate, *Seml.*
(15) Vides *Jun.*
(16) Perfici *Rig.*
(17) Offensa *Rigalt.*
(18) Auctor *Paris. Rig.*
(19) Et tamen corpore et spiritu desiit *Rig.*
(20) Concupiscentiam *Rig.*
(21) Et *Rig.*
(22) Societatem *Jun. ex M. S. Rig.*

COMMENTARIUS.

(a) *Ad hanc obstinationem.* Familiaris est auctori vox *obstinatio* in bonam partem, pro *constantia*, sicuti et apud Tacitum lib. IX *obstinatio fidei.* PAM.

(b) *Abdicatione voluptatum.* Vagabatur dogma inter gentiles philosophos, utpote magnos procuratores avertendi doloris, abdicandas esse voluptates antè mortem, ut hæc dolore careret. Dogma hoc philosophicum repræsentat Seneca epist. 27. Putabant ergo Gentiles illud præceptum exerceri Christianis in abdicatione spectaculorum, ut ita paratiores essent ad ferendam mortem sine dolore. LAC.

(c) *Quæ etiam Ethnici ut indubitata et prohibent et defendunt.* Defendunt, hoc est, asserunt, nempe esse mala, et quidem indubitata ; quæ scilicet mala esse nemo etiam Ethnicorum ambigit. RIG.

(d) *Magicis devinctionibus.* Devinctiones accipit pro ligaturis, de quibus latius lib. de Anima. Et hic vero pulchra est Gelenii castigatio, *in hominis necem auctor*, pro *in nece est auctor.* Ex Ms. paulo post lego, *flagitiorum actor* pro *auctor* : neque enim homo, sed Diabolus interpolator illorum est auctor. PAM.

(e) *Imago Dei est.* Intellige mentem scriptoris : ait hominem esse et opus Dei et imaginem Dei : opus propter corpus, imaginem propter spiritum. Ideo statim adjicit, defecisse et corpore et spiritu. Itaque non debent confundi verba. Nam homo imago Dei tantum dicitur propter spiritum. Zeno Veronen. serm. 2. in gen. LAC.

(f) *Et gulam ad gulæ crimen.* Gulæ crimen solummodo ecclesiasticis notum pro gulæ intemperantia seu gulositate ; profanis non item. Similiter dixit lib. de Jejuniis : *Adam salutem gula vendidit*, et lib. I. adv. Marc. *comitibus gulæ, libidini scilicet atque luxuriæ.* PAM.

Digitized by Google

corpori, ut insidiarum, et fraudum, et iniquitatum cogitatorium fieret, non opinor. Nam si omnem malignitatem, et si tantam (1) malitiam excogitatam Deus exactor innocentiæ odit, indubitate quæcunque condidit, non in exitum operum constat condidisse (*a*) quæ damnat, licet eadem opera per ea quæ condidit administrentur, quando hæc sit tota ratio damnationis, perversa administratio conditionis a conditis (2). Nos igitur qui, Domino (3) cognito (*b*), etiam æmulum ejus inspeximus (4), qui, institutore comperto, etiam interpolatorem una deprehendimus, neque mirari, neque dubitare oportet, quum ipsum hominem, opus et imaginem Dei, totius universitatis possessorem, illa (5) vis interpolatoris et æmulatoris angeli ab initio de integritate dejecerit, (6) universam substantiam ejus (7) pariter cum ipso in perversitatem demutatam (8) adversus institutorem, ut quam doluerat homini concessam, non sibi, in ea ipsa et hominem reum Deo faceret, et suam dominationem collocaret.

CAPUT III.

Hac conscientia instructi (9) adversus opinionem ethnicorum, convertamur magis ad nostrorum detractatus (10). Quorumdam enim fides aut simplicior, aut scrupulosior, ad hanc abdicationem A spectaculorum de Scripturis auctoritatem exposcit (*c*), et se in incertum constituit, quod non significanter neque nominatim denuntietur servis Dei abstinentia ejusmodi. Plane nusquam invenimus, quemadmodum aperte positum est (*Exod.*, 20.), *Non occides, non idolum coles, non adulterium, non fraudem admittes*; ita exerte definitum, « Non in Circum ibis (11), non in theatrum; agonem, munus non spectabis (12). » Sed invenimus ad hanc quoque speciem pertinere illam primam vocem David, *Felix*, inquit (ps. I.), *qui non abiit in concilium impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in* (13) *cathedra pestium (d) non sedit.* Nam (*e*) etsi justum illum videtur prædicasse, quod in concilio et in concessu (14) Judæorum de Deo denegando (15) consultantium, non B communicavit; late tamen semper Scriptura divina (*f*) dividitur, ubicunque secundum præsentis rei sensum etiam disciplina munitur, ut hic (16) quoque non sit aliena vox a spectaculorum interdictione. Si enim pauculos tunc judæos impiorum concilium (*g*) vocavit, quanto magis tantum conventum ethnici populi! ni pii ethnici, (17) minus peccatores, minus hostes Christi, quam tunc Judæi, quo (18) et cætera congruunt. Nam apud spectacula et in via statur. Vias enim vocant (*h*) cardines balteorum per ambi-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Tantum *Wouw. M. S. Rig.*
(2) A conditis *abest Rig.*
(3) Deo *Rig.*
(4) Inspeximus *Rig.*
(5) Illi *Paris.* vis *abest Paris.*
(6) Quin universam *addit Wouw. M. S.*
(7) Pariter cum ipso integritati institutam *add. Rig.*
(8) Demutarit *Wouw. M. S.* demutavit *Rig.*
(9) Instructa *Rig.*
(10) Retractatus *Wouw. M. S.*
(11) Non ibis in Circum *Rig.*
(12) Exspectabis *Rig.*
(13) Nec — pestium sedit *Rig.*
(14) Et in sessu *Rig.*
(15) De necando domino *Rig.*
(16) Hæc *Wouw. M. S.*
(17) Minus impii ethnici *Rigalt.*
(18) Quid quod *Rigalt.* ethnici populi? impii, minus peccatores, minus hostes Christi, quam tunc Judæi, quid? non C et cætera congruunt. *Wouw. Cod. script.* quo ad cætera congruunt. *Latin. Jun. mavult* Quo et cætera.

COMMENTARIUS.

(a) *Non in exitum operum condidisse.* Locus annotandus contra Calvinum, qui Institut. lib. III. cap. 22, 23 et 24. adstruit, quod Deus creavit maximam partem mundi ad damnationem et perditionem simplici decreto voluntatis suæ, quemadmodum ipsi ab Helvetiis objectum est. PAM. — *In exitum operum.* Non placet Pamelius, qui hic exitum accepit pro exitio. Perfectissimus est sensus. Nam vox conferenda est ad pravum usum rerum, et ita omnia cohærent; non ad perniciem: nam de hac non disputat Tertullianus. LAC.

(b) *Nos igitur qui Deo cognito etiam æmulum ejus inspeximus.* Nihil mutavimus in hac periodo, quia sic constitutam reperimus in codice Agobardi. Et si D commodior videatur scriptura cod. Fulvii Ursini: *Nos igitur qui Deo cognito etiam æmulum ejus inspeximus, quid institutore comperto etiam interpolatorem una deprehendimus, nec mirari, neque dubitare oportet, cum ipsum hominem, opus et imaginem Dei, totius universitatis possessorem, illa vis interpolatoris et æmulatoris angeli ab initio de integritate dejecerit, quin universam substantiam ejus, pariter cum ipso integritati institutam, pariter cum ipso in perversitatem demutarit adversus institutorem*, etc. RIG.

(c) *De scripturis auctoritatem exposcit.* Cyprianus de spectaculis ait quoque ita quæsitum a Christianis: (verba ejus) *Ubi*, inquiunt, *scripta sunt ista? ubi prohibita?* et adjicit loca Scripturæ, quibus niterentur ad tuenda spectacula, male explicata, post quæ subjicit: *Hoc in loco dixerim, longe melius fuisset istis nullas litteras nosse, quam sic litteras legere.* LAC.

(d) *In cathedra pestium.* Idem habet eruditus Clemens Alex. Pædagogi lib. III. cum enim utitur hoc loco prophetæ regii, infertque Christianis omni genere spectaculorum esse interdictum, subjicit, Οὐ δὲ ἀπεικότως τὰ στάδια καὶ τὰ θέατρα καθέδραν λοιμῶν προείπoι τις ἄν, *neque absque re quis theatra et spectacula cathedram pestilentiæ dixerit.* LE PR.

(e) *Nam etsi justum illum videtur prædicasse.* Innuit Josephum Arimathæensem, quem Lucas ait virum fuisse probum ac justum, nec interfuisse aut consensisse Judæorum consilio adversus Christum. Auctor Commentariorum in Psalmos, Præf. Psal. 1. *Tertullianus in libro de Spectaculis, asserit hunc Psalmum et de Josepho posse intelligi, qui corpus Domini sepelivit, et de his qui ad spectacula Gentium non conveniunt.* Sunt qui eos Commentarios Hieronymo adscribant. Inserti sunt autem operibus Bedæ. RIG.

(f) *Late tamen semper Scriptura divina dividitur.* Ex divinæ copiæ occasione, ut ait adversus Valentinianos. RIG.

(g) *Judæos impiorum concilium.* Hoc misero elogio affecti sunt isti miserrimi. Sic et Augustinus epist. 54. Impios vocat Judæos. Joan. Chrysost. orat. 2. adv. illos, dat illis ἀσεβείαν, et conc. Trullense cap. 1. δυσσέβειαν. Dionysio Alexandrino vocantur *perfidi*. Et Joan. Chrysost. loco citato vocat illos παράνομον πολιτείαν, et infra διαφθεῖς καὶ μιαροὺς. LAC.

(h) *Vias enim vocant et cardines balteorum.* De his omnibus quæ ad Circum pertinent notabilia multa collegit doctissimus Salmasius Plinianis ad Solinum

Digitized by Google

tum (*a*), et discrimina popularium per proclivum. Cathedra quoque nominatur ipse in anfractu ad consessum situs. Itaque e contrario infelix qui in quodcunque concilium impiorum abierit, et in quacunque via peccatorum steterit, et in quacunque cathedra pestium sederit. Generaliter dictum intelligamus, cum quid etiam specialiter interpretari capit. Nam et specialiter quædam pronuntiata (*b*), generaliter sapiunt. Cum Deus Israelitas admonet disciplinæ vel objurgat, utique ad omnes habet (*Exod.* 12.): cum Ægypto et Æthiopiæ exitium comminatur, in omnem gentem (*c*) peccatricem præjudicat. Sic omnis gens peccatrix vocatur Ægyptus et Æthiopia (*Is.* 14 *et alibi.*), a specie ad genus. Quemadmodum etiam de origine spectaculorum omne spectaculum concilium vocat impiorum, a genere ad speciem.

CAPUT IV.

Ne quis argumentari nos putet, ad principalem auctoritatem convertar ipsius signaculi nostri. Cum aquam ingressi christianam fidem in legis suæ verba profitemur, renuntiasse nos diabolo et pompæ et angelis ejus ore nostro contestamur. Quid erit summum ac (1) præcipuum, in quo diabolus et pompæ et angeli ejus censeantur, quam idololatria? ex qua omnis immundus et nequam spiritus, ut ita dixerim, quia nec diutius de hoc. Igitur si ex idololatria universam spectaculorum paraturam constare constiterit, indubitate præjudicatum erit etiam ad spectacula pertinere renuntiationis nostræ testimonium in lavacro, quæ diabolo et pompæ et angelis eius sint mancipata, scilicet per idololatriam. Commemorabimus origines singulorum, quibus (2) A in cunabulis (3) in sæculo adoleverint: exinde titulos quorumdam, quibus nominibus nuncupentur: exinde apparatus, quibus superstitionibus instruantur: tum (4) loca, quibus præsidibus dicentur: tum (5) artes, quibus auctoribus deputentur. Si quid ex his non ad idolum pertinuerit, id neque ad idololatriam, neque ad nostram ejerationem pertinebit.

CAPUT V.

De originibus quidem ut secretioribus et ignotis penes plures nostrorum altius, nec aliunde investigandum fuit (*d*): quam de instrumentis ethnicarum (6) litterarum. Exstant auctores multi, qui super ista re commentarios ediderunt. Ab his ludorum origo sic traditur: Lydos ex Asia transvenas in Hetruria consedisse, ut Timæus refert, duce Tyrrheno, qui fratri suo cesserat regni contentione: igitur in Hetruria, inter cæteros ritus superstitionum suarum spectacula quoque religionis nomine instituunt: inde Romani accersitos artifices mutuantur, tempus, enuntiationem, ut ludi a Lydis (*e*) vocarentur. Sed etsi Varro ludos a *ludo*, id est a lusu interpretatur, sicut et Lupercos ludos appellabant, quod ludendo discurrant; tamen eum lusum juvenum et diebus festis, et templis, et religionibus reputat. Nihil jam de caussa vocabuli, cum (7) rei caussa idololatria sit. Nam et cum promiscue ludi Liberalia (*f*) vocarentur, honorem Liberi patris manifeste sonabant. Libero enim a rusticis primo fiebant ob beneficium quod ei adscribunt pro (8) demonstrata gratia vini. Exinde ludi Consualia dicti, qui (9) initio Neptunum honorabant. Eumdem enim et Consum vocabant (10). Dehinc Equiria (11) Marti

B

C

LECTIONES VARIANTES.

(1) Atque *Rigalt.*
(2) A quibus *Jun.*
(3) Incunabulis *Rigalt.*
(4) Tunc *Rig.*
(5) Tum *abest Rig.*
(6) Ethnicalium *Rig.*
(7) Dum *Rig.*
(8) Pro *abest Rig.*
(9) Queis *Jun.*
(10) Vocant *Rig.*
(11) Quis *add. Rig.*

COMMENTARIUS.

Excercitationibus, pag. 895. Rig.

(a) *Et cardines Balteorum.* Baltei repagula erant, seu cingula coriacea bullis ornata, quibus constringebantur equitum romanorum subsellia qui in cavea sedebant, loco operto: baltei autem isti hamis seu fibulis quibusdam erant annexi, quam ob rem theatri luxum indicans Themistius orat. Dixit, ὁ κόσμος τῶν περιστύλων τοῦ θεάτρου, *mundus peristylorum theatri*; quo sensu dicitur mulieibris. Edd.

(b) *Nam et specialiter quædam pronuntiata.* Regula ad intellectum Scripturæ sacræ apprime utilis. Atqui quod dicit hic omnibus, dictum quod Israelitis dicebatur, non uno in loco annotavit B. Hieronymus in proph. Pam.

(c) *In omnem gentem peccatricem præjudicat.* Hunc locum tractat etiam adversus Judæos. Sic et Ægyptus, inquit, nonnunquam totus orbis intelligitur, etc. Rig.

(d) *Altius nec aliunde investigandum fuit.* Sic libri hactenus excusi, *Penes plures nostrorum altius.* In exemplari Agobardi legitur: *Ut secretioribus et ignotis penes plures nostrorum artis.* Forte, *actis*, ut Romanorum sive Gentilium rerum Origines, acta esse dixerit secretiora, et plerisque christianorum ignota. Sed minime displicet vulgata lectio, *Altius nec aliunde.*

(e) *Ut ludi a Lydis vocarentur.* Varia hic ludorum genera enumerat quæ fuse a bene multis explicata sunt. Lupercales ludi in honorem Panis primum, ac deinde in honorem Lupæ Romuli nutricis instituti sunt. Liberalia in honorem Liberi, seu Bacchi. Consualia, ab aliis ludi circenses, in honorem Neptuni. Cerealia in honorem Cereris, Equiria in honorem Martis, sic dicti sunt ii ludi ab equorum cursu, qui in campo Martio exercebantur. Le Pr.

(f) *Promiscue ludi liberalia voc.* Non intellexere hunc locum qui dixere ludos omnes promiscue dictos Liberalia, multos noto, in primis Heraldum lib. I, digress. cap. 28. nihil absurdius. An, obsecro, Consualia, Equiria, Tarpeia, Robigalia, dici poterant Liberalia? apage. Hoc enim nemo dixit, nemo audivit. Qui istud imponunt Tertulliano, injuriam faciunt homini scientissimo. Tantum promiscuam hanc usurpationem nominis in eo ponit, quod Liberalia, Consualia, et reliqua hujusmodi, dicuntur etiam absolute *ludi.* Itaque vox ista, *ludus*, miscetur omnibus festivitatibus idololatricis; nam omnes isti dicuntur ludi. Et ideo statim addit, *Exinde ludi Consualia dicti*; et inde liquet non nomen solum *ludi*, sed rem significatam per *ludum* mancipatam esse dæmonibus; hoc enim probare Tertullianus vult. Lac.

D

Digitized by Google

Romulus dixit : quanquam et Consualia Romulo (1) defendunt, quod ea Conso dicaverit Deo, ut volunt, consilii : ejus scilicet, quo (2) tunc Sabinarum virginum rapinam militibus suis in matrimonia excogitavit. Probum plane consilium, et nunc quoque apud (3) ipsos Romanos justum et licitum, ne dixerim, penes Deum. Facit etenim (4) ad originis maculam, ne bonum existimes, quod initium a malo accepit, ab impudentia, a violentia, ab (*a*) odio (5), a fratricida institutore, a filio Martis : et nunc ara Conso illi in Circo defossa est ad primas metas sub terra, cum inscriptione hujusmodi, CONSUS CONSILIO, MARS DUELLO, LARES (*b*) COMITIO (6) POTENTES. Sacrificant apud eam nonis Juliis sacerdotes publici, XII. Kalen. Septembres (7) flamen Quirinalis, et virgines. Dehinc idem Romulus Jovi Feretrio ludos instituit in Tarpeio, quos Tarpeios dictos et Capitolinos Piso tradidit. Post hunc Numa Pompilius Marti et Robigini fecit (8). Nam et Robiginis (9) Deam (*c*) finxerunt. Dehinc Tullus Hostilius. Dehinc Ancus Martius, et cæteri. Qui quotque per ordinem (10), et quibus idolis ludos instituerunt, positum est apud Suetonium Tranquillum, vel a quibus Tranquillus accepit. Sed hæc satis erunt ad originis de ololatria reatum.

CAPUT VI.

Accedit ad testimonium antiquitatis subsecuta posteritas, formam originis de titulis hujus quoque temporis præferens, per quos signatum est, cui idolo, et cui superstitioni utriusque (11) generis ludi (*d*) notarentur, Megalenses (12) (*e*) et Apollinares, item Cereales et Neptunales, et Latiares (*f*), et Florales in commune celebrantur : reliqui ludorum, de natalibus et solemnitatibus (13) regum, et publicis prosperitatibus et municipalibus fastis (14) superstitionis (15) caussas originis (16) habent. Inter quos etiam privatorum memoriis legatariæ editiones parentant, id quoque secundum institutionis antiquitatem. Nam et a primordio bifariam ludi censebantur, sacri et funebres (*g*), id est, diis nationum et mortuis. Sed de idololatria nihil differt apud nos, sub quo nomine et titulo, dum ad eosdem spiritus perveniat, quibus renuntiamus (17), licet mortuis, licet (18) diis suis faciant. Proinde mortuis suis ut diis faciant (19), una conditio partis utriusque est, una idololatria, una renuntiatio nostra adversus idololatriam.

CAPUT VII.

Communis igitur (20) origo ludorum utriusque generis, communes et tituli, ut de communibus caussis, proinde (21) apparatus communes habeant necesse est de reatu generali (22) idololatriæ conditricis suæ. Sed Circensium paulo pompatior suggestus, quibus proprie hoc nomen, *pompa*, præcedit (23), quorum sit in semetipsa probans (24), de simulacrorum serie, de imaginum agmine, de curribus, de thensis (*h*), de armamaxis (*i*),

LECTIONES VARIANTES.

(1) A Romulo *Jun.*
(2) Quod *Rig.*
(3) Inter *Rig.*
(4) Enim et hoc *Rig.*
(5) Ab impudentis violentiæ alio deo *Fran.*
(6) COLLO *Rig.*
(7) XV Kalendr. septembris *Junius.*
(8) Fecit *abest Rig.*
(9) Robiginem *Wouw. M. S.*
(10) Et cæteri quoque per ordinem. Et *Fran.*
(11) Uniuscujusque *alii.*
(12) *Additur* enim *Rig.*
(13) Solemnibus *Rig.*
(14) Festis *Wouw. M. S.*
(15) Superstitionibusque *Paris. Jun.*
(16) Originis *abest Rig.*
(17) Renuntiavimus *Wouw. M. S.*
(18) Mortuis. Licebit *Rig.*
(19) Faciunt *Jun.* proinde mortuis faciunt *Rig.*
(20) Igitur *abest Rigalt.*
(21) Perinde *Rigalt.*
(22) Genitali *Jun. ex M. S.*
(23) Præcedens *Rig.*
(24) Probat *Rig.*

COMMENTARIUS.

(a) *A violentia, ab odio.* Sic emendandum censuit Wowerenius, nec habeo quod Auctoris menti magis conveniat, aut proprius accedat ad hæc veteris scripturæ vestigia, *a violentiæ alio deo.* LAC.

(b) *Lares coillo potentes* habet vetus exemplar. Græcum est Κοῖλον, Cavo, penetrali. Cœlum veteres dixisse Coum, auctor est Festus. Ad eum vero Scaliger se in veteri membrana legisse refert ex Ennio, —— *complere coum terroribus cœli.* Primum igitur *Coum*, cavum, κοῖλον, deinde *coilum*, aut *coillum*, domus penetrale, ubi Lares colebantur. Ab hoc igitur *Coilli* vocabulo, *coillinus* et *coilinus* : unde *incoilinus*, qui et *inquilinus.* LAC.

(c) *Nam et Robiginem deam.* Quemadmodum Deus erat Robigus, ita et Dea Robigo, quæ rubiginem averteret ; sic et Pallorem Deam, et Febrim fecerant. Huic Deæ sacra fieri solita erant, ne rubigo segetes corrumperet. LE PR.

(d) *Utriusque generis ludi.* Legunt aliqui *uniuscujusque* : non placent ; præstat certe Pamelii explicatio, qui ait Scriptorem locutum cum respectu ad duo tantum ludorum genera, Circensium et Theatralium. Hæc enim solum comprehendit superiore cap. LAC.

(e) *Megalenses.* Megalesia, (inquit Varro lib. 5. de ling. lat.) dicta a Græcis, quod ex libris sibyllineis accersita ab Attalo rege Pergami Pessinunte, ubi Megalesion templum ejus Deæ, magnæ inquam matris Deum, unde advecta Romam. Hinc et ludi Megalenses. PAM.

(f) *Latiares.* Sacri Jovi Latiari cujus in Caligula meminit Suetonius, et alii passim. Puto decipi Pamelium qui hos ludos ad gladiatores refert : exorbitaret sic a suo argumento Tertullianus, qui ludos comprehensos superiore et isto capite, tantum determinat ad Scenam et Circum, ut apparet ex cap. 10. hujus operis. LAC.

(g) *Sacri et funebres.* Sacri erant ludi de quibus egit antea, nimirum Megalenses, Apollinares, etc. funebres vero de quibus acturus est, quoniam mortuis in ejusmodi conventibus parentabatur. LE PR.

(h) *De Curribus, de thensis.* Currus profana, thensæ sacra erant vehicula : *Thensam enim* [teste Festo] *ait vocari Sinnius* (seu uti legendum ex Lactantio patet Sisinnicus) *Capito, vehiculum, quo exuviæ Deorum ludicris circensibus in Circum ad pulvinar vehuntur, et ex ebore, ut apud Litinium in Barbato, et ex argento.* PAM.

(i) *Armamaxis.* Discriminat harmamaxam (sive

Digitized by Google

de sedibus, de coronis, de exuviis, quanta præterea sacra, quanta sacrificia præcedant, intercedant, succedant, quot collegia, quot sacerdotia, quot officia moveantur, sciunt homines illius urbis in qua dæmoniorum conventus consedit (*a*). Ea si minore cura per provincias pro minoribus viribus administrantur, tamen omnes ubique Circenses illuc deputandi, unde et petuntur; inde inquinantur, unde sumuntur. Nam et rivulus tenuis ex suo fonte, et surculus modicus ex sua fronde, qualitatem originis continet. Viderit ambitio sive frugalitas ejus quo (1) Deum offendit: qualiscunque pompa circi, etsi pauca simulacra circumferat, in uno idololatria est: et si unam thensam trahat, Jovis tamen plaustrum est: quævis idololatria sordide instructa, vel modice locuples (2) splendida est censu criminis sui.

A trinis diis parent, magnis, potentibus, valentibus. Eosdem Samothracas existimant. Obelisci enormitas (*e*), ut Hermateles affirmat, Soli prostituta: scriptura ejus unde et census, de Ægypto superstitio est. Frigebat dæmonum concilium sine sua matre magna; ea itaque illic præsidet Euripo. Consus (ut diximus) apud metas sub terra delitescit. Murtias quoque idolum fecit (9). Murtiam enim deam amoris (*f*) volunt, cui in illa parte ædem vovere. Animadverte, christiane, quot nomina (10) immunda possederint Circum. Aliena est tibi religio, quam tot diaboli spiritus occupaverunt. De locis quidem locus est retractandi ad præveniendam quorumdam interrogationem. Quid enim, inquis, si alio in tempore Circum adiero, periclitabor de inquinamento? Nulla

B est præscriptio de locis. Nam non sola ista conciliabula spectaculorum, sed etiam templa ipsa sine periculo disciplinæ adire servus Dei potest, urgente caussa simplici duntaxat, quæ non pertineat ad proprium ejus loci negotium vel officium. Cæterum et plateæ, et forum, et balneæ, et stabula, et ipsæ domus nostræ sine idolis omnino non sunt; totum sæculum Satanas et angeli ejus repleverunt. Non tamen quod in sæculo sumus, a Deo excidimus, sed si quid de sæculi criminibus attigerimus. Proinde si Capitolium, si Serapeum sacrificator et adorator intravero, a Deo excidam, quemadmodum circum vel theatrum spectator. Loca nos non contaminant per se, sed quæ in locis fiunt, a quibus et ipsa loca contaminari altercati sumus: de contaminatis contaminamur (11). Propterea autem commemoramus, quibus ejusmodi loca dicentur, ut eorum demonstremus esse, quæ in his locis fiunt, quibus loca dicantur.

CAPUT VIII.

Ut et de locis, secundum propositum exsequar, circus Soli principaliter consecratur: cujus ædes medio spatio, et effigies de fastigio ædis emicat, quod non putaverint (3) sub tecto consecrandum, quem in aperto habent. Quod (4) spectaculum primum a Circe habent. Soli patri suo, ut volunt (5), editum affirmant: ab ea et Circi appellationem argumentantur. Plane (6) venefica eis utique negotium gessit hoc, nomine quorum sacerdos erat, dæmoniis et angelis scilicet. Quot igitur in habitu loci ipsius idololatrias recognoscis! singula ornamenta Circi, singula templa sunt. Ova honori Castorum (*b*) adscribunt, qui illos ovo editos credendo de cygno Jove non erubescunt (*c*). Delphinos Neptuno vovent (*d*), columnas (7) sessias a *sementationibus*, messias a *messibus*, tutelinas a *tutelis* (8) fructuum sustinent. Ante has tres aræ,

C

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quod *Paris. utrumque abest Rig.*
(2) Et splendida *Latin.* sed splendida *Paris.*
(3) Putaverunt. *Rig.* Et ut *Pet. Ciacon.*
(4) Qui *Rig.*
(5) Ut volunt *abest Rig.*
(6) Argutantur plane *Jun.*
(7) Vomunt columnæ *Rig.*
(8) Tutela *Rig.*
(9) Murtia quoque id olim fecit *Latin.* Murtias. Has quoque *Rig.*
(10) Numina *Jun.*
(11) Contaminantur *Rig.*

COMMENTARIUS.

armamaxam, ut alii scribunt) Junius ab essedo, pilento, petorito, quia alii confundunt cum illis. aitque esse proprie vectem gestatorium, qui opera hominum tolleretur manibus humerisve, ad eum modum, quo sellæ gestatoriæ apud Suetonium, et lecticæ apud Senecam. Ergo Tertullianus a curribus, qui jumentis agebantur, a thensis quæ funibus, transit ad harmamaxas, quæ humeris tollebantur ab hominibus, ita attestantibus studium suum erga sacra Circensia. Lac.

D

(a) *Illius urbis in qua dæmoniorum conventus consedit.* Romam et Capitolium significat. Et Capitolium quidem in Apolog. pag. 7. Curiam Deorum esse ait, ubi scilicet Deorum synodus, ejusdem Apologetici cap. 6. Rig.

(b) *Ova honori Castrorum.* Spatia curriculorum in circo ovis notata fuisse ex Livio, Dione, et Cassiodoro primus annotavit Alciatus lib. 4. Parergon cap. ult. Quo etiam alludit Varro de re rustica lib. 1. Pam.

(c) *Qui illos ovo editos credendo, de cycno Jove non erubescunt.* Sic habet vetus exemplar Agobardi, nisi quod syllabam geminavit, *decus cygno*, quod est *de cucno*, sive *de cycno*. Rig.

(d) *Delphinos Neptuno vomunt col.* Juvenalis Sat. 6. *Consulit ante falas, delphinorumque columnas.* Septimius columnas dicit vomere delphinos, quasi de columnarum alvis emissos, ut per tubos et canales. Rig.

(e) *Obelisci enormitas.* De hoc Plinius lib. 36. cap. 9. Is autem Obeliscus, inquit, quem Divus Augustus in Circo magno statuit, excisus a rege Semneserteo, quo regnante Pythagoras in Ægypto fuit, centum viginti quinque pedum et dodrantis præter basim ejusdem lapidis. Is vero qui est in campo Martio novem pedibus minor a Sesostride. Pam.

(f) *Murciam enim deam marcoris, leg. Rigalt.* Augustinus IV. de Civit. Dei, cap. 16. Deam Murciam vocaverunt, quæ præter modum non moveret, ac faceret hominem, ut ait Pomponius, murcidum, id est, nimis desidiosum, et inactuosum. Rig. — *Murciam Deam amoris.* Insigniter deceptus Turnebus lib. 22. adv. c. 17, qui legit: *Murtiam enim Deam marmoris*, quod cum insolens illi videretur, corrigit *Deam marcoris*, aitque spectatum ad deam segnium Murtiam cujus meminit Arnobius. Vere legen-

Digitized by Google

CAPUT IX.

Nunc de artificio quo circenses exhibentur. Res equestris (*a*) retro simplex de dorso (1) agebatur, et utique communis usus reus non erat. Sed cum ad ludos coactus est, transiit a Dei munere ad dæmoniorum officia. Itaque Castori et Polluci deputatur hæc species, quibus equos a Mercurio distributos Stesichorus docet. Sed et Neptunus equestris est, quem Græci ἵππιον appellant. De jugo vero (2) quadrigas soli, bigas lunæ sanxerunt. Sed (3) et

> Primus Erichthonius currus et quattuor ausus
> Jungere equos, rapidusque rotis insistere victor.

Erichthonius Minervæ et Vulcani filius, et quidem de caduca in terram libidine, portentum est dæmonicum, imo diabolus ipse, non coluber. Si vero Trochilus (4) Argivus auctor est currus, primo (5) Junoni (*b*), id opus suum dedicavit. Si Romæ Romulus quadrigam primus ostendit, puto et ipse inter idola conscriptus, si idem est Quirinus. Talibus auctoribus quadrigæ productæ, merito et aurigis coloribus (*c*) idololatriam vestierunt, et ab initio duo soli fuerunt (6), albus et (*d*) russeus : albus hiemi, ob nives candidas ; russeus æstati, ob solis ruborem, voti erant. Sed postea tam voluptate, quam superstitione provecta, russeum alii Marti, alii album Zephyris consecraverunt ; Prasinum vero (7) terræ matri vel verno (*e*), Venetum cœlo et mari, vel autumno. Cum autem omnis species idololatriæ damnata sit a Deo, utique etiam illa damnatur, quæ elementis mundialibus (8) profanatur.

CAPUT X.

Transeamus ad scenicas res, quarum et originem communem, et titulos pares secundum ipsam ab initio ludorum appellationem et administrationem conjunctam cum re equestri jam ostendimus. Apparatus etiam ex ea parte consortes, quæ ad scenam spectat : nam a templis et aris, et illa infelicitate thuris et sanguinis (*f*) inter tibias et tubas itur, duobus inquinatissimis arbitris, funerum et sacrorum, designatore et haruspice. Ita cum de originibus ludorum ad circenses transimus, inde nunc ad scenicos ludos dirigimus, a loci vitio (9). Theatrum proprie sacrarium Veneris est. Hoc denique modo id genus operis in sæculo evasit. Nam sæpe (*g*) censores renascentia (10) cum maxime theatra destruebant, moribus consulentes, quorum scilicet periculum ingens de lascivia providebant, ut jam hinc ethnicis in testimonium cedat sententia ipsorum nobiscum faciens, et nobis in exaggerationem disciplinæ etiam humanæ prærogativa. Itaque Pompeius Magnus (*h*) solo theatro suo minor, cum illam arcem omnium turpitudinum exstruxisset, veritus quandoque memoriæ suæ censoriam animadversionem, Veneris ædem superposuit, et ad dedicationem edicto populum vocans, non theatrum, sed Veneris templum nuncupavit : Cui subjecimus, inquit, gradus spectaculo-

LECTIONES VARIANTES.

(1) De dorso *abest Rig.*
(2) De jugo vero *abest Rigalt.*
(3) Sane *Rigalt.*
(4) Acrophilus *Paris.*
(5) Patriæ Junoni *Wouw. M. S. Latin.*
(6) Et aurigas colorib. idololatriæ vestierunt. Et ab initio equi duo soli fuerunt *Wouwer.* nam equi initio duo soli fuerunt *Rigalt.*
(7) Veri *Latin.*
(8) Mundalibus *Jun.*
(9) Initio *Latin. Rig.*
(10) Enascentia? *Jun.* nascentia *Rig.*

COMMENTARIUS.

dum *amoris* cum Pamel. et res illustranda a Plinio lib. 15. cap. 29. ubi de Venere Myrtea aut Murtia. Lac.

(a) *Res equestris retro simplex agebatur.* In exemplari Agobardi legitur, *Res equestris retro simplex de dorso agebatur.* Retro simplex, hoc est, olim simplex agebatur, nimirum, perite equitandi studio simplici, nondum consecrata dæmoniis ulla ludorum equestrium solemnitate. Stultissimus aliquis apposuit, *de dorso*, cum ita belle sibi interpretari videretur Septimianum illud *retro*. At hic certe cautior fuit Isidorus : *Nam res equestris*, inquit, *antea simplex agebatur.* Rig.

(b) *Junoni id opus suum.* Legit Pamelius *primo* Junoni, alii *primæ Junoni*, sed Joannes a Wouv. ex Ms. correxit *patriæ*. Forte autem quia Juno Argiva, Trochilus Argivus opus illud primum populari deæ consecravit. Memoria forsan lapsus est Isidorus, qui hæc non de Trochilo sed de Ericthonio accipit. Le Pr.

(c) *Coloribus idololatriæ vestierunt.* Colores idololatriæ dicit colores idolis dicatos. Agitatorum factiones quatuor totidem coloribus distinguebantur : ruffatam Marti consecraverant ; albatam Zephyris ; prasinam Terræ matri : venetam Cœlo. Rig.

(d) *Albus et russeus.* Pro eo quod hic et bis postea russeus legitur, Gagnæus legebat, et similiter Isidorus, *roseus*. Verum nostram lectionem veram esse patet vel ex his verbis, *russeus æstati ob Solis ruborem*. Quum enim duo Soli ascribantur equi a Martiali, Xanthus et Æthon, et ξανθός græce rufeum significet flavum, et proinde etiam russeum. Eodem pertinent fere quatuor nomina equorum apud Ovid. Pyrois, Eous, Æthon et Phlegon, et quæ sunt apud Fulgentium Mythol. lib. 1. Erythræus, Actæon, Lampos, et Philogeus. Nam Pyrois, et Erythræus russeum etiam significat, si græcam derivationem spectemus. Pam.

(e) *Verno.* Cod. Agobardi, *Vero.* Cassiodorus Variar. 111. 51 : *Prasibus virenti Verno.* Rig.

(f) *Thuris et sanguinis.* Tibiæ scenam, Tubæ ad circum pertinebant, pariter ad scenam respicit, et sanguis circi feritatem. Le Pr.

(g) *Censores nascentia cum maxime theatra destruebant.* Ipse in Apologetico, cap. 6. *Theatra stuprandis moribus orientia statim destruebant.* Rig. — *Nam sæpe censores.*] Tumultuaria Romæ olim fuisse theatra certissimum est : lege namque cautum erat, ne perpetua essent, propter morum corruptelam. Theatra quippe Tertulliano nostro Apolog. c. 6. *stuprandis moribus orientia* dicuntur. Idem apud Athenienses observatum fuisse nemo ambigere potest : antequam enim stabilia fuerint, tumultuaria dicebantur, id enim ἐκρία significat. Sic.

> Ὥστ' εὐθὺς ἀναστάντες, ἀπὸ τῶν ἐκρίων
> ὑποβλέπουσ' ἡμᾶς.

Aristoph. in Θεσμ. Le Pr.

(h) *Pompeius Magnus.* Huic loco adsimilis omnino alter ille lib. 6. de all. Ubi loquitur de Alexandro Magno, et vocat illum, *sola gloria minorem*. En tibi Pompeius et Alexander (uterque enim dictus est Magnus) hic minor theatro suo, ille gloria. Lac.

Digitized by Google

rum : ita damnatum et damnandum opus templi titulo prætexuit, et disciplinam superstitione delusit. Sed Veneri et Libero convenit. Duo ista dæmonia conspirata et conjurata inter se sunt, ebrietatis et libidinis. Itaque theatrum Veneris, Liberi quoque domus est. Nam et alios ludos scenicos Liberalia proprie vocabant, præterquam Libero devotos, quod sunt Dionysia penes Græcos, etiam a Libero institutos. Et est plane in artibus quoque scenicis Liberi et Veneris patrocinium, quæ privata et propria sunt scenæ, de gestu et corporis fluxu. Nam mollitiam Veneri et Libero immolabant (1) : illi per sexum (*a*), illi per fluxum (2) (*b*), dissoluti (3). Quæ vero voce et modis et organis et lyris (4) transiguntur, Apollines et Musas (*c*) et Minervas et Mercurios mancipes habent. Oderis, christiane, quorum auctores non potes non odisse. Jam nunc volumus suggerere de artibus, et de his, quorum (5) auctores in nominibus exsecramur. Scimus nihil esse nomina mortuorum, sicut nec (6) ipsa simulacra eorum. Sed non ignoramus, qui sub istis nominibus et institutis simulacris operentur et gaudeant, et divinitatem mentiantur, nequam spiritus scilicet dæmones. Videmus igitur etiam artes eorum honoribus dicatas esse, qui nomina incolunt auctorum earum (7), nec ab idololatria vacare, quarum institutores (8) etiam propterea dii habentur. Imo quod ad artes pertinet, altius præscripsisse debemus, dæmonas ab initio prospicientes sibi inter cætera idololatriæ etiam spectaculorum inquinamenta, quibus hominem a Deo avocarent, et suo honori obligarent, ejusmodi quoque artium ingenia inspirasse. Neque enim ab aliis præoccupatum (9) fuisset, quod ad illos perventurum esset. Nec per alios tunc homines edidissent, quam per ipsos, in quorum nominibus et imaginibus et historiis fallaciam consecrationis sibi negotium acturæ (10) constituerant (11).

CAPUT XI.

Ut ordo peragatur, ineamus etiam agonum retractatum. Origo istis de ludorum propinquitate est. Inde et ipsi sacri vel funebres instituti, aut diis nationum aut mortuis fiunt. Proinde Tituli (12) : Olympia Jovi (*d*), quæ sunt Romæ capitolina (*e*) ; item Herculi Nemæa (13), Neptuno Isthmia, cæteri mortuarii (14) agones. Quid ergo mirum, si apparatus agonum idololatria conspurcat de coronis profanis, de sacerdotalibus præsidibus, de collegiariis ministris, de ipso postremo boum sanguine ? Ut de loco suppleam, ac de loco communi pro collegio artium Musicarum et Minervalium, et Apollinarium, etiam Martialium, per duellum, per tubam, stadio circum æmulantur (15), quod utique templum est, et ipsum ejus idoli, cujus solemnitates agit. Sed et gymnicas artes Castorum et Herculum et Mercuriorum disciplinæ prodiderunt.

CAPUT XII.

Superest illius (*f*) insignissimis spectaculi (16) acceptissimi recognitio (17). Munus dictum est ab officio (*g*), quoniam officium etiam muneris nomen est. Officium autem mortuis hoc spectaculo facere se veteres arbitrabantur, posteaquam illud humaniores atrocitate temperaverunt. Nam olim quoniam animas defunctorum humano sanguine propitiari

LECTIONES VARIANTES.

(1) De gestu et corporis flexu mollitiam Veneri et Libero immolant : *Paris.* de gestu et flexu corporis mollitiæ Veneris et Liberi immolant *Rigalt.*
(2) Luxum *Wouw. M. S.*
(3) Dissolutis *Paris. Rig.*
(4) Litteris *Paris. Jun.*
(5) Quarum *Jun.*
(6) Et *Rig.*
(7) Earum *abest Rig.*
(8) Institores *Jun.*
(9) Procuratum *Rig.*
(10) Acturi *Rig.*
(11) Constituerunt *Paris.*
(12) Tituli *abest Paris.*
(13) Capitolina, Apollini Pythia, Herculi Nemæa, *Jun.*
(14) Mortuorum varii, *Pam.*
(15) Ut s. c. æmulentur *Seml.*
(16) Indignissimi spectaculi, sed *Jun.* Insignissimi *Seml.*
(17) Recognitio munus dictum *Jun. ex M. S.*

COMMENTARIUS.

(a) *Illi per sexum, illi per fluxum, dissoluti.* Hoc est, Veneri per sexum dissolutæ, Libero per luxum dissoluto. Ambo dissoluti : illa per sexum, ille per fluxum. Rig.

(b) *Illi per sexum, illi per fluxum.* Sunt nimirum dissoluti et διαλελυμένοι. Apuleius Milesi 11. — *incessu perfluo fœminam mentirebantur.* Ὑγρὸν est βάδισμα apud Clem. Alexand. Le Pr.

(c) *Apollines et Musas.* Vel hinc confirmatur præcedens lectio, *Lyris* ; Nam, et Apollinis simulacro lyra adjungebatur, et Musis tribuebatur lyra septichordis, quemadmodum et Musica ab eis ita cognominata, atque adeo omnis generis, et vocum modi, et organata instrumenta reliqua. Recte etiam Minervis et Mercuriis eadem tribuuntur, eo quod artium omnium illi parentes tradantur. Plura vide apud Georg. Gyraldum de Diis Gentium. Pam.

(d) *Olympia Jovi.* Quanquam nonnullis otio abuti videatur, si horumce ludorum originem repeteremus; dicam tamen obiter, Ludos Olympicos celebratos primum fuisse sub Æschylo judice Atheniensium, in iisque Choræbum Heliensem victorem exstitisse. Nemæa fiunt in honorem Herculis qui leonem occidit in sylva Nemæa. Isthmia dicti sunt ludi gymnici, qui prius in Arcadia celebrati, ac postea in Isthmo Corinthiaco, erant autem sacri Neptuno. Le Pr.

(e) *Romæ Capitolina Apollini Pythia.* In omnibus libris scribitur ; *Capitolina, item Herculi Nemæa*, etc. Restituit Junius, interponens *Apollini Pythia*, quæ deerant. Nam cur ex quatuor ludis principibus unum omitteret? Itaque credibile est hæc verba abrasa ab inscientibus librariis, qui cum non intelligerent, qua mente Tertullianus dixisset *Capitolina*, deleverunt *Apollini*, putantes sacra apollinea esse eadem quæ Capitolina. Lac.

(f) *Superest illius insignissimi spectaculi acceptissimi recognitio.* Hæc omnino est antiqui exemplaris scriptura. Dicturus de Circo, hoc est, de gladiatoribus et agitatoribus equorum : Superest, inquit, recognitio illius spectaculi, quod esse acceptissimum solet viris etiam insignissimis. An vero sic emendamus ? *Superest illius insignissimi spectaculi, ac septissimi, recognitio.* Septissimum dixerit spectaculum, quod in Circo et amphitheatro, maxima undequaque populi corona circumseptum. Rig.

(g) *Munus dictum est ab officio.* Ut ludus ipse dictum *munus*, ita editor *munerarius*, et Floro *Munerator*, ubi loquitur de Spartaco, vide Lipsium. Cæterum ne putes etymologiam duci a Tertulliano : esset enim stultissima. Sed tantum ait munus dici ab officio ad

Digitized by Google

creditum erat, captivos vel malo ingenio (1) servos mercati in exsequiis immolabant. Postea placuit impietatem voluptate adumbrare. Itaque quos paraverunt armis, quibus tunc et qualiter poterant eruditos, tantum ut occidi discerent, mox edicto die Inferiarum apud tumulos erogabant (*a*). Ita mortem homicidiis consolabantur. Hæc muneris (2) origo, sed paulatim provecti ad tantam gratiam, ad quantam et crudelitatem, quia ferrum voluptati satis non faciebat (3), nisi et feris humana corpora dissiparentur. Quod ergo mortuis litabatur, utique parentationi deputabatur. Quæ species proinde idololatria est, quoniam et idololatria parentationis est species (*b*). Tam hæc quam illa mortuis ministrat. In mortuorum autem idolis dæmonia consistunt, ut et titulos consideremus : licet transierit hoc genus editionis ab honoribus mortuorum ad honores viventium, quæsturas dico et magistratus, et flaminia (4) et sacerdotia : cum tamen nominis dignitas idololatriæ crimine teneatur, necesse est quidquid dignitatis nomine administratur, communicet etiam maculas ejus, a qua habet caussas. Idem de apparatibus interpretabimur in ipsorum honorum suggestu deputandis, quod purpuræ, quod fasciæ, quod vittæ, quod coronæ, quod denique conciones et edicta (*c*), et pultes pridianæ (*d*) sine pompa diaboli, sine invitatione dæmonum non sunt. Quid ergo de horrido (5) loco (*e*) perorem, quem nec perjuria sustinent? pluribus enim et asperioribus numinibus (6) amphitheatrum consecratur, quam Capitolium omnium dæmonum templum est. Tot illic immundi spiritus considunt, quot homines capit. Ut et de artibus concludam, Martem et Dianam (*f*) utriusque ludi præsides novimus.

CAPUT XIII.

Satis, opinor, implevimus ordinem, quot et quibus modis spectacula idololatriam committant, de apparatibus, de locis. De sacrificiis quidem (7) certi sumus, nulla ex parte competere nobis ea, qui bis idolis (*g*) renuntiavimus, I *Cor.* VIII. Non quod idolum sit aliquid (ut Apostolus ait), sed quodquæ faciunt, dæmoniis faciunt, consistentibus scilicet in consecrationibus idolorum sive mortuorum, sive species (ut putant) deorum. Propterea igitur, quoniam utraque idolorum conditionis unius est, dum mortui et dii unum sunt, utraque idololatria abstinemus, nec minus templa, quam monumenta despuimus : neutram (*h*) aram novimus (*Act.* XX ; I *Cor.*, X), neutram effigiem adoramus : non sacrificamus, non parentamus, sed neque de sacrificato et parentato edimus, quia non possumus cœnam Dei edere, et cœnam dæmoniorum. Si ergo gulam et ventrem ab inquinamentis liberamus, quanto magis augustiora nostra, oculos et aures, ab idolothytis et necrothytis voluptatibus abstinemus, quæ non intestinis transiguntur, sed in ipso spiritu et anima digeruntur : quorum munditia magis ad Deum pertinet, quam intestinorum.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Vel mali status *Rig.*
(2) Muneri *Paris.*
(3) Ferarum voluptati satis non fiebat *Paris. Lat. Rig.*
(4) Flamina *Rig.*
(5) Horrendo *Rig.*
(6) Nominibus *Fran. Paris.*
(7) De sacrificiis; quo certi *Fran.*

COMMENTARIUS.

eum modum quo Suetonius dictus est Tranquillus, quia pater ejus dictus est *lenis*. Sic Vitruvius dictus est Pellio, si Alciato credis, non Pollio ut vulgo legitur, et ideo Pellio quia prius Cerdo. Est itaque quædam species ducendi nominis tantum a significatione. Lac.

(a) *Apud tumulos erogabant.* Potest simpliciter explicari, ut dicat, Dabant, præbebant gladiatores, qui decertarent ad tumulos ; sed rectius est ut explices *erogabant*, id est, expendebant consumebantque in rogum. Nam cum respectu ad rogos mortuorum dictum verbum *erogo*. Niti potest ista explicatio versibus Virgil. lib. 10 :

Quattuor hic juvenes, totidem quos educat Ufens
Viventes rapit, inferias quos immolet umbris.
Captivoque rogi perfundat sanguine flammas. Lac.

(b) *Idololatria parentationis est species.* Certe idololatria genus est ad omnem cultum idololatricum, si vivos et mortuos comprehendas : si vero tantum de mortuis sit sermo, quos ut plurimum agnovit idololatria gentilium [nam Jupiter, Mars, Neptunus, reliqui demum dii fuere homines mortui], tunc quidem parentatio est genus, idololatria species : nam cum parentatio sit omnis cultus exhibitus mortuis, non dubium quin hic possit esse vel idololatricus, vel non idololatricus. Lac.

(c) *Denique conciones et edicta.* Similiter loquitur Livius lib. 2. *concione*, inquit, *et edicto fecit fidem*, *ne quis* civem Romanum vinctum aut clausum teneret. Videntur itaque ante editionem muneris gladiatorii, aut inter sacrificandum, aut paulo post, variæ usurpatæ fuisse *conciones et edicta*, ut cum Tacito loquar, in populum ; quæ plerumque etiam edicebantur contra Christianos. Pam.

(d) *Et pultes pridianæ.* Pultium et liborum solitos deorum victus irridet Arnobius lib. 7. dicens se opinari propterea illis vino opus esse in sacrificiis, quo putrefiat facilius, et percoquatur cibus. et multo ante eodem lib. *Quid fritilla* (sic enim lego a frit. pro *fitilia*), *quid frumen : quid gratilla*, etc. Pam.

(e) *Quid de horrendo loco perorem, quem nec perjuria sustinent.* Circum significat, quasi ejus loci horrorem non sustinerent pejeraturi. Hoc est, horrore loci terrerentur ; adeoque pejeratum irent in Capitolium. Etenim jurisjurandi solemnia fiebant in Capitolio, non in Circo. Et notissimum est illud Plinii : *Alii in ipso Capitolio fallunt, ac fulminantem pejerant Jovem.* Denique Romulum ipsum pejerante Proculo consecratum in Capitolio colebant. Interpretationem nostram confirmant sequentia Septimii verba : *Pluribus enim et asperioribus numinibus Amphitheatrum consecratur quam Capitolium.* Rig.

(f) *Martem et Dianam.* Geminum amphitheatri spectaculum proponit : gladiatores scilicet quibus præerat Mars, et venationem, seu pugnam cum bestiis, quibus in venatibus præses erat Diana. Sic de Consulatu Manlii Theod. Claudianus :

Amphitheatrali faveat latonia pompæ. Le Pr.

(g) *Qui bis idolis renuntiavimus.* Primo, in Ecclesia sua antistitis manu, aliquanto prius ante lavacrum ; Deinde in ipso lavacro, aquam adituri. Sic enim solebant veteres, ut discimus ex libro de Corona, cap. 3.

(h) *Neutram aram novimus.* In templis Græcorum duo erant altaria, alterum majus, alterum minus : illud in medio situm ἅγιον τράπεζα dicebatur, hoc ad sinistram πρόθεσις appellabatur ut scripsit Simeon, archiepiscopus Thessalonicensis lib. de templ. sacerd. et mysta. Lac.

Digitized by Google

CAPUT XIV.

Nunc interposito nomine idololatriæ (*a*), quod solum subjectum sufficere deberet ad abdicationem spectaculorum, alia jam ratione tractemus ex abundanti : propter eos maxime qui sibi blandiuntur, quod non nominatim abstinentia ista præscripta sit, quasi parum etiam de spectaculis (1) pronuntietur (2), cum concupiscentiæ sæculi damnantur. Nam sicut pecuniæ, vel dignitatis, vel gulæ, vel libidinis, vel gloriæ ; ita et voluptatis concupiscentia est : species autem voluptatis etiam spectacula. Opinor, generaliter nominatæ (3) concupiscentiæ continent in se et voluptates : æque generaliter intellectæ voluptates specialiter et in spectacula disseruntur. Cæterum retulimus supra de locorum conditione, quod non per semetipsa nos inquinent, sed per ea quæ illic geruntur, per quæ simul inquinamentum combiberint, tunc et in alteros (4) respuunt (*b*).

CAPUT XV.

Viderit ergo, ut diximus (5), principalis titulus idololatriæ (6), reliquas ipsarum rerum qualitates contra Dei (7) omnes feramus (*c*). Deus præcepit Spiritum sanctum (*d*), utpote pro naturæ suæ bono tenerum et delicatum (*Eph.* IV), tranquillitate, et quiete et pace tractare, non furore, non bile, non ira, non dolore inquietare. Huic quomodo cum spectaculis poterit convenire? Omne enim spectaculum sine concussione spiritus non est. Ubi enim voluptas, ibi et studium, per quod scilicet voluptas sapit. Ubi studium, et æmulatio, per quam studium sapit. Porro et ubi æmulatio, ibi et furor et bilis, et ira et dolor (*e*), et cætera ex his quæ cum his non competunt disciplinæ. Nam etsi qui modeste et probe spectaculis fruitur, pro dignitatis vel ætatis, vel etiam naturæ suæ conditione : non tamen immobilis animi est (8) sine tacita spiritus passione. Nemo ad voluptatem venit sine affectu, nemo affectum sine casibus suis patitur. Ipsi casus incitamenta sunt affectus. Cæterum si cessat affectus, nulla est voluptas, et est reus jam ille vanitatis eo conveniens, ubi nihil consequitur. Puto autem, etiam vanitas extranea est nobis. Quid quod et ipse se judicat inter eos positus, quorum se similem nolens utique detestatorem confitetur? Nobis satis non est, si ipsi nihil tale faciamus, nisi et talia facientibus non conferamur. Si furem, inquit (*Ps.* 49), videbas, concurrebas cum eo. Utinam ne in sæculo quidem simul cum illis moraremur : sed tamen in sæcularibus separamur, quia sæculum Dei est, sæcularia autem diaboli.

CAPUT XVI.

Cum ergo furor (9) interdicitur nobis, ab omni spectaculo auferimur, etiam a Circo, ubi proprie furor præsidet. Aspice populum ad (10) spectaculum jam cum furore venientem, jam tumultuosum, jam cæcum, jam de sponsionibus concitatum. Tardus est illi Prætor, semper oculi in urna ejus cum sortibus volutantur. Dehinc ad signum anxii pendent, unius dementiæ una vox est. Cognosce (11) dementiam de vanitate. Misit dicunt (*f*), et nuntiant invicem, quod simul ab omnibus visum est. Teneo testimonium cæcitatis (*g*) : non vident quid sit : mappam missam putant ; sed est diaboli ab alto præcipitati (12) gula (13) (*h*). Ex eo itaque itur in furias et animos et

LECTIONES VARIANTES.

(1) De litteris *Paris.*
(2) Pronuntiemus *Rig.*
(3) Nomina *Pamel.*
(4) Et tunc altero *Rig.*
(5) Hic erit ergo, ut d. *Jun.*
(6) Idololatria *Rig.*
(7) Contrariis omnes *Franeq.*
(8) Immobili animo est *Jun.*
(9) Furore *Jun.*
(10) Id *add. Fran.*
(11) Cognosco *Rig.*
(12) Præcitati *Paris. Jun.*
(13) Figura, *Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) *Nunc interposito nomine idololatriæ.* Hoc est, nomine idololatriæ tantisper omisso, intermisso. Rig.

(b) *Tum altero respuunt.* Rig.) Codex Agobardi : *Et tum altero respuunt. Altero* dixit adverbialiter, quemadmodum *Alio* et sub finem libri 11. ad Uxor. *Alterutro.* Sic et *Alteras* positum olim fuisse ait Festus, pro eo quod est adverbium *Alias.* De hisce autem locorum inquinamentis, supra, cap. 3. Rig.

(c) *Contra Dei omnes feramus.* Sic restituimus ex codice Agobardi : *Feramus*, inquit, *res spectaculorum contra res Dei.* Nota locutio, Res Dei, pro divina seu Christiana disciplina. Contra ferre, est *contra ponere*, opponere, componere, committere, conferre. Rig.

(d) *Deus præcepit Spiritum S.* Alludit haud dubie ad illud Ephes. 4. « Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis. Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor et blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitia : indicans per posteriora illa verba explicari præcedentia.

(e) *Et ira et dolor.* Insigne hujus rei exemplum recitat Plinius lib. 7. cap. 7 : Universi, inquit, Pompeiani elephanti eruptionem tentavere, non sine vexatione populi, circumdati clathris ferreis. Sed amissa fugæ spe, misericordiam vulgi inenarrabili habitu quærentes, supplicaverę, quadam sese lamentatione complorantes tanto populi dolore, ut oblitus imperatoris ac munificentiæ honori suo exquisitæ, flens universus consurgeret, dirasque Pompeio, quas ille mox luit, pœnas imprecaretur. Pam.

(f) *Misit, dicunt.* Placet Budæi sententia, qui tradit signum fuisse committendorum aurigarum. Confirmatur idipsum ex Suetonio (Vit. Neron. c. 22), Martiali (l. 12) et Juvenali (Satir. 22). Certe nostram sententiam veram esse convincit Cassiodorus (Var. l. 3. ep. 51 ad Faustum præpos.) : Mappa, inquit, *quæ signum dare solet circensibus, tali casu fluxit in morem. Cum Nero prandium protenderet, et celeritatem, ut assolet, avidus spectandi populus flagitaret, ille mappam, qua tergendis manibus utebatur, jussit abjici per fenestram, ut libertatem daret certaminis postulati. Hinc tractum est, ut, ostensa mappa, certa videatur esse promissio circensium furorum.* Pam.

(g) *Teneo testimonium cæcitatis.* Hoc est, Accuso cæcitatis. Et cæcitatem explicat deinceps. Rig.

(h) *Sed est diaboli ab alto præcipitati gula.* Expressimus codicis vetustissimi scripturam. Antea legebatur : *Diaboli ab alto præcipitati figura*, acumine obtuso Alludit enim ad ea quæ sacris paginis traduntur de Satana, quem de cœlo Deus egit in tartara præcipitem. Itaque mappam illam Septimius, quam Prætor pro signo mittere solebat, mappam esse negat. Ait vero ipsum esse Diabolum, qui totus gula

Digitized by Google

et discordias, et quidquid non licet sacerdotibus pacis. Inde maledicta, convicia sine justitia, odii etiam suffragia (1) sine merito amoris. Quid enim consecuturi suum (2) illic agunt, qui sui non sunt? nisi forte hoc solum, per quod sui non sunt : de aliena infelicitate contristantur, de aliena felicitate lætantur. Quidquid optant, quidquid abominantur, extraneum ab illis est, ita et amor apud illos otiosus, et odium injustum. At forsitan sine (3) caussa amare liceat, quam sine caussa odisse. Deus certe etiam cum caussa prohibet odisse, qui inimicos diligi jubet. Deus etiam cum caussa maledicere non sinit, qui maledicentes benedici præcipit (*Matth.* V. *Marc.* VII. *Rom.* XIII). Sed Circo quid amarius, ubi ne principibus quidem aut civibus suis parcunt? Si quid horum quibus Circus furit, alicubi competit sanctis, etiam in Circo licebit. Si vero nusquam, ideo nec in Circo.

CAPUT XVII.

Similiter impudicitiam (*a*) omnem amoliri (4) jubemur. Hoc igitur modo etiam a theatro separamur, quod est privatum consistorium impudicitiæ, ubi nihil probatur, quam quod alibi non probatur. Ita summa gratia ejus de spurcitia plurimum concinnata est, quam Atellanus (*b*) gesticulator, quam mimus etiam per mulieres, repræsentat, sexum pudoris exterminans (*c*), ut facilius domi quam in scena erubescant; quam denique pantomimus a pueritia patitur in corpore, ut artifex esse possit. Ipsa etiam prostibula publicæ libidinis hostiæ in scena proferuntur, plus miseræ in præsentia feminarum, quibus solis latebant, perque omnis ætatis, omnis dignitatis ora transducuntur; locus, stipes, elogium, etiam quibus opus non est, prædicatur. Taceo de reliquis, ea quæ in tenebris et in speluncis suis delitescere decebat, ne diem contaminarent. Erubescat senatus, erubescant ordines omnes. Ipsæ illæ pudoris sui interemptrices, de gestibus suis ad lucem et populum expavescentes, semel anno erubescant (*d*). Quod si nobis omnis impudicitia exsecranda est, cur liceat audire quæ loqui non licet? Cum etiam scurrilitatem et omne vanum verbum judicatum a Deo sciamus, cur æque liceat videre, quæ facere flagitium est? Cur quæ ore prolata communicant hominem, ea per oculos et aures admissa non videantur hominem communicare : cum spiritui appareant aures (*e*) et oculi, nec possit mundus præstari, cujus apparitores inquinantur? Habes igitur et theatri interdictionem, de interdictione impudicitiæ.

CAPUT XVIII.

Sin et doctrinam sæcularis litteraturæ, ut stultitiæ apud Deum deputatam, aspernamur, satis præscribitur nobis et de illis speciebus spectaculorum, quæ sæculari litteratura lusoriam vel agonisticam (*f*) scenam (5) dispungunt. Quod si (6) tragœdiæ et comœdiæ scelerum et libidinum actrices (7), cruentæ et lascivæ, impiæ et prodigæ : nullius rei aut atrocis, aut vilis, commemoratio melior est : quod in facto rejicitur, etiam in dicto non est recipiendum. Quod si et stadium contendas in Scripturis nominari, sane obtinebis. Sed quæ in stadio geruntur, indigna conspectui (8) tuo non negabis, pugnos et calces et colaphos et omnem petulantiam manus, et quamcumque humani oris (9), id est, divinæ imaginis depugnationem. Non probatis usquam vanos cursus jacu-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Sine justitia odii; etiam suffragia *Rig.*
(2) Quod enim suum consecuturi sunt qui *Rig.*
(3) Et forsitan sine *Fran. Paris.* An fors sit. *Seml. Oberth.*
(4) Similiter nec impudicitiam omnem amare *Rig.*
(5) Scena *Jun.*
(6) Quod sint *Fran. Oberth.*
(7) Auctrices *Fran. Oberth.*
(8) Conspectu *Jun.*
(9) Humanioris *Fran.*

COMMENTARIUS.

totus gurges, totus vorago expanditur, et furit effusus toto circo, et sævit immaniter. Rig. — *Diaboli ab alto præcipitati.* Sic libro de Anima, pag. 319. Satanam prospectarit de cœlo præcipitatum. Rig.

CAP. XVII.—(a) *Similiter impudicitiam omnem amoliri jubemur.* In quo illum diserti imitantur B. Cypr. (*ep.* 2 *et l. de Spect.*, *c.* 5); Lactant. (*l.* VI, *c.* 20); Aug. (*l.* II, *de Civit. Dei*, *c.* 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12 *et* 13). Alludit autem hic Auctor ad illud Marci (VII), de quo reliqua citat sub finem hujus capitis : *Quæ de homine exeunt, illa communicant hominem*, etc.; fortassis et ad illud *Rom.* XIII : *Non in cubilibus et impudicitiis.* Pam.

(b) *Attelanus gesticulatur.* Ludiones Attellani notissimi sunt ab urbe Atella, vetusto Oscorum oppido : ea in urbe egregium erat olim amphitheatrum; videris. C. Hieronymum *epist. ad Sabinianum.* Le Pr.

(c) *Sexum pudoris exterminans.* Græca phrasis. Sexum longe a pudore abducens. græca locutio : statuens extra terminos pudoris. Rig.—*Sexum pudoris exterminans.* Retuli ad nudationem corporum, nam mimæ ita sæpe in theatro. Valer. Max. lib. 3. loquens de floralibus ait, M. Porcio Catone spectante hos ludos populum erubuisse postulare, ut mimæ nudarentur. Quod cum Cato cognosceret a Faonio amicissimo una secum sedente in ludis, discessit e theatro, ne præsentia sua spectaculi consuetudinem impediret. Lac.

(d) *Semel anno erubescant.* Floralibus scilicet, quos ludos a meretricia turba celebrari solitos narrat Ovidius Fastor. V. In iis enim meretricum, semper alias impudentium lascivia major, et liberiores joci. Sed ipsæ alias quidem in cellis et fornicibus pudorem exuunt, hic vero in propatulo. *Expavescant*, inquit, *ad lucem populum, et saltem semel anno erubescant.* Rig.

(e) *Cum spiritui appareant aures.* Sic et Tullius sensus vocat mentis satellites. Greg. Nyss. lib. de perfecta Christiani forma, δεχομένας τῆς ἀκοῆς τὴν ὑπήκοησιν *auribus imperium accipientibus*, ut quæ subditæ spiritui. Hic notetur locus Hieronymi lib. I. *adv. Jovinian.*, ubi ait quinque sensus reges fuisse et principes sæculi, ante adventum Christi : quos tamen JESUS ita subjecit, ut illos occisione interfecerit : ad quam rem accommodat locum Scripturæ. Lac.

CAP. XVIII.—(f) *Agonisticam scenam.* Quin hæc de histrionibus et pantominis accipienda sint nemo dubitet ἀγωνιστικαί Hesychio sunt ὑποκριτικαί, hoc est mimi. Caput autem istud et proxime sequens antiquorum impunitatem arguit; unde miror vehementer Christianos homines tantopere laborasse, ut turpitudinem suis commen-

Digitized by Google

latus et saltus vanissores, nusquam tibi vires aut injuriosæ aut vanæ placebunt, sed nec cura facilitii corporis, ut plasticam Dei supergressa. Et propter (1) otium Græciæ altiles homines (*a*) oderis. Et palæstrica diaboli negotium est (*b*). Primos homines diabolus elisit (*Genes.* III). Ipse gestus colubrina vis, est tenax ad occupandum, tortuosa ad obligandum, liquida ad elabendum. Nullus tibi coronarum usus est, quid de coronis voluptates aucuparis?

CAPUT XIX.

Expectabimus nunc (2) et amphiteatri repudium de Scripturis (3) (*Gen.* IX. *Exod.* XX. *Matth.* VI). Si sævitiam, si impietatem (*c*), si feritatem permissam nobis contendere possumus, eamus in amphiteatrum. Si tales sumus, quales didicimur, delectemur sanguine humano. Bonum est cum puniuntur nocentes. Quis hoc nisi nocens negabit? Et tamen innocens de supplicio alterius lætari non potest, cum magis competat innocenti dolere, quod homo par ejus tam nocens factus est, ut tam crudeliter impendatur. Quis autem mihi sponsor est, nocentes semper vel ad bestias vel ad quodcunque supplicium decerni, ut non innocentia (4) quoque inferatur, aut ultione judicantis, aut infirmitate defendentis, aut instantia quæstionis? Quam melius ergo est nescire cum mali puniuntur, ne sciam (*d*) et quum boni pereunt, si tamen bonum sapiunt. Certe quidem gladiatores innocentes in ludum veniunt, ut publicæ voluptatis hostiæ fiant. Etiam qui damnantur in ludum, quale est ut de leviore delicto in homicidas emendatione proficiant. Sed hæc ethnicis respondi. Cæterum absit ut de istius spectaculi aversione diutius discat Christianus: quanquam nemo hæc omnia plenius exprimere potest, nisi qui adhuc spectat malo non implere, quam meminisse.

CAPUT XX.

Quam vana igitur, imo desperata argumentatio eorum, qui sine dubio tergiversationem (5) admittendæ voluptatis (6) obtendunt, nullam ejus abstinentiæ mentionem specialiter (7) in Scripturis determinari, quæ directo prohibeat, ejusmodi conventibus interesse servum Dei. Novam proxime defensionem (*e*) suaviludii cujusdam (*f*) audivi. Sol (inquit), imo etiam ipse Deus de cœlo spectat, nec contaminatur. Plane sol et in cloacam radios suos defert (8), nec inquinatur. Utinam autem Deus nulla flagitia hominum spectaret, ut omnes judicium evaderemus. Sed spectat et latrocinia, spectat et falsa, et adulteria, et fraudes, et idololatrias, et spectacula ipsa. Idcirco ergo nos non spectabimus, ne videamur ab illo qui omnia spectat. Comparas (9), homo, reum et judicem: reum, qui quia videtur, reus est: judicem, qui quia videt, judex est. Numquid ergo et extra limites circi furori studemus, et extra cardines theatri impudicitiæ intendimus, et insolentiæ extra studium, et immisericordiæ extra amphitheatrum, quod deus etiam extra cameras, et gradus (*g*), et apulias (*h*) (10) oculos habet. Erramus, nusquam et nunquam excu-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Supergressæ propter *Fran.*
(2) Ut *add. Fran.*
(3) Petamus *add. Fran.*
(4) Innocentiæ *Paris.*
(5) Tergiversatione *Rig.*
(6) Voluptati *Jun.*
(7) Vel localiter *add. Fran.*
(8) Deflexit *Jun. ex M. S.*
(9) Compares. *Seml.*
(10) Ἐκκυλίας *Wouw. corrigit.*

COMMENTARIUS.

tariis non modo revelarent, sed et multis exponerent. Le Pr. — *Agonisticam scenam.* Quanquam prima facie pertinere istud adhuc videatur ad theatrum, certe et in olympiis, ac quinquenniorum certaminibus quæ in stadio fiebant more Græcorum (quo pertinet illud *propter Græciæ otium*) cœperunt tandem etiam comœdiæ et tragœdiæ celebrari. Pam.

(a) *Altiles homines.* Athletas seu palæstritas intelligit, ab gymnasiarchis ali solitos summa cura, ut essent viribus ad certamina valentissimis nobiles. Talium vero certaminum studiosissimi erant Græci, publicæ securitatis otio gaudentes. Hæc enim patiebantur longæ pacis mala. Altiles homines Septimius dixit, ut Varo et Martialis boves et gallinas altiles, pro opimis et saginatis. Sic lib. de Pœnitentia, Enormem altilium saginam, pag. 147. Rig.

(b) *Et palæstrica diaboli negotium est.* Palæstra, inquit Isodorus vel ἀπὸ τῆς πάλης, id est a luctatione, vel ἀπὸ τοῦ πάλλειν, id est a motu ruinæ fortis, scilicet quod in luctando, cum medios arripiant, fere quatiant, idque apud Græcos πάλλειν vocatur. Et recte quidem ille, non secus ac qui derivant ἀπὸ τοῦ πάλλειν, id est a motu urnæ, eo quod ducta forte luctabantur. Nam πάλλειν vibrare, et concutere, et fortiri significat. Pam.

CAP. XIX.—(c) *Si Sævitiam, si impietatem.* Alludit ad Scripturas interdicentes sævitiam, impietatem, feritatem. Quales sunt imprimis illa Genes. IX. *Qui effuderit sanguinem hominis, pro sanguine hominis ejus effundetur.* Deinde præceptum Decalogi, Exod., XX, *Non occides* illique correspondet sermo Domini in monte, Matth. VI, et complures alii. Pam.

(d) *Ne sciam et quum boni pereunt, si tamen bonum sapiunt, certe quidem, etc.* De ethnicis loquitur, qui magistratum ethnicorum sententiis ad bestias damnantur. Ait igitur: Quis autem mihi sponsor est, nocentes semper damnari, ut non quandoque etiam innocentes? Quam melius ergo est, nescire quum mali puniuntur! ne sciam et quum boni pereunt. Hic vero, ne quis christianus obstreperet, Ergo sunt inter ethnicos boni, corrigit semetipsum, si tamen bonum sapiunt, inquit, hoc est, si tamen est ullus boni sapor hominibus ad Christum minime pertinentibus! Deinde adjicit: Certe quidem gladiatores innocentes in ludum veniunt, ut publicæ voluptatis hostiæ fiant. Jam non dicit, bonos; sed tantum innocentes, qui non damnati, sed ultro in ludum veniunt. Rig.

CAP. XX.— (e) *Novam proxime defensionem suaviludii cujusdam audivi.* Sic lib. de Baptis.: *Audivi Domino teste, ejusmodi*, etc. Rig.

(f) *Suaviludii cujusdam.* Eodem modo dixit Suaviludios vestros lib. de corona militis, quos recte Rhenanus ibi interpretatur, eos qui ex Christianis spectaculorum adhuc oblectamentis, seu suavitate ludorum delectabantur. Pam.

(g) *Extra gradus.* In circo gradus fuisse patet ex Suetonio. Hinc lex illa Othonis, Livio et Plinio testibus, ne quis nisi cui 400 essent sestertia ex 14 gradibus spectaret: cum legem Juliam theatralem alicubi Plinius nuncupat. Pam.

(h) *Et apulias.* Sic legitur in cod. Agobardi. Atque hoc vocabulo significari videntur vela quæ in theatris

Digitized by Google

satur quod Deus damnat. Nusquam et nunquam licet, quod semper et ubique non licet. Hæc est veritatis integritas (*a*), et quæ ei debetur disciplinæ plenitudo et æqualitas timoris, et fides obsequii, non immutare sententiam, nec variare judicium. Non potest aliud esse, quod vere quidem est bonum seu malum. Omnia autem penes veritatem Dei fixa sunt.

CAPUT XXI.

Ethnici (*b*), quos penes nulla est veritatis plenitudo, quia nec doctor veritatis Deus, malum ac bonum pro arbitrio ac libidine interpretantur, alibi bonum quod alibi malum, et alibi malum quod alibi bonum. Sic ergo evenit, ut qui in publico vix necessitate vesicæ tunicam levet, idem in circo alifer non exsultet (1), nisi totum pudorem in faciem omnium intentet; et qui (2) filiæ virginis ab omni spurco verbo aures tuetur, ipse eam in theatrum ad illas voces gesticulationesque deducat; et qui in plateis litem manu agentem aut compescit, aut detestatur, idem in stadio gravioribus pugnis suffragium ferat; et qui ad cadaver hominis communi lege defuncti exhorret, idem in amphiteatro derosa et dissipata (*c*), et in suo sanguine squalentia corpora patientissimis oculis desuper incumbat. Imo qui propter homicidæ pœnam probandam ad spectaculum veniat, idem gladiatorem ad homicidium flagellis et virgis compellat invitum; et qui insigniori cuique homicidæ leonem poscit, idem gladiatori atroci petat rudem, et pileum (*d*) præmium conferat: illum vero (3) confectum (*e*) etiam oris (4) spectaculo repetat, libentius recognoscens de proximo, quem voluit (5) occidere de longinquo, tanto durior si noluit (6).

CAPUT XXII.

Quid mirum de (7) inæquata ista hominum miscentium et commutantium statum boni et mali per inconstantiam sensus et judicii varietate (8)? Etenim ipsi actores (9) et administratores spectaculorum, quadrigarios, scenicos, xystices, arenarios (*f*) illos amentissimos (10), quibus viri (11) animas (*g*), fœminæ, aut illi etiam, corpora sua substernunt, propter quos in ea committunt quæ reprehendunt, ex eadem arte (12), quam (13) magnificiunt, deponunt (14), imo manifeste damnant ignominia et capitis minutione (*h*), arcentes curia, rostris, senatu, equite, cæterisque honoribus omnibus simul ac ornamentis quibusdam. Quanta perversitas! Amant quos mulctant, depretiant quos probant. Artem magnificant, artificem notant. Quale judicium est, ut ob ea quis offuscetur, per quæ promeretur? Imo quanta confessio est malæ rei, cujus auctores (15), cum acceptissimi sint, sine nota non sunt!

CAPUT XXIII.

Quum igitur humana recordatio, etiam obstrepente gratia voluptatis, damnandos eos censeat, ademptis bonis dignitatum in quemdam scopulum famositatis, quanto magis divina justitia in ejusmodi artifices animadvertit? An Deo placebit auriga ille tot animarum inquietator, tot furiarum (*i*) minister,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Exuat *Wouw. M. S.*
(2) Ut qui *Wouw. M. S.*
(3) Et pileum illum vero *Rig.*
(4) Amoris *Fran. Paris. Oberth.*
(5) Quem noluit *Cod. Wouw.*
(6) Si voluit *Cod. Wouw.* si non voluit *Rig.*
(7) De, abest *Rig.*
(8) Varietatem *Paris.*
(9) Auctores *Seml. Oberth. Leop.*
(10) Amantissimos *Fran.*; amatissimos *Cod. Wouw.*
(11) Viles animas *Fran. Oberth.*
(12) Parte *Fran.*
(13) Qua *Rig.*
(14) Et deminuunt *add. Fran.*
(15) Cujus actores *Wouw. M. S.*

COMMENTARIUS.

et amphitheatris, ad ornatum, et ad excludendos ictus solis fervidos. Ea vero quandoque purpurea, quo colore præstantissimæ, ut versimile est, lanæ imbuebantur, quales ex Apulia. Martialis, *Velleribus primis Apuleia.* Unde et velis nomen Apularium. Rig.

(*a*) *Veritatis integritas.* Incorrupta debet esse veritas quæ et virginitatis nomine aliquando donatur. unde hæretici veritatem cauponari seu corrumpere dicuntur, τὴν ἀλήθειαν καπηλεύειν, can. 2. synodi Trullanæ, ubi recensentur canones tum Apostolorum, tum superiorum conciliorum, quibus adhærendum decernitur. Le Pr.

CAP. XXI. — (*b*) *Ethnici, quos penes nulla est veritatis plenitudo.* Hoc est, quod supra explicavimus, Si tamen bonum sapiunt. Rig.

(*c*) *Et dissipata.* Intellige hanc vocilam, et simul cape incredibilem atrocitatem ludi gladiatorii. Solebat victor gladiator ita frequenter vulnera repetere, ut victum miserum dissiparet in partes, divideretque horrenda laceratione. Testis hujus crudelitatis Lactant.: *quin etiam percussos jacentesque repeti jubent spectatores, et cadavera ictibus dissipari, ne quis illos simulata morte deludat.* Habentur hæc lib. VI. c. 20. Lac.

(*d*) *Petat rudem et Pileum.* Rudis et pileus signa libertatis, rude nimirum seu baculo grandiore donabantur gladiatores qui in arena feliciter pugnaverant, atque rudiari dicebantur. Le Pr.

(*e*) *Illum vero confectum etiam oris spectaculo repetat.* Ut etiam os et vultum expirantis intueri velit. Rig.

CAP. XXII.— (*f*) *Arenarios.* Ludus quippe gladiatorius, sicut et amphitheatrum, dictus κατ' ἐξοχὴν arena. Nam tametsi hæc sparsa in locis aliorum ludorum, sed nomen ipsum tantum communicatum est amphitheatro, pessime vero Barræus explicat: « Quadrigarios et arenarios, illos qui currus reficiebant, istos qui arenam deferebant in amphitheatrum ». Non est ita; aurigas et gladiatores intelligit. Lac.

(*g*) *Quibus viri animas, fœminæ, aut etiam illi, corpora sua substernunt.* Gladiatores significat, amatos ad insaniam usque et viris et fœminis: viris, etiam ex nobilium ordine, in arenam descendentibus; fœminis quoque nobilissimis, imo et viris, pudicitiam suam vilissimi alicujus mirmillonis aut retiarii amore profligantibus. Cujus insaniæ exempla suggerit sexta Juvenalis satira. Rig.

(*h*) *Et capitis minutione.* Hæc phrasis est jureconsultorum apud quos est D. lib. IV, tit. 5. de capite diminutis. Pam.

CAP. XXIII.—(*i*) *Tot furiarum minister, tot statuum.* Notat furiosa veterum circa aurigas sive agitatores studia, in quæ sæpenumero contrariis votis spectantium mentes scindebantur; aliis prasinæ factioni, aliis venetæ faventibus: unde animorum varii motus, et varii status, pro varia scilicet agitatione, ministrati. Itaque vulgatam ab Rhenano et Pamelio lectionem retinemus,

Digitized by Google

tot statuum, ut (1) sacerdos coronatus, vel coloratus ut leno, quem curru rapiendum diabolus adversus Heliam exornavit? Placebit et ille (2), qui vultus suos novacula mutat? infidelis erga faciem suam, quam non contentus Saturno et Isidi et Libero proximam facere, insuper contumeliis alaparum sic objicit, quasi de præcepto Domini ludat? Docet scilicet et diabolus verberandam maxillam patienter offerre (*Matth.* VI). Sic et tragœdos cothurnis extulit, quia nemo potest adjicere cubitum unum ad staturam suam (*Luc* XII) : mendacem facere vult Christum. Jam vero ipsum opus personarum, quæro an Deo placeat, qui omnem similitudinem vetat fieri, quanto magis imaginis suæ. Non amat falsum auctor veritatis (*Exod.* XX) : adulterium est apud illum omne quod fingitur. Proinde vocem, sexus, ætates mentientem, amores, iras, gemitus, lacrymas adseverantem non probabit, qui omnem hypocrisin damnat. Cæterum cum in lege præscribit, maledictum esse qui muliebribus (*a*) vestietur (*Deut.* XXII), quid de pantomimo judicabit, qui etiam muliebribus (*b*) curatur (3)? Sane et ille artifex pugnorum impunitus ibit? Tales enim cicatrices cæstuum, et callos pugnorum, et aurium (4) fungos a Deo cum suo plasmate (5) accepit. Ideo illi (6) oculos Deus plasmavit, ut vapulando deficiant. Taceo de illo, qui hominem leoni præ se opponit, ne parum sit homicida (*c*), (7) qui eumdem postmodum jugulat.

CAPUT XXIV.

Quot adhuc modis perorabimus, nihil ex his quæ spectaculis deputantur, placitum Deo esse aut congruens Dei servis (8), quod Domino placitum non sit, si omnia propter diabolum instituta, et ex diaboli rebus instructa monstravimus : nihil enim non diaboli est, quidquid Dei non est, vel Deo displicet : hoc erit pompa diaboli, adversus quam in signaculo fidei ejeramus. Quod autem ejeramus, neque facto, neque dicto, neque visu, neque prospectu participare debemus. Cæterum nonne ejeramus et rescindimus signaculum, rescindendo testationem ejus? Numquid ergo superest ut ab ipsis ethnicis responsum flagitemus? Illi jam nobis renuntient, an liceat christianis spectaculo uti. Atquin hinc vel maxime intelligunt factum christianum, de repudio spectaculorum. Itaque negat manifeste, qui per quod agnoscitur tollit. Quid autem spei superest in hujusmodi homine? Nemo in castra hostium transit, nisi projectis armis suis, nisi destitutis signis et sacramentis (*d*) principis sui, nisi pactus simul perire.

CAPUT XXV.

An ille recogitabit eo tempore de Deo, positus illic ubi nihil est de Deo? pacem, opinor, habebit in animo contendens pro auriga; pudicitiam ediscet, attonitus in mimos. Imo in omni spectaculo nullum magis scandalum occurret, quam ipse ille mulierum et virorum accuratior cultus : ipsa consensio, ipsa in favoribus (*e*) aut conspiratio aut dissensio inter se de commercio (*f*) scintillas libidinum constabellant (*g*). Nemo denique in spectaculo ineundo prius cogitat, nisi videri et videre. Sed tragœdo vociferante (*h*), exclamationes ille alicujus prophetæ retractabit, et inter effœminati histrionis modos psalmum secum comminiscetur, et cum athletæ agent,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Velut *Wouw. M. S.*
(2) Et ille *abest Rigalt.*
(3) Utatur *Wouw. M. S.*
(4) Rudium *Latin.*
(5) Cum plasmaretur *Rig.*
(6) Illos *Rig.*
(7) Quam, *add. Pam. Seml.*
(8) Servo Dei *Rig.*

COMMENTARIUS.

nihil enim hic juvat mutila codicis Agobardini scriptura, *Tot furiarum minister, tot status ut leno.* Cassiodorus : « Transit prasinus; pars populi mœret; præcedit venetus; et potior turba civitatis affligitur, nihil proficientes ferventer insultant; nihil patientes graviter vulnerantur : et ad inanes contentiones sic descenditur, tanquam de statu periclitantis patriæ laboretur. » Rig.

(a) *Qui muliebribus vestietur.* Illud quoque B. Cyprianus exagitat ep. 61, ad Euchratium. Atqne can. 62 concilii in Trullo prohibetur, ne vir fœmineis vestibus, atque etiam ne fœmina virorum vestibus utatur, aut comicas personas, satiricas, aut tragicas quisquam induat. Le Pr.

(b) *Qui etiam mulieribus curatur.* Qui nimirum et voce et gestu et incessu accuratissime effœminatur, ut saltandis fœminarum fabulis pro fœmina haberi possit. Rig.

(c) *Ne parum sit homicida, qui eumdem postmodum jugulat.* Gladiatoribus commissis populus nonnunquam deposcebat leonem. Emisso leone, gladiator periculo proximus, quacunque arte poterat, subtili recessu aut declinatione, commilitonem opponebat. Plerumque autem accidebat, ut secundus iste gladiator, post rem cum leone feliciter gestam, repetita commissione gladiatoria, cum primo illo compositus, jugularetur. Hac ratione, primus ille Tertulliano dicitur non parum homicida, hoc est, iterum homicida : nempe jam semel, cum hominem leoni præ se opposuit; iterum vero, cum eumdem ipsum, cujus se corpore texerat, postmodum jugulavit. Denique non parum homicida est, qui servatorem suum jugulat. Rig.

CAP. XXIV. — (d) *Signis et sacramentis.* A militia sumptum ut reliqua hujus tractatus. Fulbertus Carnotensis epist. 41. Lac.

CAP. XXV. — (e) *Ipsa in favoribus aut conspiratio, aut dissensio inter se de commercio scintillas libidinum conflabellant.* Itaque hoc etiam præcipit magister Artis, lib. I :

Cujus equi veniant facito studiose requiras :
Nec mora, quisquis erit cui favet illa, fave etc. Rig.

(f) *De commercio.* Jungenda hæc vox cum sequentibus, non cum præcedentibus : attende itaque interpunctioni nostræ. Junius commercium explicat ἐπιμιξίαν, nam olim, teste Velio Longo, dictum commercium a commiscendo esse, ex litterarum commutatione. Originatio ista hic ad rem, nam a promiscua conjunctione scintillæ libidinum. Quod illustratur cap. 2. lib. III. pædag. Clem. Alex. et cap. 7. lib. II. Lac.

(g) *Scintillas conflabellant.* Codex Agob. *Flagellant*, non spernenda lectione : quamvis ipse Tertullianus adversus Valentinianos, dixerit, *Ignem inflabellatum corporibus.* Scintillas autem absistere oculis dixit Virgilius; et absistendo quasi flagellant. Rig.

(h) *Sed tragœdo vociferante.* Studium fuit tragi-

Digitized by Google

ille dicturus est repercutiendum non esse (*Matth.* V) ? Poterit et de misericordia moneri defixus in morsus ursorum et spongias retiariorum (*a*)? Avertat Deus a suis tantam voluptatis exitiosæ cupiditatem. Quale est enim de Ecclesia Dei (*b*) in diaboli Ecclesiam tendere? de cœlo (quod aiunt) in cœnum? illas manus quas ad Dominum extuleris (*c*), postmodum laudando histrionem fatigare? ex ore quo *amen* in Sanctum protuleris (*d*), gladiatori testimonium reddere, εἰς αἰῶνας απ' αἰῶνος (1) (*e*) alii omnino dicere nisi Deo Christo?

CAPUT XXVI.

Cur ergo non ejusmodi etiam dæmoniis penetrabiles fiant? Nam et exemplum accidit, Domino teste, ejus mulieris (*f*) quæ theatrum adiit, et inde cum dæmonio rediit. Itaque in exorcismo cum oneraretur immundus spiritus, quod ausus esset fidelem aggredi : constanter et justissime quidem (inquit) feci, in meo eam inveni. Constat et alii linteum in somnis ostensum ejus diei nocte, qua tragœdum audierat, cum exprobratione nominato tragœdo, nec ultra quintum diem eam mulierem in sæculo fuisse. Quot utique et alia documenta cesserunt de his qui cum diabolo apud spectacula communicando a Domino exciderunt. *Nemo enim potest duobus dominis servire* (*Matt.*, VI; II *Cor.* VI; *Eccl.*, XXXIII). Quid luci cum tenebris? quid vitæ et morti?

CAPUT XXVII.

Odisse debemus istos conventus et cœtus ethnicorum, vel quod illic nomen Dei blasphematur, illic quotidiani in nos leones expostulantur, inde persecutiones decernuntur, inde tentationes emittuntur. Quid facies in illo suffragiorum impiorum æstuario deprehensus, non quasi aliquid illic pati possis ab hominibus, nemo te cognoscit christianum, sed recogita quid de te fiat in cœlo. Dubitas enim illo momento, quo in diaboli Ecclesia fueris (2), omnes angelos prospicere de cœlo, et singulos denotare, quis blasphemiam dixerit, quis audierit, quis linguam, quis aures diabolo adversus Deum administraverit? (*Ps.* I). Non ergo fugies sedilia hostium Christi, illam cathedram pestilentiarum (3), ipsumque aerem, qui desuper incubat, scelestis vocibus constupratum? Sint dulcia licet et grata et simplicia, etiam honesta quædam. Nemo venenum temperat felle et elleboro, sed conditis pulmentis et bene saporatis, et plurimum dulcibus id mali injicit : ita et diabolus letale quod conficit, rebus Dei gratissimis et acceptissimis imbuit. Omnia illic seu fortia, seu honesta, seu sonora, seu canora, seu subtilia, proinde habe ac si stillici-

LECTIONES VARIANTES.

(1) ἀπ' αἰῶνος *abest Rig.*
(2) Quo diabolus in Ecclesiam furit *Cod. Wouw. Rig.*
(3) Pestilentiariam *Fran.*

COMMENTARIUS.

corum vastissime loqui et vociferanter. Illustrat Heraldus in Arnobium, lib. 7. ex Crantore, qui apud Diogenem dicebat tragœdos habere vocem ἀπτλέκτον. Ex Demosthene qui Æschini objicit φωνασκίας ἐπίδειξιν. Nam Æschines histrioniam exercuerat. Lac.

(a) *Spongias retiariorum.* Spongias dicit retia sic apta certamini, ut effusa in adversarium sese expanderent, confestimque contracta sic prehensum attraherent, non ut vivus caperetur, sed ut retiarii fulcina seu tridente confoderetur. Tale forte an fuit rete quo Pittacus Phrynona Pancratiasten singulari certamine involutum correptumque interfecit. Σπόγγον Græci dixere παρὰ τὸ σταφν, et σφόγγον, quod propius accedit ad verbum σφίγγειν, utrumque retiariorum certamini conveniens. Nam sunt retiarii σπαστικοὶ πρὸς αὐτούς. — *Spongias retiariorum.* Mitto quæ Rigaltius adduxit. Retiarii spongiis uti solebant ad extergendum sanguinem e vulneribus defluentem. Le Pr.

(b) *Quale est enim de Ecclesia Dei.* Etiam ad sæculum Augustini durasse istam perversitatem testatur sanctissimi viri gravis querela in psal. 39 : *Quantis turbis implentur Ecclesiæ, stipantur parietes, pressuris se urgent, prope se suffocant multitudine. Rursus ab eis ipsis, si mimus est, curritur ad amphitheatrum.* Et in psal. 50 : *Si forte in ipso Circo aliqua ex caussa expavescant, continuo se signant, et stant illic portantes in fronte, unde abcederent, si hoc in corde portarent.* Rig.

(c) *Illas manus quas ad Deum extuleris.* Dolet, eas manus quæ sublatæ ad Deum, occupari rei idololatricæ. Eadem querela magni Athanasii Apolog. adversus gentes, ubi dolet membra dicata Deo, inservire idolorum obsequio, interque alia adducit etiam manus quæ factæ εἰς ἔκτασιν τῆς πρὸς τὸν Θεὸν εὐχῆς. Putant aliqui verba Tertulliani (in his est Stephanus Dur. de ritib. eccl.) capienda esse de manuum sublatione ad adorandum corpus Christi, cum in missa attollitur. Lac.

(d) *Ex ore quo* amen *in Sanctum protuleris.* Sanctum intellige, mysterium, sacramentum, Corpus Domini. Etenim Fidelis quisque oblatam sibi a præside eucharistiæ buccellam cum his verbis, CORPUS CHRISTI, accipiens dicebat, AMEN, quod est, Fiat. Augustinus Sermone ad infantes de Sacram. : *Si ergo vos estis corpus Christi et membra, mysterium vestrum in mensa Domini positum est : mysterium Domini accipitis. Ad id quod estis, Amen respondetis, et respondendo subscribitis. Audis ergo*, CORPUS CHRISTI, *et respondes*, AMEN. *Estò membrum corporis Christi, ut verum sit Amen.* Ambrosius lib. IV de Sacram. cap. 5. *Dicit tibi sacerdos*, CORPUS CHRISTI, *et tu dicis* AMEN, *hoc est Verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus.* Cornelius Episcopus Rom. in illa epistola quæ refertur ab Eusebio lib. V Hist. eccl. cap. 31. jure notavit sacrilegam Novati mentem, eo quod ab suarum partium fratribus Eucharistiam accipientibus, pro formula solemni, qua porrigenti sacramentum, dicentique corpus Christi respondebatur, Amen, jusjurandum adversus Pontificem Rom. exigit. ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν λαμβάνοντα τὸν ἄρτον ἐκεῖνον, τὸ ἀμήν. Rig.

(e) ΕΙΣ ΑΙΩΝΑΣ ΑΠ' ΑΙΩΝΩΜ. In cod. Agobardi tantum legitur, ΕΙΣ ΑΠ' ΑΙΩΝΟΣ. *alii omnino dicere, nisi Deo et Christo.* Notat Tertullianus quod acclamatum fuisse Commodo Narrat Dio, ΝΙΚΑΣ ΝΙΚΗΣΕΙΣ ΑΠ' ΑΙΩΝΟΣ. lib. LXXII. Rig.

CAP. XXVI. — (f) *Ejus mulieris.* Exemplum istud laudatissimum atque omnium vulgo in ore. Suspicarer hic mulierem illam a dæmone obsessam, quod forsan inconsulto aut renitente marito adiverit spectacula. Caussa enim ista erit repudii, ut legitur lib. 5. C. tit. 17. de Repudiis. Le Pr.

Digitized by Google

dja (*g*) mellis de ranunculo (1) venenato (*b*) : nec tanti gulam facias voluptatis, quanti periculum per suavitatem.

CAPUT XXVIII.

Saginentur ejusmodi dulcibus convivæ sui, et loca et tempora et invitator ipsorum est. Nostræ cœnæ, nostræ nuptiæ nondum sunt, non possumus cum illis discumbere, quia nec illi nobiscum. Vicibus disposita res est. Nunc illi lætantur, nos conflictamur (*Joan.*, XVI). *Sæculum* (inquit) *gaudebit, vos tristes eritis.* Lugeamus ergo dum ethnici gaudent, ut quum lugere cœperint, gaudeamus, ne pariter nunc gaudentes, tunc quoque pariter lugeamus. Delicatus es, christiane, si et in sæculo voluptatem concupiscis, imo nimium stultus, si hoc existimas voluptatem. Philosophi quidam (2) (*c*) hoc nomen quieti et tranquillitati dederunt, in ea gaudent, in ea avocantur, in ea etiam gloriantur. Tu mihi metas (*d*) et scenas et pulverem et arenas suspiras. Dicas velim; non possumus vivere sine voluptate, qui mori cum voluptate debebimus? Nam quod est aliud votum nostrum, quam quod et Apostoli, exire de sæculo, et recipi apud Dominum (*Phil.* I)? Hic voluptas, ubi et votum.

CAPUT XXIX.

Jam nunc si putas (3) delectamentis exigere spatium hoc, cur tam ingratus es, ut tot et tales voluptates a Deo contributas tibi satis non habeas, neque recognoscas? Quid enim jucundius, quam Dei patris et domini reconciliatio, quam veritatis revelatio, quam errorum recognitio, quam tantorum retro criminum venia? Quæ major voluptas, quam fastidium ipsius voluptatis, quam sæculi totius contemptus, quam vera libertas, quam conscientia integra, quam vita sufficiens, quam mortis timor nullus; quod calcas deos nationum, quod dæmonia expellis, quod medicinas facis, quod revelationes petis, quod Deo vivis? Hæ voluptates, hæc spectacula christianorum, sancta, perpetua, gratuita : in his tibi ludos Circenses (*e*) interpretare, cursus sæculi intuere, tempora labentia, spatia dinumera, metas consummationis exspecta, societates Ecclesiarum defende, ad signum Dei suscitare, ad tubam angeli erigere, ad martyrii (4) palmas gloriare. Si scenicæ (5) doctrinæ delectant, satis nobis litterarum est, satis versuum est, satis sententiarum, satis etiam canticorum, satis vocum; nec fabulæ, sed veritates; nec strophæ (*f*), sed simplicitates. Vis et pugillatus et luctatus? præsto sunt, non parva, sed multa (6). Adspice impudicitiam dejectam a castitate, perfidiam cæsam a fide, sævitiam a misericordia contusam, petulantiam a modestia obumbratam (7), et tales sunt apud nos agones, in quibus ipsi coronamur (*g*). Vis autem et sanguinis et aliquid (*h*)? habes Christi.

CAPUT XXX.

Quale autem spectaculum in proximo est adventus Domini jam indubitati, jam superbi, jam triumphantis! Quæ illa exsultatio angelorum, quæ gloria resurgentium sanctorum! quale regnum exinde justorum! qualis civitas nova Hierusalem (*i*)! At enim supersunt alia spectacula, ille ultimus et perpetuus judicii dies, ille nationibus insperatus, ille derisus, cum tanta sæculi vetustas, et tot ejus nativitates uno igni haurientur. Quæ tunc spectaculi latitudo (*j*)! quid admirer? quid rideam? ubi gaudeam, ubi exsultem, spectans tot ac tantos reges (8), qui in

LECTIONES VARIANTES.

(1) Libacunculo *Fran.* lucunculo *Jun.*
(2) Quidem *Fran.*
(3) Nunc puta *Rig.*
(4) Martyrum *Rig.*
(5) Scientiæ *Rig.*
(6) Non pauca simul *Rigalt.*
(7) Adumbratam *Par. Rig.*
(8) Tot spectans reges *Rig.*

COMMENTARIUS.

(a) *Stillicidia mellis de ranuncula venenato.* Ut si quis favum mellis una cum ranæ rubetæ pulmonibus exprimat : nam inde confusa veneno mella stillabunt; mella quidem, sed venenata. Rig.

(b) *De ranuncula venenato.* Juvenalis, in prima,

Quæ molle Calenum
Porrectura viro miscet sitiente rubetam;

Et in VII :

At nunc res agitur tenui pulmone rubetæ;

Et in tertia :

Ranarum viscera nunquam
Inspexi. Rig.

— *De ranuncula venenato.* Ita legit ex veteri cod. Joannes Wover. Putat Junius legendum lucunculum, vox enim ista a lucuns derivaretur, esseque lunnunculus ὑποκοριστικὸν verbum; et quoddam saccarati tragematis et bellarii genus; de quo Afranius fratriis :

Pistori navat, cur non scrillitario?
Ut mittat fratris filio lucunculos.

Quæ in hanc vocem annotavit La Cerda, levia sunt, si ea eximas quæ habentur apud doctissimum Turnebum lib. XVIII Adv. cap. 20. Le Pr.

CAP. XXVIII. — (c) *Philosophi quidam.* Epicureos tangit, qui in voluptate summum bonum reponebant. Le Pr.

(d) *Tu mihi metas.* Septem metis, inquit Cassiodorus variar. lect. lib. III. c. 51, omne certamen peragitur, in similitudinem hebdomadis reciprocæ. Ipsæ vero metæ secundum Zodiacos decanos ternas obtinent summitates, quas ad instar solis celeres quadrigæ pervagantur. Pam.

CAP. XXIX. — (e) *Circenses ludos.* Quæ ad circum spectabant, hic egregie accommodat ad mores christianorum. Le Pr.

(f) *Nec strophæ.* Explico technas et fraudes, sed cum respectu ad strophas et odas histrioniæ, quibus oppositæ antistrophæ et antodæ. Sed ut dixi hic fraudes sunt, et ita etiam accipit hunc locum Carolus Pasch. lib. I de Cor. cap. 11. Lac.

(g) *Ipsi coronamur.* Quis nescit coronas gymnicas stadii? imo de his unis dictæ coronæ κατ' ἐξοχήν. Id persequi otiosum, imo putidum. Inde Hieronymus 2. in Jovin. dum quærit verborum consecutiones, luctatoribus dat coronas, ad eum modum quo navigantibus portum, et pugnantibus triumphum. Lac.

(h) *Vis autem et sanguinis aliquid?* Cruentis voluptatibus et spectaculis opponit Christi Domini sanguinem pro recuperanda nostrum omnium salute effusum. Le Pr.

CAP. XXX. — (i) *Qualis civitas nova Jerusalem?* Istud fortassis ad errorem Millenariorum pertinet, quemadmodum et illud quod subjicit, *de tot sæculi nativitatibus.* Pam.

(j) *Quæ tunc spectaculi latitudo.* Quot et quanta

Digitized by Google

cœlum recepti (*a*) puntiabantur, cum ipso Jove et ipsis suis testibus in imis tenebris congemiscentes? item præsides, persecutores dominici nominis, sævioribus, quam ipsi contra christianos sævierunt, flammis insultantibus, liquescentes? prætorea sapientes illos philosophos coram discipulis suis una conflagrantibus (*b*) erubescentes, quibus nihil ad Deum pertinere suadebant, quibus animas aut nullas, aut non in pristina corpora redituras affirmabant, etiam poetas non ad Rhadamanti, nec ad Minois, sed ad inopinati Christi tribunal palpitantes? Tunc magis tragœdi audiendi, magis scilicet vocales in sua propria calamitate. Tunc histriones cognoscendi solutiores (*c*) multo per ignem : tunc spectandus auriga in flammea rota totus rubens (1) (*d*) : tunc xystici contemplandi non in gymnasiis (*e*), sed in igne jaculati, nisi quod nec tunc quidem illos velim visos, ut qui A malim ad eos potius conspectum insatiabilem conferre, qui in Dominum desævierunt. Hic est ille (dicam) fabri aut quæstuariæ (2) filius (*f*), sabbati destructor, Samarites et dæmonium habens. Hic est quem a Juda redemistis, hic est ille arundine et colaphis diverberatus, sputamentis dedecoratus, felle et aceto potatus. Hic est quem clam discentes subripuerunt, ut resurrexisse dicatur, vel hortulanus detraxit (*g*), ne lactucæ suæ frequentia commeantium kederentur (3) (*h*). Ut talia spectes, ut talibus exsultes, quis tibi prætor aut consul, aut quæstor, aut sacerdos de sua liberalitate præstabit? et tamen hæc jam quodammodo habemus per fidem spiritu imaginante repræsentata. Cæterum qualia illa sunt quæ nec oculus B vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt? Credo, circo et utraque cavea et omni stadio gratiora.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ruber *Rig.*
(2) Quæstuarii *Fran.*
(3) Adlæderentur *Rig.*

COMMENTARIUS.

occurrent in illo spectaculo consideranda! Rig.

(a) *In cœlum recepti.* Indicat gentilicas apotheoses: illustre exemplum est in Herodiano loquente de Severo, qui vixit ævo Tertulliani. Justinus Mart. apolog. 2. sane in Augusti funere, ac postea Drusillæ idem fuisse affirmatum a viris ordinis Senatorii, constat ex Suetonio et Dione. Lac.

(b) *Una conflagrantibus.* Hoc malum canit gentilibus, qui putabant non esse resurrectionem. Non sic est : resurgetis, sed ad pœnam. Lac.

(c) *Histriones solutiores multo per ignem.* Soluti histriones, quia mollitia et lascivia effœminati, ac pene ultra fœminam fluentes. Solutiores vero per ignem, membris ustulatione liquescentibus. Rig. C

(d) *Auriga in flammea rota totus ruber.* Alludit ad agitatorum factionem Rossatam. Rig.

(e) *Non in gymnasiis.* Gymnici ludi locus, inquit Isid. lib. 18. cap. 17. gymnasium dicebatur, ubi exercebantur athletæ, et cursorum velocitas comprobabatur : ita dictum, quod juvenes nudi exercerentur. Hinc accidit ut omnium prope artium exercitia gymnasia dicantur. Pam.

(f) *Fabri aut Quæstuariæ filius.* Hieronymus Epist. ad Heliodorum : *Hic est ille operarii et quæstuariæ filius.* Hæc fuere Judæorum in sanctissimam et immaculatam Virginem convicia, flammis luenda sulphuratissimis. Satanica hujusmodi leguntur apud Theodoritum lib. III, cap. 11. Felicis sub Juliano Cæsare Gazæ præpositi, ἰδοὺ ἐν τοῖς σκεύεσιν ὑπηρετεῖται ὁ Μαρίας υἱός, quod historia Tripertita latine reddit : *Ecce quibus vasis Mariæ filio ministratur?* Apud eumdem scriptorem, ubi de Hormisdæ martyrio agitur, *tyrannus ait, Nega filium fabri.* Rig. — *Fabri aut quæstuariæ filius.* Non possum libenter assentiri huic Rigaltii lectioni, neque etiam alteri quam ex Hieronymo adducit in ambobus locis Lacerda, *quæstuarii.* Nam diu est quod annotarunt eruditi jurisconsulti quæstuariam esse, quæ lucrum aut quæstum facit corpore, sic in Glossario quæstuaria πρακτικὴ σώματι. Le Pr.

(g) *Vel hortulanus detraxit.* Ironia hæc videtur irridere aliquem illorum hæreticorum, qui Christum vere passum negant, Marcionem nempe, Cerdonem ejus magistrum, et ante eos Basilidem et Simonem Magum. Pam.

(h) *Ne lactucæ suæ frequentia commeantium adlæderentur.* Ideoque in locis sacris ædificandis, quæ apud antiquos in confinio fere, ubi trium vel quatuor possessionum terminatio conveniret, constitui solebant, unusquisque possessor donabat certum modum sacro illi ex agro suo, et quantum donasset scripto faciebat; ut per diem solemnitatis, privatorum agri nullam molestiam inculcantis populi sustinerent. Notat Aggenus ad lib. Frontini de Limitib. agror. Rig.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI
DE IDOLOLATRIA
LIBER.

ARGUMENTUM.

Post tractatum de Spectaculis alterum conscripsit Septimius de idololatria, in quo varios (si ita loqui fas est) conscientiæ casus proponit, discutit, resolvit. Non deerant siquidem, qui tanta laborarent ignorantia, ut arbitrarentur idololatriæ crimine non pollui, nisi illos, qui idolis vel thura adolerent, vel hostias offerrent, vel eorum mysteriis aut profano sacerdotio D ***initiarentur (c. 2). Inde idololatriam definit : « Omnis circa idolum famulatus et servitus, et nihil interest,*** dicit, ***an plastes effingat, aut cælator exculpat, an phrygio detexat, nec de materia refert, an gypso, an coloribus, an lapide, an ære, an argento, an filo formetur idolum (cap. 3). » Addidit Deum, tam fieri idolum, quam coli, prohibere (cap. 4). Hinc dicit, non licere***

Digitized by Google

Christianis idola fabrefacere, aut vendere adoraturis, ac quidem cum aliud non habent, unde vivant (*cap.* 5). *Prohibet etiam ædificationem templi, aræ, ædiculæ, domus in honorem idolorum* (*cap.* 8). *Quin etiam negotiationes mercium earum, quæ ad idololatriam pertinent* (*cap.* 11) : *a festis quoque diebus etiam extraordinariis abstinendum* (*cap.* 13) : *neque servis licere ministros esse idololatriæ* (*cap.* 18) : *neque licitam militiam, in qua militandum sit sub signo diaboli* (*cap.* 19); *dejerationem omnem* me Hercule, medius Fidius, *nec non abjurationem* Jupiter tibi sit iratus, *et subsecutam, responsionem,* imo tibi, *damnat et execratur. Cæterum in perlegendo hoc tractatu discretione opus est : quæ enim velut generalia principia Tertullianus hic ponit, fere omnia vera sunt; non autem omnia vera sunt, quæ exinde deducit.* LUMP.

CAPUT PRIMUM.

Principale crimen generis humani, summus seculi reatus, tota caussa judicii, idololatria. Nam etsi suam speciem tenet unumquodque delictum, etsi suo quoque nomine (1) judicio destinatur, in idololatriæ tamen crimine expungitur. Omitte titulos, operas recognosce (2) : idololatres, idem homicida est. Quæris quem occiderit? si quid ad elogii ambitionem facit, non extraneum, nec inimicum, sed se ipsum. Quibus insidiis? erroris sui. Quo telo? offensa Dei. Quot plagis? quotquot idololatriis. Qui negat idololatren perisse, is negabit idololatren homicidium fecisse. Proinde (3) adulterium et stuprum in eodem recognoscas : nam qui falsis deis servit, sine dubio adulter est veritatis, quia omne falsum adulterium est. Sic et in (4) stupro mergitur. Quis enim immundis spiritibus operatus, non conspurcatus et constupratus incedit (*Ezech.*, XXIII)? Atque adeo Scripturæ sanctæ stupri vocabulo utuntur in idololatriæ exprobratione. Fraudis conditio ea est opinor, si quis alienum rapiat, aut alii debitum deneget, et utique erga hominem admissa fraus maximi criminis nomen est. Atenim idololatria fraudem Deo facit, honores illi suos denegans, et conferens aliis, ut fraudi etiam contumeliam conjungat. Quod si tam fraus quam stuprum atque adulterium mortem afferunt, jam in his æque (5)idololatria de homicidii reatu non liberatur. Post talia crimina, tam exitiosa, tam devoratoria salutis, cætera quoque aliquem ad modum et seorsum proinde disposita, in idololatria conditionem suam repræsentant. In illa et concupiscentiæ sæculi. Quæ enim idololatriæ solemnitas sine ambitione cultus et ornatus? In illa lasciviæ et ebrietates, cum plurimum victus et ventris et libidinis caussa frequentantur (6). In illa injustitia. Quid enim injustius ea, quæ justitiæ Patrem nescit? In illa etiam vanitas, quum tota ejus ratio vana sit; in illa mendacium, quum tota substantia ejus mendax sit. Ita fit, ut omnia in idololatria, et in omnibus idololatria deprehendatur. Sed et alias quum universa delicta adversus Dominum sapiant, nihil autem quod adversus Dominum (7) sapiat, non dæmoniis et immundis spiritibus deputetur, quibus idola mancipantur: sine dubio idololatriam admittit, quicunque delinquit : id enim facit quod ad idolorum mancipes pertinet.

CAPUT II.

Sed universa nomina criminum discedant in operum suorum proprietates; remaneat idololatria in eo quod ipsa est : sufficit sibi tam inimicum Deo nomen, tam locuples substantia criminis, quæ tot ramos porrigit, tam venas defundit (8), ut de hoc cum maxime materia susceptа sit, quot modis nobis præcavenda sit idololatriæ latitudo. Quoniam multifariam servos Dei nec tantum ignorata, sed etiam dissimulata subvertit. Plerique idololatriam simpliciter existimant his solis modis interpretandam : si quis aut incendat, aut immolet, aut polluceat, aut sacris aliquibus aut sacerdotiis obligetur : quemadmodum si quis existimet adulterium in osculis, et in amplexibus, et in ipsa carnis congressione censendum : aut homicidium in sola sanguinis profusione, et in animæ ereptione reputandum (*Matth.*, V, 22). Atenim Dominus quam extensius ista disponat certi sumus, cum adulterium etiam in concupiscentia designat, si oculum quis impegerit libidinose, et animam commoverit impudice (*ibidem*) : cum homicidium etiam in verbo maledicti vel convicii judicat (9), et in omni impetu iræ, et in negligentia caritatis in fratrem. Sicut (*Joan.*, III, 15) Joannes docet homicidam esse qui oderit fratrem. Alioquin in modico consisteret, et diaboli ingenium de malitia, et Dei Domini (10) de disciplina, qua nos adversus diaboli altitudines (11) munit (*Matth.*, V, *cf. Apoc.*, V. 24), si in his (12) tantum delictis judicaremur, quæ etiam nationes decreverunt vindicanda. Quomodo abundabit justitia nostra super scribas et pharisæos, ut Dominus præscripsit, nisi abundantiam adversariæ ejus, id est injustitiæ perspexerimus? Quod si caput injustitiæ idololatria est, prius est uti adversus abundantiam idololatriæ præmuniamur, dum illam non solum in manifestis recognoscimus.

CAPUT III.

Idolum aliquandiu retro non erat. Priusquam hujus monstri artifices ebullissent, sola templa et vacuæ ædes erant, sicut in hodiernum quibusdam locis vetustatis vestigia permanent. Tamen idololatria agebatur, non in isto nomine, sed in isto opere. Nam et hodie extra templum et sine idolo agi potest. At ubi artifices statuarum et imaginum, et omnis generis simulacrorum diabolus sæculo intulit,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quodque nomine *Jun.*
(2) Opera recognosce *Jun. Latin.*
(3) Perinde *Paris.*
(4) In *abest Rig.*
(5) Jam his æque *Jun.*
(6) Frequententur *Rig.*
(7) Deum — Deum *Rig.*
(8) Diffundit *Wouw. M. S.*
(9) Indicat *Jun.*
(10) Dominum *Jun.*
(11) Latitudines *Wouw. M. S., Rig.*
(12) Si his *alii.*

Digitized by Google

rude illud negotium humanæ calamitatis, et nomen de idolis consecutum est, et profectum. Exinde jam caput facta est idololatriæ ars omnis quæ idolum quomodo edit. Neque enim interest, an plastes effingat, an cælator exsculpat, an phrygio detexat : quia nec de materia refert, an gypso, an coloribus, an lapide, an aere, an argento, an filo formetur idolum. Quando enim et sine idolo idololatria fiat, utique cum adest idolum nihil interest quale sit, qua de materia, qua de effigie (1), ne qui putet id solum idolum habendum, quod humana effigie sit consecratum. Ad hoc necessaria est vocabuli interpretatio : εἶδος græce formam sonat; ab eo per diminutionem (2) εἴδωλον deductum, æque apud nos formulam fecit. Igitur omnis forma vel formula idolum se dici exposcit. Inde idololatria omnis circa omne idolum famulatus et servitus. Inde et omnis idoli artifex, ejusdem et unius est criminis : nisi parum idololatriam populus admisit, quia simulacrum vituli, et non hominis sibi consecravit.

CAPUT IV.

Idolum tam fieri, quam coli, Deus prohibet. Quanto præcedit ut fiat (*a*) quod coli possit, tanto prius est, ne fiat, si coli non licet. Propter hanc caussam, ad eradicandam scilicet materiam idololatriæ, lex divina proclamat (*Exod.*, XXXII; *Levit.*, XXVI, 1; *Deut.*, V, 8): *Ne feceris idolum* (*b*). Et conjungens (*Exod.*, XX, 8), *neque similitudinem eorum quæ in cœlo sunt, et quæ in terra, et quæ in mari.* Toto mundo ejusmodi artibus interdixit servis Dei. Antecesserat (3) prædicens Enoch (4) (*c*) omnia elementa, omnem mundi sensum (5) quæ cœlo, quæ mari, quæ terra continentur, in idololatriam versuros dæmonas et spiritus desertorum angelorum, ut pro Deo adversus Dominum consecrarentur. Omnia igitur colit humanus error, præter ipsum omnium conditorem. Eorum imagines idola, imaginum consecratio idololatria. Quicquid idololatria committit, in artificem quemcunque et cujuscunque idoli deputetur necesse est. Denique idem Enoch simul et cultores idoli et fabricatores in comminatione prædamnat. Et rursus (6) : Juro vobis peccatores, quod in diem sanguinis (7) perditionis pœnitentia parata est. Qui servitis lapidibus, et qui imagines facitis aureas et argenteas, et ligneas, et lapideas, et fictiles, et servitis phantasmatibus, et dæmoniis, et spiritibus infamibus (8) (*d*), et omnibus erroribus non secundum scientiam, nullum ab iis invenietis auxilium. Esaias vero (*Is.*, XLIV, 8), *Testes*, ait, *non vos estis, si est Deus absque me. Et non erant tunc qui fingunt et exsculpunt, omnes vani, qui faciunt libita sibi, quæ illis non proderunt.* Et deinceps tota illa pronuntiatio, qua in artifices, qua in cultores detestatur, cujus clausula est (*Is.* XLIV, 20), *Cognoscite quod cinis sit cor illorum, et errant* (9) (*e*) *et nemo animam suam liberare possit.* Ubi (10) æque David, *Et* (11) *tales fiant* (*f*), inquit, *qui faciunt ea* (*Ps.* CXIII, 8). Et quid ego modicæ memoriæ homo? ultra quid suggeram? quid recolam de Scripturis? quasi aut non sufficiat vox Spiritus Sancti, aut ultra deliberandum sit, an maledixerit atque damnaverit Dominus ipsos prius artifices eorum, quorum cultores maledicit et damnat?

CAPUT V.

Plane impensius respondebimus ad excusationes

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quave effigie *Jun.*
(2) Deminutionem *Jun. ex M. S.*
(3) Enim hoc *add. Fran.*
(4) Enoch *abest Paris.*
(5) Censum *Jun.*, *Ciacon.*
(6) Prædamnat prorsus : Juro *Jun.*
(7) Sanguinis et *Jun.*
(8) Infamis *Paris. Jun.*; insanis *Wouw. M S.*
(9) Terra *Rig.*
(10) Uti *Jun.*
(11) Factores *add. Jun. Paris. Rig.*

COMMENTARIUS.

CAP. IV.—(a) *Quanto præcedit ut fiat.* Locus notatis simus ut scias nunquam jure naturali prohibitas imagines veri Dei. Itaque ab omni ævo, ab ipso Adamo potuit fieri imago Dei ut coleretur. Hujus sententiæ laudandus Tertullianus hoc loco : paritatem enim temporis in utraque constituit. Sicut nullo ævo potuit fieri quod non potuit coli; ita omni ævo potuit fieri quod potuit coli. An vero jure scripto id vetitum Judæis, dissident : doctores duo ævi hujus gravissimi, Vasquius affirmat prohibitum, Soarius negat; postremo hæreo ego tantulus. Lac.

(b) *Ne feceris idolum.* Ad verbum transtulit, cum vulgato interprete, 70. Græce est εἴδωλον, quemadmodum et B. Cyprianus cap. lib. 1, de exhort. mart. qua versione explicatur verus hujus loci sensus, de quo Auctor latius lib II, adv. Marcionem ubi locum hujus Scripturæ interpretatur de imaginibus idololatriæ substantiam continentibus. Uno autem verbo, *et quæ in mari*, pro eo quod ex græco alii recte transferunt : *et quæcumque in aquis sub terra.* Pam.

(c) *Antecesserat Enoch.* Liber Enoch, cui titulus *duodecim patriarcharum testamentum*, sæpe citatur ab Origene, Procopio, Tertulliano, et aliis. Multa ibi vaticinia de sceleribus Hebræorum et pœnis, interque illa tum et hoc propagandæ per universum terrarum orbem idololatriæ. Jactatum et illud vulgo de duabus columnis, lapidea : quæ resisteret aquis; lateritia, quæ ignibus; in quibus inclusi libri hujus viri. Lac.

(d) *Et spiritibus infamibus.* In cod. Fulvii Ursini legitur, *insanis.* At in cod. Agobardi, *infamis.* Rig. — *Spiritibus infamibus.* Desertores hic spiritus infames dici existimo, desertoris nomen a militia desumptum est, at miles desertor infamis erat ut videre est l. 1, D. de his qui notantur infamia. Le Pr.

(e) *Cognoscite quod cinis sit cor illorum et errant.* Sic omnino restituendus est hic locus, pro eo quod corruptissime legebantur, *et terra.* Nam magna dictionum vicinitas ob easdem litteras, et græce est καὶ πλανῶνται. Pam. — *Cognoscite quod cinis sit*, etc. Hoc Isaias non dicit; imponit ergo illi Tertullianus? non, sed explicat. Ait Isaias ita homines stultos fuisse, ut medium lignum crement ad calefaciendum se, ad coquendos panes et carnes, de reliquo ligno sibi Deum faciant, et adorent. Ait ergo Tertullianus sub persona Isaiæ cor deorum esse cinerem, quia media pars arboris et princeps conversa in cinerem. Itaque cor Septimii et medium Isaiæ idem est. Lac.

(f) *Et tales fiant qui faciunt ea.* Quum repetitio alioquin esset ejusdem supervacanea, omisimus *factores.* Nam lib. adv. Gnosticos non aliud legit, quam : *Similes erunt illis qui ea faciunt.* Lac.

Digitized by Google

hujusmodi artificum, quos nunquam in domum Dei admitti oportet, si quis eam disciplinam norit. Jam illa objici solita vox : Non habeo aliud quo vivam (*a*). Districtius repercuti potest : vivere ergo habes. Quid tibi cum Deo est, si tuis legibus (1)? Tum quod et de Scripturis audent argumentari (*b*), dixisse apostolum, *ut quisque fuerit inventus, ita et perseveret* (I *Cor.* VII, 20). Possumus igitur omnes in peccatis perseverare ex ista interpretatione. Nec enim (2) quisquam nostrum non peccator inventus est (I *Cor.*, IV), cum Christus non alia ex caussa descenderit, quam peccatorum liberandorum. Item eumdem præcepisse (I *Thess.*, IV, 11) dicunt secundum suum exemplum, ut manibus unusquisque operetur ad victum. Si hoc præceptum ab omnibus manibus defendatur, credo et fures (*c*) balnearios (3) manibus suis vivere, et ipsos latrones manibus agere quo vivant. Item falsarios utique non pedibus, sed manibus operari malas litteras. Histriones vero non manibus solis, sed totis membris (*d*) victum elaborare. Pateat igitur Ecclesia omnibus, qui manibus et suo opere tolerantur, si nulla exceptio est artium, quas Dei disciplina non recipit (4). Sed ait quidam adversus similitudinis interdictæ propositionem (*Num.* XXI) : Cur ergo Moses in eremo simulacrum serpentis ex ære fecit? Seorsum figuræ, quæ dispositioni alicui arcanæ præstruebantur, non ad derogationem (5) legis, sed ad exemplarium caussæ suæ (*e*). Alioquin si hæc ut adversarii legis interpretemur, numquid et nos, quod et Marcionitæ, inconstantiam adscribimus Omnipotenti? quem illi (6) hoc modo destruunt ut mutabilem, dum alibi vetat, alibi mandat? Si quis autem dissimulat illam effigiem ærei serpentis, suspensi in modum, figuram designasse dominicæ crucis (*f*), a serpentibus, id est ab angelis diaboli liberaturæ nos, dum per semetipsum diabolum, id est, serpentem interfectum suspendit, sive quæ alia figuræ istius expositio dignioribus revelata est, dummodo (I *Cor.*, X) apostolus affirmet omnia tunc figurate populo accidisse : bene quod idem Deus qui lege (7) voluit similitudinem fieri, extraordinario præcepto serpentis similitudinem indixit (8). Si eumdem Deum observas, habes legem ejus (*Exod.*, XX, 4), *Ne feceris similitudinem.* Si et præceptum factæ postea similitudinis respicis, et tu imitare Moysen, ne facias adversus legem simulacrum aliquod, nisi et tibi Deus jusserit.

CAPUT VI.

Si nulla lex Dei prohibuisset idola fieri a nobis, si nulla vox Spiritus sancti fabricatoribus idolorum non minus quam cultoribus comminaretur : de ipso sacramento nostro interpretaremur nobis adversas (*g*) esse fidei ejusmodi artes. Quomodo enim renuntiavimus diabolo et angelis ejus, si eos facimus? Quod repudium diximus iis, non dico cum quibus, sed de quibus vivimus? Quam discordiam suscepimus in eos, quibus exhibitionis nostræ (*h*) gratia obligati sumus? Potes lingua negasse, quod manu confiteris? verbo destruere, quod facto struis? unum Deum prædicare, qui tantos efficis? verum Deum prædicare, qui falsos facis? Facio (ait quidam), sed non colo. Quasi ob aliquam (9) caussam colere non audeat, nisi ob quam et facere non debeat, scilicet ob Dei offensam utrobique. Imo tu colis, qui facis ut coli possint. Colis autem, non spiritu vilissimi nidoris alicujus, sed tuo proprio : nec anima pecudis impensa, sed anima tua. Illis ingenium tuum immolas, illis sudorem tuum libas, illis prudentiam tuam accendis. Plus es illis quam sacerdos, cum per te habeant sa-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Sit vis tuis legibus *Cod. Wouw.* Fit vit tuis legibus *Fulv. Ursin.*
(2) Enim *abest. Paris.*
(3) Fures et aleatores *Rig.*
(4) Recepit *Fran.*
(5) Erogationem *Seml.*
(6) Omnipotenti? Quod illi *Wouwer. M. S.*
(7) Et lege *Paris. Jun.*
(8) Fieri jussit *Latin.* interduxit *Jun.* interdixit *Fran.*
(9) Aliam *Fran.*

COMMENTARIUS.

CAP. V. — (a) *Non habeo aliud quo vivam.* Satis indicat, multos prævaricari solitos a fide propter necessitatem : de his qui præter illam adhuc prævaricarentur est can. II, conc. Nic. LAC.

(b) *Audent argumentari.* Homines quibus hic ausus ad torquendas Scripturas, vocantur ab Alexandro episc. Alexandrino χαμαιλέοντες, quibus animalculis insita mutatio. Vide illum in epist. quæ proponitur Nicænæ synodo. Notetur verbum Theodoriti lib. I, hist. cap. IV, ταῖς γραφαῖς ἐμπαροινοῦντες. Loquitur de hæreticis iis scilicet qui audent vim sacris Scripturis adducere, qui veluti debacchari per ebrietatem in sacras litteras videntur. LAC.

(c) *Fures balnearios.* Cod. Agobardi, *fures et balneatores.* Emendat Rigalt., *fures et aleatores.* Nam et alea manibus exercetur. Si quis tamen retinere velit, *fures balneatores*, non contradicit. Nam et libro de Fuga, dixit Noster, *fures balnearum.* Imo addidit, *et aleones.* In Apologetico, p. 496, reperitur, *lavantium prædo.* RIG. — *Fures balnearios* habet Pamelius, quam lectionem veram puto, nam sic Catull. — *Io furum optime balneariorum.* Fures erant nimirum adversus quos in balneis constituebantur custodes ad servandas vestes, custodes ii dicebantur *capsarii.* Si vero ii quoque furati essent, in jus vocabantur coram præfecto vigilum sic l. nam salutem III, dig. de off. præf. vig. LE PR.

(d) *Totis membris victum elaborare.* Pantomimos significat. RIG.

(e) *Exemplarium.* Quod esset posteris pro signo, figura, ænigmate. RIG.

Caussæ suæ. Hoc est, rei significatæ, nimirum Dominicæ crucis. RIG.

(f) *Figuram designasse Dominicæ crucis.* Latius hoc tractat. lib. adv. Judæos, et lib. III adv. Marcionem. PAM.

CAP. VI. — (g) *Adversas esse fidei.* Ad sententiam legantur quæ scripta de quinque martyribus, qui passi, quod nollent facere idolorum statuas. Habentur in vita sanctorum quatuor coronatorum. Certe quia putarunt hanc artem esse adversam fidei. LAC.

(h) *Exhibitionis nostræ gratia.* Quod capite præcedenti *ad victum* dixit, hic ita circumloquitur, in qua significatione eadem voce utitur, cap. VIII, et XII. PAM.

Digitized by Google

cerdotem. Diligentia tua numen (1) illorum est. Negas te, quod facis, colere? Sed illi non negant, quibus hanc saginatiorem et auratiorem (*a*) et majorem hostiam cædis, salutem tuam.

CAPUT VII.

Tota die ad hanc partem zelus fidei perorabit, ingemens christianum (*b*) ab idolis in Ecclesiam venire, de adversarii (*c*) officina in domum Dei (2) venire, attollere ad Deum patrem manus matres idolorum, his manibus adorare (*d*) quæ foris adversus Deum adorantur (*e*), eas manus admovere corpori Domini (*f*), quæ dæmoniis corpora conferunt. Nec hoc sufficit. Parum sit, si ab aliis manibus accipiant quod contaminant (3); sed etiam ipsi (4) tradunt aliis quod contaminaverunt. Alleguntur in ordinem ecclesiasticum artifices idolorum. Pro scelus! Semel Judæi Christo manus intulerunt, isti quotidie corpus ejus lacessunt. O manus præcidendæ! Viderint jam an per similitudinem dictum sit, *Si te manus tua scandalizat, amputa eam* (*Matth.*, VIII, 8). Quæ magis amputandæ, quam in quibus (5) Domini corpus scandalizatur?

CAPUT VIII.

Sunt et aliæ complurium artium species, quæ etsi non contingunt idolorum fabricationem, tamen ea sine quibus idola nil possunt, eodem crimine expediunt (*g*). Nec enim differt, an extruas vel exornes, si templum, si aram, si ædiculam ejus instruxeris, si bracteam expresseris (*h*), aut insignia, aut etiam domum fabricaveris. Major est ejusmodi opera, quæ non effigiem confert, sed auctoritatem. Si ita necessitas exhibitionis extenditur (6), habent et alias species, quæ sine exorbitatione disciplinæ, id est, sine idoli confectura (7) opem victus præstent. Scit albarius tector et tecta sarcire, et tectoria inducere, et cisternam liare (*i*), et cymatia distendere (*j*), et multa alia ornamenta præter simulacra parietibus incrustare (8). Scit et pictor, et marmorarius, et ærarius, et quicumque cælator, latitudines suas utique multo faciliores. Nam qui signum describit, quanto facilius abacum limit? Qui de tilia Martem exsculpit, quanto citius armarium compingit? Nulla ars non alterius artis, aut mater, aut propinqua est. Nihil alterius vacat (*k*). Tot sunt artium venæ, quot hominum concupiscentiæ. Sed de mercedibus et manuspretiis interest. Proinde interest et de labore. Minor merces frequentiore actu repensatur. Quot parietes signa desiderant? Quot templa et ædes idolis ædificantur? Domus vero, et prætoria et balnea et insulæ quantæ? Soccus et baxa quotidie deaurantur, Mercurius et Serapis non quotidie. Sufficiat ad quæstum artificio-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Nomen *Venet.*
(2) De adversaria officina in domum Dei, *Seml.*
(3) Contaminent *Wouwer. M. S.*
(4) Ipsæ *Fran.*
(5) Quam quibus *Jun.*
(6) Obtenditur *Wouw. M. S. Rig. Leopold.*; attenditur *Jun.*
(7) Confictura *Paris. Jun.*
(8) Incrispare *Paris. Jun. Rig. Rhen.*

COMMENTARIUS.

(a) *Auratiorem et majorem hostiam.* Hostia, inquit Festus, dicta ab eo, quod est hostire, ferire. Alii ab hostibus derivant, quod post victoriam immolari soleant, sicuti et ipse Festus alibi. Alludit autem ad eas hostias quæ auro ornabantur, quas proinde auratas vocat; solebant enim subinde boum cornua deaurari, qui immolabantur. PAM. — *Et majorem hostiam.* Major victima aut hostia est taurus, bos, vacca: Minor, ovis, capra, sus. Hoc certius discrimen quam ut majora dicantur de victimis, minora de hostiis. Scias etiam inter primas majorem esse taurum, inter alteras majorem esse ovem. LAC.

CAP. VII.—(b) *Ab idolis in Ecclesiam.* Prolixius viri eruditi Pamelius et Lacerda nomina congerunt quæ Dei domui tribuuntur apud veteres: post ipsorum messem nullum restat spicilegium. Qui primus Ecclesiam seu conventum christianorum aggressus est, fuit Eustathius ille qui contemnendas esse Ecclesias docebat. In hunc congregata Gangrensis Synodus, eumque fulmine percussit can. V. Hunc secuti sunt Patareni in quos restant Honorii Tertii P. constit. et Frederici II, imper. Imitati quoque sunt pessima hæc exempla Valdenses, Wiclefistæ, Hussitæ et alii qui cum Eustathio satis damnati frustra objiciunt illud Act. XVII: *Deus in manufactis templis non habitat.* Legenda tantum sunt quæ sequuntur, ut os obturetur impudentissimis homuncionibus, nimirum, *nec manibus humanis colitur indigens aliquo cum ipse det omnibus*, etc. LE PR.

(c) *De adversarii officina in domum Dei venire.* Hæc non videntur esse Tertulliani, sed glossatoris alicujus in illud comm. quod præcedit, *ab idolis Ecclesiam venire.* RIG.

(d) *His manibus adorare.* Adorabant enim manibus ad Deum elatis, allevatis, expansis. RIG.

(e) *Quæ foris adversus Deum adorantur.* Matres et artifices idolorum manus adorabantur ab Ethnicis idolorum cultoribus. Quid enim erat statua sive idolum priusquam accederet manus artificis, nisi bruta materia, quam periti artificis manus exsculpsit in alicujus numinis effigiem? Præclare Septimius lib. de Resurr.: « Phidiæ manus, inquit, Jovem Olympium ex ebore molitæ adorantur; nec jam bestiæ, et quidem insulsissimæ deus est, sed summum sæculi numen; non quia elephantus, sed quia Phidias tantus. RIG.

(f) *Manus admovere corpori Domini.* Pertinet hic locus ad eam consuetudinem, qua in manus tradebatur Eucharistia, quam testati sunt pro suis quoque temporibus B. Cypr. (*l. de lapsis*): B. Cornel. (*ad Fab. Antioch.*); B. Dionys. Alex. (*ad Xist. pontif.*); B. Ambros. (*Orat. ad Theodos. imper.*); Hieronym. (*ad Theophil.*), etc. EDD.

CAP. VIII. — (g) *Expediunt.* Conficiunt, adornant. RIG.

(h) *Si bracteam expresseris.* Si de aurea massa bracteam expresseris statuæ inducendam æreæ. RIG.

(i) *Cisternam liare.* Albarii tectoris etiam opificium esse indicat Plin. lib. XXXVI, c. 25. Atqui ego quidem existimo legendum prorsus ligare, non liare. Verum nolui immutare veterem lectionem, si forte, uti multæ aliæ, vox sit Tertulliano peculiaris jam obsoleta. PAM.

(j) *Cymatia distendere.* Videtur cymatia nuncupare arcus ipsos templorum seu tectorum, creta incrustatos, voce derivata a κυμάτια, id est illuvie aquarum, quod illi arcus pluviarum illuviem impediant. PAM. — *Cymatia.* Esse hæc omnes ὑπερῳάς, id est prominentias in ædificiis, tum Hesychius definit, tum id facile colliget qui Vitruvium legerit. Itaque injuste Pamelius arctat hanc vocem ad arcus tectorum et templorum. Sunt enim prominentiæ quæ in modum undæ sinuantur. Suidæ λωτεῖς dicuntur. Vitruvio *simæ* a forma. LAC.

(k) *Nihil alterius vacat.* Horatius:

Digitized by Google

rum, frequentior est (1) omni superstitione luxuria et ambitio. Lances et scyphos facilius ambitio, quam superstitio desiderabit. Coronas quoque magis luxuria, quam solemnitas erogat. Cum igitur ad hæc artificiorum genera cohortemur, quæ idolum quidem, et quæ idolo competunt, non attingant, sint autem et hominibus communia sæpe quæ et idolis, hoc quoque cavere debemus, ne quid, scientibus nobis, ab aliquibus de manibus nostris in rem idolorum postuletur. Quod si concesserimus, et non remediis jam (2) usitatis egerimus, non puto nos a contagio idololatriæ vacare, quorum manus non ignorantium in officio vel in honore et usu dæmoniorum deprehenduntur.

CAPUT IX.

Animadvertimus inter artes etiam professiones quasdam obnoxias idololatriæ. De astrologis ne loquendum quidem est. Sed quoniam quidam istis diebus provocavit defendens sibi perseverantiam professionis istius, paucis utar. Non allego quod idola honoret, quorum nomina cœlo inscripsit, quibus omnem Dei potestatem addixit : quod propterea homines non putant (3) Deum requirendum, præsumentes stellarum nos immutabili arbitrio agi. Unum propono, angelos esse illos desertores Dei (*Gen.*, VI), amatores fœminarum, proditores etiam hujus curiositatis, propterea quoque damnatos a Deo. O divina sententia usque ad terram pertinax, cui etiam ignorantes testimonium reddunt. Expelluntur mathematici (*a*) sicut angeli eorum. Urbs et Italia interdicitur mathematicis, sicut cœlum angelis eorum. Eadem pœna est exilii discipulis et magistris. Sed magi et astrologi ab oriente venerunt (*Matth.*, II). Scimus magiæ et astrologiæ inter se societatem. Primi igitur stellarum interpretes (*b*) natum Christum annuntiaverunt, primi muneraverunt (*c*). Hoc nomine Christum (opinor) sibi obligaverunt. Quid tum? Ideo nunc et mathematicis patrocinabitur illorum magorum religio? De Christo scilicet est mathesis hodie (*d*), stellas (4) Christi, non Saturni et Martis et cujusque (*e*), ex eodem ordine mortuorum observat et prædicat. At enim scientia illa usque ad Evangelium (*f*) fuit concessa, ut Christo edito nemo exinde nativitatem alicujus de cœlo interpretetur (5). Nam et thus illud et myrrham et aurum ideo infanti tunc Domino obtulerunt, quasi clausulam sacrificationis (*g*) et gloriæ sæcularis, quam Christus erat adempturus. Quod igitur iisdem magis somnium sine dubio ex Dei voluntate suggessit, ut irent in sua, sed alia, non qua venerant, via, id est, ne pristina secta sua incederent : nonne (6) illos Herodes persequeretur, qui nec persecutus est, etiam ignorans alia via digressos, quoniam et qua venerant ignorabat. Adeo viam rectam (7) et disciplinam intelligere debemus. Itaque magis præceptum, ut exinde aliter incederent. Sic et alia illa species (8) magiæ quæ miraculis operatur, etiam adversus (*Exod.*, VII) Moysen æmulata, patientiam Dei traxit ad Evangelium usque (*Act.*, VIII, 18). Nam exinde et Simon Magus jam fidelis, quoniam aliquid adhuc de circulatoria secta cogitaret, ut scilicet inter miracula professionis suæ etiam Spiritum Sanctum (*h*) per manuum impositionem

LECTIONES VARIANTES.

(1) Sufficiant — frequentiores *Franeq.*
(2) Tam *Seml.*
(3) Putent *Jun.*
(4) Stellam *Wouw. M. S. Rigalt.*
(5) Interpretatur *Rigalt.*
(6) Non *abest Seml.*
(7) Sectam *Jun.*
(8) Aliam illam speciem — patientia *Fran.*

COMMENTARIUS.

Alterius sic
Altera poscit opem res et conjurat amice. RIG.

CAP. IX. — (a) *Expelluntur mathematici.* Si quis hæc, tanquam inutilia et superflua, deleri oportere censuerit, habet ecce me adstipulatorem. RIG.

(b) *Primi igitur stellarum interpretes.* Chalcidius in Tim. Plat. ad Osium Cordubensem ex historia quam vocat sanctiorem et venerabiliorem, ait, ortu stellæ cujusdam non morbos mortesque denuntiatas, sed descensum Dei venerabilis ad humanæ conservationis, rerumque mortalium gratiam. STELLAM CHRISTI. Magi in Evangelio secundum Matthæum : « vidimus stellam ejus in Oriente ». Primasius in hæresim Priscillianistarum : « A signo Christi ad signa astrologica migraverunt. » RIG.

(c) *Primi muneraverunt.* Chalcidius : « Chaldæorum profecto sapientes viri, et consideratione rerum cœlestium satis exercitati, quæsisse dicuntur recentem ortum Dei : repertaque illa majestate puerili, veneratos esse, et vota Deo tanto convenientia nuncupasse. » RIG.

(d) *De Christo scilicet est mathesis hodie.* Hodierna, inquit, mathesis est disciplina Christi. Stella Christi, hoc est, genesis Christi, exempla et mandata ejus observanda sunt nobis et prædicanda. RIG. — *De Christo scilicet.* Ironice, mathesis enim hodie e Christi disciplina non est; quia nulla hodie stella Christus dicitur. Doctrina illa eorum est qui cognominem stellam habuerunt ut Jupiter, ut Saturnus, etc. Frustra autem ex hoc loco Christi genesim e stellarum cursu metiri posse contendunt homines perverse curiosi, inter quos familiam ducunt Petrus de Alliaco, et Hieronymus Cardanus. LE P.R.

(e) *Et cujusque ex eodem ordine mortuorum.* Hoc est, ex ordine illo septenario planetarum, Saturni, Martis, Mercurii, et id genus aliorum, qui non dii, sed homines fuere, et jam quidem mortui. RIG.

(f) *Usque ad Evangelium.* Ne putet lector concessam divinis legibus, sed tantum humanis, quia ante Christum non punita, imo per omnes nationes vagata insolenter, et in pretio ac gloria habita. Neque contra hoc est, concessam Magis adoratoribus Christi, nam isti illa usi sunt ex mera pietate et religione, non ut aliæ gentes ad usus maleficos. Sed et explicandus Tertull. cum ait concessam usque ad Evangelium, scilicet concessam ut plurimum. LAC.

(g) *Clausulam sacrificationis.* Ut exinde Christus fideles suos abstinere voluerit pontificatu et sæculari gloria. Clausulam, finem et terminium. Sic in Scorp. ubi de Joan. Bapt. : *Clausula legis et prophetarum.* RIG.

(h) *Spiritum Sanctum per manuum impositionem enundinaret.* Convenientissimo verbo Simonis istius crimen damnat. Sed et *hodiernæ* nundinationi eorum quæ feudali vocabulo beneficia nuncupantur, simoniæ crimen tribuere solemus, etsi inter emptorem et venditorem de comparando Spiritu Sancto nequidem cogitetur. Nam inter eos hoc tantum agitur ut in emptorem transeat jus percipiendi reditus ex pos-

Digitized by Google

enundinaret, maledictus ab (*Act.*, VIII, 20) apostolis de fide (1) ejectus est : et alter magus qui cum Sergio Paulo, quoniam iisdem adversabatur apostolis, luminum amissione mulctatus est (*Act.*, XIII, 6 *seqq.*). Hoc et astrologi retulissent credo, si quis in apostolos incidisset (2). Attamen cum magia punitur, cujus est species astrologia, utique et species in genere damnatur. Post Evangelium nusquam invenias aut sophistas, aut chaldæos, aut incantatores, aut conjectores, aut magos, nisi plane punitos. *Ubi sapiens, ubi litterator, ubi conquisitor hujus ævi? Nonne infatuavit Deus sapientiam hujus sæculi* (I *Cor.* I, 20)? Nihil scis, mathematice, si nesciebas te futurum christianum. Sin sciebas, hoc quoque scire debueras, nihil tibi futurum cum ista professione. Ipsa te de periculo suo instrueret, quæ aliorum climacterica præcanit (*a*), *Non est tibi pars neque sorsin ista ratione* (*Act.*, VIII, 21). Non potest regna cœlorum sperare, cujus digitus aut radius abutitur cœlo.

CAPUT X.

Quærendum autem est etiam de ludi magistris A et de cæteris professoribus litterarum, imo non dubitandum affines illos esse multimodæ idololatriæ. Primum, quibus necesse est deos nationum prædicare, nomina, genealogias, fabulas, ornamenta honorifica quæque eorum enuntiare, tum solemnia festaque eorumdem observare, ut quibus vectigalia sua suppetant. Quis ludimagister (*b*), sine tabula septem idolorum, quinquatria tamen (3) frequentabit (*c*)? Ipsam primam novi discipuli stipem Minervæ et honori et nomini consecrat, ut etsi (4) non profanatus alicui idolo, verbotenus de idolothyto esse dicatur (*d*). Quid minus est inquinamenti (5) eo quod præstat quæstus et nominibus et honoribus idolo nuncupatus? tam Minervalia Minervæ, quam Saturnalia Saturni, quæ etiam serviculis sub tempore Saturnalium celebrari necesse est. B Etiam strenæ captandæ, et septimuntium, et brumæ, et caræ cognationis honoraria exigenda omnia, Floræ (6) scholæ coronandæ (*e*). Flaminicæ et ædiles sacrificant, creatis (7) schola (*f*) honoratur feriis. Idem fit idoli natali omnis diaboli pompa frequenta-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Fide dejectus est *Jun.*
(2) Si qui — incidisset *Rigalt.*
(3) *Sic scriptum est in cod. Agob., Rhenan* : quis ludi magister si non tabularia frequentabit. *Rigalt* : tamen non frequentabit. *Latin.* tamen non. *Jun. mavult.* non Quinquatris t. frequentabit?
(4) Et ut si *Paris.*
(5) Inquinamento *Paris. Jun.* eo *abest Paris. Jun.*
(6) Flore *Fran.*
(7) Ædibus sacris Cereri. *Rhenan.*

COMMENTARIUS.

sessionibus beneficii titulo comprehensis. Et quæ apud nos pinguia sunt beneficia, veteres, etiam extra Dei civitatem, dixere ἀγαθὰς ἱερωσυνάς. Jam C vero pridem sæculi vitio evanuere de rebus christianis præclara illa Sancti Spiritus miracula. Rig.

(a) *Aliorum climacterica præcanit.* Climacterica dicit certa vitæ spatia per annos novem aut septem scansili ratione currentia, quæ chaldæi periculosa esse affirmant, præcipue vero annum 63. Hunc enim illi climactera androclam esse aiunt græco vocabulo. Quod latini dicerent virifragum. De hoc vero climactere locus est insignis Jul. Firmici Mathes. IV, quem ab Jos. Scaligero jam indicatum satis esse concederem, nisi emendatior hic a nobis exiret e Biblioth. regia. Sic enim legimus in vetusto exemplari : *Sane extra cæteros climacteras, etiam septimi anni et noni, per omne vitæ tempus multiplicata ratione currentes, naturali quadam et latenti ratione, variis hominem periculorum discriminibus semper afficiunt. Unde et* 63. *annus, quia utriusque numeri summam pariter accipit, androclas appellatus est.* Et paulo post : *Hæc ex caussa ab Ægyptiis androclas dictus est, quod omnem viri substantiam frangat ac debilitet.* Eadem D vero occasione describentur hic etiam et veteribus libris quædam ab Agellio citata ex primo librorum quos M. Varro inscripsit hebdomades, vel de imaginibus septenarii numeri. *Climacteras gravissimos quosque fieri septenarios.* Rig.

CAP. X.—(b) *Quis ludimagister, sine tabula septem idolorum.* Antea legebatur : *Quis ludi magister, si non tabularia idolorum, quinquatria tamen frequentabit.* Nullo sensu. Rectissima erat scriptura vetus, jam observata quidem Barræo, nunc etiam Agobardi codice confirmata. Ea est hujusmodi : *Quis ludi magister sine tabula septem idolorum quinquatria tamen frequentabit.* Verum ut constet sensus, adhibenda distinctio. *Quis ludimagister, sine tabula septem idolorum?* Deinde non interrogatione, sed asseveranter, *quinquatria tamen frequentabit.* Aut si interrogatio ponitur in fine, necessario legendum sicut edidimus : *Quis ludimagister sine tabula septem idolorum, quinquatria tamen non frequentabit?* Sic, utrovis modo legas, idem erit sensus. Nullum esse ludimagistrum, qui non habeat in ludo suo sive schola tabulam septem idolorum, hoc est, septem planetarum; Lunæ, Martis, Mercurii, et cæterorum, unde nomina dierum hebdomadis cujusque. Aut si quis reperiatur absque hujusmodi tabula, hunc tamen quinquatria frequentatorum. Quis autem fuerit apud ludimagistros istius tabulæ sive laterculi septem dierum usus, diligentius inquirere non tanti est. Forsitan præscriptum aut significatum illic fuit quid quaque die discipulis tradi reddive oporteret. Juvenalis, Sat. VII :

> Nil salit arcadico juveni, cujus mihi sexta
> Quaque die miserum dirus caput Hannibal implet.

Ea die, scilicet, totius hebdomadis summa colligebatur. Septima die, quies et otium. Ipse Tertullianus libro ad Nationes primo, cap. XIII : « Vos certe estis, qui in laterculum septem dierum solem recepistis, et ex diebus ipsum prælegistis, quo die lavacrum subtrahatis, aut in vesperam differatis, aut otium et prandium curetis. » Rig.

(c) *Quinquatria tamen frequentabit.* Quinquatria, seu Quinquatrus, — *sacra Minervæ, Nomina quæ a junctis quinque diebus habent.* Ad hæc sacra ludimagistros vocat idem Ovidius lib. III. Fastor. :

> Nec vos turba feri census fraudata magistri
> Spernite, discipulos attrahit ille novos. Rig.

(d) *Verbotenus de idolothyto esse dicatur.* Sequitur in vulgatis editionibus, *Pro idololatra vitetur.* Quod non videtur esse Tertulliani, etsi in cod. Agobardi reperiatur, *Pro idololatria vitatur.*

(e) *Floræ scholæ coronandæ.* Floralibus scilicet, Floræ sacris.

(f) *Creatis schola honoratur feriis.* Sic habet vetus exemplar. Ineptissime antea legebatur, *Cereris schola.* Creatas ferias dicit, quæ non erant statæ aut solemnes, sed indictivæ : ab Ædilibus scilicet aut Flaminicis ob sacrificia quædam indictæ.

Digitized by Google

tur. Quis hæc competere christiano existimabit(a), nisi qui putabit convenire etiam non magistro? Scimus dici posse : « si docere litteras Dei servis non licet, etiam nec discere licebit. Et quomodo quis instituerctur ad prudentiam interim humanam, vel ad quemcumque sensum vel actum, cum (1) instrumentum sit ad omnem vitam litteratura? Quomodo repudiamus sæcularia studia, sine quibus divina non possunt? » Videamus igitur necessitatem litteratoriæ eruditionis ; respiciamus ex parte eam admitti non posse, ex parte vitari. Fideles magis discere, quam docere litteras capit. Diversa est enim ratio discendi et docendi. Si fidelis litteras doceat insertas (2) idolorum prædicatione (3), sine dubio, dum docet, commendat : dum tradit, affirmat : dum commemorat, testimonium dicit (*Exod.* XXIII, 13); deos ipsos hoc nomine obsignat, cum lex prohibeat (ut diximus) deos pronuntiari (*Exod.* XX), et nomen hoc in vano collocari. Hinc prima diabolo fides ædificatur ab initiis eruditionis. Quære an idololatriam committat qui de idolis catechizat (*b*)? At cum fidelis hæc discit ; si jam sapit qui sit, neque recipit, neque admittit, multo magis si nondum (4) sapit. Aut ubi cœperit sapere, prius sapiat oportet, quod prius didicit, id est, de Deo et fide : proinde illa respuet, nec recipiet. Et erit tam tutus, quam qui sciens venenum ab ignaro accipit, nec bibit. Huic necessitas ad excusationem deputatur, quia aliter discere non potest. Tanto autem facilius est litteras non docere, quam non discere, quanto et reliqua scholarum de publicis propriis solemnitatibus inquinamenta facilius discipulis fidelis non adibit, quam magister non frequentabit.

CAPUT XI.

De negotiationibus (5), si cætera delictorum recogitemus, in primis cupiditatem radicem omnium malorum, qua quidam irretiti, circa fidem naufragium sunt passi (*c*) ; quamvis et idololatria ab eodem apostolo dicta sit cupiditas. Tum mendacium, cupiditatis ministrum. Taceo de perjurio, quando ne jurare quidem liceat. Negotiatio servo Dei apta est? Cæterum, si cupiditas abscedat, quæ est caussa acquirendi, cessante caussa acquirendi, non erit necessitas negotiandi. Sit nunc aliqua justitia quæstus, secura de cupiditatis et mendacii observatione, in crimen offendere idololatriæ eam opinor, quæ ad ipsam idolorum animam et spiritum pertinet, quæ omne dæmonium saginat. Sane annon illa principalis idololatria (*d*)? viderint si ædem merces, thura dico et cætera peregrinitatis (*e*) ad sacrificium idolorum, etiam hominibus ad pigmenta medicinalia(*f*), nobis quoque insuper ad solatia sepulturæ usui sunt. Certe cum pompæ, cum sacerdotia, cum sacrificia idolorum de periculis, de damnis, de incommodis, de cogitationibus, de discursibus negotiationibusve (*g*) instruuntur, quid aliud quam procurator idolorum demonstraris? Nemo contendat posse hoc modo omnibus negotiationibus controversiam fieri. Graviora delicta quæque pro magnitudine periculi diligentiam extendunt observationis, ut non ab his tantum abscedamus, sed et ab iis per quæ fiunt. Licet enim ab aliis fiat, non interest, si (6) per me. In nullo necessarius esse debeo alii, cum facit quod mihi non licet. Ex hoc quod vetor facere, intelligere debeo curandum mihi esse, ne fiat per me. Denique in alia caussa non levioris reatus præjudicium istud observo. Nam quod mihi de stupro interdictum sit, aliis ad eam rem nihil aut operæ aut conscientiæ exhibeo. Nam quod ipsam carnem meam a lupanaribus segregavi, agnosco me, neque lenocinium, neque id genus lucrum alterius caussa exercere

LECTIONES VARIANTES.

(1) Cui *Rigalt.*
(2) Inserta *Wouw. M. S.*
(3) Prædicationes *Rigalt.*
(4) Dudum *Venet. Seml.*
(5) Degenerabimus *Fran.* Degenerationibus *Jun. Paris.* De gravioribus, *Lat.* De negotiatione vero, si cætera etc. de publicis ac propriis solemnitatibus *Wouw. M. S.* De generationibus. *Rhenan. et Jun.*
(6) Nisi *Jun.*

COMMENTARIUS.

(a) *Quis hæc competere christiano existimabit.* Hoc est omni christiano, tam discipulo, quam magistro. Ait enim excusari posse discipulum, cui necesse est discere litteras ab ethnico magistro ; at ferri non posse christianum, qui post fidem Christo datam fiat ludimagister, et litteras doceat crebris poetarum prælectionibus, idolorum inquinamentis, quæ pro bare tamen videatur enarrando explicandoque. Rig.

(b) *Qui de idolis catechizat.* Hinc apparet Auctoris sententia, quod in præcedentibus non loquitur de nuda deorum ac nominum eorumdem pronuntiatione, sed catechizatione et prædicatione, ac honorifica mentione, ut id nemo contra me detorqueat, qui fortas-is quibusdam videbor in his explicandis prolixior. Sed meminerit lector me non doctis, sed potissimum rudibus has annotationes scribere. Pam.

CAP. XI. — (c) *Circa fidem naufragium sunt passi.* Ubique fere Tertullianus dum citat aliquem e sacris codicibus, Græcos sectatur ; hic *naufragium passi* tamen ait pro, *erraverunt*, habetur quippe in græco : ἀτεπλανήθησαν ἀπὸ τῆς πίστεως. Le Pr.

(d) *Sane annon illa principalis Idololatria?* scripsi *annon*, etc. Notam interrogationis adjunxi qua carent vulgati codices. Scripsi *ad sacrificium idolorum*, secutus Junium, nam in omnibus deest præpositio, ut videtur addenda ex sequentibus. Ita enim clariora omnia. Lac.

(e) *Cætera peregrinitatis.* Constructio est græca, notat scilicet exotica odoramenta, quæ ex Arabia in nostrum orbem advehuntur. Lac.

(f) *Etiam hominibus ad pigmenta medicinalia.* Nam et pigmenta sunt utilia medicinæ Unde et pigmentarii dicti pharmacopolæ. Julius Firmicus, lib. VIII, cap. 17 : *Quicumque sub hoc sidere nati fuerint, marsi erunt, vel qui venenis ex herbarum pigmentis confectis salutaria soleant hominibus remedia comparare.* Pigmenta etiam dixere condimenta. Cassianus, Collat. 15, cap. 3 : *Corpora mortuorum pigmentis condita redolentibus in editioribus cellulis recondantur.* Sit et iam Exodi cap. XXXVII, sub finem, *Opus pigmentarii* dicitur, quod Septuaginta, ἔργον μυρεψοῦ. Rig.

(g) *De negotiationibus.* Mirum sane hic interpretes ita varias amplecti sententias, alii enim *de generationibus*, habent alii *de gravioribus*, alii, *degenerabimus*, alii *de negotiatione*. Nescio an assentiri debeam Ludovico de La Cerda qui lectionem primam, *de generationibus*, retinendam censet. Le Pr.

Digitized by Google

posse. Sic et homicidii interdictio ostendit mihi lanistam quoque (*a*) ab Ecclesia arceri ; nec per se non faciet, quod faciendum aliis subministrat. Ecce magis proximum præjudicium. Si publicarum victimarum redemptor ad fidem accedat, permittes ei in eo negotio permanere? Aut si jam fidelis id (1) agere susceperit, retinendum in Ecclesia putabis? Non opinor, nisi si quis et de thurario dissimulabit, scilicet ad alios pervenit procuratio sanguinis, ad alios odorum. Si antequam idola in sæculo essent, his mercibus adhuc informis idololatria (*b*) transigebatur, sic et nunc fere sine idolo opus idololatriæ incendiis odorum perpetratur, ecquid majoris operæ et erga dæmonia thurarius (2)? nam facilius sine idolo idololatria, quam sine thurarii merce. Ipsius fidei conscientiam perrogemus. Quo ore christianus thurarius (*c*), si (3) per templa transibit, fumantes aras despuet, et exsufflabit (*d*), quibus ipse prospexit? Qua constantia exorcizabit alumnos suos, quibus domum suam cellariam præstat? Ille quidem si exclusérit dæmonium, non sibi placeat de fide. Neque enim inimicum exclusit. Facile debuit de eo impetrare, quem quotidie pascit. Nulla igitur ars, nulla professio, nulla negotiatio, quæ quid aut instruendis aut formandis idolis administrat, carere poterit titulo idololatriæ : nisi si aliud omnino interpretemur idololatriam, quam famulatum (*e*) idolorum colendorum.

CAPUT XII.

Male nobis de necessitatibus humanæ exhibitionis supplaudimus, si post fidem obsignatam dicimus : A non habeo quo vivam. Jam hic enim plenius illi abruptæ propositioni respondebo : Sero dicitur. Ante enim fuit deliberandum, ex similitudine providentisssimi ædificis illius (*f*) qui prius sumptus operis cum viribus suis supputat, ne, ubi cœperit, defectus (4) postea erubescat. Sed et nunc habes dicta Domini, et exempla adimentia tibi omnem caussationem. Quid enim dicis? « Egebo ». Sed felices egenos Dominus appellat. « Victum non habebo. » Sed *nolite*, inquit, *cogitare de victu*. Et vestitus habemus exemplum lilia. « Substantia mihi opus erat : » Atquin omnia vendenda sunt, et egentibus dividenda. « Sed filiis et posteritati providendum. » Nemo *aratro manum imponens et retro spectans aptus* est operi. « Sed conditionalis eram (*g*). » *Nemo duobus dominis* B *servire potest*. Si vis Domini discipulus esse, crucem tuam tollas, et Dominum sequaris necesse est, id est, angustias et cruciatus tuos, vel corpus solum, quod in modum crucis est (*h*). Parentes, conjuges, liberi propter Deum relinquendi erunt. De artibus et negotiationibus, et de professionibus etiam liberorum et parentum caussa dubitas? Jam tunc demonstratum est nobis et pignora, et artificia, et negotia propter Dominum derelinquenda, cum Jacobus et Joannes vocati a Domino et patrem navemque derelinquunt; cum Matthæus de teloneo suscitatur; cum etiam sepelire patrem tardum fuit fidei. Nemo eorum quos Dominus allegit, *non habeo*, dixit, *quo vivam*. Fides famem non timet (*i*). Scit etiam famem non

LECTIONES VARIANTES.

(1) Id. *Abest Rig.*
(2) *Nescio, inquit Leop., an sit scribendum :* ecquid majoris operæ est erga dæmonia, quam thurarius? C
(3) Si *abest Latin.*
(4) Defunctus *Fran.*

COMMENTARIUS.

(a) *Lanistam quoque.* Supervacaneum forsan erit hic repetere quod nemo nescit, Lanistam esse gladiatorum præfectum. In gloss. lanista ἐκτιστάτης μονομάχων. Le Pr.

(b) *His mercibus adhuc informis.* Informem idololatriam dicit; quæ sine ulla forma, sive statua aut figura, sine idolo transigebatur : solo scilicet odorum incendio, mensibus arabicis, thure. Rig.

(c) *Quo ore christianus thurarius.* Si quis hanc lectionem, quæ sane est codicis Agobardi, retinere velit, omnino sic distinguat : *Quo ore christianus thurarius, si per templa transibit? quo ore fumantes aras despuet et exsufflabit, quibus ipse prospexit?* Alias commodissime scriberetur : *Quo ore christianus thurarius, si per templa transibit, fumantes aras despuet*, etc. Rig. D

(d) *Et exsufflabit.* Alludit ad exsufflationem dæmonum, quæ fit in exorcismis ante baptismum. Unde subjungit, *quæ constantia exorcizabit alumnos suos.* De quibus omnibus latius lib. de baptismo. Pam.

(e) *Quam famulatum idolorum.* Proprie usus voce; notat enim servitium, id est servitutem qua gentiles addicti dæmonibus. Atqui famulatus proprie est illorum qui dicuntur familiares, id est servi. Senec. ep. 47, et Plaut. in amphit. Itaque honesta vox, ne servi notarentur contumelia, erat familia et famulatus : et ipsi domini dicebantur patres familias. Lac.

CAP. XII. — (f) *Ædificis illius.* Ædifex pro ædificatore, non ædium duntaxat, sed cujusvis structuræ et mox *defunctus* non pro mortuo, sed pro eo qui ab opere cœpto defungitur. Pam.

(g) *Sed conditionalis eram.* Emendavimus ex codice Agobardi, in quo sic legitur : *Nemo aratro manum imponens et retro spectans aptus est operis et conditionalis eram.* Quæ, ut edidimus, distingui oportere manifestum est. Conditionalis dicitur servus certæ conditioni adscriptus et mancipatus. l. VII. de jure fisci. Actuarii conditionales, Cod. Theod. De numerariis, actuariis, etc. Rig.

(h) *Quod in modum crucis est.* Hanc fuisse veterem scripturam arbitramur, et quæ adhuc cernuntur in antiquis exemplaribus vestigia, persuadent. In iis enim ita scribitur : *Aut corpus solum, quod in modum Xps est.* Si copia nobis esset principalium exemplorum, unde suum describi jussit Agobardus, mendosæ lectionis origo patesceret. Interim opinari liceat, scriptum fuisse in antiquissimis, *Quod in modum Xis* quæ nota cum esset crucis, in hunc facile transiit *Xps*, quæ Christus est. Quo etiam modo Barræus in exemplari suo scriptum fuisse testatur. Quod autem hic ait Tertullianus, corpus nostrum in modum esse crucis, idem etiam clarius explicat lib. I ad Nationes, cap. 12. *Ipsi quoque corpori nostro, tacita et secreta linea, crucis situs est. Quod caput emicat, quod spina dirigitur, quod humerorum obligatio... Si hominem statuaris manibus expansis, imaginem crucis feceris.* Rig.

(i) *Fides famem non timet.* Magni semper fecit Tertullianum Hieronymus, nam ab hoc plures ille sumpsit sententias, interque illas etiam hanc. Ita enim ad Heliodor. : *De cibo cogitas? sed fides famem non timet.* Arat. lib. II, hist. Apostol. dixit :

Neque enim discrimina novit
Formidare fides. Lac.

Digitized by Google

minus sibi contemnendam propter Deum, quam omne mortis genus. Didicit non respicere vitam, quanto magis victum? Quotusquisque hæc adimplevit? Sed quæ penes homines difficilia, penes Deum facilia.

CAPUT XIII.

Sic tamen nobis de mansuetudine et clementia Dei blandiamur, ut non usque ad idololatriæ affinitates necessitatibus largiamur : sed omnem adflatum ejus vice pestis etiam de longinquo devitemus, non his tantum quæ præmisimus, sed in universa serie humanæ superstitionis, sive deis suis, sive defunctis, sive regibus mancipatæ, ut ad eosdem spiritus immundos pertinentis, modo per sacrificia et sacerdotia, modo per spectacula, et hoc genus, modo per festos dies. Sed de sacrificiis et de sacerdotiis quid loquar? De spectaculis autem et voluptatibus ejusmodi suum jam volumen implevimus. Hoc loco retractari oportet de festis diebus, et aliis extraordinariis solemnitatibus, quas interdum lasciviæ, interdum timiditati nostræ subscribimus, adversus fidei disciplinam communicantes nationibus in idolicis rebus. De hoc quidem primo consistam, an cum ipsis quoque nationibus communicare in hujusmodi servus Dei debeat, sive habitu, sive victu, vel quo alio genere lætitiæ earum. Gaudere cum gaudentibus, et lugere cum lugentibus, de fratribus dictum est ab apostolo ad unanimitatem cohortante (*Rom.*, XII, 15). Cæterum ad hæc nihil communionis est lumini et tenebris vitæ et morti : aut scindimus quod est scriptum (II *Cor.* VI, 14; *Joan.*, XVI, 20) : *Sæculum gaudebit, vos vero lugebitis.* Si cum sæculo gaudemus, verendum est, ne cum sæculo et lugeamus. Sæculo autem gaudente lugeamus, et sæculo postea lugente gaudebimus (*Luc*, XVI, 19). Sic et Lazarus (1) (*a*) apud inferos in sinu Abrahæ refrigerium consecutus; contra dives in tormento ignis constitutus, alternas malorum et bonorum vices æmula retributione compensant (2). Sunt quidam dies munerum (*b*), quæ apud alios honoris titulum, apud alios mercedis debitum (*c*) expungunt. Nunc ergo, inquis, recipiam meum, vel rependam alienum. Si hunc morem sibi homines de superstitione consecraverunt, tu extraneus ab omni eorum vanitate, quid participas idolo-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Eleazar *Paris. alii.*

(2) Compensatur *Paris.*

COMMENTARIUS.

CAP. XIII. — (a) *Sic et Lazarus.* « In exemplari Agobardi, ubique scribitur, *Eleazar*, non *Lazarus*. Sic etiam apud Prudentium, Hym. de Exequiis :

Gremio senis abdita sancti
Recubabit, ubi est Eleazar. RIG.

Sic et Lazarus apud inferos in sinu Abrahæ. Ex verbis Domini ad latronem, *hodie mecum eris in paradiso*, et Abrahæ de Lazaro ad divitem purpuratum, et Joannis martyrum animas videntis sub altari, et Pauli ad Thessal. I, cap. IV. veterum plerique in ea sententia fuere, ut crederent esse apud inferos animarum receptacula piarum et impiarum divini judicii diem exspectantium. Interea tamen pias quidem pace, quiete, refrigerio gaudere; impias contra carcere, ignibus, gehenna cruciari. Piarum receptacula in recessu quidem subterraneo, sed inferioribus multo impiarum abyssis superstructo. Inter utrumque autem insuperabilis altitudinis chaos obfirmatum. Quum igitur in hac sententia fuerit Tertullianus, nihil est quod hic miremur, et Lazarum et Abrahæ sinum apud inferos censeri. Nam et ipse eodem sensu lib. de anima, animam Christi ait egressam de crucifixo corpore ad inferos descendisse, ut compotes sui faceret patriarchas. Alii vero eadem quoque fide et apud inferos esse paradisum credidere, quo latroni Christus condixit; etenim paradisi vocabulo significari hortum seu pratum, seu quemvis alium amœni refrigerii locum, ubi patriarchæ, ubi Abrahamus, ubi Jacob, ubi Lazarus, ubi ille de latrone fidelis, ubi etiam martyrum animæ placidum quiescant. Ac de martyribus quidem Septimius noster ita sensisse videtur in Scorpiace, cum ait animas eorum sub altari patientiam pascere, et indutas stolam candidam claritatis usurpare. Quasi sedes illa sub altari, ὑποκάτω θυσιαστηρίου, Joanni revelata, nomine altaris terram significet, super quam immolata martyrum corpora, veluti super altare jacuerunt, unde ipsorum animæ in subterraneas amœnitates ab angelis sunt delatæ, ubi resurrectionem ac Dei regnum præstolantur : moram vero tantulam, licet complurium annorum, sanctis minime gravem æternæ gloriæ fiducia saecularis. Verumtamen Septimium in hac sententia parum fuisse constantem arguunt ea quæ libro de Resurrectione tradidit. Etenim posteaquam probavit omnem animam apud inferos sequestrari in diem Domini, confestim eximit ab ea dispositione martyrum animas, paradiso, inquit, non inferis deversuras. Quibus certe verbis paradisum esse apud inferos negat; etsi lib. de anima, secundum Irenæi sententiam, Christum ipsum dixisset forma humanæ mortis apud inferos functum; eosque superbe nimis censere, qui non putarent animas fidelium inferis dignas. *Servi super dominum*, inquit, *et discipuli super magistrum, aspernati si forte in Abrahæ sinu expectandæ resurrectionis solatium capere.* Ex his igitur id colligimus, homines adhuc ævo illo valde fuisse harum rerum incertos ac dubios. » Hactenus Rigaltius; cætera vero quæ subjunxit ad infirmandam, ut videtur, catholicam de Christi ad inferos descensu doctrinam, veritate carent et hæresim sapiunt. Sufficiat adversus hunc commentatorem opposuisse ea, quæ Natalis Alexander, in sua Dissertatione *de Symbolo fidei* asseruit : « *Ad inferos*, inquit ille (hoc est, ad *locum illum, quem theologi Limbum Patrum vocant*), *animam Christi, non virtute tantum et operatione, sed re et præsentia descendisse, dogma fidei est, Scripturæ sacræ testimoniis, et unanimi Patrum consensu firmatum. Græci vero Latinique Patres in ejusdem catholici dogmatis assertionem conspirant.* » (*Theol. Curs. compl.*, *t.* VI, *p.* 239 *et seq.*). V. etiam *professionem fidei catholicæ* (*Theol. Curs. compl.*, *t.* I, *p.* 1000). Quum vero Rigaltius Rufinum in gratiam suæ sententiæ citaverit, tanquam si Ecclesiæ catholicæ symbolo Christi descensus ad inferos non legeretur, libet præsertim ea referre, quæ de Symbolo Apostolorum expresserat ille ipse Rufinus : « *Crucifixus sub Pontio Pilato, et sepultus*, DESCENDIT IN INFERNA. » (*Exposit. in Symb. Apost. Auct. Rufino, inter opera S. Cypriani, edit. Pamel.*, *p.* 544). EDD.

(b) *Dies munerum quæ apud alios honoris titulum expungunt.* Habebant ethnici dies munerum et dies strenarum. Ipse Tertullianus pag. seq. *Munera commeant, strenæ consonant.* RIG.

(c) *Apud alios mercedis debitum.* Unde et Mercedonius seu Mercedinus mensis dictus, posteaque dies Mercedini, in tres menses tributi. RIG.

Digitized by Google

thyta solemnia, quasi tibi quoque præscriptum sit de die, quo minus id quod homini debes, vel tibi ab homine debetur, citra diei observationem luas, vel recipias. Da formam in qua (1) velis agi tecum (*a*). Cur enim et lateas, cum ignorantia alterius tuam conscientiam contamines? si non ignoraris quod sis christianus, tentaris, et contra conscientiam alterius agis, tanquam non christianus. Enimvero etsi simulaveris (2), tentatus, addictus es. Certe sive hac, sive illac, reus es confusionis in Deo (*Matth.*, X, 32; *Luc*, IX, 26). *Qui autem confusus super me fuerit penes homines, et ego confundar super illo*, inquit, *penes Patrem meum, qui est in cœlis.*

CAPUT XIV.

Sed enim plerique jam induxerunt animo, ignoscendum esse, si quando (3), quæ ethnici, faciunt, ne nomen blasphemetur. Porro blasphemia, quæ nobis omnino devitanda est, hæc opinor est: si quis nostrum ad justam blasphemiam ethnicum deducat, aut fraude, aut injuria, aut contumelia, aliave materia dignæ querelæ, in qua nomen merito percutitur, ut merito irascatur et Dominus (4). Cæterum si de omni blasphemia dictum est: *vestri* (5) *caussa nomen meum blasphematur* (*Rom.* II, 24), perimus universi; cum totus circus scelestis suffragiis nullo merito nomen lacessit. Desinamus, et non blasphemabitur. Imo blasphemetur, dum sumus in observatione, non in exorbitatione disciplinæ, dum probamur, non dum reprobamur. O blasphemiam (6) martyrii affinem, quæ tunc me testatur Christianum, cum propter eam detestatur! Benedictio est nominis, maledictio custoditæ disciplinæ. *Si hominibus*, inquit, *vellem placere, servus Christi non essem* (*Gal.*, I, 10). Sed idem alibi (1 *Cor.*, X, 33) jubet, omnibus placere curemus. *Quemadmodum ego*, inquit, *omnibus per omnia placeo.* Nimirum Saturnalia et Kalendas januarias celebrans hominibus placebat? an modestia et patientia, an gravitate, an humanitate, an integritate? Proinde cum dicit, *Omnia omnibus factus sum, ut omnes lucrifaciam* (I *Cor.* IX, 22), numquid idololatris idololatres, numquid ethnicis ethnicus, numquid sæcularibus sæcularis? Sed etsi non prohibet nos conversari cum idololatris et adulteris et cæteris criminosis, dicens (I *Cor.*, V, 10): *cæterum de mundo exiretis* (7); non utique eas habenas conversationis immutat, ut quoniam necesse sit et convivere nos et commisceri (8) cum peccatoribus, ideo et cum eis peccare (9) possimus. Ibi est commercium vitæ, quod Apostolus concedit; hic peccare, quod nemo permittit. Licet convivere cum ethnicis, commori non licet. Convivamus cum omnibus: conlætemur ex communione naturæ (10), non superstitionis. Pares anima sumus, non disciplina: compossessores mundi, non erroris. Quod si nobis nullum jus est communionis in ejusmodi cum extraneis, quanto scelestius est, hæc inter fratres frequentare (11)! Quis hoc sustinere aut defendere potest? Judæis dies suos fastos (12) exprobrat Spiritus sanctus: *Sabbata*, inquit, *vestra et neomenias et cæremonias odit anima mea* (*Is.*, I, 14). Nobis quibus sabbata extranea sunt et neomeniæ et feriæ a Deo aliquando dilectæ, Saturnalia, et Januariæ, et Brumæ (*b*), et Matronales (*c*) frequentantur? munera commeant? strenæ consonant? lusus, convivia constrepunt (13)? O melior fides nationum in suam sectam! quæ nullam solemnitatem Christianorum sibi vindicat, non Dominicum diem, non Pentecosten (*d*), etiamsi nossent, nobiscum communicassent; timerent enim ne Christiani viderentur. Nos ne ethnici pronuntiemur, non veremur. Si quid et carni indulgendum est (*e*), habes, non dicam duos (14) dies (15) tantum, sed et plures. Nam ethnicis semel annuus dies quisque festus est: tibi octavus

LECTIONES VARIANTES.

(1) Formam qua *Rigalt.*
(2) Et dissimulaberis *Paris. Rig.*
(3) Quandoque his *Fran. Rig.*
(4) Irascatur ei Dominus *Leop. primus et unus.*
(5) Est væ, cujus caussa *Paris. Jun. Pamel.*; vestra caussa *Leop.*
(6) Ob blasphemiam *Fran.*
(7) Exiretis *Paris. Pet. Rhen. Rig.* exissetis *Semler, Ciacon.*
(8) Commisceri *Paris.*
(9) Ideo et compeccare *Rig.*
(10) *Cod. Agob. Paris.* animæ sumus, non disciplinæ.
(11) Frequentari *Jun.*
(12) Festos *Paris.*
(13) Commeant et strenæ, consonant lusus, conv. constr. *Jun.*
(14) Suos *Ciacc. Jun.* tuos *Rig. Semi.*; non tamen dies tantum, sed et plures *Rig.*
(15) Non tamen dies *Rigalt.*

COMMENTARIUS.

(a) *Da formam qua velis agi tecum, cur enim et lateas.* Elige, inquit, qua tecum agi velis formula: christiani inter ethnicos noti vel ignoti. Nam cum apud ethnicos, solemnes ethnicorum dies observas, id efficies ut lateas, atque ut te non esse christianum ethnicus putet; et fraus est quæ, hoc ipso quod ignorantiam veritatis inducit, conscientiam tuam contaminat. Rig.

CAP. XIV.—(b) *Et Brumæ.* Ferias Brumales intelligit quæ Brumalia dicebantur, fiebant autem in honorem Bacchi torcularium et prælorum inventoris circa mensem Lenæonem, hoc est, Januarium nostrum. Eæ etiam feriæ *Ambrosia* vocabantur græcis, quæ Brumalia Romanis, nam Dionysius apud hosce est Brumus. Hac in interpretatione forte hallucinatus est Pamelius Lilium Gyraldum secutus. De hac voce Tzetzes in schol. Hesiodi, II, operum late disserit. Le Pr.

(c) *Et Matronalia.* Feriarum harum celebritas Calendis Martiis occurrebat, in iis de Matribus et Matronis erat solemnitas, dicebantur quoque *Matralia.* Le Pr.

(d) *Non Pentecosten.* Intelligere Auctorem non solum Pentecostes festum, sed etiam, uti loquitur (*de Cor. mil.*), tempus illud integrum a die Paschæ in Pentecosten, patet ex eo quod mox sequitur, *excerpe singulas solemnitates nationum, et in ordinem nexe, Pentecosten implere non poterunt.* Eodem modo et B. Hieronymus, lib. advers. Montanum et Luciferianos, *per omnem Pentecosten* dixit. Pam.

(e) *Si quid carni indulgendum est.* Alloquitur christianum: Si quid voluptati indulgendum est, habes etiam dies festos, sicut habent ethnici, non tamen dies tantum atque illi habent, sed et plures. Rig.

Digitized by Google

quisque dies (1). Excerpe singulas solemnitates nationum, et in ordinem texe (2), Pentecosten implere non poterunt.

CAPUT XV.

Sed (*Matth.*, V, 16) *luceant*, inquit (*a*), *opera vestra*. At nunc lucent tabernæ et januæ nostræ: plures jam invenies ethnicorum fores sine lucernis et laureis quam Christianorum. De ista quoque specie quid videtur? Si idoli honor est, sine dubio idoli honor idololatria est. Si hominis caussa est, recogitemus omnem idololatriam in hominis caussam esse. Recogitemus omnem idololatriam in homines esse culturam, cum ipsos deos nationum homines retro fuisse, etiam apud suos constet. Itaque nihil interest, superioris, an hujus sæculi viris superstitio ista præstetur. Idololatria non propter personas quæ opponuntur (3), sed propter officia ista damnata est, quæ ad dæmones pertinent. Reddenda sunt (*Matth.*, XXII) *Cæsari quæ sunt Cæsaris*, bene quod opposuit, *et quæ sunt Dei Deo*. Quæ ergo sunt Cæsaris? scilicet de quibus tunc consultatio movebatur, præstandusne esset census Cæsari, an non: Ideo et monetam ostendi sibi Dominus postulavit, et de imagine, cujus esset, requisivit. Et cum audisset, Cæsaris: *Reddite*, ait, *quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo* (*b*); id est imaginem Cæsaris Cæsari, quæ in nummo est, et imaginem Dei Deo, quæ in homine est: ut Cæsari quidem pecuniam reddas, Deo temetipsum. Alioquin, quid erit Dei, si omnia Cæsaris? Ergo, inquis, honor Dei est, lucernæ pro foribus, et laurus in postibus? non utique quod Dei honor est, sed quod ejus qui pro Deo hujusmodi officiis honoratur, quantum in manifesto est, salva operatione quæ est in occulto, ad dæmonia perveniens. Certi enim esse debemus, si quos latet per ignorantiam litteraturæ sæcularis, etiam ostiorum deos apud Romanos, Cardeam a cardinibus appellatam, et Forculum (4) a foribus, et Limentinum a limine, et ipsum Janum a janua: et utique scimus, licet nomina inania atque conficta sint, cum tamen in superstitionem deducuntur, rapere ad se dæmonia et omnem spiritum immundum per consecrationis obligamentum. Alioquin dæmonia nullum habent nomen singulatim, sed ibi nomen inveniunt, ubi et pignus. Etiam apud Græcos Apollinem θυραῖον, (*c*) et Antelios (*d*) dæmonas ostiorum præsides legimus. Hæc igitur ab initio prævidens Spiritus sanctus, etiam ostia in superstitionem ventura præcecinit per antiquissimum prophetam Enoch. Nam et alia ostia in balneis adorari videmus. Si autem eorum sunt quæ in ostiis adorentur (5), ad eos et lucernæ et laureæ pertinebunt. Idolo feceris, quicquid ostio feceris. Hoc in loco ex auctoritate quoque Dei contestor, quia nec tutum est subtrahere quodcumque uni fuerit ostensum, utique omnium caussa. Scio fratrem per visionem eadem nocte castigatum graviter, quod januam ejus subito annuntiatis gaudiis publicis servi coronassent. Et tamen non ipse coronaverat, aut præceperat, nam ante processerat, et regressus reprehenderat (6) factum: adeo apud Dominum in hujusmodi etiam disciplina (*e*) familiæ nostræ æstimatur (7). Igitur quod attineat ad honores regum vel imperatorum (*Rom.*, XIII, 7), satis præscriptum habemus, in omni obsequio esse nos oportere, secundum Apostoli præceptum, subditos magistratibus et principibus et potestatibus: sed intra limites disciplinæ, quousque ab idololatria separamur. Propterea enim et illud exemplum trium fratrum præcucurrit, qui alias obsequentes erga regem Nabuchodonosor (*Dan.*, III, 12, *seqq.*), honorem imaginis ejus constantissime respuerunt, probantes idololatriam esse, quicquid ultra humani honoris modum ad instar divinæ sublimitatis extollitur (8). Sic et Daniel (*Dan.* VI, 5, *seqq.*) cætera Dario subnixus, tamdiu fuit in officio, quamdiu a periculo disciplinæ (9) vacaret. Nam id ne subiret, non magis leones regios timuit, quam illi regios ignes. Accendant igitur quotidie lucernas, quibus lux nulla est, affigant postibus lauros postmodum arsuras, quibus ignes imminent; illis competunt et testimonia

LECTIONES VARIANTES.

(1) Octavo quoque die *Fran.*
(2) Exsere *Fran.*
(3) Apponuntur *Latin. Rig. Fr. Jun. Leopold.*, *cæteri* opponuntur.
(4) *Cod. Rig. habet* foriculum *aut* foreculum.
(5) Adornentur *Jun.*
(6) Coronaverat, a. p. (nam ante processerat) et regressus deprehenderat *Jun. Latin.*
(7) Apud deum — æstimamur *Rigalt. Leop.*
(8) Extollit *Rigalt.*
(9) Disciplina *Jun.*

COMMENTARIUS.

CAP. XV.—(a) *Sed luceant, inquit, opera vestra.* Inquit Christus. Sic lib. de Pallio: Ipsum, inquit, ferrum virum trahit. Hoc est, inquit Homerus. RIG.

(b) *Et quæ sunt Dei, Deo.* Notetur explicatio ista Tertulliani plena acuminis, quam rimatur ex verbis Christi. Ut enim nummus dandus Cæsari, quia nummus imago est Cæsaris: sic homo dandus Deo, quia homo est imago Dei. LAC.

(c) *Apollinem Thyræum.* Fuit Apollo præses portarum, videlicet quia per illas aditus est luci in domum, inde θυραῖος dictus. Nam Græcis θύρα est janua. Macrob. lib. I Satur., cap. 9, rationem adhibet. Huc pertinent verba Scholiastæ Soph. in Elect.: cum enim Phœbum prostaterium vocet Sophocles, schol. ait, προστατήριε, ὅτι πρὸ τῶν θυρῶν ἱδρυται, *prostaterie, quoniam ante fores statuitur.* Et Aristides hymno ad Miner. meminit Apollinis προπυλαίου. Et quidem Phœbum olim depictum in foribus videtur effici ex verbis Arnobii, lib. VI. LAC.

(d) *Et Antelios dæmonas.* Rhen., lib. de Cor. Antelii Græcis Dii sunt, qui foribus dedicantur. Sic enim aras vel divorum statuas vocabant subdivales, ut quæ Soli forent expositæ: Hinc Hesychius: ἀντήλιοι θεοὶ οἱ πρὸ τῶν πυλῶν ἱδρύμενοι, et rursus, ἀντήλιος, ὁ ἀντικρὺ ἡλίου ἱδρύμενος βωμὸς ἢ θεός. PAM.

(e) *Disciplina familiæ nostræ æstimamur.* Sic vetus exemplar: Apud Deum, inquit, in hujusmodi factis censemur ex disciplina familiæ nostræ: hoc est, in iis quæ ad crimen idololatriæ pertinent, imputari nobis a Deo quæ ob pravam disciplinam familia nostra peccaverit. *Idem.*

Digitized by Google

tenebrarum, et auspicia pœnarum (*Matth.*, V). Tu lumen es mundi, et arbor virens semper (*Ps.* I). Si templis renuntiasti, ne feceris templum januam tuam. Minus dixi : si lupanaribus renuntiasti, ne indueris domi (1) tuæ faciem novi lupanaris:

CAPUT XVI.

Circa officia vero privatarum et communium solemnitatum (*a*), ut togæ puræ (*b*), ut sponsalium, ut nuptialium, ut nominalium (*c*), nullum putem periculum observari de flatu idololatriæ quæ intervenit : caussæ enim sunt considerandæ, quibus præstatur officium. Eas mundas esse opinor per semet ipsas, quia neque vestitus virilis, neque annulus aut conjunctio maritalis, de alicujus idoli honore descendit. Nullum denique cultum a Deo maledictum invenio, nisi muliebrem in viro (*Deut.*, XXII, 5) : *Maledictus* enim, inquit, *omnis qui muliebribus induitur.* Toga vero etiam appellatione virilis est (*d*). Nuptias quoque celebrari non magis Deus prohibet quam nomen imponi. Sed his accommodantur sacrificia. Sim vocatus (*e*), nec adsacrificii sit titulus (2) officii et operæ meæ expunctio (3), quantum sibi libet. Utinam quantum sibi quidem, nec videre possimus quæ facere nobis nefas est ! Sed quoniam ita Malus circumdedit sæculum idololatria, licebit adesse in quibusdam, quæ nos homini, non idolo, officiosos habent. Plane ad sacerdotium et sacrificium vocatus non ibo (proprium enim idoli officium est) : sed neque consilio, neque sumptu, aliave opera in ejusmodi fungar. Si propter sacrificium vocatus assistam, ero particeps idololatriæ : si me alia caussa conjungit sacrificanti, ero tantum spectator sacrificii.

CAPUT XVII.

Cæterum quid facient servi vel liberi fideles, item officinales sacrificantibus dominis vel patronis vel præsidibus suis adhærentes ? Sed si me-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Domui *Jun.*
(2) *Ita Rigaltius emendavit; in cæteris editionibus* μηδὲν ὑγιές.
(3) Quid tum ? si libet. Utinam quidem nec *Seml.*

COMMENTARIUS.

CAP. XVI.—(a) *Communium.* Ut privatæ solemnitates dicuntur, quæ uni tantum personæ conveniunt ita communes quæ duabus, ut sunt nuptiæ et sponsalia. Lac.

(b) *Ut togæ puræ.* Quam hic intelligat, mox tum his verbis manifestat, *vestitu virilis*, tum illis, *Toga vero etiam appellationis virilis est*, quam nempe deposita prætexta assumebant pueri an. ætatis 17. Quæ et pura nuncupatur (Budæo teste), quod nec picta esset, nec triumphalis, nec prætexta. Meminit ejusdem Cicero lib. IX, epist. ad Atticum, cum scribit Ciceroni suo se *puram togam dedisse.* Pam.

(c) *Ut nominalium*, etc. Arguit hic pro more suo ethnicorum superstitionem ridiculam, qui ex eo die quo puero nomen imponebatur, bonum omen, aut malum captabant; is autem dies erat hebdomadis septimus, licet Lacerda decimo die id fieri scribat, qui Latinis lustricus dicebatur, Græcis vero ἀμφιδρόμια, vocatus idem dies Nominalia propter illam celebritatem. Videsis hac de re θαυμάσιον Scaligerum in Festum et in Ausonium, Casaubonum in 2 Persii satyram, et Tullium, Philipp. 13. Le Pr.

(d) *Toga vero etiam appellationis virilis est.* Appellatur enim toga virilis, non simpliciter toga. Rig.

(e) *Sim vocatus, nec adsacrificii sit titulus.* Hunc locum in omnibus libris editis depravatissimum emendavimus ex codice Agobardi. Emendationem verissimam esse facile probabimus explicatione. Christianis Gentilium dominio subditis, frequentissime occurrebant rationes hæsitandi consultandique an et quatenus potestatibus ethnicis imperantibus aut vocantibus operæ sive officia absque idololatriæ periculo deberentur. Nimirum in familia forte aut comitatu Præsidis sive Proconsulis servi sunt et liberti, apparitores, scribæ, librarii, præcones, inter hos et christiani, et solemnia quædam incidunt, quorum occasione festa et sacrificia certa de more celebrantur : Præses aliqua procurari jubet ad hasce solemnitates pertinentia. Quid hic consilii capiet christianus ? Parebit imperanti ? erit idololatriæ fautor et administer. Obsequium negabit ? erit adversus potestatem contumax. Certe idolorum cultum qualemcumque execratur Deus. Sed et Principum ac Potestatum jura confirmat, nemini christiano contumaciam indulget, imo cunctos ad obsequendi officia compellit. Hac in specie Tertullianus discrimen statuit, ut quod attineat ad honores Regum vel Imperatorum, satis præscriptum habeant Christiani, in omni se obsequio esse debere, secundum Apostoli præceptum, subditos magistratibus et principibus et potestatibus : sed intra limites disciplinæ, quousque ab idololatria separamur. Circa officia vero privatarum et communium solemnitatum, ut togæ puræ, ut sponsalium, ut nuptialium, ut nominalium, nullum putem, inquit, periculum observari de flatu idololatriæ quæ intervenit, caussæ enim sunt considerandæ, quibus præstatur officium. Deinde objicit : Sed his, nempe sponsalibus, nominalibus, ac cæteris hujusmodi solemnitatibus, accommodantur sacrificia. Ipse continuo objectionem solvit, sumpta persona servi seu liberti christiani, quem dominus gentilis adesse aut apparere sibi jussit filiove, ob togæ puræ vel sponsalium solemnia sacrificanti. Sim vocatus, inquit, dum officium meum et opera mea non possit haberi pro adsacrificio, id est, administratione seu participatione aut consensu sacrificii, utatur ille et opera mea et officio meo quantum sibi libet. Mox voto dictum castigat : Utinam quantum sibi quidem, quasi diceret, Utinam illud quod proxime dixi, quantum sibi quidem, disjungi queat ab officio operave mea, ut jam dominus ille gentilis ad eas solemnitates neminem vocaret christianum, nec videre possemus quæ facere nobis nefas est. Sed quoniam Satanas ita circumdedit sæculum idololatria, licebit adesse in quibusdam quæ nos homini non idolo officiosos habent. Deinde sententiam suam concludit : Cæterum, id est, absque hujusce distinctionis indulgentia, quid facient servi vel liberi fideles, item officiales, sacrificantibus dominis vel patronis vel præsidibus adhærentes ? Hujus autem loci depravandi occasionem dedit minime intellecta vox, *ad sacrificii.* Etenim ignari significationis mutavere, ac pro ea scripsere, *in sacrificiis*, nullo sensu adsacrificii titulus dicitur, quemadmodum admilitiæ gratia, l. un. De offic. Præs. Prætorio. *Arcadius ait, cum apud veteres Dictatoribus ad tempus summa potestas crederetur, magistros equitum sibi eligebant, qui associati, participales curæ admilitiæ gratia, secundam post eos potestatem gererent.* Sic legitur in Pandectis Florentinis, non ut vulgo, *militiæ gratia.* Magistri equitum admilitabant Præfectis Prætorio, eorumque cura dicebatur admilitia, quia additi et adsociati erant curæ Præfectorum Prætorio. Sic etiam in sacrificiis adsacrificare dicebantur, qui propter sacrificium aderant sacrificanti, qui consilio sumptuve sacra facientem adjuvabant. Officii et operæ expunctio, est persolutio et præstatio. Rig.

Digitized by Google

rum quis sacrificanti tradiderit, imo si verbo quoque aliquo sacrificio necessario adjuverit, minister habebitur idololatriæ. Hujus regulæ memores etiam magistratibus et potestatibus officium possumus reddere secundum patriarchas et cæteros majores, qui regibus idololatris usque ad finem idololatriæ apparuerunt. Hinc proxime disputatio suborta (1) est, an servus Dei (*a*) alicujus dignitatis aut potestatis administrationem capiat, si ab omni specie idololatriæ intactum se, aut gratia aliqua, aut astutia etiam præstare possit: secundum quod et Joseph (*Gen.*, XLI), et Daniel (*Dan.*, II *et* VII) mundi ab idololatria exstitere, et dignitatem et potestatem administraverunt in ornamento et purpura totius (2) Ægypti (*b*) sive Babyloniæ. Credamus itaque succedere alicui posse, ut in quoquo honore, ut (3) in solo honoris nomine incedat, neque sacrificet, neque sacrificiis auctoritatem suam accommodet, non hostias locet, non curas templorum deleget, non vectigalia eorum procuret, non spectacula edat de suo aut de publico, aut edendis præsit: nihil solemne pronuntiet vel edicat, ne juret quidem: jam vero quæ sunt potestatis, neque judicet de capite alicujus vel pudore (feras enim de pecunia), neque damnet neque prædamnet (*c*), neminem vinciat, neminem recludat (*d*), aut torqueat; si hæc credibile est fieri posse.

A

B

CAPUT XVIII.

Jam vero de solo suggestu et apparatu honoris retractandum; proprius habitus uniuscujusque est, tam ad usum quotidianum, quam ad honorem et dignitatem. Igitur purpura illa et aurum cervicis ornamentum eodem more apud Ægyptios et Babylonios insignia erant dignitatis, quo more nunc prætextæ (*e*), vel trabæ, vel palmatæ (*f*), et coronæ aureæ sacerdotum (*g*) provincialium, sed non eadem conditione. Tantum enim honoris nomine conferebantur his qui familiaritatem regum merebantur. Unde et purpurati regum vocabantur a purpura, sicut apud nos a toga candida candidati: sed non ut suggestus ille sacerdotiis quoque aut aliquibus idolorum officiis adstringeretur. Nam si ita esset, utique tantæ sanctitatis et constantiæ viri statim habitus inquinatos recusassent, statimque apparuisset Danielem (*Dan.*, XII) idolis non deservisse, nec Belem nec draconem colere, quod multo postea apparuit. Simplex igitur purpura illa, nec jam dignitatis erat, sed ingenuitatis apud Barbaros insigne. Quemadmodum enim et Joseph (*Gen.*, XLI) qui servus fuerat, et Daniel (*Dan.*, VII) qui per captivitatem statum verterat, civitatem Babyloniam et Ægyptiam (4) sunt consecuti per habitum barbaricæ ingenuitatis: sic penes nos quoque fideles (5) si necesse fuerit, poterit et pueris prætexta concedi, et puellis (6) stola, nativitatis insignia, non potestatis: generis, non honoris: ordinis, non superstitionis. Cæterum purpura vel cætera insignia dignitatum et potestatum, insertæ dignitati et potestatibus idololatriæ ab initio dicata, habent profanationis suæ maculam: cum præterea ipsis etiam idolis induantur (7) prætextæ, et trabeæ et laticlavi (*h*), fasces quoque et virgæ præferantur, et merito. Nam dæmonia magistratus sunt sæculi, hujus collegii insignia fasces et purpuras gestant (*i*). Quid ergo proficies, si suggestu quidem utaris, opera vero ejus non administres? Nemo in immundis (*j*) mundus videri potest. Tunicam si induas inquinatam per se, poterit forsitan illa non inquinari per te, sed tu per illam mundus esse non poteris. Jam nunc qui de Joseph (*Gen.*, XLI) et Daniel (*Dan.*, VII) argumentaris, scito non semper comparanda esse vetera et nova, rudia et polita, cœpta et explicita, servilia et libera-

C

LECTIONES VARIANTES.

(1) Oborta *Rig.*
(2) In ornamento præfecturæ totius *Rig.*
(3) Ut *abest Rig.*
(4) Ægyptum *Fran.*
(5) Fideli *Rig.*
(6) Puerilis — puerilis *Rig.*
(7) Idolis induantur prætextæ *Latin. Jun.*

COMMENTARIUS.

CAP. XVII.— (a) *An servus Dei.* Unde apud Philonem multa legere est, in hunc sensum lib. Quod vir bonus liber sit. Ibi mirifice extollit senarii istius auctorem: τίς ἐστὶ δοῦλος; τοῦ θανεῖν ἄρροντις ὤν. Le Pr.

(b) *Potestatem administraverunt in ornamento et purpura totius Ægypti.* Sic emendavimus ex præcedentibus actionibus secum invicem collatis. Vulgo legebatur, *In ornamento et purpura extitere totius Ægypti.* Edd.

(c) *Neque damnet, neque prædamnet.* Damnat judex, prædamnat legislator. Utroque abstineat Christianus, nec de capite cujusquam aut legem aut sententiam ferat. Rig.

(d) *Neminem recludat.* Profani auctores, quotquot sunt, hoc verbo utuntur, pro resero et aperio: Ecclesiastici vero sæpissime pro contrario significato, videlicet pro includo. Ita hoc loco Tertull. et Hier. epist. ad Paulinum: *post solitudinis libertatem urbe quasi carcere sunt reclusi.* Lac.

CAP. XVIII.— (e) *Prætextæ.* Non dubium quin duplex fuerit prætexta: puerorum, de qua infra loquitur, quæ non obligata sacris ullis; et magistratuum, de qua hic, et hæc obnoxia erat idololatriæ. Lac.

(f) *Palmatæ.* Palmatam vestem, sive toga, sive tunica fuerit, nam utriusque usus fuit, obligatam fuisse idololatriæ: quod hic attingitur, liquet ex more romano, quo illam gestabant triumphatores: triumphus autem totus mancipatus fuit idolis. Lac.

(g) *Coronæ aureæ sacerdotum provincialium.* Satis indecorum videtur coronas aureas dari sacerdotibus in provinciis, non etiam Romæ. Hoc tamen innuit lectio vulgata, *Sacerdotum provincialium.* Quid si disjungamus? ut aureæ coronæ fuerint sacerdotum, fuerint et provincialium; nempe Magistratuum; de quibus ipse lib de Corona, cap. 13: *Sunt et provinciales aureæ, imaginum jam, non virorum capita majora quærentes.* Rig.

(h) *Et laticlavi.* Latum clavum hic idololatriæ attribuit, et quidem optime; nam, ut auctorum omnium testimoniis constat, senatores non modo jus habebant, laticlavi sed etiam sacerdotes et sacrificuli. Vestis autem illa κατ' ἐναλλαγήν dicitur latus clavus, pro veste cui affixus erat latus clavus. Le Pr.

(i) *Hujus collegii insignia fasces et purpuras.* Poterat ferri vulgata lectio, *Unius collegii.* Magistratus hujus sæculi collegas habent Dæmonia, quæ ob eam causam insignia collegii gestant, fasces et purpuras, etc. Rig.

(j) *In immundis.* Scilicet vestibus, quemadmodum

Digitized by Google

lia. Nam illi etiam servi conditione erant : tu vero nullius servus, in quantum solius Christi, qui te etiam captivitate sæculi liberavit, (1) ex forma dominica (*a*) agere debebis. Ille Dominus in humilitate et ignobilitate incessit domicilio (2) incertus (*Luc.*, IX): *Nam Filius*, inquit, *hominis non habet ubi caput suum collocet;* vestitu incultus, neque enim dixisset (*Matth.* XI, 8) : *Ecce qui teneris vestiuntur, in domibus regum sunt; vultu* denique *et aspectu inglorius*, sicut et Esaias (*Is.* LIII, 2) pronuntiaverat. Si potestatem quoque nullam ne in suos quidem exercuit, quibus sordido ministerio functus est (*Joan.* XIII) : si regem se denique fieri (*b*), conscius sui regni, refugit (*Joan.* VI), plenissime dedit formam suis dirigendo (3) omni fastigio (*c*) et suggestu tam (4) dignitatis quam potestatis. Quis enim magis his usus fuisset quam Dei Filius? quales et quanti (5) eum fasces producerent! qualis purpura de humeris ejus floreret! quale aurum de capite radiaret, nisi gloriam sæculi alienam et sibi et suis judicasset! Igitur, quæ noluit, rejecit; quæ (6) rejecit, damnavit; quæ damnavit, in pompa diaboli deputavit. Non enim damnasset, nisi non sua : alterius autem esse non possent, nisi diaboli, quæ Dei non sunt. Tu si diaboli pompam ejerasti (*d*), quicquid ex ea attigeris, id scias esse idololatriam; vel hoc A te commonefaciat omnes hujus sæculi potestates, et dignitates, non solum alienas, verum et inimicas Dei esse, quod per illas adversus Dei servos supplicia consulta sunt (*e*), per illas et pœnæ (*f*) ad impios paratæ irrogantur (7). Sed et nativitas et substantia tua molestæ tibi sunt adversus idololatriam. Ad evitandum remedia deesse non possunt; cum etsi defuerint, supersit unicum illud quo (8) felicior factus non in terris magistratus, sed in cœlis.

CAPUT XIX.

Posset in isto capitulo etiam de militia definitum videri, quæ inter dignitatem et potestatem est. At nunc de isto quæritur, an fidelis ad militiam converti possit, et an militia ad fidem admitti etiam caligata, vel inferior quæque (9), cui non sit necessitas immolationum B vel capitalium judiciorum. Non convenit sacramento divino et humano, signo Christi et signo diaboli, castris lucis et castris tenebrarum : non potest una anima duobus deberi, Deo et Cæsari (*Matth.*, XXII; *Exod.*, III; *Exod.*, XXVIII; *Matth.*, III; *Exod.*, XVII; *Luc.*, III; *Matth.*, VIII; *Matth.* XXVI). Et virgam portavit Moyses, fibulam (*g*) et Aaron; cingitur loro et Joannes; agmen agit et Jesus Nave; bellavit et populus, si placet ludere. Quomodo autem bellabit (*h*), imo (10)

LECTIONES VARIANTES.

(1) Et *Fran.*
(2) Domicilii *Ciacon.*
(3) Derigendo *Jun.*
(4) Quam *Rig.*
(5) *Scribendum fortasse :* quales ante eum *Leop.*
C
(6) Quam — quam — quam *Rigalt.*
(7) Ignorantur *Franeq.*
(8) Quod *Rigalt.*
(9) Quoque *Wouw. MS.*
(10) Jam? *Jun.*

COMMENTARIUS.

Ovidius :

Sive erit in Cois, Coa decere puta. *Idem.*

(a) *Ex forma dominica.* Velim notes hac forma usos scriptores ecclesiasticos cum respectu ad Filium, non ad Patrem. Itaque cum dicunt *dominicum*, respiciunt Dominum Filium : ita Græci, ita et Latini. LAC.

(b) *Si regem denique fieri conscius sui regni refugit.* Dominus noster noluit rex hominum fieri, conscius regnum suum non esse regnum mundi hujus. Eodem sensu in Apologetico dixit, Cæsares esse necessarios sæculo, verum Christianos non posse esse Cæsares. RIG.

(c) *Dirigendo omni fastigio.* Sic vetus exemplar, neque est mutandum quicquam. Derigere, seu dirigere hoc loco est solvi ac subsidere. Glossæ veteres, ἀποπηγάσομαι, *Derigeor*, ἀποπηγνύω, *Diriguo*. Legendum, *Derigeo*, vel *Dirigeo*. Riget statua, riget fastigium, D riget quivis suggestus, et habent in rigore velut superbiam; nec facile cedunt; imo resistunt, nam sunt in duritiem stipata. Ea vero cum solvuntur, ut igne metalla, et sole glacies, derigere dicuntur, quia jam non rigent. RIG.

(d) *Tu si Diaboli pompam ejerasti.* Vide lib. de Baptismo, de *renuntiatione pompæ diaboli*, et alicubi de *ejeratione*. PAM.

(e) *Quod per illas adversus Dei servos supplicia consulta sunt.* Sic Rhenanus, et post Rhenanum, editiones aliæ omnes constanter. At in codice Agobardi legitur *Convulsa sunt*. RIG.

(f) *Per illas et pœnæ ad impios paratæ irrogantur.* Mendose prorsus. Verissima autem est lectio vulgata, quam tuetur etiam codex Agobardi : *Per illas et pœnæ ad impios paratæ ignorantur.* Ait Tertull. Per iniquam sæcularium potestatem adversus Christianos sævitiam fieri, quo minus religio christiana proficiat; ac per hoc, ignorari quæ sint a Deo pœnæ adversus impios paratæ. Itaque omnes hujus sæculi potestates et dignitates non solum alienas, verum et inimicas Dei esse, adeoque Christianis Dei cultoribus minime ambiendas aut suscipiendas. RIG.

CAP. XIX.— (g) *Fibulam et Aaron.* Uncinos et aureos intelligit, quibus colligabantur superhumerale et rationale, quemadmodum, lori nomine, Joannis Baptistæ zonam pelliceam. PAM.

(h) *Quomodo autem bellabit : imo quomodo etiam in pace militabit, sine gladio, quem Dominus abstulit?* In pace militare dicuntur, qui etiam extra belli tempus in stationibus et præsidiis degunt armati, aut in armis apparent principi cæterisque potestatibus ad jussa exequenda. Ea vero priscorum Christianorum disciplina fuit, ut quos fides in quavis militia deprehenderat, ii secundum Joannis præscriptum in militia sua permanerent. Sed vix erat, ut qui ante fidem non militarent, post fidem nomina militiæ darent sua; imo plerique ante fidem milites, posteaquam ad fidem conversi fuerant, et cingulum et gladium deponebant. Itaque hanc etiam ob causam Christiani ethnicis odio ludibrioque fuere, tanquam inertes et ignavi, ac denique imperii romani hostes. Cum igitur hac invidia plurimum laborarent, tandem visum, tam abruptum et præceps consilium sic temperare, ut pace ab ethnicis Ecclesiæ concessa, Christiani etiam cum ethnicis militarent. Unde Septimius ipse in Apologetico diluens objecta Christianis ignaviæ probra, *Navigamus*, inquit, *et nos vobiscum militamus*. Atque in hanc sententiam apertissimus Arelatensis Concilii Canon tertius, *De his qui arma projiciunt in pace, placuit abstineri eos a communione.* At Septimius noster in illo de Corona, atque hoc etiam de Idololatria opere, pro naturæ suæ austeri-

Digitized by Google

quomodo etiam in pace militabit (a), sine gladio, quem Dominus abstulit? Nam, etsi adierant milites ad Joannem, et formam observationis acceperant, si etiam centurio credíderat; omnem postea militem Dominus, in Petro exarmando, discinxit. Nullus habitus licitus est apud nos illicito actui adscriptus.

CAPUT XX.

Sed enim, cum conversatio divinæ disciplinæ non factis tantum, verum etiam verbis periclitetur (nam, sicut scriptum est : *Ecce homo et facta ejus* (b), ita (*Matth.*, XII, 37) : *Ex ore tuo justificaberis*); meminisse debemus etiam in verbis (1) quoque idololatriæ incursum præcavendum, aut de consuetudinis vitio, aut timiditatis. Deos nationum nominari lex prohibet (*Exod.*, XXIII, 15), non utique ne nomina eorum pronuntiemus, quæ nobis ut dicamus conversatio extorquet; nam id plerumque dicendum est : *in templo Æsculapii illum haqes*, et, *vico Isidis habito*, et, *sacerdos Jovis factus est*, et multa alia in hunc modum, quando et hominibus hoc genus nomina inducuntur. Neque enim Saturnum honoro, si ita vocavero eum suo nomine (2), tam non honoro quam Marcum, (c) si vocavero Marcum. Sed ait : *Nomen aliorum deorum ne commemoremini* (3), *neque audiatur de ore tuo*. Hoc præcepit, ne deos vocemus illos. Nam et in prima parte legis (*Exod.*, XX, 7) : *Non sumes*, inquit, *nomen Domini Dei tui in vano*, id est, idolo. Cecidit igitur in idololatriam, qui idolum nomine Dei honoraverit. Quod si deos dicendum erit, adjiciendum est aliquid, quo appareat, quia non ego illos deos dico. Nam et Scriptura deos nominat; (d) sed adjicit *suos*, vel *nationum*. Sicut David cum deos nominasset, ubi ait (*Ps.* CXV, 4) : *Dei autem nationum dæmonia*. Sed hoc mihi ad sequentia magis præstructum est : cæterum consuetudinis vitium est *me Hercule* dicere, *me Dius fidius* (e), accedente ignorantia quorumdam, qui ignorant jusjurandum esse per Herculem. Porro quid erat (4) dejeratio (5) per eos quos ejerasti, quam prævaricatio fidei cum idololatria? Quis enim per quos dejerat, non honorat?

CAPUT XXI.

Timiditatis est autem, cum te alius per deos suos obligat juratione vel aliqua testificatione, et tu ne intelligaris quiescis. Nam æque quiescendo confirmas majestatem eorum, cujus caussa videberis obligatus. Quid refert deos nationum dicendo deos, an audiendo confirmes? jures (6) per idola, an ab alio adjuratus acquiescas? Cur non agnoscamus versutias Satanæ, qui quod ore nostro perficere non potest, id agit, ut suorum ore perficiat, per aures inferens nobis idololatriam? Certe quisquis ille est, aut amica aut inimica congressione (7) adstringit. Si inimica, jam ad pugnam vocaris, et scis tibi dimicandum esse. Si amica, quanto securius in Dominum transferes responsionem tuam, ut dissolvas obligationem ejus, per quem te Malus honori idolorum, id est, idololatriæ quærebat annectere. Omnis patientia ejusmodi idololatria. Honoras eos, quibus impositis obsequium præstitisti. Scio quemdam (cui Dominus ignoscat), cum illi in publico per litem dictum esset, *Jupiter tibi sit iratus*, respondisse, *imo tibi*. Quid aliter (8) fecisset ethnicus, qui Jovem deum credidit? Etiamsi non per eumdem retorsisset maledictum, nec per ullum Jovis similem; confirmaverat Jovem deum, per quem se maledictum indigne tulisse demonstraverat remaledicens. Ad quid enim indigneris per eum quem scis nihil esse (9)? Nam si insanis, jam esse confirmas, et erit idololatriæ (10) professio timoris tui:

LECTIONES VARIANTES.

(1) Debemus esse in verbis *Wouwer. MS.*
(2) Si ita quem vocavere suo nomine *Wouw. MS.*
(3) Commemorabitur *Wouw. MS.*
(4) Erit *Wouw. M. S. Latin. Jun.*
(5) Si *add. Paris.*
(6) juret *Paris.*
(7) Te *add. Latin.*
(8) Aliud *Latin.*
(9) Per eum maledictus, quem scis nihil esse *Wouwer. MS.*
(10) Idololatria *Lat.*

COMMENTARIUS.

tate christianis omnibus, etiam Ecclesia nullis persecutionibus vexata, omne militiæ genus, omnem gladii usum adimit. Rig.

(a) *Quomodo etiam in pace militabit.* Hoc est, quomodo christianus implicabitur sæcularibus curis? quomodo geret magistratus? Etenim in pace militant magistratus, militant officia et ministeria magistratuum quibus est concessum jus gladii, in facinorosos animadvertendi caussa. Discincto semel Petro, cunctis christianis gladium Dominus abstulit. Et tamen Apologetico suo ad proceres romanos, pag. 491, Septimius noster ait : *Navigamus et nos vobiscum, militamus.* Sed hic quærit, an fidelis ad militiam converti possit. Illic agit de militibus ad fidem conversis, quos fides in militia deprehenderat. *Idem.*

CAP. XX. — (b) *Ecce homo et facta ejus.* Hæret hic Pamelius, aitque nescire se ubinam ille locus Scripturæ reperiatur, qui et ab Augustino citatur medit. pag. 39. Sequor hic lubens Junium qui id ex libro Enoch desumptum conjicit. Le Pr.

(c) *Si vocavero Marcum.* Notat Brissonius in indice Juris nomen *Marcus* usurpari a Tertulliano pro *quidam*, ad eum modum, quo ab aliis ponitur *Caius* et *Lucius*, sic et a Persio Sat. 5. *Marcus* dicitur quidam manumissus veluti pro exemplo, ut potuisset dici Caius, quam vocem quinquies repetit. Lac.

(d) *Nam et Scriptura Deos nominat, sed adjicit*, etc. Locos ad quos alludit, videre est separatim in œconomia methodica concordantiarum S. Scripturæ Georgii Bulloci. Neque interim sola adjectione prædicta utitur Scriptura, sed vocat deos alienos, aureos, Ægypti, tuos, meos, conflatiles, gentium, quos ignorabant patres eorum, Amorrhæorum, Syriæ, Sidonis, ac Moab, montium, terrarum, populorum, terræ, filiorum Seir, Edom, regum Syriæ, Damasci, patrum suorum, opera manuum, Juda, quos fecisti, illorum, falsi, lignei, qui non vident, denique muti, et qui natura non sunt dii. Pam.

(e) *Me Dius fidius.* Juramentum hoc esse per Herculem nonnulli asserunt, quasi ita me amet Hercules Jovis filius; alii putant esse per Jovem fidei præsidem, μὰ Δία τὸν πίστιον. Ait autem Varro perforatum tectum Herculis, ut videatur diuum, hoc est cœlum. Notandum vero eruditum Turnebum nostrum observasse, hoc juramenti genere usas non fuisse fœminas. Le Pr.

Digitized by Google

quanto magis cum per ipsum remaledicis, eodem Jovis (1) honorem facis, quo et ille, qui te provocavit? Fidelis autem in ejusmodi ridere debet, non insanire: imo, secundum præceptum, ne per Deum quidem remaledicere, sed plane benedicere per Deum, ut et idola destruas, et Deum prædices, et adimpleas disciplinam (*a*).

CAPUT XXII.

Æque benedici per deos nationum Christo initiatus non sustinebit, ut semper rejiciat immundam benedictionem, et eam sibi in Deum convertens emundet. Benedici per deos nationum, maledici est per Deum. Si (2) dedero eleemosynam, vel aliquid præstitero beneficii, et ille mihi deos suos, vel coloniæ genium (*b*), propitios imprecetur, jam oblatio mea vel operatio idolorum honor erit, per quæ benedictionis gratiam compensat (3). Cur autem non sciat me Dei caussa fecisse, ut et Deus potius glorificetur, et dæmonia non honorentur in eo quod propter Deum feci? Deus videt (4) quoniam propter ipsum feci : pariter videt quoniam propter ipsum fecisse me nolui ostendere, et præceptum ejus idolothytum quodammodo feci. Multi dicunt: «Nemo se debet promulgare :» puto autem, nec negare; negat enim quicumque dissimulat (*c*), in quacumque caussa pro ethnico habitus. Et utique omnis negatio, idololatria est, sicut omnis idololatria negatio, sive in factis, sive in verbis.

CAPUT XXIII.

Sed est quædem ejusmodi species in facto et in verbo, bis (5) acuta et infesta utrinque, licet tibi blandiatur, quasi vacet in utroque, dum factum non videtur, quia dictum non tenetur. Pecuniam de ethnicis mutuantes sub pignoribus fiduciali (*d*), jurati cavent, et sic negant (*e*). Scire (*f*) volunt scilicet tempus persecutionis, et locum tribunalis, et personam præsidis. Præscribit Christus, non esse jurandum (*g*). Scripsi, inquit; sed nihil dixi : lingua, non littera occidit. Hic ergo, (6) naturam et conscientiam advoco : naturam, quia nihil potest manus scribere, etiamsi lingua in dictitando cessat immobilis et quieta, quod non anima dictaverit, quanquam et ipsi linguæ anima dictaverit, aut a se conceptum, aut ab alio traditum. Jam ne dicatur, «alius dictavit,» hic conscientiam appello, an quod alius dictavit anima suscipiat, et sive comitante sive residente lingua ad manum transmittat. Et bene, quod in animo et conscientia delinqui dominus dixit. Si, inquit (*Matth.*, V, 28) concupiscentia (*h*) vel malitia in cor hominis ascenderit, pro facto teneris (7). Cavisti igitur quod in cor tuum plane ascendit, quod neque ignorasse te contendere potes (8), neque noluisse. Nam cum caveres, scisti : cum scires, utique voluisti, et hæres (9) tam in facto quam cogitatu, nec potes leviore crimine majus (10) excludere, ut dicas falsum plane effici, cavendo quod non facis. «Tamen non negavi, quia non juravi.» Imo etsi nihil tale fecisses, tamen dicereris dejerare si consenseris. Non valet tacita vox in stylo, et mutus in litteris sonus. At enim (*Luc.*, 1) Zacharias temporali vocis orbatione mulctatus, cum animo collocutus linguam irritam (*i*) transit, manibus suis a corde dictat, et nomen filii sine ore pronuntiat, loquitur in stylo, auditur in cera manus omni sono clarior, littera omni ore vocalior. Quære an dixerit, qui dixisse compertus est. Dominum oremus ne qua nos ejusmodi contractus neces-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Jovi *Wouwer. MS.*
(2) Si cui *Wouw. MS.*
(3) Compensant, *Seml.*
(4) Feci. Sed Deus videt *Wouw. MS.*
(5) In facto et in verbis, acute. *Rig.*
(6) Hic ego *Wouw. MS.*
(7) Teneri *Wouw. MS.*
(8) Potest *Semler.*
(9) Et es *Seml.*
(10) Majus *Lat. Jun. Rig. Leop.* manus *Rhen. Franeq. Semler.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXI. — (a) *Disciplinam.* Semper hæc vox in hoc viro notat non simpliciter disciplinam, sed disciplinam severiorem, ut etiam in Cypriano locis infinitis. Lac.

CAP. XXII.— (b) *Vel coloniæ genium.* In marmoribus antiquis exstant inscriptiones : GENIO COLONIÆ. GENIO MUNICIPII. GENIO LOCI. GENIO FONTIS, imo et GENIO HORREORUM, etc. Rig.

(c) *Negat enim quicumque dissimulat.* Locus insignis contra simulatores, et quodammodo libellaticos (cujusvis ætatis), qui excusari se credunt, si loco juramenti, quod contra fidem et Religionem christianam exigitur, simulatione quapiam aliud præstent. Pam.

CAP. XXIII.—(d) *Sub pignoribus fiduciali jurati cavent, et sic negant scire.* Creditor ethnicus mutuanti christiano pecuniam dedit sub pignoribus et jurejurando. Confectis fiduciarii contractus tabulis præscriptum est, quid prædiorum obligaret; præterea vero quid juraret. Jurari autem oportuit quod sibi jurari voluerat creditor, propria superstitione. Christianus lingua non juravit, sed tabulas testes jurisjurandi quod creditor exegerat signavit. Quæritur an idololatriæ crimine teneatur? Debitor negat se teneri, eo quia cautionis seu fiduciæ instrumentum signaverit, non inquisito neque intellecto quid esset pro jurejurando prescriptum. Tertullianus contra, teneri ait. Nam cum caveres, inquit, scisti. Ethnicum scilicet creditorem commodasse tibi pecuniam ea lege, ut caveres et pignoribus et jurejurando. Et cum scires, utique voluisti. Pam.

(e) *Jurati cavent.* Non solum jureconsulti, sed passim alii latini auctores, similes schedulas aut syngraphas vocant cautiones : et *cavent;* quia scilicet cavemus ita nobis, et reddimur securi, cum mutuum damus. Lac.

(f) *Negant scire.* Hanc scripturam verissimam esse, docent quæ sequuntur. *Nam cum caveres, scisti : cum scires, utique voluisti.* Rig.

(g) *Præscribit Christus non esse jurandum.* Non intelligere auctorem omni juramento simpliciter abstinendum, patet vel ex *Apolog.* c. 32. Pam.

(h) *Si, inquit, concupiscentia.* Cum ipsa hæc verba in S. Scripturis reperire hactenus non potuerim, videtur mihi in compendium contraxisse illud Ecclesiast. V : Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui, et ne dixeris : Quomodo potui, aut quis me subjiciet propter facta mea? Deus enim vindicans vindicabit. Aut potius illud sæpe citatum alludit Matth. V : Qui viderit mulierem, etc. Pam.

(i) *Linguam irritam transit.* Irretitam et residem nihil moratur. Rig.

Digitized by Google

sitas circumsistat. Et si ita evenerit, det fratribus operandi copiam (*a*), vel nobis abrumpendæ omnis necessitatis constantiam, ne illæ litteræ negatrices vicariæ (*b*) oris nostri in die judicii adversus nos proferantur signatæ signis, non jam advocatorum, sed angelorum (*c*).

CAPUT XXIV.

Inter hos scopulos et sinus, inter hæc vada et freta idololatriæ (*d*), velificata spiritu Dei (*e*) fides navigat, tuta si cauta, secura si attonita (1) (*f*). Cæterum inenatabile excussis profundum est, inextricabile (*g*) impactis naufragium est, irrespirabile devoratis hypobrychium in idololatria : quicumque fluctus ejus offocant; omnis vortex ejus ad inferos desorbet (*h*). Nemo dicat : « quis tam tuto præcavebit? exeundum de sæculo erit ; » quasi non tanti sit exire, quam idololatren in sæculo stare. Nihil esse facilius potest, quam cautio idololatriæ, si timor ejus in capite sit. Quæcumque necessitas minor est periculo, tanto comparata. Propterea Spiritus Sanctus, consultantibus tunc apostolis, vinculum et jugum nobis relaxavit, ut idololatriæ devitandæ vacaremus. Hæc erit lex nostra quo expedita, hoc plenius administranda, propria Christianorum, per quam ab ethnicis agnoscimur et examinamur : hæc accedentibus ad fidem proponenda (*Is.*, XXXIII ; *Matth.*, VII ; *Phil.*, III ; *Luc*, X), et ingredientibus in fidem inculcanda est ut accedentes deliberent, observantes perseverent, non observantes (2) renuntient sibi (*i*). Viderimus enim si secundum arcæ (*Gen.*, VII) typum (3) (*j*) et corvus et milvus et lupus et canis et serpens in Ecclesia erit, certe idololatres in arcæ typo non habetur (4). Nullum animal in idololatren figuratum est : quod in arca non fuit, in Ecclesia non sit (*k*).

LECTIONES VARIANTES.

(1) Si attenta. *Rigalt. ex cod. fulvii Ursini.*
(2) Perseverent, non observantes *abest Rig.*
(3) Archetypum *Fran.*
(4) Archetypo *Fran.*

COMMENTARIUS.

(a) *Det fratribus operandi copiam.* Optime Pamelius explicat de eleemosyna. Verbum enim operari, est largiri eleemosynam, fortasse quia inter bona opera quæ conferuntur fratribus, principem locum habeat eleemosyna. Hinc Cyprianus librum inscripsit, *de Opere et Eleemosynis*, ubi sæpe hanc rem inculcat. Lac.

(b) *Litteræ vicariæ oris nostri.* Hoc imitatus est Cyprianus, epist. ad Rogatianum : *Has pro me ad aures et ad oculos vestros vicarias litteras mitto.* Rig.

(c) *Signatæ signis, non jam advocatorum, sed angelorum.* Advocatos dicit, qui amico præsentiam suam commodabant signando, subscribendo, testimonio dicundo. Sic Varro, lib. II, de re rust., cap. 5 : *Tu vero, Murri, veni mi advocatus, dum asses solvo Palilibus, si postea a me repetant, ut testimonium perhibere possis.* Rig.

CAP. XXIV.—(d) *Freta idololatriæ.* Consentit Petrus Chrysolog., serm. 21, qui scopulos et sinus et freta, qua prætervehitur navis dominica, id est Ecclesia, explicat esse tum extrinsecus gentium moles, quæ undabundæ illam quatiunt, tum intrinsecus tumidos hæreticorum fluctus, qui irruunt in eam et sæviunt. Lac.

(e) *Velificata spiritu Dei.* Hæc vox Auctori nostro peculiaris, inter cætera effecit, ut Sixto Senensi assentiar, quod carmina illa Genesis et Sodomæ quæ a me post Morelium et Fabricium B. Cypriano adscripta sunt, Tertulliani esse putem. Pam. — *Velificata spiritu Dei.* Quid hic sibi velit Pamelius non satis assequor, vox quippe *velificari* vulgaris est, et passim occurret apud aureæ latinitatis scriptores, et in eo ferme sensu. Le Pr.

(f) *Secura, si attenta* (*v. lect. var.*). Postrema hujusce opusculi capita desiderantur in codice Agob. ea re, secuti hoc loco sumus codicem Fulvii Ursini. Editiones Rhenani, *Secura, si attonita.* Quod minime spernendum. Sic enim libro de Fuga in præsc. : *Sed quando Deus magis creditur, nisi cum magis timetur, nisi in tempore persecutionis? Tunc Ecclesia in attonito est.* Rig.

(g) *Inextricabile impactis naufragium est.* Lucifer Calaritanus dixit *inextricabiles tenebras*, lib. de Contem. mor. pro Chr. Rig.

(h) *Desorbet.* Mihi non dubium quin quæ scripsit Tertull. de hypobrychio, de fluctibus offocantibus, de vortice desorbente, dixerit cum respectu ad Charibdin, videlicet ex magna notitia hujus nautici periculi. Vide me, lib. III Æneid., ad illud :

Sorbet in abruptum fluctus. Lac.

(i) *Renuntient sibi.* Desinant esse Christiani. Rig.

(j) *Secundum arcæ typum.* Typum hoc loco dicit, quod alibi exemplum, imaginem, figuram, sacramentum, mysterium, similitudinem, ænigma, parabolam, memoriam, allegoriam, speculum, comparationem, umbram, nebulam. Hieron. lib., II advers. Joviniaum, *Typus sanguinis Christi, vinum.* Lac.

(k) *Quod in arca non fuit, in Ecclesia non sit.* Epiphonema istud prioribus longe est obscurius. Hoc interim velle videtur. Cum in arca Noe fuerint omnis generis animalia, munda septena et septena, immunda vero duo et duo, exclusæ vero fuerint idololatriæ omnes, consequitur, ut quod in arca non fuit, in Ecclesia non sit. Eam enim Ecclesiæ figuram gessisse tradit hic auctor, lib. de Baptismo. Pam.

MONITUM.

Hunc ad Scapulam librum, etsi fuerit post susceptum ab Auctore montanismum, omnibus fere confitentibus, exaratus, tamen aliis præcedentibus ante Tertulliani lapsum compositis, tum ob rerum connexionem, tum forsan ob nonnullam ætatis relationem, uti videre est in dissertatione D. Le Nourry infra afferenda, statim subjiciendum duximus. Edd.

Digitized by Google

AD LIBROS APOLOGETICOS APPENDIX,

LIBER AD SCAPULAM.

ARGUMENTUM ET SYNOPSIS.

De epocha libri ad Scapulam dissident eruditi, ac anno 203, a Tertulliano, editum fuisse Pamelius et Baronius tradiderunt; alii, vero sub Heliogabalo imperatore, anno 217. Verosimilius tamen hoc intermedio tempore, et circa annum 212, id accidisse videtur, cum scilicet post patris obitum solus imperaret Caracalla: quare unius tantum imperatoris eo in libro meminit: *Colimus ergo imperatorem sic, quomodo et nobis licet, et ipsi expedit, ut hominem a Deo secundum;* et iterum: *Itaque et sacrificamus pro salute imperatoris; sed Deo nostro, et ipsius.* Post diuturnam vero persecutionem, quæ sub Severi imperio contigit, hæc Tertullianum scripsisse inde constat, quod quinque proconsules numeret, a quibus christiani vexati fuerant, quique cum in varias incidissent calamitates, horum exemplo Scapulam, ut sibi caveret, hortatur; cum præcipue portenta quædam Carthagine visa fuerint, statim ac idem Scapula provinciam ingressus, Mavilium Adrumeticum christianum hominem ab bestias damnaverat: *Tibi quoque optamus admonitionem solam fuisse, quod cum Adrumeticum Mavilium ad bestias damnasses, et statim hæc vexatio subsecuta est.*

Quænam autem fuerit illa vexatio, his verbis narrat: *Cæterum et imbre anni præteriti, quid commeruerit genus humanum apparuit, cataclysmum scilicet, et retro fuisse propter incredulitates, et iniquitates hominum; et ignes, qui supra mœnia Carthaginis proxime pependerunt per noctem, quid minati sint, sciunt, qui viderunt; et pristina tonitrua quid sonaverint, sciunt, qui obduruerunt. Omnia hæc signa sunt imminentis iræ Dei, quam necesse est, quoquo modo possumus, ut et annuntiemus, et prædicemus, et deprecemur interim localem esse; universalem enim et supremam suo tempore sentient, qui exempla ejus aliter interpretantur. Nam et sol ille in conventu Uticensi, extincto plene lumine, adeo portentum fuit, ut non potuerit ex ordinario deliquio hoc pati, positus in suo hypsomate, et domicilio. Habetis astrologos.* Deinde ut Scapulam ab effundendo christianorum sanguine deterreret, quid passi sint alii præsides, enarrat: *Doleamus necesse est, quod nulla civitas impune latura sit sanguinis nostri effusionem, sicut et sub Hilariano Præside, cum de areis sepulturarum nostrarum acclamassent: Areæ non sint. Areæ ipsorum non fuerunt, messes enim suas non egerunt.* Ac post nonnulla alibi relata subdit: *Possumus æque et exitus quorumdam Præsidum tibi exponere, qui in fine vitæ suæ recordati sunt deliquisse, quod vexassent christianos. Vigellius Saturninus, qui primus hic gladium in nos egit, lumina amisit. Claudius Herminianus in Cappadocia, cum indigne ferens uxorem suam ad hanc sectam transiisse, christianos crudeliter tractasset, solusque in prætorio suo vastatus peste, cum vivus vermibus ebullisset: Nemo sciat, aiebat, ne spe gaudeant christiani. Postea cognito errore suo, quod tormentis quosdam a proposito suo excidere fecisset, pene christianus decessit. Cæcilius Capella in illo exitu Bysantino, christianos, gaudete, acclamavit. Sed et qui videntur sibi impune tulisse, venient in diem divini judicii.*

Præsidum etiam, qui in Christianos mitius egerunt, exempla addit: *Quanti autem Præsides, et constantiores, et crudeliores dissimulaverunt ab hujusmodi causis? Ut Cincius Severus, qui Thistri ipse dedit remedium, quomodo responderent christiani, ut dimitti possent. Ut Vespronius Candidus, qui christianum quasi tumultuosum civibus suis satisfacere dimisit. Ut Asper, qui modice vexatum hominem, et statim dejectum, nec sacrificium compulit facere, ante professus inter advocatos et assessores, dolere se incidisse in hanc causam. Pudens etiam missum ad se christianum, in elogio concussione ejus intellecta, dimisit, scisso eodem elogio, sine accusatore negans se auditurum hominem, secundum mandatum. Hæc omnia tibi, et de officio suggeri possunt, et ab eisdem advocatis, qui et ipsi beneficia habent christianorum, licet acclament, quæ volunt; nam et cujusdam notarius, cum a dæmone præcipitaretur, liberatus est; et quorumdam propinquus, et puerulus, et quanti honesti viri (de vulgaribus enim non dicimus) aut a dæmoniis, aut valetudinibus remediati sunt!* Tum Severi refert imperatoris exemplum, qui a christiano homine, oleo inunctus, curatus fuerat: *Ipse etiam Severus, pater Antonini, Christianorum memor fuit: nam et Proculum christianum, qui Toparcion cognominabatur, Evodiæ procuratorem, qui eum per oleum aliquando curaverat, requisivit, et in palatio suo habuit usque ad mortem ejus, quem et Antoninus optime noverat lacte christiano educatus.* Scapulam tandem admonet, ut a christianorum perquisitione cesset, ne tota Carthago christianorum sanguine impleatur: *Quid ipsa Carthago passura est decimanda a te, cum propinquos, cum contubernales suos illic unusquisque cognoverit, cum viderit illic fortasse, et tui ordinis viros, et matronas, et principales quasque personas, et amicorum tuorum, vel propinquos, vel amicos? Parce Carthagini, si non tibi: parce provinciæ, quæ visa intentione tua, obnoxia facta est concussionibus, et militum, et inimicorum suorum cujusque.* Hæc idcirco, quod cum semel innotuisset, Præsidem christianis infensum esse, gentiles turmatim in eos magno furore impetum facere, prædari, atque enecare solebant. Cæterum haud exstingui persecutione christianam Religionem, sed propagari potius, his verbis annotat: *Nec tamen deficiet hæc secta, quam tunc magis ædificari scias, cum cædi videtur. Quisque enim tantam tolerantiam spectans, ut aliquo scrupulo percussus, et inquirere accenditur, quid sit in caussa: et ubi cognoverit veritatem, et ipse statim sequitur.* Hactenus Tertullianus ad Scapulam. LUMP.

CAPUT PRIMUM.

Nos quidem neque expavescimus, neque pertimescimus ea, quæ ab ignorantibus patimur: cum ad hanc sectam, utique suscepta conditione ejus, pacti venerimus, ut etiam animas nostras auctorati in has pugnas accedamus, ea quæ Deus repromittit consequi optantes, et ea quæ diversæ vitæ comminatur pati timentes. Denique cum omni sævitia vestra concertamus, etiam ultro erumpentes, magisque damnati quam absoluti gaudemus. Itaque hunc libellum non nobis timentes misimus, sed vobis et omnibus inimicis nostris, nedum amicis (1): ita enim disciplina jubemur diligere inimicos quoque, et orare pro eis qui nos persequuntur: ut hæc sit perfecta et propria bonitas nostra, non communis. Amicos enim diligere omnium est, inimicos autem solorum christianorum. Qui ergo dolemus de ignorantia vestra, et miseremur erroris humani, et (2) fu-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Nec dum *Rhen.*

(2) Et *abest Rig.*

Digitized by Google

tura prospicimus, et signa eorum quotidie intentari videmus (1), necesse est vel hoc modo erumpere ad proponenda vobis ea, quæ palam non vultis audire (*a*).

CAPUT II.

Nos unum deum colimus, quem omnes naturaliter nostis, ad cujus fulgura et tonitrua contremiscitis (2), ad cujus beneficia gaudetis. Cæteros et ipsi putatis deos esse, quos nos dæmonas scimus. Tamen humani juris et naturalis potestatis est unicuique, quod putaverit, colere; nec alii obest aut prodest, alterius religio. Sed nec religionis est cogere religionem (*b*), quæ sponte suscipi debeat, non vi: cum et hostiæ ab animo libenti expostulentur. Ita etsi nos compuleritis ad sacrificandum, nihil præstabitis diis vestris: ab invitis enim sacrificia non desiderabunt; nisi si contentiosi sunt; contensiosus autem deus non est. Denique qui est verus, omnia sua ex æquo et profanis et suis præstat. Ideoque et judicium constituit æternum de gratis et ingratis. Tamen nos, quos sacrilegos existimatis, nec in furto unquam deprehendistis, nedum in sacrilegio. Omnes autem qui templa despoliant (3), et per deos jurant, et eosdem colunt, et christiani non sunt, et sacrilegi tamen deprehenduntur. Longum est si retexamus, quibus aliis modis et derideantur et contemnantur omnes dii, ab ipsis cultoribus suis. Sic et circa majestatem Imperatoris infamamur (*c*), tamen nunquam albiniani (*d*), nec nigriani, vel cassani inveniri potuerunt christiani: sed idem ipsi qui per genios eorum in pridie usque juraverunt (*e*), qui pro salute eorum hostias et fecerant (4) et voverant, qui christianos sæpe damnaverant, hostes eorum sunt reperti. Christianus nullius est hostis, nedum Imperatoris: quem sciens a Deo suo constitui, necesse est ut et ipsum diligat, et revereatur, et honoret, et salvum velit, cum toto romano imperio, quousque sæculum stabit. Tamdiu enim stabit. Colimus ergo et Imperatorem sic, quomodo et nobis licet, et ipsi expedit, ut hominem a Deo secundum, et quicquid est a Deo consecutum (5), solo Deo minorem. Hoc et ipse volet. Sic enim omnibus major est, dum solo vero Deo minor est: sic et ipsis diis major est, dum et ipsi in potestate sunt ejus. Itaque et sacrificamus pro salute Imperatoris (*f*), sed Deo nostro et ipsius: sed quomodo præcepit Deus, pura prece. Non enim eget Deus, conditor universitatis, odoris aut sanguinis alicujus (*g*). Hæc enim dæmoniorum pabula sunt. Dæmones autem non tantum respuimus, verum et revincimus, et quotidie traducimus, et de hominibus expellimus, sicut plurimis notum est. Ita nos magis oramus pro salute Imperatoris, ab eo eam postulantes, qui præstare potest. Et utique ex disciplina patientiæ divinæ agere nos, satis manifestum esse vobis potest, cum tanta hominum multitudo, pars pene major civitatis cujusque (6), in silentio et modestia agimus, singuli forte noti magis quam omnes: nec

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ostentari videmus, *conjic. Jun.*
(2) Contremiscimus *Rhen.*
(3) Dispoliant *alii.*
(4) Effecerant *Rhenan.*
(5) Et *add. Fran. Rigalt.*
(6) Major *abest Rhen.*

COMMENTARIUS.

CAP. I.—(a) *Quæ palam non vultis audire.* Hæc verba aperte testantur librum hunc supplicem non traditum fuissein manus Scapulæ, sed tantum missum. Le Pr.

CAP. II.—(b) *Sed nec religionis est cogere religionem.* forte locum hunc detorqueat ad sectarum licentiam, annotanda venit Auctoris sententia earumdem libertati prorsus contraria initio Scorpiaci. Pam.

(c) *Circa majestatem Imperatoris.* De crimine læsæ majestatis vide L. in quæstionibus D, ad leg. Juliam majest. et totum illum titulum evolve. Citat La Cerda L. Meminisse, quæ sit illa lex docere debuit. Le Pr.

(d) *Tamen nunquam Albiniani, nec Nigriani.* Claudius Albinus, ut scribit Spartianus, adversus Severum imp. rebellavit in Gallia. Victus est die undecimo Kal. Martias, apud Tinurtium: et cadaver ante domum propriam jam divisum, in Rhodanum fluvium abjectum est. Non dissimili fato Pescennius Niger a Syriacis legionibus imperator appellatus contra Severum, tandem apud Cyzicum ab eodem est interemptus. At Avidius Cassius, ex familia Cassiorum qui in C. Julium conspiraverant, L. Vero imperatori insidias struxit, occisus tandem non jubente illo, sed tamen non vetante. Hinc Albinianos, Nigrianos et Cassianos vocat Tertullianos defectionum istarum conscios, sic in Apolog. *Unde*, inquit, *Cassii, et Nigri, et Albini? unde qui inter duas lauros obsident Cæsarem?* Rhen.

(e) *Sed iidem ipsi, qui per genios eorum.* Ita in Apolog. atque adeo omnes illi sub ipsa usque impietatis eruptione, et sacra faciebant pro salute imperatoris, et Genium ejus dejerabant, alii foris, alii intus. Cæterum ab hac per genios Cæsarum dejerandi consuetudine, video natum ut postea apud christianos principes per salutem regis aut liberorum ejus juraretur. Quod tamen in legib. Francorum severe prohibitum constat. Rhen.

(f) *Sacrificamus quomodo præcepit Deus, pura prece.* Absque thure, absque victima. Sic lib. de Pœnit., *Pastum et potum pura nosse*, hoc est, mero pane et aqua. Sic Juvenalis:

Observant ubi festa mero pede sabbata reges.

Id est, nudo pede. Itaque pura prece, hoc est, sola et nuda oratione, de mente sancta et innocenti. Offerebant gentes diis vanis inanima aut bruta, thura aut boves. Christiani Deo vero offerunt animam rationalem, laudes et gratias dicentem Deo. Hoc diserte explicat Athenagoras legatione illa pro Christianis ad Antoninum et Commodum, citatis etiam Pauli verbis, quibus hostiam describit, θυσίαν ζῶσαν, ἁγίαν, εὐάρεστον τῷ θεῷ, τὴν λογικὴν λατρείαν ὑμῶν. Ipse Tertullianus in Apologetico: *Offero opimam et majorem hostiam Deo, quam ipse mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu Sancto profectam.* Et lib. IV, cap. 1, advers. Marcionem ad illud Malachiæ: *Offertur nomini meo oblatio munda*, scilicet simplex oratio de conscientia pura. Et cap. 9, hominem ait offerre debere munus Deo apud templum, orationem scilicet et actionem gratiarum apud Ecclesiam, per CHRISTUM JESUM catholicum Patris sacerdotem. Minutius Felix, postea quam dixit, *delubra et aras non habemus*, addidit: *Litabilis hostia bonus animus, et pura mens, et sincera sententia. Hæc nostra sacrificia, hæc Dei sacra sunt.* Denique Eucharistica nostra confici pura prece sive oratione sola Justinus adversus Tryphonem Judæum testatur. Rig.

(g) *Odoris aut sanguinis alicujus.* Opponit hic precem puram odori aut sanguini. Et vero nos Deo

Digitized by Google

aliunde noscibiles quam de emendatione vitiorum pristinorum. Absit enim ut indigne feramus ea nos pati quæ optamus, aut ultionem a nobis aliquam machinemur, quam a Deo exspectamus.

CAPUT III.

Tamen (sicut supra diximus) doleamus necesse est, quod nulla civitas impune latura sit sanguinis nostri effusionem (*a*), sicut et sub Hilariano præside (1), cum de areis sepulturarum nostrarum acclamassent: *Areæ non sint* (*b*); areæ ipsorum non fuerunt. Messes enim suas non egerunt. Cæterum et imbre (2) anni præteriti quid commeruerit genus humanum apparuit, cataclysmum scilicet et retro (3) fuisse propter incredulitates et iniquitates hominum; et ignes qui super mœnia Carthaginis proxime pependerunt per noctem, quid minati sint, sciunt qui viderunt; et pristina tonitrua quid sonaverunt, sciunt qui obduruerunt. Omnia hæc signa sunt imminentis iræ Dei, quam necesse est, quoquo modo possumus, ut et annuntiemus, et prædicemus, et deprecemur interim localem esse (4): universalem enim et supremam suo tempore sentient, qui exempla ejus aliter interpretantur. Nam et sol ille in conventu Uticensi (*c*), extincto pene lumine, adeo portentum fuit, ut non potuerit ex ordinario deliquio hoc pati, positus in suo hypsomate et domicilio (*d*). Habetis astrologos. Possumus æque et exitus quorumdam præsidum tibi proponere, qui in fine vitæ suæ recordati sunt deliquisse, quod vexassent christianos. Vigellius Saturninus (5) qui primus hic gladiumin nos egit, lumina amisit. Claudius Lucius Herminianus (6) in Cappadocia, cum indigne ferens uxorem suam ad hanc sectam transisse, christianos crudeliter tractasset, solusque in prætorio suo vastatus peste (*e*), cum vivus vermibus ebullisset (*f*) (7): Nemo sciat, aiebat, ne (8) gaudeant christiani (9). Postea cognito errore suo, quod tormentis quosdam a proposito suo excidere fecisset, pene christianus decessit. Cæcilius Capella in illo exitu bysantino (*g*): *Christiani gaudete* (*h*), exclamavit. Sed et qui videntur sibi (10) impune tulisse, venient in diem divini judicii. Tibi quoque optamus admonitionem solam fuisse, quod cum Adrimeticum Mavilum (11) ad bestias damnasses, et statim hæc vexatio subsecuta est, et nunc ex eadem caussa interpellatio sanguinis (*i*). Sed memento de cætero (*j*).

CAPUT IV.

Non te terremus, qui nec timemus: sed velim, ut omnes salvos facere possimus, monendo μὴ θεομαχεῖν. Potes et officio jurisdictionis tuæ fungi, et humanitatis meminisse, vel quia et vos sub gladio estis. Quid enim amplius tibi mandatur, quam nocentes confessos damnare, negantes autem ad tormenta revocare? Videtis ergo quomodo ipsi vos con-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Præside *abest Rhen.*
(2) Imbres *Rhenan.*
(3) Scilicet, et retro *Jun.*
(4) Deprecemur interim, localem *Jun.*
(5) *Alii*, M. Gellius Saturninus. *Pamelius*: Valgius Sat. *Junius*: Vitellius Saturn.
(6) *Alii* Cl. Luc. Hieromінianus, *alii*: Lucius Hieronymianus *Vatic.* 3. Lucius Geromінianus *Junius suspicatur tegendum* Livius Geminianus.
(7) Cutem *Jun.*
(8) *Pamelius interjecit.* spe *improbante Rigaltio.*
(9) *Rhenan add.* aut spe christianæ.
(10) Tibi *Rigalt.*
(11) Adrumeticum *vel* Adrumetinum *Latin.*

COMMENTARIUS.

non sacrificamus odore aut sanguine, sed prece pura. Nam sacrificium non nisi per preces et per invocationem sacrificatur aut offeretur. Pam.

CAP. III.— (a) *Quod nulla civitas impune latura sit.* Hinc illud Cypriani martyris: nec unquam, inquit, impiorum scelere in nostrum nomen exsurgitur, ut non statim divinitus vindicta comitetur. Rhen.

(b) *Areæ non sint.* Cœmeteria intelligit. Ludit enim in voce. Nam cum ille acclamasset, *Areæ non sint*, intellexit de sepulturis; cum rursum dicit: *Areæ ipsorum non fuerunt*, intelligit de areis messium. Area autem pro cœmeterio sumitur, Pontius, Diaconus in actis Cypriani. *Sepultus est in area Candidi procuratoris.* Etenim Cœmeteria vocarant veteres Arenarias et areas ut testificatur I. Bulengerus, cap. 42, lib. III, de Templis. Lac.

(c) *In conventu Uticensi.* Uticæ Africæ oppidum civium Rom. Catonis morte nobile, ut est apud Plinium. Apparet autem distinctam fuisse in conventus, instar Hispaniæ; quam citeriorem in conventus 7 divisam fuisse Plinius autor est, sicut Bæticam in 4. Hos idem vocat Juridicos, quod illic suo quique oppido finitimi disceptarent. Istiusmodi conventus hodie referunt apud Christianos oppida episcopiis insignia, quantum ad caussas attinet ecclesiasticas. Igitur conventum Uticensem accipe, pro tractu qui juridictioni Uticensium subjectus erat. Rhen.

(d) *Positus in suo hypsomate.* Utitur vocabulis astrologorum loquens de eclipsi quadam solis, non ordinaria, sed prodigiosa, positi scilicet, ut nunc audire amat, supra vel certe extra nodum lunare. Edd.

(e) *Solusque in prætorio suo.* Prætorium est villa urbana quæ differt a rustica propter elegantiam et nitorem. Sueton. in Calig. cap. 37, et in Augusto cap. 72. Rhen.

(f) *Vermibus ebullisset.* Hieronymus in Hilarione, *Arenosa regio serpentium et venenatorum animalium ebullivit multitudinem.*

(g) *In illo exitu Bysantino.* Exitum dicit ea forma, qua interitum, ut lib. de resurrectione carnis: *Nemo adhuc Babylonis exitu flevit*, et lib. adv. Judæos: *Exitum Christi*, id est, mortem. Rig.

(h) *Christiani gaudete.* Indicendæ exultationis formula fuit, GAUDETE. Quod etiam discimus ex aureo nummo Maximiani Cæsaris, in quo duæ victoriæ cippum sustinent, cum inscriptione: GAUDETE ROMANI. Prudentius Cathemer. sub finem: *Gaudete quidquid gentium est.* Martialis, XI, 62. Rig.

(i) *Et nunc ex eadem causa interpellatio sanguinis.* Scapula statim post damnatum Mavilum acutissimæ cujusdam ægritudinis cruciatu vexari cæperat, quo etiam tum, cum hæc scriberet Septimius, ob iteratam in Christianos sævitiam denuo vexabatur. Clamaverat ad Deum sanguis christianus, ac divinæ patientiæ moras interpellaverat. Paribus exemplis, sed caussa longe dispari Petilianus Donatista adv. Catholicos pugnabat, ut videre est in dissertatione Augustini. Etenim Petilianus terribiliter proponere ausus est et dicere: *Sed ut cætera taceam, in vestris exemplis advertite imperatores quamplures ac judices vestros persecutionem nobis faciendo periisse.* Rig.

(j) *Sed memento de cætero.* Hoc est, de futuro, manere scilicet ultionem æternam longe formidabiliorem. Rig.

Digitized by Google

tra mandata faciatis, ut confessos negare cogatis. Adeo confitemini innocentes esse nos, quos damnare statim ex confessione non vultis. Si autem contenditis ad elidendos nos (1), jam ergo innocentiam expugnatis. Quanti autem præsides, et constantiores et crudeliores, dissimulaverunt ab hujusmodi caussis! ut Cincius Severus, qui Thystri (2) ipse dedit remedium (*a*), quomodo responderent christiani, ut dimitti possent; ut Vespronius Candidus, qui christianum quasi tumultuosum civibus suis satisfacere (*b*) dimisit; ut Asper, qui modice vexatum hominem, et statim dejectum, nec sacrificium compulit facere, ante professus inter advocatos et adsessores, dolere se incidisse in hanc caussam (3). Pudens etiam missum ad se christianum in elogio concussione ejus intellecta (*c*) dimisit, scisso eodem elogio, sine accusatore negans se auditurum hominem secundum mandatum (4). Hæc omnia tibi et de officio suggeri possunt, et ab eisdem advocatis (5), qui ipsi beneficia habent Christianorum, licet acclament, quæ volunt (6). Nam et cujusdam notarius cum a dæmone præcipitaretur, liberatus est: et quorumdam propinquus et puerulus, et quanti honesti viri (de vulgaribus enim non dicimus) aut a dæmoniis aut valetudinibus remediati sunt! Ipse etiam Severus pater Antonini, Christianorum memor fuit. Nam et Proculum christianum qui Torpacion cognominabatur, Euhodeæ (7) procuratorem, qui eum per oleum aliquando curaverat, requisivit, et in palatio suo habuit usque ad mortem ejus: quem et Antoninus optime noverat lacte christiano educatus (8). Sed et clarissimas fœminas et clarissimos viros Severus sciens hujus sectæ esse, non modo non læsit, verum et testimonio exornavit, et populo furenti in nos palam restitit. Marcus quoque Aurelius in Germanica expeditione christianorum militum orationibus ad Deum factis, imbres in siti illa impetravit. Quando non geniculationibus et jejunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsæ? Tunc et populus acclamans *Deo deorum* (9), *qui solus potens* (10), in Jovis nomine Deo nostro testimonium reddidit. Præter (11) hæc depositum non abnegamus, matrimonium nullius adulteramus, pupillos pie tractamus, indigentibus refrigeramus, nulli malum pro malo reddimus. Viderint, qui sectam mentiuntur, quos et ipsi recusamus. Quis denique de nobis alio nomine queritur (12)? quod aliud negotium patitur christianus, nisi suæ sectæ? quam incestam, quam crudelem, tanto tempore nemo probavit. Pro tanta innocentia, pro tanta probitate, pro justitia, pro pudicitia, pro fide, pro veritate, pro Deo vivo, cremamur; quod nec sacrilegi, nec hostes publici, verum (13) nec tot majestatis rei pati solent. Nam et nunc a præside legionis, et a præside Mauritaniæ vexatur hoc nomen, sed gladio tenus, sicut et a primordio mandatum est animadverti in hujusmodi. Sed majora certamina, majora sequuntur præmia.

CAPUT V.

Crudelitas vestra gloria est nostra. Vide tantum ne hoc ipso, quod talia sustinemus, ad hoc solum videamur erumpere, ut hoc ipsum probemus, nos hæc non timere, sed ultro vocare. Arrius Antoninus in Asia cum persequeretur instanter, omnes illius civitatis christiani ante tribunalia ejus se manu facta obtulerunt, cum (14) ille, paucis duci jussis, reliquis ait, ὦ δείλοι, εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν, κρημνοὺς ἢ βρόχους ἔχετε (*d*). Hoc si placuerit et hic fieri, quid facies de tantis millibus hominum, tot viris ac fœminis, omnis sexus, omnis ætatis, omnis dignitatis, offerentibus se tibi? Quantis ignibus, quantis gladiis opus erit! quid ipsa Carthago passura est, decimanda a te, cum propinquos, cum contubernales suos illic unusquisque cognoverit, cum viderit illic fortasse et tui ordinis viros et matronas, et principales quasque personas, et amicorum tuorum vel propinquos vel amicos? Parce ergo tibi, si non nobis, parce Carthagini, si non tibi, parce provinciæ, quæ visa intentione tua obnoxia facta est concussionibus et militum et inimicorum suorum cujusque. Magistrum neminem habemus, nisi Deum solum. Hic ante te est, nec abscondi potest, sed cui nihil facere possis. Cæterum quos putas tibi magistros, homines sunt et ipsi morituri quandoque. Nec tamen deficiet hæc secta, quam tunc magis ædifi-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Eligendos *Rigalt.*
(2) Rhysdri *Rig.*
(3) Dolore *abest Rhen.*
(4) Hominem *abest Rhen.*
(5) Ejusdem *Jun. e Vatic.*
(6) Et *additur Rhen.*
(7) *Rhen. conjiciebat* Euboeæ. *In veteri Cod.* Euhodæ. *Pithœus emendavit* Euodi, *quod placet Rigaltio. Idem notat Scaligerum in animadv. in Eusebium defendere lectionem.* Euodiæ.
(8) Noverat christianis educatum *Cod. Divionensis.* christiano, *Par.*
(9) Et *additur Rhen.*
(10) *Alii* potes.
(11) Propter *Rhen.*
(12) Quæritur *Rigalt.*
(13) Publicii verum nec *Latin.*
(14) Tum *Rhenan.*

COMMENTARIUS.

CAP. IV.— (a) *Qui Thystri ipse dedit.* Contrarium videtur omnino fuisse observatum: qui enim reum perditumvolebant, omnibus illum modis atque artibus, et crebris interrogationibus in fraudem inducebant. Pamelius legit Tiristi, vel Tiristi; La Cerda Thristri. LE PR.

(b) *Quasi tumultuosum civibus suis satisfacere.* Vespronius ille Candidus cives suos christianum quemdam ad mortem deposcentes admonuit, se quidem libenter eorum votis satisfacturum, sed rem civitati tumultuosam providere. RIG.

(c) *Concussione ejus intellecta.* Hoc est, vexatione. Ipse infra, sub finem hujus libelli: parce provinciæ, quæ visa intentione tua, obnoxia facta est concussionibus, et militum et inimicorum suorum cujusque. RIG. — Concussio est subdola accusatio furentis cujusdam nebulonis, non autem legitima actoris oratio. LE PR.

CAP. V.—(d) Ω δείλοι, κ. τ. λ. Hoc est: *O miseri, si mori vultis, præcipitia habetis et laqueos.* EDD.

Digitized by Google

cari scias, cum cædi videtur. Quisque enim tantam tolerantiam spectans (1), ut aliquo scrupulo percussus (2), et inquirere accenditur, quid sit in causa, et ubi cognoverit veritatem, et ipse statim sequitur.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Expectans *Rhen.* (2) In *Rhen.*, *Jun.*

Dissertatio

IN Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI APOLOGETICUM, DUOS AD NATIONES LIBROS, ET UNUM AD SCAPULAM,

(AUCTORE DOMNO NIC. LE NOURRY.)

PRESBYTERO ET MONACHO ORDINIS S. BENEDICTI E CONGREGATIONE SANCTI MAURI.

CAPUT PRIMUM.

Analysis Apologetici, et quis sit Tertullianus, cujus nomine inscribitur.

ARTICULUS PRIMUS.

Analysis Apologetici.

Cum Tertullianus non magno sine animi dolore cerneret Christianos tanta iniquitate ab ethnicis vexari et occidi, ut nec sibi palam se tueri, nec judicibus eos publice audire liceret, ad ipsorum causam occulta scriptorum vi apud Romani imperii Antistites agendam aggressus est. Primum itaque gravissime conqueritur, Christianos omnes ab ethnicis, qui eos nec noverant, nec nosse volebant, contra omnia æquitatis et naturæ jura odio plane implacabili haberi et excarnificari. Publicum enimvero hujus ignorantiæ testimonium eo magis illorum prævaricationem redarguebat, quod ubi primum agnoscebant quæ et qualis sit Religio christiana, statim relicto falsorum deorum cultu, eam toto terrarum in orbe amplexabantur. Neque dicendum est illos in malum tunc traduci. Mali siquidem hominis hæc est conditio, ut pudore et timore perfusus, latebras quærat: contra vero Christianus etsi damnatus, ac quolibet tormentorum genere excruciatus, de sua professione gloriatur, gestit et exsultat (*cap.* 1).

Deinde vero si christianus sacrilegii, incesti, homicidii, vel alterius cujuslibet criminis, uti garriebant gentiles, reus sit, cur ab illis contra divinas humanasque leges, sine ulla criminis accusatione, sine teste, sine prævio ullius circumstantiæ, temporis, consciorum examine, sed unico penitus nominis præjudicio condemnatur? Plinius itaque hac injustitia permotus, Trajanum imperatorem interrogavit quid de Christianis, nullius plane, præter obstinatam in Dei et Christi cultu suaque disciplina perseverandi voluntatem, criminis aut delicti convictis, agendum esset. Sed nullum aliud ab illo responsum accepit, nisi eos non esse inquirendos, sed oblatos judicibus puniri oportere. Quid autem, obsecro te, iniquius ea lege, quæ Christianos, utpote innocentes, vetat inquiri, et tanquam nocentes condemnari præcipit (*cap.* 2)?

Ad hæc vero, divinis humanisque legibus cautum est, ne ullius cujuslibet criminis reus ulla unquam torqueretur aut pœna, aut quæstione, nisi ut scelera sua confiteretur. At Christiani e contrario discruciabantur; ut ea, quorum accusari solebant, crimina, seque Christianos esse negarent. De solo itaque christianorum nomine prælium erat. Et certe quæ a judicibus de tabella adversus eos pronuntiabatur sententia, omisso cujusvis criminis elogio, nihil aliud ferebat, nisi *christianos* damnari. At ethnici tum in sacratiores leges eo gravius peccabant, quo sæpius fatebantur castos sanctosque esse mores Christianorum, eosque qui ex suis gentilibus christianæ fidei nomen dabant, fieri semper meliores. Verumtamen non minori crudelitate in hos neophytos, quam in cæteros omnes, ob assumptum christianum nomen sæviebant.

At nobis, inquiebant ethnici, displicet auctoris eorum nomen. Quid ergo, respondet Tertullianus, odiosi subesse potest in Christi nomine? Nonne ex suavitate vel benignitate ductum est? Quid etiam in illo magis odio dignum, quam in ipso philosophorum, medicorum, coquorum nomine, transmisso ab auctoribus suis, et ab aliis accepto? Nullius denique sectæ nomen malum aut invisum videri debet, nisi prius quid in ipsa secta mali sit, certo dignoscatur et probetur (*cap.* 3).

Urgebant ethnici se legum, ad imperatoribus latarum, præscripto ad vexandos tollendosque christianos teneri. Verum prorsus inepta est, inquit Tertullianus, hæc exceptio. Nemo enim ulla injusta obligatur lege, quæ aut bonum prohibet, aut iniquum aliquid imperat. Atqui tales erant sancitæ in christianos leges. Inficias præterea ethnici ire non poterant plures a suis, aliisque legislatoribus, humanæ infirmitati obnoxiis, datas, quæ quidem quia visæ sunt aut noxiæ aut inutiles, ab aliis postmodum emendatæ, truncatæ, abrogatæ fuerunt? Nonne enim leges Lycurgi a Lacedæmoniis, nonne leges Papiæ de suscipiendis liberis a Severo Imperatore aut correctæ, aut antiquatæ sunt? Nonne lex de creditoribus in

Digitized by Google

partes secandis immutata fuit? Nec mirum quidem. Enimvero neque vetustas, neque auctoris dignitas, sed æquitas sola leges commendat. Nulla vero unquam iniquior fuit, quam illa, quæ Christianos, ob suum duntaxat nomen, nec audita causa, condemnari jubebat (*cap.* 4).

Quantum enim non modo nova et injusta, sed etiam tyrannica sit, inde Tertullianus demonstrat, quia Tiberius, quo regnante christianum nomen per varias mundi partes disseminari cœpit, auditis Christi miraculis, eum deorum numero voluit adscribi. Quod quidem etsi, obstante senatu, non perfecerit; in sua tamen permansit sententia, et Christianorum accusatoribus periculum comminatus est. Ex successoribus autem illius Nero, omnium primus, heu quam impius sceleratusque homo! Cæsariano gladio adversus Christianos ferociit. Domitianus vero, crudelitate illi non impar, cum eadem tentasset, suos cito repressit conatus. Ab utroque autem longe abfuit Marcus Aurelius, qui christianorum militum precibus impetrato divinitus imbre, jussit in eos severius animadverti, qui Christi sectatores accusarent. Antea Trajanus, nulla lege lata, prohibuit eos inquiri. Nulla quoque adversus illos exstat imperatorum Adriani, Vespasiani, Pii, et Veri lex, nullumque decretum. Soli itaque pessimi, nequissimi, ac impiissimi imperatores in eos sævierunt (*cap.* 5).

Tum dehinc Tertullianus, ut ethnicis omnem ex majorum institutis ac legibus inepte litigandi viam præcludat, palam cuilibet brevi inductione facit, pessumdatas ab illis fuisse de sumptu, ambitu, vini abstinentia, divortio ac cultu deorum leges, statutaque sacratiora. Romani quippe consules Liberum cum suis mysteriis Roma atque ex tota Italia, quemadmodum Piso et Gabinius, itidem consules, Serapidem, Isidem, et Harpocratem, ex Capitolio deorumque curia ejecerunt, qui postliminio duntaxat a Romanis sunt restituti. Denique ethnici omnes nuntium moribus proavorum suorum remiserant habitu, victu, instructu, censu, et ipso etiam sermone. Christianis igitur frustra objiciebant conculcatam et profligatam veterum patrum suorum auctoritatem, quam ipsimet tam audacter, quam impune pessumdederant (*cap.* 6).

Transit inde Auctor noster ad falsa et mentita infanda christianorum crimina, quæ quidem ita diluit, ut ipsos ab iis tam alienos, quam gentiles illorum reipsa reos esse evidentissime demonstret. Primum enim Christiani a longo jam tempore infamabantur, quasi carnes occisi a se pueri ferino more vorarent, ac postea exstinctis canum opera luminibus, in quolibet stupro et incestu fœdissime volutarentur. At certe nihil facilius erat, quam Christianos tantorum, si revera ab iis perpetrarentur, criminum convincere. Tot enimvero illorum inimici et hostes semper fuerunt, quot judæi, quot milites, quot domestici, quot pene eorum uxores, imo et gentiles homines, qui illos semper insectabantur. Nullus tamen ex eis tanta facinora agnovit unquam, multoque minus prodidit, vel iisdem Christianis pretio aliquo suum vendidit silentium. Et vero quis hæc crimina prodidisset? Non Christiani quidem, qui non minus scrupulose, quam gentiles sua celabant mysteria. Neque etiam ethnici, qui ab eorumdem Christianorum cœtibus penitus exclusi, quid in eis ageretur, scire procul dubio non poterant. At isti, fama, inquiebant, communi hæc divulgata sunt. Sed quid fama levius, quæ sane quia semper oritur vel invidia, vel odio, aut suspicione, aut alios decipiendi voluptate, tamdiu tantum perseverat, quamdiu mentitur (*cap.* 7).

Urget Tertullianus tam horribilia esse illa flagitia, ut a nemine credi unquam debuerint, aut potuerint committi. Sectatoribus quippe suis Christiani æternam felicitatem promittebant. Quis autem in animum sibi inducat, eam pollicitos esse homini, qui infantem occideret, panem comederet recenti illius sanguine intinctum, ac postea nefando incestu polluereturf? Imo vero nemini unquam persuaderi poterit hæc ab ethnico, cui pudoris et humanitatis aliquis sensus sit, potuisse fieri. Neque dixeris religionis christianæ candidatis factam ab aliis fraudem. Quis enim eam facere potuit? Num sacrorum pater, aut alius a quo edocebantur? At quo tandem dolo, quibus præstigiis eos docere poterat quidnam ab ipsis ad exsecranda illa crimina perpetranda esset agendum? Esto tamen, et fac, si velis, hæc ab illis fuisse commissa, cur ergo iis tandem aguitis et actis, de fraude sibi facta nunquam conquesti, in tradita sibi tam horribili doctrina tam constanter omnes perseverarunt? Numquid timebant ne ea patefacientes punirentur? Quin imo ethnicorum gratiam sibi inde conciliavissent : sed perire malebant, *quam sub tali conscientia vivere* (*cap.* 8).

Qua autem facilitate Tertullianus Christianos de tantis purgat criminibus, eadem profecto ostendit gentiles eorumdem aut similium plane penitusque convinci. Saturno namque, qui propriis filiis suis non pepercit, infantes ad primum usque Tiberii proconsulatum palam, ac deinceps occulte in Africa immolabant. Galli vero solebant majores natu Mercurio, Tauri suos hospites Dianæ, Romani bestiarios, non minus tamen homines, in publicis ludis Jovi mactare. Quid quod, alii non minori crudelitate infantibus aut abortu præripiebant vitam, aut natos morti exponebant mox futuræ. Huc accedit, quod non solum nationes quædam, quemadmodum Catilina, effuso suo sanguine fœdus pepigere, verum etiam Scythæ hominem comedere ferebantur. Bellonæ quoque sacerdotes suo consecrabantur sanguine, et gladiatores, sicut comitiali morbo laborantes, bibebant aliorum hominum in arena occisorum sanguinem. Alii etiam in publicis spectaculis carnes comedebant aut cervi, qui in hominis sanguine jacuerat, aut apri, qui hominem cruentaverat, aut ursi alveolos, qui ructabant adhuc hominum in hisce ludis interfectorum viscera. Denique magis horrendo, nec unquam nominando, scelere substantiam hominis deglutiebant. Christiani e contrario abhorrebant

Digitized by Google

ab omni sævitiæ genere, nec fas eis erat etiam crudelissima inter tormenta aut animalium sanguinem, aut suffocatum aliquid, aut oblatum falsis diis morticinium prægustare (*cap.* 9).

Quid vero caussæ erat cur ethnici Christianos arguerent incestus, cujus exemplum dederat sceleratissimus Jupiter, et rei erant Persæ? Ejusdem vero sceleris suspecti erant Macedones, a quibus is irrisus fuit qui Œdipi tragœdiam agendo, lamentabatur violatam a semetipso matrem suam. Quid plura? Improbi gentiles stupris assuefacti, suis etiam liberis, olim expositis, nec sibi amplius cognitis, stuprum cæca libidine inferebant. At Christiani aut in virginitatis perseverabant statu, aut ab omni post matrimonium excessu semper abstinebant.

Ab falsis autem fictitiisque Christianorum occultis criminibus, ad ea transit Tertullianus, quæ ethnici manifesta et publica esse criminabantur. Præcipuum autem illud erat, quo sacrilegii et læsæ majestatis divinæ ideo accusabantur, quod omnem diis cultum prorsus denegarent. Nec diffitetur quidem Tertullianus grande procul dubio esse illud crimen, si quos ethnici adorabant, dii revera fuerint. At eos non deos, sed meros homines fuisse testis erat ipsorummet ethnicorum conscientia. Si quis tamen reluctari adhuc audeat; ille confestim innumeris revincetur Scriptorum suorum testimoniis, qui loca indicant, ubi commentitii illi dii nati, ubi mortalem egerunt vitam, et ubi ea finita sepulti sunt. Quia vero longius fuisset singulos hosce deos nominatim recensere, Auctor noster illud Saturni, deorum omnium primi, exemplo demonstrat. Omnes namque antiquitatum descriptores asserunt illum revera fuisse hominem, qui post multas expeditiones, Attico hospitio ab Jano vel Inone in Italia exceptus, monti ac civitati quam incoluit, totique Italiæ dedit Saturniæ nomen. Neque id minus perspicue declarabant tabulæ ab ipso ibi primum confictæ, et nummus imagine signatus, ob quem præsidere ærario perhibetur. Homo igitur ille fuit, nec de cœlo et terra ortus, sicuti nonnulli fabulati sunt. Cæteros ergo omnes deos, qui suam ex illo ducunt originem, homines etiam fuisse, quis negare audebit (*cap.* 10)?

Nec sinit quidem Tertullianus sibi responderi hos post mortem tantum suam deorum adscriptos esse numero. Divinitatem enim nullus homo sibi conferre potest. Si cui ergo seu ante, seu post mortem data est, is certe ab alio potentiore Deo illam accipere debuit. At nulla plane caussa unquam fuit cur ille summus Deus aliquos post eorum mortem deos faceret. Nullius quippe, sive ad mundum fabricandum, sive ad aliud quidpiam agendum unquam indiguit auxilio. Ante omnes siquidem fictitios gentilium deos, pluviæ, lumina, sidera, tonitrua, fulmina, et varia frugum genera orta sunt. Quin imo omnium hominum primus, post omnia ad vitam ejus necessaria, conditus est. Non magis ergo Liber, Ceres, Bacchus et Minerva ob inventas fruges dii facti sunt, quam Lucullus ob cerasa ex Ponto transvecta in Italiam.

Neque potiori ratione dici potest collatam propter merita et virtutes hominibus divinitatem. Nam inde conficitur supremum aliquem esse deum, qui merentibus divinitatem dispensat. Deinde vero gentiles fateri cogebantur deos suos fuisse homines improbos, impios, scelerates, nequissimos, aliosque illis similes ab aliis bene moratis jure merito condemnari. Fac tamen illos fuisse probos, sed non meliores erant Socrate et Aristide, nec fortiores Themistocle et Alexandro, nec feliciores Polycrate et Sylla, nec Crœso Crassove ditiores, eloquentiores Demosthene et Cicerone, sapientiores Catone, ac Scipione æquiores. Cur ergo ethnici, his apud inferos relictis, illos in cœlum tanquam deos sustulerunt (*cap.* 11)?

Sed dic porro quinam sint hi gentilium dii. Nihil plane in illis, ait Tertullianus, video, nisi mortuorum hominum nomina. Nihil audio præter fabulas, atque ex his fabulis sacra instituta recognosco. Quid vero, quod eorum simulacra ex communium vasculorum et instrumentorum materie, vel ex ipsismet vasculis et instrumentis fabrefacta, dii tandem sacrilega consecratione facta sunt? Quis insuper non videat pulchra illa simulacra, dum fabricantur, eadem pati, atque christiani, cum ab ethnicis torquentur? Ex metallis enim fiunt, quibus damnantur Christiani. Illa crucibus et stipitibus imponuntur, raduntur ungulis, ignibus exuruntur, sed his omnibus modis Christiani tolluntur e medio; in hoc tamen ab illis discrepant, quod simulacra primum sunt sine capite, quod Christianis, iniquissime damnatis, tandem amputatur. Ad hæc vero, hi in insulas relegantur, in quibus plerosque omnes gentilium deos natos mortuosque esse nemo nescit. Neque respondere poterant hæc mera esse Christianorum in deos convicia; quandoquidem eosdem deos Seneca pluribus longeque amarioribus verbis insectatus est. Recte ergo Christiani illa deorum simulacra adorare renuebant, quæ a milvis, muribus, araneis coinquinata, ab ipsis gentilibus negliguntur, illuduntur, destruuntur.

Quin etiam alii alios deos colebant, nullusque sine senatusconsulto deus esse poterat. Domesticos vero deos pro sua quisque aut necessitate aut potestate oppignerabat, vel vendebat, vel mutabat modo in trullam, modo in cacabum. Publicos autem deos in hastario vectigales habebant, ac sub hasta, et publici præconis voce venales. Nec id profecto mirum. Dii quippe quo magis sancti, eo magis tributarii erant. Mendicans vero ethnicorum religio circuibat cauponas, ac magnam pro templi alicujus aditu exigebat mercedem.

Sed agedum, quo, quæso, modo ethnici deos suos honorabant? Eodem plane ac mortuos imperatores: imo vero eumdem honorem illis viventibus, ac mortuis diis suis detulerunt. Simili quoque modo Larentinam meretricem, Simonem Magum, et nescio quem Synedi deum, ac impuras Junones, Cereres, et

Digitized by Google

Dianas venerabantur. Quid ergo amplius in vetu- A rum deorum contumeliam fieri ab ullo homine poterat (*cap.* 12, 13)?

Nonne etiam dii non minori illis erant ludibrio, qui pessima quæque illis sacrificabant, et tertiam subripiebant decimarum Herculi debitarum partem? Nonne alii suis in libris non maxima sine illorum ignominia prædicabant eos inter se propter Trojanos, aut Achivos decertasse, Venerem sauciatam, Martem in vinculis pene consumptum, Jovem a monstro quodam liberatum, nunc flentem, nunc fœde subantem? Poetæ vero canunt Apollinem Admeto, et Laomedonti Neptunum servientes, Pindarus vero Æsculapium fulmine judicatum. Præterea a tragœdis decantantur deorum ærumnæ et errores. Ex philosophis autem Socrates, etsi per quercum, hircum, et B canem juraverit, quia tamen deos destruebat, morte damnatus est. Sed rescissa damnatione præclarum tandem illi reddidere testimonium. Postremo Diogenes quidam irrisit Herculem, ac Varro trecentos Joves introduxit (*cap.* 14).

Urget adhuc Tertullianus in gentilium comœdiis ac tragœdiis repræsentari mœchum Anubim, masculum Lunam, flagellatam Dianam, Jovis testamentum, tresque Hercules famelicos. Ab histrionibus insuper exhibebatur Sol lugens, Cybele fastidiosum pastorem suspirans, Jovis elogium, Junonis Minervæque judicium, ac tandem in illis ignominiosissimum caput repræsentabat dei alicujus imaginem, et corpus ridicula arte effœminatum Minervam aut Herculem. Neque melius aliquid ex cavea expectes. Ibi enim C persona agebatur Atydis castrati, ardentis Herculis, Mercurii inter ludicra meridianorum spectacula mortuos cauterio examinantis, ac fratris Jovis cadavera mortuorum hominum cum malleo deducentis. Plura alia his similia omittit Tertullianus, vitioque gentilibus vertit, quod intra deorum templa, ipsasque inter aras, atque in sacerdotum, et ædituorum tabernaculis adulteria componerent, tractarentque lenocinia. Quinam ergo, ait ille, divinæ majestatis rei, an ipsi qui tanto ludibrio deos suos habebant, an Christiani, qui hos negabant esse deos, quique idcirco eorum templa interdiu non noverant, et ea si fieri posset, penitus spoliassent (*cap.* 15)?

Verum contra objiciebant ethnici caput asininum a christianis tanquam deum adorari. Sed merum, ait D Tertullianus, est somnium, cui Cornelius Tacitus dedit occasionem, ubi memoriæ falso prodidit Judæos consimilem hujus bestiæ superficiem idcirco consecrasse, quia ipsis, in Ægypto siti laborantibus, quidam onagri fontem ostenderant. Sed hujus mendacissimi scriptoris calumnia evidentissime patuit, cum Pompeius, Judæorum templum ingressus, nullum ibi invenit simulacrum. At certe quo id falsius, eo verius erat jumenta omnia, et cantherios cum sua Ilippona ab ethnicis coli et honorari.

Nec potiori ratione Christianis exprobrabant crucis Christi cultum. Quid enim in illo arguere poterant? Nonne apud eos prostabat Pallas Attica, ac Ceres Pharia, quæ rudi palo et ligno a crucis stipite non distinguebatur? In suorum præterea deorum simulacris, in victoriis, trophæis, signis militaribus, vexillorum et cantabrorum sipharis, aut eorum intestinis monilibus, et stolis cruces adorabant illis supposita.

Alii paulo quidem verisimilius suspicabantur christianorum, quemadmodum Persarum, Deum esse Solem. Sed hæc falsa suspicio inde suborta est, quod iidem christiani, ad Solem conversi, Deum precabantur, ac die Solis sive dominico lætitiæ indulgerent. Sed istud gentilium reprehensione eo certe minus dignum erat, quod illi diem Saturni otio et victui destinaverant.

Postremo Auctor noster Judæum quemdam, maximum profecto nebulonem, exsibilat, qui cum bestiarius esset, inter ludos Circenses, in ista, inquit, *civitate* novissime editos, tabellam proposuit, in qua pictus circumferebatur Deus Christianorum auribus asininis, altero pede ungulatus, librum gestans, et togatus, cum hac ridicula inscriptione: *Deus Christianorum onochoetes*. Sed quam falsa mendaxque fuit hæc pictura, tam verum erat ab ethnicis deos adorari hominum belluarumque membris compositos (*cap.* 16).

Ne autem ethnici veram Christianorum doctrinam voluntaria ignoratione, et impudentibus more solito mendaciis deinceps calumniarentur, illam Tertullianus summa cum brevitate, tum sinceritate sic exponit. Deus, inquit, quem colimus, unus est, qui mundum universum, in suæ majestatis ornamentum, ex nihilo creavit. Quamvis autem cognoscatur, invisibilis tamen est, inæstimabilis, immensus, ac sibi soli tantus quantus est, cognitus. Hunc vero unum verumque Deum revera existere demonstrant et mundus, et cætera omnia, quæ verbo fieri jussit, ratione composuit, ac virtute sua condidit. Quin etiam illud evidentissime comprobatur testimonio animæ nostræ, naturaliter christianæ, quæ in quocumque sive infirmitatis, sive erroris, sive pravæ libidinis statu sit, ubi resipiscit, aut redit ad se ipsam, non deos, sed unum conclamat Deum, eumque judicem contestatur (*cap.* 17).

Nec minus evidens divinæ existentiæ argumentum desumitur ex sacris Veteris Testamenti libris, qui scripti sunt a viris divino spiritu inundatis, et qui scripta sua variis verisque miraculis confirmavere. Aristæus autem testificatur hosce libros, hebraice primum sermone compositos, in græcum, procurante Ptolemæo Philadelpho, ac Menedemo probante, a septuaginta judæis summa fide conversos fuisse. Tum autem adhuc asservabantur in Ptolemæi bibliotheca hebraicis et græcis litteris exarati, quos Judæi singulis quibusque sabbatis palam lectitabant. Nullum ergo de illorum veritate atque integritate dubium esse poterat (*cap.* 18).

Maximam autem illorum auctoritatem vindicat antiquitas. Nam unius Prophetæ scrinium, id est, Moysis libri, cæteris gentilium commentationibus, diis, templis, oraculis, sacris, imo omnibus græcis

Digitized by Google

characteribus, ac plerisque gentibus et urbibus vetustiores sunt. Nam is Moyses, Inacho coævus, non modo Homerum, et Priami cladem, sed vetustissimum quoque Danaum ætate longe superat. Cæteri vero prophetæ, etsi illo posteriores, non brevi tamen temporis intervallo græcos sapientes, legiferos, et historicos antecedunt. Quia vero id quod omnibus probatu facillimum est, enarrare longius foret, Tertullianus hanc probationem idcirco missam fecit, ita tamen ut fontes indicet, citetque varios scriptores, ex quibus illa Scripturæ sacræ antiquitas unicuique manifestissima fieri potest (*cap.* 19).

Neque porro summam illius autoritatem repetit ex hac tantum antiquitate, sed eo maxime, quod plane divina sit. Ab illius namque auctoribus, divino spiritu afflatis, mundi clades aliaque plura prædicta sunt, quæ revera accidisse cognoscimus. Dubitare proinde de cæteris non debemus, quæ ab iis prænuntiata quoque fuerunt. Ratum itaque fixumque esse debet unum duntaxat, qui ab eis passim prædicatur, Deum existere, veramque esse christianam religionem, quæ hisce illorum libris suffulta est (*cap.* 20).

Sed tum insurgebant ethnici, ac vociferabantur novellam esse hanc religionem christianorum, qui a Judaica, et nomine et ritibus plane penitusque discrepabant. Verum his respondet Tertullianus Judæos summa felicitate tamdiu floruisse, quamdiu insigni sua justitia, ac patriarcharum fide, gratiam Dei promeruerunt. Postquam vero conculcatis illius legibus, maxima in scelera prolapsi sunt, in eorum pœnam dispersi, palabundi, ac cœli solique extorres ita vagantur, ut ipsis patriam suam vestigio saltem salutare concessum non fuerit. At non hæc tantum a sacris illorum vatibus prædicta sunt, sed futurum quoque alium populum, in quem Deus majorem, quam illis gratiam transferret. Christus vero selecti hujus populi arbiter, magisterque est, ab iisdem quoque prophetis prænuntiatus. Et is quidem philosophis Zenoni et Cleanthi non plane incognitus, Dei λόγος sermo, ratio, sophia, sapientia, verusque Filius est. Non enim hominum, aut factitiorum deorum more, sed sicut radius ex sole, ita spiritus ex spiritu, et lumen de lumine genitus, non recessit a matrice, sed ita excessit, ut non separetur a substantia sui Patris, a quo alter modulo, non numero, gradu non statu, unus omnino cum illo est Deus. Statuto dehinc tempore prolapsus in virginem, homo Deo mistus factus fuit.

Ad aniles vero fabulas hæc rejicere non poterant neque gentiles, qui similes alias finxerant, neque Judæi, qui noverant illum a suis prophetis promissum fuisse. Nam hi in eo errabant, quod ea, quæ in iis sacris Scripturis de primo et secundo illius adventu dicta sunt, non intelligentes, illum ad nos jam venisse inficiabantur. Tanta autem erat eorum cæcitas, perversitas, et nequitia, ut hunc magiæ accusaverint, qui editis miraculis se λόγον Dei palam ostendebat. Cum vero cœlesti sua doctrina plurimos ad se alliceret, tunc exasperati, illum obtulerunt Pontio Pilato, ab eoque violentia suffragiorum extorserunt, ut cruci, quemadmodum ille prædixerat, affigeretur. Eo autem moriente, facta est insolita plane solis defectio, ab iisdem Judæis, qui eam a prophetis annuntiatam nesciebant, *in arcanis* suis descripta. Ab illis porro corpus ejus sepulcro est conditum. Sed cum tertia die mirabiliter resurrexisset, subreptum a discipulis jactitaverunt. At ille redivivus turbis se subduxit, ac per dies quadraginta cum quibusdam discipulis conversatus, eos doctrina ubique divulganda imbuit, ac post hæc circumfusa nube conscendit in cœlum. Pilatus vero, qui tunc conscientia christianus erat, ea omnia nuntiavit Tiberio, qui quidem Christo credidisset, nisi fuisset Cæsar, imperassetque ethnicis. Verum sæviores Judæi discipulos Christi, traditam sibi ab eo doctrinam prædicantes, crudelissime divexarunt; eorumque sanguinem Nero primus Romæ effudit.

Porro autem Tertullianus constanter asseverat hanc veram esse christianæ doctrinæ summam, nec posse sibi ab ethnicis fidem abrogari. Persuasum siquidem christiani penitus habebant fas nemini unquam fuisse, multoque minus sibi, religionis suæ documenta declarantibus, mentiri. Quid ergo in hac eorum religione et cultu poterat esse mali, qui Deum a se per Christum coli palam asserebant? Nonne Judæi Deum per Moysem venerabantur, ac gentiles Græci per alios homines, Romani vero per Numam Pompilium superstitionibus suis initiati sunt? Quærendum potius erat utrum vera sit Christi divinitas, qua cognita, homo in melius reformatur (*cap.* 21).

Credebant præterea christiani esse dæmones, philosophis, ac potissimum Socrati ac Zenoni, poetis atque magis haud incognitos, quos vulgus exsecrando, aut aliis maledicendo invocat. Hi autem spirituales, sicut angeli, sunt substantiæ, sed in peccatum prolapsi, exitium hominis ab mundi initio moliti sunt. Sicut autem substantia, sic viribus spiritalibus præditi, non solum fruges hominisque valetudinem vitiant, sed illius quoque animum concutiunt pravis motibus, et a divinitatis avertunt cogitatu. Nativa vero agilitate cum ubique uno momento sint, ac Dei dispositiones cognoscant, *æmulantur divinitatem, dum furantur divinationem.* Ad hæc vero, ambigua pronuntiant oracula, sanant quos læserunt, falsa variis præstigiis faciunt miracula, phantasmata edunt, defunctorum infamant animas, pueros elidunt in oraculi eloquium, somnia immittunt, atque eorum opera capræ ac mensæ divinare consueverant. Atqui ethnici, qui hæc omnia diis suis adscribebant, hos dubio procul dæmones esse fatebantur.

Neque respondere poterant deos suos non ex his quæ in profanis locis, sed quæ in eorum duntaxat templis fiebant, debere æstimari. Non dispar etenim est illius furor qui ex turre his diis sacrata, et alterius qui se ex summo vicinæ domus tecto dat præcipitem. Nec impar etiam illius est amentia, qui in deæ honorem lacertos et genitalia, atque alterius qui sibi gulam prosecat. Sed si hæc, ait

Digitized by Google

Tertullianus, levis videantur momenti, aliis argumentis invictissime demonstratur eosdem esse deos gentilium ac dæmones. Producatur enim aliquis, qui de deo patitur, qui aris inhalans, numen concipit; prodeat dea virgo pluviarum pollicitatrix, proferatur in medium deus Æsculapius, morientem aliquem sanaturus, tumque hi omnes et singuli si petenti christiano qui sint, se dæmones esse non fateantur, per Tertullianum licet, ut illico fundatur, ejusdem christiani sanguis. At nihil plane hac demonstratione est simplicius, manifestius et efficacius. Vel enim mentietur dæmon, et deus non est: vel vera dicet, ac proinde dii revera dæmones sunt. Quicumque ergo hæc a diis facta dixerit, is asserat necesse est illos christianis esse subjectos, atque idcirco tam falsos esse deos, quam vera est christianorum religio. Omnis quippe hæc potestas oritur ex Christi nomine, quo dæmones, ab illis adjurati, de obsessis hominum corporibus coguntur non solum exire, sed insuper fateri se deos non esse, sed immundos spiritus, ob malitiam suam prædamnatos, unicum vero esse Deum, ac vera idcirco esse quæ de Christo paulo ante dicta sunt (*cap.* 22, 23).

Recte ergo ex eis Tertullianus concludit christianos perperam læsæ majestatis divinæ accusari. Quamvis enim constaret veros esse deos ethnicorum, ipsi tamen, quemadmodum Plato, existimabant penes unum, puta Jovem, esse summam potestatem, et officia penes cæteros. Quid ergo peccabant christiani, qui unum supremum Deum, sicuti alii homines unicum imperatorem, colebant et venerabantur? Numquid id minus licitum illis erat, quam singulis quibusque hominibus, civitatibus, et provinciis quemdam proprium et peculiarem deum habere? At certe alii, nemine repugnante, Jovem, alii Fidem, Ægyptii aves et bestias, Syri Astartem, atque ita cæteri suum deum privatim colebant. Uno verbo unicuique licebat quemcumque vellet colere præter verum Deum. Sed nonne hoc potius erat maximum, cujus falso christianos insimulabant, læsæ majestatis divinæ crimen? Et certe illud tanto majus erat, quanto crudelius christianos ad falsa numina colenda, ac verum et rerum omnium creatorem Deum penitus negandum cogere nitebantur (*cap.* 24).

Objectabant tamen Romani se pro pietatis, ac religionis erga deos suos merito accepisse totius terrarum orbis imperium. Quid ergo, ait Tertullianus? Numquid illud impetraverant a diis suis vernaculis ac domesticis, quales erant Sterculus, Mutunus et Larentina meretrix? Quis credat? Numquid a peregrinis et adventitiis, quibus major Romæ, quam patriæ suæ protegendæ cura esse debebat? At Cybele Romam adscita, de nuntianda magno suo sacerdoti archigallo Aurelii imperatoris morte tam parum sollicita fuit, ut tranquillo animo passa sit lacertos impurumque sanguinem ab illo litari pro hujusce imperatoris salute, qui jam ante octo dies ex hac vita migraverat. Qua vero ratione Jupiter tam patienter tulit Cretam suam, ubi natus, mortuus, et sepultus est, Romanis fascibus concuti? Numquid Juno æquo animo ferre potuit Carthaginem, sibi olim adeo dilectam, et Samo præpositam, a Romanis deleri, ut imperii sui fines latius propagarent? At si res tamen ita sit, cur Romani minorem illi honorem, quam lupæ *prostitutissimæ* Larentiæ tribuerunt?

Deinde vero plures illorum dii, sicuti Saturnus et Jupiter, regnaverant. A quo ergo Romanorum deo suum accepere regnum? Numquid a quodam Sterculo? Quis nisi fatuus id dicere audeat? Multi quoque fuerunt reges, qui nec Romanorum deos, nec alios nunquam coluerant. Denique Romanum regnum ante religionem accrevit. Priusquam enim Numa Pompilius vanas superstitiones Romæ instituisset, et ante quam ulla apud illos fuissent deorum simulacra, plures Latini habuerunt reges. Romani ergo, inquit Tertullianus, *non ante religiosi, quam magni; ideoque non ob hoc magni, quia religiosi.*

Sed acrius adhuc urget: Quomodo, inquit, isti in aliorum regna invaserunt? Non pietate profecto, nec religione, sed bellis, et victoriis, ac proinde communi mœnium et templorum, sacerdotum et civium, rerum sacrarum et profanarum strage ac ruina. Hæccine ergo est pietas, propter quam dii et lædentibus se Romanis orbis imperium dederunt, et aliis ademerunt, qui suos quoque nec minori pietate colebant deos. Denique ante jacta Romæ fundamenta, regnabant non solum Babylonii, Medi, Ægyptii, Assyrii et Amazones, sed Judæi etiam, qui omnes Romanorum aliorumque gentilium deos respuebant, et aspernabantur. Non ergo Romanorum aut aliarum gentium dii regna dispensant, sed solus ille omnipotens Deus, *cujus*, inquit auctor noster, *est orbis, qui regnatur, et homo ipse, qui regnat.* Non christiani igitur, qui illum colebant, sed Romani aliique gentiles læsæ majestatis divinæ crimine convincebantur, qui non solum falsos deos colebant, sed eosdem christianos ad eorum cultum quibuslibet suppliciis compellere conabantur (*cap.* 25, 26).

Quorum vero major erat clementia, hi persuadere illis tentabant, ut saltem *manente apud animum* veri Dei colendi *proposito*, tam pertinaciter, tamque certo capitis periculo diis sacrificare non recusarent. Sed hoc falsæ misericordiæ consilium iis inspirabatur fraude et astutia dæmonum, qui christianorum potestatem timentes, adversus eos implacabili odio præliantur. Nec minimum quidem putant esse prædamnationis suæ solatium, si constantiam illorum labefactare, eosque lædere aliquando possint. Quamobrem christiani illis resistunt, persuasumque habent, se nunquam de ipsorum malitia gloriosius triumphare, quam cum pro constanti fidei suæ professione damnantur (*cap.* 27).

Porro autem ethnici impiis dæmonum dolis et artibus christianos non modo ad deorum cultum, qui omnino liber et voluntarius, aut nullus esse debet, invitos impellere volebant, sed ad iisdem quoque diis pro salute imperatoris sacrificandum. Quapropter hæc sacrificia facere defugientes, majo-

Digitized by Google

ris, quam læsæ majestatis divinæ sceleris arguebant. Quidni, cum viventem imperatorem longe magis, quam deos suos mortuos timerent, atque idcirco citius per hos omnes pejerarent, quam per imperatoris genium? Quid vero rectæ rationi magis repugnat, quam diis sacrificare pro hominis salute, quam nec dare possunt, nec conservare. Quo enim modo, urget Tertullianus, alios servabunt, qui suas ædes ac statuas sine cæsareorum militum excubiis tueri non valent? Quid vero, quod templa et dii multi pendent de Cæsaris nutu ac voluntate? Itaque christiani multo potiori jure pro imperatoris salute non falsos illos deos, sed Deum verum, vivum, et æternum precabantur. Nam et ipsimet imperatores, si sanæ mentis sint, hunc sibi optant esse propitium, a quo habent quod homines sint, quod vivant, quod aliis hominibus imperent. Pro eorum igitur salute, prosperitate, vita longiori, diuturnoque imperio christiani manibus expansis, nudo capite, sine prævio monitore preces fundebant de carne pudica, innocente anima, ac sancto Spiritu profectas. Sed non offerebant, sicut ethnici, grana unius assis, nec arboris Arabicæ lacrymas, nec sanguinem bovis tabie aut ætate confecti, nec spurcam conscientiam, aut hostias a vitiosissimis sacerdotibus immolatas. Ethnicorum itaque præsides provocat Tertullianus, ut christianos, si fas unquam sit, eo modo Deum pro imperatoris salute precantes torqueant, discrucient, et occidant (*cap.* 28, 29, 30).

Quam sincero autem animo, nec ficta adulatione, quæ ethnicis eam objicientibus prodesse poterat, sic Deum omnipotentem precarentur, inde ille demonstrat, quod sacris eorum litteris, quas non occultabant, omnibus præcipitur, ut non solum pro inimicis suis, sed pro ipsis etiam nominatim imperatoribus Deum orent. Addit aliam ipsis fuisse causam, sive potius necessitatem, pro imperatoribus et imperii Romani statu orandi, ut mundi nimirum, qui cum eo perire debebat, finis retardaretur. Quocirca per salutem imperatorum libenter jurabant, minime vero per illorum genios, quos adjurationibus fugare consueverant (*cap.* 31, 32).

Præterea tanto major, inquit auctor noster, erat christianorum pietas et religio erga imperatorem, quanto certius sciebant illum a Deo vero electum ac constitutum. Ab hoc igitur Deo imperatoris salutem eo facilius poterant impetrare, quod hisce precibus illum Deo minorem esse fatebantur. Nefas autem ipsis erat imperatorem deum appellare, ut pote qui homo est, ac dum triumphat, suæ admonetur humanæ conditionis. Quin vero Augustus imperator nolebat se dominum vocari. Et recte quidem; nam unus est omnium atque etiam imperatoris dominus, scilicet Deus omnipotens. Denique quomodo imperator adhuc vivus poterat Dei appellari nomine, quod ethnici non ante apotheosim Cæsaribus tribuebant (*cap.* 33, 34)?

Qua autem facilitate et evidentia Tertullianus hactenus probaverat christianos non esse reos læsæ majestatis humanæ, eadem perspicuitate ostendit, eos propterea ab ethnicis dici non potuisse publicos hostes, quod ipsorum more non celebrarent Cæsarum solemnia. Quis enim nisi impius homo negabit ea agenda esse cum magna modestia, verecundia, sobrietate, et pudicitia? Atqui gentiles ea celebrabant summa cum lascivia, ebrietate, impudentia, seditiosis cursitationibus, injuriis, et appensis instar lupanarium ad domorum postes laureis ac lucernis. Huc accedit quod hæc festa solemnia agentes, non ipsis parcebant imperatoribus, quibus cum plures vitæ annos falso optabant, tum de alio novo cogitabant creando imperatore.

Neque sinit auctor noster sibi responderi hæc cæci tantum et ingrati vulgi esse vota, non vero aliorum. Non enim plebeii homines erant infensissimi imperatorum hostes Cassii, Nigri, Albini, neque alii Sigeriis et Partheniis audaciores, qui inter duas lauros Cæsarem obsederunt; neque ii tandem, qui harum scelestarum partium socii tum quotidie agnoscebantur. At isti tamen pro imperatorum salute sacra faciebant, per eorum dejerabant genium, ac solemnia sicuti alii omnes celebrabant. Eadem quoque dependebant officia astrologi, aruspices, augures, magi, qui dæmonum artibus de Cæsarum futura morte consultabant, exoptabantque esse proximam (*cap.* 35).

Debita ergo imperatoribus fides, pietas et religio non in his officiis consistit, quæ ab eorum hostibus sæpius exhiberi visa sunt, sed in iis moribus, ac bonæ mentis operibus, quæ imperatoribus et aliis omnibus indiscriminatim, nullaque nisi a Deo expectata mercede persolvas. At hæc præstabant christiani, qui jubentur nemini male velle, aut facere, de nullo male cogitare, neminem odisse, diligere inimicos, ac cum læduntur, par pari non referre. Quod quidem ab illis tam sedulo observatum est; ut ab vulgo lapidibus appetiti, vel aliorum furore ignibus exusti, vel bacchanalium furiis ex sepulcro effossi, tot tantasque sibi aut suis fratribus illatas injurias nunquam ulcisci voluerint. Poterant tamen de iis pœnas sumere aut pauculis faculis occultas, aut majoribus, quam ethnici, militum copiis apertas. Per totum siquidem mundum dispersi, urbes, municipia, castra, exceptisque solis deorum templis, omnia impleverant. Quamvis autem minores copias instruere potuissent, cui tamen bello prompti et idonei non erant, qui libenter pro suæ religionis confessione se trucidari patiebantur? Fac etiam, si velis, eos fuisse inermes. At sua sola a gentilibus defectione, aut separatione, sese vindicare facillime poterant. Tanta quippe erat illorum multitudo, ut ethnici sibi solis relicti, suam obstupuissent ad solitudinem, ac plures hostes habuissent, quam cives. Denique ad christianorum vindictam satis utique fuisset, si dæmones non depulissent ab obsessis ethnicorum corporibus. Tanto igitur hoc uno præsidio, gentilibus collato, ostendebant se non humani quidem generis, sed erroris, uti hactenus probavimus, esse inimicos (*cap.* 36, 37).

Transit inde auctor noster ad alteram nec minus

Digitized by Google

impudentem calumniam, qua christiani de falso illicitæ factionis crimine postulabantur. Quæ enim, ait ille, est factio illicita, nisi hominum, qui dignitatum aut gloriæ ambitione civitates ac regna turbabant? Atqui christiani, nulla ambitione ducti, nuntium semper remiserant ethnicorum cœtibus, et rebus publicis, quemadmodum circi, theatri, arenæ, aliorumque spectaculorum voluptatibus. At certe iis rejectis, nullum inde ethnicis damnum, nullaque injuria, sicuti neque si quando christiani alias consectarentur voluptates, quas ethnici vicissim respuebant (*cap.* 38).

Tertullianus porro ut cunctis planius adhuc ostenderet nihil a christianis turbulento illicitæ factionis, sed omnia solo veræ religionis et pietatis animo fieri; breviter ac sincere ea describit, quæ in eorum cœtibus agebantur. In illis, inquit, vim Deo faciebant, fusis precationibus pro imperatore et potestatibus, pro statu sæculi, ac rerum quiete, pro mora fini ultimo mundi afferenda. Tum dehinc legebantur divinæ Scripturæ, quibus adstantium pascerent fidem, spem erigerent, ac figerent fiduciam. Sequebantur postea exhortationes, castigationes, et divina ob grave aliquod peccatum censura. Præsidebant autem his cœtibus probati seniores, non pretio, sed merito hunc honorem adepti. Unusquisque vero menstrua die modicam stipem sua sponte, et pro modulo conferebat ad alendos quoslibet egenos, senes, pueros, exsules, carceribus mancipatos, aliosque ad metalla damnatos. Ethnici ergo frustra conabantur hanc infamare mutuam christianorum charitatem, qua etiam sese invicem vera religione adunatos, fratres vocabant; suaque aliis partiebantur bona, quibus nunquam non dirimebatur mutuus ethnicorum amor. Indiscreta quippe illi habebant omnia, præter uxores, quas hi, cætera omnia retinentes, cum amicis suis, quemadmodum Socrates et Cato, communicabant.

Pergit Tertullianus, ac cœna, inquit, christianorum, non sicut Megariensium, vel aliorum ibi ab illo notatorum, prodiga erat et sumptuosa, sed jure merito a Græcis ἀγάπη et a Latinis dilectio nuncupatur. A precibus inchoatur, ac postea omnes tanta moderatione comedunt et bibunt, ut meminerint Deum per noctem adorandum. Post aquam vero manualem et lumina, quisque, ut potest, ad aliquid ex Scripturis sacris Deo canendum provocatur. Alii vero secum colloquentes, Dominum audire sciunt. Denique oratio sicut incœpit, ita dirimit convivium, atque inde omnes non tumultuoso et lascivo ethnicorum more, sed summa cum modestia discedunt. Atque ex iis ita expositis Tertullianus concludit non in his christianorum, sed ipsis gentilium cœtibus esse illicitas damnandasque factiones.

Nec potiori quidem jure hi clamitabant eosdem christianos publicarum omnium calamitatum esse auctores. Nam ante auditum illorum nomen plures insulæ, ab auctore nostro denominatæ, aut maris fluctibus, aut motibus terræ absorptæ sunt. Constat etiam antea, ac priusquam ulli essent Romanorum dii, totum orbem terrarum generali, nec tantum campestri, ut Plato putavit, periisse diluvio. Ad hæc vero priusquam Judæi in Ægyptum migrassent, atque adeo longe antea, quam Christus religionem suam fundasset, ultor ignis Sodomam et Gomorrham, Vulsinios et Pompeios consumpserat. Nemini quoque incompertum Romanos Cannensi prælio fuisse profligatos, et captum a Senonibus capitolium, cum Romani deos suos, et nulli christiani verum Deum adorarent. Demum eadem antea fuit urbium atque templorum clades et ruina. At hæc non potuerunt iis, quorum erant templa, factitiis diis adscribi, sed impietati hominum, qui eos coluerunt, ac verum Deum, omnium bonorum fontem, aut ignorantes aut aspernati, omni vitiorum scelerumque genere sese contaminaverant. Huc accedit, quod ab eo tempore, quo exorta est Christi religio, leviores procul dubio fuerunt publicæ hujusmodi calamitates. Illius quippe sectatorum innocentia iniquitatem sæculi temperavit. Et vero ubi calamitate aliqua mundus premebatur, tum ethnici falsos deos suos ritibus solitis perperam fatigabant: christiani vero continentia, jejuniis, aliisque pœnitentiæ actibus exorabant veri Dei misericordiam. Non hi itaque veri Dei cultores, sed ethnici, illum spernentes, publicarum calamitatum causa erant (*cap.* 39, 40).

Instat adhuc Tertullianus iniquissimos esse horum deos, si propter christianorum scelera illos tantis malis afflictent ac conficiant. Nec sinit hoc telum in christianos retorqueri, quos Deus iisdem atque gentiles calamitatibus opprimi patiebatur. Justos quippe homines, uti ipse edixit, non discernet ab injustis, nisi in ultimo post mundi finem judicio. Quapropter voluit omnia in hoc humanæ vitæ cursu omnibus esse communia, et adversa quidem bonis in admonitionem, malis vero in castigationem. Nullis præterea adversis lædebantur christiani, quibus nihil erat optabilius, quam de hoc mundo exire. Quacumque autem vexatione concuterentur, spem fiduciamque suam prædicatione divinarum Scripturarum recreabant. At ethnici e contrario nihil in adversis solatii a diis suis, neque in hac, neque in futura vita habentes, injustos utique colebant et ingratos (*cap.* 41).

Quid præterea magis absurdum alia ethnicorum de christianis expostulatione, qua conquerebantur eos esse infructuosos ac Reipublicæ inutiles. Non enim Brachmanes erant, aut sylvicolæ, sed quælibet cum iisdem ethnicis commercia ubique habebant, ac solis exceptis superstitiosis illorum cæremoniis, sic artes miscebant et operas, ut cum iis, et de illis viverent. At templorum nostrorum, inquiebant gentiles, vectigalia minuuntur. Sed quibus, ait Tertullianus? Numquid hominibus diisque vestris mendicantibus? Nonne christiani opem illis petentibus semper ferunt, eorumque misericordia plura *vicatim* tribuit, quam gentiles *templatim*? Cætera vero vectigalia iidem christiani tanta fide expendunt, quanta improbitate ab ethnicis fraudantur (*cap.* 42).

Quinam autem, pergit auctor noster, de christianorum querebantur inutilitate? Nonne leno-

Digitized by Google

nes, perductores, aquarioli, sicarii, venenarii, magi, et alii ejusdem farinæ homines? At eis infructuosos esse fructus est. Cæterum si christiani aliquid reipublicæ afferant detrimenti, illud dæmonia ex ipsorummet ethnicorum corporibus ejiciendo, satis superque compensabant. Verum gentiles tanta profecto crudelitate, quanto reipublicæ damno occidebant christianos, quorum comperta omnibus esse debebat innocentia, vel eo solo, quod sceleratis dum pleni essent carceres, nullus ibi, nisi suum solum ob nomen, christianus reperiebatur (*cap.* 43, 44).

Neque inde tantum probatur illorum vitæ morumque integritas, sed ex divinis etiam illorum legibus, quæ sanctitate et auctoritate sua omnibus humanis longe præstant. Nam hæ homicidium, illæ iram; hæ adulterium, illæ concupiscentiam: hæ maleficium, illæ maleloquium; illæ injuriam vindicari præcipiunt, hæ injuriæ vicem reddere prohibent. Huc accedit quod omnia, quæ in humanis gentilium legibus probantur, hæc ex divinis christianorum statutis delibata sunt. Præterea majorem esse harum, quam illarum auctoritatem hinc plane conficitur, quia humana lex perfringi facile potest, vel propter reorum latebras, et peccandi necessitatem, vel propter supplicii brevitatem, non ultra obitum infligendi. At nihil prorsus latere potest Deum, qui æternas de quibuslibet criminum consciis pœnas repetit. Quid mirum ergo, si tanta fuerit, sicuti jam demonstratum est, christianorum illum timentium innocentia, et gentilium proconsulem metuentium perversitas (*cap.* 45, 46)?

At philosophi nostri, aiebant isti, eamdem ac christiani profitebantur innocentiam, justitiam, patientiam, sobrietatem, pudicitiam. Si ita est, respondet Tertullianus, cur plures philosophi, superstitiones gentilium adspernati, laudantur, donanturque statuis ac salariis; christiani vero idcirco torquentur et interficiuntur? Numquid Socrates, qui dæmonis, sibi semper adsistentis, opera usus est, et Æsculapio sacrificavit, melior fuit christianis, qui dæmonia fugant et expellunt? Numquid Thaletis, qui de Deo interrogatus nihil respondit, aut Platonis, qui dixit Deum esse inventu et enarratu difficilem, major, aut melior est scientia, quam cujuslibet christiani opificis, qui Deum invenit, et quis ille sit, confestim explicat? Numquid christianorum, qui continentiam servant, aut nullam præter uxorem, fœminam concupiscunt, minor, aut pejor est pudicitia, quam Platonis adolescentium corruptoris, vel Diogenis Phrynem meretricem perdite amantis, vel Speusippi in adulterio morientis, vel Democriti sese, ne mulieres corruptis oculis videret, obcæcantis! Quæ vero fuit aut Diogenis modestia, superbiam Platonis alia superbia calcantis, aut Pythagoræ et Zenonis tyrannidem affectantium? Quæ Lycurgi æquitas, qui ob emendatas leges suas mortem sibi conscivit? Quid plura? Nonne Aristoteles tam turpiter Herminm loco suo expulit, quam Alexandro adulatus est? Nonne Plato ventris gratia venditatus, Aristippus nepotatus, Hippias in insidiis, à se alteri paratis, occisus memorantur? At christianus ab iis omnibus alienissimus, nihil unquam his simile tentavit. Si quis enim excessit à regula disciplinæ, tum desiit esse christianus.

Ethnici ergo frustra venditabant philosophos suos christianis scientia æquiparari. Nam hi ipsi philosophi, quemadmodum poetæ ac sophistæ, plura quidem placita ex sacris divinæ nostræ Scripturæ fontibus hauserant: sed ejus simplicitatem, ac sermonem tunc obscurum despicientes, ea pravis corruperunt suis opinionibus. Ex hac quippe sacra Scriptura agnoverunt unum duntaxat esse Deum: sed hunc Platonici incorporeum, Stoici corporeum, Epicurus ex atomis, ex numeris Pythagoras, Heraclitus ex igne ortum esse docuerunt. Simili quoque modo Plato divinam illius providentiam asseruit, quam negavit Epicurus. Aliqui illum extra mundum, alii in eo positum censebant. Eamdem sane ob causam variæ fuerunt illorum de mundi ortu et duratione, ac de animæ humanæ natura opinationes. Neque objiciendum est a quibusdam quoque christianis adulteratam fuisse recentem Christi doctrinam. Nam hi, inquit Tertullianus, hæretici sunt, et adversus errores illorum præscribimus certissima veritatis regula, quæ ab ejusdem Christi discipulis ad nos transmissa est.

Maligna insuper dæmonum calliditate, pravoque illorum instinctu gentiles philosophi et poetæ quasdam excogitarunt fabulas, ut falsa veritatis, in Scripturis sacris traditæ, similitudine cæteri homines ipsis potius, quam christianis, sibi odiosis, fidem præstarent. Sic enim finxere aliquod apud inferos tribunal, Pyriphlegetontem fluvium, et Elysios campos; quia a nostris acceperant ultimum fore hominum omnium judicium, æternas improborum pœnas, ac piorum sempiternam in paradiso felicitatem. Sed quis nesciat scriptis nostris, ut pote antiquioribus, potius quam aliis recentioribus, sicuti archetypo potius quam imagini credendum (*cap.* 47)?

Et certe Pythagorica animarum transmigratione longe verior est integra corporum nostrorum restitutio. Nemo quippe inficias unquam ibit corpus humanum ab eo refici posse, a quo anima de uno in aliud corpus migrandi potestatem habere perperam fingitur. Verum enimvero ficitia plane est illa animarum migratio; quandoquidem nullus unquam se in bestiam reformatum agnovit. Præterea hoc animæ de uno in aliud corpus transitu, una hominis pars viva, altera semper mortua remanet. At necesse omnino est totum hominem ad pristinam suam vitam redire; ut de bonis aut malis, a se in hac vita actis, ultimum a Deo judicium referat. Quid vero, quod anima nihil sine corpore pati potest, quæ tamen non sine illo aliquid meruit? Neque dixeris id non posse unquam ab ullo fieri. Nam qui te, cum non esses, sicut et omnem mundum, de nihilo creavit, potest utique temetipsum, postquam esse desieris, totum sicuti eras, reficere. Postremo lux, tenebræ, sidera, fructus terræ, semina, et cætera alia quam plurima reviviscunt, quanto magis ad vitam redibit

Digitized by Google

homo, qui quidem si se Pythiæ oraculo noverit, omnium morientium et resurgentium est dominus? Ubicumque ergo, aut quocumque modo ad nihilum redactus fuerit, ad vitam potestate illius revocabitur, *cujus* est *nihilum*, sicut *et totum*.

Numquid igitur, arguet aliquis, moriendum semper et resurgendum? Ita sane, ait Tertullianus, si Deo placuisset. At ille, qui ex diversis ac contrariis rebus creavit omnia, voluit utique homines mortuos ad pristinam vitam semel eo medio temporis puncto excitari, quod in fine mundi inter hanc temporaneam ætatem, ac æternitatem deinde futuram intercedit.

Tunc autem Dei cultores consequentur æternæ felicitatis præmium, quemadmodum profani et iniqui sempiterno igne cruciabuntur. Hujus porro ignis, a terreno nostro plane diversi, exempla nobis suppeditant fulmina, et montes semper ardentes. Quæ quidem etsi philosophi agnoverint, aliique non improbaverint; hanc tamen christianorum sententiam deridebant. Fac tamen, si Deo placet, illam esse falsam. At certe omnibus ipsa æternæ aut pœnæ, aut mercedis spes utilis est et necessaria. Quæcumque porro illa sit, non idcirco tamen in christianos gladiis, bestiis, crucibus, et ignibus, exsultante populo, sæviendum erat. Ethnici igitur insulse prorsus gestiebant, ac gloriabantur de illorum suppliciis, qui damnari potius, quam a Deo excidere optantes, immortalem agebant triumphum (*cap.* 48, 49).

Sed rursus gentiles acriusque vociferabantur nullam christianis esse querendi causam, si sua sponte patiantur. At his auctor noster respondet illos more pati militum, qui licet belli deprecentur pericula, totis tamen decertant viribus, ac demum gaudentes, prædam, victoriam et gloriam adipiscuntur. Christianorum quippe victoria gloriam habet placendi Deo, et vitæ æternæ prædam. In glorioso autem hoc certamine ipsa, quibus cruciantur, instrumenta illis sunt habitus victoriæ, vestis palmata, et currus triumphantis. Nec desperati ergo, nec perditi dici poterant ab ethnicis, qui Mutii, Empedoclis, Didonis, Reguli, Anaxarchi, Atticæ meretricis, Zenonis Eleatis, Laconum, aliorumque in tormentis et crudelissima nece fortitudinem et constantiam, non maximis tantum extulerunt laudibus, sed eos etiam statuis, imaginibus, titulis ad quamdam ex morte ad vitam revocationem, et gloriæ æternitatem decoraruni. Tanto igitur abest ut christianus, qui a Deo, pro quo patitur, veram æternitatem exspectat, insanus sit, quin potius inde innocentiam suam, et ethnicorum iniquam probet crudelitatem. Nonne etiam hi ipsi christianam mulierem ad lenonem potius quam leonem damnando, palam confitebantur labem pudicitiæ omni tormentorum genere, et morte ipsa atrociorem ab illa et aliis christiani reputari? Neque inde, ne hilum quidem, gentilibus sua proficiebat sævitia; quandoquidem sanguis martyrum semen erat christianorum, quo mirum in modum crescebat semper illorum numerus. Sua siquidem morte longe plures effecerunt discipulos, quam Cicero, Seneca, Diogenes, Pyrrhon, et Callinicus, qui suos ad doloris tolerantiam et mortem cohortati sunt. Gentiles namque primum quidem invictam admirati sunt christianorum constantiam. Tum dehinc agnoverunt tantæ constantiæ causam et christianæ religionis veritatem. Eam porro agnitam ulla absque mora amplexati, miro incensi sunt ardore martyrii, quo non solum remittuntur omnia peccata; sed tota etiam Dei gratia redimitur. Gratias igitur agebant ethnicorum sententiis, quibus damnati, a Deo absolvebantur (*cap.* 50).

ARTICULUS II.

Ostenditur Tertullianum esse hujus libri auctorem, ac quis ille fuerit, quæ ejus patria, qui parentes, quorum falsis religionibus primum imbutus fuit.

Constat sane, ac communis omnium, nemine hactenus refragante, sententia fuit Tertullianum hujus Apologetici libri verum genuinumque esse auctorem. Si quis tamen certa hujusce opinionis argumenta sibi proferri desiderat, abunde ei satisfacere haud difficile est. Nam præter complures manuscriptos remotioris et propioris ætatis codices, in quibus hic ipse liber Tertulliani nomine inscribitur, Eusebius cujus hac in re fides nulli suspecta esse debet, post transcripta quædam hujusce libri verba, ibidem adjecit: Ταῦτα Τερτυλλιανὸς, τοὺς Ῥωμαίων νόμους ἠκριβωκὼς ἀνὴρ, τά τε ἄλλα ἔνδοξος, καὶ τῶν μάλιστα ἐπὶ Ῥώμης λαμπρῶν, ἐν τῇ γραφείσῃ μὲν αὐτῷ τῇ Ῥωμαίων φωνῇ, μεταβληθείσῃ δὲ καὶ ἐπὶ τὴν ἑλλάδα γλῶσσαν ὑπὲρ Χριστιανῶν ἀπολογίᾳ (*Euseb. lib.* II. *Eccles. histor. cap.* 2. *p.* 41) Quæ quidem Rufinus sic latine interpretatus est: *Hæc Tertullianus vir et legum et institutionum Romanarum peritissimus, et inter nostros scriptores admodum clarus, in Apologetico suo, quem adversus gentes pro nostra fide scribit* (Ruf. lib. II. cap. 2). Nec male profecto, si aliqua non omisisset latine sic vertenda: *Postea græcum in sermonem translato.* Persuasum itaque Eusebius, et ipse etiam Rufinus habuerunt hunc librum a Tertulliano conscriptum fuisse. Plura adhuc idem Eusebius, memorato Tertulliani nomine, ex hoc eodem libro transcripsit (*Euseb. lib.* III, *cap.* 23, *p.* 91), et alicubi addidit: Εἴληται δ' ἡμῖν ἡ ἱστορία ἐξ ἧς ἀνωτέρω δεδηλώκαμεν τοῦ Τερτυλλιανοῦ ῥωμαϊκῆς ἀπολογίας, ἧς ἡ ἑρμηνεία τοῦτον ἔχει τρόπον. *Porro ex Tertulliani Apologetico, latine conscripto, cujus supra mentionem fecimus, hæc a nobis desumpta est narratio* (Ibid. cap. 35, pag. 105). Sic enim Valesius græca Tertulliani verba latina fecit. Alio denique adhuc in libro, citatis similiter Tertulliani nostri verbis, hæc præmisit (*Idem lib.* V. *cap.* 5. *pag.* 169): Μάρτυς δὲ τούτων γένοιτ' ἂν ἀξιόχρεως ὁ Τερτυλλιανὸς τῇ ῥωμαϊκῇ συγκλήτῳ προσφωνήσας ὑπὲρ τῆς πίστεως ἀπολογίαν ἧς καὶ πρόσθεν ἐμνημονεύσαμεν, τὴν τε ἱστορίαν βεβαιῶν σὺν ἀποδείξει μείζονι, καὶ ἐναργεστέρᾳ. *Sed et Tertullianus*, ita interprete Valesio, *ejusdem rei idoneus testis est in Apologetico, quem pro fidei nostræ defensione ad senatum urbis Romæ latino sermone conscripsit, cujus etiam supra mentionem fecimus, ubi hanc historiam calidiere, atque evidentiore argumento confirmat.*

Digitized by Google

Ad hæc vero, Hieronymus in sua ad Magnum epistola (*Hieronym. epist.* 83, *ad Mag. pag.* 656): *Quid Tertulliano*, inquit, *eruditius, quid acutius? Apologeticus ejus, et contra gentes libelli, cunctam sæculi obtinent disciplinam.* Plura autem in rem adeo certam et evidentem congerere nihil necesse est, nisi velis ipsi soli meridiano lucem afferri.

Antequam vero ad hunc librum more nostro examinandum veniamus, operæ pretium est investigare quis hic ipse illius auctor fuerit. Primo itaque quatuor, nullo adhuc reclamante, feruntur hæc ejus nomina: *Quintus, Septimius, Florens, Tertullianus.* Neminem vero movere debet hæc tot nominum turba. Nam plures totidem appellati sunt, ut ab aliis suæ gentis, ac familiæ hominibus discernerentur. Primum autem erat prænomen, quo is, cui imponebatur, ab omnibus suis fratribus distingui posset. Etenim prænomina, sicuti Varro nos monuit, sunt *instituta ad usum singularia, quibus discernerentur nomina gentilitia, ut a numero Prima, Secunda, Tertia, Quarta, in viris, ut Quintus, Sextus, Decimus; sic ab aliis rebus, cum essent duo Terentii aut plures, discernendi causa ut aliquid singulare haberent, notabant, ut ab eo qui mane natus diceretur, ut esset Manius, qui luce Lucius, qui post patris mortem, Posthumus* (Varr. lib. II, de ling. latin. pag. 126).

Nomen vero erat gentilitium, sive a gente desumptum, ex qua suam aliquis ducebat originem. Cognomen porro, quod plures ab agnomine non distingunt, datum est, ut cum in una familia plures ejusdem erant nominis, unusquisque ex qua natus fuisset, dignosceretur. At quidam tamen opinantur agnomen ideo dictum, quod tribus jam memoratis accesserit vel ob præclarum aliquod factum, vel virtutem aliquam, vel aliquod animi vitium, vel corporis nævum, vel aliam similem ob causam. Sed de his plura Sigonius, Onuphrius Panvinus, et alii (*Sigon. de nomin. Roman. cap.* 5. *Onuphr. de nomin. Rom.* § 13 *et* 16).

Tertulliani itaque prænomen fuit *Quintus*, haud dubie quia quinto inter fratres suos ordine natus erat. Nomen *Septimius*, uti ipse his significat verbis, quibus librum *de virginibus velandis*, sic absolvit: *Hæc cum bona pace legentibus, veritatem consuetudini præponentibus, pax et gratia a Domino nostro Jesu redundet cum Septimio Tertulliano, cujus hoc opusculum est* (Tertull. lib. de Virg veland. cap. 17). Nomen autem illud *Septimii* habuit, quia ortus est ex Septimia gente. Quia vero plures erant hujus familiæ viri, additum ei cognomen *Florens Tertullianus*, nisi probetur a cognomine distingui illud agnomen, quod ipsi aliquam peculiarem, uti annotavimus, ob causam sit adjectum.

Cæterum tametsi quatuor ipsi fuerint nomina, solo nihilominus Tertulliani nomine ab Eusebio, uti jam vidimus, atque ab Hieronymo, et aliis, quemadmodum infra nec semel animadvertemus, appellatur. Atque eo etiam solo Apologeticus ejus liber in manuscriptis nostris codicibus inscriptus est.

Qua autem in provincia et urbe natus sit, nos docet Hieronymus hisce verbis: *Tertullianus.... provinciæ Africæ, civitatis Carthaginensis* (Hieronym. Catal. Scriptor. Eccles. cap. 53, pag. 115). Quamobrem in chronico Eusebiano dicitur *Tertullianus Afer* (Chron. Euseb. ad ann. Christ. 208): ab Optato autem *Tertullianus carthaginensis* (Optar. lib. 1. de schis. Donatist. pag. 8). Sed quid testibus opus est pluribus, cum ipsemet Tertullianus patriam suam his, quæ in illo, de quo agitur, Apologetico legimus, verbis indicet? Infantes *penes Africam Saturno immolabantur palam usque ad proconsulatum Tiberii.... teste militia patriæ nostræ quæ idipsum munus illi proconsuli functa est* (Tertullian. Apologet. cap. 9). At insuper se Carthagine natum fuisse testificatur alio in libro, quem Carthaginensibus obtulit. Oblivionis enim vitium ibi eis ideo exprobrat, quod etsi ariete olim in bellis usi fuissent: *Cum tamen*, inquit, *ultimarent tempora patriæ, et aries jam Romanus in muros quondam suos anderet, obstupuere illico Carthaginenses, ut novum extraneum ingenium* (Idem lib. de Pallio, cap. 1). Nonne autem inde colligi potest his verbis non minus clare suam, quam illorum quos alloquitur, patriam ab illo designari?

Carthagine igitur haud dubie natus est, *patre*, ut ait Hieronymus, *centurione proconsulari:* vel sicut in Eusebii Chronico legimus: ille *centurionis proconsularis filius* fuit. At non magno quidem in honore erant proconsulis centuriones et milites; ut pote qui illius apparitores, vilia ministeria obire consueverant (*Hieronym. Catal. script. Eccl. cap.* 53. *p.* 115. *Chron. Euseb. ad ann. Christ.* 208).

Ab hoc autem patre suo Tertullianus, et aliis nunc incognitis parentibus suis ethnicis ortus, nefandas illorum superstitiones cum lacte suxit, palamque postea professus est. Nam ubi de veris christianorum dogmatibus disputat, eosdem ethnicos sic affatur: Hæc *et nos risimus aliquando; de vestris fuimus: fiunt, non nascuntur christiani* (Tertullian. Apologet. cap. 18). Suam vero, qua tunc laborabat, cæcitatem, ac veri Dei ignorantiam, his verbis alio in libro deplorat: *Pœnitentiam, hoc genus hominum, quod et ipsi retro fuimus, cæci, sine Domini lumine, natura tenus norant, passionem animi quamdam esse, quæ veniat de offensa sententiæ prioris* (Init. lib. de pœnitent. cap. 1).

Tum ergo, quemadmodum eruditi viri observaverunt, veri Dei et christianæ religionis lumine privatus, profanis spectaculis delectabatur. De his enim ille alicubi dixit: *Malo non implere, quam meminisse* (Lib. de Spectac. cap. 19). Quin etiam non sine animi dolore confitetur se in turpia carnis vitia esse prolapsum: *Ego* enim, inquiebat, *scio me neque alia carne adulteria commisisse, neque tunc*, legendum, *nunc, alia carne ad continentiam eniti* (Lib. de Resurrect. carn. cap. 59). Nec minus aperte declarat se aliorum peccatorum suorum pœnituisse: *Tu peccator mei similis, imo me minor. Ego enim præstantiam in delictis meam agnosco* (Lib. de Pœnitent. cap. 4). Ac rursus postea: *Peccator omnium notarum cum sim, nec ulli rei*

Digitized by Google

nisi pœnitentiæ natus, non facile possum super ea re tacere (Lib. de Pœnit. cap. 12). At nulli procul dubio mirum videbitur, si ethnicus homo, qui deos adulteros, et adulteris pejores adorabat, eorum exempla, sicut Chæreas apud Terentium (*Eunuch. act.* III. *scen.* 5. *v.* 43) sequi voluerit. Sed quantæ hæc crimina Tertulliano olim ethnico voluptati, tanto ipsi christianam postea religionem profitenti, uti ex ejus libris, atque hoc præsertim Apologetico, patet, horrori fuerunt.

ARTICULUS III.

Quibus rationibus Tertullianus ad christianam religionem adductus, et quando eam professus est.

Quibus Tertullianus rationibus ad Christi fidem amplexandam impulsus sit, si quis postulat, is a Georgio Ambianensi capucino audiet tres illas fuisse: christianorum innocentiam, excellentiam sacræ Scripturæ, ac miram eorumdem christianorum in dæmones potestatem (*Georg. vind. Tertull. part.* II, *quæst.* 1. *et* 2). Verum hæc ipsa, quantumvis valida, rationum momenta ille eadem, qua adstruxerat, manu destruit. Nam continenter adjunxit ethnicos Judæosque, quales utique erant Ulpianus, et Suetonius, Josephus et Philo, aliosque doctissimos viros, hisce rationibus non minus attento, quam Tertullianus, animo ponderatis, non potuisse ad christianæ religionis professionem adduci. Quamobrem putat Tertullianum nutantem adhuc, ac fluctuantem, aliqua singulari divinaque visione impulsum, christianæ religioni suum dedisse nomen. Sed undenam, quæso, Georgius didicit a memoratis ab eo cum gentilibus tum Judæis illas christianæ religionis probationes tanta quanta a Tertulliano animi attentione, æquitate, sinceritate expensas et ponderatas? Unde etiam accepit Tertullianum illa singulari visione fuisse donatum, qua privatus, aliis quamtumlibet validissimis rationibus, ad christianam religionem adduci nunquam potuisset? Siccine ergo christiano religiosoque homini licet mera eaque levissima conjectura eorum vim et robur infirmare argumentorum, quibus christianæ religionis veritas, ut infra ostendemus, invictissime demonstratur? Sed doctus ille vir animum haud dubie non satis adverterat ad ea Tertulliani in Apologetico de Martyrum patientia verba: *Quis non contemplatione ejus concutitur ad requirendum quid intus in re sit? Quis non, ubi requisivit, accedit? Ubi accessit, mori exoptat* (Tertullian. Apologet. cap. 50)? Et rursus ille alteri libro sic finem imponit: *Quisque tantam tolerantiam spectans, ut aliquo scrupulo percussus, et inquirere accenditur quid sit in caussa, et ubi cognoverit veritatem, et ipse statim sequitur* (Libr. ad Scapul. cap. ultim.). At si quilibet gentilis, nec omnino pertinax, nec iniquus rerum æstimator, sic agnita christianæ religionis veritate, eam amplexatus est, quanto magis Tertullianus, qui alios animi sagacitate, et æquitate longe superabat?

Quid vero, quod ille maxime christianorum in dæmones potestatis oculatus testis fuit, aut saltem de illa ita persuasus, ut ethnicos ad periculum illius coram omnibus faciendum provocet, ac nisi dæmones ab illis adjurati, se deos non esse fateantur, horumce christianorum velit fundi sanguinem? At *quid isto*, inquit, *opere manifestius, quid hac probatione fidelius? Simplicitas veritatis in medio est* (Idem, Apologet. cap. 23). Exploratam igitur habuit hujus rationis et experientiæ vim, cui a nemine, nisi falsis præjudiciis penitus obcæcato, resisti posse arbitrabatur.

Nec minus perspecta ipsi fuit Scripturæ sacræ auctoritas, quam, inquit, *qui adierit, inveniet Deum; qui etiam studuerit intelligere, cogetur et credere.* (Ibid. cap. 18). Nonne ergo et ille ibi Deum invenit, et falsos agnovit gentilium deos, ac veram esse christianam religionem? Tantis enim luminibus hæc veritas fulgebat, ut ab omnibus voluntaria obstinatione non obcæcatis, statim susciperetur. Sed audias velim illum hæc enarrantem: *Testimonium ignorantiæ est, quæ iniquitatem dum excusat, condemnat; cum omnes qui retro oderant, quia ignorabant quale sit quod oderant, simul desinunt ignorare, cessant et odisse. Ex his fiunt christiani, utique de comperto, et incipiunt odisse quod fuerant, et profiteri quod oderant* (Ibid. cap. 1). At certe si tot gentiles, fatente ipsomet Tertulliano, his omnibus, aut singulis rationibus facti sunt christiani; quanto magis ille, cui adeo comperta fuit falsitas religionis ethnicorum, et christianæ veritas. Ad illam igitur rejiciendam, et hanc amplexandam opus non habuit ea, quam Georgius finxit, divina visione.

Quando autem christianæ religioni nomen dederit, non ita facile dixeris. Opinatus est enim Pamelius librum *de Pallio* publicam in lucem ab illo emissum anno Christi 195, et statim ac ille christiana religione initiatus fuit. Sed falsa est hujus scriptoris opinio in assignanda hujus libri ætate, quem longe postea, nimirum post ipsius a catholica Ecclesia defectionem, et circa annum 211 scriptum nunc peritiores existimant.

Alio igitur modo investigandum est susceptæ ab illo hujus professionis initium. Discimus autem ex Hieronymo editam ab eo *de conjugii molestiis* commentationem: *Cum adhuc esset adolescens* (Hieronym. lib. I. adv. Jovin. pag. 157). Quamvis autem eum juvenili ætate lusisse in hac materia dixerit; Eustochium tamen virginem ad hunc, sicut et alios Cypriani, Damasi, atque Ambrosii libros legendos adhortatur: *Et nunc*, inquit, *eadem admoneo, ut si tibi placet scire quot molestiis virgo libera, quot uxor adstricta sit, legas Tertullianum ad amicum philosophum* (*Idem Epist.* 18. *ad Eustoch. p.* 37). Sed in dubium haud immerito vocari potest utrum hic liber, cujus jam a longo tempore jacturam fecimus, a Tertulliano ethnico, aut christiano fuerit compositus. Verum cui, inquiet aliquis, verisimile videbitur Hieronymum christianæ virgini auctorem suasoremque esse voluisse; ut hunc sicut Cypriani Damasi et

Digitized by Google

Ambrosii libros pervolutaret, si quid vidisset in illo contra statas christianæ religionis leges? Quomodo autem Tertullianus hujusmodi librum conficere potuit, nisi iisdem legibus abunde fuerit institutus? Atqui nullus, illo ipso teste, christianam religionem ejusque leges agnovit, quin illam confestim voluerit profiteri. Præterea Hieronymus hæc adhuc de illo memoriæ mandavit: *Hic usque ad mediam ætatem presbyter Ecclesiæ* (*Idem Catalog. script. Eccl. cap.* 53, *p.* 115), videlicet catholicæ, *permansit*, et idcirco antequam Montani hæresi infectus fuisset. Tum vero ille ibidem adjecit: *Fertur vixisse usque ad decrepitam ætatem*, ad annum scilicet octogesimum, aut si velis, nonagesimum. Orthodoxus igitur presbyter permansit ad annum ætatis suæ circiter quadragesimum. At nec tunc primum quidem, nec statim post emissam christianæ religionis professionem, ad hunc sacrum ordinem evectus videtur. Ergo juvenili in ætate ex ethnico christianus factus videtur. Quanti autem in tota hanc argumentatione sit ponderis, periti quique pronuntient.

ARTICULUS IV.

De Tertulliani conjugio, et summo continentiæ amore, de ejus sacerdotio; utrum presbyter factus, maritorum more cum uxore vixerit, nec sacris ordinibus initiatos distinxerit a laicis: quodnam fuerit illius vivendi genus, quam asperis moribus: quomodo et quando in Montanistarum hæresim prolapsus, ac quo ætatis suæ et Christi anno longiorem vitam finierit.

Uxorem certe Tertullianus habuit, eamque christianam, uti ex duobus, quos ad illam scripsit, libris evidentissime demonstratur. At nostræ ætatis scriptores in controversiam vocant utrum ille adhuc gentilis, aut christianus illam gentilem aut christianam duxerit. Nam mos quidem, ut ipse Tertullianus testatur, christianis tunc erat; ut inirent ethnicorum mulierum connubia, nullumque in illius aliorumve scriptis exstat vestigium, quo deprehendi possit utrum ille, ducta jam uxore, ad Christi castra convolaverit. Verum si ex iis quæ paulo ante diximus, inferri possit ab illo adhuc juvene in leges Christi juratum, nonne et hinc quoque concludi potest ductam ab eo postea uxorem? Ubi enim christianus factus est majori observandæ christianæ legis studio semper flagravit, quam ut ipse christianus aliam in matrimonium, nisi christianam acciperet. Et vero in citatis *ad uxorem* libris ei persuadere conatur, ut si ipse prior ex hac vita migraverit, illa aut permaneat in viduitatis statu, aut christiano nubat viro, si velit secundis nuptiis illigari. Nonne autem vero prorsus simile est, illum paruisse legibus, quas uxori suæ præscripsit? Sed hasce conjecturas aliorum judicio permittimus.

Cum sua porro uxore Tertullianus, solito conjugum more, haud dubie vivebat, quando illi libros proxime laudatos direxit. Eam quippe, si ipse prior moriatur, ad continentiam in viduitate servandam sic cohortatur. *Et quod in matrimonio*, inquit, *non valuimus, in viduitate sectemur. Amplectenda occasio est, quæ adimit, quod necessitas imperabat* (*Tertull. lib.* 1. *ad Uxor. cap.* 7). Quorsum enim hæc ad illam fecit verba, si a consueto matrimonii usu ipse uxorque ejus sibi semper temperavissent? Nemo tamen est, qui inde non intelligat quanto Tertullianus continentiæ castitatisque studio inflammatus semper fuerit.

Minus autem mirum omnibus videri deberet, quod ille uxorem suam ad continentiam his in libris adhortetur, si vera sit de tempore, quo scripti sunt, quorumdam cum heterodoxorum, tum catholicorum opinio. Ab illo enim editos suspicantur tam ingravescente ipsius, quam florente ac vivida uxoris ætate. Quamobrem putant in iis conditas illius quasi testamenti tabulas. Sed non aliud opinionis suæ argumentum proferunt, nisi hæc Tertulliani verba, quæ prioris libri initio ita leguntur: *Nam sæcularibus satagentes sumus, et utrique nostrum consultum volumus. Si talibus ordinamus, cur non magis de divinis atque cœlestibus posteritati nostræ prospicere debeamus, et legatum quodammodo prælegare admonitionem et demonstrationem eorum, quæ ex bonis immortalibus, et de hæreditate cœlorum deputatur* (*Ibid. cap.* 1)? Sed quia in codice Agobardi, uti nos monet Rigaltius, bis legitur *talibus*, id correctum voluit, ac legendum: *talibus tabulas ordinamus;* et inde colligit hos libros testamenti instar a Tertulliano, ætate jam plurimum provecto, compositos (*Rigalt. Not.* 1. *in hunc libr.*).

Sed tametsi res ita esset, numquid testamenta nunquam, nisi ingravescente jam ætate, ab hominibus facta obsignataque sunt? Numquid nemo prudens homo, ac præsertim christianus, etsi florente adhuc ætate de morte semper incerta, et testamento suo conscribendo cogitavit? At certe Tertullianus eo potiori jure de illo condendo qualibet ætate sua cogitare debuit, quod tunc sævientibus in christianos ethnicis, nescire non poterat vitam suam quotidie periclitari. Nonne etiam ille, tanto tamque singulari, uti diximus, continentiæ castitatisque amore semper incensus, potuit quolibet vitæ suæ tempore uxorem suam ad eam, si unquam vidua foret, conservandam adhortari? Ad hæc vero si illa, cum Tertullianus edendis his libris operam dabat, adhuc erat, ut aiunt, vivida, numquid ex ficta quorumdam illius verborum significatione concludi potest illum senem fuisse aut decrepitum? Neque audiendi sunt, qui objiciunt plura in his libris occurrere, quibus Tertullianus suum in Montanistas jam propensum animum patefacit. Numquid enim quia uxorem suam ad continentiam adhortatur? At nonne ipse etiam Paulus Apostolus christianos ad eamdem virtutem cohortatus est? Sed nobis sufficit quod concedant Tertullianum cum hos ad uxorem scribebat libros, nondum in Montanistarum lapsum fuisse errorem. Ad mediam enim usque ætatem, uti Hieronymus, a nobis citatus testificatur, presbyter catholicæ Ecclesiæ fuit. Ergo longe ante senectutem suam libros illos composuerat.

At quemadmodum de Tertulliani conjugio constat, ita sane extra dubium esse videtur illum sacro presbyteratus ordine fuisse inauguratum. Etenim Hiero-

Digitized by Google

nymus, et libri de Prædestinatorum hæresi auctor illum Ecclesiæ presbyterum haud dubitanter appellant (*Hieronym. Catal. script. Eccl. cap.* 53. *pag.* 115. *Prædestin. cap.* 26. *pag.* 28). Quamobrem Alixius memoratæ Rigaltii, de libris a Tertulliano jam ætate confecto ad uxorem scriptis, opinioni eo lubentius subscripsit, quod inde confici posse putabat eumdem Tertullianum, postquam presbyter factus est, cum uxore sua solito vixisse more maritali. Sed hæc sententia et ruinoso prorsus, uti annotavimus, fundamento, ac falsis Calvinianæ hæreseos præjudiciis innixa est. Et certe quo majori continentiæ studio Tertullianus, ut sæpius diximus, ardebat, eo minus probabile est illum, postquam presbyteratus ordini adscriptus fuit, non stetisse in aliorum Latinæ Ecclesiæ sacerdotum vestigiis, qui sese ab solita uxorum consuetudine continebant. Paucissimos siquidem atque ad summum duos vel tres invenias, qui secus egerint. Nemo autem ulla umquam ratione ostendet Tertullianum horum potius, quam illorum sibi ad imitandum proposuisse exempla.

Verum alius nescio quis forsitan, sacrorum ordinum oppugnator, a nobis postulabit, cur Tertullianus, si presbyter fuit, sese aliquando in laicorum retulerit numerum. Nam in libro de Oratione : *Nos*, inquit, *vel maxime nullius loci homines* (*Tertull. lib. de Orat. cap.* 14). Sed quamvis hic, sicuti opinantur, esset horum verborum sensus; nihil tamen ex eis contra Tertulliani sacerdotium concludi potest. Certum enimvero non est utrum, quando hæc scripsit, tum adhuc in grege non fuerit laicorum.

At quidam nobis haud dubie objicient ab illo sublatum fuisse omne laicos inter et clericos discrimen, ubi de utrisque hunc loquitur in modum : *Unde Episcopi et Clerus? Nonne de omnibus?.... Sed cum extollimur adversus clerum, tunc unum omnes sumus, tunc omnes sacerdotes nos Deo et Patri fecit, cum per adæquationem disciplinæ sacerdotalis provocamur, deponimus insulas, et impares sumus.* Ita quidem ille in libro *de Monogamia* (*Idem, lib. de Monog. cap.* 12). Simili quoque modo in alio de *Exhortatione castitatis : Differentiam*, inquit, *inter ordinem et plebem constituit Ecclesiæ auctoritas; et honor per ordinis consessum sanctificatus; adeo ubi Ecclesiastici ordinis non est consessus, et offers, et tinguis, et sacerdos es tibi solus* (*Idem, lib. de Exhort. Castit. cap.* 7).

Verum nemini incompertum est illum dum hæc scriberet, jam animo imbibisse Montanistarum errores, quos ibidem secutus adjecit : *Sed ubi tres, Ecclesia est, licet laici* (*Ibid.*). Quamobrem errantium more vel sibi non constitit, vel nomen sacerdotis non proprio et strictiori, sed improprio et latiori accepit significatu, quemadmodum non semel sumitur ab Joanne his, ad quæ alludere videtur verbis : *Fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo* (*Apocalyps. cap.* I, 6). Atque iterum postea : *Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes* (*Ibid. cap.* V. 10). Ipse enimvero idem Tertullianus, tametsi tunc Montani sectator, alio in libro sic loquitur : *Est hodie soror apud nos revelationum charismata sortita, quas in Ecclesia inter dominica solemnia per ecstasin in spiritu patitur.... Post transacta solemnia, dimissa plebe, quo usu solet nobis renuntiare quæ viderit* (*Tertull., lib. de Anim. cap.* 9). At certe ibi ille sese a plebe, seu omni laicorum grege secernit.

Privatam autem solitariamque egit vitam, ac rejecta communi omnium veste, sumptoque philosophorum pallio, se ex publicorum negotiorum tumultu subduxisse testificatur. Hæc enim sunt ejus, ficto ejusdem pallii sui nomine verba : *Ego nihil foro, nihil campo, nihil curiæ debeo; nulli officio advigilo, nulla rostra præoccupo, nulla prætoria observo; canales non odoro; cancellos non adoro, subsellia non contundo, jura non conturbo, causas non elatro, non judico, non milito, secessi de populo, in me unicum negotium mihi est, nisi aliud non curo, quam ne curem* (*Idem, lib. de Pall. cap.* 5).

Moribus vero tam castis sanctisque fuit, quam duris profecto et asperis. Severioris quoque disciplinæ non solum sectator erat, sed acerrimus etiam, ac ultra statos æquitatis limites defensor et patronus. Nec parum quidem verisimile videtur illum falsa severitatis, quam montanistæ præ se ferebant, specie deceptum in eorum hæresim sese dedisse præcipitem. Sed huc ingenita animi duritia inclinantem traxerunt falsæ quarumdam mulierum, illius hæresis veneno imbutarum, visiones, atque prædictiones. Denique *invidia et contumeliis clericorum Romanæ Ecclesiæ*, ait Hieronymus, *ad Montani dogma delapsus, in multis novæ prophetiæ meminit, specialiter autem adversus Ecclesiam* (*Hieronym. Catalog. script. Eccl. c.* 53. *p.* 115).

Primam itaque vitæ suæ, quæ longior procul dubio fuit, partem in Ecclesia catholica, alteram miserando sane, nec satis unquam deplorando casu inter Montanistas hæreticos transegit. Nam sicut pergit idem Hieronymus : *Usque ad mediam ætatem presbyter Ecclesiæ permansit* (*Ibid.*). Addit autem ibidem eruditissimus scriptor illum floruisse potissimum sub Severo principe et Antonino Caracalla, atque, uti fertur, pervenisse ad decrepitam usque ætatem. Si vero peritioribus nostri temporis Scriptoribus fidem habeamus, natus fuerat circa annum Christi 160, et anno circiter 245 mortuus est. Inficias porro nullus ibit, longiorem media parte fuisse vitæ illius cursum, cujus postremam partem in propugnandis absurdis hæreticorum erroribus consumendo, et sibi ipsi et aliis quampluribus nocuit. Quamobrem recte jam laudatus a nobis Hieronymus : *In Tertulliano*, inquit, *laudamus ingenium, damnamus hæresim* (*Idem, lib.* III. *Apolog. adv. Rufin. pag.* 463). At de illius ingenio paulo uberius agendum est.

ARTICULUS V.

De Tertulliani ingenio, et multiplici eruditione : utrum jurisconsultus fuerit, et idem ac Tertyllianus : de ejus stylo ac scribendi modo, et nominis celebritate.

Severo morum viventique genere Tertullianus se-

Digitized by Google

quebatur innatos impetus ingenii, acutissimi quidem et acerrimi, sed non minus asperi ac vehementis. Quapropter Hieronymo vocatur : *acris et vehementis ingenii vir* (Hieronym. Catalog. script. Eccl. cap. 53, pag. 115). At quamvis id tacuisset, durum et impatiens illius ingenium passim ubique in ejus lucubrationibus emicat. Quid ergo mirum, si ille intra legitimos patientiæ, mansuetudinis, ac moderationis limites sese continere sæpius non potuerit? Et ipse certe tam sincero, quam pœnitenti animo palam confessus est se patientiæ virtute non omnino fuisse præditum. His enim suum de eadem patientia librum orditur verbis : *Confiteor ad Dominum Deum satis temere me, si non etiam impudenter de patientia componere ausum, cui præstandæ idoneus omnino non sum, ut homo nullius boni, quando oporteat demonstrationem, et commendationem alicujus rei adortos, ipsos prius in administratione ejus rei deprehendi, et constantiam commonendi propriæ conversationis auctoritate dirigere, ne dicta factis deficientibus erubescant* (Tertul. lib. de Patient. cap. 1).

Verum si acriores animi impetus virtute patientiæ mitigare non semper valuit, ingenio certe pollebat ad quamlibet scientiam facile consequendam aptissimo. Quantum vero omni eruditionis genere abundaverit, ex his conjice Vincentii Lirinensis verbis : *Sicut Origenes apud Græcos, ita hic apud Latinos nostrorum omnium facile princeps judicandus est. Quid enim hoc viro doctius? Quid in divinis atque humanis rebus exercitatius? Nempe omnem philosophiam, et cunctas philosophorum sectas, auctores assertoresque sectarum, omnesque eorum disciplinas, omnem historiarum ac studiorum varietatem mira quadam mentis capacitate complexus est. Ingenio vero nonne tam gravi ac vehementi excelluit; ut nihil sibi pene ad expugnandum proposuerit, quod non aut acumine irruperit, aut pondere eliserit? Jam porro orationis suæ laudes quis exsequi valeat? Quæ tanta nescio qua rationum necessitate conserta est, ut ad consensum sui, quos suadere non potuerit, impellat. Cujus quot pene verba, tot sententiæ sunt, quot sensus, tot victoriæ. Sciunt hoc Marciones, Apelles, Praxeæ, Hermogenes, Judæi, Gentiles Gnostici, cæterique, quorum ille blasphemias multis ac magnis voluminum suorum molibus, velut quibusdam fulminibus evertit* (Vincent. Lirin. Commonitor. I). Sed tantis laudibus illam haud dubie omnigenam Tertulliani eruditionem cumulat, qua in primis libros suos in christianæ religionis, et orthodoxorum dogmatum defensionem scriptos passim ubique conspersit. Quamobrem præter Eusebium et Rufinum, jam a nobis citatos, aliosque complures, ab Hieronymo appellatur *vir eruditissimus* (Hieronym. adv. Vigil. pag. 285 et epist. 83. ad Mag. pag. 656), quo quidem nihil est eruditius, et acutius. In ipso autem, de quo nunc disputamus, ipsius Apologetico, et aliis adversus gentes libellis id emicare haud dubitanter affirmat. Operæ igitur prorsus inutilis foret hoc, sicut facile est, illustrium cujuslibet ætatis scriptorum testimoniis comprobari, quod a nemine ignoratur, et ipsamet auctoris scripta manifestissimum omnibus faciunt.

At prætermittere tamen non possumus singulare quoddam eruditionis genus, quod his Eusebius verbis in Tertulliano laudavit : Τερτυλλιανὸς τοὺς Ῥωμαίων νόμους ἠκριβωκὼς, ἀνὴρ τά τε ἄλλα ἔνδοξος καὶ τῶν μάλιστα ἐπὶ Ῥώμης λαμπρῶν (Euseb. lib. II. Histor. Eccles. cap. 2, pag. 41), id est, Valesio interprete : *Tertullianus legum Romanarum peritissimus, et inter latinos scriptores celeberrimus.* Valesio longe antea præiverat Rufinus eumdem pene in modum : *Tertullianus vir et legum*, inquit, *et institutionum Romanarum peritissimus, et inter nostros scriptores admodum clarus* (*Ruf., lib. II, hist. Eccles., cap.* 2). A vero autem longe absunt, qui inde concludi posse autumant Tertullianum nostrum professione sua fuisse jurisconsultum, eumque ipsummet esse Tertyllianum, qui revera leges publice docuit et interpretatus est. Nam uterque propriis suis nominibus satis distinguitur. Deinde vero quis nesciat posse aliquem juribus legibusque Romanorum affatim imbui; tametsi illorum scientiam nunquam in scholis publicis professus fuerit? Non ibi itaque Eusebius Tertulliani professionem laudat, sed perfectam legum Romanarum doctrinam atque peritiam.

Par tantæ illius eruditioni non erat elocutio. Æquos autem et idoneos ea de re judices si desideras, in tibi præsto est Lactantii, qui Cicero christianus audit, judicium : *Septimius Tertullianus fuit omni genere litterarum peritus, sed in eloquendo parum facilis, et minus comptus, et multum obscurus* (Lactant. lib. V. Inst. divin. cap. 1, pag. 459). Neque dixeris ibi Lactantium loqui de Tertulliani potius Apologetico, aliisque libris adversus ethnicos scriptis, quam cæteris ejus operibus. Etenim eadem est Hieronymi de omnibus illius commentationibus sententia, quam hisce paucioribus verbis pronuntiavit : *Tertullianus creber est in sententiis, sed difficilis in eloquendo* (Hieronym. Epist. 49. ad Paulin. pag. 567). Nemo autem est, qui notata ab utroque orationis difficilis, inornatæ, et obscurioris vitia non statim deprehendat.

Alii vero reprehendunt inæquabilem eorum, quibus ille utitur, argumentorum varietatem. Gravissimis siquidem et invictissimis, inquiunt, argumentationibus plures alias, rapidioris ingenii acumine excogitatas, quandoque intermiscet, quæ levissimi aut nullius plane sunt momenti.

At plerique omnes fatentur illud vitiosum sive dicendi, sive argumentandi genus, sicubi occurrat, micanti prorsus sententiarum gravitate, summaque aliorum argumentorum vi ac pondere, quasi mira quadam compensatione, leniri et resarciri. Et vero si Vincentium Lirinensem, non omnino ineptum judicem, jam a nobis citatum, rursus audire velis : *Tanta*, inquit, *nescio qua rationum necessitate, oratio ejus, conserta est, ut ad consensum sui quos suadere non potuerit, impellat. Cujus quot pene verba, tot sententiæ sunt, quot sensus, tot victoriæ.* Eam sane ob causam ille, sicuti aiebant Chronici Eusebiani auctor : *Omnium Ecclesiarum sermone celebratur* (Euseb. Chron. ad ann. Christ. 208).

Digitized by Google

Ecclesiarum autem dicit non solum Occidentis, sed etiam Orientis. Quidam enim illius libri, ob magnum, quo æstimabantur, pretium, in græcam linguam, ut paulo antea annotavimus, conversi, ab græcis hominibus non minus avide, quam a latinis legebantur.

Tanti porro Cyprianus eos fecit, ut idcirco Tertullianum magistrum appellaverit suum, nec diem ullum sine alicujus ex illius libris lectione præterire voluerit. Hujus autem tam assiduæ lectionis testis omni fide major nobis est Hieronymus, qui a quo, et quam certo id acceperit, sic enarrat : *Vidi ego quemdam Paulum Concordiæ, quod oppidum Italiæ est, senem, qui se beati Cypriani jam grandis ætatis notarium cum ipse admodum esset adolescens, Romæ vidisse diceret, referreque sibi solitum, nunquam Cyprianum absque Tertulliani lectione unum diem præteriisse, ac sibi crebro dicere : Da Magistrum, Tertullianum videlicet significans* (Hieronym. Catalog. script. Eccles. cap. 53, pag. 115). Quin etiam plane asseverat hoc ex ipsismet Cypriani libris testatum satis fieri. Ad Pammachium enimvero et Oceanum hæc in verba scripsit : *Beatus Cyprianus Tertulliano magistro utitur, ut ejus scripta probant : cumque eruditi et ardentis viri delectetur ingenio, Montanum cum eo Maximillamque non sequitur* (Idem epist. 42. pag. 542). Nec dubium sane est quin alii quamplurimi, quemadmodum Cyprianus, Tertulliani libros pervolutaverint. De illo siquidem hæc rursus ab Hieronymo litteris mandata legimus : *Multa scripsit volumina, quæ quia nota sunt pluribus, prætermittimus* (Hieronym. ibid.). At quomodo illis adeo nota esse poterant, nisi ea sæpe sæpius legissent?

CAPUT II.

De libri Apologetici ætate, quibus directus nuncupatusque sit, utrum auctoris nomine primum inscriptus, quis illius titulus, quodve argumentum, a quibus in capita divisus, et præfixa capitum summaria, quo applausu susceptus, a quo in græcam linguam conversus ac quo stylo conscriptus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quo tempore Tertullianus Apologeticum publicam in lucem emiserit.

Extra omne dubium est Tertullianum, uti jam ostendimus, esse hujus Apologetici libri verum ac genuinum auctorem. At quo tempore eum composuerit, non una est omnium consensio. Georgius enim Ambianensis putat illum a Tertulliano editum primis Severi Imperatoris annis, hoc est, paulo post annum Christi 193 (*Georg. Vind. Tertull., part.* III, § 1. *pag.* 20), quo ille Romani imperii habenas moderari cœpit. Suam autem opinionem inde confirmare conatur, quod existimet Tertullianum, ubi de superstite parricidarum, qui necem imperatoribus intulerant, racematione loquitur, ibi de Pertinacis interfectoribus fecisse sermonem (*Tertullian. Apologetic. cap.* 35). Quia vero Albini, qui adversus Severum imperatorem conspiravit, nomen quod in textu Tertulliani ibidem legitur, hujus sententiæ adversari cernebat, illud intrusum, atque ex libro ad Scapulam huc translatum esse pronuntiat (*Idem lib. ad Scapul. cap.* 2). Sic itaque difficultatis nodum unius verbi amputatione secari voluit. Verum qua, amabo te, ratione? Nulla penitus, ac contra omnium manuscriptorum codicum auctoritatem. Everso itaque vanæ illius opinionis fundamento, et ipsa penitus ruat necesse est. Quin etiam illius falsitas ex mox dicendis adhuc clarius patebit.

Scaliger autem, et Alixius opinati sunt hunc librum in lucem tantum prodiisse post ejusdem Severi imperatoris mortem, quæ anno Christi 211. mense Februario accidit. At nullam opinationis suæ aliam reddunt rationem, nisi quia arbitrantur hæc Tertulliani verba : *Papias leges heri constantissimus principum Severus exclusit* (Idem Apologet., cap. 4), non aliter, quam de hoc imperatore jam mortuo posse intelligi. Numquid ergo adverbium, *heri*, illum potius mortuum, quam adhuc viventem significat? Deinde vero ibi Severus glorioso constantissimi principis titulo exornatur. At quomodo Tertullianus hoc elogio illum decorare potuit, nisi antequam publicis edictis diram in christianos excitasset persecutionem? Atqui eam movisse perhibetur exeunte anno Christi secundo supra ducentesimum. Tertullianus igitur hunc librum ante hunc annum, ac proinde ante hujus imperatoris obitum confecisse dicendus est. Nec minus quidem certo illud probari posset his illius verbis : *Leges adversus Christianos nullus Severus impressit* quæ in quibusdam hujus Apologetici manuscriptis et editis codicibus leguntur (*Ibid., cap.* 5). Quia tamen in aliis editionibus et septem nostris codicibus manuscriptis scriptum est, *nullus Verus impressit;* hæc, de quibus adhuc postea, non ultra quam oporteat, urgenda duximus.

Instat vero Alixius : ad suum Tertullianus *de Præscriptionibus hæreticorum* librum alludere videtur, ubi in Apologetico contra illos sic disputat : *Expedite præscribimus adulteris nostris illam esse regulam veritatis, quæ veniat a Christo, transmissa per comites ipsius, quibus aliquando posteriores diversi isti commentatores probabuntur* (Ibid., cap. 47). At numquid hoc argumentum adversus novatores, et doctrinæ christianæ corruptores ab alio adhiberi non potest, nisi ab eo, qui librum *de Præscriptionibus hæreticorum* ediderit? Deinde vero si ibi ad hunc librum collineare voluit, cur illum clarioribus verbis non indicat, atque iis utitur, quæ de illo, uti alii putant, tam conficiendo, quam jam composito possunt intelligi? Denique non constat inter eruditos quo tempore Tertullianus hunc de *Præscriptionibus* librum publicam emiserit in lucem. Peritiores autem critici censent ab eo divulgatum, cum nondum ab Ecclesia catholica defecisset.

Neminem porro, uti opinamur, illud movebit quod Alixius adhuc objectat designatam a Tertulliano sibi videri insolitam eclipsim, quæ anno Christi 210. contigit (*Ibid., cap.* 20). Quod enim citat libri Apologetici caput, in eo nullum plane exstat singula-

Digitized by Google

ris et insolitæ alicujus eclipsis indicium, nullaque significatio.

Alii itaque existimant hunc librum a Tertulliano elucubratum fuisse, cum Severus orbi Romano imperabat. Non enim illum, nisi adhuc regnantem, nec in christianos adhuc palam sævientem, constantissimi, uti paulo ante diximus, Imperatoris elogio exornasset. Deinde vero ubi de perduellibus, læsæ majestatis reis, ac publicis hostibus postea disserit : *Unde*, inquit, *Cassii, et Nigri, et Albini*, Ibid. cap. 35. qui videlicet de summa imperii potestate cum legitimis Imperatoribus decertaverant. At post occisum mense Maio anni 193 Pertinacem Imperatorem, C. Pescennius Niger purpuram et imperium in Pannonia assumpsit, ejusque in partes transiit Cassius Clemens. Niger vero victus a Severo, ac profligatis tertio prælio illius copiis, fuga saluti suæ consulere frustra conatus est. Ab iis enim, qui fugientem insequebantur, occisus fuit sub finem anni 194, vel 195 initium. Post hæc Severus Albino, quem falsis blanditiis, ne hostium suorum numerus augeretur, deceperat, bellum intulit. Commisso tandem prope Lugdunum prælio, Albinus initio anni 197 fractus ac fusus, mortem sibi conscivisse perhibetur.

Neque tamen tunc omnino finitum est civile bellum. Superfuerunt etenim hujus factionis fautores, de quibus ibidem Tertullianus noster : *Sed et qui nunc scelestarum*, ait, *partium socii ac plausores quotidie revelantur, post vindemiam racematio superstes*, Ibid. cap. 38. At hæc clarius ab Ælio Spartiano hunc in modum explicantur : *Multi sane post Albinum, fidem ei servantes, bello a Severo superati sunt* (*Spartian. in Vita Sever. pag.* 323. *col.* 1). *Ultus est igitur graviter Albinanam defectionem, interfectis plurimis, genere quoque ejus exstincto, iratus populo et senatoribus, Romam venit.* Tum deinde post memorata varia Severi itinera illud adjecit : *Inter hæc Pescennianas reliquias, Plautiano auctore, persequebatur, ita ut nonnullos etiam ex amicis suis, quasi vitæ suæ insidiatores appeteret* (*Ibid. eod. pag. col.* 2). Atque ex his posterioribus verbis aliqui confici posse existimant Tertulliani Apologeticum in lucem prodiisse non solum post exstinctas, de quibus ille disserit, perduellium reliquias, sed post Plautiani etiam cædem, qui jubente Caracalla, anno Christi 204 aut 205 interfectus est.

In hujus autem opinionis confirmationem adduci quoque poterant subsequentia ejusdem Spartiani de hoc ipso Imperatore verba : *Multos etiam, quasi Chaldæos, aut vates de sua salute consuluissent, interemit, præcipue suspectos unumquemque idoneum imperio, cum ipse parvulos adhuc filios haberet, idque dici ab iis vel crederet, vel audiret, qui sibi augurabantur imperium* (*Ibid.*); nam Tertullianus eodem citato a nobis capite dixit : *Eadem officia*, in principum scilicet solemnitatibus, *dependunt, et qui astrologos, et aruspices, et augures, et magos de Cæsaris capite consultant.* (*Tertullian. Apologet. cap.* 35).

Negari quidem non potest hanc argumentationem non minimi profecto esse ponderis, si ethnici proximam Imperatorum mortem optantes, magos aliosque divinandi arte peritos de solius Severi Imperatoris salute semel tantum consuluissent. At certe Tertullianus hancce consultationem sæpius propositam et repetitam fuisse haud obscure significat. Præterea si hæc illius de iisdem seditiosis factionibus verba : *Sed et nunc. . . . quotidie revelantur*, attentiori animo expendamus, nonne inde colligi recte potest, de illis sermonem ab illo fieri, tanquam nondum penitus exstinctis, sed ad summum sopitis, caputque amplius attollere non audentibus? Nondum ergo Severus habuisse videbatur apertas cum Plautiano simultates. Atqui Plautianus filiam suam Plautillam Caracallæ ejusdem Severi filio in matrimonium anno 204 collocavit. Anno autem subsequenti ille, teste Herodiano, manifestam Caracallæ, generi sui, qui tum uxorem suam oderat, audaciam furoremque veritus, in ejus imperium insidiis invadere molitus est (*Herodian. lib.* III *in Vita Sever. pag.* 244 *et seqq.*) Sed his retectis Caracalla illum, præsente Severo patre suo, jussit occidi. Ante hunc igitur annum Tertulliani Apologeticus, sed non multo prius scriptus videtur. Quorsum enim Plautiani potius, quam Albini, et aliorum perduellium nomini pepercisset? Post annum itaque 197, quo Albinus violentas sibi manus attulit, et ante annum 204 aut 205, quo Plautianus necatus est, hunc Tertullianus librum confecit.

Probabile tamen quibusdam videtur eum a Tertulliano profectum anno posteriore, quo Antonini Caracallæ decennalia Cæsariani imperii celebrata sunt, atque ignis persecutionis, in christianos concitatæ, ardentius flagrabat. Nam de iis Tertullianus in hoc Apologetico sæpius disputavit (*cap.* 2). Deinde vero plures quidem ab aliis Imperatoribus in christianos leges latas memorat, sed nullam a Severo. Nonne ergo Tertullianus ante promulgata hujus in eos edicta hunc Apologeticum librum divulgavit ?

At quamvis ille hoc in libro adversus ethnicos, qui Principum solemnia non minus nefario, quam superstitioso ritu agebant, acerrime invehatur, non de Caracallæ tamen potius, quam Severi aliorumque Principum solemnitatibus disserit. Ad christianorum autem persecutiones, et leges in eos scriptas, quod spectat, facile concedimus Severum imperii sui initio iis revera favisse. Ipse siquidem Tertullianus testis est hujusce favoris, cujus hanc reddidit rationem, *Ipse etiam*, inquit, *Severus, pater Antonini, christianorum memor fuit* (*Tertul. lib. ad Scapul. cap.* 4). *Nam et Proculum christianum, qui Torpacion cognominabatur, Euhodiæ procuratorem, qui eum per oleum aliquando curaverat, requisivit, et in palatio suo habuit usque ad mortem ejus, quem et Antoninus optime noverat, lacte christiano educatus.* Fatemur quoque nullam in Apologetico fieri legis ab eodem Severo in christianos sanctæ mentionem.

Verum non inde certo concludi posse putamus illum editum fuisse postquam Caracalla, anno 211 solus imperare cœpisset, atque ethnici eo jam regnante, in

Digitized by Google

Ecclesiarum autem dicit non solum Occidentis, sed etiam Orientis. Quidam enim illius libri, ob magnum, quo æstimabantur, pretium, in græcam linguam, ut paulo antea annotavimus, conversi, ab græcis hominibus non minus avide, quam a latinis legebantur.

Tanti porro Cyprianus eos fecit, ut idcirco Tertullianum magistrum appellaverit suum, nec diem ullum sine alicujus ex illius libris lectione præterire voluerit. Hujus autem tam assiduæ lectionis testis omni fide major nobis est Hieronymus, qui a quo, et quam certo id acceperit, sic enarrat : *Vidi ego quemdam Paulum Concordiæ, quod oppidum Italiæ est, senem, qui se beati Cypriani jam grandis ætatis notarium cum ipse admodum esset adolescens, Romæ vidisse diceret, referreque sibi solitum, nunquam Cyprianum absque Tertulliani lectione unum diem præteriisse, ac sibi crebro dicere : Da Magistrum, Tertullianum videlicet significans* (Hieronym. Catalog. script. Eccles. cap. 53, pag. 115). Quin etiam plane asseverat hoc ex ipsismet Cypriani libris testatum satis fieri. Ad Pammachium enimvero et Oceanum hæc in verba scripsit : *Beatus Cyprianus Tertulliano magistro utitur, ut ejus scripta probant : cumque eruditi et ardentis viri delectetur ingenio, Montanum cum eo Maximillamque non sequitur* (Idem epist. 42. pag. 342). Nec dubium sane est quin alii quamplurimi, quemadmodum Cyprianus, Tertulliani libros pervolutaverint. De illo siquidem hæc rursus ab Hieronymo litteris mandata legimus : *Multa scripsit volumina, quæ quia nota sunt pluribus, prætermittimus* (Hieronym. ibid.). At quomodo illis adeo nota esse poterant, nisi ea sæpe sæpius legissent?

CAPUT II.

De libri Apologetici ætate, quibus directus nuncupatusque sit, utrum auctoris nomine primum inscriptus, quis illius titulus, quodve argumentum, a quibus in capita divisus, et præfixa capitum summaria, quo applausu susceptus, a quo in græcam linguam conversus ac quo stylo conscriptus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quo tempore Tertullianus Apologeticum publicam in lucem emiserit.

Extra omne dubium est Tertullianum, uti jam ostendimus, esse hujus Apologetici libri verum ac genuinum auctorem. At quo tempore eum composuerit, non una est omnium consensio. Georgius enim Ambianensis putat illum a Tertulliano editum primis Severi Imperatoris annis, hoc est, paulo post annum Christi 193 (*Georg. Vind. Tertull., part.* III, § 1. *pag.* 20), quo ille Romani imperii habenas moderari cœpit. Suam autem opinionem inde confirmare conatur, quod existimet Tertullianum, ubi de superstite parricidarum, qui necem imperatoribus intulerant, racematione loquitur, ibi de Pertinacis interfectoribus fecisse sermonem (*Tertullian. Apologetic. cap.* 35). Quia vero Albini, qui adversus Severum imperatorem conspiravit, nomen quod in textu Tertulliani ibidem legitur, hujus sententiæ adversari cernebat, illud intrusum, atque ex libro ad Scapulam huc translatum esse pronuntiat (*Idem lib. ad Scapul. cap.* 2). Sic itaque difficultatis nodum unius verbi amputatione secari voluit. Verum qua, amabo te, ratione? Nulla penitus, ac contra omnium manuscriptorum codicum auctoritatem. Everso itaque vanæ illius opinionis fundamento, et ipsa penitus ruat necesse est. Quin etiam illius falsitas ex mox dicendis adhuc clarius patebit.

Scaliger autem, et Alixius opinati sunt hunc librum in lucem tantum prodiisse post ejusdem Severi imperatoris mortem, quæ anno Christi 211. mense Februario accidit. At nullam opinationis suæ aliam reddunt rationem, nisi quia arbitrantur hæc Tertulliani verba : *Papias leges heri constantissimus principum Severus exclusit* (Idem Apologet., cap. 4), non aliter, quam de hoc imperatore jam mortuo posse intelligi. Numquid ergo adverbium, *heri*, illum potius mortuum, quam adhuc viventem significat? Deinde vero ibi Severus glorioso constantissimi principis titulo exornatur. At quomodo Tertullianus hoc elogio illum decorare potuit, nisi antequam publicis edictis diram in christianos excitasset persecutionem? Atqui eam movisse perhibetur exeunte anno Christi secundo supra ducentesimum. Tertullianus igitur hunc librum ante hunc annum, ac proinde ante hujus imperatoris obitum confecisse dicendus est. Nec minus quidem certo illud probari posset his illius verbis : *Leges adversus Christianos nullus Severus impressit* quæ in quibusdam hujus Apologetici manuscriptis et editis codicibus leguntur (*Ibid., cap.* 5). Quia tamen in aliis editionibus et septem nostris codicibus manuscriptis scriptum est, *nullus Verus impressit;* hæc, de quibus adhuc postea, non ultra quam oporteat, urgenda duximus.

Instat vero Alixius : ad suum Tertullianus *de Præscriptionibus hæreticorum* librum alludere videtur, ubi in Apologetico contra illos sic disputat : *Expedite præscribimus adulteris nostris illam esse regulam veritatis, quæ veniat a Christo, transmissa per comites ipsius, quibus aliquando posteriores diversi isti commentatores probabuntur* (Ibid., cap. 47). At numquid hoc argumentum adversus novatores, et doctrinæ christianæ corruptores ab alio adhiberi non potest, nisi ab eo, qui librum *de Præscriptionibus hæreticorum* ediderit? Deinde vero si ibi ad hunc librum collineare voluit, cur illum clarioribus verbis non indicat, atque iis utitur, quæ de illo, uti alii putant, tam conficiendo, quam jam composito possunt intelligi? Denique non constat inter eruditos quo tempore Tertullianus hunc de *Præscriptionibus* librum publicam emiserit in lucem. Peritiores autem critici censent ab eo divulgatum, cum nondum ab Ecclesia catholica defecisset.

Neminem porro, uti opinamur, illud movebit quod Alixius adhuc objectat designatam a Tertulliano sibi videri insolitam eclipsim, quæ anno Christi 210. contigit (*Ibid., cap.* 20). Quod enim citat libri Apologetici caput, in eo nullam plane exstare singula-

Digitized by Google

ris et insolitæ alicujus eclipsis indicium, nullaque significatio.

Alii itaque existimant hunc librum a Tertulliano elucubratum fuisse, cum Severus orbi Romano imperabat. Non enim illum, nisi adhuc regnantem, nec in christianos adhuc palam sævientem, constantissimi, uti paulo ante diximus, Imperatoris elogio exornasset. Deinde vero ubi de perduellibus, læsæ majestatis reis, ac publicis hostibus postea disserit : *Unde*, inquit, *Cassii*, *et Nigri*, *et Albini*, Ibid. cap. 35. qui videlicet de summa imperii potestate cum legitimis Imperatoribus decertaverant. At post occisum mense Maio anni 193 Pertinacem Imperatorem, C. Pescennius Niger purpuram et imperium in Pannonia assumpsit, ejusque in partes transiit Cassius Clemens. Niger vero victus a Severo, ac profligatis tertio prælio illius copiis, fuga saluti suæ consulere frustra conatus est. Ab iis enim, qui fugientem insequebantur, occisus fuit sub finem anni 194, vel 195 initium. Post hæc Severus Albino, quem falsis blanditiis, ne hostium suorum numerus augeretur, deceperat, bellum intulit. Commisso tandem prope Lugdunum prælio, Albinus initio anni 197 fractus ac fusus, mortem sibi conscivisse perhibetur.

Neque tamen tunc omnino finitum est civile bellum. Superfuerunt etenim hujus factionis fautores, de quibus ibidem Tertullianus noster : *Sed et qui nunc scelestarum*, ait, *partium socii ac plausores quotidie revelantur*, *post vindemiam racematio superstes*, Ibid. cap. 38. At hæc clarius ab Ælio Spartiano hunc in modum explicantur : *Multi sane post Albinum*, *fidem ei servantes*, *bello a Severo superati sunt* (*Spartian. in Vita Sever. pag.* 323. *col.* 1). *Ultus est igitur graviter Albinanam defectionem*, *interfectis plurimis*, *genere quoque ejus exstincto*, *iratus populo et senatoribus*, *Romam venit*. Tum deinde post memorata varia Severi itinera illud adjecit : *Inter hæc Pescennianas reliquias*, *Plautiano auctore*, *persequebatur*, *ita ut nonnullos etium ex amicis suis*, *quasi vitæ suæ insidiatores appeteret* (*Ibid. ead. pag. col.* 2). Atque ex his posterioribus verbis aliqui confici posse existimant Tertulliani Apologeticum in lucem prodiisse non solum post exstinctas, de quibus ille disserit, perduellium reliquias, sed post Plautiani etiam cædem, qui jubente Caracalla, anno Christi 204 aut 205 interfectus est.

In hujus autem opinionis confirmationem adduci quoque poterant subsequentia ejusdem Spartiani de hoc ipso Imperatore verba : *Multos etiam*, *quasi Chaldæos*, *aut vates de sua salute consuluissent*, *interemit*, *præcipue suspectos unumquemque idoneum imperio*, *cum ipse parvulos adhuc filios haberet*, *idque dici ab iis vel crederet*, *vel audiret*, *qui sibi augurabantur imperium* (*Ibid.*); nam Tertullianus eodem citato a nobis capite dixit : *Eadem officia*, in principum scilicet solemnitatibus, *dependunt*, *et qui astrologos*, *et aruspices*, *et augures*, *et magos de Cæsaris capite consultant*. (*Tertullian. Apologet. cap.* 35).

Negari quidem non potest hanc argumentationem non minimi profecto esse ponderis, si ethnici proximam Imperatorum mortem optantes, magos aliosque divinandi arte peritos de solius Severi Imperatoris salute semel tantum consuluissent. At certe Tertullianus hancce consultationem sæpius propositam et repetitam fuisse haud obscure significat. Præterea si hæc illius de iisdem seditiosis factionibus verba : *Sed et nunc. . . . quotidie revelantur*, attentiori animo expendamus, nonne inde colligi recte potest, de illis sermonem ab illo fieri, tanquam nondum penitus exstinctis, sed ad summum sopitis, caputque amplius attollere non audentibus? Nondum ergo Severus habuisse videbatur apertas cum Plautiano simultates. Atqui Plautianus filiam suam Plautillam Caracallæ ejusdem Severi filio in matrimonium anno 204 collocavit. Anno autem subsequenti ille, teste Herodiano, manifestam Caracallæ, generi sui, qui tum uxorem suam oderat, audaciam furoremque veritus, in ejus imperium insidiis invadere molitus est (*Herodian. lib. III in Vita Sever. pag.* 244 *et seqq.*) Sed his retectis Caracalla illum, præsente Severo patre suo, jussit occidi. Ante hunc igitur annum Tertulliani Apologeticus, sed non multo prius scriptus videtur. Quorsum enim Plautiani potius, quam Albini, et aliorum perduellium nomini pepercisset? Post annum itaque 197, quo Albinus violentas sibi manus attulit, et ante annum 204 aut 205, quo Plautianus necatus est, hunc Tertullianus librum confecit.

Probabile tamen quibusdam videtur eum a Tertulliano profectum anno posteriore, quo Antonini Caracallæ decennalia Cæsariani imperii celebrata sunt, atque ignis persecutionis, in christianos concitatæ, ardentius flagrabat. Nam de iis Tertullianus in hoc Apologetico sæpius disputavit (*cap.* 2). Deinde vero plures quidem ab aliis Imperatoribus in christianos leges latas memorat, sed nullam a Severo. Nonne ergo Tertullianus ante promulgata hujus in eos edicta hunc Apologeticum librum divulgavit ?

At quamvis ille hoc in libro adversus ethnicos, qui Principum solemnia non minus nefario, quam superstitioso ritu agebant, acerrime invehatur, non de Caracallæ tamen potius, quam Severi aliorumque Principum solemnitatibus disserit. Ad christianorum autem persecutiones, et leges in eos scriptas, quod spectat, facile concedimus Severum imperii sui initio iis revera favisse. Ipse siquidem Tertullianus testis est hujusce favoris, cujus hanc reddidit rationem, *Ipse etiam*, inquit, *Severus*, *pater Antonini*, *christianorum memor fuit* (*Tertul. lib. ad Scapul. cap.* 4). *Nam et Proculum christianum*, *qui Torpacion cognominabatur*, *Euhodiæ procuratorem*, *qui eum per oleum aliquando curaverat*, *requisivit*, *et in palatio suo habuit usque ad mortem ejus*, *quem et Antoninus optime noverat*, *lacte christiano educatus*. Fatemur quoque nullam in Apologetico fieri legis ab eodem Severo in christianos sancitæ mentionem.

Verum non inde certo concludi posse putamus illum editum fuisse postquam Caracalla, anno 211 solus imperare cœpisset, atque ethnici eo jam regnante, in

Digitized by Google

christianos omnes crudelissime furebant ac bacchabantur. Tantus quippe erat ethnicorum in eos furor, ut is solus, ac vanus veterum legum prætextus, ipsis ad quoslibet nunquam non excruciandos suffecerit. Neque id a nobis temere fingitur. Eosdem enimvero gentiles Tertullianus noster his compellat verbis : *Quoties in christianos desævitis, partim animis propriis, partim legibus obtemperantes ! Quoties etiam, prætextis vobis, suo jure nos inimicum vulgus invadit lapidibus et incendiis ! Ipsis Bacchanalium furiis nec mortuis parcunt christianis, quin illos de requie sepulturæ, de asylo quodam mortis jam alios, jam nec totos, avellant, dissecent, distrahant* (Tertullian. Apologet. cap. 36. pag. 459). Paulo autem prius ille dixerat : *Nec ulli magis depopulatores christianorum, quam vulgus* (Idem cap. 35. pag. 451). cæcum nempe et vesanum, quod sua proculdubio rabie, ac ingenito quasi furore, nullo autem legum præscripto ad vexandos necandosque christianos ferebatur. Huc accèdit, quod ethnici in eos refundebant publicarum omnium calamitatum caussam. Ubi igitur aliqua accidisset, tum confestim, teste adhuc Tertulliano, conclamabant : *Christianos ad leonem* (*Ibid.*, *cap.* 40).

Adire tamen nobis videmur aliquem, qui adhuc instabit hæc aliaque plura in hoc Apologetico non potuisse ab Auctore nostro describi, quamdiu Severus Imperator favit christianis, nec ullam adversus eos legem dederat. Verum si nullius legis ab eo latæ Auctor noster meminit, id alii de industria factum esse opinantur, ne magis irritaret viventis tunc Imperatoris animum, sed facilius ad saniorem mentem illum revocare posset.

Ea porro sunt rationum momenta quibus diversæ de hujus libri ætate opiniones innituntur. At iis sedulo expensis, si hæc posterior aliis præponenda tibi videatur, fatendum est hunc librum vulgatum fuisse post excitatam ab eodem Severo adversus christianos persecutionem, non quidem anno 197 aut 198, ut quidam frustra opinantur, sed anno 202, quo idem Severus leges in eos revera condidit, et decimum, ut ait Eusebius, imperii sui annum agebat (*Euseb. lib.* VI. *Eccles. hist. cap.* 2. *pag.* 101. *et seqq.*).

At si quis judicet non satis valida esse hujus opinionis firmamenta, is certe non diffitebitur ex his, quæ paulo ante annotabamus, recte profecto colligi posse hunc Tertulliani librum in lucem ab illo emissum fuisse aliquo post Albini necem tempore, id est, post 197, quemadmodum observavimus, Christi annum. Quoniam vero Tertullianus ibidem significat repressos fuisse majores factionis illius impetus, ac quasdam tantum superfuisse illarum reliquias, inde sane concludendum est, hujus libri ætatem anno 199 aut potius 200 consignandam videri.

Urgebit tandem aliquis tunc Tertullianum, ut sæpius dictum est, non attigisse quadragesimum quintum ætatis suæ annum. Atqui summa eruditio, quæ mirum in modum et passim ubique in hoc illius Apologetico refulget, provectiorem ætatem desiderare videtur. Imo vero supernum, uti alii respondent, divini luminis et gratiæ auxilium. Præterea Tertullianus tam excellenti ac perspicaci ingenio præditus erat, ut quadragesimo ætatis suæ anno hac ipsa, aliaque majori eruditione imbui, et ea totum hunc librum complere haud difficiliter potuerit.

ARTICULUS II.

Quibusnam Antistitibus et præsidibus hunc Tertullianus Apologeticum librum nuncupaverit.

Quanto apertius clariusque Tertullianus ipse Apologetici initio prodidit illum a se directum *Romani imperii Antistitibus in aperto et edito, in ipso fere vertice civitatis præsidentibus* (*Tertullian. Apologet. cap.* 1. *pag.* 257). tanto majori animorum contentione inter eruditos disputatur quinam, cujusve civitatis fuerint illi præsides. Apud plurimos quidem opinio jam dudum invaluerat his verbis Romanum senatum significari ; aliis tamen postea visum est designari præsides Carthaginis ; aliis demum quotquot toto Romano in imperio presides erant.

Primæ autem opinionis fautores nituntur his ipsis, quæ citavimus, Tertulliani verbis. Non aliam enimvero urbem nisi Romam indicari arbitrantur. Et certe quis alius, inquiunt, esse potest ille apertus et editus civitatis vertex, nisi Romanorum Capitolium, quod Tertullianus periphrasi potius, quam suo nomine appellandum censuit ? Nonne etiam in hujus sententiæ confirmationem illud proferri poterit, quod de solis eclipsi, quæ Christo moriente contigit, scriptum ab illo legimus : *Eum mundi casum relatum in arcanis vestris habetis* (*Ibid. cap.* 21). Quænam etenim illa sunt, nisi Romanorum arcana, sive archiva, et chartophylacia, in quibus acta publica recondebantur? Nam ibi ille narrat Pilatum Tiberio Imperatori nuntiavisse non solum hanc eclipsim, sed ea etiam extraordinaria omnia, quæ ante et post Christi mortem acciderant. Quis autem facile non concedet Tiberium jussisse hæc in iisdem reponi et servari arcanis, ad quæ scrutanda Tertullianus Romanos provocat ?

Ad quod ille obscurius, hoc Eusebius clarius his, quæ nulla obscuritate involvuntur, retulit verbis : Tertullianus Apologiam suam τῇ ῥωμαίᾳ συγκλήτῳ προσφωνήσας : *Ad senatum romanum conscripsit.* (*Euseb. lib.* V. *Hist. Eccles. cap.* 5. *pag.* 169). Nec minimum quidem roboris huic sententiæ eo afferri autumant, quod Tertullianus Romæ diu commoratus sit. Rursus namque de illo Eusebius hæc posteris scripto tradita reliquit : καὶ τῶν μάλιστα ἐπὶ Ῥώμης λαμπρῶν. *Et Romæ celeberrimus fuit* (*Idem, ibid. lib.* II. *cap.* 2. *pag.* 41). Huc quoque accedit Hieronymus (*Hieronym. Catal. scriptor. Eccles. cap.* 53. *pag.* 115), qui testificatur illum clericorum Romanorum vexatum fuisse invidia et contumeliis. Ubi autem, nisi cum Romæ degebat ?

Sed nihil, inquiunt alii, obstat quominus Tertullianus, etiam dum Carthagine habitaret, illis invidiæ et calumniarum aculeis pungeretur. Tam enim frequens erat inter Romanos et Carthaginenses commercium, ut quam Tertullianus meruerat summæ eruditionis et

Digitized by Google

doctrinæ famam, ab invidis Romanæ Ecclesiæ clericis potuerit lacerari. Nec alio certe, quam ad hanc illius famam Eusebius, verbis proxime citatis, respexisse ipsis videtur. Neque etiam his ille denotat aliquam Tertulliani in urbe Roma habitationem, sed maximam apud Romanos nominis et famæ ejus, ob singularem doctrinam scriptaque sua celebritatem.

Urgere tamen alii poterant, neminem prorsus diffiteri posse illum Romam saltem semel venisse. Quis enim hoc negare auderet, quod ipsemet Tertullianus disertissime asseruit? *Gemmarum nobilitatem vidimus Romæ de fastidio illo Parthorum et Medorum, cæterorumque gentilium suorum, coram matronis erubescentem, nisi quo ad ostentationem fere habentur* (*Tertull. lib.* I. *de Cultu fœm. cap.* 6). At certe sicut semel, ita sæpius Romam ire potuit, ibique commorari. Optime quidem reponent alii: Sed quomodo probari poterunt alia Tertulliani in hanc urbem itinera, aut eum ibi revera mansisse quando Apologeticum conficiebat?

Quamobrem plures arbitrantur illum prorsus Carthagine editum, oblatumque hujusce civitatis præsidibus. Etenim ab illius, uti jam vidimus, exordio illos vocat, *in aperto et edito vertice civitatis præsidentes* (*Idem, Apologet. cap.* 16. *pag.* 259). Rursum vero alibi: *In ista*, inquit, *civitate* in qua suum elucubrabat Apologeticum. Atqui Roma non civitas, sed urbs, atque eo solo Urbis nomine per antonomasiam appellari solebat. Nonne enim hæc ipsamet sunt ejus verba: *Liberum. . . . consules senatus auctoritate, non modo Urbe, sed universa Italia eliminaverunt* (*Ibid. cap.* 6. *pag.* 305).

Deinde se tunc illinc abfuisse haud obscure Tertullianus ipse significat. Nam post citata proxime illius verba dixit: *Ecce in illa religiosissima urbe Æneadum piorum*, id est, Roma, *est Jupiter quidem* (*Ibid. cap.* 9. *pag.* 317). Vides hanc ab eo vocari urbem, et his verbis, *in illa*, significari se ab ea fuisse remotum. Ad hæc vero, ubi patrios et indigetes quorumdam nationum deos recenset: *Romanas, ut opinor*, inquit, *provincias edidi, nec tamen Romanos deos earum, quia Romæ non magis coluntur, quam qui per ipsam quoque Italiam municipali consecratione censentur* (*Ibid. cap.* 24). At sane si hunc librum Romano senatui nuncupasset, non his verbis, *Romanas, Romanos, Romæ*, sed potius istis: *vestras, vestros*, et *a vobis*, utique uteretur. Eumdem tamen in modum alibi adhuc locutus est (*Ibid. cap.* 21, *pag.* 392, *cap.* 35. *pag.* 451).

Instant præterea nullam in hoc libro fieri senatus Romani mentionem, sed sicuti initio *antistites et præsidentes*, ita et in fine *præsides* compellari. Jam vero audisti priora ejus verba, nunc posteriora audias velim: *Sed hoc agite, boni præsides, meliores multo apud populum, si illis christianos immolaveritis.* (*Ibid. cap.* 50. *pag.* 530.) At eo nomine non appellat Romanos senatores, aut magistratus, sed alios in urbe ac provincia, in qua manebat, Africa videlicet et Carthagine *præsidentes et antistites*.

Quid vero, quod postquam ostendit humanas victimas apud varias gentes, et Romanos ipsos diis immolari, et in Catilinæ conjuratione humanum sanguinem degustatum, tum hæc subjunxit: *Longe excurro: hodie istic*, id est, in ipsa urbe ubi hæc scribebat, *Bellonæ sacratos sanguis de femore proscisso in palmulam exceptus, esui datus signat* (*Ibid. cap.* 9. *pag.* 321) Quis ergo, inquient, non videt ab illo suam civitatem a Romana aperte distingui?

Denique ethnicis opponit christianos, Deum non *proconsulem timentes* (*Ibid. cap.* 45). Ethnici igitur hunc, minime vero illum timebant. Proconsul autem non Romæ, sed in provinciis hanc gerebat primam magistratus dignitatem. Verum alia superioris sententiæ firmamenta, quibus Romanos præsules compellatos esse ostendimus, his rationum momentis nec destruuntur, nec infirmantur.

Tertia itaque, et inter utramque, hactenus a nobis expositam, media illorum opinio est, qui arbitrantur hunc Apologeticum librum a Tertulliano directum fuisse non unius tantum civitatis, aut provinciæ, sed totius, quam longe lateque patebat, romani imperii præsidibus. At ea si probari possit, aliarum assertores poterunt secum facile reconciliari. Utrum autem vera sit, quia id ab ejus patronis non satis accurate demonstratum est, a nobis diligentius inquirendum. Primo itaque constat hunc librum nullis nominatim, sed generatim præsidibus missum esse et oblatum. Si qui enim nomine suo, nec alii præter illos appellarentur, nulla esse posset lis aut controversia. Nam iis hunc in modum nominatis, absoluta sane ac perfecta caussa erat.

Deinde vero fatentur omnes in hoc libro Romanos præsides, nec semel quidem, compellari. Ecquid enim id negaretur, quod jam probatum est, atque his rursum verbis confirmatur: *Ut ad eos dominatores gentium adspicium. Homo fuit Numa Pompilius* (*Ibid. cap.* 21) Neque tamen hos tantum præsides, sed Quirites, et ipsam quoque plebem Romanam sic alloquitur (*Ibid. cap.* 35): *Ipsos Quirites, ipsam vernaculam septem collium*, hoc est, urbis Romæ, *Plebem, convenio, an alicui Cæsari suo parcat lingua Romana?* Verumtamen aliud est, inquies, aliquos in libro suo alloqui, aliud vero iis suum mittere et nuncupare librum. Recte quidem. Sed cur, amabo te, omnes Romanos præsides, Quirites, et plebeios nominibus suis appellavit, nisi quia suum ad eos librum mittendum esse certo noverat?

At satis perspicue ostendimus, non Romanos tantum, sed alios etiam præsides in hoc Tertulliani libro compellari. Exposita namque in secundæ opinionis defensionem argumenta non minus aperte probant huncce librum aliis scriptum fuisse, quam Romano senatui, aut præsidibus Romanis.

Huc accedit, quod auctor noster in hoc Apologetico, quemadmodum in duobus *ad Nationes* libris, communem omnium, quotquot in orbe terrarum erant, christianorum caussam agit. Sicut ergo hos ad cunctas nationes, ita Apologeticum librum ad omnes

Digitized by Google

Romani imperii præsides ab eo missos fuisse, cui verisimillimum non videbitur?

Neque dixeris scriptum ab illo quoque, in christianorum defensionem, alium, ut ipse vocat, libellum, quem ad Scapulam, præposito illius nomine, direxit. Cur enim, obsecro te, huic quem, objectas, libello Proconsulis proprium nomen inscripsit? cur in eo ubique se ad eum speciatim scribere significat? cur e contrario in Apologetico multo graviori ac longiori libro, nullius plane singularis hominis, nec quorumdam præsidum nomen ullibi inscruit? Nonne hæc ipsa ratio est, quia Apologeticum omnibus generaliter ethnicis præsidibus scribendum esse censuit? Et certe is videtur esse primorum libri illius verborum sensus : *Si non licet vobis, Romani imperii antistites*, id est, qui in toto Romano imperio primarii, principes, et præsides estis, *in aperto et edito*, *in* (quæ ultima particula desideratur in omnibus codicibus nostris, et editis antiquioribus) *ipso fere vertice civitatis*, nimirum cujusque *præsidentibus*. Ibi enim indefinite dixit : *Romani imperii antistites*, qui in aperto atque edito ipso vertice civitatis cujuslibet ad alios judicandos præsidetis. At hæc interpretatio, et tertia opinio, id saltem habet commodi, quod facile tollat propositas ab aliarum sententiarum patronis difficultates, et ipsasmet diversas sententias inter se conciliet. Nam hinc facile intelligitur cur quosdam præsides aliquando, alios vero nonnunquam in hoc appellaverit libro, quem Carthagine scribebat. Omnia porro trium illarum opinionum argumenta sive ab aliis proposita, sive a nobis adjecta candido simplicique more nostro exposuimus; ut quæ majoris, ac gravioris ponderis sint, omnes facile agnoscant, ac, quam veriorem judicaverint, opinionem amplectantur.

ARTICULUS III.

Utrum Tertullianus huic Apologetico nomen inscripserit suum : de illius titulo, argumento, in capita divisione, capitumque summariis.

Disputant eruditi nostræ ætatis scriptores utrum Tertullianus huic libro nomen suum præfixerit. Verisimilius enim quibusdam videtur illud ab eo compressum; quandoquidem ab ejus exordio palam expostulat sibi aliisque christianis publicæ defensioni viam præcludi. Totidem quippe hæc sunt illius verba : *Si denique, quod proxime accidit, domesticis indiciis* (manuscripti nostri, et melioris notæ codices editi *judiciis*) *nimis operata infestatio sectæ hujus obstruxit defensioni* (in quibusdam editis additum *obstruit viam*), *liceat veritati, vel occulta via tacitarum litterarum ad aures vestras pervenire* (*Tertull. Apolog. cap.* I. *pag.* 259). Si ergo christianis non licuit caussam suam publice ac coram judicibus defendere, quanto minus Tertulliano, tam acriter gentilium errores impugnanti; ne prolato suo nomine, caput certo et inevitabili periculo temere offerret? Tum enim ille nondum superbum audacioremque montanistarum animum induerat, sed catholicæ Ecclesiæ obtemperantem præceptis, quibus cuilibet christiano horrendis cruciatibus ac morti crudelissimæ ultro se exponere vetabatur.

Quid vero, inquiunt alii, si martyrii desiderio inflammatus, supplicia mortemque pro Christi confessione eo minus timuerit, quo ardentius eam optabat? Quid etiam, si persuasum omnino habuit nomen suum latere diu aliis non potuisse, sed fore ut ipso suo dicendi genere omnibus statim fieret manifestum? Quamvis ergo judicibus palam se sistere ausus non fuerit; potuit tamen occultæ, ut ipse loquitur, tacitarum litterarum viæ suum nomen præmittere, quod diu occultare non poterat. Nulla quoque videtur esse ratio, cur in hujus potius libri, quam aliorum *ad Nationes* et *Scapulam* titulo nomen suum reticuerit.

Cæterum quidquid de tacito sive expresso Tertulliani nomine definiatur, nemini plane dubium esse debet illud saltem christianis non diu fuisse incognitum. Neque enim latuit Eusebio, neque Lactantio, qui hunc librum non dissimulato, uti vidimus, ejus nomine citaverunt. Quosdam igitur hujus libri codices ad manum habebant, ipso Tertulliani tempore haud dubie descriptos, in quibus nomen ejus prælositum erat. In duobus autem antiquissimis nostris codicibus manuscriptis hic est illius titulus : *Apologeticum Tertulliani*; et in fine hæc verba leguntur : *Apologeticum Quinti Tertulliani explicit.* In cæteris quoque aliis codicibus, tam manuscriptis, quam editis, hic liber *Apologeticum*, aut *Apologeticus* inscribitur. Veram autem esse hanc inscriptionem non probatur hoc tantum illorum testimonio, sed Lactantii etiam, a quo is liber *Apologeticus* appellatur, et Eusebii, a quo græcis hisce citatur verbis (*Lact. lib.* V, *Inst. cap.* 4, *pag.* 470; *Euseb. loc. supr. cit.*) : ὑπὲρ Χριστιανῶν ἀπολογία, id est, *christianorum apologia*, et defensio. Plures autem in rem adeo certam ac probatam citare tam nobis longum, quam aliis molestum foret.

Quantumlibet autem brevis sit hic titulus, totum tamen ipsius libri complectitur argumentum. In eo siquidem Tertullianus defensionem suscepit christianorum, planeque demonstrat illos contra omnia cujuslibet naturalis divinæ et humanæ legis præscripta propter solum nomen suum, nec caussa unquam audita ab ethnicis condemnari, et occidi, qui omnium rei erant scelerum, quorum eosdem christianos falso falsius accusabant. Ex his itaque, quæ in proposita a nobis hujus libri analysi fusius explicata sunt, apertissime conficitur totum illius argumentum eo titulo exhiberi.

Quamvis autem hic ipse liber in omnibus editis, ac manuscriptis etiam vetustissimis codicibus, varia in capita sit divisus, ea tamen divisio a Tertulliano profecta non est. Ecquis enim quantumlibet parum eruditus, vel primo intuitu non deprehendit quam parum accurata, quamque imperfecta sit? Plurimis autem, qui novas illius editiones adornarunt, illud ita persuasum fuit, ut hancce partitionem mutare non

Digitized by Google

dubitaverint. Conatum vero illorum qui improbet putamus esse neminem. At nullus etiam negabit eos scopum nondum attigisse, et hunc librum posse adhuc melius in capita distribui.

Porro autem, si certum sit hunc librum, capita Tertulliano non fuisse divisum, longe profecto certius est ab illo edita non esse eorumdem capitum summaria seu argumenta. Et ea quidem in libris quacunque antiqua manu exaratis ita inepta sunt, ac præpostera, ut nihil pejus fieri potuerit. Quamobrem posterioribus hujus Apologetici editionibus præfecti studuerunt illa emendare ; nec omnino quidem inutilis fuit eorum correctio, sed non ita absoluta, quin adhuc accuratiori castigatione indigeant.

ARTICULUS IV.

Quanto applausu hic liber susceptus, a quo græcam in linguam conversus, quo stylo conscriptus, et utrum Tertullianus suscepto defensoris christianæ religionis munere rite functus sit.

Summo sane omnium cum græcorum, tum latinorum christianorum applausu, communique approbatione susceptus lectusque fuit hic liber. Neque ad id probandum alio opus habemus teste, quam Eusebio, qui memoriæ prodidit illum tanto apud Græcos fuisse in pretio, ut ab eis vernaculam suam in linguam conversus fuerit. Ab illo quippe his totidemque verbis citatur : Τερτυλλιανὸς. . . ἐν τῇ γραφείσῃ μὲν αὐτῷ τῇ Ῥωμαίων φωνῇ, μεταβληθείσῃ δὲ καὶ εἰς τὴν ἑλλάδα γλῶτταν, ὑπὲρ Χριστιανῶν ἀπολογίᾳ (Euseb. lib. II. Eccl. Hist. cap. 2, pag. 41). *Tertullianus.... in Apologia ab ipso quidem latine conscripta, postea vero in græcum sermonem translata.*

At quidam nostræ ætatis Scriptores, eruditione sua conspicui, de hujus græcæ interpretationis auctore inter se dissident. Nonnulli enim opinantur hunc ipsum esse Eusebium. Sed hoc negant alii. Nam ubi idem Eusebius ex hoc libro plura transcripsit, quæ Plinius ad Tiberium de Christi miraculis retulerat, ibi multa prætermisit, quæ ad suum tamen propositum maxime conducebant. Sed non magni momenti est hoc argumentum. Majoris ponderis illud videtur, quod plura testimonia, ex hoc adhuc libro ab eodem Eusebio desumpta, non satis accurate in græcum sermonem versa sunt. Sed parum Ecclesiæ interest scire quis hunc librum græce sit interpretatus. Nobis autem facilius persuadebitur eum græce redditum ante Eusebii tempora, et cum tyranni majore persecutionis æstu in christianos sæviebant. Non omnino siquidem obscure ille nobis significare videtur hunc librum a se non antea lectum, quam græco idiomate divulgaretur. Utcumque porro sese res habeat, inde profecto liquet quanti hæc Apologia a græcis hominibus æstimata fuerit.

Quid ergo, inquiet aliquis, nonne aliud longe diversum Lactantius de illa judicium his tulit verbis? *Septimius Tertullianus fuit omni genere litterarum peritus, sed in eloquendo parum facilis et comptus, et multum obscurus fuit. Ergo ne hic quidem satis celebritatis invenit*, id est, famæ et laudis (*Lactant., lib. V. Inst. divin., cap. 1, pag. 459*). Verum qui hæc objecerit is animum, quæso, ad ea advertat, quæ superius diximus, ac primum quidem a Lactantio laudari omnigenam Tertulliani nostri eruditionem (*Supr. cap. 1, art. 5*). Deinde vero quod dixit illum non satis invenisse celebritatis, ita intelligi non debet, ac si minus validis rationum momentis caussam egerit christianorum, sed propter difficilem, incomptam, ac multum obscuram dictionem atque elocutionem. Et sane qui hunc librum primariis, ut aiunt, labris attigerit, putamus esse neminem, quin statim fateatur illum frequentibus verborum a bona latinitate alienorum spinis, salebris asperitatibusque respergi, et magna involvi sæpius obscuritate. At nullum quoque esse credimus, qui non fatebitur Tertullianum, si hoc in libro lectores suos verborum leporibus, venustate sermonis et politæ elegantisque orationis suavitate non deliniat ac delectet, miro tamen styli acumine, sententiarumque gravitate eos concuti, ac pleraque omnia illius argumenta tanti esse momenti ac ponderis, ut iis aut convincantur æquiores, aut pertinaciores conterantur atque obruantur. Neque tamen dissimulare possumus eum asperioris ingenii impetu nonnunquam raptum, quædam adhibuisse argumenta, quæ aut infirma, atque etiam falsa pluribus videntur. Verum infra demonstrabimus eos non satis diligenter attendisse, quantum ille hoc in libro brevitati consuluerit, et plura quæ falsa putant, vera profecto deprehendi, si cum aliis, quæ ipse alibi fusius enarrat, attento animo componantur.

Non jure autem prorsus immerito potest in hoc libro desiderari melior argumentorum dispositio et ordo, qui majus toti operi lumen attulisset, et quo Tertullianus sibi facilius conciliasset lectoris benevolentiam et approbationem.

Verum nobis aliquis adhuc objiciet Lactantium, qui hanc de eodem Tertulliani Apologetico tulit sententiam : *Quanquam Tertullianus eamdem* christianorum *caussam plene peroraverit in eo libro, cui Apologetico nomen est ; tamen quoniam aliud est accusantibus respondere, quod in defensione aut negatione sola positum est ; aliud instruere quod nos facimus, in quo necesse est doctrinæ totius summam contineri* (Lactant. lib. V. Inst., cap. 4, p. 470). Declarat enim duo ab iis agi debuisse, qui christianæ religionis defensionem adversus ethnicos suscipiebant. Primum erat iis respondere, qui christianos plurium criminum insimulabant. Secundum, doctrinam christianæ religionis ita exponere, ac demonstrare ; ut ea quilibet plene ac perfecte instrueretur. At ille primam hujus caussæ partem, a Tertulliano plene peroratam fatetur, minime vero secundam. Verum satis Tertullianus proposito suo esse putavit insulsas evertisse ethnicorum, christianos cujusvis gravissimi criminis accusantium, criminationes, ac vindicasse illorum innocentiam ac morum integritatem. Quam recte autem id demonstraverit, ex data hujus libri analysi atque aliis infra dicendis, fiet omnibus manifestum.

Deinde vero ille penitus intactam non reliquit chri-

Digitized by Google

stianæ doctrinæ institutionem, et explicationem. Nam præcipua ejus capita breviter quidem, sed adeo sincere ac candide explicat, ut ab omnibus intelligi facile possit nihil esse et divinis institutionibus, et rectæ rationi, sicut postea ostendemus, magis consentaneum. Sed Lactantius longiorem proculdubio desiderabat horum documentorum expositionem, ac probationem. Verum in superioribus nostris dissertationibus ostendimus non justam omnino esse hanc querimoniam (*Dissertat. in Minuc., cap. 2, art. 2, et in Lactant., cap. 3, art. 2*).

CAPUT III.

De hujus libri Apologetici manuscriptis codicibus, editionibus, et variorum in eum paraphrasibus, scholiis et observationibus.

ARTICULUS PRIMUS.

De variis hujus libri manuscriptis codicibus.

Plures sane Apologetici, a Tertulliano nostro editi, codices manuscripti ad ætatem usque nostram pervenerunt. Duos enim indicat Beatus Rhenanus, quorum opera hujus aliorumque ejusdem Tertulliani librorum editionem adornavit. Primus Paterniacensis, in Paterniaci Transjurani cœnobii, secundus in Hirsaugiensis monasterii bibliothecis asservabantur. Uterque autem plurimis iisdemque fere omnibus sic scatet mendis, ut alter ab altero videatur descriptus. Alium vero Tertulliani Operum codicem Sigismundus Gelenius vetustissimum, et optimæ, ut ipse ait, notæ codicem nactus est ex Masburiensi cœnobio: sed ille satis clare nobis non edisseruit, utrum hic Apologeticus unus ex Tertulliani libris sit, qui in hoc codice desideratur. Tres præterea exstant in bibliotheca Vaticana eorumdem librorum codices, ex quibus, sibi ab illustrissimo Cardinale Sirleto subministratis, Alanus Copus diversas ab editis lectiones collegit, transmisitque Pamelio, qui iis ad concinnandam novam operum Tertulliani editionem usus est. Sed tria adhuc illa illorum exemplaria ipsi suppeditata sunt, et duo quidem ex S. Amandi ac Bavonis monasteriis, tertium Anglicum, quod penes se Joannes Clemens anglus habebat. Verum neque Pamelius, neque alius quispiam nobis indicavit qualia quantæve antiquitatis ea sint.

In nostra autem Gallia alii cujuslibet ætatis reperiuntur horum librorum manuscripti codices, ex quibus plures nullis aliis aut veneranda antiquitate, aut eleganti charactere cedere videntur. Ex iis unus Puteanorum olim fratrum asservatur in Regis nostri christianissimi bibliotheca. Alterum vero Jacobus Bongartius possidebat. Ad utrumque autem Desiderius Heraldus singularem Apologetici editionem castigavit.

Nicolaus vero Rigaltius non magna sine indignatione conqueritur emendatissima Operum Tertulliani prima genuinaque exemplaria jam a longo tempore ab iis, qui Africani hujus scriptoris dictiones capere non potuerunt, sic corrupta fuisse, ut vix ulla restituendi veri textus spes supersit. Sed fatetur tamen suæ editioni plurimum lucis et ornamenti accessisse ex variis lectionibus, a Rhenano, et aliis melioribus a Fulvio ac Junio collectis et editis. Nos insuper admonet sibi ad manum fuisse memoratum codicem Puteanorum fratrum, et alterum Petri Pithœi, ac variantes codicis Fuldensis lectiones, in libro illustrissimi Monchalli, Tholosatum archiepiscopi, ex autographo, ut ipse ait, descriptas. Horum autem codicum, atque imprimis harum lectionum sibi missarum auxilio, textum Apologetici 250 in locis se emendasse gloriatur. At penitus tacuit cujus notæ et antiquitatis sint duo illi codices, et illud autographum, ex quo Fuldenses lectiones delibatæ sint.

Nos vero non solum duos illos primos nacti sumus codices, sed alios etiam complures, qui quidem qualesve sint, explicandum est. Primus itaque Puteanus, charactere pulcherrimo circa annum Christi 900 descriptus peritioribus videtur. In eo autem solus Tertulliani Apologeticus liber continetur, asservaturque in christianissimi, ut diximus, regis nostri bibliotheca numero 3971 notatus, quem illustrissimus abbas Tellerius summa, qua solet, benignitate nobiscum a Nicolao Clemente communicari præcepit.

Secundus Petri, ut diximus, Pithœi olim fuit, et RR. Patrum Oratorii Jesu collegio Trecensi dono datus, in eorum bibliotheca custoditus, ad nos singulari prorsus illorum humanitate transmissus est. Viri autem in examinandis veteribus codicibus magis exercitati, ex characterum forma illum undecimo circiter sæculo scriptum esse judicarunt. Sed primi librarii imperitia variis passim fœdatus est mendis, quæ alius doctior appositis obelis, atque ad marginem notis, aut correxit, aut corrigenda esse monstravit.

Plures autem in eo codice transcripti sunt Tertulliani tractatus, quorum index in prima illius pagina exhibetur. Verum in hoc indice prætermissus est hic Apologeticus liber. Quamobrem suspicandi locus esse videtur utrum post alios libros ab aliquo librario postea exaratus fuerit. Nam index ille eadem manu, atque alii libri scriptus est. Qui vero Apologeticum deinceps descripsit, is aliis imperitior et latinæ linguæ ignarus, frequentes, quibus codex ille passim ubique scatet, errores reliquit. Alia quoque in eo, quam in aliis libris conspicitur verborum contractio. Quidam tamen, satis idonei scripturæ veteris judices, hunc librum, sicut alios, ab eodem librario exaratum existimant. In eo autem non integer ille Apologeticus liber exhibetur; sed duntaxat usque ad capitis trigesimi initium: cætera autem, quæ quartam totius libri partem continent, plane desiderantur.

Tertium codicem manuscriptum nobis suppeditavit vir illustrissimus, et omni laude major, Achilles Harlæus, qui postquam admirabili prorsus juris scientia, æquitate, probitate aliisque eximiis virtutibus per multos annos Parisiensi senatui præfuisset; tanta animi fortitudine, quanto communi omnium desiderio se hac dignitate abdicavit, ac servata semper eadem vitæ æquabilitate mortuus est. Codex autem ille cha-

Digitized by Google

racteris elegantia Puteano non cedit, neque centum post annos descriptus nobis videtur. At plerasque in eo easdem, atque in illo, deprehendimus bonas et malas lectiones.

Quartus ac quintus codex Colbertinæ est bibliothecæ, numerisque 989, et 5,271 signati. Antiquior autem ab annis circiter 700, et recentior non ante annos 400 scripto videtur traditus. Bibliothecæ vero illius præfectus cl. vir Carolus Duchesne nobis utriusque codicis, jubente illustrissimo abbate Colberto, copiam fecit.

Diversas insuper lectiones ex duobus aliis codicibus manuscriptis accepimus, quorum primus monasterii est Morbacensis, in cujus fine hæc leguntur verba : *Orate pro domno abbate Morbacensi.* Is autem ipse est Bartholomæus de Andelo, qui anno 1455 ac postea huic monasterio præpositus, collectos undique quamplurimos codices manuscriptos eadem subscriptione notari voluit. Longe autem recentiori manu exarata sunt hæc subjecta Apologetico verba, quam ipse Apologeticus liber, qui 600 aut 700 abhinc annis scriptus apparet. Varias autem ejus lectiones summa diligentia, et ad scrupulum usque decerpsit, ad nosque misit unus ejusdem monasterii monachus, cujus humanitati gratias nec minimas quidem habemus.

Alter codex manuscriptus, cujus variantes ab editis lectiones ad nos missæ sunt, unus ex iis est, quibus suam bibliothecam Romæ ditavit abbas illustrissimus Justus Fontaninus, sua satis notus eruditione, nec a nobis unquam sine debita laude nominandus. Hunc autem ille codicem subministravit nostro Claudio Devic, qui, licet majoribus studiis deditus, curavit erutas a se diversas hujus codicis lectiones ad nos transferri.

Quinque porro memoratos codices, Puteanum, Pithœanum, Harlæanum, et utrumque Colbertinum, cum adornata a Rigaltio editione diligenter contulimus, atque ex hac collatione plurimas sane collegimus diversas lectiones, quæ ab illo, nulla sæpe sæpius reddita ratione, sed propria, uti videtur, auctoritate sæpe sæpius aut penitus resecatæ, aut immutatæ sunt. Fatetur enim se duobus duntaxat, uti diximus, codicibus, Puteano et Pithœano, et variis Fuldensis lectionibus usum fuisse. At hæ lectiones alieno plane in loco inventæ sunt, nec scire Rigaltius potuit a quo, aut qua diligentia collectæ fuerint. Nec magis compertum habuit, aut certe neminem admonuit cujus notæ, et ætatis sit ille codex Fuldensis, cujus ut plurimum auctoritate textum immutavit Tertulliani. Nam ex collatis nova post illum cura Puteano, et Pithœano, aliisque memoratis codicibus, atque diversis aliorum lectionibus, plane animadvertimus illos correctionibus Rigaltii omnino adversari. Quis autem dixerit dubiam unius Fuldensis codicis fidem tot aliorum et meliorum et antiquiorum auctoritati esse anteferendam? Ne quis vero nobis minus, quam illi credendum esse existimet, quædam proponenda sunt hujusmodi amputationum et immutationum exempla. In primo itaque Apologetici capite hæc tantum in Rigaltii editione leguntur : *Omnes qui retro oderant, quia ignorabant, simul desinunt ignorare,* etc. (*Tertullian. Apologet. cap.* 1, *p.* 262). In nostris autem exemplaribus manuscriptis, ac prioribus editionibus : *Omnes qui retro oderant, quia ignorabant quale sit quod oderant, simul desinunt ignorare,* etc. Videsne a Rigaltio rejecta esse hæc verba *quale sit quod oderant?* Neque dixeris ea a typographis omissa fuisse. Nam eumdem Rigaltium summæ negligentiæ, nec ulli, qui editioni hujuscemodi operis præficitur, condonandæ, accusabis. Postea vero hæc nec plura in eadem Rigaltii editione habentur : *Venerem humana sagitta sauciatam, Martem, etc.* (*Ibid. cap.* 14), In iisdem autem editis et manuscriptis libris : *Venerem humana sagitta sauciatam, quod filium suum Æneam, pene interfectum ab eodem Diomede, rapere vellet : Martem,* etc. Numquid ergo et id typographorum oscitantiæ aut festinationi tribuendum? Sin autem Rigaltius hæc ex margine, vel aliunde in textum intrusa putabat, cur nos hujus additamenti non admonuit? Sed age, et alia ex auctoris nostri textu similiter resecata agnosces. Alibi quippe Tertullianus, ut testantur nostri codices, scriptum reliquerat : *Dicam plane imperatorem dominum, sed voce communi* (*Ibid. cap.* 34). At Rigaltio hæc tria posteriora verba tollere placuit. Nec multo post ille : *Tanto abest ut imperator Deus debeat dici, non modo,* etc. Verum in iisdem antiquioribus exemplaribus scriptum est : *Tanto abest ut imperator dici debeat, quod credi non potest, non modo,* etc. Quis igitur hæc verba : *quod credi non potest,* ex textu sustulit, nisi ille, qui inutilia et supervacua esse arbitrabatur?

Quid vero, quod non modo excisa, sed transposita sunt ab eo isthæc Tertulliani verba : *Licuit Epicureis aliquam decernere voluptatis veritatem. Quo vos offendimus, si alias præsumimus voluptates? Si oblectari novisse nolumus, nostra injuria est, si forte non vestra. Sed reprobamus quæ placent vobis; nec vos nostra de lectant* (*Ibid.*, *cap.* 38). In aliis vero vetustioribus editis et manu exaratis codicibus : *Quo vos offendimus, si alias præsumimus voluptates? Si oblectari novisse volumus, nostra injuria est, si forte nostra, non vestra. Sed reprobamus quæ placent vobis, nec vos nostra delectant. Sed licuit Epicureis aliquam decernere voluptatis veritatem, id est, animi æquitatem et ampla negotia christianæ.* Sed hoc ultimum verbum *christianæ* in editis non invenitur. Quid ergo? Numquid propter hoc solum verbum, ab oscitante librario præposterе additum, fas alicui fuit textum Tertulliani immutare, pervertere, detruncare? Simili tamen modo Rigaltius delevit alibi hæc Tertulliani verba : *Deum tanginus* (*Ibid. c.* 40).

Aliud adhuc hujuscemodi immutationum exemplum si velis, non longe quærendum est. Non enim multo post ille hæc in eodem Tertulliani textu mutavit editorum et codicum manuscriptorum verba : *Non lavor diluculo,* ubi scribi jussit : *Non lavo sub noctem.* Plura alia hujus libri loca a Rigaltio pariter

Digitized by Google

interpolata, maleque mulctata possent facile proferri. Sed iis recensendis nunc, ne eadem repetantur, supersedendum esse duximus. De illis enimvero, quæ majoris momenti sunt, data inferius occasione agendum erit. Decreveramus quidem omnes prorsus vel a nobis, vel ab aliis excerptas variantes hujusce libri lectiones ad nostræ dissertationis calcem repræsentare. Verum quia unus e sodalibus nostris, qui adornandæ omnium Tertulliani librorum editioni sedulam dat operam, poposcit hanc sibi provinciam demandari, æquioribus illius votis satisfaciendum esse censuimus. Ad propositum itaque nostrum sufficere arbitramur præcipua ac notatu digna in hac dissertatione indicare corrupta, interpolata, excisa, et immutata Tertulliani verba; ut ejus mens, et sententia possit ab omnibus facilius intelligi.

ARTICULUS II.

De variis hujus Apologetici, aliorumque Tertulliani librorum editionibus.

Pauca profecto invenias veterum Ecclesiæ Patrum opera, quæ sæpius typis mandata sint, quam hic Apologeticus, aliæque Tertulliani lucubrationes. Neque ille simul cum istis tantum, sed seorsim quoque publici juris factus est. Nam is solus ex typographorum officina publicam in lucem studio ac cura Joannis Baptistæ Egnatii exivit.

Altera autem hujus Apologetici editio Lutetiæ Parisiorum facta est anno 1613, labore et opera Desiderii Heraldi, qui ei, ut suo loco annotavimus, M. Minucii Felicis Octavium subjunxit (*Dissertat. in Minuc. Octav. cap.* 2, *art.* 3).

Antea vero et postea ille Apologeticus liber cum aliis Tertulliani operibus aut plurimis, aut omnibus publicæ luci datus fuit. Præcipuas autem eorum editiones ut breviter recenseamus, primo quidem Beatus Rhenanus illa Basileæ anno 1521, ac deinde anno 1528, typis excudi curavit. Ex his autem editionibus aliæ annis 1525, 1536, et 1538, eodem plane modo divulgatæ sunt; alia vero anno 1562, curis Sigismundi Gelenii in vulgus prodivit. Tum deinde anno 1580, aliam Renatus Laurentius de la Barre nobis procuravit, qua Tertulliani commentationes veterum, ut ipse ait, et recentiorum exemplarium collatione emendatæ fuerunt. Nulla autem horum librorum editio multiplicata magis fuit, quam illa, quæ curante Jacobo Pamelio, annis 1579, publicam in lucem emissa est. Nam ea rursus annis 1579, 1584, 1596, 1597, 1599, 1608, 1616, 1627, 1638, 1662 et 1664, variis recusa fuit in Europæ urbibus.

Præterea Ludovicus de la Cerda, primarius apud RR. e societate Jesu Patres theologiæ professor novo labore, novisque curis pleraque publicavit Tertulliani opera: sed ea præsertim omisit, quæ ab illo adversus Marcionem, et catholicam Ecclesiam scripta sunt. Duobus tamen tomis ea complexus est, qui anno 1624, 1630, ac 1641 e prælo exierunt.

Anno autem 1634, Nicolaus Rigaltius omnia quoque Tertulliani opera, uno tomo comprehensa, novo studio, novisque typis edi curavit. Sed quod ad Apologeticum, de quo nunc disputamus, librum attinet, jam animadvertimus plura ab illo in africani scriptoris nostri, pro libito, propriaque auctoritate variis in locis immutata, transposita, atque etiam penitus excisa.

Subsequenti tamen anno 1635, altera post eumdem Rigaltium editio Parisiis ex typographorum exivit officina. Qui vero illi præpositus est, is nullo amplius manuscripto codice usus, voluit librum Tertulliani *de Pallio* et *Apologeticum* ad Pamelii, reliquos omnes ad Rigaltii numeros recudi. Verum præfationis auctor in hoc plane aberrat, quod editos ab Rigaltio libros *de Pallio* et *Apologeticum* sic perfectos esse existimet, ut videri possint ab illo luci publicæ primum donati. Nam ex his, quæ paulo ante notavimus, et postea annotabimus, quis non videat hunc librum a Rigaltio, pluribus in locis potius corruptum fuisse, quam emendatum, anno nihilominus 1641, tota illa ipsa editio talis iterum a typographis excusa est, qualis ab eodem Rigaltio adornata fuerat.

Quæ porro has editiones exceperunt, eæ ad nullius deinceps manuscripti codicis, sed Rigaltianæ tantum fidem adornatæ sunt. Priorem ex iis procuravit Georgius Ambianensis, minorita capucinus. Tres autem eam divisit in tomos, quorum primus anno 1646, secundus anno 1648, et tertius anno 1650, divulgatus fuit. Insignem vero præfixit toti operi titulum *Tertulliani redivivi*, perinde ac si mortua eruditissimi illius africani opera ad vitam revocasset. Nihil profecto necesse est nostrum de hac inscriptione totaque editione interponere judicium; quandoquidem alii quam plurimi suum, nec illud quidem valde honorificum affatim tulerunt. Quidam tamen eruditi viri plura sane in ea laudibus haud immerito, uti paulo post dicetur, digna judicant.

Secundæ tandem post Rigaltium omnium Tertulliani operum editioni præfuit Philippus Priorius, qui illam anno 1664, absolvit. Sed nihil ei de novo addidit, nisi brevem de Tertulliani vita et nœvis dissertatiunculam, nec interruptum importuna notarum mole textum, novosque typographorum errores.

ARTICULUS III.

De variorum in Tertulliani Apologeticum scholiis, paraphrasibus, notis, et observationibus.

Plures sane varia eruditione conspicui scriptores, qui in edendis Tertulliani libris curam impenderunt, aut aliud aliquid agebant, conati sunt obscuriora, aut notatu magis digna Apologetici illius libri loca suis observationibus, scholiis, paraphrasibus, et commentariis aut explicare, et illustrare, aut confirmare. Primo autem Beatus Rhenanus huic libro, a se edito, præfixit argumentum, sed longe quam par erat brevius. Verum hanc brevitatem suppleri posse putavit, subjectis novis capitum, ut aiunt, summariis, quibus alia, in manuscriptis exhibita, emendare connixus est. Ad hæc vero, in eodem, etsi brevissimo, libri hujus

Digitized by Google

argumento tentavit paucissimis quibusdam obscuris ejus locis lucem aliquam præferre.

Posthæc vero Franciscus Zephyrus, cum animadvertisset quantæ utilitatis hic liber omnibus esse possit, ac ne studiosi adolescentes propter sermonis obscuritatem, corruptosque librariorum incuria locos, ab ejus lectione deterrerentur, ipsius composuit ediditque paraphrasim. In ea autem, quæ textui Tertulliani minus quidem commode intermiscetur, plura loca intellectu difficilia explanare, ac varia obscuritatis impedimenta removere molitur. Tanti porro Pamelius hanc paraphrasim æstimavit, ut illam in eum plane, quo in superiore editione, modum textui Auctoris nostri censuerit inserendam.

Verumtamen hæc ipsa ab aliis, qui variis hujus libri editionibus deinde præpositi sunt, atque imprimis Ludovico la Cerda plane penitusque rejecta est. At doctus iste vir, ne quis de hac omissione conqueri unquam posset, novam edidit textus Tertullianei interpretationem. Singulis quoque capitibus subjecit notas suas, quibus, alias laude dignis, idem textus, non fine interrupta lectoris attentione legi haud facile potest. Sed plures etiam expostulant de inutilibus quibusdam ac longioribus notis, atque a Tertulliani proposito alienis digressionibus. Ab aliis nihilominus laudantur, cæterisque anteponuntur hactenus editis. In his itaque illud duntaxat desiderant, quod textum Tertulliani ad manuscriptos codices non castigaverit; quod omnia illius opera non publicaverit; quod pro sua eruditione non explicaverit et confirmaverit tradita ab eo christianæ religionis documenta.

Ab Heraldo autem, post editum a se hunc Tertulliani Apologeticum, adjectus est *liber*, ubi ab eo vocatur *commentarius*, quem notis tantum, a se invicem plane disjunctis, composuit. Ne vero in illis a Tertulliani proposito longius excurreret, duos ei subjunxit digressionum libros, quibus difficilia et salebrosa ejus loca complanare nititur. In his autem omnibus deprehenditur profana auctoris eruditio, sed sacrorum et obscuriorum christianæ religionis dogmatum, a Tertulliano traditorum, explicationem frustra requiras. Plura quoque alia reliquit intacta, quæ explicatione et confirmatione procul dubio indigebant.

Multas quoque in omnia Tertulliani opera animadversiones edidit Laurentius de la Barre, quas se ex iis excerpsisse declarat, quibus Beraldus, Alciatus, Crinitus, Turnebus, Vetranius, Romanus, Cujacius, aliique peregrinis in locis quasdam intellectu difficiles Tertulliani dictiones explicare contendebant. Sed quia hæc spectant ad grammaticam, ibidem adjecit Rhenani notas, quas quidem, quia Romanorum et Hispanorum censuram non effugerant, a se prius correctas esse significat. At quia paucas admodum easque brevissimas addidit, vixque ullam dedit Apologeticum hunc librum, vides sane quid ab eo de rebus theologicis exspectare debeas.

Majoris itaque pretii æstimantur Pamelii in hunc aliosque Tertulliani libros annotationes. Non minima quippe, uti aiunt, consperguntur sacra profanaque eruditione, quæ lectoribus prodesse potest. Sed hoc in eis culpant, quod Pamelius a proposito sæpius digrediatur, plura congesserit inutilia, et interjecta, sicuti diximus, Zephyri paraphrasi, interruperit Tertulliani textum, quem debebat in hoc et aliis libris, meliorum codicum ope, pristinæ, si fieri potuerit, restituere integritati.

Rigaltius itaque iis omnibus spretis postque habitis, novas scripsit in hunc Apologeticum, aliaque Tertulliani Opera notas et observationes. Verum quoniam plurimas, ab eruditis hominibus profectas, haud merito prorsus jure prætermisit, illæ rursus publici juris factæ sunt in uno volumine quod anno 1635, editum est. Collectæ autem fuerunt ex Pamelio, Latino Latinio, Beato Rhenano, Joanne Mercerio, Edmondo Richerio, Theodoro Marcilio, Joanne Wowerio, et Gabriele Albaspinæo Aurelianensium Episcopo.

Persuasum autem eruditi quidam viri habuerunt hoc volumine divulgatæ a Rigaltio operum Tertulliani editioni conjuncto, hanc cæteris omnibus fore perfectiorem. Sed præterquam quod in illo notarum volumine omittuntur aliorum, sicuti la Cerdæ non minus utiles notæ, et explicationes; quid, amabo te, sperandum de Rigaltio, qui ad emendandum Tertulliani textum, nec ipsos, sicuti diximus (*Art. super.*) quos præ manibus habebat, nec alios manuscriptos codices aut legere, aut sequi curavit? Deinde vero non minima quidem in notis suis scribendis fuit illius audacia, quam in præfatione sua excusare coactus est. Sed paucos admodum invenias, quibus omnino accepta sit illius excusatio.

Minus quidem temerariæ sunt, sed non magis probantur longissimæ, et ad nauseam usque conjectæ a Georgio Ambianensi observationes. Nam in illas ea omnia instrusit, quæ aliam ob caussam, et ad publicas, uti videtur, conciones corrogaverat. Nonnulli tamen fatentur in iis aliqua esse utilia, ac præsertim in capitum scholiis, quæ in adversa textus Tertulliani parte ab ipso exhibentur.

Denique Priorius varias selegit eruditorum virorum Rhenani, Pamelii, la Cerdæ, Salmasii, Albaspinæi, aliorumque quorumdam animadversiones; quibus et quasdam a se excogitatas identidem interseruit. Sed hæ tam levis sunt momenti, ut qui eas approbaverit, vix ullus reperiatur. In hoc tamen utcunque laudandus, quod omnes illas animadversiones et notas in paginarum inferiori margine, absque ulla textus Tertulliani interruptione, excudi voluerit. Nam eo modo lectoris commoditati melius consultum est. Sed quis negligentiæ vitium, ei unquam condonabit, qui ad opera Tertulliani novis typis recudenda aggressus, nullum plane cum editis contulit manuscriptum codicem, sed solam Rigaltii editionem, de verbo ad verbum secutus fuit?

Ex iis porro, quæ de tot tamque variis operum Tertulliani editionibus hactenus a nobis disputata

Digitized by Google

sunt, quis nobiscum non fatebitur nullam prorsus esse quæ perfecta et omnibus numeris absoluta dici merito possit ? De litteraria igitur republica is proculdubio bene merebitur, qui sacra profanaque eruditione non parum imbutus, novam parabit Apologetici et aliorum Tertulliani operum editionem. Sed ante omnia textus illius summa fide et diligentia ad manuscriptos codices gallicanos, italicos, germanicos, anglicanos, ac veteres editiones recognosci debet et castigari. Plures enim supersunt saltem Apologetici libri optimæ notæ codices, quos nemo hactenus cum editis contulit. At si varias ac notatu dignas lectiones, ex illis excerptas, bona fide exhibeat, de vero genuinoque Tertulliani textu certius judicium ferri poterit.

CAPUT IV.

De duobus Tertulliani ad nationes libris.

ARTICULUS PRIMUS.

Analysis libri primi ad Nationes.

Duobus *ad Nationes* libris causam Tertullianus adhuc egit christianorum, duasque utrumque librum satis aperte divisit in partes. In prima siquidem prioris libri ostendit christianos nec auditos, nec defensos falsissimis, iniquissimisque præjudiciis a gentilibus vexari, condemnari, ac crudelissime necari (*Lib. I. cap.* 1. *et seqq.*). Planum vero secunda in parte omnibus facit falsa omnino esse, quorum christiani accusabantur, crimina, horumque reos revera esse gentiles (*Cap.* 9. *et seqq.*). In prima autem secundi libri parte demonstrat, quam vana et absurda sit ficta a Varrone triplex ethnicorum Theologia, quæ ab eo physica, mythica, ac plebeia sive gentilis appellatur (*Lib.* II. *cap.* 1. *et seqq.*). In secunda autem parte demonstrat deos Romanorum falsos esse, planeque commentitios (*Cap.* 9. *et seqq.*). Sed hæc paulo enodatius explicanda sunt.

Primum itaque ethnicis vitio vertit, quod implacabili odio christianos persequerentur, tametsi qui, qualesve sint penitus ignorarent, nec scire unquam voluerint. Ubi primum enim illos agnoverant, statim desinebant odisse, christianamque religionem ultro amplectebantur. Neque id negari poterat, quod clamabat quotidiana ipsorum de multiplicato christianorum numero querimonia. Non sinit autem Auctor noster sibi objici hos, ut fieri aliquando solet, in malum conversos. Nullam quippe mali notam habet christianæ religionis professio, cujus neminem aut pudet aut pœnitet, ac de qua omnes gaudent et gloriantur (*Lib.* I. *cap.* 1.).

Si qua vero fuissent christianorum crimina, ad ea utique declaranda illos ethnici quæstione ac tormentis cogere debebant. At e contrario iis nomen suum vel sponte negantibus, vel negare coactis confestim credentes, fateri quoque debebant nihil mali in eorum religione posse deprehendi. Suis præterea legibus quilibet judices tenebantur quorumvis criminum reos interrogare quæ, qualia, et quanta hæc essent, qui eorum socii, et receptores, ac ea tandem in scripta damnatorum sententia nominatim enuntiare. At nihil tale in christianorum damnatione factitatum, nec aliud eorum sententia pronuntiatum, nisi christianum nomen. Solum ergo nominis crimen erat; sed hoc ipsum nomen nihil barbarum, infaustum, inhonestum sonat, sed vel unctionem, vel saltem suavitatem, aut bonitatem, quando ab ipsis gentilibus *chrestiani* corrupte vocabantur (*cap.* 2, 3).

At hi plane desipiebant, qui solo auctoris nomine sectam christianorum se odisse causabantur (*cap.* 4). Non enim Platonicos, aut Pythagoræos, ob Platonis, aut Pythagoræ, nec medicos ob Erasistrati, nec grammaticos ob Aristarchi nomen oderant. Quis etiam nesciat nefas esse sectam aliquam odio habere nisi, quid in ea odio dignum sit, antea advertatur? Ethnici tamen nec christianam sectam, nec ejus auctorem noverant, nec volebant cognoscere. Ad hæc vero, per ipsos cuilibet ethnico licebat, quam vellet philosophorum, tametsi reipublicæ ac principibus infensorum, sectam amplecti. Eos quoque solos philosophos vexabant, qui veritatem ex parte docentes, aspernabantur illorum deos. Ita sane Socratem damnaverunt, quanquam Apollinis oraculo renuntiatus fuisset mortalium omnium sapientissimus. Non mirum itaque si illorum in christianos odium veritas pepererit. Sed vide, quæso, quo insanientis animi furore. Fatebantur eos omnes meliores factos, qui ejurato falsorum deorum cultu, suum dederant christianæ religioni nomen. Sed in illos hoc solo nomine crudelius sæviebant, eosque nocentes et scelerates esse malebant quam christianos.

Contra tamen objiciebant ethnici quosdam ex christianis pessimos esse, ac vitiis scelcribusque perditos (*cap.* 5). Verum hi, inquit Tertullianus, pauci admodum erant; qui quidem, sicut nœvi corporis, ita sectæ suæ ostendebant præstantiam. Quicunque porro, et quotquot illi fuerint hi, non secus ac philosophi, sectam suam flagitiis infamantes, erant veri desertores, nomine tenus christiani, imo hoc indigni nomine.

Urgebant gentiles sectam christianorum revera malam esse, ut pote quæ imperatorum legibus damnata sit (*cap.* 6). At nonne eædem, regerit auctor noster, imperatorum aliorumque justæ leges statuerunt neminem unquam condemnandum, nisi prius criminis alicujus sit rite convictus? Cur ergo ethnici christianos nec auditos nec convictos condemnabant? Nonne plures etiam datæ sunt ab eorumdem ethnicorum legislatoribus iniquissimæ leges, postmodum emendatæ, vel antiquatæ? Denique injusta lex, qualis in christianos lata fuerat, nullum exigit honorem aut obsequium.

Nec instare poterant ethnici leges in christianos ab iis sancitas, qui illorum crimina communi populariqne fama compererant. Nonne enim fama, fatentibus iisdem ethnicis, malum est quo nullum velocius? Sed illa tandiu tantum vivit, quandiu incerta, falsa, et mendax est. Ubi enim res est certa, ibi hæc fama desinit. Investiganda igitur illius origo, atque exspec-

Digitized by Google

tandum *tempus*, quod *omnia revelat*. Quis autem ab ipso christianæ religionis exordio objecta christianis infanticidia, incestus, aliaque scelera in eorum synaxibus unquam deprehendit, patefecit, prodidit? Numquid ipsimet christiani? Sed summo silentio sua mysteria tegebant, nec poterant tam horrenda crimina, si illorum conscii fuissent, sine capitis periculo prodere. Numquid gentiles? Minime quidem. Quamvis enim christianos in suis synaxibus quotidie obsiderent, nemo tamen hæc deprehendisse, nec ullus domesticus pretio corruptus, se aut vidisse, aut celavisse unquam testificatus est.

Præterea christiani sectatoribus suis leges Christi sedulo observantibus pollicebantur æternam felicitatem. At dic, quæso, utrum non insano penitus homini credibile fiat illam aliquando promissam fuisse iis, qui tanta scelera perpetrassent? Nemo etiam gentilis, vel minimo humanitatis sensu præditus, ea perpetrare ausus unquam fuisset. Ergo nec ulli christiani, quorum eadem ac cæterorum hominum natura, nec Cynopennæ erant, nec Sciapodes, nec antipodes (*cap.* 7).

Quis autem non rideat ethnicos, qui ridiculo pueri, a muta nutrice educati, primoque vocis sono βίκκος pronuntiantis, commento probare contendebant christianos Phrygibus aliisque nationibus esse posteriores? Quis enim nesciat christianam gentem, quæ a Judæis ortum duxit, esse cæteris antiquiorem? Quamvis autem aliis recentior foret, tertia tamen post Græcos et Romanos natio inhumanissimis superstitionibus addicta non erat (*cap.* 8).

Instabant ethnici christianos, ob deorum contemptum, omnium cladium esse auctores, atque idcirco exterminandos (*cap.* 9). Sed variis Tertullianus exemplis demonstrat mundum gravissimis calamitatibus, uti aquarum inundationibus, igne cœlesti, ac generali diluvio perturbatum, obrutumque fuisse, antequam ipsimet ethnici deos suos finxissent, ac fundatæ essent urbes, in quibus nati, commorati, et sepulti sunt. Quid vero, quod postea hi eximii dii non potuerunt ab aliis cladibus suos eripere cultores?

Secunda hujus libri in parte Auctor noster ostendit ipsosmet gentiles eorumdem criminum esse conscios, quorum christianos arguere frustra conabantur. Nam hi qui antiquos, sed impios ritus a christianis repudiatos immerito querebantur, illi ipsi a majorum suorum legibus, institutis moribus desciverant cultu, victu, ipsoque sermone, ac nunquam satis a se laudatas rejecerant vetustates.

Deinde vero christiani deos, quos nullos esse noverant, contemnere non potuerunt. Ethnici vero quos veros esse, ac se colere venditabant, penitus adspernabantur. Pluribus siquidem spretis, et repudiatis, quosdam tantum a se selectos honorabant. Nonne etiam contumeliose a senatu ejecti sunt deus Alburnus, Liber, Serapis, Harpocrates, Anubis, et statuæ illorum eversæ? Quid diis adhuc magis injuriosum, quam sine senatusconsulto eos coli non posse? Quid magis ignominiosum, quam a privato quolibet homine domesticos pignorari deos, publicos vero in hastario venditari? Quid turpius, quam pro templi solo, aditu, stipitibus, ostiis exigi mercedem? Quæ major deorum infamia, quam senem in Saturno, imberbem in Apolline, in Marte militem, in Vulcano fabrum consecrari, quam diis maximis æquales facere mortuos homines, quam punire per deos, non vero per genium Cæsaris dejerantes, quam pessimas quasque victimarum partes iis sacrificare? Quid tandem deorum majestate magis indignum, quam ab Homero aliisque poetis impune decantari Venerem sauciatam, vinctum Martem, Jovem ab aliis diis lacessitum, flentem, luxuriantem, suaque adulteria dinumerantem? Quid plura? Nonne iidem dii deridebantur in theatris, et Lentulorum, atque Hostiorum comœdiis, ubi, cunctis plaudentibus, mimi et histriones ridiculam plane agebant Cybeles pastorem suspirantis personam, vel Jovis elegia et ignominias decantabant? Nonne dii infamabantur a perditis hominibus, qui in cavea repræsentabant Atym exstratum, crematum Herculem, Ditem gladiatorum deducentem exsequias, ac Mercurium mortuos examinantem? Quis ergo diffitebitur hujusmodi deos, ab his ipsis, qui eos finxerant, gentilibus longe magis, quam a christianis contemni et derideri (*cap.* 10)?

Age vero, ethnici a mendace Tacito decepti, falso asseverabant a christianis adorari asini caput (*cap.* 11). Sed ipsi gentiles revera totos adorabant asinos cum sua Epona, suisque cum præsepibus consecrabant bestias. Qua vero ratione christianis crimini dabant, quod crucem Christi colerent, cum ipsi Atticam Palladem et Cererem Phariam a crucis stipite non diserepantem venerabantur? Nonne etiam rectæ crucis parti superstruebant deos suos; et integris crucibus victorias, cantabra, siphara, et signa militaria, quæ maximo habebant in honore (*cap.* 12)?

Quidam vero ex illis perperam opinati sunt Solem a christianis adorari, quia verum Deum suum, facie ad eumdem Solem conversa, precabantur, ac die Dominico spiritali indulgebant lætitiæ (*cap.* 13). Verum improbi isti calumniatores negare non potuerant morem ethnicorum fuisse simili modo factitios deos suos precandi, atque illis dicandi unum hebdomadis diem, quem Dominico proximum, longe diverso ac Judæi ritu, celebrabant.

Tum deinde Tertullianus acriter, invehitur in bestiarium quemdam, Judaicæ religionis desertorem, qui in Circo picturam Dei christianorum sub forma asini circumtulerat eum hac inscriptione: *Onochoetes* (*cap.* 14). Nam quanto longius istud a veritate abhorrebat, tanto certius erat ab ethnicis adorari deos cornutos, caprigenas, ac monstris omnino similes.

Nihil quoque falsius fingi poterat, quam a christianis sacra inter mysteria occidi infantem, ejusque sanguinem potari. At plane constabat ab ethnicis contra leges suas recens natos trucidari infantes, aut summa crudelitate injuriis aeris necandos exponi,

Digitized by Google

aut elici eorum sanguinem, totosque præcoquos devorari (*cap.* 15.).

Quid vero impudentius quam christianos falsi omnino nocturni incestus ab iis accusari, qui inficias ire nequibant gentiles Persas cum matribus suis palam coire, quique Œdipum scelus illud in theatro repræsentantem magno cum applausu laudabant incitabantque. Quin etiam isti ipsi cum liberis suis, quos, sicut diximus, exposuerant infantes, nec amplius agnoscebant, sæpius infami incestu commiscebantur (*cap.* 16). Ne quis autem illud gratis fictum objiceret, ab auctore nostro confirmatur celebri exemplo, quod Fusciani Urbis præfecti tempore, nec paulo ante acciderat, quam hos libros scripsisset.

Pergit ille, palamque facit christianos frustra publicos hostes ab ethnicis ideo proclamari, quia non adorabant imagines Cæsarum, nec per eorum genium jurabant (*cap.* 17). Plane enim ostendit hoc ipsum in crimen merito vocari rebelles illas nationes, quæ ab imperatoribus debellatæ, Parthicorum, Medorum, Germanicorum cognomina eis pepererant. Nonne etiam publici hostes fuerunt Romani, qui conspiraverunt adversus imperatores suos, eosque in palatiis suis nuper in Gallia occiderunt? Nonne etiam publici hostes dicendi sunt, qui illos vexaverunt omni contumeliarum genere in ludis circensibus, vel famosis libellis ad eorum statuas appensis? Denique quinam publici hostes, num christiani, qui nolebant deum vocare Imperatorem; vel gentiles, qui contra conscientiam illum non sine irrisione appellabant deum, ac per ejus genium dejerantes, pejerare non verebantur?

Novum porro hi scelus christianis inferebant, mirabilem videlicet in quibuslibet cruciatibus pro religionis suæ veritate perferendis constantiam (*cap.* 18). Sed qua, quæso, fronte et audacia? Nam ipsi maximis laudibus efferebant Regulum, qui primus crucis supplicio; reginam Ægypti, quæ bestiarum morsu; uxorem Annibalis, quæ, sicuti Dido, voluntario igne vitam finierunt? Nonne etiam laudabant atticam mulierem, quæ post acerbissima tormenta linguam suam, ne secretum proderet, in tyrannum exspuit? Nonne etiam gladiatoribus laudi tribuebant, quod a se invicem, aut a bestiis necari, quod quidam vivos se comburi, quod Lacones se flagris cædi laniarique constanter paterentur?

At certe eo magis laudanda erat invicta christianorum in horrendis cruciatibus fortitudo, quod illos, non sicut ethnici, ad aucupandam inanem hominum gloriam tolerabant, sed quia certissime exspectabant futuram corporum resurrectionem, ultimum Dei judicium, atque æternam pro meritis mercedem (*cap.* 19). Neque hanc propter exspectationem exsibilandi erant ab ethnicis, qui asserebant animas hominum in alia etiam bestiarum corpora migraturas, futurum Minois ac Rhadamanthi judicium, ac postea impios æterno igne, pios autem in amœno loco vitam æternam transacturos.

Postremo Tertullianus ex hactenus disputatis concludit christianos, etiamsi omnium, quorum falso accusabantur, criminum rei fuissent, non puniendos tamen vexandosque ab ethnicis, qui eadem perpetrasse revera convincuntur (*cap.* 20). Denique quamvis christiani se criminum reos esse dixissent, maxima nihilominus diligentia ethnici investigare debebant an hæc vera essent, ac legitimos audire, examinare horum criminum testes ac conscios. Sed nolebant hæc a legibus suis statuta observare, ne agnita christianorum innocentia, eos amarent, quos odisse ac de medio tollere decreverant. Voluntaria igitur ignorantia errores suos amabant, oderantque veritatem.

ARTICULUS II.

Analysis libri secundi.

Secundo in libro, duas quoque in partes diviso, ostendit Tertullianus falsos esse gentilium deos, pravosque ac rejiciendos eorum cultus (*lib.* II. *cap.* 1). Quacumque enim majorum auctoritate stabiliti videantur, illorum falsitas adeo manifesta est, ut omnibus, qui se sponte non excæcaverint, facillime agnoscatur. Indomitam itaque horum obstinationem ut frangat Tertullianus, ea primum refellit, quæ Varro, omnium sui temporis virorum eruditione præstantium facile princeps, in suis de religione libris tradiderat. Triplex autem ibi ille distinguit deorum genus: primum physicum, sive philosophorum; secundum mythicum, seu poetarum; tertium gentile seu populorum. Sed primum, inquit auctor noster, incertis nititur conjecturis, secundum meris fabulis, tertium ridiculis deorum adoptionibus, cultuque insano et turpissimo. Ea ergo omnia tam falsa sunt, quam communis unaque esse debet omnium de vero Deo sententia, unanimisque consensus.

Summa quippe erat physicorum seu philosophorum de Dei natura dissensio, quæ non aliunde, quam ex ipsius ignorantia oriebatur (*cap.* 2). Sapientiam itaque frustra profitebantur, cujus initium est Dei timor. Quomodo autem eum timere potuissent, quem, quis qualisque sit ignorabant? Promptum tamen illis erat hunc verum Deum ex sacris nostris Scripturis cognoscere. Sed quæ ex puris hisce fontibus hauserant, cæca gloriæ libidine ducti, variis corruperunt argutiis, et exinde varias scissi sunt in partes. Platonici siquidem docebant Dei providentia omnia administrari; contra Epicurei id plane penitusque negabant. Asserebant iidem Platonici Deum intra, Stoici vero extra mundum esse positum. Fatebatur Diogenes se nescire quid in cœlo agatur, quive dii sint: prius vero Thales Milesius Crœso de diis illum interroganti nihil prorsus respondere potuit. Socrates vero illos existere non quidem credebat, sed jussit tamen gallum gallinaceum Æsculapio immolari.

Quid plura? Dionysius deos trifariam divisit: primo in eos, qui sub adspectum nostrum cadunt, ut sol et luna; secundo in alios qui non videntur, ut Neptunus; tertio in alios, qui assumpti sunt ex

Digitized by Google

hominibus, sicuti Hercules et Amphiaraus. Triplex etiam, sed diversum deorum genus excogitavit Arcesilaus, nimirum Olympios, Astra, et Titaneos. Posteriores vero tantum duos Xenocrates admisit, quemadmodum plerique Ægyptii non plures, quam solem et lunam, cœlum et terram. Suspicabatur autem Democritus deos omnes ortos esse cum superno igne, cujus instar Zeno naturam esse voluit. Unde Varro docuit mundi animum esse ignem, quo quippe exstincto, morimur.

Ad id tamen unum hæ omnes, quantumvis diversæ, opiniones conspirare videntur, ut non alios Philosophi illi deos esse putaverint, quam mundi elementa, aut quæ ex iis oriuntur (*cap.* 3). Verum Tertullianus hæc vigilantium hominum somnia esse demonstrat. Nam Deus ex se ipso est, ingenitus, et æternus, qui nec initium habet, nec finem unquam habebit. Atqui elementa partes sunt mundi, quem Plato creatum esse fatetur, et solus Epicurus increatum esse somniaverat.

Ad hæc vero, si mundus et elementa dii sint, animalia esse debent, atque hoc ipso mortalia sunt, ac divinitate carentia. Nec audiendus est Varro, qui garriebat ea esse quidem animalia, sed quæ ex se ipsis moventur, et idcirco immortales dii censendi sunt. Nam quoquo modo hæc elementa moveantur, sunt profecto corporea, ac proinde destrui cum possint, dii esse nequeunt. Deinde vero, etsi sese moverent, motus tamen sui principium acceperunt ab alio, qui quamvis non videatur, omnium motuum primus auctor est, et idcirco verus solusque Deus.

Nec sinit Tertullianus sibi objici nomen græcum Θεός a cursu ac motu, quo elementa prædita sunt, reipsa derivari (*cap.* 4). Nam vera Dei denominatio non aliquam, quæ oculis nostris conspiciatur, non secus ac cursus et motus, qualitatem significat, sed supremam majestatem ac substantiam. Quid vero, quod plures ethnici deos suos bene multos immobiles esse prædicabant. Nemo insuper inficias unquam ibit elementa componi materia, quam simplicissima Dei natura pati non potest. Et certe Zeno materiam mundi a Deo sejunxit, eumque per illam, tanquam mel per favos transire arbitratus est. Sed dicas velim, quo physici pacto mundum, ac comprehensa in eo elementa deos esse asseverant? Plato enim ipsum hunc mundum censet esse rotundum, capiteque carentem. Epicurus vero: *Quæ supra nos*, inquiebat, *nihil ad nos?* solemque duntaxat pedalem esse effutiebat: contra Peripatetici illum toto terrarum orbe longe majorem esse opinabantur. Nonne ergo tales deos fingere summa dementia est? Denique Thales Milesius cœlum rimando in puteum cecidit. Quid autem casus ille indicat, nisi vanam fuisse curiositatem physicorum, qui rerum naturam frustra scrutati verum illius artificem Deum omnipotentem non cognoverunt?

Instabat Varro tribuendam elementis divinitatem, qua homines aut summis beneficiis sibi devinciunt, aut premunt incommodis (*cap.* 5). Verum respondet Tertullianus elementa rerum prosperarum vel adversarum esse tantummodo instrumenta, verumque Deum, cui serviunt, esse illarum auctorem. Nam sicuti ægroti sanatio non medicamentis, sed medico, et mors hominis non gladio aut lanceæ, sed latroni aut hosti tribuendæ, sic prospera et adversa non elementis, sed Deo, æquo meritorum judici, adscribenda sunt. Constat præterea elementa minui, intercidere, ac regi ab aliquo (*cap.* 6). At verus Deus nec minui, nec pati aliquid potest, omniaque regit, ac moderatur.

Transit inde Tertullianus ad secundum deorum genus quod Varroni mythicum seu poetarum cognominare placuit (*cap.* 7). Finxerunt autem poetæ hos deos esse heroas, qui post transactam mortalem hominum vitam, præclaris factis adepti sunt divinitatis præmium. Pessimo autem hoc exemplo Romani suos reges, aliis pejerantibus, deos similiter renuntiarunt. At quinam, amabo te, fuerant illi poetarum dii? Homines utique sordida aut scelerata origine procreati, qui per vitæ suæ curriculum in omni sese volutarunt genere scelerum. Quamobrem Plato poetas ipsumque Homerum, tanquam improbos deorum criminatores, civitate pellendos esse censuit. Quin etiam ethnici, quantumlibet impudentes, christianis tantam deorum infamiam exprobrantibus, nihil aliud respondebant, nisi meras esse fabulas poetarum. Verum etsi poetis se non credere clamarent; fictos tamen ab illis deos Cererem, Idæam matrem, Saturnum, Herculem non solum venerabantur, sed horrenda quoque eis sacrificia faciebant. Quis igitur hos poetarum deos non summa sine impietate ab ethnicis coli et venditari non fatebitur?

Nec minus certe insulsum erat tertium deorum genus, quod Varro gentile, seu plebeium esse docebat (*cap.* 8). Non alii quippe erant hi dii, quam illi, quos quidam populi ad arbitrium ac libidinem adoptatos, ab aliis nec visu, nec auditu, ac ne nomine quidem discernebant. Tales Tertullianus memorat Atargartim, Cœlestem, Versutinam, Obodam, Dusaren, Belenum, Delventinum, Visidianum, Numentinum, Anchariam, Præverim, et Nortiam. Eadem vero licentia factum ille putat, ut Ægyptii, qui bestias colebant, patriarcham Joseph Serapidis nomine deum habuerint et honoraverint. Recte igitur ex dictis concludit falsissimos esse illos populorum deos; quando quidem solus verus Deus ubique præsens et omnium dominus, ab omnibus pariter colendus et adorandus est.

Secunda hujus libri parte Romanorum deos ille speciatim explodit et evertit (*cap.* 9). Eos autem Varro præpostere divisit in dubios, certos, et electos. Nam quis, inquit auctor noster, nisi amens, incertum dubiumque deum honorat. Certos vero deos et selectos qui habet ac veneratur, is alios profecto spernit ac reprobat. Inepta est igitur illa divisio deorum, qui paulo melius distingui poterant in communes et proprios. Verum primi, sive communes, iidem sunt ac publici et adventitii, qui paulo ante memorato a nobis et confutato deorum physico vel mythico genere comprehenduntur. Supersunt itaque

Digitized by Google

tantum proprii Romanorum dii, qui vel ex devictis hostibus rapti, et Romam asportati erant, vel penates et lares, quos unusquisque privata in domo sua peculiarique ritu colebat. At hi omnes homines fuerunt, qui ob egregia quædam facinora dii post mortem insulsa plane consecratione facti sunt. At quænam, ait Tertullianus, unius ex eis, verbi gratia Æneæ, erant merita? Num pietas in patrem et filium? Sed is vel suam, sicut Antenor, prodidit patriam, vel eam, relicto Priamo et Astyanacte, flagrantem deserendo, non imitatus est fœminam Punicam, quæ se cum filiis in ardentis patriæ ignes injecit. Numquid melior Romanis, qui pro salute principum adversus liberos et conjuges jurabant? Si quid porro patrem humeris gestando promeruit nonne Argivi juvenes matrem suam, ne in sacris piaculum faceret, tanquam jugales vexerunt? Si suum ille patrem aluit, nonne filia quædam majori pietate patri suo, in carcere posito, admovit ubera? Magis ergo illi divinis honoribus digni erant, quam ignavus timidusque Æneas, qui post prælium Laurentinum nunquam comparuit. Numquid etiam divinitatis honorem meruit Romulus, qui interfecit fratrem suum, alienasque rapuit virgines? Numquid Hercules propter Augiæ fimum ejectum, Penelope propter castitatem, Sanctus propter hospitalitatem jura divinitatis potius, quam Sterculus, quam filia Fauni, quam Ulyxes consequi debebant?

Quid vero de aliis longe turpioribus diis dicendum? Quid, obsecro te, divinitatis est in Larentina meretrice publica, et Romuli nutrice? Quid fœmina, quæ in ab Herculis ædituo post ridiculum ludum vitiata, ipso Hercule jam mortuo se compressam fuisse gloriabatur? Quis patienter ferat infamem Antinoum a Romanis deum haberi? Alios tamen non minus turpes deos hi commenti sunt, quos nuptiis ac procreandis liberis præesse stultissime prædicabant. Tales sunt Consevius, Fluvionia, Vitumnus, Sentinus, Diespiter, Candelifera, Prosa, Farmus, Albana, Runcinia, Potina, Edula, Abeona, Domiduca, Volumnus, Voleta, Paventina, Venilia, Volupia, Præstitia, Peragenor, Consus, Juventa, Fortuna, Barbata, Afferenda, Mutunus, Tutunus, Pertunda, Subigus, Prema, et alii quorum officia nominibus suis appellare vel minimus pudoris sensus prohibet (*cap.* 10, 11).

Omnes porro Romanorum deos, ut simul et semel Tertullianus præcidat, ipsam petit illorum originem, quam Varro a Jove, Junone et Minerva orditur : sed quæ a Saturno illorum parente repetenda est (*cap.* 12). Non hic autem, multo minus ejus filii, deus unquam esse potuit, qui e Cœlo seu Chrono et Terra genitus, patrem suum castrasse perhibetur. Nec dicendum hæc allegorice de tempore terræque fœcunditate explicari. Clarissimi siquidem scriptores Cassius Severus, Cornelius Nepos, Tacitus, Diodorus, et alii disertissime asseverant Saturnum revera hominem fuisse, qui variis orbis terræ partibus peragratis, in Œnotria seu Italia exceptus, monti et urbi, ubi sedem fixerat, ac toti Italiæ suum imposuit nomen. Quia vero ille tanquam ex inopinato appulerat, nec cogniti erant ejus parentes, de cœlo lapsus ferebatur. Ne quid autem ethnici mutire auderent, hoc recepto ab illis Sibyllæ testimonio confirmat.

Itaque cum nullus ambigendi locus detur, quin Saturnus homo fuerit, inde certo colligitur, quos ethnici ortos ex illo, ac postea mortuos sepultosque fatebantur, hos reipsa fuisse homines (*cap.* 13). Atqui mortui homines non possunt esse dii, nisi vel a seipsis, vel ab aliis suam acceperint divinitatem. A se autem ipsis eam non habent. Non enim sivissent se primum fuisse homines, tot tantisque humanis infirmitatibus obnoxios. Neque etiam suprema divinitate ab alio aliquo donati sunt, nisi cæteris omnibus fictis diis potentiore, qui proinde solus verus Deus dici debet. Deinde nulla prorsus assignari causa potest, cur verus Deus alios fecerit deos. Non quidem ut sibi auxilio essent, vel ornamento. Deus enim omnipotens nullius ope vel ornatu indiget. Neque aliquos homines propter eorum merita deos fecit. Quid namque merebatur Saturnus, filiorum suorum devorator; aut Jupiter patris subductus furori, sororis adulter, qui ut alia stupra et adulteria securius faceret, bovis, imbris aurei, cygni, aliasque formas induisse perhibetur? Tam impii ergo et scelerati hujusmodi homines divinitatem nunquam meruerunt.

Neque ii etiam dii sunt, quos Dionysius Stoicus in nativos et factos distinguit (*cap.* 14). Tertullianus siquidem vel unico Herculis exemplo, sed quod plane sufficit, insulsissimam hanece opinionem evertit. Non enim divinitate dignus erat Hercules, quia feras interemit; quandoquidem plures occiduntur a gladiatoribus, neque etiam quia terrarum percucurrit orbem; nam Asclepiades Cynicus, pluresque philosophi majori mendicitatis labore cunctas lustraverunt totius mundi partes. Numquid ergo deus est, quia ille se contulit ad inferos? Sed quibusnam eorum via patet? Pergamus, si placet. Nonne eximius ille Hercules constupravit fœminas? Nonne ob amissum puerum militiam deseruit Argonautarum? Nonne lascivæ uxoris venenis circumventus, accenso rogo, necem sibi ipse conscivit! Quis ergo mentis suæ compos homo hunc credat esse deum? Quo etiam pacto Æsculapius potuit deus renuntiari, qui, ut narrat argivus Socrates, patre incerto natus, ob medicinæ peritiam fulmine Jovis, quemadmodum ejus mater, percussus fuit. Athenienses tamen illum matremque ejus, sicut Thesea, adorant.

Nec cœlo ac divinitate magis digni Castores, Perseus, Erigone, exoletus Jovis, sive Ganymedes, sicuti nec canes, scorpiones et cancri, quos romani in astra transtulerunt. Quis vero sine risu illa audiet nomina deorum, quos Romani certis quibusdam urbium ac domorum locis præpositos arbitrabantur? Ab iis quippe vocantur Viduus, Cæculus, Orbana, Arguis, Lana, Ascensus, Levicola, Forculus, Cardea, Limentinus, aliique singulis quibusque vitæ officiis præfecti. Sed hi solis pene Romanis cogniti, si dii

Digitized by Google

fuissent, cæteris omnibus nihil opus erat (*cap.* 15).

At ingrati plane sumus, inquiebant Romani, si divinitatis honores iis denegemus, qui vitæ necessaria nobis invenerunt. Tribuendi igitur sunt, ait Tertullianus, hi honores Catoni, qui ficum viridem, et Pompeio qui cerasa Romam primi attulerunt. Sed nihil hac ratione futilius. Non enim fructuum inventor, sed auctor et creator verus Deus est. Et certe novæ artes ab hominibus quotidie inveniuntur; nemo tamen harum inventores deos esse dixerit (*cap.* 16).

Instabant Romani se sua in deos pietate ac religione meruisse totius mundi dominatum. Itane vero, inquit Tertullianus? Numquid turpis Sterculus Romani imperii fines propagavit? Numquid Jupiter antri Idæi, Cretæ patriæ suæ, ac jucundissimi nutricis suæ odoris oblitus, his prætulit capitolium? Numquid Juno Carthaginis, quam Samo olim præposuerat, penitus immemor, voluit eam a Romanis subverti? Sed horum, aliorumque imbellium deorum nec ulla fuit adversus fata potestas, nec potuerunt suas urbes provinciasque adversus hostium suorum arma tueri.

Ad hæc vero, Romanorum imperium antea fundatum fuit quam ulla deorum essent simulacra, cultus ac sacra, quæ postmodum a Numa Pompilio introducta sunt. Bellis itaque accrevit illud imperium, atque idcirco pari sacerdotum ac civium cæde, pari rerum sacrarum atque profanarum ruina, totque sacrilegiis, quot trophæis ac triumphis. Denique quis nescit funditus eversa fuisse regna Assyriorum, Medorum, Persarum, Ægyptiorum, qui non minore pietate, quam Romani, deos suos colebant? Solus ergo Deus, unus et omnipotens, regna dispensat, minime vero Romanorum aut aliorum gentium dii, quos tam factitios esse constat, quam illorum, a quibus coluntur, falsas vanasque religiones (*cap.* 17).

ARTICULUS III.

Variis rationum momentis ostenditur Tertullianum horum librorum esse auctorem, et nova Hoornbeeki id negantis opinio refellitur.

Testatum nobis Hieronymus fecit editos fuisse a Tertulliano præter Apologeticum alios *ad Gentes* libros, de quibus ad Magnum hæc scripsit in verba : *Quid Tertulliano eruditius? quid accuratius? Apologeticus ejus, et contra Gentes libri cunctam sæculi obtinent disciplinam* (*Hieronym. epist.* 83. *ad Mag. pag.* 656). Quis autem non videat hos, de quibus agimus, designari libros, et ab Apologetico distingui? Quamvis enim in Agobardi codice, de quo infra dicendum, inscribantur *Ad nationes*, eumdem tamen atque *Ad gentes* titulum esse quis diffitebitur?

Huc accedit Augustinus, qui Tertulliani nostri opinionem refellendo, ejus nomine hosce libros, tametsi paulo obscurius, citavit: *Non dico*, inquit, *quod facetius ait Tertullianus fortasse, quam verius : Si dii seliguntur ut bulbi, utique cæteri reprobi judicantur.* (*August. lib.* VII. *de Civit. cap.* 1. *pag.* 162.) Scimus quidem nonnullis visum ibi citari illius Apologeticum. Sed persuasum alii ita habuerunt non alios ibi, quam *ad Nationes* libros citari; ut inde illorum textum corrigi voluerint. Et certe postea ostendemus Augustinum ibi ad hos potius respexisse auctoris nostri libros, quam ad Apologeticum.

Præterea hi libri in vetusto Agobardi codice manuscripto non semel inscribuntur ipso Tertulliani nomine. Secunda enim illius in pagina hæc legimus : *Hic sunt Tertulliani libri : Ad nationes liber I. Item Ad nationes liber II.* In primi etiam libri fine : *Tertulliani Ad nationes liber I. explicit. Incipit liber secundus Ad nationes.* Hujus porro codicis librarius in prima ejus pagina litteris majoribus scripsit : *Liber oblatus ad altare Scî Stephani ex voto Agobardi Epî*, id est, Episcopi. Atis, inquiunt, ipse est Agobardus lugdunensis archiepiscopus, qui Caroli Magni filiorumque ejus ætate, atque ineunte sæculo nono florebat. Tum itaque descriptus fuit ille codex ex alio proculdubio antiquiore, in quo, atque aliis haud dubie pluribus, hi libri præfixum similiter habebant Tertulliani nomen. Communis igitur non eo tantum Agobardi, sed superioribus etiam sæculis, opinio erat Tertullianum horumce *ad Nationes* librorum esse auctorem.

Quamvis autem tanti roboris ratio nobis deesset; horum tamen librorum argumentum, ætas, atque in primis styli scriptionisque genus, ac summa cum Apologetico affinitas, illos a Tertulliano profectos esse demonstrant. Ex ipsa siquidem a nobis jam exhibita eorum analysi evidentissime patet illorum scriptorem in hoc esse totum, ut palam omnibus faciat christianos contra legum omnium præscripta ab ethnicis iniquissime vexari, eorumque criminum falso accusari, quorum revera conscii erant ipsimet gentiles. Scripti sunt ergo hi libri, ipsa Tertulliani ætate, cum ethnici tam cæco, quam effrenato furore in christianos adhuc sæviebant. Denique nihil in eis sive de christianis, sive de gentibus dictum est, quod Tertulliani ætati non conveniat, ipsumque ejus tempus non indicet.

Singularis quoque horum librorum stylus, insolitum dictionum verborumque genus, plane ostendunt Tertullianum esse verum illorum parentem. Nam peculiaris ejus ac propria cæterisque dissimilis ejus elocutio in eis ubique passim emicat, ac cito citius a quolibet lectore deprehenditur. Ad hæc vero, in illis sæpius occurrunt non solum eadem atque in Apologetico propria insolitaque Tertulliani verba, sed integræ etiam eædem periodi. Neque id longa inductione probari necesse est, quod facile obvium, atque ex postea dicendis manifestum omnibus fiet. Nonne autem tanta utrorumque librorum affinitas et connexio satis aperte demonstrat illos ab uno eodemque scriptore, nimirum Tertulliano, esse compositos?

Miramur itaque recentiorem quemdam, magni certe apud suos nominis virum, qui audacter pronuntiat sibi plane non videri Tertullianum horum librorum revera esse auctorem. Sed quibus, putas, rationum momentis? Non aliis pene quam iis ipsis, quibus ei potissimum vindicatur: *Non videtur mihi*, inquit, *auctor esse Tertullianus, non ejus stylus et materia,*

Digitized by Google

quæ fere eadem quæ in Tertulliani Apologetico, inde potius hausta, et per aliquem forte Tertulliani æmulum, aut studiosum ad eum efformata (*Hoornbeek. lib.* I. *de theolog. Patr. cap.* 1, § 10. *pag.* 106). Novum sane et mirum est illud argumentandi genus! Idem stylus, inquit doctus ille vir, et eadem est Apologetici et librorum ad Nationes materia; ergo hi libri non a Tertulliano, sed ab ejus æmulo aut studioso compositi sunt. Quid, si inde nos similiter concludamus Apologeticum non ab illo, sed ab ejus æmulo aut studioso esse confectum? Numquid respondebit hunc librum Tertulliano ab aliis scriptoribus adjudicari? At nos etiam mox ostendimus ipsi quoque ab aliis adscribi illos ad Nationes libros.

Deinde vero eruditus ille vir nobiscum fatetur, quod negare non potest, eumdem esse horum librorum et Apologetici stylum. At, nec ille, nec alius unquam negabit Tertulliani stylum dicendique modum ita ipsi proprium et peculiarem esse, ut vix ac ne vix quidem ullus unquam potuerit illum imitari. Nonne ergo hinc, ut peritiores critici solent, longe potiori jure concludendum est eumdem Tertullianum horum trium librorum esse revera parentem?

Instat Hoornbeekius eamdem præterea esse illorum materiam idemque argumentum. Sed quid inde? Numquid idem christianus auctor duos diversos de eodem argumento, ac potissimum in christianæ religionis, ab ethnicis tanta iniquitate, quanta sævitia vexatæ, defensionem libros conficere, aut scriptos retractando reficere, corrigere, augere, minuere non potuit? Numquam certe is, qui hæc nobis objectat, illud inficiabitur. Nam ipse, sicut alii omnes, palam confitetur Tertullianum libri *ad Scapulam* verum esse auctorem. Atqui in hoc libro idem atque in *Apologetico*, et duobus *ad Nationes* libris argumentum, videlicet christianorum iniquissime vexatorum caussa, sed quæ brevius agitur. Ad hæc vero libri *ad Nationes*, ad alios quam *Apologeticus*, et liber *ad Scapulam* directi sunt. Quid vero quod paulo post demonstrabimus alia plura in *Apologetico*, quam in libris *ad Nationes*, ac vice versa pertractari? Denique ostendemus Tertullianum validis rationibus ad hos libros post *Apologeticum* scribendos compulsum fuisse.

Urget tamen Hoornbeekius auctorem libri primi *ad Nationes* dixisse nondum elapsos a Christo nato annos ducentos: in libro autem de Monogamia *circiter centum et sexaginta* (*Tertull. lib. de Monogam. cap.* 3). Sed levissimas rationes alia longe leviori confirmare frustra nititur. Nam etsi constaret nullum librariorum in numeris describendis subesse errorem, ac certum foret initium horum annorum ab ipso Christo duci; non inde tamen concludi potest libros *ad Nationes* Tertulliano esse abjudicandos. In ipso siquidem horum primo legimus: *Ætati nostræ nondum anni CCL* (*Idem lib.* I. *ad Nation. cap.* 7). Ac non multo post: *Ut supra edidimus ætatis nostræ nondum anni trecenti* (*Ibid. cap.* 9). Numquid ergo hunc librum non ab uno eodemque auctore editum esse dixeris? Quis A sanæ mentis homo ita unquam argumentatus est? Quis non videat ab eodem scriptore, chronographum non agente, dici revera potuisse nondum a Christo fluxisse 200 annos, et alibi annos circiter CLX elapsos esse? Sed nos sane puderet, tæderetque tam vanam singularemque opinionem refellere, nisi quidam postea huic, quem magnis laudibus extollunt, novo auctori subscripsisse viderentur.

ARTICULUS IV.

Quo tempore hi libri publicam in lucem prodierunt.

Quo ipso tempore Tertullianus his *ad Nationes* libris componendis operam dederit, dictu nec promptum nec facile est. Quædam tamen in eis ætatis notæ atque indicia nobis sese offerunt. Primo etenim in B libro legimus latam paulo antea a Fusciano, Urbis præfecto, sententiam in quemdam patrem, qui cum filium suum recens natum exposuisset, elapso dehinc tempore, sibi amplius non cognitum, a seque emptum, constupraverat (*Tertull. lib.* I. *ad Nat. cap.* 16). Atqui Capitolinus meminit Fusciani, Urbis præfecti, cui Pertinax proxime successit (*Capitolin. in vita Pertinacis post init.*). Initio autem anni 193. hic imperator creatus, post tres circiter menses occisus fuit. Non diu ergo post Pertinacis mortem Tertullianus hos libros edidisse dicendus est.

Neque objicias illum in eodem libro scripsisse: *Ætati nostræ nondum anni* 250, id est, a christianæ religionis exortu (*Tertull. lib.* I. *ad Nat. cap.* 7). Nam postea adhuc scripsit: *Ut supra edidimus, ætatis nostræ nondum anni trecenti* (*Ibid. cap.* C 5). Nihil ergo penitus certum et exploratum inde concludi potest. Majorem enimvero annorum numerum assignare ille procul dubio maluit, ne ethnicis ullum cavillandi locum præberet. Præterea ex duobus illis numeris, *nondum anni* 250 et 300 tam disparibus, quid certum colligi potest? Si quid autem inde colligere velis, prius definiendum tibi erit, quo Tertullianus anno assignaverit æræ christianæ initium.

Nonnulli itaque existimant horum librorum ætatem certius agnosci posse ex aliis illius verbis, quibus ethnicos sic adloquitur: *Ex vobis nationibus quotidie Cæsares, et Parthici, et Medici, et Germanici sunt* (*Ibid. cap.* 17). At hæc, inquiunt, Caracallam spectant, qui Germanis Parthisque devictis, Germanici Parthicique agnomine anno 216 insignitus est. Non male quidem, si Caracallæ soli hæc honoris cognomina data fuissent.

Clarius ergo horum librorum ætatem indicant hæc subsequentia Auctoris nostri verba: *Adhuc Syriæ cadaverum odoribus spirant; adhuc Galliæ Rhodano suo lavant* (*Ibid.*). Nam ibi proculdubio designantur Pescennius Niger, et Clodius Albinus, qui cum a Severo Imperatore defecissent, ille in Syria, hic in Gallia, cum suis copiis profligati cæsique fuerunt. Atqui hæc, quæ in ejusdem Tertulliani Apologetico memorantur, contigerunt anno 194, vel 195, aut potius anno 197, sicuti supra fusius explicavimus.

Digitized by Google

(*Supr. cap.* 3. *art.* 2). Paulo igitur post hunc annum hos Tertullianus ad Nationes libros, sicut Apologeticum divulgasse dicendus est.

Quidam vero ex subsequentibus illius verbis : *Temporum qualitas robu.... ris antiquitatis exegerit ingenia duriora : at nunc tranquillitas pacis et ingenia mitiora* (*Ibid. cap.* 18.), arbitrantur confici posse hæc ab illo tradita, cum Christiani sub initio imperii Severi optata pacis et otii tranquillitate fruerentur. At Severus ille persecutionem in eos excitavit datis anno 202 edictis. Antea igitur Tertullianus hos, inquiunt, libros confecerat.

Sed animadvertendum est illum his verbis induxisse ethnicos, perperam objicientes duriora fuisse suorum ingenia majorum, qui ad quoslibet etiam acerbissimos cruciatus patienter ferendos comparati magis erant, quam alii ætatis suæ homines, quorum ingenia tranquillitas pacis et otii mitiora reddiderat. Si tamen hæc ipsa Auctoris nostri verba de vera christianæ Ecclesiæ pace intelligenda esse contendas, ac probaveris, ultro tibi assentiemur. Inficias nemo tamen ibit ex superius dictis certius colligi hos *ad Nationes* libros et *Apologeticum* non multo post annum 197. publicam venisse in lucem. Quinam autem ex iis primum prodierint, alia est inter eruditos controversia, jam a nobis excutienda.

ARTICULUS V.

Utrum hi duo ad Nationes libri ante vel post Tertulliani Apologeticum scripti fuerint.

Qui duos ad Nationes libros post Apologeticum scriptos fuisse autumant, hi ratione triplici opinionem suam stabilire conantur. Primo enim Apologeticum anno circiter ducentesimo, atque initio commotæ ab imperatore Severo adversus Christianos persecutionis, editum suspicantur ; libros autem ad Nationes jam provecto Caracallæ imperio, et postquam hic imperator Parthici Germanicique nomen accepisset. Verum jam ostendimus nutare penitus hujusce posterioris de Caracalla assertionis fundamentum.

Secunda illorum ratio est, Christianorum defensionem, quæ totum et Apologetici et librorum ad Nationes complectitur argumentum, plenius in his quam in illo pertractari. Sed a nobis postea demonstrabitur quam vero parum similis sit hæc conjectura.

Tertiam rationem sumunt ex verbis et periodis, qui aliis occurrunt in libris, quos Tertullianus post suam ad Montanistas defectionem divulgavit. Quasi vero nec alia his quoque similia reperiantur in aliis ejus libris, ac præsertim Apologetico, ubi longe plura eadem atque in libris ad Nationes occurrere fatentur.

Quam infirma autem hæc rationum momenta, tam valida nobis videntur alia, quæ ex his ipsis ad Nationes libris erui possunt. In his siquidem non semel Tertullianus promittit multa se alibi explicaturum. Ne vero aliquid dubii et incerti proferri quidam causentur, ea non urgebimus, quæ Tertullianus, postquam probavit Christianos ob suum duntaxat nomen vexari, continenter addidit : *Sed dum hæc ratio suo loco ostenditur, vos, quam insequimini ad expugnationem nominis, edite* rationem (*Tertull. lib.* I. *ad Nat. cap.* 3). Nihil enim ibi diserte pollicetur a se deinceps agendum, sed rem ipsam a se satis explicatam significasse nobis videtur.

At clarioribus profecto verbis spondet fore ut alibi longiorem instituat de futura corporum resurrectione, æternisque hominum post mortem aut præmiis aut pœnis disputationem. Hunc enim ille loquitur in modum : *Viderimus de fide istorum, dum suo loco digeruntur,* (*Ibid. cap.* 7), id est, scriptis tradenda disponuntur et præparantur. Ubinam vero hoc ille adversus ethnicorum ineptias digessit ac tradidit? Non in his quidem ad Nationes libris, sed sub finem Apologetici sui, quem potius quam alium librum designasse haud immerito dixeris (*Idem, Apologet. cap.* 48 *et* 49).

Tum deinde, ubi alias ethnicorum, christianos omnis publicæ cladis caussam esse clamitantium, calumnias refellit : *Postmodum*, ait, *obtundentur expositione totius nostræ disciplinæ* (*Idem, libr.* I. *ad Nation. cap.* 10). Dic autem, obsecro, ubinam ille ad diluendas hasce gentilium criminationes hanc christianam doctrinam exposuit. Non in his certe ad Nationes libris, sed in pluribus Apologetici capitulis, uti vel ex sola patet, quam supra dedimus, hujus libri analysi (*Idem, Apologet. cap.* 17, 18 *et seqq*).

Præterea pollicetur se aliquando probaturum falsa esse de Deo non modo ethnicorum poetarum, sed divinandi etiam artem profitentium documenta : *Deliranda enim*, inquit ille, *nunc est species ista, cujus suo loco ratio reddetur* (*Idem, lib.* II. *ad Nat., cap.* 5). Quo ergo in libro illam, qua gentilium ineptæ accusationes redarguantur reddidit rationem? Nonne in Apologetico, ubi eam fuse explicatam legimus (*Idem, Apologet., cap.* 21 *et* 22)?

Quid plura? Ubi ille rursus gentilium, qui infanticidii Christianos impudentissime postulabant, audaciam retundit, illos his compellat verbis : *Vos si de memoria abierunt quæ erga de hominis, quæque infanticidiis transegisse, recognoscetis suo ordine. Nunc enim differimus pleraque, ne eadem videamur ubique retractare* (*Lib.* II. *ad Nation., cap.* 15). Vides profecto ibi duo ab Auctore nostro diserte enuntiari. Primo quidem plenius a se ipso demonstrandum gentiles homicidii atque infanticidii esse reos. Atqui id ille nullibi fusius quam in Apologetico demonstrat. Secundo palam declarat multa se distulisse, alibi a se fusius enucleanda, ne eadem aliis in libris repeteret, ac retractaret. Sed ubi, quæso, hæc adversus gentiles uberius, quam in Apologetico disputavit?

Quis ergo, iis omnibus, quæ retulimus, accurate expensis, non fatebitur Tertullianum, cum hos ad Nationes libros exarabat, nos ad suum misisse Apologeticum quem tum conficere meditabatur (*Supr. cap.* 3. *art.* 1)? Prius igitur libri ad Nationes, quam Apologeticus ab illo editi sunt. At ex assignata a nobis hujus ætate satis aperte colligi potest illum, ad datam scribendi Apologetici fidem liberandam, non

Digitized by Google

longum interposuisse temporis spatium, nec moram pati potuisse, quin Christianorum caussa, sicuti apud universas nationes, ita apud eorum præsides, judices ac magistratus perorata, illorum innocentiam omnibus patefaceret. Si ergo Apologeticus liber circa annum Christi 200, quemadmodum diximus, publicam in lucem emissus est, hi duo ad Nationes libri paulo ante divulgati fuerant (*Ibid.*).

ARTICULUS VI.

De horum librorum argumento, et utrum illud plenius perfectiusque in eis, quam in Apologetico pertractetur.

Plura quidem in superiori articulo retulimus Tertulliani verba, quibus testatur se plura in his ad Nationes libris prætermisisse, quæ in Apologetico fusius explicare decreverat. At hæc plane repugnant illorum opinioni, qui contendunt harumce commentationum argumentum in libris *ad Nationes* uberius, perfectius, meliorique ordine, quam in Apologetico pertractari. Animum enim nescio qua ratione induxerant acre, vehemens, acutum auctoris ingenium, igneumque illius acumen passim ubique in his micare libris, sed eum violento illius impetu raptum, plura scripsisse, quæ non satis meditata, polita, limataque sunt. Verum ruit plane hæc opinio, si Apologeticus post libros ad Nationes ab eo, sicuti vidimus, profectus fuerit.

Præterea constat plura magni sane momenti in Apologetico disputari, quæ in libris ad Nationes omissa sunt, tametsi nonnulla in his vicissim libris, et neutiquam in illo legantur. Cunctis autem ut hæc magis plana ac perspicua fiant, exhibendum censuimus indicem capitum, in quibus eadem aguntur. Inde enim unusquisque facile judicabit, in quibus hi libri a se invicem discrepant.

INDEX CAPITUM

In quibus Apologeticus *et libri* ad Nationes, *inter se conveniunt.*

Liber primus ad Nationes.	Apologeticus.
Caput 1.	Cap. 1.
Caput 2.	Cap. 2.
Caput 3.	Cap. 2 et 3.
Caput 4.	Cap. 3 et 46.
Caput 6.	Cap. 4.
Caput 7.	Cap. 7 et 8.
Caput 8.	Cap. 8, non totum.
Caput 9.	Cap. 40 et 41.
Caput 10.	Cap. 12, 13, 14 et 15.
Caput 11, 12, 13 et 14. .	Cap. 16.
Caput 14, 15 et 16. . . .	Cap. 9.
Caput 17.	Cap. 35.
Caput 18.	Cap. 50.
Caput 19.	Cap. 47, 48, 49.
Liber secundus ad Nationes.	Apologeticus.
Caput 12.	Cap. 10.
Caput 17.	Cap. 25.

Vides sane ex hoc indice cum Apologetico concordare primum ad Nationes librum, si hujus excipias caput quintum, in quo petita ab ethnicis ex malis quibusdam christianis argumentatio diluitur; et caput ultimum, quod totius libri conclusio est. Secundus autem liber ad nationes in septemdecim capitula divisus est, quorum quindecim nihil cum Apologetico commune habent. In octo autem prioribus ex his quindecim capitulis Tertullianus fictum a Varrone triplex deorum genus physicum, mythicum, plebeium, in septem vero posterioribus venditatos Romanorum deos exagitat et explodit.

Ex quinquaginta vero *Apologetici* capitulis ne media quidem pars cum duobus *ad Nationes* libris congruit. Cum cæteris autem dissidet, in quibus Tertullianus explicat asseritque quam vera sint Christianorum documenta, quam casti et incorrupti illorum mores, quam pii et sancti solemnes eorum cœtus, ac quam religiosæ synaxes. At de his nihil in libris *ad Nationes*. Uno verbo in hisce libris demonstratur Christianorum innocentia iniquissime vexata, ethnicorum vero injustitia, depravatio, corruptela et religionis pravitas, nihilque amplius. Verum in *Apologetico* hæc quidem omnia, et insuper christianæ religionis sanctitas ac veritas. Quis ergo ex hac horumce librorum collatione negare poterit illorum argumentum longe plenius ac perfectius in *Apologetico*, quam in libris *ad Nationes* explicari ac demonstrari?

ARTICULUS VII.

De librorum ad Nationes titulo; cur a Tertulliano scripti, ac quibus directi fuerint; de unico illorum manuscripto codice, variis editionibus, ac quorumdam in eos notis et observationibus.

Observatum a nobis fuit hos libros in Agobardi codice inscribi *ad Nationes* (*Supr. hoc cap. art.* 3); ab Hieronymo autem librorum *ad gentes* nomine citari, sed utriusque tituli eamdem esse significationem. Quia tamen illi ad quos hi libri directi sunt ab ipso Tertulliano *Nationes* aut *miseræ* aut *miserandæ nationes* appellantur, hinc certe potior videtur præfixa in Agobardi codice inscriptio (*Tertull. lib.* I. *ad Nat. cap.* 1. *et lib.* II, *cap.* 1).

Quidam autem ex hac epigraphe colligi posse autumant hos libros ad ethnicorum populum plebemque directos, Apologeticum vero ad ipsorum magistratus, judices ac principes. At de hoc quidem Apologetico certa res, et extra controversiam posita est. Quid tamen vetat quominus duo *ad Nationes* libri omnibus omnino ethnicis, cum populis, tum judicibus et præsidibus, scripti fuerint? Nonne in eis Tertullianus non solum in plebem gentilium invehitur, sed etiam in judices, qui contra præscriptam æquitatis legumque cunctarum formam Christianos indefensos et inauditos condemnabant? Nonne ergo dici potest Tertullianum, cum hanc ethnicorum injustitiam summamque crudelitatem cerneret, hos primum *ad Nationes*, id est, quoscumque gentiles direxisse libros, ut eos ad saniorem, si fieri posset, revocaret mentem. Sed quia nihil aut parum certe profecerat, tum ad

Digitized by Google

judices nominatim præsidesque suum misisse] Apologeticum, quo illos compelleret ad examinandam Christianorum caussam, ne ea inaudita condemnarent innocentes. Quanti vero hæ rationes momenti sint, expendant æqui rerum æstimatores, ac pronuntient.

Quam multi ac frequentes libri Apologetici, tam rari sunt horum *ad Nationes* librorum codices manuscripti (*Supr. cap.* 2. *art.* 1). Unicus enim nobis superest, quem Agobardus, uti aiunt et a nobis jam annotatum est, archiepiscopus lugdunensis ad sancti Stephani altare obtulerat. Verum codex ille in marginibus plerisque ita situ, squalore, aut aqua pluvia corruptus est, ut extremæ linearum litteræ legi amplius nequeant. Sæpiùs itaque depravatis locis, nisi emendatior codex reperiatur, medica manus afferri non potest, nec auctoris sensus plane percipi.

In vetcri autem illo codice totum opus uno tenore, et absque ulla capitum divisione exaratum est. Sed Jacobus Gothofredus illud in varia capita distinxit, adjecitque capitum argumenta ac summaria. At Rigaltius, his omissis, retinuit solam capitum partitionem, in margine suis duntaxat numeris indicatam. Cuilibet itaque integrum est hanc, si ita judicaverit, distinctionem capitum, horumque immutare argumenta.

Omnium vero primus idem Gothofredus hos libros anno 1625, tales separatim typis excudi curavit, quales in memorato Agobardi codice descripti sunt. Postea Rigaltius illos cum aliis Tertulliani operibus divulgavit, quos septuagies octies se correxisse asseverat. Sed gratum profectò nobis fecisset, si dignatus fuisset dicere unde has omnes correctiones acceperit. Etenim illas non delibavit ex unico Agobardi codice, quem, optima fide a Gothofredo typis excusum, Rigaltius nunquam legisse videtur. Nam ut plura taceamus, inter hæc verba, *suo amatori apud vos*, ille vacuum sicuti Gothofredus spatium reliquit tanquam aliquid deesset (*Tertull. lib.* II. *ad Nat., cap.* 10). At in manuscripto codice nihil deest, et omnia sana atque integra sunt. Non hunc igitur codicem perlustravit, sed solam ejusdem Gothofredi editionem. Ex hujus itaque conjecturis, quas in notis suis consulto adjecerat, has Rigaltius, quas vocat, hausit emendationes, easque et alias plures a se, vel bene, vel sæpius male excogitatas, in textum horumce librorum, perinde ac si sui essent, audacter intrusit. Longius sane foret illas omnes hic exhibere, quas unus ex nostris cum nova operum Tertulliani editione repræsentare serio meditatur. Plures tamen, quæ majoris momenti sunt, opportuniori loco infra notabimus. De postrema tandem horum librorum editione, a Priorio adornata, nihil nobis amplius dicendum suppetit; quando quidem ille Rigaltianam κατὰ πόδας secutus est.

At his porro, quos illorum *ad Nationes* librorum editionibus præfectos memoravimus, scriptæ sunt in illos notæ et observationes. Gothofredus autem plures quam alii edidit, quibus menda librarii et Tertulliani verba, tametsi quandoque non adeo obscura, explanare, aut similibus ipsius et aliorum dictis confirmare A nititur. Pauciores vero a Rigaltio more modoque suo, de quo satis supra diximus, scriptæ sunt, quas Priorius curavit typis recudi, eisque unam ex Pamelio, et alias proprio ingenio adjecit. Quanti autem sint momenti, eruditi viri non semel pronuntiarunt.

CAPUT V.

De Tertulliani libro ad Scapulam.

ARTICULUS PRIMUS.

Analysis hujus libri.

Librum hunc, sive potius supplicem libellum Tertullianus ad Scapulam Africæ proconsulem direxit, quo eum, si fieri unquam poterat, a Christianis contra jus omne et fas excruciandis excarnificandisque deterreret (*Tertull. lib. ad Scapul. cap.* 1). Pri- B mum autem declarat hunc libellum a se scriptum, non quod Christianis, supplicia lubenti et alacri animo perferentibus, timeret, sed gentilibus illorum inimicis, quos vel hoc solo nomine diligere, ac pro eis Deum orare fidem Christiani tenebantur. Quamobrem officii sui esse duxit palam omnibus facere innocentes omnino esse Christianos, ac gentiles in hoc ipso criminum genere revera offendere, in quo illos falso reprehendebant.

Non fictitios siquidem deos, sicut illi, colunt, sed verum unicumque Deum, quem omnes naturaliter cognoscunt, ac verentur. Christiani igitur ad alium colendum cogi non debent; quando quidem religionis non est cogere religionem. Neque etiam quicumque finguntur dii, possunt ab invitis sacrificia C desiderare. Impietatis itaque aut sacrilegii, aut furti, aut seditionis Christiani, deos colere recusantes, plane immerito accusantur. Ethnici vero impune spoliantes deorum suorum templa illos contemnunt ac derident.

Quid vero, quod hi soli in Albinianis, Nigrianis, et Cassianis seditionibus eo ipso tempore reperti sunt, qui per Imperatorum jurabant genios, et pro eorum salute immolabant hostias, et sacrificia faciebant. At Christiani nullius plane hostes sunt, nedum imperatoris, quem a Deo constitutum sciunt, et idcirco sincere honorant, voluntque cum toto Romano imperio salvum esse et incolumem. Non gentilium tamen more illum venerantur, tanquam deum, sed quia falsis omnibus diis est major, minorque solo vero Deo, D quem idcirco pro illius salute quotidiano precum sacrificio exorant. Cæterum tametsi maxima sit eorumdem Christianorum multitudo, singuli nihilominus vix aliter agnoscuntur, quam modestia, silentio ac pristinorum vitiorum emendatione (*cap.* 2).

Nec inquieto aut impatienti animo irrogata sibi ab ethnicis, ait Tertullianus, ferunt supplicia, quorum a Deo exspectant ultionem. Sed dolent utique jam præmissa fuisse illius jam imminentis indicia, messes nimirum, Hilariano nuper præside, amissas, nimios et intempestivos imbres, ignes nocturnos super Carthaginis mœnia pendentes, tonitrua insolita, atque extraordinariam prorsus solis defectionem. Vigellius vero Saturninus, qui primus in Africa chris-

Digitized by Google

tianos interfici jusserat, oculorum lumine privatus est. In Cappadocia quoque Claudianus Herminianus peste vermibusque ebullientibus obiit, etiamsi sera nimis pœnitentia christianus pene factus fuisset. Denique Cæcilius Capella cum *in exitu* sive exitio Byzantino Christianis insultando exclamasset : *Gaudete*, impudentiæ crudelitatisque suæ pœnas solvit. Si qui vero ejusmodi præsides impune evaserunt, ultimo Dei judicio punientur. Scapulæ ergo, inquit auctor noster, ideo erat timendum, quia Adrumeticum Mavillum paulo ante illud exitium Byzantinum ad bestias damnaverat (*cap.* 3).

Serio tamen illum admonet hæc a se commemorari non propterea quidem quod ipse aliquid formidet, aut ut eumdem Scapulam terreat ; sed quia vult omnes salvos fieri. Quapropter illum adhortatur, ut morem gerat legibus, quæ nullum reum, nisi crimina confessum, aut eorum convictum plecti præcipiunt. Exempla deinde ei proponit Cincii Severi, Vespronii Candidi, Asperi, Pudentis, qui innocentes Christianos condemnare noluerant. Quomodo autem hos imitaretur, suggerere ei poterant advocati, quibus Christiani non minima sane beneficia contulerant. Non solum enim ejecerant dæmonia ex illorum notario, et alio eorum propinquo : sed alios etiam morbis afflictos mirabiliter sanaverant.

Quin etiam Severus imperator, Antonini christiano lacte educati pater, cum olim similiter sanatus fuisset oleo, quod Proculus Torpacion christianus, Euhodiæ procurator, dederat, non modo eum ad mortem usque in palatio suo retinuit, *sed clarissimas fœminas et clarissimos viros*, christianæ religionis itidem sectatores nunquam læsit, restititque populo in Christianos palam furenti. Marcus quoque Aurelius in Germanica expeditione imbrem, exercitui suo penitus necessarium, impetravit precibus Christianorum, qui et alios in casu simili obtinuerant.

Quid ergo iniquius, quam jubere Christianos, sedulam virtutibus omnibus operam navantes, non tantum gladio, quemadmodum a legionis et Mauritaniæ præsidibus, ex veterum legum præscripto feriri, sed vivos etiam comburi? Verum Tertullianus palam profitetur hæc supplicia a Christianis magis optari, quam timeri. Cum enim Arrius Antoninus in eos crudelius sæviret, omnibus in Asiæ civitate sese illi ultro offerentibus respondit : *Si vultis perire, præcipitia aut funes habetis*. Quid igitur Scapula faciet innumeris propemodum christianis carthaginensibus, quid sui ordinis hominibus, quid propinquis et amicis, qui sponte sua sese illi necandos offerent? Quamobrem illum hortatur ut parcat Carthagini et provinciæ, quam militum et inimicorum concussionibus obnoxiam fecit. Deus enim solus est Christianorum magister, qui ante ipsum erat, nec ab hominibus mali aliquid pati potest ; contra vero quos Scapula magistros habet, homines sunt, aliquando morituri. Denique, quidquid ille agat, non deficiet Christianorum secta, quæ tum etiam crescit, cum cædi videtur. Quisquis namque investigat et agnoscit cur illi tam constanter quælibet tormenta patiantur, hic tunc veritatem cognoscit, et illorum amplectitur religionem (*cap.* 4).

ARTICULUS II.

Ostenditur Tertullianum hujus libri esse auctorem ; quibus rationibus ad illum post Apologeticum *et libros* ad Nationes *edendum impulsus fuerit ; quo tempore illum scripserit, ac de quibusdam ethnicis proconsulibus ac præfectis, qui aut crudelius aut mitius cum Christianis egerunt.*

Omnes magno sane unanimique consensu fatentur Tertullianum hujus libri verum esse parentem. Ecquis vero id negare audeat, quod ipsemet liber, totus quantus est, palam attestatur? Nam idem in eo atque in *Apologetico* et *ad Nationes* libris dicendi genus, eædem peculiares ac Tertulliano propriæ dictiones, eadem verba singularia, eædem plerumque in Christianorum adversus ethnicos defensionem argumentationes. Quemadmodum etiam *Apologeticus* et *libri ad Nationes* aut omnibus ethnicis aut eorum præsidibus missi sunt, ita plane constat hunc librum directum fuisse Scapulæ, Carthaginis totiusque Africæ præfecto, quem Tertullianus a Christianis plane innocentibus torquendis et trucidandis avocare conatus est.

Sed quid Tertulliano, inquiet aliquis, necesse erat aliam adversus gentiles et pro Christianis præter *Apologeticum* et libros *ad Nationes* commentationem aut librum scribere? Immanis, inquimus, Scapulæ, Africæ præsidis, in Christianos sævitia illum ad hunc non quidem librum, sed libellum supplicem offerendum compulit Quamvis enim Severus, anno Christi 193 imperator factus, per primos imperii sui annos impune faverit Christianis ; post debellatos tamen Cassium, Nigrum et Albinum ac post suum solemnem anno 197 in urbem Romam ingressum, animo plane mutatus est. Tum enim ipso primum annuente, aut saltem non prohibente recrudescere cœpit dira in Christianos persecutio. Iratior deinde factus, novas, anno 202, in eos condidit leges, quarum auctoritate, ait Eusebius, ubique locorum per Ecclesias facta sunt martyria. Africam itaque non secus atque alias provincias is crudelissimæ vexationis æstus depastus est (*Euseb. lib.* VI. *eccles. Hist. cap.* 2. *pag.* 201. *Hieronym. Catalog. scriptor. eccl.* § 54. *pag.* 115).

Tertullianus vero de Christianorum salute semper sollicitus, ante datas hasce leges *Apologeticum* et libros *ad Nationes*, sicut diximus, divulgaverat, quorum lectione furor gentilium in Christianos, quamtumlibet inflammatus, debebat procul dubio sedari (*Euseb. ibid. cap.* I. *pag.* 201). Sed nulla prorsus sole etiam meridiano clariora rationum momenta potuerunt illum restinguere, nec prohibere quominus iniquissimis legibus a Severo latis Christiani in Africa excarnificarentur. Quamobrem Tertullianus hunc adhuc supplicem libellum Scapulæ, illius provinciæ proconsuli, obtulit, quo eum et gravissimo argumentorum pondere, et domesticis illustribusque aliorum præsulum, atque etiam imperatorum

Digitized by Google

exemplis a divexandis torquendisque Christianis avocaret.

Plura autem hic liber nobis suppeditat argumenta, quibus illum post exortam Severi imperatoris in Christianos persecutionem scriptum fuisse satis aperte conficitur. Quorumdam enim ibi proponuntur exempla præsidum, qui cum per id tempus Christianos variis suppliciis affecissent, crudelitatis suæ pœnas jam dederant. Ab Hilariano autem sic Tertullianus orditur : *Sub Hilariano præside, cum de areis sepulturarum nostrarum acclamassent : Areæ non sint, areæ ipsorum non fuerunt; messes enim suas non egerunt* (*Tertul. lib. ad Scapul. cap.* 3). Ibi vero haud prorsus inepta anfithesi *aream* sive locum vacuum, aut campum sterilem, in quo mortui sepeliebantur, opponit areæ, in qua fruges teruntur et excutiuntur. Dixit itaque quo tempore acrius ethnici sæviebant in Christianos acclamabantque negandam ad illos sepeliendos aream, tum iisdem ethnicis defuisse messes et frumenta, quæ suis in areis tererent. Palam autem asserit hanc sterilitatem contigisse, cum Hilarianus Africæ præses erat. Atqui ex Actis sanctarum martyrum Perpetuæ et Felicitatis, quæ tanquam vera et genuina a pluribus, ac tandem a Bollandi sociis, et nostro Theodorico Ruinarto typis edita sunt, discimus has sanctissimas martyres bestiis expositas fuisse jussu Hilariani procuratoris : *Qui tunc*, sicut ibi legitur, *loco Proconsulis Minutii Firmiani defuncti jus gladii acceperat* (*Bolland. 7. Martyr. pag.* 633. *et seqq. Ruinart. Act. Martyr. cap.* 85. *et seqq.*). Quidam autem putant eas martyrio coronatas anno 202; alii, 203; alii, 205, post commotam procul dubio a Severo imperatore persecutionem. De Perpetua porro hæc ipse Tertullianus alio in libro memoriæ mandavit : *Perpetua, fortissima martyr, sub die passionis in revelatione paradisi solos illic commartyres vidit* (*Tert. lib. de Anim. cap.* 55). Discimus quoque ab Augustino, qui illius et Felicitatis sæpius mentionem facit, utriusque festum diem quotannis in Africa celebratum. Nonne autem inde satis liquido conficitur has in Africa palmam tulisse martyrii, cum ibi Hilarianus proconsulis officio fungeretur (*Augustin. serm.* 280 *et seqq. pag.* 1134 *et seqq.*).

Postea Tertullianus : *Vigilius Saturninus*, inquit, *qui primus hic gladium in nos egit, lumina amisit* (*Tertull. lib. ad Scapul. cap.* 3). At hunc esse existimant Africæ proconsulem, qui anno 200, vel sicut aliis placet, 205 Carthagine Speratum aliosque Scillitanos martyres capite damnavit. Nam hæc litteris consignata legimus in eorum martyrii actis, quæ tanquam vera et sincera a Baronio primum, ac nostro deinde Ruinarto aucta et emendata, publicam emissa sunt in lucem (*Bar. ad ann. Christ.* 202, § 2 *et seqq. Ruinart. Act. Mart. p.* 77 *et seqq.*). Quod autem Tertullianus subjunxit Saturninum primum in Africa *gladium* in Christianos *egisse*, ibi procul dubio subintelligendum, postea quam excitata fuisset a Severo imperatore persecutio. Omnem enimvero extra controversiam esse videtur plures antea neci fuisse traditos. Sensus itaque Tertulliani est Christianos prius a Saturnino, quam Hilariano excruciatos, ac proinde illum ibi recensendo Africæ præfectos Christianorum carnifices, non sequi temporum ordinem.

Minus igitur certa videtur illorum opinio, qui arbitrati sunt Cincium Severum, Vespronium Candidum, Asperum ac Pudentem ibidem a Tertulliano nostro post Hilarianum et Saturninum eodem ordine appellari, quo unusquisque proconsul Africæ fuit (*Tertullian. lib. ad Scapul. cap.* 4). Nam hos ideo commemorat, quia tanto mitius in Christianos egerunt, quanto illi crudelius. Cur autem temporum ordinem servasse dicetur hos potius, quam illos nominando? Ad hæc vero, dubitandi locus est utrum hi Africæ fuerint præsides; etenim Hilariano et Saturnino, dirissimis Christianorum tortoribus, subjunxit Claudium Herminianum Cappadociæ præfectum. Si quis tamen ab auctore nostro veram illorum in Africæ proconsulatus successionem exhiberi probaverit, ei haud inviti assentiemur.

Cæterum ille hæc clementiorum præsulum exempla ante Scapulæ oculos non aliam ob causam posuit, nisi quia Africæ præsides post leges adversus Christianos a Severo imperatore sancitas in illos acerbius furebant et bacchabantur (*Ibid. cap.* 3). Præter præfatos siquidem Saturninum et Hilarianum, ipsemet Scapula, sicut auctor noster ibidem testificatur, non modo Adrumeticum Mavillum ad bestias damnaverat; sed Africa etiam christiana ipso non cohibente, aut jubente, *obnoxia*, inquit, *facta est concussionibus, et militum inimicorum suorum cujusque* (*Ibid. cap.* 4). Quamvis autem definire non possimus, quo præfati proconsules anno Africam rexerint; ex hactenus tamen disputatis colligi potest hunc ad Scapulam librum editum fuisse a Tertulliano post commotam a Severo imperatore adversus Christianos persecutionem.

Inquirendum igitur superest utrum statim post excitatum aut exstinctum illius incendium editus fuerit. Quidam autem opinantur illum in vulgus prodiisse post annum 210 et Severi imperatoris mortem. Tertullianus etenim ibi de quadam, inquiunt, solis eclipsi hunc loquitur in modum : *Sol in conventu Uticensi, exstincto pene lumine, adeo portentum fuit, ut non potuerit ex ordinario deliquio hoc pati, positus in suo hypsomate et domicilio* (*Ibid. cap.* 3). At hæc, aiunt illi, eclipsis accidit anno Christi 210, undecima aprilis die, horaque ipsa meridiana. Sed aliis omnino vacillare videtur totum hujus opinionis fundamentum. Solitam quippe illi notant solis eclipsim; Tertullianus vero aliam omnino extraordinariam, quæ, sicuti ait, *portentum* fuerat. Tum namque sol, inquit, erat in suo *hypsomate*, id est, summitate, altitudine et cacumine. Hoc enim significat verbum græcum ὕψωμα. Nulla autem illius ibi positi fieri potest eclipsis, quam tunc tantum patitur, cum transit circa nodos, qui in Draconis capite et cauda occurrunt.

Digitized by Google

Quamvis autem Tertullianus noster in astrologiæ scientia omnino peregrinus fuisset; ex illius tamen verbis colligi potest solitam non fuisse hanc solis defectionem, sed ita extraordinariam, ut astrologi, ad quos ille nos mittit, hoc negare non potuerint.

Quamobrem Scaliger posthabita illa ratione, existimat hunc librum fuisse compositum post mortem Caracallæ, jamque regnante Heliogabalo, qui mense maio anni 218 imperator creatus est. Tertullianus enim de Severo hæc, quemadmodum vidimus, verba facit : *Proculum christianum..... in palatio suo habuit usque ad mortem ejus, quem Antoninus* Caracalla *optime noverat* (*Tertull. lib. ad Scapul. cap.* 4). At nemo sanæ mentis, ait Scaliger, putaverit illud de Antonino Caracalla adhuc vivente dictum (*Scalig. animadv. in Chron. Euseb. pag.* 129).

Sed quibus sana et integra mens est, hæc in argumentatione sanam Scaligeri mentem non agnoscunt. Quid enim vetat quominus Caracalla juvenis et adolescens noverit Proculum, tuncque adhuc vixerit, quando Tertullianus hæc litteris mandabat? Ad hæc vero, illud verbum *noverat* ideo ille adhibet, quia Proculus, non autem Caracalla, tum revera erat mortuus. Non ergo ii amplius audiendi sunt, qui ea invalida Scaligeri ratione freti, ab ejus tamen opinione paululum recedentes, suspicantur editum fuisse hunc librum anno 217, quo regnavit Macrinus. Everso siquidem hujus opinionis fundamento, ipsa etiam corruit.

Propius itaque a vero abesse videntur, qui hujus libri ætatem adsignant paulo post annum 211, quo Severus Eboraci in Anglia, mense februario, vitam imperiumque posuisse perhibetur. De illo quippe hoc in libro haud dubie Tertullianus loquitur, ubi dixit : *Ipse etiam Severus pater Antonini Caracallæ Christianorum memor fuit* (*Tert. lib. ad Scapul. cap.* 4). Cur enim, inquiunt appellatur, *pater Antonini*, nisi quia jam migraverat ex hac vita, et in ejus locum filii ejus Caracalla et Geta substituti fuerant? Nonne etiam postea Auctor noster ad eos jam imperantes alludit, cum asseruit Scapulam habuisse suæ in Christianos crudelitatis magistros? Post Severi autem obitum, aut certe non multo postea, cum cerneret Tertullianus mitigatum Scapulæ atque aliorum in Christianos furorem, illi hunc supplicem libellum obtulisse videtur. Non enim illum offerendum esse censuit, cum Severus, cujus summam primis imperii annis in Christianos clementiam, ut vidimus, laudaverat, in eos ad mortem usque atrociter sæviebat. At illo vita functo, oblatam sibi proconsulem Scapulam a vexandis Christianis deterrendi occasionem confestim captasse verisimilius est.

ARTICULUS III.

De hujus libri manuscriptis et editis codicibus, de variorum in eum observationibus, ac nonnullis diversis lectionibus et notis.

Plures indicantur hujus libelli codices. Primus est Gorziensis, quo ad illius editionem usus est Rhenanus. Alter autem vocatur Angelicus, ac tres insuper Vaticani memorantur. Gelenius vero ad prioris, et Pamelius ad posteriorum fidem, superiores hujus libelli editiones recognoverant ac castigarunt. Rigaltius porro alium se vidisse testatur penes Petrum Belinium S. C. Divionensem, cujus diversæ ab editis lectiones in Petri Pythœi manus inciderant.

Nunquam autem hic liber ex typographorum officinis solus, sed semper cum aliis Tertulliani operibus publicam in lucem prodivisse perhibetur. Tot itaque factæ sunt hujus, quot illorum editiones. De his autem cum jam plura disputaverimus, ea nunc repetere nihil necesse est. Pamelium autem, qui veteres ex tribus, uti ait, Vaticanis codicibus editiones emendavit, Rigaltius ubique secutus est. Quamvis enim divionensem codicem vinditet, unam tamen tantum notavit diversam lectionem, quam plane repudiavit. Ibi vero occurrit, ubi de Proculo hæc Tertulliani in editionibus omnibus verba legimus : *Quem et Antoninus* Caracalla *optime noverat, facte christiano educatus* (*Tertull. lib. ad Scapul. cap.* 4). In codice autem Divionensi scriptum habetur : *quem et Antoninus noverat christianis educatum*. Quibus significatur hunc Proculum, non vero Antoninum Caracallam, facte educatum fuisse christiano.

Verum hanc divionensis codicis lectionem rejicit Rigaltius, quia illa Tertulliani verba referri debent ad Antoninum, *qui septennis puer*, sicut narrat Spartianus, *cum collusorem suum puerum ob Judaicam religionem gravius verberatum audisset, neque patrem suum, neque patrem pueri, vel auctores verberum diu respexit* (*Spart. in Vit. Carac. pag.* 331. *col.* 1). At Judaicæ religionis nomine Christianam Spartianus intelligit; quia utramque ethnici confundebant. Addamus, si lubet, Proculum paulo ante ab ipso Tertulliano dictum fuisse christianum. Repetendum igitur illud non erat his verbis *christianis educatum*, quæ in divionensi codice corrupta satis apparent.

Hujus præterea libri initio in Pamelii, et aliis deinceps editionibus hæc legimus : *Nos quidem neque expavescimus..... cum ad hanc sectam utique suscepta conditione ejus pacti venerimus, ut etiam animus nostras auctorati in has pugnas accedamus* (*Tertull. lib. ad Scapul. cap.* 1). At in primis editionibus scriptum fuerat : *Nos quidem neque expavescimus... cum ad hanc sectam, utique suscepta conditione ejus, pacti ante cum anima nostra et auctorati, in has pugnas accedimus*. Solus autem Laurentius de la Barre se hæc verba ex gorziensi codice emendasse testificatur. Sed veterum editionum verba in notis integra conscribere debebat, ut cuncti facilius agnoscerent num recte corrigantur : neque enim sensu aliquo penitus carere videntur. Cæterum Tertullianus ibi utitur verbo *auctorati*, sicut et alibi, *Ad ignes*, ait, *quidam se auctoraverunt* (*Tertull. lib. ad Martyr. cap.* 5. *p.* 158). At verbum *auctorare* significat, aut mercede se obligare, aut sacramento. Primis autem Tertulliani verbis hoc verbum secundo, posterioribus primo sensu accipitur. Si vero scriptorum quorumdam testimonio illud tibi probari postulaveris, primum

Digitized by Google

audi Ciceronem : *Ipsa*, inquit, *merces auctoramentum* A *servitutis* (*Cicer. lib* II. *de offic. p.* 274. *lin.* 4). Suetonius autem narrat Tiberium Cæsarem dedisse munus gladiatorum *auctoramento centenum millium* (*Sueton. lib.* III. § 7). Dixit quoque Seneca : *Eum dedi larvis et proximo ponere inter novos auctoratos* (*Senec. lud. de morte Claud. p.* 919). Milites vero addicti militiæ sacramento auctorati, dimissi autem exauctorati, a Livio aliisque scriptoribus sæpius dicuntur. Cæteras porro hujus libri diversas lectiones infra, cum occasio se dabit, annotabimus.

Notas autem et observationes in hunc librum iidem eodemque modo scripserunt, qui et in Apologeticum. De illis itaque omnibus idem, quod supra animadvertimus, judicium ferendum est. Nihil igitur adjiciendum, nisi quod his Tertulliani ad Scapulam verbis : B *Cum Adrumeticum Mavillum ad bestias damnasses, et statim hæc vexatio subsecuta est* (*Tertull. lib. ad Scapul. cap.* 5), Rigaltius arbitratur denotari acutissimæ cujusdam ægritudinis cruciatum, quo ipse Scapula *ob iteratam*, inquit, in Christianos sævitiam denuo vexabatur. Nam Tertullianus continenter addidit : *Et nunc ex eadem caussa interpellatio sanguinis*, id est, ut idem Rigaltius opinatur, Christianorum sanguis clamaverat ad Deum, ac divinæ illius patientiæ moras interpellaverat. Sed nullum plane, ne minimum quidem, auctor noster de primo aut secundo Scapulæ morbo verbum fecit. Et vero si acutissima, quemadmodum vult Rigaltius, ægritudine semel et iterum laboravisset, cum longe acrius inde urgeret, ut ad saniorem mentem facilius reduceretur. Verum C hoc omisso, instat et urget aliorum exemplis præsidum et proconsulum, qui suæ in Christianos crudelitatis pœnas dederant. Nobis itaque facilius persuadebitur referenda esse illa Tertulliani verba ad Byzantinum, cujus ibidem meminet, exitium, quo ethnici ob iniquissimam in eosdem Christianos crudelitatem a Deo se mulctatos fuisse palam confessi sunt.

Minus autem a vero Rigaltius recessisse videtur, ubi in his Tertulliani verbis, *Proculum Euhodiæ procuratorem* (*Ibid.*), emendationem comprobat Pithœi, qui *Evodi* legendum suspicatus est. At fusius de his sive Rigaltii sive aliorum observationibus infra disserendum.

CAPUT VI.

Novæ in Tertulliani Apologeticum, duos ad Nationes D *libros, et unum ad Scapulam observationes, quibus primum ostenditur Christianam religionem fultam esse sacris Veteris Testamenti Scripturis, et quomodo hæ Scripturæ ad Christianos, Judæorum successores, pervenerint, ac quanta illarum auctoritas.*

ARTICULUS PRIMUS.

Quomodo Tertullianus ostendat Christianam religionem, Tiberio imperante, in mundum introductam, sacris fulcri Judæorum Scripturis, ac Christianos, etsi ab iisdem Judæis nomine, quorumdam ciborum usu; festis diebus et circumcisione discrepent, in eorum tamen, ex patrio solo ob sua scelera pulsorum, locum fuisse revera subrogatos.

Non aliud Tertulliani in iis, de quibus agimus, libris propositum fuit, nisi ut, caussam Christianorum agendo, demonstraret veram esse illorum, falsam vero gentilium religionem, hosque omnium reipsa reos esse criminum, quorum eosdem Christianos falso accusabant. Sed quia hæc ab illo non satis distincte et distribute tractantur, ac plura et difficilia occurrunt, ea pro virili nostra parte in meliorem ordinem redacta, solito more nostro examinare et explicare conabimur.

Fatetur Tertullianus non vetustam admodum esse Christianam religionem ; utpote quæ a Christo Domino sit fundata, regnante Tiberio Cæsare, ante cujus tempus nunquam auditum fuerat Christianorum nomen. *Census* enim, inquit ille, hoc est origo et initium, *istius disciplinæ, ut jam edidimus, a Tiberio est* (*Tertullian. Apologet. cap.* 7). Prius vero dixerat : *Tiberius, cujus tempore nomen Christianum in sæculum introivit* (*Ibid. cap.* 5). Ubi autem et quando illud primo introductum fuerit si quis scire aveat, ex Apostolorum Actibus discet Paulum et Barnabam in Antiochena Ecclesia docuisse turbam multam : *Ita ut cognominarentur primum Antiochiæ discipuli christiani* (*Act. cap.* XI. 25). Quamobrem Tertullianus noster alio in libro : *Ætatis*, inquit, *nostræ nondum anni ducenti et quinquaginta*, ac postea : *Ætati nostræ nondum anni trecenti* (*Tertull. lib. ad Nat. cap.* 5. *et cap.* 9). Quin etiam in Apologetico : *Hesterni*, ait, *sumus*, id est, non a longo tempore, sed tanquam hesterna, si cum aliis comparemur, die nati. Ibi autem monitos nos esse voluit non magno sine miraculo factum, ut Christiani, tametsi ab annis tam paucis exorti, omnia orbis terrarum, exceptis solis ethnicorum templis, loca impleverint (*Idem, Apolog. cap.* 37).

At quanquam Christiana religio, fatentibus etiam ejus sectatoribus, adeo, sicut ait Tertullianus, novella fuerit, *ut Tiberiani temporis* ita ille loquitur (*Ibid. cap.* 21), hoc est, Tiberio Cæsare, sicut mox diximus, imperante in hunc mundum introducta sit ; certum tamen est ipsam *antiquissimis*, ut ille adhuc ait, *Judæorum instrumentis*, id est, sacris Veteris Testamenti scripturis esse *suffultam*. Non iis autem tantum subnixa est, sed illæ etiam non minus ad Christianos nunc pertinent, quam olim ad Judæos. Paulo enim superius Auctor noster scripserat : *Unius prophetæ scrinium*, id est Moysis libri, aliorum omnium libros pluribus *sæculis vincit, in quo videtur thesaurus collocatus totius Judaici sacramenti, et inde etiam nostri* (*Ibid. cap.* 19) ; in nostris vero codicibus manuscriptis, *et inde jam et nostri*. Quibus sane verbis Tertullianus significat in hoc et aliis Veteris Testamenti libris divinum nostri, sicut olim Judæorum, sacramenti thesaurum revera collocari.

Contra tamen objiciebant ethnici hanc futilem esse et absurdam præsumptionem, jactationemque Christianorum, qui *sub umbraculo insignissimæ religionis* (*Idem, cap.* 21) se volebant abscondere, atque impium, quem homini crucifixo exhibebant, cultum tutari. Nam magna, inquiebant, illos inter et Judæos

Digitized by Google

erat, non solum nomine, sed ipsis etiam rebus discrepantia. Primo enim, sicut nemo nesciebat quanta fuerit Judæorum antiquitas, ita nullus plane ignorabat Christum esse hominem, quem ipsimet Judæi non a longo, uti mox animadvertimus, tempore judicaverunt, ac crucis affecerunt supplicio. Deinde illi inter se dissidebant *victus exceptionibus*, hoc est quibusdam ciborum generibus, quibus hi abstinebant, illi vero utebantur. Tertio, secum discrepabant *solemnitatibus dierum*, quæ apud utrosque erant prorsus diversæ. Denique differebant *ipso signaculo*, sive, ut ait Minutius Felix, *notaculo corporis*, quod ab Apostolo, *signum circumcisionis*, *et signaculum justitiæ fidei in præputio* vocatur (*Minut. Felix*, *pag.* 376. *Paul. Epist. ad Rom.* IV. *cap.* 4). Atqui hæc omnia Christianis et Judæis debebant esse communia, si eidem Deo manciparentur.

At nova non fuit hæc non modo gentilium, sed etiam Judæorum adversus Christianos argumentatio. Nam Justinus martyr in sua ad Græcos cohortatione illam gentilium nomine sic urget : Εἰ δὲ τὶς φάσκοι τῶν προχείρως ἀντιλέγειν εἰθισμένων, μὴ ἡμῖν τὰς βίβλους ταύτας, ἄλλα Ἰουδαίοις προσήκειν, διὰ τὸ ἔτι νῦν ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν σώζεσθαι, καὶ ματὴν ἡμᾶς ἐκ τούτων φάσκειν τὴν θεοσέβειαν μεμαθηκέναι λέγοι (*Justin. martyr. Cohort. ad Græc. pag.* 14): *At si quis eorum, qui temere contradicere consueverunt, nobis objiciat non nostros hos esse, sed Judæorum libros, et per vanitatem nos jactare religionem ex eis hausisse dicat.* Alio autem in libro Judæum, eodem quo Tertullianus modo, Christianis hæc objectantem sic inducit : Ἐκεῖνο δὲ ἀποροῦμεν μάλιστα, εἰ ὑμᾶς εὐσεβεῖν λέγοντες, καὶ τῶν ἄλλων διόμενοι διαφέρειν, κατ' οὐδὲν αὐτῶν ἀπολείπεσθε, οὐδὲ διαλλάσσετε ἀπὸ τῶν ἐθνῶν τὸν ὑμέτερον βίον, ἐν τῷ μήτε τὰς ἑορτὰς, μήτε τὰ σάββατα τηρεῖν, μητε τὴν περιτομὴν ἔχειν, καὶ ἔτι ἐπ' ἄνθρωπον σταυρωθέντα τὰς ἐλπίδας ποιούμενοι. (*Idem Dialog. cum Tryph. pag.* 227). *Illud certe quidem ambigendo maxime miramur vos, qui veram jactatis religionem, et aliis hominibus præstare vultis, cum nihil ab eis varietis, et vita degenda nihil a gentibus differatis ; utpote qui neque festos dies, neque sabbata servetis, neque circumcisionem habeatis, atque insuper in homine crucifixo spem collocetis.*

Respondet itaque Tertullianus maximam olim Judæorum fuisse apud Deum gratiam, *ob insignem justitiam et fidem originalium auctorum* (*Tertullian. Apologet. cap.* 21.), id est, primorum patriarcharum, ex quibus originem suam ducebant. Quamobrem tunc felices, et generis, ut ille ait, magnitudine, et regni sublimitate floruerunt. At eorum posteri, *fiducia*, ita ipse prosequitur, *patrum inflati, deviantes a disciplina in profanum modum*, spreverunt Dei monita, ac conculcatis ejus legibus, in quælibet ruerunt vitiorum genera. Sed quem Deum optimum contempsere, hunc severum judicem experti sunt. Quod quidem evidentissime probat exitus hodiernus ipsorum, quo *dispersi*, ait Auctor noster, *palabundi, et cœli et soli sui extorres, vagantur per orbem sine homine, sine Deo rege* (*Ibid.*). Totum autem hunc magistri A sui locum Cyprianus decerpsit, ac quædam etiam ipsamet ejus verba huncce in modum mutuatus est : *Judæis primum erat apud Deum gratia. Sic olim justi erant, sic majores eorum religionibus obediebant. Inde illis et regni sublimitas floruit, et generis magnitudo provenit. Sed illi negligentes, indisciplinati, et superbi postmodum facti, et fiducia patrum inflati, dum divina præcepta contemnunt, datam sibi gratiam perdiderunt. Quam vero fuerit illis profana vita, quæ contracta sit violatæ religionis offensa, ipsi quoque testantur, qui etsi voce tacent, exitu confitentur. Dispersi et palabundi vagantur, soli et cœli sui profugi, per hospitia aliena jactantur* (*Cyprian. de idolor. vanit. pag.* 15). Sed hæc jam retulimus in dissertatione nostra de libro Minutii Felicis, qui inde Cæcilii pervicaciam re- B tundit (*Dissertat. in Minut. cap.* 6. *art.* 3).

At non solum huc et illuc per totum terrarum orbem Judæi errant ac vagantur ; sed nec ipsis quoque, pergit Tertullianus, *advenarum jure terram patriam saltem vestigio salutare conceditur* (*Tertullian. loc. cit.*). Ubi vero contra eosdem Judæos nominatim alio in libro disputat, palam adhuc asserit illud non modo eis non permissum, sed etiam vetitum, quemadmodum a sacro propheta, videlicet Isaia, prænuntiatum longe antea fuerat. Audi, quæso, ejus verba : *Animadvertimus nunc neminem de genere Israel in civitate Bethlehem remansisse, et exinde quod interdictum est, ne in confinio ipsius regionis demoretur quisquam Judæorum, vel hoc quoque esset adimpletum per Prophetam : « Terra vestra deserta, civitates vestræ igni exustæ, » id est, quod* C *belli tempore eis evenerit* (*Isaiæ, cap.* I. 7) ; *« regionem vestram in conspectu vestro exteri comedent, et deserta, et subversa erit a populis alienis. » Et alio loco sic per Prophetam dicitur : « Regem cum claritate videbitis, » id est, Christum facientem virtutes in gloria Dei Patris, « et oculi vestri videbunt terram de longinquo »* (*Ibid. cap.* XXXIII. 17). *Quod vobis pro meritis vestris post expugnationem Jerusalem prohibitis ingredi in terram vestram, de longinquo eam oculis tantum videre permissum est* (*Idem, lib. adv. Judæ. cap.* 13). Prior quoque ille Isaiæ locus à Cypriano eamdem ob causam citatur (*Cypr. lib.* I. *adv. Judæ.* § 6. *pag.* 22).

Ea porro prædictio, ac subsecutum patriæ ingressu interdictum ab auctore Eusebiani Chronici hisce verbis confirmatur : *Bellum Judaicum, quod in* D *Palæstina gerebatur, finem accepit, rebus Judæorum penitus oppressis : ex quo tempore etiam introeundi eis Jerosolyma licentia ablata, primum Dei nutu, sicut Prophetæ vaticinati sunt, deinde Romanis interdictionibus* (*Euseb. Chron. ad ann. Christ.* 135).

Antea vero Justinus martyr citat eamdem atque Tertullianus, priorem Isaiæ de ejiciendis ex patria sua Judæis vaticinationem (*Justin. Cohort. ad gent. pag.* 14.), alteraque adhuc in medium allata, continenter adjecit : Ὅτι δὲ φυλάσσεται ὑφ' ὑμῶν, ὅπως μηδεὶς ἐν αὐτῇ γενήται, καὶ θάνατος κατὰ τοῦ καταλαμβανομένους Ἰουδαίου εἰσίοντος ὥρισται. *Cavere autem et servare vos, ne quis ibi sit, et pœnam capitalem constitutam esse adversus Judæum eo ingre-*

Digitized by Google

dientem probe scitis (*Justin. Apolog.* 1. *pro christian.* pag. 84). Hieronymus vero : *Post extremam vastitatem etiam leges publicæ pependerunt, et prohibiti sunt Judæi terram, de qua ejecti fuerant, ingredi* (*Hieronym. in cap.* VI. *Isai. v.* 11. *p.* 65.). Et rursus alibi : *Nullus Judæorum terram quondam et urbem sanctam ingredi lege permittitur* (*Idem, in cap.* XVIII. *Ezechiel. v.* 16. *p.* 617).

Quo autem tempore, et a quo Imperatore lata sit ea lex, si roges, ex Eusebio discere poteris, qui narrat anno 12 Adriani imperatoris, post eversam urbem Berthera, non procul Hierosolymis dissitam : Τὸ πᾶν ἔθνος ἐξ ἐκείνου καὶ τῆς περὶ τὰ Ἱεροσόλυμα γῆς πάμπαν ἐπιβαίνειν εἴργεται · νόμου δόγματι καὶ διατάξεσιν Ἀδριανοῦ, ὡς ἂν μὴ δ' ἐξ ἀπόπτου θεωροῖεν τὸ πατρῶον ἔδαφος ἐμπελευσαμένου, Ἀρίστων ὁ Πελλαῖος ἱστορεῖ. *Judæorum universa gens in regionem circum Hierosolyma sitam pedem inferre prohibita est ; adeo ut ne prospicere quidem e longinquo patrium solum ipsis liceret, ut scribit Aristo Pellæus* (*Eusеb. l.* IV. *Histor. Eccles. cap.* 6. *pag.* 118). Verum Hilarii ætate nonnihil de hujusce legis severitate relaxatum est, quemadmodum his totidem verbis significat : *Quin etiam nunc ingressu civitatis ejusdem edicto romani Regis inhibentur. Et cum deserta sanctorum sancta, et prophetias silere, et placationum hostias decsse, et dignitatem omnem deformatam ministerii levitici recordantur, conversi nunc, et fame verbi Dei et cibi salutaris affecti, ad solatium præsentium miseriarum circumire sunt soliti civitatem* (*Hilar. Tract. in psalm.* LVIII. § 7. *p.* 130). Verum infelix ille populus hoc qualicumque miseriarum suarum solatio non gratis frui poterat, sed pretio redimere cogebatur. Audias velim testem hujusce rei locupletissimum Hieronymum : *Usque ad præsentem diem perfidi coloni . . . . . prohibentur ingredi Jerusalem : et ut ruinam suæ eis flere liceat civitatis, pretio redimunt ; ut qui quondam emerant sanguinem Christi, emant lacrymas suas . . . . . adhuc fletus in genis, et livida brachia, et sparsi crines, et miles mercedem postulat, ut illis flere plus liceat* (*Hieronym. in cap.* I. *Soph. v.* 15. *pag.* 1655).

Atqui non hæc tantum sacris, sicut dictum est, prophetarum vocibus prædicta fuerant : *sed cædem*, ait Tertullianus, *semper omnes ingerebant fore, uti sub extimis curriculis sæculi ex omni jam gente, et populo, et loco custodes sibi allegeret Deus multo fideliores, in quos gratiam transferret pleniorem quidem ob disciplinæ auctoris capacitatem* (*Tertullian. Apologet. cap.* 21). In nostris codicibus manuscriptis legimus *eadem* pro *eædem*, et *auctioris* pro *auctoris*, nec omnino male. Cyprianus vero hæc sicuti superiora, paulo ante a nobis memorata, pari modo delibavit : *Deus ante prædixerat fore ut, vergente sæculo, et mundi fine jam proximo ex, omni gente et populo et loco cultores sibi allegeret multo fideliores, et melioris obsequii, qui indulgentiam de divinis muneribus haurirent, quam acceptam Judæi, contemptis religionibus, perdidissent*(*Cyprian. lib. de idolor. vanit. pag.* 15). At neuter ibi indicat quæ illa fuerint sacrorum vatum oracula ; sed Tertullianus quædam alio in libro citavit, et plura Cyprianus, atque etiam postea Lactantius, ut suo loco a nobis demonstratum est (*Idem, lib. adv Judæ. cap.* 12. *Cyprian. lib.* I. *adv. Jud.* § 11. *pag.* 25. *Dissertat. in Lactant. cap.* 10. *art.* 1).

Christianis itaque tanquam *in* Judæorum *olea*, ut adhuc loquitur Tertullianus, *ex oleastro insitis*, atque in eorum locum suffectis, communis illis factus est cum iisdem Judæis sacrarum Veteris Testamenti Scripturarum thesaurus (*Tertull. lib. de Testim. anim. cap.* 5). Prius autem sanctus martyr Justinus asseveranter affirmaverat doctrinam in sacris Veteris Testamenti Scripturis traditam pertinere ad Christianos, ad quos non sine divina providentia ab ipsismet Judæis transmissæ sunt (*Justin. cohort. ad gent. pag.* 14).

Quamvis autem Judæis et Christianis communes hi libri facti sint, non inde tamen sequitur ab istis recipi debuisse omnes in hisce libris præscriptos ritus. Nam plures jure merito Christus abrogavit, quemadmodum sabbata, dies festos, circumcisionem, et hujuscemodi, quæ carnalibus Judæis præscripta fuerunt. Nam hæc omnia umbræ erant et figuræ, ac in signum data, quæ, uti luculenter Tertullianus alio in libro demonstrat, veritatis, id est, Christi adventu debebant evanescere et antiquari (*Tertull. lib. adv. Judæ. cap.* 3 *et* 4).

Christiana itaque religio, etsi regnante Tiberio imperatore, in mundum a Christo introducta, in Judaicæ tamen locum substituta, divinas illius Scripturas hæreditario quasi jure accepit, et illis, sicuti diximus, fulta et subnixa est. Sed id clarius adhuc patebit, postquam more nostro expenderimus, quid de iisdem sacris Judæorum, seu Veteris Testamenti Scripturis, a Tertulliano nostro statuatur.

ARTICULUS II.

Quando et quomodo sacrarum Scripturarum libri, hebraice primum conscripti, in linguam græcam a Septuaginta duobus interpretibus conversi ; an in diversis cellulis ; ubi de Aristea, Ptolemæo Philadelpho, Pisistrato, horumque et Attalicorum Regum bibliothecis, ac de Demetrio Phalereo grammaticorum probatissimo.

Observat Tertullianus Deum *a primordio* misisse viros, justitia et innocentia conspicuos, qui illum unicum esse et agnoverunt, et prædicaverunt (*Tertullian. Apologet. cap.* 18). Hi autem docebant ab hoc unico Deo creata omnia, *de humo hominem* formatum, dispositas temporum vices, edita divinæ majestatis suæ signa, conditas morum vitæque recte agendæ leges, ac *producto* ævo *omnes* homines ad vitam rursum excitandos, et judicandos, ut pro meritis æterna aut pœna aut felicitate afficiantur. At ibi in Tertulliani textu hæc legimus verba : *Quas demerendo sibi disciplinas determinaverit, quæ ignoratis aut deseritis ;* quæ quidem Heraldo adeo obscura corruptaque visa sunt, ut nihil de his pronuntiare audeat. Sed non tanta fuit timiditas Ri-

Digitized by Google

galtii, qui contra apertam omnium manuscriptorum editorumque codicum fidem particulam *qui* pro *quas*, ac deinde *quas* pro *quæ* scribi nulla tamen reddita ratione voluit. Lubenter tamen fatebimur non omnino infelicem videri hanc conjecturam, sed id ei deesse, quod nullius plane codicis auctoritate firmetur. At Herabdus, audacior postea factus, in verbi *producto* locum suspicatur substituendum *prodacto*, id est, *consumpto et peracto*. Suam vero emendationem probare conatur aliis Tertulliani locis, ubi eadem significatione *prodactum* legitur. Sed poterat insuper quintum Tertulliani nostri contra Marcionem librum citare, ubi eodem verbo similiter usus est. Verum quid facias contra codicum omnium reclamationem, et ubi auctor barbara et impropria verba adhibet? Quicunque autem fuerit ejus loquendi modus, eo aperte significat mundi finem et exitum (*Idem, lib.* V. *advers. Marcion. cap.* 6).

At appellati ab eo insignes pietate et justitia viri non solum *prædicatores*, sicut ille ait, fuerunt, sed etiam *prophetæ de officio præfandi*, sive futura annuntiandi, *vocantur* (*Tertullian. Apologet. cap.* 18). Præterea *virtutes*, sive miracula, ad fidem *divinitatis* stabiliendam ediderunt. Denique *Spiritu divino inundati*, ipsa adhuc illius verba sunt, hoc est ita pleni erant, ut extra ipsos efflueret et effunderetur.

Quæ autem ab eis mirabilia, et supra naturæ ordinem facta, ac divino afflante Spiritu, prædicta sunt, hæc omnia *in thesauris* inquit rursum Tertullianus, *litterarum manent* (*Ibid.*); sed quarumnam, obsecro te, litterarum? Non aliarum procul dubio, quam hebraicarum. Nam ipse ibidem narrat Ptolemæum Philadelphum a Judæis, qui olim Hebræi erant, accepisse earum *libros*, *proprias ac vernaculas litteras* (*Ibid.*), sive hebræa lingua conscriptas, quia, ut ille adhuc loquitur, ad ipsos semper prophetæ peroraverant (*Ibid.*). Moysis itaque aliorumque sacrorum vatum libri hebraico sermone scripti remanserant apud Hebræos et Judæos, qui eos summa certe cura integros atque incorruptos conservaverunt.

Sed ne tantus thesaurus apud eos solos semper lateret, celeberrima duorum supra septuaginta seniorum interpretatione cum Græcis primum, ac deinde cum aliis gentibus communicatus est. Quapropter Tertullianus: *Nec istæ*, inquit, *sacræ litteræ nunc latent* (*Ibid.*). Atque ita quidem in Rigaltii editione. At in antiquioribus editis, et in nostris manuscriptis codicibus adverbium *nunc* abest. Nec jure quidem prorsus immerito. Tertullianus siquidem significat illas non a suo duntaxat, sed ab ipso Græcorum, uti diximus, interpretum tempore non latuisse amplius.

Quando autem et quomodo hæc græca sacrorum librorum interpretatio ab iis adornata fuerit, hunc ille explicat in modum: Cum Ptolemæus, cognomento Philadelphus, bibliothecam suam omni quorumcunque librorum supellectile locupletare vellet, A ab Judæis, suggerente Demetrio Phalereo, poposcit et impetravit sacros illorum codices, hebraice exaratos, et viros septuaginta duos, qui illos in græcam linguam transtulerunt. Tum ibidem adjecit Auctor noster: *Quos Menedemus quoque philosophus Provi-dentiæ vindex* (male in uno codice Vaticano, *provinciæ judex*) *de sententiæ communione suspexit* (*Ibid.*). Sed quid his ultimis verbis, *de sententiæ communione suspexit* significetur, non minima est inter eruditos ætatis nostræ scriptores dissensio. Quidam enimvero opinantur iis significari communem fuisse Menedemi de divina providentia omnia gubernante sententiam. Verum Tertullianus, inquiunt alii, de hac Dei providentia ibi non disputat, sed de græca tantummodo sacrarum Scripturarum interpretatione. B Quorsum ergo hanc de illa Dei providentia mentionem interjecisset? Quamobrem hi arbitrantur hunc esse Tertulliani sensum: Menedemus absolutam sacræ Scripturæ græcam interpretationem examinavit, suspexitque illam communi interpretum consensione eodem plane modo factam. Vindex itaque et testis fuit divinæ providentiæ, cujus mirabili plane ductu hebraicum Scripturæ textum eodem prorsus modo ab iisdem interpretibus græce redditum palam testificatus est.

At hoc, inquies, ita fieri nequivit, nisi interpretes, separatim et in diversis cellulis positi, hunc hebraicum textum in græcum singuli verterint. Atqui falsa est illa de diversis illis cellulis opinio. Sed quid inde, si Tertullianus prævios secutus sit scri- C ptores, qui post Justinum martyrem, ut alibi ostendimus, hanc de illis interpretum cellulis opinionem constanter propugnaverunt (*Tom.* 1. *Apparat. lib.* II. *dissert.* 2. *cap.* 7, § 5. *pag.* 390 *et seqq.*)? Nonne enim hanc ob causam Menedemus ab illo appellatur *Providentiæ vindex*; quia hos interpretes *de sententiæ communione suspexit*, utpote qui, ab invicem sejuncti, sacras Scripturas uno eodemque modo græce verterant.

Verum nonne divina, arguet aliquis, providentia hoc satis resplendet, quod interpretes illi simul quidem, sed eodem modo eas in linguam græcam transtulerint? Quis nescit quantum intellectu sint difficiles, ac mirum profecto videri, quod illas græce vertendo una eademque fuerit tot interpretum sen- D tentia? Sed quis etiam diffitebitur longe mirabilius divinam providentiam reluxisse, si hi a se invicem separati interpretationem suam composuerint?

Instabis hasce sejunctas interpretum cellulas non obscuris tantum verbis denotari, sed testem quoque citari Aristeam, qui nullum de illis habuit sermonem. Sed responderi poterit Tertulliani verba satis clara fuisse ætatis suæ hominibus, unumque vadem ab eo datum; quia tunc communis, et quasi minime dubia erat hæc de distinctis illorum interpretum cellulis opinio. Quis etiam inficiabitur plura ab illo narrari, quam in Aristeæ narratione continentur? Utrum autem hæc vera fuerit Tertulliani sententia, te pronuntiantem libenter audiemus. De Aristeæ porro

Digitized by Google

historia diversisque eruditorum de illa opinionibus, ac de Menedemo alibi disputavimus (*Idem, lib.* I. *dissert.* 2, *cap.* 1, *pag.* 223 *ac seqq. et lib.* III. *dissert.* 2, *cap.* 3, *art.* 5, *pag.* 922).

Philadelphus porro, qui græcam sacræ Scripturæ interpretationem procuravit, a Tertulliano appellatur non solum *eruditissimus*, sed *omnis* etiam *litteraturæ sagacissimus*, ubi certe subauditur substantivum nomen, quod huic adjectivo *sagacissimus* respondeat (*Tertullian. Apologet. cap.* 18). At non aliud esse videtur, quam *indagator*, vel *explorator*. Sagacitas enim ad inveniendum aut explorandum dicitur. Ea porro Philadelphi sagacitas erat *omnis litteraturæ*, id est librorum omnium quacunque de materia scriptorum, diligentissima ubique inquisitio. Summo autem illos conservandi studio *bibliothecam*, ait auctor noster, et simili modo Eusebius in Chronico, *ex omni genere litteraturæ comparaverat* (*Chron. Euseb. ad ann.* 1734). Quanto autem librorum numero instructa fuerit in sequenti articulo ostendemus. Si quis vero postulet quis sit Pisistratus, cujus hac in re studium æmulatus Philadelphus a Tertulliano asseritur, illud discere poterit ex his A. Gellii verbis: *Libros Athenis disciplinarum liberalium publice ad legendos posuisse dicitur Pisistratus tyrannus.* Verum de Pisistrati tyrannide, quam ter, ut narrat Herodotus, recuperavit, frequens apud varios Scriptores, Laertium, Pausaniam, Thucydidem, Ælianum, Valerium Maximum, et alios mentio. Nos vero de hac Pisistrati tyrannide in superiore Apparatus nostri tomo egimus. Scriptum præterea a citato Pausania legimus dissipata olim fuisse Homeri carmina, atque ex illis a Pisistrato, ut ait Ælianus, collectis confectam Iliadem et Odysseam. Sed præstat Ciceronem audire: *Quis doctior*, inquit, *iisdem temporibus aut cujus eloquentia litteris instructior, quam Pisistrati? Qui primus Homeri libros, confusos antea, sic disposuisse dicitur ut nunc habemus. Non fuit ille quidem civibus suis utilis, sed ita eloquentia floruit, ut litteris doctrinaque præstaret* (*Gell., lib.* VI, *Noct. Att. cap.* 17, *p.* 393; *Herodot. lib.* II, § 59 *et seqq.*; *Laert. in Vita Solon.* § 53 *et seqq.* 65 *et seqq.*; *Pausan. lib.* I, *pag.* 3 *et* 21; *Thucyd. lib.* VIII. *Hist. p.* 446; *Ælian. var. Histor. lib.* VIII, *c.* 13; *Val. Max. lib.* I, § 2. *lib.* VIII. *c.* 9; *Exter.* § 2; *tom.* I. *Apparat. pag.* 1176; *Pausan. lib.* VII, *p.* 235; *Ælian. var. Histor. lib.* XIII. *cap.* 14; *Cicer. lib.* III. *de Orat. p.* 194, *lin.* 37).

Certo tamen Tertullianus pronuntiare non audet utrum Philadelphus hujus in instruenda ditissima bibliotheca studium revera æmulatus fuerit: sed dixit tantum: *opinor*, id est ut ipsi verisimilius videbatur. Vitruvio autem, qui Augusti Cæsaris ætate floruit, si credas, Ptolemæus Philadelphus hocce studio imitatus est reges Attalicos. Audias velim illius verba: *Reges Attalici magnis philologiæ dulcedinibus inducti, cum egregiam bibliothecam Pergami ad communem delectationem instruxissent, tunc item Ptolemæus infinito zelo cupiditatisque incitatus studio, non minoribus industriis ad eumdem modum contenderat Alexandriæ comparare* (*Vitruv. proœm. lib.* VII). Sed in hoc ille erroris ab aliis arguitur. Nam Alexandrini, inquiunt, reges Attalicis antiquiores erant. At nihil inde concludi potest adversus Tertulliani nostri conjecturam. Pisistratus enim et alii plures, ab Athenæo et Epiphanio laudati, bibliothecas instruxerant, quos Philadelphus potuit imitari (*Athen. lib.* I. *Deipnos. pag.* 3. *Epiphan. de Pond. et mensur. pag.* 166).

Cæterum, quamvis certa esset Tertulliani opinio, a Scaligero tamen eo vapulat, quod non alio Demetrium Phalereum titulo exornaverit, quam *Grammaticorum probatissimi*. Enimvero, *parum*, inquit, *notæ Tertulliano Demetrii dotes fuerunt* (*Scalig. not. in Chron. Euseb. ad ann.* 1724. *pag.* 133). Cur igitur? Numquid quibusdam Demetrii dotibus memoratis, alias negavit? Quis etiam juranti Scaligero fidem habiturus est? Nonne Suetonius nos alicubi admonuit grammaticis datum initio nomen litteratorum, quia aliquid acute scienterque poterant dicere aut probare (*Sueton. de illust. grammat.* § 4. *pag.* 821)? At hoc potissimum nomine Tertullianus Demetrium laudavit, quoniam de bibliothecæ præfectura ipsi a Philadelpho commissa disserebat. Cui autem melius demandari potuit, quam grammaticorum probatissimo, id est, viro vera eruditione prædito, qui libros omnes, eorumque pretium apprime noverat?

ARTICULUS III.

Qua in Philadelphi bibliotheca libri sacrarum Scripturarum reposiți, ubi ea bibliotheca constructa, quantus in illa librorum numerus, an tota incendio consumpta, quomodo sacri codices ad Christianos pervenerint ac de vestigiali Judæorum ad eos publice lectitandos libertate.

Postquam Tertullianus illam omnem codicum sacræ Scripturæ, seu hebraica, seu græca lingua descriptæ, narrationem contexuit, tum continuo enarrat, ubi cuncti illi codices asservabantur: *Hodie*, inquit, *apud Serapæum Ptolemæi bibliothecæ cum ipsis hebraicis litteris exhibentur* (*Tertullian. Apologet. cap.* 18. *pag.* 19). Quibus sane verbis declarat hos hebraicos græcosque Veteris Testamenti libros repositos fuisse in Serapæo, hoc est, Serapidis templo, quod Alexandriæ exstructum fuerat. Nam Chrysostomus diserte pronuntiat illos ab hoc Ptolemæo Philadelpho collocatos fuisse, εἰς τὸ τοῦ Σαράπιδος ἱερὸν, *in Serapidis templum* (*Chrysost. Orat.* 1. *adv. Judæ. tom.* I. *pag.* 394. *edit. Morel.*). At in eo, quod magnificentia sua soli, sicuti Gellius et Ammianus Marcellinus perhibent, Capitolio cedebat, plura procul dubio erant separata a se invicem ædificia (*Gell. lib.* VI. *Noct. att. c. ult.*). In eorum autem aliquo una aut duplex Philadelphi bibliotheca reposita fuit. Plurimum enimvero Auctor noster verbis proxime citatis meminit; quemadmodum Ammianus Marcellinus, qui post descriptam Serapæi munificentiam, sic prosequitur: *In quo bibliothecæ fuerunt inæstimabiles; et loquitur monumentorum veterum concinens fides, septingenta volumina millia, Ptolemæis regibus vigiliis intentis composita, bello Alexandrino dum diripitur civitas, sub dictatore*

Digitized by Google

Cæsare conflagrasse (*Ammian. Marcell. libr.* XXII. *cap.* 16. *pag.* 343).

Unam autem tantum memorat Athenæus, qui postquam viros quosdam, concervandis libris nobiles, recensuit : *Omnes*, inquit, *mercatus Ptolemæus rex nostras, cognomine Philadelphus, cum iis quos Athenis et Rhodi emerat, εἰς τὴν καλὴν Ἀλεξάνδρειαν μετήγαγε; in pulchram Alexandrinam* bibliothecam *transferri curavit* (*Athen. lib.* I. *Deipnos. pag.* 3). Similiter Eusebiani Chronici auctor : *Ptolemæus*, inquit, *Philadelphus divinas Scripturas in græcam vocem ex hebraica lingua per LXX. interpretes transferre curavit, quas in Alexandrina bibliotheca habuit, quam sibi ex omni genere litteraturæ comparaverat* (*Eus. Chron. ad ann.* 1734).

At Epiphanius, etsi duas designet bibliothecas, in hoc tamen a Tertulliano nostro et Ammiano Marcellino dissentit, quod sacræ Scripturæ libros in Bruchio, et Aquilæ, Symmachi, et Theodotionis interpretationes in minore Serapæo positos fuisse asserat. Suam etenim de græca illorum interpretatione narrationem his verbis absolvit : *Αἱ βίβλοι εἰς ἑλληνίδα ἐκτεθεῖσαι ἀπετέθησαν ἐν τῇ πρώτῃ βιβλιοθήκῃ τῇ ἐν τῇ βρουχίῳ οἰκοδομηθείσῃ· ἔτι δ' ὕστερον καὶ ἑτέρα ἐγγίνετο βιβλιοθήκη ἐν τῷ Σεραπίῳ, μικροτέρα τῆς πρώτης, ἥτις καὶ θυγάτηρ ὠνομάσθαι αὐτῆς, ἐν ᾗ ἀπετέθησαν οἱ τοῦ Ἀκύλα, καὶ Συμμάχου, καὶ Θεοδοτίωνος, καὶ τῶν λοιπῶν ἑρμηνεῖαι, μετὰ διακοσιοστὸν καὶ πεντηκοστὸν ἔτος. Libri illi, in græcum translati, in priore bibliotheca, quæ in Bruchio fundata est, repositi sunt. Post hæc alia rursus in Serapio bibliotheca constituta est, longe illa minor, quæ hujus filia dicebatur, in quam Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, et aliorum editiones congestæ sunt post annos CCL.* (*Epiphan. libr. de Pond. et Mensur.* § 11. *pag.* 168). Vides sane illum in hoc cum aliis consentire, quod duplicem asserat fuisse Alexandrinam bibliothecam; in eo autem dissidere, quod unam in Bruchio, alteram minorem in Serapio conditam esse velit. Utrum vero hæc illius solius opinio aliis præferri debeat, tuum esto judicium.

Ab hac porro difficultate si te expedieris, in alteram longe majorem confestim incides. Nam Tertullianus de Veteris Testamenti græcis codicibus loquitur tanquam in illa Alexandrina bibliotheca suo adhuc tempore asservatis, atque exstantibus. Contra vero Ammianus Marcellinus, ut vidimus, diserte asserit hancce ipsammet bibliothecam *bello Alexandrino sub dictatore Cæsare conflagrasse* (*Marcell. libr.* XXII. *cap.* 16. *p.* 344). Aulus etiam Gellius testatum facit incensa tum fuisse ab auxiliariis militibus septingenta ferme voluminum millia (*Gell. l.* VI. *Noct. Att. cap.* 17. *pag.* 394). Utrique Dion suffragari videtur, qui ait Achillam recta venisse Alexandriam, atque ab eo commissa cum Cæsare dictatore varia prælia, multaque facta incendia. *Τάς δὲ ἀποθήκας καὶ τοῦ σίτου, καὶ τῶν βίβλων πλείστων δὴ καὶ ἀρίστων, ὡς φασι, γενομένων καυθῆναι, et apothecas* sive cellas *frumenti et librorum plurimorum et optimorum, ut fertur, conflagrasse* (*Dion. lib.* XLII. *Rom. hist. pag.* 228).

Quin etiam Epiphanius memoriæ prodidit bibliothecam, quæ in ea Alexandriæ urbis erat regione, quam Bruchium vocant, desertam suo tempore fuisse (*Epiphan. de Pond. et Mensur.* § 10. *p.* 166). At in ea repositos, uti vidimus, dixerat sacræ Scripturæ codices. Atqui si hæc bibliotheca deserta fuit, atque multo magis si Alexandrinæ bibliothecæ jam ipsa Cæsaris ætate combustæ sunt, qua, amabo te, ratione Tertullianus dicere potuit : *Hodie apud Serapæum, Ptolemæi bibliothecæ cum ipsis hebraicis litteris exhibentur, et Judæi palam lectitant* (*Tertullian. Apologet. cap.* 18)? Respondent aliqui duas saltem in eo fuisse bibliothecas. At una, inquiunt, incendi potuit, et altera, in qua libri illi repositi erant, integra prorsus remanere. Verum ea responsio adversatur plane ipsimet Epiphanio, asserenti hanc bibliothecam, in qua hi libri reconditi fuerant, suo non exstitisse amplius tempore : quapropter alii respondent, etiamsi hæc aliæque omnes bibliothecæ Alexandrinæ igne combustæ fuerint, non crematos tamen omnes libros, atque ab hoc incendio ereptos sacræ Scripturæ hebraicos græcosque codices.

In hujus autem opinionis confirmationem proferri potest Senecæ, ac post ipsum Pauli Orosii testimonium, qui quadringenta duntaxat librorum millia tum consumpta memorant (*Senec. lib. de tranquil. anim. cap.* 9. *pag.* 663. *Oros. lib.* VII. *cap.* 15). Atqui si Marcellino et Gellio, a nobis antea citatis credimus, in illa bibliotheca septingenta millia librorum condita fuerant. Trecenta igitur millia flammis subducta sunt. Ex horum itaque numero haud dubie erant hæc, Deo ita providente, hebraica græcaque Scripturæ sacræ volumina.

Quid vero, quod Chrysostomus constanter asseverat græcam propheticorum librorum interpretationem ad suum usque tempus in Serapæo, sive ut ipse loquitur, Serapidis templo conservatam. Hæc autem sunt græca illius verba : *Καὶ μέχρι νῦν ἐκεῖ τῶν προφητῶν αἱ ἑρμηνευθεῖσαι βίβλοι μένουσι* (*Chrysost. Orat.* 1. *adv. Judæ. pag.* 595, *tom.* 1).

Cæterum, quanquam aliquis contra hanc Chrysostomi aliorumque sententiam evidenter probaverit exustos fuisse hos codices, negare tamen non poterit ante illud incendium multiplicata fuisse illorum exemplaria, ac plura hebraica a Judæis, et græca ab aliis descripta, quæ diligenter conservata sunt. Nullus enimvero dubitandi locus est, quin multa quidem ad Christianos pervenerint. Non pauca etenim græca testimonia in Novi Testamenti libris citata reperiuntur.

Præterea vero hebraica apographa diligentissime ab iisdem Judæis asservabantur. De iis namque, qui suo tempore vivebant, dixit Tertullianus noster : *Judæi palam lectitant : vectigalis libertas : vulgo aditur sabbatis omnibus.* Audisne quam luculenter ille affirmet Judæos, singulis quibusque sabbatis in synagogis suis congregatos, palam et audientibus omnibus, lectitasse hos sacros codices, vernacula sua lingua conscriptos. Atqui mos ille ante et post Christum Dominum, atque ab antiquis temporibus inoleverat.

Digitized by Google

De Paulo siquidem ejusque sociis in Actibus Apostolorum memoriæ proditum est : *Illi vero pertranseuntes Pergen, pervenerunt Antiochiam Pisidiæ, et ingressi Synagogam die sabbatorum, sederunt. Post lectionem autem Legis et Prophetarum Paulus Judæorum rogatu sermonem ad eos habuit* (*Act. Apost. cap.* XIII. 14. *et seqq.*). Post hæc vero, hæc ibidem litteris mandata invenies : *Moyses a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur* (*Ibid. cap.* XV. 21). At id certe fieri non potuit, quin antea Judæi habuerint hos codices, et maximam in iis incorruptis atque integerrimis conservandis curam impenderint.

Quid vero sibi, inquies, vult Tertullianus, cum dixit Judæis vectigalem fuisse cœtus suos singulis sabbatis agendi, et libros suos ibi legendi, libertatem? Quidam autem existimant his verbis designari facultatem eis a Philadelpho concessam, modo annuum vectigal modicum solverent. Sed quo argumento probabitur illud vectigal exactum a Philadelpho, qui tanti faciebat sacros Veteris Testamenti libros, ac illorum interpretes donis maximis cumulaverat? longe itaque verisimilius aliis videtur a Tertulliano denotari tributum, quod Romani imperatores Judæis indixerant, ut eis more solito singulis sabbatis congregari liceret. Quidam vero putant de hoc tributo intelligenda esse istæc Suetonii, de Domitiano imperatore agentis, verba : *Præter cæterot Judaicus fiscus acerbissime actus est, ad quem deferebantur, qui, vel uti professi Judaicam intra urbem viverent vitam, vel dissimulata origine, imposita genti tributa non pependissent* (*Sueton. lib.* VIII. *in Vita Domit.* § 12). At ibi significat Judæis, ut liberam sectæ suæ professionem redimerent, solvendum quidem tributum, sed quod auctum tunc potius fuerat, quam primo impositum. Nam in Dionis Epitome Xiphilinus narrat Titum imperatorem post captam Hierosolymam jussisse ut Judæi, qui patrias leges profitebantur, quotannis didragmam Jovi Capitolino penderent (*Xiphil. Epit. Dion. in Vit. Vespasian. pag.* 318). Visne græca illius verba audire? En ipsa sunt : Καὶ ἀπ' ἐκείνου δίδραχμον ἐτάχθη τοὺς τὰ πάτρια αὐτῶν ἔθη περιστέλλοντας τῷ Καπιτωλίῳ Διὶ κατ' ἔτος ἀποφέρειν.

Ad illud porro tributum putant his Juvenalem allusisse versibus :

> Nunc sacri fontis nemus, et delubra locantur
> Judæis, quorum cophinus fœnumque supellex.
> Omnis enim populo mercedem pendere jussa est
> Arbor, et ejectis mendicat sylva camœnis.
> (*Juvenal. satir.* 3. *v.* 13. *et seqq.*)

Recte ergo hæc a Tertulliano appellatur *vectigalis libertas*, quia non poterant, nisi soluto prius tributo, cogere suas synaxes, et in synagogis suis, ubique dispersis, accuratissime conservatos sacros suos codices palam lectitare. Ab his itaque Judæis, infensissimis suis hostibus, Christiani acceperant illos Veteris Testamenti codices, de quorum veritate et integritate nemo sani capitis homo unquam dubitabit. Nam, ut antiquus libri *contra quinque hæreses*, olim Augustino adscripti, auctor recte adversus ethnicos argumentatur : *Codex in quo hæc scripta leguntur, in armario Judæi habent. Inimicus meus testis est. Ab ipso quære, aperi, lege, crede* (*Augustin. Append. tom.* VIII. *libr. contr. quinq. hæres. c.* 7. *p.* 9). Tales ergo hos libros Christiani habuerunt, quales sibi a Judæis transmissi fuerant. Nihil enim in eorum textu quidquam immutare poterant, quin a Judæis, illorum inimicis, et eos quotidie legentibus, falsi confestim convincerentur. Quæ autem quantave sit illorum auctoritas, jam cum Tertulliano nostro investigemus.

ARTICULUS IV.

Quomodo Tertullianus sacræ Scripturæ auctoritatem ex maxima ejus antiquitate demonstret, quæ sint substantiæ et materiæ veterani styli, urbes insignes historiarum, et cani memoriarum.

Summam sacræ Scripturæ auctoritatem Tertullianus duplici argumento aperte vindicat. Primum autem petit ex maxima ejus antiquitate, de qua nos sæpius in superiori apparatus nostri tomo : secundum vero ex illius divinitate, sive ex divino Spiritu, cujus afflatu omnes ejus libri litteris mandati fuerunt. Prius autem argumentum eo lubentius adversus ethnicos urget, quod, illius vim et pondus agnoscentes, inde religionem suam, quamtumvis falsam, tueri ac confirmare conabantur. Eos enim omnes his ille compellat verbis : *Apud vos religionis est instar fidem de temporibus adserere* (*Tertullian. Apologet. cap.* 19), id est, religionem vestram, falsorumque deorum cultum ejus antiquitate propugnare contenditis.

Atqui si momenti alicujus sit hæc ratio, non potestis Scripturis nostris derogare fidem. Nam *unius*, inquit Tertullianus, *prophetæ scrinium* (hoc est, libri Moysis) *sæculis vincit omnes substantias et materias... cujusque veterani styli vestri* (*Ibid.*), seu omnes omnino commentationes vestras, earumque argumenta. Quin etiam superat *origines*, inquit, sive initia et caussas, *ordines et venas*, sive meatus et canales, quibus ad vos usque pervenerunt.

Præterea vetustate sua antecedunt gentes plerasque, quæ postea ortæ sunt, *et urbes insignes historiarum, et canas memoriarum*. Ita in nostris codicibus manuscriptis et antiquioribus editionibus, nisi quod pro *canas* in eis scriptum est *causas*. Rigaltius vero quem alii deinceps secuti sunt, retinuit quidem nomen *canas*, sed antecedens *historiarum* propria, uti videtur, delevit auctoritate. Nullam enim nec ille nec alii dederunt hujus omissionis rationem. Sed in animum haud dubie induxerunt ibi gravissimum esse adversus grammaticæ regulas ἁμάρτημα, ubi substantivum nomen pro adjectivo, et adjectivum pro substantivo ponitur. Sed nonne græcismus est non semel a melioris latinitatis auctoribus usurpatus? Nonne enim Horatius dixit : *Integer vitæ scelerisque purus*. Sensus itaque Auctoris nostri est, Hebræos esse vetustiores urbibus, quæ insignes erant *historiarum* monumentis, et canis memoriis, id est, commentariis, quæ canitie sua et vetustate originem cæteris omnibus antiquiorem præ se ferebant. Sic etiam Theophilus

Digitized by Google

Antiochenus dixerat eosdem Hebræos antiquiores esse urbibus, quæ erant apud Ægyptios famosissimæ (*Theoph. libr.* III. *ad Autolyc. pag.* 130). Non dissimulabimus tamen in alio Tertulliani libro scriptum : *Qui antiquitatum canos collegerunt* (*Tertull. lib.* II. *ad Nat. cap.* 12). Sed hujus libri unicus tantummodo superest codex manuscriptus, Apologetici vero quamplures. Quidquid autem statuas, idem semper erit sensus. Porro autem ab Auctore nostro nomen *memoriarum* usurpatur pro monumentorum, quemadmodum ex Augustino facile confirmari potest (*August. lib. de Cur. pro mort. agend. cap.* 4. *p.* 519. *t.* VI). Eadem rursus significatione ipse Tertullianus, libro mox citato, dixit : *Saturnus in terris humanæ qualitatis apud veteres memorias recenseatur* (*Tertull. lib.* II. *ad Nat. loc. cit.*).

Tum deinde in Apologetico adjecit libros Moysis ætate adhuc sua anteire *ipsas effigies litterarum indices, custodesque rerum* (*Idem, Apologet. cap.* 19), hoc est, scriptos esse characteribus et litteris cæterorum omnium plane antiquissimis. Nam paulo ante scripserat eos exaratos fuisse litteris hebraicis, quas quidem aliis quibuslibet vetustiores esse pro certo habebat. Addit autem litteras esse *custodes rerum*, ut pote quæ res ipsas, earumque historiam ab interitu vindicant. Sed hæc fusius explicantur a Josepho, cujus verba, paulo prolixiora quam ut hic referantur, in illius libro te legisse non pigeat (*Joseph., init. lib.* I. *contr. App. pag.* 1034. *et seqq.*).

Postremo subjunxit Tertullianus : *Et puto, adhuc minus dicinus, ipsos, inquam, deos vestros, ipsa templa, et oracula, et sacra* (*Tertull. loc. cit.*), id est, libros Moysis gentilium diis, templis, oraculis, et sacris esse longe vetustiores. Deorum enimvero originem, sicut infra dicemus, a Saturno repetendam esse opinatur. Non mirum itaque si hos deos libris Moysis posteriores esse affirmet. Verum his illis verbis, *adhuc minus dicimus*, ethnicis exprobare videtur quod deos suos eorumque cultum libris Moysis vetustiores esse, tam imperite quam falso, venditarent.

ARTICULUS V.

Quam luculenter Tertullianus probaverit antiquitatem librorum Moysis ex ejus ætate, qui coævus fuit Inacho, et pluribus sæculis Dano, Trojanæ cladi et Homero prævit, ubi de Manethone, Beroso, Iromo, seu Hieronymo, et Josepho.

Nemo certe diffitebitur librorum Moysis antiquitatem non posse clarius, quam ex illius ætate probari. Quamobrem Tertullianus veterum scriptorum testimonio fretus, quo ille tempore, et antè quos vixerit, hisce explicat verbis : *Argivo*, inquit, *Inacho pariter ætate est : quadringentis pene annis* (*nam et septem minus*) *Danaum et ipsum apud vos vetustissimum prævenit, mille circiter cladem Priami antecedit ; possem etiam dicere quingentis amplius Homerum* (*Tertull. Apologet. cap.* 19). Primum itaque docet Moysem Inacho fuisse coævum. At in priore Apparatus nostri tomo ostendimus hanc communem fuisse veterum scriptorum ad Eusebium usque sententiam, quam nonnulli etiam hoc sæculo propugnare nisi sunt (*tom.* I. *Apparat. pag.* 385, 531, 836, 909 *et* 1312). Asseveranter vero Auctor noster adfirmat se opinionis suæ plures habuisse sponsores et patronos. Ne quis autem putaret illud ab eo gratis adsertum, hos ipsos, ut paulo post videbimus, singillatim et nomine suo appellat.

Præterea horumce scriptorum auctoritate fultus, asseverat Moysen 393 annis prævertisse Danaum. At animum, quæso, adverte utrum hæc Tertullianus delibaverit ex Josepho, qui ibidem ab ipso post alios Scriptores citatur. Enimvero postea quam Josephus editam a Manethone Ægyptiorum chronologiam recensuit, eam his absolvit verbis : Οἱ καλούμενοι ποιμένες ἡμέτεροι πρόγονοι τριοὶ καὶ ἐνενήκοντα καὶ τριακοσίοις πρόσθεν ἦσαν, ἐκ τῆς Αἰγύπτου ἀπαλλαγέντες, τὴν χώραν ταύτην ἐνῴκησαν, ἢ Δαναὸν εἰς Ἄργος ἀφικέσθαι, καὶ τοὺς τοῦσδε ἀρχαιότατον Ἀργεῖοι νομίζουσι. *Qui vocabantur pastores, id est nostri progenitores, ex Ægypto liberati ante tres et nonaginta atque trecentos annos hanc provinciam inhabitavere quam Danaus ad Argos accederet, licet hunc antiquissimum Argivi confidant* (*Joseph. lib.* I. *contr. Appion. pag.* 1041). In Theophili itaque Antiocheni, qui eumdem citat Manethonem, textu describendo errasse procul dubio videtur librarius, qui scripsit egressos fuisse ex Ægypto Hebræos, πρὸ ἐτῶν τριακοσίων δεκατριῶν, *ante trecentos et tredecim annos* (*Theoph. lib.* III. *ad Autolyc. pag.* 131), quam Danaus in Græciam pervenerit. Etenim Theophilus, ut ex dictis patet, haud dubie scripserat, τριακοσίοις καὶ ἐνενήκοντα τρισὶ, *trecentis et nonaginta tribus*. Sed non satis perito scribæ proclive fuit pro ἐνενήκοντα scribere δέκα. De hac nihilominus conjectura judicium aliorum exspectabimus. At certe ex his Theophili verbis facile agnosces cur Tertullianus Danaum apud ethnicos vetustissimum dixerit.

Tum ille postea : Moyses *mille*, inquit, *circiter* annis *cladem Priami*, id est, Trojanum excidium *antecedit* (*Tertullian. Apologet. cap.* 19). Ibi autem rursus vestigia premit Josephi, qui asseverat adeo antiquum esse Hebræorum ex Ægypto egressum, ὡς ἐγγύς που πρότερον αὐτὴν τῶν Ἰλιακῶν ἔτεσι χιλίοις, *ut annis pene mille Iliacum bellum præcedat* (*Joseph. lib.* I. *contr. Appion. pag.* 1042). Uterque vero adverbium adjecit *circiter* ; nec immerito sane. Magna siquidem est de hoc temporis intervallo, ut alibi vidimus, sententiarum varietas. At, quæcunque a vero propius absit, certo certius est Moysem Iliacis temporibus longe esse antiquiorem (*tom.* I. *Apparat. pag.* 1345, 1347 *et seq.*).

Major adhuc est dissensio de Homeri ætate, quem annis post eamdem cladem Iliacam quingentis et amplius, atque idcirco 1500 ac pluribus annis post Moysem floruisse Auctor noster pronuntiat. Diversas autem hasce scriptorum opiniones recenset Tatianus

Digitized by Google

(*Tatian. orat. cont. Græc. pag.* 166 *et seq.*), et qui verba ejus retulit Eusebius (*Euseb. lib.* X. *Præpar. Evangel. c.* 11. *p.* 492. *et seqq.*), nec non etiam Clemens Alexandrinus (*Clem. Alex. lib.* I. *Stro. p.* 326 *et seqq.*), aliique et antiqui et recentiores, qui de veteribus scriptoribus, aut de chronologis, et poetis, ac nominatim de ejusdem Homeri vita vel ætate disputationes, sive data opera, sive aliud agentes, instituerunt. Nos quoque de his auctorum dissidiis alibi disseruimus (*Tom.* I. *Apparat. pag.* 1278, 1347 *et seqq.*)

Cæterum quoquo tempore floruerit Homerus, plane constat, uti Josephus recte arguit, nullam apud Græcos esse conscriptionem, quæ hujus poetæ operibus sit vetustior (*Joseph. lib.* I. *contr. Appion. pag.* 1034). Quin etiam si eidem Josepho credas, poemata illius non litteris consignata sunt, sed cantu recitata, quæ ab aliis cum memoriter tantum collecta fuerint, multa in eis dissonantia comperiuntur. Ad hæc vero, ille paulo ante dixerat alias nationes gloriari se a Phœnicibus et Cadmo, ut alibi etiam adnotavimus, habuisse antiquissimum litterarum usum (*tom.* I. *Apparat. pag.* 385. *et seqq.*). At nullus tamen, pergit Josephus, demonstrare poterit aliquod scriptum, quod a prisco illo tempore, vel in templis, vel in publicis anathematibus servatum fuerit: Moysis ergo libri cæteros omnes longo temporis, imo et sæculorum intervallo antecesserunt.

Nihil autem, ait Auctor noster, probatu erat facilius (*Tertullian. Apologet. cap.* 19). Sed quia hoc longius erat, nec poterat sine maxima a proposito suo digressione fieri, ideo censuit esse differendum. An vero his verbis aliam ea de re commentationem promittat, ac promissis steterit, quis certo asseverare audebit? Ne quis tamen illud ab eo temere prolatum diceret; palam omnibus ipse facit, unde et a quibus nominatim scriptoribus evidenter probetur. Primum enimvero citat antiquissima Ægyptiorum, Chaldæorum, Phœnicum *archiva*, sive scrinia, in quibus scripturæ, sive libri, eorum reponebantur. Gentes autem istas ideo nominibus suis vocat, quia Græci, teste Josepho (*Joseph. ibid.*), fatebantur antiquissimam rerum traditionem apud eos haberi. At, quia hæc investigatio difficillima adhuc videri poterat: *advocandi sunt*, inquit, *municipes eorum, per quos notitia subministrata est* (*Tertullian. ibid.*). Municipes autem ii proprie appellati sunt, qui in civitatem romanam recepti, muneribus romanorum fruebantur. Sed ille eo nomine abusive significat ejusdem regionis incolas. Nam, et gentes, et scriptores nominatim vocat, ex Ægyptiis Manethonem, Berosum ex Chaldæis, a Josepho, ut paulo post notabimus, citatos; atque ex Phœnicibus Iromum Tyri regem, de quo postea fusius agendum. Si vero hi non sufficiebant, adjicit ipsorum sectatores Ptolemæum Mendesium, qui sacerdos, inquit Clemens Alexandrinus, (*Clemens Alexandr. lib.* I. *Strom.*) ac post ipsum Eusebius (*Euseb. lib.* X. *præpar. Evang. cap.* 12. *pag.* 497), regum Ægypti res gestas tribus libris exposuit: item Menandrum Ephesium, a quo actus et historiam regum Tyri conscripta esse Josephus (*Joseph. lib.* I. *contr. Appion. p.* 1042.) et Theophilus Antiochenus perhibent (*Theoph. lib.* III. *ad Autolyc. pag.* 132). His adjungit Demetrium Phalereum, a Josepho adhuc citatum, tresque alios, regem Jubam, Appionem et Thallum, de quibus nos, in primo Apparatus nostri tomo et in superioribus dissertationibus, disputavimus.

Denique: *Et qui istos*, ait Tertullianus (*Tertullian. loc. cit.*) *probat aut revincit, judæus Josephus, Antiquitatum Judaicarum vindex*, in Antiquitatum videlicet Judaicarum libris, qui etiamnum in omnium manibus versantur. Verumtamen ille non his tantum libris *istos*, ut loquitur Auctor noster, scriptores *probat aut revincit* (*ibid.*); sed in aliis etiam, contra Appionem libris quos jam citavimus (*Joseph. lib.* I. *contra Appion. pag.* 1039. *et seqq. pag.* 1043. *et seqq.*). In his siquidem plura retulit ex libris Ægyptiacorum, scilicet Manethonis Ægyptii, ac Berosi Chaldæi, ex quo prodierunt de astronomia et Chaldæorum philosophia commentationes.

Major itaque difficultas est de tertio scriptore, qui a Tertulliano cognominatur *Iromus Phœnix Tyri rex*. Nam in nostris manuscriptis codicibus, et antiquioribus Rigaltiana editionibus legitur: *Hieronymus Phœnix Tyri rex*. Sed quia nullum fuisse putabant Tyri regem nomine Hieronymum, in textu Tertulliani scribi maluerunt *Iromus*. Correctionis tamen hujus nullam rationem dederunt, nisi quædam verba, ex fragmentis Menandri, a Scaligero editis, delibata. Sed longe potiori jure citare debebant Theophilum Antiochenum, a quo non solum eadem illa græca verba citantur (*Theophil. lib.* III. *ad Autolyc. pag.* 131 *et seqq.*), sed vocatur etiam Ἱέρωμος Τυρίων βασιλεύς, *Hieronus, Tyriorum rex*. Eum autem esse testatur, qui plures ad Salomonem, et vicissim Salomon ad eum scripserat litteras, quæ apud Tyrios servari ferebantur. Non inde tamen confici potest hunc regem aliquid de antiquitate Hebræorum scripto tradidisse.

Nonne etiam in Tertulliani textu legendum esse Hieronymi nomen hinc colligi potest, quod Josephus in primo Antiquitatum Judaicarum libro, ubi de longa primorum patriarcharum vita disserit, ibi post memoratos a se, quemadmodum ab Auctore nostro, Manethonem et Berosum, hæc scripsit: Μώχος καὶ Ἑστιαῖος, καὶ πρὸς αὐτοῖς ὁ αἰγύπτιος Ἱερώνυμος, οἱ τὰ φοινικὰ συνταξάμενοι, συμφωνοῦσι τοῖς ὑπ' ἐμοῦ λεγόμενοις. *Mochus, Hestiæus, et Hieronymus ægyptius, qui Phœnicum res prosecuti sunt, nobiscum consonant* (*Joseph. lib.* I. *Antiquit. cap.* 4. *pag.* 11). Hunc autem Hieronymum in eorum numero posuit, qui de longiori Noe et superiorum patriarcharum vita scriptum aliquid reliquerant. In primo tamen adversus Appionem libro observat Hieronymum ex iis scriptoribus unum esse, qui historias scribendo Judaicæ gentis non meminit (*Idem, lib.* I. *contr. Appion. pag.* 1050): Ἱερώνυμος γὰρ οὐδαμοῦ κατὰ τὴν ἱστο-

Digitized by Google

ρίαν ἐμνημόνευσε, καὶ τοι σχεδὸν ἐν τοῖς τόποις διατετριφώς. *Hieronymus enim nequaquam nostri in historia meminit, licet pene ipsis locis nutritus esset.* Fatetur itaque Hieronymum in hac lucubratione missas fecisse res Judæorum, tametsi incognitæ illi non fuerint. Sed ibi eum Hecatæo opponit, a quo historiam de Judæis editam fuisse testificatur. Potuit igitur in aliena historia aut commentatione, sicuti de longævis, ita de vita illorum quemdam intermiscere sermonem.

At quamvis Hieronymus aut pauca, aut plura de Moyse et Judæis quovis in libro tradiderit, qua ratione probari potest illum fuisse Tyri regem? Numquid ergo Tertullianus humani aliquid ibi passus est, aut a librariis verba ejus depravata sunt, aut de regis Tyrii ad Salomonem epistolis, quemadmodum Theophilus Antiochenus, intelligendus est? Vide igitur quid tibi videatur probabilius, aut melius invenire queas.

ARTICULUS VI.

De aliorum post Moysem sacrorum vatum ætate, et supputariis digitorum gesticulis, *et* censualibus conferendis.

De aliorum post Moysis mortem sacrorum vatum nostrorum ætate Tertullianus (*Tertullian. Apologet. cap.* 19) sic adversus ethnicos pronuntiat: *Cæteri prophetæ etsi Moysi posthumant, extremissimi tamen eorum non retrosiores deprehenduntur primoribus vestris sapientibus, et legiferis, et historicis.* At ibi plures sane adhibet improprios loquendi modos (*Lib. de resurr. Christ. c.* 45. *libro adv. Valentin. c.* 35). Primo siquidem dixit *posthumant*, id est, post Moysis mortem vixerunt; quo sensu alibi scripsit *posthumat*, et *posthumatum*. Secundo qui hic *extremissimos*, alibi *postremissimos omnium:* tertio *retrosiores*, id est, posteriores ac recentiores adpellavit. Verum, etiamsi his obsoletis ac barbaris vocibus utatur, apertus tamen est hic illius sensus: Cæteri prophetæ nostri post Moysis quidem obitum vixerunt; sed eorum omnium ultimi non sunt posteriores græcis sapientibus, legiferis et historicis.

Suam porro sententiam non alio probat argumento, nisi prolatis plurium auctorum nominibus: vel quia gentiles publicæ eorum auctoritati repugnare et resistere non poterant; vel quia longius fuisset singula illorum testimonia hoc in libro describere, in quo brevitati consultum esse volebat. Si quis tamen illud quibusdam saltem confirmari postulet, is audiat Theophilum (*Theophil. Antioch. libr.* III. *ad Autolyc. pag.* 132 *et seqq.*) Antiochenum sic argumentantem: Ultimus, inquit, Prophetarum Zacharias censetur, qui tempora Darii regis attigit. Solon autem Atheniensis antiquissimus legislator tempore regum Cyri et Darii vixisse perhibetur. Cæteri ergo prophetæ aliis legislatoribus vetustiores sunt, et multo magis Moyses, qui ante Jovem Cretensem atque ipsum, ut diximus, Trojanum bellum floruit. Nec id dixisse satis Theophilo fuit, sed exhibita ibi brevissima chronologia demonstrare nititur.

Josephus vero de historicorum ætate hunc loquitur in modum (*Joseph. lib.* I. *contr. Appion., pag.* 1034.): Οἱ μὲν τοι τὰς ἱστορίας ἐπιχειρήσαντες συγγράφειν παρ' αὐτοῖς, λέγω δὲ τοὺς περὶ Κάδμόν τε τὸν Μιλήσιον, καὶ τὸν Ἀργεῖον Ἀκουσίλαον, καὶ μετὰ τοῦτον εἴ τινες ἄλλοι λέγονται γένεσθαι, βραχὺ τῆς Περσῶν ἐπὶ τὴν ἑλλάδα στρατείας τῷ χρόνῳ πρεσβύτεροι: *Qui autem historias apud eos* (Græcos) *conscribere tentavere, id est, Cadmus Milesius et Acusilaus Argivus, et post hunc quicunque alii fuisse feruntur, paulum Persarum* (Cyri et Darii) *expeditionem præcessere* (*T.* I. *Apparat. pag.* 1165 *et seqq. pag.* 1355 *et seqq.*). Nos vero de Græciæ sapientibus et eorum ætate in primo Apparatus nostri tomo disputavimus. De Moysis porro et aliorum prophetarum tempore egimus non solum in eodem citati Apparatus nostri loco, sed in superiori etiam de Lactantii operibus dissertatione. (*Dissertat. in Lactant. cap.* II. *art.* 1. *et* 2.)

Denique Tertullianus certiores nos facit ad recte designanda illorum omnium et prophetarum et ethnicorum scriptorum tempora (*Tertullian. Apologet. cap.* 19), *multis instrumentis*, hoc est libris et chronologiis, *cum digitorum supputariis gesticulis assidendum* esse. Sed quæ sunt, rogabit aliquis, et quorsum spectant illa supputaria digitorum gesticula? Respondebimus itaque ea nihil aliud esse, nisi digitorum gestus ac motus, quibus antiqui solebant annos resve alias numerare. De longævi siquidem Nestoris annis cecinit Juvenalis (*Juvenal. satyr.* 10. *v.* 240):

> Felix nimirum, qui per tot sæcula mortem
> Distulit, atque suos jam dextra computat annos.

Plinius vero narrat simulacrum Jani factum fuisse digitis eo modo figuratis, quo 365 dierum numerus indicabatur (*Plin. lib.* XXXIV. *Hist. natur. cap.* 7. *pag.* 182). Scriptum quoque ab Hieronymo legimus (*Hieronymo. lib.* I. *adv. Jovin. pag.* 146): *Centesimus numerus de sinistra transfertur ad dexteram, et iisdem quidem digitis, sed non eadem manu, quibus in læva nuptæ significantur et viduæ, circulum faciens exprimit virginitatis coronam.* At longe antea Apuleius, ubi de Pudentillæ ætate disputat (*Apul. Apologet.* 2. *post med. pag.* 375): *Si triginta annos*, inquit, *pro decem dixisses, posses videri pro computationis gestu errasse, quos circulare debueris digitos aperuisse. Cum vero quadraginta quæ facilius cæteris porrecta palma significantur, ea quadraginta tu dimidio auges, non potes digitorum gestu errasse, nisi forte triginta annorum Pudentillam ratus, binos cujusque anni consules numerasti.* Tertullianus itaque significat opus esse majori otio, et longiori ab instituto suo digressione, ut illis digitorum gestibus ætas tot scriptorum ac prophetarum computetur.

At, præter hanc aliasque annos dinumerandi difficultates (*Tertullian. Apologet. cap.* 19), *Græcorum etiam*, ait ille, *censuales conferendi.* Nemo sane non videt ibi nomen *libri* vel *codices* subaudiri. Censuales autem eos vocat libros, in quibus acta et rerum gestarum annales a scribis et notariis publicis, vel aliis descripta erant. Nos vero hos li-

Digitized by Google

bros, diari, eta magis vulgari nomine publica scribarum registra nuncupamus.

Cæterum, tametsi Tertullianus tot ad probandam sacræ Scripturæ antiquitatem argumenta breviter exposuerit, quisquis tamen illorum pondus et robur se intelligere negat, is se ipsum occæcare voluisse videtur. Quapropter totam hanc disputationem melius absolvere non possumus, quam his ipsius ad gentiles alio in libro verbis (*Tertull. lib. de Testim. anim. cap.* 5) : *At enim cum divinæ Scripturæ, quæ penes nos, vel Judæos sunt, in quorum olea et oleastro insiti sumus, multo sæcularibus litteris non modica tantum ætate aliqua antecedant, ut loco suo edocuimus ad fidem earum demonstrandam : etsi hæc eloquia de litteris usurpavit anima, utique de nostris credendum erit, non de vestris ; quia potiora sunt ad instruendam animam priora, quam postera, quæ et ipsa a prioribus instrui sustinebant, cum etsi de vestris instructam concedamus, ad originem tamen principalem traditio pertineat, nostrumque omnino sit, quodcunque de nostris sumpsisse et tradidisse contigit vobis.* Demum in Apologetico eosdem adhuc ethnicos sic alloquitur (*Idem, Apolog., cap.* 45, *pag.* 499) : *Sciatis ipsas quoque leges vestras, quæ videntur ad innocentiam pergere, de divina lege, ut antiquiore, formam mutuatas.* Et certe in aliis nostris dissertationibus abunde ostendimus scriptores ethnicos ex sacris nostris libris plura delibasse, quæ illi pravis erroribus suis plane corruperunt. At nemo est qui ex dictis non facile intelligat quam recte a Tertulliano nostro probata sit illorum antiquitas. Ad eorum vero auctoritatem explicandam nunc veniamus.

ARTICULUS VII.

Quomodo Tertullianus demonstret divinam esse sacræ Scripturæ auctoritatem, nec illius ignorantiam ab ethnicis posse objici.

Non ex sola antiquitate Tertullianus summam Scripturæ sacræ auctoritatem repetit, sed eo maxime quod divina sit, seu litteris tradita ab illis utique viris qui erant divino Spiritu afflati, ac futura certo prædixerunt (*Ibid., cap.* 20) : *Idoneum quippe testimonium divinitatis*, ait ille, *est veritas divinationis.* Neque id ullus negare poterat, nec ipsi quidem gentiles, qui veros esse deos suos inde conficere conabantur, quia res futuras ab iis prænuntiatas esse autumabant. Christiani vero vim hujus argumenti, sic ab gentilibus usurpati, non aliam ob causam infirmabant, nisi quia aut falsæ erant hujusmodi factitiorum deorum prædictiones, aut dæmonum artibus et præstigiis excogitatæ. Solus namque verus Deus, aut prophetæ spiritu illius repleti, possunt futura certo prænuntiare. Atqui plurima, inquit Auctor noster, eodem modo jam facta cernimus, quo a sacris vatibus nostris præmonstrata fuerant.

Brevi autem harumce prædictionum enumeratione illud comprobat (*Ibid.*). Nunc enim, ut ille ait, *Terræ*, quemadmodum a sacris Prophetis prædictum est, *vorant urbes*, id est, repentinis terrarum motibus et hiatibus urbes absorptæ ac voratæ sunt (*Ibid.*). Deinde : *Insulas maria fraudant*, quas videlicet maris fluctibus ac tempestatibus exhaustas videmus (*Ibid.*). Ad hæc vero : *externa, atque interna bella dilaniant, regnis regna compulsant*, hoc est, bella in diversas partes scindunt non solum regna, provincias et urbes, sed cives etiam, atque affines, et sanguine conjunctos (*Ibid.*). Præterea : *fames, et lues, et locales quæque clades, et frequentiæ pleraque montium vastant.* Melius in exemplaribus nostris et antiquis editionibus, *plerumque mortium vastant* (*Ibid.*). Frustra enim aliqui ad vocem *montium* confirmandam contendunt ea significari leones, ursos, aliasque id genus belluas, quibus montes frequentantur, vastanturque campi. Nam de hominum Auctor noster loquitur mortibus, quæ lue, fame, aliisque hujuscemodi cladibus frequentissime accidunt.

Pergit autem ille : *Officia temporum et elementorum munia exorbitant* (*Ibid.*), id est, solitus quatuor anni tempestatum, ac statutus elementorum ordo confunditur, quod improprio dixit verbo *exorbitant.* Quin etiam *Monstris et portentis naturalium forma turbatur.* Quidam autem ibi monstra a portentis sic distingui volunt, ut monstra in hominibus animalibusque sint, portenta vero in rebus inanimatis. Sed ii non satis procul dubio attenderunt, quod scripsit Cicero informatas deorum notiones *præter naturam hominum pecudumque portentis* (*Cicer., lib.* II *de Natur. deor. pag.* 215, *lin.* 45). Et alibi : *An vero illa nos terrent, si quando aliqua portentosa aut a pecude, aut ex homine nata dicuntur* (*Lib.* II *de Divinit. p.* 247, *lin.* 16)? Portentum igitur non magis de inanimatis rebus dicitur, quam de hominibus et pecudibus, in quibus membrum aliquod præter naturam plane deformatur, aut redundat, aut deficit. Portentum tamen a monstro si quando Tertulliani verbis revera secerni nobis probetur, protinus cedemus.

Quid plura? *Humiles*, ait ille, *sublimitate, sublimes humilitate mutantur* (*Tertullian. Apologet., cap.* 20, *pag.* 390); sive, hominum status et conditio ita commutatur, ut a sublimi ac summa ad humilem et infimam atque versa vice, aut decidant aut conscendant. Denique : *justitia rarescit, et iniquitas crebrescit; bonarum omnium disciplinarum cura torpescit*, apud ethnicos videlicet, qui christianam religionem oderant, vel aspernabantur. Nam postea manifestum ipse, ut suo loco videbimus, cuilibet fecit a Christianis excultam disseminatamque fuisse justitiam, pietatem, sanctitatem, curamque bonarum omnium disciplinarum. Porro autem clades, calamitates, rerumque perturbationes, quas Auctor noster recenset, a sacris nostris vatibus vere prænuntiatas fuisse nemo negare potest, nisi qui horum, aliorumque sive historicorum aut chronologistarum libros, nec percurrendo quidem legerit. At quemadmodum Augustinus adversus Faustum Manichæum disputat : *Ostendimus fidem prophetarum ex his, quæ ventura cecinerunt, et venisse cernuntur* (*August. lib.* XIII, *contr. Faust. Manich., cap.* 7, *pag.* 255, *tom.* VIII). Sed illum plura de his ibi

Digitized by Google

disputantem adire poteris. De mundi vero cladibus, A quas Tertullianus a sacris nostris vatibus prædictas esse dixit, inferius cum eo agendum.

Dissimulare tamen non possumus aliis longe clarioribus sacræ Scripturæ verbis futura prænuntiari. Tales enimvero sunt plures de venturo Christo, ejusque vita, miraculis, morte, et ad vitam regressu prædictiones, quæ ab Auctore nostro et Lactantio, ut in superiori dissertatione ostendimus, accurate referuntur (*Infra, cap* 9, *art.* 2; *Dissertat. in Lactant. cap.* 8, *art.* 1 *et* 2). Verum ipse Tertullianus noster arbitratus est, nec jure quidem immerito, ea quæ nunc memorat, ad probandam sacræ Scripturæ divinitatem sic sufficere, ut aliis opus non esset, nec exemplis, nec probationibus.

Neque objici poterat illas a Christianis occultatas, B nec ethnicos habuisse easdem legendi et examinandi facultatem. Quamvis enim summæ Christianis religioni fuerit sacra sua mysteria alios omnes, et ipsos etiam catechumenos celare; divinæ tamen Scripturæ libros, nec abscondebant, nec abscondere poterant. Quamobrem Tertullianus ethnicum hominem sic compellat : *Inspice Dei voces, litteras nostras, quas neque ipsi supprimimus, et plerique casus ad extraneos transferunt* (*Tertullian. Apolog. cap.* 31, *pag.* 446). Nonne autem his verbis *litteras nostras*, omnes generatim designat libros non solum prisci, sed novi etiam Testamenti, quod alicubi *supplementum veteris Instrumenti* appellavit (*Tertull., lib. adv. Hermog. cap.* 20). Christiani itaque non supprimebant hasce sacras litteras; et quamvis illas occultare voluissent, *ad extra-* C *neos* tamen, hoc est ethnicos, variis casibus transferebantur.

Præterea, libri veteris Testamenti ab ipso Philadelphi tempore ex hebraica in græcam linguam, uti diximus, conversi, in eorumdem ethnicorum venerant manus, poterantque eas legere, et agnoscere, utrum omnium illorum viderent effectum, quæ in eis prænuntiata fuerant. At, tametsi gentiles, aut incuria, aut pervicacia hos sacros libros non legissent, nihilominus Christiani manifestissime demonstrabant veras fuisse vaticinationes, quas in eis longo antea tempore prædictas videmus. Denique Prophetæ, quorum voces hisce in libris descriptæ sunt, mirandis virtutibus et miraculis, uti supra observatum est, sua et verba et documenta invictissime stabiliverunt, confirmave- D runtque. Tertullianus itaque ex his, quæ in hoc et superioribus articulis dicta sunt, recte concludit divinam esse sacrarum nostrarum Scripturarum auctoritatem, quas idcirco divinas litteras ac sanctas voces appellat (*Apologet. cap.* 39, *pag.* 469), et asserit *ex fide et antiquitate* harum *divinarum litterarum* veritatem nostræ religionis ejusque documentorum certissime demonstrari (*Ibid. cap.* 46, *pag.* 501). Quæ autem ab illo in his, quos præ manibus habemus libris tradita et asserta sint, nunc diligenter investigare ac perscrutare conemur.

CAPUT VII.

De Deo divinisque ejus perfectionibus et attributis, ac quot qualesve gentilium philosophorum de illo dissensiones et errores.

ARTICULUS PRIMUS.

Examinatur sextuplex argumentum, quo Tertullianus Deum existere demonstrat, videlicet sacrarum Scripturarum auctoritate, gentilium philosophorum consensu, ipsiusmet Dei operibus, intimo mentis humanæ sensu et conscientia, infinitis Dei perfectionibus, ac publica et sæpius repetita dæmonum a Christianis adjuratorum confessione.

Ea est christianæ religionis perfectio, ut, ad illius B veritatem et aliarum quarumcunque falsitatem demonstrandam, sola, simplex, nudaque, ut recte ait Tertullianus, sufficiat doctrinæ ejus expositio. Nihil enim in ea occurrit, quod naturali omnium hominum lumini ac rectæ rationi plane non congruat. Præcipua autem ejus capita auctor noster exponit, atque ab eo orditur, quod cæterorum omnium fundamentum est, videlicet ab ipso Deo, qui a Christianis colitur et adoratur.

Variis itaque argumentis illum existere, et unicum esse, plane ostendit. Primum enim is, inquit, ipse est, quem singulæ fere omnes sacrarum nostrarum Scripturarum paginæ unicum, et nullum prorsus alium, esse Deum apertissime asserunt ac renuntiant (*Tertull. Apologet. cap.* 17 *et seqq., pag.* 375). Atqui C jam probavimus divinam esse ejusdem sacræ Scripturæ auctoritatem. Quod ergo de unico Deo, reipsa existente, tam sæpe quam perspicue prædicat, hoc certe verissimum est. Scriptores siquidem divino, uti vidimus, Spiritu afflati, nec mentiri possunt, nec in ullum umquam nos inducere errorem.

Si quis autem ethnicus aliquos sacræ Scripturæ libros vel breviter percurrendi laborem recuset, is saltem eorum initium ac prima Geneseos verba legat, atque iis disertissime proditum comperiet, quod dixit Tertullianus, unicum omnino esse Deum : *Qui totam molem istam, cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo, quo jussit, ratione, qua composuit, virtute, qua potuit*, id est, qua ad mundum creandum revera pollebat, *de nihilo expressit* (*Ibid.*). D Minutius autem Felix, uti in alia dissertatione animadvertimus, quædam ex his verbis mutuatus est, sed hæc prætermisit, quæ videntur obscuriora : *Cum instrumento elementorum, corporum, et spirituum.* (*Dissertat. in Minut., cap.* 21, *art.* 5). At nihil aliud hæc significant, nisi totum mundum et ea omnia quibus componitur, nimirum elementa, corpora, et spiritus creata fuisse ab omnipotente Deo, quem idcirco existere necesse penitus est.

Porro autem Tertullianus, hisce verbis, non ad ea tantum alludit quæ initio Geneseos, sicuti dicebamus, scripta sunt, sed alia etiam sacræ Scripturæ loca, quibus vates divini cœlos verbo Dei firmatos, et mundum omnem ipsius sapientia ac potestate *ex nihilo*

Digitized by Google

factum esse prædicant. At quia Hermogenes et alii nonnulli hæretici, et gentiles somniaverunt, mundum non ex nihilo, sed ex materia præexistente ipsique Deo coæterna conditum, hinc Tertullianus falsam hanc opinionem peculiari in libro, adversus eumdem Hermogenem composito, invictis rationum momentis radicitus evellit. Sed jam plura, quibus hic error a Lactantio destruitur, argumenta a nobis alibi explicata sunt. Recte ergo inde Tertullianus noster sic disputat : *Dubitabitur, credo, de Dei viribus, qui tantum hoc corpus mundi de eo quod non fuerat, non minus quam de morte vacationis et inanitatis, imposuit animatum spiritu omnium animarum animatore* (*Tertull. lib. adv. Hermog., cap. 8 et seqq.; Dissert. in Lactant., cap. 21, art. 1; Tertull. Apologet. cap. 48, pag. 529*).

Audis sane hanc ejus esse argumentationem : Deus, non ex præexistente aut coæterna sibi materia, sed ex nihilo creavit mundum. At summæ et infinitæ est potestatis aliquid, ac quod longe majus est, totum mundum ex nihilo creare. Deus igitur omnipotens mundi creator existit. Atque hæc prima est Tertulliani argumentatio, qua ex sacræ Scripturæ auctoritate, cui nemo, uti diximus, ne gentilis quidem homo, refragari potest, recte demonstrat Deum reipsa existere.

Antequam vero ad alia progrediamur, observare juvat in citato ejusdem Tertulliani textu pro libito sublatum à Rigaltio nomen *animarum* tanquam supervacaneum, ac pro *imposuit* scriptum *composuit*. Nam huic correctioni, cujus nullam reddidit rationem, omnes manuscripti et antiquiores editi codices plane adversantur. Deinde vero, nonne Auctor noster poterat verbo *imposuit* abuti, quo significantius exprimeret, quod antea dixerat, mundum à Deo creatum *ex nihilo*, ac tanquam supra mortem *vacationis et inanitatis* impositum? Potuit etiam per quamdam emphasim adjicere nomen *animarum*, ut luculentius significaret Deum non modo corporum, sed etiam animarum esse revera animatorem et creatorem.

Secundum Tertulliani argumentum desumitur ex communi omnium pene gentilium philosophorum consensu, qui, licet in definienda Dei natura non parum a se invicem, ut paulo post ostendemus, dissentiant, eum tamen revera existere volentes nolentes confessi sunt (*Idem, cap. 47, pag. 516; Infr. hoc cap. art. 4; Dissertat. in Minut. cap. 4, art. 1, et in Lactant. cap. 12, art. 1*). Sed de hac illorum sententia alibi fuse disputavimus, nec ea quæ ibi diximus nunc repetenda sunt.

Tertium unius Dei existentis argumentum petit Tertullianus ex ejus operibus, quæ sicut nullus, nisi plane desipiat, non potest non agnoscere, ita nec diffiteri unum Deum esse illorum auctorem. Nam mundus, uti recte ait Tertullianus, ab illo factus est, *In ornamentum majestatis suæ* (*Tertullian. Apologet. cap. 17, pag. 375*). Quid vero illud est *in divinæ majestatis ornamentum*, nisi in illius probationem et argumentum, quo ex mundi creatione divina ejus majestas et omnipotentia omnibus sane, etiam hebetioribus, fit manifesta et cognoscitur? Quamobrem Lactantius diserte postea dixit : *Qui solem rebus humanis clarissimum ac singulare lumen in argumentum suæ unicæ majestatis accendit* (*Lactant., lib. II divin. Instit. cap. 5, pag. 161*). Et certe sol, non casu aliquo, vel a se ipso, ratione penitus orbato, creatus est. Suo igitur lumine et splendore omnipotentem Deum auctorem suum demonstrat. De hac autem argumentatione in nostra de ejusdem Lactantii libris dissertatione egimus (*Dissertat. in Lactant. cap. 12, art. 1*).

Neque hoc tantum clarissimo solis lumine perstricti obtusiores mentis humanæ oculi Deum agnoscere coguntur, sed ex aliis quoque ejus operibus : *Tot ac tantis*, inquit Tertullianus, *quibus continemur, quibus sustinemur, quibus oblectamur, quibus exterremur* (*Tertullian. Apologet. cap. 17, pag. 376*). Quid enim tot tantaque opera aliud clamant, nisi ab uno Deo esse edita, qui homines, aut beneficiis, aut terrore, ad sui cognitionem adducit? Atque inde profecto paulo post adjecit edita ab illo *majestatis suæ signa per imbres*, haud dubie generalis diluvii, *per ignes*, ac eos potissimum quibus urbes Sodoma et Gomorrha consumptæ fuerunt. A quo enim, obsecro te, hæc fieri potuere, nisi a Deo judice æquissimo, qui ab impiis et sceleratissimis hominibus debitas criminibus pœnas repetebat?

Alia vero sunt adhuc, quibus, ut ait Tertullianus, *exterremur*, nimirum fulgura, fulmina, tonitrua, publicæ cladeś et tempestates, aliaque his similia. Consulto autem hæc adjecisse videtur, ut variis atheorum argutiis occurreret, qui objiciunt fulmina quæ supra montes, verbi gratia, cadunt, et alia hujusmodi esse prorsus inutilia, nullamque proferri posse causam, propter quam accidant. Garrulis enimvero et impiis hisce hominibus, qui, spreta aut compressa animi conscientia, pravis libidinibus servire volunt, respondet ideo hæc fieri, ut *exterreamur*, hoc est, Deum verum illorum auctorem timeamus, atque eo timore, quem homini innatum esse alibi demonstrat, agnoscamus illum reapse existere, qui eosdem impios aliosque sceleratos pro merito castigare potest (*Idem, lib. de Testimon. anim. cap. 2*).

Porro autem alibi ostendimus, etiamsi infirmæ ac cæcutienti hominum menti non omnino comperta sit infinita Dei magnitudo, quorumdamque ejus operum caussa, ex ipsius tamen effectibus, nemini incognitis, manifestissime demonstrari illum existere, et quem ob finem omnia fecerit. Jam vero non quærimus cur aut quomodo omnia ab illo fiant, aut facta sint, sed utrum ipse existat atque id ex ejus operibus agnoscatur. In aliis autem nostris dissertationibus plane ostendimus quam certo et evidenter Deum existere inde demonstretur, et quam imbecilla sit ethnicorum argumentatio, qui illud ideo negabant, quia ipse Deus videri non potest (*Dissert. in Minut. cap. 5, art. 1, et cap. 6, art. 1*).

Quarta Dei revera existentis demonstratio a Tertulliano ducitur ex intimo animæ humanæ sensu, sive

Digitized by Google

ejus testimonio, ipsaque hominis conscientia. *Visne,* ait ille, *ex animæ ipsius testimonio comprobemus : quæ, licet carcere corporis pressa, licet institutionibus pravis circumscripta, licet libidinibus et concupiscentiis evigorata, licet falsis diis exancillata, cum tamen resipiscit, ut ex crapula, ut ex somno, ut ex aliqua valetudine, et sanitatem suam patitur, Deum nominat, hoc solo, quia proprie verus hic unus Deus, bonus, et magnus;* et : *Quod Deus dederit, omnium vox est; judicem quoque contestatur illum : Deus videt;* et : *Deo commendo ;* et : *Deus mihi reddet* (*Tertull. Apolog., cap.* 17, *p.* 376 *et seq.*). In hoc autem auctoris nostri textu quædam Rigaltius more suo immutavit et addidit. Primum enim ex sola, sed forsitan non prorsus infelici, Latinii conjectura, pro verbo *patitur*, emendatum scriptumque voluit, *potitur*, hoc est, inquit, dum est compos sanæ mentis. Et certe nomen *sanitas* accipitur aliquando pro bono statu mentis, atque apud bonos auctores legimus potiri gaudia. In duobus autem recentioribus codicibus scriptum est *pascitur*. Quid vero, si Tertullianus minus latine loquendo dixerit *patitur* sanitatem, videlicet nondum integram?

Quidquid sit, videtur Rigaltius privata auctoritate his verbis : *Hoc solo, quia proprie hic unus Deus, bonus et magnus*, istæc subrogasse : *Hoc solo, quia proprio Dei veri. Deus magnus, Deus bonus.* Sed nonne satis perspicua erant manuscriptorum codicum verba, nec his minus clara? Sed fac obscuriora esse, numquid idcirco manus inferenda veteris scriptoris textui, ut pro libito corrigatur, nec amplius illius sit?

Non hoc autem tantum in libro Tertullianus noster hac adversus ethnicos argumentatione utitur, sed eam quoque fusius acriusque urget toto in libro *de Testimonio animæ adversus gentes*, ubi docet hoc ipsum ejus testimonium esse *omni litteratura notius, doctrina agitatius, omni editione vulgatius, toto homine majus, id est, totum quod est hominis* (*Idem, lib. de testim. anim. cap.* 1). Alia autem ejus verba alibi citavimus, palamque fecimus idem argumentum adhiberi a Minutio Felice, Cypriano, Arnobio et Lactantio, qui, Auctoris nostri vestigiis inhærentes, hujus argumenti vi ac pondere omnes falsorum deorum cultores atheosque obruerunt (*Dissertat. in Minut., cap.* 2, *art.* 5, *et cap.* 3, *art.* 3; *Dissertat. in Arnob. cap.* 5, *art.* 1, *et Dissertat. in Lactant. cap.* 12, *art.* 1).

Quapropter illa hic non repetenda censemus, sed illud duntaxat examinandum, cur dixerit hanc naturalem Dei invocationem esse *testimonium animæ naturaliter christianæ*. Numquid enim anima naturaliter christiana est? Nonne paulo post ille dixit : *Fiunt, non nascuntur Christiani* (*Tertullian. Apologet. cap.* 17, *pag.* 377; *Ibid. cap.* 18, *pag.* 378)? Alibivero ipsam animam sic alloquitur : *Non es, quod sciam, christiana; fieri enim, non nasci soles christiana* (*Idem, lib. de Testim. anim., cap.* 1). At si homo non nascitur, sed fit christianus, ergo ejus anima naturaliter christiana non est. Verum Tertullianus, qui paucas inter lineas sibi procul dubio non contradixit, prioribus verbis nihil aliud significat, nisi animæ humanæ naturaliter insitam esse veri Dei notionem, quæ totius christianæ religionis est fundamentum. Alia autem omnia illius mysteria et documenta non cognoscit, quin prius ab aliis doceatur. Atque ita quidem Christiani fiunt, non autem nascuntur, quamvis naturaliter unum Deum agnoscant et invocent.

Visne illud tibi ex ipsomet Tertulliano probari? Ad Nationes ille scribit Liberum Patrem cum suo sacro ab urbe Roma totaque Italia auctoritate senatus ejectum, eversasque Serapidis, Isidis et Harpocratis statuas. At hanc inde elicit conclusionem : *Habetis igitur in majoribus vestris, etsi non nomen, attamen sectam christianam, quæ deos negligit* (*Tertull. lib.* 1 *ad Nation. cap.* 10, *pag.* 573). Videsne ob hoc solum factum quosdam gentiles sectæ christianæ nomine ab eo appellari? Eadem itaque ratione anima naturaliter christiana dici potuit, quæ conscientiæ suæ testimonio, naturalique lumine ac motu verum quicumque Deum agnoscit. Sed a nobis jam observatum est his plane similia a Minutio Felice proferri (*Dissertat. in Minut., cap.* 13, *art.* 4).

Jure igitur merito Tertullianus inde, et ex iis omnibus quæ hactenus probaverat, sic concludit : *Hæc est summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt* (*Apol., c.* 17, *pag.* 376). Eadem plane est Cypriani, ejus discipuli et sequacis, conclusio : *Atque hæc est summa delicti nolle agnoscere, quem ignorare non possit* (*Cyprian., lib. de idolor. Vanit., pag.* 15). Nemo quippe potest ignorantiam excusare Dei, quem tot argumentis et intimo cordis animæque sensu agnoscere compellitur. Maximum igitur delictum, imo vero summum omnium delictorum est nolle Deum recognoscere, qui a nemine, nisi penitus excors et amens sit, potest ignorari.

Quinta divinæ, ut aiunt, existentiæ demonstratio his includitur verbis, quibus Auctor noster illam ex infinitis Dei perfectionibus elicit conclusionem : *Ideo*, inquit, Deus *verus et tantus est* (*Ibid.*). Nonne enim hunc argumentatur in modum? Veri Dei nomine is intelligitur, cujus infinitæ sunt perfectiones, et quo nihil majus aut perfectius excogitari potest; non enim esset verus Deus, si tantus non esset : at is, qui infinitas perfectiones in se complectitur, a se profecto habet, et quod existat, et quod aliis tribuat ut sint et existant; cum enim ea sit rerum omnium creatarum series, ut posteriores ab antiquioribus originem, qua existunt, acceperint, debuit ante omne tempus esse aliquis, qui a nullo, sed potius a se ipso habuerit quod existat, et rebus quibusque creatis eas omnes quibus præditæ sunt, perfectiones largiatur : at ille *ideo est verus, quia tantus est.* In suo autem adversus Marcionem libro ex summa Dei perfectione concludit illum esse unicum, ita ut non existeret, si non esset unus. Audias velim quæ sit ejus argumentatio : *Deus cum summum magnum sit, recte veritas nostra pronuntiavit : Deus, si non unus est, non est. Non quasi dubitemus esse Deum, dicendo : Si non unus, non est; sed quia quem confidimus esse, id eum definiamus esse, quod si non est, Deus non est, summum scilicet magnum.*

Digitized by Google

Porro summum magnum unicum sit necesse est : ergo et Deus unicus erit, non aliter Deus, nisi summum magnum, nec aliter summum magnum, nisi parem non habeat, nec aliter parem non habens, nisi unicus fuerit (*Idem., lib.* I *advers. Marcion., cap.* 3).

Sextam et ultimam qua Deus existere probatur demonstrationem Tertulliano suppeditavit summa ac mira Christianorum ad dæmones expellendos potestas, contra quam quilibet quantumvis pertinax gentilis ne mutire quidem poterat. Tum enim sæpe sæpius dæmones a christianis, Christi nomine adjurati, non solum ejiciebantur ex his quos obsidebant hominibus, sed cogebantur etiam palam et publice confiteri, nec se, nec alios quos gentiles colebant, esse deos, sed unum duntaxat existere, quem discipuli Christi venerabantur. Atqui *omnis ista*, ait Tertullianus, *confessio illorum, qua se deos negant esse, quaque non alium Deum respondent præter unum, cui nos mancipamur, satis idonea est ad depellendum crimen læsæ maxime romanæ religionis*, quæ non verum et unicum, sed falsos utique deos venerabatur (*Tertullian. Apologet., cap.* 24, *pag.* 416). Nam omnes profecto ethnici dæmonibus, verum contra semetipsos confitentibus, debebant credere, qui mentientibus credebant. Nemo siquidem, ut recte ille arguit, *ad suum dedecus mentitur, quin potius ad honorem. Magis fides proxima est adversus semetipsos confitentes, quam pro se ipsis negantes* (*Ibid., cap.* 23, *pag.* 415). Tam publicum enimvero testimonium nemini plane dubium suspectumque esse poterat. Quamobrem illud, pergit Auctor noster, solebat ex ethnicis facere christianos (*Ibid.*). Ecquis enim homo poterat tam certam claramque testificationem respuere, nisi cui falsa præjudicia aut privatæ utilitates rationis lumen penitus eripuerant? Jure igitur merito Auctor noster summam redarguit iniquitatem gentilium, qui Christianos accusabant læsæ romanæ religionis, eosque contra conscientiam, totque ac tanti ponderis demonstrationes, ad falsos deos colendos negandumque verum Deum quibuslibet suppliciis adigere nitebantur.

ARTICULUS II.

De perfectionibus sive attributis Dei, ac quo sensu a Tertulliano dicatur hominibus cognitus, quamvis sit invisibilis, incomprehensibilis, inæstimabilis ; quæ hujus veri Dei et vivi scientia, sapientia, et æternitas.

Deum esse perfectissimum inde Tertullianus recte colligit, quod mundum et omnia quæ in eo sunt, sicut in superiore articulo vidimus, ab illo creata fuerint. (*Tertullian. Apologet., cap.* 11). Etenim *imperfectum*, inquit ille, *non potuit esse, quod perfecit omnia*, id est, quia Deus a se ipso est, et cætera omnia fecit, nihil prorsus imperfecti, sed omnes omnino perfectiones habeat, necesse est.

Tantæ autem illæ sunt, humanique ingenii imbecillitatem adeo superant, *ut invisibilis sit* (*Ibid., cap.* 17, *pag.* 375), ait Auctor noster, id est, humanis oculis videri non possit. Nam ut ipse in Exodo loquitur (*Exod., cap.* XXXIII, 20) : *Non enim videbit me homo, et vivet.* Addit vero Tertullianus, *etsi videatur*, hoc est, tametsi homines allatis supra argumentis ac (*Art. super.*) demonstrationibus illum revera existere mente videant et cognoscant.

Incomprehensibilis quoque est, pergit Tertullianus. (*Tertullian., ibid.*) Nam ut fatetur Clemens Alexandrinus (*Clem. Alexandr., lib.* V *Strom., pag.* 548) : Ἄῤῥλον μηδένα ποτὲ δυνάσθαι παρὰ τὸν τῆς ζωῆς χρόνον τὸν Θεὸν ἐναργῶς καταλαβέσθαι. *Neminem unquam posse per hoc vitæ tempus Deum perspicue comprehendere.* Quibus uterque verbis significat infinitas Dei perfectiones ab hominibus, vitam hanc mortalem viventibus, non posse clara distincta idea et notione plane penitusque comprehendi. Subjungit tamen : *Etsi per gratiam repræsentetur.* Sed quænam est ista gratia, nisi Salvatoris nostri Christi, qui, homo factus, docuit homines quomodo ipsum et divinum ejus Patrem unicum verumque Deum esse intelligant : Nemo quippe, quemadmodum scribit auctor epistolæ ad Diognetum, Deum vidit, aut perfecte cognovit (*Epist. Diognet., pag.* 499, *edit. Justin. Martyr*) : Αὐτὸς δὲ ἑαυτὸν ἐπέδειξεν· ἐπέδειξε δὲ διὰ πίστεως ᾗ μόνῃ Θεὸν ἰδεῖν συγχεχώρηται. *Sed ipse se ipsum ostendit : ostendit autem per fidem, qua sola Deum videre concessum est.* Nonne vero uterque ad hæc collineavit Matthæi verba (*Matth.* XI, 17) : *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Aut ad illa Joannis (*Joan., cap.* I, 18) : *Deum nemo vidit unquam. Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*

Pergit Auctor noster : *inæstimabilis, etsi humanis sensibus æstimetur*, id est, in hoc recte ab hominibus *æstimetur*, quod sciunt eum esse inæstimabilem (*Tertullian. Apologet., cap.* 17, *pag.* 375). Ipse enim mox addidit : *Hoc est quod Deum æstimari facit, dum æstimari non capit*, perinde ac si dixisset : Tunc Deum recte æstimamus, cum fatemur nec à nobis, nec ab ullo homine posse pro merito æstimari.

Horum omnium rationem si ab illo postules, hanc ille ibidem reddet : *Quod videri communiter, quod comprehendi, quod æstimari potest, minus est oculis quibus occupatur, et manibus quibus contaminatur, et sensibus quibus invenitur*, hoc est, quidquid oculis corporeis communiter cernitur, manibus tangitur, aut sub alios sensus cadit, illud his omnibus sensibus minus est, inferiorisque, quam Deus, ordinis (*Ibid.*). Nam *quod immensum est*, quemadmodum Deus, *soli sibi notum est* (*Ibid.*). Immensi autem nomine illud Tertullianus præcise non intelligit, quod ubique et in omni loco existit, sed quod est infinitum. Eo quippe sensu a bonis auctoribus dicitur immensus labor, et dolor immensus, vel immensa cupiditas. Deus itaque, utpote infinitus, a se solo quantus est cognoscitur (*Ibid.*). Atque ita illum, ut rursus, ait Auctor noster, *vis magnitudinis, et notum hominibus objicit, et ignotum* (*Dissertat. in Minut. Octav., cap.* 5, *art.* 1; *Dissert. in Lactant. cap.* 13,

Digitized by Google

art. 1). Tanta enimvero est ejus magnitudo, et divinæ illius naturæ excellentia, ut, etsi homines certo certius noverint illum existere, capere tamen non possint quantæ qualesque sint omnes ejus perfectiones. Sed de his omnibus jam disputatum est in superioribus nostris dissertationibus.

Neque porro hæc tantum negativa, ut aiunt, Dei attributa a Tertulliano asserta animadvertimus, sed plura quoque alia, quæ affirmantia vocantur (*Tertullian. Apologet., cap.* 30, *pag.* 441). Deum etenim verum et vivum appellat, atque ita illum gentilium diis falsis et mortuis opponit.

Deinde vero docet ipsum esse *omnium speculatorem*, cujus infinita est scientiæ plenitudo, et cui nihil prorsus ulla latebrarum difficultate latere unquam potest (*Ibid., cap.* 45, *pag.* 500). Non in solo autem Apologetico, sed alio quoque in libro divinam hanc scientiam prædicat. Ab illo enim hæc alibi scriptis tradita legimus (*Idem. lib. de Pœnit. cap.* 3) : *Neque si mediocritas humana facti solum judicat, quia voluntatis latebris par non est, idcirco crimina ejus etiam sub Deo negligamus. Deus in omnia sufficit. Nihil a conspectu ejus remotum, unde omnino delinquitur.* Omnes igitur humani cordis intimos et occultiores recessus penetrat; atque cætera proinde omnia, quæcunque sint, perfecte cognoscit.

Nec minus asseveranter pronuntiat eum ab æterno esse rationalem, qui Verbum, ut infra fusius ostendetur, Sermonem, Sophiam, Sapientiam protulit; ac mundum verbo, ratione et sapientia molitus, creavit ex nihilo, atque idcireo omne tempus antecessit, et æternus est (*Idem, Apologet., cap.* 17, *pag.* 375; *cap.* 11, *pag.* 332).

At hoc quidem alibi lrisce verbis confirmat (*Ibid., cap.* 26) : *Qui ante tempus fuit, et sæculum corpus temporum fecit.* Nomen autem *corpus* ibi sumitur pro plurium collectione rerum, ac congregata multitudine. Sic corpus civitatis, aut reipublicæ dicitur. De Christianis vero ipse auctor noster : *Corpus*, inquit, *sumus.* Sensus itaque illius est (*Ibid., cap.* 39) : Deus *sæculum corpus temporum fecit*, seu fecit ut mundus ex tota temporum collectione constet (*Ibid., cap.* 18, *pag.* 377). Quapropter ille antea dixerat : *Deus sæculum certis temporum dispositionibus et exitibus ordinavit.* At id facere non poterat, nisi ante omne, ut ipse loquitur, tempus, atque idcirco æternus fuerit. Neque dubites hanc esse illius mentem, qui alibi Christianorum nomine scripsit (*Ibid., cap.* 30) : *Nos Deum invocamus æternum.* At ibi illum non modo æternum prædicat, verum etiam omnipotentem, in cujus potestate sita sunt omnia.

ARTICULUS III.

Ostenditur Tertullianum revera credidisse Deum esse spiritum, nihilque habere corporei, et contraria argumenta solvuntur.

Quæ de tot tantisque Dei perfectionibus et attributis hactenus exposita sunt, hæc manifeste demonstrant illas esse summas, ac Deum a se ipso solo, et a nullo alio, habere quidquid ipse est. Atqui si nihil ei ex alio accidat, et perfectiones ejus sint infinitæ, nec ab ullo unquam circumscribi potuerint, simplicissima procul dubio est illius natura, ac proinde spiritualis, et omnis corporeæ concretionis expers. Nullum ergo habet corpus, quod utique partibus componitur, atque idcireo potest dissolvi, et imperfectum est. Sed quid necesse est aliqua argumentatione hanc probare Auctoris nostri doctrinam? Nonne id apertissime his prædicavit verbis (*Tertullian. Apologet., cap.* 21) : *Deum ediximus, propriam substantiam spiritum inscribimus?* Et paulo post : *Nam et Deus spiritus.*

Neque respondeas velim ibi spiritus nomine corpus aliquod, sed cæteris longe subtilius ab eo intelligi. Nam ibidem Verbum, Sermo et Filius Dei ab ipso dicitur ex sinu Patris sui æterni prodisse, *de spiritu spiritus, et de Deo Deus* (*Ibid.*). At certe illa æterna, et ante omne corpus creatum, Dei prolatio nihil plane corporei admittere potest. Ipsa siquidem est Dei cogitatio et intelligentia, quæ penitus incorporea, et mere spiritualis esse debet. Vere ergo Tertullianus credidit, Deum Patrem Filiumque ejus esse spiritum, qui nihil prorsus corporis et materiæ quantumlibet subtilis habeat.

Contra tamen nonnulli reclamant, nobisque objiciunt Tertullianum docuisse, quidquid est aut corpus esse, aut nihil, nec posse omnino aliquid inter utrumque medium assignari. Nam hæc sunt ipsissima ejus verba : *Omne quod est, corpus est sui generis. Nihil est incorporale, nisi quod non est* (*Idem, lib. de Carne Christi, cap.* 11). Generalis procul dubio est hæc ejus propositio, ac proinde ab eo diserte definitur quidquid sit, sive Deus, sive quid aliud, eo ipso quod est, illud esse corpus. Cum tot igitur, uti vidimus, argumentis probaverit Deum unum et verum existere, eum utique revera corporeum esse credidit.

Sed quid hac, inquient alii, aliave argumentatione opus est? Nonne de ipsomet Deo hunc loquitur in modum? *Quis negabit Deum corpus esse, etsi Deus spiritus est? Spiritus enim corpus sui generis in sua effigie. Sed et invisibilia illa quæcunque sunt, habent apud Deum et suum corpus, et suam formam, per quæ soli Deo visibilia sunt* (*Idem, liber adv. Prax., cap.* 7).

Verum quantumvis generalis sit prima ejus propositio, mediam nihilominus aliquam inter corpus et nihil substantiam discernit, quæ spiritalis, ac spiritus a corpore distinctus est. Enimvero in hoc, de quo agimus, Apologetico libro dixit creatam a Deo istam mundi molem, *cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum* (*Idem, Apologet. cap.* 17). Quid autem necesse erat ibi adjicere *spirituum*, si corpus et spiritum, unum idemque esse credidisset? Numquid respondebis *corporum* nomine significari corpora densa et crassiora, *spirituum* autem vocabulo corpora subtiliora ac tenuissima? Sed hæc tantum diversæ sunt corporum qualitates, quæ

Digitized by Google

poterant solo corporum nomine satis designari. At *spirituum* nomine non corporum qualitates, sed aliquid ab omni corpore discretum, significare procul dubio videtur.

Quid vero, quod ille alio in libro rem spiritualem a corporali plane penitusque distinguit? Ubi enim de hominis, qui corpore, uti ille ait, et spiritu constat, peccatis delictisque disserit, aperte pronuntiat : *Delictorum quædam esse carnalia, id est, corporalia, quædam vero spiritalia* (*Idem, lib. de Pœnit. cap.* 3). Tum vero paulo post : *Exinde spiritalia et corporalia nominantur, quod delictum omne aut agitur aut cogitatur. Ut corporale sit, in facto est; quia factum, ut corpus, et videri et contingi habet. Spiritale vero, quod in animo est, quia spiritus neque videtur neque tangitur. Per quod intelligitur non facti solum, verum et voluntatis delicta vitanda.* Fatetur itaque duplicis generis esse peccata, nimirum corporalia, quæ a corpore, non repugnante animo et voluntate, perpetrantur. Alia vero solius spiritus, quæ sola admittuntur cogitatione et voluntate, ac sine ullo corporis ministerio. Quin etiam alios adhuc esse docet proprios animæ nostræ actus, ab ejus corpore nequaquam dependentes, quibus non solum pœna, sed præmium quoque debetur (*Idem, lib. de Anim., cap.* 58). Atqui hos solius animæ aut bonos aut malos actus, præmio aut pœna dignos nec corpus, nec nihil, sed aliquid intermedium esse arbitrabantur. Ergo quædam esse putavit, quæ tantum spiritalia nec plane corporalia sunt.

Ad secundam vero illius de Deo propositionem quod spectat, nonne, uti diximus, diserte affirmat ejus Filium esse ipsiusmet sapientiam, internum verbum et sermonem, sive intelligentiam, quæ penitus incorporea planeque spiritalis est? Qui ergo id fieri potest, nisi Deus sit plane incorporeus ac spiritus? Ad hæc vero, plane sufficit aliquam ab eo admitti substantiam spiritualem, inter corpus et nihil mediam. Nam si quæ sit, hanc potissimum Deum esse quis diffitebitur?

Instabis tamen ab illo nihil tertium inter corporale et incorporale agnosci. Etenim adversus Hermogenem ita argumentatur ; *Nisi fallor, omnis res aut corporalis aut incorporalis sit, necesse est* (*ut concedam interim esse aliquid incorporale de substantiis duntaxat, cum ipsa substantia corpus sit rei cujusque*) : *certe post corporale et incorporale nihil tertium.* (*Idem, ad Hermog., cap.* 35). Verum ibi incorporalia admittere potius, quam negare procul dubio videtur. Nam ibi ipsum, ut dictum est, refellit Hermogenem, qui materiam, etsi revera existentem, et corpoream et incorpoream esse effutiebat. Tertullianus vero, ut hoc vanæ opinionis commentum funditus evertat, rem omnem dividit in corpoream et incorpoream. Itaque aliquam fatetur esse incorporalem. At si quæ sit, præ cæteris certe omnibus Deus est.

Urgebis fortasse hanc divisionem ipsi omnino perfectam non videri. Non absolute siquidem id pronuntiat, sed adversario suo interim et gratis, nihilque adserendo, concedit aliquam substantiam esse incorpoream, quæ tamen rei ipsius corpus est. Nihil ergo, nisi corporeum esse opinabatur. Sed animadvertas, velim, illum hærere duntaxat in hujus nominis, *corpus*, significatu. Non obscure tamen ibidem explicat quid hoc nomine intellexerit : *Ipsa*, inquit, *substantia corpus est rei cujusque*. Corporis itaque nomine significari putat cujusque rei substantiam. At nemo est, qui non fateatur nullum prorsus esse medium aut tertium inter substantiam et ipsum nihil. Quid autem mirum, si corporis nomine ipsam rei cujusque substantiam intelligendam esse existimaverit, cum Paulus apostolus hoc ipsum nomen *corpus* umbris et figuris opponat, ac illud esse dixerit, quod res ipsa et veritas est? De veteris quippe Testamenti figuris hunc scribit in modum (*Paul. ad Coloss.*, II, 17) : *Quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi*, id est : Hæ cæremoniæ nihil aliud sunt quam umbræ illarum autem corpus, sive res ipsa et veritas est Christus, in quo adimplentur.

Quamobrem in iis, quæ nobis objecta sunt, Tertulliani nostri locis, ubi dixit omnem substantiam esse corpus, aut quidquid est hoc esse corpus, haud inconsulte ibi addidit *sui generis*, id est, substantiam esse sui generis, vel corporei vel spiritalis.

Verum instabit aliquis, etiamsi hoc evidentissime probaretur, in dubium tamen vocari posse utrum Tertullianus aliquando existimaverit Deum esse corpus, ac postea animum mutaverit et sententiam. De illo namque Augustinus hunc loquitur in modum (*August., lib de Genes. ad litter., cap.* 26, *pag.* 273) : *Tertullianus quia corpus esse animam credidit, non ob aliud quod eam incorpoream cogitare non potuit; et ideo timuit ne nihil esset, si corpus non esset, nec de Deo voluit aliter sapere, qui sane quoniam acutus est, interdum contra opinionem suam visa veritate superatur. Quid enim verius dicere potuit, quam id quod ait quodam loco : Omne corporale passibile est* (*Tertul. lib. de Anim. cap.* 7)*? Debuit ergo mutare sententiam qua paulo superius dixerat etiam Deum corpus esse. Neque enim arbitror eum ita desipuisse, ut etiam Dei naturam passibilem crederet, ut jam Christus non in carne tantum, sed in ipso Verbo, per quod facta sunt omnia, passibilis et commutabilis esse credatur, quod absit a corde christiano.*

Verum Petavius ab Augustino dissentit, nec censet Tertullianum secum pugnare, aut suam de Deo corporeo mutasse sententiam, tametsi omne corpus *passibile*, naturam vero Dei minime passibilem esse crediderit (*Petav. tom.* I, *Theolog. dogmat., cap.* 1, § 5 *et seqq.*). Nam alias, inquit, rei corporeæ, quam Deo tribuit passiones, sive alios motus et affectus. Marcioni siquidem iræ motum in Deo esse neganti, atque objicienti illum, si aliquando iraesceretur, corruptioni et morti fore obnoxium, respondet ipse Tertullianus passiones, sive motus, et sensus animi in Deo et homine iisdem revera nominibus appellari, sed tantum in utroque esse diversos quantum substantia et corpus a se invicem discrepant. Marcionem quippe

Digitized by Google

his compellat verbis : *Discerne substantias, et suos eis distribue sensus, tam diversos, quam substantiæ exigunt, licet vocabulis communicare videantur* (*Idem, lib.* II *advers. Marcion., cap.* 16) .... *Quanta erit diversitas divini corporis et humani sub iisdem nominibus membrorum, tanta erit et animi divini et humani differentia sub iisdem licet nominibus membrorum, quos tam corruptorios efficit in homine corruptibilitas substantiæ humanæ, quam incorruptorios in Deo efficit incorruptibilitas substantiæ divinæ.*

Petavius itaque inde colligit Tertullianum existimavisse tam in Deo, quam in homine esse corpus, quemadmodum passiones sive sensus, motus et affectus, sed eo discrimine, quod in homine *corruptorii*, in Deo autem *incorruptorii* sint. Nihil ergo repugnat, inquit ille, quominus stante Tertulliani opinione, Deus habeat corpus, quod non *passibile* quidem, sed *incorruptorium* esse putaverit. At expendas, velim, utrum Petavius perspectum omnino habuerit quo sensu Tertullianus acceperit illud *passibilis* nomen, quod a Deo excludit. Non enim aliud eo significare videtur, nisi quod aliquid imperfecti et commutabilis secum importat. Nonne ergo Augustinus recte dixit Tertullianum aut secum pugnare, aut mutasse sententiam, cum asseruit Deum esse corpus, et omne corpus esse *passibile*? Nam Deus perfectissimus, ac simplicitate omnique perfectionum genere cumulatissimus est. Nihil igitur prorsus imperfecti habere potest. Ergo summa perfectio Dei et corpus secum pugnant, et in Deo esse non possunt.

Cæterum, quamvis Petavius probavisset Tertullianum non incidisse in vitium aliquod contradictionis; fatetur tamen vir ille eruditissimus majoris illud esse momenti, quod Augustinus alio in libro ad excusandum Tertullianum hæc in verba retulit : (*August., lib. de Hæresib., cap.* 86, *pag.* 25) : Tertullianus *posset quoquo modo putari ipsam naturam substantiamque divinam corpus, cujus partes, aliæ majores, aliæ minores valeant vel debeant cogitari, qualia sunt omnia, quæ proprie dicimus corpora... sed potuit, ut dixi, propterea putari corpus Deum dicere; quia non est nihil, non est inanitas, non est corporis vel animæ qualitas, sed ubique totus, et per locorum spatia nulla partitus, in sua tamen natura atque substantia immutabiliter permanet.*

Mirum tamen nonnullis, quibus satis nota non sit Augustini modestia, fortasse videbitur, cur ille penitus affirmare non audeat hanc ipsam revera, sed *quoquo modo* posse putari Tertulliani fuisse sententiam. Jam enim ostendimus eum haud obscure declaravisse corporis nomine a se intelligi substantiam, quæ quovis modo existit, et nihilo opponitur. Præterea animadvertimus substantiam ab eo dividi in corpoream et incorpoream, id est, omnis omnino corporis expertem, et quæ sit mere spiritalis. Atqui, si vel unam hujusmodi unquam esse arbitratus est, persuasum utique habuit Deum esse spiritum, et cæteris sane omnibus longe præstantiorem. Et certe summæ illius perfectiones, atque infinita rerum omnium cognitio et scientia, a Tertulliano, sicuti paulo supra observavimus, tam luculenter vindicatæ, nihil omnino corporei habere possunt. Nullum siquidem corpus, quantumvis tenue; nulla materia, quolibet motu agitata; nullæ atomi, quovis concursu inter se cohærentes, possunt rei alicujus, multo minus rerum omnium efficere cognitionem. Non potuit ergo Tertullianus Deo corpus, vel corporei aliquid tribuere, nisi hoc nomine, sicut vidimus, substantiam *sui generis*, id est, divini et spiritalis intellexerit. Sed his lucem adhuc ea afferent, quæ capite sequente de Christi divinitate, ac postea de angelis ac dæmonibus, atque anima humana, dicentur.

ARTICULUS IV.

Quot qualesve fuerint gentilium philosophorum de Deo dissensiones, Thaletis, seu Simonidis, qui de illo interrogatus, nihil respondere potuit; Platonicorum, qui omnia; Epicureorum, qui nihil curantem; Platonicorum, qui eum intra mundum; Stoicorum, qui extra positum; Platonis, qui mundi creatorem; Pythagoræ, qui mundum increatum esse docuerunt; et utrum Tertullianus recte illorum opiniones explicaverit.

Quanquam philosophi gentiles vel ratione naturali, vel ex sacris, ut ait Tertullianus, Scripturis agnoverint, vel agnoscere haud difficiliter potuerint unum duntaxat esse Deum (*Tertullian. Apologet. cap.* 47); inter se tamen, vel inanis gloriæ vitio, vel disputandi libidine, de ipsa Dei natura, qualitate ac sede nunquam non digladiabantur : *Quid enim Thales, ille princeps physicorum*, auctoris nostri verba sunt, *sciscitanti Crœso de Divinitate certum renuntiavit?* Nihil plane, sed *commeatus deliberandi sæpe frustratus est* (*Ibid., cap.* 46; *et lib.* II. *ad Nation. cap.* 2,). At Cicero, et qui eum, ut alibi vidimus, sequitur, Minutius Felix, hoc Simonidi et Hieroni tyranno adscripserunt (*Dissertat. in Minut., cap.* 3, *art.* 2). Neque respondeas subesse in Tertulliani textu mendum aliquod. Nam Thales ab eo appellatur *physicorum princeps* (*Ibid., cap.* 4, *art.* 1, *tom.* I; *Apparat. pag.* 1119 *et seq.*), id est, eorum primus, qui de rebus physicis, ut etiam ostendimus, instituerunt disputationes. Utrum autem verior sit Tertulliani, quam Ciceronis et Minutii opinio, ut percipiatur, inquirenda est Thaletis, Simonidis, et Crœsi ætas. At juxta Eusebianum Chronicum, anno 1266 *Thales Milesius physicus philosophus agnoscitur.* Ad annum autem 1465, *ea quæ de Crœso memorantur, quomodo tentaret oracula, his fuere temporibus.* Et duos post annos, *Thales moritur.* Duo itaque, ut notat Scaliger, Thaletes memorantur, quorum prior physicus philosophus Lycurgi et Orphei ætate, posterior post ducentos pene annos Crœsi tempore floruisse perhibentur (*Scalig. not. in Chron. Euseb., pag.* 74). Atqui Tertullianus de Thalete physicorum principe loquitur, qui duobus sæculis Crœso antiquior cum eo vivere, ac proinde illi respondere, non potuerat.

Simonides autem in eodem Eusebiano Chronico vixisse traditur anno 1531. Ibi enim legimus : *Pin-*

Digitized by Google

darus et Simonides lyrici poetæ insignes habentur. Postea vero ad annum 1542, *Hieron.*, cujus Minutius Felix meminit, *post Gelonem Syracusis tyrannidem exercebat.* Quantum ergo prior Thales a Crœso distat ætate, tantum Simonides eidem Hieroni proximus esse dicitur. Huic igitur Simonidi magis, quam Thaleti physicorum principi, conveniunt citatæ de Divinitate interrogatio et responsio. Ad hæc vero Minutii opinio eo adhuc videtur probabilior, quod Ciceronis auctoritate stabiliatur.

Neque dixeris plurimos in Eusebiano Chronico esse in assignanda illustrium virorum ætate errores; nam quicunque illi sint, nemo sane negabit Thaletis physici Crœsique tempora magis a se invicem sejungi, quam ut simul vixisse dicantur. Nec est quod urgeas memorantem responsionem Thaleti philosopho et physicorum principi recte congruere, minime vero Simonidi, qui poeticæ, ut alibi vidimus, operam dabat (*Dissertat. in Minuc. Octav., cap.* 3, *art.* 2; *et tom.* I. *Apparat. pag.* 1284). Nam poetæ apud ethnicos in theologorum habebantur numero.

Denique Minutius, Ciceronis testimonio fretus, potuit Tertulliani, tametsi plura, sicut observavimus, ex ejus libris excerpserit, hanc corrigere de primo Thalete et Crœso opinionem. Et certe quomodo hic Thales de Divinitate interrogatus nihil respondere ausus fuisset, qui, sicut alibi post eumdem Ciceronem annotavimus, tam certo quam falso docuit aquam esse rerum omnium initium, ac Deum mentem esse, quæ ex aqua omnia formavit (*Cicer., lib.* I *de Natur. deor., pag.* 199; *Dissertat. in Minut. cap.* 4, *art.* 1; *et in Lactant. cap.* 12, *art.* 1). Nemo autem nobis probavit illum de hac sententia, aut aliquando dubitasse, aut eam unquam mutasse. Si quis porro illud de Deo responsum Thaleti secundo tribuendum esse probaverit, delenda esse ostendet ex Tertulliani textu hæc verba: *Physicorum princeps.* Cæterum, cujuscumque philosophi fuerit illa responsio, quis eam ab illo adsertam esse in dubium vocabit? Palam igitur confessus est ignotam sibi fuisse Divinitatem.

In secundo autem ad Nationes libro Tertullianus Thaleti præmisit Diogenem, qui *consultus quid in cœlis agatur* (ipsamet sunt illius verba): *Nunquam*, inquit, *in cœlum adscendi* (*Tertull. lib.* II *ad Nat. cap.* 2). Item, *an dii essent: Nescio*, respondit, *nisi ut sint expedire*, hoc est, Nescio, sed cunctis utile est et expedit deos esse. Non multum quidem a priore responso illud abest, quod a Diogene cynico homini de cœlestibus disserenti datum Laertius sic retulit: Ποστιλίος πάρει ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ, *Quandonam de cœlo venisti* (*Laert. l.* VI. *de Vit. Diog.*, § 39)? At vide, quæso, utrum a secunda longius absit hæc ejusdem Diogenis sciscitanti Lysiæ pharmacopolæ, an deos esse crederet, responsio: Πῶς οὐ νομίζω, ὅπου καί σε θεοῖς ἐχθρὸν ὑπολαμβάνω, *Quomodo non credo, qui te diis inimicum puto* (*Ibid.*, § 42)? Nos tamen Laertius ibidem admonet hanc sententiam tribui Theodoro, qui haud dubie atheus, ut a nobis haud semel observatum, cognominatus est. Si ea tamen quæ Tertullianus noster Diogeni adscribit, ab alio ejusdem nominis, sed atheo, scripta fuisse contendas, habemus quidem Ælianum, qui, ut quidam aiunt, flagitiosorum horumce hominum gregi adnumeravit Diogenem phrygem (*Ælian. lib.* II *var. Hist.*, § 31). Verum, præterquam quod in nostra librorum Æliani editione legitur Dionysius Phryx, nullus nobis indicavit ubi Diogenes iste, sive Dionysius, citata ab auctore nostro verba pronuntiaverit.

Aliorum vero philosophorum maxima fuit de Deo opinionum varietas et dissensio: *Alii enim*, inquit Tertullianus, nimirum Platonici, *incorporalem* Deum *asseverant* (*Apologet., cap.* 47, *pag.* 515). Visne aliquem tibi testem proferri? En adest Cicero, qui Velleium sic de Platone loquentem induxit: *Quod vero sine corpore ullo Deum vult esse, ut Græci dicunt* ἀσώματον, *id quale esse possit, intelligi non potest* (*Cicer. l.* I *de Natur. deor., pag.* 200, *l.* XIII). Eadem de hoc philosophorum principe narrat Laertius: *Opinatur*, inquit, *animam, sicut Deum, esse incorporalem* ἀσώματον εἶναι (*Laert. lib.* III, *in Vita Platon.*, § 77). Laertio autem Plutarchus, Eusebius, Apuleius, et alii suffragantur (*Plutarch., lib.* I *de Placit. philosoph., cap.* 7, *pag.* 881; *Euseb. orat. Constant, pag.* 200; *Platon tom.* III, *pag.* 27-28, *et alibi Apulei. de Deo.*

Quantumlibet autem vera sit hæc opinio, ab aliis tamen gentilibus philosophis rejecta est. Nam Velleius apud Ciceronem, uti mox dicebamus, contendebat intelligi non posse quid qualeve sit quod incorporeum vocatur (*Socrat., Cicer., loc. cit.*). Neque alii etiam philosophi explicare potuerunt quæ sit vera rei incorporeæ idea et notio.

Stoici vero, pergit Auctor noster, Deum corporalem esse prædicarunt (*Tertullian. Apologet., cap.* 515, *tom.* I *Apparat., lib.* III, *dissert.* 1, *cap.* 11, *art.* 2; *Dissertat. in Minut., cap.* 4, *art.* 10). De hac autem Stoicorum opinione, quæ suis, propter illorum repugnantias, difficultatibus non caret, nos alibi disputavimus. Plures autem citavimus, qui illos in hunc errorem revera lapsos fuisse testificantur.

Prosequitur Tertullianus: *Alii*, nimirum Epicurus ejusque sectatores, *ex atomis, alii ex numeris*, quemadmodum Pythagoras, *alii ex igne*, sicut Heraclitus, Deum constare garriebant (*Tertullian., loc. cit., tom.* I, *Apparat., pag.* 435; *Dissertat. in Minut. loc. cit. Dissertat. in Lactant., cap.* 12, *art.* 1). Hi autem omnes opinabantur ea esse prima rerum omnium principia, nec alios esse deos, ut alibi nec semel quidem animadvertimus.

Neque minus manifeste probavimus varias, et sibi invicem oppositas fuisse philosophorum de divina, sicut ait Tertullianus, providentia opiniones: *Platonici* enim, inquit ille, *curantem rerum; contra Epicurei otiosum et inexercitum, et ut ita dixerim, neminem humanis rebus esse prædicabant* (*Tertullian. Apologet., cap.* 47, *et lib.* II *ad Nation., cap.* 2). De Platone si plura velis, adi Laertium, et dicentem audies: οἴεται καὶ θεοὺς ἱπορᾶν τὰ ἀνθρώπινα.

Digitized by Google

Arbitratur et deos humana cernere et curare (*Laert., lib.* III, *in Vit Platon.*, § 78). Nec alii plures citandi, quando quidem hoc et ipsemet Plato sæpius asseruit (*Plat. Phæd*, *tom.* I, *pag.* 62, *post. med.*). Alicubi enim ait deum nostri curam gerere, non secus ac rei suæ et possessionis : Τὸ θεὸν τε εἶναι τὸν ἐπιμελούμενον ἡμῶν, καὶ ἡμᾶς ἐκείνου κτήματα εἶναι. (*Idem, lib.* X *de Leg.*, *pag.* 285). Alibi vero haud dubitanter asseverat primam insaniam esse deos negare, secundam autem asserere eos curam non habere hominum : Τὸ δεύτερον ὄντας οὐ φροντίζειν ἀνθρώπων. (*Ibid.*, *pag.* 899 *et seq.*). Sed hoc ille postea fusius prosequitur, et insanum illum errorem profligat et evertit (*Dissertat. in Lactant.*, *cap.* 14, *art.* 1). At absurdissimus ille error est Epicuri sectatorumque ejus, sicut a nobis demonstratum est.

Quamobrem Auctor noster paulo post adjecit Platonicorum de sede Dei opinionem fuisse, illum residere *intra mundum*, *qui*, *gubernatoris exemplo*, *intra illud maneat quod regat* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 47, *et lib.* II *ad Nation.*, *cap* 2). Et sane Plato decrevit probatque mirabili quadam mente et sapientia, qua Deus ipse est, hunc mundum certo constituoque ordine constanter gubernari (*Plat. Phil.*, *tom.* II, *pag.* 28 *et seqq.*). Alio autem in libro scriptum ab eo legimus, Deum, universi gubernatorem, post mundum resque omnes creatas, dimisisse illius regendi habenas, et in suam rediisse quasi speculam (*Idem*, *Polit.*, *pag.* 272 *et seqq.*). Postea vero, ne mundus, variis tempestatibus et malis quassatus, penitus dissolveretur, resumpsit ejus gubernaculum, illique sollicite insidens, ejusdem mundi partes ornavit, et moderatur.

At Stoici contra hanc Platonicorum opinionem prædicabant, uti ait Tertullianus, Deum esse *positum extra mundum, qui figuli modo extrinsecus torqueat molem hanc* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 47, *et lib.* II *ad Nation.*, *cap.* 2). Sed non minimus dubitandi locus est utrum hæc ipsa fuerit Stoicorum sententia. Nam Zenon illorum antesignanus, ejusque asseclæ, uti ex Laertio et Plutarcho discere est, arbitrabantur Deum esse mentem, quæ omnia pertingat ac penetret (*Laert.*, *lib.* VII, *in Vit. Zenon.*, § 138 *et* 147; *Plutarch. lib.* I *de Placit. philosoph.*, *cap.* 7, *pag.* 882). Nos etiam alibi observavimus hanc revera fuisse illorum opinionem. Qua ergo ratione Auctor noster tam asseveranter affirmare potuit Stoicos docuisse Deum positum esse instar figuli extra fabricatam a se totam mundi molem (*Tom.* I, *Apparat.*, *pag.* 780; *Lips. lib.* I *Psycholog. stoic.*, *dissertat.* 31, *pag.* 565, *tom.* IV)?

Difficultatis hujus nodum secat potius, quam solvit Lipsius. Haud dubitanter etenim Tertullianum ibi arguit erroris, quo Stoicis illud tribuit, quod ab iis nec dictum, nec cogitatum quidem fuerat. Itane vero erravit Tertullianus? Numquid ignorabat, aut ex mente illius exciderat, quod Stoici de mente divina, mundum universum pervadente, tradiderant? Minime quidem. Nam alio in libro hæc scriptis mandavit : A *Stoici volunt Deum sic per materiam decurrisse, quomodo mel per favos* (*Tertullian. lib. adv. Hermogen*, *cap.* 44). Contradictionis itaque potius, quam oblivionis aut ignorantiæ insimulari debuit. Sed majores procul dubio erant Stoicorum, quam Tertulliani, repugnantiæ, quas Plutarchus integris in libris patefecit, nosque alicubi notavimus (*Dissertat. in Lactant.*, *cap.* 21, *art.* 2). Nonne ergo illorum potius, quam hujus repugnantiis id adscribi poterat?

Quid vero, si Seneca, et ipse stoicus, hanc contradictionem tollendi nobis rationem suggerit? De Deo siquidem hunc ille disserit in modum : *Quid est Deus? Mens Universi. Quid est Deus? Quod vides totum, et quod non vides totum. Sic demum magnitudo sua illi redditur, qua nihil majus excogitari potest, si* B *solus est. Omnia opus suum et intra et extra tenet* (*Senec.*, *præfat. lib.* I *natural. Quæst.*, *pag.* 795). Nonne enim his verbis significat Deum et intra et extra mundum esse; quia omni opere suo major est? At si illa fuit stoicorum opinio, duæ fuerunt ejusdem opinionis partes. Quid ergo, si Tertullianus unius tantum partis meminerit, ut Stoicos Platonicis opponeret?

Objici tamen potest hanc eamdem opinionem ab ipso Seneca tribui Epicureis, quos idcirco acriter corripit et exagitat : *Tu, Epicure*, inquiebat, *Deum inermem facis.... projecisti eum extra metum* (alii legi volunt, *extra metum*). *Hunc igitur septum ingenti quodam et inexplicabili muro, divisumque de contractu et conspectu mortalium, non habes quare vereatis. Nulla illi nec* C *tribuendi, nec nocendi materia est. In medio intervallo hujus est alterius cæli desertus, sine animali, sine homine, sine re, ruinas mundorum, supra se circaque se cadentium evitat, non expaudiens vota, nec nostri curiosus* (*Idem, lib.* IV *de Benefic.*, *cap.* 19, *pag.* 79). In quadam quoque epistola eumdem illorum errorem sic reprobat ac proscribit : *Non de ea philosophia loquor, quæ civem extra patriam posuit, extra mundum deos, quæ virtutem voluptati dedit* (*Idem* I. *Epistol.* 79, *pag.* 71), philosophia videlicet epicurea. Non Stoicorum ergo, sed Epicureorum hanc falsam opinionem fuisse testificatur.

Nonne autem ex hoc, inquiet aliquis, Senecæ testimonio concludi potest, emendandum esse Tertulliani textum, atque in eo scribendum *epicurei*, pro *stoici*? Recte quidem, si illud ratione aliqua satis utique valida probetur. At certe non una fuit stoicorum de Deo sententia, sed maxima, uti diximus, opinionum varietas. Si qui autem ex illis, uti præfatus Seneca, Deum aliquo modo extra mundi fines positum somniaverunt, illud Tertulliano satis fuisse quis unquam inficiabitur? Potuit enim Epicureis, quos ethnici aspernabantur, omissis, Stoicorum facere mentionem. Verumtamen, quæcumque genuina sit Tertulliani lectio, idem erit argumentationis ejus pondus ac robur. Nam ex ea, et his omnibus quæ hactenus disputata sunt, cuivis liquido patebit, quam merito jure ille asseveret tam difficile fuisse philosophis omnibus naturam, qualitatem et sedem Dei desi-

Digitized by Google

gnare, quam id vel infimæ sortis christiano promptum facileque fuit.

Verum illud adhuc auctoritate confirmatur Platonis, illorum omnium facile principis, qui, sicut ipse Tertullianus memorat nosque haud semel animadvertimus, palam professus est, *facilitatorem universitatis neque inveniri facilem, et inventum enarrari in omnes difficilem* (*Tertullian. Apologet., cap. 46, Plat. Tim. pag.* 28). Quamobrem sectatores ejus, uti alio in libro ait Auctor noster, illum, *quem non penitus admiserunt, neque nosse potuerunt, neque timere, nec inde sapere, exorbitantes scilicet ab initio sapientiæ, id est, metu in Deum* (*Tom.* I *Apparat., pag.* 948; *Dissertat. in Minut. Octav., cap.* 4, *art.* 2). Quilibet vero christianus illum invenit, et *quod in Deo quæritur, re quoque adsignat* (*Tertullian., lib.* II *ad Nation., cap.* 2)? ipsum videlicet esse unum, omnipotentem, infinitum, mundi creatorem, et quo nihil majus meliusque excogitari potest. Quapropter eum timet, et longe magis sapit, quam hi cæteris philosophis sapientiores.

Denique non minimam adhuc ea Tertulliani verba habent difficultatem, quibus aliud philosophorum de Deo mundi creatore dissidium notavit : *Totum*, inquit, *hoc mundi corpus, sive innatum et infectum secundum Pythagoram, sive natum et factum secundum Platonem* (*Tertullian. Apologet., cap.* 11, *p.* 332). Quam enim certum est hanc de mundo creato fuisse, ut alibi ostendimus, Platonis opinionem, tam falsum videtur Pythagoram docuisse illum innatum et infectum fuisse. Nam ibidem observavimus a Lactantio affirmate pronuntiari omnes ad Epicurum philosophos, ac nominatim Pythagoricos, constanter adseruisse mundum esse factum et creatum (*Dissertat. in Lactant., cap.* 21, *art.* 2). Quin etiam Plutarchus disertissime declarat eamdem fuisse Pythagoræ atque Platonis ea de re sententiam. En græca ejus verba : Πυθαγόρας καὶ Πλάτων γενητὸν ὑπὸ θεοῦ τὸν κόσμον. *Pythagoras et Plato mundum a Deo factum arbitrati sunt* (*Plutarc., lib.* II *de Placi. philosop., cap.* 4, *pag.* 886). Quid ergo? Erravitne adhuc Tertullianus, ac nomen Pythagoræ pro alio ibi ipse, vel librarius scripsisse dicendus est? Numquid potius, quia celebris hic philosophus ab eodem Plutarcho, Laertio, Theodoreto, et aliis docuisse perhibetur unitatem esse rerum omnium principium, atque ex numeris omnia fieri, inde Auctor noster confici posse putavit mundum, sicut unitatem et numeros, nec ortum fuisse nec factum (*Idem ibid., lib.* II, *cap.* 3. *Laert. lib.* VIII, § 25; *Theodoret. serm.* 2 *de principio*, *pag.* 489)? Sed si ira res se habeat, citati à nobis auctores erroris procul dubio convincentur. Numquid igitur probabilius dici potest Pythagoram errantium more in eadem non permansisse sententia? Hæc velim expendas, et pronunties.

Multo itaque verius certiusque illud est, quod Auctor noster tradidit, mundum ex nihilo à Deo creatum, *verbo quo jussit; ratione qua disposuit, virtute qua potuit* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 17, *et cap.* 21). Quod quidem ab eo repetitum, et a Minutio Felice, ut alibi animadvertimus, transcriptum est (*Dissertat. in Minut. Octav., cap.* 2, *art.* 5). Sed quod de hoc Dei verbo Tertullianus docet, jam, si placet, diligenter expendamus.

CAPUT VIII.

De Christi divinitate.

ARTICULUS PRIMUS.

De variis Filii Dei nominibus, ac quam luculenter Tertullianus doceat veri summique Dei attributa illi convenire, eumque unum et æternum cum Patre suo esse Deum.

Quid sit Verbum, Ratio, Sermo, et Filius Dei, ut Tertullianus omnibus patefaciat, duobus modis et Deum, et Verbum Dei Filium considerari posse docet. Ambo enim spectari possunt antequam ipse Deus mundum vel creaturam ullam condiderit, vel quando mundus ab eo creatus est. De utroque autem ante creationem mundi hoc tanquam certissimum constituit : *Ante omnia Deus erat solus, ipse sibi mundus, et locus, et omnia. Solus autem, quia nihil aliud extrinsecus præter illum. Cæterum ne tunc quidem solus ; habebat enim secum, quam habebat in semetipso, rationem suam scilicet. Rationalis, et ratio in ipso prius, et ita ab ipso omnia. Quæ ratio sensus ipsius est. Hanc Græci* λόγον *dicunt, quo vocabulo etiam sermonem appellamus. Ideoque jam in usu est nostrorum per simplicitatem interpretationis sermonem dicere in primordio apud Deum fuisse, cum magis rationem competat antiquiorem haberi ; quia non sermonalis a principio, sed rationalis Deus etiam ante principium, et quia ipse quoque sermo ratione consistens, priorem eam, ut substantiam suam, ostendat. Tamen et sic, nihil interest. Nam et si Deus nondum sermonem suum miserat, proinde eum cum ipsa et in ipsa ratione intra semetipsum habebat, tacite cogitando, et disponendo secum, quæ per sermonem mox erat dicturus. Cum ratione enim sua cogitans, atque disponens, sermonem eam efficiebat, quam sermone tractabat* (*Tertullian. lib. adv. Prax., cap.* 5). Hæc autem, etsi paulo longiora, idcirco integra retulimus, quia omnia singulari attentione et examine digna sunt.

Primo itaque declarat Deum ante principium, id est, ab omni æternitate, ac poinde antequam mundus crearetur, fuisse et solum et non solum. Ante mundi quippe creationem solus erat, *ipse sibi mundus, locus et omnia ;* quia nihil præter se extrinsecus habebat. Tum tamen non erat solus, quia suam habebat rationem. Ante principium enimvero, seu a tota æternitate rationalis fuit ; quandoquidem Deus esse non potest, nisi sit sensu et ratione præditus.

Secundo, divinam illam æternamque Dei rationem *græci*, inquit, λόγον *dicunt*, haud dubie quia Joannes Evangelii sui initio scripsit : Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος (*Joann.*, I, 1). Nam ipse Tertullianus hæc latine ita citavit : *In principio erat sermo...., et sermo apud Deum, et Deus erat sermo* (*Tertullian. adv. Herm.*,

Digitized by Google

cap. 20). Ejus autem tempore mos invaluerat, ut Filius Dei à Latinis diceretur sermo, cum melius græcum illud nomen λόγος ab illis ratio dici debuisset. Qua quidem de interpretatione egimus, ubi ostendimus transcriptum fuisse à Lactantio hunc Tertulliani locum (*Dissertat. in Lactant., cap.* 16, *art.* 2).

Tertio, nos ille monitos facit cur græcum nomen λόγος latine *ratio* potius, quam *sermo* verti debeat. Deus, inquit, ante principium *rationalis* fuit, nondum tamen *sermonalis*, quia habebat intra se rationem, sed nondum sermonem extra se ipsum emiserat. At quoniam ab æterno sicut rationem, ita et sermonem intra se habuit, licentiam Tertullianus unicuique dedit utroque rationis et sermonis nomine pro libito utendi. Ab illo autem Filius Dei non tantum sermo, ratio et verbum, sed sophia etiam seu sapientia vocatur (*Tertullian. lib. de carne Christi, cap.* 18 ; *lib. adv. Hermog., cap.* 18).

Præterea ille in suo Apologetico, ac postea Lactantius, ut suo loco vidimus, certiores nos fecerunt hunc λόγον a Zenone ethnico philosopho agnitum, quem *universitatis* factitatorem esse prædicabat (*Idem, Apologet., cap.* 21; *Dissertat. in Lactant., cap.* 16, *art.* 1). Addit Auctor noster : *Cleanthes in spiritum congerit, quem permeatorem universitatis adfirmat* (*Tertullian. loc. cit.; tom.* I *Apparat., pag.* 782 ; *Dissertat. in Minuc. Oct., cap.* 4, *art.* 1, *et Dissertat. in Lactant., cap.* 12, *art.* 1). At hic Cleanthes Zenonis discipulus fuit, quemadmodum alibi annotavimus, ubi etiam exposuimus quæ illius fuerit de Deo sententia, ex qua id, quod narrat Tertullianus, desumptum videtur.

Jam vero ex his, quæ ille de Dei Verbo, sermone et ratione dixit, ita explicatis, colligi utique potest persuasum omnino ipsi fuisse illud interius Dei Verbum tam æternum esse, quam ipsummet ejus Patrem, qui illum ab æterno quidem, sed intra semetipsum duntaxat, protulit. De hac autem Verbi divini æternitate infra fusius agendum (*Inf. art.* 8 *et seqq.*). Prius enim vera ac sincera Auctoris nostri de suprema illius divinitate sententia accuratissime a nobis enucleanda exponendaque est.

Primum itaque docet huic divino Verbo et Dei Filio omnia Patris sui æterni nomina et attributa convenire : *Nomina*, inquit, *Patris : Deus omnipotens, altissimus, Dominus virtutum, rex Israelis, Qui est ; quatenus ita Scripturæ docent, hæc dicimus et in Filium competisse, et in his Filium venisse, et in his semper egisse, et sic ea in se hominibus manifestasse. Omnia, inquit, Patris mea sunt. Cur non et nomina? Cum ergo legis Deum omnipotentem, et altissimum, et Deum virtutum, et Regem Israelis, et Qui est, vide ne per hæc Filius etiam demonstretur, suo jure omnipotens, qua sermo Dei omnipotentis, quàque omnium accepit potestatem : Altissimus, qua dextera Dei exaltatus, sicut Petrus in Actis concionatur : Dominus virtutum, quia omnia subjecta sunt illi a Patre : Rex Israelis, quia illi proprie excidit sors gentis istius. Item, Qui est, quoniam multi dicuntur Filii, qui non sunt* (*Tertullian. lib. adv. Praxe., cap.* 17).

At quibus, obsecro te, verbis clarius declarari et asseri potest suprema Christi Filii Dei divinitas? Quis ea omnia veri summique Dei, attributa possidere potest, nisi summus et unus cum æterno Patre Deus? Quid vero, quod Tertullianus hæc omnia et singula Sermoni Filioque Dei convenire, non solum adfirmat, sed probat etiam, variisque rationibus confirmare nititur? Persuasum ergo habuit Filium Dei unum eumdemque cum suo Patre esse Deum.

Neque insurgat nescio quis aut arianus aut socinianus, et nobis objiciat ab eo non recte probari quomodo divina illa attributa Filio Dei conveniant. Nunc enim non inquirimus quam valida, quod probatu tamen facillimum est, ac firma sint ejus argumenta, sed quæ sit ejus sententia, quam probare voluit. Atqui ex ipsius verbis evidentissime conficitur illum, aliosque omnes orthodoxos ejus ætatis christianos, pro certo penitus habuisse Verbum et Filium Dei verum esse Deum, eosque, sicuti Praxeam, contra quem ibi ille disputat, et alios omnino errasse, qui secus sentiebant.

Quapropter alibi hunc Dei sermonem et Filium Patri suo parem et æqualem, alibi ipso non minorem esse disertissime profitetur : Nam *eum* Patrem, inquit, *parem sibi faciens, de quo procedendo Filius factus est* (*Ibid., cap.* 7). Postea vero : Idem Dei Filius, *Unum sumus, dicens, ego et Pater, ostendit duos esse, quos æquat et jungit* (*Ibid., cap.* 22). Rursus autem alio in libro : *Et Sermo*, inquit, *Deus, qui in effigie Dei constitutus, non rapinam existimavit pariari Deo* (*Idem lib. de Resurr. carn., cap.* 6). Audivisti sane quam perspicue Filium Dei Patri suo parem æqualemque adserat ; jam audi quomodo illum non minorem esse prædicet : *Omnia sibi tradita dicit a Patre. Credas, si creatoris est Christus, cujus omnia, quia non minori se tradidit omnia Filio creator, quæ per eum condidit, per sermonem suum scilicet* (*Idem, lib. advers. Marcion, cap.* 25). Atqui si non minor, sed par et æqualis Patri suo sit Dei Filius, verus procul dubio est cum eo Deus. Et enim ab eodem Tertulliano, sicut mox vidimus, altissimus et omnipotens dicitur. At nec duo altissimi et omnipotentes, sicut nec duo dii esse possunt. Nam alibi, uti animadvertimus, dixerat Deum ideo esse unum, quia est summus, atque idcirco, *Deus*, inquit, *si non unus est, non est* (*cap. super., art.* 1).

Plura autem si quis desideret, is ipsum, de quo agimus, Apologeticum ejus librum adeat, ubi ille, post brevem christianæ de Filio Dei, Christo Domino, doctrinæ expositionem, ethnicos hæc alloquitur in verba : *Quærite ergo, si vera est ista divinitas Christi : si ea est, qua cognita, ad bonum ouis reformatur ; sequitur ut falsa sit quævis alia comperta, in primis ea, quæ* (manuscripti nostri codices et editi addunt *omni ratione*, quæ Rigaltius sustulit) *delitescens sub nominibus et imaginibus mortuorum, quibusdam signis, et miraculis et oraculis fidem divinitatis operatur* (*Idem,*

Digitized by Google

Apologet., cap. 21). Quo autem modo vera et suprema Christi divinitas potuit unquam magis aperte et asseveranter asseri ac prædicari? Tertullianus quippe palam asseverat eam tam esse veram, quam falsa est quælibet alia divinitas a gentilibus agnita et introducta. Imo vero clamat ita veram esse Christi divinitatem ut inde sequatur falsam esse aliorum omnium, atque etiam dæmonum divinitatem, qui sub mortuorum nominibus et imaginibus delitescentes, signis, miraculis, oraculis fidem divinitatis operabantur, id est, omnibus persuadere conabantur hæc signa, miracula, et oracula fieri divina sua potestate, ac veros se esse deos. Quis ergo non videat hac utriusque veræ et fictitiæ divinitatis oppositione veram ac summam a Tertulliano declarari Christi divinitatem?

Neque satis adhuc esse putavit hoc ibi dixisse, sed paulo post eosdem ethnicos his adhuc compellat verbis: Dicere non potestis Christum esse *communis conditionis* hominem (*Ibid., cap.* 23). Venturus siquidem est in fine mundi, *ut Dei virtus, et Dei spiritus, et sermo, et sapientia, et ratio, et Dei Filius.* Palam igitur, atque in ore et oculis infensissimorum Christiani nominis hostium audacter pronuntiat et contestatur Christum esse æterni Patris sui Sermonem, Sapientiam et Rationem, qua ab æterno Filius ejus est. Quapropter diserte adfirmat in Christo duas esse Dei et hominis naturas, illumque tam verum esse Deum, quam verum hominem.

ARTICULUS II.

Quam diserte Tertullianus asseverat unam et eamdem esse Patris æterni ejusque Filii substantiam ac naturam, licet distincta sit utriusque persona.

Quam diserte ac constanter Tertullianus docuit, Filium Dei unum et eumdem esse cum Patre suo Deum; ita sane unam et eamdem utriusque substantiam ac naturam, sed distinctas personas esse asseruit. Non semel quippe id dixit, sed sæpius, ac præsertim in suo Apologetico, ubi de Verbi sive Filii Dei generatione sic disputat: *Hunc*, inquit, λόγον *ex Deo prolatum didicimus, et prolatione generatum, et idcirco Filium Dei, et Deum dictum ex unitate substantiæ. Nam et Deus spiritus: et cum radius ex sole porrigitur, portio ex summa; sed sol erit in radio, quia solis est radius, nec separatur substantia, sed extenditur: ita et de Spiritu Spiritus, et de Deo Deus, ut lumen de lumine accensum. Manet integra et indefecta materiæ matrix, etsi plures inde traduces qualitatum mutueris: ita quod de Deo profectum est, Deus est, et Dei Filius, et unus ambo: ita de spiritu spiritus, et de Deo Deus modulo alternum numerum gradu, non statu fecit, et a matrice excessit, non recessit* (*Ibid, cap.* 21). Ita sane ibi gentilibus simpliciter ac sincere declarat quid Christiani de divini Verbi, ac proinde Filii Dei natura ac generatione sentirent. Quam sincera autem sit hæc explicatio, inde liquet, quod si celare aut dissimulare aliquid potuisset, illud certe non erat dicturus in libro publico, quem ethnicis omnibus, ac Romani etiam imperii antistitibus offerebat

A At quo magis vera certaque est ista expositio, eo magis studiose a nobis examinari debet.

Dicit itaque primo: *Hunc ex Deo prolatum didicimus.* Sed unde, quæso, ille aliique christiani id didicerant? Non aliunde profecto, nisi ex sacris Scripturis, ac certa constantique ab Apostolis ad suum usque tempus traditione. Plura autem alibi citat hanc in rem ejusdem sacræ Scripturæ loca, atque in primis in libro adversus Praxeam, hæreseos patripassianorum fautorem. At ibi quoque præclare docet hanc esse fidei nostræ regulam quæ ab Evangelii initio decucurrit, et quibuslibet hæreticis est antiquior: *Constat autem id,* inquit, *verum esse quodcunque primum, id esse falsum quodcunque posterius* (*Tertull. lib. adv. Praxe., cap.* 2). Perperam, igitur quidam insulsissimi homines venditarunt illud de λόγου et Filio Dei dogma Apostolis primisque eorum discipulis fuisse incognitum, ac secundo duntaxat Ecclesiæ sæculo haustum ex philosophorum opinionibus, et a Christianis receptum. Si quæ enim, in præcipuo fidei christianæ capite facta fuisset immutatio, hæc omnium ac præcipue Tertulliani animum percellere debebat. Non mediocriter enim eruditus ille vir sub secundi sæculi et tertii initium floruit, nec proinde potuit ignorare quam certo hæc communis omnium doctrina ab Apostolis ad suum usque tempus transmissa sit.

Secundo, ille docet Verbum divinum esse *de Spiritu Spiritum;* quia Dei est Verbum, Ratio, et Sermo (*Idem, Apologet. cap.* 21). Nam sicut alibi ait: *Spiritum intelligimus in nomine sermonis: ita et sermonem quoque agnoscimus in nomine spiritus. Nam et spiritus substantia est sermonis, et sermo operatio spiritus, et duo unum sunt* (*Idem, lib. adv. Praxe., cap.* 26). Existimavit itaque Sermonem, seu Verbum, et Filium Dei esse spiritum, remque plane spiritualem, à quacumque materia, et omni re corporea discretam. Quæ quidem illius sententia inde confirmatur, quod ipse ibidem pronuntiat illum esse *spiritum de spiritu,* id est, spiritu ac cogitatione æterni Patris sui prolatum ac genitum (*Idem, Apologet., cap.* 21). Divinæ siquidem cogitationis prolatio non solum nihil corporei admittit, sed unus cum suo Patre, à quo profertur, Deus est. At quid opus est id à nobis probari, quod ab illo disertissime hisque ipsismet verbis asseritur: *Quod de Deo profectum est, Deus est, et Dei Filius, et unus ambo, et de Deo Deus* (*Ibidem*).

Tertio, Tertullianus affirmat illum cum Deo Patre unum esse Deum *ex unitate substantiæ*, ac proinde unam et eamdem esse utriusque substantiam (*Ibid.*). A Patre enim suo *non separatur*, inquit, *substantia*, *sed extenditur;* quoniam *hunc ex Deo*, uti adhuc illo loquitur, *prolatum didicimus, et prolatione generatum* (*Ibid.*). Quia vero ab illo ita prodiit, et genitus est; idcirco, quemadmodum a Patre suo non separatur substantia, sic ab illo persona distinguitur. Non enim eadem esse potest Patris et Filii Dei persona. At eadem tamen est utriusque substantia; quandoquidem unus est cum Patre Deus *ex unitate substantiæ*, a qua

Digitized by Google

non separatur, sed extenditur (*Ibid.*). Ex hac enim substantia, tamquam *matrice non recessit, sed excessit*; atque ita quidem ambo unus idemque Deus sunt.

Neque ibi tantum, sed in suo adhuc adversus Praxeam libro, illud his confirmat verbis: *Rationem reddidimus, qua Dii non duo dicantur, nec Domini, sed qua Pater et Filius duo; et hoc non ex separatione substantiæ, sed ex dispositione, cum individuum et inseparatum Filium a Patre pronuntiamus, nec statu, sed gradu alium, qui, etsi Deus dicatur, quando nominatur singularis, non ideo duos Deos faciat, sed unum, hoc ipso, quod et Deus ex unitate Patris vocari habeat* (*Tertull., lib. adv. Praxe. cap.* 19). Vides sane quam diserte ibi ille, sicut alibi, asseveret Filium Dei *alium* esse a Patre suo *non statu, sed gradu*, id est, non natura, sed persona, quæ ordine secunda distinguitur, atque hac distinctione esse quidem duos, sive duas personas, a se invicem distinctas, sed duos Deos dici non posse; quia eadem est utriusque substantia, et idcirco ambo unus Deus (*Ibid. cap.* 2).

Neque dixeris ibi taceri personæ nomen. Nam illud hac Patris et Filii distinctione satis subintelligitur. Quia enim unam dixit esse utriusque naturam, sola duntaxat persona distingui et duo esse possunt. Deinde nomen personæ, hoc ipso quo nunc utimur significatu, in eodem adversus Praxeam libro sumitur, sicut ex locis infra citandis evidentissime patebit.

At, non solum adversus Praxeam, sed etiam adversus Valentinum alium hæreticum hanc de distincta Filii Patrisque persona, sed una utriusque substantia doctrinam tutatur ac propugnat. Duo enimvero erant Valentini errores, quos ille his descripsit verbis: *Valentinus probolas suas*, id est, divinas prolationes, *discernit et separat, et ita longe ponit, ut Æon Patrem nesciat* (*Ibid. cap.* 8). Secundum autem hunc errorem, de Æone Patrem nesciente, refellit Joannis Evangelistæ auctorite: *Apud nos*, inquit, *solus Filius Patrem novit, et sinum Patris ipse exposuit*. Tum deinde primum Valentini de separatis divinis prolationibus errorem, his, quæ ad propositum nostrum magis faciunt, verbis evertit: *Sermo et in Patre semper, sicut dixit: Ego in Patre; et apud Deum semper, sicut scriptum est: Et Sermo erat apud Deum. Et nunquam separatus a Patre, aut alius a Patre, quia Ego et Pater unum sumus*. Inde vero concludit hunc sermonem Filiumque Dei a Patre suo esse distinctum, quia ab eo prodivit ac prolatus est; sed ab eo non separari, quandoquidem una utriusque est natura. Quin etiam paulo post adjecit: *Non diversitate alium esse Filium a Patre, sed distributione; nec divisione alium, sed distinctione; quia non sit idem Pater et Filius, vel modulo alius ab alio* (*Ibid.*). At nunc animadvertas velim Filium Dei ab eo dici alium a Patre, et non alium, videlicet alium a Patre persona, et substantia non alium, quia hæc substantia in utroque plane eadem est.

Cum igitur Filius a Patre suo sit distinctus, quia duæ sunt in una eademque substantia personæ, recte quidem de eodem Filio Dei in Apologetico scripsit: *Modulo*, quemadmodum adversus Valentinum dixit, *alternum numerum, gradu, non statu, fecit*. Sed Rigaltius contra manuscriptorum nostrorum, et omnium antea editorum codicum fidem ibi priora verba sic corrigi voluit: *Modulo alterum, non numero* (*Idem, Apologet. cap.* 21). Nullam nihilominus hujusce emendationis reddidit rationem. Numquid ergo putavit, sicuti videtur, sic immutatis auctoris verbis, illius accurratius servari antitheses? Sed nefas procul dubio est veteris auctoris textum levissima conjectura immutare, multo minus præpostera immutatione sensum ejus in alium detorquere plane oppositum, et in eum, quem impugnat, errorem. Nam Tertullianus, uti affatim probatum est, apertissime docet Filium Dei *modulo* et *gradu*, sive persona alium esse a Patre suo, sed unum et eumdem substantia, et idirco duas esse personas distinctas, unum tamen Deum. Utriusque ergo personæ a se invicem distinctæ numerum *alternum* faciunt.

Præterea ille palam, quemadmodum in sequenti articulo videbimus, cum tota Ecclesia catholica declarat tres esse in sanctissima Trinitate personas. Jure igitur merito dixit Filium Dei *modulo alternum* cum Patre suo *numerum* facere. Jam enim eum dicentem audivimus: *Non est idem Pater et Filius modulo*, id est, eo prolationis modo, quo Filius a Patre prodivit (*Idem, lib. adv. Praxe., cap.* 8). Filius ergo cum Patre numerum facit *alternum*, id est, uterque Pater et Filius alternatim vicissimque duarum personarum numerum faciunt. Tertulliani autem hunc esse sensum colligi haud inepte potest his ejus in eodem libro verbis: *Pater Filium facit, et Patrem Filius. Et qui ex alterutro fiunt, a semetipsis sibi fieri nullomodo possunt, ut Pater se sibi Filium faciat, et Filius se sibi Patrem..... Habeat necesse est Pater Filium, ut Pater sit, et Filius Patrem, ut Filius sit* (*Ibid., cap.* 10). Audisne quam luculenter ille doceat Patrem et Filium sic inter se componi, ut Pater cum Filio, ac vicissim Filius cum Patre numerum alternum faciant?

Verum, quia infinitum est inter homines et Deum discrimen, hinc minime dubitanter asseverat Filium Dei alium esse a Patre *gradu* quidem, *sed non statu*, hoc est, illum sua generatione esse alium *gradu*, seu ordine secundum (*Ibid., cap.* 2), ut pote genitum a Patre, sed non *statu*, id est, non substantia ac natura, quæ una eademque in illo et Patre suo est. Sed his illius dictis novam certe lucem ea dabunt, quæ de ejusdem Filii et Spiritus Sancti divinitate ac sacro Trinitatis mysterio ille tradidit, et a nobis jam enodanda explanandaque sunt.

ARTICULUS III.

Quam diserte Tertullianus orthodoxam adhuc de Filii Dei, nec non Spiritus sancti divinitate ac sacro Trinitatis mysterio doctrinam explicet ac vindicet.

Tertullianus non iis tantum quæ retulimus, sed aliis adhuc pluribus in locis, catholicam de suprema

Digitized by Google

Filii Dei Christique Domini divinitate sententiam tam asseveranter quam perspicue tuetur ac vindicat. Sed quia in iis catholicum quoque de Spiritus Sancti divinitate ac sanctissimæ Trinitatis mysterio dogma non minus diserte asserit et prædicat, illud separatim in hoc articulo exponendum esse duximus. Primum itaque contra Praxeam patripassianum, qui eumdem Patrem et Filium Dei esse effutiebat, hæc de Trinitatis mysterio, tribus videlicet divinis personis et una eademque earum natura, firmiter credenda esse declarat : *Custodiatur*, inquit, *œconomiæ sacramentum, quæ unitatem in Trinitatem disponit, tres dirigens, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum : tres autem non statu, sed gradu ; nec substantia, sed forma ; nec potestate, sed specie ; unius autem substantiæ, et unius status, et unius potestatis ; quia unus Deus, ex quo et gradus isti, et formæ, et species in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti deputantur* (*Tertull., lib. adv. Praxe., cap.* 2). Nemo est autem qui non intelligat, nomine *status*, sicut in superiore articulo monuimus, idem significari ac substantiam et naturam Dei; gradus autem, formæ et speciei nominibus, divinas personas, atque eorum ordinem, et existendi modum. Manifeste igitur docet tres esse sanctissimæ Trinitatis personas, quæ *numerum sine divisione patiuntur*, sed unam eamdemque esse earum substantiam.

Postea vero hanc catholicæ Ecclesiæ doctrinam, atque, ut ipse ait, regulam fusius hunceque in modum exponit ac confirmat : *Trinitas per consertos et connexos gradus a Patre decurrens, et monarchiæ nihil obstrepit, et œconomiæ statum protegit. Hanc me regulam professum, quia inseparatos ab alterutro Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum testor, tene ubique, et ita et quomodo dicatur agnosces. Ecce enim dico alium esse Patrem, et alium Filium, et alium Spiritum sanctum. Male accipit idiotes quisque aut perversus hoc dictum, quasi diversitatem sonet, et ex diversitate separationem protendat Patris, et Filii, et Spiritus. Necessitate autem hoc dico, cum eumdem Patrem, et Filium, et Spiritum contendunt adversus œconomiam monarchiæ adulantes, non tantum diversitate alium Filium a Patre, nec divisione alium, sed distinctione ; quia non sit idem Pater et Filius, vel modulo alius ab alio* (*Ibid., cap.* 9). Numquid clarius meliusve explicari potest vera et catholica de sacro Trinitatis mysterio doctrina? Palam enim et contra hæreticorum errores Auctor noster profitetur Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum tres esse personas, a se invicem distinctas, sed sine diversitate, divisione, et separatione, quia una est illarum substantia. At hanc esse asseverat orthodoxæ fidei regulam, quæ in sacris Scripturis tradita, atque a majoribus accepta, ab omnibus tenenda est.

Quapropter id non semel bisque dixisse contentus, postea adhuc repetit, et corroborat : *Nos*, inquit, *qui et tempora et causas Scripturarum per Dei gratiam inspicimus, maxime Paracleti, non hominum discipuli, duos quidem definimus Patrem, et Filium, et jam tres cum Spiritu sancto secundum rationem œconomiæ, quæ facit numerum, ne ut vestra perversitas infert, Pater ipse credatur natus et passus, quod non licet credi, quoniam non ita traditum est* (*Ibid., cap.* 13). Cum autem ille hæc scriberet, jam defecerat ab Ecclesia catholica ad Montanistarum errores, et absurdum falsi Paracleti commentum imbiberat. Sanam tamen et orthodoxam de Trinitatis mysterio fidem diserte asserit ac tuetur. Quis ergo negabit verum esse hoc præcipuum christianæ religionis documentum, quod ille quocumque in statu, ac per totam vitam, tam constanter propugnavit, et a solis plane errantibus impugnatum fuisse testificatur.

Prius enimvero illud ab eo scriptum legimus : *Quale est ut Deus divisionem et dispersionem pati videatur in Filio et Spiritu sancto, secundum et tertium sortitis locum, tam consortibus substantiæ Patris, quas non patitur in tot angelorum numero, et quidem tam a substantia alienis* (*Ibid. cap.* 3)? Intelligis profecto quanta perspicuitate adhuc pronuntiet, Patrem a Filio et Spiritu sancto sic persona distingui, ut Filius et Spiritus sanctus secundum et tertium locum habeant. Plane tamen prorsusque contendit et affirmat nullam inter eos esse divisionem, aut dispersionem, sed ejusdem consortes substantiæ, quæ in eis tam una, quam in angelis, quantumlibet perfectis, divisa et separata est.

Verum nulla procul dubio explicatione illud indiget, quod ab illo non solum apertissime renuntiatur, sed ipsa etiam probatur sacræ Scripturæ auctoritate, ac his potissimum Joannis Evangelistæ verbis : *Ego et Pater unum sumus.* Postquam enim hæc citavit, sic prosequitur (*Ibid. cap.* 22) : *Hic ergo jam gradum volunt figere stulti, imo cœci, qui non videant, primo,* Ego et Pater *duorum esse significationem; dehinc in novissimo*, Sumus, *non ex unius esse persona, quod pluraliter dictum est, tum quod*, unum sumus, *non, unus sumus. Si enim dixisset, Unus sumus, potuisset adjuvare sententiam illorum. Unus enim singularis numeri significatio videtur : adhuc cum duo masculini generis.* Unum *dicit neutrali verbo, quod non pertinet ad singularitatem, sed ad unitatem, ad similitudinem, ad conjunctionem, ad dilectionem Patris...* Unum sumus, *dicens*, Ego et Pater, *ostendit duos esse, quos æquat et jungit.* Postea vero hæc brevius quidem, sed non minus clare ac perspicue explicat : *Connexus Patris in Filio, et Filii in Paracleto, tres efficit cohærentes, alterum ex altero, qui tres unum sint, non unus ; quomodo dictum est :* Ego et Pater unum sumus, *ad substantiæ unitatem, non ad numeri singularitatem* (*Ibid. cap.* 25).

Quamvis autem ibi nomen *personæ* non adhibeat ; superiori tamen loco illum eo usum fuisse animadvertere potuisti. Sed distinctius adhuc prolatum videbis, ubi rursum variis sacræ Scripturæ testimoniis demonstrat tres in sanctissima Trinitate esse personas, unamque duntaxat naturam. Etenim id ille probat his Geneseos verbis : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Genes.*

Digitized by Google

I, 26). Et aliis : *Ecce Adam factus est tanquam unus ex nobis* (*Ibid.*, III, 22). Nam inde ille sic argumentatur : *Quia jam adhærebat illi Filius, secunda persona, Sermo ipsius, et tertia, Spiritus in Sermone, ideo pluraliter pronuntiavit :* Faciamus, *et*, nostram, *et*, nobis. Tum paulo post : *Denique sequens Scriptura distinguit inter personas* : Et fecit Deus hominem : ad imaginem *Dei* fecit illum. *Cur non suam, si unus qui faciebat, et non erat ad cujus faciebat ? Erat autem, ad cujus imaginem faciebat, ad Filii scilicet, qui homo futurus certior et verior, imaginem suam fecerat dici hominem, qui tunc de limo formari habebat, imago veri et similitudo.* Nec longe postea : *Alium*, inquit, a Patre Filium, *quomodo accipere debeas jam professus sum*, personæ, *non* substantiæ *nomine; ad distinctionem, non ad divisionem. Cæterum, etsi ubique teneo unam substantiam in tribus cohærentibus, tamen alium dicam oportet ex necessitate sensus eum qui jubet, et eum qui facit* (*Tertull., lib. adv. Praxe., cap.* 22).

Prius, vero, ubi adversus eumdem Praxeam disputando, manifeste ostendit Filium Dei, qui illius Sophia, et sermo est, alium esse a Patre suo, ibi sic arguentem Praxeam inducit : *Ergo, inquis, das aliquam substantiam esse sermonem, spiritu et sophiæ traditione constructam* (*Ibid., cap.* 7)? Cui ille uno verbo respondet : *Plane*, atque ita illud verum esse ultro confitetur. Cujus hanc continenter reddit rationem : *Non vis enim eum substantivum habere in re per substantiæ proprietatem, ut res et persona quædam videri possit, et ita capiat secundus a Deo constitutus, duos efficere, Patrem et Filium, Deum et Sermonem.*

Finem certe dicendi non faceremus, si omnia et singula illius, sacrum Trinitatis mysterium adversus Praxeam tam recte quam diserte asserentis, verba vellemus transcribere et enucleare. Quamobrem ne simus longiores, ea duntaxat adjiciemus, quibus adhuc ostendit tres unius divinitatis in sanctissima Trinitate esse personas : *Christus*, inquit, *novissime mandans, ut tinguerent in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, non in uno, nec semel, sed ter ad singula nomina personas singulas* (*Ibid. cap.* 27). Unam vero esse trium illarum personarum substantiam et divinitatem disertissime non solum in locis jam citatis, sed in alio adhuc edixit libro, quem ab eo, cum etiam hæresim Montanistarum sequeretur, compositum fuisse nullus dubitat. Ibi enim hæc ille scripsit : *Ecclesia proprie ipse est Spiritus, in quo est Trinitas, sive tres personæ unius divinitatis, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus* (*Idem, lib. de Pudicit. cap.* 21).

Porro autem ex his omnibus, quæ hactenus in hoc et superiori articulo disputata sunt, satis, uti putamus, evidenter colligitur sanam omnino planeque orthodoxam fuisse Tertulliani, sive catholici sive montanistæ, id est, per totum vitæ suæ tempus, de suprema Filii Dei Spiritusque sancti divinitate, et eadem ipsorum cum æterno Deo Patre substantia, ac distinctis tribus illorum personis sententiam. Nec minus evidenter patet ipsi persuasum omnino fuisse hoc præcipuum totius Ecclesiæ catholicæ dogma fundari sacræ Scripturæ auctoritate, illudque ab Apostolis eorumque successoribus ad suam usque ætatem certa ac perpetua traditione transmissum. Denique, ex dictis liquet hoc documentum ab eo audacter propugnari, non solum adversus hæreticos illud negantes, sed ethnicos etiam, infestissimos Christianorum hostes, qui illos hancce ob doctrinam crudelissime vexabant et interimebant. At certe hæreticos ad suas facilius partes illexisset, si fateri potuisset unam tantum, nec plures, nisi nomine tenus esse in sanctissima Trinitate personas. Sibi quoque ethnicos conciliare, eorumque adversus Christianos furorem placare poterat, si dixisset tres esse Deos, aut certe unum majorem, minoresque alios. Neque id a nobis gratis fictum putaveris, quod ipsemet Tertullianus palam aperteque profitetur : *Cæterum, si conscientia nostra,* ita ille loquitur, *qua scimus Dei nomen Domini et Patri, et Filio, et Spiritui sancto convenire, Deos et Dominos nominaremus, extinxissemus faces nostras, etiam ad martyria timidiores, quibus evadendi quoque pateret occasio, jurantibus statim per deos et dominos, ut quidam hæretici, quorum dii plures* (*Ibid. cap.* 13). Tertullianus itaque, quemadmodum alii veri christiani quælibet tormentorum genera experiri, et necari maluerunt, quam hanc traditam sibi a Christo ejusque discipulis, de ejusdem Christi divinitate et sanctissimæ Trinitatis mysterio doctrinam ullomodo infirmare aut dissimulare. Nullus ergo dubitandi locus est, quin vera sit hæc ejusdem Tertulliani et catholicæ Ecclesiæ doctrina, quæ hunc in modum a sacris scriptoribus adserta, constanterque ac perpetuo servata propugnataque fuit.

ARTICULUS IV.

Quibus rationibus Tertullianus explicare conatus sit divinam æternamque Filii Dei generationem, et cur ille, non vero Spiritus sanctus, Filius Dei dicatur.

Satis Tertulliano non fuit suam et totius catholicæ Ecclesiæ de suprema Filii Dei et Spiritus Sancti divinitate sententiam eo, quo vidimus (*Art. super.*), modo expositam tueri ac vindicare ; sed explicare etiam conatus est, cur Verbum et Ratio Dei verus ejus Filius sit et dici debeat. Palam itaque omnibus declarat Deum, eo ipso quod Deus est, semper atque ab omni æternitate fuisse rationalem (*Ibid.*). Cum ergo sine ratione esse non possit, ab eadem æternitate protulit Sermonem, qui quidem Sermo melius latine, quemadmodum annotavimus, Ratio appellari debuerat. Divinus autem ille Sermo non est quædam articulata, sicuti hominis vox, vel quidam sonus oris, aerve percussus, atque ita nescio quid vacuum et inane ; sed habet, inquit, *propriam substantiam spiritum* (*Tertull. Apologet. cap.* 21). Quia vero id ab hæretico Praxea negabatur, contra eum sic disputat, probatque hunc Dei Sermonem esse veram

Digitized by Google

substantiam : *Quid est enim, dices, sermo, nisi vox et sonus oris, et sicut grammatici tradunt, aer offensus, intelligibilis auditu, cæterum, vacuum nescio quid, et inane, et incorporale. At ego nihil dico de Deo inane et vacuum prodire potuisse, ut non de inani et vacuo prolatum, nec carere substantia, quod de tanta substantia processit, et tantas substantias fecit. Fecit enim et ipse, quæ facta sunt per illum. Quale est ut vihil sit, sine quo nihil factum est; ut inanis solida, et vacuus plena, et incorporalis corporalia sit operatus? Nam etsi potest aliquando quid fieri diversum ejus per quod fit; nihil tamen potest fieri per id, quod vacuum et inane est. Vacua et inanis res est Sermo Dei, qui Filius dictus est, qui ipse Deus cognominatus est?* ET SERMO ERAT APUD DEUM, ET DEUS ERAT SERMO (*Idem lib. adv. Prax. cap.* 7)? Ea ergo argumentatione ostendit Verbum, sive Sermonem ac Rationem Dei, non esse aliquid inane et vacuum, sed veram substantiam.

Atqui ideo hic sermo divinus vera est substantia, qui a Deo prolatus est. Nam eum, inquit ille, *prolatione generatum, et idcirco Filium Dei* dicimus. Prolatus autem a divino Patre suo, ex ipsius intellectu tanquam *ex matrice*, prodiit, atque ideo generatus, et verus Dei Filius est. Etenim hac ipsa generatione non solum similis Patri, sed eadem quoque est utriusque substantia. Non enim ille, inquit, Filius Dei *a* Patris *matrice recessit, sed excessit.* Quoniam vero *non recessit*, eamdem ac ille habet substantiam ; et quia ab eo prodivit, illius est Filius (*Idem Apologet. cap.* 21, *pag.* 21).

Sed rursus Tertullianum audiamus, qui id alibi (*Idem, lib. advers. Prax., cap.* 8) pluribus sacræ Scripturæ testimoniis asserit ac confirmat : *De quo*, inquit, *procedendo Filius factus est, primogenitus, ut ante omnia genitus, et unigenitus, ut solus ex Deo genitus, proprie de vulva cordis*, id est, intellectus, *ipsius, secundum quod et Pater ejus testatur :* ERUCTAVIT COR MEUM SERMONEM OPTIMUM (*Psalm.* XLIV, 2) : *Ad quem deinceps gaudens in persona illius :* FILIUS MEUS ES TU, EGO HODIE GENUI TE (*Psal.* II, 7) : *et*, ANTE LUCIFERUM GENUI TE (*Ibid.* CIX, 5). *Sic et Filius ex sua persona profitetur Patrem in nomine Sophiæ :* DOMINUS CONDIDIT ME INITIUM VIARUM IN OPERA SUA (*Ad Hebr. cap.* I). ANTE OMNES AUTEM COLLES GENERAVIT ME (*Proverb. cap.* VIII, 22). Atque hæc ipsa ratio est, cur Verbum, Seu sermo Dei, non vero Spiritus sanctus sit, dicaturque Filius Dei : atque, ut ipse Tertullianus ait, *Qui etiam proprie nomen Filii accepit*, tum quia nomen illud ipsi in sacris Scripturis datur, tum etiam quia prior a solo Patre suo in naturæ similitudinem est genitus, et Spiritus sanctus ab utroque processit, quemadmodum ex mox citandis ejusdem Tertulliani nostri verbis manifestum unicuique fiet (*Tertull. lib. adv. Praxe. cap.* 8).

Sed quamvis Sermo Dei a Patre suo æterno prodeat, vel sicuti ait ipse Tertullianus : *Non aliunde, sed de substantia Patris* deducatur (*Ibid. cap.* 4), hoc est, oriatur ex ejus cogitatione et intelligentia, non idcirco tamen ab illo separatus est. Nam A dividi non potest simplicissima Dei substantia, sicut nec plures dii esse possunt. Quamobrem ille iterum dicit : *Omne quod prodit ex aliquo, secundum sit ejus necesse est de quo prodit ; non ideo tamen separatum. Secundus autem ubi est, duo sunt ; et tertius ubi est, tres sunt. Tertius enim est Spiritus a Deo*, videlicet Patre et Filio, *sicut tertius a radice fructus ex frutice* (*Ibid. cap.* 8). Duo autem ibi docet, quæ attento certe animo observanda sunt. Dicit enim primo Filium Dei alium, et ordine secundum esse a Patre suo ; quia ejus est æternus Sermo, qui ex illius intellectu et cogitatione prodivit, atque idcirco Filius ejus est. Secundo ait Spiritum sanctum esse tertium ; quia ab utroque Patre et Filio procedit, tanquam tertius fructus ex radice et frutice oritur. At cum ibi B non suam tantum, sed totius Ecclesiæ catholicæ sententiam contra Praxeam hæreticum explicet, ac tueatur, inde profecto colligitur illam a christianis omnibus orthodoxis, atque aliis etiam non eodem, aut simili ac Praxeas errore infectis assertam ac propugnatam.

Verum quidam objiciunt ibi Tertullianum non agere de Spiritus sancti origine, sed de personarum SS. Trinitatis ordine, in quo ille tertius post Patrem constituitur. At cur, quæso, ab iis, qui sic arguunt, omissa fuere hæc subsequentia Auctoris nostri verba : *Sicut tertius a radice fructus ex frutice, et tertius a fonte rivus ex flumine, et tertius a sole apex ex radio, nihil tamen a matrice alienatur, a qua proprietates suas ducit?* Nonne autem hæc satis ostendunt illum non de C solo Spiritus sancti ordine, sed ejus etiam origine fecisse sermonem? Ibi siquidem his comparationibus adversus Praxeam demonstrat Filium Dei, etiamsi a Patre suo non sit separatus, ab eo tamen ideo distingui, quia suam ab ipso originem ducit. Tum inde ad Spiritus sancti ortum delapsus, eodem, uti vides, plane modo argumentatur. Tam igitur de Spiritus sancti, quam Filii origine disputat.

Urgent nihilominus a Tertulliano antea apertissime pronuntiari : Ortum *Spiritum non aliunde puto, quam a Patre per Filium* (*Idem, cap.* 4). Sed attende, quæso, quam parum considerate hæc objiciantur. Nam Hilarius, ut illi fatentur, diserte docuit Spiritum sanctum a Patre et Filio procedere, cum scripsit : *Quod si differre crederetur inter accipere a* D *Filio et a Patre procedere, certe id ipsum atque unum esse existimabitur a Filio accipere quod sit accipere a Patre* (*Hilar. l.* 8. *de Trin.* § 20). Atqui scriptum ab eodem Hilario legimus : *Ex te* (nimirum Patre) *per eum* (Filium) *sanctus Spiritus tuus est.* Paulo post vero sic Patrem precatur : *Dona mihi ut Patrem te scilicet nostrum, Filium tuum una tecum adorem ; sanctum Spiritum tuum, qui ex te per unigenitum tuum est, promerear* (*Ibid. lib.* 12, § 56 *et* 57).

At si is eodem catholico sensu dixit Spiritum a Patre et Filio, atque Spiritum sanctum a Patre procedere per Filium, cur non etiam Tertullianus? Numquid idem loquendi modus in uno probari potest, et in altero reprobari? Uterque igitur, sicut recte Spiritum sanc-

Digitized by Google

tum a Patre et Filio, ita a Patre per Filium procedere dixerunt. Nam Filius, tanquam medius inter Patrem et Spiritum sanctum, ab eodem Patre solo principium accepit, atque ab illo et patre Spiritus sanctus suam ducit originem. Itaque Spiritus Sanctus dicitur a Patre procedere per Filium, qui origine sua inter utrumque tanquam medius, a Patre accepit, ut Spiritus sanctus ab ipso procedat. Quamobrem hæc ipsa processio uno eodemque modo tam a Patre, quam a Filio derivatur, ac deducitur.

Quia igitur Filius Verbum illius et Sermo est, qui ex Patris intellectu seu cogitatione, sicuti ex quadam matrice et vulva prodivit, hinc recte Filius ejus et unigenitus *proprie*, ut alibi dixit, *nomen Filii accepit.* (*Tertul. lib. adv. Praxe. cap.* 8). Spiritus vero sanctus, quoniam ab utroque procedit, nec unius ex illis, nec amborum Filius unquam est appellatus, nec appellari debuit.

ARTICULUS V.

Exponuntur et examinantur quædam exempla, quibus Tertullianus divinam Filii Dei generationem explicare conatus est.

Cum divina Filii Dei generatio captum hominis longe superet, nec possit facile ab eo intelligi, hinc Tertullianus noster illam quibusdam comparationibus explanare, et illustrare connisus est. Verum quia difficultatibus non carent, a nobis sunt examinandæ. Primum itaque eas in Apologetico sic proponit: *Cum radius a Sole porrigitur, portio ex summa, sed Sol erit in radio, quia Solis est radius; nec separatur substantia, sed extenditur: ita de Spiritu Spiritus, et de Deo Deus, ut lumen de lumine accensum. Manet integra et indefecta materiæ matrix, etsi plures inde traduces qualitatum mutueris: ita et quod de Deo profectum est, Deus est, et Dei Filius, et unus* (supple Deus) *ambo* (*Tertullian. Apologetic. cap.* 21, *pag.* 399). Sed hæc ille fusius alibi iisdem aliisque exemplis enucleare adhuc conatur. Audiamus eum, si lubet: *Protulit Deus Sermonem, quemadmodum etiam* Paracletus *docet, sicut radix fruticem, et fons fluvium, et sol radium. Nam et istæ species probolæ*, id est, uti paulo ante dixerat, prolationes *sunt earum substantiarum, ex quibus prodeunt. Nec dubitaverim Filium dicere et radicis fruticem, et fontis fluvium, et solis radium; quia omnis origo parens est; et omne quod ex origine profertur, progenies est; multo magis Sermo Dei, qui etiam proprie nomen Filii accepit. Nec frutex tamen a radice, nec fluvius a fonte, nec radius a sole discernitur, sicut nec a Deo Sermo. Igitur secundum eorum formam profiteor me duos dicere, Deum et Sermonem ejus, Patrem et Filium ipsius. Nam et radix et frutex duæ res sunt, sed conjunctæ. Et fons et fluvius duæ species sunt, sed indivisæ. Et sol et radius duæ formæ sunt, sed cohærentes* (*Idem, lib. adv. Praxe. cap.* 8, *pag.* 639).

At sedulo observandum est has comparationes ab Auctore nostro proferri, non tanquam omnino perfectas, ac quasi divinæ Filii generationi plane omnibusque modis similes sint. Nam et ipse dixit: *Multo magis Sermo Dei*, quibus verbis significat has omnes comparationes esse imperfectas. Et vero quis nesciat illas tantum inter se differre, quantum a Creatore distat creatura? Non putavit igitur iis posse omnino explicari Filii Dei generationem, sed ut qualicumque modo, ac secundum infirmas ingenii nostri vires eam intelligamus.

Deinde vero hæc exempla ab illo non adhibentur in omnibus, sed in aliquibus tantum rebus, quæ ad divinam spectant Filii generationem. Omnia enim vero illa eo duntaxat tendunt, ut ostendat Filium Dei, etsi a Patre suo prodeat, ab illo tamen non esse separatum, nec divisum. Propterea enim quod frutex, uti ille ait, a radice, fluvius ex fonte, radius ex sole prodeunt, nec a se invicem separantur, aut dividuntur, sed sibi conjunguntur, et sine ulla divisione cohærent; hinc hominis intellectus eo adduci potest, ut pro infirmis plane viribus cognoscat Dei Filium, quamvis a Patre prodeat, ab eo non separari, sed infinite perfectiori modo, quam res illas corporeas, ipsi esse conjunctum, atque ab eo penitus indivisum.

Sic etiam postea ille, ut confirmet Filium Dei a Patre separari, tametsi ab illo divina generatione exierit, ipsum ita loquentem introducit: *Exivi a Patre, ut radius ex sole, ut rivus ex fonte, ut frutex ex semine* (*Ibid. cap.* 22). Alibi vero eadem solis et radii comparatione ideo tantum utitur, ut demonstret Dei nomen non creaturis tribuendum, sed Patri æterno ejusque Filio, quorum una omnino est substantia. Præstat autem ipsum hæc enarrantem audire: *Deos*, inquit, *omnino non dicam, nec dominos, sed Apostolum sequar, ut si pariter nominandi fuerint Pater et Filius, Deum Patrem adpellem, et Jesum Christum Dominum nominem. Solum autem Christum potero Deum dicere, sicut idem Apostolus: Ex quibus Christus, qui est, inquit, Deus super omnia benedictus in ævum omne. Nam et radium solis seorsum solem vocabo: solem autem nominans, cujus est radius, non statim et radium solem appellabo. Nam etsi soles duos non faciam, tamen et solem et radium ejus tam duas res, et duas species unius indivisæ substantiæ numerabo, quam Deum et Sermonem ejus, quam Patrem et Filium* (*Ibidem, cap.* 13).

Neque ibi ille stetit, sed ad illam æternam Verbi divini generationem rursus explicandam alia usus est comparatione; quæ quidem licet superioribus longe perfectior sit, eam tamen adhuc imperfectam esse palam profitetur. Ab illo autem desumitur ex interiore hominis sermone ac verbo, atque ita argumentatur: *Vide cum tacitus tecum ipse congrederis, ratione hoc ipsum agi intra te, occurrente ea tibi cum sermone ad omnem cogitatus tui motum, et ad omnem sensus tui pulsum. Quodcumque cogitaveris, sermo est; quodcumque senseris, ratio est. Loquaris illud in animo necesse est, et dum loqueris, conlocutorem pateris sermonem, in quo inest hæc ipsa ratio, quam cum eo cogitans loquaris, per quem loquens cogitas. Ita secundus quodammodo in te est sermo, per quem loqueris cogitando, et per quem cogitas loquendo; ipse sermo alius est. Quanto ergo plenius hoc agitur in Deo, cujus*

Digitized by Google

tu quoque imago et similitudo censeris, quod habeat in se tacendo Rationem, et in Ratione Sermonem (*Ibid. cap.* 5. *pag.* 637). Ibi autem ille ostendit Deum, qui natura sua rationalis est, ab æterno Rationem et Sermonem intra se habuisse, quem profert dum cogitat, atque idcirco alius ab ipso est, quamvis utriusque eadem sit substantia et natura. Quis autem facile non concedet illud aptius ac luculentius non potuisse probari, quam hac interioris hominum verbi ac sermonis comparatione? In hoc enim, uti ille ait, homo est Dei imago et similitudo. Verumtamen fatetur hanc ipsam comparationem esse plane imperfectam, ac longe pleniori perfectioriique modo Verbum Dei a Deo Patre, quam hominis verbum ab homine proferri.

Porro autem ex hactenus dictis manifestum omnibus esse debet a Tertulliano, sive catholico, sive Montanistarum fautore, constantissime assertam supremam Filii Dei et Verbi divinitatem. Aperte siquidem, uti vidimus, docet illum divina Patris sui cogitatione generatum, hacque generatione alium quidem esse a Patre, hoc est, persona distinctum, sed minime divisum ac separatum; quandoquidem una et eadem omnino est utriusque substantia et natura. Deus quippe Pater, ab æterno rationalis, sine cogitatione esse nunquam potuit, atque idcirco ejus Verbum, quod idem ac ipsius cogitatio est, debet illi esse consubstantiale ac coæternum. Nonne ergo hæc ipsa plane eadem est ac concilii Nicæni sententia? In hujus quippe symbolo statuitur credendum esse *in unum Dominum Jesum Christum, natum de Patre, unigenitum, hoc est, ex substantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine* (vel, sicut ait Tertullianus, *Apologet. c.* 21, *p.* 399, *ut lumen de lumine accensum*), *Deum verum ex Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri.*

ARTICULUS VI.

Expenduntur solvunturque argumenta, quibus nonnulli probare nituntur labefactatam fuisse a Tertulliano orthodoxam de suprema Filii Dei divinitate doctrinam, quia dixit illum divinæ substantiæ esse portionem, quæ in Patre tota est.

Quanquam orthodoxa omnino, sicuti explicatum est, fuerit Tertulliani de suprema Verbi et Filii Dei divinitate, æternaque generatione sententia; quidam nihilominus, etiam catholici hujus dogmatis assertores, illum non minimi quidem, sed gravissimi erroris audacter accusant. Si enim Petavio credas, *Arianam hæresim impietate et absurditate superat* (*Petav. tom.* 2, *Theolog. dogmat. lib.* 2, *cap.* 5, *pag.* 24). Sed doctus ille vir semetipsum corrigere tandem coactus est. Alibi siquidem fatetur non pauca occurrere ejusdem Tertulliani loca, in quibus apparet vis sententiæ dogmatisque communis, cujus traditio animos Christianorum pervaserat (*Idem, Præfat. in tom. cit. cap.* 5). Verumtamen ibidem adjecit orthodoxam Trinitatis fidem in ejusdem scriptis adspergi identidem quibusdam maculis, quæ contagione fœdæ, ad quam defecit, Montanistarum hæreseos illini potuerunt. At quamvis ibi judicii sui severitatem potius mitigare, quam emendare videatur, sibi tamen satis non constat. Nam non solum in libris, qui a Tertulliano hæretico, sed in aliis etiam, qui ab illo adhuc catholico compositi sunt, labefactatum Trinitatis dogma contendit. Nos vero satis ostendimus illud ab eodem Tertulliano, sive catholico, sive montanista recte assertum, ac contra alios, qui id negabant, egregie propugnatum.

Bullus tamen eidem Tertulliano nostro, etiam ubi contra Praxeam disputat, aliam censoriæ severitatis notam inussit (*Bull. defens. Nicæ. sect.* 3, *cap.* 10. *num.* 5 *et* 11. *pag.* 403 *et* 416). Quamvis enim concedat illum recte sentire de suprema Filii Dei ac Verbi divinitate, æternitate, *consubstantialitate*, sive eadem illius ac Patris substantia; ipsi nihilominus videtur catholicæ traditionis venis, quasi aureis scoriam aliquam intermiscuisse, absurde satis loqui, et in augustissimo Trinitatis mysterio ludere, nugasque sectari. Sed quis sibi facile persuadebit Tertullianum, tantæ gravitatis hominem, de hoc Trinitatis mysterio in eo libro ludere et nugari, ubi præcipuum ac maximum illum Christianæ fidei articulum, eodem Bullo fatente, totis animi viribus contra Praxeæ aliorumque hæreticorum errores, asserit ac tuetur? (*Idem, ibid.*, § 2. *cap.* 7. *num.* 1. *pag.* 150). Et certe a nobis jam probatum est orthodoxam sententiam ab illo non solum contra Praxeam aliosque hæreticos, sed etiam adversus gentiles, quos, ea dissimulata, sibi facile, sicuti vidimus, conciliare poterat, perspicue doceri et explicari.

Sed ne quid intactum relinquamus, ea omnia expendenda sunt argumenta, quæ nobis a Petavio, Bullo aliisque objiciuntur. Primum itaque Petavius illud urgendum non censet, quod ab Auctore nostro scriptum legimus Filium, sermonemque Dei a Patre suo prolatum, ac veluti corporatum. Ecquid enim id urgeret? Nonne satis perspicue ostendimus corporis nomine nihil aliud ab eo intelligi, nisi sui generis substantiam, personam, atque hypostasin? Nec minus evidenter patefecimus, atque ex dicendis adhuc patebit, ipsum disertissime asseruisse Filium Dei merum esse spiritum, qui ex æterni Patris sui intellectu et cogitatione procedit, ac nihil proinde corporei vel minime admixtum habere potest.

Momenti igitur longe gravioris Petavius alique ea esse putant, quibus idem auctor noster negasse ipsis videtur eamdem esse Patris æterni, ejusque Filii substantiam. Etenim aperte, inquiunt, docet totam Dei substantiam esse in Patre, et illius quamdam tantum in Filio portionem. Quid enim his, aiunt, verbis clarius et expressius? *Pater tota substantia est, Filius vero derivatio totius et portio, sicut ipse profitetur:* QUIA PATER MAJOR ME EST (*Joan.* XIV, 28). Totam igitur Divinitatis, inquiunt, substantiam Tertullianus in Patre ut pote majore, et in Filio ut pote minore partem tantum ac portionem esse arbitratus est (*Tertull. lib. adv. Praxe. cap.* 9).

Urgent id adhuc ab illo asseri, ubi absurdum Marcionis, qui Patrem ex Virgine natum, et passum esse

Digitized by Google

tum a Patre et Filio, ita a Patre per Filium procedere dixerunt. Nam Filius, tanquam medius inter Patrem et Spiritum sanctum, ab eodem Patre solo principium accepit, atque ab illo et patre Spiritus sanctus suam ducit originem. Itaque Spiritus Sanctus dicitur a Patre procedere per Filium, qui origine sua inter utrumque tanquam medius, a Patre accepit, ut Spiritus sanctus ab ipso procedat. Quamobrem hæc ipsa processio uno eodemque modo tam a Patre, quam a Filio derivatur, ac deducitur.

Quia igitur Filius Verbum illius et Sermo est, qui ex Patris intellectu seu cogitatione, sicuti ex quadam matrice et vulva prodivit, hinc recte Filius ejus et unigenitus *proprie*, ut alibi dixit, *nomen Filii accepit.* (*Tertul. lib. adv. Praxe. cap.* 8). Spiritus vero sanctus, quoniam ab utroque procedit, nec unius ex illis, nec amborum Filius unquam est appellatus, nec appellari debuit.

ARTICULUS V.

Exponuntur et examinantur quædam exempla, quibus Tertullianus divinam Filii Dei generationem explicare conatus est.

Cum divina Filii Dei generatio captum hominis longe superet, nec possit facile ab eo intelligi, hinc Tertullianus noster illam quibusdam comparationibus explanare, et illustrare connisus est. Verum quia difficultatibus non carent, a nobis sunt examinandæ. Primum itaque eas in Apologetico sic proponit: *Cum radius a Sole porrigitur, portio ex summa, sed Sol erit in radio, quia Solis est radius; nec separatur substantia, sed extenditur: ita de Spiritu Spiritus, et de Deo Deus, ut lumen de lumine accensum. Manet integra et indefecta materiæ matrix, etsi plures inde traduces qualitatum mutueris: ita et quod de Deo profectum est, Deus est, et Dei Filius, et unus* (supple Deus) *ambo* (*Tertullian. Apologetic. cap.* 21, *pag.* 399). Sed hæc ille fusius alibi iisdem aliisque exemplis enucleare adhuc conatur. Audiamus eum, si lubet: *Protulit Deus Sermonem, quemadmodum etiam* Paracletus *docet, sicut radix fruticem, et fons fluvium, et sol radium. Nam et istæ species probolæ*, id est, uti paulo ante dixerat, prolationes *sunt earum substantiarum, ex quibus prodeunt. Nec dubitaverim Filium dicere et radicis fruticem, et fontis fluvium, et solis radium; quia omnis origo parens est; et omne quod ex origine profertur, progenies est; multo magis Sermo Dei, qui etiam proprie nomen Filii accepit. Nec frutex tamen a radice, nec fluvius a fonte, nec radius a sole discernitur, sicut nec a Deo Sermo. Igitur secundum eorum formam profiteor me duos dicere, Deum et Sermonem ejus, Patrem et Filium ipsius. Nam et radix et frutex duæ res sunt, sed conjunctæ. Et fons et fluvius duæ species sunt, sed indivisæ. Et sol et radius duæ formæ sunt, sed cohærentes* (*Idem, lib. adv. Praxe. cap.* 8, *pag.* 639).

At sedulo observandum est has comparationes ab Auctore nostro proferri, non tanquam omnino perfectas, ac quasi divinæ Filii generationi plane omnibusque modis similes sint. Nam et ipse dixit: *Multo magis Sermo Dei*, quibus verbis significat has omnes comparationes esse imperfectas. Et vero quis nesciat illas tantum inter se differre, quantum a Creatore distat creatura? Non putavit igitur iis posse omnino explicari Filii Dei generationem, sed ut qualicumque modo, ac secundum infirmas ingenii nostri vires eam intelligamus.

Deinde vero hæc exempla ab illo non adhibentur in omnibus, sed in aliquibus tantum rebus, quæ ad divinam spectant Filii generationem. Omnia enim vero illa eo duntaxat tendunt, ut ostendat Filium Dei, etsi a Patre suo prodeat, ab illo tamen non esse separatum, nec divisum. Propterea enim quod frutex, uti ille ait, a radice, fluvius ex fonte, radius ex sole prodeunt, nec a se invicem separantur, aut dividuntur, sed sibi conjunguntur, et sine ulla divisione cohærent; hinc hominis intellectus eo adduci potest, ut pro infirmis plane viribus cognoscat Dei Filium, quamvis a Patre prodeat, ab eo non separari, sed infinite perfectiori modo, quam res illas corporeas, ipsi esse conjunctum, atque ab eo penitus indivisum.

Sic etiam postea ille, ut confirmet Filium Dei a Patre separari, tametsi ab illo divina generatione exierit, ipsum ita loquentem introducit: *Exivi a Patre, ut radius ex sole, ut rivus ex fonte, ut frutex ex semine* (*Ibid. cap.* 22). Alibi vero eadem solis et radii comparatione ideo tantum utitur, ut demonstret Dei nomen non creaturis tribuendum, sed Patri æterno ejusque Filio, quorum una omnino est substantia. Præstat autem ipsum hæc enarrantem audire: *Deos*, inquit, *omnino non dicam, nec dominos, sed Apostolum sequar, ut si pariter nominandi fuerint Pater et Filius, Deum Patrem adpellem, et Jesum Christum Dominum nominem. Solum autem Christum potero Deum dicere, sicut idem Apostolus: Ex quibus Christus, qui est, inquit, Deus super omnia benedictus in ævum omne. Nam et radium solis seorsum solem vocabo: solem autem nominans, cujus est radius, non statim et radium solem appellabo. Nam etsi soles duos non faciam, tamen et solem et radium ejus tam duas res, et duas species unius indivisæ substantiæ numerabo, quam Deum et Sermonem ejus, quam Patrem et Filium* (*Ibidem, cap.* 13).

Neque ibi ille stetit, sed ad illam æternam Verbi divini generationem rursus explicandam alia usus est comparatione; quæ quidem licet superioribus longe perfectior sit, eam tamen adhuc imperfectam esse palam profitetur. Ab illo autem desumitur ex interiore hominis sermone ac verbo, atque ita argumentatur: *Vide cum tacitus tecum ipse congrederis, ratione hoc ipsum agi intra te, occurrente ea tibi cum sermone ad omnem cogitatus tui motum, et ad omnem sensus tui pulsum. Quodcumque cogitaveris, sermo est; quodcumque senseris, ratio est. Loquaris illud in animo necesse est, et dum loqueris, conlocutorem pateris sermonem, in quo inest hæc ipsa ratio, quam cum eo cogitans loquaris, per quem loquens cogitas. Ita secundus quodammodo in te est sermo, per quem loqueris cogitando, et per quem cogitas loquendo; ipse sermo alius est. Quanto ergo plenius hoc agitur in Deo, cujus*

Digitized by Google

tu quoque imago et similitudo censeris, quod habeat in se tacendo Rationem, et in Ratione Sermonem (*Ibid. cap.* 5. *pag.* 637). Ibi autem ille ostendit Deum, qui natura sua rationalis est, ab æterno Rationem et Sermonem intra se habuisse, quem profert dum cogitat, atque idcirco alius ab ipso est, quamvis utriusque eadem sit substantia et natura. Quis autem facile non concedet illud aptius ac luculentius non potuisse probari, quam hac interioris hominum verbi ac sermonis comparatione? In hoc enim, uti ille ait, homo est Dei imago et similitudo. Verumtamen fatetur hanc ipsam comparationem esse plane imperfectam, ac longe pleniori perfectioriique modo Verbum Dei a Deo Patre, quam hominis verbum ab homine proferri.

Porro autem ex hactenus dictis manifestum omnibus esse debet a Tertulliano, sive catholico, sive Montanistarum fautore, constantissime assertam supremam Filii Dei et Verbi divinitatem. Aperte siquidem, uti vidimus, docet illum divina Patris sui cogitatione generatum, hacque generatione alium quidem esse a Patre, hoc est, persona distinctum, sed minime divisum ac separatum; quandoquidem una et eadem omnino est utriusque substantia et natura. Deus quippe Pater, ab æterno rationalis, sine cogitatione esse nunquam potuit, atque idcirco ejus Verbum, quod idem ac ipsius cogitatio est, debet illi esse consubstantiale ac coæternum. Nonne ergo hæc ipsa plane eadem est ac concilii Nicæni sententia? In hujus quippe symbolo statuitur credendum esse *in unum Dominum Jesum Christum, natum de Patre, unigenitum, hoc est, ex substantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine* (vel, sicut ait Tertullianus, *Apologet. c.* 21, *p.* 399, *ut lumen de lumine accensum*), *Deum verum ex Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri.*

ARTICULUS VI.

Expenduntur solvunturque argumenta, quibus nonnulli probare nituntur labefactatam fuisse a Tertulliano orthodoxam de suprema Filii Dei divinitate doctrinam, quia dixit illum divinæ substantiæ esse portionem, quæ in Patre tota est.

Quanquam orthodoxa omnino, sicuti explicatum est, fuerit Tertulliani de suprema Verbi et Filii Dei divinitate, æternaque generatione sententia; quidam nihilominus, etiam catholici hujus dogmatis assertores, illum non minimi quidem, sed gravissimi erroris audacter accusant. Si enim Petavio credas, *Arianam hæresim impietate et absurditate superat* (*Petav. tom.* 2, *Theolog. dogmat. lib.* 2, *cap.* 5, *pag.* 24). Sed doctus ille vir semetipsum corrigere tandem coactus est. Alibi siquidem fatetur non pauca occurrere ejusdem Tertulliani loca, in quibus apparet vis sententiæ dogmatisque communis, cujus traditio animos Christianorum pervaserat (*Idem, Præfat. in tom. cit. cap.* 5). Verumtamen ibidem adjecit orthodoxam Trinitatis fidem in ejusdem scriptis adspergi identidem quibusdam maculis, quæ contagione fœdæ, ad quam defecit, Montanistarum hæreseos illini potuerunt. At quamvis ibi judicii sui severitatem potius mitigare, quam emendare videatur, sibi tamen satis non constat. Nam non solum in libris, qui a Tertulliano hæretico, sed in aliis etiam, qui ab illo adhuc catholico compositi sunt, labefactatum Trinitatis dogma contendit. Nos vero satis ostendimus illud ab eodem Tertulliano, sive catholico, sive montanista recte assertum, ac contra alios, qui id negabant, egregie propugnatum.

Bullus tamen eidem Tertulliano nostro, etiam ubi contra Praxeam disputat, aliam censoriæ severitatis notam inussit (*Bull. defens. Nicæ. sect.* 3, *cap.* 10. *num.* 5 *et* 11. *pag.* 403 *et* 416). Quamvis enim concedat illum recte sentire de suprema Filii Dei ac Verbi divinitate, æternitate, *consubstantialitate*, sive eadem illius ac Patris substantia; ipsi nihilominus videtur catholicæ traditionis venis, quasi aureis scoriam aliquam intermiscuisse, absurde satis loqui, et in augustissimo Trinitatis mysterio ludere, nugasque sectari. Sed quis sibi facile persuadebit Tertullianum, tantæ gravitatis hominem, de hoc Trinitatis mysterio in eo libro ludere et nugari, ubi præcipuum ac maximum illum Christianæ fidei articulum, eodem Bullo fatente, totis animi viribus contra Praxeæ aliorumque hæreticorum errores, asserit ac tuetur? (*Idem, ibid.*, § 2. *cap.* 7. *num.* 1. *pag.* 150). Et certe a nobis jam probatum est orthodoxam sententiam ab illo non solum contra Praxeam aliosque hæreticos, sed etiam adversus gentiles, quos, ea dissimulata, sibi facile, sicuti vidimus, conciliare poterat, perspicue doceri et explicari.

Sed ne quid intactum relinquamus, ea omnia expendenda sunt argumenta, quæ nobis a Petavio, Bullo aliisque objiciuntur. Primum itaque Petavius illud urgendum non censet, quod ab Auctore nostro scriptum legimus Filium, sermonemque Dei a Patre suo prolatum, ac veluti corporatum. Ecquid enim id urgeret? Nonne satis perspicue ostendimus corporis nomine nihil aliud ab eo intelligi, nisi sui generis substantiam, personam, atque hypostasin? Nec minus evidenter patefecimus, atque ex dicendis adhuc patebit, ipsum disertissime asseruisse Filium Dei merum esse spiritum, qui ex æterni Patris sui intellectu et cogitatione procedit, ac nihil proinde corporei vel minime admixtum habere potest.

Momenti igitur longe gravioris Petavius aliique ea esse putant, quibus idem auctor noster negasse ipsis videtur eamdem esse Patris æterni, ejusque Filii substantiam. Etenim aperte, inquiunt, docet totam Dei substantiam esse in Patre, et illius quamdam tantum in Filio portionem. Quid enim his, aiunt, verbis clarius et expressius? *Pater tota substantia est, Filius vero derivatio totius et portio, sicut ipse profitetur:* QUIA PATER MAJOR ME EST (*Joan.* XIV, 28). Totam igitur Divinitatis, inquiunt, substantiam Tertullianus in Patre ut pote majore, et in Filio ut pote minore partem tantum ac portionem esse arbitratus est (*Tertull. lib. adv. Præx. cap.* 9).

Urgent id adhuc ab illo asseri, ubi absurdum Marcionis, qui Patrem ex Virgine natum, et passum esse

Digitized by Google

Arbitratur et deos humana cernere et curare (*Laert., lib.* III, *in Vit Platon.*, § 78). Nec alii plures citandi, quando quidem hoc et ipsemet Plato sæpius asseruit (*Plat. Phæd*, *tom.* I, *pag.* 62, *post. med.*). Alicubi enim ait Deum nostri curam gerere, non secus ac rei suæ et possessionis : Τὸ θεὸν τε εἶναι τὸν ἐπιμελούμενον ἡμῶν, καὶ ἡμᾶς ἐκείνου κτήματα εἶναι. (*Idem, lib.* X *de Leg.*, *pag.* 285). Alibi vero haud dubitanter asseverat primam insaniam esse deos negare, secundam autem asserere eos curam non habere hominum : Τὸ δεύτερον ὄντας οὐ φροντίζειν ἀνθρώπων. (*Ibid.*, *pag.* 899 *et seq.*). Sed hoc ille postea fusius prosequitur, et insanum illum errorem profligat et evertit (*Dissertat. in Lactant.*, *cap.* 14, *art.* 1). At absurdis-imus ille error est Epicuri sectatorumque ejus, sicut a nobis demonstratum est.

Quamobrem Auctor noster paulo post adjecit Platonicorum de sede Dei opinionem fuisse, illum residere *intra mundum*, *qui*, *gubernatoris exemplo*, *intra illud maneat quod regat* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 47, *et lib.* II *ad Nation.*, *cap* 2). Et sane Plato decrevit probatque mirabili quadam mente et sapientia, quæ Deus ipse est, hunc mundum certo constitutoque ordine constanter gubernari (*Plat. Plut.*, *tom.* II, *pag.* 28 *et seqq.*). Alio autem in libro scriptum ab eo legimus, Deum, universi gubernatorem, post mundum resque omnes creatas, dimisisse illius regendi habenas, et in suam rediisse quasi speculam (*Idem*, *Polit.*, *pag.* 272 *et seqq.*). Postea vero, ne mundus, variis tempestatibus et malis quassatus, penitus dissolveretur, resumpsit ejus gubernaculum, illique sollicite insidens, ejusdem mundi partes ornavit, et moderatur.

At Stoici contra hanc Platonicorum opinionem prædicabant, uti ait Tertullianus, Deum esse *positum extra mundum*, *qui figuli modo extrinsecus torqueat molem hanc* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 47, *et lib.* II *ad Nation.*, *cap.* 2). Sed non minimus dubitandi locus est utrum hæc ipsa fuerit Stoicorum sententia. Nam Zenon illorum antesignanus, ejusque asseclæ, uti ex Laertio et Plutarcho discere est, arbitrabantur Deum esse mentem, quæ omnia pertingat ac penetret (*Laert.*, *lib.* VII, *in Vit. Zenon.*, § 138 *et* 147; *Plutarch. lib.* I *de Placit. philosoph.*, *cap.* 7, *pag.* 882). Nos etiam alibi observavimus hanc revera fuisse illorum opinionem. Qua ergo ratione Auctor noster tam asseveranter affirmare potuit Stoicos docuisse Deum positum esse instar figuli extra fabricatam a se totam mundi molem (*Tom.* I, *Apparat.*, *pag.* 780 ; *Lips. lib.* I *Psycholog. stoic.*, *dissertat.* 31, *pag.* 565, *tom.* IV)?

Difficultatis hujus nodum secat potius, quam solvit Lipsius. Haud dubitanter etenim Tertullianum illi arguit erroris, quo Stoicis illud tribuit, quod ab iis nec dictum, nec cogitatum quidem fuerat. Itane vero erravit Tertullianus? Numquid ignorabat, aut ex mente illius exciderat, quod Stoici de mente divina, mundum universum pervadente, tradiderant? Minime quidem. Nam alio in libro hæc scriptis mandavit : A *Stoici volunt Deum sic per materiam decurrisse, quomodo mel per favos* (*Tertullian. lib. adv. Hermogen*, *cap.* 44). Contradictionis itaque potius, quam oblivionis aut ignorantiæ insimulari debuit. Sed majores procul dubio erant Stoicorum, quam Tertulliani, repugnantiæ, quas Plutarchus integris in libris patefecit, nosque alicubi notavimus (*Dissertat. in Lactant.*, *cap.* 21, *art.* 2). Nonne ergo illorum potius, quam hujus repugnantiis id adscribi poterat?

Quid vero, si Seneca, et ipse stoicus, hanc contradictionem tollendi nobis rationem suggerit? De Deo siquidem hunc ille disserit in modum : *Quid est Deus? Mens Universi. Quid est Deus? Quod vides totum, et quod non vides totum. Sic demum magnitudo sua illi redditur, qua nihil majus excogitari potest, si* B *solus est. Omnia opus suum et intra et extra tenet* (*Senec.*, *præfat. lib.* I *natural. Quæst.*, *pag.* 795). Nonne enim his verbis significat Deum et intra et extra mundum esse; quia omni opere suo major est? At si illa fuit stoicorum opinio, duæ fuerunt ejusdem opinionis partes. Quid ergo, si Tertullianus unius tantum partis meminerit, ut Stoicos Platonicis opponeret?

Objici tamen potest hanc eamdem opinionem ab ipso Seneca tribui Epicureis, quos idcirco acriter corripit et exagitat : *Tu, Epicure*, inquiebat, *Deum inermem facis.... projecisti eum extra metum* (alii legi volunt, *extra metam*). *Hunc igitur septum ingenti quodam et inexplicabili muro, divisumque de contractu et conspectu mortalium, non habes quare vereatis. Nulla illi nec* C *tribuendi, nec nocendi materia est. In medio intervallo hujus est alterius cæli desertus, sine animali, sine homine, sine re, ruinas mundorum, supra se circaque se cadentium evitat, non exaudiens vota, nec nostri curiosus* (*Idem, lib.* IV *de Benefic.*, *cap.* 19, *pag.* 79). In quadam quoque epistola eumdem illorum errorem sic reprobat ac proscribit : *Non de ea philosophia loquor, quæ civem extra patriam posuit, extra mundum deos, quæ virtutem voluptati dedit* (*Idem* I. *Epistol.* 79, *pag.* 71), philosophia videlicet epicurea. Non Stoicorum ergo, sed Epicureorum hanc falsam opinionem fuisse testificatur.

Nonne autem ex hoc, inquiet aliquis, Senecæ testimonio concludi potest, emendandum esse Tertulliani textum, atque in eo scribendum *epicurei*, pro *stoici*? Recte quidem, si illud ratione aliqua satis utique valida probetur. At certe non una fuit stoicorum de Deo sententia, sed maxima, uti diximus, opinionum varietas. Si qui autem ex illis, uti præfatus Seneca, Deum aliquo modo extra mundi fines positum somniaverunt, illud Tertulliano satis fuisse quis unquam inficiabitur? Potuit enim Epicureis, quos ethnici aspernabantur, omissis, Stoicorum facere mentionem. Verumtamen, quæcumque genuina sit Tertulliani lectio, idem erit argumentationis ejus pondus ac robur. Nam ex ea, et his omnibus quæ hactenus disputata sunt, cuivis liquido patebit, quam merito jure ille asseveret tam difficile fuisse philosophis omnibus naturam, qualitatem et sedem Dei desi-

Digitized by Google

gnare, quam id vel infimæ sortis christiano promptum facileque fuit.

Verum illud adhuc auctoritate confirmatur Platonis, illorum omnium facile principis, qui, sicut ipse Tertullianus memorat nosque haud semel animadvertimus, palam professus est, *factitatorem universitatis neque inveniri facilem, et inventum enarrari in omnes difficilem* (*Tertullian. Apologet., cap. 16, Plat. Tim. pag.* 28). Quamobrem sectatores ejus, uti alio in libro ait Auctor noster, illum, *quem non penitus admiserant, neque nosse potuerunt, neque timere, nec inde sapere, exorbitantes scilicet ab initio sapientiæ, id est, metu in Deum* (*Tom. I Apparat., pag.* 948; *Dissertat. in Minut. Octav., cap. 4, art.* 2). Quilibet vero christianus illum invenit, et *quod in Deo quæritur, re quoque adsignat* (*Tertullian., lib. II ad Nation., cap.* 2)? ipsum videlicet esse unum, omnipotentem, infinitum, mundi creatorem, et quo nihil majus meliusque excogitari potest. Quapropter eum timet, et longe magis sapit, quam hi cæteris philosophis sapientiores.

Denique non minimam adhuc ea Tertulliani verba habent difficultatem, quibus aliud philosophorum de Deo mundi creatore dissidium notavit: *Totum*, inquit, *hoc mundi corpus, sive innatum et infectum secundum Pythagoram, sive natum et factum secundum Platonem* (*Tertullian. Apologet., cap.* 11, *p.* 332). Quam enim certum est hanc de mundo creato fuisse, ut alibi ostendimus, Platonis opinionem, tam falsum videtur Pythagoram docuisse illum innatum et infectum fuisse. Nam ibidem observavimus a Lactantio adfirmate pronuntiari omnes ad Epicurum philosophos, ac nominatim Pythagoricos, constanter adseruisse mundum esse factum et creatum (*Dissertat. in Lactant., cap.* 21, *art.* 2). Quin etiam Plutarchus disertissime declarat eamdem fuisse Pythagoræ atque Platonis ea de re sententiam. En græca ejus verba: Πυθαγόρας καὶ Πλάτων γενητὸν ὑπὸ Θεοῦ τὸν κόσμον. *Pythagoras et Plato mundum a Deo factum arbitrati sunt* (*Plutarc., lib. II de Placi. philosop., cap.* 4, *pag.* 886). Quid ergo? Erravitne adhuc Tertullianus, ac nomen Pythagoræ pro alio ibi ipse, vel librarius scripsisse dicendus est? Numquid potius, quia celebris hic philosophus ab eodem Plutarcho, Laertio, Theodoreto, et aliis docuisse perhibetur unitatem esse rerum omnium principium, atque ex numeris omnia fieri, inde Auctor noster confici posse putavit mundum, sicut unitatem et numeros, nec ortum fuisse nec factum (*Idem ibid., lib. II, cap.* 3. *Laert. lib. VIII,* § 25; *Theodoret. serm.* 2 *de principio, pag.* 489)? Sed si ita res se habeat, citati à nobis auctores erroris procul dubio convincentur. Numquid igitur probabilius dici potest Pythagoram errantium more in eadem non permansisse sententia? Hæc velim expendas, et pronunties.

Multo itaque verius certiusque illud est, quod Auctor noster tradidit, mundum ex nihilo à Deo creatum, *verbo quo jussit; ratione qua disposuit, virtute qua potuit* (*Tertullian. Apologet., cap.* 17, *et cap.* 21). Quod quidem ab eo repetitum, et a Minutio Felice, ut alibi animadvertimus, transcriptum est (*Dissertat. in Minut. Octav., cap.* 2, *art.* 5). Sed quod de hoc Dei verbo Tertullianus docet, jam, si placet, diligenter expendamus.

CAPUT VIII.

De Christi divinitate.

ARTICULUS PRIMUS.

De variis Filii Dei nominibus, ac quam luculenter Tertullianus doceat veri summique Dei attributa illi convenire, eumque unum et æternum cum Patre suo esse Deum.

Quid sit Verbum, Ratio, Sermo, et Filius Dei, ut Tertullianus omnibus patefaciat, duobus modis et Deum, et Verbum Dei Filium considerari posse docet. Ambo enim spectari possunt antequam ipse Deus mundum vel creaturam ullam condiderit, vel quando mundus ab eo creatus est. De utroque autem ante creationem mundi hoc tanquam certissimum constituit: *Ante omnia Deus erat solus, ipse sibi mundus, et locus, et omnia. Solus autem, quia nihil aliud extrinsecus præter illum. Cæterum ne tunc quidem solus; habebat enim secum, quam habebat in semetipso, rationem suam scilicet. Rationalis, et ratio in ipso prius, et ita ab ipso omnia. Quæ ratio sensus ipsius est. Hanc Græci* λόγον *dicunt, quo vocabulo etiam sermonem appellamus. Ideoque jam in usu est nostrorum per simplicitatem interpretationis sermonem dicere in primordio apud Deum fuisse, cum magis rationem competat antiquiorem haberi; quia non sermonalis a principio, sed rationalis Deus etiam ante principium, et quia ipse quoque sermo ratione consistens, priorem eam, ut substantiam suam, ostendat. Tamen et sic, nihil interest. Nam et si Deus nondum sermonem suum miserat, proinde eum cum ipsa et in ipsa ratione intra semetipsum habebat, tacite cogitando, et disponendo secum, quæ per sermonem mox erat dicturus. Cum ratione enim sua cogitans, atque disponens, sermonem eam efficiebat, quam sermone tractabat* (*Tertullian. lib. adv. Prax., cap.* 5). Hæc autem, etsi paulo longiora, idcirco integra retulimus, quia omnia singulari attentione et examine digna sunt.

Primo itaque declarat Deum ante principium, id est, ab omni æternitate, ac poinde antequam mundus crearetur, fuisse et solum et non solum. Ante mundi quippe creationem solus erat, *ipse sibi mundus, locus et omnia*; quia nihil præter se extrinsecus habebat. Tum tamen non erat solus, quia suam habebat rationem. Ante principium enimvero, seu a tota æternitate rationalis fuit; quandoquidem Deus esse non potest, nisi sit sensu et ratione præditus.

Secundo, divinam illam æternamque Dei rationem *græci*, inquit, λόγον *dicunt*, haud dubie quia Joannes Evangelii sui initio scripsit: Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος (*Joann.*, I, 1). Nam ipse Tertullianus hæc latine ita citavit: *In principio erat sermo...., et sermo apud Deum, et Deus erat sermo* (*Tertullian. adv. Herm.*,

Digitized by Google

Arbitratur et deos humana cernere et curare (*Laert., lib.* III, *in Vit Platon.*, § 78). Nec alii plures citandi, quandoquidem hoc et ipsemet Plato sæpius asseruit (*Plut. Phæd*, *tom.* I, *pag.* 62, *post. med.*). Alicubi curam Deum nostri curam gerere, non secus ac rei suæ et possessionis : Τὸ θεὸν τε εἶναι τὸν ἐπιμελούμενον ἡμῶν, καὶ ἡμᾶς ἐκείνου κτήματα εἶναι. (*Idem*, *lib.* X *de Leg.*, *pag.* 285). Alibi vero haud dubitanter asseverat primam insaniam esse deos negare, secundam autem asserere eos curam non habere hominum : Τὸ δεύτερον δ' ὅτας οὐ φροντίζειν ἀνθρώπων. (*Ibid.*, *pag.* 899 *et seq.*). Sed hoc ille postea fusius prosequitur, et insanum illum errorem profligat et evertit (*Dissertat. in Lactant.*, *cap.* 14, *art.* 1). At absurdissimus ille error est Epicuri sectatorumque ejus, sicut a nobis demonstratum est.

Quamobrem Auctor noster paulo post adjecit Platonicorum de sede Dei opinionem fuisse, illum residere *intra mundum*, *qui*, *gubernatoris exemplo*, *intra illud maneat quod regat* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 47, *et lib.* II *ad Nation.*, *cap* 2). Et sane Plato decrevit probatque mirabili quadam monte et sapientia, quæ Deus ipse est, hunc mundum certo constitutoque ordine constanter gubernari (*Plat. Plat.*, *tom.* II, *pag.* 28 *et seqq.*). Alio autem in libro scriptum ab eo legimus, Deum, universi gubernatorem, post mundum resque omnes creatas, dimisisse illius regendi habenas, et in suam rediisse quasi speculam (*Idem*, *Polit.*, *pag.* 272 *et seqq.*). Postea vero, ne mundus, variis tempestatibus et malis quassatus, penitus dissolveretur, resumpsit ejus gubernaculum, illique sollicite insidens, ejusdem mundi partes ornavit, et moderatur.

At Stoici contra hanc Platonicorum opinionem prædicabant, uti ait Tertullianus, Deum esse *positum extra mundum*, *qui figuli modo extrinsecus torqueat molem hanc* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 47, *et lib.* II *ad Nation.*, *cap.* 2). Sed non minimus dubitandi locus est utrum hæc ipsa fuerit Stoicorum sententia. Nam Zenon illorum antesignanus, ejusque asseclæ, uti ex Laertio et Plutarcho discere est, arbitrabantur Deum esse mentem, quæ omnia pertingat ac penetret (*Laert.*, *lib.* VII, *in Vit. Zenon.*, § 138 *et* 147; *Plutarch. lib.* I *de Placit. philosoph.*, *cap.* 7, *pag.* 882). Nos etiam alibi observavimus hanc revera fuisse illorum opinionem. Qua ergo ratione Auctor noster tam asseveranter affirmare potuit Stoicos docuisse Deum positum esse instar figuli extra fabricatam a se totam mundi molem (*Tom.* I, *Apparat.*, *pag.* 780; *Lips. lib.* I *Psycholog. stoic.*, *dissertat.* 31, *pag.* 565, *tom.* IV)?

Difficultatis hujus nodum secat potius, quam solvit Lipsius. Haud dubitanter etenim Tertullianum ibi arguit erroris, quo Stoicis illud tribuit, quod ab iis nec dictum, nec cogitatum quidem fuerat. Itane vero erravit Tertullianus? Numquid ignorabat, aut ex mente illius exciderat, quod Stoici de mente divina, mundum universum pervadente, tradiderant? Minime quidem. Nam alio in libro hæc scriptis mandavit : A *Stoici volunt Deum sic per materiam decurrisse, quomodo mel per favos* (*Tertullian. lib. adv. Hermogen*, *cap.* 44). Contradictionis itaque potius, quam oblivionis aut ignorantiæ insimulari debuit. Sed majores procul dubio erant Stoicorum, quam Tertulliani, repugnantiæ, quas Plutarchus integris in libris patefecit, nosque alicubi notavimus (*Dissertat. in Lactant.*, *cap.* 21, *art.* 2). Nonne ergo illorum potius, quam hujus repugnantiis id adscribi poterat?

Quid vero, si Seneca, et ipse stoicus, hanc contradictionem tollendi nobis rationem suggerit? De Deo siquidem hunc ille disserit in modum : *Quid est Deus? Mens Universi. Quid est Deus? Quod vides totum, et quod non vides totum. Sic demum magnitudo sua illi redditur, qua nihil majus excogitari potest, si* B *solus est. Omnia opus suum et intra et extra tenet* (*Senec.*, *præfat. lib.* I *natural. Quæst.*, *pag.* 795). Nonne enim his verbis significat Deum et intra et extra mundum esse; quia omni opere suo major est? At si illa fuit stoicorum opinio, duæ fuerunt ejusdem opinionis partes. Quid ergo, si Tertullianus unius tantum partis meminerit, ut Stoicos Platonicis opponeret?

Objici tamen potest hanc eamdem opinionem ab ipso Seneca tribui Epicureis, quos idcirco acriter corripit et exagitat : *Tu, Epicure*, inquiebat, *Deum inermem facis.... projecisti eum extra metum* (alii legi volunt, *extra metum*). *Hunc igitur septum ingenti quodam et inexplicabili muro, divisumque de contractu et conspectu mortalium, non habes quare verearis. Nulla illi nec* C *tribuendi, nec nocendi materia est. In medio intervallo hujus est alterius cæli desertus, sine animali, sine homine, sine re, ruinas mundorum, supra se circaque se cadentium evitat, non exaudiens vota, nec nostri curiosus* (*Idem*, *lib.* IV *de Benefic.*, *cap.* 19, *pag.* 79). In quadam quoque epistola eumdem illorum errorem sic reprobat ac proscribit : *Non de ea philosophia loquor, quæ civem extra patriam posuit, extra mundum deos, quæ virtutem voluptati dedit* (*Idem* I. *Epistol.* 79, *pag.* 71), philosophia videlicet epicurea. Non Stoicorum ergo, sed Epicureorum hanc falsam opinionem fuisse testificatur.

Nonne autem ex hoc, inquiet aliquis, Senecæ testimonio concludi potest, emendandum esse Tertulliani textum, atque in eo scribendum *epicurei*, pro D *stoici*? Recte quidem, si illud ratione aliqua satis utique valida probetur. At certe non una fuit stoicorum de Deo sententia, sed maxima, uti diximus, opinionum varietas. Si qui autem ex illis, uti præfatus Seneca, Deum aliquo modo extra mundi fines positum somniaverunt, illud Tertulliano satis fuisse quis unquam inficiabitur? Potuit enim Epicureis, quos ethnici aspernabantur, omissis, Stoicorum facere mentionem. Verumtamen, quæcumque gens sit Tertulliani lectio, idem erit argumentationis pondus ac robur. Nam ex ea, et his omnibus hactenus disputata sunt, cuivis liquido patebit, merito jure ille asseveret tam difficile fuisse phis omnibus naturam, qualitatem et sedem

Digitized by Google

gnare, quam id vel infimæ sortis christiano promptum facileque fuit.

Verum illud adhuc auctoritate confirmatur Platonis, illorum omnium facile principis, qui, sicut ipse Tertullianus memorat nosque haud semel animadvertimus, palam professus est, *factitatorem universitatis neque inveniri facilem, et inventum enarrari in omnes difficilem* (*Tertullian. Apologet., cap.* 16, *Plat. Tim. pag.* 28). Quamobrem sectatores ejus, uti alio in libro ait Auctor noster, illum, *quem non penitus admiserunt, neque nosse potuerunt, neque timere, nec inde sapere, exorbitantes scilicet ab initio sapientiæ, id est, metu in Deum* (*Tom.* I *Apparat., pag.* 948; *Dissertat. in Minut. Octav., cap.* 4, *art.* 2). Quilibet vero christianus illum invenit, et *quod in Deo quæritur, re quoque adsignat* (*Tertullian., lib.* II *ad Nation., cap.* 2)? ipsum videlicet esse unum, omnipotentem, infinitum, mundi creatorem, et quo nihil majus meliusque excogitari potest. Quapropter eum timet, et longe magis sapit, quam hi cæteris philosophis sapientiores.

Denique non minimam adhuc ea Tertulliani verba habent difficultatem, quibus aliud philosophorum de Deo mundi creatore dissidium notavit: *Totum*, inquit, *hoc mundi corpus, sive innatum et infectum secundum Pythagoram, sive natum et factum secundum Platonem* (*Tertullian. Apologet., cap.* 11, *p.* 332). Quam enim certum est hanc de mundo creato fuisse, ut alibi ostendimus, Platonis opinionem, tam falsum videtur Pythagoram docuisse illum innatum et infectum fuisse. Nam ibidem observavimus a Lactantio affirmate pronuntiari omnes ad Epicurum philosophos, ac nominatim Pythagoricos, constanter adseruisse mundum esse factum et creatum (*Dissertat. in Lactant., cap.* 21, *art.* 2). Quin etiam Plutarchus disertissime declarat eamdem fuisse Pythagoræ atque Platonis ea de re sententiam. En græca ejus verba: Πυθαγόρας καὶ Πλάτων γενητὸν ὑπὸ Θεοῦ τὸν κόσμον. *Pythagoras et Plato mundum a Deo factum arbitrati sunt* (*Plutarc., lib.* II *de Placi. philosop., cap.* 4, *pag.* 886). Quid ergo? Erravitne adhuc Tertullianus, ac nomen Pythagoræ pro alio ibi ipse, vel librarius scripsisse dicendus est? Numquid potius, quia celebris hic philosophus ab eodem Plutarcho, Laertio, Theodoreto, et aliis docuisse perhibetur unitatem esse rerum omnium principium, atque ex numeris omnia fieri, inde Auctor noster confici posse putavit mundum, sicut unitatem et numeros, nec ortum fuisse nec factum (*Idem ibid., lib.* II, *cap.* 3. *Laert. lib.* VIII, § 25; *Theodoret. serm.* 2 *de principio, pag.* 489)? Sed si ita res se habeat, citati à nobis auctores erroris procul dubio convincentur. Numquid igitur probabilius dici potest Pythagoram errantium more in eadem non permansisse sententia? Hæc velim expendas, et pronunties.

Multo itaque verius certiusque illud Auctor noster tradidit [illegible] tum, *verbo quo* [illegible] tule qua *potuit* [illegible] *et cap.* 21). Quod quidem ab eo repetitum, et a Minutio Felice, ut alibi animadvertimus, transcriptum est (*Dissertat. in Minut. Octav., cap.* 2, *art.* 5). Sed quod de hoc Dei verbo Tertullianus docet, jam, si placet, diligenter expendamus.

CAPUT VIII.

De Christi divinitate.

ARTICULUS PRIMUS.

De variis Filii Dei nominibus, ac quam luculenter Tertullianus doceat veri summique Dei attributa illi convenire, eumque unum et æternum cum Patre suo esse Deum.

Quid sit Verbum, Ratio, Sermo, et Filius Dei, ut Tertullianus omnibus patefaciat, duobus modis et Deum, et Verbum Dei Filium considerari posse docet. Ambo enim spectari possunt antequam ipse Deus mundum vel creaturam ullam condiderit, vel quando mundus ab eo creatus est. De utroque autem ante creationem mundi hoc tanquam certissimum constituit: *Ante omnia Deus erat solus, ipse sibi mundus, et locus, et omnia. Solus autem, quia nihil aliud extrinsecus præter illum. Cæterum ne tunc quidem solus; habebat enim secum, quam habebat in semetipso, rationem suam scilicet. Rationalis, et ratio in ipso prius, et ita ab ipso omnia. Quæ ratio sensus ipsius est. Hanc Græci λόγον dicunt, quo vocabulo etiam sermonem appellamus. Ideoque jam in usu est nostrorum per simplicitatem interpretationis sermonem dicere in primordio apud Deum fuisse, cum magis rationem competat antiquiorem haberi; quia non sermonalis a principio, sed rationalis Deus etiam ante principium, et quia ipse quoque sermo ratione consistens, priorem eam, ut substantiam suam, ostendat. Tamen et sic, nihil interest. Nam et si Deus nondum sermonem suum miserat, proinde eum cum ipsa et in ipsa ratione intra semetipsum habebat, tacite cogitando, et disponendo secum, quæ per sermonem mox erat dicturus. Cum ratione enim sua cogitans, atque disponens, sermonem eam efficiebat, quam sermone tractabat* (*Tertullian. lib. adv. Prax., cap.* 5). Hæc autem, etsi paulo longiora, idcirco integra retulimus, quia omnia singulari attentione et examine digna sunt.

Primo itaque declarat Deum ante principium, id est, ab omni æternitate, ac proinde antequam mundus crearetur, fuisse et solum et non solum. Ante mundi quippe creationem solus erat, *ipse sibi mundus, locus et omnia*; quia nihil præter se extrinsecus habebat. Tum tamen non erat solus, quia suam habebat rationem. Ante principium enimvero, seu a tota æternitate rationalis fuit; quandoquidem Deus esse non potest, nisi sit sensu et ratione præditus.

Secundo, divinam illam æternamque Dei rationem [illegible] inquit, *λόγον dicunt*, haud dubie quia Joan[illegible]lii sui initio scripsit: Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος [illegible]). Nam ipse Tertullianus hæc lati[illegible]it: *In principio erat sermo....*, *et sermo [illegible] Deus erat sermo* (*Tertullian. adv. Herm.*,

Digitized by Google

Arbitratur et deos humana cernere et curare (*Laert., lib.* III, *in Vit Platon.*, § 78). Nec alii plures citandi, quando quidem hoc et ipsemet Plato sæpius asseruit (*Plat. Phæd*, *tom.* I, *pag.* 62, *post. med.*). Alicubi enim sit Deum nostri curam gerere, non secus ac rei suæ et possessionis : Τὸ θεὸν τε εἶναι τὸν ἐπιμελούμενον ἡμῶν, καὶ ἡμᾶς ἐκείνου κτήματα εἶναι. (*Idem*, *lib.* X *de Leg.*, *pag.* 285). Alibi vero haud dubitanter asseverat primam insaniam esse deos negare, secundam autem asserere eos curam non habere hominum : Τὸ δεύτερον ὄντας οὐ φροντίζειν ἀνθρώπων. (*Ibid.*, *pag.* 899 *et seq.*). Sed hoc ille postea fusius prosequitur, et insanum illum errorem profligat et evertit (*Dissertat. in Lactant.*, *cap.* 14, *art.* 1). At absurdissimus ille error est Epicuri sectatorumque ejus, sicut a nobis demonstratum est.

Quamobrem Auctor noster paulo post adjecit Platonicorum de sede Dei opinionem fuisse, illum residere *intra mundum*, *qui*, *gubernatoris exemplo*, *intra illud maneat quod regat* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 47, *et lib.* II *ad Nation.*, *cap* 2). Et sane Plato decrevit probatque mirabili quadam mente et sapientia, quæ Deus ipse est, hunc mundum certo constituique ordine constanter gubernari (*Plat. Phil.*, *tom.* II, *pag.* 28 *et seqq.*). Alio autem in libro scriptum ab eo legimus, Deum, universi gubernatorem, post mundum resque omnes creatas, dimisisse illius regendi habenas, et in suam rediisse quasi speculam (*Idem*, *Polit.*, *pag.* 272 *et seqq.*). Postea vero, ne mundus, variis tempestatibus et malis quassatus, penitus dissolveretur, resumpsit ejus gubernaculum, illique sollicite insidens, ejusdem mundi partes ornavit, et moderatur.

At Stoici contra hanc Platonicorum opinionem prædicabant, uti ait Tertullianus, Deum esse *positum extra mundum, qui figuli modo extrinsecus torqueat molem hanc* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 47, *et lib.* II *ad Nation.*, *cap.* 2). Sed non minimus dubitandi locus est utrum hæc ipsa fuerit Stoicorum sententia. Nam Zenon illorum antesignanus, ejusque asseclæ, uti ex Laertio et Plutarcho discere est, arbitrabantur Deum esse mentem, quæ omnia pertingat ac penetret (*Laert.*, *lib.* VII, *in Vit. Zenon.*, § 138 *et* 147; *Plutarch. lib.* I *de Placit. philosoph.*, *cap.* 7, *pag.* 882). Nos etiam alibi observavimus hanc revera fuisse illorum opinionem. Qua ergo ratione Auctor noster tam asseveranter affirmare potuit Stoicos docuisse Deum positum esse instar figuli extra fabricatam a se totam mundi molem (*Tom.* I, *Apparat.*, *pag.* 780; *Lips. lib.* I *Psycholog. stoic.*, *dissertat.* 31, *pag.* 565, *tom.* IV)?

Difficultatis hujus nodum secat potius, quam solvit Lipsius. Haud dubitanter etenim Tertullianum ibi arguit erroris, quo Stoicis illud tribuit, quod ab iis nec dictum, nec cogitatum quidem fuerat. Itane vero erravit Tertullianus? Numquid ignorabat, aut ex mente illius exciderat, quod Stoici de mente divina, mundum universum pervadente, tradiderant? Minime quidem. Nam alio in libro hæc scriptis mandavit : A *Stoici volunt Deum sic per materiam decurrisse, quomodo mel per favos* (*Tertullian. lib. adv. Hermogen*, *cap.* 44). Contradictionis itaque potius, quam oblivionis aut ignorantiæ insimulari debuit. Sed majores procul dubio erant Stoicorum, quam Tertulliani, repugnantiæ, quas Plutarchus integris in libris patefecit, nosque alicubi notavimus (*Dissertat. in Lactant.*, *cap.* 21, *art.* 2). Nonne ergo illorum potius, quam hujus repugnantiis id adscribi poterat?

Quid vero, si Seneca, et ipse stoicus, hanc contradictionem tollendi nobis rationem suggerit? De Deo siquidem hunc ille disserit in modum : *Quid est Deus? Mens Universi. Quid est Deus? Quod vides totum, et quod non vides totum. Sic demum magnitudo sua illi redditur, qua nihil majus excogitari potest, si* B *solus est. Omnia opus suum et intra et extra tenet* (*Senec.*, *præfat. lib.* I *natural. Quæst.*, *pag.* 795). Nonne enim his verbis significat Deum et intra et extra mundum esse; quia omni opere suo major est? At si illa fuit stoicorum opinio, duæ fuerunt ejusdem opinionis partes. Quid ergo, si Tertullianus unius tantum partis meminerit, ut Stoicos Platonicis opponeret?

Objici tamen potest hanc eamdem opinionem ab ipso Seneca tribui Epicureis, quos idcirco acriter corripit et exagitat : *Tu, Epicure*, inquiebat, *Deum inermem facis.... projecisti eum extra metum* (alii legi volunt, *extra metam*). *Hunc igitur septum ingenti quodam et inexplicabili muro, divisumque de contractu et conspectu mortalium, non habes quare verearis. Nulla illi nec* C *tribuendi, nec nocendi materia est. In medio intervallo hujus est alterius cœli desertus, sine animali, sine homine, sine re, ruinas mundorum, supra se circaque se cadentium evitat, non exaudiens vota, nec nostri curiosus* (*Idem, lib.* IV *de Benefic.*, *cap.* 19, *pag.* 79). In quadam quoque epistola eumdem illorum errorem sic reprobat ac proscribit : *Non de ea philosophia loquor, quæ civem extra patriam posuit, extra mundum deos, quæ virtutem voluptati dedit* (*Idem* I. *Epistol.* 79, *pag.* 71), philosophia videlicet epicurea. Non Stoicorum ergo, sed Epicureorum hanc falsam opinionem fuisse testificatur.

Nonne autem ex hoc, inquiet aliquis, Senecæ testimonio concludi potest, emendandum esse Tertulliani textum, atque in eo scribendum *epicurei*, pro D *stoici*? Recte quidem, si illud ratione aliqua satis utique valida probetur. At certe non una fuit stoicorum de Deo sententia, sed maxima, uti diximus, opinionum varietas. Si qui autem ex illis, uti præfatus Seneca, Deum aliquo modo extra mundi fines positum somniaverunt, illud Tertulliano satis fuisse quis unquam inficiabitur? Potuit enim Epicureis, quos ethnici aspernabantur, omissis, Stoicorum facere mentionem. Verumtamen, quæcumque genuina sit Tertulliani lectio, idem erit argumentationis ejus pondus ac robur. Nam ex ea, et his omnibus quæ hactenus disputata sunt, cuivis liquido patebit, quam merito jure ille asseveret tam difficile fuisse philosophis omnibus naturam, qualitatem et sedem Dei desi-

Digitized by Google

gnare, quam id vel infimæ sortis christiano promptum facileque fuit.

Verum illud adhuc auctoritate confirmatur Platonis, illorum omnium facile principis, qui, sicut ipse Tertullianus memorat nosque haud semel animadvertimus, palam professus est, *factitatorem universitatis neque inveniri facilem, et inventum enarrari in omnes difficilem* (*Tertullian. Apologet., cap. 46, Plat. Tim. pag.* 28). Quamobrem sectatores ejus, uti alio in libro ait Auctor noster, illum, *quem non penitus admiserunt, neque nosse potuerunt, neque timere, nec inde sapere, exorbitantes scilicet ab initio sapientiæ, id est, metu in Deum* (*Tom.* I *Apparat., pag.* 948; *Dissertat. in Minut. Octav., cap.* 4, *art.* 2). Quilibet vero christianus illum invenit, et *quod in Deo quæritur, re quoque adsignat* (*Tertullian., lib.* II *ad Nation., cap.* 2)? ipsum videlicet esse unum, omnipotentem, infinitum, mundi creatorem, et quo nihil majus meliusque excogitari potest. Quapropter eum timet, et longe magis sapit, quam hi cæteris philosophis sapientiores.

Denique non minimam adhuc ea Tertulliani verba habent difficultatem, quibus aliud philosophorum de Deo mundi creatore dissidium notavit: *Totum*, inquit, *hoc mundi corpus, sive innatum et infectum secundum Pythagoram, sive natum et factum secundum Platonem* (*Tertullian. Apologet., cap.* 11, *p.* 332). Quam enim certum est hanc de mundo creato fuisse, ut alibi ostendimus, Platonis opinionem, tam falsum videtur Pythagoram docuisse illum innatum et infectum fuisse. Nam ibidem observavimus a Lactantio affirmate pronuntiari omnes ad Epicurum philosophos, ac nominatim Pythagoricos, constanter adseruisse mundum esse factum et creatum (*Dissertat. in Lactant., cap.* 21, *art.* 2). Quin etiam Plutarchus disertissime declarat eamdem fuisse Pythagoræ atque Platonis ea de re sententiam. En græca ejus verba: Πυθαγόρας καὶ Πλάτων γενητὸν ὑπὸ Θεοῦ τὸν κόσμον. *Pythagoras et Plato mundum a Deo factum arbitrati sunt* (*Plutarc., lib.* II *de Placi. philosop., cap.* 4, *pag.* 886). Quid ergo? Erravitne adhuc Tertullianus, ac nomen Pythagoræ pro alio ibi ipse, vel librarius scripsisse dicendus est? Numquid potius, quia celebris hic philosophus ab eodem Plutarcho, Laertio, Theodoreto, et aliis docuisse perhibetur unitatem esse rerum omnium principium, atque ex numeris omnia fieri, inde Auctor noster confici posse putavit mundum, sicut unitatem et numeros, nec ortum fuisse nec factum (*Idem ibid., lib.* II, *cap.* 3. *Laert. lib.* VIII, § 25; *Theodoret. serm.* 2 *de principio*, *pag.* 489)? Sed si ita res se habeat, citati à nobis auctores erroris procul dubio convincentur. Numquid igitur probabilius dici potest Pythagoram errantium more in eadem non permansisse sententia? Hæc velim expendas, et pronunties.

Multo itaque verius certiusque illud est, quod Auctor noster tradidit, mundum ex nihilo à Deo creatum, *verbo quo jussit; ratione qua disposuit, virtute qua potuit* (*Tertullian. Apologet., cap.* 17, *et cap.* 21). Quod quidem ab eo repetitum, et a Minutio Felice, ut alibi animadvertimus, transcriptum est (*Dissertat. in Minut. Octav., cap.* 2, *art.* 5). Sed quod de hoc Dei verbo Tertullianus docet, jam, si placet, diligenter expendamus.

CAPUT VIII.

De Christi divinitate.

ARTICULUS PRIMUS.

De variis Filii Dei nominibus, ac quam luculenter Tertullianus doceat veri summique Dei attributa illi convenire, eumque unum et æternum cum Patre suo esse Deum.

Quid sit Verbum, Ratio, Sermo, et Filius Dei, ut Tertullianus omnibus patefaciat, duobus modis et Deum, et Verbum Dei Filium considerari posse docet. Ambo enim spectari possunt antequam ipse Deus mundum vel creaturam ullam condiderit, vel quando mundus ab eo creatus est. De utroque autem ante creationem mundi hoc tanquam certissimum constituit: *Ante omnia Deus erat solus, ipse sibi mundus, et locus, et omnia. Solus autem, quia nihil aliud extrinsecus præter illum. Cæterum ne tunc quidem solus; habebat enim secum, quam habebat in semetipso, rationem suam scilicet. Rationalis, et ratio in ipso prius, et ita ab ipso omnia. Quæ ratio sensus ipsius est. Hanc Græci* λόγον *dicunt, quo vocabulo etiam sermonem appellamus. Ideoque jam in usu est nostrorum per simplicitatem interpretationis sermonem dicere in primordio apud Deum fuisse, cum magis rationem competat antiquiorem haberi; quia non sermonalis a principio, sed rationalis Deus etiam ante principium, et quia ipse quoque sermo ratione consistens, priorem eam, ut substantiam suam, ostendat. Tamen et sic, nihil interest. Nam et si Deus nondum sermonem suum miserat, proinde eum cum ipsa et in ipsa ratione intra semetipsum habebat, tacite cogitando, et disponendo secum, quæ per sermonem mox erat dicturus. Cum ratione enim sua cogitans, atque disponens, sermonem eam efficiebat, quam sermone tractabat* (*Tertullian. lib. adv. Prax., cap.* 5). Hæc autem, etsi paulo longiora, idcirco integra retulimus, quia omnia singulari attentione et examine digna sunt.

Primo itaque declarat Deum ante principium, id est, ab omni æternitate, ac poinde antequam mundus crearetur, fuisse et solum et non solum. Ante mundi quippe creationem solus erat, *ipse sibi mundus, locus et omnia*; quia nihil præter se extrinsecus habebat. Tum tamen non erat solus, quia suam habebat rationem. Ante principium enimvero, seu a tota æternitate rationalis fuit; quandoquidem Deus esse non potest, nisi sit sensu et ratione præditus.

Secundo, divinam illam æternamque Dei rationem *græci*, inquit, λόγον *dicunt*, haud dubie quia Joannes Evangelii sui initio scripsit: Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος (*Joann.*, I, 1). Nam ipse Tertullianus hæc latine ita citavit: *In principio erat sermo....., et sermo apud Deum, et Deus erat sermo* (*Tertullian. adv. Herm.*,

Digitized by Google

Arbitratur et deos humana cernere et curare (*Laert., lib.* III, *in Vit Platon.*, § 78). Nec alii plures citandi, quando quidem hoc et ipsemet Plato sæpius asseruit (*Plat. Phæd*, *tom.* I, *pag.* 62, *post. med.*). Alicubi enim ait Deum nostri curam gerere, non secus ac rei suæ et possessionis : Τὸ θεὸν τε εἶναι τὸν ἐπιμελούμενον ἡμῶν, καὶ ἡμᾶς ἐκείνου κτήματα εἶναι. (*Idem, lib.* X *de Leg.*, *pag.* 285). Alibi vero haud dubitanter asseverat primam insaniam esse deos negare, secundam autem asserere eos curam non habere hominum : Τὸ δεύτερον δ' ὅτας οὐ φροντίζειν ἀνθρώπων. (*Ibid.*, *pag.* 899 *et seq.*). Sed hoc ille postea fusius prosequitur, et insanum illum errorem profligat et evertit (*Dissertat. in Lactant.*, *cap.* 14, *art.* 1). At absurdissimus ille error est Epicuri sectatorumque ejus, sicut a nobis demonstratum est.

Quamobrem Auctor noster paulo post adjecit Platonicorum de sede Dei opinionem fuisse, illum residere *intra mundum*, *qui*, *gubernatoris exemplo*, *intra illud maneat quod regat* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 47, *et lib.* II *ad Nation.*, *cap* 2). Et sane Plato decrevit probatque mirabili quadam mente et sapientia, quæ Deus ipse est, hunc mundum certo constitutoque ordine constanter gubernari (*Plat. Plat.*, *tom.* II, *pag.* 28 *et seqq.*). Alio autem in libro scriptum ab eo legimus, Deum, universi gubernatorem, post mundum resque omnes creatas, dimisisse illius regendi habenas, et in suam rediisse quasi speculam (*Idem*, *Polit.*, *pag.* 272 *et seqq.*). Postea vero, ne mundus, variis tempestatibus et malis quassatus, penitus dissolveretur, resumpsit ejus gubernaculum, illique sollicite insidens, ejusdem mundi partes ornavit, et moderatur.

At Stoici contra hanc Platonicorum opinionem prædicabant, uti ait Tertullianus, Deum esse *positum extra mundum*, *qui figuli modo extrinsecus torqueat molem hanc* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 47, *et lib.* II *ad Nation.*, *cap.* 2). Sed non minimus dubitandi locus est utrum hæc ipsa fuerit Stoicorum sententia. Nam Zenon illorum antesignanus, ejusque sociæ, uti ex Laertio et Plutarcho discere est, arbitrabantur Deum esse mentem, quæ omnia pertingat ac penetret (*Laert.*, *lib.* VII, *in Vit. Zenon.*, § 138 *et* 147; *Plutarch. lib.* I *de Placit. philosoph.*, *cap.* 7, *pag.* 882). Nos etiam alibi observavimus hanc revera fuisse illorum opinionem. Qua ergo ratione Auctor noster tam asseveranter affirmare potuit Stoicos docuisse Deum positum esse instar figuli extra fabricatam a se totam mundi molem (*Tom.* I, *Apparat.*, *pag.* 780; *Lips. lib.* I *Psycholog. stoic.*, *dissertat.* 31, *pag.* 565, *tom.* IV)?

Difficultatis hujus nodum secat potius, quam solvit Lipsius. Haud dubitanter etenim Tertullianum ibi arguit erroris, quo Stoicis illud tribuit, quod ab iis nec dictum, nec cogitatum quidem fuerat. Itane vero erravit Tertullianus? Numquid ignorabat, aut ex mente illius exciderat, quod Stoici de mente divina, mundum universum pervadente, tradiderant? Minime quidem. Nam alio in libro hæc scriptis mandavit : A *Stoici volunt Deum sic per materiam decurrisse, quomodo mel per favos* (*Tertullian. lib. adv. Hermogen*, *cap.* 44). Contradictionis itaque potius, quam oblivionis aut ignorantiæ insimulari debuit. Sed majores procul dubio erant Stoicorum, quam Tertulliani, repugnantiæ, quas Plutarchus integris in libris patefecit, nosque alicubi notavimus (*Dissertat. in Lactant.*, *cap.* 21, *art.* 2). Nonne ergo illorum potius, quam hujus repugnantiis id adscribi poterat?

Quid vero, si Seneca, et ipse stoicus, hanc contradictionem tollendi nobis rationem suggerit? De Deo siquidem hunc ille disserit in modum : *Quid est Deus? Mens Universi. Quid est Deus? Quod vides totum, et quod non vides totum. Sic demum magnitudo sua illi redditur, qua nihil majus excogitari potest, si* B *solus est. Omnia opus suum et intra et extra tenet* (*Senec.*, *præfat. lib.* I *natural. Quæst.*, *pag.* 795). Nonne enim his verbis significat Deum et intra et extra mundum esse; quia omni opere suo major est? At si illa fuit stoicorum opinio, duæ fuerunt ejusdem opinionis partes. Quid ergo, si Tertullianus unius tantum partis meminerit, ut Stoicos Platonicis opponeret?

Objici tamen potest hanc eamdem opinionem ab ipso Seneca tribui Epicureis, quos idcirco acriter corripit et exagitat : *Tu, Epicure*, inquiebat, *Deum inermem facis.... projecisti eum extra metum* (alii legi volunt, *extra metam*). *Hunc igitur septum ingenti quodam et inexplicabili muro, divisumque de contractu et conspectu mortalium, non habes quare verearis. Nulla illi nec* C *tribuendi, nec nocendi materia est. In medio intervallo hujus est alterius cœli desertus, sine animali, sine homine, sine re, ruinas mundorum, supra se circaque se cadentium evitat, non exaudiens vota, nec nostri curiosus* (*Idem, lib.* IV *de Benefic.*, *cap.* 19, *pag.* 79). In quadam quoque epistola eumdem illorum errorem sic reprobat ac proscribit : *Non de ea philosophia loquor, quæ civem extra patriam posuit, extra mundum deos, quæ virtutem voluptati dedit* (*Idem* I. *Epistol.* 79, *pag.* 71), philosophia videlicet epicurea. Non Stoicorum ergo, sed Epicureorum hanc falsam opinionem fuisse testificatur.

Nonne autem ex hoc, inquiet aliquis, Senecæ testimonio concludi potest, emendandum esse Tertulliani textum, atque in eo scribendum *epicurei*, pro D *stoici?* Recte quidem, si illud ratione aliqua satis utique valida probetur. At certe non una fuit stoicorum de Deo sententia, sed maxima, uti diximus, opinionum varietas. Si qui autem ex illis, uti præfatus Seneca, Deum aliquo modo extra mundi fines positum somniaverunt, illud Tertulliano satis fuisse quis unquam inficiabitur? Potuit enim Epicureis, quos ethnici aspernabantur, omissis, Stoicorum facere mentionem. Verumtamen, quæcumque genuina sit Tertulliani lectio, idem erit argumentationis ejus pondus ac robur. Nam ex ea, et his omnibus quæ hactenus disputata sunt, cuivis liquido patebit, quam merito jure ille asseveret tam difficile fuisse philosophis omnibus naturam, qualitatem et sedem Dei desi-

Digitized by Google

gnare, quam id vel infimæ sortis christiano promptum facileque fuit.

Verum illud adhuc auctoritate confirmatur Platonis, illorum omnium facile principis, qui, sicut ipse Tertullianus memorat nosque haud semel animadvertimus, palam professus est, *factitatorem universitatis neque inveniri facilem, et inventum enarrari in omnes difficilem* (*Tertullian. Apologet., cap. 46, Plat. Tim. pag.* 28). Quamobrem sectatores ejus, uti alio in libro ait Auctor noster, illum, *quem non penitus admiserunt, neque nosse potuerunt, neque timere, nec inde sapere, exorbitantes scilicet ab initio sapientiæ, id est, metu in Deum* (*Tom.* I *Apparat., pag.* 948; *Dissertat. in Minut. Octav., cap.* 4, *art.* 2). Quilibet vero christianus illum invenit, et *quod in Deo quæritur, re quoque adsignat* (*Tertullian., lib.* II *ad Nation., cap.* 2)? ipsum videlicet esse unum, omnipotentem, infinitum, mundi creatorem, et quo nihil majus meliusque excogitari potest. Quapropter eum timet, et longe magis sapit, quam hi cæteris philosophis sapientiores.

Denique non minimam adhuc ea Tertulliani verba habent difficultatem, quibus aliud philosophorum de Deo mundi creatore dissidium notavit: *Totum*, inquit, *hoc mundi corpus, sive innatum et infectum secundum Pythagoram, sive natum et factum secundum Platonem* (*Tertullian. Apologet., cap.* 11, *p.* 332). Quam enim certum est hanc de mundo creato fuisse, ut alibi ostendimus, Platonis opinionem, tam falsum videtur Pythagoram docuisse illum innatum et infectum fuisse. Nam ibidem observavimus a Lactantio affirmate pronuntiari omnes ad Epicurum philosophos, ac nominatim Pythagoricos, constanter adseruisse mundum esse factum et creatum (*Dissertat. in Lactant., cap.* 21, *art.* 2). Quin etiam Plutarchus disertissime declarat eamdem fuisse Pythagoræ atque Platonis ea de re sententiam. En græca ejus verba: Πυθαγόρας καὶ Πλάτων γενητὸν ὑπὸ Θεοῦ τὸν κόσμον. *Pythagoras et Plato mundum a Deo factum arbitrati sunt* (*Plutarc., lib.* II *de Placi. philosop., cap.* 4, *pag.* 886). Quid ergo? Erravitne adhuc Tertullianus, ac nomen Pythagoræ pro alio ibi ipse, vel librarius scripsisse dicendus est? Numquid potius, quia celebris hic philosophus ab eodem Plutarcho, Laertio, Theodoreto, et aliis docuisse perhibetur unitatem esse rerum omnium principium, atque ex numeris omnia fieri, inde Auctor noster confici posse putavit mundum, sicut unitatem et numeros, nec ortum fuisse nec factum (*Idem ibid., lib.* II, *cap.* 3. *Laert. lib.* VIII, § 25; *Theodoret. serm.* 2 *de principio*, *pag.* 489)? Sed si ita res se habeat, citati à nobis auctores erroris procul dubio convincentur. Numquid igitur probabilius dici potest Pythagoram errantium more in eadem non permansisse sententia? Hæc velim expendas, et pronunties.

Multo itaque verius certiusque illud est, quod Auctor noster tradidit, mundum ex nihilo à Deo creatum, *verbo quo jussit; ratione qua disposuit, virtute qua potuit* (*Tertullian. Apologet., cap.* 17, A *et cap.* 21). Quod quidem ab eo repetitum, et a Minutio Felice, ut alibi animadvertimus, transcriptum est (*Dissertat. in Minut. Octav., cap.* 2, *art.* 5). Sed quod de hoc Dei verbo Tertullianus docet, jam, si placet, diligenter expendamus.

CAPUT VIII.

De Christi divinitate.

ARTICULUS PRIMUS.

De variis Filii Dei nominibus, ac quam luculenter Tertullianus doceat veri summique Dei attributa illi convenire, eumque unum et æternum cum Patre suo esse Deum.

Quid sit Verbum, Ratio, Sermo, et Filius Dei, ut Tertullianus omnibus patefaciat, duobus modis et Deum, B et Verbum Dei Filium considerari posse docet. Ambo enim spectari possunt antequam ipse Deus mundum vel creaturam ullam condiderit, vel quando mundus ab eo creatus est. De utroque autem ante creationem mundi hoc tanquam certissimum constituit: *Ante omnia Deus erat solus, ipse sibi mundus, et locus, et omnia. Solus autem, quia nihil aliud extrinsecus præter illum. Cæterum ne tunc quidem solus; habebat enim secum, quam habebat in semetipso, rationem suam scilicet. Rationalis, et ratio in ipso prius, et ita ab ipso omnia. Quæ ratio sensus ipsius est. Hanc Græci* λόγον *dicunt, quo vocabulo etiam sermonem appellamus. Ideoque jam in usu est nostrorum per simplicitatem interpretationis sermonem dicere in primordio apud Deum fuisse, cum* C *magis rationem competat antiquiorem haberi; quia non sermonalis a principio, sed rationalis Deus etiam ante principium, et quia ipse quoque sermo ratione consistens, priorem eam, ut substantiam suam, ostendat. Tamen et sic, nihil interest. Nam et si Deus nondum sermonem suum miserat, proinde eum cum ipsa et in ipsa ratione intra semetipsum habebat, tacite cogitando, et disponendo secum, quæ per sermonem mox erat dicturus. Cum ratione enim sua cogitans, atque disponens, sermonem eam efficiebat, quam sermone tractabat* (*Tertullian. lib. adv. Prax., cap.* 5). Hæc autem, etsi paulo longiora, idcirco integra retulimus, quia omnia singulari attentione et examine digna sunt.

Primo itaque declarat Deum ante principium, id D est, ab omni æternitate, ac poinde antequam mundus crearetur, fuisse et solum et non solum. Ante mundi quippe creationem solus erat, *ipse sibi mundus, locus et omnia*; quia nihil præter se extrinsecus habebat. Tum tamen non erat solus, quia suam habebat rationem. Ante principium enimvero, seu a tota æternitate rationalis fuit; quandoquidem Deus esse non potest, nisi sit sensu et ratione præditus.

Secundo, divinam illam æternamque Dei rationem *græci*, inquit, λόγον *dicunt*, haud dubie quia Joannes Evangelii sui initio scripsit: Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος (*Joann.*, I, 1). Nam ipse Tertullianus hæc latine ita citavit: *In principio erat sermo...., et sermo apud Deum, et Deus erat sermo* (*Tertullian. adv. Herm.*,

Digitized by Google

Arbitratur et deos humana cernere et curare (*Laert., lib.* III, *in Vit Platon.*, § 78). Nec alii plures citandi, quando quidem hoc et ipsemet Plato sæpius asseruit (*Plat. Phæd*, *tom.* I, *pag.* 62, *post. med.*). Alicubi enim sit Deum nostri curam gerere, non secus ac rei suæ et possessionis : Τὸ θεὸν τε εἶναι τὸν ἐπιμελούμενον ἡμῶν, καὶ ἡμᾶς ἐκείνου κτήματα εἶναι. (*Idem, lib.* X *de Leg.*, *pag.* 285). Alibi vero haud dubitanter asseverat primam insaniam esse deos negare, secundam autem asserere eos curam non habere hominum : Τὸ δεύτερον ὅταν οὐ φροντίζειν ἀνθρώπων. (*Ibid.*, *pag.* 899 *et seq.*). Sed hoc ille postea fusius prosequitur, et insanum illum errorem profligat et evertit (*Dissertat. in Lactant.*, *cap.* 14, *art.* 1). At absurdissimus ille error est Epicuri sectatorumque ejus, sicut a nobis demonstratum est.

Quamobrem Auctor noster paulo post adjecit Platonicorum de sede Dei opinionem fuisse, illum residere *intra mundum*, *qui*, *gubernatoris exemplo*, *intra illud maneat quod regat* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 47, *et lib.* II *ad Nation.*, *cap* 2). Et sane Plato decrevit probatque mirabili quadam mente et sapientia, quæ Deus ipse est, hunc mundum certo constitutoque ordine constanter gubernari (*Plat. Phil.*, *tom.* II, *pag.* 28 *et seqq.*). Alio autem in libro scriptum ab eo legimus, Deum, universi gubernatorem, post mundum resque omnes creatas, dimisisse illius regendi habenas, et in suam rediisse quasi speculam (*Idem*, *Polit.*, *pag.* 272 *et seqq.*). Postea vero, ne mundus, variis tempestatibus et malis quassatus, penitus dissolveretur, resumpsit ejus gubernaculum, illique sollicite insidens, ejusdem mundi partes ornavit, et moderatur.

At Stoici contra hanc Platonicorum opinionem prædicabant, uti ait Tertullianus, Deum esse *positum extra mundum*, *qui figuli modo extrinsecus torqueat molem hanc* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 47, *et lib.* II *ad Nation.*, *cap.* 2). Sed non minimus dubitandi locus est utrum hæc ipsa fuerit Stoicorum sententia. Nam Zenon illorum antesignanus, ejusque asseclæ, uti ex Laertio et Plutarcho discere est, arbitrabantur Deum esse mentem, quæ omnia pertingat ac penetret (*Laert.*, *lib.* VII, *in Vit. Zenon.*, § 138 *et* 147; *Plutarch. lib.* I *de Placit. philosoph.*, *cap.* 7, *pag.* 882). Nos etiam alibi observavimus hanc revera fuisse illorum opinionem. Qua ergo ratione Auctor noster tam asseveranter affirmare potuit Stoicos docuisse Deum positum esse instar figuli extra fabricatam a se totam mundi molem (*Tom.* I, *Apparat.*, *pag.* 780; *Lips. lib.* I *Psycholog. stoic.*, *dissertat.* 31, *pag.* 565, *tom.* IV)?

Difficultatis hujus nodum secat potius, quam solvit Lipsius. Haud dubitanter etenim Tertullianum ibi arguit erroris, quo Stoicis illud tribuit, quod ab iis nec dictum, nec cogitatum quidem fuerat. Itane vero erravit Tertullianus? Numquid ignorabat, aut ex mente illius exciderat, quod Stoici de mente divina, mundum universum pervadente, tradiderant? Minime quidem. Nam alio in libro hæc scriptis mandavit : A *Stoici volunt Deum sic per materiam decurrisse, quomodo mel per favos* (*Tertullian. lib. adv. Hermogen*, *cap.* 44). Contradictionis itaque potius, quam oblivionis aut ignorantiæ insimulari debuit. Sed majores procul dubio erant Stoicorum, quam Tertulliani, repugnantiæ, quas Plutarchus integris in libris patefecit, nosque alicubi notavimus (*Dissertat. in Lactant.*, *cap.* 21, *art.* 2). Nonne ergo illorum potius, quam hujus repugnantiis id adscribi poterat?

Quid vero, si Seneca, et ipse stoicus, hanc contradictionem tollendi nobis rationem suggerit? De Deo siquidem hunc ille disserit in modum : *Quid est Deus? Mens Universi. Quid est Deus? Quod vides totum, et quod non vides totum. Sic demum magnitudo sua illi redditur, qua nihil majus excogitari potest, si* B *solus est. Omnia opus suum et intra et extra tenet* (*Senec.*, *præfat. lib.* I *natural. Quæst.*, *pag.* 795). Nonne enim his verbis significat Deum et intra et extra mundum esse; quia omni opere suo major est? At si illa fuit stoicorum opinio, duæ fuerunt ejusdem opinionis partes. Quid ergo, si Tertullianus unius tantum partis meminerit, ut Stoicos Platonicis opponeret?

Objici tamen potest hanc eamdem opinionem ab ipso Seneca tribui Epicureis, quos idcirco acriter corripit et exagitat : *Tu, Epicure*, inquiebat, *Deum inermem facis.... projecisti eum extra metum* (alii legi volunt, *extra metam*). *Hunc igitur septum ingenti quodam et inexplicabili muro, divisumque de contractu et conspectu mortalium, non habes quare verearis. Nulla illi nec* C *tribuendi, nec nocendi materia est. In medio intervallo hujus est alterius cœli desertus, sine animali, sine homine, sine re, ruinas mundorum, supra se circaque se cadentium evitat, non exaudiens vota, nec nostri curiosus* (*Idem, lib.* IV *de Benefic.*, *cap.* 19, *pag.* 79). In quadam quoque epistola eumdem illorum errorem sic reprobat ac proscribit : *Non de ea philosophia loquor, quæ civem extra patriam posuit, extra mundum deos, quæ virtutem voluptati dedit* (*Idem* I. *Epistol.* 79, *pag.* 71), philosophia videlicet epicurea. Non Stoicorum ergo, sed Epicureorum hanc falsam opinionem fuisse testificatur.

Nonne autem ex hoc, inquiet aliquis, Senecæ testimonio concludi potest, emendandum esse Tertulliani textum, atque in eo scribendum *epicurei*, pro D *stoici*? Recte quidem, si illud ratione aliqua satis utique valida probetur. At certe non una fuit stoicorum de Deo sententia, sed maxima, uti diximus, opinionum varietas. Si qui autem ex illis, uti præfatus Seneca, Deum aliquo modo extra mundi fines positum somniaverunt, illud Tertulliano satis fuisse quis unquam inficiabitur? Potuit enim Epicureis, quos ethnici aspernabantur, omissis, Stoicorum facere mentionem. Verumtamen, quæcumque genuina sit Tertulliani lectio, idem erit argumentationis ejus pondus ac robur. Nam ex ea, et his omnibus quæ hactenus disputata sunt, cuivis liquido patebit, quam merito jure ille asseveret tam difficile fuisse philosophis omnibus naturam, qualitatem et sedem Dei desi-

Digitized by Google

gnare, quam id vel infimæ sortis christiano promptum facileque fuit.

Verum illud adhuc auctoritate confirmatur Platonis, illorum omnium facile principis, qui, sicut ipse Tertullianus memorat nosque haud semel animadvertimus, palam professus est, *factitatorem universitatis neque inveniri facilem, et inventum enarrari in omnes difficilem* (*Tertullian. Apologet., cap. 46, Plat. Tim. pag.* 28). Quamobrem sectatores ejus, uti alio in libro ait Auctor noster, illum, *quem non penitus admiserunt, neque nosse potuerunt, neque timere, nec inde sapere, exorbitantes scilicet ab initio sapientiæ, id est, metu in Deum* (*Tom.* I *Apparat., pag.* 948; *Dissertat. in Minut. Octav., cap.* 4, *art.* 2). Quilibet vero christianus illum invenit, et *quod in Deo quæritur, re quoque adsignat* (*Tertullian., lib.* II *ad Nation., cap.* 2)? ipsum videlicet esse unum, omnipotentem, infinitum, mundi creatorem, et quo nihil majus meliusque excogitari potest. Quapropter eum timet, et longe magis sapit, quam hi cæteris philosophis sapientiores.

Denique non minimam adhuc ea Tertulliani verba habent difficultatem, quibus aliud philosophorum de Deo mundi creatore dissidium notavit: *Totum*, inquit, *hoc mundi corpus, sive innatum et infectum secundum Pythagoram, sive natum et factum secundum Platonem* (*Tertullian. Apologet., cap.* 11, *p.* 332). Quam enim certum est hanc de mundo creato fuisse, ut alibi ostendimus, Platonis opinionem, tam falsum videtur Pythagoram docuisse illum innatum et infectum fuisse. Nam ibidem observavimus a Lactantio affirmate pronuntiari omnes ad Epicurum philosophos, ac nominatim Pythagoricos, constanter adseruisse mundum esse factum et creatum (*Dissertat. in Lactant., cap.* 21, *art.* 2). Quin etiam Plutarchus disertissime declarat eamdem fuisse Pythagoræ atque Platonis ea de re sententiam. En græca ejus verba: Πυθαγόρας καὶ Πλάτων γενητὸν ὑπὸ θεοῦ τὸν κόσμον. *Pythagoras et Plato mundum a Deo factum arbitrati sunt* (*Plutarc., lib.* II *de Placi. philosop., cap.* 4, *pag.* 886). Quid ergo? Erravitne adhuc Tertullianus, ac nomen Pythagoræ pro alio ibi ipse, vel librarius scripsisse dicendus est? Numquid potius, quia celebris hic philosophus ab eodem Plutarcho, Laertio, Theodoreto, et aliis docuisse perhibetur unitatem esse rerum omnium principium, atque ex numeris omnia fieri, inde Auctor noster confici posse putavit mundum, sicut unitatem et numeros, nec ortum fuisse nec factum (*Idem ibid., lib.* II, *cap.* 3. *Laert. lib.* VIII, § 25; *Theodoret. serm.* 2 *de principio*, *pag.* 489)? Sed si ira res se habeat, citati à nobis auctores erroris procul dubio convincentur. Numquid igitur probabilius dici potest Pythagoram errantium more in eadem non permansisse sententia? Hæc velim expendas, et pronunties.

Multo itaque verius certiusque illud est, quod Auctor noster tradidit, mundum ex nihilo à Deo creatum, *verbo quo jussit; ratione qua disposuit, virtute qua potuit* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 17, *et cap.* 21). Quod quidem ab eo repetitum, et a Minutio Felice, ut alibi animadvertimus, transcriptum est (*Dissertat. in Minut. Octav., cap.* 2, *art.* 5). Sed quod de hoc Dei verbo Tertullianus docet, jam, si placet, diligenter expendamus.

CAPUT VIII.

De Christi divinitate.

ARTICULUS PRIMUS.

De variis Filii Dei nominibus, ac quam luculenter Tertullianus doceat veri summique Dei attributa illi convenire, eumque unum et æternum cum Patre suo esse Deum.

Quid sit Verbum, Ratio, Sermo, et Filius Dei, ut Tertullianus omnibus patefaciat, duobus modis et Deum, et Verbum Dei Filium considerari posse docet. Ambo enim spectari possunt antequam ipse Deus mundum vel creaturam ullam condiderit, vel quando mundus ab eo creatus est. De utroque autem ante creationem mundi hoc tanquam certissimum constituit: *Ante omnia Deus erat solus, ipse sibi mundus, et locus, et omnia. Solus autem, quia nihil aliud extrinsecus præter illum. Cæterum ne tunc quidem solus; habebat enim secum, quam habebat in semetipso, rationem suam scilicet. Rationalis, et ratio in ipso prius, et ita ab ipso omnia. Quæ ratio sensus ipsius est. Hanc Græci* λόγον *dicunt, quo vocabulo etiam sermonem appellamus. Ideoque jam in usu est nostrorum per simplicitatem interpretationis sermonem dicere in primordio apud Deum fuisse, cum magis rationem competat antiquiorem haberi; quia non sermonalis a principio, sed rationalis Deus etiam ante principium, et quia ipse quoque sermo ratione consistens, priorem eam, ut substantiam suam, ostendat. Tamen et sic, nihil interest. Nam et si Deus nondum sermonem suum miserat, proinde eum cum ipsa et in ipsa ratione intra semetipsum habebat, tacite cogitando, et disponendo secum, quæ per sermonem mox erat dicturus. Cum ratione enim sua cogitans, atque disponens, sermonem eam efficiebat, quam sermone tractabat* (*Tertullian. lib. adv. Prax., cap.* 5). Hæc autem, etsi paulo longiora, idcirco integra retulimus, quia omnia singulari attentione et examine digna sunt.

Primo itaque declarat Deum ante principium, id est, ab omni æternitate, ac poinde antequam mundus crearetur, fuisse et solum et non solum. Ante mundi quippe creationem solus erat, *ipse sibi mundus, locus et omnia*; quia nihil præter se extrinsecus habebat. Tum tamen non erat solus, quia suam habebat rationem. Ante principium enimvero, seu a tota æternitate rationalis fuit; quandoquidem Deus esse non potest, nisi sit sensu et ratione præditus.

Secundo, divinam illam æternamque Dei rationem *græci*, inquit, λόγον *dicunt*, haud dubie quia Joannes Evangelii sui initio scripsit: Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος (*Joann.*, I, 1). Nam ipse Tertullianus hæc latine ita citavit: *In principio erat sermo....., et sermo apud Deum, et Deus erat sermo* (*Tertullian. adv. Herm.*,

Digitized by Google

his compellat verbis : *Discerne substantias, et suos eis distribue sensus, tam diversos, quam substantiæ exigunt, licet vocabulis communicare videantur* (*Idem, lib. II advers. Marcion., cap.* 16) .... *Quanta erit diversitas divini corporis et humani sub iisdem nominibus membrorum, tanta erit et animi divini et humani differentia sub iisdem licet nominibus membrorum, quos tam corruptorios efficit in homine corruptibilitas substantiæ humanæ, quam incorruptorios in Deo efficit incorruptibilitas substantiæ divinæ.*

Petavius itaque inde colligit Tertullianum existimavisse tam in Deo, quam in homine esse corpus, quemadmodum passiones sive sensus, motus et affectus, sed eo discrimine, quod in homine *corruptorii*, in Deo autem *incorruptorii* sint. Nihil ergo repugnat, inquit ille, quominus stante Tertulliani opinione, Deus habeat corpus, quod non *passibile* quidem, sed *incorruptorium* esse putaverit. At expendas, velim, utrum Petavius perspectum omnino habuerit quo sensu Tertullianus acceperit illud *passibilis* nomen, quod a Deo excludit. Non enim aliud eo significare videtur, nisi quod aliquid imperfecti et commutabilis secum importat. Nonne ergo Augustinus recte dixit Tertullianum aut secum pugnare, aut mutasse sententiam, cum asseruit Deum esse corpus, et omne corpus esse *passibile*? Nam Deus perfectissimus, ac simplicitate omnique perfectionum genere cumulatissimus est. Nihil igitur prorsus imperfecti habere potest. Ergo summa perfectio Dei et corpus secum pugnant, et in Deo esse non possunt.

Cæterum, quamvis Petavius probavisset Tertullianum non incidisse in vitium aliquod contradictionis; fatetur tamen vir ille eruditissimus majoris illud esse momenti, quod Augustinus alio in libro ad excusandum Tertullianum hæc in verba retulit : (*August., lib. de Hæresib., cap.* 86, *pag.* 25) : Tertullianus *posset quoquo modo putari ipsam naturam substantiamque divinam corpus, cujus partes, aliæ majores, aliæ minores valeant vel debeant cogitari, qualia sunt omnia, quæ proprie dicimus corpora... sed potuit, ut dixi, propterea putari corpus Deum dicere; quia non est nihil, non est inanitas, non est corporis vel animæ qualitas, sed ubique totus, et per locorum spatia nulla partitus, in sua tamen natura atque substantia immutabiliter permanet.*

Mirum tamen nonnullis, quibus satis nota non sit Augustini modestia, fortasse videbitur, cur ille penitus affirmare non audeat hanc ipsam revera, sed *quoquo modo* posse putari Tertulliani fuisse sententiam. Jam enim ostendimus eum haud obscure declaravisse corporis nomine a se intelligi substantiam, quæ quovis modo existit, et nihilo opponitur. Præterea animadvertimus substantiam ab eo dividi in corpoream et incorpoream, id est, omnis omnino corporis expertem, et quæ sit mere spiritalis. Atqui, si vel unam hujusmodi unquam esse arbitratus est, persuasum utique habuit Deum esse spiritum, et cæteris sane omnibus longe præstantiorem. Et certe summæ illius perfectiones, atque infinita rerum omnium cognitio et scientia, a Tertulliano, sicuti paulo supra observavimus, tam luculenter vindicatæ, nihil omnino corporei habere possunt. Nullum siquidem corpus, quantumvis tenue; nulla materia, quolibet motu agitata; nullæ atomi, quovis concursu inter se cohærentes, possunt rei alicujus, multo minus rerum omnium efficere cognitionem. Non potuit ergo Tertullianus Deo corpus, vel corporei aliquid tribuere, nisi hoc nomine, sicut vidimus, substantiam *sui generis*, id est, divini et spiritalis intellexerit. Sed his lucem adhuc ea afferent, quæ capite sequente de Christi divinitate, ac postea de angelis ac dæmonibus, atque anima humana, dicentur.

ARTICULUS IV.

Quot qualesve fuerint gentilium philosophorum de Deo dissensiones, Thaletis, seu Simonidis, qui de illo interrogatus, nihil respondere potuit; Platonicorum, qui omnia; Epicureorum, qui nihil curantem; Platonicorum, qui eum intra mundum; Stoicorum, qui extra positum; Platonis, qui mundi creatorem; Pythagoræ, qui mundum increatum esse docuerunt; et utrum Tertullianus recte illorum opiniones explicaverit.

Quanquam philosophi gentiles vel ratione naturali, vel ex sacris, ut ait Tertullianus, Scripturis agnoverint, vel agnoscere haud difficiliter potuerint unum duntaxat esse Deum (*Tertullian. Apologet. cap.* 47); inter se tamen, vel inanis gloriæ vitio, vel disputandi libidine, de ipsa Dei natura, qualitate ac sede nunquam non digladiabantur : *Quid enim Thales, ille princeps physicorum*, auctoris nostri verba sunt, *sciscitanti Crœso de Divinitate certum renuntiavit?* Nihil plane, sed *commeatus deliberandi sæpe frustratus est* (*Ibid., cap.* 46; *et lib.* II. *ad Nation. cap.* 2,). At Cicero, et qui eum, ut alibi vidimus, sequitur, Minutius Felix, hoc Simonidi et Hieroni tyranno adscripserunt (*Dissertat. in Minut., cap.* 3, *art.* 2). Neque respondeas subesse in Tertulliani textu mendum aliquod. Nam Thales ab eo appellatur *physicorum princeps* (*Ibid., cap.* 4, *art.* 1, *tom.* I; *Apparat. pag.* 1119 *et seq.*), id est, eorum primus, qui de rebus physicis, ut etiam ostendimus, instituerunt disputationes. Utrum autem verior sit Tertulliani, quam Ciceronis et Minutii opinio, ut percipiatur, inquirenda est Thaletis, Simonidis, et Crœsi ætas. At juxta Eusebianum Chronicum, anno 1266 *Thales Milesius physicus philosophus agnoscitur*. Ad annum autem 1465, *ea quæ de Crœso memorantur, quomodo tentaret oracula, his fuere temporibus*. Et duos post annos, *Thales moritur*. Duo itaque, ut notat Scaliger, Thaletes memorantur, quorum prior physicus philosophus Lycurgi et Orphei ætate, posterior post ducentos pene annos Crœsi tempore floruisse perhibentur (*Scalig. not. in Chron. Euseb., pag.* 74). Atqui Tertullianus de Thalete physicorum principe loquitur, qui duobus sæculis Crœso antiquior cum eo vivere, ac proinde illi respondere, non potuerat.

Simonides autem in eodem Eusebiano Chronico vixisse traditur anno 1531. Ibi enim legimus : *Pin-*

Digitized by Google

darus et Simonides lyrici poetæ insignes habentur. Postea vero ad annum 1542, *Hieron.*, cujus Minutius Felix meminit, *post Gelonem Syracusis tyrannidem exercebat.* Quantum ergo prior Thales a Crœso distat ætate, tantum Simonides eidem Hieroni proximus esse dicitur. Huic igitur Simonidi magis, quam Thaleti physicorum principi, conveniunt citatæ de Divinitate interrogatio et responsio. Ad hæc vero Minutii opinio eo adhuc videtur probabilior, quod Ciceronis auctoritate stabiliatur.

Neque dixeris plurimos in Eusebiano Chronico esse in assignanda illustrium virorum ætate errores; nam quicunque illi sint, nemo sane negabit Thaletis physici Crœsique tempora magis a se invicem sejungi, quam ut simul vixisse dicantur. Nec est quod urgeas memorantem responsionem Thaleti philosopho et physicorum principi recte congruere, minime vero Simonidi, qui poeticæ, ut alibi vidimus, operam dabat (*Dissertat. in Minuc. Octav., cap.* 3, *art.* 2; *et tom.* I. *Apparat. pag.* 1284). Nam poetæ apud ethnicos in theologorum habebantur numero.

Denique Minutius, Ciceronis testimonio fretus, potuit Tertulliani, tametsi plura, sicut observavimus, ex ejus libris excerpserit, hanc corrigere de primo Thalete et Crœso opinionem. Et certe quomodo hic Thales de Divinitate interrogatus nihil respondere ausus fuisset, qui, sicut alibi post eumdem Ciceronem annotavimus, tam certo quam falso docuit aquam esse rerum omnium initium, ac Deum mentem esse, quæ ex aqua omnia formavit (*Cicer., lib.* I *de Natur. deor., pag.* 199; *Dissertat. in Minut. cap.* 4, *art.* 1; *et in Lactant. cap.* 12, *art.* 1). Nemo autem nobis probavit illum de hac sententia, aut aliquando dubitasse, aut eam unquam mutasse. Si quis porro illud de Deo responsum Thaleti secundo tribuendum esse probaverit, delenda esse ostendet ex Tertulliani textu hæc verba: *Physicorum princeps.* Cæterum, cujuscumque philosophi fuerit illa responsio, quis eam ab illo adsertam esse in dubium vocabit? Palam igitur confessus est ignotam sibi fuisse Divinitatem.

In secundo autem ad Nationes libro Tertullianus Thaleti præmisit Diogenem, qui *consultus quid in cœlis agatur* (ipsamet sunt illius verba): *Nunquam*, inquit, *in cœlum adscendi* (*Tertull. lib.* II *ad Nat. cap.* 2). Item, *an dii essent: Nescio*, respondit, *nisi ut sint expedire*, hoc est, Nescio, sed cunctis utile est et expedit deos esse. Non multum quidem a priore responso illud abest, quod a Diogene cynico homini de cœlestibus disserenti datum Laertius sic retulit: Ποστάϊος πάρει ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ, *Quandonam de cœlo venisti* (*Laert. l.* VI. *de Vit. Diog.*, § 39)? At vide, quæso, utrum a secunda longius absit hæc ejusdem Diogenis sciscitanti Lysiæ pharmacopolæ, an deos esse crederet, responsio: Πῶς οὐ νομίζω, ὅπου καὶ σε θεοῖς ἐχθρὸν ὑπολαμβάνω, *Quomodo non credo, qui te diis inimicum puto* (*Ibid.*, § 42)? Nos tamen Laertius ibidem admonet hanc sententiam tribui Theodoro, qui haud dubie atheus, ut a nobis haud semel observatum, cognominatus est. Si ea tamen quæ Tertullianus noster Diogeni adscribit, ab alio ejusdem nominis, sed atheo, scripta fuisse contendas, habemus quidem Ælianum, qui, ut quidam aiunt, flagitiosorum horumce hominum gregi adnumeravit Diogenem phrygem (*Ælian. lib.* II *var. Hist.*, § 31). Verum, præterquam quod in nostra librorum Æliani editione legitur Dionysius Phryx, nullus nobis indicavit ubi Diogenes iste, sive Dionysius, citata ab auctore nostro verba pronuntiaverit.

Aliorum vero philosophorum maxima fuit de Deo opinionum varietas et dissensio: *Alii enim*, inquit Tertullianus, nimirum Platonici, *incorporalem* Deum *asseverant* (*Apologet., cap.* 47, *pag.* 515). Visne aliquem tibi testem proferri? En adest Cicero, qui Velleium sic de Platone loquentem induxit: *Quod vero sine corpore ullo Deum vult esse, ut Græci dicunt* ἀσώματον, *id quale esse possit, intelligi non potest* (*Cicer. l.* I *de Natur. deor., pag.* 200, *l.* XIII). Eadem de hoc philosophorum principe narrat Laertius: *Opinatur*, inquit, *animam, sicut Deum, esse incorporalem* ἀσώματον εἶναι (*Laert. lib.* III, *in Vita Platon.*, § 77). Laertio autem Plutarchus, Eusebius, Apuleius, et alii suffragantur (*Plutarch., lib.* I *de Placit. philosoph., cap.* 7, *pag.* 881; *Euseb. orat. Constant., pag.* 200; *Platon tom.* III, *pag.* 27-28, *et alibi Apulei. de Deo.*

Quantumlibet autem vera sit hæc opinio, ab aliis tamen gentilibus philosophis rejecta est. Nam Velleius apud Ciceronem, uti mox dicebamus, contendebat intelligi non posse quid qualeve sit quod incorporeum vocatur (*Socrat., Cicer., loc. cit.*). Neque alii etiam philosophi explicare potuerunt quæ sit vera rei incorporeæ idea et notio.

Stoici vero, pergit Auctor noster, Deum corporalem esse prædicarunt (*Tertullian. Apologet., cap.* 515, *tom.* I *Apparat., lib.* III, *dissert.* 1, *cap.* 11, *art.* 2; *Dissertat. in Minut., cap.* 4, *art.* 10). De hac autem Stoicorum opinione, quæ suis, propter illorum repugnantias, difficultatibus non caret, nos alibi disputavimus. Plures autem citavimus, qui illos in hunc errorem revera lapsos fuisse testificantur.

Prosequitur Tertullianus: *Alii*, nimirum Epicurus ejusque sectatores, *ex atomis, alii ex numeris*, quemadmodum Pythagoras, *alii ex igne*, sicut Heraclitus, Deum constare garriebant (*Tertullian., loc. cit., tom.* I, *Apparat., pag.* 455; *Dissertat. in Minut. loc. cit. Dissertat. in Lactant., cap.* 12, *art.* 1). Hi autem omnes opinabantur ea esse prima rerum omnium principia, nec alios esse deos, ut alibi nec semel quidem animadvertimus.

Neque minus manifeste probavimus varias, et sibi invicem oppositas fuisse philosophorum de divina, sicut ait Tertullianus, providentia opiniones: *Platonici* enim, inquit ille, *curantem rerum; contra Epicurei otiosum et inexercitum, et ut ita dixerim, neminem humanis rebus esse prædicabant* (*Tertullian. Apologet., cap.* 47, *et lib.* II *ad Nation., cap.* 2). De Platone si plura velis, adi Laertium, et dicentem audies: οἴεται καὶ θεοὺς ἱδρῦσθαι τὰ ἀνθρώπινα.

Digitized by Google

Arbitratur et deos humana cernere et curare (*Laert., lib.* III, *in Vit Platon.*, § 78). Nec alii plures citandi, quandoquidem hoc et ipsemet Plato sæpius asseruit (*Plat. Phæd*, *tom.* I, *pag.* 62, *post. med.*). Alicubi enim ait Deum nostri curam gerere, non secus ac rei suæ et possessionis : Τὸ θεὸν τε εἶναι τὸν ἐπιμελούμενον ἡμῶν, καὶ ἡμᾶς ἐκείνου κτήματα εἶναι. (*Idem, lib.* X *de Leg.*, *pag.* 285). Alibi vero haud dubitanter asseverat primam insaniam esse deos negare, secundam autem asserere eos curam non habere hominum : Τὸ δεύτερον ὄντας οὐ φροντίζειν ἀνθρώπων. (*Ibid.*, *pag.* 899 *et seq.*). Sed hoc ille postea fusius prosequitur, et insanum illum errorem profligat et evertit (*Dissertat. in Lactant.*, *cap.* 14, *art.* 1). At absurdissimus ille error est Epicuri sectatorumque ejus, sicut a nobis demonstratum est.

Quamobrem Auctor noster paulo post adjecit Platonicorum de sede Dei opinionem fuisse, illum residere *intra mundum, qui, gubernatoris exemplo, intra illud maneat quod regat* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 47, *et lib.* II *ad Nation.*, *cap* 2). Et sane Plato deceruit probatque mirabili quadam mente et sapientia, quæ Deus ipse est, hunc mundum certo constitutoque ordine constanter gubernari (*Plat. Phil.*, *tom.* II, *pag.* 28 *et seqq.*). Alio autem in libro scriptum ab eo legimus, Deum, universi gubernatorem, post mundum resque omnes creatas, dimisisse illius regendi habenas, et in suam rediisse quasi speculam (*Idem, Polit.*, *pag.* 272 *et seqq.*). Postea vero, ne mundus, variis tempestatibus et malis quassatus, penitus dissolveretur, resumpsit ejus gubernaculum, illique sollicite insidens, ejusdem mundi partes ornavit, et moderatur.

At Stoici contra hanc Platonicorum opinionem prædicabant, uti ait Tertullianus, Deum esse *positum extra mundum, qui figuli modo extrinsecus torqueat molem hanc* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 47, *et lib.* II *ad Nation.*, *cap.* 2). Sed non minimus dubitandi locus est utrum hæc ipsa fuerit Stoicorum sententia. Nam Zenon illorum antesignanus, ejusque asseclæ, uti ex Laertio et Plutarcho discere est, arbitrabantur Deum esse mentem, quæ omnia pertingat ac penetret (*Laert.*, *lib.* VII, *in Vit. Zenon.*, § 138 *et* 147; *Plutarch. lib.* I *de Placit. philosoph.*, *cap.* 7, *pag.* 882). Nos etiam alibi observavimus hanc revera fuisse illorum opinionem. Qua ergo ratione Auctor noster tam asseveranter affirmare potuit Stoicos docuisse Deum positum esse instar figuli extra fabricatam a se totam mundi molem (*Tom.* I, *Apparat.*, *pag.* 780; *Lips. lib.* I *Psycholog. stoic.*, *dissertat.* 31, *pag.* 565, *tom.* IV)?

Difficultatis hujus nodum secat potius, quam solvit Lipsius. Haud dubitanter etenim Tertullianum ibi arguit erroris, quo Stoicis illud tribuit, quod ab iis nec dictum, nec cogitatum quidem fuerat. Itane vero erravit Tertullianus? Numquid ignorabat, aut ex mente illius exciderat, quod Stoici de mente divina, mundum universum pervadente, tradiderant? Minime quidem. Nam alio in libro hæc scriptis mandavit : A *Stoici volunt Deum sic per materiam decurrisse, quomodo mel per favos* (*Tertullian. lib. adv. Hermogen*, *cap.* 44). Contradictionis itaque potius, quam oblivionis aut ignorantiæ insimulari debuit. Sed majores procul dubio erant Stoicorum, quam Tertulliani, repugnantiæ, quas Plutarchus integris in libris patefecit, nosque alicubi notavimus (*Dissertat. in Lactant.*, *cap.* 21, *art.* 2). Nonne ergo illorum potius, quam hujus repugnantiis id adscribi poterat?

Quid vero, si Seneca, et ipse stoicus, hanc contradictionem tollendi nobis rationem suggerit? De Deo siquidem hunc ille disserit in modum : *Quid est Deus? Mens Universi. Quid est Deus? Quod vides totum, et quod non vides totum. Sic demum magnitudo sua illi redditur, qua nihil majus excogitari potest, si* B *solus est. Omnia opus suum et intra et extra tenet* (*Senec.*, *præfat. lib.* I *natural. Quæst.*, *pag.* 795). Nonne enim his verbis significat Deum et intra et extra mundum esse; quia omni opere suo major est? At si illa fuit stoicorum opinio, duæ fuerunt ejusdem opinionis partes. Quid ergo, si Tertullianus unius tantum partis meminerit, ut Stoicos Platonicis opponeret?

Objici tamen potest hanc eamdem opinionem ab ipso Seneca tribui Epicureis, quos idcirco acriter corripit et exagitat : *Tu, Epicure*, inquiebat, *Deum inermem facis.... projecisti eum extra metum* (alii legi volunt, *extra metum*). *Hunc igitur septum ingenti quodam et inexplicabili muro, divisumque de contractu et conspectu mortalium, non habes quare verearis. Nulla illi nec* C *tribuendi, nec nocendi materia est. In medio intervallo hujus est alterius cæli desertus, sine animali, sine homine, sine re, ruinas mundorum, supra se circaque se cadentium evitat, non exaudiens vota, nec nostri curiosus* (*Idem, lib.* IV *de Benefic.*, *cap.* 19, *pag.* 79). In quadam quoque epistola eumdem illorum errorem sic reprobat ac proscribit : *Non de ea philosophia loquor, quæ civem extra patriam posuit, extra mundum deos, quæ virtutem voluptati dedit* (*Idem* I. *Epistol.* 79, *pag.* 71), philosophia videlicet epicurea. Non Stoicorum ergo, sed Epicureorum hanc falsam opinionem fuisse testificatur.

Nonne autem ex hoc, inquiet aliquis, Senecæ testimonio concludi potest, emendandum esse Tertulliani textum, atque in eo scribendum *epicurei*, pro D *stoici*? Recte quidem, si illud ratione aliqua satis quique valida probetur. At certe non una fuit stoicorum de Deo sententia, sed maxima, uti diximus, opinionum varietas. Si qui autem ex illis, uti præfatus Seneca, Deum aliquo modo extra mundi fines positum somniaverunt, illud Tertulliano satis fuisse quis unquam inficiabitur? Potuit enim Epicureis, quos ethnici aspernabantur, omissis, Stoicorum facere mentionem. Verumtamen, quæcumque genuina sit Tertulliani lectio, idem erit argumentationis ejus pondus ac robur. Nam ex ea, et his omnibus quæ hactenus disputata sunt, cuivis liquido patebit, quam merito jure ille asseveret tam difficile fuisse philosophis omnibus naturam, qualitatem et sedem Dei desi-

Digitized by Google

gnare, quam id vel infimæ sortis christiano promptum facileque fuit.

Verum illud adhuc auctoritate confirmatur Platonis, illorum omnium facile principis, qui, sicut ipse Tertullianus memorat nosque haud semel animadvertimus, palam professus est, *factitatorem universitatis neque inveniri facilem, et inventum enarrari in omnes difficilem* (*Tertullian. Apologet., cap. 46, Plat. Tim. pag.* 28). Quamobrem sectatores ejus, uti alio in libro ait Auctor noster, illum, *quem non penitus admiserunt, neque nosse potuerunt, neque timere, nec inde sapere, exorbitantes scilicet ab initio sapientiæ, id est, metu in Deum* (*Tom.* I *Apparat., pag.* 948; *Dissertat. in Minut. Octav., cap.* 4, *art.* 2). Quilibet vero christianus illum invenit, et *quod in Deo quæritur, re quoque adsignat* (*Tertullian., lib.* II *ad Nation., cap.* 2)? ipsum videlicet esse unum, omnipotentem, infinitum, mundi creatorem, et quo nihil majus meliusque excogitari potest. Quapropter eum timet, et longe magis sapit, quam hi cæteris philosophis sapientiores.

Denique non minimam adhuc ea Tertulliani verba habent difficultatem, quibus aliud philosophorum de Deo mundi creatore dissidium notavit: *Totum*, inquit, *hoc mundi corpus, sive innatum et infectum secundum Pythagoram, sive natum et factum secundum Platonem* (*Tertullian. Apologet., cap.* 11, *p.* 332). Quam enim certum est hanc de mundo creato fuisse, ut alibi ostendimus, Platonis opinionem, iam falsum videtur Pythagoram docuisse illum innatum et infectum fuisse. Nam ibidem observavimus a Lactantio affirmate pronuntiari omnes ad Epicurum philosophos, ac nominatim Pythagoricos, constanter adseruisse mundum esse factum et creatum (*Dissertat. in Lactant., cap.* 21, *art.* 2). Quin etiam Plutarchus disertissime declarat eamdem fuisse Pythagoræ atque Platonis ea de re sententiam. En græca ejus verba: Πυθαγόρας καὶ Πλάτων γενητὸν ὑπὸ θεοῦ τὸν κόσμον. *Pythagoras et Plato mundum a Deo factum arbitrati sunt* (*Plutarc., lib.* II *de Placi. philosop., cap.* 4, *pag.* 886). Quid ergo? Erravitne adhuc Tertullianus, ac nomen Pythagoræ pro alio ibi ipse, vel librarius scripsisse dicendus est? Numquid potius, quia celebris hic philosophus ab eodem Plutarcho, Laertio, Theodoreto, et aliis docuisse perhibetur unitatem esse rerum omnium principium, atque ex numeris omnia fieri, inde Auctor noster confici posse putavit mundum, sicut unitatem et numeros, nec ortum fuisse nec factum (*Idem ibid., lib.* II, *cap.* 3. *Laert. lib.* VIII, § 25; *Theodoret. serm.* 2 *de principio, pag.* 489)? Sed si ira res se habeat, citati à nobis auctores erroris procul dubio convincentur. Numquid igitur probabilius dici potest Pythagoram errantium more in eadem non permansisse sententia? Hæc velim expendas, et pronunties.

Multo itaque verius certiusque illud est, quod Auctor noster tradidit, mundum ex nihilo à Deo creatum, *verbo quo jussit; ratione qua disposuit, virtute qua potuit* (*Tertullian. Apologet., cap.* 17, et *cap.* 21). Quod quidem ab eo repetitum, et a Minutio Felice, ut alibi animadvertimus, transcriptum est (*Dissertat. in Minut. Octav., cap.* 2, *art.* 5). Sed quod de hoc Dei verbo Tertullianus docet, jam, si placet, diligenter expendamus.

CAPUT VIII.

De Christi divinitate.

ARTICULUS PRIMUS.

De variis Filii Dei nominibus, ac quam luculenter Tertullianus doceat veri summique Dei attributa illi convenire, eumque unum et æternum cum Patre suo esse Deum.

Quid sit Verbum, Ratio, Sermo, et Filius Dei, ut Tertullianus omnibus patefaciat, duobus modis et Deum, et Verbum Dei Filium considerari posse docet. Ambo enim spectari possunt antequam ipse Deus mundum vel creaturam ullam condiderit, vel quando mundus ab eo creatus est. De utroque autem ante creationem mundi hoc tanquam certissimum constituit: *Ante omnia Deus erat solus, ipse sibi mundus, et locus, et omnia. Solus autem, quia nihil aliud extrinsecus præter illum. Cæterum ne tunc quidem solus; habebat enim secum, quam habebat in semetipso, rationem suam scilicet. Rationalis, et ratio in ipso prius, et ita ab ipso omnia. Quæ ratio sensus ipsius est. Hanc Græci* λόγον *dicunt, quo vocabulo etiam sermonem appellamus. Ideoque jam in usu est nostrorum per simplicitatem interpretationis sermonem dicere in primordio apud Deum fuisse, cum magis rationem competat antiquiorem haberi; quia non sermonalis a principio, sed rationalis Deus etiam ante principium, et quia ipse quoque sermo ratione consistens, priorem eam, ut substantiam suam, ostendat. Tamen et sic, nihil interest. Nam et si Deus nondum sermonem suum miserat, proinde eum cum ipsa et in ipsa ratione intra semetipsum habebat, tacite cogitando, et disponendo secum, quæ per sermonem mox erat dicturus. Cum ratione enim sua cogitans, atque disponens, sermonem eam efficiebat, quam sermone tractabat* (*Tertullian. lib. adv. Prax., cap.* 5). Hæc autem, etsi paulo longiora, idcirco integra retulimus, quia omnia singulari attentione et examine digna sunt.

Primo itaque declarat Deum ante principium, id est, ab omni æternitate, ac poinde antequam mundus crearetur, fuisse et solum et non solum. Ante mundi quippe creationem solus erat, *ipse sibi mundus, locus et omnia*; quia nihil præter se extrinsecus habebat. Tum tamen non erat solus, quia suam habebat rationem. Ante principium enimvero, seu a tota æternitate rationalis fuit; quandoquidem Deus esse non potest, nisi sit sensu et ratione præditus.

Secundo, divinam illam æternamque Dei rationem *græci*, inquit, λόγον *dicunt*, haud dubie quia Joannes Evangelii sui initio scripsit: Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος (*Joann.*, I, 1). Nam ipse Tertullianus hæc latine ita citavit: *In principio erat sermo...., et sermo apud Deum, et Deus erat sermo* (*Tertullian. adv. Herm.*,

Digitized by Google

cap. 20). Ejus autem tempore mos invaluerat, ut Filius Dei à Latinis diceretur sermo, cum melius græcum illud nomen λόγος ab illis ratio dici debuisset. Qua quidem de interpretatione egimus, ubi ostendimus transcriptum fuisse à Lactantio hunc Tertulliani locum (*Dissertat. in Lactant., cap.* 16, *art.* 2).

Tertio, nos ille monitos facit cur græcum nomen λόγος latine *ratio* potius, quam *sermo* verti debeat. Deus, inquit, ante principium *rationalis* fuit, nondum tamen *sermonalis*, quia habebat intra se rationem, sed nondum sermonem extra se ipsum emiserat. At quoniam ab æterno sicut rationem, ita et sermonem intra se habuit, licentiam Tertullianus unicuique dedit utroque rationis et sermonis nomine pro libito utendi. Ab illo autem Filius Dei non tantum sermo, ratio et verbum, sed sophia etiam seu sapientia vocatur (*Tertullian. lib. de carne Christi, cap.* 18; *lib. adv. Hermog., cap.* 18).

Præterea ille in suo Apologetico, ac postea Lactantius, ut suo loco vidimus, certiores nos fecerunt hunc λόγον a Zenone ethnico philosopho agnitum, quem *universitatis* factitatorem esse prædicabat (*Idem, Apologet., cap.* 21; *Dissertat. in Lactant., cap.* 16, *art.* 1). Addit Auctor noster: *Cleanthes in spiritum congerit, quem permeatorem universitatis adfirmat* (*Tertullian. loc. cit.; tom.* I *Apparat., pag.* 782; *Dissertat. in Minuc. Oct., cap.* 4, *art.* 1, *et Dissertat. in Lactant., cap.* 12, *art.* 1). At hic Cleanthes Zenonis discipulus fuit, quemadmodum alibi annotavimus, ubi etiam exposuimus quæ illius fuerit de Deo sententia, ex qua id, quod narrat Tertullianus, desumptum videtur.

Jam vero ex his, quæ ille de Dei Verbo, sermone et ratione dixit, ita explicatis, colligi utique potest persuasum omnino ipsi fuisse illud interius Dei Verbum tam æternum esse, quam ipsummet ejus Patrem, qui illum ab æterno quidem, sed intra semetipsum duntaxat, protulit. De hac autem Verbi divini æternitate infra fusius agendum (*Inf. art.* 8 *et seqq.*). Prius enim vera ac sincera Auctoris nostri de suprema illius divinitate sententia accuratissime a nobis enucleanda exponendaque est.

Primum itaque docet huic divino Verbo et Dei Filio omnia Patris sui æterni nomina et attributa convenire: *Nomina*, inquit, *Patris: Deus omnipotens, altissimus, Dominus virtutum, rex Israelis, Qui est; quatenus ita Scripturæ docent, hæc dicimus et in Filium competisse, et in his Filium venisse, et in his semper egisse, et sic ea in se hominibus manifestasse. Omnia, inquit, Patris mea sunt. Cur non et nomina? Cum ergo legis Deum omnipotentem, et altissimum, et Deum virtutum, et Regem Israelis, et Qui est, vide ne per hæc Filius etiam demonstretur, suo jure omnipotens, qua sermo Dei omnipotentis, quàque omnium accepit potestatem: Altissimus, qua dextera Dei exaltatus, sicut Petrus in Actis concionatur: Dominus virtutum, quia omnia subjecta sunt illi a Patre: Rex Israelis, quia illi proprie excidit sors gentis istius. Item, Qui est, quoniam multi dicuntur Filii, qui non sunt* (*Tertullian. lib. adv. Praxe., cap.* 17).

At quibus, obsecro te, verbis clarius declarari et asseri potest suprema Christi Filii Dei divinitas? Quis ea omnia veri summique Dei, attributa possidere potest, nisi summus et unus cum æterno Patre Deus? Quid vero, quod Tertullianus hæc omnia et singula Sermoni Filioque Dei convenire, non solum adfirmat, sed probat etiam, variisque rationibus confirmare nititur? Persuasum ergo habuit Filium Dei unum eumdemque cum suo Patre esse Deum.

Neque insurgat nescio quis aut arianus aut socinianus, et nobis objiciat ab eo non recte probari quomodo divina illa attributa Filio Dei conveniant. Nunc enim non inquirimus quam valida, quod probatu tamen facillimum est, ac firma sint ejus argumenta, sed quæ, sit ejus sententia, quam probare voluit. Atqui ex ipsius verbis evidentissime conficitur illum, aliosque omnes orthodoxos ejus ætatis christianos, pro certo penitus habuisse Verbum et Filium Dei verum esse Deum, eosque, sicuti Praxeam, contra quem ibi ille disputat, et alios omnino errasse, qui secus sentiebant.

Quapropter alibi hunc Dei sermonem et Filium Patri suo parem et æqualem, alibi ipso non minorem esse disertissime profitetur: Nam *eum* Patrem, inquit, *parem sibi faciens, de quo procedendo Filius factus est* (*Ibid., cap.* 7). Postea vero: Idem Dei Filius, *Unum sumus, dicens, ego et Pater, ostendit duos esse, quos æquat et jungit* (*Ibid., cap.* 22). Rursus autem alio in libro: *Et Sermo*, inquit, *Deus, qui in effigie Dei constitutus, non rapinam existimavit pariari Deo* (*Idem lib. de Resurr. carn., cap.* 6). Audivisti sane quam perspicue Filium Dei Patri suo parem æqualemque adserat; jam audi quomodo illum non minorem esse prædicet: *Omnia sibi tradita dicit a Patre. Credas, si creatoris est Christus, cujus omnia, quia non minori se tradidit omnia Filio creator, quæ per eum condidit, per sermonem suum scilicet* (*Idem, lib. advers. Marcion, cap.* 25). Atqui si non minor, sed par et æqualis Patri suo sit Dei Filius, verus procul dubio est cum eo Deus. Et enim ab eodem Tertulliano, sicut mox vidimus, altissimus et omnipotens dicitur. At nec duo altissimi et omnipotentes, sicut nec duo dii esse possunt. Nam alibi, uti animadvertimus, dixerat Deum ideo esse unum, quia est summus, atque idcirco, *Deus*, inquit, *si non unus est, non est* (*cap. super., art.* 1).

Plura autem si quis desideret, is ipsum, de quo agimus, Apologeticum ejus librum adeat, ubi ille, post brevem christianæ de Filio Dei, Christo Domino, doctrinæ expositionem, ethnicos hæc alloquitur in verba: *Quærite ergo, si vera est ista divinitas Christi: si ea est, qua cognita, ad bonum ouis reformatur; sequitur ut falsa sit quævis alia comperta, in primis ea, quæ* (manuscripti nostri codices et editi addunt *omni ratione*, quæ Rigaltius sustulit) *delitescens sub nominibus et imaginibus mortuorum, quibusdam signis, et miraculis et oraculis fidem divinitatis operatur* (*Idem,*

Digitized by Google

Apologet., cap. 21). Quo autem modo vera et suprema Christi divinitas potuit unquam magis aperte et asseveranter asseri ac prædicari? Tertullianus quippe palam asseverat eam tam esse veram, quam falsa est quælibet alia divinitas a gentilibus agnita et introducta. Imo vero clamat ita veram esse Christi divinitatem ut inde sequatur falsam esse aliorum omnium, atque etiam dæmonum divinitatem, qui sub mortuorum nominibus et imaginibus delitescentes, signis, miraculis, oraculis fidem divinitatis operabantur, id est, omnibus persuadere conabantur hæc signa, miracula, et oracula fieri divina sua potestate, ac veros se esse deos. Quis ergo non videat hac utriusque veræ et fictitiæ divinitatis oppositione veram ac summam a Tertulliano declarari Christi divinitatem?

Neque satis adhuc esse putavit hoc ibi dixisse, sed paulo post eosdem ethnicos his adhuc compellat verbis: Dicere non potestis Christum esse *communis conditionis* hominem (*Ibid., cap.* 23). Venturus siquidem est in fine mundi, *ut Dei virtus, et Dei spiritus, et sermo, et sapientia, et ratio, et Dei Filius.* Palam igitur, atque in ore et oculis infensissimorum Christiani nominis hostium audacter pronuntiat et contestatur Christum esse æterni Patris sui Sermonem, Sapientiam et Rationem, qua ab æterno Filius ejus est. Quapropter diserte adfirmat in Christo duas esse Dei et hominis naturas, illumque tam verum esse Deum, quam verum hominem.

ARTICULUS II.

Quam diserte Tertullianus asseverat unam et eamdem esse Patris æterni ejusque Filii substantiam ac naturam, licet distincta sit utriusque persona.

Quam diserte ac constanter Tertullianus docuit, Filium Dei unum et eumdem esse cum Patre suo Deum; ita sane unam et eamdem utriusque substantiam ac naturam, sed distinctas personas esse asseruit. Non semel quippe id dixit, sed sæpius, ac præsertim in suo Apologetico, ubi de Verbi sive Filii Dei generatione sic disputat: *Hunc*, inquit, λόγον *ex Deo prolatum didicimus, et prolatione generatum, et idcirco Filium Dei, et Deum dictum ex unitate substantiæ. Nam et Deus spiritus: et cum radius ex sole porrigitur, portio ex summa; sed sol erit in radio, quia solis est radius, nec separatur substantia, sed extenditur: ita et de Spiritu Spiritus, et de Deo Deus, ut lumen de lumine accensum. Manet integra et indefecta materiæ matrix, etsi plures inde traduces qualitatum mutueris: ita quod de Deo profectum est, Deus est, et Dei Filius, et unus ambo: ita de spiritu spiritus, et de Deo Deus modulo alternum numerum gradu, non statu fecit, et a matrice excessit, non recessit* (*Ibid, cap.* 21). Ita sane ibi gentilibus simpliciter ac sincere declarat quid Christiani de divini Verbi, ac proinde Filii Dei natura ac generatione sentirent. Quam sincera autem sit hæc explicatio, inde liquet, quod si celare aut dissimulare aliquid potuisset, illud certe non erat dicturus in libro publico, quem ethnicis omnibus, ac Romani etiam imperii antistitibus offerebat

A At quo magis vera certaque est ista expositio, eo magis studiose a nobis examinari debet.

Dicit itaque primo: *Hunc ex Deo prolatum didicimus.* Sed unde, quæso, ille aliique christiani id didicerant? Non aliunde profecto, nisi ex sacris Scripturis, ac certa constantique ab Apostolis ad suum usque tempus traditione. Plura autem alibi citat hanc in rem ejusdem sacræ Scripturæ loca, atque in primis in libro adversus Praxeam, hæreseos patripassianorum fautorem. At ibi quoque præclare docet hanc esse fidei nostræ regulam quæ ab Evangelii initio decucurrit, et quibuslibet hæreticis est antiquior: *Constat autem id,* inquit, *verum esse quodcunque primum, id esse falsum quodcunque posterius* (*Tertull. lib. adv. Praxe., cap.* 2). Perperam, igitur quidam insulsissimi homines venditarunt illud de λόγου B et Filio Dei dogma Apostolis primisque eorum discipulis fuisse incognitum, ac secundo duntaxat Ecclesiæ sæculo haustum ex philosophorum opinionibus, et a Christianis receptum. Si quæ enim, in præcipuo fidei christianæ capite facta fuisset immutatio, hæc omnium ac præcipue Tertulliani animum percellere debebat. Non mediocriter enim eruditus ille vir sub secundi sæculi et tertii initium floruit, nec proinde potuit ignorare quam certo hæc communis omnium doctrina ab Apostolis ad suum usque tempus transmissa sit.

Secundo, ille docet Verbum divinum esse *de Spiritu Spiritum;* quia Dei est Verbum, Ratio, et Sermo (*Idem, Apologet. cap.* 21). Nam sicut alibi ait: *Spiritum intelligimus in nomine sermonis: ita et sermonem* C *quoque agnoscimus in nomine spiritus. Nam et spiritus substantia est sermonis, et sermo operatio spiritus, et duo unum sunt* (*Idem, lib. adv. Praxe., cap.* 26). Existimavit itaque Sermonem, seu Verbum, et Filium Dei esse spiritum, remque plane spiritualem, à quacumque materia, et omni re corporea discretam. Quæ quidem illius sententia inde confirmatur, quod ipse ibidem pronuntiat illum esse *spiritum de spiritu,* id est, spiritu ac cogitatione æterni Patris sui prolatum ac genitum (*Idem, Apologet., cap.* 21). Divinæ siquidem cogitationis prolatio non solum nihil corporei admittit, sed unus cum suo Patre, à quo profertur, Deus est. At quid opus est id à nobis probari, quod ab illo disertissime hisque ipsismet ver- D bis asseritur: *Quod de Deo profectum est, Deus est, et Dei Filius, et unus ambo, et de Deo Deus* (*Ibidem*).

Tertio, Tertullianus affirmat illum cum Deo Patre unum esse Deum *ex unitate substantiæ*, ac proinde unam et eamdem esse utriusque substantiam (*Ibid.*). A Patre enim suo *non separatur*, inquit, *substantia, sed extenditur;* quoniam *hunc ex Deo*, uti adhuc illo loquitur, *prolatum didicimus, et prolatione generatum* (*Ibid.*). Quia vero ab illo ita prodiit, et genitus est; idcirco, quemadmodum a Patre suo non separatur substantia, sic ab illo persona distinguitur. Non enim eadem esse potest Patris et Filii Dei persona. At eadem tamen est utriusque substantia; quandoquidem unus est cum Patre Deus *ex unitate substantiæ*, a qua

Digitized by Google

non separatur, sed extenditur (*Ibid.*). Ex hac enim substantia, tamquam *matrice non recessit, sed excessit*; atque ita quidem ambo unus idemque Deus sunt.

Neque ibi tantum, sed in suo adhuc adversus Praxeam libro, illud his confirmat verbis: *Rationem reddidimus, qua Dii non duo dicantur, nec Domini, sed qua Pater et Filius duo; et hoc non ex separatione substantiæ, sed ex dispositione, cum individuum et inseparatum Filium a Patre pronuntiamus, nec statu, sed gradu alium, qui, etsi Deus dicatur, quando nominatur singularis, non ideo duos Deos faciat, sed unum, hoc ipso, quod et Deus ex unitate Patris vocari habeat* (*Tertull., lib. adv. Praxe. cap.* 19). Vides sane quam diserte ibi ille, sicut alibi, asseveret Filium Dei *alium* esse a Patre suo *non statu, sed gradu*, id est, non natura, sed persona, quæ ordine secunda distinguitur, atque hac distinctione esse quidem duos, sive duas personas, a se invicem distinctas, sed duos Deos dici non posse; quia eadem est utriusque substantia, et idcirco ambo unus Deus (*Ibid. cap.* 2).

Neque dixeris ibi taceri personæ nomen. Nam illud hac Patris et Filii distinctione satis subintelligitur. Quia enim unam dixit esse utriusque naturam, sola duntaxat persona distingui et duo esse possunt. Deinde nomen personæ, hoc ipso quo nunc utimur significatu, in eodem adversus Praxeam libro sumitur, sicut ex locis infra citandis evidentissime patebit.

At, non solum adversus Praxeam, sed etiam adversus Valentinum alium hæreticum hanc de distincta Filii Patrisque persona, sed una utriusque substantia doctrinam tutatur ac propugnat. Duo enimvero erant Valentini errores, quos ille his descripsit verbis: *Valentinus probolas suas*, id est, divinas prolationes, *discernit et separat, et ita longe ponit, ut Æon Patrem nesciat* (*Ibid. cap.* 8). Secundum autem hunc errorem, de Æone Patrem nesciente, refellit Joannis Evangelistæ auctorite: *Apud nos*, inquit, *solus Filius Patrem novit, et sinum Patris ipse exposuit*. Tum deinde primum Valentini de separatis divinis prolationibus errorem, his, quæ ad propositum nostrum magis faciunt, verbis evertit: *Sermo et in Patre semper, sicut dixit: Ego in Patre; et apud Deum semper, sicut scriptum est: Et Sermo erat apud Deum. Et nunquam separatus a Patre, aut alius a Patre, quia Ego et Pater unum sumus.* Inde vero concludit hunc sermonem Filiumque Dei a Patre suo esse distinctum, quia ab eo prodivit ac prolatus est; sed ab eo non separari, quandoquidem una utriusque est natura. Quin etiam paulo post adjecit: *Non diversitate alium esse Filium a Patre, sed distributione; nec divisione alium, sed distinctione; quia non sit idem Pater et Filius, vel modulo alius ab alio* (*Ibid.*). At nunc animadvertas velim Filium Dei ab eo dici alium a Patre, et non alium, videlicet alium a Patre persona, et substantia non alium, quia hæc substantia in utroque plane eadem est.

Cum igitur Filius a Patre suo sit distinctus, quia duæ sunt in una eademque substantia personæ, recte quidem de eodem Filio Dei in Apologetico scripsit: *Modulo*, quemadmodum adversus Valentinum dixit, *alternum numerum, gradu, non statu, fecit.* Sed Rigaltius contra manuscriptorum nostrorum, et omnium antea editorum codicum fidem ibi priora verba sic corrigi voluit: *Modulo alterum, non numero* (*Idem, Apologet. cap.* 21). Nullam nihilominus hujusce emendationis reddidit rationem. Numquid ergo putavit, sicuti videtur, sic immutatis auctoris verbis, illius accurratius servari antitheses? Sed nefas procul dubio est veteris auctoris textum levissima conjectura immutare, multo minus præpostera immutatione sensum ejus in alium detorquere plane oppositum, et in eum, quem impugnat, errorem. Nam Tertullianus, uti affatim probatum est, apertissime docet Filium Dei *modulo* et *gradu*, sive persona alium esse a Patre suo, sed unum et eumdem substantia, et idirco duas esse personas distinctas, unum tamen Deum. Utriusque ergo personæ a se invicem distinctæ numerum *alternum* faciunt.

Præterea ille palam, quemadmodum in sequenti articulo videbimus, cum tota Ecclesia catholica declarat tres esse in sanctissima Trinitate personas. Jure igitur merito dixit Filium Dei *modulo alternum* cum Patre suo *numerum* facere. Jam enim eum dicentem audivimus: *Non est idem Pater et Filius modulo*, id est, eo prolationis modo, quo Filius a Patre prodivit (*Idem, lib. adv. Praxe., cap.* 8). Filius ergo cum Patre numerum facit *alternum*, id est, uterque Pater et Filius alternatim vicissimque duarum personarum numerum faciunt. Tertulliani autem hunc esse sensum colligi haud inepte potest his ejus in eodem libro verbis: *Pater Filium facit, et Patrem Filius. Et qui ex alterutro fiunt, a semetipsis sibi fieri nullomodo possunt, ut Pater se sibi Filium faciat, et Filius se sibi Patrem..... Habeat necesse est Pater Filium, ut Pater sit, et Filius Patrem, ut Filius sit* (*Ibid., cap.* 10). Audisne quam luculenter ille doceat Patrem et Filium sic inter se componi, ut Pater cum Filio, ac vicissim Filius cum Patre numerum alternum faciant?

Verum, quia infinitum est inter homines et Deum discrimen, hinc minime dubitanter asseverat Filium Dei alium esse a Patre *gradu* quidem, *sed non statu*, hoc est, illum sua generatione esse alium *gradu*, seu ordine secundum (*Ibid., cap.* 2), ut pote genitum a Patre, sed non *statu*, id est, non substantia ac natura, quæ una eademque in illo et Patre suo est. Sed his illius dictis novam certe lucem ea dabunt, quæ de ejusdem Filii et Spiritus Sancti divinitate ac sacro Trinitatis mysterio ille tradidit, et a nobis jam enodanda explanandaque sunt.

ARTICULUS III.

Quam diserte Tertullianus orthodoxam adhuc de Filii Dei, nec non Spiritus sancti divinitate ac sacro Trinitatis mysterio doctrinam explicet ac vindicet.

Tertullianus non iis tantum quæ retulimus, sed aliis adhuc pluribus in locis, catholicam de suprema

Digitized by Google

Filii Dei Christique Domini divinitate sententiam tam asseveranter quam perspicue tuetur ac vindicat. Sed quia in iis catholicum quoque de Spiritus Sancti divinitate ac sanctissimæ Trinitatis mysterio dogma non minus diserte asserit et prædicat, illud separatim in hoc articulo exponendum esse duximus. Primum itaque contra Praxeam patripassianum, qui eumdem Patrem et Filium Dei esse effutiebat, hæc de Trinitatis mysterio, tribus videlicet divinis personis et una eademque earum natura, firmiter credenda esse declarat: *Custodiatur*, inquit, *œconomiæ sacramentum, quæ unitatem in Trinitatem disponit, tres dirigens, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum: tres autem non statu, sed gradu; nec substantia, sed forma; nec potestate, sed specie; unius autem substantiæ, et unius status, et unius potestatis; quia unus Deus, ex quo et gradus isti, et formæ, et species in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti deputantur* (*Tertull., lib. adv. Praxe., cap.* 2). Nemo est autem qui non intelligat, nomine *status*, sicut in superiore articulo monuimus, idem significari ac substantiam et naturam Dei; gradus autem, formæ et speciei nominibus, divinas personas, atque eorum ordinem, et existendi modum. Manifeste igitur docet tres esse sanctissimæ Trinitatis personas, quæ *numerum sine divisione patiuntur*, sed unam eamdemque esse earum substantiam.

Postea vero hanc catholicæ Ecclesiæ doctrinam, atque, ut ipse ait, regulam fusius huncque in modum exponit ac confirmat: *Trinitas per consertos et connexos gradus a Patre decurrens, et monarchiæ nihil obstrepit, et œconomiæ statum protegit. Hanc me regulam professum, quia inseparatos ab alterutro Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum testor, tene ubique, et ita et quomodo dicatur agnosces. Ecce enim dico alium esse Patrem, et alium Filium, et alium Spiritum sanctum. Male accipit idiotes quisque aut perversus hoc dictum, quasi diversitatem sonet, et ex diversitate separationem protendat Patris, et Filii, et Spiritus. Necessitate autem hoc dico, cum eumdem Patrem, et Filium, et Spiritum contendunt adversus œconomiam monarchiæ adulantes, non tantum diversitate alium Filium a Patre, nec divisione alium, sed distinctione; quia non sit idem Pater et Filius, vel modulo alius ab alio* (*Ibid., cap.* 9). Numquid clarius meliusve explicari potest vera et catholica de sacro Trinitatis mysterio doctrina? Palam enim et contra hæreticorum errores Auctor noster profitetur Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum tres esse personas, a se invicem distinctas, sed sine diversitate, divisione, et separatione, quia una est illarum substantia. At hanc esse asseverat orthodoxæ fidei regulam, quæ in sacris Scripturis tradita, atque a majoribus accepta, ab omnibus tenenda est.

Quapropter id non semel bisque dixisse contentus, postea adhuc repetit, et corroborat: *Nos*, inquit, *qui et tempora et caussas Scripturarum per Dei gratiam inspicimus, maxime Paracleti, non hominum discipuli, duos quidem definimus Patrem, et Filium, et jam tres cum Spiritu sancto secundum rationem œconomiæ, quæ facit numerum, ne ut vestra perversitas infert, Pater ipse credatur natus et passus, quod non licet credi, quoniam non ita traditum est* (*Ibid., cap.* 13). Cum autem ille hæc scriberet, jam defecerat ab Ecclesia catholica ad Montanistarum errores, et absurdum falsi Paracleti commentum imbiberat. Sanam tamen et orthodoxam de Trinitatis mysterio fidem diserte asserit ac tuetur. Quis ergo negabit verum esse hoc præcipuum christianæ religionis documentum, quod ille quocumque in statu, ac per totam vitam, tam constanter propugnavit, et a solis plane errantibus impugnatum fuisse testificatur.

Prius enimvero illud ab eo scriptum legimus: *Quale est ut Deus divisionem et dispersionem pati videatur in Filio et Spiritu sancto, secundum et tertium sortitis locum, tam consortibus substantiæ Patris, quas non patitur in tot angelorum numero, et quidem tam a substantia alienis* (*Ibid. cap.* 3)? Intelligis profecto quanta perspicuitate adhuc pronuntiet, Patrem a Filio et Spiritu sancto sic persona distingui, ut Filius et Spiritus sanctus secundum et tertium locum habeant. Plane tamen prorsusque contendit et adfirmat nullam inter eos esse divisionem, aut dispersionem, sed ejusdem consortes substantiæ, quæ in eis tam una, quam in angelis, quantumlibet perfectis, divisa et separata est.

Verum nulla procul dubio explicatione illud indiget, quod ab illo non solum apertissime renuntiatur, sed ipsa etiam probatur sacræ Scripturæ auctoritate, ac his potissimum Joannis Evangelistæ verbis: *Ego et Pater unum sumus.* Postquam enim hæc citavit, sic prosequitur (*Ibid. cap.* 22): *Hic ergo jam gradum volunt figere stulti, imo cœci, qui non videant, primo,* Ego et Pater *duorum esse significationem; dehinc in novissimo,* Sumus, *non ex unius esse persona, quod pluraliter dictum est, tum quod,* unum sumus, *non, unus sumus. Si enim dixisset, Unus sumus, potuisset adjuvare sententiam illorum. Unus enim singularis numeri significatio videtur: adhuc cum duo masculini generis.* Unum *dicit neutrali verbo, quod non pertinet ad singularitatem, sed ad unitatem, ad similitudinem, ad conjunctionem, ad dilectionem Patris...* Unum sumus, *dicens,* Ego et Pater, *ostendit duos esse, quos æquat et jungit.* Postea vero hæc brevius quidem, sed non minus clare ac perspicue explicat: *Connexus Patris in Filio, et Filii in Paracleto, tres efficit cohærentes, alterum ex altero, qui tres unum sint, non unus; quomodo dictum est:* Ego et Pater unum sumus, *ad substantiæ unitatem, non ad numeri singularitatem* (*Ibid. cap.* 25).

Quamvis autem ibi nomen *personæ* non adhibeat; superiori tamen loco illum eo usum fuisse animadvertere potuisti. Sed distinctius adhuc prolatum videbis, ubi rursum variis sacræ Scripturæ testimoniis demonstrat tres in sanctissima Trinitate esse personas, unamque duntaxat naturam. Etenim id ille probat his Geneseos verbis: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Genes.*

Digitized by Google

I, 26). Et aliis : *Ecce Adam factus est tanquam unus ex nobis* (*Ibid.*, III, 22). Nam inde ille sic argumentatur : *Quia jam adhærebat illi Filius, secunda persona, Sermo ipsius, et tertia, Spiritus in Sermone, ideo pluraliter pronuntiavit :* Faciamus, *et*, nostram, *et*, nobis. Tum paulo post : *Denique sequens Scriptura distinguit inter personas* : Et fecit Deus hominem : ad imaginem *Dei* fecit illum. *Cur non suam, si unus qui faciebat, et non erat ad cujus faciebat ? Erat autem, ad cujus imaginem faciebat, ad Filii scilicet, qui homo futurus certior et verior, imaginem suam fecerat dici hominem, qui tunc de limo formari habebat, imago veri et similitudo.* Nec longe postea : *Alium*, inquit, a Patre Filium, *quomodo accipere debeas jam professus sum*, personæ, *non* substantiæ *nomine; ad distinctionem, non ad divisionem. Cæterum, etsi ubique teneo unam substantiam in tribus cohærentibus, tamen alium dicam oportet ex necessitate sensus eum qui jubet, et eum qui facit* (*Tertull., lib. adv. Praxe., cap.* 22).

Prius, vero, ubi adversus eumdem Praxeam disputando, manifeste ostendit Filium Dei, qui illius Sophia, et sermo est, alium esse a Patre suo, ibi sic arguentem Praxeam inducit : *Ergo, inquis, das aliquam substantiam esse sermonem, spiritu et sophiæ traditione constructam* (*Ibid.*, *cap.* 7) ? Cui ille uno verbo respondet : *Plane*, atque ita illud verum esse ultro confitetur. Cujus hanc continenter reddit rationem : *Non vis enim cum substantivum habere in re per substantiæ proprietatem, ut res et persona quædam videri possit, et ita capiat secundus a Deo constitutus, duos efficere, Patrem et Filium, Deum et Sermonem.*

Finem certe dicendi non faceremus, si omnia et singula illius, sacrum Trinitatis mysterium adversus Praxeam tam recte quam diserte asserentis, verba vellemus transcribere et enucleare. Quamobrem ne simus longiores, ea duntaxat adjiciemus, quibus adhuc ostendit tres unius divinitatis in sanctissima Trinitate esse personas : *Christus*, inquit, *novissime mandans, ut tinguerent in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, non in uno, nec semel, sed ter ad singula nomina personas singulas* (*Ibid. cap.* 27). Unam vero esse trium illarum personarum substantiam et divinitatem disertissime non solum in locis jam citatis, sed in alio adhuc edixit libro, quem ab eo, cum etiam hæresim Montanistarum sequeretur, compositum fuisse nullus dubitat. Ibi enim hæc ille scripsit : *Ecclesia proprie ipse est Spiritus, in quo est Trinitas, sive tres personæ unius divinitatis, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus* (*Idem, lib. de Pudicit. cap.* 21).

Porro autem ex his omnibus, quæ hactenus in hoc et superiori articulo disputata sunt, satis, uti putamus, evidenter colligitur sanam omnino planeque orthodoxam fuisse Tertulliani, sive catholici sive montanistæ, id est, per totum vitæ suæ tempus, de suprema Filii Dei Spiritusque sancti divinitate, et eadem ipsorum cum æterno Deo Patre substantia, ac distinctis tribus illorum personis sententiam. Nec minus evidenter patet ipsi persuasum omnino fuisse hoc præcipuum totius Ecclesiæ catholicæ dogma fundari sacræ Scripturæ auctoritate, illudque ab Apostolis eorumque successoribus ad suam usque ætatem certa ac perpetua traditione transmissum. Denique, ex dictis liquet hoc documentum ab eo audacter propugnari, non solum adversus hæreticos illud negantes, sed ethnicos etiam, infestissimos Christianorum hostes, qui illos hancce ob doctrinam crudelissime vexabant et interimebant. At certe hæreticos ad suas facilius partes illexisset, si fateri potuisset unam tantum, nec plures, nisi nomine tenus esse in sanctissima Trinitate personas. Sibi quoque ethnicos conciliare, eorumque adversus Christianos furorem placare poterat, si dixisset tres esse Deos, aut certe unum majorem, minoresque alios. Neque id a nobis gratis fictum putaveris, quod ipsemet Tertullianus palam aperteque profitetur : *Cæterum, si conscientia nostra*, ita ille loquitur, *qua scimus Dei nomen Domini et Patri, et Filio, et Spiritui sancto convenire, Deos et Dominos nominaremus, extinxissemus faces nostras, etiam ad martyria timidiores, quibus evadendi quoque pateret occasio, jurantibus statim per deos et dominos, ut quidam hæretici, quorum dii plures* (*Ibid. cap.* 13). Tertullianus itaque, quemadmodum alii veri christiani quælibet tormentorum genera experiri, et necari maluerunt, quam hanc traditam sibi a Christo ejusque discipulis, de ejusdem Christi divinitate et sanctissimæ Trinitatis mysterio doctrinam ullomodo infirmare aut dissimulare. Nullus ergo dubitandi locus est, quin vera sit hæc ejusdem Tertulliani et catholicæ Ecclesiæ doctrina, quæ hunc in modum a sacris scriptoribus adserta, constanterque ac perpetuo servata propugnataque fuit.

ARTICULUS IV.

Quibus rationibus Tertullianus explicare conatus sit divinam æternamque Filii Dei generationem, et cur ille, non vero Spiritus sanctus, Filius Dei dicatur.

Satis Tertulliano non fuit suam et totius catholicæ Ecclesiæ de suprema Filii Dei et Spiritus Sancti divinitate sententiam eo, quo vidimus (*Art. super.*), modo expositam tueri ac vindicare ; sed explicare etiam conatus est, cur Verbum et Ratio Dei verus ejus Filius sit et dici debeat. Palam itaque omnibus declarat Deum, eo ipso quod Deus est, semper atque ab omni æternitate fuisse rationalem (*Ibid.*). Cum ergo sine ratione esse non possit, ab eadem æternitate protulit Sermonem, qui quidem Sermo melius latine, quemadmodum annotavimus, Ratio appellari debuerat. Divinus autem ille Sermo non est quædam articulata, sicuti hominis vox, vel quidam sonus oris, aerve percussus, atque ita nescio quid vacuum et inane ; sed habet, inquit, *propriam substantiam spiritum* (*Tertull. Apologet. cap.* 21). Quia vero id ab hæretico Praxea negabatur, contra eum sic disputat, probatque hunc Dei Sermonem esse veram

Digitized by Google

substantiam : *Quid est enim, dices, sermo, nisi vox et sonus oris, et sicut grammatici tradunt, aer offensus, intelligibilis auditu, cæterum, vacuum nescio quid, et inane, et incorporale. At ego nihil dico de Deo inane et vacuum prodire potuisse, ut non de inani et vacuo prolatum, nec carere substantia, quod de tanta substantia processit, et tantas substantias fecit. Fecit enim et ipse, quæ facta sunt per illum. Quale est ut vihil sit, sine quo nihil factum est; ut inanis solida, et vacuus plena, et incorporalis corporalia sit operatus? Nam etsi potest aliquando quid fieri diversum ejus per quod fit; nihil tamen potest fieri per id, quod vacuum et inane est. Vacua et inanis res est Sermo Dei, qui Filius dictus est, qui ipse Deus cognominatus est?* ET SERMO ERAT APUD DEUM, ET DEUS ERAT SERMO (*Idem lib. adv. Prax. cap.* 7)? Ea ergo argumentatione ostendit Verbum, sive Sermonem ac Rationem Dei, non esse aliquid inane et vacuum, sed veram substantiam.

Atqui ideo hic sermo divinus vera est substantia, qui a Deo prolatus est. Nam eum, inquit ille, *prolatione generatum, et idcirco Filium Dei* dicimus. Prolatus autem a divino Patre suo, ex ipsius intellectu tanquam *ex matrice*, prodiit, atque ideo generatus, et verus Dei Filius est. Etenim hac ipsa generatione non solum similis Patri, sed eadem quoque est utriusque substantia. Non enim ille, inquit, Filius Dei *a* Patris *matrice recessit, sed excessit.* Quoniam vero *non recessit*, eamdem ac ille habet substantiam ; et quia ab eo prodivit, illius est Filius (*Idem Apologet. cap.* 21, *pag.* 21).

Sed rursus Tertullianum audiamus, qui id alibi (*Idem, lib. advers. Prax., cap.* 8) pluribus sacræ Scripturæ testimoniis asserit ac confirmat : *De quo*, inquit, *procedendo Filius factus est, primogenitus, ut ante omnia genitus, et unigenitus, ut solus ex Deo genitus, proprie de vulva cordis*, id est, intellectus, *ipsius, secundum quod et Pater ejus testatur :* ERUCTAVIT COR MEUM SERMONEM OPTIMUM (*Psalm.* XLIV, 2) : *Ad quem deinceps gaudens in persona illius :* FILIUS MEUS ES TU, EGO HODIE GENUI TE (*Psal.* II, 7) : *et*, ANTE LUCIFERUM GENUI TE (*Ibid.* CIX, 5). *Sic et Filius ex sua persona profitetur Patrem in nomine Sophiæ :* DOMINUS CONDIDIT ME INITIUM VIARUM IN OPERA SUA (*Ad Hebr. cap.* I). ANTE OMNES AUTEM COLLES GENERAVIT ME (*Proverb. cap.* VIII, 22). Atque hæc ipsa ratio est, cur Verbum, Seu sermo Dei, non vero Spiritus sanctus sit, dicaturque Filius Dei : atque, ut ipse Tertullianus ait, *Qui etiam proprie nomen Filii accepit*, tum quia nomen illud ipsi in sacris Scripturis datur, tum etiam quia prior a solo Patre suo in naturæ similitudinem est genitus, et Spiritus sanctus ab utroque processit, quemadmodum ex mox citandis ejusdem Tertulliani nostri verbis manifestum unicuique fiet (*Tertull. lib. adv. Praxe. cap.* 8).

Sed quamvis Sermo Dei a Patre suo æterno prodeat, vel sicuti ait ipse Tertullianus : *Non aliunde, sed de substantia Patris* deducatur (*Ibid. cap.* 4), hoc est, oriatur ex ejus cogitatione et intelligentia, non idcirco tamen ab illo separatus est. Nam dividi non potest simplicissima Dei substantia, sicut nec plures dii esse possunt. Quamobrem ille iterum dicit : *Omne quod prodit ex aliquo, secundum sit ejus necesse est de quo prodit ; non ideo tamen separatum. Secundus autem ubi est, duo sunt ; et tertius ubi est, tres sunt. Tertius enim est Spiritus a Deo*, videlicet Patre et Filio, *sicut tertius a radice fructus ex frutice* (*Ibid. cap.* 8). Duo autem ibi docet, quæ attento certe animo observanda sunt. Dicit enim primo Filium Dei alium, et ordine secundum esse a Patre suo ; quia ejus est æternus Sermo, qui ex illius intellectu et cogitatione prodivit, atque idcirco Filius ejus est. Secundo ait Spiritum sanctum esse tertium ; quia ab utroque Patre et Filio procedit, tanquam tertius fructus ex radice et frutice oritur. At cum ibi non suam tantum, sed totius Ecclesiæ catholicæ sententiam contra Praxeam hæreticum explicet, ac tueatur, inde profecto colligitur illam a christianis omnibus orthodoxis, atque aliis etiam non eodem, aut simili ac Praxeas errore infectis assertam ac propugnatam.

Verum quidam objiciunt ibi Tertullianum non agere de Spiritus sancti origine, sed de personarum SS. Trinitatis ordine, in quo ille tertius post Patrem constituitur. At cur, quæso, ab iis, qui sic arguunt, omissa fuere hæc subsequentia Auctoris nostri verba : *Sicut tertius a radice fructus ex frutice, et tertius a fonte rivus ex flumine, et tertius a sole apex ex radio, nihil tamen a matrice alienatur, a qua proprietates suas ducit?* Nonne autem hæc satis ostendunt illum non de solo Spiritus sancti ordine, sed ejus etiam origine fecisse sermonem? Ibi siquidem his comparationibus adversus Praxeam demonstrat Filium Dei, etiamsi a Patre suo non sit separatus, ab eo tamen ideo distingui, quia suam ab ipso originem ducit. Tum inde ad Spiritus sancti ortum delapsus, eodem, uti vides, plane modo argumentatur. Tam igitur de Spiritus sancti, quam Filii origine disputat.

Urgent nihilominus a Tertulliano antea apertissime pronuntiari : Ortum *Spiritum non aliunde puto, quam a Patre per Filium* (*Idem, cap.* 4). Sed attende, quæso, quam parum considerate hæc objiciantur. Nam Hilarius, ut illi fatentur, diserte docuit Spiritum sanctum a Patre et Filio procedere, cum scripsit : *Quod si differre crederetur inter accipere a Filio et a Patre procedere, certe id ipsum atque unum esse existimabitur a Filio accipere quod sit accipere a Patre* (*Hilar. l.* 8. *de Trin.* § 20). Atqui scriptum ab eodem Hilario legimus : *Ex te* (nimirum Patre) *per eum* (Filium) *sanctus Spiritus tuus est.* Paulo post vero sic Patrem precatur : *Dona mihi ut Patrem te scilicet nostrum, Filium tuum una tecum adorem ; sanctum Spiritum tuum, qui ex te per unigenitum tuum est, promerear* (*Ibid. lib.* 12, § 56 *et* 57).

At si is eodem catholico sensu dixit Spiritum a Patre et Filio, atque Spiritum sanctum a Patre procedere per Filium, cur non etiam Tertullianus? Numquid idem loquendi modus in uno probari potest, et in altero reprobari? Uterque igitur, sicut recte Spiritum sanc-

Digitized by Google

tum a Patre et Filio, ita a Patre per Filium procedere dixerunt. Nam Filius, tanquam medius inter Patrem et Spiritum sanctum, ab eodem Patre solo principium accepit, atque ab illo et patre Spiritus sanctus suam ducit originem. Itaque Spiritus Sanctus dicitur a Patre procedere per Filium, qui origine sua inter utrumque tanquam medius, a Patre accepit, ut Spiritus sanctus ab ipso procedat. Quamobrem hæc ipsa processio uno eodemque modo tam a Patre, quam a Filio derivatur, ac deducitur.

Quia igitur Filius Verbum illius et Sermo est, qui ex Patris intellectu seu cogitatione, sicuti ex quadam matrice et vulva prodivit, hinc recte Filius ejus et unigenitus *proprie*, ut alibi dixit, *nomen Filii accepit.* (*Tertul. lib. adv. Praxe. cap.* 8). Spiritus vero sanctus, quoniam ab utroque procedit, nec unius ex illis, nec amborum Filius unquam est appellatus, nec appellari debuit.

ARTICULUS V.

Exponuntur et examinantur quædam exempla, quibus Tertullianus divinam Filii Dei generationem explicare conatus est.

Cum divina Filii Dei generatio captum hominis longe superet, nec possit facile ab eo intelligi, hinc Tertullianus noster illam quibusdam comparationibus explanare, et illustrare connisus est. Verum quia difficultatibus non carent, a nobis sunt examinandæ. Primum itaque eas in Apologetico sic proponit: *Cum radius a Sole porrigitur, portio ex summa, sed Sol erit in radio, quia Solis est radius; nec separatur substantia, sed extenditur: ita de Spiritu Spiritus, et de Deo Deus, ut lumen de lumine accensum. Manet integra et indefecta materiæ matrix, etsi plures inde traduces qualitatum mutueris: ita et quod de Deo profectum est, Deus est, et Dei Filius, et unus* (supple Deus) *ambo* (*Tertullian. Apologetic. cap.* 21, *pag.* 599). Sed hæc ille fusius alibi iisdem aliisque exemplis enucleare adhuc conatur. Audiamus eum, si lubet: *Protulit Deus Sermonem, quemadmodum etiam* Paracletus *docet, sicut radix fruticem, et fons fluvium, et sol radium. Nam et istæ species probolæ*, id est, uti paulo ante dixerat, prolationes *sunt earum substantiarum, ex quibus prodeunt. Nec dubitaverim Filium dicere et radicis fruticem, et fontis fluvium, et solis radium; quia omnis origo parens est; et omne quod ex origine profertur, progenies est; multo magis Sermo Dei, qui etiam proprie nomen Filii accepit. Nec frutex tamen a radice, nec fluvius a fonte, nec radius a sole discernitur, sicut nec a Deo Sermo. Igitur secundum eorum formam profiteor me duos dicere, Deum et Sermonem ejus, Patrem et Filium ipsius. Nam et radix et frutex duæ res sunt, sed conjunctæ. Et fons et fluvius duæ species sunt, sed indivisæ. Et sol et radius duæ formæ sunt, sed cohærentes* (*Idem, lib. adv. Praxe. cap.* 8, *pag.* 639).

At sedulo observandum est has comparationes ab Auctore nostro proferri, non tanquam omnino perfectas, ac quasi divinæ Filii generationi plane omnibusque modis similes sint. Nam et ipse dixit: *Multo magis Sermo Dei*, quibus verbis significat has omnes comparationes esse imperfectas. Et vero quis nesciat illas tantum inter se differre, quantum a Creatore distat creatura? Non putavit igitur iis posse omnino explicari Filii Dei generationem, sed ut qualicumque modo, ac secundum infirmas ingenii nostri vires eam intelligamus.

Deinde vero hæc exempla ab illo non adhibentur in omnibus, sed in aliquibus tantum rebus, quæ ad divinam spectant Filii generationem. Omnia enimvero illa eo duntaxat tendunt, ut ostendat Filium Dei, etsi a Patre suo prodeat, ab illo tamen non esse separatum, nec divisum. Propterea enim quod frutex, uti ille ait, a radice, fluvius ex fonte, radius ex sole prodeunt, nec a se invicem separantur, aut dividuntur, sed sibi conjunguntur, et sine ulla divisione cohærent; hinc hominis intellectus eo adduci potest, ut pro infirmis plane viribus cognoscat Dei Filium, quamvis a Patre prodeat, ab eo non separari, sed infinite perfectiori modo, quam res illas corporeas, ipsi esse conjunctum, atque ab eo penitus indivisum.

Sic etiam postea ille, ut confirmet Filium Dei a Patre separari, tametsi ab illo divina generatione exierit, ipsum ita loquentem introducit: *Exivi a Patre, ut radius ex sole, ut rivus ex fonte, ut frutex ex semine* (*Ibid. cap.* 22). Alibi vero eadem solis et radii comparatione ideo tantum utitur, ut demonstret Dei nomen non creaturis tribuendum, sed Patri æterno ejusque Filio, quorum una omnino est substantia. Præstat autem ipsum hæc enarrantem audire: *Deos*, inquit, *omnino non dicam, nec dominos, sed Apostolum sequar, ut si pariter nominandi fuerint Pater et Filius, Deum Patrem adpellem, et Jesum Christum Dominum nominem. Solum autem Christum potero Deum dicere, sicut idem Apostolus: Ex quibus Christus, qui est, inquit, Deus super omnia benedictus in ævum omne. Nam et radium solis seorsum solem vocabo: solem autem nominans, cujus est radius, non statim et radium solem appellabo. Nam etsi soles duos non faciam, tamen et solem et radium ejus tam duas res, et duas species unius indivisæ substantiæ numerabo, quam Deum et Sermonem ejus, quam Patrem et Filium* (*Ibidem, cap.* 13).

Neque ibi ille stetit, sed ad illam æternam Verbi divini generationem rursus explicandam alia usus est comparatione; quæ quidem licet superioribus longe perfectior sit, eam tamen adhuc imperfectam esse palam profitetur. Ab illo autem desumitur ex interiore hominis sermone ac verbo, atque ita argumentatur: *Vide cum tacitus tecum ipse congrederis, ratione hoc ipsum agi intra te, occurrente ea tibi cum sermone ad omnem cogitatus tui motum, et ad omnem sensus tui pulsum. Quodcumque cogitaveris, sermo est; quodcumque senseris, ratio est. Loquaris illud in animo necesse est, et dum loqueris, conlocutorem pateris sermonem, in quo inest hæc ipsa ratio, quam cum eo cogitans loquaris, per quem loquens cogitas. Ita secundus quodammodo in te est sermo, per quem loqueris cogitando, et per quem cogitas loquendo; ipse sermo alius est. Quanto ergo plenius hoc agitur in Deo, cujus*

Digitized by Google

tu quoque imago et similitudo censeris, quod habeat in se tacendo Rationem, et in Ratione Sermonem (*Ibid. cap.* 5. *pag.* 637). Ibi autem ille ostendit Deum, qui natura sua rationalis est, ab æterno Rationem et Sermonem intra se habuisse, quem profert dum cogitat, atque idcirco alius ab ipso est, quamvis utriusque eadem sit substantia et natura. Quis autem facile non concedet illud aptius ac luculentius non potuisse probari, quam hac interioris hominum verbi ac sermonis comparatione? In hoc enim, uti ille ait, homo est Dei imago et similitudo. Verumtamen fatetur hanc ipsam comparationem esse plane imperfectam, ac longe pleniori perfectiorique modo Verbum Dei a Deo Patre, quam hominis verbum ab homine proferri.

Porro autem ex hactenus dictis manifestum omnibus esse debet a Tertulliano, sive catholico, sive Montanistarum fautore, constantissime assertam supremam Filii Dei et Verbi divinitatem. Aperte siquidem, uti vidimus, docet illum divina Patris sui cogitatione generatum, hacque generatione alium quidem esse a Patre, hoc est, persona distinctum, sed minime divisum ac separatum; quandoquidem una et eadem omnino est utriusque substantia et natura. Deus quippe Pater, ab æterno rationalis, sine cogitatione esse nunquam potuit, atque idcirco ejus Verbum, quod idem ac ipsius cogitatio est, debet illi esse consubstantiale ac coæternum. Nonne ergo hæc ipsa plane eadem est ac concilii Nicæni sententia? In hujus quippe symbolo statuitur credendum esse *in unum Dominum Jesum Christum, natum de Patre, unigenitum, hoc est, ex substantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine* (vel, sicut ait Tertullianus, *Apologet. c.* 21, *p.* 399, *ut lumen de lumine accensum*), *Deum verum ex Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri.*

ARTICULUS VI.

Expenduntur solvunturque argumenta, quibus nonnulli probare nituntur labefactatam fuisse a Tertulliano orthodoxam de suprema Filii Dei divinitate doctrinam, quia dixit illum divinæ substantiæ esse portionem, quæ in Patre tota est.

Quanquam orthodoxa omnino, sicuti explicatum est, fuerit Tertulliani de suprema Verbi et Filii Dei divinitate, æternaque generatione sententia; quidam nihilominus, etiam catholici hujus dogmatis assertores, illum non minimi quidem, sed gravissimi erroris audacter accusant. Si enim Petavio credas, *Arianam hæresim impietate et absurditate superat* (*Petav. tom.* 2, *Theolog. dogmat. lib.* 2, *cap.* 5, *pag.* 24). Sed doctus ille vir semetipsum corrigere tandem coactus est. Alibi siquidem fatetur non pauca occurrere ejusdem Tertulliani loca, in quibus apparet vis sententiæ dogmatisque communis, cujus traditio animos Christianorum pervaserat (*Idem, Præfat. in tom. cit. cap.* 5). Verumtamen ibidem adjecit orthodoxam Trinitatis fidem in ejusdem scriptis adspergi identidem quibusdam maculis, quæ contagione fœdæ, ad quam defecit, Montanistarum hæreseos illini potuerunt. At quamvis ibi judicii sui severitatem potius mitigare, quam emendare videatur, sibi tamen satis non constat. Nam non solum in libris, qui a Tertulliano hæretico, sed in aliis etiam, qui ab illo adhuc catholico compositi sunt, labefactatum Trinitatis dogma contendit. Nos vero satis ostendimus illud ab eodem Tertulliano, sive catholico, sive montanista recte assertum, ac contra alios, qui id negabant, egregie propugnatum.

Bullus tamen eidem Tertulliano nostro, etiam ubi contra Praxeam disputat, aliam censoriæ severitatis notam inussit (*Bull. defens. Nicæ. sect.* 3, *cap.* 10. *num.* 5 *et* 11. *pag.* 403 *et* 416). Quamvis enim concedat illum recte sentire de suprema Filii Dei ac Verbi divinitate, æternitate, *consubstantialitate*, sive eadem illius ac Patris substantia; ipsi nihilominus videtur catholicæ traditionis venis, quasi aureis scoriam aliquam intermiscuisse, absurde satis loqui, et in augustissimo Trinitatis mysterio ludere, nugasque sectari. Sed quis sibi facile persuadebit Tertullianum, tantæ gravitatis hominem, de hoc Trinitatis mysterio in eo libro ludere et nugari, ubi præcipuum ac maximum illum Christianæ fidei articulum, eodem Bullo fatente, totis animi viribus contra Praxeæ aliorumque hæreticorum errores, asserit ac tuetur? (*Idem, ibid.*, § 2. *cap.* 7. *num.* 1. *pag.* 150). Et certe a nobis jam probatum est orthodoxam sententiam ab illo non solum contra Praxeam aliosque hæreticos, sed etiam adversus gentiles, quos, ea dissimulata, sibi facile, sicuti vidimus, conciliare poterat, perspicue doceri et explicari.

Sed ne quid intactum relinquamus, ea omnia expendenda sunt argumenta, quæ nobis a Petavio, Bullo aliisque objiciuntur. Primum itaque Petavius illud urgendum non censet, quod ab Auctore nostro scriptum legimus Filium, sermonemque Dei a Patre suo prolatum, ac veluti corporatum. Ecquid enim id urgeret? Nonne satis perspicue ostendimus corporis nomine nihil aliud ab eo intelligi, nisi sui generis substantiam, personam, atque hypostasin? Nec minus evidenter patefecimus, atque ex dicendis adhuc patebit, ipsum disertissime asseruisse Filium Dei merum esse spiritum, qui ex æterni Patris sui intellectu et cogitatione procedit, ac nihil proinde corporei vel minime admixtum habere potest.

Momenti igitur longe gravioris Petavius aliique ea esse putant, quibus idem auctor noster negasse ipsis videtur eamdem esse Patris æterni, ejusque Filii substantiam. Etenim aperte, inquiunt, docet totam Dei substantiam esse in Patre, et illius quamdam tantum in Filio portionem. Quid enim his, aiunt, verbis clarius et expressius? *Pater tota substantia est, Filius vero derivatio totius et portio, sicut ipse profitetur:* QUIA PATER MAJOR ME EST (*Joan.* XIV, 28). Totam igitur Divinitatis, inquiunt, substantiam Tertullianus in Patre ut pote majore, et in Filio ut pote minore partem tantum ac portionem esse arbitratus est (*Tertull. lib. adv. Præx. cap.* 9).

Urgent id adhuc ab illo asseri, ubi absurdum Marcionis, qui Patrem ex Virgine natum, et passum esse

Digitized by Google

garriebat, errorem refellit : *Non negans*, inquit, *Filium et Spiritum et substantiam Creatoris esse Christum ejus, concedas necesse est eos, qui Patrem non cognoverint, nec Filium agnoscere potuisse per ejusdem substantiæ conditionem, cujus plenitudo intellecta non est; multo magis portio, certe qua plenitudinis consors* (*Tertul. lib.* 3, *advers. Marcion. cap.* 6).

Denique, ubi generationem Filii Dei cum sole ejusque radio componit, sic adhuc loquitur : *Nam et Deus spiritus; et cum radius ex sole porrigitur, portio ex summa : sed sol erit in radio, quia solis est radius, nec separatur substantia, sed extenditur* (*Idem, Apologet. cap.* 21, *pag.* 399). Petavius itaque ex his omnibus concludit Filium Dei, juxta Tertulliani mentem, non totam substantiam divinam possidere, sed ejus duntaxat portionem, ac proinde non eamdem esse Patris æterni ac Filii ejus substantiam, et naturam.

Verum si res ita se habeat, certe Tertullianus sibi ineptissime contradixit. Vidimus enim in superioribus articulis quam sæpe, quam constanter, quam diserte asseveret unam plane, indivisam, et eamdem esse in Patre et Filio substantiam. At si Filius portionem, sive partem tantum illius habeat, ea utique non eadem in illo atque in Patre, sed sicuti pars a toto divisa est (*Supr. hoc cap. art.* 1). Contra vero Tertullianus, uti vidimus, in alio adversus Marcionem libro hæc litteris de illo mandavit : *Non minori se tradidit omnia Creator* (*Idem, lib.* 4, *advers. Marcion. cap.* 25). Atqui si Filius unam duntaxat divinæ substantiæ portionem a Patre accepit, alia, qua privatur, procul dubio minor est. Numquid ergo Tertullianus Filium Dei Patre suo minorem esse, asseruit et negavit? Quis hoc credat?

Quid vero, quod in illo qui nobis objicitur, adversus Marcionem loco, Filius dicitur quidem substantiæ divinæ *portio*, sed ibi continuo adjicitur, *certe qua plenitudinis consors*. Atqui si ille substantiæ divinæ, quæ simplicissima est, atque in eo et Patre, ut dictum ab eodem Tertulliano sæpius animadvertimus, non separatur, *consors*, socius, et particeps est, eam utique totam possidet.

Præterea si divinæ substantiæ portio, sive pars tantum aliqua sit in Filio, ipse Pater eam integram non habet. Pars enim illius erit in Filio, et a Patre distracta. In his ergo verbis : *Pater tota substantia est, Filius vero portio*, evidens plane repugnantia deprehendetur. Unius quippe rei, ac potissimum simplicissimæ totum in uno, et pars in altero esse nequeunt. Cum nullus itaque tam absurdæ contradictionis Tertullianum convincere possit, quid restat, nisi ut dicamus illum *portionis* nomine non intellexisse partem aliquam divinæ substantiæ, quam ille nec dividi, nec separari posse constantissime asseveravit.

Quo ergo, inquiet aliquis, sensu nomen *portio* ab eo sumitur? Nobis quidem haud reluctantibus probabitur eodem significatu accipi, atque partitio, seu participatio, et communicatio divinæ substantiæ, quam Pater in Filium derivavit. Nam Filius hoc ipso, qui nobis objicitur, adversus Praxeam loco dicitur *derivatio totius et portio* quæ quidem verba ibi synonyma videntur. Ea autem derivatio vocatur portio, seu partitio; quia Pater totam suam substantiam cum Filio ita communicavit, ut ab illo tamen persona sua sit distinctus. Cum enim Filii Patrisque personæ a se invicem distinguantur, suamque Filius a Patre cum tota eadem substantia divina acceperit, hinc portio, seu derivatio illius appellatur.

At hunc esse verum Tertulliani sensum colligi potest ex alia ejus adversus eumdem Praxeam argumentatione. Iste siquidem hæreticus, et alii, qui stulte opinati sunt eumdem esse Patrem et Filium, contendebant his Lucæ Evangelistæ verbis : *Spiritus Dei superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit te*, idem omnino significari ac si dixisset : *Filius Dei Deus est, et virtus Altissimi altissimus est* (*Luc, cap.* I, ℣ 25). Tertullianus vero hanc hæreticam interpretationem sic impugnat : Si hic, inquit, esset Evangelistæ sensus, scripsisset utique : *Deus superveniet, et Altissimus obumbrabit te* (*Tertull. lib. adv. Praxe. cap.* 26). Atqui non ita scripsit, sed *virtus Dei, non directo*, id est, nominativo casu *Deum nominans, portionem totius intelligi voluit, quæ cessura erat in Filii nomen*. Dixit itaque his verbis, *spiritus* et *virtus Dei*, intelligi portionem, quia nomen Dei non nominativo, sed genitivo casu acceptum significat *portionem*, sive generationem, et derivationem Filii a Patre suo. Nam ea derivatione seu generatione, etsi omnem divinam substantiam acceperit, non eadem nihilominus est illius ac Patris persona. Quamobrem inceptum sermonem sic Auctor noster prosequitur : *Sicut ergo sermo Dei non est ipse cujus est*, videlicet Patris; *ita nec Spiritus, etsi Deus dictus est, non tamen ipse est, cujus dictus... Et ideo Spiritus Dei Deus, et Sermo Dei Deus; quia ex Deo, non tamen ipse, ex quo est. Quod si Deus Dei, tanquam substantiva res, non erit ipse Deus, sed hactenus Deus; quia ex ipsius substantia, qua et substantiva res est, et ut portio aliqua totius.*

Audisne quomodo Dei Filius et sermo ibi aperte negetur esse Deus Dei, sed verus dicatur, sicut ejus Pater, Deus? Quamvis autem verus sit Deus, et eadem illius ac Patris substantia; quia tamen ex illius cogitatione et intellectione prodiit et genitus est, ab illo persona distinguitur. Hac autem generatione dicitur totius derivatio et portio, sive partitio et communicatio, sed qua, ut ille ait, *plenitudinis consors* est, id est, totam et eamdem habet Patris, a quo ortus est, substantiam et divinitatem.

Neque eos audiendos censemus, qui urgebunt : Is si sit Tertulliani sensus, ab eo nomen *portio* accipi impropria omnino, ac plane inusitata locutione. Suos enim Tertullianus libros barbaris, impropriis et inusitatis, uti nemo nescit et sæpius observavimus, verbis ac nominibus aspersit. Nam ut plurima, in omnibus ejus libris passim obvia, nunc prætermittantur, nonne in hoc ipso, de quo disputamus, Apologetico, quem ad ethnicos antistites direxit, magis quam in aliis, latine, polite et emendate loqui debebat?

Digitized by Google

At plures tamen in eo jam notavimus, et adhuc notabimus barbarismos, modosque loquendi improprios et insuetos. Nomen autem *portio*, eo quo notavimus sensu ideo adhibuit, ut Praxeam efficacius refelleret, qui effutiebat Filium persona nequaquam a Patre distingui.

ARTICULUS VII.

Solvuntur alia argumenta, quibus objicitur Tertullianum negasse Filii Dei divinitatem; quia dixit illum minorem Patre, huncque visibilem, et illum invisibilem.

Aliud denegatæ a Tertulliano, aut labefactatæ supremæ Filii Dei divinitatis argumentum peti posse putant ex his illius verbis: *Pater tota substantia est, Filius vero derivatio totius, et portio, sicut ipse profitetur: Pater major me est. A quo et minoratus canitur in psalmo, modicum quid citra angelos. Sic Pater alius a Filio, dum Filio major* (*Tertull. lib. adv. Praxe. cap.* 9). Nonne ergo, inquiunt, ille ibi aperte significat in Patre, majore Filio, totam esse Divinitatis substantiam, et aliquam tantum portionem in Filio, qui idcirco illo minor est? Itane vero ille dixit Filium esse minorem Patre, quem, ut antea ostendimus, asseruit Patri esse parem, ei *pariari*, æquari, jungi, nec illo esse minorem, quia ipse dixerat: *Ego et Pater unum sumus?* (*supr. hoc cap. art.* 1). Nonne ante objecta nobis verba ab eo dictum eginus: *Et nunquam separatus a Patre, aut alius a Patre; quia: Ego et Pater unum sumus. Hæc erit probola veritatis, custos veritatis, qua prolatum dicimus Filium a Patre, sed non separatum?* (*Libr. cit. cap.* 8). Numquid ergo putidæ, et nulli unquam condonandæ contradictionis condemnandus est? Numquid a sensu animus ejus adeo unquam alienatus est, ut Filium dixerit Patre suo minorem et non minorem, parem et non parem, unum cum illo et non unum, nisi sub diversa ratione? Et certe satis a nobis probatum est quam diserte ille docuerit unam esse in Patre et Filio simplicissimam naturam ac substantiam, quæ nec separari nec dividi potest. Sed quia Praxeas inde inferre conabatur eamdem quoque esse illorum personam, hinc Auctor noster ostendit eos non natura quidem, sed persona distingui, quia Filius a Patre suo prolatus ac genitus est. Quamobrem post illa ipsa, quæ nobis objiciuntur, verba continenter adjecit: *Sic et Pater alius a Filio, dum Filio major, dum alius qui generat, alius qui generatur; dum alius qui mittit, alius qui mittitur; dum alius qui facit, alius per quem fit. Bene quod et Dominus usus hoc verbo in persona Paracleti, non divisionem significavit, sed dispositionem: Rogabo enim, inquit, Patrem, et alium advocatum mittet vobis, Spiritum veritatis. Sic alium a se Paracletum, quomodo et nos a Patre alium Filium; ut tertium gradum ostenderet in Paracleto, sicut nos secundum in Filio, propter œconomiæ observationem* (*Ibid. cap.* 9).

Duas autem ibi reddit rationes cur Pater major, et Filius minor dicatur. Prima est, quia Pater Filium misit, et Filius mittitur a Patre. At id spectare videtur humanam Filii naturam, qua illum Patre suo minorem esse nemo diffitetur. Secunda est, quia Filius a Patre suo generatur, et divinam sua naturam accepit. Atqui hac generatione secundum a Patre habet gradum et ordinem, quo quidem dici potest illo minor, sed tantum, uti ait Tertullianus, *propter œconomiæ observationem*, ita ut non divisio, sed dispositio significetur. Atque ita, et duplici illa ratione Filius ab eo dici potuit minor Patre, et alius ab illo, utpote qui ab ipso genitus fuit.

Neque nobis, quæso, reponas hanc explicationem non esse orthodoxam. Antiqui enim Patres Ecclesiæ hoc ipso sensu, etiam post concilium Nicænum, illa Christi verba: *Pater major me est*, interpretati sunt. Hilarius siquidem, acerrimus, si quis unquam, catholicæ doctrinæ defensor, hæc minime hæsitans scripsit: *Est Pater major Filio, sed ut Pater Filio, generatione non genere. Filius enim est, et ex eo exivit* (*Hilar. in Tract. in psal.* 118, § 17). Scimus quidem eadem Johannis verba ab illo alibi (*Idem lib.* 9. *de Trin.* § 51), et ab aliis quoque de assumpta ab ipso Dei Filio humana natura explicari. Sed nobis sufficit ea etiam ab Hilario pluribusque aliis Nicæna synodo posterioribus, ut alibi annotavimus, de divina intelligi ipsiusmet Filii Dei generatione, qua ordine secundus a Patre suo est (*Not. in lib.* 2. *Ambros. de Fide*). Constat quippe nihil inde inferri posse contra Tertullianum nostrum, qui quidem, cum sibi ipsi non contradixerit, illa evangelistæ verba hoc catholico sensu accepisse haud immerito videtur. Et certe eo magis illa sic interpretari potuit, quo insulsas Arianorum cavillationes minus prævidere poterat, et efficacius insulsum refellebat Praxeæ errorem.

Contra tamen nobis rursus objiciunt Tertullianum in suis adversus Marcionem libris negasse eamdem esse Patris æterni et Filii substantiam (*Petav. tom.* 2. *Theolog. dogmat. lib.* 1. *cap.* 5). Ibi siquidem docet Filium esse factum, ac visibilem, Patrem vero, nec visibilem, nec factum. Diversam igitur illorum substantiam esse putavit. Ad id autem probandum hæc nobis objectant illius verba: *Profitemur Christum semper egisse in Dei Patris nomine, ipsum ab initio conversatum, ipsum congressum cum Patriarchis et Prophetis, Filium creatoris, Sermonem ejus, quem ex semetipso proferendo Filium fecit, et exinde omni dispositioni suæ voluntatique præfecit, diminuens illum modico citra angelos, sicut apud David scriptum est; qua diminutione in hæc quoque dispositus est a Patre, quæ ut humana reprehenditis, ediscens jam inde a primordio, jam inde hominem, quod erat futurus in fine. Ille est, qui descendit; ille est, qui interrogat; ille est, qui jurat. Cæterum Patrem nemini visum etiam commune testabitur Evangelium... Patrem invisibilem determinans, in cujus auctoritate et nomine ipse erat Deus, qui videbatur Filius Dei* (*Tertull., lib.* 2, *advers. Marcion. cap.* 27).

Sed animadvertendum est Tertullianum ibi disputare contra Marcionem, qui, ut ille ibidem ait, per-

Digitized by Google

peram prædicabat Creatorem non esse Deum bonum, quandoquidem plura de illo pusilla, imbecilla, et Deo indigna prædicabantur (*Ibid.*). At Tertullianus huic hæretico respondet has *pusillitates* in Christo quidem esse, sed non quatenus Deus, sed quatenus homo est. Eum autem revera Deum esse probat, quia semper egit in Patris nomine, qui cum Patriarchis et Prophetis loquebatur, quia Dei est Sermo, et Creatoris Filius. Atqui is ipse Tertullianus constantissime asseruit Filium et Sermonem Dei verum esse Deum, ac Patris sui Rationem, qua ab æterno est rationalis. Eamdem ergo credidit esse Filii et Patris æternitatem, eamdemque substantiam.

At ille, inquies, ibidem haud obscure scripsit: quem *ex semetipso proferendo Filium fecit, et exinde dispositioni suæ voluntatique præfecit* (*Ibid.*). Bene quidem. Sed numquid ibi Filius dicitur quodam tempore factus, vel ab æterno genitus negatur? Minime profecto. Duos enim fassus fuisset esse Deos, Patrem æternum, et Filium non æternum, atque ita in eum, quem impugnabat, Marcionis incidisset errorem. Cum ergo dicit Filium Dei à Patre suo tunc factum, quando illum *ex semetipso* protulit, is plane videtur illius sensus : Pater fecit Filium suum, quando illum protulit *ex semetipso*, id est, ex *matrice*, uti loquitur, et vulva sui cordis et intellectus, seu ratione, intelligentia ac cogitatione æterna : postea vero cum omnia creare voluit *dispositioni, voluntatique suæ eum præfecit*. Si quis vero contendat his verbis *ex semetipso* idem significari, atque extra se ipsum emittendo, sensus illius erit : Pater mundi initio extra se protulit, ac fecit Filium, dum illum creaturis manifestum fecit. Ad primam enim usque mundi creationem divina illius generatio, ut paulo antea explicuimus, in æterno Patris sinu latuit, et mundi initio cœpit a creaturis rationis compotibus agnosci ; tuncque hæc, sicuti Auctor noster loquitur et infra fusius explicabimus, perfecta fuit ejus nativitas, quæ externum aliquod accepit complementum.

Neque urgeas Patrem ab eo invisibilem dici, Filium vero visibilem, atque hunc idcirco Patrem minorem esse, nec Deum proprie dictum. Nihil etenim hac argumentatione levius, et infirmius. In suo quippe idem Tertullianus adversus Praxeam libro aperte pronuntiat : *Invisibilem Patrem pro plenitudine majestatis, visibilem vero Filium pro modulo derivationis* (*Ibid. cap.* 14). Paulo post vero : *Dicimus et Filium suo nomine eatenus invisibilem, qua sermo et spiritus Dei, ex susbtantiæ conditione jam nunc, et qua Deus, et sermo, et spiritus ; visibilem vero ante carnem* (*Ibid.*). Quomodo autem ante assumptam carnem se aspectabilem præbuerit, hunc ille ibidem explicat in modum : *Apparet retro semper in speculo, et ænigmate, et visione, et somnio Deum, id est, Filium Dei visum tam Patriarchis et Prophetis, quam et ipsi adhuc Moysi. Et ipse quidem Dominus, si forte coram ad faciem loquebatur, non tamen ut est, homo faciem ejus videret, nisi forte in speculo et in ænigmate..... Aut numquid Filius quidem videbatur et sic facies? sed ipsum hoc in visione, et somnio et speculo, et ænigmate ; quia sermo et spiritus nisi imaginaria forma videri non potest* (*Ibid.*)

Quis autem his auditis Tertulliani verbis, palam non fateatur tantum abesse, ut ille eo quod Pater invisibilis, et Filius visibilis dicatur, hujus negaverit divinitatem, quin potius inde adversus Praxeam plane conficiat eumdem Filium Dei verum esse Deum, qui solo *modulo derivationis*, id est, persona sua a Patre suo distinguitur? Quin etiam affirmate pronuntiat eumdem Filium Dei, quatenus sermo et spiritus est, eodem prorsus, quo Pater, modo fuisse invisibilem. Non diffitetur tamen illum, antequam carnem assumpserit, sese Patriarchis præbuisse videndum ; sed qua, amabo te, ratione? In visione tantum, ait ille, in somnio, in speculo, in ænigmate, *et forma*, ut ipse loquitur, *imaginaria*.

Non decrunt fortasse, qui mirentur, hæc a Petavio, viro utique eruditissimo, contra veram Tertulliani nostri de Filii Dei divinitate sententiam nobis objici (*Petav. t.* 2, *Theolog., lib.* 1, *cap.* 4). Nam ipse non solum ultro confitetur, sed plurimis, et ante, et post synodum Nicænam Ecclesiæ Patrum testimoniis ostendit, illos apertissime declaravisse Filium Dei, tametsi divina ejus, sicut Patris, natura, videri nequeat, ab Patriarchis nihilominus et Prophetis, ante quam homo fieret, aliena aspectabiliqne specie visum atque conspectum (*idem, ibid., lib.* 3, *cap.* 2, § 10, *et seqq.*). Quid vero quod ipsi Petavio certum esse videtur non modo Filium, sed Patrem etiam, ac Spiritum sanctum apparuisse hominibus specie extrinsecus assumpta. Atque ex iis rite probatis concludit levissima esse ducta inde ab Arianis contra Filii divinitatem argumenta, quæ nemo non contemnet. Nos vero in superioribus nostris dissertationibus ostendimus has visiones supremæ Filii Dei divinitati nequaquam obficere; ac cur hic potius, quam ejus Pater sese hominibus videndum præbere debuerit (*tom.* 1, *Apparat. pag.* 404, 593 *et* 689 *et seqq*).

ARTICULUS VIII.

Rursus ostenditur quam perspicue Tertullianus æternitatem Filii Dei asserat, et contraria argumenta diluuntur, quibus confici posse putant Tertullianum docuisse ante mundum conditum nullam fuisse Filii Dei substantiam, et perfectam fuisse ejus nativitatem, cum Deus mundum creare molitus est.

Expositis, et æqua lance ponderatis iis rationum momentis, quibus Tertullianus eamdem Patris ac Filii substantiam non agnovisse perperam arguitur, ad ea jam veniamus quibus acrius adhuc insimulatur ejusdem Filii Dei negavisse æternitatem. Si quæ enim doctissimo Petavio fides habenda, in hoc ille arianam hæresim impietate et absurditate superat (*Petav., lib.* 1, *Theolog. dogm. de Trinit. cap.* 5, *pag.* 24). Verum si ipse Tertullianus recte, uti vidimus, eamdem esse asseruit Filii ac Patris naturam, illum procul dubio Patri suo coæternum esse revera existi-

Digitized by Google

mavit. Unusquisque autem, ex his quæ supra, ac potissimum in primo hujus capitis articulo retulimus, deprehendere facile potuit illud Catholicæ fidei documentum manifestissime ab eo asseri et prædicari.

Sed quid speciatim de illius æternitate constituerit, jam attento, si lubet, animo consideremus, ac primo quidem quomodo Dei æternitatem definiat : *Quis alius*, inquit, *Dei census, quam æternitas? Quis alius æternitatis census, quam semper fuisse et futurum esse ex prærogativa nullius initii, nullius finis* (*Tertull. lib. adv. Hermog. cap.* 4). Ibi autem, sicuti vides, non solum definit quid sit æternitas, sed eam ita soli Deo esse propriam, ut nulli alteri competere possit. Atqui ille non minus clare et perspicue, uti supra ostendimus, docet probatque Filium Dei esse verum, unum ac eumdem cum Patre suo Deum. Persuasum ergo habuit eamdem esse illius et Patris æternitatem.

At hæc non nostra tantum, sed ipsam et illius argumentatio est, qua hanc Filii Dei æternitatem luculentissime demonstrat. Audi, quæso, ejus verba, et hoc nobiscum fateberis : *Deum*, ait ille, *immutabilem, et informabilem credi necesse est, ut æternum. Transfiguratio autem interemptio est pristini. Omne enim quodcumque transfiguratur in aliud, desinit esse quod fuerat, et incipit esse quod non erat. Deus autem neque desinit esse, neque aliud potest esse; Sermo autem Deus, et Sermo Dominus manet in æyum perseverando in sua forma* (*Idem, lib. adv. Praxe. cap.* 27). Is autem sermo est Dei Verbum, et Filius, qui, ut continenter subjunxit Tertullianus, caro factus est. Quis itaque unquam clarioribus verbis, aut clariori argumentatione æternitatem illius asseruit? Numquid ergo una manu ibi Tertullianus astruit, quod alibi altera destruxerat? Quidam tamen tanti paradoxi Auctorem nostrum postulare non verentur.

Petavius enimvero nobis objicit non minus certo et evidenter ab illo traditum nullam ante mundi primordia fuisse Filii Dei substantiam, sed eam tum accepisse a Patre suo quando mundum creare molitus est. Quod quidem non ille solus, sed alii etiam nonnulli arbitrati sunt confici posse hisce ejusdem Tertulliani verbis : *Ut primum Deus voluit ea, quæ cum Sophiæ ratione et sermone disposuerat intra se, in substantias et species suas edere, ipsum primum protulit Sermonem, habentem in se individuas species Rationem et Sophiam, ut per ipsum fierent universa, per quem erant cogitata atque disposita; imo et facta jam, quantum in Dei sensu. Hoc enim deerat, ut coram quoque in suis speciebus, atque substantiis cognoscerentur, et tenerentur. Tunc igitur etiam ipse Sermo speciem et ornatum suum sumit, sonum et vocem, cum dixit, Fiat lux* (*Ibid., cap.* 6). Inde enim Petavius colligi posse opinatur hanc fuisse illius de Filii Dei generatione non quidem æterna, sed temporali opinionem. Addit præterea Tertullianum paulo ante dixisse Deum, qui natura sua est rationalis, penes se ex æterno habuisse Rationem, Λόγον, et Sermonem. Sed hunc intra semetipsum continuisse, *tacite cogitando, et disponendo secum, quæ per Sermonem erat dicturus* (*ibid. cap.* 5). Tunc ergo ille sermo interior tantummodo fuit, nondumque per se subsistebat. Cum autem Deus mundum fabricare cœpit, sermonem hunc protulit, eumque animando, fecit substantiam ac personam. Non antea ergo, uti aiunt, Filium Dei factum esse Tertullianus opinatus est.

Sed nescio equidem utrum Petavius, et alii qui ita argumentantur, animum ad ea Tertulliani verba satis adverterint, quæ illa ipsa, quæ nobis objiciunt, continenter subsequuntur : *Hæc*, inquit (*ibid. cap.* 6), *est nativitas perfecta Sermonis, dum ex Deo procedit, conditus ab eo primum ad cogitatum in nomine Sophiæ : Dominus condidit me initium viarum. Dehinc generatus ad effectum : Cum pararet cœlum, aderam illi simul* (*Proverb. cap.* 8, ℣ 22, *et seqq.*), *Exinde eum parem sibi faciens, de quo procedendo Filius factus est; primogenitus, ut ante omnia genitus; et unigenitus, ut solus ex Deo genitus proprie de vulva cordis ipsius, secundum quod et Pater ipse testatur : Eructavit cor meum sermonem optimum* (*Ps.* XLIV, ℣. 1).

Duplex etenim ibi ille distinxit nativitatis Filii Dei genus. Primum autem, sive prima et proprie dicta illius generatio est, qua Pater æternus ante omnes creaturas protulit intra se Rationem et Sermonem. Secunda vero minus proprie dicta illius generatio fuit, cum Pater ipsum initio mundi protulit; sive, ut ait ipse Auctor noster, *generavit ad effectum*, id est ut per eum omnia conderet. At prima generatio non fuit procul dubio inutilis, et ea Pater verum genuit Filium. Nam sicuti ille ait : *Possum non temere præstruxisse, et tunc Deum ante universitatis constitutionem solum non fuisse, habentem in semetipso proinde rationem, et in ratione sermonem, quem secundum a se ipso faceret* (*ibid. cap.* 5). Quis autem non videat ibi Tertullianum agere de Dei Verbo, seu Sermone ante mundi creationem, et cum intra Deum Patrem suum adhuc erat? Atqui perspicue ibi declarat tum Patrem non fuisse solum, sed habuisse in semetipso hunc Sermonem a sua persona distinctum, quem secundum a se ac Filium *fecit*, seu genuit. Ergo ante mundi constitutionem, id est, ab æterno Verbum, sive Filius Dei, ut supra animadvertimus, suam a Deo Patre acceperat naturam et substantiam, eratque persona tantum a Patre distinctus.

At Pater, arguit Petavius, a Tertulliano dicitur, *ante omnia Deus erat solus, quia nihil extrinsecus præter illum* (*Tertullian. loc. cit.*). Sed vix ac ne vix quidem a nobis impetrare possumus, ut credamus hæc serio ab eruditissimo et perspicacissimo viro objici. Nam Tertullianus continuo subjunxit : *cæterum ne tunc quidem solus; habebat enim secum, quam habebat in semetipso, Rationem suam scilicet* (*ibid.*) Persuasum itaque ille, sicut supra ostendimus, habebat Patrem æternum, ante mundum conditum, sive ab æterno, et solum fuisse, et non solum. Solus enim erat, quia nihil habebat extra se, non solus autem, quia habebat intra se sermonem, qui distincta ab illo persona, ac Filius ejus est. Vidimus insuper observatum ab eodem Tertulliano fuisse græcum nomen Λόγου a

Digitized by Google

Latinis rationem potius, quam sermonem debuisse appellari : *Quia non sermonalis*, inquit, *a principio, sed rationalis etiam Deus ante principium, et quia ipse quoque sermo ratione consistens, priorem eum ut suam substantiam ostendat* (*ibid.*). Quibus sane verbis significat nomen illud, λόγος, ideo latine melius dici posse rationem ; quia Deus Pater ab æterno non *sermonalis*, hoc est, Sermonem extra se non protulerat. Verumtamen, quia natura sua ipse rationalis est, Rationem ab æterno intra se habuit, quæ ejusdem est cum illo substantiæ, sed secunda et distincta persona ; quando quidem Pater ejus ab æterno solus non erat.

At hunc quidem verum esse Tertulliani sensum et mentem inde evidenter conficitur quod ibi disputet adversus Praxeam, qui Filium sermonem Dei eumdem omnino ac Patrem, et ab illo distinctum non esse effutiebat. Quid autem, obsecro, contra eum promovisset, si fateretur Dei Filium ac Sermonem ante mundi exordium non substitisse, nec fuisse personam a Patre distinctam. Præcipua itaque caussæ suæ parte sponte cadendo, jugulum adversario dedisset. At tantum abest ut id concedat, quin potius constantissime asserat Sermonem Dei ante mundi creationem et ab æterno a Patre esse distinctum, atque ab eo secundum.

Sed nihil remittit Petavius urgetque Tertullianum aperte docuisse tunc perfectam fuisse Filii Dei nativitatem, cum Deus ex nihilo creavit omnia. Antea igitur nec ortus, nec persona, nec substantia erat : ac proinde nec Dei Filius (*Petav. tom.* II. *Theolog. dogmat. lib.* I. *c.* 5. *p.* 25). Nam ea sunt loco citato, quæ jam retulimus, illius verba (Tertull. lib. adv. Praxe., cap. 7) : *Hæc est nativitas perfecta Sermonis dum ex Deo procedit, conditus ab eo primum ad cogitatum in nomine Sophiæ : Dominus condidit me initium viarum suarum. Dehinc generatus ad effectum : Cum pararet cœlum, aderam illi* (*Proverb.* VIII, 22, 27). Ergo Filii Dei nativitas tunc tantum, inquit Petavius, perfecta a Tertulliano dicitur, quando Deus per ipsum, qui Sermo ejus est, et mundum et omnia creavit.

Verum doctissimus ille vir animadvertere potuit duplicem ab Auctore nostro distingui Dei Patris sermonem. Primus namque ipsi est intimus, quem græci ἐνδιάθετον : alter externus et prolatitius, quem προφορικὸν appellant (*Tertullian. loc. cit.*). Deus autem Pater priore illo intimo Sermone, ait Tertullianus, omnia creare, et suas *edere in substantias et species*, intra se ipsum disposuerat ac cogitaverat. Tum deinde Sermonem hunc suum extra se, et exterius emittendo universa creavit. Atqui jam vidimus a Tertulliano asseri, repeti, et inculcari illum interiorem sermonem ab omni æternitate genitum a Patre suo, qui idcirco ab eo gradu et ordine distinctus, secunda est sanctissimæ Trinitatis persona.

Cur ergo, inquies, tam aperte declarat non ab æterno, sed mundi initio perfectam fuisse ejus nativitatem, et tunc suam accepisse speciem, ornatum, sonum et vocem ? Sed numquid Tertullianus eo dementiæ, inquiemus, venit, ut imperfectam aliquando vel tantum inchoatam putaverit Filii Dei generationem, ac postea sumpsisse speciem et ornatum, atque ita perfectam et consummatam (*Ibid.*)? Non eo igitur sensu eam imperfectam appellavit, sed quo ipse modo ibidem explicat ; quia etsi ab æterno perfecta fuerit, intra Dei tamen sinum latebat, nullique nisi ipsimet soli Deo erat cognita. Ast ubi mundum condendo, hunc Sermonem suum extra se protulit, ac veluti *ex cordis sui vulva et matrice*, uti loqui amat, *extra se emisit*, tunc ille æternus *sermo sumpsit sonum et vocem*, atque idcirco exteriorem *ornatum et speciem*. Tunc enim a creaturis ratione præditis agnitus fuit. Nomen quippe *species* apud bonos auctores idem significat ac rei alicujus demonstratio. Et vero *species*, inquit Nonius, *ab adspectu dicitur*. Cum igitur Sermo Dei, sive æternus Dei Patris Filius, extra illum principio mundi emissus est, tum speciem et ornatum sive sonum et vocem accipit, et perfecta fuit ejus nativitas, non quidem quoad se, sed quoad creaturas, quæ eam agnoverunt.

Non amplius ergo ii audiendi sunt, qui rursus objicient dictum ab eodem Tertulliano : *Deus non sermonalis a principio* (*ibid. cap.* 5). Nam continenter addidit : *sed rationalis Deus etiam ante principium, et quia ipse quoque Sermo ratione consistens, priorem eam Rationem ut substantiam suam ostendat.* Si autem Deus rationalis fuit ante principium, sive ab æterno, ille etiam ab æterno protulit Rationem, quæ, ut sæpius dictum, Sermo et Filius ejus est (*ibid. c.* 8). Tum deinde, *hic Sermo*, inquit, *spiritu structus est, et, ut ita dixerim, Sermonis corpus*, id est, substantia, *est spiritus*. Fatetur autem utrumque, etsi unum idemque sint, posse aliquo modo distingui (*Ibid. cap.* 26) : *Nam spiritus*, ait ille, *substantia est sermonis, et sermo operatio spiritus, et duo unum sunt.* Hic autem Sermo Dei Patris, sive ipsa ejus spiritus operatio, creaturis non prius innotuit, quam mundus conderetur. At hujus operationis sive generationis Filii Dei cognitio a Tertulliano appellatur perfecta nativitas ; quia quæ antea soli Deo Patri cognita erat, tunc creaturis ratione præditis patefacta est.

Nobis tamen Petavius et alii adhuc objectant hæc Tertulliani de eadem Filii Dei apparitione verba (*Petav. tom.* II. *Theolog. dogmat. lib.* I. *cap.* 5, *p.* 26; *Tertull. lib. adv. Praxe. cap.* 12) : *Sed et in antecedentibus operibus mundi quomodo scriptum est ? Primum quidem nondum Filio apparente : Et dixit Deus, Fiat lux, et facta est, ipse statim Sermo lux vera, quæ illuminat hominem venientem in hunc mundum, et per illum mundialis quoque lux. Exinde autem in Sermone Christo assistente et administrante, Deus voluerit fieri, et Deus fecit. . . . . per quem omnia facta sunt.* Inde autem concludunt ibi manifeste demonstrari Filium et Spiritum secundam et tertiam Trinitatis personam non fuisse ex æterno subsistentes, sed quando Deus mundum voluit facere, ac reipsa fecit.

Digitized by Google

At observandum est Tertullianum his verbis respondisse Praxeæ hæretico, Catholicis objicienti Deum, cui nihil impossibile est, potuisse se ipsum et Patrem et Filium simul facere. Lubenter autem ille fatetur omnia quidem a Deo posse fieri ; sed non omnia, quæ potuit, ab illo esse facta. Debebat igitur Praxeas evidenter demonstrare Patrem revera se ipsum fecisse tam Patrem quam Filium, sive non alium esse Filium, quam ipsum Patrem. Contra vero Tertullianus eo securius affirmat id a Praxea non posse unquam probari, quo facilius varia congerit Scripturæ testimonia, quibus, inquit, apud nos *distincte Pater et Filius demonstrantur, distincte, inquam, non divise* (*ibid. cap.* 21) ; quandoquidem Filius Dei, sicut toties diximus, a Patre prodivit, atque idcirco ab eo est quidem distinctus, sed non divisus et separatus ; quia eadem est utriusque substantia. Tum dehinc Scripturæ ejusdem auctoritate ostendit tres esse Trinitatis personas unitate simplici connexas. At ibi ea protulit verba, quæ nobis objiciuntur, ac posthæc concludit omnia facta esse per Dei sermonem, sive per Filium Dei, qui et ipse Deus est. Quia ergo Dei sermo est, idcirco ab eo distinguitur, et alius dicitur *personæ*, inquit, *non substantiæ nomine, ad distinctionem, non ad divisionem.* Quomodo autem una est illius et Patris substantia et unus cum eo Deus, nisi ab æterno, sicut Pater fuerit ? Cum igitur dixit Filium Dei ante mundi exordium non apparuisse, haud obscure significat illum tunc nulli creaturæ fuisse cognitum. Ubi vero, uti ille ibidem ait, primo dictum est, *Fiat lux*, tunc statim lux facta est, et apparuit lux vera, sive Sermo Dei, non quidem, quia tum primum, nec antea exstitit, qui ab æterno genitus fuerat ; sed quia tunc hominibus cœpit apparere, qui est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. At tantum abest ut hæc Tertulliani nostri responsio Petavio aliisque faveat, quin potius totam funditus evertat eorum argumentationem.

Scimus quidem illius verba alium in sensum a Bullo detorqueri. Ea enim valde obscura esse confitetur, sed quæ tamen suspicatur de Filii apparitione sic esse intelligenda : Filius Dei, ait ille, quatenus est æterna Ratio et Sophia, tunc in primis apparere incœpit, quando Deus inconditam et confusam rerum materiem sapientia sua disponere, ordinare, et exornare aggressus est. At ex confusa, nec ordinata rerum congerie, quæ chaos vocatur, nondum eluxerat Dei Sapientia et Sophia. Tum vero clarissime emicuit, quando lux primigenia, tanquam imago Filii Dei, qui æternæ lucis splendor est, materiam illustravit, resque singulas sua vestivit specie, suoque ornatu. Sed huic interpretationi illud repugnare videtur, quod non minus ex ordinatæ et confusæ materiei, quam ex lucis primigeniæ creatione emicat Dei sermo et Filius, per quem et lux quælibet, et cætera omnia creata sunt. Si quis tamen recte probaverit veram esse hanc, quam Bullus affert, verborum Tertulliani explicationem, huic non admodum reluctabimur, modo inde etiam colligi possit a Tertulliano agnosci æternum lucis, sive filii Dei splendorem æternamque generationem ab ipso tam constanter, uti vidimus, assertam ac propugnatam.

ARTICULUS IX.

Solvitur aliud argumentum, inde petitum, quod Tertullianus dixisse videtur fuisse tempus, quo Filius Dei non erat.

Alia Petavius argumentatione, ex Tertulliani contra Hermogenem libro deducta, probari adhuc posse opinatur illi incompertam penitus fuisse Filii Dei æternitatem. Africanus siquidem Auctor noster disertissime, uti Petavio videtur, pronuntiat tempus fuisse, quo Filius Dei non erat. Purum autem putumque illud Arii, et sectatorum ejus commentum putat eruditus ille vir a Tertulliano asseri, ubi Hermogenis, qui materiam Deo coæternam esse garriebat, argumenta diluit. Materiæ enimvero æternitatem hæreticus ille homo demonstrare eo nitebatur, quod Deus nunquam non Dominus fuerit. At Dominus, inquiebat, semper esse non potuit, nisi materiæ, *cujus semper dominus haberetur.* Sed hoc Hermogenis argumentum refellit Tertullianus, negatque Deum semper fuisse Dominum (*Tertull. lib. adv. Hermog. cap.* 3) : *Deus, enim*, uti ait, *substantiæ ipsius nomen, id est, Divinitatis ; Dominus vero non substantiæ, sed potestatis.* Dominus ergo tantum fuit, ex quo ea esse cœperunt, quæ Deus in potestate habuit. Tum deinde sic prosequitur : *Quia et pater Deus est, et judex Deus est, non ideo tamen pater et judex semper, quia Deus semper. Nam nec pater potuit esse ante filium, nec judex ante delictum. Fuit autem tempus, cum et delictum et filius non fuit, quod judicem, et qui patrem dominum faceret : sic et dominus non ante ea, quorum dominus existeret, sed dominus tantum futurus quandoque, sicut pater per filium, sicut judex per delictum ; ita et dominus per ea, quæ sibi servitura fecisset.* Unde concludit Petavius a Tertulliano clare ac perspicue definiri fuisse tempus, quo Filius Dei non erat.

Neque respondendum est Tertullianum non de Dei, sed quolibet hominum filio loqui. Nam ubi de Dei Sophia, sive ipso Dei Filio, disserit, ibi de illo citat et interpretatur hæc Proverbiorum verba (*Proverb.* VIII. *t.* 22. *et seqq.*) : *Dominus condidit me initio viarum suarum : in opera sua ante sæcula fundavit me... Prior autem abysso genita sum.* Sic autem ille inde argumentatur (*Tertull. lib. adv. Hermog. cap.* 18) : *Agnoscat ergo Hermogenes idcirco etiam sophiam Dei natam et conditam prædicari, ne quid innatum et inconditum præter solum Deum crederemus. Si enim intra Dominum quod ex ipso, et in ipso fuit, sine initio non fuit, Sophia scilicet ipsius, exinde nata et condita, ex quo in sensu Dei ad opera mundi disponenda cœpit agitari ; multo magis non capit sine initio quidquam fuisse, quod extra Dominum fuerit.* Ibi sane Tertullianus, inquient, palam asseverat Sophiam sive Dei Filium non fuisse sine initio, illudque accepisse ; ac

Digitized by Google

Sophiam tunc natam ac conditam, quando cœpit ad opera mundi disponenda in sensu Dei agitari.

Totam autem hanc argumentationem, et integra Auctoris nostri verba retulimus, ne ullus nos aliquid aut dissimulasse aut prætermisisse causetur. Neque etiam dissimulabimus hæc Tertulliani loca adeo obscura et difficilia quibusdam videri, ut argumentationi ex iis ducta nihil aliud respondendum censuerint, nisi his Hieronymi verbis, quibus Helvidio, ejusdem Tertulliani alia de causa auctoritatem proferenti respondet Hieronymus (*lib. adv. Helvid.*): *Et de Tertulliano quidem nihil amplius dico, quam Ecclesiæ hominem non fuisse*, id est, in varios hæreticorum errores prolapsum. Sed hoc responso difficultatis nodus secatur, non solvitur. Nam Tertullianus hunc librum scripsit adhuc catholicus et Ecclesiæ homo. Deinde vero, etiamsi in varios errores inciderit, atque, ut Hilarii verbis utamur, quanquam *error hominis detraxit scriptis probabilibus auctoritatem* (*Hilar. Comment. in Matth. cap.* V), nos tamen supra ostendimus Catholicum de divina et æterna Filii Dei generatione dogma ab illo, sive orthodoxo, sive hæretico constanter assertum ac vindicatum.

Vero itaque similior fortassis videbitur aliorum responsio, qui dicunt Tertullianum, acerrimi ingenii virum, haud insolito disputantium more in maxima de materiæ æternitate cum Hermogene hæretico contentione, paulo ultra, quam par erat, abreptum fuisse (*Bull. defens. fid. Nicæ., sect.* 3, *cap.* 10, *n.* 4). Nemini enim, vel mediocriter in legendis ejus libris versato, incompertum esse potest illum ad stabiliendam aliquam propositionem undique argumenta colligere, ac ea etiam quæ non magni erant momenti. Non ergo, inquiunt, ex citatis hujus libri verbis judicandum est, quid ille de æterna Filii Dei generatione senserit; sed ex aliis, ubi sedato pacatoque animo suam, uti vidimus, et totius Ecclesiæ de suprema Filii Dei divinitate et æternitate doctrinam explicavit.

Sed accuratius, si lubet, expendamus utrum ille veræ et a se stabilitæ doctrinæ limites in objectis locis reipsa sit transgressus. In priore autem dixit Deum non semper fuisse dominum, *sicut nec pater potuit esse ante filium, nec judex ante delictum.* Atqui ibi quæstio non de patre et judice, sed tantum de domino erat. Exempla igitur sunt, quæ ad confutandum Hermogenem adhibet. Cujuslibet autem, sive creati sive increati patris et judicis, exempla ad ejus propositum pariter conducebant.

Esto tamen, et concedamus, si lubet, illum de vero Deo Patre ejusque Filio loqui, numquid inficias ire potuit illum suo Patri esse coæternum? Nonne satis superque probatum est quam præclare ac sæpe prædicaverit sermonem seu Filium Dei, qui Patris sui ratio est, semper in illo fuisse, nec unquam ab eo separatum, ac proinde esse æternum? Quamobrem ubi dicit tempus fuisse; quo ille non erat, ibi procul dubio negare noluit ejus æternitatem, quam sæpius alibi asseruit ac tutatus est.

Quis ergo, inquies, verborum ejus sensus, quibus eam tam aperte inficiari videtur? Nobis facile quidem persuadebis nihil aliud sibi voluisse, quam aliis supra explicatis, quibus dixerat tunc perfectam fuisse illius nativitatem, quando Deus ad mundum creandum aggressus est. Tametsi enim antea et ex æterno, uti ostendimus, hic Filius Dei genitus fuerit; nondum tamen ex æterni Patris sinu, seu intellectu, tanquam ex ejus matrice, vulva et corde excesserat. Ante res igitur creatas nec Filius esse, nec Patrem habere cognoscebatur? Cum autem Pater illum extra se emisit, tunc ejus generationem, et illum revera Filium Dei esse, homines agnoscere cœperunt. Tertullianus itaque ut frivolam Hermogenis ex voce *Domini* sumptam argumentationem efficacius everteret, dici posse arbitratus est fuisse tempus, quo nec Deum esse patrem, nec ejus Filium homines agnoscebant; quia hujus generatio et nativitas ipsis comperta et agnita non fuerat. Ast ubi eam agnoverunt, tunc, sicuti dictum ab eo vidimus, hæc generatio perfecta fuit. De hac igitur perfecta, eo, quo notavimus, sensu generatione loqui videtur.

At hanc revera esse illius mentem confici potest ex citatis ipsiusmet adversus Hermogenem verbis: *Sophia ipsius*, inquit, *exinde nata et condita, ex quo in sensu Dei ad opera mundi disponenda cœpit agitari* (*Tertullian. lib. advers. Hermogen. cap.* 18); quia hæc ipsa Sophia, quæ, illo, ut diximus, latente, in Deo patre semper fuit, hominibus ex ipso nata apparuit, ac manifesta ipsis facta est. Non enim dixit eam tum primum ortam ac genitam. Nam hoc ipso loco, quo Hermogenis argutias explodit, illam ab æterno ortam fuisse disertissime prædicat: *Si necessaria est*, inquit, *Deo materia ad opera mundi, ut Hermogenes existimavit, habuit Deus materiam longe digniorem et idoneiorem, non apud philosophos æstimandam, sed apud prophetas intelligendam, Sophiam suam scilicet. Hæc denique sola cognovit sensum Domini. Quis enim scit quæ sunt Dei, et quæ in ipso, nisi spiritus qui in ipso? Sophia autem spiritus.* Unde ille concludit: *Quis non hanc potius omnium fontem et originem commendet, materiam vero materiarum non sibi subditam, non statu diversam, non motu inquietam, non habitu informem, sed insitam et propriam, et compositam, et decoram, quali Deus potuit egisse, sui magis quam alieni egens?* At quis non intelligit ibi a Tertulliano asseri Sophiam Dei, ab omni æternitate fuisse a Patre suo genitam, quæ spiritus tantum est, ac Dei Patris consiliarius, quæ ab eo non *statu*, id est, ut supra notavimus, substantia est diversa, sed *propria*, ac semper insita fuit, et qua sola, nec ulla alia re, ad mundi creationem egebat, si tamen Deus aliquo unquam eguisse dici possit?

His porro ita stabilitis, Hermogeni Deum materia indiguisse, atque adeo ipsi esse coæternam effutienti respondet: *Idcirco etiam Sophiam Dei natam et conditam prædicari, ne quid innatum et inconditum præter solum Deum crederemus* (*Ibid.*). Dicit itaque Sophiam, seu Sermonem et Filium Dei, aliquando natam præ-

Digitized by Google

dicari, et *agitari* cœpisse juxta citatum ab illo prophetæ dictum, *Eructavit sermonem optimum : Atque ita natus*, inquit, *Sermo Dei, qui et ejus Sophia est ;* quia ex sinu Patris sui, in quo ab æterno genitus latuerat, tunc exivit, et excessit, atque ita, ut diximus, perfecta fuit ejus nativitas ; quia tum, nec antea hominibus patefacta et demonstrata est. Quemadmodum autem hæc ipsa Filii Dei generatio, ita etiam divini ejus Patris dominatio, imo et paternitas, a creaturis rationis compotibus cœpit mundi primordio agnosci, et Deus sicut Patris, ita et Domini appellari nominibus. Porro autem hanc esse Tertulliani mentem, inde conficitur, quod ibi disputet adversus Hermogenem, qui contendebat Deum ab æterno non esse Dominum, nisi habuerit extra se materiam, cujus revera dominus fuerit. Cæterum, quamvis Tertullianus ab omni argumentationis hujus difficultate sese penitus non extricaverit ; nemo tamen inde concludere merito potest ab illo negatam fuisse Filii Dei æternitatem, ac divinam naturam. Quis enim nescit intellectu difficillima quædam documenta a pluribus haud dubitanter asseri, qui omnes quibus implicantur difficultatum nodos penitus solvere non possunt ? At evidentissime ostendimus quam constanter, quam diserte, et sine ullis verborum ambagibus Tertullianus asseruit ac vindicavit Filii Dei æternitatem divinamque ejus naturam. Sed illam adhuc alibi non minus perspicue prædicat, quemadmodum in sequenti capite videbimus.

CAPUT IX.

De Christo Deo et homine.

ARTICULUS PRIMUS.

De humano Christi ex virgine ortu, a sacris prophetis prænuntiato : cur dicitur homo Deo mixtus : ejus in terras adventum non posse rejici a gentilibus, qui ad destruendam illius veritatem quædam similia finxerant.

Satis abunde, nisi plane fallimur, a nobis demonstratum est quam vera orthodoxaque fuerit Tertulliani de suprema Verbi, sive Sermonis et Filii Dei divinitate, sententia ac doctrina. Sed his lucis adhuc aliquid afferre ea possunt, quæ ille de eodem Dei Filio humana carne induto tradidit. Gentilibus autem breviter, hunc que in modum explicat quid de illo Christiani sentirent : *Iste Dei radius*, id est, Filius Dei, qui ex Patris sui sinu tanquam radius ex Sole prodiit, *ut retro semper prædicabatur ab antiquis*, nimirum prophetis, *delapsus in virginem quamdam, et in utero ejus caro figuratus, nascitur homo Deo mixtus* (*Tertullian. Apologet. cap.* 21, *pag.* 399). Sed hæc alio in libro clarioribus hisce verbis exposuit : *Itaque utriusque substantiæ census hominem et Deum exhibuit ; hinc natum, inde non natum ; hinc carneum, inde spiritalem ; hinc infirmum, inde præfortem ; hinc morientem, inde viventem. Quæ proprietas conditionum divinæ et humanæ æqua utique naturæ utriusque veritate dispuncta est, eadem fide spiritus et carnis ; virtutes spiritum Dei, passiones carnem hominis probaverunt* (*Idem, lib. de Carne Christi cap.* 5). Luculenter igitur docet perfectam omnino fuisse in Christo divinam humanamque naturam. Nec minus aperte declarat duas illas Christi naturas confusas non fuisse, sed a se invicem ita distinctas, ut penitus diversæ sint earum proprietates.

In Apologetico itaque cum ab eo dictum est : *Nascitur homo Deo mixtus* (*loc. supr. cit.*), ibi procul dubio non significat duas ejus naturas, uti postea Eutychiani somniaverunt, fuisse permixtas et confusas, sed sic sibi, sicut alibi patefecimus, copulatas et conjunctas, ut Christus et verus Deus, et verus homo sit (*Dissert. in Lactant. cap.* 17, *art.* 3).

Non communi autem hominum more illum hominem factum esse docet ; sed *delapsus*, inquit, *in virginem*, quæ sine ullius viri opera illum genuit (*Apologet. loc. cit.*). Verum quia hoc creditu difficillimum, vel ab ethnicis irrideri poterat, Tertullianus consulto sane cunctos admonet illud a sacris prænuntiatum fuisse prophetis, quorum auctoritas a nemine, ut supra diximus, potest infirmari. Quapropter ille paulo ante dixerat : (*Venit igitur qui ad reformandam et illuminandam eam*, gratiam Judæorum Christianis transmissam, *venturus a Deo prænuntiabatur Christus ille Filius Dei*). *Hujus igitur gratiæ disciplinæque arbiter et magister, illuminator atque deductor generis humani, Filius Dei annuntiabatur ; non quidem ita genitus, ut erubescat in filii nomine, aut de patris semine,.... Dei Filius nullam de impudicitia habet matrem ; etiam quam videtur habere, non nupserat* (*Ibid.*). Omnia hæc totidem verba in nostris codicibus manuscriptis et antiquis editionibus ad Rigaltium usque exhibentur. Sed Rigaltio, quem alii postea secuti sunt, primam hujus loci phrasim, uncinis inclusam, penitus resecare placuit. Nullam tamen amputationis illius reddidit rationem, imo ne minimum quidem verbum. At tametsi hæc phrasis inutilis prorsus, et textui Tertulliani omnino præpostere inserta ipsi visa sit ; lector tamen hujus additamenti saltem admonendus erat.

Cæterum, nulli obscura esse potest sententia Tertulliani, qui manifestissime pronuntiat Filium Dei delapsum esse in virginem, ex qua humanum corpus accepit. Virginem autem dixit, quia hic Dei Filius, *nullam*, inquit, *de impudicitia matrem habet ; etiam quam videtur habere, non nupserat.* At si ulla absque impudicitiæ labe, et maritali consortio mater facta est, certe Christum salva virginitatis suæ integritate genuit. Sed qua ratione, inquiet aliquis, dici potuit : *Non nupserat ?* Nonne plerique omnes illam Josepho nuptam revera fuisse asseverant ? Respondent aliqui hoc verbo *non nupserat*, nihil aliud significari, nisi Mariam virum non cognovisse. Nam et ipsa angelo respondit : *Quomodo fiet istud ; quoniam virum non cognosco ?* (*Luc. cap.* 1, *v.* 34). Sed his probandum erat a quibus verbum *nubo* hoc sensu accipiatur. Nonnullis vero hæc, quam Hieronymi esse putant, probatur opinio Mariam quando concepit Christum,

Digitized by Google

sponsam, sive ut Evangelistarum utamur verbo, *desponsatam* quidem fuisse Josepho, cui post breve a conceptu intervallum nupta est. Sed nullus Tertulliani mentem certius, quam ille ipse aperire potest (*Petav. tom. V. Theolog. dogmat. lib. XIV. cap. 3. § 10; Hieronym. adv. Helvi*). At in suo de carne Christi libro hæc de Maria virgine scripsit : *Etsi virgo concepit, in partu suo nupsit, ipsa patefacti corporis lege*, quam ibidem citat : *Omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum vocabitur Domino* (*Idem, lib. de carne Christ. cap.* 23). Vides sane verbum *nubere* hic ab eo sumi pro virginis partu, quo vulva ejus reserata est. Non jam quidem quærimus quo sensu eam apertam esse dixerit, de quo in nostris ad Ambrosium observationibus. Nobis enim nunc sufficit illud, de quo igitur verbum *nubere* ab eo accipi pro muliebris uteri in partu patefactione (*Not. in Ambros. Exposit. Evang. sect. Luc.*). Sicut autem negare non possumus hanc minime propriam esse hujus verbi significationem, ita certe omnes fateri debent illibatam Mariæ virginitatem ab illo evidentissime asseri (*Tom. I. Apparat. lib. III, dissert. 2, cap. 6, art. 9, pag.* 973). Non in suo enim tantum Apologetico, sed alio etiam in libro, ut alibi vidimus, illud documentum stabilit, ac confirmat tanquam ab universa sui temporis Ecclesia, et antea magno consensu receptum. Nos vero de eo in superioribus nostris dissertationibus disputavimus (*Ibid. lib. II, dissert. 6. cap. 7, § 5, pag.* 597 ; *Dissertat. in Lactant. cap. 17. art. 3. tom. 1. Apparat. loc. cit. et lib. 3, dissert. 2, cap. 6, art. 4, pag.* 597, *et seqq. et Dissert. in Lactant. cap. 8, art. 1*).

Palam adhuc Tertullianus profitetur hunc Christi ex virgine ortum, et adventum in terras, a sacris nostris vatibus prænuntiatum fuisse. Sed quæ sint illorum oracula, hoc in libro, in quo brevitati consulebat, plane tacuit. Plura vero ille in libro adversus Judæos, et alii in aliis libris retulerunt, de quibus adhuc in iisdem superioribus nostris dissertationibus actum a nobis fuit. Omittere tamen non possumus Justini martyris testimonium, quod Tertulliani dictis optime congruit, eaque mirum in modum confirmat. Ubi enim sanctissimus ille martyr plures de futuro Christi adventu sacrorum prophetarum prædictiones citat, atque hanc in primis Isaiæ, *Ecce Virgo in utero habebit :* ibi ostendit nullam inde ethnicis dari occasionem suum excusandi Jovem, qui plures adulterino concubitu liberos susceperat. Nam illud Isaiæ vaticinium : Σήμαινει οὐ συνουσιασθεῖσαν τὴν παρθένον συλλαβεῖν· εἰ γὰρ ἐσυνουσιάσθη ὑπό τινος οὖν, οὐκ ἔτι ἦν παρθένος· ἀλλὰ δύναμις Θεοῦ ἐπελθοῦσα τῇ παρθένῳ, ἐπεσκίασεν αὐτὴν, καὶ κυοφορῆσαι παρθένον οὖσαν πεποίηκε. *Significat virginem absque consuetudine venerea concepturam fuisse. Si enim cum quoquam consuevisset, non jam virgo fuisset. At enim virtus virgini supervenies, illi obumbravit, et virgo cum esset, ut fœtum gravida in utero ferret, effecit* (*Justin. Apolog.* 1).

Verum si certo nullus pronuntiare audeat Tertullianum ad hæc collineasse Justini verba, nemini profecto dubium esse potest, quin Cyprianus ad hunc Tertulliani nostri locum respexerit, cum hæc scriptis tradebat : *Hujus igitur indulgentiæ, gratiæ, disciplinæque arbiter et magister, Sermo et Filius Dei mittitur, qui per prophetas omnes retro illuminator et doctor generis humani prædicabatur..... Hic in virginem illabitur, carnem Spiritu sancto cooperante, induitur : Deus cum homine miscetur* (*Cyprian. lib. de Idolor. vanit.*). Mixtus autem ab eo, sicut a Tertulliano dicitur, non utriusque naturæ divinæ et humanæ ficta ab Eutychianis confusione, sed quia Christus, ut paulo ante monuimus, utramque naturam perfectam divinæ suæ personæ conjunctam copulatamque habet.

Tum dehinc Auctor noster ipsosmet gentiles allocutus, hæc ab iis rejici non posse sic demonstrat : *Recipite interim hanc fabulam*, sive sicuti fabulam, *similis est vestris, dum ostendimus quomodo Christus probetur. Sciebant qui penes vos fabulas ad destructionem veritatis istius æmulas præministraverunt* (*Tertullian. Apologet. cap.* 21, *pag.* 399). In nostris vero manuscriptis codicibus, et ante Rigaltium editis, post verbum *probetur*, hæc aliter, sicque scripta sunt : *et qui penes vos ejusmodi fabulas æmulas ad destructionem veritatis istiusmodi præministraverint.* Cur vero Rigaltius hæc verba immutaverit, nullam ab eo exspectes rationem. Tertullianus autem adversus ethnicos sic argumentatur : Objicere mihi potestis ea, quæ de Christo, ejusque ex virgine ortu, et humana vita dixi, meram esse fabulam. At, etsi id vobis concedere, hanc tamen non respuere, sed recipere debetis ; quippe quæ iis similis est, quas finxistis. Ostendimus enim quomodo Christus de virgine natus probetur, ac plures esse scriptores, qui similes fabulas, *ad destructionem veritatis penes vos præministraverint.* Dic autem, quæso, utrum hic descriptorum in codicibus nostris verborum Tertulliani sensus, magis quam in Rigaltiana editione obscurus sit.

Cæterum, antea Justinus martyr simili plane modo contra eosdem gentiles disputaverat : Εἰ δὲ καὶ διὰ παρθένου γεγεννῆσθαι φέρομεν, κοινὸν, καὶ τοῦτο πρὸς τὸν Περσέα ἔστω ὑμῖν. *Quod vero et ex virgine* Christum *natum esse prædicamus, commune sit hoc quoque propter Perseum vobiscum* (*Justin. Apolog.* 1). Nota enimvero est omnibus hæc fabula, qua gentiles commenti sunt Jovem, in aureum imbrem conversum, descendisse ad Danaen, et ab ea Perseum genuisse. Alias præterea ethnicorum fabulas ibidem sanctus martyr memorat, quas his, quæ de Christo vere narrantur, similes esse ostendit. Postea vero ille adjicit fabulas hujusmodi ab ethnicis poetis, instinctu dolisque dæmonum ideo decantatas, ut quæ a Christo mirabiliter gesta sunt, pro fabulis poeticisque commentis haberentur.

Nemo est autem, qui, nobis etiam silentibus, non intelligat quantum hæc Tertulliani dictis congruant, atque inde confirmentur. Non unam enim tantum de Jovis cum Danae nefario concubitu fabulam, sed alias etiam plures paucis hisce verbis perstrinxit : *Filius*

Digitized by Google

Dei annuntiabatur non quidem ita genitus, ut erubescat in Filii nomine, aut de Patris semine; non de sororis incesto, non de stupro filiæ, aut conjugis alienæ Deum patrem passus est squammatum, aut cornutum, aut plumatum amatorem, in auro conversum. Danaidis Jovis ista sunt nomina vestra (*Tertullian. Apologet. cap.* 21, *pag.* 396). Atque ita hæc leguntur in nostris codicibus manuscriptis, et editis vetustioribus, nisi quod in his punctum post nomen *Danaidis* posuere, et *aurum* pro *auro*. At Rigaltius illud *Danaidis* nomen abstulit propria, uti liquet, auctoritate, et contra omnium codicum manuscriptorum et editorum fidem. De his porro Jovis ad virgines et mulieres constuprandas conversionibus a nobis dictum est in superioribus nostris, ac præsertim in Arnobii libros dissertationibus (*Dissertat. in Arnob. cap.* 9, *art.* 4).

ARTICULUS II.

Eumdem Christi in terras adventum non posse negari a Judæis, nisi cæca obstinatione mulctatis.

Postquam Tertullianus adversus gentiles, eo, quem explicuimus, modo disputavit, tum continuo illa vera esse probat, quæ Christiani contra Judæos de Christi Domini adventu docebant. Sic quippe prosequitur: *Sciebant et Judæi venturum esse Christum, scilicet quibus prophetæ loquebantur. Nam et nunc adventum ejus exspectant, nec alia magis inter nos et illos compulsatio est, quam quod jam venisse non credunt. Duobus enim ejus adventibus significatis, primo, qui jam expunctus*, sive exactus, et confectus, *est in humilitate conditionis humanæ; secundo, qui concludendo sæculo imminet in sublimitate divinitatis exertæ*, id est, conspicuæ et manifestæ, *primum non intelligendo, secundum quem manifestius prædicatum sperant, unum existimaverunt* (*Tertullian. Apologet. cap* 21, *pag.* 400). De hoc autem Tertulliani fonte Cyprianus more suo potavit; atque suos sic transtulit in usus: *Sciebant et Judæi Christum esse venturum. Nam hic illis semper prophetis admonentibus annuntiabatur. Sed significato duplici ejus adventu, uno qui in exercitio et exemplo hominis fungeretur, altero qui Deum fateretur, non intelligendo primum adventum, qui passione præcessit occultus, unum tantum credunt, qui erit in potestate manifestus* (*Cyprian. de Idolor. vanit.*).

Uterque igitur fatetur verum fuisse Christi, assumpta hominis carne, adventum. Etenim ab veteribus sacrisque prophetis tam aperte, sicuti paulo ante monuimus, præmuntiatus est, ut Judæi illum ignorare non potuerint. Verum quia Christus in humanæ conditionis humilitate mortalem vitam egit, hunc Judæi verum Messiam esse præfracte negaverunt, ac superbia inflati exspectant alterum, qui in fine mundi cum tota divinæ majestatis gloria venturus est. Sed alibi ostendimus voluntarium fuisse hunc Judæorum errorem, qui non solum a Tertulliano nostro, et Cypriano, verum etiam a Lactantio funditus evertitur (*Dissertat. in Lactant, cap.* 17, *art.* 5).

Tanti autem Judæorum erroris, tantæque cæcitatis causa, inquit Tertullianus, eorum fuit delictum, quemadmodum Isaias prædixerat. Sed ipsemet Auctor noster adhuc audiendus est: *Ne enim intelligerent pristinum Christi adventum, crediturі, si intellexissent, et consecuturi salutem, si credidissent, meritum fuit delictum eorum. Ipsi legunt ita scriptum: mulctatos se sapientia et intelligentia, et oculorum et aurium fruge* (*Tertullian. Apologet. cap.* 21, *pag.* 400). Cyprianus vero sic rursum ejus pressit vestigia: *Quod autem hoc Judæorum populus intelligere non potuit, delictorum meritum fuit. Sic erant sapientiæ et intelligentiæ cæcitate mulctati; ut qui vita indigni essent, haberent vitam ante oculos, nec viderent* (*Cyprian. lib. de Idolor. vanit.*).

Ambo autem ad hæc procul dubio collineabant, ac tacito nomine, citabant Isaiæ verba: *Dices populo huic: Audite audientes, et nolite intelligere, et videte visionem, et nolite cognoscere. Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos claude, ne forte videat oculis, et auribus audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum* (*Isai., cap.* 6, *v.* 9 *et* 10). Quæ quidem citata invenies non solum in Matthæi Evangelio et Actibus Apostolorum, sed a Joanne etiam Evangelista hunc in modum: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum; ut non videant oculis, et intelligant corde, et convertantur, et sanem eos* (*Matth. cap.* 1, *v.* 14, *Act. cap.* 28, *v.* 26. *Johann. cap.* 12, *v.* 39 *et* 40). Sed de Judæis intolerabili prorsus obstinationis vitio obcæcatis, quique idcirco credere amplius non potuisse dicuntur, in nostra de Lactantii libris dissertatione jam disputavimus, atque infra articulo tertio aliquid adhuc dicendum (*Dissertat. in Lactant. cap.* 16, *art.* 2).

Neque hic stetit indomita et cæca Judæorum pervicacia: sed cum Christus inauditis hactenus miraculis ex æterni sui Patris sinu se venisse unicuique manifestissime patefaceret, hæc illi magicis artibus tribuere ausi sunt. Verum enimvero, *quem solummodo*, ita pergit Tertullianus, *hominem præsumpserant de humilitate, sequebatur uti magum æstimarent de potestate, cum ille verbo dæmonia de hominibus excuteret, cæcos reluminaret, leprosos.... ostendens sese λόγον Dei, id est, verbum illud primordiale, primogenitum, virtute et ratione fultum* (*Tertullian. Apologet. cap.* 21. *p.* 400). Ita in Rigaltii editione. In nostris autem codicibus, et antea editis: *Ostendens se esse*, sive *sese Verbum Dei, id est*, λόγον, *illud*; ac post verbum *fultum*, in eis additum est, *eumdem qui verbo omnia et faceret et fecisset*. Sed quoniam priora verba a Rigaltio transposita fuerunt, aliquam saltem cur posteriora deleverit, rationem reddere debebat. Numquid autem ea rejecit, vel quia ibi est solœcismus, vel quia inutilia esse arbitratus est? Quid vero si pronomen *eumdem* ad λόγον referatur? Nonne in Joannis Evangelio legimus, *Principium qui et loquor vobis* (*Joann. cap.* 8, *v.* 25)? Numquid in his minor est, quam in Tertulliani verbis solœcismus? Denique ultima verba, quæ in omnibus nostris codicibus legi-

Digitized by Google

mus, nec superflua videntur, nec parum ad Tertulliani conducunt propositum.

Major itaque fuit Rigaltii diligentia, cum ibidem monitos lectores esse voluit, in quibusdam Auctoris nostri, et Cypriani exemplaribus legi quidem *magnum*, sed aptius scriptum videri *magum*. Bene quidem. Tertullianus enim postea dixit: *Ecquis ille Christus cum fabula sua, si homo communis conditionis, si magus* (*Tertullian. Apologet. cap.* 20, *pag.* 25)? Nos quoque præterea observavimus in Harlæano codice, ubi habetur *magnum*, apposita esse duo puncta infra litteram *n*, quibus superflua delendaque notatur. Tertulliani vero locus a Cypriano sic transcriptus est: *Cum Christus Jesus secundum a prophetis ante prædicta, verbo et vocis imperio dæmonia de hominibus excuteret, paralyticos restringeret, leprosos purgaret..... Judæi qui illum crediderunt hominem tantum de humilitate carnis et corporis, existimabant magum de licentia potestatis*, et apud Tertullianum nostrum *de potestate* (*Cyprian. de Idolor. vanit.*). In quatuor vero, quos nacti sumus, antiquioribus hujus Cypriani libris manuscriptis codicibus legitur *magnum*, in aliis autem *magum*. Verumtamen posterior hæc lectio alteri præponenda videtur; quia uterque disserit de divina Christi potestate, qua miracula propemodum infinita, et huc usque inaudita edebat, quæ impudentissimi calumniatores Judæi magicis illius artibus adscribere ausi fuerant. De his autem Christi miraculis, quibus evidentissime comprobavit se esse Dei Filium, et assumpto corpore humano, vitam egisse mortalem, in superiori aliisque dissertationibus nostris disputavimus (*Dissert. in Lactant., cap.* 9, *art.* 2 *et seqq., cap.* 18. *art.* 3).

ARTICULUS III.

Christum violentis Judæorum suffragiis, sicut ipse prædixerat, in crucem a Pilato Syriæ procuratore actum, sponte et cum verbo spiritum dimisisse; de solis tum deliquio, in arcana relato, ac de Christi sepultura.

Quanquam tot tamque stupenda Christi miracula invictissime adversus Judæos, ac quoscumque alios illum vere Deum et hominem fuisse, ac cum hominibus vixisse demonstrent; hoc tamen Tertullianus satis sibi non esse arbitratus est. Pergit enim, nec minus luculenter demonstrat id adhuc stabiliri confirmarique posse aliis similibus miraculis, quæ ab illo ante et post mortem edita sunt. Eum ergo sequamur, et de illa Christi morte disserentem audiamus: *Ad doctrinam*, inquit, *ejus quia* (manuscripti codices, *qua*) *revincebantur, magistri, primoresque Judæorum ita exasperabantur, maxime quod ad eum ingens multitudo deflecteret, ut postremo oblatum Pontio Pilato, Syriam tunc ex parte Romana procuranti, violentia suffragiorum in cruce* (manuscripti codices, *Jesum*) *dedi sibi extorserint* (*Tertullian. Apologet. cap.* 21. *p.* 400). Cyprianus vero hæc ab Auctore nostro sic mutuatus est, ut quædam etiam deceerpserit illius verba: *Hunc*, inquit, *magistri eorum*, Judæorum, *atque primores, hoc est, quos et doctrina ille et sapientia revincebat, accensi ira, et indignatione provocati, postremo detentum Pontio Pilato, qui tunc ex parte Romana Syriam procurabat, tradiderunt, crucem ejus, et mortem suffragiis violentis ac pertinacibus flagitantes* (*Cyprian. de idolor. vanit.*). Quod autem uterque ac postea Lactantius tam diserte appellant Pilatum Syriæ procuratorem, hoc non caret difficultate: sed eam in nostra ad hujus libros dissertatione enodare tentavimus. Rationem quoque reddidimus cur Judæi dicantur doctrina Christi *exasperati*, hoc est, asperiores facti, sive, ut ait Cyprianus, *ira et indignitate* accensi, quia legem eorum solvebat et antiquabat (*Dissertat. in Lactan. c.* 18. *art.* 2).

Addit autem Tertullianus: *Prædixerat et ipse ita facturos. Parum hoc* (in manuscriptis desideratur pronomen *hoc*), *si non et prophetæ retro* (*Tertullian. Apologet. cap.* 21. *pag.* 401). Sed hæc paulo fusius apertiusque a Cypriano his verbis explicata sunt: *Hoc eos facturos et ipse prædixerat, et prophetarum omnium testimonium sic ante præcesserat, oportere illum pati, ut non sentiret tantum mortem, sed ut vinceret* (*Cyprian. de Idolor vanit.*). Quo autem modo Christus inferendam sibi a Judæis necem prædixerit, non unus tantum, sed omnes Evangelistæ maximo plane consensu testificati sunt. Ab ipsis quoque veteris Testamenti prophetis annuntiatam fuisse alibi ostendimus.

Tum deinde Auctor noster: *Et tamen suffixus cruci spiritum cum verbo dimisit, prævento carnificis officio* (*Matth., c.* 20, ℣. 18, 19; *Marc.*, 10. 35; *Luc.*, 10, 33 *et* 18, 31; *Johann.*, 3, 4 *et* 8; *Act.* 12, 32; *Dissertat. in Lactant. cap.* 8. *art.* 2; *Tertullian. Apol. cap.* 21. *p.* 401). Ita quidem Rigaltius. Sed miram plane adverte ibi, sicut alibi, ejus diligentiam. Non aliam quippe notavit diversam lectionem, nisi, *et tandem*, pro, *et tamen*. At in omnibus nostris manuscriptis exemplaribus, sicut et antea editis, hæc habentur: *Et tamen suffixus, multa mortis illius propria ostendit insignia. Nam spiritum cum verbo sponte dimisit, prævento carnificis officio.* Si omnia autem hæc verba Rigaltio non arridebant, cur nulla data ratione, et illa abstulit, et verbum *sponte*, quod apud Cyprianum, Tertulliani sequestrem, fidumque interpretem sic legitur: *Crucifixus, prævento carnificis officio, spiritum sponte dimisit* (*Cyprian. de Idolor. vanit.*). Nonne Rigaltius intelligere hinc potuit eadem esse Tertulliani verba, quæ Cyprianus in hujus Apologetici codice haud dubie legerat? Numquid etiam oblitus fuerat, aut dissimulare potuit quod a Lactantio similiter scriptum observavimus: *Suspensus atque affixus, exclamavit ad Dominum voce magna, et ultro spiritum posuit* (*Dissertat. in Lactan. cap.* 18. *art.* 3). Obiter autem adverte his verbis, *voce magna*, idem significari atque his Tertulliani nostri, *cum verbo dimisit*. Ut quid tandem Rigaltius alia abrasit ejusdem Tertulliani verba, quibus adversus Judæos, aliosque probare voluit Christum Deum et hominem sponte sua esse mortuum, quemadmodum facta tunc ab eo miracula demonstrabant?

Digitized by Google

Quod vero ille, ac postea Cyprianus dicunt, *prævento carnificis officio*, illud planius et enodatius his Lactantii verbis explicatur : *Fixus cum spiritum deposuisset, necessarium carnifices non putaverunt ossa ejus suffringere, sicut mos eorum ferebat* (*Lactant. lib. 4, divin. Instit. cap.* 26). De hoc autem more Lipsius disputat, quem si lubet et vacat, adire poteris (*Lips. lib. 2, de cruce, cap. 14, pag.* 663, *tom.* 3).

Prosequamur interim, et, quid de Christo moriente addat Tertullianus, videamus : *Eodem*, inquit, *momento*, quo animam agebat, *dies, orbem signante sole, subducta est. Deliquium utique putaverunt, qui id quoque super Christo prædicatum non scierunt* (*Tertullian. Apologet. cap.* 21, *pag.* 401). Et hæc quidem, nec plura leguntur in omnibus codicibus, cum editis antiquioribus, tum manu qualibet exaratis. Sed in editione sua hæc adjecit Rigaltius : *ratione non deprehensa, negaverunt*. Atque ita ille textui Tertulliani hæc addidit, sicuti non pauca pluribus aliis in locis ex eo abstulerat. Unde autem illa desumpserit nobis nec ille indicat, nec divinare utique possumus. Duobus autem usus est manuscriptis hujus libri codicibus, Puteano et Pithœano, ac variis Fuldensis lectionibus. Puteanum autem antiquitate sua venerandum, et Pithœanum præ manibus habemus, in quibus superaddita illa verba non occurrunt. Notare igitur Rigaltius debebat utrum inter variantes Fuldensis exemplaris lectiones reperiantur, et cur hujus solius auctoritatem cæteris omnibus prætulerit.

De memorata deinceps a Tertulliano solis defectione, ejusque prædictione alibi disseruimus (*Dissert. in Lactant. cap.* 8, *art.* 2). Quantum vero ea perculsi fuerint non solum Judæi, sed etiam gentiles, ex his conjice subsequentibus Auctoris nostri verbis : *Et tamen eum mundi casum relatum in arcanis vestris habetis* (*Tertullian. ibid*). Quæ quidem ita in nostris codicibus, sicut in Rigaltii editione scripta sunt. At quis non laudabit singularem eruditi illius viri sedulitatem, qui nos ibi admonuit in aliis editionibus, pro *arcanis*, positum *archivis ?* Majori tamen laude dignus procul dubio foret, si hac aliisque nonnullis similibus certe levissimis lectionibus notatis, alias longe plures et gravioris profecto momenti non prætermisisset. Nam *archiva* idem plane significant atque *arcana*, quæ, Festo et Servio testibus, dicuntur secreta et clausa, et a quibus omnes arcentur (*Festus, lib.* 20, *de Verbor. significat.; Servius in Virgil. lib.* 1. *Æneid. v.* 266).

Porro autem illud solis *deliquium* in arcana gentilium relatum esse Auctor noster asseverat ; quia illud et alia, quæ ante et post Christi mortem evenerant, a notariis publicis, aut aliis descripta in eorumdem gentilium archivis servabantur. Quæ autem hæc sint archiva sive arcana, an Romanorum vel aliorum gentilium, ex his forsitan colligi poterit, quæ paulo post dicemus de Pilati ad Tiberium imperatorem de Christo litteris.

Interea vero animadvertemus manus adhuc a Rigaltio illatas his subsequentibus Tertulliani verbis : *Hunc Judæi detractum de cruce, et sepulcro conditum, magna etiam militaris custodiæ diligentia circumsederunt* (*Ibid.*). In nostris siquidem manuscriptis et antea editis exemplaribus legitur : *Tunc Judæi..... magna etiam militari manu, custodiæ diligentia circumsederunt.* Quid autem ibi nocebant hæc verba, *magna militari manu ?* Nonne his Auctor noster significantius expressit non parvum fuisse militum numerum, qui sepulcrum Christi diligentissime custodiebant ? Sed cætera prosequamur.

ARTICULUS IV.

De Christi a morte ad vitam regressu, apparitionibus in Galilæa, ordinatis ad disseminandum Evangelium discipulis, illius in cœlos ascensu, et iis omnibus a Pilato ad Tiberium imperatorem relatis : cur Cæsares Christo credidissent, si non essent sæculo necessarii.

Pergit Tertullianus, certioresque nos facit Christum prædixisse fore ut tertia post mortem suam die ad vitam revocaretur (*Tertullian. Apologet. cap.* 21, *pag.* 401). Recte quidem, quemadmodum a nobis alibi explicatum est (*Dissert. in Lactant. cap.* 8, *art.* 2). Suis autem Christus stetit promissis, et rediit ad vitam. At *postquam ita resurrexisset*, ejusdem auctoris nostri verba sunt : *nihil in sepulcro repertum est præterquam exuviæ sepulcri* (*Ibid.*). In codicibus nostris et aliis editionibus, *sepulti ;* et melius quidem. Nam exuviæ dicuntur imprimis hominum, et aliquando bestiarum. Quamobrem Lactantius : *In sepulcro*, inquit, *nihil repertum est, nisi exuviæ, quibus convolutum corpus incluserant* (*Lactant., lib. 4 divin. Institut., cap.* 29 ; *Dissert. in Lactant. cap.* 19, *art.* 2).

In eadem quoque nostra de hujus libris dissertatione ostendimus quomodo ea explanaverit, quæ a Tertulliano de Christi morte, sepultura, et resurrectione dicta, atque hunc in modum ibidem subjuncta sunt : *Nec ille* Christus *redivivus se in vulgus eduxit, ne impii errore liberarentur* (*Tertullian. Apologet. cap.* 21, *pag.* 402). Ibi autem demonstravimus hunc loquendi modum, qui non solum a Tertulliano et Lactantio, sed Cypriano etiam, ac sacris nostris Scriptoribus adhibetur, plane immerito ab heterodoxis quibusdam vexari (*Dissert. in Lactant. loc. supr. cit. et cap.* 17, *art.* 5).

Posthæc vero Tertullianus de Christo, ad vitam revocato, hæc tradidit : *Cum discipulis quibusdam apud Galilæam Judææ regionem ad quadraginta dies egit, docens eos quæ docerent* (*Tertullian. ibid*). Quid ergo ? Numquid Christus per totum illud tempus in sola Galilæa, ac cum quibusdam tantum discipulis suis versatus est ? Nonne et alibi, et omnibus discipulis apparuit ? Sed Tertullianus, quia in hoc libro brevitati studebat, non id quidem negat, ac quæ in Galilæa sunt acta, narrasse sibi satis esse censuit. At Cyprianus, quamvis illum sequatur, non tam stricte, sed generaliter scripsit : *Apparuit discipulis suis talis..... fuerat..... ad dies quadraginta remoratus est ; ut de eo ad præcepta vitalia instrui possent, et discerent*

Digitized by Google

quæ docerent (*Cypria. de idolor. vanit.*). De his autem Christi apparitionibus, et doctrina qua discipulos suos imbuit, in aliis dissertationibus disputavimus (*Dissertat. in Lactant. cap.* 19, *art.* 3; *et Dissertat. in Cæcil. de mort. persecut. cap.* 4, *art.* 2).

In iisdem etiam enucleavimus quid significent hæc subsequentia Tertulliani verba : *Dehinc ordinatis eis ad officium prædicandi per orbem, circumfusa nube in cœlum est ereptus* (*Tertullian. loc. cit.*). In nostris vero exemplaribus, et aliis ante Rigaltium editis legimus : *In cœlum est receptus.* Numquid Rigaltius illum loquendi modum ferre non potuit? Cur ergo his potius non usus est Cypriani verbis : *In cœlum circumfusa nube sublatus est* (*Cypr. lib. de idolor. vanit.*)? Nonne melius ex discipulo, si id liceret, magistrum correxisset? Sed auctoribus sua verba relinquenda sunt. Alias enim actum esset de genuinis veterum scriptorum operibus.

Addit Tertullianus Christum ad cœlos conscendisse: *Multo melius, quam apud vos*, gentiles, *asseverare de Romulis Proculi solent* (*Tertullian. loc. cit.*). Rursus vero in iisdem nostris et editis codicibus, Rigaltio antiquioribus : *Multo verius... de Romulo Proculi solent.* Quis autem non videat hanc potiorem genuinamque esse Tertulliani lectionem? Nam ibi asserit multo verius esse Christum in cœlos ascendisse, quam Romulum, quamvis Proculi, id est, ii qui Proculi perjurio abutuntur, affirmare soleant visum a se Romulum in cœlos ascendentem.

Denique Auctor noster adjecit : *Ea omnia super Christo Pilatus, et ipse jam pro sua conscientia christianus, Cæsari tunc Tiberio nuntiavit. Sed et Cæsares credidissent super Christo, si et Cæsares non essent sæculo necessarii, aut si christiani potuissent esse cæsares* (*Ibid.*). Mutuam autem his verbis alia, ab eo superius scripta, dant utique lucem. Hæc autem totidemque sunt : *Tiberius annuntiata* (manuscripti nostri, et antiquæ editiones, *annuntiatum*) *sibi ex Syriæ Palæstina, quæ* (Pamelius, *quod*) *illic veritatem istius divinitatis revelaverant* (iidem manuscripti, et aliæ antiquiores editiones, *revelaverat*) *detulit ad senatum cum prærogativa suffragii sui. Senatus, quia non ipse probaverat, respuit. Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum* (*Tertullian. ibid. cap.* 5, *pag.* 291). Eusebius vero totum hunc Tertulliani, indicato ejus nomine, locum transcripsit. Prius autem narrat morem invaluisse, ut provinciarum rectores, quidquid novi apud ipsos contigisset, Imperatori nuntiarent. Quamobrem Pilatus, *de resurrectione*, inquit, *Servatoris nostri Jesu Christi, cujus per universam Palæstinam celebris fama erat, ad Tiberium principem retulit, multa quoque alia ejusdem miracula se auditu accepisse significans, et qualiter denuo ad vitam revocatus, a plerisque jam Deus haberetur. At Tiberium quidem ad senatum retulisse perhibent, sed senatum hujusmodi relationem aspernatum fuisse; specie quidem, eo quod senatus auctoritas ad id non exspectata videbatur, cum tamen lex vetus apud Romanos esset, ne quis absque decreto senatus pro Deo haberetur; re autem ipsa eo quod salutaris divinæ doctrinæ prædicatio auctoritate et auxilio hominum non indigeret. Cum igitur senatus relationem de Servatore repudiasset, Tiberius tamen in pristina sententia perseverans, nihil adversus doctrinam Christi durius molitus esse dicitur* (*Euseb. lib.* 2, *histor. Eccles. cap.* 2, *pag.* 40). Ita Valesius interpretatus est verba Eusebii græca, quæ, quia paulo longiora sunt, hic non transcribimus. Deinde vero Eusebius Tertulliani verba græcam in linguam sic transtulit : Τιβέριος οὖν ἀγγελθέντος αὐτῷ ἐκ Παλαιστίνης τοῦ δόγματος τούτου, ἔνθα πρῶτον ἤρξατο, τῇ συγκλήτῳ ἀνεκοινώσατο. Δῆλος ὢν ἐκείνοις ὡς τῷ δόγματι ἀρίσκεται· ἡ δὲ σύγκλητος, ἐπεὶ οὐκ αὐτὴ ἐδεδοκιμάκει, ἀπώσατο. Ὁ δὲ ἐν τῇ αὐτοῦ ἀποφάσει ἔμεινεν, ἀπειλήσας θάνατον τοῖς τῶν χριστιανῶν κατηγόροις. Valesius vero hæc iisdem latinis verbis reddidit, quæ in codicibus nostris et editionibus ante Rigaltium exhibita vidimus. Verum in suis notis, approbata ejusdem Rigaltii emendatione, verba græca Eusebii, aut alterius, ut ipse putat, interpretis corrupta esse opinatur. Sed si ipsi suboluissent quæ a Rigaltio in textu Tertulliani immutata sunt, potius græco scriptori fortasse subscripsisset.

Quidquid porro sit, ex utraque lectione satis perspicitur Tertulliani sensus, nec de illa esse potest ulla difficultas, nisi in his verbis, quibus Tiberius dicitur pro sua conscientia jam fuisse christianus. Nam ibidem dixit, Cæsares non credidisse, quia Cæsares erant. Sed ibi verbo *credere* nihil videtur aliud significasse, nisi publicam Christianæ religionis professionem. Pro sua igitur conscientia Tiberius erat christianus, sed ausus non est id palam profiteri.

At cur, inquies, adjecit Auctor noster : *Cæsares credidissent, si non essent sæculo necessarii?* Respondet Rigaltius illud ideo dictum fuisse, quia, uti infra videbimus, persuasum habebant fore ut mundus, quem nolebant tam cito destrui, cum Romano imperio everteretur. Sed quænam, obsecro te, ex hoc errore induci potest vitæ unius aut alterius Cæsaris necessitas? Nonne autem Tertullianus dicere potuit Cæsares sæculo esse necessarios, id est, sæculi et populorum moribus, ac præsertim receptis religionum institutis tanta necessitate obstrictos, ut ea sine seditionibus, atque imminenti etiam et capitis et imperii subvertendi periculo labefactare aut immutare non possent?

ARTICULUS V.

Vera esse ea omnia, quæ de Christo Deo et homine dicta sunt; neminî fas esse de religione sua mentiri; Christianos absque ulla ambiguitate aut dissimulatione palam et in tormentis etiam dirissimis clamasse Deum a se per Christum coli, nec id posse improbari a Judæis, qui Deum per Moysen, nec a gentilibus, qui per Orpheum, Musæum, Melampum et Trophonium falsos deos colere didicerant.

Quæ hactenus de Christo, sive Deo Deique Filio, sive vero homine, a Tertulliano scripta vidimus, hæc ille verissima esse tanta asseveratione affirmat, ut nullum, ne minimum quidem, relinquat de iis dubi-

Digitized by Google

tandi locum. Nam ethnicos ipsos sic compellat : *Hic est ordo nostræ institutionis, hunc edidimus et sectæ et nominis censum cum suo auctore* (*Tertullian.*, *Apolog.*, *c.* 21, *p.* 403). Census autem ab eo dicitur recensio, recognitio et explicatio. In hoc autem nemo, inquit, aliud prorsus esse existimet, quod occultatum aut dissimulatum voluerim. Nihil enim his, quæ retuli, verius esse potest ; quia *nec fas est ulli*, ait, *de sua religione mentiri.*

Christianorum autem pectoribus tam alte insitum erat illud documentum, ut exquisitissimis quibuslibet suppliciis torqueri et necari mallent, quam interrogati de sua religione, aliquid, imo suum duntaxat christianum nomen, aut negare aut dissimulare. Quocirca Justinus martyr, ut alibi diximus, similiter gentilibus dicebat : Considerate, ὅτι ἐκ τοῦ ἐφ' ἡμῖν εἶναι ἀρνεῖσθαι ἐξεταζομένους, οὐ βουλόμεθα ζῆν ψευδολογοῦντες, *Quod in nostra potestate est, ut cum inquirimur, negemus ; sed nolumus vivere mendaciter*, id est, nolumus vivere, religionem nostram mentientes, aut dissimulantes (*Justin.*, *Apologet.*, I *ad Antonin.*, *p.* 57, *t.* I *Apparat.*, *p.* 357). Tantum autem piaculum esse putabant, quando de religione sua interrogabantur, dictis respondere ambiguis ; ut, ipso adhuc Tertulliano teste, qui martyrium magis timebant, hi ipsi torqueri necarique maluerint, quam tres sanctissimæ Trinitatis personas confitendo, plures dicere deos.

Cur autem omne de religione mendacium, aut quælibet dissimulatio, penitus damnetur, si quæras, respondebit Tertullianus, *eo quod qui aliud a se coli dicit, quam colit, negat quod colit, et culturam et honorem in alterum transfert, et transferendo jam non colit, quod negavit* (*Tertullian.*, *Apologet.*, *c.* 21, *c.* 403). At Rigaltio placuit hæc delere verba, *et honorem*. Quis autem ea ibi non inutilia esse diffitebitur ? Non enim cultura et honor omnino synonyma sunt ; et quamvis essent, nemo tamen negabit Tertullianum iis uti potuisse. Sed hæc minimi, nisi ad notandam Rigaltii audaciam, sunt momenti. At certe longe gravioris ponderis est hæc Auctoris nostri ratiocinatio : qui dicit Jovem verbi gratia a se coli, et alium Deum colit, is Jovem deum esse negat, et ejusdem Jovis cultum et honorem in alium transfert, ac sic transferendo, non ipsum, sicuti dicebat, Jovem colit, illumque deum esse negat.

Quapropter nos Christiani, inquit ille, rejecta omni prorsus dissimulatione, fraude, et ambiguitate, *palam dicimus, et vobis ethnicis torquentibus, lacerati et cruenti vociferamur : Deum colimus per Christum* (*ibid.*, *c.* 403 *et seq.*), per quem, seu quo docente, nos didicimus quis verus sit Deus, quem omnes colere debent. At homo, arguebant ethnici, fuit Christus. Esto, respondet Tertullianus ; non idcirco tamen Christiani eum colentes torqueri et occidi ab ethnicis debebant, nisi hi Judæos, Græcos, ac Romanos etiam eodem modo condemnarent. Nam Judæi, inquit, *Deum per hominem Moysen colere didicerunt* (*ibid.*, *p.* 23). In suis quippe libris Moyses docuit qua ratione, quibusque ritibus Deus ab illis coli debebat.

Græcos vero *Orpheus Pieriæ*, pergit Auctor noster, *Musæus Athenis, Melampus Argis, Trophonius Bœotiæ initiationibus falsorum deorum homines obligaverunt* (*ibid.*), hoc est alligaverunt et obstrinxerunt. Nos vero alibi ostendimus ab Orpheo introducta fuisse Liberi sacra et festa, quæ idcirco orphica appellata sunt (*Dissertat. in Lactant.*, *cap.* 30, *art.* 3). Alio autem in loco citavimus Diodori Siculi verba, quibus narrat Herculem venisse Athenas, ut matris Eleusinæ initiaretur mysteriis, quorum Musæus Orphei filius προεστηκώς, præfectus erat, qui proinde docebat quomodo his homines obligarentur (*tom.* I *Apparat.*, *lib.* III, *dissert.* 2, *cap.* 35, *p.* 1280).

Præterea idem Diodorus Siculus, quemadmodum in nostra de Lactantii libris dissertatione annotavimus, litteris mandavit Melampodem ex Ægypto in Græciam transtulisse sancita Baccho orgia (*Dissertat. mox. cit.*, *Diodor.*, *lib.* I, *biblioth.*, *p.* 61). Subjunxit etiam fabulosam de Saturno, ac Titanibus, atque deorum affectionibus narrationem, quæ tametsi omnibus non probetur, non parum tamen conducit ad Tertulliani nostri propositum.

Trophonius porro Ergini, aut potius Apollinis filius esse ferebatur, cujus oraculum, sicut alibi Tertullianus ait, in Bœotia exstabat (*Tertullian.*, *loc. cit. et lib. de Anim.*, *c.* 46). At plura de eo, et ædificatis ab eodem Trophonio deorum, ac nominatim Apollinis Delphici, templis memoriæ prodiderunt Pausanias, Lucianus, Cicero, Philostratus, Erasmus, et alii a nobis in superiori de Arnobii libris dissertatione citati (*Pausan.*, *lib.* 9 *de Bœot.*, *p.* 311 ; *Lucian.*, *Dial. Menip.*, *etc.*, *p.* 116 *et seq.* ; *Cicer.*, *lib.* 1, *Tuscul.*, *p.* 134 ; *Philostr.*, *lib.* VIII *de Vit. Apollon.*, *p.* 420 *et seq* ; *Erasm.*, *Adag. chil.* 1, *adag.* 77 ; *Dissertat. in Arnob.*, *cap.* 24, *art.* 2 ; *Dissertat. in Lactant.*, *cap.* 30, *art.* 4). Quis autem non videt eorum testimonio satis superque probari ab illo, et aliis a Tertulliano memoratis, homines initiationibus deorum ab aliis hominibus fuisse illigatos ? Demum ille adjecit Numam Pompilium operosissimis Romanos onerasse institutionibus. Quam autem id verum sit, a nobis demonstratum est.

Recte ergo ex his concludit Tertullianus non minus Christo, etiamsi homo tantum esset, quam his licuisse aliquam commentari *divinitatem*, quam homines colere doceret. At Christus non solum homo fuit, sed veram cum suo æterno Patre divinitatem habet, *rem*, uti Auctor noster ait, *propriam* ; quia ipsi, sicut Patri suo, propria est (*Tertullian.*, *Apolog.*, *c.* 21, *c.* 404). Non enim ille, quemadmodum Numa Pompilius, *rupices*, id est, sylvicolas, feros, et barbaros, ut alibi ipse Tertullianus explicat (*idem*, *lib. de Pallio*, *cap.* 4, *et de Anim.*, *cap.* 6), homines injecto falsorum deorum terrore, ad humanitatem temperavit, sed politos et urbanos in agnitionem veri Dei *ocutavit*, hoc est, illis dedit veri Dei vivendi, seu cognoscendi facultatem. Eodem enim sensu alibi de hirundine dixit : *Pullos novit oculare rursus de sua chelidonia* (*idem*, *lib. de Pœnit.*, *c.* 12). Quamobrem

Digitized by Google

quæ docerent (*Cypria. de idolor. vanit.*). De his autem Christi apparitionibus, et doctrina qua discipulos suos imbuit, in aliis dissertationibus disputavimus (*Dissertat. in Lactant. cap.* 19, *art.* 3; *et Dissertat. in Cæcil. de mort. persecut. cap.* 4, *art.* 2).

In iisdem etiam enucleavimus quid significent hæc subsequentia Tertulliani verba : *Dehinc ordinatis eis ad officium prædicandi per orbem, circumfusa nube in cœlum est ereptus* (*Tertullian. loc. cit.*). In nostris vero exemplaribus, et aliis ante Rigaltium editis legimus : *In cœlum est receptus.* Numquid Rigaltius illum loquendi modum ferre non potuit? Cur ergo his potius non usus est Cypriani verbis : *In cœlum circumfusa nube sublatus est* (*Cypr. lib. de idolor. vanit.*)? Nonne melius ex discipulo, si id liceret, magistrum correxisset? Sed auctoribus sua verba relinquenda sunt. Alias enim actum esset de genuinis veterum scriptorum operibus.

Addit Tertullianus Christum ad cœlos conscendisse: *Multo melius, quam apud vos*, gentiles, *asseverare de Romulis Proculi solent* (*Tertullian. loc. cit.*). Rursus vero in iisdem nostris et editis codicibus, Rigaltio antiquioribus : *Multo verius... de Romulo Proculi solent.* Quis autem non videat hanc potiorem genuinamque esse Tertulliani lectionem? Nam ibi asserit multo verius esse Christum in cœlos ascendisse, quam Romulum, quamvis Proculi, id est, ii qui Proculi perjurio abuuntur, affirmare soleant visum a se Romulum in cœlos ascendentem.

Denique Auctor noster adjecit : *Ea omnia super Christo Pilatus, et ipse jam pro sua conscientia christianus, Cæsari tunc Tiberio nuntiavit. Sed et Cæsares credidissent super Christo, si et Cæsares non essent sæculo necessarii, aut si christiani potuissent esse cæsares* (*Ibid.*). Mutuam autem his verbis alia, ab eo superius scripta, dant utique lucem. Hæc autem totidemque sunt : *Tiberius annuntiata* (manuscripti nostri, et antiquæ editiones, *annuntiatum*) *sibi ex Syriæ Palæstina, quæ* (Pamelius, *quod*) *illic veritatem istius divinitatis revelaverant* (iidem manuscripti, et aliæ antiquiores editiones, *revelaverat*) *detulit ad senatum cum prærogativa suffragii sui. Senatus, quia non ipse probaverat, respuit. Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum* (*Tertullian. ibid. cap.* 5, *pag.* 291). Eusebius vero totum hunc Tertulliani, indicato ejus nomine, locum transcripsit. Prius autem narrat morem invaluisse, ut provinciarum rectores, quidquid novi apud ipsos contigisset, Imperatori nuntiarent. Quamobrem Pilatus, *de resurrectione*, inquit, *Servatoris nostri Jesu Christi, cujus per universam Palæstinam celebris fama erat, ad Tiberium principem retulit, multa quoque alia ejusdem miracula se auditu accepisse significans, et qualiter denuo ad vitam revocatus, a plerisque jam Deus haberetur. At Tiberium quidem ad senatum retulisse perhibent, sed senatum hujusmodi relationem aspernatum fuisse; specie quidem, eo quod senatus auctoritas ad id non exspectata videbatur, cum tamen lex vetus apud Romanos esset, ne quis absque decreto senatus pro Deo haberetur; re autem ipsa eo quod salutaris divinæ doctrinæ prædicatio auctoritate et auxilio hominum non indigeret. Cum igitur senatus relationem de Servatore repudiasset, Tiberius tamen in pristina sententia perseverans, nihil adversus doctrinam Christi durius molitus esse dicitur* (*Euseb. lib.* 2, *histor. Eccles. cap.* 2, *pag.* 40). Ita Valesius interpretatus est verba Eusebii græca, quæ, quia paulo longiora sunt, hic non transcribimus. Deinde vero Eusebius Tertulliani verba græcam in linguam sic transtulit : Τιβέριος οὖν ἀγγελθέντος αὐτῷ ἐκ Παλαιστίνης τοῦ δόγματος τούτου, ἔνθα πρῶτον ἤρξατο, τῇ συγκλήτῳ ἀνεκοινώσατο. Δῆλος ὢν ἐκείνοις ὡς τῷ δόγματι ἀρέσκεται· ἡ δὲ σύγκλητος, ἐπεὶ οὐκ αὐτὴ ἐδεδοκιμάκει, ἀπώσατο. Ὁ δὲ ἐν τῇ αὐτοῦ ἀποφάσει ἔμεινεν, ἀπειλήσας θάνατον τοῖς τῶν χριστιανῶν κατηγόροις. Valesius vero hæc iisdem latinis verbis reddidit, quæ in codicibus nostris et editionibus ante Rigaltium exhibita vidimus. Verum in suis notis, approbata ejusdem Rigaltii emendatione, verba græca Eusebii, aut alterius, ut ipse putat, interpretis corrupta esse opinatur. Sed si ipsi suboluissent quæ a Rigaltio in textu Tertulliani immutata sunt, potius græco scriptori fortasse subscripsisset.

Quidquid porro sit, ex utraque lectione satis perspicitur Tertulliani sensus, nec de illa esse potest ulla difficultas, nisi in his verbis, quibus Tiberius dicitur pro sua conscientia jam fuisse christianus. Nam ibidem dixit, Cæsares non credidisse, quia Cæsares erant. Sed ibi verbo *credere* nihil videtur aliud significasse, nisi publicam Christianæ religionis professionem. Pro sua igitur conscientia Tiberius erat christianus, sed ausus non est id palam profiteri.

At cur, inquies, adjecit Auctor noster : *Cæsares credidissent, si non essent sæculo necessarii*? Respondet Rigaltius illud ideo dictum fuisse, quia, uti infra videbimus, persuasum habebant fore ut mundus, quem nolebant tam cito destrui, cum Romano imperio everteretur. Sed quænam, obsecro te, ex hoc errore induci potest vitæ unius aut alterius Cæsaris necessitas? Nonne autem Tertullianus dicere potuit Cæsares sæculo esse necessarios, id est, sæculi et populorum moribus, ac præsertim receptis religionum institutis tanta necessitate obstrictos, ut ea sine seditionibus, atque imminenti etiam et capitis et imperii subvertendi periculo labefactare aut immutare non possent?

ARTICULUS V.

Vera esse ea omnia, quæ de Christo Deo et homine dicta sunt; neminî fas esse de religione sua mentiri; Christianos absque ulla ambiguitate aut dissimulatione palam et in tormentis etiam dirissimis clamasse Deum a se per Christum coli, nec id posse improbari a Judæis, qui Deum per Moysen, nec a gentilibus, qui per Orpheum, Musæum, Melampum et Trophonium falsos deos colere didicerant.

Quæ hactenus de Christo, sive Deo Deique Filio, sive vero homine, a Tertulliano scripta vidimus, hæc ille verissima esse tanta asseveratione affirmat, ut nullum, ne minimum quidem, relinquat de iis dubi-

Digitized by Google

tandi locum. Nam ethnicos ipsos sic compellat : *Hic est ordo nostræ institutionis, hunc edidimus et sectæ et nominis censum cum suo auctore* (*Tertullian., Apolog., c.* 21, *p.* 403). Census autem ab eo dicitur recensio, recognitio et explicatio. In hoc autem nemo, inquit, aliud prorsus esse existimet, quod occultatum aut dissimulatum voluerim. Nihil enim his, quæ retuli, verius esse potest; quia *nec fas est ulli*, ait, *de sua religione mentiri.*

Christianorum autem pectoribus tam alte insitum erat illud documentum, ut exquisitissimis quibuslibet suppliciis torqueri et necari mallent, quam interrogati de sua religione, aliquid, imo suum duntaxat christianum nomen, aut negare aut dissimulare. Quocirca Justinus martyr, ut alibi diximus, similiter gentilibus dicebat : Considerate, ὅτι ἐκ τοῦ ἐφ' ἡμῖν εἶναι ἀρνεῖσθαι ἐξεταζομένους, οὐ βουλόμεθα ζῆν ψευδολογοῦντες, *Quod in nostra potestate est, ut cum inquirimur, negemus ; sed nolumus vivere mendaciter*, id est, nolumus vivere, religionem nostram mentientes, aut dissimulantes (*Justin., Apologet.*, I *ad Antonin., p.* 57, *t.* 1 *Apparat., p.* 357). Tantum autem piaculum esse putabant, quando de religione sua interrogabantur, dictis respondere ambiguis ; ut, ipso adhuc Tertulliano teste, qui martyrium magis timebant, hi ipsi torqueri necarique maluerint, quam tres sanctissimæ Trinitatis personas confitendo, plures dicere deos.

Cur autem omne de religione mendacium, aut quælibet dissimulatio, penitus damnetur, si quæras, respondebit Tertullianus, *eo quod qui aliud a se coli dicit, quam colit, negat quod colit, et culturam et honorem in alterum transfert, et transferendo jam non colit, quod negavit* (*Tertullian., Apologet., c.* 21, *c.* 403). At Rigaltio placuit hæc delere verba, *et honorem*. Quis autem ea ibi non inutilia esse diffitebitur? Non enim cultura et honor omnino synonyma sunt ; et quamvis essent, nemo tamen negabit Tertullianum iis uti potuisse. Sed hæc minimi, nisi ad notandam Rigaltii audaciam, sunt momenti. At certe longe gravioris ponderis est hæc Auctoris nostri ratiocinatio : qui dicit Jovem verbi gratia a se coli, et alium Deum colit, is Jovem deum esse negat, et ejusdem Jovis cultum et honorem in alium transfert, ac sic transferendo, non ipsum, sicuti dicebat, Jovem colit, illumque deum esse negat.

Quapropter nos Christiani, inquit ille, rejecta omni prorsus dissimulatione, fraude, et ambiguitate, *palam dicimus, et vobis ethnicis torquentibus, lacerati et cruenti vociferamur : Deum colimus per Christum* (*ibid., c.* 403 *et seq.*), per quem, seu quo docente, nos didicimus quis verus sit Deus, quem omnes colere debent. At homo, arguebant ethnici, fuit Christus. Esto, respondet Tertullianus ; non idcirco tamen Christiani eum colentes torqueri et occidi ab ethnicis debebant, nisi hi Judæos, Græcos, ac Romanos etiam eodem modo condemnarent. Nam Judæi, inquit, *Deum per hominem Moysen colere didicerunt* (*ibid., p.* 23). In suis quippe libris Moyses docuit qua ratione, quibusque ritibus Deus ab illis coli debebat.

Græcos vero *Orpheus Pieriæ*, pergit Auctor noster, *Musæus Athenis, Melampus Argis, Trophonius Bœotiæ initiationibus falsorum deorum homines obligaverunt* (*ibid.*), hoc est alligaverunt et obstrinxerunt. Nos vero alibi ostendimus ab Orpheo introducta fuisse Liberi sacra et festa, quæ idcirco orphica appellata sunt (*Dissertat. in Lactant., cap.* 30, *art.* 3). Alio autem in loco citavimus Diodori Siculi verba, quibus narrat Herculem venisse Athenas, ut matris Eleusinæ initiaretur mysteriis, quorum Musæus Orphei filius προφητικώς, præfectus erat, qui proinde docebat quomodo his homines obligarentur (*tom.* I *Apparat., lib.* III, *dissert.* 2, *cap.* 35, *p.* 1280).

Præterea idem Diodorus Siculus, quemadmodum in nostra de Lactantii libris dissertatione annotavimus, litteris mandavit Melampodem ex Ægypto in Græciam transtulisse sancita Baccho orgia (*Dissertat. mox. cit., Diodor., lib.* I, *biblioth., p.* 61). Subjunxit etiam fabulosam de Saturno, ac Titanibus, atque deorum affectionibus narrationem, quæ tametsi omnibus non probetur, non parum tamen conducit ad Tertulliani nostri propositum.

Trophonius porro Ergini, aut potius Apollinis filius esse ferebatur, cujus oraculum, sicut alibi Tertullianus ait, in Bœotia exstabat (*Tertullian., loc. cit. et lib. de Anim., c.* 46). At plura de eo, et ædificatis ab eodem Trophonio deorum, ac nominatim Apollinis Delphici, templis memoriæ prodiderunt Pausanias, Lucianus, Cicero, Philostratus, Erasmus, et alii a nobis in superiori de Arnobii libris dissertatione citati (*Pausan., lib.* 9 *de Bœot., p.* 311 ; *Lucian., Dial. Menip., etc., p.* 116 *et seq.* ; *Cicer., lib.* 1, *Tuscul., p.* 134 ; *Philostr., lib.* VIII *de Vit. Apollon., p.* 420 *et seq* ; *Erasm., Adag. chil.* 1, *adag.* 77 ; *Dissertat. in Arnob., cap.* 24, *art.* 2 ; *Dissertat. in Lactant., cap.* 30, *art.* 4). Quis autem non videt eorum testimonio satis superque probari ab illo, et aliis a Tertulliano memoratis, homines initiationibus deorum ab aliis hominibus fuisse illigatos? Demum ille adjecit Numam Pompilium operosissimis Romanos onerasse institutionibus. Quam autem id verum sit, a nobis demonstratum est.

Recte ergo ex his concludit Tertullianus non minus Christo, etiamsi homo tantum esset, quam his licuisse aliquam commentari *divinitatem*, quam homines colere doceret. At Christus non solum homo fuit, sed veram cum suo æterno Patre divinitatem habet, *rem*, uti Auctor noster ait, *propriam* ; quia ipsi, sicut Patri suo, propria est (*Tertullian., Apolog., c.* 21, *c.* 404). Non enim ille, quemadmodum Numa Pompilius, *rupices*, id est, sylvicolas, feros, et barbaros, ut alibi ipse Tertullianus explicat (*idem, lib. de Pallio, cap.* 4, *et de Anim., cap.* 6), homines injecto falsorum deorum terrore, ad humanitatem temperavit, sed politos et urbanos in agnitionem veri Dei *ocularit*, hoc est, illis dedit veri Dei vivendi, seu cognoscendi facultatem. Eodem enim sensu alibi de hirundine dixit : *Pullos novit oculare rursus de sua chelidonia* (*idem, lib. de Pœnit., c.* 12). Quamobrem

Digitized by Google

Cyprianus, eum more suo imitatus, Christi, sicut ille, discipulos ideo per orbem dispersos esse docet, *ut cæcos et ignaros ad agnitionem veritatis ocularient* (*Cypr., de Idolor. vanit.*). Quin etiam Pontius Cypriani diaconus in ejus vita, ac de illo scripsit : *Nondum secunda nativitas novum hominem splendore toto divinæ lucis oculaverat* (*Pontius in vit. Cyprian., v. init.*). Quis porro ex his, quæ hactenus disputata sunt, non percipit quam merito jure Tertullianus conficiat Christianos ab Ethnicis et Judæis iniquissime cruciari, et interfici, quia cum verum Deum per Christum agnovissent, ejusque professi fuissent religionem, neutrum negare, imo ne dissimulare quidem volebant?

CAPUT X.

De Angelis et Dæmonibus.

ARTICULUS PRIMUS.

Angelorum et dæmonum nomen cognitum fuisse gentilibus poetis, philosophis, ac nominatim Socrati, Platoni, nec non magis et vulgo indoctorum hominum, qui nomen dæmonis in usum maledicti frequentabant; cur illud nomen adeo detestabile; omnes angelos creatos esse a Deo perfectos, pravos autem sponte sua corruptos; de eorum cum Deo divortio, ac matrimonio cum filiabus hominum, unde corruptior dæmonum gens orta dicitur.

Transit Tertullianus ad aliud Christianæ Religionis de Angelis et Dæmonibus documentum (*Tertullian., Apologet., c.* 22, c. 404). Eo autem accuratius illud explicare contendit, quo persuasum magis ethnici habebant dæmones sub imaginibus et nominibus *mortuorum* (*ibid., c.* 23, *c.* 404), id est, falsorum deorum, delitescentes, edere signa, miracula et oracula, quibus *fidem divinitatis operabantur* (*ibid.*), hoc est, quibus dæmones suadere conabantur veros esse, quos colebant ethnici, deos, ac proinde veram esse eorum religionem. Jam vero vidimus à Minutio Felice, Lactantio, et aliis radicitus evulsum fuisse hunc ethnicorum errorem, quo in primis nitebatur tota illorum religio (*Dissertat. in Minuc., cap.* 18, *art.* 1, *et in Lactant., cap.* 20, *art.* 4). Sed quia hi scriptores plura ex hoc Auctoris nostri libro delibaverunt, atque inde tanquam ex puro fonte suos irrigaverunt hortulos, idcirco ejus opinio diligentius a nobis examinanda est.

Primum itaque docet Angelos et Dæmones esse substantias quasdam spiritales, quarum nomen gentilibus tam poetis, quam philosophis (*loc. cit.*), quemadmodum alibi adhuc ostendimus, non fuit incognitum. Ex philosophis autem nominatim appellat Platonem et Socratem, qui dæmonem assistentem habebat, *dehortatorium*, inquit, *plane a bono* (*Tertullian., Apologet., c.* 22,*c* . 406). Dixerat autem alio in libro : *Socratem puerum adhuc spiritus dæmonicus invenit* (*Idem, lib. de Anim., c.* 39, *p.* 341). At de hoc Socratis dæmone in citata de Minutio Octavio dissertatione, et in aliis ibi laudatis egimus (*Dissertat. in Minuc. Octav., c.* 18, *art.* 1). Præterea ibidem patefecimus *utriusque nominis*, id est, Angeli et Dæmonis testes, sicut adhuc Tertullianus annotat, esse magos (*Tertullian., Apologet., c.* 22, *c.* 405).

Aliam præterea ille suggerit rationem cur Dæmones non solum his, sed quibuslibet etiam ethnicis hominibus agniti fuerint : *Jam vulgus indoctum*, inquit, *in usum maledicti frequentat* (*Ibid.*). Ita Rigaltius ; sed duo nostri manuscripti codices recentiores *in usu*, antiquiores *in usu maledictis*, vetustiores editiones *in usum maledictis*. Sensus vero Auctoris nostri est : Vulgus ethnicorum cum male aliis diceret, et imprecaretur, solitum fuisse eos Dæmones vocare, aut nomen invocare Dæmonis. Sic enim ille prosequitur : *Nam et Satanam principem hujus mali generis, proinde de propria conscientia animæ, eadem exsecramenti voce pronuntiat.* In antiquis manuscriptis et editis codicibus legitur *ex sacramenti*, sed sola haud dubie librariorum oscitantia. Tertullianus siquidem alio in libro satis aperte mentem explicat suam : *Cum Dæmonia*, inquit, *affirmamus esse, sane quasi non et probemus, qui ea soli de corporibus exigimus, aliqui Chrysippi assentator illudit. Et esse et abominationem sustinere exsecrationis tuæ respondent. Dæmonium vocas hominem aut immunditia, aut malitia, aut insolentia, aut quacumque macula, quam nos dæmonis deputamus, aut ad necessitatem odii importunum. Satanam denique in omni aversatione, et aspernatione, et detestatione pronuntias, quem nos dicimus malitiæ Angelum, totius erroris artificem, totius sæculi interpolatorem* (*Idem, lib. de Testim. anim., cap.* 3.)

Mos igitur ethnicorum erat, ut aliis maledicendo, atque imprecando, eos vocarent Dæmones, aut Dæmonis et Satanæ nomine diris illos devoverent, et exsecrarentur. Si vero alium hujus moris testem desideres, Augustinum habebis, qui nos insuper admonet ubicumque in sacris Scripturis nomen Dæmonis, aut Dæmoniorum occurrit, eo malignos spiritus significari. Ecce ipsamet ejus verba : *Nos autem, sicut Scriptura loquitur, secundum quam christiani sumus, Angelos partim quidem bonos, partim malos, nunquam vero bonos Dæmones legimus. Sed ubicumque illarum Litterarum hoc nomen positum reperitur, sive Dæmones sive Dæmonia dicantur, non nisi maligni significantur spiritus. Et hanc loquendi consuetudinem in tantum populi usquequaque secuti sunt, ut eorum etiam, qui pagani appellantur, et deos multos, ac dæmones colendos esse contendunt, nullus fere sit tam litteratus, et doctus, qui audeat in laude vel servo suo dicere : Dæmonem habes; sed cuilibet hoc dicere voluerit, non se aliter accipi, quam maledicere voluisse, dubitare non possit* (*August. lib.* 9. *de civit. cap.* 19. *pag.* 233). Postea vero addidit : *Ita detestabile nomen est dæmonum, ut hoc modis omnibus a sanctis Angelis nos removere debeamus* (*Ibid., cap.* 23, *pag.* 236). Duplex itaque Augustinus, quemadmodum Tertullianus noster, distinguit angelorum genus, et unum quidem bonum, qui Angeli simpliciter vocantur ; aliud vero dæmonum, quorum nomen detestabile, malignos spiritus semper significat.

Cur ergo, inquiet aliquis, adeo detestabile erat il-

Digitized by Google

lud nomen, atque non solum a Christianis, sed etiam a gentilibus in malam partem semper accipiebatur? Nonne ipse Augustinus et alii scriptores latini, ut alibi observavimus (*Dissert. in Lactant. cap.* 20. *art.* 4), nomen græcum δαίμονες, idem significare testificantur, atque rerum scios, et peritos? Præterea Tertullianus hocce in Apologetico libro nos monet idem esse dæmonum, atque geniorum nomen : *Nescitis*, inquit, *genios dæmonas dici, et inde diminutiva voce dæmonia?* Et paulo post, *dæmones : id est, genios* (*Tertullian. Apologet. cap.* 32. *col.* 447). Alibi vero : *Omnibus genii deputantur, quod dæmonum est nomen* (*Idem, lib. de anim. cap.* 39. *col.* 341). Quid igitur in eo nomine tam malum, tamque singulis omnibus detestabile? Bene quidem, si sua scientia, peritia, ingeniique viribus non male uterentur. Sed quia iis ad vexandos fallendosque homines, ut postea videbimus, plane abutuntur, non mirum profecto si cuncti hoc detestarentur nomen, illudque suis alios maledictis adhiberent.

Quamvis autem Auctor noster pauca de bonis Angelis in Apologetico tradiderit, illos nihilominus a malis, et hos a dæmonibus haud obscure distinguit. De illis enimvero hoc quidem, sed brevissime : *Quomodo*, inquit, *de angelis quibusdam, sua sponte corruptis, corruptior gens dæmonum evaserit, damnata a Deo cum generis auctoribus, et cum eo, quem dicimus, principe, apud Litteras sanctas ordine cognoscitur* (*Idem Apologet. cap.* 22. *c.* 405). At plura ille paucis verbis complectitur, quæ non ita breviter, nec sine quibusdam observationibus perstringenda sunt.

Primo autem declarat quosdam Angelos fuisse corruptos. Plures ergo alios fuisse significat, qui corrupti non fuerunt, quosque idcirco nominamus bonos, atque ob suam in bono perseverantiam beatos esse jure merito credimus. Secundo, eosdem Angelos donatos fuisse libero voluntatis arbitrio, quo bene aut male agendo, præmium vel pœnam mereri poterant. Tertio, quosdam ex illis corruptos ac liberæ potestatis suæ abusu, in aliqua prolapsos fuisse peccata, ob quæ a Deo damnati sunt. Quarto eorum fuisse principem, de quo ille paulo ante dixerat : *Satanam principem hujus mali generis* (*Ibid.*). Alibi vero illum vocat Angelum, quem Deus, *ex forma operum bonorum instituit bonum*, et omnium sapientissimum ; *tam institutione*, juxta prophetiam Ezechielis, *bonum Angelum, quam sponte corruptum* (*Tertull. lib.* 2. *advers. Marcion. cap.* 10). Tum deinde, *invituperabilis fuit a die conditionis suæ, a Deo in bonum conditus, ut a bono conditore invituperabilium conditionum, et excultus omni gloria Angelica, et apud Deum constitutus, qua bonus apud Deum, postea vero a semetipso translatus in malum..... non minus, ipse liberi arbitrii institutus, ut spiritus* (*Ibid. col.* 462). Addit denique hunc *satanam* de sublimitate decidisse delicto suo, cujus auctor ipse fuit. De illo autem in nostra de Lactantii libris dissertatione egimus (*Dissertat. in Lactant. cap.* 20. *art.* 3).

Quodnam autem fuerit hujus aliorumque, quos in perniciem suam traxit, pravorum angelorum peccatum, nec ibi, nec in Apologetico perspicue omnino explanavit. Verum alio in libro duo eorum peccata his videtur denotare verbis : *Nihil angelis illis imputetur propter* (alii *præter*) *repudium cœli, et matrimonium carnis* (*Tertull. lib. de Cult. fœmin. cap.* 4). Quocirca illos alibi appellat *Angelos desertores Dei, amatores fœminarum, ac propterea damnatos a Deo* (*Idem, lib. de Idololat. cap.* 9). Nonne autem duplex ibi distinguit angelorum peccatum ; primum quidem, quo repudiaverunt cœlum, et Deum deseruerunt ; secundum vero, perversum fœminarum amorem et carnis matrimonium?

De hoc porro secundo eorum crimine ita quidem ille : *Damnati*, inquit, *in pœnam mortis deputantur illi scilicet angeli, qui ad filias hominum de cœlo ruerunt, ut hæc quoque ignominia fœminæ accedat.* (*Idem lib. de cult. fœmin. cap.* 2). At si ex hoc Angelorum scelere fœminis ignominia accessit, si propterea, uti dictum ab eodem Auctore nostro mox vidimus, Angeli damnati sunt, cur ergo, inquiet aliquis, illud simpliciter *matrimonium carnis*, non autem nefarium stuprum ab illo vocatur? Cuivis itaque, id a nobis postulanti, his respondebimus totidemque ipsiusmet Tertulliani verbis : *Conspicati filii Dei filias hominum quod pulchræ essent, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas legerunt. Hic enim nomen mulierum græcum uxores sapit ; quia de nuptiis mentio est. Cum ergo filias hominum dicit, manifeste virgines portendit, quæ adhuc apud parentes deputarentur* (*nam nuptæ maritorum nuncupantur*) *cum potuerit dixisse uxores hominum : æquè non adulteros nominans angelos, sed maritos, dum innuptas sumunt filias hominum, quas natas supra dixit, sic quoque virgines significans, supra natas, at hic angelis nuptas* (*Idem, lib. de Virgin. veland. cap.* 7). Ideo igitur Angelorum prævaricatorum matrimonium appellat ; quia illi filias hominum non nuptas, sed virgines sumpserunt, et idcirco nec ipsi adulteri vocantur.

Neque tamen hoc matrimonium licitum putavit, sed illicitum plane ac scelestum, propter quod fœminis ignominia accessit, et angelis damnatio. Quamobrem alio ille in libro : *Sciebat*, inquit, *et Apostolus in cœlis operata esse spiritalia nequitiæ Angelorum scandalizatorum in filias hominum* (*Idem lib.* V. *advers. Marcion. cap.* 18). At de hoc facinoroso pravorum angelorum cum filiabus hominum matrimonio, seu potius vero stupro, haud semel disputavimus cum in nostra de Lactantii Operibus dissertatione, tum aliis in locis ibi adnotatis (*Dissertat. in Lactant. cap.* 20, *art.* 3 *et* 4).

Quinto tandem ac postremo loco observandum superest, Tertullianum in Apologetico ulla absque hæsitatione asseverasse ex illorum corruptorum Angelorum cum filiabus hominum concubitu ortam fuisse corruptiorem gentem dæmonum. At non minores quidem in hac, quam alia de Angelorum cum fœminis matrimonio opinione difficultates occurrunt. Eas autem augent, quæ ille de eorumdem dæmonum, atque

Digitized by Google

Angelorum sive bonorum, sive malorum natura decernit. Quæ quidem a nobis primum, et alia deinde investiganda sunt.

ARTICULUS II.

Utrum Tertullianus crediderit spiritualem esse omnium Angelorum et dæmonum naturam : quanta ea de re propter istorum ex pravis angelis, et hominum filiabus originem difficultas : de eorumdem dæmonum invidia; qua in hominum, quibus subditi sunt, perniciem conspirant.

Suam de Angelis et dæmonibus disputationem his Tertullianus in Apologetico verbis inchoat : *Dicimus esse substantias quasdam spiritales* (*Tertullian. Apologet. cap.* 22. *pag.* 404). In superiori autem articulo dictum vidimus de Satana *eminentissimo*, ut ipse ait, *Angelorum, et Archangelo*, quod a Deo *liberi arbitrii constitutus sit, ut spiritus* (*Idem, lib.* II. *advers. Marcion. cap.* 7). Omnes vero Angelos, sicut ille adhuc scribit (*Ibid. lib.* III. *cap.* 9), *tam vere creator spiritus fecit, quam apparitores suos ignem flagrantem* (*Psalm.* 103. ℣. 4. *ad Hebræ.* ℣. 7). Nunquam igitur dubitavit Angelos omnes esse spiritus, ac spiritalem esse illorum substantiam.

Sed in controversiam vocatur quid illo *spiritus* nomine intelligat, an substantiam ab omni re corporea prorsus distinctam, vel corpus aliquod tenuissimum ac subtilissimum, quod omnem hominis aspectum fugiat. Nec diffiteri quidem possumus hanc disceptationem non posse facile a quoquam dirimi. Quid tamen de hac Tertulliani nostri opinione certius proferri possit, explorare tentabimus.

Primum itaque advertendum est quomodo ille adversus hæreticos, qui assumptum a Christo verum corpus negabant, disputet, eorumque refellat errorem. Hæretici autem illi exemplo Angelorum, qui olim, carne humana vestiti, patriarchis apparuisse perhibentur, inferebant nec veram, nec natam fuisse Christi carnem. At Tertullianus Angelorum, non vero Christi carnem natam esse contendit; quia non hi sed Christus natus est, ut crucifigeretur, ac moreretur : *Nam constat*, inquit, *Angelos carnem non propriam gestasse, ut pote naturas* (al. *naturæ*) *substantiæ spiritalis, etsi corporis alicujus, sui tamen generis : in carnem autem transfigurabiles ad tempus, ut videri et congredi cum hominibus possent.* (*Tertull. lib. de Carn. Christ. cap.* 6). Fatetur ergo hos Angelos assumpsisse ad tempus humanam carnem, quæ quidem etsi vera, non propria tamen erat illorum caro, quia, uti ipse haud dubitanter affirmat, spiritalis est eorum substantia. Verum quoniam vel ipse vel alii dubitari posse opinabantur utrum aliquid, ut superius annotavimus (*supr. cap.* 7. *art* 3). esset medium inter corpus et nihil, hinc ille ne ullum cavillandi locum præberet, ibi adjecit, *etsi corporis alicujus, sui tamen generis*, perinde ac si dixisset : Si quis pertinacius contendat omnem omnino substantiam esse corpus aliquod, nunc non litigabo, modo mihi concedatur substantiam Angelicam, si forte sit corpus, eam esse corpus sui generis. At corporis nomine non aliud, ut alibi vidimus (*loc. cit.*), significat, nisi rem quamlibet exsistentem et quæ rei non exsistenti, et nihilo opponitur. Nonne ergo colligi haud absurde hinc potest illum existimavisse Angelorum naturam esse mere spiritalem, quæ tamen ideo corpus sui generis vocari potest, quia non est nihil, ac revera exsistit?

Eodem plane argumento eumdem Marcionis errorem impugnat : *Quo magis*, inquit, *Angeli neque ad moriendum pro nobis dispositi, brevem carnis commeatum non debuerunt nascendo sumpsisse, quia nec moriendo deposituri eam fuerant .. Si creator facit Angelos spiritus, et apparitores suos ignem flagrantem, tam vere spiritus, quam et ignem illos vere facit* (*Tertull. lib.* III *advers. Marcion. cap.* 9). Audisne quam aperte declaret Angelos, qui humana forma ab patriarchis visi sunt, tam vere spiritus fuisse, quam veram ipsi hominum carnem assumpserant? Non propria autem eorum erat caro, sed ipsis ad breve tempus a Deo data, ut cum hominibus conversari possent et colloqui. Alia itaque illorum, quam hominum est substantia, videlicet spiritualis, qua superiores hominibus vere sunt spiritus.

Plura si quis desideret, illius *de Resurrectione carnis* librum adeat, et ibi totidem legere poterit ejus verba : *Angeli aliquando tanquam homines fuerunt edendo, et bibendo, et pedes lavacro porrigendo : humanam enim induerant superficiem, salva intus substantia* (*Idem, lib. de Resurr. carn. cap.* 62). Quænam autem fuerit illa propria angelorum substantia et natura, sub humana effigie delitescens, ipsemet ibidem sic explicat : *Angeli facti, tanquam homines, in eadem substantia spiritus carnalem tractationem susceperunt* (*Ibid.*). At quibus amabo te, clarioribus verbis exprimi poterat Angelos vere esse spiritus, et spiritalem eorum naturam nihil prorsus admittere ullius materiæ, et corporis?

Quæ porro hactenus retulimus, hæc ad eam, qua omnes Angeli creati sunt, naturam spectant, quam ille satis aperte asserit esse spiritalem, nisi hanc sententiam iis, quæ de pravis Angelis et dæmonibus prodidit, tanquam atra quadam caligine, et densis tenebris offusa obscuravisset. Nam eos omnes non secus ac bonos Angelos vocat spiritus. Neque id probatu difficile. Jam enim observatum est de omnibus generatim tam bonis, quam malis Angelis ab illo scriptum : *Dicimus esse substantias quasdam spiritales.* Postea vero et adhuc expressius : *Omnis spiritus ales, hoc et Angeli et dæmones* (*Idem, Apologet. cap.* 22, *p.* 404). Rursus autem : *Angeli et dæmones substantia pessimi spiritus* (*Ibid. cap.* 39, *c.* 468). Pravorum quoque Angelorum princeps, de quo in superiori articulo diximus, ab eo vocatur, *spiritus dæmoniacæ et angelicæ paraturæ* (*Ibid. cap.* 27, *c.* 433), id est, spiritus, qui dæmonum et Angelorum habet

Digitized by Google

dispositiones et qualitates. Sed de hoc nomine adhuc infra articulo sequenti.

Quid vero, quod supra vidimus (*Art. super.*) ab eodem ipso Tertulliano diserte pronuntiari et hunc Satanam, et cæteros omnes angelos pravos eodem modo, quo et bonos creatos fuisse. Quin etiam *dæmones*, inquit ille, negare non possunt *se immundos spiritus esse* (*Tertullian. ibid. cap.* 23, *c.* 410). Denique maximam dicit esse illorum subtilitatem, ac tenuitatem, qui sua alacritate utramque invadunt hominis substantiam, uno momento ubique sunt, et totus terrarum orbis unus eis est locus. Præterea *invisibiles*, inquit, *et insensibiles in effectu potius, quam in actu suo apparent* (*Ibid. cap.* 22, *p.* 406). Nonne autem hæc omnia satis manifeste demonstrant Tertulliano persuasum fuisse angelos malos et dæmones non minus quam bonos angelos, fuisse spiritus?

Verum huic sententiæ illud repugnare videtur, quod supra ab ipso traditum animadvertimus, pravos angelos sese nefario polluisse fœminarum concubitu, quo dæmones genuerunt. Sed respondere quis posset ab illis pravis, quemadmodum a bonis Angelis, assumptam, sicut paulo ante dicebamus, hominum carnem, qua potuerunt cum mulieribus commisceri. Verum contra alius statim arguet probandum esse unde pravi Angeli humanam carnem ad tempus aliquod sumpserint. Quamvis enim Tertullianus eam bonis Angelis a Deo datam non semel, ut annotavimus, aperte pronuntiet; nemo tamen probare potest illam similiter ab illo tribui pravis Angelis, ut mulieres constuprarent.

Fac tamen illos quoquo tandem modo sive suis præstigiis, sive aliis nefandis artibus eam induisse, major sane superest de dæmonibus difficultas. Cujus enim generis spiritus hi dæmones esse possunt, quos Tertullianus nefasto innuptarum virginum conjugio ortos arbitratur? Quomodo ex iis procreari potuerunt substantiæ tenuissimæ, subtilissimæ, invisibiles, volucrum superantes pernicitatem, quæ pervadunt corpus et animam hominum, unoque momento ubique sunt? Negari certe non potest hæc maxima obscuritate involvi. Si quid enim Tertullianus dæmonum corpus esse existimavit, illud procul dubio nec humanum, nec humana figura effictum esse censuit. Quid ergo? Numquid putabat quædam esse monstra, quæ nec angeli sunt nec homines? At nonne hoc ipsum absurdæ opinionis monstrum est? Verumtamen inde Lactantius, ut suo loco animadvertimus (*Dissert. in Lactant. cap.* 20, *art.* 4), videtur suam delibasse opinionem, qua docet mediam quamdam esse dæmonum inter angelos et homines naturam. Verum Tertullianus in suo saltem Apologetico illud nec aperte omnino, nec absolute definivit, sed eam esse *quæ apud sanctas litteras ordine cognoscitur* (*Tertull. Apologet., cap.* 22, *c.* 403). Optime quidem, si in aliis libris intra hosce veræ doctrinæ limites sese continuisset.

Cæterum, etsi opinatus sit naturam dæmonum nec angelicæ nec humanæ esse parem, sed aliquid inter utramque medium; non inde tamen continuo inferri debet illum negasse Angelos esse spiritus. Si quod enimvero dæmonibus corpus attribuit, illud tantæ, sicut vidimus, tenuitatis et subtilitatis esse opinabatur qua major nulla esse potest. Persuasum autem habuisse videtur præstantiorem esse bonorum Angelorum, quam dæmonum naturam. At quo, obsecro te, modo præstantior esse potest, nisi hæc sit mere spiritalis, nihilque prorsus corporei habeat? Quanti vero ad id probandum ponderis sint ea, quæ hactenus retulimus, argumenta, aliis judicandum relinquimus. Nemo autem, nisi plane fallimur, inficias ibit si quis in his omnibus error sit Tertulliani, nullum eo esse pejorem, quo pravorum angelorum cum filiabus hominum concubitum, atque ex illo procreationem dæmonum explicare nititur. Sed vide, quæso, quæ de his in superiore dissertatione disputata sunt (*Dissertat. in Lactant. cap.* 20, *art.* 5), et utrum inde ejus opinio ad veritatis regulas possit reduci.

Nemo autem dubitabit hos verum esse, quod postea de Satana et dæmonibus enarrat. Satanas *noster*, inquit, *ob divortium*, a Deo videlicet, et suum ob peccatum *æmulus*, sive hostis et inimicus, *et ob Dei gratiam* Christianis concessam *invidus*, semper conatus est *occulta inspiratione* gentilibus subornatis persuadere, ut illos omni eruciatuum genere avertant a veri Dei cultu, et ad falsos deos colendos compellant (*Tertullian. ibid. cap.* 27, *p.* 432). Nam licet *subjecta sit nobis tota vis dæmonum, et ejusmodi spiritus* (*Ibid. c.* 433), id est, Satanæ.... Verumtamen *vice rebellantium ergastulorum, vel metallorum, vel hoc genus pœnalis servitutis erumpunt adversum nos* Christianos, hoc est, erumpunt in eorum similitudinem, qui ergastulis ac carceribus inclusi, aut effodiendis metallis, aut alio aliquo pœnalis servitutis genere damnati, dominis obsistunt ac repugnant. Quos autem pravi illi dæmones ad suum falsorumque deorum cultum violentia et armata manu adducere nequibant, illos quibuslibet aliis machinis, fallaciis, dolis, malisque artibus subornare moliebantur. Sed quæ de illis Auctor noster tradidit, paulo fusius enucleanda sunt.

ARTICULUS III.

Quomodo Tertullianus ostendat nonnulla, quæ ethnici diis suis tanquam vera miracula adscribebant, facta fuisse dæmonum artibus ac præstigiis.

Multam sane, nec immerito quidem jure Tertullianus operam consumit in explicanda ac patefacienda dæmonum, ut ipse ait, *operatione* (*Tertullian. Apologet. cap.* 22, *c.* 405), sive machinis, præstigiis, dolis, fallaciis, et aliis malis artibus, quibus falsa miracula, oracula, aliaque plura extra solitum naturæ ordinem edere videbantur. Ethnici siquidem ea omnia, quæ vera esse opinabantur, deorum suorum adscribebant potentiæ, atque inde concludebant veros esse deos suos, veramque suam religionem. Tertullianus itaque hoc ultimum eorum propugnaculum duplici ar-

Digitized by Google

gumento tanquam dupliei ariete concutit funditusque evertit. Primum enim ostendit extraordinaria illa facta non ab illorum diis, uti putabant, sed perversis dæmonum artibus edita fuisse. Deinde vero eosdem dæmones a Christianis adjuratos, palam confiteri hæc non ab aliis acta esse, quam semetipsis, qui non dii, sed dæmones tantum erant.

Ad primam vero propositionem clarius demonstrandam ille pro certo posuit (*Ibid.*) quod negare nemo potest, dæmonum substantiam, sicut in superiori articulo vidimus, non solum esse subtilissimam ac tenuissimam, sed vires etiam eorum spiritales, summamque alacritatem, qua uno momento ubique esse, ac singula quæque, et ipsam hominis substantiam pervadere possunt. Itaque cum ita formati sint, eorum, ait Tertullianus, *malitia spiritalis a primordio mundi auspicata est in hominis exitium* (*Ibid.*); quando scilicet Evam et Adamum, felicem in terrestri Paradiso vitam agentes decepit. Eadem quoque malitia cæteros homines in errorem, et quælibet scelera, ac potissimum in idololatriam, falsorumque deorum nomine, in sui cultum inducere connituntur.

Ab iis autem, quæ diis suis ethnici tribuebant miracula, ut ordiamur, hæc a dæmonibus facta fuisse auctor noster sic demonstrat. Tantis, inquit, viribus et spiritualibus et invisibilibus instructi, incautos homines quibusdam premunt ægritudinibus, easque depellunt remediis, vel ad miraculum novis, vel etiam contrariis; ut illos sanasse credantur, quos remotis tantum maleficiis, lædere desinunt. Quamobrem illos, et ficta eorum miracula sic irridet : *Benefici plane et circa curas valetudinum ; lædunt enim primo, dehinc remedia præcipiunt, ad miraculum nova, sive contraria, post quæ desinunt lædere, et curasse creduntur* (*Ibid. c.* 109). Neque his tantum plagis, corpori humano inflictis, et sanatis, in hominum conspirant perniciem, sed sua etiam subtilitate ipsam pervadunt illorum animam, atque sævis libidinibus, amentiis, ac furoribus excitatis, in quodlibet scelus illos inducunt (*Ibid.*). Nos autem de his nefandis dæmonum artibus alibi disseruimus (*Dissert. in Minut. cap.* XVIII, *art.* 2).

Eadem subtilitate dæmones induebant *phantasmata*, sive effigiem *Castorum* (*Tertullian. ibid:*) id est, Castoris et Pollucis, ac sua innata velocitate celebrem Romanorum de Perse Rege victoriam Romæ eodem die annuntiaverunt, quo reportata fuerat. Quod quidem alibi a nobis enarratum est (*Dissert. in Minut. cap.* 18, *art.* 2).

Huc quoque spectant pauca quidem, sed quæ pluribus obscura videbuntur hæc Auctoris nostri verba : *Et barbam tactu inrufatam* (*Tertul. ibid.*). At ea clarius explicat Suetonius, ubi de origine gentis Œnobarborum disserit : *Œnobarbi*, inquit, *auctorem originis itemque cognominis habent Lucium Domitium, cui rure revertenti juvenes gemini Castor et Pollux augustiore forma ex occursu imperasse traduntur nuntiaret senatui ac populo victoriam, de qua incertum adhuc erat, atque in fidem majestatis*, divinæ videlicet, *adeo permulsisse malas; ut e nigro rutilum œrique assimilem capillum redderent. Quod insigne mansit, et in posteris ejus, ac magna pars rutila barba fuerunt* (*Sueton. in vit. Neron.* § 1). Et id quidem a Plutarcho confirmatur (*Plutarch. in vit. Pauli Æmil. tom.* I, *p.* 268). *Inrufatam* igitur barbam dixit Tertullianus, quia ex nigro colore in rubrum conversa fuit. At brevitatis causa hanc ille tantummodo subitam miramque barbæ conversionem memorat, qua quidem alia quoque, quæ ethnici venditabant, miracula satis aperte designabantur.

Spiritualibus autem dæmonum ingeniis, viribus, et fallaciis hæc facta esse adseverat (*Tertullian. loc. cit.*), quemadmodum et *navem*, uti adhuc ait, *cingulo promotam*, a Claudia nimirum Vestali virgine, ut alibi jam animadvertimus (*Dissert. in Minut. cap.* 17, *art.* 1). Venditabant insuper ethnici, *aquam*, uti pergit ille (*Ibid.*), *cribro gestatam*, a Tuscia nimirum alia vestali itidem virgine : quo quidem, sicut illi autumabant, miraculo illatum sibi violatæ castitatis, aut sicut ait Dionysius Halicarnasseus (*Dionys. Halic. lib.* II, *antiquit. Roman. p.* 128, *et seqq.*), extincti sacri ignis crimen penitus diluit. Sed de hac, quæcumque sit, historia plura Valerius Maximus, quem consulere poteris, sicuti Plinium, Augustinum, et alios (*Val. Max. lib.* VIII, *c.* I. *Plin. lib.* XXVIII, *natur. hist. cap.* 2, *p.* 157. *August. lib.* X, *de Civit. cap.* 16, *p.* 252).

Tertullianus itaque hæc et alia hujusmodi extraordinaria facta, quæ ethnici mirabantur, ideo dæmonum arte et præstigiis edita esse asserit, ut *numina lapides*, id est, deorum simulacra lapidibus efficta, non falsi dii *crederentur, et verus Deus non quæreretur* (*Tertull. ibid.*). In superioribus autem nostris dissertationibus de his abunde disseruimus, manifestumque ibi fecimus qua ratione Arnobius eorum falsitatem demonstrare conetur (*Dissertat. in Arnob., c.* 18, *art.* 1 *et* 2). At Minutius Felix atque Lactantius, Tertullianum secuti, hæc dæmonum, uti diximus, dolis ac fraudibus facta esse ostendunt (*Dissertat. in Minut., c.* 20, *a.* 2; *Dissertat. in Lactant., cap.* 20, *art.* 7 *et cap.* 32, *art.* 4). Quæ vero ipse Tertullianus sibi peculiaria habet, et speciatim retulit, in sequentibus articulis complanare tentabimus.

ARTICULUS IV.

Quomodo dæmones futurarum rerum scientiam subripere tentaverint, ac falsorum deorum nomine ambigua quibusdam, ac præsertim Pyrrho et Crœso, oracula dederint.

Præsensio et scientia rerum futurarum *magnifica*, ait Cicero, *quædam res et salutaris, si modo est ulla, quæque proxima ad deorum vim naturæ mortali possit accidere* (*Cicer., lib.* I *de Divinat., p.* 254). Neque id dæmonibus erat incognitum. Quamobrem hanc scientiam sibi quoquo tandem modo vindicare voluerunt. Nam ut apposite omnino Tertullianus noster, *Æmulantur*, inquit, *divinitatem, dum furantur divinationem* (*Tertullian., Apologet., c.* 22, *c.* 408). Quin imo si

Digitized by Google

fidem ei habeas, nihil illis hac æmulatione charius antiquiusque fuit : *Et quæ illis*, ait, *accuratior pascua est, quam ut hominem a recogitatu veræ divinitatis avertant præstigiis falsæ divinationis* (*Ibid. p.* 407). Atque ita quidem in editione Rigaltii, qui hæc verba, *illis* et *avertant*, ad dæmones referenda esse opinatus est At in nostris manuscriptis codicibus, ac priscis editionibus legimus *illi* et *avertat ;* quæ annotatam ibidem a Tertulliano *aspirationem* dæmonum referri utique possunt. Nomen vero *pascua* ab eo, sicuti a sacris Scriptoribus nostris accipitur pro pastione et alimento. Nam ut plura eorum loca omittamus, in psalmo vigesimo secundo scriptum est : *In loco pascuæ ibi me collocavit* (*Ps.* XXII, ỳ : 20).

Quomodo autem dæmones moliti sint divinationem subripere, hunc Auctor noster exposuit in modum : Ingenii sui subtilitate *dispositiones etiam Dei, et tunc prophetis concionantibus exceperunt, et nunc lectionibus* sacræ Scripturæ *resonantibus carpunt* (*Tertullian*, *ibid.*, *p.* 408). Præterea *sumunt*, id est, agnoscunt *quasdam temporum sortes*, sive futuros temporum status et eventus. In nostra autem de Lactantii libris dissertatione hæc enucleavimus (*Dissert. in Lactant.*, *cap.* 20, *art.* 7).

Alio adhuc modo pluvias facile prædicunt. Etenim *habent*, ait adhuc Tertullianus (*Ibid.*), *de incolatu aeris, et de vicinia siderum, et de commercio nubium cœlestes sapere*, hoc est, agnoscere *paraturas, ut et pluvias, quas jam sentiunt, repromittant*. Pamelius vero nos hic monitos esse voluit se non meminisse utrum nomen *paratura* apud alios auctores legatur. Sed aut ipse non legerat, aut non recordabatur se legisse in vita sancti Cypriani hæc Pontii verba : *Nondum secunda nativitas novum hominem splendore toto divinæ lucis oculaverat, et jam veteres ac pristinas tenebras sola lucis paratura vincebat* (*Pont. in vita S. Cypr.*, *c.* 2). Paraturæ autem nomen ibi ipso Tertulliani sensu adhibetur pro dispositione, apparatu, et præparatione, uti jam observatum est (*art. super.*)

Dicit itaque auctor noster ea, quæ in altiori cœli regione præparabantur, nubium commercio cognosci a dæmonibus *de incolatu aeris*. Noverat siquidem Satanam ab apostolo vocari, *Principem potestatis aeris hujus ;* dæmones vero, *spiritualia nequitiæ in cœlestibus* (*Epist. ad Ephes.*, *cap.* 2, 2, *et cap.* 6, 12). Denique de pluvia ab iis prænuntiata aliquid infra dicendum.

Eodem quoque modo ille adhuc ostendit ab iisdem dæmonibus profecta esse, quæ ethnici tantopere venditabant, deorum suorum oracula. Quis autem adeo cœcus est, ut in eis solitas dæmonum fraudes, malignamque subtilitatem eo facilius non deprehendat, quo magis ambigua fuerunt. Si quis tamen Tertulliano credere nolit, is certe audiat, expendatque quam manifeste illud ab eo probetur : *In oraculis*, inquit, *quo ingenio ambiguitates suas temperent in eventus, sciunt Crœsi, sciunt Pyrrhi* (*Tertullian.*, *Apologet.*, *c.* 22, *p.* 408). Duo itaque profert celeberrima oraculorum exempla, quorum unum Pyrrho, alterum Crœso datum est. Quam ambiguum autem et fallax primum fuerit his Augustinus patefecit verbis : *Ait enim* fatidicus, *Dico te, Pyrrhe, vincere posse Romanos : atque ita sive Pyrrhus a Romanis, sive Romani a Pyrrho vincerentur, securus fatidicus utrumlibet exspectaret eventum* (*August.*, *lib.* III, *de Civit.*, *c.* 17, *p.* 75). At hujusmodi fallaciæ fraudulentæque captiones a vero Deo proficisci non possunt, sed a malignis dæmonibus, qui naturæ suæ subtilitate sub falsorum deorum imaginibus latentes, his responsis homines decipiebant. De hac autem fallaci Apollinis Pythii ad Pyrrhum regem responso disputavimus in nostra de Minucii Octavio dissertatione (*Dissertat. in Minut.*, *cap.* 17, *art.* 3). Ejusdem profecto generis est aliud Crœso redditum. Narrat enim Eusebius (*Euseb.*, *lib.* V, *præpar. Evangel.*, *cap.* 21 *et* 22, *p.* 211 *et seq.*) hunc Lydiæ regem cum bellum Persis inferre cogitaret, Apollinem Delphicum, cujus templum infinitis opibus et donariis exornaverat, de futuro hujus belli eventu consuluisse, et hoc plane ambiguum accepisse responsum :

Χροῖσος Ἅλυν διαβάς, μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει.

Crœsus Halyn superans magnam pervertet opum vim.

(*Herodot.*, *lib.* I, *cap.* 53).

Quod ille postea confirmat Œnomai testimonio. At id tibi si non sufficiat, adire poteris Herodotum, et qui de utroque Pyrrho et Crœso agunt, Ciceronem, Bulengerum et alios (*Cicer.*, *lib.* II, *de Divin.*, *p.* 296; *Bulenger.*, *lib. de orac. et vat.*, *cap.* 6).

Ad eumdem porro Crœsum attinent hæc subsequentia Tertulliani verba : *Cæterum testudinem concoqui cum carnibus pecudis Pythius eo modo nuntiavit, quo supra diximus ; momento apud Lydiam fuerat* (*Tertullian.*, *Apologet.*, *c.* 22, *p.* 409). Memoriæ siquidem jam citatus a nobis Herodotus prodidit missos a Crœso nuntios, qui varia deorum oracula consulerent, et quid ipse in Lydia ageret, sciscitarentur. Singulorum autem responsa cum accepisset, nullum probavit, nisi Delphici Apollinis, qui ea, quæ ab illo revera agebantur, hoc responso edixit : Χελώνην καὶ ἄρνα κατακόψας ὁμοῦ ἕψει αὐτὸς ἐν χαλκέῳ, χάλκεον ἐπίθημα ἐπιθείς. *Testudinem pariter et agnum concisos in lebete aheneo coxit operculo aheneo imposito* (*Herod.*, *lib.* I, § 48). At non divino quidem afflatu dæmon ille cognovit quid Crœsus ageret, sed innata sibi, ait Tertullianus, agilitate in Lydiam uno momento convolavit, et eadem celeritate reversus, Crœsi nuntiis memoratum Apollinis nomine responsum reddidit.

De his porro ac similibus oraculis, ambiguisque ac fallacibus dæmonum responsis, et illorum defectu, non solum in citata de Minucii Octavio, sed aliis quoque nostris dissertationibus actum a nobis fuit (*Dissertat. in Minut.*, *cap.* 30, *art.* 3, *et in Lactant.*, *cap.* 20, *art.* 7 *et* 8, *et cap.* 32, *art.* 1). At neminem esse putamus, qui ex dictis non intelligat quantum a Tertulliani aliorumque antiquissimorum Ecclesiæ Patrum sententia recentior quidem, ut alibi annotavimus, dissideat, qui vetera gentilium oracula non his dæmonum dolis pessimisque artibus, sed sacerdotum, idolis servientium, fallaciis ac præstigiis reddita fuisse

Digitized by Google

perperam venditat. Quamvis enim nonnulla ab his sacerdotibus profecta fuisse constaret, pleraque tamen omnia edere non potuerunt, sicuti nec vera miracula, de quibus nunc agendum est.

ARTICULUS V.

Quomodo Tertullianus ostendat dæmonum potestate ac fraudibus ea esse facta, quæ magi circulatoriis præstigiis ludunt, quibus infamantur defunctorum animæ, pueri in eloquium oraculi eliduntur, immittuntur somnia, caprææ et mensæ divinant; nec responderi a quoquam posse ea saltem diis tribuenda, quæ intra illorum templa agebantur.

Ethnicos acrius adhuc urget Tertullianus, planumque facit ea, quæ a circulatoriis magis supra naturæ ordinem edita opinabantur, hæc facta fuisse dæmonum fraudibus ac præstigiis. Et certe quomodo magi illi exsecrandis suis artibus facere aliquid possent, nisi haberent, *semel invitatorum*, ait Tertullianus, *angelorum*, videlicet malorum, *et dæmonum adsistentem potestatem* (*Tertullian., Apologet., c.* 23, *p.* 410). Non enim eam potentiam, quæ solitas hominis vires superat, a se ipsis habent, neque etiam a Deo optimo, qui maleficiorum auctor esse non potest. Ergo illam acceperunt a dæmonibus, qui sua, uti diximus, malignitate homines in quælibet scelera inducere moliuntur. Sed hæc ille alio in libro clarius uberiusque demonstrat (*Idem, lib. de Anim., cap.* 57).

Magi itaque accepta ab illis dæmonibus res quasdam extra consuetum naturæ ordinem edendi potestate, *circulatoriis*, ait Tertullianus, *præstigiis ludunt* (*Idem, Apologet., c.* 23, *p.* 411). Sed quæ sunt, rogabit aliquis, hæ circulatoriæ præstigiæ? Respondent aliqui illas sic vocari, quia magi circumforanei, spectantium cœtu sive circulo circumdati, fabulis aut præstigiis ludunt. Verum nobis facilius persuadebitur his verbis nihil a Tertulliano aliud significari, quam magicas præstigias. Ubi enim Marcionis de phantastica Christi carne errorem refellit: *Ergo jam Christum*, inquit, *non de cœlo deferre debueras, sed de aliquo circulatorio*, id est, magorum, *cœtu, nec Deum præter hominem, sed magum hominem* (*Idem, lib. de Carn. Christi, c.* 5). Alibi vero: *Alia species magiæ, quæ miraculis operatur..... exinde et Simon magus, jam fidelis, quoniam aliquid adhuc de circulatoria secta cogitaret* (*Idem, lib. de Idololat., c.* 9). Quid autem ibi circulatoria secta, nisi magorum sectam significat? Alicubi tamen, ne quid dissimulemus, magos a circulatoriis distinguere videtur, ubi adversus hæreticos sic disputat: *Notata sunt etiam commercia hæreticorum cum magis quampluribus, cum circulatoribus, cum astrologis, cum philosophis curiositati scilicet deditis* (*Idem, in fin. lib. de Præscript. hæret., c.* 43). Sed nonne cernis ibi varias tantum notari hominum, magicis artibus deditorum, species? Nonne igitur illius in Apologetico hic sensus est: magi multa miracula circulatoriis, id est, magicis artibus ludunt, hoc est, fingunt et falso jactant a se fieri, sicque homines ludunt, ac decipiunt?

Præterea detestandis illis artibus, *Phantasmata edunt, et defunctorum infamant animas* (*Idem, Apologet., c.* 23, *p.* 410). Jam vero dictum ab illo observavimus a dæmonibus edita fuisse phantasmata Castorum (*supr., art.* 3): nunc vero asseverat aliorum defunctorum phantasmata, sive fictas effigies, a magis dæmonum artificio repræsentari. Sed hæc ille in libro de Anima fusius, hisque verbis explicat: *In illa specie magiæ, quæ jam quiescentes animas evellere ab inferis creditur, et conspectui exhibere, non alia fallaciæ vis operatur; plane quia et phantasma præstatur, quia et corpus affingitur, nec magnum illi exteriores oculos circumscribere, cui interiorem mentis aciem excæcare perfacile est. Corpora denique videbantur Pharaoni, et Ægyptiis magicarum virgarum dracones; sed Moysis veritas mendacium devoravit* (*Tertullian., lib. de Anim., c.* 57, *p.* 355). In his itaque magicis evocationibus nihil aliud esse contendit, nisi dæmonum fraudes, fallacias, fucum, atque mendacium. Quod quidem ille ibidem hac tam certa, quam evidenti ratione comprobat: *Hanc fallaciam spiritus nequam, sub personis defunctorum delitescentis, nisi fallor, etiam rebus probamus cum in exorcismis interdum aliquem se ex parentibus hominem suis affirmat, interdum gladiatorem, vel bestiarium, sicut et alibi deum, nihil magis curans, quam hoc ipsum excludere, quod prædicamus, ne facile credamus animas universas ad inferos redigi, ut et judicii et resurrectionis fidem turbet* (*Ibid.*).

At cur, inquies, animæ defunctorum ab eo tunc dicuntur infamari? Putant nonnulli illud ideo dictum, quia infamia et contumelia afficiuntur. Sed veremur ne hoc verbum alio sensu a Tertulliano accipiatur pro fingere videlicet, ac falso exhibere. Nam eodem in libro probat falli hominum oculos, ac objici *mendacium eorum visui, quod æqualissimam porticum angustiorem in ultimo infamet* (*Ibid., c.* 17), id est, falso exhibeat, ac mendacio repræsentet. Postea vero adjicit tunc nullam esse oculorum fallaciam, nullumque mendacium, si et ipsæ *causæ* objecta recte videndi infamia liberentur. Nemo autem dixerit ibi verbum *infamare* ab illo usurpari pro macula, qua porticus inuratur. Si quis tamen probaverit hoc secundo significatu in Apologetico, sicut in mox citatis locis, primo sensu accipi, non omnino repugnare audebimus.

Magi insuper, *pueros*, inquit, *in eloquium oraculi elidunt* (*Idem, Apologet. cap.* 23, *pag.* 411). Et ita sane in nostris codicibus manuscriptis et editis recentioribus apud, etc. Minus autem bene in primis editionibus *eliciunt*. Apuleius namque testatur communem sui temporis morem usumque fuisse, ut magi pueros sive servos ad oracula fundenda assumerent, qui ab iis incantati corruebant, atque idcirco elidebantur (*Apul. Apolog.* 1, *pag.* 340.)

Eadem etiam fraude *somnia*, ait Tertullianus, (*Tertull. ibid.*; *Dissertat. in Minut. cap.* 20, *art.* 2, *in Arnob. cap.* 18, *art.* 1, *in Lactant. cap.* 32, *art.* 4), futurorum haud dubie prænuntia *immittunt*. At de hujusmodi somniis plura in superioribus nostris dissertationibus diximus.

Digitized by Google

Neque soli homines hac arte magorum sive potius dæmonum, qui horum ministerio abutebantur, sed etiam *capræ*, inquit auctor noster, *et mensæ divinare consueverunt* (*Tertullian. Apologet. cap.* 22, *pag.* 404). At quænam, obsecro te, erant hæ mensæ? Num sacri, ut ethnici garriebant, tripodes, ex quibus Pithiæ, sacerdotes Apollinis, solebant oracula sua fundere? Certe de illis Virgilius cecinit (*Virgil. lib.* 3, *Æneid.* v. 358) :

Trojugena interpres divum, qui numina Phœbi,
Qui tripodas Clarii lauros, qui sidera sentis.

Servius siquidem in hos Poetæ versus, *Tripodes*, inquit, *mensæ fuerunt* in templo Delphici Appollinis, *quibus superpositæ Phœbades vaticinabantur* (*Bulen. lib. de orac. et vatibus cap.* 17, *et seq.*). Noti autem sunt omnibus tripodes illi, de quibus si plura scire aveas, adire poteris Bulengerum et alios.

Verumtamen quia Tertullianus de his, quæ non sacerdotum ethnicorum, sed magorum opera efficiuntur, ibi sermonem videtur fecisse, si quis de aliis mensis eum loqui probaverit, ei haud ægre assentiemur. Expendat nihilominus hæc non minus ad oracula deorum referri posse, quam ad notatas ibidem ab ipso adhuc Tertulliano *capras* divinantes, de quibus in primo Apparatus nostri tomo disputavimus (*tom.* I *Apparat. lib.* I, *cap.* 10, *pag.* 772, *et seqq.*).

Quoniam vero Tertullianus de iis, quæ intra et extra deorum templa agebantur, in hoc Apologetici loco disputat, eos refellit, qui objiciebant distinguendam esse locorum differentiam, ac diis ea tantum adscribenda, quæ *in templis fieri* solebant (*Tertullian. Apologet. cap.* 22, *pag.* 407). Cum enim vos ethnici, ita illos compellat, hæc nobis objectatis, *alibi*, id est, *extra* templa *deos non dicitis* (*Ibid.*), id est, cum fatemini deos vestros non alibi esse, et agere, quam in templis, eo ipso dicitis eos esse falsos deos. Nam verus Deus ubique est.

Deinde vero *non aliter*, inquit, *dementire*, hoc est, uti apud Lucretium, Apuleium, et Lactantium (*Lucret. lib.* III, v. 396, *Apulei. Apol.* I, *pag.* 341, *Lactant. lib.* IV, *divin. Institut. cap.* 17, *pag.* 441, *Tertullian. Apologet. cap.* 13, *pag.* 343) insanire, delirare, seu extra mentem exire, is *videtur*, *qui sacras* templorum *turres pervolat*, quam *qui tecta viciniæ transilit*, sive ex vicinis templorum tectis volando sese aeri committit. Parem itaque asserit dementiam esse illius, qui ex quibuslibet, atque alterius, qui ex templorum, falsis diis dicatorum, turribus sese præcipitando, per aera volasse perhibebatur. Perpendas autem velim utrum ibi, tacito nomine, notaverit Simonem magum, cujus mentionem antea fecerat. At Lucianus præterea Philoclem introducit asseverantem se Babylonium quemdam vidisse, qui per aera volitabat (*Lucian. diag. Philo. pseu. pag.* 831,). Addunt nonnulli exemplum Agareni cujuspiam præstigiatoris, qui teste Niceta Choniate, cum ex summa Hippodromi turre per aerem volaret, præceps actus interiit. Sed hoc exemplo confici tantum potest mirum non esse, si Tertulliani tempore vel antea temerarii præstigiatores hunc in modum volare tentaverint.

Urget adhuc ille parem esse furorem et amentiam illius, *qui genitalia vel lacertos*, atque alterius, *qui sibi gulam prosecat* (*Tertullian. Apologet. cap.* 25, *pag.* 421). Prior autem erat gallus vel Archigallus, qui in Matris deorum, vel Bellonæ, sacris membra sua secare consueverat (*Dissert. in Minut. cap.* 20, *art.* 2, *et Dissert. in Lactant. cap.* 34, *art.* 1). De hoc autem Archigallo ille paulo post, ac nos de illo et aliis gallis alibi desseruimus : *Atqui compar est*, inquit, *exitus furoris, et una ratio est instigationis* in illis, atque in eo, qui *sibi gulam prosecat*, id est, se jugulat, aut gladium suum demittit in gulam (*Tertullian. ibid.*). In nostris autem codicibus manuscriptis pro *compar*, habetur *compara*, quod etsi corruptum plane videatur; suo tamen prorsus non caret sensu. At Minucius Felix, quemadmodum suo loco annotavimus, paulo aliter, sed eumdem in finem dixit (*Dissertat. in Minuc. cap.* 20, *art.* 3) : *Par in illis instigatio dæmonis, sed dispar argumentum furoris.* Nam eadem est utriusque in ethnicos argumentatio, qua illorum errorem radicitus evellunt. Videtis citatos a nobis in illa dissertatione Ciceronis de divinatione, et Augustini totidem de divinatione dæmonum libros.

Ex hactenus porro disputatis quis non videt, hanc recte a Tertulliano elici conclusionem? Si malignis dæmonum artibus, fallaciis, ac præstigiis ea extra solitum naturæ ordinem facta sunt, quæ gentiles diis suis tribuebant, ergo falsi sunt hi omnes dii, et falsa est eorumdem gentilium, ac vera christianorum religio. Illi enim colunt unicum et omnipotentem Deum, cujus sola potestate, cæteris omnibus superiore, vera miracula fieri possunt.

ARTICULUS VI.

Qua ratione Tertullianus demonstret eos, qui de deo pati æstimantur, qui aris inhalant, qui numen de nidore concipiunt, ructando conantur, profantur anhelando; nec non virginem Cœlestem, pluviarum pollicitatricem, et Æsculapium alia die Socordio, Thenatio, et Asclepiodoro vitæ subministratorem, cum a Christianis adjurabantur, tunc palam respondisse se non esse deos, sed dæmones.

Multo sane longius progreditur Tertullianus, et argumento longe efficaciori, ac contra quod ne mutire quidem ethnici audebant, evidentissime demonstrat omnia illa miracula, oracula, et alia, quæ hi supra vires humanas a diis suis acta esse venditabant, ab ipsis dæmonibus esse facta, ac proinde quos dicebant deos, esse revera dæmones. Neque enim privata hominis alicujus auctoritate, aut ratione ullo humano ingenio excogitata, id probat, sed publico, ac dato coram quibuslibet gentilibus ipsorummet testimonio deorum.

Totius autem hujus argumentationis summa hæc est (*Tertullian. Apologet. cap.* 22, *pag.* 405) : Quocumque dæmone, aut quibusvis dæmonibus homo

Digitized by Google

agatur, sive malo eorum agitetur, spiritu, cujuslibet etiam hominis corpus ab iis obsideatur, iidem dæmones ab illis omnibus sola Christianorum adjuratione, et exorcismis, aut solo adtactu, aut flatu confestim expelluntur. Atqui tunc, tametsi inviti, nec maxima sine ignominia ejicerentur, palam ac coram omnibus ethnicis cogebantur fateri se non deos, uti gentiles effutiebant, sed meros esse dæmones, unicum vero esse Deum, quem christiana fides colit et adorat.

Cum res ergo ita sit, inde Auctor noster recte concludit (*Ibid. col.* 405) : *Quid isto opere manifestius? Quid hac probatione fidelius? Simplicitas veritatis in medio est.* Aut illa etenim publica dæmonum confessio vera erat, aut falsa et mendax. Si vera, iis procul dubio credendum, atque ethnici confiteri debebant falsos esse deos suos, ac unum tantummodo, quem Christiani venerantur, esse verum Deum. Si autem dæmones tum mentiebantur, primo id facile nemini persuadebis. Quilibet enimvero ad honorem quandoque suum non autem ad dedecus infamiamque suam unquam mentitur. Præterea si mentiebantur, et hoc mendacio morem gerebant Christianis, inde certissime conficitur nullam esse, quam ethnici venditabant, eorum divinitatem. Verus quippe Deus nec mentiri, nec creaturis ad suum dedecus obsequi potest. Falsa igitur ea est divinitas, quæ aliquid *ad dedecus*, ut ait Auctor noster, *facit æmulis suis*, id est, quæ ad dedecus suum hostibus suis Christianis mentitur, iisque mentiendo se subjicit (*Dissertat. in Minut. Octav. cap.* 20, *art.* 3, *et in Lactant cap.* 9, *art.* 2). Quanti porro sit roboris hæc argumentatio, in superioribus nostris dissertationibus abunde demonstratum est.

Quamobrem nihil aliud restat explanandum nisi quod paulo obscurius in Auctoris nostri textu scriptum occurrit. Ethnicos autem ibi audacter provocat ad hujus Christianorum in dæmones potestatis, et publicæ illius dæmonum, se deos esse negantium, confessionis periculum faciendum. Quanta vero confidentia id pronuntiet, ex hac ejus ipsa provocatione cognosces (*Tertullian. Apologet. col.* 25, *pag.* 24,) : Adjurati, inquit, *a Christianis, nisi se dæmones confessi fuerint, ibidem*, sive eo ipso in loco, et momento, *illius christiani procacissimi sanguinem fundite.* Ne quis autem fraudem aliquam aut dolum suspicaretur, ad illud experimentum non locum aliquem privatum, aut ethnicis suspectum, sed publicum et illis omnibus securum postulat (*Ibid.*). Eos quippe ita alloquitur : *Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem dæmone agi constet ; jussus a quolibet Christiano loqui spiritus ille, tam dæmonem se confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso.* In nostris codicibus legitur non *deum* quidem, sed *dominum*, non diverso tamen sensu.

Neque hoc uno tantum, sed quolibet alio cujusvis hominis, quoquo modo a dæmone agitati, experimento id similiter probari posse constanter asseverat. Sic namque prosequitur (*Ibid.*) : *Æque producatur* ante ethnicorum tribunalia, *aliquis ex iis, qui de deo pati existimantur, qui aris inhalantes numen de nidore concipiunt, qui ructando conantur, qui anhelando profantur. Ipsa virgo cœlestis, pluviarum pollicitatrix ; iste ipse Æsculapius medicinarum demonstrator alia die moriturus Socordio, et Thenatio, et Asclepiodoto vitæ subministrator*, hi omnes a Christianis adjurati dæmones se esse illico confitebuntur.

Audisne quot ille proferat exempla, quæ ab ethnicis nec negari unquam, nec ullo prorsus modo dissimulari poterant? Sed quia hæc, ac potissimum posteriora non minima quidem caligine respergunter, eam pro virili parte nostra discutere enitamur. Primum itaque observabimus iis, quæ ab illo præmissa sunt, lucem aliquam afferri posse his Virgilii carminibus (*Virgil. lib.* VI *Æneid.* v. 77, *et seqq.*):

> At Phœbi nondum patiens immanis in antro
> Bacchatur vates, magnum si pectore possit
> Excussisse deum ; tanto magis ille fatigat
> Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.

In primum autem carmen Servius, *nondum patiens*, inquit, *quæ nondum posset implere oraculorum sermones.* Deo igitur patiens dicitur vates, qui ad oracula fundenda numine alicujus dei afflatus, donec ea ex pectore excussisset, laborabat, torquebatur, domabatur, premebatur. Et vero hujusmodi vates, ut ipsimet ethnici aiebant, insolito replebantur furore.

Qui vero dehinc *aris inhalantes* a Tertulliano vocantur, hi dubio procul sunt arioli, de quibus Donatus in suis ad Terentium observationibus (*Donat. in Terent. Phormion. Act.* 4, *scen.* 4, v. 27) : *Hariolus est*, inquit, *qui divina mente vaticinatur, qui fariolus a fatis, et a fando cum F. pro H. et item H. pro F. in multis locutionibus ponatur. An quod imitantur aspirationem in exhalando? Nam halitu solent excludere mortalem animam, ut divinam recipiant. Unde et vocem ejusmodi dabant, quæ est OE, quod OE sonus ex halandi vim præstat.* Rursus vero jam laudatus a nobis Maro de Sybilla canebat (*Virgil. lib.* VI. *Æneid.* ŷ. 45,).

> Ventum erat ad limen, cum virgo : Poscere fata
> Tempus, ait : deus, ecce deus : cui talia fanti
> Ante fores, subito non vultus, non color unus,
> Non comptæ mansere comæ : sed pectus anhelum,
> Et rabie fera corda tument, majorque videri
> Nec mortale sonans, afflata est numine quando
> Jam propiore dei.

Similiter etiam Lucanus de Cumæa Sybilla, quæ vaticinari conabatur (*Lucan. lib.* V, v. 91, *et seqq.*) :

> Talis in Euboico vates Cumæa recessu,
> Indignata suum multis servire laborem
> Gentibus, ex tanta fatorum strage superba
> Excepit Romana manu, sic plena laborat
> Phœnomoe Phœbo. . . . . .
> . . . . . .
> Spumea tunc primum rabies vesana per ora
> Effluit, et gemitus, et anhelo clara meatu
> Murmura, tunc mœstus vastis ululatus in antris
> Extremæque sonant domitâ jam virgine voces.

Quamobrem Cicero (*Cicer. lib.* I *de Divin. pag.* 274, *lin.* 35) : *Credo etiam*, inquit, *anhelitus quosdam fuisse terrarum, quibus inflatæ mentes oracula funderent.* Sed de his plures alios scriptores citavimus in

Digitized by Google

nostra de Minucii Octavio dissertatione (*Dissertat. in Minut. cap.* 10, *art.* 2). Vide autem, obsecro, utrum ex illis colligi possit hunc esse Tertulliani sensum? Vates et arioli existimantur *de deo pati*, cum ab illo acti, æstu ac furore torquebantur.

Qui vero *aris inhalantes*, sive spirantes, et in aras spiritum emittentes, *numen*, id est, dei alicujus nutum et potestatem *de nidore*, id est, odore victimæ alicujus perustæ *concipiunt*. Deinde *qui ructando*, sive ructus, variosque anhelitus efflando, *conantur* fundere oracula, eaque eructare, et mittere extra pectus suum. At in exemplaribus nostris manuscriptis, et editis antiquioribus pro *conantur* scriptum est *curantur* (*Tertull., loc. cit.*). Cujus sensus esse potest, *ructando*, et oraculum emittendo, feruntur labore suo et cruciatu liberari ac curari. Sed potior videtur altera lectio. De his enim adhuc tortis et laborantibus auctor noster loqui videtur, qui continenter adjecit: *Qui anhelando profantur* (*Ibid*); manuscripti et alii ante Rigaltii tempus editi *præfantur*, sed haud multum absimili significatu. Ait enim tum ex illis, sicut ex Virgilio et aliis audivimus, excuti deum, eosque dei alicujus instinctu fundere oracula. At ille hæc omnia non veri Dei opera, sed fallacibus, sicut dictum est, dæmonum præstigiis fieri evidentissime demonstrat. Tunc enim a Christianis adjurati, ad fatendum se dæmones esse compellebantur, ut postea adhuc dicemus.

Explicatu vero longe difficiliora sunt, quæ his subjiciuntur. Quis enim facile dixerit quænam illa sit *virgo cœlestis* quæ ab illo *pluviarum pollicitatrix* appellatur (*Ibid.*)? Nonnulli siquidem hanc Junonem, alii Fortunam, alii Cererem, alii Uraniam, alii Venerem esse existimant, quia Veneris Uraniæ, sive *Cœlestis*, ejusque templi mentionem Herodotus, Pausanias, et Lucianus fecerunt (*Herodot., lib.* I, § 51 *et* 105; *Pausan., lib.* I, *pag.* 14 *et* 17; *Lucian., dial. Mat. et musar., pag.* 975). Nobis autem facilius probabitur ibi a Tertulliano designari propriam ac municipalem Africæ deam, quam paulo post in Africa coli testificatur (*Tertullian. Apologet., cap.* 24, *col.* 416). Augustinus si quidem testis utique oculatus, de illa dea hæc memoriæ prodidit: *Veniebamus nos aliquando adolescentes ad spectacula ludibriaque sacrilegorum. Spectabamus arreptitios, audiebamus symphoniacos; ludis turpissimis, qui diis deabusque exhibebantur, oblectabamur, Cœlesti virgini et Berecynthiæ matri omnium* (*August., lib.* II *de civit., cap.* 4, *pag.* 34). Rursus autem postea: *Ubi et quando sacruti Cœlestis audiebant castitatis præcepta nescimus. Ante ipsum tamen delubrum, ubi simulacrum illud locatum conspiciebamus, universi undique confluentes, et ubi quisque poterat stantes, ludos qui agebantur, intentissimi spectabamus, intuentes, alternante conspectu hinc meretriciam pompam, illinc virginem deam illam suppliciter adorari, ante illam turpia celebrari: non ibi pudibundos mimos, nullam verecundiorem scenam vidimus; cuncta obscœnitatis implebantur officia. Sciebatur virginali numini quid placeret, et exhibebatur quod de templo domum matrona doctior reportaret.* (*Ibid. cap.* 26, *pag.* 56). Plura adhuc de ea ille alibi. Sed hæc satis superque probant apud Afros fuisse templum virginis Cælestis, quæ non solum ab illis colebatur, sed quæ siccitatis tempore ab iisdem invocata, pluvias pollicebatur, moxque futuras prædicebat. Ab aliorum autem opinionibus hæc, quam proponimus, non adeo dissita est, quin ipsis non possit reconciliari. Nam dea illa pro locorum diversitate diversis vocabatur nominibus. Testem si desideres, ecce Ambrosium id asserentem: *Quam Cœlestem*, inquit, *Afri, Mithram Persæ, plerique Venerem colunt, pro diversitate nominis, non pro numinis varietate* (*Ambros. Epist.* 18, *adv. Symmach.*, § 30, *p.* 840).

Transit inde auctor ad Æsculapium, qui ab eo vocatur *medicinarum demonstrator*; et alibi, *qui primas medelas exploraverit* (*Tertullian. Apologet. cap.* 23, *pag.* 410, *et lib. de coron. cap.* 8, *tom.* I *Apparat. pag.* 1192). Nos vero in superioribus nostris dissertationibus ostendimus qua ratione ethnici medicinæ inventionem illi adscribebant. Sed quo id clarius, eo sane majorem subsequentia ejus verba habent obscuritatem: *Alia die*, ait, *morituris Socordio, et Thenatio, et Asclepiodoto vitæ subministrator* (*Tertullian. Apologet. cap.* 23, *col.* 24). Mirum enim quantum hæc eruditorum hominum ingenia exercuerint. At certe corruptus est hic locus. Nam in nostris codicibus manu et antiquiori, et receptiori exaratis habetur: *Alia die morituris* (vel *alia demorituris*) *Socordio, et Denatio, et Asclopiodoto subministratur.* In editionibus Rigaltio vetustioribus: *Alias demorituris Socordii et Denatii et Asclepiodoti subministrator.* (*Dissertat. in Arnob. cap.* 9, *art.* 2, *et in Lactant. cap.* 30, *art.* 5) Quis autem non videt has diversas lectiones augere potius quam tollere difficultatem?

Quidam tamen suspicantur has Agyrtarum, seu præstigiatorum, qui Esculapio se ministrare mentiebantur, esse voces, quas tacere satius ducunt, quam in iis explicandis risu dignam et inutilem perdere operam. Alii censent nomina trium esse hominum, quibus Æsculapius vitæ curriculum paulo ante produxisse ferebatur. Sed hæc aliqua saltem ratione confirmari debebant. Alii porro opinantur tria illa esse nomina herbarum, quibus morbi depelli poterant. Plinius enim inter varia antidota recenset *scordotin*, uti ille ait, sive *scordion* (*Plinius, lib.* II, *natur. hist. cap.* 6, *pag.* 395,). Alibi vero scribit hanc herbam ad complures morbos removendos esse utilem (*Idem, lib.* XXVI, *cap.* 7, *pag.* 451, *cap.* 8, *pag.* 471, *et cap.* 10, *pag.* 475). At illud omitti procul dubio non debebat, quod alibi adhuc dixit: *Contra hæc omnia venena magicasque artes erit primum illud Homericum moly, deinde mithridation, et scordotis, et centaurion* (*Idem, lib.* XXV, *cap.* 10, *pag.* 412).

Quibusdam autem visum est *Asclepiodoti* nomine indicari a Tertulliano Asclepion, de quo hæc a Plinio scriptis tradita legimus: *Panaces ipso nomine omnium morborum remedia promittit, numerosum et diis adscriptum. Unum quippe Asclepion cognominatur* (*Idem,*

Digitized by Google

ibid. cap. 4, pag. 382), ab Æsculapio videlicet falso ethnicorum deo, illius demonstratore, aut ob ejus virtutem ita appellato.

Superest tertium nomen, in quo explicando hæret omnibus aqua. Qui enim *Denatio* legunt, autumant aliquid denotari, quod jam morituris præberi solebat. Qui vero legere malunt *Thenatio*, suspicantur aliud significari, quo spiritum agentes recreari, et tanquam a morte ad vitam revocari poterant. Sed hæ meræ sunt conjecturæ, quæ nulla prorsus ratione firmantur.

Paulo itaque attentius expende, quæso, an tenebricoso huic auctoris nostri loco nonnihil luminis dare possent hæc Julii Firmici Mater. Jun. verba: *Mercurius cum sole ab horoscopo pariliter constitutus, faciet exorcistas, et qui laborantes dæmonum incursione homines aptis remediis liberent, unde ex illis artibus maxima illis substantia conferatur* (*Jul. Firm. lib.* III, *Matheseos cap.* 9,). Audis sane eum loqui de Mercurio, qui homines dæmonum incursione laborantes, aptis remediis curare credebatur. Nonne ergo inde colligi potest hæc remedia a Tertulliano suis nominibus, sed in textu ejus corruptis appellari, quæ Firmicus generatim tantum vocat *remedia*, quibus exorcistæ a Mercurio facti, dæmonum incursione vexatos liberabant? Certum quippe est ipsum Tertullianum toto hoc in loco de iis sermonem facere, quos a dæmone actos quidam magica arte curare frustra nitebantur. Sed his ipse dæmon a Christianis adjuratus, confestim expellebatur, cogebaturque nomen suum edere, et verum Christianorum Deum confiteri. Si quis tamen meliora nobis suggesserit, huic plane non reluctabimur.

Pergit autem Tertullianus, et constanter asseverat nihil hoc christianorum opere, atque deducta inde argumentatione simplicius et fidelius. In illo quippe *nihil*, inquit, *suspicari licebit. Magia aut aliqua ejusmodi fallacia fieri dicetis, si oculi vestri et aures permiserint vobis* (*Tertullian. Apologet. cap.* 23, *col.* 410)? Atque ita Rigaltius hunc Tertulliani locum, nulla nota varia lectione, emendare non hæsitavit. In antiquis tamen editionibus legebatur, *nihil..... fieri. Dictis non statis, si oculi*: in duobus vero nostris codicibus vetustioribus *nihil.... fieri dicitis.* Tunc deinde in aliis simul. *Non dicetis si oculi*, etc. Sed si quæ sit in discernenda genuina lectione difficultas, constat tamen apertum esse auctoris nostri sensum. Dicit etenim ethnicos non posse aut suspicari, aut objicere in illo Christianorum opere aliquid inesse, aut magicum, aut fallax, modo iidem ethnici indomita obstinatione nec cæci sint, nec surdi. Videre siquidem facile poterant quam simplici modo Christiani agerent, atque etiam dæmones audire confitentes se deos revera non esse, sed immundos spiritus, *ob malitiam prædamnatos in judicii diem cum omnibus cultoribus et operatoribus suis* (*Ibid.*). Quin etiam ipsi dæmones non poterant, audientibus ipsismet ethnicis, *suæ saltem ignominiæ et damnationis notam refutare*, seu tegere, diluere, inficiari. Quamobrem illos ad id si unquam quiverint, aliquando negandum audacter provocat. *Renuant*, inquit, manuscripti codices nostri *Renuntiant*, melius antiquæ editiones, *Renuntient*, hoc est, sed improprio loquendi modo, negent, abnuant, et diffiteantur se esse prædamnatos. At id procul dubio negare tum non poterant, cum a christianis interrogati, et adjurati, respondere cogebantur.

Quomodo enim inficiari potuissent se immundos esse spiritus, quod, *ex pabulis eorum*, ut ait Tertullianus, *sanguine, et fumo, et putidis rogis pecorum, et impuratissimis linguis ipsorum vatum intelligi debuit* (*Ibid.*)? Adi, si lubet, Augustinum, et ea lege, si vacat, quæ ille ex Porphyrii ad Anebontem epistola retulit de impiis et fraudulentis dæmonum ac fallacium spirituum artibus (*August. lib.* X, *de civit. cap.* 11, *pag.* 247, *et seqq.*). Ibi quippe scribit illos gaudere nidoribus, ac victimis, sive mactatis pecoribus allici, cogique ea facere, quæ volunt homines. Alia etiam ibidem animadvertes, quibus plura, quæ hactenus de eorumdem dæmonum præstigiis disputavimus confirmari et illustrari possunt. Adjecit Tertullianus illos immundos spiritus declarari *impuratissimis linguis vatum ipsorum*, aut qui aris, ut antea dicebamus, inhalabant, et fumo ac victimarum sanguine contaminabantur, aut qui Christianorum adjuratione fateri compellebantur illud, quod conceperant, numen non deum esse, sed dæmonem. Minucius autem Felix usus est nomine *impurato*, ubi de falsi cujuslibet dei statua: *Ab impurato*, inquit, *homine lævigatur* (*Minut. Octav. pag.* 307,). Et Prudentius postea de Apolline cecinit:

> Mox flevit impuratus occisum pravi
> Disco. *Prud. in Hymn. S. Rom.* v. 205.

ARTICULUS VII.

Quam præclare Tertullianus superius argumentum inde confirmet, quod dæmones ab iis, quæ obsidebant, hominum corporibus vario modo ejicerentur vel ab exorcistis, vel aliis Christianis, quos timentes odio habebant, ipsisque erant subjecti: quo sensu desperata dicitur illorum conditio; ac de pœnæ mora, qua solatium fruendæ malignitatis habere feruntur.

Ethnicos acerrime adhuc urget Tertullianus, palamque omnibus facit quanta fuerit christianorum ad fugandos dæmones, eosque ex obsessorum hominum corporibus pellendos potestas, quantumque in illos imperium: *Nam de contactu*, inquit, *deque afflatu nostro, contemplatione et repræsentatione ignis illius correpti, etiam de corporibus nostro imperio excedunt inviti, et dolentes, et vobis præsentibus erubescentes* (*Tertullian. Apologet. cap.* 23, *col.* 410). Ethnici igitur nulla profecto ratione, nec nisi obfirmata prorsus, nec unquam vincenda obstinatione negare poterant et dæmonum imbellicitatem, et miram Christianorum in eos potentiam, qua religionis suæ veritatem meridiano Sole clarius demonstrabant.

At rogabit forsitan aliquis utrum ibi Tertullianus de nostris tantum exorcistis loquatur. Nam Cyprianus ubi de his, quæ tempore suo fieri solebant, ad

Digitized by Google

Magnum scribit, ibi dæmones ab Exorcistis nominatim fugatos sic utique testificatur : *Quod hodie etiam geritur ut per exorcistas voce humana, et potestate divina flagelletur, et uratur, et torqueatur diabolus* (*Cyprian. Epist.* 69 *ad Magnum. pag.* 187.). Nonne etiam, inquiet alius, de iisdem Exorcistis ipsemet Tertullianus alio in libro hæc fecit totidemque verba : *Exemplum accidit, domino teste ejus mulieris, quæ theatrum adiit, et inde cum dæmonio rediit. Itaque in exorcismo cum onerareturspiritus immundus quod ausus esset fidelem aggredi : Constanter, et justissime, inquit, feci, in meo eam inveni* (*Tertull. lib. de Spectac. cap.* 26)? Nonne etiam rursus alibi : *Quo ore Christianus thurarius*, id est, qui thus idolis incendit, *si per templa transibit, fumantes aras despuet, et exsufflabit, quibus ipse prospexit? Qua constantia exorcisabit alumnos suos*, hoc est, dæmones, *quibus domum suam cellariam præstat? Ille quidem si exluserit dæmonium, non sibi placeat de fide. Neque enim inimicum exclusit. Facile debuit de eo impetrare, quem quotidie pascit* (*Idem, lib. de Idolol. cap.* 2).

Respondere quidem aliquis posset in utroque illo Tertulliani loco non Exorcistas nominari, sed exorcismos, sive adjurationes, quæ ab omnibus procul dubio Christianis adhiberi poterant. Verum nemo negare potest ab Exorcistis imprimis, sicut ait Cyprianus, expulsos ex hominum corporibus dæmonas, atque id satis Auctori nostro fuisse ad probandam Christianorum in eosdem dæmonas potestatem.

Sed ulterius ille progreditur, et in citato Apologetici loco de omnibus loquitur generatim Christianis dæmones ejicientibus. Nam ille haud dubitanter affirmat tantam fuisse multitudinem gentilium, quos Christiani a dæmonum incursionibus liberabant, ut hi, sublato beneficio illo, sese satis superque ab immani eorumdem gentilium crudelitate vindicassent. En ipsa ejus verba : *Quis vos ab illis occultis, et usquequaque vastantibus mentes et valetudines vestras hostibus raperet, a dæmoniorum incursibus dico, quæ de vobis sine præmio, sine mercede depellimus? Sufficisset hoc solum nostræ ultioni, quod vacua exinde possessio immundis spiritibus pateret* (*Tertullian. Apologet. cap.* 57, *col.* 460). Ad Scapulam præterea hunc ille scripsit in modum : *Et quanti honesti viri* (*de vulgaribus enim non dicimus*) *aut a dæmoniis aut valetudinibus remediati sunt* (*Idem, ad Scapul. cap.* 4). Quis autem hæc non solum ab Exorcistis, sed ab omnibus christianis facta fuisse diffitebitur? Minor enim erat tunc exorcistarum numerus, quam ut ii soli tantam hominum multitudinem a dæmonum incursibus liberarent.

Quamobrem cum ethnici objicerent Christianos reipublicæ prorsus esse inutiles, illos sic refellit : *Quanti habetis, qui jam de vobis dæmonia excutiant?* (*Ibid. cap.* 43). Atque ita quidem in nostris codicibus manuscriptis. Non minus autem bene in antiquis editionibus, *Quantas*; et in Lacerdæ editione, *Quando*. Tertulliani enim sensus est : Si Christiani reipublicæ inutiles sunt, quanti ergo æstimatis, quove in pretio eos habetis, qui tot dæmonia, tamque sæpe ex vobis depellunt?

Verum quid argumentatione opus est? Nonne ipse disertissimis verbis edixit? *Jussus a quolibet Christiano loqui spiritus ille, tam se dæmonem confitebitur de vero, quam alibi deum de falso* (*Ibid. cap.* 23). Nonne etiam ad eumdem Scapulam iterum scripsit? *Dæmones non tantum respuimus, verum et revincimus, et quotidie traducimus, et de hominibus expellimus, sicut plurimis notum est* (*Idem, lib. ad Scapul. cap.* 3, 4). At quis non videat hæc non de exorcistis tantum, sed de omnibus dicta fuisse Christianis? Maxima ergo erat non modo exorcistarum, sed omnium Christianorum in dæmones potestas, qua illos ex ethnicorum corporibus sæpissime ejiciebant.

Si quis autem inquirat unde, aut quo nomine eam haberent, huic respondebit Tertullianus : *Omnis nostra*, hoc est, Christianorum *in illos* dæmones *dominatio, et potestas de nominatione Christi*, sive prolato, quando dæmones adjurabant, Christi nomine *valet, et de commemoratione eorum, quæ sibi a Deo per arbitrum Christum imminentia expectant* (*Idem, Apologet. cap.* 23, *pag.* 410). Nonnulli vero, nullius tamen manuscripti codicis auctoritate fulti, legendum censent *comminatione*, haud dubie quia dæmones per Deum vivum, qui judicaturus est vivos et mortuos, adjurabantur. At satis fortasse non animadverterunt in textu Tertulliani paulo post scriptum *de repræsentatione*, quod idem est, *ac commemoratione, ignis illius æterni* quo puniendi sunt dæmones. Videsis Eusebium hæc in sua de Constantini Magni laudibus oratione enarrantem, aliosque a nobis alibi citatos (*Euseb. orat. de Constant. Magn. laud. cap.* 16, *pag.* 658, *et seqq. Loc. infr. cit.*).

Recte ergo inde concludit Tertullianus : Dæmones *Christum timentes in Deo, et Deum in Christo, subjiciuntur servis Dei et Christi* (*Tertullian. Apologet. cap.* 23, *pag.* 410). Sed quomodo eos timebant? *ut nequam*, inquit, *servi metu* (*Ibid. cap.* 27, *pag.* 432); quemadmodum in manuscriptis nostris codicibus legimus. Servili igitur timore Christum ejusque discipulos metuebant : *Et odium*, pergit ille, *timor spirat*, sive, ut ait Minutius : *odium nostri serunt occulte per timorem* (*Minut. Octav. pag.* 255). Dæmones itaque et subjecti erant Christianis, et eos etiam timebant, atque idcirco oderant. Quidni timerent? quandoquidem ab illis *subiguntur*, ait adhuc auctor noster, *et conditioni suæ succidunt, et quos de longinquo oppugnant, de proximo obsecrant* (*Tertullian. ibid. cap.* 27, *col.* 432). Atqui si eos obsecrant, timent, oderunt, iisque subjiciuntur, ergo ab illis adjurati, non mentiebantur profecto, sed tum vere, sicut jam diximus, fatebantur se revera esse dæmones, et neutiquam deos, ac unum dumtaxat esse Deum. Tam vera porro illa confessio, tam publicum, inquit Auctor noster, testimonium Christianos facere solebat, ac Christianæ religionis stabilire et confirmare veritatem (*Ibid.*

Digitized by Google

col. 23, *pag.* 26). Sed de his egimus in superioribus nostris dissertationibus (*Dissertat. in Minut. cap.* 20, *art.* 3, *in Arnob. cap.* 3, *art.* 1, *in Lactant. cap.* 9, *art.* 2, *cap.* 16, *art.* 1, *cap.* 20, *art.* 7, *cap.* 33, *art.* 4).

At nos jam ad alia solito more explananda properantes aliquis forsitan retardabit, et a nobis sciscitabitur cur Auctor noster dixerit *dæmones ob malitiam prædamnatos*, et postea adjecerit, *desperata conditio eorum ex prædamnatione solatium reputat fruendæ interim malignitatis de pœnæ mora* (*Tertul. Apologet. cap.* 22, *c.* 404; *ibid. col.* 27, *p.* 432). Quænam est, inquiet ille, hæc dæmonum prædamnatio et pœnæ mora, ac quodnam fruendæ malignitatis solatium? Nam idem ipse Tertullianus non minus perspicue, uti monuimus, dixerat ex sacris Scripturis colligi dæmonum gentem cum sui generis auctoribus, ac principe esse non quidem prædamnatam, sed absolute damnatam. At quamvis certa sit dæmonum damnatio, non hi tamen debitas omnes sceleribus suis pœnas luunt. Etenim in ipsis etiam sacris Scripturis Christo domino exprobrasse dicuntur: *Venisti huc ante tempus torquere nos* (*Matth. cap.* 8, ỳ. 29). Sed hæc Augustinus ex Petri apostoli epistola clarius exposuit: *Peccasse quosdam angelos*, inquit, *et in hujus mundi ima detrusos, qui eis velut carcer est, iisque ad futuram in die judicii ultimam damnationem apostolus Petrus apertissime ostendit, dicens quod Deus angelis peccatoribus non pepercerit, sed carceribus caliginis inferni retrudens, tradiderit in judicio puniendos reservari* (*August. lib.* X, *de civit. cap.* 33, *pag.* 293, *Petrus Epist.* 2, *cap.* 2, ỳ. 4). At hæc infernalis caliginis, ignisque reservati mora ac dilatio qualecumque ipsis erat prædamnationis ac conditionis desperatæ solatium. Sua enimvero fruebantur interim malignitate, qua Christianos ad sui, sive falsorum deorum vidimus, cultum vel inducebant, vel efficiebant ut renuentes crudelissimis ad mortem usque suppliciis excarnificarentur. At de hoc eorum solatio dilatoque supplicio alibi disputavimus (*Dissert. in Lactant. cap.* 20, *art.* 5).

CAPUT XI.

De mortuorum hominum ad vitam revocatione, extremo Dei judicio, æternis impiorum pœnis, ac præmiis justorum, atque animarum ante ultimum judicium receptaculis.

ARTICULUS PRIMUS.

Quibus argumentis Tertullianus probaverit omnes mortuos homines posse ad vitam revocari, ac revera revocandos: utrum animæ corporibus exutæ, et sine illorum ministerio possint aliquid agere, pati, ac dolere, et lætari.

Ad alia nunc transeundum est christianæ religionis dogmata, quæ Tertullianus suis in libris contra ethnicos asserit ac tuetur. Unum autem ex iis nostraque animadversione dignum est, quod constanter tradit, variisque rationum momentis probat omnes omnino mortuos homines in fine mundi ad vitam revocandos. Primum autem desumit ex infinita potentia Dei, *Qui tantum*, inquit, *hoc mundi corpus de eo, quod non fuerat*, id est, ex nihilo *composuit* (*Tertullian. Apologet. cap.* 48, *col.* 520), sive ut nostri et ante Rigaltium editi codices habent, *imposuit*, seu creavit, is certe ipse potest homines *de morte vacationis et inanitatis*, hoc est, ab morte, sive inanitate, ac privatione vitæ ad secundam vitam excitare. Nam hi unam tantummodo efficiunt partem mundi, quem constat esse animatum *spiritu omnium animatore*. Et ita quidem Rigaltius, et alii deinceps hunc exhibent Tertulliani textum. Melius vero nostri antiquioresque excusi codices, *animatum spiritu omnium animarum animatore*. Nostri siquidem Auctoris argumentatio ducitur a majori, ut aiunt, ad minus, sive a toto, quod factum fuit, ad partem quæ fieri idcirco potest. Mundus, inquit, animatus, sive creatus est a Dei spiritu, omnium animarum animatore; ergo idem ipse Dei spiritus potest homines non omnium, sed suo tantum, spiritu animatos post eorum mortem iterum animare, et rursus non ex nihilo, uti prius, sed ab interitu, et vita antea deperdita, ad secundam eamdemque revocare.

Quid vero, quod hæc ipsa Dei ad mortuos hominum exsuscitandos potentia non totius tantum mundi, sed ipsa etiam sola hominis creatione a Tertulliano luculenter demonstratur. Homo etenim antequam crearetur, nihil erat, alioquin se fuisse saltem aliquando meminisset. Atqui si a Deo creatus est ex nihilo, potest utique eadem Dei potentia et voluntate a morte revocari (*Ibid.*). Non enim major ad primam creationem, quam instaurationem et restitutionem requiritur potestas. Nec curiosius quidem importuniusque requiras quomodo id fieri queat: *Nam redde si potes*, inquit Tertullianus, *rationem, qua factus es, et tunc require qua fies* (*Idem, ibid.*). Qua enimvero potentia primum factus es, eadem postea reficieris. Quamobrem si de prima non dubitas, de secunda multo minus dubitare debes: *Etenim facilius utique*, uti ille adhuc ait, *fies, quod fuisti aliquando, quia æque non difficile factus es, quod non fuisti aliquando* (*Ibid.*). Simili autem modo Minutium Felicem, Lactantium, et alios disputantes in superioribus dissertationibus audivimus (*Dissertat. in Minut. cap.* 7, *art.* 2, *et in Lactant. cap.* 29, *art.* 4).

At si hoc in Dei potestate est omnino positum, nihil aliud probandum superest, quam ut id ille velit, seque voluisse revera significaverit. Atqui hoc ipse, quemadmodum auctor noster loquitur, *destinavit et prædicavit* (*Tertullian. ibid.*), nec semel quidem, sed sæpius in sacris veteris, ac præsertim novi Testamenti Scripturis. Neque huc congerenda sunt earum testimonia, quæ omnibus passim obvia sunt, nec ullus plane, qui eas vel levissime attigerit, ignorare potest. Certissima autem est, sicut supra ostendimus, illarum auctoritas (*supr. cap.* 6, *art.* 3, *et seqq.*). Constat ergo Deum et posse, et velle, ut omnes omnino mortui homines in pristinam vitæ suæ conditionem restituantur; ac proinde futuram

Digitized by Google

profecto esse illorum omnem ad vitam reversionem.

Instat adhuc Tertullianus, alioque argumento demonstrat prorsus necessarium esse, ut omnes homines mortui ad vitam aliquando redeant. Totum autem illud argumentum hisce verbis complectitur : *Certe quia ratio restitutionis destinatio judicii est, necessario idem qui fuerat exhibetur ; ut boni seu contrarii meriti judicium ferat* (*Tertullian. Apologet. cap.* 48). Docet itaque nullum prorsus esse dubitandi locum, quin omnes homines extremo Dei judicio in mundi fine sistere se debeant. Fieri autem id non potest, nisi ad vitam revertantur, atque supremam secundum sua vel bona vel mala merita sententiam, atque præmium aut pœnam a Deo accipiant.

Sed hoc argumentum Auctor noster longe fusius urget in suo *de Resurrectione carnis* libro, ubi sic disputat : *Hæc erit tota causa imo necessitas resurrectionis, congruentissima scilicet Deo destinatio judicii, de cujus dispositione despicias an utique substantiæ humanæ dijudicandæ censura divina præsideat, tam animæ quam carni* (*Idem, lib. de resurrect. carn. cap.* 14). Homo enim non sola profecto anima, sed suo etiam corpore bene aut male agit. Ea namque est animæ cum corpore societas, *ut in carne, et cum carne et per carnem agatur, quod agitur in corde* (*Ibid. cap.* 15), id est, anima. Quin etiam si aliquando anima sola cogitet, hæc illius cogitatio vix unquam sine aliquo corporis commercio habetur : *Nam si volutet quid anima*, ait Tertullianus, *vultus operatur indicium, facies intentionum omnium speculum est* (*Ibid.*).

Jam vero investigandi non est locus utrum ille revera opinatus sit nihil prorsus posse animam agere sine corporis commercio, et sine illius sensibus. De hac enim opinione aliquid præmisimus, et proxime de ea disserendi dabitur occasio. Nunc itaque sufficiat annotasse plurimos, sicuti nemo negat, animæ actus non sine corporis sensuumque ministerio perfici. Hominis quippe corpus ita animæ conjunctum est, ut plurium saltem bene aut male meritorum sit utique particeps. Totus igitur homo, hoc est, corpus ejus et anima ultimo et æquissimo Dei judicio repræsentari debent ; ut cunctorum in hac mortali vita actorum aut pœnam recipiant aut præmium.

Neque sibi Auctor noster objici patitur solam hominis animam libero uti voluntatis arbitrio, et corpus tanquam instrumentum in omnia impelli. Non enim illud extraneum animæ instrumentum est, sed adeo animæ adunatum, ut sicut actionum ejus, ita et meritorum sit particeps. Post mundi ergo finem ad vitam debet revocari, ut justo Dei judicio pro meritis puniatur aut remuneretur.

Tertium quo Tertullianus futuram hominis resurrectionem probare nititur, argumentum sua difficultate non caret, pluribusque falsum videbitur. Hunc enim ille argumentabatur in modum (*Idem, Apologet. cap.* 48, *pag.* 520) : *Ideo repræsentabuntur animæ et corpora ; quia neque pati quidquam potest anima sola sine materia stabili, id est, carne.* Numquid ergo anima nihil prorsus quidquam sine carne pati potest? Ita sane, inquiet aliquis, opinabatur Tertullianus. Nam alio ille in libro animam his totidemque compellat verbis (*Idem, lib. de Testim. anim. cap.* 4) : *Affirmamus te manere post vitæ dispunctionem, et exspectare diem judicii, proque merito aut excruciatui destinari, aut refrigerio, utroque sempiterno. Quibus sustinendis necessario tibi substantiam pristinam, ejusdemque hominis materiam et memoriam reversuram, quod et nihil mali ac boni sentire possis, sine carnis passionalis facultate, et nulla sit ratio judicii sine ipsius exhibitione, qui meruit judicii passionem.* Nec semel igitur, nec dubitanter, sed asseveranter affirmat, et repetit animam nihil posse omnino sentire sine sui societate corporis. Tam verum autem id esse arbitratus est, ut inde concludat ideo futurum esse mortui humani corporis ad vitam regressum, quia anima sine illo nihil boni aut mali agere valet.

Sed tuum, si possis, assensum paulisper retine. Animum autem antea velim ad ea advertas, quæ ab eodem Tertulliano in libris *de Anima*, *et Resurrectione carnis* disputata sunt, et ubi data opera de mortui corporis ad vitam reditu, et animæ ad agendum et patiendum facultate uberius disserit. At in priore libro disertissime ac firmissime asseverat animam, a corpore separatam, vel pati dolorem, vel gaudio perfundi. Omnes siquidem hominum animæ post eorum mortem apud inferos manent, et *velis*, inquit, *ac nolis et supplicia jam illic et refrigeria.* Tum deinde objicienti sibi opperiendam esse animæ, ut doleat aut gaudeat, carnis, operum consortis, resurrectionem, haud dubitanter respondet id non esse necessarium. Nam *de suo*, uti ille loquitur, *sufficit ad utrumque titulum passionis.* Et certe ipsa sola sine corporis ministerio vel ira, vel odio aliquando torquetur, aliquando etiam afflicto corpore, uti Mutii, Zenonis, et aliorum exemplo confirmat, *furtivum sibi gaudium exquirit* (*Ibid.*). Contra vero nonnunquam, illæso corpore, dolet, premitur, et excruciatur. Atqui si in hac vita et corpori alligata gaudio aut mœrore sola afficitur, quanto magis quando post mortem ab eo sejuncta, ultimum judicium exspectat. Denique quidam ejus sine carnis commercio sunt actus, uti soli cogitatus, et nudæ voluntates, *quæ censura divina prosequitur* (*Idem, lib. de Anim. cap.* 17). Ex quibus ille hanc elicit conclusionem : *Ergo propter congruentissimum est animam, licet non exspectata carne, puniri, quod non sociata carne commisit : sit et ob cogitatus pios et benevolos, in quibus carne non eguit, sine carne recreabitur.* Eadem vero, et plura alia in libro de Resurrectione carnis tradidit, ubi ex professo demonstrat ad vitam revocandos esse omnino homines.

Quid ergo, inquies, numquid Tertullianus tam absurde sibi contradixit? Sed si suspensum adhuc animum habere velis, sublatam ab ipso videbis hanc tametsi non minimam contradictionis speciem. Nam in eodem de Resurrectione libro ea repetit, quæ di-

Digitized by Google

col. 23, *pag.* 26). Sed de his egimus in superioribus nostris dissertationibus (*Dissertat. in Minut. cap.* 20, *art.* 3, *in Arnob. cap.* 3, *art.* 1, *in Lactant. cap.* 9, *art.* 2, *cap.* 16, *art.* 1, *cap.* 20, *art.* 7, *cap.* 33, *art.* 4).

At nos jam ad alia solito more explananda properantes aliquis forsitan retardabit, et a nobis sciscitabitur cur Auctor noster dixerit *dæmones ob malitiam prædamnatos*, et postea adjecerit, *desperata conditio eorum ex prædamnatione solatium reputat fruendæ interim malignitatis de pœnæ mora* (*Tertul. Apologet. cap.* 22, *c.* 404; *ibid. col.* 27, *p.* 432). Quænam est, inquiet ille, hæc dæmonum prædamnatio et pœnæ mora, ac quodnam fruendæ malignitatis solatium? Nam idem ipse Tertullianus non minus perspicue, uti monuimus, dixerat ex sacris Scripturis colligi dæmonum gentem cum sui generis auctoribus, ac principe esse non quidem prædamnatam, sed absolute damnatam. At quamvis certa sit dæmonum damnatio, non hi tamen debitas omnes sceleribus suis pœnas luunt. Etenim in ipsis etiam sacris Scripturis Christo domino exprobrasse dicuntur: *Venisti huc ante tempus torquere nos* (*Matth. cap.* 8, ỳ. 29). Sed hæc Augustinus ex Petri apostoli epistola clarius exposuit: *Peccasse quosdam angelos*, inquit, *et in hujus mundi ima detrusos, qui eis velut carcer est, iisque ad futuram in die judicii ultimam damnationem apostolus Petrus apertissime ostendit, dicens quod Deus angelis peccatoribus non pepercerit, sed carceribus caliginis inferni retrudens, tradiderit in judicio puniendos reservari* (*Augst. lib.* X, *de civit. cap.* 33, *pag.* 293, *Petrus Epist.* 2, *cap.* 2, ỳ. 4). At hæc infernalis caliginis, ignisque reservati mora ac dilatio qualecumque ipsis erat prædamnationis ac conditionis desperatæ solatium. Sua enimvero fruebantur interim malignitate, qua Christianos ad sui, sive falsorum deorum vidimus, cultum vel inducebant, vel efficiebant ut renuentes crudelissimis ad mortem usque suppliciis excarnificarentur. At de hoc eorum solatio dilatoque supplicio alibi disputavimus (*Dissert. in Lactant. cap.* 20, *art.* 5).

CAPUT XI.

De mortuorum hominum ad vitam revocatione, extremo Dei judicio, æternis impiorum pœnis, ac præmiis justorum, atque animarum ante ultimum judicium receptaculis.

ARTICULUS PRIMUS.

Quibus argumentis Tertullianus probaverit omnes mortuos homines posse ad vitam revocari, ac revera revocandos: utrum animæ corporibus exutæ, et sine illorum ministerio possint aliquid agere, pati, ac dolere, et lætari.

Ad alia nunc transeundum est christianæ religionis dogmata, quæ Tertullianus suis in libris contra ethnicos asserit ac tuetur. Unum autem ex iis nostraque animadversione dignum est, quod constanter tradit, variisque rationum momentis probat omnes omnino mortuos homines in fine mundi ad vitam revocandos. Primum autem desumit ex infinita potentia Dei, *Qui tantum*, inquit, *hoc mundi corpus de eo, quod non fuerat*, id est, ex nihilo *composuit* (*Tertullian. Apologet. cap.* 48, *col.* 520), sive ut nostri et ante Rigaltium editi codices habent, *imposuit*, seu creavit, is certe ipse potest homines *de morte vacationis et inanitatis*, hoc est, ab morte, sive inanitate, ac privatione vitæ ad secundam vitam excitare. Nam hi unam tantummodo efficiunt partem mundi, quem constat esse animatum *spiritu omnium animatore*. Et ita quidem Rigaltius, et alii deinceps hunc exhibent Tertulliani textum. Melius vero nostri antiquioresque excusi codices, *animatum spiritu omnium animarum animatore*. Nostri siquidem Auctoris argumentatio ducitur a majori, ut aiunt, ad minus, sive a toto, quod factum fuit, ad partem quæ fieri idcirco potest. Mundus, inquit, animatus, sive creatus est a Dei spiritu, omnium animarum animatore; ergo idem ipse Dei spiritus potest homines non omnium, sed suo tantum, spiritu animatos post eorum mortem iterum animare, et rursus non ex nihilo, uti prius, sed ab interitu, et vita antea deperdita, ad secundam eamdemque revocare.

Quid vero, quod hæc ipsa Dei ad mortuos hominum exsuscitandos potentia non totius tantum mundi, sed ipsa etiam sola hominis creatione a Tertulliano luculenter demonstratur. Homo etenim antequam crearetur, nihil erat, alioquin se fuisse saltem aliquando meminisset. Atqui si a Deo creatus est ex nihilo, potest utique eadem Dei potentia et voluntate a morte revocari (*Ibid.*). Non enim major ad primam creationem, quam instaurationem et restitutionem requiritur potestas. Nec curiosius quidem importuniusque requiras quomodo id fieri queat: *Nam redde si potes*, inquit Tertullianus, *rationem, qua factus es, et tunc require qua fies* (*Idem, ibid.*). Qua enimvero potentia primum factus es, eadem postea reficieris. Quamobrem si de prima non dubitas, de secunda multo minus dubitare debes: *Etenim facilius utique*, uti ille adhuc ait, *fies, quod fuisti aliquando, quia æque non difficile factus es, quod non fuisti aliquando* (*Ibid.*). Simili autem modo Minutium Felicem, Lactantium, et alios disputantes in superioribus dissertationibus audivimus (*Dissertat. in Minut. cap.* 7, *art.* 2, *et in Lactant. cap.* 29, *art.* 4).

At si hoc in Dei potestate est omnino positum, nihil aliud probandum superest, quam ut id ille velit, seque voluisse revera significaverit. Atqui hoc ipse, quemadmodum auctor noster loquitur, *destinavit et prædicavit* (*Tertullian. ibid.*), nec semel quidem, sed sæpius in sacris veteris, ac præsertim novi Testamenti Scripturis. Neque huc congerenda sunt earum testimonia, quæ omnibus passim obvia sunt, nec ullus plane, qui eas vel levissime attigerit, ignorare potest. Certissima autem est, sicut supra ostendimus, illarum auctoritas (*supr. cap.* 6, *art.* 3, *et seqq.*). Constat ergo Deum et posse, et velle, ut omnes omnino mortui homines in pristinam vitæ suæ conditionem restituantur; ac proinde futuram

Digitized by Google

profecto esse illorum omnem ad vitam reversionem.

Instat adhuc Tertullianus, alioque argumento demonstrat prorsus necessarium esse, ut omnes homines mortui ad vitam aliquando redeant. Totum autem illud argumentum hisce verbis complectitur : *Certe quia ratio restitutionis destinatio judicii est, necessario idem qui fuerat exhibetur ; ut boni seu contrarii meriti judicium ferat* (*Tertullian. Apologet. cap.* 48). Docet itaque nullum prorsus esse dubitandi locum, quin omnes homines extremo Dei judicio in mundi fine sistere se debeant. Fieri autem id non potest, nisi ad vitam revertantur, atque supremam secundum sua vel bona vel mala merita sententiam, atque præmium aut pœnam a Deo accipiant.

Sed hoc argumentum Auctor noster longe fusius urget in suo *de Resurrectione carnis* libro, ubi sic disputat : *Hæc erit tota caussa imo necessitas resurrectionis, congruentissima scilicet Deo destinatio judicii, de cujus dispositione despicias an utique substantiæ humanæ dijudicandæ censura divina præsideat, tam animæ quam carni* (*Idem, lib. de resurrect. carn. cap.* 14). Homo enim non sola profecto anima, sed suo etiam corpore bene aut male agit. Ea namque est animæ cum corpore societas, *ut in carne, et cum carne et per carnem agatur, quod agitur in corde* (*Ibid. cap.* 15), id est, anima. Quin etiam si aliquando anima sola cogitet, hæc illius cogitatio vix unquam sine aliquo corporis commercio habetur : *Nam si volutet quid anima*, ait Tertullianus, *vultus operatur indicium, facies intentionum omnium speculum est* (*Ibid.*).

Jam vero investigandi non est locus utrum ille revera opinatus sit nihil prorsus posse animam agere sine corporis commercio, et sine illius sensibus. De hac enim opinione aliquid præmisimus, et proxime de ea disserendi dabitur occasio. Nunc itaque sufficiat annotasse plurimos, sicuti nemo negat, animæ actus non sine corporis sensuumque ministerio perfici. Hominis quippe corpus ita animæ conjunctum est, ut plurium saltem bene aut male meritorum sit utique particeps. Totus igitur homo, hoc est, corpus ejus et anima ultimo et æquissimo Dei judicio repræsentari debent ; ut cunctorum in hac mortali vita actorum aut pœnam recipiant aut præmium.

Neque sibi Auctor noster objici patitur solam hominis animam libero uti voluntatis arbitrio, et corpus tanquam instrumentum in omnia impelli. Non enim illud extraneum animæ instrumentum est, sed adeo animæ adunatum, ut sicut actionum ejus, ita et meritorum sit particeps. Post mundi ergo finem ad vitam debet revocari, ut justo Dei judicio pro meritis puniatur aut remuneretur.

Tertium quo Tertullianus futuram hominis resurrectionem probare nititur, argumentum sua difficultate non caret, pluribusque falsum videbitur. Hunc enim ille argumentabatur in modum (*Idem, Apologet. cap.* 48, *pag.* 520) : *Ideo repræsentabuntur animæ et corpora ; quia neque pati quidquam potest anima sola sine materia stabili, id est, carne.* Numquid ergo anima nihil prorsus quidquam sine carne pati potest? Ita sane, inquiet aliquis, opinabatur Tertullianus. Nam alio ille in libro animam his totidemque compellat verbis (*Idem, lib. de Testim. anim. cap.* 4) : *Affirmamus te manere post vitæ dispunctionem, et exspectare diem judicii, proque merito aut excruciatui destinari, aut refrigerio, utroque sempiterno. Quibus sustinendis necessario tibi substantiam pristinam, ejusdemque hominis materiam et memoriam reversuram, quod et nihil mali ac boni sentire possis, sine carnis passionalis facultate, et nulla sit ratio judicii sine ipsius exhibitione, qui meruit judicii passionem.* Nec semel igitur, nec dubitanter, sed asseveranter affirmat, et repetit animam nihil posse omnino sentire sine sui societate corporis. Tam verum autem id esse arbitratus est, ut inde concludat ideo futurum esse mortui humani corporis ad vitam regressum, quia anima sine illo nihil boni aut mali agere valet.

Sed tuum, si possis, assensum paulisper retine. Animum autem antea velim ad ea advertas, quæ ab eodem Tertulliano in libris *de Anima*, *et Resurrectione carnis* disputata sunt, et ubi data opera de mortui corporis ad vitam reditu, et animæ ad agendum et patiendum facultate uberius disserit. At in priore libro disertissime ac firmissime asseverat animam, a corpore separatam, vel pati dolorem, vel gaudio perfundi. Omnes siquidem hominum animæ post eorum mortem apud inferos manent, et *velis*, inquit, *ac nolis et supplicia jam illic et refrigeria.* Tum deinde objicienti sibi opperiendam esse animæ, ut doleat aut gaudeat, carnis, operum consortis, resurrectionem, haud dubitanter respondet id non esse necessarium. Nam *de suo*, uti ille loquitur, *sufficit ad utrumque titulum passionis.* Et certe ipsa sola sine corporis ministerio vel ira, vel odio aliquando torquetur, aliquando etiam afflicto corpore, uti Mutii, Zenonis, et aliorum exemplo confirmat, *furtivum sibi gaudium exquirit* (*Ibid.*). Contra vero nonnunquam, illæso corpore, dolet, premitur, et excruciatur. Atqui si in hac vita et corpori alligata gaudio aut mœrore sola afficitur, quanto magis quando post mortem ab eo sejuncta, ultimum judicium exspectat. Denique quidam ejus sine carnis commercio sunt actus, uti soli cogitatus, et nudæ voluntates, *quæ censura divina prosequitur* (*Idem, lib. de Anim. cap.* 17). Ex quibus ille hanc elicit conclusionem : *Ergo propter congruentissimum est animam, licet non exspectata carne, puniri, quod non sociata carne commisit : sit et ob cogitatus pios et benevolos, in quibus carne non eguit, sine carne recreabitur.* Eadem vero, et plura alia in libro de Resurrectione carnis tradidit, ubi ex professo demonstrat ad vitam revocandos esse omnino homines.

Quid ergo, inquies, numquid Tertullianus tam absurde sibi contradixit? Sed si suspensum adhuc animum habere velis, sublatam ab ipso videbis hanc tametsi non minimam contradictionis speciem. Nam in eodem de Resurrectione libro ea repetit, quæ di-

Digitized by Google

xerat, animas *nunc torqueri foverique penes inferos, licet nudas, licet adhuc exsules carnis* (*Idem, lib. de Resurrect. carn. cap.* 17). Quia vero opponere contra quidam poterant inde confici posse animam sibi sic sufficere *ad facultatem*, sicut ipse loquitur, *passionis et sensus, ut non egeat repræsentatione carnis*, his ille respondet (*Ibid.*) : *Imo eatenus egebit non qua sentire quid sine carne non possit, sed qua necesse est illam etiam cum carne sentire. Quantum enim ad agendum de suo sufficit, tantum ad patiendum. Ad agendum enim minus de suo sufficit. Habet enim de suo solummodo cogitare, velle, cupere, disponere, ad perficiendum autem operam carnis exspectat. Sic itaque ad patiendum operam carnis expostulat ; ut tam plene per eam pati possit, quam sine ea plene agere non potuit. Et ideo in quæ de suo sufficit, eorum interim sententiam pendit concupiscentiæ, et cogitatus, et voluntatis. Porro si hæc satis essent ad plenitudinem meritorum, ut non requirerentur et facta, sufficeret in totum anima ad perfectionem judicii, de his judicanda, in quæ agenda sola suffecerat. Cum vero etiam facta devincta sint meritis, facta autem per carnem administrentur, jam non sufficit animam sine carne foveri, sive cruciari pro operibus carnis, etsi habet membra, quæ proinde illi non sufficiunt ad sentiendum plene, quemadmodum nec ad agendum perfecte. Idcirco pro quoquo modo egit, pro eo et patitur apud inferos, prior degustans judicium, sicut prior induxit admissum ; exspectans tamen et carnem, ut per illam etiam facta compenset, cui cogitata mandavit.* Totam hanc Auctoris nostri argumentationem et responsionem, tametsi paulo longiorem transcripsimus, quandoquidem ea non tantum propositæ nobis difficultatis nodus plane solvitur, sed nonnulla quoque de animæ natura inde eruuntur, quæ sine aliqua observatione prætermittenda non sunt.

Docet itaque animam nudam ac sine corporis consortio apud inferos revera aut torqueri, aut foveri. Quia vero hinc objici ipsi poterat eam non esse substantiam mere spiritalem, sed corpoream, aut, ut ipse ait, *corpulentiam propriam*, noluit hanc, quæ difficilioris operæ erat, excutere quæstionem, ne diutius a proposito aberraret. Interim concidit, nec tamen fatetur, aliquod esse animæ corpus, et propria quædam generis sui membra. At disertissime asseverat proprios esse animæ actus, a corpore minime dependentes, quales sunt cogitatus, voluntates, et concupiscentiæ. Ili autem actus, ut id obiter dicamus, si omnino spirituales sunt, ipsam multo magis animam spiritualem esse negare non poterat.

Solius porro animæ cum hi sint actus, habet de suo non solum quod agat, et patiatur, sed quo possit aut præmium mereri aut pœnam. Corpore igitur soluta potest et debet pro meritis aut pœna aut præmio affici. Quamdiu enimvero corpori adunata est, prior semper aut peccat, aut meretur. Post mortem igitur debitis suppliciis aut præmiis sola et ante corporis reditum afficiatur, necesse est. Persuasum itaque Tertullianus habuit animam, ruptis corporis vinculis, pati, torqueri, cruciari. Verum quia etiam in hac vita sua cum corpore multa peccavit, idcirco ut pro meritis puniatur et crucietur, suo corpori, ad vitam revocato, debet iterum conjungi.

His autem sic explicatis, evanescit objecta Tertulliani contradictio. Recte enim dixit animam sine corpore aliquid revera pati, et nihil pati posse. Ubi quippe ait nihil posse pati, ibi subintelligendum est *plene ac perfecte*, sive quantum ipsa cum corpore peccando promeruit. Cum quo enim peccavit, cum eo utique puniri debet. Jure ergo Tertullianus inde futuram probat corporis mortui ad vitam revocationem, quia anima sola pati non potest pœnam videlicet plenam ac perfectam, et qualem cum corpore peccando commeruit.

Si quid porro his adjicere nobis per te liceat, observabimus hoc ipso eodem argumento ex pœnis aut præmiis, bene aut male in hac vita agenti homini debitis petito luculenter probari hunc futurum ejusdem hominis ad vitam regressum ab Ambrosio, ut suo loco, atque Athenagora, Minucio Felice, et Lactantio, quemadmodum in nostris de illorum libris dissertationibus ostendimus ; quin imo et inde ab eodem Lactantio demonstrari animæ nostræ immortalitatem (*Ambros. libr.* 2, *de Fide resurrect.* § 12, *pag.* 1147 ; *tom.* I *Apparat. pag.* 475 ; *Dissertat. in Lactant. cap.* 24, *art.* 3, *et cap.* 29, *art.* 5, *dissert. in Minut. cap.* 7, *art.* 2).

ARTICULUS II.

Quibus exemplis, quove Pythiæ oraculo, ac philosophorum de animarum transmigratione sententia Tertullianus ostendat quoscumque mortuos homines in pristinum vitæ statum restituendos, et apposita argumenta diluat.

Quanquam superioribus argumentis Tertullianus evidentissime demonstraverit quoslibet homines posse omnipotentis Dei voluntate exsuscitari a morte, quovis modo oppetita ; pluribus tamen exemplis hæc confirmare nititur. Sed dissimulare fas nobis non est his, ut pote non omnino paribus, confici non posse perfectam, et numeris omnibus absolutam humanæ resurrectionis demonstrationem. At iis saltem non inepte confirmari potest frustra a gentilibus negari homines ad pristinum revocari posse transactæ vitæ statum.

Præmissis autem adversus morosiores criticos hisce observationibus, audiendus est ipsemet Tertullianus (*Tertullian. Apologet. cap.* 48, *col.* 520) : *Signatum est*, inquit, *et per ipsum*, videlicet Deum, *humanæ resurrectionis exemplum in testimonium vobis. Lux quotidie interfecta resplendet, et tenebræ pari vice decedendo succedunt : sidera defuncta reviviscunt.* In manuscriptis nostris exemplaribus, et editis Rigaltio antiquioribus : *Vivescunt*, id est, uti ex Plinio liquet, viva fiunt (*Plin. lib.* XVII, *natur. hist. cap.* 10, *pag.* 344). Pergit auctor noster : *Tempora ubi finiunt, incipiunt ; fructus consumuntur* : iidem manuscripti nostri et editi codices : *consummantur, et redeunt,*

Digitized by Google

Certe semina nonnisi corrupta, et dissoluta fœcundius surgunt : omnia pereunda servantur, omnia de interitu reformantur (*Tertull. lib. de Resurrect. carn. cap.* 12). Sed hæc ille majori verborum pompa alio in libro prosequitur, et brevius Minutius Felix, atque uberius Theophilus Antiochenus, quemadmodum alibi patefecimus (*Dissertat. in Minut. cap.* 7, *art.* 2).

Suam autem argumentationem noster Tertullianus his absolvit verbis (*Tertullian. Apologet. cap.* 48, *col.* 43) : *Tu homo, tantum nomen, si intelligas te*, quantus nimirum sis, *vel de titulo Pythiæ discens*, quod sis *dominus omnium morientium et resurgentium, ad hoc morieris, ut pereas?* Dicit itaque non pejorem esse hominis, quam aliarum rerum, quarum dominus est, morientium et resurgentium conditionem. Homo ergo longe potiori jure, quam illæ, debet et mori et resurgere.

Sed rogabit aliquis quodnam sit oraculum illud Pythiæ, ab eo citatum? Respondent nonnulli hoc esse, quod ab illo ibidem relatum est : *Dominus omnium morientium et resurgentium.* Verum nulla ratione id a Pythia pronuntiatum probavere. Deinde vero ille non dixit his verbis renuntiari Pythiæ oraculum: sed quod homo ex Pythiæ oraculo discere poterat se esse omnium morientium et resurgentium dominum (*tom.* I *Apparat. pag.* 1170). Nobis itaque illud Pythiæ oraculum non alliud videtur, nisi celebre hoc Apollinis effatum : *Nosce te ipsum* : de quo alibi disputavimus. Consulto autem Tertullianus adjecisse videtur : *Vel titulo Pythiæ*, quia templo Apollonis Pythii, sive Delphici, sicut ibidem annotavimus, inscriptum fuerat. Cur ergo, inquies, Tertullianus scripsit Pythiæ, et non Pythii, quo solo nomine Apollo nonnunquam vocabatur? At si in ejus textu *Pythiæ*, non autem Pythii legendum sit, respondebimus ideo appellari *Pythiæ*, quia Pythia vates solebat illius in templo vaticinari. Nam, ut alios omittamus, id hoc Lucretii carmine exprimitur (*Lucret. lib.* V, *v.* 113) :

Pythia quæ tripode à Phœbi lauroque profatur.

Prosequitur Tertullianus atque ad frangendam, ac magis magisque revincendam gentilium obstinationem, illos hoc ad hominem, ut aiunt, argumento sic urget. Certum est, inquit, illos cuivis, philosopho fidem habuisse, qui argumentationibus quibusdam, tam ingeniose quam eleganter propositis, vanam Pythagoræ de animarum transmigatione opinionem propugnare conabantur. Quin etiam nullus ex illis mordacis Laberii, eam irridentis, dicteria veritus, ab edenda omni animalium carne abstinebat ; *ne forte bubulam*, ait adhuc Tertullianus, *de aliquo proavo suo obsonaret*, id est, ne bubulam carnem comedendo, cujusdam proavi sui comederet animam, quam in bovis corpus migrasse existimabat (*Tertullian. Apologet. cap.* 48, *col.* 42). Tam ridiculam vero opinionem hic refellendam ille non duxit (*Ibid.*): *Nam multis etiam*, inquit, *jocis et otio opus erit, si velimus ad hanc partem lascivire, quis in quam bestiam reformari videretur.* Ita quidem Rigaltius : sed in nostris codicibus manuscriptis et editis illo vetustioribus habetur : *Multis etiam locis*, ex quibus argumenta ad hunc errorem refellendum depromi possunt, *ex otio*, sive *otio*, quemadmodum scripsit Plinius, *ex facili*, pro *facile*, *opus erit* (*libr* III, *epist.* 3). Pluribus tamen legendum haud dubie videbitur *jocis*, quibus potius, quam argumentis validioribus explodenda erat hæc prorsus ridicula Pythagoræ sectatorumque ejus opinio. Nomen enim jocis cum verbo *lascivire* magis, quam cum *locis* congruere haud immerito videtur (*Tertullian. Apologet. cap.* 48, *col.* 42). Verumtamen paulo ante dixerat quemcumque philosophum immenso argumentorum pondere posse obrui, qui *affirmet, ut ait Laberius, de sententia Pythagoræ hominem fieri ex mulo, colubram ex muliere* (*Idem, lib. de Pallio, cap.* 1). Et hæc quidem hujus mimographi poetæ, cujus alibi meminit (*Disser. in Minut. Oct. c.* 7, *art.* 1), sunt carmina, a Crinito ut alibi monuimus, publici juris facta :

Et nunc de mulo hominem, colubram de muliere
Faciunt, et ex diversis diversa alia.

Frequens autem apud varios Scriptores, ac præsertim Ciceronem, Suetonium, utrumque Senecam, Aulum Gellium, ac Macrobium hujus Laberii mentio, de quo præter cæteros Horatius cecinit :

Nec tamen hoc tribuens dederim quoque cætera ; namque
Et Laberi mimos et pulchra poemata mirer ?

Verum hæc erat ethnicorum insania, isque adversus christianos furor; ut *opinio christiana*, sicut recte Auctor noster alio in libro animadvertit *etsi honestior Pythagorica, quæ te in bestias transfert ; etsi plenior Platonica, quæ tibi etiam dotem corporis reddit ; etsi Epicurea gravior, quæ te ab interitu defendit ; tamen propter nomen solum christianorum vanitati et stupori, et ut dicitur præsumptioni deputatur.* Satis autem gentilibus non fuit hanc Christianorum cæteris meliorem sententiam rejicere, atque adspernari, sed ab eis *christianus*, illius defensor, *lapidibus magis*, alia Tertulliani in Apologetico verba sunt, *nec saltem cæstibus a populo exigetur* (*Idem, Apologet., cap.* 48, *col.* 42). Ast pro *cæstibus* in nostris codicibus legitur, *cœtibus*, id est, conventibus, et congregationibus expelletur. Tertullianus siquidem à majori, ut aiunt, ad minus, nec male quidem argumentatur. Christianus, inquit, illius de futuro hominis ad vitam reditu dogmatis assertor, non modo expelletur ab ethnicorum conventibus, sed quod pejus est, *lapidibus obruetur.* At si non ita bene in Rigaltii editione *cæstibus*, multo certe pejus in antiquioribus scriptum, *cædibus*, quæ lapidatione crudeliores sunt. De illis porro, notatis ab Auctore nostro, Pythagoræ, Platonis, et Epicuri opinionibus egimus in nostris de Minutii Felicis, et Lactantii libris dissertationibus (*Dissertat. in Minut. Octav. cap.* 7, *art.* 1, *et in Lactant., cap.* 34, *art.* 1).

Quoniam vero Tertullianus hominis ad vitam regressum propositis lucis et tenebrarum, siderum et

Digitized by Google

xerat, animas *nunc torqueri foverique penes inferos, licet nudas, licet adhuc exsules carnis* (*Idem, lib. de Resurrect. carn. cap.* 17). Quia vero opponere contra quidam poterant inde confici posse animam sibi sic sufficere *ad facultatem*, sicut ipse loquitur, *passionis et sensus, ut non egeat repræsentatione carnis*, his ille respondet (*Ibid.*) : *Imo eatenus egebit non qua sentire quid sine carne non possit, sed qua necesse est illam etiam cum carne sentire. Quantum enim ad agendum de suo sufficit, tantum ad patiendum. Ad agendum enim minus de suo sufficit. Habet enim de suo solummodo cogitare, velle, cupere, disponere, ad perficiendum autem operam carnis exspectat. Sic itaque ad patiendum operam carnis expostulat; ut tam plene per eam pati possit, quam sine ea plene agere non potuit. Et ideo in quæ de suo sufficit, eorum interim sententiam pendit concupiscentiæ, et cogitatus, et voluntatis. Porro si hæc satis essent ad plenitudinem meritorum, ut non requirerentur et facta, sufficeret in totum anima ad perfectionem judicii, de his judicanda, in quæ agenda sola suffecerat. Cum vero etiam facta devincta sint meritis, facta autem per carnem administrentur, jam non sufficit animam sine carne foveri, sive cruciari pro operibus carnis, etsi habet membra, quæ proinde illi non sufficiunt ad sentiendum plene, quemadmodum nec ad agendum perfecte. Idcirco pro quoquo modo egit, pro eo et patitur apud inferos, prior degustans judicium, sicut prior induxit admissum; exspectans tamen et carnem, ut per illam etiam facta compenset, cui cogitata mandavit.* Totam hanc Auctoris nostri argumentationem et responsionem, tametsi paulo longiorem transcripsimus, quandoquidem ea non tantum propositæ nobis difficultatis nodus plane solvitur, sed nonnulla quoque de animæ natura inde eruuntur, quæ sine aliqua observatione prætermittenda non sunt.

Docet itaque animam nudam ac sine corporis consortio apud inferos revera aut torqueri, aut foveri. Quia vero hinc objici ipsi poterat eam non esse substantiam mere spiritalem, sed corpoream, aut, ut ipse ait, *corpulentiam propriam*, noluit hanc, quæ difficilioris operæ erat, excutere quæstionem, ne diutius a proposito aberraret. Interim concidit, nec tamen fatetur, aliquod esse animæ corpus, et propria quædam generis sui membra. At disertissime asseverat proprios esse animæ actus, a corpore minime dependentes, quales sunt cogitatus, voluntates, et concupiscentiæ. Ili autem actus, ut id obiter dicamus, si omnino spirituales sunt, ipsam multo magis animam spiritualem esse negare non poterat.

Solius porro animæ cum hi sint actus, habet de suo non solum quod agat, et patiatur, sed quo possit aut præmium mereri aut pœnam. Corpore igitur soluta potest et debet pro meritis aut pœna aut præmio affici. Quamdiu enimvero corpori adunata est, prior semper aut peccat, aut meretur. Post mortem igitur debitis suppliciis aut præmiis sola et ante corporis reditum afficiatur, necesse est. Persuasum itaque Tertullianus habuit animam, ruptis corporis vinculis, pati, torqueri, cruciari. Verum quia etiam in hac vita sua cum corpore multa peccavit, idcirco ut pro meritis puniatur et crucietur, suo corpori, ad vitam revocato, debet iterum conjungi.

His autem sic explicatis, evanescit objecta Tertulliani contradictio. Recte enim dixit animam sine corpore aliquid revera pati, et nihil pati posse. Ubi quippe ait nihil posse pati, ibi subintelligendum est *plene ac perfecte*, sive quantum ipsa cum corpore peccando promeruit. Cum quo enim peccavit, cum eo utique puniri debet. Jure ergo Tertullianus inde futuram probat corporis mortui ad vitam revocationem, quia anima sola pati non potest pœnam videlicet plenam ac perfectam, et qualem cum corpore peccando commeruit.

Si quid porro his adjicere nobis per te liceat, observabimus hoc ipso eodem argumento ex pœnis aut præmiis, bene aut male in hac vita agenti homini debitis petito luculenter probari hunc futurum ejusdem hominis ad vitam regressum ab Ambrosio, ut suo loco, atque Athenagora, Minucio Felice, et Lactantio, quemadmodum in nostris de illorum libris dissertationibus ostendimus; quin imo et inde ab eodem Lactantio demonstrari animæ nostræ immortalitatem (*Ambros. libr.* 2, *de Fide resurrect.* § 12, *pag.* 1147; *tom.* I *Append. pag.* 475; *Dissertat. in Lactant. cap.* 24, *art.* 3, *et cap.* 29, *art.* 5, *dissert. in Minut. cap.* 7, *art.* 2).

ARTICULUS II.

Quibus exemplis, quove Pythiæ oraculo, ac philosophorum de animarum transmigratione sententia Tertullianus ostendat quoscumque mortuos homines in pristinum vitæ statum restituendos, et apposita argumenta diluat.

Quanquam superioribus argumentis Tertullianus evidentissime demonstraverit quoslibet homines posse omnipotentis Dei voluntate exsuscitari a morte, quovis modo oppetita; pluribus tamen exemplis hæc confirmare nititur. Sed dissimulare fas nobis non est his, ut pote non omnino paribus, confici non posse perfectam, et numeris omnibus absolutam humanæ resurrectionis demonstrationem. At iis saltem non inepte confirmari potest frustra a gentilibus negari homines ad pristinum revocari posse transactæ vitæ statum.

Præmissis autem adversus morosiores criticos hisce observationibus, audiendus est ipsemet Tertullianus (*Tertullian. Apologet. cap.* 48, *col.* 520) : *Signatum est*, inquit, *et per ipsum*, videlicet Deum, *humanæ resurrectionis exemplum in testimonium vobis. Lux quotidie interfecta resplendet, et tenebræ pari vice decedendo succedunt : sidera defuncta reviviscunt.* In manuscriptis nostris exemplaribus, et editis Rigaltio antiquioribus : *Vivescunt*, id est, uti ex Plinio liquet, viva fiunt (*Plin. lib.* XVII, *natur. hist. cap.* 10, *pag.* 344). Pergit auctor noster : *Tempora ubi finiunt, incipiunt; fructus consumuntur* : iidem manuscripti nostri et editi codices : *consummantur, et redeunt.*

Digitized by Google

Certe semina nonnisi corrupta, et dissoluta fœcundius surgunt : omnia pereunda servantur, omnia de interitu reformantur (*Tertull. lib. de Resurrect. carn. cap.* 12). Sed hæc ille majori verborum pompa alio in libro prosequitur, et brevius Minutius Felix, atque uberius Theophilus Antiochenus, quemadmodum alibi patefecimus (*Dissertat. in Minut. cap.* 7, *art.* 2).

Suam autem argumentationem noster Tertullianus his absolvit verbis (*Tertullian. Apologet. cap.* 48, *col.* 43) : *Tu homo, tantum nomen, si intelligas te*, quantus nimirum sis, *vel de titulo Pythiæ discens*, quod sis *dominus omnium morientium et resurgentium, ad hoc morieris, ut pereas?* Dicit itaque non pejorem esse hominis, quam aliarum rerum, quarum dominus est, morientium et resurgentium conditionem. Homo ergo longe potiori jure, quam illæ, debet et mori et resurgere.

Sed rogabit aliquis quodnam sit oraculum illud Pythiæ, ab eo citatum? Respondent nonnulli hoc esse, quod ab illo ibidem relatum est : *Dominus omnium morientium et resurgentium.* Verum nulla ratione id a Pythia pronuntiatum probavere. Deinde vero ille non dixit his verbis renuntiari Pythiæ oraculum: sed quod homo ex Pythiæ oraculo discere poterat se esse omnium morientium et resurgentium dominum (*tom.* I *Apparat. pag.* 1170). Nobis itaque illud Pythiæ oraculum non alliud videtur, nisi celebre hoc Apollinis effatum : *Nosce te ipsum* : de quo alibi disputavimus. Consulto autem Tertullianus adjecisse videtur : *Vel titulo Pythiæ*, quia templo Apollonis Pythii, sive Delphici, sicut ibidem annotavimus, inscriptum fuerat. Cur ergo, inquies, Tertullianus scripsit Pythiæ, et non Pythii, quo solo nomine Apollo nonnunquam vocabatur? At si in ejus textu *Pythiæ*, non autem Pythii legendum sit, respondebimus ideo appellari *Pythiæ*, quia Pythia vates solebat illius in templo vaticinari. Nam, ut alios omittamus, id hoc Lucretii carmine exprimitur (*Lucret. lib.* V, *v.* 113) :

Pythia quæ tripode à Phœbi lauroque profatur.

Prosequitur Tertullianus atque ad frangendam, ac magis magisque revincendam gentilium obstinationem, illos hoc ad hominem, ut aiunt, argumento sic urget. Certum est, inquit, illos cuivis, philosopho fidem habuisse, qui argumentationibus quibusdam, tam ingeniose quam eleganter propositis, vanam Pythagoræ de animarum transmigatione opinionem propugnare conabantur. Quin etiam nullus ex illis mordacis Laberii, eam irridentis, dicteria veritus, ab edenda omni animalium carne abstinebat ; *ne forte bubulam*, ait adhuc Tertullianus, *de aliquo proavo suo obsonaret*, id est, ne bubulam carnem comedendo, cujusdam proavi sui comederet animam, quam in bovis corpus migrasse existimabat (*Tertullian. Apologet. cap.* 48, *col.* 42). Tam ridiculam vero opinionem hic refellendam ille non duxit (*Ibid.*): *Nam multis etiam*, inquit, *jocis et otio opus erit, si velimus ad hanc partem lascivire, quis in quam bestiam reformari videretur.* Ita quidem Rigaltius : sed in nostris codicibus manuscriptis et editis illo vetustioribus habetur : *Multis etiam locis*, ex quibus argumenta ad hunc errorem refellendum depromi possunt, *ex otio*, sive *otio*, quemadmodum scripsit Plinius, *ex facili*, pro *facile*, *opus erit* (*libr* III, *epist.* 3). Pluribus tamen legendum haud dubie videbitur *jocis*, quibus potius, quam argumentis validioribus explodenda erat hæc prorsus ridicula Pythagoræ sectatorumque ejus opinio. Nomen enim jocis cum verbo *lascivire* magis, quam cum *locis* congruere haud immerito videtur (*Tertullian. Apologet. cap.* 48, *col.* 42). Verumtamen paulo ante dixerat quemcumque philosophum immenso argumentorum pondere posse obrui, qui *affirmet, ut ait Laberius, de sententia Pythagoræ hominem fieri ex mulo, colubram ex muliere* (*Idem, lib. de Pallio, cap.* 1). Et hæc quidem hujus mimographi poetæ, cujus alibi meminit (*Disser. in Minut. Oct. c.* 7, *art.* 1), sunt carmina, a Crinito ut alibi monuimus, publici juris facta :

Et nunc de mulo hominem, colubram de muliere
Faciunt, et ex diversis diversa alia.

Frequens autem apud varios Scriptores, ac præsertim Ciceronem, Suetonium, utrumque Senecam, Aulum Gellium, ac Macrobium hujus Laberii mentio, de quo præter cæteros Horatius cecinit :

Nec tamen hoc tribuens dederim quoque cætera ; namque
Et Laberi mimos et pulchra poemata mirer ?

Verum hæc erat ethnicorum insania, isque adversus christianos furor; ut *opinio christiana*, sicut recte Auctor noster alio in libro animadvertit *etsi honestior Pythagorica, quæ te in bestias transfert ; etsi plenior Platonica, quæ tibi etiam dotem corporis reddit ; etsi Epicurea gravior, quæ te ab interitu defendit ; tamen propter nomen solum christianorum vanitati et stupori, et ut dicitur præsumptioni deputatur.* Satis autem gentilibus non fuit hanc Christianorum cæteris meliorem sententiam rejicere, atque adspernari, sed ab eis *christianus*, illius defensor, *lapidibus magis*, alia Tertulliani in Apologetico verba sunt, *nec saltem cœstibus a populo exigetur* (*Idem, Apologet., cap.* 48, *col.* 42). Ast pro *cœstibus* in nostris codicibus legitur, *cœtibus*, id est, conventibus, et congregationibus expelletur. Tertullianus siquidem à majori, ut aiunt, ad minus, nec male quidem argumentatur. Christianus, inquit, illius de futuro hominis ad vitam reditu dogmatis assertor, non modo expelletur ab ethnicorum conventibus, sed quod pejus est, *lapidibus obruetur.* At si non ita bene in Rigaltii editione *cæstibus*, multo certe pejus in antiquioribus scriptum, *cædibus*, quæ lapidatione crudeliores sunt. De illis porro, notatis ab Auctore nostro, Pythagoræ, Platonis, et Epicuri opinionibus egimus in nostris de Minutii Felicis, et Lactantii libris dissertationibus (*Dissertat. in Minut. Octav. cap.* 7, *art.* 1, *et in Lactant., cap.* 34, *art.* 1).

Quoniam vero Tertullianus hominis ad vitam regressum propositis lucis et tenebrarum, siderum et

Digitized by Google

temporum, fructuum et seminum exemplis corroborare conatus fuerat (*Tertullian., Apologet., cap.* 48, *col.* 45), inde arguebant ethnici : Ergo semper moriendum erit, et semper resurgendum. Atqui hoc plane absurdum est. Sed primo, respondet Tertullianus, *si ita rerum Dominus destinasset, ingratis experireris conditionis tuæ legem* (*Ibid.*), hoc est, quia verus et omnipotens Deus omnium rerum, ac proinde mortis et vitæ dominus est, potest utique non semel tantum, sed toties hominem mortuum ad vitam excitare, quoties voluerit. Si ergo homini varios ad vitam reditus decrevisset, hanc ille legem *ingratis* experiretur. Dixit autem *ingratis*, id est, invite, ac contra voluntatem. Eo enim sensu Auctor ipse noster hoc verbo sæpe usus est, imo et ipse Cicero, *extorquendem est*, inquit, *invito atque ingratis quod non debet*. Et alibi : *Reticebunt quæ poterunt libenter, dicent quæ necesse erit ingratis* (*Idem, cap.* 4, *col.* 5. *lib. advers. Hermoge., cap.* 19, *et lib. adv. Valentin. cap.* 26, *pag.* 300. *Cic. orat. prima pro Quinct., pag.* 9, *lin.* 2, *et lib.* IV *in Verr., pag.* 163, *lin.* 15). Cernisne nomina *libenter* et *in gratis*, sibi invicem opponi ?

Respondet secundo Tertullianus : *At nunc Deus non aliter destinavit, quam prædicavit* (*Tertullian., Apologet., col.* 48, *pag.* 43), in sacris nimirum, ut supra notavimus, Scripturis, ubi a se statutum esse prædicat homini semel moriendum, semelque resurgendum.

Denique respondet homines ideo resurgere, ut *in immensam æternitatis perpetuitatem*, accipiant quod mali aut boni in hac vita meruerunt (*ibid.*). Semel igitur debent ad vitam revocari. Postea enim nec mors erit, nec resurrectio, sed æterna vita.

Dehinc vero iis etiam occurrit, qui objectare solebant fieri non posse, ut corpus hominis profundo immensoque mari submersum, redactum in cineres, a bestiis, et aliquando ab hominibus devoratum, ipsum idem aliquando resurgat : *Nam Dei*, inquit, *est nihilum ipsum, cujus et totum* (*Ibid.*). Cum enim Deus omnia ex nihilo creaverit, ac tam rei exsistentis, quam non exsistentis, et nihili sit dominus, potest certe quodcumque, quo ipsi placuerit, modo et facere et reficere. Recte igitur hinc ille concludit : *Ubicumque resolutus fueris, quæcumque te materia destruxerit, hauserit, aboleverit, in nihilum prodegerit, reddet te* (*Ibid.*). Sed nos plura in hanc rem in superioribus nostris dissertationibus disputavimus (*Dissertat. in Minut. Octav. cap.* 7, *art.* 2, *et Dissertat. in Lactant., cap.* 28, *art.* 4).

ARTICULUS III.

Quo tempore mortui homines ad vitam excitabuntur, sistentque se extremo Dei judicio, et quomodo Tertullianus ethnicorum de Minoe et Rhadamanto opinionibus confirmet omnium mala bonaque merita tum examinanda.

Postquam Tertullianus his, quæ exposuimus, rationum momentis comprobavit futurum cujuslibet mortui hominis ad vitam regressum, tum continuo ostendit quando omnes homines resurgere debeant : *Mundum*, inquit, *quæ ratio*, id est, dubio procul, verbum et sermo Dei, *composuit æmulis* (*Tertullian. Apologet., cap.* 48, *col.* 43), seu, sibi invicem contrariis, vel sicuti in alio libro dixit, *ex diversis substantiis ; ut sub unitate constarent* (*Idem, lib. de Pallio. cap.* 2) ; hæc eadem ratio ab hujus mundi exordio tempus fluere voluit, quod usque ad oppositam ipsi æternitatem semper defluat. At inter infinitam immensamque æternitatem ac finitum tempus interposuit medium limitem, quo *ævum* (*Apologet. loc. cit.*), sive totum illud mundi tempus finiatur, et infinita æternitas incipiat : *In eo autem ultimo temporis, et primo æternitatis limite, restituetur*, inquit, *omne humanum genus ad expungendum, quod in isto ævo*, mortalis vitæ suæ, *boni seu mali meruit, et exinde dependendum in immensam æternitatis perpetuitatem* (*Ibid.*). Ita in Rigaltii et antiquis editionibus, ac manuscriptis nostris codicibus. At in cusis aliquibus legitur, *deprehendendum*, pro *dependendum*, aut in aliis *exinde dependendum*. In aliis porro hoc verbum penitus sublatum est. Neque illud valde necessarium videtur, si verbo *expungendum*, ibi a Tertulliano, sicut alibi, et ab aliis Scriptoribus sumatur pro *persolvendum*. Sed si ab eo accipiatur pro reddenda ab hominibus operum suorum summa, rationibusque computandis, atque absolvendis, retineri debet verbum illud *dependendum ;* ita ut hic sit illius sensus : restituentur omnes omnino homines, ut computentur, examinentur, et absolvantur cunctæ boni malique eorum meriti rationes, ac deinde per totam æternitatem illud dependant ac solvant, quod per hanc vitam meruerunt. At Suetonius verbum *expungo*, hac secunda significatione adhibuisse videtur, ubi de Claudio Cæsare scripsit : *Cum decurias rerum acta expungeret* (*Sueton. in Vit. Claudii*, § 15), id est, ut quidam observarunt, ordinaret, ac computaret quinam ex decuriis in judicum numero servandi essent. Huc quoque vocant hæc Papiniani verba : *Ex causa desertionis notatus ac restitutus, temporis, quod in desertione fuerit, impendiis expungitur* (*Digest. lib.* XLIX, *tit.* 16, *leg.* 15, *de re milit.*).

Quidquid porro sit de Auctoris nostri vera genuinaque lectione, certo quidem certius esse docet, fore ut expendantur, et accurate examinentur in ultimo Christi judicio singulorum hominum merita. Venturus enim est ille ipse Christus cum omni, ut ait Tertullianus, divinitatis gloria et majestate, nec non *cum totius mundi motu*, quo sane subvertetur, *cum horrore orbis, cum planctu omnium*, infidelium et scelératorum, *sed non christianorum* (*Tertullian. Apologet. cap.* 23, *col.* 25), fidelium, videlicet, qui pie sancteque vixerunt. De hoc autem extremo judicio jam alibi disseruimus (*Disser. in Lac. c.* 47, *p.* 42).

Sed ab ethnicis *ridemur*, inquit adhuc Tertullianus, *Deum*, quem antea Christum appellaverat, *prædicantes judicaturum* (*Tertullian. Apologet. cap.* 47, *col.* 42). At sane hanc frigidam irrisionem non aptius,

Digitized by Google

quam traditis ipsorum placitis explodendam esse censuit : *Sic enim et poetæ*, ait, *et philosophi tribunal apud inferos* ponunt (*Ibid.*). Quod autem sit illud tribunal, hisce, quibus gentiles alloquitur, verbis declaraverat : *Ridetis, rideant et illi*, dæmones, *vobiscum. . . . Dicant hoc pro tribunali, si forte Minoen et Rhadamantum secundum consensum Platonis et poetarum esse sortitos* (*Ibid. cap.* 23, *col.* 25). Quia vero notissimum omnibus erat Minoïs et Rhadamanti tribunal, testes generatim citat poetas, quorum plurimi et græci et latini illud cecinerunt. Ex philosophis vero nominatim appellat Platonem : quia illorum omnium facile princeps audiebat. Simili etiam modo Justinus martyr adversus eosdem ethnicos argumentatus fuerat : Πλάτων δὲ Ῥαδάμαντον καὶ Μίνω κολάσειν τοὺς ἀδίκους παρ' αὐτοὺς ἐλθόντας· ἡμεῖς δὲ τὸ αὐτὸ πρᾶγμά φαμεν γενήσεσθαι, ἀλλ' ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ, καὶ τοῖς αὐτοῖς σώμασι μετὰ ψυχῶν γενομένων, καὶ αἰωνίαν κόλασιν κολασθησομένων. *Plato vero Rhadamantum et Minoen itidem injustos ad se venientes plexurum esse docuit. Nos autem id ipsum etiam factum iri dicimus, sed a Christo, corporibus eisdem cum animabus suis uniendis, atque æternis cruciatibus torquendis* (*Justin., Apolog.* 1. *ad Antonin., pag.* 57). Eodem quoque modo Athenagoras contra ethnicos postea disputavit. Citatos porro ab illo Platonis locos in illius Gorgia et Axiocho invenies (*Athenagor. legat. pro christian. pag.* 12; *Plat. Gorg. tom.* I, *pag.* 124, *et Axio. tom.* III, pag. 371).

Si quis vero aliquem saltem ex citatis ab Tertulliano poetis proferri desiderat, duos græcorum et latinorum coryphæos Homerum et Virgilium citabimus. In Odyssea enim ille hæc de erebo cecinit :

Ἔνθ' ἤτοι Μίνωα ἴδον, Διὸς ἀγλαὸν υἱόν,
Χρύσεον σκῆπτρον ἔχοντα, θεμιστεύοντα νεκύεσσιν
Ἥμενον· οἱ δέ μιν ἀμφὶ δίκας εἴροντο ἄνακτα,
Ἥμενοι ἑσταότες τε κατ' ὠρυπυλὰς Ἄϊδος δῶ.

(*Homer. Odyss.* λ, *circa fin.*)

Ibi Minoen vidi Jovis splendidum filium,
Aureum sceptrum gestantem, leges ferentem mortuis,
Sedentem : alii vero circa ipsum causas dicebant regem,
Sedentes, statuti per latam Plutonis domum.

Virgilius vero :

Nec vero hæ sine sorte datæ, sine judice sedes :
Quæsitor Minos urnam movet, ille silentum
Conciliumque vocat, vitasque, et crimina discit.

(*Virgil. lib.* VI *Æneid.* v. 431 *et seqq.*)

Tum deinde :

Gnossius hæc Rhadamantus habet dirissima regna,
Castigatque auditque dolos, subigitque fateri
Quæ quis apud superos, furto lætatus inani,
Distulit in seram commissa piacula mortem.

(*Ibid.*, v. 561 *et seqq.*)

At si ethnici, sicut recte arguit Tertullianus, his poetis et philosophis crediderunt, multo magis credendum sacris nostris scriptoribus, qui divino spiritu repleti, constanter prædicant ipsum esse Christum, qui *producto*, seu peracto, et consumpto, *ævo isto, judicaturus est suos cultores in vitæ æternæ retributionem, prophanos in ignem æque perpetem, et jugem, A suscitatis omnibus ab initio defunctis, et reformatis, et recensitis ad utriusque meriti*, sive boni sive mali *dispunctionem*. Nunc dicit ad dispunctionem, haud dubie eodem sensu, quo antea ab eo dictum vidimus, *ad expungendum*. Nam ab ipso alibi scriptum vidimus : *Nos qui sub Deo omnium speculatore dispungimur*, id est, examinamur, et judicamur a Deo, qui omnia cognoscit, *æternam ab eo pœnam providemus* (*Ibid., cap.* 45, *col.* 39), seu præcavemus, aut prævidemus fore, ut malos æterna pœna afficiat. Quamobrem innocentia et morum integritate ei *occurrimus*, ne æternas perferamus impiorum pœnas, æternaque supplicia. In ultimo itaque Christi judicio unusquisque suorum bonorum vel malorum meritorum rationes reddet, et iis tum examinatis, ultimaque lata B sententia, improbi punientur igne æterno, justi autem sempiternæ præmio felicitatis donabuntur. Sed de hoc æterno et igne et præmio quid doceat auctor noster, jam explorandum a nobis est.

ARTICULUS IV.

De æterno igne, quo improbi et impii homines cruciabuntur ; qua ratione Tertullianus ejus æternitatem asserat, atque confirmet igneorum fluviorum, montium semper ardentium, hominis fulmine percussi exemplis, ac cur ignis ille æternus dicatur.

Quod ex sacris Scripturis didicerunt christiani, hoc palam prædicabant impios improbosque homines æterno post mortem suam igne cruciandos : *Sed gehennam*, ait Tertullianus, *si comminemur, quæ est* C *ignis æterni subterranea ad pœnam thesaurus, proinde decachinnamur* (*Tertullian. Apologet. cap.* 47, *col.* 42). Et ita quidem in codicibus nostris, et Rigaltiana aliisque posterioribus editionibus ; in antiquioribus vero *subterraneus*, quasi id referri debeat ad nomen *thesaurus*. At referri etiam potest ad nomen *gehenna*, sed eodem semper sensu. Docet itaque Auctor noster gehennam esse thesaurum ignis æterni inexhaustum, quo scelesti homines post hanc vitam torquebuntur. Verum ethnici hoc documentum non secus atque anilem fabulam cachinnis risuque solutiore explodebant.

Vera tamen erat hæc christianorum sententia : aut ipsimet gentiles pariter deridendi, a quibus *Pyriphlegethon*, ut ait Auctor noster (*Ibid.*), *apud mor-* D *tuos amnis* prædicabatur. Atque ita ille, ac postea Arnobius, conjectum ab illis telum retorquet (*Arnob., lib.* III. *advers. gent. pag.* 52). Hujus autem hæc sunt verba : *Audetis ridere nos, cum gehennas dicimus, et inexstinguibiles quosdam ignes, in quos animas dejici ab eorum hostibus inimicisque cognovimus? Quid Plato in eo volumine, quod de animæ immortalitate composuit, non Acherontem, non Stygem, non Cocytum, et Pyriphlegethontem nominat, in quibus asserat animas volvi, mergi, exuri?* Bene autem ab illo Plato citatur, qui in Phœdone descripsit illa nota satis omnibus quatuor ficta ab ethnicis inferorum flumina (*Plat. Phædon. tom.* I, *pag.* 112. *et seqq.*) Pyriphlegethon vero a Virgilio, aliisque poetis latinis Phlegethon vo-

Digitized by Google

catur. Sed in re satis nota sufficiat quosdam citare illius versus :

Di quibus imperium est animarum umbræque si- [lentes,
Et chaos, et Phlegeton, loca nocte silentia late.
(*Virgil. lib.* VI *Æneid. v.* 264 *et seqq.*)

Rursus autem postea :

Respicit Æneas subito, et sub rupe sinistra
Mœnia lata videt, triplici circumdata muro,
Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis
Tartareus Phlegethon,, torquetque sonantia saxa.
(*Ibid.*, *v.* 543 *et seqq.*)

Prudentium aliosque, si lubet, adire poteris (*Prudent. Hamartig.*, *sub fin.*). Quoque autem modo hæc ethnici aut finxerint, aut crediderint, non poterant utique irridere christianos, qui a divinis suis Scriptoribus edocti, asseverabant profanos, et criminibus contaminatos homines, post hanc vitam plectendos *jugis ignis* supplicio (*Tertullian. Apologet. cap.* 45, *pag.* 497). In prima vero hujusce tomi dissertatione Minucium Felicem audivimus eodem modo adversus gentiles disputantem (*Dissertat. in Minut. Octav. cap.* 7, *art.* 3).

At postulabant ethnici quo tandem modo ignis possit esse æternus, nec unquam exstingui. Quamobrem Tertullianus respondet hunc divina potentia habere *subministrationem incorruptibilitatis* (*Tertullian.*, *ibid.*). Neque id negare poterant gentiles philosophi, qui duplicem ignem planeque diversum agnoverunt. Primus enim, uti aiebant, ignis terrestris communis, et publicus, quotidiano hominibus usui est. Alter vero arcanus, et longe minus communis, *de cœlo*, inquit Auctor noster, *fulmina stringens*, *sive de terra*, quo montes, Ætna videlicet et Vesuvius *uruntur et durant*, nec absumuntur. Nam iste *ignis*, uti ille ait, *non absumit quod exurit, sed dum erogat, reparat*, ideo montes semper ardentes manent. De hoc autem igne alibi disseruimus (*Dissertat. in Minut. Octav.*, *cap.* 7, *art.* 3, *et in Lactant.*, *cap.* 29, *art.* 7).

Duo itaque tantum supersunt a nobis observanda; ac primo quidem hæc fulminum ac montium ardentium exempla a Tertulliano, et aliis scriptoribus nostris non sumi, tanquam idem sit eorum, atque æternus inferorum ignis, sed in *testimonium*, inquit ille, *ignis æterni, et exemplum jugis judicii pœnam nutrientis* (*Tertullian.*, *loc. cit.*, *pag.* 497). Ab eo itaque hæc proferuntur in testimonium duntaxat, et exemplum alterius ignis, qui divina potestate excitatus, semperque conservandus, per totam æternitatem uret impios, nec eos unquam consumet.

Secundo, aliud ille, sed obscurius exemplum hisce verbis ibidem proponit : *Qui de cœlo tangitur*, nimirum fulmine, *salvus est, ut nullo jam igni decinerescat* (*Ibid.*). Non minima autem in his, difficilibus utique verbis explicandis est interpretum varietas et dissensio. Nonnulli siquidem opinantur his collineari ad veterem gentilium legem, qua cautum erat, ne quis fulmine percussus, ullo deinceps supplicio mulctaretur. In illum enim, quantumvis impium, Jupiter satis animadvertisse ferebatur. Alii vero putant auctorem nostrum ad illud respexisse, quod his verbis Plinius memorat : *Hominem ita exanimatum cremari fas non est, condi in terra religio tradidit* (*Plin.*, *lib.* II *Hist. nat.*, *cap.* 54, *pag.* 209). Verum quid hæc, quæso, ad institutum faciunt Tertulliani, qui hoc exemplo confirmare nititur quorumdam corpora hominum, icta fulmine, sic salva esse, ut nullo amplius igne *decinerescant?*

Expende igitur an ille potius alludat ad ea, quæ Plutarchus memoriæ prodidit, compertum ferme omnibus esse corpora de cœlo tacta, a multis nec cremari, nec sepeliri, sed relinqui sepimento circumdata; ut expertia putredinis, perpetuo videantur (*Plutarch.*, *lib.* IV *Sympos.*, *quæst.* 2, *pag.* 665). Postea autem : ὁρᾷς, ait, ὅτι καὶ τὸ κεραύνιον πῦρ ἱερὸν ἡγούμεθα καὶ θεῖον, ὅτι τὰ σώματα τῶν διεφθαρτων ἄσηπτα πρὸς πολὺν ἀντέχοντα χρόνον ὁρῶμεν. *Nosti ignem fulminis sacrum dici, et divinum, quod corpora de cœlo tactorum per multum temporis putrefactioni resistere videmus* (*Ibid.*, *lib. VI*, *quæst.* 10, *pag.* 685). At hoc exemplum, etsi non plane perfectum, a Tertulliano adduci potuit; ut ostenderet confirmaretque hominum corpora posse æterno igne exuri, quo tamen nunquam absumentur.

Si quis autem scire aveat cur hic ignis ab ipso arcanus appelletur, huic respondebimus, quia illum occultum, et in visceribus terræ absconditum putabat. Alio namque in libro et Platonis et suam de loco, ubi inferi positi sunt, sententiam sic explicat : *Inferos Plato velut gremium terræ describit in Phædone, quo omnes labes mundialium sordium confluendo, et ibi desidendo exhalent, et quasi cœno immunditiarum suarum crassiorem haustum, et privatum illic aerem stipent. Nobis inferi non nuda cavositas, nec subdivalis aliqua mundi sentina creduntur : sed in fossa terræ, et in alto vastitas, et in ipsis visceribus ejus abstrusa profunditas* (*Tertull. lib. de Anim.*, *cap.* 54). Unde vero hanc opinionem delibaverit, si quis adhuc requiret, hoc illius ibidem responsum cito audiet : *Siquidem Christo in corde terræ triduum mortis legimus expunctum, id est, in recessu intimo et interno, et in ipsa terra operto, ei intra ipsam clauso, et in inferioribus adhuc abyssis superstructo,.... ut illic patriarchas et prophetas compotes sui faceret. Habes et regionem inferorum subterraneam credere* (*Ibid.*, *cap.* 53). Platonem autem ibi rursum in jam citato a nobis Phœdone laudat, ut ethnicos hac principis philosophorum suorum auctoritate adhuc revinceret.

ARTICULUS V.

De æterna sanctorum beatitudine; quo in loco resideant: utrum ea statim post mortem fruantur, vel illam ad extremum usque judicii diem quibusdam in domiciliis exspectent, ac qua ratione Tertullianus probet memorata hactenus christianæ religionis placita non posse ab ethnicis rejici, aut propter eorum defensionem christianos non debere vexari et trucidari.

Qua ratione malos, ait Tertullianus, improbosque

Digitized by Google

homines æternum ignis supplicium, eadem bonos justosque sempiterna manet bonorum operum merces. Posteaquam enim mortuum corpus nostrum ad vitam denuo excitatum fuerit : *Erimus*, inquit, *iidem qui nunc, nec alii post* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 48, *p.* 520); quia idem ipsum, uti superius dictum est, nostrum corpus resurget. Tum *Dei cultores*, pergit ille, *apud Deum semper, superinduti substantia propria æternitatis* (*Ibid.*), id est, superinduentur immortalitatis dono quod æternum subsistet ac permanebit. Dixit autem *substantia propria æternitatis* (*Ibid.*, *cap.* 49, *p.* 528), qua justi homines non solum immortalitate, sed felicitate perpetua, vel sicut ipse loquitur, *æterno refrigerio, et divina amœnitate* fruentur (*Ibid.*, *cap.* 47, *pag.* 515).

Quam certo autem et vere id asseverat, tam facile ipsius de loco, ubi illorum animæ, corporibus solutæ, ad extremum usque judicium recipientur, dubium ac fluctuantem animum deprehendimus. Primum etenim in suo apologetico : *Paradisum*, inquit, *nominamus locum divinæ amœnitatis, recipiendis sanctorum spiritibus destinatum, maceria quadam igneæ illius Zonæ, a notitia orbis communis segregatum* (*Ibid.*). At nonnulli existimant ibi eum respexisse ad hæc Geneseos verba : *Ejecitque Adam, et collocavit ante paradisum voluptatis cherubim, et flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ* (*Genes.* III, *cap. v. ultimo*). Alii vero id negant. Non enim in animum inducere suum possunt maceria igneæ Zonæ idem atque flammeo gladio significari. Putant itaque denotari alium ignem amœnioris loci arbitrum. Verum hæc opinio ratione saltem aliqua fulciri debebat. Itaque donec eam proferant, non videmus quid prohibeat quominus Tertullianus illum vocaverit *divinæ amœnitatis* locum, qui citatis Geneseos verbis paradisus voluptatis appellatur? Quid enim repugnat si igneo gladio Zonam igneam significari arbitratus est? Sed de hoc Tertulliani loco aliquid in superiori dissertatione præoccupavimus (*Dissertat. in Lactant.*, *cap.* 22, *art.* 6).

Certius autem ea de re ferri posset judicium, si exstaret illius de paradiso libellus, quem a se compositum testificatur. Ad eum quippe sic nos ipse misit : *Habes etiam de paradiso a nobis libellum, quo constituimus omnem animam apud inferos sequestrari in diem Domini* (*Tertul. lib. de Anim. caput* 55), id est, generale et ultimum judicium. Sed ex his licet paucissimis verbis non minima certe oritur difficultas. Nam tametsi paradisum ab inferis distinxisse diceretur; apertissime nihilominus docet omnem animam tam justorum videlicet, quam impiorum in hisce inferis ad ultimum usque judicium sequestrari et reservari. Sed hæc pluribus haud dubie obscura nec intellectu facilia videbuntur. Quamobrem quid in aliis, quæ restant, illius operibus de his statuerit, investigandum est.

In suo autem de Anima libro hæc ex Evangelio tradidit : *Dolet apud inferos anima cujusdam*, famosi videlicet *divitis, et punitur in flamma, cruciatur in lingua, et de digito animæ felicioris implorat auxilium* (*Ibid.*, *cap.* 7), nempe pauperis Lazari. Nec sinit sibi objici hanc esse parabolam. Additum enimvero nomen Lazari rem veram indicat; et quamvis parabola esset, ipsa veritatis est testimonium. Tum deinde adjecit : *Quid est autem illud, quod ad inferna transfertur post divortium corporis, quod detinetur, quod in diem judicii reservatur; ad quod et Christus moriendo descendit? Puto ad animas patriarcharum : sed quamobrem, si nihil anima sub terris?..... in carcere sub diversorio inferum, in igni, vel in sinu Abrahæ* (*Ibid.*). Docet igitur inferos esse subterraneum locum, et sinum Abrahæ, ubi divitis improbi anima torquebatur, in quem Christus post mortem descendit, et ubi patriarchæ illum expectabant. Postea vero, *sic et diviti*, inquit, *apud inferos lingua est, et pauperi digitus, et sinus Abrahæ. Per has lineas et animæ martyrum sub altari intelliguntur* (*Ibid.*, *c.* 9). Numquid ergo ibi etiam et iisdem inferis sub altari, degunt animæ martyrum? Sed post modum paulo enucleatius explicabitur.

Interim illum audiamus adhuc loquentem. Ait autem Christum in inferiora terrarum descendisse, *ut illic patriarchas et prophetas compotes sui faceret. Habes et regionem inferum subterraneam credere, et illos cubito pellere, qui satis superbe non putant animas fidelium inferis dignas; servi super dominum, et discipuli super magistrum, aspernati si forte in Abrahæ sinu expectandæ resurrectionis solatium capere* (*Ibid.*, *c.* 55). Cernisne adhuc eosdem inferos sinum Abrahæ vocari, et patriarcharum prophetarumque habitationem, ubi animæ spe resurrectionis solatium capiunt?

Sub ejusdem demum libri finem quemdam sibi objicientem indicit : *Omnes ergo animæ penes inferos.* Cui statim respondet : *Velis ac nolis, et supplicia jam illic et refrigeria. Habes pauperem, et divitem* (*Ibid.*, *cap.* 58). Omnem igitur cum dicat animam, nullam excipit.

Neque illo tantum in libro ita se sentire profitetur, sed in alio etiam id haud obscure his verbis confirmat : *Nam et nunc animas torqueri foverique penes inferos, licet nudas, licet adhuc exsules carnis, probavit Lazari exemplum* (*Idem, lib. de Resurrect. carnis, cap.* 17). De ipsismet porro martyribus hæc in Scorpiaco scribere non dubitavit : *Quinam isti*, Zebedæi filii, *tam beati victores, nisi proprie martyres? Illorum etenim victoriæ, quorum et pugnæ, eorum vero pugnæ quorum et sanguis? sed et interim sub altari martyrum animæ placidum quiescunt, et fiducia ultionis patientium pascunt, et indutæ stolis, candidam claritatis usurpant, donec et alii consortium illarum gloriæ impleant* (*Idem, Scorpiac. cap.* 12). Nonne igitur Tertulliani opinio fuit omnes quorumlibet mortuorum hominum animas, corpore suo exutas, ad ultimum usque judicii diem reservari in inferis, paradiso Abrahæ sinu, et sub altari, quibus licet diversis nominibus eumdem locum designasse procul dubio videtur?

Digitized by Google

Sed exspecta, quæso, paulisper, teque aliquantum sustine. Mox enim audies ab illo, sicut triplex genus animarum, sive mortuorum hominum, impiorum videlicet, justorum, et martyrum, ita triplicem illorum locum, atque inferos ab Abrahæ sinu distingui. Marcionis quippe de earumdem animarum receptaculis errorem sacræ refellit auctoritate Scripturæ, *quæ ab inferis*, inquit, *discernit sinum Abrahæ pauperi. Aliud enim inferi, ut puto, aliud quoque Abrahæ sinus. Nam et magnum ait intercedere regiones istas profundum, et transitum utrimque prohibere. Sed nec allevasset dives oculos, et quidem de longinquo, nisi in superiora, et de altitudinis longinquo per immensam illam distantiam sublimitatis et profunditatis..... Eam itaque regionem sinum dico Abrahæ, etsi non cœlestem; sublimiorem tamen inferis, interim refrigerium præbituram animabus justorum, donec consummatio rerum resurrectionem omnium plenitudine mercedis expungat..... cur non capiat sinum Abrahæ dici temporale aliquod animarum fidelium receptaculum, in quo jam delineetur futuri imago, ac candida quædam utriusque judicii prospiciatur* (*Idem, lib.* IV. *advers. Marcion. cap.* 34)?

Nonne jam vides quam perspicue inferos, ubi animæ improborum hominum degunt et cruciantur, secernat a sinu Abrahæ sive justorum habitaculo, ubi hi æternæ felicitatis mercedem prægustantes, temporali ac prævia amœnitate et beatitudine, sive, ut ille ait, refrigerio potiuntur? Eam vero regionem, etsi non sit cœlestis, longe tamen ab inferis distare asseverat, et iis multo esse sublimiorem.

Quod vero ad martyrum animas pertinet, tertium eis locum, ipsum scilicet paradisum adscribere videtur. Nam hæc sunt de hisce martyrum animabus totidem ejus verba: *Quomodo Joanni in spiritu paradisi regio revelata, quæ subjicitur altari, nullas alias animas apud se præter martyrum ostendit? Quomodo Perpetua, fortissima martyr, sub die passionis in revelatione paradisi solos illic commartyres suos vidit; nisi quia nullis romphæa paradisi janitrix cedit, nisi qui in Christo decesserint, non in Adam? Nova mors pro Deo; et extraordinaria pro Christo, alio et privato excipitur hospitio. Agnosce itaque differentiam ethnici, et fidelis in morte. Si pro Deo occumbas, ut Paracletus monet, non in mollibus febribus, et in lectulis, sed in martyriis; si crucem tuam tollas et sequaris Dominum, ut ipse præcepit, tota paradisi clavis tuus sanguis est* (*Idem, lib. de Anim., cap.* 55). Tertium itaque locum ab utroque, jam a nobis memorato, separatum indicat, quod privatum martyrum, de quibus infra dicemus, hospitium appellat (*Infr., cap.* 15, *art.* 4).

Præiverat ipsi haud dubie Irenæus, qui similiter de martyribus suam explicat sententiam: *Ecclesia omni*, inquit, *in loco ob eam, quam habet erga Deum dilectionem, multitudinem martyrum in omni tempore præmittit ad Patrem* (*Iren., lib.* IV, *contr. hæres. cap.* 33, § 9, *nov. edit. pag.* 272). Sed cur, obsecro te, ad A Patrem, nisi ut æternæ felicitatis præmium statim post mortem consequantur.

Utriusque autem opinioni discipulus Tertulliani Cyprianus hisce totidemque verbis postea subscripsit: *beati satis, qui ex vobis per gloriarum vestigia commeantes, jam de sæculo recesserunt, confectoque itinere virtutis ac fidei, ad complexum et osculum Domini, Domino ipso gaudente, venerunt* (*Cyprian., epist.* 37. *pag.* 73). Alibi vero diserte affirmat martyrium esse secundum baptisma, *quod nos de mundo recedentes statim Deo copulat.* Suum dehinc librum his verbis absolvit: *Si talem persecutio invenerit Dei militem, vinci non poterit virtus ad prælium prompta. Vel si accersio ante prævenerit, sine præmio non erit fides, quæ erat ad martyrium præparata. Sine damno temporis mercedis, judice Deo, redditur; in persecutione militia, in* B *pace conscientia coronatur* (*Idem, Exhort. martyr., pag.* 168; *Ibid., pag.* 184). Non dilatam igitur putabat æternam martyrum gloriam et felicitatem. Nonne autem hæc adhuc delibaverat ex magistro suo et auctore nostro Tertulliano, qui similiter dixerat martyrium esse secundum baptisma, quo martyres recta ducuntur ad divinam sedem? Asseruit enim illos invicta patientia et fortitudine, *produci ad experimentum felicitatis, ad occasionem secundæ intinctionis, ad ipsius divinæ sedis adscensum* (*Tertul. lib. de Patient. pag.* 13). Quam vero secundam intinctionem, alibi uti videbimus, secundum vocat lavacrum quo omnia donantur delicta, et tota Dei gratia redimitur (*Infr., cap.* 16, *art.* 3).

C At sicut illius, ita et Irænei non eadem videtur fuisse de aliorum justorum animabus sententia. De illis quippe Iræneus hæc tradidit. Post corporis mortem, *Abibunt*, inquit, *in invisibilem locum, definitum eis a Deo, et ibi usque ad resurrectionem commorabuntur, sustinentes resurrectionem*, postquam *venient ad conspectum Dei* (*Iren., lib.* V, *cap.* 31, *pag.* 331). Neque mirum, quæso, tibi sit, si Tertullianus noster, quemadmodum Irenæus incerti ancipitesque in assignandis animarum corpore solutarum domiciliis hæreant, nec eodem semper modo loquantur. Non magis etenim certæ constantesque fuerunt, sicut alibi annotavimus, aliorum veterum Ecclesiæ Patrum sententiæ (*Admonit. in lib. Ambros. de Bono mortis, tom.* I, *pag.* 385).

D Quæcunque autem fuerit auctoris nostri de iis opinio, recte contendit, eam non debuisse rejici a gentilibus, quorum *fidem*, inquit, *occupaverunt Elysii campi* (*Tertullian. Apologet., cap.* 47, *pag.* 515), ubi defunctorum animas deliciis frui arbitrabantur. Verum enimvero cum hæc sententia ei, quam proponit, non sit dissimilis, hæc suam, inquit, ex illa duxit procul dubio originem. Nam illud, et alia documenta christianorum, sicut antea probatum est (*Supr., cap.* 4, *art.* 4), ethnicorum placitis longe vetustiora sunt. Ethnici ergo a christianis, non vero christiani ab ethnicis, placita sua hauserant, illisque proinde non minorem, quam suis fidem habere debebant.

Cæterum tametsi illud et alia omnia quæ hacte-

Digitized by Google

nus recensuimus, christianæ religionis placita opinionibus gentilium philosophorum omnino dissimilia et contraria sint; in his nihilominus philosophis, ait Tertullianus, vocabantur *summæ scientiæ*, et *insignia ingenia* (*Tertullian. Apologet. cap.* 49, *p.* 528): nonne potius, *insignia ingenii*, sive conspicua ingenii signa et indicia, sed idem plane eorum erit sensus. Quis ergo non mirabitur hæc verissima christianorum documenta, ab ethnicis, nec ratione, nec ingenio carentibus, falsa dici, et ineptas, uti adhuc auctor noster loquitur, *præsumptiones* (*lib. de Testim. anim. cap.* 4), hoc est, vanas prorsus, et absurdas in re dubia divinationes, atque conjecturas?

Fac tamen, quod falsissimum est, eas penitus falsas fuisse: sed nulli profecto noxiæ erant, imo vero omnibus utiles et necessariæ. Cuncti enimvero, *metu æterni supplicii, et spe vitæ æternæ fieri meliores coguntur* (*Idem, Apologet. c.* 49, *p.* 529). Quisquis namque, sicut recte docet Athenagoras, persuasum habet *animam cum corpore, simul interituram*, συναπόλλυσθαι τῷ σώματι καὶ τὴν ψυχήν, *is nullum non facinus audet*, μηδενὸς ἂν ἀπέχεσθαι τολμήματος (*Athenagor. Legat. pro christian. pag.* 39). Qui vero credit fore, ut ad vitam excitatus, omnium peccatorum in extremo Dei judicio reddat rationem, ille vel in minimis delinquere veretur.

Iniquissimi igitur erant gentiles, qui christianos, horumce dogmatum defensores, non secus ac sceleratissimos, et gravissimorum criminum reos condemnabant. Quamobrem auctor noster sic eos urget et insectatur: *Sed in ejusmodi enim* (in quibusdam editionibus additur *error* melius forsitan *errore*) *si utique irrisu*, seu irrisione dignum aliquid *judicandum est, non gladiis, et ignibus, et crucibus, et bestiis* (*Tertullian. loc. cit.*), idcirco christiani crudelissime trucidandi erant. At certe tantum abest ut in illorum doctrina subsit falsi aliquid; quin miranda prorsus illorum in tot tantisque tormentis patientia veritatem ejusdem doctrinæ, et totius christianæ religionis, uti haud semel observatum est, invictissime demonstraret. Sed illud plane confirmatur ex sanctis eorumdem christianorum moribus, legibus, et institutis, de quibus nunc agendum est.

CAPUT XII.

Ostenditur, qui qualesve fuerint Christiani, quomodo ab ethnicis distincti; ac quam longe puriores fuerint illorum, quam ethnicorum mores, legesque multo meliores ac sanctiores.

ARTICULUS PRIMUS.

Qui, quales, et quam multiplicati fuerint Tertulliani tempore christiani, ac quomodo ab ethnicis, quibuscum vivebant, tunc discernerentur.

Post explicata a nobis asserta a Tertulliano christianæ religionis documenta, jam cum illo explorandum est quinam et quales fuerint illorum defensores christiani, ac quomodo cum ethnicis vixerint.

A Juvat itaque illum de se ipso aliisque Christi sectatoribus loquentem audire: *Corpus*, inquit (*Tertullian. Apologet., cap.* 39, *pag.* 431), *sumus*, quemadmodum antea scripserat Apostolus: *Multi unum corpus sumus in Christo* (Epist. ad Rom. XII, 5), id est una multorum simul congregatorum societas, congregatio, et communitas. Quo autem modo quave ratione congregati fuerint, si roges, tibi respondebit: *De conscientia religionis* (*Tertullian. loc. cit.*), id est, intima certissimaque animi persuasione convicti veram esse religionem, quam omnes profitebantur. Ad hæc vero conjuncti *disciplinæ unitate* (*Ibid.*), seu tradita a Christo una eademque, sed sanctissima documentorum institutione, ac morum disciplina. Denique copulati *spei fœdere* (*Ibid.*), sive fœderati ac sociati spe certissima vitæ æternæ, quam illis verus solusque omnipotens Deus post hanc mortalem vitam promisit.

Quam multiplicatum autem fuerit, ipsa Tertulliani nostri ætate, illud christianorum corpus, certiores nos profecto ipse fecit (*Ibid., c.* 1, *pag.* 262). Tunc enim omnia, ut narrat (*Ibid., cap.* 37, *p.* 462), repleverant mundi loca: urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra, tribus, decurias, forum, senatum, palatium, nihilque privatim ethnicis, nisi sola eorum templa reliquerant (*Ibid., cap.* 42, *pag.* 491). Cum iis igitur ubique versabantur, in foro, macello, balneis, tabernis, officinis, stabulis, nundinis, et commerciis, de quibus infra dicendum. Simul itaque permixti cohabitabant, militabant, rusticabantur, mercabantur, mutuoque usu artes miscebant, et operas.

Quamobrem alio ille in libro Scapulam sic affatur: *Quid facies de tot millibus* (veteres editiones *decem millibus*) *hominum, tot viris ac fœminis, omnis sexus, omnis ætatis, omnis dignitatis offerentibus se tibi? Quantis ignibus, quantis gladiis opus erit? Quid ipsa Carthago passura est, decimanda a te, cum contubernales suos illic unusquisque cognoverit, cum viderit illic fortasse et tui ordinis viros, et matronas, et principales quasque personas, et amicorum tuorum vel propinquos, vel amicos* (*Idem, lib. ad Scap. cap.* IV)? Quid plura? Tantus tunc profecto erat non solum Carthagine, sed ubique terrarum christianorum numerus; *ut si tanta vis hominum*, ipsa ejusdem Tertulliani adhuc sunt verba, *in aliquem orbis remoti sinum abrupissemus a vobis, suffudisset utique dominationem vestram tot qualiumcunque amissio civium, imo etiam et ipsa destitutione punisset, procul dubio expavissetis ad solitudinem vestram, ad silentium rerum et stuporem quemdam quasi mortui orbis: quæsissetis quibus imperaretis. Plures hostes vobis, quam cives remansissent* (*Idem, Apologet., cap.* 37, *pag.* 463).

Sed quempiam audire nobis videmur, qui in aures insusurret ibi aliquam esse Tertulliani exaggerationem. Cui enim, inquiet, probari unquam poterit tantam tunc fuisse christianorum multitudinem? Verum qua, quæso, fronte hic ipse Tertullianus publicis in libris, quos non uni tantum Scapulæ, Carthaginis

Digitized by Google

præsidi, sed Romanis, vel, si velis, Africæ antistitibus imo et nationibus, hoc est, gentilibus omnibus, infestissimis christianorum hostibus, illud tam audacter, nisi id verissimum esset, asseverare potuit? Nonne timendum ipsi erat, ne mendacii convictus, caussa non sine risu et sibilis caderet? Si quis tamen pertinax credere ipsi nolit, fidem certe dare non renuet Plinio secundo, qui de iisdem christianis hæc antea ad Trajanum Imperatorem scripserat: *Multi omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum,, et vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est* (*Plin. epist.* 101, *p.* 376).

Quam sane ob rem ethnici mœrebant, ait adhuc Tertullianus, tantum esse illorum numerum, ac de illo palam conquerebantur: *Obsessam*, inquit, *vociferantur civitatem; in agris, in castellis, in insulis christianos, omnem sexum, ætatem, conditionem et jam dignitatem transgredi ad hoc nomen, quasi detrimento mœrent* (*Tertullian., Apologet., cap.* 1, *p.* 263). Numquid ergo dices adhuc fictam ab illo aut exaggeratam fuisse hanc gentilium querimoniam? Sed eam alio in libro, ipsosmet ethnicos alloquendo, totidem pene verbis repetit (*Idem, lib.* I *ad Nat., cap.* 1).

Itaque cum adeo multiplicati fuissent christiani, nullus certe dubitandi locus est, quin cum ethnicis permixti commune cum illis vivendi genus haberent. Cum illis quippe, ut ait Tertullianus, *degentes, ejusdem victus, habitus*, id est, victus et vestitus, *instructus, ejusdem ad vitam necessitatis* (*Idem, Apologet., cap.* 42, *p.* 490). Verum nonne melius, inquiet aliquis, in libro ad Nationes dixit *apparatu*, id est, cultu et ornatu (*Idem, lib.* I *ad Nation., cap.* 10). At si hæc sit nominis *apparatus* significatio, et *instructus* ab illo sicut a Cicerone (*Ciceron., lib.* III, *de Orat., p.* 181, *lin.* 37), accipiatur pro ornatu, quomodo ille asseverare potuit eumdem esse christianorum instructum? Nonne eodem in Apologetico ethnicorum luxum arguendo dixerat: *Habitu, victu, instructu, censu proavis renuntiastis* (*Idem, Apologet., cap.* 6, *p.* 305)? Constat autem, ut ipse testatur, longe majorem fuisse christianorum in his omnibus frugalitatem. Nobis itaque haud ægre persuadebitur illum priori loco de rebus locutum esse, quæ ad sustentandam vitam necessariæ sunt, et quibus christiani, quemadmodum plebeii aut modestiores ethnici utebantur.

At certe quamvis idem esset christianorum et gentilium victus, et vestitus, eademque in publico vivendi, atque agendi ratio; ab his tamen christiani distinguebantur, et agnosci facile poterant singulari modestia, patientia, et pristinorum vitiorum emendatione. Neque id incompertum erat gentilibus, quos idcirco auctor noster hisce compellat verbis: *Ea disciplina patientiæ divinæ agere nos satis manifestum esse vobis potest, cum tanta hominum multitudo, pars pene major civitatis cujusque, in silentio et modestia aginus, singuli forte noti magis, quam omnes: nec aliunde magis noscibiles, quam de emendatione vitiorum* (*Tertull., lib. ad Scapul., cap.* 2).

Tales igitur tum erant christiani, quorum major erat, quam gentilium numerus. Nec mirum sane, si tam pium sanctumque vivendi genus, etsi cum ethnicis permixti, consectarentur; quandoquidem nihil antiquius cariusque habebant, quam iis sanctissimis obsequi legibus, quas noverant sibi a Deo et Christo domino datas, et omnibus humanis longe præstantiores. Quod quidem jam nobis cum auctore nostro probandum incumbit.

ARTICULUS II.

Quantum Christianorum leges perfectione sua atque auctoritate alias omnes a gentilibus latas superent, qua sedulitate observarentur ab iisdem christianis qui idcirco botulos cruore distentos, sibi ab ethnicis oblatos, ipso vitæ periculo, edere recusabant.

Cum religio christiana a vero Deo, ejusque Filio fundata constitutaque sit, omnes procul dubio illius leges perfectissimæ esse debent. Quamobrem Tertulliani tempore illis christiani eo majori cura obtemperabant, quo certius noverant eas esse latas ab omnia vidente, et omnipotente, qui idcirco a nemine prorsus nec falli, nec impune contemni potest. Palam itaque auctor noster universis denuntiat: *Innocentiam a Deo edocti, perfectam eam novimus, ut a perfecto magistro revelatam, et fideliter custodimus, ut ab incontemptibili dispectore mandatam* (*Tertullian., Apologet., cap.* 45, *p.* 498).

At sancitæ a solis hominibus leges ethnicorum plane sunt imperfectæ, possuntque ab omnibus impune sperni, labefactari, violari: *Nam quanta*, pergit Tertullianus, sive ut in nostris codicibus legitur *tanta*, id est, tam parva, et exigua est *auctoritas* hominis *ad exigendum* (*Ibid.*), fidam legum a se latarum custodiam, ut tam facile falli possit, quam ab omnibus contemni. Ea est enim humani ingenii infirmitas, ut nullus homo illa omnia possit prævidere, quæ cæteris omnibus bona et mala, aut semper mansura sunt. Tanta vero improborum est malitia, ut plurimi pœnas prævaricatoribus, a quacunque humana lege indictas, haud difficiliter declinent.

Pluribus præterea exemplis Tertullianus ostendit longe perfectiores esse christianorum, quam gentilium leges. Primum enim, *quid plenius*, inquit (*Ibid.*), *est dicere: Non occides; an docere: Ne irascaris quidem* (*Matth.*, V, 21 *et seqq.*). Atque ita in omnibus nostris codicibus et editionibus antiquis: sed priora verba Rigaltio non placuerunt, scribique jussit: *Quid plenius dictum est.* Voluit procul dubio purius et emendatius loquentem facere Tertullianum. At si lex humana, inquit iste, prohibet adulterium, lex divina arcet etiam ab oculorum *solitaria concupiscentia* (*Ibid.*). Dixit *solitaria*, id est, sola, secreta et occulta. Sic Cicero virtutem solitariam esse non posse asserit, et naturam nihil amare solitarium (*Cicer., lib. de Amicit., p.* 43, *lin.* 7 *et* 42). Lex itaque divina non modo adulterium, sicut humana, sed secretam

Digitized by Google

quoque et occultam oculorum concupiscentiam prohibet.

Ad hæc vero, lex humana non maleficium quidem, sed injuriæ permittit ultionem : lex vero divina vetat ipsummet maleloquium, et injuriæ vicem reddere (*Tertullian., loc. cit.*). At quantum ea lex humanæ præcellat jam a nobis alibi annotatum est (*Dissertat., in Minut., cap.* 13, *art.* IV, *et Dissertat. in Lactant., cap.* 26, *art.* 1 *et seqq.*). Non diffitetur tamen Tertullianus bonas esse quasdam hominum leges, sed contendit has desumptas fuisse ex divinis Moysis aliorumque prophetarum libris, quorum antiquitatem, ut supra vidimus, antea probaverat (*Supr., cap.* 4, *art.* 4).

Non solum autem divinæ legis major est, quam humanæ perfectio, verum etiam auctoritas. Deo quippe nihil penitus latet; et violatæ legis suæ reos, sicut paulo ante docuimus, æternis pro merito suppliciis castigat (*Ibid.*). At homini, contra leges humanas agenti, contingit, ut *plerumque*, ait Auctor noster, *in admissis* delitescat, vel illas spernat *ex voluntate, vel necessitate delinquendi* (*Tertullian., Apologet., cap.* 45, *p.* 497). Et hæc quidem codicum nostrorum et editorum verba sic immutavit Rigaltius : *Ex involuntate vel necessitate delinquenti.* Sed ibi nulla indicata ullius codicis varia lectione, observat tantum : *Ex involuntate* idem esse ac casu. Quid ergo, si Tertullianus hæc verba, *ex voluntate* illis opponat, *vel ex necessitate* (*Ibid.*) ? Nonne hic illius sensus esse potest : Homo reus plerumque delitescit, quando aut ex voluntate sua, aut aliqua necessitate peccat ?

Præterea leges humanæ, inquit, pessumdantur, *recogitata brevitate supplicii*, ab hominibus non ultra mortem infligendi. Quam ab causam Epicurus, pergit ille, *omnem cruciatum doloremque depretiat, modicum quidem contemptibilem pronuntiando, magnum vero, non diuturnum* (*Idem, lib.* I *ad Nation., cap.* 10 ; *lib.* II *ad Uxor., cap.* 3 ; *lib.* I *adv. Marcion., c.* 6; *lib. de Spectac., cap.* 22; *lib. de Anim., cap.* 24 ; *lib. de Fuga, cap.* 10). Verbo autem *depretiat* ille sæpius utitur, quo nihil aliud significare voluit, quam *imminuit* rei alicujus pretium vel magnitudinem. Epicuri porro effatum clarius exponit Cicero : *Doloris*, inquit, *medicamenta illa Epicurea tanquam de narthecio promant : si gravis, brevis ; si longus, levis.* Alibi vero : *Doloris magnitudinem brevitate consolatur, longinquitatem levitate.* Plura si cupias, Laertium adire poteris, Plutarchum, et alios (*Cicer., lib.* II *de finib., p.* 55, *lin.* 10, *et lib.* IV *Tuscul., p.* 190, *lin.* 49; *Laert., lib.* 10 *de Vita Epicuri*, § 140; *Plutarch., lib. de Poet. audien., sub finem*, *p.* 36).

Christiani igitur cum summam legum suarum perfectionem et auctoritatem probe cognoscerent, tanta sedulitate morem eis gerebant, ut periclitari etiam capite mallent, quam aliquid agere, quod cuilibet legi adversari videbatur. Ex infinitis autem propemodum exemplis, quibus id evidentissime probari potest, unum nunc sumemus, quod Tertullianus noster memorat (*Tom.* I *Apparat.*, *p.* 680, *Dissertat. in Minut., cap.* 9, *art.* 1). Compertum ethnicis erat vigere apud eosdem christianos eam legem, qua ipsis, ut alibi animadvertimus, animalium sanguine, suffocato, et morticinio erat interdictum. Quamobrem summa ethnici malignitate *inter tentamenta christianorum*, ait Tertullianus, id est, ut eorum fidem et religionem tentarent, *botulos cruore distentos offerebant* (*Tertullian., Apologet., cap.* 9, *p.* 314). Botulus autem, inquit Festus, est genus farciminis, quod propter connexionem a bolis sic appellatur (*Fest., lib.* II *de verbor., Signific.*). De illo etiam hæc sunt Martialis carmina :

> Qui venit botulus medio mihi tempore brumæ;
> Saturni septem venerat ante dies.
> (*Martial. libr.* XIV. *epigramm.* 72.)

Ethnici itaque hos botulos, frustulis carnis, mixtoque animalium sanguine confectos offerendo, certiores fiebant illos, a quibus rejiciebantur, christianæ religionis esse revera sectatores. Cum vero eos respuerent, palam omnibus faciebant se malle capitis subire periculum quam legibus suis unquam refragari. Neque huic tantum aliisque Dei ac Christi legibus, sed hujus etiam consiliis plerisque omnibus, etiamsi iis non obligati, eadem sedulitate parebant. Verum hæc unicuique clariora fient ex his, quæ de illorum moribus a Tertulliano tradita, nunc exponenda sunt.

ARTICULUS III.

Tam castos fuisse Christianorum, quam depravatos gentilium mores : quanta christianorum erga omnes dilectio et charitas ; cur se invicem fratrum nomine appellarunt, ipsisque omnia præter uxores essent communia : quam impune ethnici e contrario sacratiora fraternitatis jura violaverint.

Qualis quamque pia et sancta fuerit Christianorum vivendi ratio, ut Turtullianus noster demonstret, horum, ethnicorumque mores comparat, ac istorum tam sanctos et castos, quam illorum depravatos ac corruptos fuisse luculenter ostendit. Primum enim christiani, tametsi vitam cum ethnicis eo, quo diximus, modo agerent ; tanto tamen charitatis mutuique amoris vinculo conjuncti erant ; ut ipsi infensissimi illorum hostes ethnici illud non potuerint non admirari. Quidni enimvero non admirati fuissent, quod optimum agnoscentes, imitari non valebant ? Quapropter Tertullianus eos ita loquentes inducendo, mutuum horum odium, quemadmodum Christianorum amorem, patefacit. Sic autem ille : *Vide*, inquiunt, *ut invicem diligant* (*Ipsi enim* gentiles *invicem oderunt*) *et ut pro alterutro* iidem christiani *mori sint parati. Ipsi enim* ethnici *ad occidendum alterutrum paratiores* (*Tertullian., Apologet., cap.* 39, *p.* 467). Quantum autem gentiles sese invicem oderint, et ad se mutuo occidendos fuerint parati, ex infra dicendis manifestum omnibus fiet.

Tanta vero erat ipsa Christianorum caritas, ut se mutuo, ut jam alibi animadvertimus, (*Dissertat. in Minut. cap.* 13, *art.* 4). Fratres appellarent non solum ipsius naturæ jure, quo etiam ethnicorum fra-

Digitized by Google

tres erant, sed quadruplici insuper titulo; ac primo quidem, quia unum patrem Deum, ethnicis incognitum, aut ab eis repudiatum agnoverant: secundo, Christi religione imbuti, *unum spiritum biberunt sanctitatis* (*Tertullian. loc. cit.*): tertio, quia de uno utero ignorantiæ, in qua nondum agnito vero Deo, in tetris idololatriæ tenebris tamdiu jacuerant, ad *unam lucem expaverunt veritatis.* Obstupefacti quippe erant, quod antea non cognoverint absurdissimos errores suos, nec supremum Deum, quem vel solo, sicuti supra ostendimus (*Supr. cap.* 5, *art.* 1), conscientiæ suæ lumine et stimulo vel inviti omnes agnoscere cogebantur.

Quarto denique titulo sese fratrum nomine compellabant, *quia* inquit adhuc Auctor noster, *ex substantia familiari fratres sumus* (*Tertull. ibid.*). Nam hanc inter se multo amplius, quam fratres germani, partiri solebant. Uno verbo omnia, ait Tertullianus, (*Ibid.*) apud ipsos plane erant indiscreta ac communia.

Tum igitur ea sedulo, ut plurimum saltem observabant, quæ de primis Christianis memoriæ in Actibus Apostolorum proditum legimus: *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebant, aliquid suum dicebat, sed erant illis omnia communia* (*Act.*, *cap.* IV, 32). De suæ etiam ætatis Christianis Irenæus hunc scripsit in modum: *Illi quidem*, Judæi, *decimas suorum consecratas habebant: qui autem perceperunt libertatem*, id est Christiani, *omnia quæ sunt ipsorum, ad dominicos decernunt usus; hilariter et libere dantes ea, non quæ sunt minora, ut pote majorum spem habentes, vidua illa et paupere hic totum victum suum mittente in gazophylacium Dei* (*Iren., lib.* IV *contr. hæres. cap.* 18, *pag.* 250, *nov. edit.*).

Cyprianus tamen Tertulliani discipulus, de jam imminuta illa, de qua adhuc postea, christianorum caritate his verbis conqueritur: *Domos tunc et fundos vendundabant, et thesauros sibi in cœlo reponentes, distribuenda in usus indigentium pretia apostolis offerebant. At nunc de patrimonio nec decimas damus; et cum vendere jubeat Dominus, emimus potius, et augemus. Sic in nobis emarcuit rigor fidei, sic credentium robur elanguit* (*Cyprian. lib. de unit. Eccles. pag.* 119, *et seqq. Infr. cap.* 15. *art.* 2). Alio autem in libro rursus proposito primorum christianorum exemplo, non petit a suis, ut patrimonia fundosque suos vendant: sed *qui possessor in terris*, inquit, *reditus ac fructus suos cum fraternitate partitur, dum largitionibus gratuitis communis ac justus est, Dei Patris imitator est.* (*Idem, lib. de Oper. et Eleemosyn. pag.* 208). Nonne ergo et ipse quoque Tertullianus noster de iisdem loqui videtur bonorum fundorumque reditibus, quos si non omnes, plurimi saltem christiani cum aliis maxima liberalitate communicabant.

Ab ea vero per quam longissime aberant gentiles, qui propter paterna sua bona fraternitatem omnem dirimebant, atque idcirco magnopere mirabantur, quod *nulla*, ait iterum Tertullianus, *de nostra fraternitate tragœdia exclamat* (*Tertullian. Apologet., cap.* 39, *p.* 431). Quid enim frequentius in tragœdiis, quam de perfracta ab ethnicis fraternitate exclamationes? At præter cæteras in ea potissimum deprehenduntur, quam Seneca de Atreo et Thyeste composuit. Quis enim nesciat in ea repræsentari fabulam, ab Horatio, Ovidio, aliisque sæpius decantatam, qua finxerant Thyestem ab Atreo fratre suo, cujus uxorem stupraverat, regno spoliatum, datosque ei filios in convivio comedendos. De hac enim horribili tragœdia Horatius canebat:

> Nec pueros coram populo Medea trucidet,
> Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus.
> (*Horat., de art. poet. v.* 185.).

At belluis ipsis diriores ethnici hanc tragœdiam summa cum voluptate spectabant.

Verum christiani ab hisce spectaculis, sceleribus, et alienorum bonorum aviditate, ita abhorrebant; ut nihil plane indiscretum, sicut diximus, haberent, *præter uxores.* Nam *in isto*, inquit Tertullianus, *solo consortium solvimus, in quo solo cæteri homines consortium exercent* (*Tertullian. Apologet*, *cap.* 39, *pag.* 431), suas videlicet uxores aliis tradendo, aut alias corrumpendo. Sed hæc in sequentibus articulis examinabimus.

ARTICULUS IV.

Ostenditur quanta fuerit Christianorum conjugum castitas, et quam certum sit plures in virginitatis statu ad mortem usque perseverasse: quantum ab his moribus abessent ethnici, inter quos Cato, et Socrates suas uxores amicis in matrimonium dederunt.

Qua severiori lege adulterium sibi interdictum fuisse noverant christiani, eo majori cura datam conjugio fidem servabant. Quamobrem omnes christianos conjuges *diligentissima*, inquit Tertullianus, *et fidelissima castitas..... ab stupris, et ab omni post matrimonium excessu* sepiebat (*Ibid., cap.* 9, *pag.* 314). Neque id a nobis nunc fusius probandum, quod ex alibi dictis (*Dissertat. in Lactant., cap.* 27, *art.* 5 *et* 6), atque infra dicendis, nulli dubium esse potest.

At non pauci quidem supra divinum illud præceptum agere aliquid cupientes, per totius vitæ suæ curriculum in cælibatu et virginitate permanere consueverant. Sed audias, quæso, Auctorem nostrum, hæc suis verbis enarrantem: *Quidam multo securiores totam vim hujus erroris*, contra conjugii jura, *virgine continentia depellunt, senes pueri* (*Tertullian., loc. cit.*), id est, a prima pueritiæ ætate ad summam usque senectutem, et ultimum vitæ spiritum illibatam conservabant virginitatem. Veræ enim philosophiæ sectatores, ait Eusebius (*Euseb. Orat. de Laud. Constantin., cap.* 17, *pag.* 661), Deique cultores viri, sacræ mulieres, et virginum chori, a Christo didicerant sese etiam per horribiles persecutionum procellas addicere perpetuæ animi corporisque castitati. De hac autem perpetua plurimorum christianorum castitate et virginitate disseruimus in superioribus dissertatio-

Digitized by Google

nibus nostris (*Dissertat. in Minut., cap.* 10, *art.* 1. *Dissertat. in Lactant., cap.* 27, *art.* 6).

Verum ab hoc corporis castimonia longissime remoti erant gentiles. Non solum enim *amicorum*, inquit Tertullianus, *matrimonia usurpant, sed et sua amicis patientissime subministrant* (*Tertullian. Apologet., cap.* 39, *pag.* 467). Duo autem ibi notat violatæ a gentilibus castitatis flagitia. Primum est adulterorum, qui geniales amicorum aliorumque toros contemerabant. At frequentissimum erat illud scelus, in quod Juvenalis, aliique etiam gentiles poetæ tam sæpe, quam merito invehuntur. Quapropter Hieronymus : *Quidquid tragœdiæ*, inquit, *tument, et domos, urbes, regnaque subvertit, uxorum pellicumque contentio est* (*Hieronym., lib.* II, *adv. Jovinian., pag.* 191).

Aliud crimen priore non levius illorum fuit, qui uxorum suarum pudicitiam amicis prostituebant. Duobus autem id probat Tertullianus exemplis, Socratis Græci, et Romani Catonis ; qui tamen sapientissimi apud has nationes existimabantur : *Nam hi uxores suas*, inquit, *amicis communicaverunt, quas in matrimonium duxerant liberorum causa, et alibi*, id est, altero, sed plane illicito infamique matrimonio *creandorum* (*Tertullian. Apologet., cap.* 39, *pag.* 431). Plutarchus autem in vita Catonis Minoris narrat se a Thrasea, et hunc a Munatio, ejusdem Catonis contubernali, accepisse Hortensium, amicitia præ cæteris Catoni conjunctum, ab eo petivisse, ut quam duxerat uxorem Martiam Philippi filiam, ex qua antea plures filios susceperat, et tum adhuc gravida erat, in matrimonium sibi daret (*Plutarch. in vit. Caton. minor, pag.* 770 *et seqq.*). Amici vero precibus facile victus Cato, illam ei, præsente ac probante Philippo illius patre, concessit. Sed mortuo postea Hortensio, Cato Martiam suam iterum accepit, quam Hortensius bonorum suorum hæredem reliquerat. Quamobrem Cæsar, uti loquitur Plutarchus, illi φιλοπλουτίαν προσφέρει καὶ μισθαρνίαν ἐπὶ τῷ γάμῳ : *Exprobravit avaritiam, et in conjugio mercedis acceptionem* (*Ibid., pag.* 784).

Brevius quidem hisque verbis Appianus id retulit : *Martiam Philippi filiam cum virginem Cato duxisset, valde dilectam, et communium liberorum jam matrem, Hortensio cessit amico, liberorum, et fœcundæ uxoris, quibus eatenus caruerat, cupido, donec ex illo quoque matrem factam domum recepit quasi usuariam* (*Appian. lib.* II, *de bell. civil. post. med., pag.* 266). Scriptum quoque a Strabone legimus lege apud Tapyros receptum, ut viri uxores suas, postquam duos aut tres liberos susceperant, aliis locarent in matrimonio : καθάπερ καὶ Κάτων Ὁρτησίῳ δεηθέντι ἐξέδωκε τὴν Μαρκίαν ἐφ' ἡμῶν κατὰ παλαιὸν Ῥωμαίων ἔθος, *Sicut etiam Cato Hortensio roganti Martiam suam nostra ætate tradidit, secutus veterem Romanorum consuetudinem* (*Strab. lib.* XI *Geogr., pag.* 265). Nec defuerunt poetæ, qui hoc Catonis factum suis cecinerunt carminibus, hisque potissimum Lucanus :

Interea Phœbo gelidas pellente tenebras,
Pulsatæ sonuere fores, quas sancta relicto
Hortensi mœrens irrupit Martia busto,
Quondam virgo toris melioris juncta mariti.
Mox ubi connubii pretium mercesque soluta est,
Tertia jam soboles alios fœcunda penates
Impletura datur; geminas a sanguine matris
Permixtura domos.
(*Lucan., lib.* II, *v.* 326 *et seqq.*)

Tum deinde describit quomodo rursus Cato post Hortensii mortem illam secundo matrimonio habuerit :

Non soliti lusere sales, nec more Sabino
Excepit tristis comitia festa maritus.
Pignora nulla domus, nulli coiere propinqui :
Junguntur taciti, contentique auspice Bruto :
Ille nec horrificam sancto dimovit ab ore
Cæsariem, duroque admovit gaudia vultu.
(*Ibid. v.* 367, *et seqq.*)

Denique ut Augustinum aliosque missos faciamus, Hieronymus adversus Jovinianum sic disputat : *Duxit uxorem Martiam Cato non virginem, sed Martia inter Hortensium Catonemque discurrit et sine Catone vivere Martia potuit.* Et iterum in sequenti libro : *Scotorum*, inquit, *natio uxores proprias non habet, et quasi Platonis politiam legerit, et Catonis sequatur exemplum, nulla apud eos conjux propria est, sed ut cuique libitum fuerit pecudum more lasciviunt* (*August. lib. de fide et operib., cap.* 6 *et lib. de Bon. conjug., cap.* 18; *Hieronym. lib.* I, *adv. Jovin., pag.* 188. *Ibid. lib.* II, *pag.* 201).

Quanquam autem plures fuerint Catonis nomine insigniti, quorum genealogia ab A. Gellio exhibetur (*Gell., lib.* XIII, *Noct. Att., cap.* 19) ; ex citatis tamen scriptoribus constat illum, de quo agimus, Catonem fuisse Uticensem, qui ideo Minor appellatur ; quia Catonis Censorii ex filio, ut ait idem Gellius, nepos erat. Cur ergo, inquiet aliquis, a Tertulliano nostro Censor vocatur? Enimvero diserte ibidem scripsit : *Lenones*, manuscripti nostri codices, *Lenon est philosophus Socrates, et Censor Cato* (*Tertullian. Apologet., cap.* 39, *p.* 467). Numquid igitur ibi memoriæ illius ἁμάρτημα, et error est? At huic responderi potest Catonem a Tertulliano non dignitate, sed animo morumque severitate censorem appellari. Etenim jam citatus a nobis Lucanus canebat :

. . . Hi mores, hæc duri immota Catonis
Secta fuit,
(*Lucan., lib.* II, *v.* 379.)

videlicet stoica. Eo etiam sensu nomen censoris ab Horatio accipitur :

At qui legitimum cupiet fecisse poema,
Cum tabulis animum censoris sumet honesti.
(*Horat., lib.* II, *epist.* 2, *v.* 379.)

Et alibi de arte poetica :

. . . Censor castigatorque minorum.
(*de Art. poet. v.* 174.)

Cato autem ille, Appiano adhuc teste, *habitus fuit vir omnium gravissimus, tenacissimusque propositi, ut qui justum ac honestum non ex vulgi moribus metiretur, sed rectis ac generosis rationibus*, aut sicut Lucanus rursum cecinit :

Justitiæ cultor, rigidi servator honesti.
(*Lucan., lib.* II, *v.* 388.)

At is quantumvis severioris disciplinæ prædicator, uxorem nihilominus suam Hortensio, amico suo,

Digitized by Google

contra conjugii jura fidemque, turpi lenocinio collocavit.

Ejusdem criminis Auctor noster Socratem accusat. At certum quidem est ipsum duas simul habuisse uxores : Xanthippen videlicet, et Myrrhonem, Aristidis cujusdam filiam, vel ex filia neptem. Quo autem illud pluribus testibus Athenæo, Laertio, Plutarcho, Hieronymo, Cyrillo Alexandrino, Theodoreto demonstratur, eo probatu difficilius est utrum ille Socrates, non secus ac Cato, uxorem suam cum amicis suis revera communicaverit (*Athen., lib.* XIII, *Deipnos init., pag.* 555. *Laert., lib.* XII *in vit. Socrat.*, § 26 ; *Plutarch. in fin. vit. Aristid., pag.* 335 ; *Hieronym., lib.* II, *adv. Jovinian., pag.* 190 ; *Cyrill., lib.* VI, *advers. Julian., pag.* 186, *et lib.* VII, *pag.* 226; *Theodoret., tom.* IV, *serm.* 12, *de virtut. act., pag.* 673)? Vide autem utrum ad solvendum hujusce difficultatis nodum ea sufficiant, quæ Cyrillus Alexandrinus et Theodoretus tradiderunt (*Cyrill. et Theodoret., loc. cit.*), ductam a Socrate Xanthippen κοινοτέραν πως, aliquando vulgatiorem, cum qua clam ille congressus Lamproclem filium suscepit.

De utroque porro et Socrate et Catone addidit Tertullianus : *Nescio quidem an invitas* uxores suas amicis suis in matrimonio locaverint. Quo enim pacto fieri potuit ut hæ duæ uxores a viris suis nuptum invite aliis datæ sint ? Nonne ergo auctor noster ad Lucani verba allusisse videtur, quibus Martia Catonem, uti diximus, virum suum sic allocuta fuisse perhibetur ?

> Dum sanguis inerat, dum vis materna, peregi
> Jussa Cato, et geminos accepi fœta maritos,
> Visceribus lassis partuque exhausta revertor,
> Jam nulli tradenda viro : da fœdera prisci
> Illibata tori, da tantum nomen inane
> Connubii, liceat tumulo scripsisse, Catonis
> Martia, nec dubium longo quæratur in ævo
> Mutarim primas, expulsa an tradita, tædas.
>
> (*Lucan. lib.* 2, v. 234.)

Nam ibi quidem postulasse dicitur, ut mortuo Hortensio, in pristinum matrimonium à Catone recipiatur. Sed hanc petitionis suæ affert rationem, ut posteri sciant se non repulsam et repudiatam ab ipso Catone, à quo tradita Hortensio fuerat. Ab illo autem tradi potuit nec invita, nec repugnans. Quia tamen prius dixerat *peregi jussa*, colligi potest eam contra voluntatem suam primum reliquisse maritum, et secundum accepisse. Non male igitur Tertullianus fatetur id sibi esse incertum. Sed utcunque res se habeat, ab hac morum corruptela longe aberant christiani, qui sacra connubii jura, a Deo stabilita, summo semper studio sarta tecta servabant. Sed quomodo id ille confirmet, in subsequenti articulo, si lubet, examinabimus.

ARTICULUS V.

Quomodo Tertullianus demonstret maximam fuisse Christianorum castitatem et gentilium incontinentiam : illos sexum fœmineum non mutasse, corruptos vero a Socrate adolescentes : Christianos uxoribus suis datam fidem servasse ; Aristippum perdite amavisse Phrynem meretricem, ac Speusippum periisse in adulterio : christianos salvis oculis et cæco animo vidisse mulieres, quas Democritus, ne concupisceret, se excæcavit : ethnicos christianam fœminam ad lenonem potius, quam leonem damnando, suam prodidisse intemperantiam et Christianorum castitatem.

Nostrum subsequamur Auctorem, ac videamus quomodo inchoatam de Christianorum ethnicorumque castitate comparationem prosequatur : *Christianus*, inquit, *ad sexum nec fœminæ mutat* (*Tertullian. Apologet. cap.* 46, *pag.* 500). Ita quidem in editione Rigaltii, qui observat his duobus verbis, ad sexum fœminæ, idem esse ac fœmineum sexum *mutat*. Sed unde hanc lectionem sumpserit, nec ipse, nec alii ejus sequaces nobis indicaverunt. In nostris autem codicibus manuscriptis, aliisque omnibus editis legimus : *Sexum nec fœmineum mutat christianus*, hoc est, ut Apostoli verbis utamur, *masculorum concubitor* non est (*Paul. epist.* II, *ad Cor.. cap.* 6, ℣. 10 *et* 1 *ad Timoth., cap.* 1, ℣. 10). Nam ibi auctor noster christianos opponit Socrati, de quo hæc scribit : *Lego partem sententiæ Atticæ in Socratem : corruptor adolescentium pronuntiatur*. Sed hic adhuc inmutatus a Rigaltio Tertulliani textus, qui in nostris codicibus et aliis excusis omnibus sic habetur : *Lego.... in Socratem corruptorem adolescentium pronuntiatum* (*Tertullian., loc. cit.*). Quid ergo ibi absque ullius plane codicis testimonio, et contra concordem omnium librorum fidem mutari debebat ? Nonne hoc loquendi modo satis clare et latine exprimitur verus iste Tertulliani sensus : Ab Atheniensibus ideo latam ex parte in Socratem mortis sententiam ; quia non solum deos negavisse, sed adolescentes etiam corrupisse accusabatur. At certe hujus nefandi sceleris non semel postulatur à Luciano, qui illum alicubi fatentem reum inducit (*Lucian. Vitar. Auctio., pag.* 193) ; alibi vero perjurii insimulat, ut pote qui juraverit se cum juvenibus innocenter versari (*idem, lib.* II, *Verar. histor.*, 397) ; quamvis Hyacinthus et Narcissus se ab eo turpiter adamatos palam testificarentur. Præterea Athenæus illum arguit flagitiosissimi in Alcibiadem amoris, sicut postea Cyrillus Alexandrinus, et Theodoretus (*Athenæ., lib.* V. *Deipnosoph., cap.* 19, *pag.* 219. *Cyrill., lib.* VI *in Julian., pag.* 137. *Theodoret., serm.* 12 *de virt. Act., pag.* 672). Quin etiam hi duo posteriores ipsum detestandis libidinibus exarsisse affirmant.

At quibus, inquies, testibus probari potest eum non modo ob spretos et repudiatos gentilium deos, sed ob hunc quoque nunquam satis exsecrandum adolescentium amorem ab Atheniensibus fuisse condemnatum ? Primum habes Platonem, qui memoriæ mandavit eumdem Socratem à Melito insimulatum, quod præter jus et fas corrumperet juventutem, diisque negatis, novos introduceret. Eadem vero Laertius repetit. Verumtamen Xenophon conatus est eum utroque crimine, ac potissimum primo liberare (*Xenoph. lib.* I *memorabil., pag.* 711 *et seqq.*) ; tum quia continentiam summo studio coluit, tum quia hanc virtutem assidue discipulos suos docebat. Non diffitetur tamen Alcibiadem, quemadmodum Critiam, in illius traditos disciplinam, perditos fuisse adolescen-

Digitized by Google

tes ac dissolutissimos, sed non prius, inquit, quam ab illo discessissent.

Verum hæc ille majori forsitan in Socratem propensione, quam veritatis studio. Si enim veros esse gentilium deos abitrabatur, et colebat, cur eorum facta et flagitia imitari verebatur? Deinde vero quamvis ille publicis in scholis continentiam prædicavisset; nonne philosophi gentiles, ut alibi diximus (*Dissertat. in Lactant., cap.* 35, *art.* 4), ea consueverant privatim et domi agere, quæ palam et in scholis suis condemnabant? Denique ipse Xenophon negare non potuit Socratem turpissimi in adolescentes amoris accusatum, cujus reipsa reum fuisse plurimi, sicuti ostendimus, persuasum habuerunt. Quis autem facile sibi non persuadebit in latæ adversus illum sententiæ parte factam esse hujus etiam sceleris mentionem?

Præterea christianus, ait auctor noster, uxori suæ soli masculus nascitur (*Tertullian., Apologet., cap.* 46, *pag.* 500). Prohibitum siquidem omne impudicitiæ genus magnopere aversabatur, atque uxori suæ, sicut vidimus, fidem semper servabat. Contra vero inter ethnicos, inquit ille: *Novi et Phrynem meretricem, Diogenis supra recumbentis ardori subantem.* In antiquioribus Rigaltio editionibus *supra recubantis, ardorem subantem.* In nostris vero manuscriptis codicibus, *supra recumbentis ardorem subantem.* Ibi autem exagitat Diogenis, Phrynem perdite amantis, plane indomitam libidinem. Scriptum autem ab Athenæo legimus Aristippum a servo suo increpitum, quod ingentem pecuniam Phryne conferret, quæ cum Diogene cynico gratis volutabatur (*Athenæ. lib.* XIII. *Deipnosoph., pag.* 588). De illa autem Phryne famosissima meretrice nos aliquid alibi nec semel diximus (*Tom.* I *Apparat., pag.* 744. *Dissertat. in Arnob., cap.* 20, art. 3).

Posthæc vero Tertullianus: *Audio, inquit, et quemdam Speusippum de Platonis schola in adulterio periisse* (*Tertullian. Apologet., cap.* 46, *pag.* 500). A nobis autem alibi annotatum est hunc Speusippum fuisse Platonis ex sorore, videlicet Potone, ut ait Laertius, filium, ejusque in Academica schola successorem (*Tom.* I *Apparat., pag.* 1131 et 1134. *Laert. lib.* IV *in vit. Speuss.*, § 1). At ille, eodem Laertio teste, dicitur ὀργίλος, καὶ ἡδονῶν ἥττων ἦν, *erat iracundus, et voluptatibus deditus* (*Idem, ibid.*). Testatum quoque Athenæus fecit illum ab voluptariis Epicureis, et Cyrenaicis non procul ab fuisse, eique exprobratum a Dionysio tyranno Lastheniæ meretricis amorem (*Lib.* 12, *cap.* 12, *pag.* 546). Φιλήδονος ἦν καὶ Σπεύσιππος, ὁ Πλάτωνος συγγενὴς, καὶ διαδοχὸς τῆς σχολῆς. Διονύσιος γοῦν, ὁ τῆς Σικελίας τύραννος, ἐν τῇ πρὸς αὐτὸν ἐπιστολῇ κατὰ τῆς φιληδονίας αὐτοῦ εἰπὼν, καὶ φιλαργυρίαν αὐτῷ ὀνειδίζει, καὶ τὸν Λασθενείας τῆς Ἀρκαδικῆς ἔρωτα, ἥτις Πλάτωνος ἠκηκόει. *Voluptuarius quoque Speusippus fuit, Platonis successor et cognatus. Itaque Dionysius Siciliæ tyrannus in sua ad eum epistola voluptatis studium reprehendit, avaritiam exprobrat, et amorem Arcadiæ Lastheneiæ, quæ Platonem audiebat.* Prius tamen hæc Lastheneia ab illo vocatur σαρδικὴ, *Sardicensis*, et a Laertio μαντινικὴ, *Mantinea* (*Laert. lib.* IV *in vit. Speus.*, § 2).

Duas porro iste de morte Speusippi refert opiniones (*Ibid.* § 3 et 4), et primam quidem, illum paralysi, mœrore, ac senio confectum, mortem sibi sponte conscivisse: secundam vero, pediculis effervescentibus vitam illi ereptam. Cùm itaque Tertullianus ait eum *in adulterio periisse*, non significare videtur, ut quidam putant, in adulterio deprehensum animam egisse, sed ad suam usque mortem in adulterio volutatum.

Pergit auctor noster: *Christianus salvis oculis fœminas non videt* (*Tertullian. Apologet., cap.* 46, *pag.* 500). Sic enim hæc in manuscriptis codicibus, et Rigaltii, ac posteriorum editionibus legimus; in editis vero antiquioribus: *Christianus salvis oculis fœminam videt.* At facile intelligitur hunc esse Tertulliani sensum: Tametsi christianus salvos sanosque corporis oculos habeat; fœminas tamen, quas animo concupiscat, *non videt.* Nam ille continuo adjecit: *Animo adversus libidinem cæcus est* (*Ibid.*). Novit quippe latam à Christo legem: *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth., cap.* 5, ℣. 28). Itaque ut verus Christi discipulus huic præcepto satisfaciat, *salvis*, quidem corporeis *oculis fœminas videt*; sed animo, quo eas concupiscat, cæcus et immotus est.

Quanta autem e contrario esset gentilium hominum etiam philosophorum incontinentia, Tertullianus ostendit Democriti exemplo: *Democritus*, inquit, *excæcando semetipsum, quod mulierem sine concupiscentia aspicere non posset, et doleret, si non esset potitus, incontinentiam emendatione profitetur* (*Tertullian., ibid.*). Sed de hac voluntaria Democriti cæcitate, ejusque caussa potest esse non minima dubitandi ratio. Nam Plutarchus plane penitusque negat illum suos sponte sua ideo exstinxisse oculos, ne animum avocarent, nec sinerent rebus sola mente cernendis immorari (*Plutarch., lib. de curiosit., pag.* 521, *tom.* II). Nihil autem de illius cæcitate Cicero certo pronuntiare videtur: *Democritus*, inquit, *qui vere falsone quæreremus, dicitur oculis se privasse: certe, ut quam minime animus a cogitationibus abduceretur* (*Cicer., lib.* V *de finib., pag.* 113, *lin.* 43). Si enim ibi, ut quidam opinantur, delendum sit verbum *quæreremus*, ac legendum *falsone*, plane de illa Democriti cæcitate dubium et ancipitem se fuisse significat. Quamvis autem verbum *quæreremus*, ab eo profectum fuerit, alio tamen verbo *dicitur*, satis aperte declarat id à se non posse certo affirmari. Verum Aulus Gellius testificatur in historiæ græcæ monumentis factam mentionem Democriti, qui se ultro luminibus oculorum orbavit; ut cogitationes animi in contemplandis naturæ rationibus essent vegetiores, exactioresque (*Gell., lib.* X. *Noct. Att., cap.* 17, *pag.* 541). Tum continenter Laberii citat versus, quibus describit hujusce cæcitatis, sibi ab illo concitatæ, aliam fuisse rationem, quam hoc versu poeta expressit:

Malis bene esse ne videret civibus.

Digitized by Google

contra conjugii jura fidemque, turpi lenocinio collocavit. A

Ejusdem criminis Auctor noster Socratem accusat. At certum quidem est ipsum duas simul habuisse uxores : Xanthippen videlicet, et Myrrhonem, Aristidis cujusdam filiam, vel ex filia neptem. Quo autem illud pluribus testibus Athenæo, Laertio, Plutarcho, Hieronymo, Cyrillo Alexandrino, Theodoreto demonstratur, eo probatu difficilius est utrum ille Socrates, non secus ac Cato, uxorem suam cum amicis suis revera communicaverit (*Athen., lib.* XIII, *Deipnos init., pag.* 555. *Laert., lib.* XII *in vit. Socrat.*, § 26; *Plutarch. in fin. vit. Aristid., pag.* 335; *Hieronym., lib.* II, *adv. Jovinian., pag.* 190; *Cyrill., lib.* VI, *advers. Julian., pag.* 186, *et lib.* VII, *pag.* 226; *Theodoret., tom.* IV, *serm.* 12, *de virtut. act., pag.* 673)? Vide B autem utrum ad solvendum hujusce difficultatis nodum ea sufficiant, quæ Cyrillus Alexandrinus et Theodoretus tradiderunt (*Cyrill. et Theodoret., loc. cit.*), ductam a Socrate Xanthippen κοινωτέραν πως, aliquando vulgatiorem, cum qua clam ille congressus Lamproclem filium suscepit.

De utroque porro et Socrate et Catone addidit Tertullianus : *Nescio quidem an invitas* uxores suas amicis suis in matrimonio locaverint. Quo enim pacto fieri potuit ut hæ duæ uxores a viris suis nuptum invite aliis datæ sint? Nonne ergo auctor noster ad Lucani verba allusisse videtur, quibus Martia Catonem, uti diximus, virum suum sic allocuta fuisse perhibetur?

> Dum sanguis inerat, dum vis materna, peregi
> Jussa Cato, et geminos accepi fœta maritos,
> Visceribus lassis partuque exhausta revertor,
> Jam nulli tradenda viro : da fœdera prisci
> Illibata tori, da tantum nomen inane
> Connubii, liceat tumulo scripsisse, Catonis
> Martia, nec dubium longo quæratur in ævo
> Mutarim primas, expulsa an tradita, tædas.
>
> (*Lucan. lib.* 2, v. 234.)

Nam ibi quidem postulasse dicitur, ut mortuo Hortensio, in pristinum matrimonium à Catone recipiatur. Sed hanc petitionis suæ affert rationem, ut posteri sciant se non repulsam et repudiatam ab ipso Catone, à quo tradita Hortensio fuerat. Ab illo autem tradi potuit nec invita, nec repugnans. Quia tamen prius dixerat *peregi jussa*, colligi potest eam contra voluntatem suam primum reliquisse maritum, et secundum accepisse. Non male igitur Tertullianus fatetur id sibi D esse incertum. Sed utcunque res se habeat, ab hac morum corruptela longe aberant christiani, qui sacra connubii jura, a Deo stabilita, summo semper studio sarta tecta servabant. Sed quomodo id ille confirmet, in subsequenti articulo, si lubet, examinabimus.

ARTICULUS V.

Quomodo Tertullianus demonstret maximam fuisse Christianorum castitatem et gentilium incontinentiam : illos sexum fœmineum non mutasse, corruptos vero a Socrate adolescentes : Christianos uxoribus suis datam fidem servasse ; Aristippum perdite amavisse Phrynem meretricem, ac Speusippum periisse in adulterio : christianos salvis oculis et cæco animo vidisse mulieres, quas Democritus, ne concupisceret, se excæcavit : ethnicos christianam fœminam ad lenonem potius, quam leonem damnando, suam prodidisse intemperantiam et Christianorum castitatem.

Nostrum subsequamur Auctorem, ac videamus quomodo inchoatam de Christianorum ethnicorumque castitate comparationem prosequatur : *Christianus*, inquit, *ad sexum nec fœminæ mutat* (*Tertullian. Apologet. cap.* 46, *pag.* 500). Ita quidem in editione Rigaltii, qui observat his duobus verbis, ad sexum fœminæ, idem esse ac fœmineum sexum *mutat*. Sed unde hanc lectionem sumpserit, nec ipse, nec alii ejus sequaces nobis indicaverunt. In nostris autem codicibus manuscriptis, aliisque omnibus editis legimus : *Sexum nec fœmineum mutat christianus*, hoc est, ut Apostoli verbis utamur, *masculorum concubitor* non est (*Paul. epist.* II, *ad Cor.. cap.* 6, ϒ. 10 *et* 1 *ad Timoth., cap.* 1, ϒ. 10). Nam ibi auctor noster christianos opponit Socrati, de quo hæc scribit : *Lego partem sententiæ Atticæ in Socratem : corruptor adolescentium pronuntiatur*. Sed hic adhuc immutatus a Rigaltio Tertulliani textus, qui in nostris codicibus et aliis excusis omnibus sic habetur : *Lego.... in Socratem corruptorem adolescentium pronuntiatum* (*Tertullian., loc. cit.*). Quid ergo ibi absque ullius plane codicis testimonio, et contra concordem omnium librorum fidem mutari debebat? Nonne hoc loquendi modo satis clare et latine exprimitur verus iste Tertulliani sensus : Ab Atheniensibus ideo latam ex parte in Socratem mortis sententiam; quia non solum deos C negavisse, sed adolescentes etiam corrupisse accusabatur. At certe hujus nefandi sceleris non semel postulatur à Luciano, qui illum alicubi fatentem reum inducit (*Lucian. Vitar. Auctio., pag.* 193); alibi vero perjurii insimulat, ut pote qui juraverit se cum juvenibus innocenter versari (*idem, lib.* II, *Verar. histor.*, 397); quamvis Hyacinthus et Narcissus se ab eo turpiter adamatos palam testificarentur. Præterea Athenæus illum arguit flagitiosissimi in Alcibiadem amoris, sicut postea Cyrillus Alexandrinus, et Theodoretus (*Athenæ., lib.* V. *Deipnosoph., cap.* 19, *pag.* 219. *Cyrill., lib.* VI *in Julian., pag.* 137. *Theodoret., serm.* 12 *de virt. Act., pag.* 672). Quin etiam hi duo posteriores ipsum detestandis libidinibus exarsisse affirmant.

At quibus, inquies, testibus probari potest eum D non modo ob spretos et repudiatos gentilium deos, sed ob hunc quoque nunquam satis exsecrandum adolescentium amorem ab Atheniensibus fuisse condemnatum? Primum habes Platonem, qui memoriæ mandavit eumdem Socratem à Melito insimulatum, quod præter jus et fas corrumperet juventutem, diisque negatis, novos introduceret. Eadem vero Laertius repetit. Verumtamen Xenophon conatus est eum utroque crimine, ac potissimum primo liberare (*Xenoph. lib.* I *memorabil., pag.* 711 *et seqq.*); tum quia continentiam summo studio coluit, tum quia hanc virtutem assidue discipulos suos docebat. Non diffitetur tamen Alcibiadem, quemadmodum Critiam, in illius traditos disciplinam, perditos fuisse adolescen-

Digitized by Google

tes ac dissolutissimos, sed non prius, inquit, quam ab illo discessissent.

Verum hæc ille majori forsitan in Socratem propensione, quam veritatis studio. Si enim veros esse gentilium deos abitrabatur, et colebat, cur eorum facta et flagitia imitari verebatur? Deinde vero quamvis ille publicis in scholis continentiam prædicavisset; nonne philosophi gentiles, ut alibi diximus (*Dissertat. in Lactant., cap.* 35, *art.* 4), ea consueverant privatim et domi agere, quæ palam et in scholis suis condemnabant? Denique ipse Xenophon negare non potuit Socratem turpissimi in adolescentes amoris accusatum, cujus reipsa reum fuisse plurimi, sicuti ostendimus, persuasum habuerunt. Quis autem facile sibi non persuadebit in latæ adversus illum sententiæ parte factam esse hujus etiam sceleris mentionem?

Præterea christianus, ait auctor noster, uxori suæ soli masculus nascitur (*Tertullian., Apologet., cap.* 46, *pag.* 500). Prohibitum siquidem omne impudicitiæ genus magnopere aversabatur, atque uxori suæ, sicut vidimus, fidem semper servabat. Contra vero inter ethnicos, inquit ille: *Novi et Phrynem meretricem, Diogenis supra recumbentis ardori subantem.* In antiquioribus Rigaltio editionibus *supra recubantis, ardorem subantem.* In nostris vero manuscriptis codicibus, *supra recumbentis ardorem subantem.* Ibi autem exagitat Diogenis, Phrynem perdite amantis, plane indomitam libidinem. Scriptum autem ab Athenæo legimus Aristippum a servo suo increpitum, quod ingentem pecuniam Phryne conferret, quæ cum Diogene cynico gratis volutabatur (*Athenæ. lib.* XIII. *Deipnosoph., pag.* 588). De illa autem Phryne famosissima meretrice nos aliquid alibi nec semel diximus (*Tom.* 1 *Apparat., pag.* 744. *Dissertat. in Arnob., cap.* 20, art. 3).

Posthæc vero Tertullianus: *Audio, inquit, et quemdam Speusippum de Platonis schola in adulterio periisse* (*Tertullian. Apologet., cap.* 46, *pag.* 500). A nobis autem alibi annotatum est hunc Speusippum fuisse Platonis ex sorore, videlicet Potone, ut ait Laertius, filium, ejusque in Academica schola successorem (*Tom.* 1 *Apparat., pag.* 1131 et 1134. *Laert. lib.* IV *in vit. Speuss.*, § 1). At ille, eodem Laertio teste, dicitur ὀργίλος, καὶ ἡδονῶν ἥττων ἦν, *erat iracundus, et voluptatibus deditus* (*Idem, ibid.*). Testatum quoque Athenæus fecit illum ab voluptariis Epicureis, et Cyrenaicis non procul ab fuisse, eique exprobratum a Dionysio tyranno Lastheniæ meretricis amorem (*Lib.* 12, *cap.* 12, *pag.* 546). Φιλήδονος ἦν καὶ Σπεύσιππος, ὁ Πλάτωνος συγγενὴς, καὶ διάδοχος τῆς σχολῆς. Διονύσιος γοῦν, ὁ τῆς Σικελίας τύραννος, ἐν τῇ πρὸς αὐτὸν ἐπιστολῇ κατὰ τῆς φιληδονίας αὐτοῦ εἰπών, καὶ φιλαργυρίαν αὐτῷ ὀνειδίζει, καὶ τὸν Λασθενείας τῆς Ἀρκαδικῆς ἔρωτα, ἥτις Πλάτωνος ἠκηκόει. *Voluptuarius quoque Speusippus fuit, Platonis successor et cognatus. Itaque Dionysius Siciliæ tyrannus in sua ad eum epistola voluptatis studium reprehendit, avaritiam exprobrat, et amorem Arcadiæ Lastheneiæ, quæ Platonem audiebat.* Prius tamen hæc Lastheneia ab illo vocatur σαρδικὴ, *Sardicensis*, et a Laertio μαντινικὴ, *Mantinea* (*Laert. lib.* IV *in vit Speus.*, § 2).

Duas porro iste de morte Speusippi refert opiniones (*Ibid.* § 3 et 4), et primam quidem, illum paralysi, mœrore, ac senio confectum, mortem sibi sponte conscivisse: secundam vero, pediculis effervescentibus vitam illi ereptam. Cùm itaque Tertullianus ait eum *in adulterio periisse*, non significare videtur, ut quidam putant, in adulterio deprehensum animam egisse, sed ad suam usque mortem in adulterio volutatum.

Pergit auctor noster: *Christianus salvis oculis fœminas non videt* (*Tertullian. Apologet., cap.* 46, *pag.* 500). Sic enim hæc in manuscriptis codicibus, et Rigaltii, ac posteriorum editionibus legimus; in editis vero antiquioribus: *Christianus salvis oculis fœminam videt.* At facile intelligitur hunc esse Tertulliani sensum: Tametsi christianus salvos sanosque corporis oculos habeat; fœminas tamen, quas animo concupiscat, *non videt.* Nam ille continuo adjecit: *Animo adversus libidinem cæcus est* (*Ibid.*). Novit quippe latam à Christo legem: *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth., cap.* 5, ℣. 28). Itaque ut verus Christi discipulus huic præcepto satisfaciat, *salvis*, quidem corporeis *oculis fœminas videt*; sed animo, quo eas concupiscat, cæcus et immotus est.

Quanta autem e contrario esset gentilium hominum etiam philosophorum incontinentia, Tertullianus ostendit Democriti exemplo: *Democritus*, inquit, *excæcando semetipsum, quod mulierem sine concupiscentia aspicere non posset, et doleret, si non esset potitus, incontinentiam emendatione profitetur* (*Tertullian., ibid.*). Sed de hac voluntaria Democriti cæcitate, ejusque caussa potest esse non minima dubitandi ratio. Nam Plutarchus plane penitusque negat illum suos sponte sua ideo exstinxisse oculos, ne animum avocarent, nec sinerent rebus sola mente cernendis immorari (*Plutarch., lib. de curiosit., pag.* 521, *tom.* II). Nihil autem de illius cæcitate Cicero certo pronuntiare videtur: *Democritus*, inquit, *qui vere falsone quæreremus, dicitur oculis se privasse: certe, ut quam minime animus a cogitationibus abduceretur* (*Cicer., lib.* V *de finib., pag.* 113, *lin.* 43). Si enim ibi, ut quidam opinantur, delendum sit verbum *quæreremus*, ac legendum *falsone*, plane de illa Democriti cæcitate dubium et ancipitem se fuisse significat. Quamvis autem verbum *quæreremus*, ab eo profectum fuerit, alio tamen verbo *dicitur*, satis aperte declarat id à se non posse certo affirmari. Verum Aulus Gellius testificatur in historiæ græcæ monumentis factam mentionem Democriti, qui se ultro luminibus oculorum orbavit; ut cogitationes animi in contemplandis naturæ rationibus essent vegetiores, exactioresque (*Gell., lib.* X. *Noct. Atti., cap.* 17, *pag.* 541). Tum continenter Laberii citat versus, quibus describit hujusce cæcitatis, sibi ab illo concitatæ, aliam fuisse rationem, quam hoc versu poeta expressit:

Malis bene esse ne videret civibus.

Digitized by Google

Hieronymus autem, nemine singillatim appellato, narrat quosdam philosophos sibi oculos eruisse; ne a contemplatione philosophiæ avocarentur, et totam cogitationem ad mentis puritatem cogerent (*Hieronym. lib.* II *adv. Jovin.*, *pag.* 203, *et Epist.* 55 *ad Abigaum*, *pag.* 589). Quis autem facile sibi persuaderi non sinet Democritum unum fuisse ex his philosophis, ac forsitan præcipuum?

Quamvis itaque quidam de voluntaria ejus cæcitate dubitasse videantur, plures tamen illius testes citavimus. At certe longe pauciores occurrunt, qui eumdem Democritum oculis, ne fœminas concupisceret, se ipsum privasse perhibent. Expendas tamen velim utrum Sophista Himerius apud Photium illud hisce verbis non indicaverit: ἑκὼν δὲ ἐνόσει σῶμα Δημόκριτος ἵνα ὑγιαίνῃ τὰ κρείττονα. *Voluntario Democritus morbo corpus affecit, ut potior pars sana esset* (*Photi. Biblioth.*, *cod.* 243, *pag.* 1087). Nonne enim hoc generali loquendi modo spontaneam designavit illius cæcitatem, qua voluerat animum, potiorem sui partem, sanare? Utut sit, certe christiani voluntaria hujusmodi cæcitate opus non habebant, qui animo ad concupiscendum cæci, non solum præscriptam lege divina castitatem summo, studio colebant, sed plurimi etiam, quemadmodum paulo ante dicebamus (*Supr. hoc cap.*, *art.* 4), toto vitæ suæ tempore in virginitatis statu perseverare consueverant.

Denique Tertullianus recenti adhuc exemplo evincit christianos de servanda castitate tanto magis sollicitos fuisse, quanto impudentius hæc virtus ab ethnicis lædebatur. Audi, quæso, quibus ille verbis hos castitatis osores alloquatur, et exagitet: *Proxime*, inquit, *ad lenonem damnando christianam, potius quam ad leonem, confessi estis labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœna, et omni morte reputari* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 50, *pag.* 530). Quanquam autem nobis incognita sit illa mulier christiana; in dubium tamen nullus revocare potest, quin ea, paulo ante iniquissimo ac turpissimo judicio ad lupanar, ubi pudicitia ejus expugnaretur damnata fuerit. At non unius tantum mulieris, sed aliarum plurium castitatem improbissimi homines ludibrio habuerunt. Neminem autem esse putamus, qui in Actis martyrum plura illarum exempla non legerit.

CAPUT XIII.

Quam absurde ethnici jactaverint pares esse alias philosophorum suorum atque Christianorum virtutes; ac quomodo Tertullianus tam horum veras, quam illorum falsas esse demonstret.

ARTICULUS PRIMUS.

Quam immeritis laudibus, statuis, et salariis ethnici remunerarunt philosophos, qui sponte sua destruebant deorum cultum, in principes latrabant, non ejiciebant dæmones, quos secundum deos *esse arbitrabantur, tametsi christianos contra jus et fas, propter suum duntaxat nomen, omni suppliciorum genere enecarent.*

Non solam Christianorum ethnicorumque castitatem Tertullianus noster, sed omnes utrorumque virtutes inter se componit ac horum tam corruptas, quam illorum perfectas esse demonstrat. Eam vero comparationem eo accuratius instituit, quo importunius ethnici clamitare solebant philosophos parem atque christianos *profiteri innocentiam, justitiam, patientiam, sobrietatem* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 46, *pag.* 500). Nam ut plures omittamus, eodem Celsus modo contra christianos disputabat (*Orig. lib.* I *cont. Cels.*, *pag.* 6). Nihil novi, aiebat, nihil magni de moribus christiana disciplina attulit, quod cum aliis antiquis philosophis non fuerit commune, et ab eis traditum.

Tertullianus igitur ethnicos id objicientes generali primum ratione refellit et expugnat. Si iidem, inquit, sint philosophorum ac christianorum mores, eædemque virtutes, utrique profecto debent eamdem habere profitendæ religionis suæ facultatem. Cur ergo christiani, non autem philosophi, diis, sicut infra explicabitur (*Tertullian. loc. cit.*), *sacrificare aut dejerare, aut lucernas meridie vanas proferre* (Rigaltius contra manuscriptorum et editorum codicum fidem *prostituere*) *compelluntur? Cur philosophi*, pergit auctor noster, *deos vestros palam destruunt, et superstitiones vestras commentariis quoque accusant, laudantibus vobis.* Tales quippe fuerunt Diagoras, Theodorus, et Nicagoras, de quibus alibi egimus (*Dissertat. in Minut.*, *cap.* 23, *art.* 2, *et Dissertat. super.*, *cap.* 14, *art.* 1). Sed quia ille adjecit, *Laudantibus vobis* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 14, *pag.* 348), magis forsitan indicare videtur Socratem ab eo proxime, et antea, nomine suo appellatum, atque Epicurum, ejusque asseclam, et admiratorem Lucretium, atque Ciceronem, a quo gentilium dii in suis de illorum natura libris funditus tolluntur.

Cum vero auctor noster addidit (*Ibid. cap.* 46, *pag.* 500): *superstitiones vestras accusant*, ad Senecam, quem prius citaverat, haud dubie respexit. Ibi quippe iidem, inquit (*Ibid. cap.* 12, *pag.* 337), *estis, qui Senecam aliquem pluribus et amarioribus de vestra superstitione perorantem probatis.* Quæ quidem Senecæ verba alibi retulimus, atque infra adhuc suoque loco proferenda sunt.

Quin etiam, quod *plerique*, ait adhuc Tertullianus (*Ibid. cap.* 46, *pag.* 500), *philosophi in principes latrant.* In quodam Vaticano codice scriptum notarunt *Lacerant*: sed minus bene. Nam de industria dixisse videtur *latrant*, hocque verbo perstringere cynicos. imperator siquidem Vespasianus, teste Suetonio, *Demetrium Cynicum, in itinere obvium sibi post damnationem, ac ut neque assurgere, neque salutare se dignantem, oblatrantem etiam nescio quid, satis habuit canem appellare* (*Sueton. lib.* VIII, *in vit. Vespas.*, § 13). Narrat vero Xiphilinus eumdem Vespasianum Marciani hortatu in exilium misisse philosophos, propterea quod non tantum Demetrius ille Cynicus, sed alii quoque philosophi multa ignominiosa publice dicerent (*Xiphilin. epitom.*, *lib.* X, *pag.* 220 *et seqq.*). Privatim autem eidem Demetrio non quiescenti scribi jussit: Etiamsi multa agas morte digna, ac jubere

Digitized by Google

possim te idcirco occidi : ἐγὼ δὲ κύνα ὑλακτοῦντα οὐ φονεύω. *Ego vero canem latrantem non occido.*

Neque satis gentilibus fuit hujusmodi philosophos et ferre patienter, et laudare : *sed facilius*, inquit auctor noster, *statuis et salariis remunerabantur* (*Tertullian. Apologet., cap.* 45, *pag.* 497; *Ibid. cap.* 14, *pag.* 348). Nonne autem ibi, tacito Socratis nomine, auream illius designat imaginem, quam sicuti superius animadvertit, ipsimet Athenienses, a quibus morte mulctatus fuerat, in templo postea collocarunt. Aliorum vero philosophorum statuas si tibi indicari petieris, audi Juvenalem indoctos castigantem homines, qui falsam eruditionem, positis in sua quaque bibliotheca philosophorum statuis, et imaginibus, se satis probasse arbitrabantur. Ea illius carmina :

Indocti primum, quanquam plena omnia gypso,
Chrysippi invenias. Nam perfectissimus horum
Si quis Aristotelem similem, vel Pittacon emit,
Et jubet archetypos (1) pluteum servare Cleanthus.

(*Juvenal. satir.* 2, v. 4, *et seqq.*)

Plures porro philosophorum imagines Menagius, in sua Laertiana editione exhibet.

Dabatur insuper philosophis salarium, sive annona et merces, a sale, uti monet Plinius (*Plin. lib.* XXXI *natur. hist., cap.* 7, *pag.* 809), sic cognominata. Testatum enimvero Capitolinus facit ab Antonino imperatore mandatum, ut rhetoribus et philosophis per omnes provincias salaria et honores deferrentur (*Capitol. in vit. Antonin. sub fin.*). At Lucianus memoriæ prodidit (*Lucian., Eunuchus, seu Pamphil., pag.* 535) constitutum ab imperatore μισθοφορά τις οὐ ῥαύλη *non exiguum salarium*, ἀλλὰ μυρίαι, *decies mile nummorum*, stoicis, platonicis, epicureis, peripateticis, aliisque philosophis distribuendum, ut juventutem docerent. Nonne etiam Augustinus de iisdem philosophis, sicuti et aliis, hæc quæ ad propositum nostrum non parum conducunt, verba facit (*August. lib.* I *de civit., cap.* 3, *pag.* 4)? *Nobis* ethnici *succensent, cum de diis eorum talia dicimus, nec succensent auctoribus suis, quos ut ediscerent, mercedem dederunt, doctoresque ipsos insuper et salario publico et honoribus dignissimos habuerunt.*

Qua ergo hi fronte quove furore christianos quolibet suppliciorum genere torquebant et trucidabant; philosophos vero suos impune ferebant, laudabant, magnisque remunerabant beneficiis, et præmiis, tametsi similes utrorumque mores ac virtutes similes esse venditarent. At christiani ethnicis non virtute pares tantum erant, sed longe sanctiores præstantioresque, quemadmodum invictissime demonstravimus.

Unde igitur tanta judiciorum discrepantia? Quia *philosophi*, ut recte advertit Tertullianus, *non christiani cognominantur* (*Tertullian. Apologet., cap.* 46, *pag.* 500). Ethnici enim non summa sine iniquitate conclamabant christianos ob solum, sicut dictum est, suum nomen publico odio dignos, ac quibuslibet plectendos suppliciis. Propter suum etenim piissimum vivendi genus iisdem, quibus philosophi cumulabantur, præmiis et salariis, eo digniores erant, quo sæpius dæmones ex obsessorum hominum corporibus solo Christi, uti ostendimus, nullius vero philosophi nomine ejiciebant.

Et certe quomodo dæmones fugari poterant nomine philosophorum, qui arbitrabantur eos, ut ait adhuc Tertullianus, esse *secundum deos*, id est, sicuti quidam volunt, diis proximos, aut ut aliis placet, tanquam deos, habebant. Nam scripsit Cicero : *de absente secundum præsentem judicare.* Suetonius vero de Claudio Imperatore : *Absentibus secundum præsentes dabat* (*Sueton. lib.* V *in vit. Claud.*, § 15), hoc est, perinde ac tanquam essent præsentes. Sed utraque explicatio in eumdem ferme sensum recidit, quamvis hæc secunda potior videatur.

Quidquid sit, Tertullianus aperte declarat (*Tertullian. loc. cit.*) philosophos existimasse dæmones sibi esse superiores ac dominari. Itaque tantum abest ut possent illos fugare, quin ipsis obsequebantur. Nam Socrates, uti auctor noster prosequitur, tametsi Apollinis oraculo, sicut alibi observatum a nobis fuit (*Dissertat. in Minut. Octav., cap.* 3, *art.* 2 *et* 3. *Ibid. et tom.* I *Apparat., pag.* 1115) omnium sapientissimus renuntiatus fuerit, solebat dicere, *Si dæmonium* (supple *meum*) *permittat*, ut hoc vel illud faciam (*Tertullian. loc. cit. et Supr., cap.* 22). In hac enim et aliis dissertationibus ostendimus quomodo asseveraret sibi a pueritia astitisse dæmonem, quo nec consulto nec approbante nihil unquam agebat (*Idem, Apologet., cap.* 46, *pag.* 500). At is ipso nihilominus idem Socrates moriens præcipit gallum *gallinaceum Æsculapio prosecari*, seu mactari. Sed quia aliquid de veritate sapiebat, deos esse negavit. Quæ quidem à nobis alia in dissertatione explicata sunt (*Dissertat. in Lactant., cap.* 39, *art.* 1, *et Dissertat. Minut. Octav., loc. cit.*).

At porro Socrates sive deos agnoverit, sive negaverit, non poterat utique dæmones, quos sicut alii ethnici, deos aut his proximos esse autumabat, fugare, aut ex obsessorum expellere corporibus. Atqui si facultas tantum beneficium ethnicis præstandi christianis concessa fuit, si meliores erant illorum, quam gentilium mores ac virtutes, non poterant utique iidem gentiles, nisi contra jus omne et fas, illos pœnis tormentisque omnibus enecare, hos vero magnis afficere laudibus ac beneficiis. Sed sequamur adhuc Tertullianum utrorumque virtutes singulatim comparantem.

ARTICULUS II.

Quam absurde Christianis scientia et disciplina æquiparentur philosophi gentiles, gloriæ libidinosi, affectantes se docere veritatem, quam in sacra scriptura inventam, captandæ popularis auræ gratia corruperant, et qui a Spartiatis, Thebanis, Argivis solum vertere compulsi sunt.

Mirum sane quam vana et insulsa ostentatione

(1) Id est, *Bibliothecam.*

Digitized by Google

ethnici objectarent parem esse philosophorum suorum, atque christianorum scientiam, disciplinam, et sapientiam (*Tertullian. lib.* II *ad Nat.*, *pag.* 585). Nam hujus, uti citatus a Tertulliano Salomon rectissime docet: *Initium sapientiæ metus in Deum* (*Eccles.*, *cap.* 1, ỳ. 16). Et hæc quidem verba desumpta sunt ex Ecclesiastici libro, quem auctor noster, atque alii, sicut alibi ostendimus (*Dissertat. in Lactant.*, *cap.* 11, *art.* 3), Salomoni nominatim tribuunt. Licet autem ei abjudicaretur, non minus vera erat hæc sententia. At quomodo philosophi gentiles poterant initium habere sapientiæ Deum timendo, quem nunquam agnoverunt? Christiani autem eum revera cognoscebant, ac timebant, atque idcirco hoc præditi erant sapientiæ initio.

Præterea hi non solum ex hoc, sed aliis quoque sacræ Scripturæ libris, tanquam divinis purissimisque fontibus haustam veritatem hanc sapientiam necessario, ait Tertullianus, consectantur, ut æternæ saluti suæ consulant (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 46, *pag.* 500). Gentiles vero philosophi veritatem, inquit, *affectant, et affectando corrumpunt, ut qui gloriam captant* (*Ibid. cap.* 47, *pag.* 515). Nihil quippe eis magis cordi erat; quam ut nominis, famæ, ac vanæ, gloriæ celebritatem quoquo modo aucuparentur. Quapropter ab illo postea vocantur *gloriæ et eloquentiæ solius libidinosi* (*Idem, lib. de Anim.*, *cap.* 7), id est, avidissimi. Alio autem in libro: *Philosophus*, inquit, *gloriæ animal.* Atque hæc auctoris nostri verba Hieronymus haud dubie mutuatus, ipsius sententiæ subscripsit: *Philosophus gloriæ animal, et popularis auræ atque rumorum vile mancipium* (*Hieronym. epist.* 54, *ad Pammach.*, *pag.* 585). At Lucianus, etsi ethnicus, hos philosophos longe acrius insectatur. Palam quippe asseverat illos genus esse hominum, ἀργὸν, φιλόνεικον, κενόδοξον, ἐξύχολον, ὑπόλιχνον, ὑπόμωρον, τετυφωμένον, ὑβριώς ἀνάπλεων, καὶ ἵνα καθ' Ὁμηρον εἴπω, ἄχθος ἀρούρης. *Otiosum, contentiosum, gloriæ avidum, iracundum, gulæ studiosum, stultum, fastuosum, contumeliosum, et, ut verbis Homericis dicam: Telluris inutile pondus* (*Lucian. Icaromeni.*, *pag.* 739 *et seqq.*). Plura adhuc ille in suo de sectis dialogo (*Idem Hieronym.*, *pag.* 284), ubi certo se ab omnibus accepisse testatur Epicureos corruptos deliciis ac voluptatibus; Peripateticos parandis cumulandisque divitiis inservire, et quosdam ex illis immodice contentiosos; Platonicos arrogantes, turgidos fastu nimio, et gloriæ cupientissimos: οἱ πλατωνικοὶ, inquit, τετύρωνται, καὶ φιλόδοξοί εἰσι. Quæ quidem huc congessimus ad eorum, quæ mox Auctor noster dicturus est, anticipationem. Sed de his jam aliquid in superiori dissertatione delibavimus.

Philosophi igitur fraudulenta veritatis ostentatione pravis opinionibus illam adulterabant, ne patefacta vulgus insanum offenderet, et ut ipsi falsam vanæ eruditionis gloriam sibi parerent, ac venarentur. Verumenimvero, *in quantum*, ait Tertullianus, *odium flagrat veritas, in tantum qui eam ex fide præstat, offendit. Qui autem adulterat, hoc maxime nomine gratiam pangit apud insectatores veritatis* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 46, *pag.* 500). Et hæc quidem, nec plura in Rigaltii, et subsecutis aliis editionibus. In antiquioribus vero, nec non in nostris codicibus manuscriptis, post verbum *adulterat* additum est, *et affectat*, ac post nomen *veritatis*, legitur, *quam* (editi *qua*) *illusores, et corruptores inimice* (editi *mimice*) *philosophi affectant.* Cur autem Rigaltius omnia hæc resecaverit, rationem si quæras, nullam ab eo datam invenies. Quid ergo? Numquid obscuriora ea esse putavit, et ideo tollenda? Recte quidem, si ipsius non antiqui Auctoris verba essent, quæ supprimendi nullus editor, nisi reddita ratione, jus unquam habuit. At nonne sensum hunc optimum efficiunt? Quantum veritas odio habetur, tantum qui eam sincere docet, is alios offendit. Qui autem eam affectando adulterat, *hoc ipso nomine* eamdem gratiam apud illius insectatores init, quam illusores et corruptores. Quamobrem gentiles philosophi agnitam veritatem tanquam mimi aliorum dicta, facta, et personas, affectant ac corrumpunt. Dixisse autem Tertullianus videtur, philosophos affectasse veritatem non quidem *inimice*, ut in codicibus manuscriptis scriptum est scribarum oscitantia, qui ex prima littera *m* duas *in* effecerunt: sed potius *mimice*, quemadmodum in alio libro dixit, Mithræ militem esse quasi *mimum martyrii* (*Idem, lib. de coron. in fin.*, *pag.* 131).

Fatetur itaque ab iisdem philosophis sæpius cognitam veritatem: *Quis enim*, inquit, *poetarum, quis sophistarum, qui non de prophetarum fonte potaverit? Inde igitur et philosophi sitim ingenii sui rigaverunt* (*Tertullian. Apolog.*, *cap.* 47, *pag.* 515). Hactenus editio Rigaltiana cum aliis atque etiam manuscriptis nostris codicibus: sed in istis hæc, amputata a Rigaltio, adjecta sunt: *Ut quæ de nostris habent, ea comparent illis.* Verum si hæc Rigaltio, aut errantibus typographis exciderunt, quis majorem ejus diligentiam non desiderabit? Si vero is solus proprio marte ea abstulit, quis audaciam illius poterit excusare? Nam hæc ad Tertulliani institutum maxime faciunt. Probandum siquidem susceperat gentiles philosophos christianis scientia omnino præpostere adæquari. At illud recte eo demonstrat, quod ut suam cum nostra doctrinam compararent, ex sacro prophetarum fonte hortulos suos, ut Ciceronis verbis utamur, irrigaverant (*Idem, loc. cit. supr.*, *cap.* 4, *art.* 4). Neque id valde difficile ipsis erat. Sacra quippe Veteris Testamenti scriptura omnibus ethnicorum commentationibus, uti ipse ait, et nos haud semel ostendimus, est longe antiquior. Plura itaque documenta ex sacris nostris libris, sicut alibi a nobis probatum est, furati sunt, ut christianis pares scientia crederentur (*Supr. cap.* 6, *art.* 4 *et seqq.*, *tom.* I. *Apparat. pag.* 384, 531, 909 et 1112 *et seqq.*).

Ast philosophi illi *gloriæ*, ait Tertullianus, *et eloquentiæ solius libidinosi, si quid in sacris Scripturis offenderunt, digestis ex pro instituto curiositatis ad propria opera verterunt* (*Tertullian. Apologet.*, *cap* 47, *pag.* 515). Sed Rigaltius ibi reluctantibus scriptis editisque

Digitized by Google

codicibus, delevit nomen *Scripturis*, atque illud *digestis* substantivum esse, eoque idem ac *libris* significari suspicatus est. Sed perperam. Etenim adjectivum est, quod idem sonat ac *dispositis* et *ordinatis*, vel *explicatis* et interpretatis. Primo quippe sensu Virgilius dixit de Sibylla :

> Quæcumque in foliis descripsit carmina Virgo,
> Digerit in numerum.
> (*Virgil. l.* III, *Æneid.* v. 445.)

id est, inquit Servius, ordinat, et disponit (*Serv. ibid.*, pag 295). Alibi etiam hoc et secundo significatu :

> . . . Ita digerit omnia Calchas.
> (*Virg. l.* II, *Æneid.*, v. 182.)

sive, uti adhuc Servius interpretatur (*Serv. ibid.*, p. 233), numinis commotionem, vel futuri, id est, oraculorum ordinem pandit, seu ordinat, et disponit.

Deinde Rigaltius hæc verba, *ex pro instituto*, sic corrigi scribique voluit, *exinde regestum pro instituto*, ac tandem addito hoc verbo *regestum*, nomen *opera* nullo codice citato, penitus resecavit. Nobiscum tamen faciunt omnes inediti codices, et ante eumdem Rigaltium editi ; nisi quod in his antiquioribus legimus *ex improstituto*. Sed hoc corruptum videtur. In subsequentibus autem editionibus sublata fuit præpositio *ex*, ac scriptum simpliciter *pro instituto*. Melius quidem, sed definire non audemus quæ vera sit Tertulliani lectio, donec incorruptus aliquis codex reperiatur.

Sensus tamen ejus hic procul dubio esse videtur : si philosophi ex sacris Scripturis, recte ordinatis et explicatis, aliquid veri hauserint, illud pro curiositatis, seu nimiæ eas male explicandi curæ instituto, verterunt ad propria opera, hoc est, ad falsas vulgi opiniones popularesque errores. Cum enim divinas esse non crederent, datam sibi putaverunt illas interpolandi, et pro libito interpretandi facultatem. Neque etiam intelligentes earum documenta obscuritate, et Judaicis umbris obvolvi, aspernati sunt illius simplicitatem (*Tertullian. ibid. pag.* 515). Quapropter quod in his certum repererunt, effecerunt incertum, ac vera rejicientes, aut veris falsa miscentes, interverterunt. Sed de his plura Clemens Alexandrinus, ut suo loco annotavimus (*tom.* 1 *Apparat. pag.* 871 *et* 113 *et seqq.*).

Variis porro id Tertullianus probat (*Tertullian. Apologet., cap.* 47, *pag.* 515) philosophorum opinionibus et erroribus de Dei natura, qualitate et providentia ; de mundi creatione, et diuturnitate ; de humanæ animæ natura, quam alii incorpoream, divinam, et æternam, alii dissolubilem et corpoream esse arbitrabantur, atque de illius post corporis interitum statu, pœnis, et præmiis. Omnes autem varias hasce illorum opiniones alibi enucleavimus ac discussimus (*Supr. cap.* 5, *art.* 4, *et cap.* 9, *art.* 1 *et seqq.; Dissertat. in Lactant., cap.* 12, *art.* 1 *et seqq.; cap.* 14, *art.* 1 *et* 2 *et seqq.; et cap.* 23, *art.* 1 *et seq.; et cap.* 28, *art.* 4 *et* 6).

Neque in hoc tantum apologetico Auctor noster ita adversus philosophos gentiles disputat, sed in secundo etiam ad Nationes libro, ubi adhuc probat philosophicæ sapientiæ vanitatem imbecillitatemque apertissime demonstrari ex opinionum varietate, quæ non aliunde, quam de veritatis ignorantia manavit : Etenim *licet per curiositatem*, inquit, *omnimodæ litteraturæ inspiciendæ divinis quoque Scripturis, ut antiquioribus, possint videri incursasse, et inde nonnulla dempsisse* (*Tertul., lib.* II *ad Nat., cap.* 2) ; simplicitatem tamen ejus despicientes, et gloriæ libidine insuper ducti, inventam in sacris nostris Scripturis veritatem immutarunt, et adulteraverunt.

Atque *inde et a quibusdam quoque*, sicut ille in Apologetico, ait, *ejecta philosophia, a Thebanis, a Spartiatis, et Argivis, dum ad nostra contaminantur* (*Tertullian. Apologet., cap.* 47, *pag.* 515). Ita quidem in Rigaltii posterioribusque editionibus. At in nostris codicibus manuscriptis, et vetustioribus editis : *Inde, opinor, et a quibusdam..... Spartiacis..... dum ad nostra* (male in nonnullis editionibus, *a vestra*) *conantur*, subaudiendum *imitando corrumpere;* sicut dixit *poma conantur* (*Ibid. cap.* 40, *pag.* 478), supple *matura fieri.* Cur autem, a quo, ac cujus opera, aut negligentia omissum fuerit verbum *opinor*, ac quid ibi noceat, nobis sicut nullus edixit, ita Tertullianeum esse facile aliis persuadebis. Eo quippe sensu alibi utitur hoc verbo, ubi de re sibi minime dubia disserit.

Ad ejectam vero ab ethnicis philosophiam quod attinet, Athenæus narrat (*Athen., l.* XI, *c.* 12, *p.* 542, *et lib.* XIII, *cap.* 9, *p.* 160) sophistas, ac duos Epicureos philosophos Alcæum at Philiscum urbe sua a Romanis, omnes ejusdem sectæ oppido suo a Mes seniis, quoscumque etiam regno suo ab Antiocho, ac Lysimacho, et ex Attica publico Sophoclis edicto ab Atheniensibus expulsos, ac tandem philosophiam, atque rhetoricam, a Lacedæmoniis admissam non fuisse. Ejusdem vero Atheniensium decreti meminit Julius Pollux, quod νόμος ἀττικὸς ab eo vocatur (*Pollux, lib.* XI, *pag.* 427). Non dicit tamen illud a Sophocle datum, sed factam duntaxat ejus mentionem. Verum Athenæo aperte suffragatur Laertius, qui similiter asseruit conditam revera ab eodem Sophocle legem qua vetitum fuit, ne quis scholæ philosophorum, nisi senatu et plebe approbante præesset, secus capite plecteretur (*Laert., lib.* V, *in Vit. Theophras.*, § 38). Sed ad propositum nostrum aut nihil aut parum facit a quo et quomodo ea lex condita fuerit : sufficit sane ut ejus jussu rejecta sit philosophia.

Nobis autem A. Gellius exhibet illud, atque etiam aliud senatusconsultum, additque tertium a Domitiano imperante constitutum, quo philosophi non solum Roma, sed Italia quoque interdicti sunt, atque idcirco Epictetum inde Nicomediam secessisse (*Gel. lib.* XV. *Noct. Att. cap.* 11). Mentionem quoque hujus edicti Suetonius facit (*Sueton., lib.* VIII *in Vit. Domit.*, § 10). Sed Philostratus addidit tantum terrorem inde incussum philosophis, ut mutato habitu, alii in Hispaniam, alii in Libyæ et Scythiæ deserta confugerint, alii Domitiano sese adjunxerint scelerum consiliarios (*Philostrat., lib.* VII, *de Vit. Apoll., p.* 877). Denique

Digitized by Google

ut plura taceamus, alibi animadvertimus litteris a Clemente Alexandrino mandatum toties græcam philosophiam periisse, quoties a magistratibus prohibita fuit (*Tom.* I *Apparat.*, *pag.* 823). Cæterum meritq philosophi hasce pœnas propterea dederunt, quod agnitam veritatem adulteraverint, ac *de veritate*, ut ait Tertullianus, disputaverint *contra veritatem* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 46, *pag.* 500). Sed in tot errorum abyssum eos præcipitavit cæca humanæ gloriæ et auræ popularis cupiditas, ac libido.

Verum Christiani, spretis hominum laudibus, veritatem in sacris Scripturis traditam, necessario, inquit Tertullianus, *appetunt et integre servant, ut qui saluti suæ curant* (*Ibid.*). Atque inde adversus compellatos a se gentiles rite concludit : *Neque de scientia, neque de disciplina, ut putatis, æquamur* (*Ibid.*). Nulla igitur magis inæqualis ac præpostera comparatio ab ethnicis fieri potuit, quam utrosque scientia et disciplina adæquando. Neque potiori jure venditabant æquales paresque esse alias illorum virtutes, quod jam cum Tertulliano nostro est expendendum.

ARTICULUS III.

Quam præpostere gentiles contenderint parem esse philosophorum suorum atque Christianorum probitatem, *contra quam Diogenes superbiam Platonis alia superbia conculcavit : summam fuisse Christianorum* modestiam, *contra quam Pythagoras et Zenon tyrannidem affectaverant ; maximam fuisse* animi *christianorum* æquitatem, *contra quam Lycurgus apocarteresim optavit ; servatam sedulo a christianis fidem, contra quam Anaxagoras negavit hospitibus depositum ; miram fuisse christianorum simplicitatem, contra quam Aristoteles a loco suo dimovit Hermiam, et adulatus est Alexandro Magno, atque Aristippus in purpura nepotabatur, et Hippias civitati insidias paravit.*

Ad morales alias Christianorum atque gentilium virtutes si nostro cum Tertulliano transeamus, non minus profecto discrimen inter illas, quam supra memoratas, deprehendere est. Si *de probitate* enimvero, sicut ille loqui amat, seu morum integritate, vel quemadmodum vulgo dicitur, de humilitatis virtute certetur inter gentiles et christianos, *ecce*, inquit ille, *lutulentis*, vel sicut alibi scripsit, *cœnulentis pedibus Diogenes superbos Platonis toros alia superbia deculcat* (*Tertullian*, *Apologet.*, *cap.* 46, *pag.* 500, *et lib. de Pall.*, *cap.* 4). Nonne autem Hieronymus ad hunc Tertulliani locum collineasse videtur, ubi aiebat Diogenem lutatis pedibus conculcasse Platonis divitis toros (*Hieronym.*, *lib.* II, *adv. Jovinian.*, *pag.* 203. ; *Laert.*, *lib.* VI *in vit. Diogen.*, § 26)? Sed ante utrumque Laertius narrat Diogenem dum Platonis στρώματα calcaret, dixisse πατῶ τὴν Πλάτωνος κενοσπουδίαν, *Calco Platonis inane studium*, ipsique Platonem respondisse : Ὅσιν τοῦ τύφου διαφαίνεις, δυκῶν μὴ τετυφοῦσθαι : *Quantum fastum ostendis, qui nullo tumere fastu videri cupis !* aut ut alii ferunt, dixit Diogenes : πατῶ τὸν Πλάτωνος τύφον, *Calco Platonis fastum ;* cui Plato respondit : ἑτέρῳ γε τύφῳ, *sed alio fastu*. Cui autem Auctor noster dixerit *lutulentis*, sive *cœnulentis*, aut, ut ait Hieronymus, *lutatis*, seu luto infectis *pedibus*, audies ex eodem Laertio ductos ab hoc Diogene discipulos sine calceis ἀνυποδήτους, cum ille γυμνοῖς ποσὶ χιόνα ἐπάτει *nudis pedibus nivem calcabat*. Quamvis ergo tantam paupertatem palam profiteretur, non minus tamen quam dives Plato superbiæ et arrogantiæ vitio inflatus erat.

Superbis itaque illis philosophis Tertullianus rite opponit Christianum, qui *nec in pauperem*, multo minus in divitem *superbit* (*Tertullian.*, *Apologet*, *cap.* 46, *pag.* 500. *Ibid. cap.* 25, *pag.* 422). Christianis enimvero, fraternitatis vinculo, ut supra animadvertimus, et sanctitatis spiritu conjunctis, omnia præter uxores, communia erant, nullaque de superiore gradu aut dignitate contentio.

Dehinc vero si agatur, inquit Tertullianus (*Ibid. cap.* 46, *pag.* 500), *de modestia*, quæ in animo est continens moderatio cupiditatum, nulla sane institui potest Christianos inter et gentiles comparatio. Nam *Pythagoras*, uti ille ait, *apud Thurios*, *Zenon apud Priennenses tyrannidem affectant.* Litteris quippe a Laertio proditum legimus incensam à Crotoniatis Milonis domum, ubi tunc erat Pythagoras, τυραννίδος ἐπίθεσιν ὑλαβούμενοι, *Cum ejus tyrannidem metuerent* (*Laert. lib.* VIII, *in vit. Pythag.* § 38). Excitati autem hujus incendii, quo vivum Pythagoram exuri volebant, ac belli ipsi discipulisque ejus illati mentionem Tzetzes et Iamblicus fecere (*Tzetz. chiliad.* 11. v. 67. *et seqq. Iambl. in vit. Pythag. cap.* 35, *tom.* 1, *Apparat. pag.* 1246 *et seqq.*). Quorsum ergo illud incendium et bellum, nisi quia res novas, ac tyrannidem usurpare moliebatur, aut, ut ait Laertius, hoc alii, ne ille tentaret, revera timebant? Jam vero observavimus Zenonem Eleatem, cum a tyranno Demysio seu Nearcho ad arcanum aliquod haud dubie conjurationis prodendum cruciatibus torqueretur, linguam suam expuisse in tyrannum. Nobis quidem non latet hanc animi fortitudinem Anaxarcho à quibusdam, puta Plinio, et Valerio Maximo, ab aliis Diomedonti tribui. Sed plures alii, a nobis loco proxime memorato laudati, eam Zenoni Eleati adscribunt. Ex iis autem unus est Plutarchus, qui testificatur Zenonem Parmenidis γνώριμον *discipulum* (*Plutarch. lib.* I, *ad Colot.*, *pag.* 1126), vel sicuti aliis, teste Laertio, placuit, natura aut adoptione filium, tantis tormentis a Demysio tyranno excruciatum, quia insidias illi paraverat. Philostratus vero : Ζήνων ὁ Ελεάτης, inquit, τὸν Νεάρχου τοῦ Μύσου καταβαλὼν τυραννίδα, ἤλω, καὶ στρεβλωθεὶς, τοὺς μὲν ἑαυτοῦ ξυνωμότας ἀπεσιώπησεν· οἱ δὲ ἦσαν τῷ τυράννῳ βέβαιοι, διαβάλλων τουτους ὡς οὐ βεβαίους· οἱ μὲν ὡς ἐπ' ἀληθέσι ταῖς αἰτίαις ἀπέθανον· ὁ δ' ἐλεύθερα τὰ Μυσῶν ἤγαγε, τὸν τυραννίδα περὶ ἑαυτῇ σφήλας. *Zeno Eleates Nearchi Mysii tyrannidem evertere tentans, deprehensusque, cum variis suppliciis torqueretur, socios conjurationis minime prodidit : sed quos tyranno fidissimos noverat, calumniatus, ut morte damnarentur effecit. Ipse autem Mysiam liberavit, tyrannidem in se ipsam errare faciens* (*Philostrat. lib.* VII,

Digitized by Google

de Vit. Apoll., cap. 1, *pag.* 320). Cives enim, facto repentino impetu, sicut ait Laertius, lapidibus illum obruerunt (*Laert. lib.* IX, *in vita Zenonis*, § 27). Addamus hoc latini Ciceronis testimonium : *Zeno Eleates perpessus est omnia potius, quam conscios delendæ tyrannidis indicaret.* Alibi vero illum simpliciter *in tormentis necatum* tradidit (*Cicer. lib.* II *Tuscul. pag.* 146, *lin.* 2 *et lib.* III *de Natur. Deor. pag.* 252, *lin.* 28).

Sed quia plures Zenonis nomine appellati sunt, non minima forsitan dubitandi ratio est utrum is quem Tertullianus Zenonem simpliciter nuncupat, ipse sit Zenon Eleates, qui quidem non dicitur affectasse, sed voluisse potius subvertere tyrannidem. Verum responderi poterit illum dum insidias tyranno moliretur, tum cogitasse de regno illius occupando. Præterea, cum magna fuerit de hujus Zenonis morte opinionum varietas, quid mirum si Tertullianus, alios secutus, singulare aliquid de hoc Zenone tradiderit? Cæterum si quis alium nobis Zenonem indicet, et certius probaverit tyrannidem ab illo fuisse affectatam, manus illico dabimus. At de Zenone postea adhuc agendum.

Contra autem christianus ab illa regnandi, et in aliorum regna invadendi cupiditate per quam longissime abest; ut pote qui nec *ædilitatem*, ait Tertullianus, hoc est, nullum magistratum, nullum publicum munus *affectat.* Ædilis autem, ut post Varronem annotat Festus, initio quidem dictus est, qui divinarum privatarumque ædium curam gerebat. Sed hoc nomen ad alios magistratus postea translatum est (*Tertullian. Apologet. cap.* 46, *pag.* 500; *Varro, lib.* IV, *de ling. latin.* § 14; *Fest. lib.* XX, *de signific. Verbor. ad Verbum* Ædilis).

Tum deinde Tertullianus, *si de animi æquitate* (nostri codices manu antiqua exarati, priscæque editiones *æquanimitate*) hoc est, æqua sedati animi constitutione, *congrediar, ecce præsto nobis est Lycurgus, qui apocarteresim optavit, quod leges ejus Lacones emendassent* (*Tertullian. loc. cit.*), quemadmodum superius explicavimus. At christianus, uti ait auctor noster, *etiam damnatus ab* ethnicis suam propter religionem, tum servata semper eadem animi æqualitate, *gratias agit*, sicut postea ostendemus (*Infr. cap.* 16, *art.* 3).

Pergit idem ipse auctor noster: *Si de fide*, omnibus semper servanda, christianus cum ethnico componatur, *Anaxagoras depositum negavit hospitibus.* Nonne autem ibi alludit adscriptam a Plutarcho historiam Periclis, qui repetundarum, peculatus, atque pecuniæ, quæ apud Prytanas deposita fuerat, expensæ accusatus, ut se purgaret, Anaxagoram trepidans ejecit ex urbe, misitque in exilium (*Plutarch. in Vita Periclis, pag.* 169, *tom.* I). Verum christianus, uti adjecit Tertullianus, *extra fidelis vocatur* (*Tertullian. ibid.*), id est, non solum suis christianis, sed etiam exteris quibuscunque hominibus datam fidem præstat semper illibatam. Plura autem de deposito a christianis fideliter servando Ambrosius in suis de Ministrorum officiis, alioque in libro disputat, ibique dixit: *Nihil interest utrum abjures depositum, an dolens restitutum. In utroque fidei ambiguum vitæ periculum est* (*Ambros., lib.* II *de offic., cap.* 36, *pag.* 105 *et seq. ac lib.* 1, *de excess. Satyr.* § 3, *pag.* 1114).

Præterea, *si de simplicitate*, ait Tertullianus, *consistam*, tanto magis in eam peccat gentilis, quanto magis christianus illam assequi conatur. Nam *Aristoteles familiarem suum Hermiam turpiter loco excedere fecit* (*Tertullian. Apologet., cap.* 46, *pag.* 500). At Laertio si credimus, Hermias ille eunuchus fuit, et Atarnensium Rex Ἀταρνέων τύραννος (*Laert. lib.* V, *in vit. Aristot.*, § 3), ad quem cum Aristoteles venisset, illius amicitiam sibi ita conciliavit, ut impetraverit filiam ejus, sive concubinam, quam adamabat, dari sibi uxorem, sicut alibi a nobis annotatum (*tom.* I *Apparat., pag.* 1152). In animi autem omnino grati testimonium Aristoteles fertur immolasse mulieri, ac in illius et Hermiæ honorem scripsisse hymnum, propter quem impietatis accusatus est (*Athen. lib.* XV, *Deipnos., cap.* 16, *pag.* 696, *Suid. ad* v.) Sed quo hæc pluribus testibus confirmantur, eo difficilius probatu cur et quomodo Hermias ab eo aut ex regno, vel ex hac vita ejectus sit. Aristocles enim, ejusdem Aristotelis discipulus, fatetur quidem illum multis calumniis lacessitum, quas confutare ibidem connititur (*Aristocl. apud Euseb., lib.* XIV *Præpar. Evang., pag.* 791 *et seqq.*). At nimia haud dubie in magistrum suum animi propensione multa procul dubio dissimulare potuit. Quid igitur, si hæc Aristoclis adulatio eo magis Tertulliano suspecta fuerit, quo certius aliunde didicerat læsum ab Aristotele etiam amicissimum sibi Hermiam. Nam illi opponit christianum hominem, qui *nec inimicum suum lædit* (*Tertullian. Apologet., cap.* 46, *pag.* 500, *ibid. cap.* 31 *et* 37), ut divinis, quemadmodum sæpius observatum est, obtemperet præceptis, quibus jubetur nullum odisse, lædenti vicem non reddere, diligere inimicos, ac pro iis Deum precari.

Pergit ille: *Idem Aristoteles tam turpiter Alexandro regendo potius adulatur, quam Plato a Dionysio venditatur* (*Ib., c.* 46, *p.* 500). Quidam vero quibus obscurior hæc phrasis visa est, ibi *potitus* pro *potius* legendum esse existimant. Sed frustra, et contra codicum omnium reclamationem. Quid enimvero si adverbium *potius* ab auctore nostro sumatur pro *citius, prius*, sive etiam *magis*, ita ut illius sensus sit: Aristoteles Alexandri Magni, sicuti nemo nescit, præceptor, citius magisque turpiter ei adulatus est, quam nequiter Plato a Dionysio tyranno venditatus fuit. De Platonis autem venditione alibi disseruimus (*tom.* I *Apparat., pag.* 554, 620, 1144, *et Dissert. in Lactant., cap.* 39, *art.* 10). Nec minus constat Aristotelem adulatum esse Alexandro, cujus ambitionem, ut alia vitia taceamus, non modo non repressit, sed fovit, et adulationis artificio emollivit ταύτην μὲν οὖν, ait Plutarchus, τὴν φιλοτιμίαν αὐτοῦ παρεκμυθούμενος (*Plutarch. in Vit. Alexandr., pag.* 668, *tom.* 1).

Tum dehinc Tertullianus: *Aristippus in purpura sub magna gravitatis specie nepotatur*, id est, luxuriose et intemperanter vixit. Memoriæ autem Laertius man-

Digitized by Google

davit Dionysium jussisse, ut quodam in convivio singuli veste purpurea induti saltarent (*Laert., lib.* II *in Vit. Aristip.* § 78): Quod quidem cum Plato recusasset, Aristippus veste hac prompte sumpta, cœpit saltare, hosque quos Gregorius Nazianzenus, et Suidas Euripidis esse affirmant (*Greg. Naz. carm. Iamb.* 18, *pag.* 209, *Suid. ad* v. Ἀρίστιππος) versus recitavit:

. . . . Καὶ γὰρ ἐν βαχχεύμασιν
Ὁ νοῦς ὁ σώφρων οὐ διαφθαρήσεται.

. . . Neque in sacris Liberi
Sapientum pudica mens umquam corrumpitur.

Adire poteris Gregorium Nazianzenum, qui ibi aliorum philosophorum vitia componit cum Christianorum virtutibus (*Greg. Naz. loc. cit.*). Porro autem de eodem Aristippo, sed tacito ejus nomine, Tertullianus noster alibi: *Audio*, inquit, *et in purpura philosophatum* (*Tertull. lib. de Pallio, cap.* 4; *idem, Apologet.*, *cap.* 46, *pag.* 500).

Demum ille adjecit: *Hippias dum civitati insidias disponit, occiditur: hoc pro suis, omni atrocitate dissipatis, nemo unquam tentavit christianus.* Mirum sane quam corruptum sit in manuscriptis codicibus Hippiæ nomen. In duobus siquidem nostris antiquioribus legitur *Icthidias*, in duobus recentioribus Colbertinis *Icthiclias*, in quibusdam aliis *Hidias*, quod proprius accedit ad illud *Hippias*, in editis exhibitum. At de Hippia nostrum auctorem revera intelligendum esse confirmari sane potest his Ciceronis verbis: *Nefarius Hippias, Pisistrati filius, qui in Marathonia pugna cecidit, arma contra patriam ferens* (*Cic., lib.* IX *ad Attic. epist.* 12, *pag.* 306). Plura autem de illo Herodotus, Pausanias, Suidas, et alii (*Herodot., lib.* I, § 61, *lib.* V, § 93 *et seqq. Pausan., lib.* I, *pag.* 20, *Suid. ad* v. Ἱππίας). Sed non adeo certum est hunc ipsum esse, de quo tanquam philosopho Tertullianus loquitur, nisi eum philosophiæ operam dedisse probaveris.

Alius ab eodem Suida memoratur Hippias Sophista et philosophus, Hehesidami discipulus, qui animum sua sorte contentum esse docebat. Nonne autem is est, qui a Cicerone, ut alibi diximus (*tom.* I *Apparat., pag.* 1222), plurimum laudatus, gloriabatur nihil esse ulla in arte quod ipse nesciret? Sed si hic philosophus fuit, nobis certe neque Cicero, neque Suidas, qua morte obierit, indicarunt. Vero itaque similius pluribus haud dubie videbitur factum a Tertulliano de priore Hippia sermonem, nisi hujus philosophi nomen in ejus textu ab oscitantibus librariis fuerit corruptum.

At certo certius est quod ille addidit nihil unquam contra patriam suam attentatum a christianis, tametsi *omni atrocitate* suppliciorum, sibi ob religionem suam inflictorum, *dissipatis*, seu laceratis et enecatis (*Tertullian. Apologet., cap.* 46, *pag.* 500). A Christo namque edocti, columbarum simplicitatem imitabantur, neminemque lædentes, de omnibus studebant bene mereri, et iis etiam, qui illos tanta crudelitate trucidabant.

Quis autem jam facile non cernit quam recte Tertullianus (*Ibid.*) post institutas inter philosophos gentiles et Christianos comparationes, his verbis concludat: *Adeo quid* (quædam editiones: *Quid adeo*) *simile*, supple *habent, philosophus et christianus? Græciæ*, ubi potissimum philosophi floruerunt, *et cœli*, id est, veri Dei et Christi *discipulus?* Quid philosophus *famæ negotiator*, sive *gloriæ animal*, ut paulo ante dictum est, et Christianus *vitæ* (editio Rigaltii et aliæ deinceps *salutis*) *negotiator?* Quid philosophus *verborum* tantum, et christianus *factorum operator?* Quid Christianus *rerum ædificator*, et philosophus *destructor?* Quid philosophus *amicus*, Christianus *inimicus erroris*, commune habent? At Rigaltius propria auctoritate hæc posteriora verba resecavit. Tum deinde in codicibus nostris ineditis, et editis vetustioribus: Quid *veritatis interpolator, et integrator, et expressor, et furator ejus et custos.* Rigaltius vero hæc ita immutavit: *interpolator erroris, et integrator veritatis; et furator ejus et custos?* Sed quia emendatio illa nullius codicis fide nititur, ab illo haud dubie facta est; quoniam illa verba obscuriora, nec satis elegantia videbantur. Quid tamen prohibet quominus qualia in codicibus nostris descripta sunt, genuina esse dicantur, hicque sit eorum sensus: Philosophus est veritatis, in sacra nostra Scriptura traditæ, *interpolator*, quia errores suos interponendo, novam ei formam dedit: est etiam *furator*, quandoquidem, ut sæpius diximus, plura ex illa decerpsit, ac corrupit. Christianus autem *veritatis* est *integrator, et expressor et custos;* quia illam integram exhibet, exprimit, et custodit. Neque porro Rigaltius ibi manus suas continuit, sed abstulit adhuc hæc subsequentia verba: *Antiquior omnibus veritas, ni fallor.* Quo autem jure hæc dempserit, ex audacioribus aliis ejus correctionibus satis intelligitur. Nobis porro sufficiat annotasse varias textus Tertulliani lectiones, ac quam recte asserat longe præstantiorem esse Christianorum quam philosophorum doctrinam, moresque illorum, quam quorumlibet ethnicorum, castiores et sanctiores. Jam vero de his comparationibus in nostra ad Minucii Octavium dissertatione egimus (*Dissertat. in Minut., cap.* 13, *art.* 4).

CAPUT XIV.

De Christianorum jejuniis, pœnitentiæ operibus, precibus, et solemni diei dominicæ festo, ac quanta in iis omnibus illorum et gentilium differentia.

ARTICULUS PRIMUS.

Quam longa et horrida fuerint jejunia Christianorum: quantum ab hac abstinentiæ severitate abessent convivia et cœnæ Megarensium, tribuum, curiarum, ac decuriarum, Herculanarum decimarum, polluctorum, Apaturiorum, Dionysiorum, Atticorum mysteriorum, Serapicarum cœnarum, ubi de sparteolis et infamibus parasitis.

Cæteras inter Christianorum virtutes maxime emicuit tam sedula, quam dura jejuniorum observandorum cura et sollicitudo, qua non minus, quam aliis virtutibus, ab ethnicis discrepabant. Sæpe enim sæpius ac publicis in calamitatibus divinam misericordiam non pro se tantum, sed suis etiam pro ini-

Digitized by Google

micis, non perfunctoria, sed durissima rigidioris jejunii observatione exorare conabantur. Audias velim ipsumnet Tertullianum : *Nos*, inquit, *jejuniis aridi*, hoc est, confecti et arefacti, quippe qui non aliis cibis quam aridis tum vescimur. Nam ille alibi *seras*, ait, *vel aridas escas*, ac paulo explicatius, *xerophagias observamus, siccantes cibum ab omni carne, omni jurulentia, et avidioribus quibusque pomis, ne quid vinositatis vel edamus, vel potemus, lavacri quoque abstinentiam congruentem arido victui* (*Tertullian. Apologet., cap.* 40, *pag.* 478 ; *libr. de Jejuniis, cap.* 1 *et cap.* 13).

Quis autem aridus ille cibus, et quæ esca arida sit, si ab Epiphanio postules, tibi respondebit non aliam esse, nisi panem, sal et aquam. Per totos autem illos *jejunationum*, uti ille loquitur, et *xerophagiarum* dies fas Christianis non erat hosce cibos, quantumvis parum esculentos et suaves, quovis diei tempore prægustare (*Epiphan. Exposit. fid.*, § 22, *pag.* 1015) ; sed ab omni, ait adhuc Auctor noster, *vitæ fruge*, seu quocumque cibo *dilati* (*Tertullian. Apologet., cap.* 40, *pag.* 487), hunc nonnisi sero ac sub noctis initium sumebant. Neque horum verborum hæc nostra est explicatio, sed ipsius, qui alibi apertissime dixit : *Abstinentes ab eis, quæ* tamen, quemadmodum hæretici quidam, *non rejicimus, sed differimus* (*Idem, lib. de Jejun., cap.* 15), atque ita jejunia nostra in vesperum producimus. Quinimo Christus, teste Eusebio, sectatores suos docuerat ad multos dies cibo et vino lubentissime abstinere, durum ac severum agere vivendi genus, atque immensam non modo virorum, verum etiam mulierum multitudinem eo impulerat, ut spretis corporum alimentis, divinarum potius lectionum rationalem cibum appeterent (*Euseb., orat. de laud. Constantini, cap.* 17, *pag.* 661). Quid mirum igitur, si hi ab eodem Tertulliano nostro dicuntur *omni* illa *continentia expressi* (*Tertullian. Apologet., cap.* 40, *pag.* 487), id est, ita exhausti ut deficerent corporis vires?

Verum ab hac Christianorum frugalitate, ciborum abstinentia et jejuniis plane penitusque dissidebant cœnæ ethnicorum, profusis sumptibus apparatæ, immoderata convivia, compotationes, comessationes, helluationes. Primum enim Megarensium intemperantia, ait Tertullianus plane redarguitur hoc *Diogenis* dicto : *Megarenses obsonant, quasi crastina die morituri ; ædificant vero, quasi nunquam morituri* (*Ibid. cap.* 39, *pag.* 473). Sed si Laertio fidem habeas, Agrigentinos Empedocles (*Laert., lib.* VIII, *in Vit. Empedoc.*, § 33) ; si Æliano, hos ipsos Plato (*Ælian, lib.* XII *Var. Histor., cap.* 28) ; si Plutarcho, Rhodios Stratonicus hoc convicio verberavit (*Plutarch. de Cupidit. divit. pag.* 525, *tom.* II). At illud a pluribus, et de pluribus dici ac repeti potuisse quis inficiabitur? Quicumque porro fuerint hi populi, a Christianorum sobrietate et jejuniis perquam maxime alieni erant.

At non de illis procul dubio, sed de pluribus aliis hoc Auctor noster subjunxit : *Tot tribubus et curiis et decuriis ructantibus* (*Tertullian. Apologet., cap.* 39, *pag* 473), videlicet cibum potumque nimium, qui non potuerat in stomacho digeri, exhalantibus, *acescit aer*. Sed numquid, inquies, id sine magna hyperbole ab ipso scribi potuit? Quid autem, amabo te, vetat quominus id dici possit de publicis conviviis, quæ in magnis quorumdam dierum, ac præsertim imperatorum solemnitatibus in foro, plateis publicis, vicis, et urbium compitis instrui solebant? Tunc enim singulæ, ac totæ urbes exhibebant, ut infra videbimus, tabernarum et popinarum speciem. Quid ergo mirum si tanta multitudine hominum, cibos indigestos et immoderate sumptos exhalantium, ructibus aer acesceret? Turnebus itaque nomine *curiis* frustra designari putabat ea convivia, quæ in ipsa curia a Curialibus dabantur (*Turneb., lib.* XII *Advers., cap.* 13). Nam Tertullianus de illis publicis conviviis haud dubie intelligendus est.

Tum ille postea : *Saliis*, inquit, de quibus nos alibi egimus, *cœnaturis creditor erit necessarius* (*Tertullian. loc. cit.*) ; quia nullus par erat impensas illorum derepente solvendo. Si tamen nobis non credas (*Dissertat. in Minut. Octav., cap.* 20, *art.* 3), idque tibi velis probari, audi hæc Festi verba : *Salios a saltando dictos, quibus per omnes dies, ubicumque manent, quia amplæ ponuntur cœnæ, si quæ aliæ magnæ sunt, saliares appellantur* (*Fest. ad v.* Salii). Quocirca canebat Horatius :

> Nunc est bibendum, nunc pede libero
> Pulsanda tellus, nunc saliaribus
> Ornare pulvinar deorum
> Tempus erat dapibus, sodales.
> (*Horat. lib.* I, *od.* 27.)

Dapes quippe saliares vocat opimas, exquisitissimas, magnisque sumptibus comparatas, quibus onerabatur pulvinar deorum, et posthæc a Saliis vorabantur. Eam sane ob caussam Claudius imperator, uti narrat Suetonius : *Ictus nidore prandii quod in proxima Martis æde apparabatur, deserto tribunali, descendit ad sacerdotes, unaque discubuit* (*Sueton. in Vit. Claudii*, § 33). Apuleius vero ait equum suum tanta hordei copia saturatum fuisse, *ut saliares se cœnasse crederet* (*Apuleii, Metamorph. lib.* IV, *post med.*).

Salii autem erant sacerdotes Herculis, de quo Tertullianus hæc subnectit : *Herculanarum decimarum, et polluctorum* (manuscripti codices *pollinctorum*) sumptus *tabularii* (iidem editi, et alii non editi codices *stabularii*) *supputabant* (*Tertullian. Apologet., cap.* 39, *pag.* 473). Pollinctores vero ungebant corpora mortuorum et funus curabant. Verum Tertullianus non videtur de his fecisse sermonem. Melius ergo scriptum est *polluctorum*, uti confirmari potest his, qui huic loco non parum lucis præferunt, Plauti versibus :

> Huc venisse jam opus est quantum potest
> Uti decumam partem Herculi polluceam.
> (*Plaut. Stich. act.* II, *scen.* 1, *v.* 80.)

Gentiles enim decimam bonorum suorum partem, uti Auctor noster superius dixerat, Herculi consecrabant, imponebantque in ejus aram, ac postea splendide

Digitized by Google

epulabantur. Unde idem Plautus : *Obsonate*, inquit, *pollucibiliter* (*Idem*, *Mustellar. act.* II, *scen.* 4, *v.* 11). Festus vero : *Pollucere merces..... far, polenta, vinum. Herculi autem omnia esculenta* pollucebant (*Fest. ad v.* Pollucere), sive decimam partem offerebant. De illa autem Herculis decima, sacrificio, et epulo videsis Varronem, Plutarchum, Macrobium, qui et *pollucibilem cœnam appellat* (*Varr.*, *lib.* V, *de Ling. lat.*, *pag.* 58; *Plutarch. Quæst. Roman.*, *pag.* 267; *Macrob.*, *lib.* III *Saturnal.*, *cap.* 12, 13 *et* 17). Quantis porro sumptibus pararetur, tabularii *supputabunt*, qui videlicet civitatum et provinciarum rationes computabant, uti liquet ex codice Theodosiano, ubi unus est *de tabulariis* titulus. Auctor itaque noster significat tantos fuisse harum cœnarum sumptus, ut soli publici *tabularii*, computandis maximis expensarum summis assuefacti, illos numerare vix possent. Potior igitur est hæc lectio, quam *stabularii*, hoc est, caupones et tabernarii, qui in cauponis suis sumptus, sive magnos sive parvos, ab epulantibus factos, computare facilius consueverant.

Prosequitur Tertullianus : *Apaturiis*, *Dionysiis*, *mysteriis Atticis coquorum delectus indicitur* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 39, *pag.* 473). Ἀπατούρια autem solemnis dies festus erat, qui ab Atheniensibus quotannis mense octobri per tres dies celebrabatur. Primo autem die, tribules sive sodales huic solemnitati adscripti simul opipare cœnabant. Secundo die, sacrificabant Jovi et Minervæ. Tertia tandem die, pueros et puellas in curiis inscribebant. Memoriæ autem Herodotus prodidit Homerum, ad hanc cœnam a sodalibus invitatum, mensis revera accubuisse. Sed alibi idem historicus hujus festi adhuc meminit (*Herodot. in Vit. Homer.*, § 29 *et seqq.*, *ac lib.* I, § 147), de quo præterea Pollux, Suidas, Petrus Castellanus, Joannes Fasoldus, atque in primis Joannes Meursius (*Poll. lib.* VI, *Suid. Castellan. Fasold. de Fest. græc.*; *Meurs.*, *Græciæ feria*, *ad v.* ἀπατούρια).

Dionysia, seu Διονύσια festa erant ab Atticis, mense octavo, in Dionysi, seu Bacchi, honorem celebrata, quæ et Bacchanalia cognominabantur. Hæc autem Dionysia et Attica mysteria nuncupavit Tertullianus; ut significaret eadem esse festa quibus Athenienses cœnas apparabant, tanta copia ciborum delicatissimorum, ut ad hos conficiendos coqui peritiores seligerentur.

Ad Romanos autem, Serapidis festa pari sane vel majori etiam cœnantium intemperantia celebrantes, sic revertitur : *Ad fumum cœnæ Serapicæ sparteoli excitabuntur* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 39, *pag.* 473). Sparteoli autem quoddam genus erat militum, qui Romæ in urbis tutelam, ut ait vetus Juvenalis interpres, cum hamis et aqua, quibus ignes restinguerent, vigilias agebant (*Juvenal. satir.* 14, *v.* 313). Sic vero cognominabantur a tunicis et calceamentis, sicut nonnullis visum, vel potius a vasis sparteis, quibus aquam ferebant. At Suetonius, si Casaubono fides, ilios ab Augusto imperatore institutos hisce verbis declaravit : *Adversus incendia excubias nocturnas vigilesque commentus est* (*Sueton.*, *lib.* II, *in Vit. August.* § 30). Quis vero facile non intelligat Tertullianum de his agere, qui, cum plebeii vilesque homines essent, noctuque per urbem ambularent, ad fumum cœnæ opiparæ festo Serapidis instructæ excitabantur, et ad eam accurrebant? Porro autem hæc festa et sacra Serapia, seu Serapida, vel Serapidis sive Isidis appellata, solebant mense aprili celebrari. Sed de his in superioribus dissertationibus a nobis actum est (*Dissertat. in Minut. Octav.*, *cap.* 22, *art.* 1).

Sparteolis pejores procul dubio erant parasiti, omnium mensarum turpissimi asseclæ, *qui affectant*, inquit Auctor noster, *ad gloriam famulandæ libertatis sub auctoramento* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 39, *pag.* 475), id est, quemadmodum ex Cicerone, Suetonio aliisque colligitur, quasi stipendio, pretio et mercede *ventris inter contumelias saginandi* (*Cicer.*, *lib.* I *de Offic. pag.* 372, *lin.* 3; *Sueton. lib.* III *in Vit. Tiber.*, § 7). Alio autem in libro eos vocat *ventris operarios*, quos patientia a diabolo inspirata *contumeliosis patronis subjectione libertatis addicit* (*Tertullian.*, *lib. de Patient. sub fin.*, *cap.* 16). Sed hanc ignavissimorum hominum gentem præ cæteris graphice Terentius depingit, quem si adire te non pigeat, quod in Tertulliani verbis obscurum invenies, explicatum habebis (*Terent. Eunuch. act.* II, *scen.* 2).

Ab his utique omnibus adeo intemperatis ac libidinosis ethnicorum cœnis et conviviis penitus abhorrebant Christiani, qui corpus suum tam longis durisque, sicut diximus, jejuniis macerabant, et quorum cœna omnino frugalis et modestissima erat, uti postea ostendemus.

ARTICULUS II.

Quam diversa fuerunt pœnitentialia Christianorum ac gentilium opera, quibus illi cœlum invidia tundebant, hi vero impiis superstitionibus verum Deum semper irritabant.

Satis Christianis non fuit non solum publicis in calamitatibus, sed aliis etiam diebus tam severa austeraque jejuniorum observatione iram Dei placare; sed *in sacco* etiam, ait Tertullianus, *et cinere volutantes* (male in duobus antiquioribus codicibus nostris *volvitantes*, littera *i* præpostere addita), *invidia cœlum tundimus* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 40, *pag.* 487). Tum itaque Deum exoraturi, sese volutabant in sacco et cinere, non secus atque alii, qui publicam ob scelus grave aliquod in Ecclesiis pœnitentiam agebant. Horum enimvero *disciplina*, sicut alibi Auctor noster tradidit, *de ipso habitu, atque victu, mandat sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere* (*Idem*, *lib. de Pœnit.*, *cap.* 9). Et paulo post : *Extra lætitiam oportet diversari, in asperitudine sacci, et horrore cineris, et oris de jejunio vanitate* (*Idem*, *ibid.*, *cap.* 11). Et certe Cyprianus lapsos ad pœnitentiam his verbis adhortatur : *Orare oportet impensius et rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, strato*

Digitized by Google

solo adhærere, cineri, cilicio (alias *in cinere et cilicio*), *et sordibus volutari* (*Cyprian., lib. de Laps., sub fin.*). At non solum criminis alicujus reos, sed alios quoque hujuscemodi pœnitentiam egisse patet ex una Celerini edita inter Cyprianicas epistola, qua lapsæ sororis suæ crimen sic se deflere testificatur: *Pro cujus factis ego in lætitia Paschæ flens, die ac nocte in cilicio et cinere lacrymabundus dies exegi, et exigo usque in hodiernum* (*Idem, epist.* 21).

Cæteri itaque Christiani, etsi nullius sceleris conscii, publicorum tamen pœnitentium actibus atque habitu, *invidia*, inquit Tertullianus, *cœlum tundebant* (*Tertull. Apologet. cap.* 40, *pag.* 487). Si quid autem nomen *invidia* obscuritatis ibi habeat, huic lucem aliquam afferre possunt ea, quæ de ipsismet ethnicis alibi tradidit: *Apud quasdam colonias annuo ritu saccis velati, et cinere conspersi, idolis suis invidiam supplicem objiciunt... Niniviticum credo justitium.* De sanctis vero martyribus nostris: *Clamant ad Dominum invidia animæ martyrum sub altari: Quonam usque non ulcisceris, Domine, sanguinem nostrum de incolis terræ?* (*Idem, lib. de Orat., cap.* 5.) Illorum etiam cicatrices vocat *invidiosas apud Christum, quia vicisse cupierunt* (*Idem, lib. de Pudicit., in fin.*). Quin etiam de semetipso similiter dixit: *Malo invidiam ei*, Deo videlicet, *facere per voluntatem ipsius pereundo, quam bilem, per meam eradendo* (*Idem, lib. de Fug. in persec., cap.* 10). Quid plura? Statius ubi mortem patris deplorat, hæc cecinit:

Major certe alios superos et tartara pulsem
Invidia.
(*Stat. lib.* IX *Sylvar. in patris Epiced.*)

Rursum autem in filii Epicedio:

. . . . . Nonne horridus ipsos
Invidia superos injustaque tartara pulsem?
Nonne gemam te, chare puer?
(*Ibid.*)

At sane constat nomen invidiæ iis omnibus in locis non communi illius significatu accipi pro odio et malevolentia, aut de prosperis cujuspiam rebus dolore. Nam ista in Deum nec cadunt, nec iis tangitur, aut excitatur ad misericordiam. Et certe Cicero fatetur ambiguum esse nomen invidiæ: *Quod verbum*, inquit, *ductum est a nimis intuendo fortunam alterius, ut est in Menalippo:*

Florem quisnam liberum invidit meum?

Male latine videtur, sed præclare Actius: ut enim videre, sic invidere florem *rectius, quam* flori *dicitur. Nos consuetudine prohibemur: poeta jus suum tenuit, et dixit audacius* (*Cicer., lib.* III *Tuscul., pag.* 151, *lin.* 10). Quid ergo si Tertullianus nomen invidiæ eodem, atque Actius, sensu acceperit, pro intuitu, visu et aspectu miseri status et habitus pœnitentium christianorum, qui eo divinam misericordiam tangere, ac commovere connitebantur (*Tertullian. Apologet., cap.* 40, *pag.* 487)?

Negare autem non possumus ab ethnicis quoque acta quædam in publicis calamitatibus pœnitentiæ opera, quibus deos suos flectere, et illos sedari posse arbitrabantur. Tum enim aquilicia, nudipedalia, populo denuntiabant, deponebant magistratus et dignitatum suarum insignia, aliaque agebant, de quibus omnibus infra agemus (*Infr., cap.* 23, *art.* 4). Sed factitium Jovem, aliosque qui dii non erant, perperam invocabant et precabantur. Verum etenim Deum impiis illis actibus et superstitionibus irritantes, nihil procul dubio ab eo, sicut nec a falsis diis suis, poterant impetrare.

ARTICULUS III.

Quo Christiani modo Deum precarentur sine monitore, expansis ad cœlum manibus, capite nudo, anima innocente, atque ad orientem conversi, quamque dissimili ratione ethnici deos suos, ac Persæ solem adorarent.

Christiani his, quæ retulimus, horridis pœnitentiæ laboribus, non solum publicarum calamitatum tempore, sed singulis etiam, et statis præsertim diebus, Deum et pro se et pro aliis orabant, *sine monitore*, uti ait Auctor noster, sed de *pectore* intimo (*Tertullian. Apologet., cap.* 30, *pag.* 443). Data autem opera dixit, *sine monitore;* quia mos ethnicorum erat, ut aliquis omnibus qui precabantur præiret voce, eosque præmoneret. Ad hunc vero morem quidam referendos censent hos Statii versus:

Hinc tibi vota patrum credi, generosaque pubes
Te monitore regi, mores et facta priorum
Dicere.
(*Stat., lib.* V *Sylv., v.* 488.)

Sed ibi non agitur de ullis precibus monitore aliquo præeunte recitatis. Ad eas autem propius accedit his Plinius verbis: *Vidimus certis precationibus obsecrasse summos magistratus: et ne quid verborum prætereatur, aut præposterum dicatur, de scripto præire aliquem, rursusque alium custodem dari qui attendat, alium vero præponi qui faveri linguis*, id est tacere, *jubeat* (*Plin., lib.* XXVIII *natur. Hist., cap.* 2, *pag.* 556). Si quis tamen objiciat hic de præstigiis, tumque prænuntiatis vocibus sermonem institui, is certe negare nequibit Plutarchum de solemnibus gentilium precationibus loqui, ubi monitos nos facit a Numa Pompilio præceptum fuisse, ut cum magistratus et sacerdotes aliquid rei divinæ faciunt, antecedat præco, ac magna voce clamet: *Hoc age: ὁ κήρυξ πρόκειται μεγάλῃ φωνῇ, ὅκ ἄγε* (*Plutarch., tom.* I, *in Vita Coriol., pag.* 225). Jubebat autem ea voce, inquit, omnes rebus divinis esse intentos, nec ullo opere aut negotio interpellari. Huc accedit Juvenalis qui de fœmina Janum Vestamque, ut Pollio vinceret, rogante hæc cecinit:

. . . Stetit ante aram, nec turpe putavit
Pro cithara velare caput, dictataque verba
Protulit, ut mos est.
(*Juvenal. Satir.* 6, *post med.*)

Adi, si vacat et lubet, Brissonium in suo de Formulis libro (*Brisson., lib.* I! *de Form., pag.* 68). Verum Christiani talem non admittebant monitorem; quandoquidem non ore tantum et labiis, sed *de pectore*,

Digitized by Google

atque intimo sinceroque cordis affectu Deum precabantur.

Præterea orabant cœlum suspicientes et *manibus*, inquit Tertullianus, *expansis*, vel quemadmodum alio in libro loquitur : *Nos vero non attollimus tantum, sed etiam expandimus e Dominica passione modulatum* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 30, *pag.* 441 ; *idem*, *lib. de Orat.*, *cap.* 11), hoc est, in Christi cruci affixi modum ac formam. De hoc autem precandi more alibi disseruimus (*Dissertat. in Minut. Octav.*, *cap.* 12, *art.* 3). At quia ethnici etiam eodem modo deos suos, sicut adhuc ostendimus, precari solebant ; ideo Auctor noster post hæc verba, *expansis manibus*, adjecit, *quia innocuis* (*Tert. Apologet.*, *loc. cit.*). Gentiles enim manus impietatis, idololatriæ, aliisque criminibus pollutas ; Christiani vero suas non minus, quam pectus et animum, mundas plane et puras ad cœlum precando tollebant.

Quinetiam ipsi insuper orabant *capite nudo*, ait adhuc Tertullianus, *quia non erubescimus* (*Ibid.*). Ibi autem illos opponit adhuc gentilibus, quibus velato capite orare ac sacrificare mos erat. Audi, quæso, de hoc ritu Virgilii carmina :

> Quin ubi transmissæ fuerint trans æquora classes,
> Et positis aris, jam vota in littore solves,
> Purpureo velare comas adopertus amictu,
> Ne qua inter sanctos ignes in honore deorum
> Hostilis facies occurrat, et omnia turbet.
> Hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto,
> Hac casti maneant in religione nepotes.
> (*Virgil. lib.* III *Æneid.*, *v.* 403 *et seqq.*)

Quos quidem in versus hæc Servius observat : *Sane sciendum sacrificantes diis omnibus capita velare consuetos ob hoc, ne se inter religionem aliquid vagis offerret obtutibus, excepto tantum Saturno, ne numinis imitatio esse videretur, et Herculis in templo suo, quia et ipse capite operto est, vel quia hæ aræ ante adventum Æneæ a Junone et Evandro consecratæ sunt* (*Serv. in cit. vers.*, *pag.* 292). Ea autem exceptio satis probat hunc fuisse gentilium ritum et morem, quem etiam deos salutando et orando observabant. At de illo plura Brissonius, quem adire poteris (*Brisson.*, *lib.* I *de Form.*, *pag.* 140 *et seqq.*).

Christiani itaque e contrario orabant *nudo capite*, quia dictum ab Apostolo noverant : *Omnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput suum* (*Paul.* I *ad Corinth.*, *cap.* 11, *v.* 4). At cur Tertullianus, inquiet aliquis, non hanc Apostoli attulit rationem, *sed quia*, uti ait, *non erubescimus ?* Nos itaque huic respondebimus hanc ab eo datam videri, quia ad propositum suum maxime conducebat. Christianos enimvero gentilibus ibi, ut diximus, opponit. At hi, sicut ibidem subjecit, falsis diis sacrificando, quemadmodum precando, afferebant *post omnia inquinamenta etiam conscientiam spurcam* (*Tertull. Apologet.*, *cap.* 30, *pag.* 443, 445), et omni scelerum genere coinquinatam, ob quam si quid pudoris reliquum eis fuisset, perpetuo debebant rubore suffundi. Contra vero Christiani Deo suo omnipotenti *offerebant orationem de carne pudica*, sicut paulo ante notabamus (*art. sup.*), *de anima innocenti, de Spiritu Sancto profectam* (*Tert. ib.*), quomodo a nobis in superioribus dissertationibus fusius explicatum fuit (*Dissertat. in Minut. Octav.*, *cap.* 12, *art.* 2, *et in Lactant.*, *cap.* 33, *art.* 1). Tantum itaque abest ut Christiani sic Deum precantes erubescerent ; quinimo : *Nos ad Deum expansos*, ait Auctor noster, *ungulæ fodiant, cruces suspendant, ignes lambant, gladii guttura detruncent, bestiæ insiliant : paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis christiani* (*Tertullian. Apologet. loc. cit.*) ; qui nec religionem suam profiteri, nec Deum precari erubescebat. At non tantum *capite nudo*, sed prostrato etiam corpore, sicut alia in dissertatione ostendimus (*Dissertat. in Arnob.*, *cap.* 8, *art.* 2), palam et publicis in synaxibus preces suas fundebant.

Ad hæc vero hi ad orientem, aut quemadmodum Tertullianus loquitur, *ad orientis regionem* conversi, *Deum* precabantur (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 16, *pag.* 369). Neque mos ille, de quo alibi disputavimus (*tom.* I *Apparat.*, *lib.* III, *dissert.* 2, *cap.* 8, *art.* 7, *pag.* 1040), incognitus fuit ethnicis, qui solebant eodem quoque modo, sed plane penitusque perverso precari. Quamobrem Auctor noster illos ipsos hisce verbis compellat : *Plerique vestrum affectatione aliquando et cœlestia adorandi, ad solis ortum labia vibratis* (*Tertullian. loc. cit.*). Eadem ille in primo ad Nationes libro repetit (*lib.* I, *cap.* 13, *pag.* 579). Testem hujus moris si requiras, Virgilium audire poteris, hæc de Æneæ canentem :

> Surgit, et ætherei spectans orientia Solis
> Lumina, rite cavis undam de flumine palmis
> Sustulit, et tales effundit ad æthera voces.
> (*Virgil. lib.* VIII *Æneid.*, *v.* 68 *et seqq.*)

Et alio in libro de aliis sacrificia facientibus :

> Illi ad surgentem conversi lumina Solem,
> Dant fruges manibus salsas, et tempora ferro
> Summa notant pecudum, paterisque altaria libant.
> (*Ibid. lib.* XII, *v.* 72 *et seqq.*)

Servius autem in hos ultimos versus illud animadvertit : *Non utique nunc surgentem solem dixit ; jamdudum enim dies erat : sed disciplinam cæremoniarum secutus est, ut orientem spectare diceret eum qui esset precaturus* (*Serv.*, *pag.* 676). Quamobrem Latinus Pacatus initio panegyrici, quem Theodosio, eoque præsente, pronuntiavit : *Divinis rebus operantes, in eam cœli plagam ora convertimus, a qua lucis exordium est* (*Pacat. Panegyr. Theodos.*, *pag.* 246). Denique ut plures missos faciamus, Ovidius de dea Pale canebat :

> His dea placanda est, hæc tu conversus ad ortus
> Dic quater, et vivo perlue rore manus.
> (*Ovid. lib.* IV *Fastor.*, *v.* 365.)

At tametsi fuerit communis ille christianorum gentiliumque ritus, aliis tamen rationibus hi deos suos, illi vero Deum unum et verum ad orientem conversi orabant ; gentiles enim, ut notat Tertullianus, *affectatione* profecto pessima *aliquando etiam cœlestia adorandi* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 16, *pag.* 371, *et lib.* I *ad Nation.*, *cap.* 13, *pag.* 579). Res igitur cœlestes, stellas, nimirum, ac planetas cum adorarent, deosque esse opinarentur, idcirco ad solem, illorum

Digitized by Google

omnium maximum et primarium, orantes sese convertebant.

At Christiani longe diversis rationibus hunc in modum precabantur; ac potissimum quia ad paradisum, unde ejecti fuerunt, et ad solem justitiæ Christum Dominum respicere debebant. Alias vero plures ex variis scriptoribus cardinalis Bona retulit, quas in ejus libris legere promptum est, nec huc congerere necessarium (*Bona, de divin. Psalm. cap.* 6, § 3, *pag.* 177). Verumtamen Origenes, sicuti alibi observavimus (*tom.* I *Apparat., pag.* 1040), ingenue fatetur hujus ritus satis validam rationem non posse proferri. Nemini tamen facile persuadebitur illum a Christianis nullam ob causam receptum, qui ita publico et unanimi omnium consensu observabatur, ut nec ipsismet ethnicis incompertus fuerit. Nam hinc quidam ex illis suspicabantur corporeum solem, sicut ait Auctor noster, Christianorum Deum esse, et ab illis adorari. Sed absurda hæc calumnia paucis hisce verbis ab eo contunditur: *Ad Persas si forte deputabimur, licet solem, non in linteo depictum, adoremus, habentes ipsum ubique in suo clypeo* (*Tertullian. Apologet., cap.* 16, *pag.* 369). Constat autem Persas coluisse solem, quem pro vero Deo habebant. Testes enimvero hujus impietatis sunt Herodotus, Strabo, Justinus historicus, et alii complures, quos quidem, ne ab aliis sæpius actum agamus, non censuimus esse appellandos (*Herodot., lib.* I, § 131; *Strab., lib.* XV *Geogr., pag.* 732; *Justin., lib.* I *Histor., cap.* 10). Mirum itaque nulli videri debet si hi solis cultores illum in clypeo depictum haberent; quandoquidem milites suis in clypeis depictas vel sculptas imagines deferre consueverant. Quinimo si Plinio credimus, inde derivatum est illud clypei nomen. Addit vero: *Origo plena virtutis faciem reddi in scuto cujusque, qui fuerit usus illo. Pœni ex auro factitavere, et clypeos et imagines secumque in castris tulere* (*Plin., lib.* XXXV *Hist. natur., cap.* 3, *pag.* 177). Cui vero ignota sunt ea, quæ Homerus de Achillis, et Virgilius de Æneæ clypeis græco latinoque carmine cecinerunt? (*Homer. Iliad.* XVIII, *v.* 478, *et seqq.*; *Virgil. lib.* VIII *Æneid., v.* 925 *et seqq.*). Pari itaque ratione Persæ in clypeo gestabant effigiem solis, quem maximum deum esse arbitrabantur.

Esto, inquies, ac cedo hunc fuisse revera Persarum morem. Sed quomodo inde colligi potest quis verus sit Tertulliani sensus? Nonnulli quidem ejus verba sic interpretantur: Persæ in linteo pingunt solem, quem Christiani habent in clypeo suo, id est, in illo qui mundi oculus et instar clypei est, aut sicut alii volunt, vultum solis tanquam in clypeo cernunt. Sed hæc magis utique subtilis, quam solida explicatio nunquam dubio procul in mentem Tertulliani venerat. Simplicior autem, ut ex observatis liquet, videtur esse hic illius sensus: Ethnici falso putabant solem a Christianis, quemadmodum a Persis adorari. Nam hi in clypeis suis effictam et repræsentatam solis dei sui imaginem ubique habebant, Christiani vero ne quidem in linteo ullibi depictam.

ARTICULUS IV.

Cur Christiani diem dominicum, ab ethnicis Soli dicatum, læti festum agerent, sicque uno tantum loco a gentilibus et Judæis diem sabbati solemnem celebrantibus discreparent.

Alius sane nec minor profecto error erat gentilium, qui adhuc opinabantur solem ideo a Christianis tanquam Deum coli, quia dominicum diem, ab illis Soli dicatum, hi cum lætitia agerent. Quamobrem Tertullianus eos sic refellit et exagitat: *Æque si diem solis*, id est, dominicum, *lætitiæ indulgemus, alia longe ratione, quam religione sive cultu Solis* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 16, *pag.* 371). Tacet quidem ille, quæ ea sit alia ratio cur eum diem læti atque adeo festum celebrarent. Sed illam nobis reddidit Barnabas: *Idcirco diem octavum*, inquit, id est, dominicum *in lætitia agimus, in quo et Jesus resurrexit a mortuis, et cum apparuisset, ascendit ad cœlos* (*Barnab. epist.*, § 15, *pag.* 16). Quod quidem pulchre confirmat Justinus martyr, qui idcirco non secus ac Barnabas et Tertullianus noster aperte declarat hunc diem solis appellatum, quo Christiani congregari solebant: τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ, *die quæ solis vocatur* (*Justin. Apolog.* 1). Eodem quoque nomine nuncupatur in variis Constantini Magni, Valentiniani junioris, et Theodosii legibus, in quas Gothofredus plura in rem nostram aliique alibi observarunt (*Cod. Theodos., leg.* 1 *et* 2 *de feriis, pag.* 118 *et seq.*)

Aliquando etiam dies dominicus, vel dominica solemnia, vel simpliciter dominicum cognominabatur. Scriptum quippe Tertullianus noster reliquit: *Quomodo dominica solemnia celebrabimus* (*Tertull., l.b. de Fuga, cap. ultim.*)? Cyprianus vero in sua ad presbyteros, diaconos et universam plebem epistola scripsit: *Dominico interim legit nobis, id est, auspicatus est pacem, dum dedicat lectionem* (*Cyprian., epist.* 38, *pag.* 57). Quæ est autem, obsecro te, ea lectio, nisi illa, quæ in publicis Christianorum cœtibus, uti in sequenti capite dicemus, fieri consueverat. Si quid vero clarius desiderabis, audias velim Eusebium, qui memoriæ prodidit hunc diei dominici solemni ritu celebrandi morem a Christo Domino manasse: Ἐφ' ἑκάστης ἑβδομάδος τὴν κυριακὴν χρηματίζουσαν ἡμέραν ἑορτὴν ἄγειν ἐπὶ ταυτὸ συιόντας παραδέδωκε, καὶ αὐτὰ σώματα πιαίνειν, τὰς δὲ ψυχὰς ἐνθέοις παιδεύμασιν ἀναζωπυρεῖν παρεσκεύασε. *Præcepit ut singulis septimanis in unum convenientes, dominicum diem festum agerent, nec corpora sua saginarent, sed animos divinis præceptionibus refocillarent* (*Euseb. orat. de laud. Constantin., cap.* 17, *pag.* 664). Atque ita Valesius hunc Eusebii locum interpretatur, qui ante verbum πιαίνειν particulam οὐ librarii incuria omissam fuisse non dubitat, quia τὸ πιαίνειν non convenit christianis. Postea vero Epiphanius de eadem dominicæ diei celebritate hæc scriptis tradidit: Τὰς κυριακὰς ἁπάσας τρυφερὰς ἡγεῖται ἡ ἁγία αὐτῆ καθολικὴ Ἐκκλησία, καὶ συνάξεις ἀφ' ἑσπέρας ἐποιεῖ, οὐ νηστεύει. *Dominicas omnes festas hilaresque catholica sanxit Ecclesia, ac solemnes conventus matu-*

Digitized by Google

tinis horis indicit, nec ulla jejunia celebrat (*Epiphan. Exposit. fid.*, § 22, *pag.* 105). Alibi autem nos admonet hunc morem ab apostolis proficisci (*Idem, Hæres. Arii*, § 6, *pag.* 910). Plura in hanc rem, quæ omnibus nota est, accumulare nihil plane opus est. Sufficit enim omnibus probasse hunc diem in Christi, a mortuis hoc ipso die excitati, honorem jure merito fuisse institutum.

Quapropter sic pergit Tertullianus: *Secundo loco ab eis sumus, qui diem Saturni otio et victui decernunt, exorbitantes et ipsi a Judaico more, quem ignorant* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 15, *pag.* 357). Sed hæc uberius clariusque alibi exposuit, ubi gentiles hisce verbis affatur: *Vos certe estis, qui etiam in laterculum septem dierum solem recepistis, et ex diebus ipsum prælegistis, quo die lavacrum subtrahatis, aut in vesperam differatis, aut otium, aut prandium curetis. Quod quidem facilis exorbitantes et ipsi a vestris ad alias religiones. Judæi enim festi, sabbata, et cœna pura et Judaici ritus lucernarum, et jejunia cum azymis, et orationes littorales, quæ utique aliena sunt a diis vestris. Quare ut ab excessu revertar, qui solem et diem ejus nobis exprobratis, agnoscite vicinitatem. Non longe a Saturno et sabbatis vestris sumus* (*Idem, lib.* I *ad Nat.*, *cap.* 13, *pag.* 579). Sed dictu haud facile an genuina et incorrupta sint hæc verba, *orationes littorales* (*Philo Jud. in Flaccum, pag.* 992, *D*). Si enim hæc a Tertulliano scripta sunt, quid iis significetur dictu adhuc difficilius, nec ullus ea in notis suis explicare tentavit. Numquid autem Auctor noster ad quasdam Judæorum preces collineavit, quas Judæi ad fluviorum aut fontium littora fundere solebant, antequam eorum aquis abluerentur? Castigat autem gentiles, qui Christianis vitio vertebant, quod diem dominicum festum agerent. Non longe enim hi recedebant ab sabbatis Judæorum, et ritu ipsorummet gentilium, qui soli etiam unum hebdomadæ diem nuncupaverant.

Præterea singuli, ut scribit Philo Judæus, populi et nationes tametsi suis propriis et diversis legibus viverent, nullus tamen erat, qui τὴν ἱερὰν ἐκείνην ἑβδόμην οὐκ ἐκτετίμηκεν, ἄνεσιν πόνων καὶ ῥαστώνην αὐτῷ τε καὶ τοῖς πλησιάζουσιν, οὐκ ἐλευθέροις μόνον, ἀλλὰ καὶ δὴ δούλοις· μᾶλλον δὲ ὑποζυγίοις δὲ δούς: *Sacrum illum diem per singulas hebdomadas recurrentem non honoraret, remissionem laborum, feriasque afferentem patrifamilias cum domesticis non ingenuis tantum, verum etiam mancipiis, et jumentis insuper* (*Phil., lib.* I *de Vita Moys., post init., pag.* 657). Alterum ejusdem gentis testem habemus Josephum, qui similiter edixit: Οὐδ' ἔστιν πόλις ἑλλήνων, οὐδὲ βάρβαρος, οὐδὲ ἓν ἔθνος, ἔνθα μὴ τὸ τῆς ἑβδομάδος, ἣν ἀργοῦμεν ἡμεῖς, τὸ ἔθος οὐ διαπεροίτηκεν, καὶ αἱ νηστεῖαι, καὶ λύχνων ἀνακαύσεις. *Nulla est civitas Græcorum aut barbarorum, nec ulla gens, ad quam septimanæ, in qua vacamus, consuetudo non pervenerit, jejuniaque aç candelabra accensa* (*Joseph., lib.* II *contr. Appion., pag.* 1081). Denique alibi observavimus (*tom.* I *Apparat., lib.* III, *dissert.* 2, *cap.* 16, *art.* 1, *pag.* 1117) a Clemente Alexandrino et Eusebio variis scriptorum testimoniis probari septimum hebdomadæ diem Judæis et Græcis fuisse sacrum.

Certum itaque ex hactenus dictis unicuique esse debet, primo Christianos longe alia ratione, et alio ritu diem solis sive dominicum celebrasse, quam Judæos ac gentiles, de quibus Lactantius, quidquid nonnulli dixerint, etiam loquitur. Secundo, eosdem Christianos per hunc diem indulsisse *lætitiæ*, nimirum spiritali; quia omnes undique, ut ex Justino martyre alibi annotavimus (*Ibid., pag.* 23), in eumdem locum confluebant, sacramque suam, eo quo diximus modo, agebant synaxim. Sed plura de illa noster Tertullianus tradidit, quæ nunc enucleanda sunt.

CAPUT XV.

De sacris Christianorum synaxibus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quam ob caussam Christiani sacros cœtus inirent; de fusis ibi precibus, ac potissimum pro mora finis; de sacrarum Scripturarum lectione, et cohortationibus; de præsidibus, probatis, senioribus, et honorem nullo pretio, sed testimonio adeptis.

Nihil plane in tota Christianorum disciplina, eorumque moribus erat, quod acrioribus ethnici vexaverint calumniis, quam illorum synaxes, ac solemnes ad sacra mysteria agenda conventus. Quamobrem Tertullianus impudentem calumniatorum audaciam non alio validiori argumento penitus comprimi posse censuit, quam sincera et simplici eorum, quæ in iis agebantur, expositione. Primum itaque enarrat quem in finem Christiani congregarentur: *Coimus*, inquit, *in cœtum et congregationem ut ad Deum, quasi manu facta, precationibus ambiamus orantes* (*Tertul. Apolog., cap.* 39, *p.* 467). Sed hæc totidem verbis in omnibus nostris codicibus manuscriptis, et antiquis editionibus habentur, Rigaltio longiora, ac forte obscuriora visa sunt. In textu igitur contra ipsius, quo usus est, antiquioris codicis fidem, hæc tantum voluit retineri: *Coimus ad Deum, quasi manu facta, precationibus ambiamus.* Cur autem tot verba deleverit contra unanimem codicum consensum, ne minimam quidem reddit rationem. Siccine ergo Rigaltio licuit tam veteris Scriptoris librum tanquam suum pro libito corrigere, ac quæ volebat ex illo demere, et amputare? Dixit autem Tertullianus: *Coimus in cœtum et congregationem*, sicuti Cicero post Terentium: *Coimus in Piræum* (*Cicer., lib.* VII, *epist.* 3, *ad Attic., pag.* 275, *lin.* 8; *Terent. Eunuch., act.* III, *scen.* 4, *v.* 1), Virgilius autem canebat:

> . . . Socium virtus coit omnis in unum.
> (*Virgil. lib.* X *Æneid., v.* 410.)

Sic autem congregati Christiani *quasi manu facta* undique Deum cingebant, et ambiebant, ut simul *orantes* divinam ejus misericordiam *precationibus* suis flecterent. Nec ingratam illi vim faciebant: Nam *hæc vis*, inquit Auctor noster, *Deo grata est* (*Tertullian. Apologet., cap.* 39, *pag.* 467), qua Christiani, conjunctis omnium precibus, eum for-

Digitized by Google

midabilia justitiæ arma ponere, ac postulata divinæ clementiæ dona sibi non denegare quadam quasi violentia cogebant.

In hunc autem modum orabant non pro se ipsis tantum, sed etiam *pro imperatoribus*, uti ille adhuc ait, *pro ministris eorum, ac potestatibus* (*Tertull., ibid.*), id est, magistratibus et præsidibus, sive urbium, sive provinciarum, et iis omnibus quorum ministerio ad regendos populos utebantur; *pro statu sæculi*, id est, imperii, ut firmus esset ac stabilis, nec bellis, aut seditionibus concuteretur; *pro rerum quiete*; ut omnes fruerentur semper optandæ pacis bono. Noverant enim Christiani, quod Apostolus præceperat fieri *obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt; ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate* (I *ad Timoth.*, *cap.* II, *v.* 1 *et* 2). Debis porro precibus, quas Christiani in suis synaxibus pro se et aliis fundere solebant, alibi disseruimus (*Dissertat. in Arnob.*, *cap.* 8, *art.* 2).

Quapropter illud nunc observare tantum juvat, quod ibidem Tertullianus adjecit, Christianos in hisce synaxibus Deum adhuc precatos fuisse *pro mora finis* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 39, *pag.* 467). Quis autem, amabo te, ille finis erat, nisi totius mundi, quem cum Romani imperii ruina evertendum esse opinabantur (*Idem, lib. ad Scapul.*, *cap.* 2). Quamvis autem hæc, de qua aliquid postea dicendum (*Infr.*, *cap.* 21, *art.* 1), omnino falsa sit opinio, inde tamen intelligimus Christianos toties Deum pro Romani imperii diuturnitate orasse, quoties illum pro afferenda mundi, finiendi mora precabantur. In suum enim animum, præpostere quidem, sed penitus tamen induxerant *clausulam sæculi*, ipsa adhuc sunt Auctoris nostri verba, *Romani imperii commeatu retardari* (*Idem, Apologet.*, *cap.* 32, *pag.* 447).

At quantum hæc falsa, tantum illa vera sunt, quæ in sacris Christianorum synaxibus acta sic commemorat: *Coimus ad litterarum divinarum commemorationem* (*Ibid.*, *cap.* 39, *p.* 34), id est, earum lectionem et recitationem. Nam in hoc fidelium cœtu: τὰ ἀπομνημονεύματα, ut ait Justinus martyr, τῶν ἀποστόλων, ἢ τὰ συγγράμματα τῶν προφητῶν ἀναγινώσκεται μέχρις ἐγχωρεῖ. *Commentaria apostolorum, aut scripta apostolorum, quoad tempus fert, leguntur* (*Justin. Apolog.* 1, *n.* 67), aut ut ait Tertullianus: *Si quid præsentium temporum*, quibus ethnici in Christianos tanta crudelitate grassabantur, *qualitas aut præmonere cogit, aut recognoscere* (*Tertullian., loc. cit.*). His enim sacris vocibus fidem pascebant, erigebant spem, ac fiduciam securitatemque suam figebant. Tradita quoque in eis morum præcepta sæpius relegendo et audiendo, firmiorem reddebant disciplinam suam, ac recte vivendi rationem.

Sacræ vero Scripturæ lectionem excipiebant exhortationes, ait Auctor noster. Antea Justinus martyr: Εἶτα, inquit, παυσαμένου τοῦ ἀναγινώσκοντος, ὁ προεστὼς διὰ λόγου τὴν νουθεσίαν καὶ πρόκλησιν τῆς τῶν καλῶν τούτων μιμήσεως ποιεῖται. *Deinde lectore quiescente, præsidens admonitionem facit, qua ad tam pulcherrarum rerum imitationem alios provocat et hortatur* (*Justin. ib.*). Atque ita ille explicatius enarrat, quæ, et a quo, et quam ob causam factæ fuerint illæ exhortationes.

Eas autem, pergit Tertullianus, proxime sequebantur *castigationes, et censura divina* (*Tertull., ibid.*), quas quidem Justinus martyr, aut quia brevitati consulebat, aut quia ad propositum suum parum faciebant, penitus prætermisit. At Origenes diserte primum asserit Christianos sui temporis operam omnibus modis dedisse, ut eorum conventus et synaxes prudentibus hominibus complerentur, quibus quidquid egregium et divinum habemus, popularibus sermonibus ac pro singulorum captu explicabatur (*Origen.*, *lib.* III *contr. Cels.*).

Tum deinde Tertullianus continuo adjecit ab iisdem cœtibus eos prorsus ejectos, qui peccatis, atque in primis libidine sordidati erant (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 39, *p.* 469). Triplex vero fuit, ut suo loco ostendemus, peccatorum criminumque genus propter quod lata, ad exemplum Apostoli (*Paul.*, *epist.* I *ad Corinth.*, *cap.* V, *v.* 3 *et seq.*), in reos excommunicationis sententia, ab ecclesiæ ingressu arcebantur. Non prius autem absolvi poterant, quam horumce criminum publicam pœnitentiam egissent.

Antea tamen illorum peccata debebant diligentissime examinari et agnosci. Quamobrem judicatur, ait Auctor noster, *magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu; summumque futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis, et conventus, et omnis sancti commercii relegetur* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 39, *p.* 469). Summa igitur cura, et qua major nulla esse poterat, investigabant, quæ et qualia erant reorum peccata, atque in convictos sententiam ferebant, quasi Deum, supremum omnium judicem, ante oculos habuissent. Ea itaque sententia maximum erat judicii, a Deo in ipso mundi fine ferendi præjudicium. Nam sicut ad Pomponium scripsit postea Cyprianus: *Apud fideles servos Dei spiritali gladio excommunicationis superbi et contumaces necantur, dum de Ecclesia ejiciuntur. Neque enim vivere foris possunt, cum domus Dei una sit, et nemini salus esse nisi in Ecclesia possit* (*Cyprian., epist.* 5, *ad Pomp.*).

Prosequitur Tertullianus: *Præsident* his Christianorum cœtibus, *probati quique seniores* (*Tertullian., loc. cit.*). Nobis autem non explicat qui fuerint illi *seniores* præsidentes, quos, sicut ibi hoc solo nomine, ita in alio, ubi de iisdem synaxibus disserit, præsidentes tantummodo appellat: *Eucharistiæ sacramentum*, inquit, *et in tempore victus et omnibus mandatum a Domino etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam præsidentium sumimus* (*Idem, lib. de Coron. milit.*, *cap.* 3). A Justino etiam martyre, ut paulo ante vidimus, singularum synaxeon præses, προεστώς tantum nuncupatur. Verum ipsemet Tertullianus ubi de sacri baptismatis, in iisdem synaxibus col-

Digitized by Google

lati, administratione disputat, aperte designat qui sint hi præsides. Ibi autem hæc ipsamet ejus verba legimus : *Dandi quidem* baptismatis *habet jus summus sacerdos, qui est Episcopus, dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem, quo salvo, salva pax est* (*Idem, lib. de Baptism., cap.* 17). Episcopi igitur his aliisque Christianorum synaxibus præsidebant, et eorum auctoritate, presbyteri et diaconi.

Cur autem *seniores* ab illo vocarentur, his discere est Cypriani verbis : *Jampridem per omnes provincias, et per urbes singulas, ordinati sunt episcopi in ætate antiqui, in fide integri, in pressura probati, in persecutione proscripti* (*Cyprian., epist.* 55 *ad Antoni.*). Cernis ibi episcopos vocari in ætate antiquos, ac proinde *seniores*. Nonne ergo eo nomine Tertullianus episcopos designavit, quorum saltem plurimi suo tempore seniores erant, et ætate provecti ? Ad hæc vero, ab eodem Cypriano dicuntur *in pressura*, id est, cruciatibus pro Christi fide constanter toleratis *probati*. Alio tamen sensu ab Auctore nostro simpliciter nuncupantur *probati*, nimirum aliorum suffragio ob vitæ suæ sanctimoniam *probati* et electi. Ipse enimvero hæc ibidem subjunxit : *Honorem istum non pretio, sed testimonio adepti. Neque enim pretio ulla res Dei constat* (*Tertullian. Apologet., cap.* 39, p. 469 *et seq.*). Nemo autem, uti putamus, negabit ibi a Tertulliano hisce verbis *honorem istum* designari sacros ministrorum Dei ordines, qui nullo penitus, quantumvis minimo, pretio, sed certo et gravi religiosorum hominum testimonio viris probatis et electis conferri debebant. Rationem si quæras, hanc ab Ambrosio, dictis Tertulliani plane congruentem, accipe : *Habes Domini præceptum vatis* Elisæi, Giezum punientis, *exemplum gratis dare, nec vendere ministerium, sed offerre; non enim pretio taxatur Dei gratia; nec in sacramentis lucrum quærere, sed obsequium sacerdotis* (*Ambros., lib.* IV *Exposition. in Luc.*, § 52). Et paulo post : *Inexpiabilis est enim venditi culpa ministerii et gratia : vindicta cœlestis transit ad posteros* (*Ibid.*, § 53). Postea id confirmat exemplo Simonis Magi (*Ibid., lib.* IX, § 19), a quo simonia, tam sæpe canonibus Ecclesiæ, ac sanctorum Patrum scriptis damnata, nomen accepit.

ARTICULUS II.

De stipe, quam Christiani in suis synaxibus offerebant; ubi reposita fuerit ; utrum illorum charitas tempore Tertulliani refrixerit ; ac quibus, et ad quos usus quæ ab eis dabantur dispensata sint.

Quanquam Tertulliani tempore ab Ecclesia penitus exsularet omnis simoniaca labes; in ea tamen domo, in quam Christiani ad synaxes agendas solito more convolabant, repositum erat *arcæ genus*, sicuti ille ait, *non dehonoraria summa, quasi redemptæ religionis* (*Tertullian. Apologet., c.* 39, *p.* 469). Atque ita quidem in duobus antiquioribus nostris codicibus. In duobus vero recentioribus Colbertinis, *non de honoraria*. In priscis ac quibusdam recentioribus excusis *non de oneraria*. Pessime tandem in Pamelii editione *non de ordinaria*. Nam singulis saltem mensibus, ut mox dicetur, ea summa deferebatur. Primam itaque lectionem cæteris prætulit Rigaltius, tum quia in vetustissimo codice habetur, tum quia hoc nomine *dehonoraria* significari putat summam, quæ nec venalis, *nec redemptæ*, ut ait Tertullianus, *religionis*, atque ita nulli dehonestamento erat. Minus itaque bene ex hoc nomine illa duo *de honoraria* a librariis facta sunt; nisi his significari velis hanc summam a christianis, qui a gentilium fastu omnino abhorrebant, non dari ad aliquem humanum honorem aucupandum. Si vero legendum censeas *non de oneraria summa*, quæ videlicet Christianis nec molesta, nec oneri erat, hæc lectio non minus quam Rigaltiana confirmari potest his sequentibus Tertulliani verbis : *Modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit, et si modo velit, et si modo possit, apponit. Nam nemo compellitur, sed sponte confert* (*Ibid.*). Non magno igitur vel honori, vel oneri esse poterat ea modica pecunia, quam unusquisque pro libito ac facultate offerebat. Quod autem adjecit eam non esse *quasi redemptæ religionis* (*Idem, ibid., cap.* 13 *et* 42), his verbis ethnicos perstringit, qui sacra omnia venalia, ut ipse ait, et infra ostendemus, habebant, et pro eis exigebant mercedem.

Testatum posthæc Tertullianus facit eam summam sive stipem a Christianis datam fuisse *menstrua die* (*Ibid., cap.* 39, *p.* 469), hoc est, semel unoquoque mense. Stipem enim *menstruam* sic explicat Marcianus : *Permittitur tenuioribus stipem menstruam conferre, dum tamen semel in mense coeant, quod non in Urbe, sed in Italia, et provinciis locum habere divus quoque Severus rescripsit* (*Lib.* XLVII *Digest., titul.* 22, *leg.* 1). Eodem autem Severo imperante hæc, uti supra annotatum est, Tertullianus scribebat.

Quid ergo, inquiet aliquis, numquid tunc refrixerat Christianorum charitas? Nonne Apostolus ad Corinthios scripserat : *De collectis quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite. Per unam sabbati unusquisque vestrum seponat, recondens quod ei bene placuerit; ut non, cum venero, tunc collectæ fiant* (*Paul. Epist.* I *ad Corinth., cap.* XVI, *v.* 1 *et* 2). Neque ibi ille tantum, sed *in cunctis pene epistolis suis*, ait Hieronymus, *loquitur, et præcipit Ecclesiis gentium per unam sabbati, hoc est, die dominico omnes conferre debere, quæ Hierosolymam in sanctorum solatia dirigantur* (*Hieronym. lib. advers. Vigilant.*). Jussit ergo Apostolus hasce collectas singulis dominicis fieri, ac pecuniam apud aliquos deponi, donec egenis aliisque miseris et indigentibus mitteretur. Litteris quoque Justinus martyr mandavit hunc morem suo tempore servatum, ac singulis quibusque synaxibus, die solis sive dominico coactis : οἱ εὐπορούντες καὶ βουλόμενοι, κατὰ προαίρεσιν ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ, ὃ βούλεται δίδωσι, καὶ τὸ συλλεγόμενον παρὰ τῷ προεστῶτι ἀποτίθεται. *Qui copiosiores sunt, et volunt, pro arbitrio quisque suo quod visum est, contribuunt, et quod*

Digitized by Google

ita colligitur, apud præpositum deponitur (*Justin. martyr. Apolog.* 1, *n.* 67).

Si ergo Tertulliani ætate hanc stipem menstrua tantum die, eamque modicam Christiani erogabant, nonne illorum misericordia et charitas, non parum, uti antea annotabamus (*supr. cap.* 12, *art.* 3), imminuta et debilitata erat? Neque Cyprianus, ibi a nobis citatus, id dissimulat, qui de duriori matronæ christianæ in pauperes et miseros animo sic conqueritur : *Locuples et dives es, et dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non respicis, quæ in dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis* (*Cyprian. Oper. et Elecmos.*). Verum tametsi quidam tunc avaritiæ vitio correpti, nullam ea die stipem conferrent, multi nihilominus plura non solum *menstrua die*, sed sicut ait Tertullianus, cum volebant, pauperibus distribuenda largiebantur. Ibi enimvero ille declarat tantam fuisse illam Christianorum liberalitatem, ut *ejusmodi vel maximæ dilectionis operatio notam* nimiæ procul dubio pecuniarum effusionis *nobis inurat penes quosdam*, videlicet gentiles (*Tertullian. Apologet., cap.* 39, *p.* 471).

Quanta autem esset illa Christianorum largitio ac beneficentia ex subsequentibus adhuc agnosces Tertulliani verbis, quibus aperte asseverat eam, tanquam pietatis depositum, dispensatam fuisse *egenis alendis humandisque, et pueris, ac puellis, re ac parentibus destitutis, jamque domesticis senibus, item naufragis; et si qui in metallis*, sive ad metalla damnati, *et si qui in insulis*, seu in insulas relegati, *vel in custodiis*, id est, carceribus, *duntaxat ex caussa Dei sectæ, alumni confessionis suæ fiunt* (*Ibid.*), hoc est, christianæ religionis sectatores, qui ob ejus confessionem his pœnis affecti, pecunia a christianis liberaliter collata aluntur. Quamobrem ille suum ad Martyres librum sic orditur : *Inter carnis alimenta, benedicti martyres designati, quæ vobis et domina mater Ecclesia de uberibus suis, et singuli fratres de opibus suis propriis in carcerem subministrant, capite aliquid et a nobis, quod faciat ad spiritum quoque educandum* (*Idem, lib. ad Martyr., cap.* 1). Et paulo post : *Quæ justa sunt caro non amittit, per curam Ecclesiæ, et agapen fratrum* (*Ibid., cap.* 2). Antea vero Justinus martyr, a nobis laudatus, dixerat hac pecunia præpositum, apud quem fuerat deposita, opitulari ὀρφανοῖς καὶ χήραις, καὶ τοῖς διὰ νόσον ἢ δι' ἄλλην αἰτίαν λειπομένοις, καὶ τοῖς ἐν δεσμοῖς οὖσι, καὶ τοῖς παρεπιδήμοις οὖσι ξένοις, *Orphanis et viduis, aut his qui propter morbum, aut aliquam aliam caussam egent, quique in vinculis sunt, et peregre advenientibus hospitibus* (*Justin. Apolog.* 1, *n.* 67).

Nobis quoque Eusebius exhibet fragmentum epistolæ Dionysii Corinthiorum episcopi ad Romanos, ubi illorum laudat consuetudinem, ab ipso ortam christianæ religionis exordio, et a Sotere illorum episcopo auctam, qua Christianorum, etiam aliis in urbibus degentium, et ad metalla damnatorum inopiam vario beneficiorum genere sublevabant (*Euseb. lib.* IV *Hist. Eccles., cap.* 33, *pag.* 145). Quin etiam Cyprianus ad presbyteros et diaconos hæc scripsit in verba : *Quantum ad sumptus suggerendos sive illis, qui gloriosa voce Deum confessi in carcere sunt constituti, sive iis qui pauperes et indigentes laborant, et tamen in Domino perseverant, peto nihil desit, cum summa omnis, quæ redacta est, illic sit apud clericos distributa propter ejusmodi casus; ut haberent plures unde ad necessitates et pressuras singulorum operari possint* (*Cyprian. epist.* 5). Quomodo autem hac stipe et eleemosynis necessitatibus egentium subveniendum esset, sic ille constituit : *Quod si penuriam talis, et necessitatem paupertatis obtendit, potest inter cæteros, qui alimentis Ecclesiæ sustinentur, hujus quoque necessitas adjuvari; si tamen contentus sit frugalioribus, sed innocentibus cibis.* (*Idem, epist.* 2, *Eucratio*). Eum itaque in modum, eamque ob caussam pecunia in synaxibus oblata, et apud clericos deposita, his, qui nominati sunt, indigentibus distribuebatur.

Quamobrem Tertullianus hanc christianorum charitatem, qua omnia præter uxores, indiscreta habebant, tantum extollit, quantum in ethnicos eam, ut supra ostendimus, avaritia et cupiditate insatiabili dirimentes invehitur (*Tertullian. Apologet. cap.* 39, *pag.* 471). Nec mirum, ait ille, si ab hominibus adeo avaris nec christiana religione imbutis *conviolatur tanta charitas*, uti in antiquioribus nostris codicibus, et in antiquis editionibus scriptum est, in quarto autem simpliciter *violatur*, sed eodem semper sensu. Rigaltius tamen contra codicum omnium fidem posuit *convivatur*, id est, christiana charitas convivium facit. Sed hæc correctio nullius firmatur codicis auctoritate. Deinde vero ibi Tertullianus loquitur de fraterna charitate, ab ethnicis adeo violata, ut christianorum *cœnulas*, quibus ea potissimum alebatur, tanquam prodigas infamarent. Sed de his nunc agendum.

ARTICULUS III.

De data in Christianorum synaxibus cœnâ, et præmissis ei precibus; ac contra impudentes ethnicorum calumnias ostenditur quam frugalis, sobria modestaque fuerit.

Compertum profecto ethnici habebant Christianos suis in synaxibus cœnasse; sed ignorabant utique quanta modestia, frugalitate et pietate hæc cœna condita fuerit. Quapropter solito in eosdem Christianos effrænato furore semper inflammati : *Cœnulas nostras*, inquit Tertullianus, *præterquam sceleris infames, ut prodigas sugillabant* (*Tertullian. Apologet. cap.* 39, *pag.* 473). Duplex igitur erat hujusce accusationis caput. Et primum quidem illas sceleribus, nimirum infante occiso, ac horrendo carnis ejus pabulo, et turpissimo incestu fuisse infames. Sed totam hanc falsissimam accusationem, ut infra videbimus, Auctor noster funditus evertit. Alteram vero prodigalitatis criminationem conterit nuda ac verissima cœnæ illius expositione. Eum itaque narrantem audire, et ejus verba nobiscum accurate examinare ne tibi, quæso, grave sit. Sic autem ille, *Cœna nostra de nomine ra-*

Digitized by Google

tionem sui ostendit : id vocatur, quod dilectio penes Græcos : in antiquis editionibus, *vocatur ἀγάπη, id quod dilectio apud Græcos est* (*Tert. Apol. c.* 39, *p.* 473). Numquid ergo his editionibus præfecti hanc græcam vocem addidere, quam græce nescientes librarii scribere ausi non sunt? Alio tamen in libro scripta latine invenitur, ubi ipse Tertullianus de martyribus in carcerem missis hæc scribit : *Quæ justa sunt caro non amittit, per curam Ecclesiæ et agapen fratrum* (*Idem. lib. ad Martyr.*, *cap.* 2). Ibi autem nomen illud sua propria significatione pro charitate et dilectione accipitur. Eo tamen nomine in ejus Apologetico, uti ab Origene (*Origen. lib.* I *contr. Cels.*), a nobis alibi citato (*tom.* I *Apparat. pag.* 715), vocatur Christianorum cœna, in qua præcipue eminebat illorum mutua dilectio et charitas.

Illa igitur, in hujusce amoris pignus data, non poterat utique dissoluta esse et prodiga. At quamvis in illa aliquid fuisset effusi atque sumptuosi, non ideo tamen ab ethnicis vituperari debebat. Quantumvis enim care constitisset, hac indigentes juvabantur. Atqui, sicut optime observat Auctor noster : *Lucrum est pietatis facere sumptum* (*Tertul. Apol. c.* 39, *pag.* 473). Tantum vero aberat, ut Christiani in hanc cœnam sumptus maximos facerent, ut summa sane frugalitate ac modestia præberetur. Enimvero nihil intemperatum aut immoderatum, vel, sicut ait Tertullianus, *nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittit* (*Ibid. p.* 477). Nomen autem *vile* aliquando sumitur pro sordido et abjecto, aliquando etiam pro abundanti; quo sensu dixit Virgilius *vilemque phaselum* (*Virgil.* I *Georg.*, *v.* 257), id est, ut animadvertit Servius, *abundantem. Nam quod abundat, vile est*; ut : *vilibus aut onerat pomis.* At si hoc posteriori significatu Auctor noster illud nomen accepit, sensus illius erit nihil in christianorum cœna fuisse superfluum et redundans. Nobis tamen facilius persuadebitur adjectivum illud *vile* adhiberi priori sensu pro sordido et abjecto. Christianorum enim cœnam opponit gentilium conviviis, in quibus infames parasiti, hominum omnium vilissimi admittebantur, *ad contumelias*, sicuti ille loquitur, saginandi. Nihil etiam *immodestiæ* in illa cernebatur, atque plane discrepabat a memoratis ab illo ibidem gentilium epulis, et Bacchanalibus, de quibus nos alibi et infra adhuc agendum.

Sacræ porro Christianorum mensæ *non prius discumbitur*, inquit Tertullianus, *quam oratio ad Deum prægustetur* (*Tertullian. Apologet. cap.* 39, *pag.* 477). Jam autem dixerat antea illos ideo congregatos, ut Deum, sicuti animadvertimus, precarentur et exorarent. Nunc itaque de his precibus loquitur, quas cœnæ præmittere solebant. At certe a Justino martyre discimus eas fusas fuisse post sacræ Scripturæ lectionem, et præpositi cohortationem, sed antequam panis, vinum et aqua offerrentur.

Pergit Tertullianus : *Editur quantum esurientes capiunt* (*Ibid.*); quæ quidem nostrorum et veterum codicum editorum lectio est. Displicuit tamen illa Rigaltio, scribique propria auctoritate voluit, *cupiunt*, haud dubie quia putabat ibi significari neminem esse, qui ibi ad plus aut minus comedendum bibendumque cogeretur. Quid vero si Auctoris nostri sensus sit, tunc esurientes edisse *non ultra*, ut ipsemet postea loquitur (*Ibid. cap.* 42, *pag.* 491), aut *perperam* : sed quantum illi *capiunt*, ad famem nimirum moderate depellendam; atque ita ut ad cibum potumque sumendum necessitate non voluptate ducerentur? Continenter enim subjunxit : *Bibitur, quantum pudicis utile est* (*Ibid. cap.* 39, *pag.* 477), hoc est, ea sobrietate, qua pudicitia nullum inde detrimentum accipiat.

Hac itaque in cibo et potu temperantia, *ita saturantur*, inquit (*Ibid.*), id est, iis adeo temperate utuntur, *ut qui meminerint etiam per noctem Deum adorandum sibi esse.* Nos vero manifestum alibi cuilibet fecimus (*tom.* I *Apparat.*, *lib.* III, *dissert.* 1, *cap.* 6, *pag.* 712 *et seq.*), tunc in more institutoque positum, ut christiani nocte ad Deum orandum surgerent. Quapropter ad uxorem suam ille scribebat : *Latebisne tu..... cum etiam per noctem exsurgis oratum* (*Tertull. lib.* II *ad Uxor. cap.* 5). Verum in eo Apologetici loco non de singulis noctibus agitur, sed iis tantum, quibus festi sacrarum synaxeon dies celebrabantur. Per illud tandem cœnæ tempus, inquit, Christiani *ita fabulantur, ut qui sciant Deum audire* (*Idem, Apologet. cap.* 39, *pag.* 477), quæcumque illi inter se de rebus colloquerentur divinis.

Addit insuper hymnos adhuc postea Deo decantatos, atque *hinc*, inquit, *probatur quomodo is, a quo canebantur, biberit* (*Ibid.*), id est, quanta sobrietate ac temperantia biberit. At quis hæc tam sincera cœnæ christianæ descriptione non intelligat quantum moderata, frugalis piaque fuerit?

ARTICULUS IV.

De his quæ post cœnam in Christianorum synaxibus agebantur; de aqua manuali; de accensis luminibus et synaxeon hora; de canticis et hymnis; de gratiarum actione, et christianorum discessu.

Post cœnam, eo, quo exposuimus, modo, datam et finitam, tria adhuc a Christianis acta his Tertullianus verbis enarrat : *Post aquam manualem, et lumina, ut quisque de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere* (*Tertullian. Apologet. cap.* 39, *pag.* 477). Primum itaque notavit aquam manualem, quæ nimirum ad manus abluendas porrigebatur. Ea autem consuetudo non solum apud christianos, sed gentiles etiam invaluerat. Narrat enim Athenæus ante et post cœnam, a Græcis datam abluendis manibus aquam, primamque κατα χειρὸς, secundam ἀπονίψασθαι à veteribus appellari (*Athenæ. lib.* XI *Deipnosoph.*, *cap.* 18, *pag.* 408; *id.*, *lib.* IV, *cap.* 1, *pag.* 128, *et cap.* 2, *pag.* 129). Quod quidem ille variis scriptorum testimoniis comprobat. Prius vero edidit fragmentum epistolæ Hippolochi, qua scripserat expletos cibo convivas manus lavisse. Memoriæ etiam Lampridius prodidit exhibita ab Heliogabalo parasitis fercula, ita ut per singula biberent, *et manus, quasi comedissent, lavarent* (*Lamprid.*, *in Vit. Heliogabal.*

Digitized by Google

pag. 343). Mos igitur ille manus post cœnam abluendi, utpote honestus, a Christianis quoque observabatur. Videsis Theodoretum et alios (*Theodoret. lib.* I *Hist. Eccles., cap.* 18).

Explicatu itaque difficiliora haud dubie plurimis videbuntur hæc duo subsequentia Tertulliani verba: *Et lumina.* Nobis quidem id non latet, quod quidam annotarunt in Woverii codice scriptum *ad lumina:* sed is solus codex cæteris omnibus præferri non debet. Ibi autem Auctor noster monitos procul dubio nos esse voluit tunc accensa fuisse lumina; quia sub vesperam Christiani congregabantur, cœnabantque finito jam die, ac postquam ea omnia, quæ enarravimus, facta fuerant. Ob necessitatem igitur, et ad fugandas, quemadmodum ille alibi significat, noctis *tenebras* hæc lumina accendebantur (*Tertullian. Apologet. cap.* 7, *pag.* 306). Sed de his jam aliquid alibi observavimus, et postea adhuc animadvertemus (*Dissertat. in Lactant. cap.* 25, *art.* 2).

Nobis vero aliquis procul dubio objiciet: Si hæc Christianorum synaxes sub vesperum cogebantur, ac noctis initio cœnam illi inchoabant, cur idem Tertullianus hos cœtus alibi antelucanos appellat? Cur alio in libro dixit: *Eucharistiæ sacramentum etiam antelucanis cœtibus sumimus* (*Tertull. lib. de Coron. milit., cap.* 3). Neque alio nomine a Plinio Secundo in sua ad Trajanum imperatorem epistola vocatos esse testatur. In ea siquidem, ut ipse Tertullianus retulit, Plinius scripserat nihil *in sacramentis eorum* christianorum *se comperisse, quam cœtus antelucanos ad canendum Christo et Deo* (*Idem, Apologet. cap.* 2, *pag.* 273). Quin etiam hi cœtus rursum a Tertulliano nominantur nocturnæ convocationes: *Quis nocturnis,* inquit, *convocationibus, si ita oportuerit, uxorem a latere suo adimi libenter feret?* Et paulo post: *Non sciet maritus quid secreto ante omnem cibum gustes,* atque adeo matutinis horis; *et si sciverit panem, non illum credit esse, qui dicitur* (*Idem, lib.* II *ad Uxor., cap.* 4). Simili etiam modo Cyprianus ad Cæcilium hæc in verba scripsit: *Nisi si in matutinis hoc quis veretur, ne per saporem vini redoleat sanguinem Christi* (*Cyprian. epist.* 63, *ad Cæcil.*). Quæ tamen in aliis pluribus codicibus manuscriptis ita leguntur: *Hoc quis veretur, ne vinum offerat, ne per saporem vini, odore flagrante, ab infideli conscientia odor vini horis matutinis fuerit agnitus, et agnoscatur esse christianus, dum nos sanguinem Christi in vini oblatione commemoramus.*

Difficultatis hujus nodum quidam solvi posse autumant distinguendo duplex synaxeon genus. Unum enim esse aiunt, in quo Eucharistia a Christianis jejunis summo mane sumebatur. Alterum vero illud esse censent, de quo agimus, quod agapen vocabant, solebatque sub vesperam inchoari. Sed contra hanc responsionem facere videntur Socrates et Sozomenus, qui asserunt non eumdem ubique a christianis servatum cœtus suos agendi morem. Narrant quippe in quibusdam Ecclesiis sabbato, in aliis dominica die actas synaxes; sacra quoque mysteria in nonnullis sub vesperam à cœnatis, in aliis vero ante omnem cibum accepta (*Socrat. lib.* V *Histor. Eccles., cap.* 2, *pag.* 287; *Soz. lib.* VII *Histor. Eccles. cap.* 17. *p.* 735). Si autem illos de suo potius, quam antiquissimo atque etiam Tertulliani nostri tempore loqui dixerit, nec id facile probabit, nec multum proficiet. Nam Tertullianus, non secus atque Justinus martyr, uti ex iis patet quæ superius annotavimus, disputat adversus ethnicos, qui tam falso, quam audacter clamitabant horrenda prorsus in Christianorum synaxibus scelera perpetrari, nonne ergo de omnibus plane synaxibus loquitur, in quibus ea, quæ agebantur, breviter et vere exponit? Certum quoque est christianos quibusdam in solemnitatibus, sicut Paschalis festi totam noctem pervigilasse. Ad suam namque uxorem Tertullianus scripsit: *Quis solemnibus Paschæ abnoctantem securus sustinebit?* (*Tertull. lib.* II *ad Uxor., cap.* 4). Sed in Apologetico non de his tantum, sed aliis synaxibus disserit, quas in multam noctem producere christiani consueverant. Nihil ergo prohibet quominus antelucani cœtus, et nocturnæ convocationes appellarentur.

Tertio Tertullianus narrat post illam Christianorum cœnam, *ut quisque de Scripturis sanctis vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere* (*Idem, Apologet., cap.* 39, *pag.* 477). Remota itaque mensa, unusquisque hymnum aliquem, aut desumptum ex sacra Scriptura, aut proprio ingenio in honorem Dei compositum, in totius consessus et coronæ medio canendum provocabatur. At Cyprianus Donatum ad psalmos quodam die concinendos hisce adhortatur verbis: *Et quoniam feriata nunc quies, ac tempus est otiosum, quidquid, inclinato jam sole, in vesperam diei superest, ducamus hunc diem læti, nec sit vel hora convivii gratia cœlestis immunis: sonet psalmos convivium sobrium, et ut tibi memoria tenax est, vox canora, aggredere hoc munus ex more. Magis charissimos pasces, si sit nobis spiritalis auditio; prolectet aures religiosa dulcedo* (*Cyprian. lib. ad Donat., in fin.*). Si quis autem objiciat ibi Cyprianum de sacris non loqui synaxibus, quid inde promovebit? Si enim in communibus cœnis psalmi cantabantur, quanto potius in sacris synaxibus concini debebant? Et certe Plinius, ab ipso Tertulliano citatus (*Tertullian. Apologet., cap.* 39, *pag.* 467), ad Trajanum, sicut antea vidimus, scripserat non aliud crimen in anteculanis Christianorum congregationibus a se deprehensum, nisi quod hymnum Christo quasi Deo canerent. De his porro hymnis alibi disseruimus (*Tom.* I *Apparat., pag.* 413, 656 *et* 658).

Talis porro fuit hujus convivii finis, quale fuerat illius initium: *Nam æque oratio,* ait Tertullianus, *convivium dirimit.* Finito itaque psalmorum, sive canticorum, vel hymnorum cantu, Christiani preces rursus ad gratias Deo agendas fundebant. Denique *inde discediturr,* verba adhuc sunt Tertulliani, *ad eamdem curam modestiæ et pudicitiæ, qui non tam cœnam cœnaverint, quam disciplinam* (*Tertullian. Apologet., cap.* 39, *pag.* 477), hoc est, normam pie sancteque vivendi, ac

Digitized by Google

divinam et spiritalem qua pasti fuerant, doctrinam. At de hoc modesto, religioso, pudico Christianorum ab ecclesia discessu actum a nobis alibi fuit (*tom.* I *Apparat., pag.* 713).

ARTICULUS V.

Quomodo ex Therapeutarum conventibus ea confirmari possint, quæ de Christianorum synaxibus dicta sunt.

Plura Philo judæus, ac post illum Eusebius, de Therapeutarum conventibus memoriæ mandarunt iis similia, quæ in Christianorum synaxibus acta hactenus vidimus. Quamobrem cum hæc mutuam sibi lucem dare possint, nemini ingratum, ac pluribus forsan non prorsus inutile fore putamus, si brevi enarratione ante omnium oculos ea ponamus, quæ ab illis Therapeutis agebantur. Nam hi sive mosaicam legem, uti Philo opinatur, sive christianam, sicuti Eusebio visum est, sive ut recentioribus quibusdam placuit, utramque simul observarent, ex horum certe ritibus illa plane firmari possunt, quæ de Christianis Tertullianus retulit.

Narrat autem Philo judæus his Therapeutis, quos Eusebius Marci evangelistæ discipulos esse existimat, septimum cujusque hebdomadis diem fuisse festum ac sacratum, sed eum in primis, qui post septem hebdomadas recurrit (*Phil. de Vit. contempla., pag.* 893, *et* 899 *et seqq.*; *Euseb. lib.* II *Eccles. Histor. cap.* 16 *et seq., pag.* 53 *et seqq.*). Omnes vero illi tam viri, quam mulieres eo die in unum locum, signo dato, conveniebant, inibantque convivium, ac sublatis in cœlum oculis et manibus, precabantur ut Deo placeret. Absolutis precibus, discumbebant pro cujusque dignitate, ita tamen ut viri dextrum, fœminæ vero, æque omnes pleræque sponte sua virgines, sinistrum latus tenerent. Nihil autem in hoc convivio apponebatur nisi panis pro cibo, sal pro obsonio, et delicatioribus pro condimento hyssopus, sed omnibus pro potu aqua sola, aut frigida, aut senioribus calida; utpote qui vinum haberent pro veneno. Summum vero, per totum convivii tempus, omnium silentium erat, dum ab uno tantum aliqua proponebatur ex sacris Scripturis quæstio, vel proposita solvebatur.

Posthæc cœtui præpositus hymnum a se compositum, aut sumptum ex sacris vatibus præcinebat, quem unusquisque suo ac decenti ordine imitabatur, cæteris tunc silentibus, qui in extrema tantum hymni clausula vocem sine sexus discrimine extollebant. Sublata dehinc mensa, omnes consurgebant, ac, præeunte cantore, hymnos in Dei honorem, nunc uno ore, nunc alternis psallentes, gradum modo recta, modo retrorsum, aut ad dexteram, aut sinistram movebant, ac unum tandem simul omnes agebant chorum. Denique cum ita pernoctassent, vultum corpusque totum ad orientem convertentes, ac felicem faustumque diem ibi comprecati, ad sua unusquisque revertebantur.

Nostri vero non est instituti nunc definire utrum hi Therapeutæ judæi au' christiani simul atque judæi fuerint, et ortam ea de re inter eruditos non minimam, et quæ nondum dirempta nobis videtur, litem componere. Ad nostrum enim propositum notasse sufficit Eusebium fateri ea quæ a Philone descripta vidimus, a Christianis fuisse observata, καὶ μάλιστα τὰς τῆς μεγάλης ἑορτῆς παννυχίδας, καὶ τὰς ἐν ταύταις ἀσκήσεις, τούς τε λέγεσθαι εἰωθότας πρὸς ἡμῶν ὕμνους. *Atque in primis pervigilia magnæ solemnitatis, piasque in iisdem exercitationes, et hymnos qui a nobis recitari solent* (*Euseb. lib.* II *Eccles. Histor., cap.* 17, p. 57).

Nec est sane, quod quis objiciat hunc errasse, qui hos Therapeutas reapse judæos, judaicamque legem profitentes, pro christianis habuit. Tametsi enimvero aliquid ibi humani passus sit; nemo tamen negare potest sacros Christianorum ritus, qui ejus atque etiam superiori ætate in Ecclesiis observabantur, ipsi non fuisse incognitos. Atqui aperte asseverat plures fuisse sacras Christianorum atque Therapeutarum in suis cœtibus similes exercitationes, ritus, et vigilias.

Cæterum ex his, quæ de eorumdem Christianorum cœna ac synaxibus hactenus disputata sunt, manifestissima omnibus esse debet impudentissima ethnicorum calumnia, qua illas et prodigas, et sceleribus horrendis infames esse mentiebantur. Tantum quippe tamque impudens mendacium simplici veraque harum synaxeon a Tertulliano adornata, et ab aliis plane confirmata descriptione funditus evertitur.

Ad hæc vero, in has synaxes, *cum boni*, inquit Auctor noster, *coeunt, cum pii, cum casti congregantur, non est factio dicenda, sed curia* (*Tertullian. Apologet. cap.* 39, *pag.* 477). Non factio quidem illicita et seditiosa, nec qualis ethnicorum, ut infra dicemus, esse solebat: *sed curia* erat, ubi, quemadmodum Varro et Festus aiunt, cura sacrorum publica gerebatur (*Varr. lib.* V *de Ling. latin.*, § 6; *Festus ad v.* Curia), eaque, ut Ciceronis verbis utamur, *vindex temeritatis, et moderatrix officii* (*Cic. orat. pro Flacco, pag.* 367, *lin.* 28). Ibi autem si quis aliquid antea peccaverat, pro merito castigabatur, ac præsides pia uniuscujusque officia sedulo docebant, et prudenter moderabantur. Quid ergo magis absurdum et falsum, quam sacras illas congregationes illicitæ factionis accusare, ubi Christiani, ut recte asserit Tertullianus, neminem lædebant, neminem contristabant, nisi ad salutarem, sicut ait Apostolus, pœnitentiam, si qui forte fragilitate humana, aut perverso animo in grave aliquod scelus lapsi fuissent (*Tertullian. loc. cit.*)? Sed hi profecto paucissimi inveniebantur. Nam cæteri omnes *hoc sumus*, ait adhuc Tertullianus, *in tam sanctis synaxibus congregati, quod et dispersi: hoc universi, quod singuli* (*Ibid.*), nimirum probi, boni, pii, casti, ut a nobis hactenus abundantius demonstratum est, et sequenti articulo confirmabitur.

ARTICULUS VI.

Diluitur ethnicorum argumentatio contra pios castosque Christianorum mores, inde petita, quod aliqui christiani a tradita morum disciplina, doctrina, et ipsamet christiana religione defecerant.

Contra hæc, quæ de sanctissimis Christianorum synaxibus et moribus disputata sunt, nec ulli incomperta esse poterant, audacter insurgebant ethnici,

Digitized by Google

nobisque opponebant, *de nostris*, sic quidem loquitur Tertullianus, *excedere quosdam a regula disciplinæ* (*Tertullian. Apologet. cap.* 46, *pag.* 513). Triplici autem modo ab ea christiani excedere poterant: et primo quidem quibusdam sceleribus, moribusque corruptis; secundo, erroribus et hæresi; tertio, turpi defectione ab ipsa tota religione christiana, et ad impium deorum cultum regressu.

Quod ad primum autem spectat, quia gentilium iniquissima obtrectactio ex iis, quæ hactenus retulimus, satis superque confutata fuerat, non plura utique Tertullianus, nec magis speciatim in Apologetico dicenda esse censuit. Verum in suo *ad Nationes* libro criminationem illam excutit ac refellit: *At vobis*, inquit, *dicimur pessimi et probrosissimi avaritia, luxuria, improbitate* (*Idem, lib.* I *ad Nation., cap.* 5, *pag.* 565). Ita sane illi solebant Christianos calumniari. Quid vero respondet Tertullianus? *Non negabimus*, ait, *quosdam*. Fatetur itaque nec plane dissimulat quosdam fuisse christianos, qui criminibus nonnullis inquinati erant. Sed quid inde contra cæteros, et multo magis contra christianam religionem? Nihil prorsus, inquit: imo hoc ipsum pro ejus et veritate et sanctitate stabilienda plurimum facit. Nam *sufficit et hoc*, ait ille, *ad testimonium nominis nostri ac perfectæ religionis, si non omnes, si non plures* (*Ibid.*). Cujus sane hanc pulchram ac veram reddit rationem: *Necesse est*, inquit, *in corpore, et quantum velis integro aut puro, ut nævus aliqui* (pro *aliquis*) *effruticet, aut verrucula exsurgat, aut lentingo sordescat* (*Ibid.*). Scripsit quidem *effruticet*, sicut in libro *de Anima* hominem ex duobus formari, *ut duo pariter hominem ex utraque substantia exfruticent* (*Idem, lib. de Anim., cap.* 27), sive oriantur et crescant. At parva hac macula evidentius ostendit totum corpus pulchrum esse, sanum et perfectum. Sic ergo quidam, sed paucissimi, Christiani, tanquam nævi quidam in toto illorum corpore ac cœtu clarius demonstrabant summam christianæ religionis perfectionem.

Deinde vero Christiani illi, a recta regula aberrantes, pro delictorum gravitate in publicis synaxibus solebant, ut antea vidimus (*art. super.*), admoneri, corripi, castigari, et aliquando tanquam membra putrida excommunicationis gladio amputari ac projici? Quamobrem alibi Auctor noster ad Scapulam scripsit: *Depositum non abnegamus, matrimonium nullius adulteramus, pupillos pie tractamus, indigentibus refrigeramus, nulli malum pro malo reddimus. Viderint qui sectam mentiuntur, quos et ipsi recusamus* (*Tertul., lib. ad Scapul., cap.* 4), illos nimirum, qui sua propter scelera ex sacris ejecti erant cœtibus Christianorum, quorum nomen mentiebantur.

Alii vero christianam religionem se profiteri venditabant, nimirum hæretici, qui *de una*, ut ait ille, *via* doctrinæ et veritatis *obliquos multos et inexplicabiles tramites sciderunt*, ac semetipsos aliosque in errorum et hæresum abyssum egerunt præcipites. Sed hi, inquit, orti sunt de philosophorum semine, *de quorum*, sicut alibi dixit, *ingeniis omnis hæresis animatur*, alibi vero, *hæreses subornantur* (*Idem, Apologet., cap.* 47, *pag.* 519; *idem, lib.* I *advers. Marcion., cap.* 13, *et lib. de Præscript., cap.* 7; *idem, lib. adv. Hermog., cap.* 8). Quapropter ab illo non semel, et postea ab Hieronymo philosophi appellantur patriarchæ hæreticorum (*Hieronym., epist.* 43 *ad Ctesiph.*). Quemadmodum autem philosophi sacram veteris Testamenti, ut superius animadvertimus, Scripturam *interverterunt*, ita hæretici *nostram hanc novitiolam paraturam*, hoc est, novi Testamenti libros, *suis opinionibus ad philosophica ssententias adulteraverunt* (*Tertull. Apologet. cap.* 47, *pag.* 519), id est, conati sunt traditam in sacris Legis novæ libris doctrinam ad philosophicas sententias accommodare: sed falsa cum veris præpostere miscentes, ab ipsa veritate desciverunt, veraque adulteraverunt documenta.

Verum *expedite* planeque, pergit ille, *præscribimus adulteris nostris*, sive exceptionem hisce hæreticis, sacræ Scripturæ corruptoribus, opponimus, illosque vel eo solo argumento refellimus, quod una sit veritatis regula, *quæ veniat a Christo per comites ipsius, quibus aliquanto posteriores diversi esse commentatores probabuntur* (*Ibid., p.* 519). Apertissime ergo definit unicam esse veræ religionis regulam, quæ nobis tradita est a Christo, et transmissa per ejus *comites* Apostolos, ac primos discipulos, a quibus illam et scripto et verbo accepimus. Quidquid itaque hæretici ab hac traditionis norma diversum commenti sunt, nec a Christo, nec a primis ejus discipulis profluxit, illud plane falsum est. Nam his posteriores *probabuntur*.

Sed a quo, amabo te, *probabuntur?* Num ab ipsomet Tertulliano? Si res ita sit, his verbis suum *de Præscriptionibus hæreticorum* pollicitus est librum, ubi illud reipsa probavit. Sed satis inter eruditos non constat utrum hic liber ante vel post Apologeticum editus fuerit. Nonne ergo potuit dicere *probabuntur*, quia cuilibet illud probatu facillimum erat?

Cæterum palam ille affirmat hæreticos etiam ante publicum falsarum opinionum suarum examen eo ipso erroris convinci, quod novæ sint, nec traditæ a Christo, aut illius discipulis, sed ab iisdem hæreticis falso excogitatæ. Quapropter alibi se hæc fusius explicaturum promittit in libro *de Præscriptionibus hæreticorum*, uti clarius hisce verbis explicat: *Alius libellus hunc gradum sustinebit adversus hæreticos etiam sine retractatu doctrinarum revincendos, quod hoc sint de præscriptionibus novitatis* (*Idem, lib.* I *advers. Marcion., cap.* 1).

Gentiles igitur nihil prorsus ex hæreticorum corruptione adversus christianæ religionis veritatem et præstantiam concludere poterant. Nam hi de Ecclesia catholica penitus excisi, non amplius nisi nomine tenus, imo ne nomine quidem, christiani erant. Audias velim loquentem ipsummet Tertullianum: *Si hæretici sunt, christiani esse non possunt, non a Christo habendo, quod de sua electione sectati hæreticorum nomina admittunt* (*Idem, lib. de Præscript. hæret., cap.* 37). Eam sane ob causam christiani im-

Digitized by Google

peratores voluerunt illos nomine auctoris sui nuncupari, *cujus scelus sunt in deserendo Deo imitati* (*Cod. Theodos., tit. de Hæret., leg.* 65, *p.* 190, *t.* VI), vel sicut apud Socratem aiebat Constantinus Magnus, *ut quorum secuti sunt mores, eorum etiam vocabulo appellentur* (*Socrat., lib.* I, *cap.* 9, *p.* 32). Rationem si quæras, hanc a Cypriano accipe : *Sicut diabolus Christus non est, quamvis fallat in nomine illius : ita nec christianus videri potest, qui non permanet in Evangelii et ejus fidei veritate* (*Cyprian., lib. de Unit. Eccles.*). Vides sane quanti roboris sit hoc adversus quoslibet hæreticos argumentum, quod ex præscriptionibus sive antiqua discipulorum Christi traditione petitum est. Tertullianus enim aperte demonstrat nihil penitus gentiles adversus religionis christianæ perfectionem conficere posse ex pessimis illorum erroribus hæreticorum; quippe qui veram Christi doctrinam ita corruperant, ut nec ipso christianorum nomine digni haberentur.

Tertium tandem erat christianorum genus, qui fidei suæ desertores et apostatæ, ad impios deorum cultus, tanquam canes ad vomitum, reversi fuerant. Sed frustra ethnici ex horum apostatarum crimine aliquid adversus christianam religionem inferri posse arbitrabantur. Nam qui datam Christo fidem violaverant, non erant amplius christiani, nec poterant hoc appellari nomine. Quamobrem Tertullianus ethnicos his verbis compellat : *Ejusmodi homines neque congregant, neque participant nobiscum, facti post delicta denuo vestri, quando ne illis quidem misceamur, quos vestra vis, atque sævitia ad negandum subegit* (*Tertull., lib.* I *ad Nat., cap.* 5). Quam autem hoc verum sit ex iis unusquisque facile intelliget, quæ Cyprianus aliique antiqui scriptores nostri memoriæ haud semel prodiderunt de lapsis, qui tyrannorum minis et cruciatibus christianam fidem ejuraverant. Sed de illis opportunior disputandi locus nobis dabitur. Recte ergo Tertullianus ethnicos rursus alloquendo, sic concludit : *Sine caussa illos vocatis christianos, quos ipsi negant christiani, qui se, id est Christi fidem negare non norunt* (*Ibid.*). Veri siquidem christiani, quibuslibet dirissimis tormentis vexati, christianæ religionis veritatem ad crudelissimam usque internecionem constantissime asserentes, martyrii coronam consequebantur. Sed quid de his sanctissimis martyribus Auctor noster tradiderit, jam explanandum est.

CAPUT XVI.

De christianis martyribus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quibus ac quam variis horrendisque crucialibus Christiani ab ethnicis torquerentur, et trucidarentur : ac cur Sarmenticii, et Semaxii vocati sint.

Nulla procul dubio Christianorum virtus magis refulsit, quam invictissima in tolerandis pro religionis suæ defensione suppliciis patientia, constantia atque fortitudo. Quanto enim majori ethnicis ob spretas labefactatasque eorum religiones odio erant, tanto crudelioribus, et a nemine hactenus excogitatis vexationibus ac tormentis excarnificabantur et necabantur. Plura autem illorum supplicia Tertullianus recenset, quæ sine aliqua observatione a nobis prætermitti non debent. Primum itaque : *Quotidie*, inquit, *obsidemur, quotidie prodimur, in ipsis plurimum cœtibus et congregationibus nostris opprimimur* (*Tertullian. Apologet., cap.* 7, *p.* 307). Non pauci ergo, sed plurimi, non raro, sed sæpissime, in suis cœtibus et alibi opprimebantur. Nec mirum sane. Nam ethnici, omni prorsus humanitate deposita, *partim propriis animis, partim legibus obsequentes, in eos sæviebant.* Quin etiam, *quoties*, ait adhuc Tertullianus, *præteritis vobis*, nimirum præsidibus, *suo jure nos inimicum vulgus invadit lapidibus et incendiis* (*Ibid., cap.* 37, *p.* 461)! nulla videlicet exspectata judicum sententia, sed cæco impetu plebeii gentiles lapidum ictibus obruebant Christianos, aut vivos exurebant.

Ad singula autem eorum supplicia ut veniamus, modo *in insulas*, inquit Auctor noster, *relegamur* (*Ibid., cap.* 12, *p.* 341); sed aliis sane omnibus minor erat hæc exsilii pœna : *modo in metalla damnamur* (*Ibid., cap.* 12, *p.* 341), ad ea nimirum maximo cum labore effodienda. Plurimi vero contrudebantur in horrendos carceres, inedia et fame consumendi, nisi alii, ut supra diximus, Christiani eis opitulati fuissent. Sed hæc Tertullianus in suo brevi quidem, sed excellenti ad Martyres libro fusius prosequitur (*Idem, lib. ad Martyr.*). Præterea *ungulis*, ait, *deraditis latera christianorum* (*Idem, Apologet., cap.* 12, *p.* 339). Ungulæ autem ferrea erant instrumenta, tanquam ferarum ungues fabricata, quibus ethnici latera Christianorum sulcabant et dilaniabant. Quamobrem ille postea dixit : *Nos ad Deum* in equuleo haud dubie, aut alia simili machina, *expansos ungulæ fodiant* (*Ibid., cap.* 30, *p.* 441). Prudentius enim canebat :

> Incensus his Asclepiades jusserat
> Eviscerandum corpus, equuleo eminus
> Pendere, et uncis ungulisque crescere.
> (*Prudent. de sancto Roman. v.* 107 *et seqq.*)

Prosequitur Tertullianus : *Ad bestias impellimur*, sive iis, quæ nos devorent, in theatro objicimur : in nos *bestiæ*, sicut postea descripsit, *insiliunt* (*Tertul. Apologet., cap.* 12, *pag.* 341 ; *ibid., cap.* 30, *p.* 445). Quam frequens autem fuerit illud Christianorum supplicium inde colligas, quod in omni publica clade statim gentiles, sicut adhuc ille testificabatur, clamabant, *Christianos ad leonem* (*Ibid., cap.* 40, *p.* 479). Alio autem in libro, ubi ethnicorum conventus exagitat et condemnat : *Illic*, inquit, *in nos quotidiani leones expostulantur* (*Idem, lib. de Spectac., cap.* 27). Rursus alibi asseverat Christi hostes sub pedibus ejus jam esse constitutos, omni adhuc *populorum cœtu clamante Christianos ad leonem* (*Idem, lib. de Resurrect. carn., cap.* 22). Quid plura ? Castitatis osoribus denuntiat timendum non esse *ne non sint qui acclament, Christianos ad leonem* (*Idem, Exhort. ad cast., cap.* 12). Atque ita conclamatum est adver-

Digitized by Google

sus Polycarpum, ut ex Eusebio discimus (*Euseb., lib.* IV *Hist. Eccles., c.* 15, *p.* 32). Cyprianus quoque de se ipso scripsit : *Orto statim turbationis impetu primo, cum me clamore violento populus flagitasset* (*Cyprian. epist.* 20). Quid autem flagitaverit, nos Pontius his in illius Vita docet verbis : *Maxime cum et suffragiis sæpe repetitis ad leonem postularetur* (*Pont. in Vita Cyprian., p.* 4). Expendas itaque velim an huc etiam collineaverit Tertullianus noster, ubi de romana plebe dixit : *Nec ulli magis depostulatores Christianorum, quam vulgus.* Plebeii siquidem homines cæteris longe frequentius postulabant clamabantque *Christianos ad leonem.* Si tamen existimes, ibi de quolibet mortis genere ab iis postulato sermonem fieri, idque probes, haud multum resistemus. Sed interim ad alia Christianorum tormenta transeamus. Alii *crucibus*, ait Auctor noster (*Tertullian. Apologet., cap.* 12, *p.* 339), *et stipitibus* imponebantur, aut sicuti postea dixit, *cruces eos suspendunt.* Alii *cervices ponunt*, aut ut alibi loqui maluit, *gladii guttura eorum detruncant* (*Ibid., cap.* 30, *p.* 415). Alii insuper *ignibus uruntur*, vel eos *ignes lambunt*, sicut postea ab illo dictum legimus (*Ibid., loc. cit.*).

At hæc varia suppliciorum genera in suo de Pudicitia libro sic explicat : Martyr *puta nunc sub gladio, jam capite librato ; puta in patibulo, jam corpore expanso ; puta in stipite, jam leone concesso ; puta in axe jam incendio adstructo* (*Idem, lib. de Pudicit., cap.* 22). Neque tamen illis tantum cruciatibus christianos torqueri ipse denuntiat. Nam alio adhuc in libro memorat non modo *gladium gravem et crucem excelsam, et rabiem bestiarum, et summam ignium pœnam*, verum etiam *omne carnificis ingenium in tormentis* immanioribus, quæ feris crudelius hominis ingenium excogitare poterat (*Idem, lib. ad Martyr.*). Atque ita ille paucis illis posterioribus verbis haud obscure significavit nullum esse tormentorum genus, quo christiani tum discruciati non fuerint.

Quia vero aliis gravior, vel sicut mox ab eo scriptum vidimus, maxima erat ignium pœna, hinc gentiles eam a christianis sæpius repetebant. Quamobrem illos, uti ibi in codicibus nostris legimus, *nunc*, id est suo tempore, *sarmenticios et semaxios*, non sine sarcasmo et irrisione vocabant (*Idem, Apologet., cap.* 50, *p.* 53). In antiquis vero editionibus *semissios*, quidam autem legi volunt *semassios*, et postea *assis* pro *axis*, quasi Tertullianus dicere voluerit Christianos revinctos fuisse ad stipitem sive palum dimidii assis. Sed quo sensu? Num eodem quo *asseris* significatu? Sed id parum probabile. Potior procul dubio et genuina nostrorum et aliorum, uno tantum excepto eoque forsitan corrupto, omnium codicum videtur lectio. Nam ipsemet Tertullianus, mentis suæ optimus interpres, continenter adjecit, *quia ad stipitem dimidii axis revincti, sarmentorum ambitu exurimur* (*Ibid.*). Dixit itaque Christianos ad stipitem seu palum alligatos, ac sarmentis undequaque circumpositis igneque accensis, vivos comburi. Recte quidem, inquies ; sed cur is *dimidii axis* stipes dicitur? At observa, quæso, stipitis nomine appellari fustem, ut ait Festus, terræ defixum (*Fest. ad v.* Stipes). Nomen vero *axis*, quemadmodum idem Festus monet, varios habet significatus (*Idem, ad v.* Axis). Aliquando enim sumitur pro septentrionali cœli parte, aliquando pro tereti stipite circa quem vertitur rota ; unde nonnunquam a poetis pro toto curru accipitur ; denique pro sectili tabula. At secundo sensu axis nomen a Tertulliano accipi videtur, et ab illo significari martyres aliquando ad axem integrum, crebrius vero ad stipitem, sive fustem terræ defixum, sed axis dimidio minorem, revinctos cremari. Ethnici itaque Christianis omnibus ridiculo *semaxiorum* nomine insultabant.

Verum hisce tantis tamque horrendis suppliciis satiata non erat immanis, ac plane horribilis gentilium crudelitas et rabies. Nam *ipsis Bacchanalium furiis, nec mortuis*, ait Tertullianus, *parcunt Christianis, quin illos de requie sepulturæ, de asylo quodam mortis jam alios, jam nec totos avellant, dissecent, distrahant* (*Tertullian. Apologet. cap.* 37). Alia autem in dissertatione (*Dissertat. in Lactant., cap.* 10, *art.* 2) patefecimus quanta ethnici feritate in mortuorum et sepultorum martyrum corpora bacchati fuerint.

ARTICULUS II.

Quomodo sanguis martyrum semen fuerit christianorum, isque majorem, quam Cicero, Seneca, Diogenes, Pyrrho, Callinicus, aliique philosophi et oratores ethnici, ad persuadendum vim habuerit.

Tantum abest, ut ea, quæ memoravimus, ac vix quidem sine horrore audiri possunt, martyrum supplicia alios christianos a religionis suæ professione deterruerint ; quin inde fortiores facti, plures ethnicos ad eam amplexandam traxerint, atque ita auctus semper fuerit illorum numerus. Nam ipsimet ethnici agnitis martyrum tot tantisque cruciatibus, miraque prorsus constantia, tum profecto alliciebantur ut tantæ fortitudinis caussam curiosius inquirerent, eaque comperta et deprehensa, fierent christiani. Nobis autem si quis nolit credere, is Tertullianum nostrum audiat : *Quis*, inquit, martyris alicujus maximam in tormentis constantiam intuitus, *non contemplatione ejus concutitur ad requirendum quid intus in re sit? Quis non ubi requisivit, accedit? ubi accessit, mori exoptat* (*Tertullian. Apologet., cap.* 50, *pag.* 535)? id est, agnita et confessa illius religionis veritate, tunc exoptat quibuslibet vitam finire cruciatibus, et suppliciis? Ad Scapulam vero hæc quoque fecit verba : *Quisque tantam tolerantiam spectans, ut aliquo scrupulo percussus, et inquirere accenditur quid sit in caussa, et ubi cognoverit veritatem, et ipse statim sequitur* (*Idem, lib. ad Scapul., cap.* 4). Omnis itaque christianus post religionis suæ professionem summo illius conservandæ ac tuendæ incensus studio, *paratus est*, ait adhuc Auctor noster, *ad omne supplicium* (*Idem, Apologet., cap.* 30, *pag.* 445). Nihil enim, inquiebat, *nostra refert in hoc ævo, nisi de eo excedere* (*Ibid., cap.* 41, *pag.* 489). Sed majori nun-

Digitized by Google

quam gloria de illo se migrare existimabat, quam martyrio coronatus.

Susceptæ igitur christianæ religionis *neminem*, sicut ille scite advertit, *pudet*, *neminem pœnitet*, *nisi plane non retro fuisse. Si denotatur, gloriatur; si accusatur, non defendit: interrogatus vel ultro confitetur: damnatus gratias agit* (*Apol. cap.* 1, *p.* 269). Neque id audacius aut temere ab illo venditatum putaveris. Alio enim in libro illud adhuc sic repetit: *Neminem pudet, neminem pœnitet, nisi pristinorum. Si denotatur, gloriatur; si trahitur, non subsistit; si accusatur, non defendit; interrogatus, confitetur; damnatus, gratias agit* (*Idem, lib.* I *ad Nat., cap.* 1, *p.* 559). Neminem igitur pœnitebat se christianum esse, sed *retro*, sive citius et antea, non fuisse, ac summo pristinorum delictorum, in tetris idololatriæ tenebris admissorum, dolore afficiebatur. Præterea *si denotetur* ab aliquo se christianam religionem profiteri, et idcirco trahitur ad judicum tribunalia, *non defendit: si accusatur*, si interrogatur, non resistit, non dissimulat, non negat; sed ultro et glorians, *confitetur* (*idem, Apologet., cap.* 46, *pag.* 511); ac Lycurgo, de quo nos postea cum Tertulliano dicemus (*Infra., cap.* 14, *art.* 3), longe fortior, *damnatus gratias agit*. Quapropter Apologetico suo finem his verbis imponit: *Sententiis vestris*, ethnici, *gratias agimus*. Cur ergo? Quia cum *damnamur a vobis, a Deo absolvimur* (*Tertullian. Apologet., cap.* 50, *pag.* 536). Eumdem plane in modum Lucius, teste sancto Justino, gratias Urbico, qui illum condemnaverat, retulit: ὁ δὲ καὶ χάριν εἰδέναι ὡμολόγει πονηρῶν δεσποτῶν τῶν τοιούτων ἀπηλλάχθαι, γινώσκων καὶ πρὸς τὸν Πατέρα καὶ βασιλέα τῶν οὐρανῶν πορεύεσθαι. *Ei quidem se gratiam ille debere professus est: a malis quippe dominis se liberari, et ad Deum Patrem et regem cœlorum transire* (*Justin. Apolog.* 2 *ad Senat.*). Sed id, si necesse esset, infinitis propemodum exemplis facile posset comprobari.

Non mirum itaque, si quo majori crudelitate ethnici Christianos gladio demetebant, eo plures ex eorum sanguine, quasi fœcundissimo semine, oriebantur. Sed audi, obsecro, Auctorem nostrum, qui hisce totidem verbis ipsosmet ethnicos alloquitur: *Nec quidquam proficit exquisitior quæque crudelitas vestra, illecebra est magis sectæ. Plures efficimur, quoties metimur a vobis. Semen est sanguis Christianorum* (*Tertullian. Apologet., cap.* 50, *pag.* 535). Alibi vero: *Nec deficiet*, inquit, *hæc secta, quam tunc ædificari scias, cum cædi videtur* (*Idem, lib. ad Scapul., in fin.*).

Quin etiam is ipse martyrum sanguis, tam forti constantique animo effusus, omnes prorsus gentiles sive philosophos, sive alios, qui quosdam ad tolerantiam doloris, et mortis contemptum hortati sunt, eloquentia longe superavit. Nam eloquentior fuit Cicerone *in Tusculanis*, sicut ait Tertullianus (*Idem, Apologet., loc. cit.*). Harum autem quæstionum liber *primus*, ut ejusdem Ciceronis verbis utamur, *de contemnenda morte, secundus de tolerando dolore, de ægritudine lenienda tertius, quartus de reliquis animi perturbationibus, quintus..... docet ad beate vivendum virtutem se ipsa esse contentam* (*Cicer. lib.* II *de Divin., pag.* 248, *lin.* 14 *et seqq.*). Facundior etiam ille martyrum sanguis fuit Seneca in *Fortuitis*, quæ alibi deperdita (*Dissertat. in Lactant., cap.* 10, *art.* 3), et a Lactantio citata animadvertimus (*Lactant. lib.* V *divin. Institut., cap.* 13). In hoc autem libro de contemptu mortis disputaverat. Disertior quoque fuit ille sanguis Diogene, haud dubie Cynico, quem ipsemet Tertullianus alio in libro his verbis designat: *Affectatio humana caninæ æquanimitatis stupore formata* (*Tertullian. lib. de Patient., cap.* 2). Ille autem, teste Laertio, ad laborum tolerantiam se ipsum omni ex parte exercebat, scripsitque librum de morte, quo ad eam patienter ferendam alios procul dubio hortabatur (*Laert. lib.* VI, *in Vit. Diogen.*, § 23 *et* 80). Ad hæc vero, idem martyrum sanguis summa eloquendi facultate vicit Pyrrhonem, qui quidem, ut notat Stobæus, docebat nihil interesse inter vitam et mortem (*Stob. serm.* 120, *pag.* 606). De illo autem plura Laertius, quem consule (*Laert. lib.* IX, *in Vit. Pyrrhon.*, § 91 *et seqq.*). Denique sanguinis hujus major fuit facundia, quam *Callinici*, videlicet Suctorii, ab Hieronymo citati (*Hieronym. prolegom. in Daniel., pag.* 1073), qui non solum historicus, sed sophista etiam fuit. Varias autem edidit commentationes a Suida et Vossio indicatas (*Suid. ad v.* Καλλίνικος; *Voss. lib.* II *de Histor. Græc., cap.* 13, *pag.* 225), aliasque plures. At unam ex iis haud dubie legerat Tertullianus, ubi de patientia et contemnenda morte disseruit.

Sanguis igitur martyrum majorem ad persuadendum vim habuit, quam ulla horum aliorumque ethnicorum quorumlibet scriptorum eloquentissima oratio. Neque id Tertulliano fuit probatu difficile, sed obvio omnibus, et invictissimo hocce argumento: *Non tantos*, inquit, *inveniunt horum verba discipulos, quantos christiani factis*, hoc est, effuso sanguine suo, *docendo* (*Tertullian. Apologet., cap.* 50, *pag.* 535). Quantum enim ipso Tertulliani tempore multiplicati fuerint Christiani jam ostendimus. At vero *illa ipsa*, ita ille affatur gentiles, *obstinatio, quam exprobratis, magistra est* (*Ibid.*). Plinius enim Secundus, ab illo prius citatus (*idem, ibid., cap.* 2, *pag.* 271), hoc *obstinationis* nomine utitur in sua ad Trajanum imperatorem epistola, qua illi scripsit: se nihil invenisse in Christianis, *præter obstinationem non sacrificandi* falsis illorum diis. Tum deinde hæc adjecit: *Neque dubitabam, qualecumque esset quod faterentur, pervicaciam certe et inflexibilem obstinationem debere puniri* (*Plin., lib.* X, *ep.* 101, *pag.* 375). Ethnici itaque pervicaciam et inflexibilem obstinationem appellabant hanc invincibilem Christianorum constantiam, qua omni cruciatuum tormentorumque genere excarnificari trucidarique malebant, quam vel minimum diis fictitiis dare granum thuris, vel religionem suam negare aut dissimulare. Ea igitur miranda prorsus animi fortitudo magistra erat, quæ ethnicis plane persuadebat veram esse solam nostram religionem.

Digitized by Google

ARTICULUS III.

Quomodo Tertullianus refellat ethnicos objicientes injustam esse Christianorum a se vexatorum querimoniam, quippe qui ad tormenta ac mortem, quam, dissimulata religione sua, devitare poterant, sponte currentes, dici potius debebant dementes et desperati; ac quo jure hanc obtrectationem evertat exemplis Mutii, Empedoclis, Didonis, Reguli, Anaxarchi, laconum puerorum, atticæ mulieris, Cleopatræ, et uxoris Asdrubalis.

Ethnici ut immanem et horrendam suam in Christianos crudelitatem quoquo modo excusarent, respondebant iis perire volentibus nullam fieri injuriam; imo vero debere eos diligere, per quos, quam volebant optabantque, mortem consequebantur. Sed Tertullianus ostendit inanem prorsus futilemque esse hanc responsionem. A Christianis siquidem postulabant gentiles, ut falsos deos colerent, suumque negarent solum et verum esse Deum. At illud quidem in potestate ipsorum ac voluntate positum constantissime recusabant, malebantque damnari, quam a Deo *excidere* (*Tertullian. Apologet., cap.* 49, *pag.* 528), id est, eum reluctante conscientia Deum negando, a divina ejus gratia excidere, ac pœnis brevi finiendis, et summo scelere declinatis, merito incidere in æternas.

Invicto igitur alacrique animo pati plane volebant, *verum eo more*, ait Tertullianus, *quo et bellum miles* (*Ibid.*). Ita enim in omnibus ineditis et editis codicibus ante Rigaltium, qui solita licentia ultimum nomen *miles* penitus abstulit. Sed ipsamet Auctoris nostri oratio illud postulare omnino videtur. Sanctissimos enimvero martyres nostros, ante tyrannorum tribunalia de religione sua certantes, cum aliis comparat militibus, qui aperto marte, manuque conserta, cum reipublicæ hostibus dimicant (*Ibid.*). *Prælium* siquidem, ait ille, et postea Lactantius, martyris est, quo ante judicium tribunalia *sub discrimine capitis* (*Lactant. lib.* V *divin. Instit., cap.* 11, *pag.* 491; *Tertullian. loc. cit.*), non armata quidem ferro manu, sed invicta patientia pugnando, victoriam tam certam quam gloriosam reportat. At nullus quidem miles libenter se committit prælio, in quo quia periclitatur, naturali timore trepidat. Ubi vero prælium semel inire compulsus est, totis pugnat viribus, tuncque lætatur cum reportata est victoria. Ad hunc igitur modum martyr pugnando adversus tyrannos, ingenito omnibus timore periculum reformidat. De parta tamen victoria tanto gaudio perfunditur, ut prælium quod declinare amplius non potest, non modo velit, sed amet etiam, omnibusque viribus cum tyrannis dimicet. Non putabat ergo Tertullianus prævertendum inconsiderata temeritate tempus martyrii, sed quoties, Deo ita permittente, offerebatur, toties invicta animi fortitudine subeundum.

At quidam ethnici aliis mitiores, et in Christianos magis propensi, urgebant illos esse dementes, qui facile poterant, *manente apud animum proposito* (*Tertullian. Apologet., cap.* 27, *pag.* 433), seu mentali, uti aiunt, restrictione, diis sacrificare, sicque abire illæsi. Sed hi sane fraudulenta humanitatis specie dabant christianis consilium, quo ipsorum credulitate abuterentur. Non aliunde autem, pergit Tertullianus, hoc consilium emanare poterat, quam ex patre mendacii diabolo, qui eosdem christianos aut vi et sævitia, aut saltem astutia et dolo circumvenire moliebatur.

Summum itaque, ut supra ostendimus (*Supr. cap.* 9, *art.* 5; *tom.* I *Apparat., pag.* 357), hi piaculum esse existimabant ullo unquam modo *de sua*, sicut ait Tertullianus, *religione mentiri*. Quamobrem malebant quoslibet, ac quantumvis horrendos cruciatus experiri, iisque trucidari, quam ullo minimo mendacio, aut ulla dissimulatione, aut exceptione mentali, fingere se aliquem colere Deum, quem falsum esse noverant.

Ast si non dementis, inquiebant ethnici, certe desperati hominis erat cuilibet suppliciorum generi, ac crudelissimæ neci sese objicere, quæ jactis in ignem duobus aut tribus thuris granis facillime devitari potuit. Jam vero a nobis (*Dissertat. in Minut., cap.* 12, *art.* 1, *et Dissertat. in Lactant., cap.* 10, *art.* 3) observatum est christianos ab ethnicis appellatos deploratæ et desperatæ factionis homines, propterea quod omnia tormenta, et quodlibet crudelissimum mortis genus despicerent, nec vererentur. Repulsam vero ab aliis ibidem vidimus absurdam hancce criminationem. Quid autem Tertullianus? Nulla, inquit, desperatio aut perditio est, ubi minime dubia victoria, ubi certum placendi Deo pignus, ubi securum æternæ felicitatis præmium (*Tertullian. Apologet., cap.* 50, *pag.* 530).

Sed agedum, qua quæso fronte martyres nostri, mortem pro vera sua religione læto lubentique animo obeuntes, poterant nefandæ desperationis ab ethnicis accusari (*Ibid.*)? Nonne illi ipsi multos ex suis, qui dirissimis tormentis, neceque horrenda se occidi ultro passi fuerant, non summis tantum laudibus, sed æternæ gloriæ titulis, ac statuis exornaverunt (*Ibid.*)? Nam prætermisso magno gladiatorum numero, qui, sicut infra dicemus, suam vitam, iisdem ethnicis laudantibus, sponte feris objectam, sæpe sæpius amittebant, *certe Mutius*, inquit Auctor noster, *dexteram suam lubens in ara cremavit, ut hoc factum fama ejus haberet* (*Idem, lib. ad Martyr. cap.* 4). At de hoc ipso Mutii facto alibi disseruimus (*Dissertat. in Minut. Octav., cap.* 6, *art.* 3).

Nonne etiam *Empedocles*, ait ille, *totum sese Catanensium Ætnæis ignibus donavit*. Male in manuscriptis codicibus, *Atheniensium Atheneis*. Alio quippe in libro a nobis jam citato, scriptum ab illo legimus: *Qui in ignes Ætnæi montis dissiluit* (*Tertullian. Apol. cap.* 49, *pag.* 528; *et lib. ad Martyr., cap.* 4). Alibi vero: *Empedocles quia se deum delirarat..... ne aliqua sepultura conditiore putresceret, assum se maluit, in Ætnam præcipitando* (*Idem, lib. de Anim. cap.* 32).

Digitized by Google

Prius autem Horatius cecinerat :

. . . . Dicam Siculique poetæ
Narrabo interitum : deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ætnam
Insiluit.
(*Horat. de Art. poet. v. 465 et seqq.*)

Plura si desideres, consule Laertium, Lucianum, Gregorium Nazianzenum, et alios (*Laert. lib.* VIII *in Vit. Empedoc.* § 69; *Lucian. dialog. Menip. pag.* 142 *et Icaromeni. pag.* 731. *et lib.* II *Histor. pag.* 598).

Tum deinde Tertullianus : *Aliqua*, inquit, *Carthaginis conditrix rogo secundum matrimonium dedit* (*Tert. Apologet. c.* 50, *p.* 530). Ita omnes nostri codices et non editi et editi. Itaque nonnulli frustra legendum putant non quidem *Aliqua*, sed *Elisa*. Dido enim his verbis tam perspicue designatur, ut nemo sit, qui eam illico non agnoscat. Quocirca Hieronymus simili plane modo alicubi scripsit : *Stringam breviter reginam Carthaginis, quæ magis ardere voluit, quam Hiarbæ regi nubere* (*Hieronym. epist.* 91, *ad Ageruch.*; *et lib.* I *adv. Jovin.*). At ille tamen, quemadmodum Tertullianus, illud idem alibi enarrando, ipsam nomine suo appellat (*Tertullian. lib.* I *ad Nat. c.* 18, *p.* 584). Sed hæc ne grammaticorum quidem pueris, Virgilium quotidie legentibus, incomperta esse possunt.

Pergit Auctor noster : *Regulus ne unus pro multis hostibus viveret, toto corpore cruces patitur* (*Idem, Apol. c.* 50, *p.* 530) : vel sicuti alio in libro edicere maluit : *Crucis novitatem numerosæ et abstrusæ Regulus vester libenter dedicavit* (*Idem, lib. ad Martyr. c.* 4, *et lib. de Exhort. castit. c.* 31). Sed id Paulo explicatius, hisque verbis alibi edisseruit : *Regulus, dux Romanorum, captus a Carthaginensibus, cum se unum pro multis captivis Carthaginensibus compensari voluisset, maluit hostibus reddi, et in arcæ genus stipatus undique extrinsecus, clavis confixus, tot cruces sensit* (*Idem, Apologet. c.* 50, *p.* 530). Crudelissimum itaque hoc supplicii genus vocat *novitatem*, hactenus non usitatam *crucis numerosæ*, clavis videlicet acutis undique eminentibus, atque *abstrusæ* (*Idem, lib.* I *ad Nat. c.* 18, *p.* 584, *et lib. ad Martyr. c.* 4), quia, ut Tubero apud A. Gelium testificatur (*Gell. lib.* V *Noct. Att. c.* 4), in atras et profundas tenebras illum, in arca illa inclusum, quotidie claudebant, donec ardentissimis exorti solis radiis urendum exponerent. At de hoc Reguli supplicio alibi egimus (*Diss. in Minut. Octav. c.* 6, *art.* 3, *et Dissert. in Lactant. c.* 10, *art.* 3).

Explanatum quoque a nobis fuit quod Tertullianus de Anaxarcho subjunxit : *Cum, in exemplum, ptisanæ pilo contunderetur : Tunde, tunde, aiebat, Anaxarchi follem; Anaxarchum enim non tundis.* Follem ibi eo sensu dixit, quo Lucilius, a Nonio citatus, *folliculum* scripsit pro *corpore* (*Tertullian. Apologet. c.* 50, *p.* 530; *tom.* I *Apparat. p.* 1147; *Non. de Signific. verbor., c.* 2); Arnobius vero : *Nihil nobis est promissum ad hanc vitam, nec in carnunculæ hujus folliculo* (*Arnob. in fin. lib.* II *advers. gent.*). Græce autem Gregorius Nazianzenus scripsit, τὸν αὐτοῦ θύλακον (*Greg. Nazianz. carmin. Iamb.* 18), illius vas et utrem.

Ad mulierum exempla inde Tertullianus regreditur, aitque : *Attica meretrix, carnifice jam fatigato, postremo linguam suam comesam in faciem tyranni sævientis expuit; ut exspuerat et vocem, ne conjuratos confiteri posset* (*Tertull. Apol. c.* 50, *p.* 530). Eadem ille duobus aliis in libris (*ad Nation. c.* 18, *p.* 584; *ad Martyr., c.* 4, § 17), sed diversis verbis retulit. Ab Ambrosio autem nuncupatur : *Pythagorea ex virginibus* (*Ambros. lib.* I *de Virginib. c.* 4, § 17). Vide si placet quæ in hunc Ambrosii locum subnotavimus, et quæ de illa diximus in superiore hujus Apparatus nostri tomo, ubi monuimus ipsi Leænæ nomen inditum (*Tom.* I *Apparat. p.* 1250).

Multo difficilius illud videbitur, quod Auctor noster continuo subjunxit : *Zeno Eleates consultus a Dionysio quidnam philosophia præstaret, cum respondisset contemptum mortis, flagellis tyranni subjectus, sententiam suam ad mortem usque signabat* (*Tertullian. Apologet. c.* 50, *p.* 530). In manuscriptis nostris codicibus, ante nomen *flagellis* legitur *impassibilis*, in antiquis editionibus *impassibilibus*. Sed Rigaltius hoc verbum, tanquam ab imperito librario perperam additum, resecavit. Quid vero, si Zeno *impassibilis* dicatur pro insuperabilis, ut pote qui nullis cruciatibus vinci unquam potuerit? Jure forsitan potiori Rigaltius dixisset in hoc Auctoris nostri textu corruptum fuisse a librariis *Dionysii* nomen. Testatum siquidem Laertius fecit Zenonem Eleatem mortuum esse circa septuagesimam nonam Olympiadem (*Laert. lib.* IX *in Vita Zenonis*, § 29). Atqui circa nonagesimam quartam Dionysius senior tyrannidem exercuisse perhibetur. Ab hoc itaque, Zeno nec cruciari, nec occidi potuit. Non prorsus ergo immerito aut Tertullianus memoria lapsus argui potest, aut oscitantes librarii haud insolito errore Dionysium pro Nearcho, aut Demyso, aut Diomedonte postea scripserunt. Nam varii scriptores, ut alibi ostendimus (*Tom.* I *Apparat. p.* 1246), narrant Zenonem Eleatem ab uno ex illis tortum ac necatum fuisse. Nec movere quemquam debet, quod Zeno de affectata tyrannide, non autem, sicut ait Tertullianus, de philosophiæ bono interrogatus ab illo fuerit. Quid enim vetat, quominus tyrannus habita de proditionis consciis quæstione, ab eo petierit quidnam præstaret docere atque philosophia, ut hac interrogatione illud proditionis crimen acrius exprobraret?

Denique superbientium patientia sua gentilium agmen his Tertullianus in Apologetico claudit verbis: *Certe Laconum flagella, sub oculis etiam hortantium propinquorum acerbata, tantum honoris conferunt, quantum sanguinis fuderunt* (*Tertullian. Apolog. c.* 50, *p.* 530). In suo autem *ad Nationes* libro hæc se quidem tacere velle sic testatur : *Ut taceam de Laconica gloria* (*Lib.* I *ad Nation. c.* 18, *p.* 584) : sed aculeo non minus acuto pungit ethnicos. Verum clarius scripsit ad Martyres hunc plane inhumanum morem usque ad suam perseverasse ætatem : *Hodie*, inquit, *apud Lacedæmonios solemnitas maxima est* διαμαστίγωσις, *id est, flagellatio : non latet in quo sacro ante aram nobiles*

Digitized by Google

quique adolescentes flagellis affliguntur, adstantibus parentibus ac propinquis, atque uti perseverent adhortantibus. Ornamentum enim et gloria deputabitur majore quidem titulo, si anima potius cesserit plagis, quam corpus (*Idem, lib. ad Martyr., c.* 4). Sed de his plura jam in primo Apparatus nostri tomo enarravimus (*Tom.* I *Apparat. p.* 1246).

Duarum insuper mulierum exempla in libro *ad Nationes* protulit (*Tertullian. lib.* I *ad Nation. c.* 18, *p.* 584). Prima ab illo simpliciter vocatur *Regina Ægypti*, nimirum Cleopatra, *quæ bestiis suis*, hoc est, aspidis ad se clam delatæ morsu *usa est*, qua mortem sibi conscivit. Magis autem perspicue hæc ad Martyres scripsit : *Bestias fœmina lubens appetiit, et utique aspides serpentes, tauro vel urso horridiores, quas Cleopatra immisit sibi, ne in manus inimici perveniret* (*lib. ad Martyr. c.* 4). Sed hoc famosæ mulieris facinus sæpius ab historicis Suetonio (*Sueton. lib.* II *in Vit. August.* § 3), Plutarcho (*Plutarch. in Vit. Antonii, p.* 954), et aliis, necnon a poetis decantatum est. Quapropter hæc Horatii, quæ ad Tertulliani propositum magis conducunt, carmina citasse satis erit :

Ansa et jacentem visere regiam,
Vultu sereno fortis, et asperas
Tractare serpentes, ut atrum
Corpore combiberet venenum :
Deliberata morte ferocior;
Sævis Liburnis scilicet invidens
Privata deduci superbo
Non humilis mulier triumpho.
(*Horat. lib.* I *Carmin. od.* 37, *v.* 25 *et seqq.*)

Altera porro mulier carthaginensis, *Asdrubale marito*, ait Tertullianus, *in extremis patriæ constantior* (*Tertull. lib.* I *ad Nation. c.* 18, *p.* 584), sive, ut alibi dixit, *jam ardente Carthagine, cum maritum suum supplicem Scipioni videret, cum filiis suis in incendium patriæ devolavit* (*Idem, lib. ad Martyr., cap.* 4). Cum enim rescivisset Asdrubalem, capta Carthagine, vitam a Scipione impetrasse, seque ab eo derelictam, in incensæ urbis ignes se cum filiis injecisse memoratur. Videsis Valerium Maximum (*Valer. Max. lib.* III, *cap.* 2 *Extern.* § 8), aliosque historicos scriptores.

Tot autem cum virorum tum mulierum exemplis recte Tertullianus demonstrat Christianos, sibi ob solam religionem illata ab ethnicis morte lubentissimo animo occumbentes, ab his perperam dementiæ et desperationis accusari. Nam summis illi laudibus et honorum titulis suos, hactenus memoratos cumulabant. At longe majoribus digni erant christiani martyres, qui non caducæ vanæque hominum gloriæ captandæ, sed æternæ felicitatis comparandæ caussa, horrendis plane cruciatibus se exarnificari mirum plane in modum patiebantur. Persuasissimum siquidem habebant se martyrio sempiternam beatitudinem consecuturos. Sed id a nobis paulo enodatius explicandum est.

ARTICULUS IV.

Quam perspicue Tertullianus doceat martyrium esse secundum baptisma, quo tota Dei gratia redimitur, peccata omnia remittuntur, ac prælium ex quo victores christiani, palmata veste ornati, et triumphali curru in paradisum vehuntur.

Maxima profecto, sicuti vidimus, et omni laude major fuit invictissima martyrum fortitudo, qua acceptam a Christo religionem suo sanguine, tanquam publico sigillo, obsignarunt. At eo sane libentius illum profuderunt, quo certius noverant fore ut martyrio omnem Dei gratiam, omniumque veniam peccatorum adipiscerentur. Cur enim christianus tam ardenter martyrium optabat? Ut eo, inquit Tertullianus, *Dei totam gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sanguinis sui expediat* (*Tertullian. Apologet. cap.* 50, *pag* 530). Rationem si expostules, statim respondebit: *Omnia enim huic operi delicta donantur.* Alio autem in libro docet illud secundum esse baptisma, quo gratia Dei donatur, omniaque peccata, ante sacratissimum illud aquæ lavacrum commissa, plane penitusque remittuntur. Sed ipsum, si placet, loquentem adhuc audiamus : *Est quidem nobis etiam secundum lavacrum, unum et ipsum, sanguinis scilicet*, hoc est martyrii, *de quo Dominus : Habeo, inquit, baptismo tingui, cum jam tinctus fuisset..... Hos duos baptismos de vulnere perfossi lateris emisit, quatenus qui in sanguinem ejus crederent, aqua lavarentur; qui aqua lavissent, etiam sanguinem potarent. Hic est baptismus qui lavacrum, et non acceptum repræsentat, et perditum reddit* (*Idem, lib. de Baptism. cap.* 16). At illud ab eo assertum vidimus (*Supr. c.* 11, *art.* 5), quemadmodum a discipulo ejus Cypriano, qui præterea majorem hujus, quam prioris baptismi gratiam his verbis palam prædicat : *Primum baptisma credentibus dedimus, ad aliud quoque singulos præparemus insinuantes et docentes hoc esse baptisma in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius; baptisma in quo angeli baptizant, baptisma in quo Deus et Christus ejus exsultant; baptisma, post quod nemo jam peccat; baptisma, quod fidei nostræ incrementa consummat; baptisma, quod nos de mundo recedentes, statim Deo copulat. In aquæ baptismo accipitur peccatorum remissio, in sanguinis corona virtutum* (*Cyprian. de Exhortat. martyr.*). Brevius vero alibi : *Numquid*, inquit, *potest vis baptismi esse major aut potior, quam confessio, quam passio, ut quis coram hominibus confiteatur, et sanguine suo baptizetur* (*Id., ep.* 73. *ad Jub.*)? Eadem ille alibi repetit (*Idem, epist.* 55. *lib. de Orat. Domin.*), quæ confirmat Augustinus (*August. lib.* XIII *de Civit. cap.* 7), ubi variis Scripturæ sacræ verbis ostendit tantum valere martyrium, quantum si quis sacro baptismatis fonte abluerctur. Ibi vero adjicit : *Quid enim pretiosius, quam mors, per quam fit, ut et delicta omnia dimittantur, et merita cumulatius augeantur.* Ambrosius autem pressius Tertulliani nostri vestigia secutus est : *Non unum*, inquit, *est baptisma? Unum est, quod hic tradit Ecclesia, per aquam et Spiritum sanctum, de quo dicit Dominus Jesus : « Baptisma habeo baptizari, quod vos nescitis. » Utique jam baptizatus in Jordane fuerat, sicut superiora declarant : sed sit hoc baptismum passionis, quo etiam sanguine suo unusquis-*

Digitized by Google

Prius autem Horatius cecinerat :

. . . . Dicam Siculique poetæ
Narrabo interitum: deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ætnam
Insiluit.
(*Horat. de Art. poet. v. 463 et seqq.*)

Plura si desideres, consule Laertium, Lucianum, Gregorium Nazianzenum, et alios (*Laert. lib.* VIII *in Vit. Empedoc.* § 69; *Lucian. dialog. Menip. pag.* 142 *et Icaromeni. pag.* 731. *et lib.* II *Histor. pag.* 398).

Tum deinde Tertullianus : *Aliqua*, inquit, *Carthaginis conditrix rogo secundum matrimonium dedit* (*Tert. Apologet. c.* 50, *p.* 530). Ita omnes nostri codices et non editi et editi. Itaque nonnulli frustra legendum putant non quidem *Aliqua*, sed *Elisa*. Dido enim his verbis tam perspicue designatur, ut nemo sit, qui eam illico non agnoscat. Quocirca Hieronymus simili plane modo alicubi scripsit : *Stringam breviter reginam Carthaginis, quæ magis ardere voluit, quam Hiarbæ regi nubere* (*Hieronym. epist.* 91, *ad Ageruch.*; *et lib.* I *adv. Jovin.*). At ille tamen, quemadmodum Tertullianus, illud idem alibi enarrando, ipsam nomine suo appellat (*Tertullian. lib.* I *ad Nat. c.* 18, *p.* 584). Sed hæc ne grammaticorum quidem pueris, Virgilium quotidie legentibus, incomperta esse possunt.

Pergit Auctor noster : *Regulus ne unus pro multis hostibus viveret, toto corpore cruces patitur* (*Idem, Apol. c.* 50, *p.* 530) : vel sicuti alio in libro edicere maluit : *Crucis novitatem numerosæ et abstrusæ Regulus vester libenter dedicavit* (*Idem, lib. ad Martyr. c.* 4, *et lib. de Exhort. castit. c.* 31). Sed id Paulo explicatius, hisque verbis alibi edisseruit : *Regulus, dux Romanorum, captus a Carthaginensibus, cum se unum pro multis captivis Carthaginensibus compensari voluisset, maluit hostibus reddi, et in arcæ genus stipatus undique extrinsecus, clavis confixus, tot cruces sensit* (*Idem, Apologet. c.* 50, *p.* 530). Crudelissimum itaque hoc supplicii genus vocat *novitatem*, hactenus non usitatam *crucis numerosæ*, clavis videlicet acutis undique eminentibus, atque *abstrusæ* (*Idem, lib.* I *ad Nat. c.* 18, *p.* 584, *et lib. ad Martyr. c.* 4), quia, ut Tubero apud A. Gellium testificatur (*Gell. lib.* V *Noct. Att. c.* 4), in atras et profundas tenebras illum, in arca illa inclusum, quotidie claudebant, donec ardentissimis exorti solis radiis urendum exponerent. At de hoc Reguli supplicio alibi egimus (*Diss. in Minut. Octav. c.* 6, *art.* 3, *et Dissert. in Lactant. c.* 10, *art.* 3).

Explanatum quoque a nobis fuit quod Tertullianus de Anaxarcho subjunxit : *Cum, in exemplum, ptisanæ pilo contunderetur : Tunde, tunde, aiebat, Anaxarchi follem; Anaxarchum enim non tundis.* Follem ibi eo sensu dixit, quo Lucilius, a Nonio citatus, *folliculum* scripsit pro *corpore* (*Tertullian. Apologet. c.* 50, *p.* 530; *tom.* I *Apparat. p.* 1147; *Non. de Signific. verbor., c.* 2); Arnobius vero : *Nihil nobis est promissum ad hanc vitam, nec in carnunculæ hujus folliculo* (*Arnob. in fin. lib.* II *advers. gent.*). Græce autem Gregorius Nazianzenus scripsit, τὸν αὐτοῦ θύλακον (*Greg. Nazianz. carmin. Iamb.* 18), illius vas et utrem.

Ad mulierum exempla inde Tertullianus regreditur, aitque : *Attica meretrix, carnifice jam fatigato, postremo linguam suam comesam in faciem tyranni sævientis expuit; ut exspuerat et vocem, ne conjuratos confiteri posset* (*Tertull. Apol. c.* 50, *p.* 530). Eadem ille duobus aliis in libris (*ad Nation. c.* 18, *p.* 584; *ad Martyr., c.* 4, § 17), sed diversis verbis retulit. Ab Ambrosio autem nuncupatur : *Pythagorea ex virginibus* (*Ambros. lib.* I *de Virginib. c.* 4, § 17). Vide si placet quæ in hunc Ambrosii locum subnotavimus, et quæ de illa diximus in superiore hujus Apparatus nostri tomo, ubi monuimus ipsi Leænæ nomen inditum (*Tom.* I *Apparat. p.* 1250).

Multo difficilius illud videbitur, quod Auctor noster continuo subjunxit : *Zeno Eleates consultus a Dionysio quidnam philosophia præstaret, cum respondisset contemptum mortis, flagellis tyranni subjectus, sententiam suam ad mortem usque signabat* (*Tertullian. Apologet. c.* 50, *p.* 530). In manuscriptis nostris codicibus, ante nomen *flagellis* legitur *impassibilis*, in antiquis editionibus *impassibilibus*. Sed Rigaltius hoc verbum, tanquam ab imperito librario perperam additum, resecavit. Quid vero, si Zeno *impassibilis* dicatur pro insuperabilis, ut pote qui nullis cruciatibus vinci unquam potuerit? Jure forsitan potiori Rigaltius dixisset in hoc Auctoris nostri textu corruptum fuisse a librariis *Dionysii* nomen. Testatum siquidem Laertius fecit Zenonem Eleatem mortuum esse circa septuagesimam nonam Olympiadem (*Laert. lib.* IX *in Vita Zenonis*, § 29). Atqui circa nonagesimam quartam Dionysius senior tyrannidem exercuisse perhibetur. Ab hoc itaque, Zeno nec cruciari, nec occidi potuit. Non prorsus ergo immerito aut Tertullianus memoria lapsus argui potest, aut oscitantes librarii haud insolito errore Dionysium pro Nearcho, aut Demyso, aut Diomedonte postea scripserunt. Nam varii scriptores, ut alibi ostendimus (*Tom.* I *Apparat. p.* 1246), narrant Zenonem Eleatem ab uno ex illis tortum ac necatum fuisse. Nec movere quemquam debet, quod Zeno de affectata tyrannide, non autem, sicut ait Tertullianus, de philosophiæ bono interrogatus ab illo fuerit. Quid enim vetat, quominus tyrannus habita de proditionis consciis quæstione, ab eo petierit quidnam præstaret docere atque philosophia, ut hac interrogatione illud proditionis crimen acrius exprobraret?

Denique superbientium patientia sua gentilium agmen his Tertullianus in Apologetico claudit verbis: *Certe Laconum flagella, sub oculis etiam hortantium propinquorum acerbata, tantum honoris conferunt, quantum sanguinis fuderunt* (*Tertullian. Apolog. c.* 50, *p.* 530). In suo autem *ad Nationes* libro hæc se quidem tacere velle sic testatur : *Ut taceam de Laconica gloria* (*Lib.* I *ad Nation. c.* 18, *p.* 584) : sed aculeo non minus acuto pungit ethnicos. Verum clarius scripsit ad Martyres hunc plane inhumanum morem usque ad suam perseverasse ætatem : *Hodie*, inquit, *apud Lacedæmonios solemnitas maxima est* διαμαστίγωσις, *id est, flagellatio : non latet in quo sacro ante aram nobiles*

Digitized by Google

quique adolescentes flagellis affliguntur, adstantibus A *parentibus ac propinquis, atque uti perseverent adhortantibus. Ornamentum enim et gloria deputabitur majore quidem titulo, si anima potius cesserit plagis, quam corpus* (*Idem, lib. ad Martyr., c.* 4). Sed de his plura jam in primo Apparatus nostri tomo enarravimus (*Tom.* I *Apparat. p.* 1246).

Duarum insuper mulierum exempla in libro *ad Nationes* protulit (*Tertullian. lib.* I *ad Nation. c.* 18, *p.* 584). Prima ab illo simpliciter vocatur *Regina Ægypti*, nimirum Cleopatra, *quæ bestiis suis*, hoc est, aspidis ad se clam delatæ morsu *usa est*, qua mortem sibi conscivit. Magis autem perspicue hæc ad Martyres scripsit : *Bestias fœmina lubens appetiit, et utique aspides serpentes, tauro vel urso horridiores, quas Cleopatra immisit sibi, ne in manus inimici perveniret* B (*lib. ad Martyr. c.* 4). Sed hoc famosæ mulieris facinus sæpius ab historicis Suetonio (*Sueton. lib.* II *in Vit. August.* § 30), Plutarcho (*Plutarch. in Vit. Antonii, p.* 954), et aliis, necnon a poetis decantatum est. Quapropter hæc Horatii, quæ ad Tertulliani propositum magis conducunt, carmina citasse satis erit :

> Ausa et jacentem visere regiam,
> Vultu sereno fortis, et asperas
> Tractare serpentes, ut atrum
> Corpore combiberet venenum :
> Deliberata morte ferocior;
> Sævis Liburnis scilicet invidens
> Privata deduci superbo
> Non humilis mulier triumpho.
> (*Horat. lib.* I *Carmin. od.* 37, *v.* 25 *et seqq.*)

Altera porro mulier carthaginensis, *Asdrubale marito*, ait Tertullianus, *in extremis patriæ constantior* (*Tertull. lib.* I *ad Nation. c.* 18, *p.* 584), sive, ut alibi dixit, *jam ardente Carthagine, cum maritum suum supplicem Scipioni videret, cum filiis suis in incendium patriæ devolavit* (*Idem, lib. ad Martyr., cap.* 4). Cum enim rescivisset Asdrubalem, capta Carthagine, vitam a Scipione impetrasse, seque ab eo derelictam, in incensæ urbis ignes se cum filiis injecisse memoratur. Videsis Valerium Maximum (*Valer. Max. lib.* III, *cap.* 2 *Extern.* § 8), aliosque historicos scriptores.

Tot autem cum virorum tum mulierum exemplis recte Tertullianus demonstrat Christianos, sibi ob solam religionem illata ab ethnicis morte lubentissimo animo occumbentes, ab his perperam dementiæ et D desperationis accusari. Nam summis illi laudibus et honorum titulis suos, hactenus memoratos cumulabant. At longe majoribus digni erant christiani martyres, qui non caducæ vanæque hominum gloriæ captandæ, sed æternæ felicitatis comparandæ caussa, horrendis plane cruciatibus se exarnificari mirum plane in modum patiebantur. Persuasissimum siquidem habebant se martyrio sempiternam beatitudinem consecuturos. Sed id a nobis paulo enodatius explicandum est.

ARTICULUS IV.

Quam perspicue Tertullianus doceat martyrium esse secundum baptisma, quo tota Dei gratia redimitur, peccata omnia remittuntur, ac prælium ex quo victores christiani, palmata veste ornati, et triumphali curru in paradisum vehuntur.

Maxima profecto, sicuti vidimus, et omni laude major fuit invictissima martyrum fortitudo, qua acceptam a Christo religionem suo sanguine, tanquam publico sigillo, obsignarunt. At eo sane libentius illum profuderunt, quo certius noverant fore ut martyrio omnem Dei gratiam, omniumque veniam peccatorum adipiscerentur. Cur enim christianus tam ardenter martyrium optabat? Ut eo, inquit Tertullianus, *Dei totam gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sanguinis sui expediat* (*Tertullian. Apologet. cap.* 50, *pag* 530). Rationem si expostules, statim respondebit: *Omnia enim huic operi delicta donantur.* Alio autem B in libro docet illud secundum esse baptisma, quo gratia Dei donatur, omniaque peccata, ante sacratissimum illud aquæ lavacrum commissa, plane penitusque remittuntur. Sed ipsum, si placet, loquentem adhuc audiamus : *Est quidem nobis etiam secundum lavacrum, unum et ipsum, sanguinis scilicet*, hoc est martyrii, *de quo Dominus : Habeo, inquit, baptismo tingui, cum jam tinctus fuisset..... Hos duos baptismos de vulnere perfossi lateris emisit, quatenus qui in sanguinem ejus crederent, aqua lavarentur; qui aqua lavissent, etiam sanguinem potarent. Hic est baptismus qui lavacrum, et non acceptum repræsentat, et perditum reddit* (*Idem, lib. de Baptism. cap.* 16). At illud ab eo assertum vidimus (*Supr. c.* 11, *art.* 5), quemadmodum a discipulo ejus Cypriano, qui præterea C majorem hujus, quam prioris baptismi gratiam his verbis palam prædicat : *Primum baptisma credentibus dedimus, ad aliud quoque singulos præparemus insinuantes et docentes hoc esse baptisma in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius; baptisma in quo angeli baptizant, baptisma in quo Deus et Christus ejus exsultant; baptisma, post quod nemo jam peccat; baptisma, quod fidei nostræ incrementa consummat; baptisma, quod nos de mundo recedentes, statim Deo copulat. In aquæ baptismo accipitur peccatorum remissio, in sanguinis corona virtutum* (*Cyprian. de Exhortat. martyr.*). Brevius vero alibi : *Numquid*, inquit, *potest vis baptismi esse major aut potior, quam confessio, quam passio, ut quis coram hominibus confiteatur, et sanguine suo baptizetur* (*Id., ep.* 73. *ad Jub.*)? Eadem D ille alibi repetit (*Idem, epist.* 55. *lib. de Orat. Domin.*), quæ confirmat Augustinus (*August. lib.* XIII *de Civit. cap.* 7), ubi variis Scripturæ sacræ verbis ostendit tantum valere martyrium, quantum si quis sacro baptismatis fonte abluereturur. Ibi vero adjicit : *Quid enim pretiosius, quam mors, per quam fit, ut et delicta omnia dimittantur, et merita cumulatius augeantur.* Ambrosius autem pressius Tertulliani nostri vestigia secutus est : *Non unum*, inquit, *est baptisma? Unum est, quod hic tradit Ecclesia, per aquam et Spiritum sanctum, de quo dicit Dominus Jesus : « Baptisma habeo baptizari, quod vos nescitis. » Utique jam baptizatus in Jordane fuerat, sicut superiora declarant : sed sit hoc baptismum passionis, quo etiam sanguine suo unusquis-*

Digitized by Google

que mundatur (*Ambros. Exposit. in psalm.* CXVIII, *serm.* 3, § 14). Sed de his plura apud theologos scholasticos legi possunt (*In lib.* IV. *Sentent. dist.* 4, *et in Summ. S. Thom. part.* III, *quæst.* 66, *art.* 11).

Persuasum igitur Christianis penitus erat nunquam majorem se de dæmonibus, æternæ suæ salutis osoribus, triumphum agere, quam cum ethnici malignis illorum instigationibus subornati, ipsos propter Christi confessionem interficiebant: *Nam illos*, ait Auctor noster, *nunquam magis detriumphamus, quam cum pro fidei obstinatione* (*Tertullian. Apolog. cap.* 27, *p.* 434), seu constanti, ut paulo ante dicebamus, invictaque defensione, *damnamur*. Quis autem, et quam gloriosus sit ille Christianorum triumphus, hunc explicat in modum: *Prælium est nobis, quod* christianæ professionis accusati, *provocamur ad* gentilium *tribunalia*; *ut illic sub discrimine capitis pro veritate* ejusdem religionis nostræ tuenda, *certemus*. In hoc autem prælio *vincimus*, inquit, *cum occidimur*. Denique ex hoc prælio victores *evadimus cum obducimur* (*Ibid. c.* 50, *p.* 530), id est, ad supplicium ducti consumimur et occidimur. Eo enim sensu Auctor noster hoc verbum *obducimur* ibi videtur sumpsisse, quod alio significatu, uti videbimus, alibi accepit. Quia vero Christiani nihil magis in votis habebant, quam pro religionis suæ defensione mori et trucidari, vincebant utique, cum necabantur. Nam *victoria est*, ait adhuc Tertullianus, *pro quo certaveris, obtinere* (*Ibid.*).

At hoc in certamine victores, et gloria utique et præda, omnium profecto maxima, potiebantur; quandoquidem *ea victoria*, uti ait Tertullianus, *habet et gloriam placendi Deo, et prædam vivendi in æternum* (*Ibid.*). Eo autem fortasse major gratiorque hæc præda ipsi videbatur, quod sicut supra annotavimus (*Sup. c.* 11, *art.* 5), existimabat illud felicitatis æternæ præmium, aliis justis dilatum, sanctis martyribus statim post mortem excessumque suum conferri.

Quin etiam tam insignem triumphum de mundo et diabolo agentibus non deerat triumphantium habitus, vestis palmata, et currus. Sed quænam, putas, hæc erant triumphantium martyrum insignia? Nihil certe minus, quam romanorum ducum et imperatorum. Nam cum ad dimidii axis, de quo paulo antea, stipitem vivi *exurimur, hic est*, ait Tertullianus, *habitus victoriæ nostræ, hæc palmata vestis; tali curru triumphamus* (*Tertullian. Apologet. c.* 50, *p.* 530).

Primum autem ibi memoratur habitus victoriæ, quo nomine generatim significantur omnia victoriæ, sive triumphantium, ornamenta, nimirum corona aurea, sella curulis, scipio eburneus, toga picta, tunica palmata, et alia, quorum frequens apud varios scriptores mentio facta est. Brevitatis vero caussa prætermissis pluribus his ornamentis, duo tantum ab illo indicantur, palmata vestis, et triumphalis currus. At Livius de iis aliisque Decium loquentem sic inducit: *Cui deorum hominumve indignum videri potest eos viros quos vos sellis curulibus, toga prætexta, tunicâ palmata, et toga picta, et corona triumphali honoraveritis, quorum domos, spoliis hostium affixis, insignes inter alias feceritis, pontificalia atque auguralia insignia adjicere, qui Jovis optimi maximi ornatu decoratus, curru aurato per Urbem vectus, in Capitolium ascenderit* (*Liv. lib.* X, § 7)? Ita autem dixit, *Jovis ornatu*, quia *triumphantes*, uti observat Servius, *habent omnia Jovis insignia, sceptrum palmatum. Unde ait Juvenalis,* « *in tunica Jovis* » (*Serv. in eclog.* 10, *v.* 27, *p.* 55). De veste autem palmata, et curru ita ille alibi: *Sciendum sellam curulem a curru dictam, quod ea tantum utebantur, qui triumphali curru invecti fuissent: sicut etiam palmata dicitur tunica, quam merebantur, qui reportassent de hostibus palmam* (*Idem, in lib.* II. *Æneid. v.* 334, *p.* 637). Nonne autem ibi innuit eam sic nuncupatam, quia his dabatur, qui palmam meruerant? Alii tamen sic vocatam opinantur, quod palmis esset intexta. De illa porro hi sunt Martialis versus:

I, comes, et magnos illæsa merere triumphos,
Palmataque ducem, sed cito redde togæ.
(*Martial. lib.* VII, *epigramm.* 1.)

Si quis plura velit, hic adeat Octavium Ferrarium (*Ferrar. lib.* II *de Re vestiar. c.* 8), Aldum Manutium (*Manut. de toga Roman.*), Lazarum Bayfium (*Bayf. de Re vestiar. c.* 10), Albertum Rubenium (*Ruben, l.* I *de Re vestiar. c.* 21), qui de curru triumphali data opera disputant. At præterea de his aliisque triumphantium insignibus et ornamentis poteris, si lubet et vacat, adire Onuphrii Panvini de Triumpho librum, et Maderi in eum annotationes.

Cæterum longe major erat eximia plane martyrum nostrorum triumphi gloria. Mediis enimvero accensorum sarmentorum flammis, tanquam purpurea palmataque veste, undique combusti, atque ad stipitem palumque alligati, inde sicut triumphali veste et curru, non in Capitolium, sed in paradisum, ut supra vidimus (*c.* 11, *art.* 5), de mundo, de tyrannis, et de diabolo triumphantes, ducebantur.

CAPUT XVII.

Quibus argumentis Tertullianus demonstret Christianos iniquissime et contra omnium legum præscripta ab ethnicis vexatos, et trucidatos fuisse.

ARTICULUS PRIMUS.

Quanta perversitate ethnici Christianos, sibi prorsus incognitos, nec qui qualesve essent, investigare volentes, oderant atque insectabantur.

Quæ de christianæ Religionis veritate et sanctitate, de divinis illius documentis et legibus, de optimis sectatorum ejus moribus, de invictissima martyrum fortitudine a nobis hactenus dicta sunt, hæc satis superque demonstrant hanc ipsam solam religionem veram esse, cæteras vero omnes falsas penitusque rejiciendas. Nulla igitur major excogitari potest iniquitas, quam gentilium, qui Christianos propter hujus religionis suæ defensionem summa horrendaque, uti vidimus, crudelitate vexabant, excarnificabant et occidebant. Verum Tertullianus noster, ut eorumdem Christianorum caussam accuratius defendat, ad duo adhuc demonstranda aggressus est; ac primo

Digitized by Google

quidem Christianos ab ethnicis, contra jus omne naturale, divinum et humanum, condemnari : secundo falsa esse crimina omnia quorum accusabantur, atque illorum reos revera esse gentiles.

Videamus itaque primo qua ille ratione probaverit primæ propositionis veritatem, et ad secundam deinde veniemus. At *hanc*, inquit, *primam caussam apud vos*, romanii imperii antistites, *collocamus iniquitatis odii erga nomen Christianorum, quam iniquitatem idem titulus onerat et revincit qui videtur excusare, ignorantia scilicet* (*Tertullian. Apologet. c.* 1 ; *et lib.* I *ad Nation. c.* 1. *p.* 559). In quibusdam autem editionibus legitur *odium* pro *odii*, sed perperam. Nam *iniquitatis odii*, ibi idem significat *ac iniqui odii*. Primam ergo Tertullianus arguit ethnicorum iniquitatem, qua prius oderant Christianos, quam scirent qui qualesve fuerint. Quæ enimvero major perversitas est, quam eum odisse, quem, utrum odio vel amore dignus sit, plane nescias?

Verum ethnicos hoc cæco in christianos exarsisse odio hinc plane ostendit Auctor noster, quia *omnes, qui* eos *retro*, sive antea *oderant, quia ignorabant quale sit quod oderant, simul desinunt ignorare, cessant et odisse* (*Ibid. loc. cit.*). In Rigaltii editione hæc verba *quale sit* (vel sicut in nonnullis editis, *esset*) *quod oderant*, prorsus rejecta sunt. Quo autem jure, an propria auctoritate Rigaltii, an typographorum errore, nescimus quidem ; sed probe scimus hæc in subsequentibus et ultimis editionibus reperiri. Ea autem genuina esse Tertulliani verba communis codicum omnium consensio, et Auctoris ipsius ingenium satis aperte convincunt. Hæc autem est illius argumentatio: Ubi ethnici agnoverunt qui et quales sint Christiani, quæ eorum pietas ac probitas, tum protinus eos odisse desinunt. Ergo illos oderant, quia qui essent antea ignorabant.

Quamvis autem nemo, nisi naturali lumine omnino privatus, id abnuere queat, urget tamen Tertullianus, et ethnicos adhuc revincit Anacharsis auctoritate, qui diserte pronuntiavit non minus reos esse, *imprudentes de prudentibus judicantes, quam immusicos de musicis* (*Tertull. Apologet. c.* 1, *p.* 265). Quæ quidem hujus philosophi sententia a Laertio sic exhibetur: *Θαυμάζειν δὲ ἔφη πῶς παρὰ τοῖς ἄλλοις ἀγωνιζονται μὲν οἱ τεχνῖται, κρίνουσι δὲ οἱ μὴ τεχνῖται. Mirari se dixit quomodo apud Græcos artifices certarent, judicarentque qui artifices non essent* (*Laert. lib.* I *in Vit. Anacharsis*, § 103). Paulo vero aliter Plutarchus eam sic retulit: *Ἔφη δὲ κἀκεῖνο θαυμάζειν ὁ Ἀνάχαρσις ἐκκλησίᾳ παραγενόμενος, ὅτι λέγουσι μὲν οἱ σοφοὶ παρ' ἄλλοις, κρίνουσι δὲ οἱ ἀμαθεῖς. Id autem dixit Anacharsis se mirari, cum concioni interfuisset, quod dicerent apud Græcos sapientes, stulti vero judicarent* (*Plutarch. in Vita Solon. p.* 81). Vides sane eamdem his omnibus verbis exprimi sententiam, quæ quibusdam tantum diversis enuntiatur. Nefas enim esse asseritur aliquod de rebus ignoratis ferri judicium.

At multo nequiores erant ethnici, qui Christianos oderant, et nefandis condemnabant criminibus, tametsi quales essent non solum nesciebant, sed inflexibili obstinatione, nec scire, nec inquirere unquam volebant. Nulla autem hujus intolerabilis pervicaciæ, et voluntariæ cæcitatis alia erat caussa, nisi quia verebantur, ne quod Christianorum esset vivendi genus agnoscendo, fateri cogerentur illos, post susceptam Christi religionem, factos esse meliores.

Verum audacter illi negabant Christianorum, qui a deorum cultu defecerant, veram fuisse probitatem : *Non enim*, inquiebant, *ideo bonum* est aliquid, *quia multos convertit* (*Tertullian. Apologet. c.* 1. *p.* 266), id est, ab aliqua professione ad aliam traduxit. Et certe *quanti* a bono, aiebant, *ad malum performantur* (antiquæ editiones *præformantur*, melius in aliis et nostris codicibus *performantur*, sive potius *reformantur*, si alicujus codicis accederet auctoritas). Addebant gentiles : *Quanti transfugæ in perversum* ? Illi autem transfugæ vocantur, qui ad hostes transfugiunt, vel qui induciarum tempore ad eos commigrant, cum quibus nulla amicitia est. Atqui ii sæpius, inquiebant adhuc ethnici, *in perversum* conversi, pejores utique fiunt. Denique acrius urgentes clamabant : *Non utique eo bonum præjudicari, quia plerosque convertat, et sibi rapiat. Novi demutationem mentis in malas partes. Quot desertores bonæ vitæ ! quot transfugæ in perversum !* (*Ibid. et lib.* I *ad Nation. c.* 1. *p.* 559.)

Sed his respondet Tertullianus id quidem a nemine negari, sed omnes ultro etiam fateri plurimos a malo sese convertisse in bonum. At id, inquit, ex mali bonique natura facile dignoscitur. Mali quippe individuæ comites sunt timor, pudor, tergiversatio, pœnitentia, deploratio. Quapropter *malefici*, ait rursus Auctor noster, *gestiunt latere, devitant apparere* (*Id. Apologet. c.* 1 *p.* 267). Rigaltius vero hæc duo posteriora verba auctoritate propria abstulit, nec sane advertit hæc ipsa in libro *ad Nationes* esse repetita (*Id. lib.* I *ad Nation. c.* 1, *p.* 559), sicuti illa, quæ in Apologetico continenter addidit : *Trepidant deprehensi, negant accusati, ne torti quidem facile aut semper confitentur ; certe damnati mœrent, dinumerant in semetipsos, mentis malæ impetus, vel fato, vel astris imputant.* At in libro *ad Nationes* hæc posteriora verba sic immutata sunt : *Exprobrant enim quod erant, in semetipsos malæ mentis ab innocentia transitum vel fato imputant* (*Ibid. loc. cit.*). Sed ibi forsitan librarii calamo illa duo verba, *vel astris*, exciderunt. Solus autem Georgius Ambianensis, solaque conjectura ductus, in textu Tertulliani audacius posuit *deonerant*, pro *dinumerant*. Nam sensus illius est : Malefici *in semetipsos malæ mentis impetus* agnoscunt, dinumerant, sibique exprobrant; eorum tamen culpam non sibi, sed astris, vel fato, imputant et adscribunt. Vidimus autem (*Dissert. in Minut. Octav. c.* 6, *art.* 4) quam communis fuerit illa gentilium falsa opinio, qua fato omnia fieri arbitrabantur. Verum nulla prorsus ex his, quæ memorata sunt, mali indicia deprehenduntur in christiano, quem, ut supra animadvertimus (*Cap. super. art.* 2), religionis suæ nec pudet, nec pœnitet, sed accusatus, et interrogatus, se christianum

Digitized by Google

esse confitetur, gaudet, gloriatur, ac damnatus gratias agit.

Recte ergo Tertullianus : *Quid hoc*, ait, *mali est*, in christianis, *quod naturalia mali non habet* (*Tertull. Apolog. c.* 1, *p.* 269). Sed in nostris codicibus manuscriptis legimus, *quod natura alia mali non habet;* fortassis non omnino male, si ibi, sicut bonis auctoribus haud plane infrequens est, subaudiatur particula, *quam*, hoc nimirum sensu : quod non alia, quam mali natura habet. Sed pluribus littera *a* antiquariorum ignorantia vel errore ibi duplicata haud dubie videbitur. Vide tamen utrum prima lectio confirmari non possit ex libro *ad Nationes*, in quo brevius quidem, sed non minus clare dicitur : *Quod hoc malum est, in quo mali natura cessat* (*Idem, lib.* I *ad Nat. c.* 1, *p.* 560). Imo vero addit Auctor noster maximum in eo esse debere bonum, *cujus reus gaudet*, *cujus accusatio votum est.*

Ethnicos autem ille acrius urget (*idem, Apologet., cap.* 1, *pag.* 264), palamque facit in Christianis nihil esse mali, qui relicto falsorum deorum cultu, ac suscepta Christi religione, meliores, quemadmodum diximus, facti fuerant. Neque id ipsis gentilibus, quidquid contra reclamarent, poterat esse incognitum. Noverant enim quantus esset christianorum ubique terrarum numerus, hincque graviter mœrebant, ac de eo tam sæpe quam publice conquerebantur. At quoquo modo illos agnoverint, viderant utique factos esse ex malis et improbis bonos et probos, ex impudicis pudicos, ex injustis ac sceleratis castos, religiosos, ac sedulam virtutibus omnibus operam dantes. Et certe ipsis, ut ait Tertullianus, videbatur *bonus vir Caius* (manuscripti nostri, *Gaius Seius*) *tantum quod christianus* (*Ibid. cap.* 3, *pag.* 280; *et lib.* I *ad Nation., cap.* 4, *pag.* 564). Mirabantur *Lucium* sapientem, hanc mulierem pudicam, hunc filium patri suo obsequentem, hunc servum domino suo fidelem. Mirabantur quidem has aliasque christianorum virtutes: sed hos christianos esse ferre non poterant.

Quis ergo eos potius errare diffitebitur, *qui laudant quæ sciunt*, ait Auctor noster, *vituperant quæ ignorant, et id quod sciunt, eo quod ignorant, corrumpunt* (*Ibid.*)? In omnibus nostris codicibus legimus *irrumpunt*, pro *corrumpunt* : sed minus fortassis bene. In libro enim *ad Nationes* scriptum est : *Pro stultitiæ cæcitate laudant quæ sciunt, vituperant quæ nesciunt, et id quod nesciunt vitiant* (*Loc. cit.*) : quod, uti vides, idem est ac *corrumpunt*. Si tamen malis probesque legendum *irrumpunt*, non omnino repugnabimus. De fama siquidem Lucanus cecinit:

> Vana quoque ad vestros accessit fama nepotes,
> Irrupitque animos populi.
>
> (*Lucan. lib.* I, *post med.*)

Summa igitur stultitia, cæcitate ac malitia ethnici laudabant sibi cognitas Christianorum virtutes : sed illos vituperabant, ignorantes quid eorum nomen significaret. Ex ignorato autem hoc nomine vitiabant, seu corrumpebant illorum virtutes, quas nullas aut falsas esse effutiebant. At nihil certe magis iniquum, quam ex re aliqua sibi comperta aliam quam ignoras vituperare, aut ex re ignorata aliam a se agnitam corrumpere. Non minor tamen erat iniquitas Christianos ob solum suum et ignotum nomen condemnare, et occidere, nec velle unquam scire et investigare quid in eis sit aut boni aut mali. Tantum vero ab hac investigatione abhorrebant ethnici, ut iniquissimi judices illos, ad tribunalia sua ductos, audire nunquam voluerint. Secundum autem illud erat summæ illorum iniquitatis caput, quod jam explorandum est.

ARTICULUS II.

Quanta iniquitate ethnici Christianos, nec auditos, nec defensos, sed suum duntaxat ob nomen condemnaverint, et crudelissime necaverint.

Secundum Tertulliani adversus effrænatam gentilium in Christianos violentiam argumentum non minoris profecto, quam superius, roboris est ac momenti. Ducitur autem ex certissima judiciorum regula, quæ naturali æquitati adeo consentanea est, ut, ea prætermissa, iniquissimum, irritum omnino, et nullum sit cujusvis hominis judicium. At hæc, ut scite Tertullianus animadvertit, regula est, quæ vetat *indefensos et inauditos omnino damnari* (*Tertullian. Apologet., cap.* 2, *pag.* 276). De legis autem hujus æquitate plane convicti gentiles, constituerant, ut quilibet cujuscumque criminis insimulatus, uteretur, *et proprio ore*, ait Auctor noster, *et mercenaria advocatione*, videlicet patronorum, qui mercede accepta, caussam illorum tuerentur.

Verum longe aliter Christianos, falsorum criminum accusatos, tractabant. Nullam quippe facultatem eis concedebant innocentiam suam aut ore suo, aut ullius patrocinio unquam defendendi. Verumtamen *ejusdem*, ut scite ille arguit, *noxietatis* (*Ibid.*), sive, ut in nostris codicibus manuscriptis et antiquis editionibus legitur, *ejusdem noxæ eadem tractatio debebat intervenire* (*Ibid.*). Quid ergo iniquius, quam id quod justum est ethnico concedere, et illud ipsum negare christiano?

Ad hæc vero, secundum omnium divinarum et humanarum legum præscripta quilibet homo, cujusvis criminis postulatus, non solum semper audiendus est et interrogandus, sed inquirendum insuper, ac quæstione etiam et tormentis extorquendum, quæ sit criminis qualitas, qui locus et modus, quod tempus, qui socii ac conscii. Nec hoc æquissimum esse diffitebantur ethnici, qui hæc omnia diligenter inquirebant, ubi aliquis ex suis ullius sceleris ab aliquo accusabatur. Summa tamen injuria hæc omnia missa faciebant spernebantque, ubi agebatur *de nostris*, ait Tertullianus, *elogiis* (*ibid.*), id est, de christianorum vituperatione et accusatione. Minus itaque bene in codicibus nostris habetur *eulogiis*, hoc est, benedictionibus, nisi nomen illud ab illo ironice acceptum fuisse probaveris. Quidquid sit, planus est et apertus Tertulliani sensus, qui asserit tantum abfuisse, ut gentiles illo, quem æquitas postulabat, modo in

Digitized by Google

christianorum, sicuti aliorum omnium, crimina, quorum insimulabantur, unquam inquirerent; quin potius omnis eorum inquisitio judicibus omnibus prohibita erat.

Plinio enim secundo Trajanum imperatorem interrogánti quid christianis, quorum infinitus propemodum erat numerus, faciendum, ille, ait Tertullianus, respondit, *hoc genus inquirendos quidem non esse, oblatos vero puniri oportere* (*Tertull. Ap. c.* 2, *p.* 275). Ipsiusmet autem Trajani hæc sunt in epistola sua ad Plinium verba : *Conquirendi non sunt; si deferantur, et arguantur, puniendi sunt* (*Plin. secund., lib.* X, *epist.* 102, *pag.* 377) : id est, juxta Tertulliani nostri interpretationem, si christiani revera esse comprobentur et convincantur, puniendi quidem, sed minime inquirendi sunt. Totum autem hunc Tertulliani locum citavit Eusebius (*Euseb. lib.* III *Eccles. Histor., cap.* 33, *pag.* 106), qui prolata a nobis ejus verba sic græce interpretatus est : Τὸ τῶν χριστιανῶν ϕῦλον μὴ ἐκζητεῖσθαι μὲν, ἁμπεσὸν δὲ κολάζεσθαι, quæ Rufinus latine reddidit : *Christiani non quidem requirantur, si qui tamen inciderint, puniantur* (*Rufin. lib.* III *Histor. eccles., cap.* 27). Nullus itaque Tertullianus dubitavit hoc edicto pronuntiatum fuisse christianos non perquirendos, sed statim atque judicibus offerrentur, ac christianos esse constaret, nulla amplius ullius rei facta inquisitione, puniendos. Nec male quidem. Nam Trajanus continuo addidit : *Ita tamen ut qui negaverit se christianum esse, idque reipsa manifestum fecerit, id est, supplicando diis nostris, quamvis suspectus in præteritum fuerit, veniam ex pœnitentia impetret* (*Plin. ibid.*). Nullum igitur christianorum crimen a judicibus inquiri voluit, sed eos oblatos ob solum suum nomen, nec amplius auditos, puniri, nisi forte hoc negarent nomen suum, falsisque diis supplicarent.

Jure itaque merito exclamat Tertullianus : *O sententiam necessitate confusam* (*Tertullian. Apologet., cap.* 2, *pag.* 275). Consulto autem dixit *necessitate*, quia Trajanus illam clarius explicare non poterat. Ea vero confusa est, quia Trajanus negat, sicuti recte arguit Auctor noster (*ibid.*), *non inquirendos* christianos, utpote *innocentes*, nulliusque sceleris reos ; *et mandat* tamen *puniendos, ut nocentes*, ac gravissimorum conscios scelerum. Eadem ergo hæc sententia *parcit et sævit, dissimulat et animadvertit* (*Ibid.*). Clementiam quippe dissimulat, parcendo christianis, qui judicibus non offerebantur. Sævit vero in oblatos, tametsi innocentes, quos suum duntaxat ob nomen jubet puniri.

In tota ergo Christianorum caussa nihil aliud postulabatur, sicuti adhuc ait Tertullianus, nisi *confessio nominis, non examinatio sceleris* (*Ibid. pag.* 271), nec accusati defensio. Ad illos enimvero damnandos, aut absolvendos illud tantum sufficiebat, ut nomen suum, seu se christianos esse, aut negarent aut confiterentur.

Quod quidem, quam iniquum omnique juri divino naturali et humano adversetur, ille adhuc demonstrat quæstionibus, quas verberibus et tormentis leges haberi imperant. Non aliam quippe ob rationem exerceri debent, quam ut retegantur crimina, et illorum accusati ea a se commissa fateantur. Omnia namque placita principum, si tyranni non sint, justa senatus consulta, aliæque leges non omnino iniquæ, præcipiunt *malos erui, non abscondi*, verba sunt Auctoris nostri, *confessos damnari, non absolvi* (*Ibid. pag.* 276 ; *et lib.* I *ad Nation., cap.* 2, *pag.* 560). Ad Scapulam vero judicem similiter scribebat : *Quid amplius tibi mandatur, quam nocentes confessos, damnare, negantes autem ad tormenta revocare* (*Idem, lib. ad Scapul., cap.* 4)?

Veruntamen ethnici, contra hanc tanta æquitate præscriptam judicandorum reorum normam, Christianos non ad aliquod scelus confitendum, sed negandum crudelissimis quæstionum tormentis compellebant. Persuasum ergo habere debuerunt illos esse innoxios, et nullius reos criminis, quippe qui illud ab ipsis negari vellent, aut eos, quod nefas est, si rei forent, plane mentiri. Quæstione siquidem torti, fatebantur palamque clamabant se esse christianos. Sed ethnici quibus alios confitentes reos amplius torquere fas non erat, christianos dirius jubebant cruciari, donec negarent, aut necarentur.

Recte ergo Tertullianus illos sic urget : *Videtis quomodo ipsi vos contra mandata faciatis, ut confessos negare cogatis. Adeo confitemini innocentes esse nos, quos damnare statim ex confessione non vultis* (*Idem, lib. ad Scapul., cap.* 4). At certe hi tanta legum suarum prævaricatione se ipsos manifestissime condemnabant. Christianos enim, nec auditos, nec defensos, tanquam omnium in deos, leges, imperatores, mores, ipsamquemet contra naturam criminum reos insectabantur. Dum ergo nitebantur illos quæstione ad ea neganda adigere, fatebantur utique tam falsa esse ea crimina, quam summa erat illorum et innocentia et integritas. In hac itaque tam horrenda eorumdem christianorum vexatione non aliud, sicuti aiebat Tertullianus, nisi christiani *nominis prælium est* (*Idem, Apologet., cap.* 2, *pag.* 279), in quo negantes absolvebantur, atque excarnificabantur confitentes.

Neque putaveris quidquam ab illo ibi aut fictum, aut exaggeratum. Nam eadem plane fuerat non solum Justini martyris, Athenagoræ, Tatiani, ut alibi vidimus (*tom.* I *Apparat., pag.* 351, 356, 471 et 523), sed Melitonis etiam, sicuti refert Eusebius (*Euseb. lib.* IV *Histor. Eccles., cap.* 26, *pag.* 147), publica expostulatio. Palam quippe conquesti sunt, quamvis nullum nomen ex se ipso bonum sit aut malum, Christianos tamen suum duntaxat ob vocabulum, nec audita unquam caussa, condemnari. Eodem autem telo, sed paulo aliter contorto, ethnicos transfixerunt Minutius Felix, uti supra ostendimus (*Dissertat. in Minut. Octav., cap.* 8, *art.* 2), et Cyprianus, sicuti infra dicemus.

Nec multum curabant gentiles summam hanc tegere injustitiam, quam lata *per tabellam*, cujus Ci-

Digitized by Google

cero (*Cicer. lib.* V *in Verr.*, *pag.* 179, *lin.* 19; *orat.* 59 *pro Rabir.*, *pag.* 561, *lin. ult.*; *orat.* 23 *pro Flacc.*, *pag.* 369, *lin.* 47; *orat.* 37 *in L. Pison.*, *pag.* 543), aliique sæpius meminere, contra eos sententia in publicum proferebant. In hac quippe tabella non aliquod christianorum, sicut aliorum morte damnatorum, crimen notabatur, sed solum christianorum nomen : *De tabella*, ait Tertullianus eos alloquendo, *recitatis illum christianum* (*Tertullian. Apolog.*, *cap.* 2, *pag.* 279), nihilque amplius. At cum res ita sit, pergit ille, certe : *Christianus si nullius criminis nomen est, valde ineptum, si solius nominis crimen est* (*Tertullian. ibid.*). Et ita quidem in Rigaltii editione. In nostris vero codicibus : *Christianus si nullius criminis nomen reus est, valde incestum*, recentiores *incertum*, *si solius nominis crimen est.* In quibusdam manuscriptis, et editis Rigaltio antiquioribus : *Christianus si nullius criminis reus est, nomen valde infestum, si solius nominis crimen est.* Atque hæc videtur genuina Tertulliani lectio, atque in aliis codicibus ea vox *nomen* transposita, et altera *incestum* corrupta. Sensus namque Tertulliani est, christianum nomen fuisse ethnicis valde infestum, propter quod solum, nec aliud prorsus ob crimen, christianos tam crudeliter torquebant, et interficiebant.

At nullum certe, urget Tertullianus (*ibid.*, *cap.* 3, *pag.* 281), nominis odium concipi potest, nisi illud aliquid significet barbarum, aut vitiosum in se ipso, vel incognitis hominibus qui eo appellantur. Atqui ethnici nihil potuerant in christianis deprehendere vitiosi, quos vel semel audire noluerant. Nihil etiam barbarum in christiani nomine, quod *de unctione*, ait Turtullianus, *deducitur* (*Ibid.*, *pag.* 281). Nec hilum quidem promovebant ignari gentiles, qui *chrestianos*, non *christianos*, appellandos esse garriebant. Nam hoc ipsum nomen *de suavitate*, *vel benignitate* derivatum est (*Ibid.*). At de hac utriusque nominis etymologia alibi disseruimus (*Dissertat. in Lactant.*, *cap.* 17, *art.* 1).

ARTICULUS III.

Quam absurde ethnici objicerent Christianos propter suum aut auctoris sui nomen odio habendos, quia nullus philosophus platonicos, epicureos, pythagoreos, stoicos, et academicos, nullus medicus Erasistratum, nullus grammaticus Aristarchum, nullus coquus Apicium, sectarum suarum auctores, ob suum nomen odisse perhibeantur.

Cum nihil sit sole etiam meridiano clarius, quod humanum ingenium, falsæ religionis præjudiciis excæcatum, obscurare non moliatur; non mirum profecto, si ethnici quibusdam litigiosis disputationibus propositas ab Auctore nostro invictissimas in Christianorum defensionem argumentationes eludere aut infirmare tentaverint. Audiendi tamen hi sunt qui Christianos audire nolebant, et excutiendæ, qualescumque sint, illorum rationes.

Clamitabant autem non requirenda esse Christianorum scelera, quæ omnia uno eorum nomine comprehenduntur. Sed falsissima esse hæc crimina jam ostendimus. Fac tamen, si possis, illa tam vera esse quam falsa sunt, numquid homicida, vel alius quilibet sceleratus homo, propter suum solum nomen condemnari debet? Nonne judices tenentur illum audire, et investigare ubi, quando, quomodo, quibus sociis crimen perpetraverit? Verum Christiani contra has æquissimas, uti diximus, leges condemnabantur. Iniquissimum ergo erat gentilium judicium (*Tertullian. Apologet. cap.* 2, *pag.* 279, *et lib.* I *ad Nation. cap.* 6, *pag.* 566).

Urgebant tamen gentiles : *Secta* christianorum *oditur in nomine utique sui auctoris* (*Ibid. p.* 282). Numquid ergo examinandum non erat utrum ille auctor, aut ejus sectatores odio revera haberi deberent? Tertullianus autem evidentissime demonstrat ethnicos absurda hac argumentatione se ipsos suo, quemadmodum dicitur, conficere gladio. Non enim platonicos propter Platonis, epicureos propter Epicuri, pythagoreos propter Pythagoræ, stoicos propter Zenonis nomen odio habebant (*Ibid.*). At hi suarum sectarum, uti alibi ostendimus (*Tom.* I *Apparat. lib.* III, *dissert.* 2, *cap.* 17, *art.* 1 *et seqq. pag.* 1123 *et seqq.*), fuerant auctores. Tum deinde a Tertulliano recensentur academici, quos utique a platonicis secernere videtur (*Tertullian. Apologet. cap.* 3, *p.* 282). Numquid igitur de mediæ et novæ Academiæ principibus Arcesilao, et Lacyde, sicut ibidem animadvertimus, sermonem fecisse dicendus est? Expende, quæso, ac pronuntia.

Pergit ille, ac nonne, inquit, medici nomen suum sortiti sunt ab *Erasistrato*, qui ab A. Gellio *nobilis medicus* (*Gell. lib.* XVII *Noct. Att.*, *cap.* 11), a Macrobio *medicorum veterum nobilissimus* appellatur (*Macrob.*, *lib.* VII *Saturnal. cap.* 15). Testatum autem Strabo fecit Smyrnæ exstitisse patrum suorum tempore Erasistrateam medicinæ scholam (*Strab. lib.* XII *Georg.*, *pag.* 580). Celeberrimi porro hujus medici Plutarchus (*Plutarch.*, *lib.* IV *Sympos. quæst.* 1, *pag.* 603, *et lib.* VII, *quæst.* 1, *pag.* 698, *et in Vita Demetr. pag.* 907), Plinius (*Plin.*, *lib.* XXIX *natur. Hist. cap.* 1, *pag.* 663), Valerius Maximus (*Valer. Max. lib.* V, *cap.* 7, § 1), et Chronici Eusebiani scriptor mentionem fecerunt (*Chron. Euseb. ad. ann.* 1755).

Denique *coqui etiam* cognominati sunt, ait Tertullianus, *ab Apicio*, quem alibi inter coquos pretiosissimos recenset, ejusque condimenta exagitat (*Tertullian. Apologet. cap.* 3, *pag.* 5, *et lib. de Pallio cap. ult.*, *et lib. de Anim. cap.* 33). Ab Athenæo autem discimus hunc Tiberii imperatoris sæculo ditissimum fuisse, sed luxu solutum, multas ventris et gulæ vitio myriadas nummorum profudisse, ac varia placentarum genera ejus nomine vocitari (*Athenæ.*, *lib.* I *Deipnosoph. cap.* 1, *pag.* 7). Plura etiam de illo Seneca, cujus hæc tantum, quæ ad propositum nostrum magis faciunt, verba transcribemus : *Apicius nostra memoria vixit, qui in ea urbe, ex qua aliquando philosophi, velut corruptores juventutis*

Digitized by Google

abire jussi sunt, scientiam propriam professus, disciplina sua sæculum infecit (*Senec. lib. de Consol ad Helvid. cap.* 10, *pag.* 781). Alibi autem ille, sicut Plinius (*Plin., lib.* IX *natur. Hist. cap.* 17, *pag.* 308), et Hieronymus Apicii (*Hieronym., lib.* II *adv. Jovin.*) ejusque helluationis et immensæ gulæ meminerunt. Tres porro Casaubonus notat Apicios, eosque gulæ vitio infames (*Casaubon. in lib.* II *Athen. cap.* 6, *pag.* 22 *et seqq.*). In superiori autem dissertatione (*Dissert. in Arnob. cap.* 23, *art.* 4) non semel citavimus Apicii de re coquinaria editam commentationem. Neque magno labore nobis persuadebis hunc esse, de quo Tertullianus loquitur.

At quicumque fuerit, nullus tamen gentilis unquam dixit propter illius, aut aliorum quos recensuimus, solum nomen odio dignam esse institutam a quolibet sectam, nisi prius constiterit in ea aliquid esse mali. Gentiles ergo non debebant odisse Christianos, nec propter suum, nec propter auctoris sui nomen, nisi exploratum ante habuissent illos esse malos. Atqui jam ostendimus eosdem gentiles neque scivisse, neque scire, aut inquirere unquam voluisse utrum illi aliquid agerent, quod odio et pœna esset prosequendum.

Contra tamen nemini prorsus incompertum erat Christianos *suo titulo*, sive suum duntaxat ob nomen actibus ac sententiis præsidum statim condemnari, atque oblati illis fuerant. Nam propter hoc ipsum solum nomen ab illis condemnari *vestros*, hoc est, judicum, inquiebat Tertullianus, *jam contestamur actus, qui quotidie judicandis custodiis*, id est, carceri mancipatis, *præsidetis, qui sententiis elogia dispungitis* (*Tertullian. Apologet. cap.* 44, *pag.* 496), sive reorum accusationes examinatis; numquid inter illos omnes aliquis inventus est *sicarius*, seu homicida? num aliquis *manticularius* (*Ibid. Cf. Fest. ad v.* Manticularius), sive qui repositam in aliorum marsupiis pecuniam furatus sit? num aliquis *lavantium prædo*, aut, ut alibi dixit, *fur balnearum*, qui lavantium vestes aut argentum subripiebat? At certe hi omnes ethnici erant (*Apulei Apolog.* 1 *ante fin.*), et nullum ibi invenistis christianæ religionis verum sectatorem. Non enim de nostris, pergit Tertullianus, sed *de vestris semper æstuat carcer* (*Plaut. Captiv. act.* IV, *scen.* 2), totusque scelestis vestris gentilibus repletus est. *De vestris* quoque *semper metalla suspirant* (*Tertull. lib. de Fuga, cap.* 13), de iis scilicet, qui scelerum convicti, metalla effodere cogebantur. *Denique de vestris semper bestiæ saginantur, de vestris semper munerarii noxiorum greges pascunt* (*Tertullian. Apolog. cap.* 44, p. 497). Munerarii autem, uti jam a nobis alibi observatum est (*Dissertat. in Minut. Octav. cap.* 13, *art.* 1, *et Dissert. in Lactant. cap.* 27, *art.* 1), ii erant, qui gladiatorum spectacula edebant. Hi autem pascebant et alebant noxios, qui ad bestias damnati debebant cum illis pugnare. Si autem victi fuissent, tum victrices bestiæ carnibus illorum *saginabantur*.

Nullus itaque ex horum numero erat christianus propter scelus aliquod aut conjectus in carcerem, aut ad bestias damnatus, sed suum duntaxat ob nomen, quod nihil plane mali habebat. Palam enim et asseveranter Tertullianus affirmat: Nullus illic *christianus, nisi hoc tantum* propter suum nomen: *aut si et aliud*, id est, capitalis alicujus sceleris reus et convictus, *jam non christianus* (*Tertullian. loc. cit.*), sed christianæ religionis apostata et desertor. Nihil ergo iniquius, ac divinis et humanis legibus magis contrarium, quam innocentes christianos, nunquam auditos et defensos, suum solum ob nomen condemnare, ac quibuslibet gravissimis suppliciis excarnificare et occidere.

CAPUT XVIII.

Quam absurde ethnici objectarent se ad vexandos necandosque christianos quibusdam suis legibus teneri, qui quaslibet sanctiores tam sæpe, quam impune violabant.

ARTICULUS PRIMUS.

Quibus rationibus Tertullianus ostendat nulla, vel lege, vel auctoritate, ullum hominem cogi posse ad eum, quem falsum novit, deum colendum, aut cuivis libertatem adimi, quam veram credit, religionem amplexandi.

Gentiles in summas angustias adducti, ad legum suarum auctoritatem, tanquam ultimum propugnaculum, confugere nitebantur. Nostris, inquiebant, adstringimur legibus, quæ præcipiunt vexari christianos, et ad internecionem usque excruciari. Nobis ergo, ad eos torquendos, scire sufficit revera esse christianos, nec qui qualesve sint amplius perquirendum (*Tertull. Apologet. c.* 3, *p.* 282). Sed Tertullianus respondet vanam esse ac plane absurdam hanc argumentationem, et ipsosmet ethnicos sic alloquitur: Si per leges vestras fas et necesse putatis christianos inauditos et indefensos condemnare, *vim profitemini, et iniquam ex arce dominationem* (*Ibidem*); ex arce, inquit, id est, forsitan, *ex edito et ipso vertice civitatis* (*Ibid. cap.* 1, *p.* 259), quemadmodum initio hujus libri dixerat. Qui enim quemvis accusatum, inaudita causa, condemnat, jubetque interfici, is procul dubio non æqui judicis fungitur officio, sed dominationem exercet iniquissimam, ac intolerandam tyrannidem.

Verum ut gentilium pertinaciam penitus frangat, aliud argumentum inde eruit, quod omnibus et singulis dabant quemlibet, uno et vero excepto, deum colendi facultatem. Nam cum dixisset unum ab uno, et alium ab alio libere et licenter coli, illos sic urget: *Videte ne hoc ad irreligiositatis elogium concurrat, adimere libertatem religionis, et interdicere optionem divinitatis; ut non liceat mihi colere, quem velim, sed cogar colere, quem nolim* (*Ibid., cap.* 24, *p.* 418)? Religiosus etenim cultus liber, inquit, et voluntarius esse debet, nec ullus unquam ab ullo homine aut ulla lege cogi potest ad eam, quam falsam esse novit, amplexandam religionem: *Divinæ* siquidem *rei*, uti ille postea dixit, *faciundæ libens animus indicitur* (*Ibid.*,

Digitized by Google

cap. 28, *p.* 435). Rationem vero si postules, hanc ubi dabit : ***Humani juris et naturalis potestatis est unicuique, quod putaverit, colere; nec alii obest, aut prodest alterius religio. Sed nec religionis est cogere religionem, quæ sponte suscipi debeat, non vi; cum et hostiæ ab animo libenti expostulentur. Ita etsi nos compuleritis ad sacrificandum, nihil præstabitis diis vestris. Ab invitis enim sacrificia non desiderabunt, nisi contentiosi sint. Contentiosus enim Deus non est*** (*Idem, lib. ad Scapul. cap.* 2).

Audis certe quibus Auctor noster rationum momentis ostendat juri, non solum humano, sed etiam naturali repugnare, ut quis unquam ulla vi ad suscipiendam aliquam falsam religionem aut falsi dei cultum compellatur. Cujuslibet siquidem religio nec prodest, nec nocet alteri, qui proximi sui bono aut malo nec melior nec pejor efficitur.

Deinde vero Deus ab invito et reluctante sacrificia non desiderat, nisi contentiosus sit, id est, lites et jurgia seminare velit. At talis Deus verus esse nequaquam potest. Quin etiam *nemo*, ait adhuc Tertullianus, *ab invito coli volet, ne homo quidem* (*Idem, Apologet. cap.* 24, *p.* 418). Nam damnanda plane est simulatio, et nefaria hypocrisis, qua is se eum colere exterius fingit, quem interius spernit atque detestatur.

Ad hæc vero, ea sane est hominis fragilitas, ut Deum verum sæpe sæpius offendat. Atqui placare illum nequit, nisi libera ac sincera animi conversione et pœnitentia, aut facto maxima libertate sacrificio. Summa igitur sine injustitia nemo cogere me potest ad sacrificandum Jovi, aut cuilibet alteri deo, quem non curo an mihi propitius sit, vel iratus; multo minus si illum hominem fuisse, nec amplius existere certo certius cognoverim.

Instat adhuc Tertullianus, et *colat*, inquit, *alius Deum, alius Jovem, alius ad cœlum supplices manus tendat; alius ad aram Fidei : alius, si hoc putatis, nubes numeret orans, alius lacunaria; alius animam suam deo suo voveat, alius hirci* (*Ibid.*). Nonne hi omnes æquo jure aut tolerari aut condemnari debebant, nec uni potius quam alteri eripiendam, quem voluerit, colendi libertatem?

Sed non clara omnino ac perspicua sunt hæc Tertulliani verba, ac forsitan dubitandi locus est utrum loquatur tantum de gentilibus, aut de iis simul et christianis, ut pluribus visum est. Quid vero si utrosque atque insuper Judæos designasse dicatur? De Christianis siquidem et Judæis scribere potuit : *Colat alius Deum*, unicum videlicet, atque omnipotentem; de ethnicis vero : *Alius Jovem*, sicut incompertum nemini est. De iisdem etiam Christianis dicere adhuc potuit : *Alius ad cœlum supplices manus tendat*. Nam hi, uti vidimus (*Supr. cap.* 14, *art.* 3), expansis manibus Deum orabant. Tametsi enim ethnicus simili modo deos suos precaretur; is christiano tamen opponi a Tertulliano videtur, qui ibidem dixit : *Alius* vero, nimirum gentilis, manus similiter tendat ad aram *Fidei :* in codicibus nostris manuscriptis legitur *Fidiæ*, sed librariorum procul dubio errore. Tolerabilius forsitan scriptum esset *Fidii*, quem gentiles, ut canit Ovidius, Jovis filium et deum esse opinabantur (*Ovid. lib.* VI *Fastor.* § 4). Recte autem *Fidei*, cujus tanquam deæ templum erat in Capitolio, quemadmodum alibi observavimus (*Tom.* I *Apparat. p.* 866).

Ad Judæos vero spectare videntur subsequentia Auctoris nostri verba : *Alius, si hoc putatis, nubes numeret orans.* Nam de iisdem Judæis Juvenalis cecinit :

> Quidam sortiti metuentem sabbata patrem,
> Nil præter nubes et cœli numen adorant.
> (*Juvenal. Satir.* 16, *v.* 916.)

Cur autem adjecit Tertullianus : *Si hoc putatis?* Nonne his verbis eosdem Judæos denotare voluit, quos ethnici et nubes et cœlum adorare falso putabant? Huic autem a Tertulliano opponitur *alius*, gentilis, qui colebat *lacunaria* suorum scilicet templorum, ut infra ostendemus. Pergit ille, *et alius*, inquit, puta christianus, *suam animam Deo suo voveat*, et consecret; contra vero *alius*, ethnicus, *hirci* animam falso deo voveat. Canit enim Virgilius :

> Ergo rite suum Baccho dicemus honorem
> Carminibus patriis, lancesve et liba feremus;
> Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram.
> (*Virgil. lib.* II *Georg.* *v.* 395.)

Martialis vero :

> Vite nocens rosea stabat moriturus ad aras
> Hircus, Bacche, tuis victima grata sacris.
> (*Martial. lib.* III, *epigram.* 24.)

Verum quid obstat quominus Tertullianus hæc omnia non Christianis et Judæis, sed solis gentilibus tribuat? Nonne Menecæus, Codrus et Mures, de quibus nos in superiori dissertatione post Lactantium (*Lactant., lib.* III, *cap.* 12, *pag.* 370) disputavimus (*Dissertat. in Lactant., cap,* 10, *art.* 4), animam suam diis voverunt. Aristophanes autem Socratem inducit nubes orantem et invocantem (*Aristoph., com. Nubes, act.* I, *scen.* 3). Gentiles quoque sublatis, ut dictum est, in cœlum manibus, deos suos precabantur. Ergo Tertullianus de his solis loqui potius videtur, et majus inde argumentationi ejus robur accedet. Recte quidem, inquies, nisi ille Jovi opponeret Deum haud dubie verum, quem adhuc singulari numero deinde appellavit. Sed quid vetat quominus ille Jovi maximo gentilium deo alium quemlibet sive majorum, sive minorum gentium deum opposuerit? Quoquo autem modo verba ejus intelligantur, ex iis recte omnino concludit ethnicos contra jus omne et fas ademisse Christianis veri Dei colendi facultatem. Per illos siquidem cæteris omnibus licebat non solum Jovem, sed, uno duntaxat vero Deo excepto, quemcumque colere falsum ac ridiculum deum. Qua enim crudelitate impii homines Christianis verum Deum honorandi tollebant licentiam, pari indulgentia patiebantur qualibet in civitate ac provincia, ut infra dicetur, a quovis homine, quem libuisset deum, etiamsi aliis penitus incognitum, coli, et adorari.

Sed jam aliquem audire nobis videmur, qui nobis in aurem insusurrat ibi Tertullianum tota via errasse,

Digitized by Google

utpote qui his argumentis probare contendat concedendam esse cuilibet facultatem quem voluerit, sive verum, sive falsum, colendi deum, ac pro arbitrio aliquam religionem eligendi. Itane vero desipuit Tertullianus, qui totis, uti vidimus, ingenii viribus demonstrat solam christianam religionem veram esse et profitendam, cæteras omnes falsas et rejiciendas, qui plane penitusque contendit summum christiano esse nefas suam negare imo et dissimulare religionem, qui martyres nostros omni laude ideo cumulat, quod maluerint quibuslibet dirissimis cruciatibus excarnificari et interfici, quam tria thuris grana falsis diis adolere, ac mirabili plane constantia suum pro fidei et religionis suæ defensione sanguinem fuderint. Secus vero si sensisset, suam in Apologetico aliisque similibus libris conscribendis plane gratisque lusisset operam. Non alio igitur tendunt illius argumenta, nisi ut iis demonstret neminem cogi posse ad deserendam veram, et falsam amplectendam religionem; ac iniquissimos esse gentiles, qui unicuique quemlibet deum, etsi aliis incognitum, colendi dabant libertatem, quam solis christianis verum Deum colentibus adimebant.

At alius quispiam a nobis postulabit cur ille adeo affirmate asseverat voluntariam esse religionem, qui diserte alibi dixit : *Ad officium hæreticos compelli, non illici, dignum est. Duritia vincenda est, non suadenda* (*Tertullian. Scorpiac., cap.* 2). Verum petat ille a Rigaltio quomodo Auctor noster vincendam velit hæreticorum duritiam, eosque ad officium reducendos, et audiet, non vi aut coactione corporea, sed spiritualibus divinæ Scripturæ armis divinaque auctoritate. Ac re quidem vera ipse Tertullianus sic prosequitur : *Et utique satis optimum præjudicabitur, quod probabitur a Deo constitutum atque præceptum.* Quamobrem hisce armis illos ibi revincit et expugnat.

Nobis vero adjicere liceat non eamdem esse hæreticorum ac gentilium rationem. Quidquid namque de hæreticis, qui verum Deum agnoverunt, sed erroribus sceleribusque suis ab Ecclesia defecerunt, statuendum dixeris; non ideo tamen ethnicis, ut recte ait Tertullianus, fas unquam fuit christianos tormentis ac cruciatibus ad falsorum deorum impellere veneration̄em. Nullus enim sine piaculo in errorem impellitur, imo vero nec inducitur. At nihil prohibet quominus hæretici legitima auctoritate ad eam, quam reliquerunt, reducantur veritatem.

ARTICULUS II.

Quam insulse ethnici ad torquendos tollendosque Christianos objicerent se quibusdam imperatorum legibus adstringi, quandoquidem ab iis ipsis emendatæ sunt leges Lycurgi, qui idcirco inedia mortem sibi conscivit, atque aliæ a Romanis abrogatæ, ac nominatim Juliæ, Papiæ, et quæ debitores in duas partes secari jubebant, ac quænam leges illæ fuerint.

Nullus unquam ulla, nisi iniquissima lege, ad falsum aliquem deum colendum adstringi potest. At injustæ legis, ut recte ait Tertullianus, *nullus honor est* (*Tertull., lib.* I *ad Nation., cap.* 6, *pag.* 566), nec ullius unquam hominis conscientiam obligavit. Nulla igitur humana lege Christiani ad fictitios deos colendos cogi poterant. Qua ergo fronte ethnici objicere poterant se ad eos torquendos et necandos, quibusdam imperatorum suorum legibus obstringi, qui negare non poterant plurimas ab hominibus etiam majoris auctoritatis, ut jam in superiori dissertatione vidimus (*Dissertat. in Lactant., cap.* 28, *art.* 1), pro humana infirmitate et temporum opportunitate latas, quas idcirco audacter et impune emendarunt, spreverunt, conculcaverunt? Quo autem pacto id negassent, quod non solum certissimo Ciceronis testimonio (*Cicer., lib.* I *de legib., pag.* 328, *lin.* 5 *et seqq.*), sed constanti sæculorum omnium experientia omnibus compertum est? Nihil itaque necesse fuit, ut id Tertullianus variis, et longe pluribus, quam par erat, exemplis comprobaret. Verumtamen quia quod abundat, ut aiunt, non vitiat, plurimas ille sanctas a variis legislatoribus leges, et a populis postea, aut emendatas, aut antiquatas ideo congessit, ut tandem ethnicis, legum in Christianos datarum auctoritatem nunquam non et ad nauseam usque objectantibus, linguam penitus occluderet. Nostri itaque officii esse duximus omnia ejus vestigia persequi, ac pro virili parte nostra, solitoque more ea enucleare, quæ ab illo de antiquis ethnicorum legibus, earumque auctoribus, emendatione et abrogatione speciatim tradita sunt.

Orditur autem ab antiquissimo legislatore Lycurgo, cujus *leges*, inquit, *a Lacedæmoniis emendatæ, tantum auctori suo doloris incusserunt, ut in secessu inedia de se ipso judicaverit*, aut ut alibi aliis verbis idem significantibus dixit, *apocarteresin optavit* (*Tertull. Apologet., cap.* 4, *pag.* 286; *et cap.* 46, *pag.* 512), hoc est, voluntaria fame et inedia mortuus est. Cur autem, obsecro te, has leges Lacedæmonii emendavere, nisi quia eas imperfectas, nec sibi utiles et convenientes esse arbitrabantur? At Pausanias memoriæ mandavit illum in quemdam confugisse vicum, cui Alpium nomen erat, postquam alter oculus ei excussus fuisset ab Alcandro, cui leges ejus non placuerant (*Pausan., lib.* III, *pag.* 100). Valerius vero Maximus illud paulo fusius hisque verbis enarrat : *Lycurgo neque leges salutariter excogitatæ auxilio esse potuerunt, quominus infestos cives experiretur. Sæpe enim lapidibus petitus, aliquando furore publico ejectus, etiam privatus oculo, ad ultimum ipsa patria pulsus est* (*Val. Max, lib.* V, *cap.* 3, *exter.* § 2). Sed uterque tacuit quo mortis genere vitam ille finierit. Ælianus vero scribit illi, cum Lacedæmonios justitia imbuere voluisset, erutum quidem oculum, aut ex insidiis jactu lapidis, aut baculi ictu (*Ælian., lib.* XIII *Var., cap.* 23), quemadmodum a variis scriptoribus proditum fuerat. Quod vero ad rem nostram magis facit, testem nominatim citat Ephorum, qui eum in exsilio fame periisse perhibet. Sed ibi ille non dixit utrum hæc fames voluntaria fuerit. Quamobrem Auctor noster pressius sequitur Plutarchum, qui diserte scribit illum jureju-

Digitized by Google

rando reges, senatum ac cives obstrinxisse, fore ut leges ejus sedulo observarent, donec Delphis rediret (*Plutarch.*, *t.* I, *in Vita Lycurg.*, *p.* 57). Ne autem sacramenti religione solverentur, τελεύτησιν ἀποκαρτερήσας, *mortem sibi inedia conscivit*. Sed id non prohibuit quominus Lacedæmonii suum non modo sacramentum, sed illius etiam leges spreverint et aboleverint.

Ad Romanos subinde Auctor noster venit, eosque his compellat verbis : *Nonne et vos quotidie, experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis*, id est (experientia vestra edocti), *totam illam veterem et squallentem sylvam*, sive infinitam et obscuram veterum legum multitudinem, *novis principalium rescriptorum et edictorum securibus*, sive novis principum rescriptis, *truncatis et cæditis* (*Tertull. Apologet.*, *cap.* 4, *p.* 286). In Rigaltii autem et secutis editionibus, *rustatis*, *et cæditis* ; sed qua auctoritate, nec ille dixit, nec nos aliud scire possumus, nisi hanc lectionem omnibus repugnare codicibus, atque ipsi, quem ille præ manibus habebat, exemplari Puteano. Nos tamen non latet a Tertulliano alibi scriptum : *Colere omnia*, *runcare*, *atque rustare instituit ; ut inde velut ex surculis et propaginibus populi de populis*, *urbes de urbibus*, *per ubique orbis pangerentur* (*Idem. lib. de Pall.*, *cap.* 2). Sed cui unquam licuit verbum aliquod ex uno auctoris libro in alium contra codicum omnium reclamationem transferre ? Quoquo autem modo legas, satis apertus est Auctoris nostri sensus : horrentem veterum legum sylvam novis expurgatam resecatamque fuisse principum edictis, quibus plura, tanquam noxiæ herbæ, evulsa sunt. Frustra igitur ethnici tantis clamoribus suarum in Christianos legum auctoritatem venditabant.

Ad id autem adhuc demonstrandum continenter Tertullianus adjecit : *Nonne vanissimas Papias leges*, *quæ ante liberos suscipi cogunt*, *quam Juliæ matrimonium contrahi*, *post tantæ auctoritatis senectutem heri Severus constantissimus principum exclusit* (*Idem*, *Apologet.*, *cap.* 4, *p.* 286 *et seq.*)? Aperte autem ibi ille docet has Julias leges Papiis emendatas, sed utrasque abrogatas ab imperatore Severo. Variæ autem erant Juliæ leges, quæ a Julio Cæsare ita cognominatæ sunt. Papiis vero seu potius Poppæis nomen dederunt Papius et Poppæus consules Augusti Cæsaris tempore suffecti. Juliam vero legem *de maritandis ordinibus* a Tertulliano designari omnes facile concedunt. Verum quomodo Papia lex coegerit liberos ante suscipi, quam lex Julia jusserit matrimonium contrahi, Heraldus se non satis intelligere (*Herald. not. in Tertull.*), et Antonius Augustinus sibi esse incognitum ultro fatentur (*August. lib. de legib.*, *cap.* 18). At sane constat eam Juliam legem, uti Dion (*Dion.*, *lib.* IV *Rom. Histor.*, *p.* 256), Cornelius Tacitus (*Tacit. lib.* III *Annal. ante med.*), et Suetonius perhibent (*Sueton. in Vita August.*, § 34), ab Augusto Cæsare severius, quam alias, fuisse retractatam. Nam præter præmia iis qui liberos susceperant proposita, ille graviores innuptis et cælibibus pœnas indixerat, quas deinde, propter recusantium tumultum, mitigare coactus est. Addit porro Suetonius : *Cum immaturitate sponsarum*, *et matrimoniorum crebra mutatione*, *vim legis eludi sentiret*, *tempus sponsas habendi coarctavit*, *divortiis modum imposuit* (*Suet. ibid.*). Nonne vero his verbis, *immaturitate sponsarum*, colligi potest propter multitudinem eorum, qui bellis civilibus aliisque antea exstincti fuerant, statutum esse ab imperatore Augusto, ut virgines, etiam nondum satis adultæ et viro maturæ, nuberent. Si autem is sit Suetonii sensus, hic Tertulliani esse videtur : Poppæa lege sancitum, ut virgines ea juniori ætate in matrimonium collocarentur, antequam illud lege Julia contrahere potuissent. Et vero ex Dione discimus ab eodem Augusto decretum, ut pactio nuptialis irrita esset, si nuptiæ ultra biennium differrentur, id est, inquit idem Dion, ut ea virgo, quam quis despondere volebat, decem annos nata esset, et nuptiæ non ultra biennium prorogarentur (*Dion.*, *lib.* LIV *Rom. Histor. pag.* 609). Atqui si puella decimo ætatis suæ anno despondere et nubere poterat, tum ergo filios suscipere, uti ait Tertullianus, cogebatur, quæ lege Julia, matrimonium anno suo tantum duodecimo inire poterat. Vide, si placet, Gothofredi (*Gothofred. Cod. Theodos. p.* 226 *et seqq.*) et aliorum, in tertiam de sponsalibus legem, annotationes ; et expende, quæso, utrum hæc, aut alia quædam, quam excogitabis, verborum Tertulliani interpretatio tibi magis arrideat.

Dubium autem esse non potest; quin Severus imperator illam utriusque Juliæ et Poppææ legis partem abrogaverit, tempusque assignaverit, quo virgines matura ætate nuberent. Nam id Tertullianus *heri*, id est, suo tempore factum esse asseverat. Præterea ex Martiano discimus aliquid in legibus Juliis ab eodem Severo emendatum (*Lib.* XXIII *Digest. tit.* 2, *leg.* 19). Alibi vero ostendimus (*Tom.* I *Apparat. lib.* III, *dissert.* 2, *cap.* 18, *art.* 3, *p.* 1153) ablatas fuisse a Constantino Magno pœnas, quæ his Juliis Poppæisque legibus contra cælibes et orbos decretæ fuerant. Sed hæ Tertulliani nostri tempore posteriores sunt.

Denique Rigaltius opinatur hasce leges ideo vanissimas a Tertulliano appellari, *quia de filiis suscipiendis cogitare non immerito vanum stultumque videbatur Christianis*, *finem sæculorum instare credentibus*, *et vitæ mortalis in æternam commutandæ desiderio suspirantibus*. Sed vidimus eosdem Christianos solitos fuisse pro hujus finis mora deprecari. Nobis igitur facilius probabitur illud ab Auctore nostro dictum fuisse castitatis ac virginitatis studio, quas quidem virtutes Christiani tanto ardore colebant, quanto eas gentiles despectui habebant et adspernabantur.

Tum dehinc Tertullianus continenter prosequitur : *Judicatos retro in partes secari a creditoribus leges erant. Consensu tamen publico crudelitas postea cessavit* (*Tertullian. Apologet. cap.* 4, *p.* 287). Una autem hæc erat ex vetustissimis legibus, primum in decem, et postea in duodecim tabulas relatis, quæ, teste Livio, *in immenso aliarum super alias acervatarum legum cumulo sunt omnis fons publici privatique juris*

Digitized by Google

(*Liv., lib.* III, § 34 *et* 35). Quæ autem, ac quibus verbis concepta fuerit lex illa, te docebit A. Gellius, qui illius initium alicubi (*Gell. lib.* XV *Noct. Att., cap.* 13, *p.* 821), illamque integram alibi hunc descripsit in modum : ÆRIS CONFESSI DEBITI Q. JURE JUDICATIS TRIGINTA. DIES. JUSTI. SUNTO. POST. DEINDE. MANUS. INJECTIO. ESTO. IN. JUS. DUCTIO. NI. JUDICATUM. FACIT. AUT. QUIS. EDENDO. EM. JURE. VINDICET. SECUM. DUCITO. VINCITO. AUT. NERVO. AUT. COMPEDIBUS. QUINDECIM. PONDO. NE. MINORE. AUT. SI. VOLET. MAJORE. VINCITO. SI. VOLET. SUO. VIVITO. NI. SUO. VIVIT. QUI. EMIT. VINCTUM. HABEBIT. LIBRAS. FARRIS. M. DIES. DATO. SI. VOLET. PLUS. DATO. TERTIIS. NUNDINIS. PARTIS. SECANTO. SI. PLUS. MINUSVE. SECUERUNT. SE. FRAUDE. ESTO (*Ibid. lib.* XX, *cap.* 1, *p.* 1101 *et seqq.*). Eamdem hanc legem non sine variis lectionibus Fulvius B Ursinus retulit (*Fulv. Ursin. not. in. cit. August. lib.*).

Ære itaque alieno obstrictis primum hac lege concedebatur triginta dierum spatium, quo pecuniam quærerent. Tum deinde vincti in carcerem trudebantur. Tertiis autem nundinis, sive post alios sexaginta dies capite pœnas luebant; et si plures erant creditores, secabatur corpus debitoris, et singulæ ejus partes singulis creditoribus dabantur. Quo certe *nihil*, ait Gellius, *immitius, nisi, ut reipsa apparet, eo consilio tanta immanitas pœnæ denuntiata est, ne ad eam unquam perveniretur. Addici namque nunc, et vinciri multos videmus, quia vinculorum pœnam deterrimi homines contemnunt. Dissectum esse antiquitus neminem neque legi neque audivi, quoniam sævitia ista pœnæ contemni non quita est* (*Gell. ibid.*). Cernis sane hanc C ipsam esse legem, quam Tertullianus consensu publico antiquatam ac repudiatam asserit. Quintilianus quoque illud hisce verbis planissime confirmat : *Sunt quædam non laudabilia natura, sed jure concessa; ut duodecim tabulis debitoris corpus inter creditores dividi licuit, quam legem mos publicus repudiavit* (*Quintil. lib.* III *Inst. Orator. cap.* 6).

Atqui si in duodecim tabularum legibus, quas etiam pueri, tanquam omnium optimas, olim discere, uti ait Cicero (*Cicer., lib.* II *de legib. pag.* 341, *lin.* 27), tenebantur, aliquid fuerit non modo non laudandum, ut alibi ostendimus (*Dissertat. in Lactant. cap.* 26, *art.* 1), sed prorsus etiam immite, quanto magis in aliis, quas homines propter sua tantum commoda tulerunt! Nulla enim antiquitas, nec ulla D legislatoris dignitas, sed sola æquitas legem commendat. Nulla igitur iniquior est ea, qua christianus ob solum suum nomen, nec audita unquam causa condemnatur.

ARTICULUS III.

Examinatur quam impune ethnici violaverint leges immodicum cœnarum, supellectilis et vestium sumptum cohibentes, et quæ illæ fuerint ac centenariæ cœnæ; quam audacter alias pessumdederint, ac eam potissimum, qua patricius decem argenti pondo habens, senatu submotus est; quis ille, quive libertini qui, flagra adhuc rumpentes, similes sumptuarias leges adspernati sunt.

Argumentum suum prosequitur Tertullianus, et ethnicis in Christianos quarumdam legum simulatione sævientibus, objicit his non magis obligatos fuisse, quam ipsosmet ethnicos sumptuariis legibus, quæ magna æquitate ac prudentia sumptus in cœnis, domestica supellectile ac vestibus coercebant (*Tert. Ap., cap.* 4, *p.* 288), aut ut ipse loqui amat, *sumptum et ambitionem comprimentes* (*Idem., cap.* 6, *pag.* 205). At tanta audacia eas plane pessumdederant, ut ipsi Tertulliano respondere non potuerint, ab eis petenti : *Quoniam illæ leges abierunt, quæ centum æra non amplius in cœnam subscribi jubebant, nec amplius quam unam inferri gallinam, et eam non saginatam.* Narrat vero A. Gellius se in Capitonis Atei conjectaneis legisse Senatus decretum, quo civitatis principes jurare jubebantur se in ludis Megalensibus non majores in cœnas singulas sumptus facturos, quam centenos vicenos æris sive asses, præter olus, far et vinum patrium; neque argenti in convivio plus ponderis, quam libras centum (*Gell., lib.* II *Noct. Att., cap.* 24). Deinde lege Fannia cautum, ne in ludis Romanis, Plebeiis, Saturnalibus, aliisque quibusdam diebus, plures quam centeni, decemque aliis diebus, in singulis mensibus triceni, cæteris tandem diebus deni asses impenderentur. Postea vero lege Licinia indultum nuptiis ducentorum, aliis diebus tricenorum assium præter poma et olera impensam fieri. At post hæc legibus his situ et senio oblitteratis, cum plures in amplis patrimoniis helluarentur, data est a Sylla dictatore lex Cornelia, qua facultas concessa est quibusdam feriis solemnibus sestertios tricenos, aliis diebus non amplius quam ternos, in cœnam impendendi. Præterea lex Æmilia et Antia sumptus cœnarum, ciborumque genus et modum adhuc præfinierunt. Lege tandem Julia, quæ Augusto imperante, ut diximus, statuta est, plurimum quidem hi sumptus aucti sunt; sed ita tamen, ut certis quibusdam finibus effrenis luxuriæ æstus coerceatur. Quæ quidem omnia a Macrobio (*Macrob., lib.* III *Saturnal., cap.* 17) post A. Gellium explicata (*Aul. Gell. loc. cit.*), Tertulliani nostri sententiam plane stabiliunt ac confirmant.

Nec majori curæ illis fuit jam laudata a nobis lex Fannia, qua prohibebatur ne amplius quam una gallina, eaque non saginata, in cœnam inferretur. At Plinius hujus legis mentionem facit, ac quomodo eam gentiles labefactare cœperint, his explicat verbis : *Gallinas saginare Deliaci cœpere. Unde pestis exorta opimas aves, et suopte corpore unctas devorandi. Hoc primum antiquis cœnarum interdictis exceptum invenio jam lege C. Fannii cos. annis undecim ante Punicum bellum, ne quid volucre poneretur præter unam gallinam, quæ non esset altilis* (*Plin., lib.* X *Hist. natur., cap.* 50, *p.* 442), seu pinguis et saginata, et a Juvenale *altilis* simpliciter appellatur. *Quod deinde caput translatum per omnes leges ambulavit, inventumque diverticulum est in fraude earum gallinaceos quoque pascendi lacte madidis cibis; multo ita gratiores approbantur* (*Juvenal. satir.* 5, *v.* 117). De his autem

Digitized by Google

sumptuariis et cibariis legibus, plura Paulus Manutius (*Paul. Manut., lib. de Legib. Roman., cap.* 18) et Antonius Augustinus (*Ant. August., lib.* I *de legib., cap.* 18), a nobis citati alia in dissertatione, ubi ex hisce legibus Arnobium post Tertullianum similiter disputantem audivimus (*Dissertat. in Lactant., cap.* 9, *art.* 1).

Quantum autem ethnici præclaras hasce leges spreverint, ac pro nihilo habuerint, disces ex totidem Auctoris nostri hisce verbis : *Video et centenarias cœnas, a centenis jam sestertiis dicendas* (*Tertullian. Apologet., cap.* 6, *p.* 300). Centenariæ autem cœnæ, uti observat Festus, *dicebantur, in quas lege Licinia non plus centussibus, præter terræ nata impendebatur, id est, centum assibus qui erant breves nummi ex ære* (*Fest. ad v.* Centenariæ), uti supra monuimus. Noster igitur Auctor significat veteris frugalisque cœnæ auctos extra modum sumptus. Nam quæ antea centum ut plurimum assibus debebat instrui, hæc centum sestertiis dari illius tempore consueverat. Sestertius autem duos asses et semissem valebat. Centum porro sestertios rotunde dixit, numeroque certo pro incerto usus est, ut centum assium et sextertiorum oppositione, nimios cœnarum sumptus exagitaret. Quis porro vitas Cæsarum, a Suetonio aliisque auctoribus scriptas, vel levissime perstringendo, non animadvertit, illis regnantibus, cœnas adeo fuisse sumptuosas, ut fides his historicis, tametsi fide dignis, vix habeatur? Vides sane quanta facilitate Romani antiquas ac venerandas leges suas emendaverint et infirmaverint, dum se iniquissimis in Christianos rescriptis teneri effutiebant.

Tum deinde Tertullianus asserit similiter pessumdatas leges, *quæ patricium, quod decem pondo argenti habuisset, pro magno titulo ambitionis Senatu submovebant* (*Tertullian. loc. cit.*). Si quis autem a nobis petierit quis ille sit patricius, huic A. Gellii verbis respondebimus : *C. Fabricius Lucinus, et Q. Æmilius Papus Romæ censores fuerunt, et P. Cornelium Rufum, qui bis consul et dictator fuerat, senatu moverunt, causamque isti notæ subscripserunt, quod eum comperissent argenti facti cœnæ gratia, decem pondo habere* (*Gell., lib.* XVII *Noct. Att., cap.* 2, p. 1005). Audis profecto eamdem ibi ab illo, atque a Tertulliano, argenti summam notari quam Rufus habuerat. At quod ille dixit *cœnæ gratia*, hoc A. Gellius : *Ob luxuriæ*, inquit, *notam, quod decem pondo libras argenti facti haberet* (*Idem, ibid., lib.* VIII, *cap.* 8, *p.* 289). Eadem plane in Livii Epitome legimus (*Liv. Epit. lib.* XIV). At Plinius eamdem argenti summam in supellectilem (*Plin., lib.* XVIII *Hist. natur., cap.* 6, *p.* 447), Valerius vero Maximus in vasa argentea insumptam esse testificantur (*Val. Max., lib.* II, *cap.* 6, § 4). Sed hujus verba, quæ ad rem nostram plurimum faciunt, audire molestum forsan non erit. Hæc autem sunt : *Narravit omnis ætas, et deinceps narrabit Fabricii Lucinii censura Cornelium Rufum, duobus consulatibus et dictatura speciosissime functum, quod decem pondo vasa argentea comparasset, perinde ac malo exemplo luxuriosum in ordine Senatorio retentum non esse.* Tum hæc continenter subjunxit : *Ipsæ medius fidius mihi litteræ sæculi nostri obstupescere videntur, cum ad tantam severitatem referendam ministerium accommodare coguntur, ac vereri ne non nostræ urbis acta commemorare existimentur. Vix enim credibile est idem pomerium decem pondo argenti et invidiosum fuisse censum, et inopiam haberi contemptissimam.*

Nonne autem Tertullianus similiter indicat eam argenti summam a Cornelio Rufo ad fabricanda aut emenda argentea vasa impensam fuisse, qui majorem Romanorum luxum jure merito hisce redarguit subsequentibus verbis : *Video in lances*, ad cibos videlicet cœnantibus ferendos, *parum est si senatorum, et non libertinorum, vel adhuc flagra rumpentium argentaria metalla producta* (*Tertul. Apol., cap.* 6, *p.* 301). Vitio itaque ethnicis vertit, quod tanto luxu soluti fuerint non solum senatores, verum etiam libertini, flagra adhuc rumpentes, id est, qui paucos ante dies servitutem exuerant. Servi siquidem flagris tanquam peculiari eorum supplicio cædi solebant. Quamobrem de Liburno servo Juvenalis hæc cecinit :

. . . . Tarde venisse Liburnus
Dicitur, et pœnas alieni pendere somni
Cogitur, hic frangit ferulas, rubet ille flagellis.
(*Juvenal. Satir.* 6, *v.* 490.)

Apud Terentium vero Simon flagra et verbera servo suo Davo sic minitatur :

Verberibus cæsum te, Dave, in pistrinum dedam usque ad necem.
(*Terent. Andr.* 1, *scen.* 2, *v.* 8.)

Sed de servorum pœnis fusius in sequenti dissertatione. At si tantus horum, qui vix libertatem acceperant, erat luxus, hinc conjice quantus aliorum fuerit? Quamobrem Plinius mox citatus : *propter quinque pondo*, inquit, argenti, *notatum a censoribus triumphalem senem fabulosum jam videtur* (*Plin., lib.* III *natur. Hist. cap.* 11, *pag.* 69). Qua ergo ratione gentiles objectare audebant se injustis in Christianos legibus adstringi, qui æquissimas sumptuarias illas leges palam et impune everterant?

ARTICULUS IV.

Quanta licentia gentiles, spretis legibus, quæ theatra orientia destruxerant, longe plura ædificaverint, in quæ majoris voluptatis caussa penulati confluebant.

Ad alias Tertullianus venit leges, quibus pudicitiæ, morum honestati ac modestiæ consultum fuerat. Palam autem facit eas adhuc tanta licentia ab ethnicis pessumdatas, quanta temeritate objiciebant se aliis plane nefariis in Christianos sancitis teneri : *Quo enim abierunt*, inquit, *leges illæ vitiorum emendatrices, quæ theatra, stuprandis moribus orientia, statim destruebant?* (*Tertullian. Apolog. cap.* 6, *pag.* 299). At certe communis plerorumque omnium, uti docet Servius (*Serv. in lib.* II *Georg. Virgilii, v.* 381 ; *et in lib.* II *Æneid., v.* 737), opinio fuit primos theatri ludos in Bacchi sive Liberi patris honorem institutos fuisse, qui quidem idcirco Liberales vocabantur. Quantum autem hisce ludis mores hominum corrumperentur,

Digitized by Google

nemo sane est, qui ex detestanda prorsus illorum turpitudine atque obscœnitate, de qua alibi disseruimus (*Dissert. in Lactant. cap.* 17, *art.* 1, *et in Lactant. cap.* 35, *art.* 1) facile non intelligat. Si quis tamen Auctorem nostrum non de his tantum, sed aliis etiam theatri ludis, olim eversis, sermonem revera fecisse contendat, adstipulatorem utique habebit Tullium, et eum, a quo citatur, Augustinum. Hujus enim ipsamet hæc sunt verba : *Romani, quamvis jam superstitione noxia premerentur, ut illos deos colerent quos videbant sibi voluisse scenicas turpitudines consecrari, suæ tamen dignitatis memores ac pudoris, actores talium fabularum nequaquam honoraverunt more Græcorum, sed sicut apud Ciceronem Scipio loquitur : Cum artem ludicram, scenamque totam probro ducerent, genus id hominum non modo honore civium reliquorum carere, sed etiam tribu moveri notatione censoria voluerunt* (*August. lib.* II *de Civit., cap.* 13, *pag.* 40 *et seqq.*). Quam quidem Ciceronis sententiam, ita citatam, his laudat probatque subsequentibus verbis : *Præclara sane et laudibus romanis annumeranda prudentia, sed vellem se ipsa sequeretur, se imitaretur.*

Diu itaque optimæ leges non viguerunt. Nam Tertullianus ethnicos ita insectatus est : *Video et theatra nec singula, nec nuda* (*Tertullian. Apologet. cap.* 6. *p.*301) : non singula quidem, quia prioribus eversis, longe plura ubique terrarum exstruxerant. Addidit, *nec nuda*; quoniam solebant illuc non veste communi, sed penula induti confluere. Ne enim *vel hyeme*, inquit, *voluptas impudica frigeret, primi Lacedæmonii odium penulæ ludis excogitaverant.* In omnibus autem manuscriptis, et ante Rigaltium excusis codicibus, non *odium penulæ*, sed simpliciter *penulam* legimus. In obscuris vero ac forte corruptis hisce verbis explicandis suum eruditi ingenium non parum sane exercuerunt. Heraldus enim putat iis forsitan significari penulam, quam arcendis pluviis Lacedæmoniorum belligera gens excogitaverat, a Romanis ad ludos patientius spectandos fuisse adhibitam. Verum Tertullianus illam non modo ad usum militarem, sed ad ludos etiam ab iisdem Lacedæmoniis inventam satis aperte declarat. Rigaltius vero suspicatur illum ironice loqui de penulis, utpote nimium gravibus et ponderosis, quæ idcirco odium potius quam voluptatem creare poterant. At quorsum Tertullianus his verbis potius, quam aliis et præcedentibus et subsequentibus, ironice loqueretur?

Quia igitur Tertullianus sine ironia et affirmate loqui videtur, existimat idcirco Ferrarius eum ibi memoria lapsum, ac *penulam* scripsisse pro *endromidem* (*Ferr. part.* II *de Re vest., lib.* II, *c.* 1), quæ crassa etiam et hirsuta vestis erat, ac palæstræ sive potius post palæstram, non minus quam penula utilis. In suæ autem opinionis confirmationem hæc profert Martialis carmina:

> Hanc tibi sequanicæ pinguem textricis alumnam,
> Quæ Lacedæmonium barbara nomen habet,
> Sordida, sed gelido non adspernenda Decembri,
> Dona, peregrinam mittimus endromida,
> Seu lentum ceroma teris, tepidumve trigonæ,
> Sive harpasta manu pulverulenta rapis.
> (*Martial. lib.* IV, *Epigram.* 19.)

Verum nihil prorsus necesse videtur nomen *penulæ*, quod constanter in omnibus codicibus legitur, propter conjecturam immutari. Dubium enimvero neminem esse potest, quin Romani penulati ludis publicis interessent. Testis siquidem nobis est Suetonius Galbam imperatorem jussisse, ut illi in quodam solemni spectaculo *manus penulis continerent* (*Sueton. in Vit. Galb.*, § 6). In Dionis vero Epitome legimus Commodum imperatorem præcepisse ut ad ultimum quod dedit, gladiatorum munus senatores in theatrum venirent, Ἔν τε τῇ στολῇ τῇ ἱππάδι, καὶ ἐν ταῖς μανδύαις εἰς τὸ θέατρον εἰσελθεῖν. *Equestri veste, et penula indutos venire in theatrum jussit* (*Epit. Dion. in Vita Commod. pag.* 295). Quo quidem ornatu nunquam antea illud ingredi consueverant, nisi imperator ex hac vita decessisset. At μανδύη significat aliquod penulæ genus. Nam Lampridius de eodem Commodo : *Contra consuetudinem*, inquit, *penulatos jussit, non togatos ad munus venire* (*Lamprid. in ejusd. Vita, pag.* 315.)

Tertullianus itaque Romanos merito coarguit; quippe qui contra antiquum morem penula uterentur, cum publicis ludis et spectaculis, præsertim hyeme, aderant. Tunc enim, quia theatra carebant tectis, penulam sumpsere; ne frigus pluviave noceret, ac turpia ibi acta sine ullo spectarent incommodo. Contra pristinos itaque mores voluptatis caussa sumpserant penulam, quam milites ob solam necessitatem induebant. Nam de milite qui christianam religionem coram Tribuno profitebatur, *gravissimas*, inquit Tertullianus, *penulas posuit.* (*Tertul., lib. de Coron., cap.* 1). De hac porro veste videsis Octavium Ferrarium, atque Bartholum Bartholinum, qui peculiares de illa disquisitiones, et alios qui de re vestiaria libros ediderunt.

Quis igitur non videt qua temeritate ethnici clamabant iniquissimis imperatorum in Christianos legibus se ad eos vexandos cogi, qui tanta audacia et impunitate alias æquissimas, theatra ob immanem morum corruptelam funditus everti præcipientes, plane despiciebant et adspernabantur. Neque alias plures perquam optimas pluris faciebant, quemadmodum Tertullianus docet, et post illum ostendemus.

ARTICULUS V.

Expenditur qua temeritate ethnici conculcaverint leges quæ dignitatum et natalium insignia, ac matronarum et meretricum vestes distingui jubebant, aut prohibebant ne mulieres auro, nisi in annulo pronubo, ornarentur.

Gradum inde Tertullianus facit ad aliud pessumdatarum ab ethnicis legum genus, quibus modestiæ ac sobrietati in primis mulierum prudentissime consultum olim fuit. Qui enim leges christiano nomini injuriosas tam insolenter objectabant, hi ipsi tranquillo lætoque animo patiebantur alias conculcari, *quæ dignitatum et honestorum natalium insignia non temere nec impune usurpari sinebant* (*Tertul. Apologet. cap.* 6, *pag.* 300). Quis vero nescit varia fuisse regum, senatorum, equitum, et plebeiorum hominum insignia, diversasque vestes, quibus a se invicem distinguebantur? Missa enimvero ut plurima

Digitized by Google

faciamus, hæc alia sunt de illis ipsiusmet Auctoris nostri verba : *Quis omnino regum insigne potestati suæ humero præfert, et non aut capite diadema, aut in manu sceptrum, aut aliquam propriæ vestis notam?* (*Idem, lib. adv. Judæos, cap.* 10).

Datum quoque est a Cæsare Augusto edictum, quo prohibuit ne ullus, nisi senator, purpuram, quæ tum vulgo sumebatur, deinceps indueret (*Dion. lib* XLIX *Histor. Rom. pag.* 459). Antea vero Julius Cæsar, teste Suetonio, *lecticarum usum, item conchyliadæ vestis, et margaritarum, nisi certis personis et ætatibus perque certos dies, ademit* (*Sueton. in Vit. Julii Cæsaris,* § 43). Quæ quidem ab Eusebiani Chronici auctore de fœminis sic explicantur : *Prohibitæ lecticis margaritisque uti, quæ nec viros nec liberos haberent, et minores essent annis quinquaginta quinque* (*Euseb. Chron.* 1972).

Magnum quoque inter matronarum et meretricum vestes erat discrimen (*Tertull., Apologet. cap.* 6, *pag.* 301). Nam meretrices, sicuti Nonius annotavit, succinctiore veste utebantur (*Non. cap.* 14 *de Gen. vestim*). Quamobrem Ulpianus : *Si quis*, inquit, *virgines appellasset, si tamen ancillari veste vestitas, minus peccare videtur, multo minus si meretricia veste fœminæ, non matrum familiarum vestitæ fuissent* (*Digest. lib.* XLVIII, *tit. de Injur.*, etc., *leg.* 15).

Quantum autem mulieres, contra majorum instituta, his vestibus abuterentur, disce ex nostro Tertulliano : *Video*, inquit, *et inter matronas atque prostibulas nullum de habitu discrimen relictum* (*Tertul. loc. cit.*). Neque ibi ille plura ; sed quæ alio in libro uberius, huncque prosequitur in modum : *Converte et ad fœminas*, inquit, *habes spectare quod Cæcinna Severus graviter senatui impressit matronas sine stola in publico. Denique Lentuli auguris consultis, quæ ita sese exauctorasset, pro stupro erat pœna; quoniam quidem indices custodesque dignitatis habitus, ut lenocinii factitandi impedimenta, sedulo quædam desuefecerant. At nunc in semetipsas lenocinando, quo planius adeantur, et stolam et supparum, et crepidulam, caliendrum, ipsas quoque jam lecticas, et scillas, quibus, in publico quoque domestice ac secrete habebantur, ejeravere* (*Idem, lib. de Pallio, cap.* 4). Alio adhuc in libro eumdem abusum, ac rejectam illam honestarum matronarum et meretriciarum vestium differentiam acrius insectatur. Audi, quæso, eum loquentem : *Quanto magis blasphemabile est, si quæ sacerdotes pudicitiæ dicimini impudicarum ritu procedatis cultæ et expictæ? Aut quid minus habent infelicissimæ illæ publicarum libidinum victimæ, quas si quæ leges a maritalibus et matronalibus decoramentis coercebant, jam certe sæculi improbitas quotidie insurgens honestissimis quibusque fœminis usque ad errorem dignoscendi coæquavit* (*Idem, lib.* II *de Cultu fœmin. c.* 12). Tum paulo post : *Thamar illa, quæ se expinxerat et ornaverat, idcirco Judæ suspicione visa est quæstui sedere, adeoque sub velamento latebat, habitus qualitate quæstuariam mentiente ; ut quæstuariam et voluerit, et compellaverit, et pactus sit* (*ib.*). Nec absimili modo Hieronymus : *Thamar*, inquit, *sub specie meretricis fallit Judam* (*Hieronym. lib.* I *adv. Pelagian.*).

Audisne quam antiquæ fuerint de distinguendis matronarum scortorumque vestibus leges, et quam impune eas ethnici violaverint.

Neque alias magis curabant, quibus fœminarum modestiæ et sobrietati cautum erat. Nulla enim antiquitus fœmina *aurum*, ait Tertullianus, *præter unico norat digito, quem sponsus oppignerasset, pronubo annulo* (*Tertull. Apologet. cap.* 6, *p.* 302). Nemini autem incompertum est morem vetustissimum fuisse, ut sponsus in futurarum nuptiarum pignus annulum, quem vocabant pronubum, sponsæ suæ mitteret. Si quis tamen illius testem saltem unum sibi citari velit, is audiat Juvenalem :

> Conventum tamen et pactum, et sponsalia nostra
> Tempestate paras, jamque a tonsore magistro
> Pecteris, et digito pignus fortasse dedisti.
> (*Juvenal. Satir.* 6, *v.* 25 *et seqq.*)

Plinius autem testatum nobis facit hunc annulum suo tempore ferreum fuisse, ac sine gemma : *Etiam nunc*, ait, *sponsæ muneri ferreus annulus mittitur isque sine gemma* (*Plin. lib.* XXXIII *natur. Hist. c.* 1, *p.* 7).

Tertulliani itaque nostri ætate, mos ille plane modestus jam immutatus erat, et pro ferreo annulo aureus dabatur. Postea vero Isidorus de annulis iisdemque pronubis plurali numero sic loquebatur : *Fœminæ non usæ sunt annulis, nisi quos virgini sponsus miserat, neque amplius quam binos annulos aureos in digitis habere solebat. At nunc præ auro nullum fœminis leve est atque immune membrum* (*Isidor. lib.* XIX *Origin., cap.* 32). Nonne autem his posterioribus verbis ad hæc Tertulliani respexit, quibus mulierum luxum ipso, de quo agimus, loco sic exagitat : *Nunc in fœminis præ auro nullum leve membrum* (*Tertul., Apologet. cap.* 6, *p.* 304). Quamobrem Ovidius antea cecinerat :

> Nec prodite graves, insuto vestibus auro,
> Per quas non petitis, sæpe fugatis opes.
> (*Ovid. lib.* III *de Arte amandi, v.* 172.)

Testis adhuc nobis est Plinius visam a se Agrippinam, Claudii principis, id est, Neronis uxorem, *edente eo navalis prælii spectaculum, assidente ei, in dutam paludamento auro textili sine alia materie* (*Plin. ibid. cap.* 3, *p.* 39). Quod quidem et Dion (*Dion., lib.* X *Rom. Histor.*) et Cornelius Tacitus confirmant (*C. Tacit. lib.* XII, *Annal. ant. fin.*). Qui plura de hoc romanarum mulierum luxu scire voluerit, is adeat Meursium (*Meurs. lib. de Luxu Roman. cap.* 4 *et seqq.*), Kobierzykum (*Kobierz. lib.* I *de Luxu Rom., cap.* 8, *et seqq.*), ac si vacat, ea quæ nos alibi annotavimus. (*Tom.* I *Apparat., p.* 792.)

ARTICULUS VI.

Expenditur quanta severitate usus vini mulieribus olim interdictus fuerit, ac quam impune, propter illius abusum, uxores a viris suis trucidatæ sint : quam immoderate postea a fœminis sumptum, quæ idcirco solitum osculum propinquis porrigere non audebant : quam frequens fuerit uxorum repudiatio, priscis temporibus incognita ; ac qua ratione etnici proavis suis nuntium sermone, et loquendi modo remiserint.

Nihil sane antiqua Romanorum probitate magis di-

Digitized by Google

gnum, quam salubris illa severitas, qua vini usus fœminis ita interdictus fuerat, *ut matronam*, sicuti Tertullianus noster memorat, *ob resignatos cellæ vinariæ loculos sui inedià necarint. Sub Romulo vero quæ vinum attigerat, impune a Mecenio marito trucidata est. Idcirco et oscula propinquis offerre necessitas erat, ut spiritu judicarentur* (*Tertullian. Apologet. cap.* 6, *p.* 303). Eadem plane, etsi non eodem ordine, clarius explicat Plinius : Non licebat, inquit, *id* (vinum) *fœminis Romæ bibere. Invenimus inter exempla, Egnatii Mecenii uxorem, quod vinum bibisset e dolio, interfectam fuisse a marito, eumque cædis a Romulo absolutum. Fabius Pictor in Annalibus suis scripsit matronam, quod loculos, in quibus erant claves vinariæ cellæ, resignavisset, a suis inedia mori coactam; Cato, ideo propinquos fœminis osculum dare, ut scirent an temetum olerent. Hoc tum nomen vino erat, unde et temulentia appellata* (*Plin., lib.* XIV *natur. Hist., cap.* 13, *pag.* 142). Quis autem facile sibi non persuadebit hæc omnia a Tertulliano non ita simul conjungi potuisse, nisi ea vel ex ipso Plinio, vel iisdem ac ille fontibus hauserit? Paulo enim aliter Valerius Maximus narrat illam Egnatii Mecenii uxorem, eo quod vinum biberat, ab eo interemptam sine accusatore aut reprehensore (*Val. Max., lib.* VI, *cap.* 3, § 9); quoniam omnes existimabant *optimo illam exemplo violatæ sobrietatis pœnas luisse* (*Idem, lib.* II, *cap.* 1, § 5).

Prius vero dixerat vini usum olim romanis fœminis ignotum; quia proximus est inde ad inconcessam venerem gradus. Quin etiam ab A. Gellio rursum citatur Cato, qui tradidit eodem modo condemnatam mulierem, quæ aut vinum biberat, aut in adulterio fuerat deprehensa (*A. Gell., lib.* X *Noct. Attic. cap.* 23, *pag.* 557). Ad hæc vero, Athenæus non solum vini mulieribus a Romanis interdicti mentionem facit, sed addidit insuper cellam vinariam iis non commissam, et osculum a maritis et cognatis idcirco porrectum, ut possent odoratu agnoscere utrum revera vinum bibissent (*Athenæ., lib.* X, *Deipnosoph., cap.* 7, *p.* 429, *et cap.* 11, *pag.* 440). De hac autem vini interdictione jam disputavimus (*Dissertat. in Arnob. cap.* 4, art. 1).

Contra hanc tamen legem : *Præ vino*, inquit Tertullianus, *nullum liberum est osculum* (*Tertullianus, Apologet. c.* 6, *p.* 304). At in illud ebrietatis vitium varii scriptores, ac potissimum satyrici poetæ invehuntur. Sed sufficiet in rem notissimam hæc retulisse Juvenalis carmina, quibus ea, quæ non modo de ebrietate, sed luxu etiam in superiori articulo diximus, manifeste confirmantur :

> Nullum crimen abest, facinusque libidinis, ex quo
> Paupertas Romana perit. . . . . .
> . . . . . .
> Prima peregrinos obscena pecunia mores
> Intulit, et turpi fregerunt sæcula luxu
> Divitiæ molles. Quid enim Venus ebria curat?
> Inguinis et capitis quæ sint discrimina nescit,
> Grandia quæ mediis jam noctibus ostrea mordet.
> Cum perfusa mero spumant unguenta Falerno,
> Cum bibitur concha, cum jam vertigine tectum
> Ambulat, et geminis exsurgit mensa lucernis.
> I nunc, et dubita quæ sorbeat aera sanna
> Tullia, quid dicat notæ Collacia Maura,
> Maura pudicitiæ veterem cum præterit aram.
> (*Juvenal., satir.* 6, *v.* 293 *et seqq.*)

Quid plura? Gentilibus adhuc probro Auctor noster vertit, quod evanuerit prisca *felicitas matrimoniorum, de moribus utique prosperata, qua, per annos fere sexcentos ab Urbe condita, nulla repudium domus scripsit.* (*Tertull., ibid.*) Visne id tibi græcis quibusdam latinisque testibus probari? Primus erit Dionysius Halicarnasseus, cujus hæc sunt verba : Ὁμολογεῖται ἐντὸς ἐτῶν εἴκοσι καὶ πενταχοσίων μηδεὶς ἐν Ῥώμῃ διαλυθῆναι γάμος· κατὰ τὴν ἑβδόμην ἐπὶ ταῖς τριάκοντα καὶ ἑκατὸν Ὀλυμπιάσιν, ὑπατευόντων Μάρκου Πομπωνίου, καὶ Γαΐου Παπυρίου, πρῶτος ἀπολῦσαι λέγεται τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα Σπούριος Καρουίλλιος ἀνὴρ οὐκ ἀφανὴς, ἀναγχαζομένος ὑπὸ τῶν τιμητῶν ὀμόσαι τέκνων ἕνεκα γυναικὶ μὴ συνοικεῖν· ἦν δ' αὐτῷ στείρα ἡ γυνή, ὃς ἐπὶ τῷ ἔργῳ τούτῳ, καίτοι δι' ἀνάγκην γινομένῳ, μισούμενος ὑπὸ τοῦ δήμου διετέλεσεν. *Constat per annos* 520 *nullum accidisse divortium. Septima demum supra centesimam et tricesimam olympiade Marco Pomponio et C. Papyrio consulibus, primus dicitur uxorem dimisisse Sp. Carvilius, vir non obscurus, coactus a censoribus jurare liberorum caussa se conjugem non retinere; erat enim sterilis; qui ob hoc factum, quamvis necessitate compulsus, in perpetuum exosus fuit populo* (*Dionys. Halicarn., lib.* II *Antiquit. Rom. pag.* 96).

Latini vero scriptores Valerius Maximus et A. Gellius eadem litteris mandaverunt (*Val. Max., lib.* II, *cap.* 1, § 4), nisi quod Gellius, citato auctore Servio Sulpicio, narrat id contigisse anno Urbis conditæ 523, M. Attilo et P. Valerio consulibus (*A. Gell., lib.* IV *Noct. Attic. cap.* 3, *pag.* 278). Sed ibi certe aut postea subest aliquis illius memoriæ, vel librarii error. Nam alto in libro scribit illud actum anno ab Urbe condita quingentesimo undevicesimo, quo alii proinde consules esse debebant, iique forsitan qui a Dionysio Halicarnasseo notantur (*Idem, lib.* XVII, *cap.* 21, *pag.* 1008).

Ab his itaque tam æquis et moribus et legibus plane penitusque desciverant ethnici, quibus *repudium*, ait Tertullianus, *jam et votum est, et quasi fructus matrimonii* (*Tertull., ibid.*). Neque suspiceris aliquam hic subesse illius amplificationem. Suspectum enim non habebis Senecam, cujus hæc de repudio legimus verba : *Numquid jam ulla repudio erubescit, postquam illustres quædam ac nobiles fœminæ, non consulum numero, sed maritorum suorum annos computant, et exeunt matrimonii caussa, nubunt repudii. Tamdiu illud timebatur, quamdiu rarum erat; quia vero nulla sine divortio acta sunt*, videlicet a publicis notariis descripta, *quod sæpe audiebant, facere didicerunt* (*Senec., lib.* III *de Benef., cap.* 16, *pag.* 53). Huc quoque accedat Juvenalis, qui hæc frequentissima uxorum divortia his versibus insectatur :

> Imperat ergo viro, sed mox hæc regna relinquit,
> Permutatque domos, et flammea conterit; inde
> Advolat, et spreti repetit vestigia lecti.
> Ornatas paulo ante tores pendentia linquit
> Vela domus, et adhuc virides in limine ramos.
> Sic crescit numerus, sic fiunt octo mariti
> Quinque per autumnos, titulo res digna sepulcri.
> (*Juvenal., satir.* 6, *v.* 223.)

Audis sane quam perspicue dixerit unam uxorem intra quinque autumnos, id est, quinque annos ha-

Digitized by Google

huisse octo maritos. Martialis vero Telesinam quandam acriter corripit, quæ intra unum mensem decies contra leges latas impune nupserat :

Julia lex populis ex quo, Faustine, renata est,
Atque intrare domos jussa pudicitia est,
Aut minus, aut certe non plus tricesima lux est,
Et nubit decimo jam Telesina viro.
Quæ nubit toties, non nubit, adultera lege est,
Offendor mœcha simpliciore minus.
(*Martial., lib.* VI, *epigramm.* 7.)

Verum adeo effrænis erat hæc nefaria repudiorum licentia, ut vix unquam ullis imperatorum, quarum plures adhuc exstant, legibus refrenari potuerit. Quid vero, quod non solum tot tamque præclaras leges, quo diximus modo, conculcabant, sed debitam quoque majoribus venerationem. Quapropter illos his Tertullianus verbis alloquendo, sic urget : *Habitu*, id est, vestitu, *victu*, *instructu*, *censu*, *ipso denique sermone proavis renuntiastis* (*Tertullian.*, *Apologet.*, *cap.* 6, *p.* 305). Et rursus alio in libro : *Plane*, inquit, *subjacet quanta a majoribus mutaveritis*, *cultu*, *habitu*, *apparatu*, *ipsoque victu*, sicut ex jam dictis patet. Adjecit autem *ipsoque sermone*. Cur ergo *sermone* etiam ac loquendi modo? *Quia pristinum*, inquit, *ut rancidum relegatis* (*Idem*, *lib.* I *ad Nation.*, *cap.* 10, *pag.* 572), id est, tanquam insuavem, putidum, et male olentem rejicitis.

ARTICULUS VII.

Examinatur quodnam sit vetus decretum de novis diis sine senatusconsulto non introducendis, et Metelli votum de templo in Alburni dei honorem construendo, quod irritum factum est; ac quomodo decretum illud violatum sit ab ethnicis, qui Liberum patrem, Serapidem, et Harpocratem cum suo Cynocephalo senatusconsulto rejectos, impudentissime restituerunt.

Ethnicos vehementius adhuc Tertullianus premit, planeque opprimit. Evidenter enim ostendit ab eis non solum sanctiores de rebus humanis, sed de divinis etiam ritibus leges spretas et pessumdatas. At illum, si placet, in suo *ad Nationes* libro argumentantem audiamus : *At enim illi*, inquit, *sapientissimi ac prudentissimi majores, quorum institutis renuntiare non nostis, maxime in persona deorum vestrorum, ipsi quoque impii deprehenduntur. Mentior, si nunquam censuerant ne qui imperator fanum, quod in prælio vovisset, prius dedicasset, quam senatus probasset, ut contigit M. Æmilio Probo, qui voverat Alburno deo. Utique enim impiissimum, imo contumeliosissimum admissum est, in arbitrio et libidine sententiæ humanæ locare honorem divinitatis, ut deus non sit, nisi cui esse permiserit senatus* (*Tertull.*, *lib.* I *ad Nation.*, *c.* 10, *p.* 573). Sed hæc ille brevius in Apologetico suo : *Vetus*, ait, *erat decretum, ne qui deus ab imperatore consecraretur, nisi a senatu probatus. Scit M. Æmilius de deo suo Alburno. Facit hoc ad caussam nostram, quo apud vos de humano arbitratu divinitas pensitatur. Nisi homini deus placuerit, deus non erit ; homo jam deo propitius esse debebit* (*Idem*, *Apologet.*, *cap.* 5, *p.* 290). In quibusdam vero antiquioribus editionibus pro his verbis, *Scit M. Æmilius*, habetur *ut Marcus Æmilius*; atque ita legisse videtur Eusebius, qui hæc Auctoris nostri verba in græcam linguam sic conversa exhibet : Παλαιὸν ἦν δόγμα, μηδένα θεὸν ὑπὸ βασιλέως καθιεροῦσθαι, πρὶν ὑπὸ τοῦ συγκλήτου δοκιμασθῆναι· Μάρκος Αἰμίλιος οὕτως περί τινος εἰδώλου πεποίηκεν Ἀλεούρνου (*Euseb.*, *lib.* II *Eccles. Histor.*, *cap.* 2, *pag.* 41). Verum utriusque lectionis idem plane est sensus. Quamobrem hæc primum explicanda sunt, ac deinde examinandum quo Tertullianus modo inde contra ethnicos disputet.

Dubium enimvero esse potest quodnam sit illud de deo consecrando edictum. Scimus quidem unum a Cicerone hisce verbis describi : *Separatim nemo habessit deos, neve novos, sed ne advenas, nisi publice adscitos, privatim colunto* (*Cicer.*, *lib.* II *de legib. p.* 334, *lin.* 37). Aliud tamen decretum a Tertulliano designari videtur; utpote qui imperatoris fecerit mentionem. Laudata enimvero a Cicerone lex Romanis imperatoribus longe vetustior est. Quid ergo, si dicamus ab Auctore nostro imperatoris nomine appellari præfectum exercitus, aut consulem illius ducem? Æmilius autem Probus hujusce legis ignarus, aut de illa in ancipiti prælii fortuna nihil cogitans, vovit fore ut, si hostes vinceret, fanum consecraret deo, cui Alburno nomen erat. Sua autem experientia agnovit illud nimis præceps sine senatusconsulto fuisse votum. Prohibuit enim senatus hoc fanum ædificari, quemadmodum postea impedivit, ne Christus, ut ibidem ait Tertullianus, Deus renuntiaretur; tametsi Tiberius id vehementer optavisset.

Quis vero sit ille deus Alburnus, dictu procul dubio non minus difficile. Rara siquidem apud veteres mentio illius occurrit. Ex Virgilio tamen discimus in Lucania apud Silarum fluvium esse montem, qui ab illo Alburnus his versibus vocatur :

Est lucus Silari circa ilicibusque virentem
Plurimus Alburnum volitans, cui nomen Asilo
Romanum est, OEstron Graii vertere vocantes.
(*Virgil.*, *lib.* III *Georg. v.* 146 *et seqq.*)

At is mons pro gentilium more consecratus fuerat alicui deo, cui Alburni nomen impositum, et Metellus fanum vovere potuit. Neque mireris, si nunc deus ille sit incognitus; topicus quippe deus erat. At hi dii, ut observat Servius, non transibant ad alias regiones, ac proinde vix aliis, quam locorum incolis noti erant. (*Serv.*, *in lib.* VII *Æneid.*)

Duo autem argumenta contra ethnicos Tertullianus inde eruit. Primo enim inde evidentissime concludit deos gentilium factos esse pro hominum voluntate et arbitratu, atque idcirco nullum posse gentilium esse deum, nisi homini placuerit. Atqui summa impietas est ulli pro hominum arbitrio tribuere divinitatem. Verus siquidem Deus a se ipso et omnipotens est, atque ideo nulli subjectus, sed illi subjecta sunt omnia. Ethnici ergo nulla prorsus lege, nisi iniquissima, decernere potuerunt, ut Christiani, rejecto veri Dei cultu, factos ab hominibus deos adorarent, secus vero illi etiam inauditi interficerentur. Secundo inde colligit Tertullianus vetus illud de novis diis non introducendis decretum ab ipsismet gentilibus violatum, qui

Digitized by Google

pari licentia deos olim factos repudiarunt, ac repudiatos restituerunt. Nam *Liberum patrem*, uti ille ait, *cum mysteriis suis consules senatus auctoritate non modo Urbe, sed universa Italia eliminaverunt* (*Tertullian. Apologet.*, *c.* 6, *p.* 304). Quæ quidem ille alio in libro iisdem pene verbis repetit (*Lib.* I *ad Nation.*, *cap.* 10, *pag.* 573). Totam autem hanc historiam accurate narrat Livius, ac quando, qua occasione, et quomodo a Posthumio consule nefanda horrendaque crimina, quæ in his exsecrandis sacris noctu perpetrabantur, sint retecta, atque eam ob causam senatusconsulto Romæ totaque in Italia penitus abrogata sublataque fuerint (*Liv.*, *lib.* XXXIX, § 9, *usque ad* 19). Quam ob rem recte Augustinus : *Hæc postea*, inquit, *displicuerunt senatui saniori, et ea jussit auferri* (*August.*, *lib.* VI *de Civit.*, *cap.* 9, *pag.* 156).

Contra vero : *Serapidem*, ait adhuc Auctor noster, *et Isidem, et Harpocratem, cum suo Cynocephalo, Capitolio prohibitos, id est, curia deorum pulsos Piso et Gabinius consules, non utique christiani, eversis etiam aris eorum, abdicaverunt, turpium et otiosarum superstitionum vitia cohibentes* (*Tertullian.*, *Apologet.*, *c.* 6, *pag.* 305). Sed hæc ille paulo uberius in alio libro, ubi et testem Varronem hunc in modum citavit : *Serapidem et Isidem et Arpocratem et Hanubim prohibitos Capitolio Varro commemorat, eorumque statuas a senatu dejectas, non nisi per vim popularium restructas ; sed tamen Gabinius consul calendis januariis cum vix hostias probaret præ popularium cœtu, quia nihil de Serapide et Iside constituisset, potiorem habuit senatus censuram, quam impetum vulgi, et aras institui prohibuit* (*Idem*, *lib.* I *ad Nat.*, *cap.* 10, *pag.* 573).

Sed animadvertas velim quæ fuerit etiam in rebus sacris inconstantia et insulsitas gentilium, qui postquam turpissima ac plane detestanda hæc Serapidis mysteria jure tam merito sustulissent, summa tamen impietate instauraverunt, quemadmodum Tertullianus se postea fusius demonstraturum pollicetur. Nos vero de illorum cum eversione tum renovatione quædam in nostra de Minutii Octavio dissertatione annotavimus (*Dissertat. in Minut. Octav.*, *cap.* 22, *art.* 1), et infra adhuc observabimus.

Ethnicis igitur, qui deos suos ita repudiaverant et restituerant, fas nunquam fuit Christianos, nec auditos, nec defensos ideo condemnare, et interficere; quia verum Deum veramque religionem suam negare et abdicare nolebant. Sed id adhuc confirmatur ex iis, quæ retulimus in alia dissertatione (*Dissert. in Arnob.*, *cap.* 5, *art.* 1 *et seqq.*), ubi patefecimus quanta illi audacia mores, leges et instituta etiam sacratiora contempserint, labefactarint et abrogaverint.

CAPUT XIX.

De legibus in Christianos datis, et imperatorum in eos odio vel favore.

ARTICULUS PRIMUS.

Quomodo Tertullianus ostendat primas in Christianos leges latas esse a Nerone nequissimo imperatore, ac deinde a Domitiano, Neronianæ crudelitatis portione; qui tamen eos restituit, quos relegaverat.

Satis abunde Tertullianus demonstravit quam absurde ethnici ad vexandos et occidendos christianos suis se legibus obstringi caussarentur, qui majorum suorum instituta, mores ac leges sanctiores impune, aut violabant, aut adspernabantur. Laudabant enim veteres, sed *nove de die* vivebant, ait Auctor noster, atque exclusa in negotiis et officiis antiquitate, venerandam patrum suorum auctoritatem pessumdabant (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 6, *pag.* 305). Sed hæc ille omnia sibi satis esse non putavit, ipsumque petit accusationis caput. Manifestum itaque facit datas in christianos leges esse iniquissimas, et statutas a pessimis ac sceleratissimis principibus. Neque minus evidenter demonstrat bonos piosque principes, vel nunquam in Christianos sæviisse, aut nunquam præcepisse in eos sæviri. Quod quidem ille imperatorum a christianæ religionis initio ad suum usque tempus brevi inductione ostendit (*Idem*, *lib.* I *ad Nat.*, *cap.* 10, *pag.* 572).

Ubi enimvero christianum nomen in mundum pervulgari cœpit (*Idem*, *Apologet.*, *cap.* 5, *p.* 290), tum Tiberius imperator, uti superius animadvertimus (*Supr. cap.* 8, *art.* 4), voluit Christum in deorum humerum referre, ac quamvis prohibitus sit a senatu, in sua tamen permansit sententia. Tantum itaque abest, ut aliquam tulerit in Christianos legem, quin potius eorum *accusatoribus*, inquit Tertullianus, *periculum*, pœnæ videlicet et supplicii, comminatus fuerit (*Tertull.*, *ibid.*).

Neque etiam Auctor noster unquam credidit quidquam a Caligula et Claudio imperatoribus in eosdem Christianos decretum. Etenim ibidem adjecit : *Consulite commentarios vestros, illic reperietis primum Neronem in hanc sectam, cum maxime Romæ orientem, Cæsariano gladio ferocisse* (*Tertullian.*, *loc. cit.*). Nos vero infra explicabimus cur prima Christianorum persecutio ab hoc imperatore concitata dicatur (*Dissert. in Luc. Cæcil.*, *lib. de mort. Persec.*, *cap.* 6, *art.* 1). Quamobrem illud tantum observabimus quibusdam visum fuisse his verbis, *commentarios vestros*, ab Auctore nostro designari aut Cornelii Taciti Annales, aut potius descriptam a Suetonio Neronis vitam. Nam alibi ille dixit, *Vitas Cæsarum legimus : orientem fidem primus Nero cruentavit* (*Tertull.*, *lib. de Scorp.*, *cap.* 15). Nec prorsus quidem inepta videtur hæc conjectura. Sed quid impedit, quominus commentarium nomine adhuc denotaverit arcana seu acta publica Romanorum, in quibus, sicuti supra notavimus (*Sup. cap.* 9, *art.* 3), extraordinaria facta litteris consignata conservabantur.

Utcumque res se habeat, certe Religio christiana hoc Nerone, tyranno omnium nequissimo, vel, quemadmodum loquitur Tertullianus, *tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriatur* (*Tertul. Apologet.*, *cap.* 5, *p.* 293). Ab illo siquidem damnata, eo ipso bona esse et vera probatur. Nam sicuti ille pergit : *Qui scit illum, intelligere potest non nisi grande aliquod bonum*

Digitized by Google

a Nerone damnatum (*Idem, ibidem*). Sed hæc paulo fusius prosequitur in suo *ad Nationes* libro : *Sub Nerone*, inquit, *damnatio invaluit, ut jam hinc de persona persecutoris ponderetis. Si pius ille princeps, impii Christiani; si justus, si castus, injusti et incesti Christiani; si non hostis publicus, nos publici hostes; quales simus damnator ille demonstravit, utique æmula*, id est, contrarias pessimis suis moribus virtutes *puniens. Et tamen permansit, erasis omnibus, hoc solum institutum Neronianum, justum denique, ut dissimile sui auctoris* (*Idem, lib.* I *ad Nation., cap.* 7, *p.* 567).

Non poterant igitur gentiles Christianis objicere se legibus ab impiissimo illo tyranno datis obstringi. Prima quippe lex in eos sancita ab illo, qui tantis tamque horrendis sceleribus infamem vitam duxit, manifestum certe omnibus fecit quam castum et innocens erat Christianorum vivendi genus. Deinde vero ille bonorum omnium hostis infensissimus, nihil nisi bonum et æquum damnabat. Ethnici ergo iniquissimis ejus legibus nunquam teneri poterant; ac Christiani jure merito se ab homine tam impio damnatos esse gloriabantur. Denique sua crudelitate et inauditis hactenus flagitiis horrori omnibus adeo fuit, ut cuncta ejus monumenta abrasa abolitaque fuerint. Nam a senatu, ut ait Suetonius, hostis publicus judicatus est, moreque majorum puniendus (*Sueton. lib.* VI, *in Vit. Neronis*, § 49). In Dionis Epitome legimus a militibus comminutas, et dirutas ejus statuas (*Dion., Epit., p.* 196), ac si Plutarcho fides, Spicillus gladiator, iis per urbem raptis, in foro obrutus necatusque fuit (*Plutarch., in Vita Galbæ, p.* 1056).

At quamvis ethnici omnia ejus acta et decreta jure merito resciderint, cæco tamen illorum in Christianos furore factum est, *ut, erasis omnibus*, solum Neronis in illos decretum permanserit. Sed Tertullianus eorum insaniam irridendo addidit : *Justum* quidem, *ut dissimile sui auctoris*, hoc est, tam iniquum, quam ipsimet impio Neroni, et aliis nefandis ejus factis ac legibus simile fuit.

Prosequitur Tertullianus : *Tentaverat et Domitianus, portio Neronis de crudelitate, sed qua et homo facile cœptum repressit, restitutis etiam, quos relegaverat* (*Tertullian., Apologet., cap.* 5, *p.* 293). Cuncta vero hæc verba græce reddita Eusebius retulit, aliumque testem citat Hegesippum, qui memoriæ tradidit Domitianum, postquam nonnullos Christi cognatos de sua origine et ejusdem Christi regno interrogasset, nihil adversus eos statuisse asperius, sed dimisisse liberos, ac misso edicto compescuisse commotam in christianæ religionis sectatores; persecutionem : καταπαῦσαι διὰ προστάγματος τὸν κατὰ τῆς Ἐκκλησίας διωγμόν (*Euseb., lib.* III. *Eccles. Histor., cap.* 20, *p.* 90). Denique de utroque Domitiano et Nerone hæc Auctor noster adjecit : *Tales semper nobis insecutores injusti, impii, turpes, quos et ipsi*, vos gentiles, *damnare consuestis, a quibus damnatos restituere soliti estis* (*Tertullian., ibid.*)

Frustra ergo ac prorsus inepte iidem gentiles conabantur vano edictorum, ab his imperatoribus datorum, prætextu suam in Christianos excusare crudelitatem. At de utroque illo imperatore Domitiano et Nerone, et commota adversus Christianos persecutione, in alia dissertatione disputabimus (*Infr., cap.* 16, *art.* 3, *Dissert. in Luc. Cæcil. cap.* 6, *art.* 1 *et* 2).

Cæterum, si hi duo nequissimi imperatores quasdam adversus Christianos sanciverunt iniquissimas leges, constat sane alios, qui medio inter utrumque tempore, vel post Domitianum ad Tertulliani ætatem regnavere, aut Christianos non vexavisse, aut ipsis favisse, aut nulla tulisse contra illos edicta, sed potius priora emendavisse. Quam autem id certum sit, agnosces profecto his Tertulliani verbis, quibus ethnicos sic provocat : *De tot exinde principibus ad hodiernum, divinum humanumque sapientibus, edite aliquem debellatorem Christianorum* (*Tertullian., Apologet., cap.* 5, *p.* 294). Qua autem, obsecro, fronte ethnicos tanta securitate compellare audebat, nisi hoc fuisset verissimum? Et certe Melitonem, ab Eusebio citatum (*Euseb., lib.* IV *Eccles. Hist., cap.* 26, *p.* 148), ac plures alios, sicut alibi ostendimus (*Dissert. in Luc. Cecil., cap.* 6, *art.* 3), habuit suæ suffragatores et patronos sententiæ, quam ipse adhuc confirmat, uti ex sequentibus articulis patebit.

ARTICULUS II.

Expenditur utrum Marcus Aurelius christianæ religioni propterea faverit, quod christiani milites exercitui ejus, siti enecato, imbrem non sine magno miraculo a Deo impetraverint, ac quomodo iisdem christianis pœnas impositas non dimoverit, sed palam disperserit.

Ethnici injustissimis pessimorum imperatorum legibus ad christianos excarnificandos eo majore perversitate abutebantur, quo certius noverant longe meliores fuisse suos imperatores, qui aut in illorum gratiam fecerunt decreta, aut eorum fautores fuerunt, et defensores. Nominibus autem suis Tertullianus illos appellat, sed non servato uniuscujusque ætatis ordine. Orditur enim a Marco Aurelio, quem Christianorum *protectorem* fuisse asseverat. Nec ullus, inquit, unquam diffitebitur : *Si litteræ illius gravissimi imperatoris requirantur, quibus illam germanicam sitim, christianorum forte militum precationibus impetrato imbri, discussam contestatur* (*Tertullian., Apologet., cap.* 5, *p.* 295). Certum quidem, ac unanimi omnium, sive gentilium, sive christianorum consensu probatum est hæc contigisse, cum Marcus Aurelius adversus Germanos ac Sarmatas pugnaturus, aciem instrueret. Tum quippe ejus milites, qui siti enecabantur, impetrato cœlitus imbre, recreati sunt. Sed in dubium aliquis vocabit utrum ethnicorum vel christianorum precibus obtentus fuerit.

Plures namque scriptores ethnici hunc imbrem precationi pietatique ejusdem imperatoris acceptum referunt. Primus autem ex istis occurrit nobis Capitolinus, cujus hæc sunt de illo verba : *Fulmen de*

Digitized by Google

cœlo precibus suis contra hostium machinamentum extorsit, suis pluvia impetrata, cum siti laborarent (*Capitol., in Vita M. Antonin., p.* 305). Fusius vero Themistius publica ad Theodosium oratione : Ἀντωνίνῳ τῷ Ῥωμαίων αὐτοκράτορι τοῦ στρατεύματος ὑπὸ δίψους αὐτῷ πιεζομένου, ἀναχὼν τὼ χεῖρε ὁ βασιλεὺς πρὸς τὸν οὐρανόν· Ταύτῃ, ἔφη, τῇ χειρὶ προυτρεψάμην σε, καὶ ἱκέτευσα τὸν ζωὴς δοτῆρα, ἣ ζωὴν οὐκ ἀφελόμην, καὶ δυτω κατήδεσε τὸν θεὸν τῇ τύχῃ, ὥστε ἐξ αἰθρίας ἦλθον νεφέλαι ὑδροφορεῖσαι τοῖς στρατιώταις. *Cum Antonini Romanorum imperatoris exercitus siti laboraret, manus ille ad cœlum erexit : Hac ego manu, inquiens, supplex te placare volui, et oravi vitæ largitorem, qua nulli eam eripui : eaque prece sibi placasse numen, ac statim serenitate facta, magna imbrium copia ad militarem sedandam sitim erupit* (*Themist., Orat.* 15, *ad Theodos., p.* 191). Tum continuo addidit se meminisse visam a se picturam, in imagine descriptam, in qua imperator media in phalange pictus, ac milites galeis imbrem excipientes repræsentabantur. Baronius vero specimen exhibuit columnæ, in qua mirificus ille imber a Jove pluvio et fulminante concessus conspicitur (*Baron. ad an. Christi.*, 176, § 24).

In Dionis tamen Epitome legimus fama pervulgatum quibusdam magicis artibus invocatum ab Arnuphi Mago Ægyptio Mercurium, aliosque, qui in aere degunt, dæmones, quorum opera hanc extorsit pluviam (*Dion., Epit., p.* 274). Quamvis autem Xiphilinus Dionem ibi mendacii arguere totis animi viribus enitatur (*Xiphil., ibid., p.* 275), Claudianus tamen incertus, animique dubius utramque opinionem his exposuit versibus :

> . . . Chaldæa mago seu carmina ritu
> Armavere deos, seu quod reor, omne Tonantis
> Obsequium Marci mores potuere mereri.
>
> (*Claudian. de sext. Honorii consul., v.* 357 *et seqq.*)

Sed hoc ethnicorum et notatum a Lampridio dubium, non aliunde, quam ex innato in Christianos odio ac solita in principes suos adulatione manavit (*Lamprid., in Vita Heliogab., p.* 141).

Eusebius siquidem jure prorsus merito asserit majorem habendam fidem scriptoribus nostris, qui veritatis cultores, simpliciter et ingenue rem ipsam litteris mandavere (*Euseb., lib.* V *Eccles. Hist., cap.* 5, *p.* 169). Ne quis vero fidem ipsi denegaret, duos citat testes, quorum primus est Apollinaris, qui scriptis tradiderat illi christianorum militum legioni nomen Fulmineæ ideirco ab Aurelio imperatore inditum, quia imbrem illum divinitus impetraverat. At gentiles captata haud dubie hujus cognominis occasione, id a Jove fulminante factum finxerunt. Secundus testis, ab Eusebio laudatus, noster est Tertullianus, cujus transcripta a nobis Apologetici verba græce reddita citavit. At poterat insuper alium citare ejus librum, ubi non minus clare et asseveranter affirmat hunc mirandum imbrem a Deo indultum christianorum militum precibus. Ad Scapulam enim ethnicum præsidem hæc scripsit ; *Marcus Aurelius in Germanica expeditione christianorum militum orationibus ad Deum factis, imbres in siti illa impetravit. Quando non geniculationibus et jejunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsæ ? Tunc et populus ac clamans Deo deorum, qui solus potens est, in Jovis nomine Deo nostro testimonium reddidit* (*Tertullian., lib. ad Scap., cap.* 4). Ex his porro verbis facile animadvertes nihil plane mirum esse, si scriptores ethnici illam mirabilem pluviam a Jove suo concessam venditaverint, qui solebant huic similia miracula, christianorum precibus facta, eidem Jovi tribuere. Sed ut optime Tertullianus advertit, vero et omnipotenti Deo nostro, Jovis nomine, imprudentes et inviti acclamabant.

At quæret forsitan aliquis cur ille hoc posteriore in loco tam affirmate pronuntiaverit hunc imbrem christianis precationibus concessum, qui in Apologetico adverbium *forte* addidit. Numquid aliquando hac de re hæsit dubius, aut illud adverbium textui ejus præpostere insertum est ? Non enim exstat in græco Eusebii textu. Sed id contra codicum manuscriptorum fidem asserere non audemus. Nonne ergo verisimilius est illud adverbium non dubitantis esse, sed irridentis ethnicos, qui hunc imbrem a fictitio suo Jove datum stulte opinabantur?

Magis autem omnibus id manifestum fieret, si Aurelii imperatoris litteræ quas Auctor noster citat ad nos pervenissent. Nonnulli tamen suspicantur illas esse, quarum exemplar post primam Justini martyris Apologiam editum exhibetur. Verum jam annotavimus spurium illud esse et adulterinum (*Tom.* I *Apparat., p.* 369).

Scaliger vero ex his Tertulliani verbis, *si requirantur*, colligi posse putat eas ab illo nunquam lectas (*Scalig. Animad. in Chron. Euseb. ad an.* 2189). Quod Orosii etiam testimonio stabilire conatur. At quomodo Tertullianus tanta confidentia ethnicos ad illas legendas excitavit, nisi ipse eas, aut quid in eis scriptum est legisset ? Ad hæc vero, Eusebius ex iisdem Tertulliani verbis concludit hasce litteras Tertulliani tempore exstitisse εἰσετι νῦν φέρεσθαι (*Euseb., lib.* V *Eccles. Hist., cap.* 5, *p.* 169). Cur ergo, arguit Scaliger, illas Eusebius solita diligentia integras non descripsit, si tunc revera exstitissent? Sed imbecilla prorsus est illa reclamatio, nisi evidenter probetur nullum omnino esse hujus generis monimentum, quod ab Eusebio transcriptum non fuerit. Nunquam autem id poterit a Scaligero aut ullo alio probari.

Cæterum Marcus Aurelius tanti beneficii, precibus christianorum cœlitus accepti memor, ipsis, prout potuit, gratificatus est. Cum enim maximum gentilium in Christianos furorem penitus comprimere nequiret : *Sicut non palam*, inquit Tertullianus, *ab hujusmodi hominibus pœnam dimovit, ita alio modo palam dispersit, adjecta etiam accusatoribus damnatione, et quidem tetriore* (*Tertullian. Apologet., cap.* 5, *p.* 296). Non enim audebat pœnas penitus dimovere, relaxare et remittere, quæ prius aliorum imperatorum legibus in Christianos constitutæ fuerant; petulantiam tamen ethnicorum, illos nunquam non accusantium, ut cohiberet, alias graviores quam Trajanus, ab Auctore nostro ibidem, ut mox videbimus, citatus, pœnas

Digitized by Google

hisce accusatoribus imposuit; atque hoc prudenti temperamento Christianos pro sua parte tutatus est.

Nobis porro Eusebius integrum legis ad commune Asiæ nomine Marci Aurelii Antonini inscriptæ, et in Christianorum gratiam datæ, transcripsit exemplar, cujus hæc sunt posteriora verba: Εἰ δέ τις ἐπιμένοι τίνα τῶν τοιούτων εἰς πράγματα ῥίπτων ὡς ὃν τοιοῦτον, ἐκεῖνος ὁ καταφερόμενος ἀπολελύσθω τοῦ ἐγκλήματος, καὶ ἰὸν φαίνεται τοιοῦτος ὤν· ὁ δὲ καταφέρων, ἔνοχος ἔσθαι δίκης. *Quod si quis adhuc pergit cuiquam illorum negotium facessere, ex eo quod christianus sit, delatus quidem crimine absolvatur, tametsi constet eum reipsa christianum esse. Delator autem ipse pœnas luat* (*Euseb. lib.* IV *Eccles. Hist., cap.* 14, *p.* 127). Scimus quidem nonnullos existimavisse hanc legem, non a Marco Aurelio, sed ab Antonino Pio profectam. Verum si vera sit hæc opinio, ad Tertulliani pariter faciet propositum. Nam ille hunc etiam eumdem Antoninum Pium in bonorum principum numero collocat, qui nulla adversus Christianos edicta sanciverunt (*Tertullian, Apologet., cap.* 5, *p.* 297).

Non deerit fortasse aliquis, qui a nobis requirat quo pacto Tertullianus tantis laudibus extollat Marci Aurelii in Christianos studium ac favorem, quo imperante ortam putant, ut postea animadvertemus (*Dissert. in Luc. Cæcil., cap.* 1, *art.* 3, *et cap.* 6, *art.* 3), quartam Ecclesiæ christianæ persecutionem. Sed ea ipsa lex proxime a nobis citata responsum nobis suppeditat. Illa enim tametsi pœnæ in christianorum accusatores decernerentur, prius tamen laudantur dii gentilium. At hæc commendatio bacchantium in illos ethnicorum æstus auxit potius, quam restinxit. Quid vero, quod iidem gentiles persuasum habebant recentioribus hisce legibus alias adversus Christianos editas non abrogari? Præterea quid leges facere poterant contra effrænatum vulgi variis superstitionibus obcæcati furorem, et popularium insanas incursiones? Nonne, his legibus spretis, innumeri prope martyres, ut narrat Eusebius, his temporibus crudelissime interempti sunt (*Euseb., lib.* V. *Eccles. Hist., cap.* 5, *p.* 153)? Nihil ergo inde concludendum contra propensum in Christianos Marci Aurelii animum, qui ea passus est, quæ impedire non poterat.

ARTICULUS III.

Examinatur quo jure Tertullianus asserat mitigatas ab imperatore Trajano scriptas in Christianos leges, nullas vero in illos latas ab Adriano curiositatum omnium exploratore, neque a Vespasiano debellatore Judæorum, neque a Pio, neque a Vero, seu Severo, imperatoribus.

Gradum Tertullianus revocat, atque a Marco Aurelio venit ad Trajanum, illo antiquiorem. Leges autem in Christianos datas *ex parte*, uti ipse Tertullianus loquitur, *frustratus est, vetando inquiri christianos* (*Tertullian. Apologet., c.* 5, *p.* 296). Superioribus etenim imperatorum decretis jussum erat eos inquiri ac puniri: sed Trajanus, uti supra ostendimus (*Sup., cap.* 7, *art.* 2), prohibuit quidem inquiri, sed oblatos puniri præcepit.

At successor ejus Adrianus nullam plane legem in eos constituit, quibus tamen magis quam alii infensus esse debere videbatur: *Erat enim*, inquit Auctor noster, *curiositatum omnium explorator* (*Idem, ibid., p.* 297), id est, quibuslibet magicis artibus omnino deditus. Et certe vitio illi, teste Xiphilino, datum est, quod esset περιεργοτατος καὶ μαντείαις μαγγανείαις τε παντοδαπαῖς ἐχρῆτο. *Curiosissimus, ac divinationibus et omnibus magicis artibus uteretur* (*Xiphil., Epit. Dion. p.* 262). Ammianus vero Marcellinus, ubi de Juliano apostata: *Præsagiorum*, inquit, *sciscitationi nimiæ deditus, ut æquiparare videretur in hac parte principem Adrianum, superstitiosus magis, quam sacrorum legitimus observator* (*Amm. Marcel., lib.* XXV, *cap.* 4, *p.* 427). Verumtamen nulla, ait Tertullianus, adversus Christianos lex ab hocce Adriano sancita fuit. Quapropter Melito in sua ad Marcum Aurelium Antoninum Apologia scripsit Neronis et Domitiani imperitiam rescriptis subsequentium imperatorum fuisse correctam: Ἐν οἷς ὁ μὲν πάππος σου Ἀδριανὸς πολλοῖς μὲν ἄλλοις, καὶ Φουνδάνῳ δὲ τῷ ἀνθυπάτῳ τῆς Ἀσίας γράφων φαίνεται. *Inter quos avus tuus Adrianus cum aliis pluribus, tum Fundano Asiæ proconsuli litteras dedit* (*Euseb., lib.* IV *Eccles. Histor., cap.* 26, *p.* 148). Testatum præterea Hieronymus facit Adriano invisenti Eleusinam, et omnibus pene Græciæ sacris initiato, oblatum pro christiana nostra religione librum, *qui tantæ admirationi omnibus fuit, ut persecutionem gravissimam illius excellens sedaret ingenium* (*Hieronym. Catal. scrip. eccles.*, § 19, *et epist.* 83, *ad Magn.* Verum gentiles tantis impii imperatoris superstitionibus datam sibi christianos impune vexandi occasionem nacti, in eos acerbissime sæviebant; tametsi nullam ille in ipsos tulerit legem; imo vero ortam tempestatem postea sedaverit.

Tum deinde Auctor noster retro adhuc ab hoc Adriano regreditur ad Vespasianum, qui pariter nullum, inquit, contra Christianos edictum emisit, *quanquam Judæorum*, inquit, *debellator* (*Tertullian. Apologet., c.* 5, *p.* 294), quos plerique omnes ethnici cum iisdem Christianis confundere solebant. Ab eo autem debellatam Judæorum gentem, actumque Romæ de illis cum Tito filio suo triumphum quis nescit? Quod nullum vero de Christianis decretum fecerit, testis est Eusebius, qui litteris mandavit excitatam fuisse a Domitiano secundam post Neronem persecutionem: Καίπερ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ Οὐεσπασιανοῦ μηδὲν καθ' ἡμῶν ἄτοπον ἐπινοήσαντος. *Quamvis pater ipsius Vespasianus nullam unquam injuriam nobis facere tentasset* (*Euseb., lib.* III *Eccles. Histor., cap.* 17, *pag.* 88).

Quid plura? *nullas* quoque *Pius*, qui longo post Vespasianum tempore imperavit, cruentas, pergit Tertullianus, adversus Christianos leges, aut approbavit, aut subsignavit (*Tertullian., loc. cit.*). Melito enim in jam citata a nobis Apologia Marcum Aurelium his apud Eusebium verbis affatur: Ὁ δὲ πατήρ σου, καὶ σοῦ τὰ σύμπαντα διοικοῦντος αὐτῷ, ταῖς πόλεσι περὶ τοῦ μηδὲν νεωτερίζειν περὶ ἡμῶν ἔγραψεν· ἐν οἷς, καὶ πρὸς Λαρισαίους, καὶ πρὸς

Digitized by Google

Θεσσαλονικεῖς, καὶ πρὸς Ἀθηναίους, καὶ πρὸς πάντας Ἕλληνας. *Pater quoque tuus, quo tempore cuncta simul cum ipso administrabas, scripsit ad civitates, ne contra nos tumultus concitarent, nominatim ad Larissæos, ad Thessalonicenses, ad Athenienses, ad universos denique Græcos* (*Euseb., lib.* IV *Eccles. Hist., cap.* 26, *pag.* 148). Plures etiam eruditi nostræ ætatis viri opinantur ab illo latam fuisse, in christianorum gratiam, legem, quam ab aliis tamen Marco Aurelio adscriptam paulo ante notavimus (*Art. super.*).

Sextus tandem, et horumce æquiorum imperatorum ultimus, a Tertulliano his verbis appellatur : *Nullus Verus* leges Christianis adversas *impressit* (*Tertullian., loc. cit.*), subaudiendum haud dubie tabulis publicis, ut eæ promulgarentur. At observare hic juvat in textu Eusebii, qui hunc Tertulliani locum græce reddidit, prætermitti hæc verba : *Nullus Verus* (*Euseb., lib.* V *eccles. Hist. cap.* 5, *pag.* 170). Et certe hic ipse Verus, consors imperii a Marco Aurelio factus, novem ad summum annis cum illo regnavit, et ante illum mortuus est. Quamobrem quidam suspicantur hoc nomen corruptum fuisse in Tertulliani textu, ac legendum *Severus*. Pamelius enim nos admonet illud in Vaticano uno, et altero Leodiensi revera inveniri. Sed quia in cæteris omnibus ac melioris notæ codicibus non legitur, nihil contra tot codicum auctoritatem definire audemus. Nonne etiam Tertullianus mentionem illius facere ideo potuit, quia Aurelii collegæ sui et ab eo adoptati exemplum secutus, nullam in Christianos legem tulit, nihilque contra eos machinatus fuerat?

Si quis tamen pertinacius contendat ibi scriptum fuisse *Severi* nomen, non multum quidem repugnabimus. Nam Tertullianus alio in libro commendat singularem illius in christianos propensionem et benevolentiam, quibus ob miraculum in ejus gratiam factum illos omnes saltem primis imperii sui annis complexus est. Sed audiamus si placet illius verba : *Ipse*, inquit, *Severus, pater Antonini Caracallæ, Christianorum memor fuit. Nam et Proculum christianum, qui Torpacion cognominabatur, Euhodiæ procuratorem, qui eum per oleum aliquando curaverat, requisivit, et in palatio suo habuit usque ad mortem ejus; quem et Antonius optime noverat, lacte christiano educatus* (*Tertull., lib. ad Scapul., cap.* 4). Certiores itaque nos facit Severum imperatorem ægritudine quadam mirabiliter fuisse levatum *oleo*, quod Proculus illi dederat. Ne quis autem aut pervicacior, aut omnino incredulus, de tanto miraculo dubium moveret, Proculi et cognomen et munus declarat. Torpacion, inquit, vocabatur, et Euhodiæ erat procurator. Sed quis ille fuerit, jam dictu difficillimum.

Alio autem in libro Tertullianus narrat Valentinianorum errores impugnatos fuisse non solum ab Justino martyre, Miltiade et Irenæo, sed etiam a Proculo, de quo hunc loquitur in modum : *Proculus noster virginis senectæ et christianæ eloquentiæ dignitas, quos in omni opere fidei, quemadmodum in isto, optaverim assequi* (*Idem, lib. adv. Valen., cap.* 5). Quia vero hic liber a Tertulliano post suam ad Montanistas defectionem compositus est, et Proculus vocatur *noster*, hinc quidam colligi posse putant ideo ita appellari, quoniam ilsdem Montanistarum erroribus addictus erat. Quamobrem addunt illum his notari Hieronymi verbis : *Caius, sub Antonino Severi filio, disputationem adversus Proculum, Montani sectatorem, insignem habuit* (*Hieron., Catal. script. eccl.* § 19). Verum cùm iste montanista fuerit, non idem profecto esse videtur, atque Proculus Torpacion. Præterea hic Euhodiæ procurator dicitur, ille vero christianæ eloquentiæ dignitate celeberrimus.

At discimus ex Dionis Epitome Evodum (Εὔοδον) Antonini Caracallæ fuisse educatorem, τοῦ τροφέως αὐτοῦ (*Dio. Ep.* 533) : Tum autem Proculus hujus Evodi, seu Euhodias, procurator esse poterat. Nam hoc ipso tempore in Severi palatio, ut ait Tertullianus, commorabatur, ubi cum Caracalla cognovit, atque, ipso instigante, *lacte christiano educatus* est.

Cæterum quidquid de hoc Proculo Torpacione statuatur, nullus ambigendi locus est, quin Severus, ob sanitatem sibi mirandum in modum restitutam, faverit Christianis. Non solum enim hunc Proculum christianum in suo retinuit palatio : sed *et clarissimas*, uti adhuc asserit Tertullianus, *fœminas, et clarissimos viros, Severus sciens hujus sectæ esse, non modo non læsit, verum etiam et testimonio exornavit, et populo, furenti in nos, palam restitit* (*Tertull., lib. ad Scapul. cap.* 4). Christianis igitur revera, nec parum quidem favit, seque illorum non occultum, sed publicum exhibuit fautorem atque defensorem. Quidni vero eis favisset, a quibus non modo beneficium maximum acceperat, sed quorum summam quoque in se fidelitatem fuerat semper expertus? Nam inter factiones Cassii, Nigri et Albini ab ipso ejus imperii, ut supra vidimus (*Supr., cap.* 2, *art.* 1), et infra adhuc dicetur, exordio subortas, nullus unquam christianus inventus est.

Nec dixeris hæc pugnare cum iis, quibus superius diximus (*Ibid.*), commotam ab eodem Severo imperatore in Christianos persecutionem. Non enim imperii sui initio, sed post decem et amplius annos concitata fuit. Constat autem illum ad id usque tempus non parum quidem favisse Christianis.

Nullum porro æquum rerum æstimatorem esse putamus, qui ex his, quæ hactenus dicta sunt, facile non intelligat quanti roboris sit hæc Auctoris nostri argumentatio, cujus pondere ethnicos penitus obruit, qui se legibus suis ad cruciandos tollendosque Christianos obligari venditabant. Nam has, et iniquissimas, et ab iniquissimis principibus datas esse demonstravit. Nec minus luculenter patefecit illas a compluribus aliis, probitate et æquitate prædictis, correctas fuisse et emendatas. Denique qui nullam in Christianos tulerunt legem, hi procul dubio illos, quantum iniquitas temporum sinebat, tutari ac protegere conabantur.

Digitized by Google

CAPUT XX.

De læsæ divinæ majestatis criminibus, quorum Christiani, tam falso quam impudenter, ab ethnicis illorum reis accusabantur.

ARTICULUS PRIMUS.

Quam invicte Tertullianus demonstret Christianos immerito accusari infanticidii, sive infantis in sacris eorum synaxibus occisi, comesæ postea ejus carnis potatique sanguinis, ac turpissimi incestus, vanasque ethnicorum cavillationes funditus evertat, ubi de Cynopennis, Sciapodibus et Antipodibus.

Nullus ad vexandos perdendosque Christianos alius supererat ethnicis prætextus, nisi ut eos capitalis alicujus criminis quoquo tandem modo accusarent. At eo furoris et dementiæ processerant, ut illos non unius tantum flagitii reos dicerent, sed *omnium*, ut ait Tertullianus, *scelerum, deorum, imperatorum, legum, morum, ac totius naturæ inimicos* (*Tertullian., Apolog., cap.* 2, *p.* 277). Verum quis, hac plane horrenda accusatione perculsus, non statim obstupescat? Quo enim modo tot tantorumque criminum rei esse poterant Christiani, qui, sicut jam demonstravimus, non modo unum verumque Deum summa veneratione colebant, sed quorum etiam castissimi erant mores, ac piissimum vivendi genus? Ruebat igitur se ipsa tam falsa criminatio. Verum quia christiana religio *nihil*, ut loquitur Tertullianus, *de caussa sua deprecatur* (*Ibid., cap.* 1, *p.* 259), nec, sicut rei solent, ullam gratiam ullumve favorem requirit, hoc idcirco unum optat et petit, ut secundum severiora legum præscripta examinetur. Quamobrem Tertullianus ad ea omnia, quæ Christianis objiciebantur, singulatim examinanda ac diluenda aggreditur, ac manifestissime demonstrat eosdem Christianos tam falso horum flagitiorum insimulari, quam certum erat illorum reos revera esse gentiles.

Quid enim a veritate magis alienum, quam eos læsæ majestatis divinæ redarguere, qui verum, ut diximus, Deum et privatim et publice in suis synaxibus semper colebant, malebantque atrocissimis quibuscumque se necari suppliciis, quam hunc unicum Deum negare, aut falsos deos ullo vel ficto tantum et simulato cultu venerari? Contra vero hujus summæ impietatis evidentissime convincebantur gentiles, qui factitios, ut infra ostendemus, deos colebant, quos infames et omni turpissimorum criminum genere fœdatos fuisse fatebantur.

At hi tamen nunquam non clamabant Christianos idcirco læsæ divinitatis esse conscios, quia in suis synaxibus, et inter sacratiora sua mysteria, nefandissimis sceleribus sese impudentissime contaminabant. Nam dicebantur, inquit Tertullianus, *sceleratissimi de sacramento infanticidii* (*Ibid., cap.* 7, *p.* 306), sive infantis quem ibi occisum devorare ferebantur. Inde et *post convivium* illud exsecrandum turpissimo pollui *incesto, quod eversores luminum*, verba adhuc sunt Auctoris nostri, *canes, lenones scilicet, tenebras, tum et libidinum impiarum inverecundiam procurent* (*Ibid.*). In manuscriptis nostris codicibus et editionibus antiquis, deest vox *tum*, nec ibi multum necessaria videtur. Sensus autem Tertulliani, isthæc brevius alio in libro enarrantis, hic est: Post lumina a canibus eversa et exstincta, tenebræ, impurissimorum lenonum munus obeuntes, inverecundiam impiarum libidinum procurant (*Idem, lib.* 1 *ad Nat., cap.* 15 et 16). Præcipua autem et capitalia hæc crimina erant, quæ ethnici, quemadmodum alibi, nec semel, annotavimus (*Dissertat. in Minut. Octav., cap.* 8, *art.* 1, *et seqq.*), tamdiu tantaque impudentia Christianis objiciebant, quanta facilitate ab antiquis Ecclesiæ Patribus diluta confutataque sunt.

Variis vero Tertullianus noster rationum momentis falsam hanc criminationem funditus evertit. Primum enim ethnicos ipsos hunc alloquitur in modum: *Dicimur* semper a vobis tantorum scelerum rei; *nec vos, quod tamdiu dicimur, eruere*, investigare, et retegere *curatis* (*Tertullian., Apologet., cap.* 7, *p.* 307). Nullus tamen condemnari prius debet, quam sceleris convincatur: *Ergo aut eruite*, inquit ille, *si creditis*, et Christianos horum scelerum convincite, *aut nolite credere, quia non eruistis* (*Ibid.*). Enimvero hac affectata *dissimulatione* atque negligentia *præscribitur* (*Ibid.*), præjudicioque certissimo probatur Christianorum innocentia, et summa morum integritas, *quod nec ipsi audetis eruere* (*Ibid.*), ea crimina, quorum illos, tam falso, quam temere accusatis, nec caussa unquam, ut vidimus, audita, condemnatis, torquetis, et occiditis.

Præterea eo major erat hæc ethnicorum perversitas, quo facilius promptiusque poterant investigare, atque agnoscere an vera essent illa Christianorum scelera. Nam *census istius disciplinæ*, ait Tertullianus, hoc est, hujus disseminatæ in mundo christianæ disciplinæ initium, *a Tiberio est* (*Ibid.*); aut, uti explicatius alio in libro: *Principe Augusto nomen hoc*, christianorum, *ortum est; Tiberio, disciplina ejus illuxit.* At certe quoniam christiana religio vera est, *cum odio sui cœpit*, illius adhuc totidem sunt verba, *simul atque apparuit inimica esse.* Nostris vero in manuscriptis codicibus *inimica est*, hoc est, eo ipso quo cœpit tempore, mundo apparuit, omnibus inimica et invisa fuit; ac *tot hostes ejus* fuerunt *quot extranei* (*Idem, lib.* I *ad Nat., cap.* 7, *p.* 307), id est, omnes omnino homines præter solos ipsosmet Christianos. Nam, ut ait adhuc Tertullianus, hostes illorum erant, et primo *quidem propria ex æmulatione Judæi*, seu sua in illos invidia, qua quidem propter abrogatos a Christo veteres suos ritus semper conflagrarunt: deinde *milites ex concussione* (*Idem, Apolog., cap.* 7, *pag.* 308), hoc est, sicut nonnullis videtur, subdola furentium accusatione, sed mellius, crudeli vexatione: *ex natura tandem sua ipsi etiam domestici* Christianorum (*Ibid.*); utpote qui conditionis suæ impatientes, more solito insidiabantur dominis suis, quibus nocere nunquam non conniteabantur.

Ab his igitur omnibus *quotidie*, pergit Tertullianus, *obsidemur, quotidie prodimur, in ipsis plurimum cœti-*

Digitized by Google

bus et congregationibus nostris opprimimur (*Ibid.*); vel, sicut ipsos gentiles alibi compellando dixit : *Scitis et dies conventuum nostrorum; itaque et obsidemur, et opprimimur, et in ipsis arcanis congregationibus detinemur* (*Idem., lib.* I *ad Nat., cap.* 7, *pag.* 568). Latere ergo gentilibus non poterat quid in iis Christiani agere consueverant.

At quis *unquam*, arguit Auctor noster (*Tertullian., Apologet., loc cit.*), *taliter vagienti*, dum a christianis occideretur, *infanti supervenit? Quis cruenta* christianorum, qui comedebant illius carnes et sanguinem bibebant, *ut invenerat*, tanquam *cyclopum et sirenarum ora*, minime quidem abstersa *judici* conspicienda, *reservavit? Quis vel in uxoribus aliqua immunda* adulterii, in iisdem cœtibus paulo ante admissi, *vestigia deprehendit* (*Ibid.*)? Quæ quidem ille aliis verbis alio in libro sic urgebat : *Quis unquam semeso puero supervenit? Quis in cruentato pane vestigia dentium deprehendit? Quis tenebris repentino lumine irruptis, immunda aliqua, ne dixerim incesta, recognovit* (*Idem, lib.* I *ad Nat., loc. cit.*)? In Apologetico autem ad duplicem cyclopum et sirenarum fabulam respexit. Poetæ enim tam græci, quemadmodum Homerus (*Homer., Odyss.* VIII, *post med.*), quam latini, sicut Virgilius (*Virgil., lib.* III *Æneid., v.* 617 *et seq.*), finxerunt cyclopes homines fuisse monoculos, qui suos vorabant hospites. Nec minus nota est fabula sirenarum, quæ navigantes, cantus sui dulcedine sopitos, in mare dejiciebant (*Plin., lib.* X *Natur. Hist., cap.* 49, *pag.* 441).

Tertullianus itaque sic argumentatur : Christianorum tot hostes erant, quot ethnici, judæi, milites et domestici, a quibus quotidie in suis etiam synaxibus obsidebantur opprimebanturque. Si ergo in illis tot tamque horrenda crimina perpetrassent, a tot hostibus suis adeo infensis deprehendi facillime poterant. Atqui ex infinito propemodum illorum hucusque numero ne unus quidem minima sceleris ullius vestigia unquam agnovit. Falsissima igitur erant ea crimina, quæ improbi calumniatores Christianis objectabant (*Tertull., lib.* I *ad Nati., cap.* 7, *pag.* 569).

Neque hi quantumlibet impudentissimi homines respondere poterant horum criminum testes a christianis pecunia aut mercede fuisse unquam corruptos. Nam *quis talia facinora*, ait Tertullianus, *cum invenisset, celavit, aut vendidit ipsos trahens homines?* (*Idem, Apologet., cap.* 7, *p.* 308.) id est fieri non potuit, ut ethnicus aliquis hæc sibi cognita christianorum crimina aut sponte sua celaverit, aut dum christianos ad judicum tribunalia trahebat, illa pretio aliquo vendiderit, et tunc factus sit omnino mutus. Alio autem in libro hæc aliis, vide an clarioribus verbis, sic enuntiat : *Si præmio impetramus* ab ethnicis, criminum nostrorum testibus, *ne tales*, quales illorum revera conscii, *in publicum extrahamur*, ac condemnemur, *quare* a nemine accusati et convicti *opprimimur? Nonne possumus*, corruptis auro testibus, *et omnino* ad judicium *non extrahi? Quis enim proditionem*, sive declarationem et accusationem horrendi alicujus criminis, *sine crimine ipso*, quod poterat ab alio aliquando agnosci et puniri, aut testis aut judex *vendit*, aut conscius *redimit* (*Idem, lib.* I *ad Nation., cap.* 7, *p.* 568).

Nullius itaque testimonio probatum unquam fuerat Christianos reos esse horum criminum. Ecquis enim illa, uti urget Tertullianus, unquam prodidisset? Non ipsi quidem christiani. Si enim ethnicis sacra sua Samothracia et Eleusinia declarare nefas erat, quanto magis christiani divina sua mysteria reticere tenebantur (*Tertull., Apolog., loc. cit., et lib.* I *ad Nation., cap.* 7, *pag.* 568)? Si ergo ab ipsis summo tegebantur silentio : *Unde*, inquit Tertullianus, *extraneis* gentilibus eorum *notitia, cum semper etiam piæ initiationes arceant prophanos, et arbitris careant, nisi impii minus metuunt* (*Ibid., loc. cit.*)? In nostris melioris notæ codicibus manu exaratis, et plerisque antiquis editionibus legimus, *etiam impiæ initiationes*. Nec forsitan male. Nam Tertullianus, a minori, ut aiunt, ad majus sic argumentari potuit : Si impiæ ethnicorum initiationes celari debent, quanto magis sacræ et piæ christianorum; nisi impii gentiles eas vulgando, minus sibi, quam christiani metuant?

Instat adhuc Auctor noster, atque hæc exsecranda scelera a nemine nec perpetrari, nec credi posse hoc argumento demonstrat : Christianis pie viventibus futura post hanc vitam beata æternitas promittebatur. At cui unquam christiano, aut christiana religione initiando, persuaderi aliquando potuit tot tantisque sceleribus eam posse comparari? Numquid ulli etiam summæ auctoritatis viro hæc dicenti, vel si vis juranti, ne unus quidem gentilis, non omnino insanus, fidem posset unquam habere, ac tam facili credulitate tam atrocibus coinquinari flagitiis? Atqui si ethnici hæc nec credere, nec perpetrare possunt, quanto magis christiani, quorum non alia est, quam cæterorum hominum natura (*Tertullian., Apologet., cap.* 8, *p.* 312, *et lib.* I, *ad Nation., cap.* 7, *p.* 569)? Non enim sunt *cycopennæ aut sciapodes*, inquit Tertullianus, sive ut in alio libro, *cynopennæ aliqui, vel sciapodes, vel aliqui de subterranea antipodes* (*Idem, loc. cit., p.* 312 *et* 569). Primi autem, si Ctesiæ, quem Plinius citat, fides sit, *Monocoli*, inquit, *vocabantur, singulis cruribus miræ pernicitatis ad saltum; eosdemque Sciapodes vocari, quod in majori æstu humi jacentes resupini, umbra se pedum* protegant (*Plin., lib.* VII *Natur. Hist., cap.* 2, *pag.* 11). De his autem Solinus (*Solin., Poly. histor., cap.* 52, *pag.* 80), Augustinus (*August., lib.* XVI, *de Civit., cap.* 8, *p.* 422), Suidas (*Suid., ad* v. Σκιάποδες), et apud Tzetzem Apollodorus (*Tzetz., chil.* 7, v. 662, *et seqq.*). *Cynopennæ* vero in quibusdam editis appellantur *cyclopes*, in aliis *cynophanes*, sed contra manuscriptorum nostrorum codicum auctoritatem. Vossius vero legendum censet *cynopanes*, græce κυνοπάνες, canes cornuti (*Voss., not. in Mel., lib.* III, *de Situ orb., cap.* 9). Salmasio tamen placet eorumdem codicum nostrorum lectio *Cynopennæ* a græco verbo κυνοπετίναι, quasi canina, inquit, fame laborantes (*Salmas., not. in Solin.*,

Digitized by Google

pag. 1005). Recte quidem ad propositum Tertulliani, ibi loquentis de christianis, qui occisi infantis carnibus vesci, ac plusquam canina fame laborare ab ethnicis falso accusabantur. Sed quinam hi fuerint, scire parum interest. Nam de monstris Auctor noster loquitur, quæ penitus ficta esse omnes ultro fatentur.

Quid ergo, inquiet aliquis, numquid et his similia monstra putavit antipodas? At nullam illorum in Apologetico, sed in libro tantum ad Nationes legitur fecisse mentionem. Nonne autem ibi eos nominavit, quia ipse, sicut alii plures, alibi a nobis appellati (*Dissertat. in Lactant.*, *cap.* 21, *art.* 6), in animum induxerant nullos esse posse antipodes, nisi adversis, uti aiebant, vestigiis ambularent? Neque certe aliter quam monstra, et falsi fictique homines ab illo hisce verbis explodunturB : *Vel aliqui de subterranea terra*, instar fungorum exorti, qui aliam, quam terræ nostræ homines, naturam habeant. Verum ab horum aliorumque monstrorum feritate longe aberant Christiani, qui aliis hominibus nostris eo tantum dissimiles erant, quod illos humanitate et charitate superarent. Numquam ergo cogi potuerunt, ut qualibet pietatis et religionis specie infantis a se occisi manderent carnes, ac postea stupris, adulteriis, et incestis contaminarentur.

Cæca tamen obstinatione perculsi gentiles urgebant nimium credulis aut Christianis, aut saltem in eorum religione tyronibus impositum et illusum. Sed nihil ineptius absurdiusque fingi poterat. Christianis siquidem mos erat, ut initiandi *a patre sacrorum*, id C est, episcopo, aut aliquo ejus vicario, ea docerentur, quibus ad eadem sacra præparari, vel quæ in illis agi deberent. Qua autem fronte episcopus, aut quivis alius tyroni vel christiano dixisset : Cum ad sacras synaxes veneris, *infans* tibi necessarius, *adhuc tener*, *qui nesciat mortem*, *qui sub cultro tuo*, quo illum jugulabis, *rideat : item panis*, *quo sanguinis jurulentiam*, vel melius alio in libro, *rudem sanguinem colligas* (*Tertullian.*, *Apologet.*, *cap.* 8, *pag.* 313, *et libr.* I, *ad Nation.*, *cap.* 7, *p.* 569). Necessarii quoque canes, qui post objectam offulam lumina extinguant, ac tandem necessaria soror et mater tua, quibus mediis in tenebris stuprum afferas? Sed dic nobis, quæso, quibus auribus quilibet christianus, aut tyro hæc audire poterat? Numquid sine horrore? D Nonne saltem leges vereri debebat, quibus, ut monet Cicero, cautum erat : *Incestum pontifices supremo supplicio sanciunto* (*Cicer.*, *lib.* II *de Legib.*, *p.* 335, *lin.* 15)? Si vero hanc pœnam fraude vel auctoritate Christianorum vitari posse arbitrabatur, quomodo ab ethnicis judicibus interrogatus, crudelioribus tormentis cruciari et occidi malebat, quam hæc, quibus conscientia penitus repugnat, crimina fateri? Nemini plane sani capitis homini hæc credibilia sunt, aut fieri unquam potuisse persuadebitur.

Instabant gentiles se fama didicisse Christianos esse revera præfatorum scelerum conscios. At insulsa prorsus, respondet Tertullianus, et futilis est A hæc responsio (*Tertullian.*, *Apologet.*, *cap.* 7, *p.* 309, *et lib.* I *ad Nation.*, *cap.* 7, *pag.* 566). Negare enim non poterant verum esse, quod celeberrimus poeta cecinit :

Fama malum, quo non aliud velocius ullum.
(*Virgil.*, *lib.* IV *Æneid.*, *v.* 174.)

Fama enim rei tantum incertæ nomen est, eaque sæpissime oritur, *aut ingenio æmulationis*, sive invidia, *aut arbitrio suspicionis*, seu suspicione gratis conficta, *aut mentiendi voluptate*. Tam malo igitur ex principio, atque ex unius duntaxat ore exorta, plerumque mentitur, aut si quid veri unquam renuntiat, vel tum al quid adjicit, vel detrahit, vel immutat. Tamdiu vero viget, quamdiu nihil probat. Ubi enim res probata est, tunc eo ipso illa cessat, et excidit. Merito igitur vir sapiens nullam illi fidem habet, multo magis cum ipsa sola index et nuntia est scelerum prorsus occultorum, quæ nemo mentis suæ compos homo aut perpetrare audet, aut potest. Nos vero alibi animadvertimus hanc Tertulliani responsionem a Minutio Felice paucioribus quidem, sed non minus efficacibus verbis plane confirmari (*Dissert. in Minut. Octav. cap.* 8, *art.* 2). Denique Tertullianus addidit famæ tam veloci, quam mendaci, non credendum, sed veritatem investigandam; quoniam, uti ferebat vulgatum ab ethnicis proverbium, *Omnia tempus revelat* (*Tertullian.*, *ibid.*, *p.* 310). Quod quidem adagium Aulus Gellius (*Gell.*, *lib.* XII *Noct. Att.*, *cap.* 11) his Sophoclis versibus decantatum citavit :

Πρὸς ταῦτα, κρύπτε μηδὲν, ὡς ἅπαν' ὁρῶν
Καὶ πάντ' ἀκούων, πάντ' ἀναπτύσσει χρόνος.
Ad hæc nihil occulta, quandoquidem omnia videns,
Et omnia audiens, cuncta revelat tempus.

Seneca vero : *Quædam*, inquit, *falsa veri speciem habent. Dandum semper est tempus : veritatem dies aperit* (*Senec.*, *lib.* II *de Ira*, *cap.* 540). Sed plura de hoc proverbio congerit Erasmus, quem consulere poteris (*Erasm.*, *Adag.*, *chil.* 2, *centur.* 4, *adag.* 17). Quis autem falsa sub veri specie crebrius, quam fama adnuntiat? Solo igitur, si non falso, saltem incerto ejus testimonio gentiles ad vexandos Christianos niti non debebant; sed capere tempus, quo examinata eorum caussa, veritas cognosceretur.

ARTICULUS II.

Quam invicte Tertullianus ostendat gentiles homicidii, cujus Christianos falso accusabant, esse reos, utpote qui in Africa infantes Saturno, usque ad proconsulatum Tiberii, *immolabant*, *hunc que morem secreto perseverasse; tametsi Saturni sacerdotes in arboribus templi ejus obumbratricibus*, teste militia patriæ nostræ, *suspensi*, *pœnas morte dederint.*

Nihil sane impudentius excogitari potest, quam alium gravissimi criminis falso accusare, cujus ipsemet accusator reus esse palam convincitur. At tales tamen erant ethnici, qui Christianos infanticidii et incestus impudentissime redarguebant. Nam hoc ipsum est, sicuti eosdem compellando ait Tertullia-

Digitized by Google

nus, per quod *forsitan de nobis credidistis* alia (*Tertullian., Apolog., cap.* 9, *p.* 314), quæ recensuimus, longe graviora scelera a nobis perpetrari. Sed consulto ibi adjecit *forsitan;* quia paulo ante dixerat adeo atrocia esse illa scelera, quorum Christianos arguebant, ut vix ab ullo homine credi potuerint, nisi quædam similia fecissent. Primum autem illos vario modo homicidas fuisse ostendit, quia *infantes*, sicuti loquitur, *penes Africam Saturno immolabantur palam usque ad proconsulatum Tiberii, qui ipsos sacerdotes in eisdem arboribus templi sui obumbratricibus scelerum suorum votivis crucibus exposuit, teste militia patriæ nostræ, quæ id ipsum munus illi proconsuli functa est* (*Ibid., et seq.*). De hac autem detestabili, et contra omnia naturæ ipsius jura, immolatione infantium in superioribus nostris dissertationibus plura observavimus (*Dissertat. in Minut. Octav., cap.* 9, *art.* 2, *et Dissert. in Lactant., cap.* 34, *art.* 3). Superest igitur ut ea, quæ Tertulliano nostro peculiaria sunt, nunc sigillatim expendamus.

Narrat itaque primo hunc morem crudelissimum perseverasse *usque ad proconsulatum Tiberii.* Quidam autem suspicati sunt ibi legendum, *usque ad proconsulem Tiberii*, id est, proconsulem quempiam, aut a Tiberio imperatore missum, aut cui Tiberio cognomen, et alius omnino erat, quam hic Tiberius imperator, illoque posterior. Sed quia hæc qualiscumque emendatio non sufficiebat, alteram addidere, ac postea legendum putaverunt, *teste militia patris nostri*, hoc est, sicut illi ominabantur, patris Tertulliani, qui proconsul fuit post Tiberii Cæsaris mortem. At probare prius debebant patrem Tertulliani proprio Tiberii nomine fuisse appellatum. Deinde vero huic conjecturæ refragantur omnes, cum editi, tum manuscripti codices.

Quid vero impedit quominus Tiberius imperator, dirissimum illud infantium sacrificium in Africa prohibuerit? Nonne Plinius memoriæ prodidit anno 647 Urbis conditæ, ac Cn. Lentulo, et P. Licinio Crasso consulibus, interdictum fuisse senatusconsulto, ne homo immolaretur: sed quia hæc immanissima consuetudo postea adhuc apud Gallos perseverabat: *Tiberii Cæsaris*, inquit, *principatus sustulit Druidas eorum. . . . . nec satis æstimari potest quantum Romanis debeatur, qui sustulere monstra, in quibus hominem occidere religiosissimum videbatur, mandi vero etiam saluberrimum* (*Plin. lib.* XXX. *natur. Hist., cap.* 1, *pag.* 728). Audisne impiissimo sacrificio non solum occisos a gentilibus homines, sed comesas etiam illorum carnes? At Tiberius Cæsar illud in Gallia et alibi sustulisse perhibetur. Quidni et in Africa, sicuti Tertullianus tam diserte pronuntiat? Si quid autem in hujus opinionis confirmationem exemplum simile conferre valeat, illud Josephus nobis suggeret (*Joseph., Antiq. Jud. l.* XVIII. *cap.* 4, *pag.* 622). Testatum quippe facit ab eodem Tiberio dirutum Isidis templum, projectamque in Tiberim ejus statuam, eo quod Paulina nobilis mulier a Decio Mundo juvene, deum Anubin simulante, in illo Isidis templo malis sacerdotum artibus constuprata fuisset. Cur ergo magis horribili infantium, Saturno immolatorum, sacrificio potius in Africa, quam in Gallia, uti diximus, et aliis in regionibus pepercisset?

Sed qua, inquies, ratione dictum a Tertulliano, *usque ad proconsulatum Tiberii?* Numquid Tiberius, antequam romani imperii gubernaculum teneret, proconsul in Africa fuerat? Sed quid, amabo te, vetat quominus illuc ab Augusto Cæsare, aut antea renuntiatus sit Africæ proconsul? Si quis tamen recte probaverit Tertullianum de alio intelligendum esse Tiberio Africæ proconsule, huic facile assentiemur.

Subjunxit autem ille crudelissimos Saturni sacerdotes jussu ejusdem Tiberii expositos fuisse in illius templi arboribus, tantorum scelerum obumbratricibus. Circa gentilium enim templa plantatæ erant arbores, singulari cujusque templi Deo consecratæ, de quibus ut alios omittamus, hæc Apuleius de quodam fano litteris mandavit: *Videt dona speciosa, et lacinias auro luteratas, ramis arborum postibusque suffixas, quæ cum gratia facti nomen deæ cui fuerant dicatæ testabantur* (*Apulei Metamorph., lib.* VI. *paulo post init. pag.* 92). Vides igitur in his arboribus appensa fuisse dona, iisque præfixum nomen dei, cui templum illud nuncupatum erat. At ex his arboribus, templum Saturni, ait Auctor noster, obumbrantibus, factæ sunt votivæ ac dicatæ cruces, quibus inhumanissimi illi sacerdotes suspensi, laqueo vitam finire coacti sunt. Utrum autem horum Tertulliani verborum, quæ eruditorum ingenium haud parum exercuerunt, verus sit sensus, expendas velim, vel alium nobis proferas meliorem. At nobiscum proculdubio fateberis huic loco aliquam lucem afferri posse his versibus Ausonii, quibus Amorem stipiti myrti suspensum cecinit:

> Eligitur mœsto myrtus notissima luco,
> Invidiosa deum pœnis. Cruciaverat illic
> Spreta olim memorem Veneris Proserpina Adonim.
> Hujus in excelso suspensum stipite Amorem,
> Devinctum post terga manus, substrictaque plantis
> Vincula mœrentem, nullo moderamine pœnæ
> Adliciunt.
>
> (*Auson. idyll.* 2, *v.* 55 *et seqq.*)

Ne quis porro dubitaret de sumpta ab illis Saturni sacerdotibus pœna, testem Auctor noster appellat militiam patriæ suæ, quæ *idipsum*, inquit, *munus illi proconsuli* Tiberio *functa est* (*Tertullian. Apologet., cap.* 9, *pag.* 315), quibus haud dubie verbis significat milites Africæ, qui tunc sub Tiberio proconsule merebant, dum suo munere fungerentur, vidisse sacerdotes in illis arboribus suspendi et strangulari. Verum gentiles eorum exemplo territi quidem fuerunt, sed non penitus expugnati. Non enim amplius audebant infantes Saturno palam immolare; verum *nunc in occulto*, ait Tertullianus, *perseveratur hoc sacrum facinus* (*Idem, ibid.*). Falsæ igitur pietatis specie adversus innocentes filios suos armati, illos secreto et occulte, ac spretis imperatorum suorum legibus, mactare non desiterunt. Atque ita quidem Saturnus, qui filiis suis, ut ait Auctor noster, et nos alibi vidimus (*Ibidem. et dissert. in Minut. Octav.*,

Digitized by Google

cap. 9, *art.* 2), non pepercit, pristinam non deposuit crudelitatem; voluitque aliorum hominum gnatos sibi adhuc immolari.

Quamvis ergo christiani infantem aliquem, quod falsissimum tamen erat, in synaxibus suis occidissent, non debebant ab ethnicis idcirco argui et condemnari, qui proprios filios suos immanissima inhumanitate hostias Saturno, uti opinabantur, gratissimas sacrificabant.

ARTICULUS III.

Ostenditur homicidii quoque reos fuisse Gallos, qui Mercurio; Tauros, qui Dianæ homines immolabant: item Romanos, qui in Æneadarum urbe Jovem ludis suis humano proluebant sanguine; atque alios, qui liberorum suorum recens natorum spiritum in aqua extorquebant, vel eos exponebant morti haud prorsus incertæ; quantum vero Christiani ab omni homicidio abhorrerent, quibus nec in utero conceptum dissolvere *licet*, dum adhuc sanguis in hominem delibatur.

Prosequitur Tertullianus, ac gentiles parricidii et homicidii reos esse demonstrat. Nam *major*, quam infantium *ætas*, inquit, *apud Gallos in suis quoque sacris Mercurio prosecabatur*; et id quidem alio in libro repetit (*Tertullian., Apologet. cav.* 9, *pag.* 316, *et Scorpia. cap.* 7). Nos vero de hoc prorsus exsecrando sacrificio plura alibi annovatimus (*Dissertat. in Minut. Octav., cap.* 9. *art.* 2), ubi quoque enodatius ea explicavimus, quæ ille continuo subnectit: *Remitto Tauricas fabulas theatris suis* (*ibid.*); sive quemadmodum ipse in alio libro loquitur: *Nihil illic nisi feritas calet, illa scilicet, quæ fabulas dedit de sacrificiis Taurorum* (*Tertullian., loc. cit. et lib.* I *advers. Marcion., cap.* 1), qui videlicet Dianæ hospites suos immolabant.

Pergit autem: *Ecce in illa religiosissima urbe Æneadarum piorum est Jupiter quidem*, nimirum Latiaris, *quem ludis suis* circensibus, et gladiatoriis *humano proluunt sanguine*. Alibi vero scriptum ab eo legimus: *Latio ad hodiernum Jovi media in Urbe humanus sanguis ingustatur; nec quisquam retractat, aut non rationem præsumit aliquam, aut inæstimabilem dei sui voluntatem* (*Idem. Apologet. cap.* 9. *pag.* 317; *Scorpiac. cap.* 7). Quis autem non videt ab illo *religiosissimæ urbis* et *Æneadarum piorum* nomine, non magna sine ironia appellari Romanos, qui ab Ænea, quem ubique passim Virgilius pium patrem vocat, suam se originem duxisse gloriabantur? Qui autem magis impii, et minus religiosi esse poterant, quam hi Romani, qui in ludis et muneribus Jovi Latiari, deo suo optimo et maximo consecratis, gladiatores sese mutuo interficientes, aut a bestiis quibuscum pugnabant, horrendum in modum, laceratos et occisos, non siccis tantum, sed lætis oculis intuebantur? Sed de hoc crudeli, cum homicidio, tum spectaculo alia in dissertatione egimus (*Dissertat. in Minut. Octav. cap.* 8, *art.* 2).

Respondebant ethnici tum quidem effundi sanguinem, sed hominum aut bestiariorum, *aut noxiorum jugulatorum* (*Tertullian. Apologet., cap.* 9, *pag.* 321). Atqui primi, sicuti aiebant, vilissimi erant homines, qui lucro conducti, operam bestiis trucidandis ultro locabant. Secundi vero sua propter scelera, sicut infra dicendum, adversus bestias, lata judicum sententia, pugnare cogebantur. Nihil ergo, inquiebant ethnici, horumce hominum cædes mali habebat.

Sed Tertullianus vanum illud effugium facile citoque evertit (*Ibid.*). Bestiarius enim, quantumlibet vilis, fæxque infima civitatis, non idcirco tamen minus homo est, parique homicidio vita illi, sicut ditiori, eripitur. Si vero sceleratus morte damnatus sit, is certe quo iniquior, eo indignior, qui Jovi immolaretur, sive ut ipsiusmet Tertulliani verbis utamur: *Hoc turpius, quod mali hominis* (*Ibid.*), sanguis in summi, veluti aiebant, dei honorem funditur. Quamobrem ibi ille de ethnicis, et eorum Jove haud illepide jocando exclamabat: *O Jovem christianum* (*Ibid.*)! Qui homicidii, cujus Christiani falso insimulabantur, caussa auctorque fuit, et eo titulo *solum patris sui* Saturni, qui filios suos voraverat, *filium de crudelitate*, qua videlicet illi fuit similis.

Urget Tertullianus, ac majus illo homicidio crimen eorum esse asserit, *qui natos sibi liberos* enecabant. Visne illum ethnicos urgentem et alloquentem audire? Ecce ipsamet ejus verba: *Utique crudelius in aqua spiritum extorquetis, aut frigori, et fami, et canibus exponitis*. Sed inquires cur crudelius mortis genus ab illo dicatur infantium spiritum in aqua extingui. Respondent nonnulli philosophos, quibus accessit Servius, docuisse animam hominis igneam esse, quæ idcirco in aqua difficilius extinguitur, aut redigitur in nihilum (*Serv. in lib.* I *Æneid. Virgil. v.* 95). Omnium autem hanc revera crudelissimam esse mortem probari posse putant his Ovidii carminibus.

Non lethum timeo, genus est miserabile mortis:
Demite naufragium, mors mihi munus erit.
(*Ovid. lib.* I *Trist. eleg.* 2, *v.* 57 *et seqq.*)

Verum hæc canebat poeta amore sepulcri, quo naufragus caruisset. Ad philosophos autem quod attinet, si aliqui animam hominis ignem, alii certe aquam, alii corpus, alii spiritum, alii aliud, sicut alibi ostendimus, (*Dissertat. in Lactant. cap.* 23. *art.* 2), esse existimaverunt. Tertullianus porro non unius philosophi potius, quam alterius, opinionem notavit.

Nobis itaque parum soliditatis videtur habere illorum responsio, qui dum curiosius, quam par erat, verborum Tertulliani rationem perscrutati sunt, in scirpo nodum quæsiere. Non alio enim ille modo loquitur de infantibus, quorum spiritus in aqua extinguitur, quam de aliis, qui exponebantur frigori, fami et canibus. At horum omnium infantium crudeliorem, quam aliorum hominum necem esse asseverat; quia infantes certæ morti expositi, omni prorsus, quo alii se tueri poterant, destituti erant auxilio, atque idcirco crudelius quam natu grandiores necabantur. At hunc esse Tertulliani sensum, non

Digitized by Google

obscure significant subsequentia ejus verba : *Ferro enim mori ætas quoque major optaverit* (*Tertullian. Apologet. cap.* 9, *pag.* 319). malebat quippe uno gladii ictu, quam diuturno ac languido miserandorum infantium modo interfici. De hac porro infantium expositione, hujusque argumentationis viribus, a nobis in nostra de Minutii Felicis Octavio dissertatione, et locis ibidem citatis disputatum est (*Dissertat. in Minut. Octav. cap.* 9. *art.* 12).

Omne porro homicidii genus sic Christianis interdicebatur; *ut ipsis etiam conceptum utero*, Tertulliani verba sunt, *dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissolvere non liceret* (*Tertullian. loc. cit.*), id est, dum fœtus in matris utero nondum humanam figuram acceperat. Non enim omnia hominis membra simul formantur, nec anima statim fœtui infunditur, sed post multos a conceptu dies, uti putant philosophi, nosque alibi ostendimus (*Dissertat. in Lactant., cap.* 27, *art.* 2, *et* 40. *art.* 6). Atqui si ejusmodi abortiones provocare Christianis nefas erat, quanto magis quoslibet occidere homines! Quis igitur non indigne ferat illos homicidii tam temere postulari ab ethnicis, qui tam frequenter alios homines crudelissime occidebant, ut jam dictum et adhuc dicendum est?

ARTICULUS IV.

Quam certo Tertullianus asserat epotum ab ethnicis humanum sanguinem publicis in ludis Jovi dicatis, et ab his qui comitiali morbo remedium quærebant, atque ab aliis, qui sicut Catilina fœdus cum aliquibus inibant : item in Africa Bellonæ sacratos hausto signatos fuisse sanguine, atque ab aliis crimen his magis exsecrandum perpetrari.

Qua Tertullianus evidentia demonstravit nihil esse falsius, quam infantis a Christianis sacra sua mysteria celebrantibus occisi sanguinem potari, eadem certitudine ostendit tanti flagitii conscios reipsa esse gentiles. In ludis etenim Latiaribus, de quibus in superiori articulo egimus, *humano*, ait Tertullianus, *proluunt sanguine* (*Tertullian., Apologet., cap.* 9, *p.* 317); vel sicut in alio libro: *Latio ad hodiernum Jovi media in urbe Roma humanus sanguis ingustatur* (*Scorpia. cap.* 7). Ignotus vero libri de Spectaculis, post Cypriani opera editi, auctor describit quomodo impium illud sacrificium fieri solebat : *Plura*, inquit, *prosequi quid est necesse, vel sacrificiorum in ludis genera monstrosa describere? Inter quæ nonnunquam et homo fit hostia latrocinio sacerdotis, dum cruor etiam de jugulo calidus acceptus patera, dum adhuc fervet, et quasi sitienti idolo in faciem jactatus, crudeliter propinatur* (*Auct. lib. de Spectac.*). Nos vero de hoc tam absurdo, quam crudeli sacrificio disputavimus in nostra de Minutii Octavii dissertatione (*Dissertat. in Minut., cap.* 9. *art.* 3 *et* 4), ubi etiam egimus de iis, qui comitiali morbo laborantes, potato jugulatorum in his spectaculis hominum sanguine medicinam quærebant. Nam hi, uti ait Tertullianus, *munere in arena noxiorum jugulatorum sanguinem recèntem avida siti comitiali morbo medentes auferunt* (*Tertullian., Apologet., c.* 9, *p.* 321). Quis autem, nisi immanis ac ferreus homo, tali remedio, ac aliorum hominum crudeli interitu, vitæ suæ consulere non horreat?

Ab horum vero inhumanitate non procul aberant feræ illæ gentes, quæ sanguinis, ex membris suis eliciti, potu fœdera inter se feriebant et confirmabant. At hujus plane barbari moris testem Herodotum his Tertullianus citat verbis : *Legite necubi relatum sit (est apud Herodotum opinor) defusum brachiis sanguinem ex alterutro degustatum nationes quasdam fœderi comparasse* (*Ibid. et seqq.*). At his ille verbis, *apud Herodotum opinor*, satis aperte significat se isthæc ex memoria ita recitasse; ut omnino securus non fuerit an illa ab ipso Herodoto vel alio scriptore litteris mandata sint. Verumtamen eumdem Herodotum certo citare poterat; nam in primo suo libro hæc narrat de Lydis : Ὅρκια δὲ ποιέεται ταῦτα τὰ ἔθνεα, τὰ πέρ τε ἕλληνες, καὶ πρὸς τούτοισι ἐπεὰν τοὺς βραχίονας ἐπιτάμωνται ἐς τὴν αἱμορρόιην, τὸ αἷμα ἀναλείχουσι ἀλλήλων. *Ineunt autem hæ gentes fœdera cum cæteris, ritu Græcorum, tum cruentando brachia vulneribus sponte susceptis, et mutuum sanguinem delingendo* (*Herodot., lib.* I, § 74). De Scythis autem alio in libro : Ὅρκια δὲ, inquit, ποιεῦνται Σκύθαι ὧδε πρὸς τῶν ἂν ποιέωνται· ἐς κύλικα μεγάλην κεραμίνην οἶνον ἐγχέαντες, αἷμα συμμίσγουσι τῶν τὰ ὅρκια ταμνομένων, τύψαντες ὑπίστρι, ἢ ἐπιταμόντες μαχαίρῃ σμικρὸν τοῦ σώματος· καὶ ἔπειτα ἀποδάψαντες ἐς τὴν κύλικα ἀκινάκεα, καὶ οἰστοὺς, καὶ σάγαριν, καὶ ἀκόντιον· ἐπεὰν δὲ ταῦτα ποιήσωσι, κατεύχονται πόλλα, καὶ ἔπειτα ἀποπίνουσι αὐτοί τε οἱ τὸ ὅρκιον ποιευμένοι, καὶ τῶν ἑπομένων οἱ πλείστου ἄξιοι. *Fœdera cum quibuscumque Scythæ hoc modo ineunt; infuso in grandem calicem fictilem vino, commiscent eorum sanguinem qui feriunt fœdus, percutientes cultello, aut incidentes gladio aliquantulum corporis. Deinde in calice tingunt acinacem, sagittas, securim, jaculum. Hæc ubi fecerunt, sese multis verbis devovent, postea vinum epotant non modo ii, qui fœdus fecerunt, sed etiam comites ii, qui sunt maximæ dignitatis* (*Idem, lib.* IV. § 70).

Poterat ergo Tertullianus hunc antiquum scriptorem haud dubitanter opinionis suæ assertorem advocare, atque eo potiori jure, quod suffragatorem habeat Lucianum (*Lucian. Dialog. Toxar. seu de amicit. pag.* 630). Nam testatum hic facit Scythas in calicem ex incisis digitis sanguinem distillasse, ac intincta gladiorum suorum cuspide, simul bibisse, atque ita pepigisse fœdus, quod postea dirimere nemini licebat. De quibusdam vero populis, Axiacarum vicinis, hæc Pomponius Mela memoriæ prodidit : *Bella cædesque amant; mosque est bellantibus cruorem ejus, quem primum interemerunt, ipsis e vulneribus ebibere..... Ne fœdera quidem incruenta sunt. Sanciant se, qui paciscuntur, exemptumque sanguinem ubi permiscuere, degustant. Id putant mansuræ fidei pignus certissimum* (*Pompon. Mel. lib.* II *de Situ orb. c.* 1. *pag.* 27).

Digitized by Google

Ad hæc vero Cornelius Tacitus, ubi de fœdere inter Rhadamistum et Mithridatem : *Mos est*, inquit, *regibus, quoties in societatem coeunt, implicare dextras, pollicesque inter se vincire, nodoque præstringere. Mox ubi sanguis in artus extremos se effuderit, levi ictu cruorem eliciunt, atque invicem lambunt. Id fœdus arcanum habetur, quasi mutuo cruore sacratum* (*Corn. Tacit. lib.* XII *Annal. post med.*).

Quid plura? Valerius Maximus de Sariastre, seu Tigrane Minore, qui relicto patre suo, ad Pompeium Magnum, ac deinde ab eodem Pompeio ad patrem suum defecerat, hæc scribit : *Sariaster adversus patrem suum Tigranem, Armeniæ regem, ita cum amicis consensit, ut omnes dextris manibus sanguinem mitterent, atque eum invicem sorberent* (*Val. Max. lib.* IX. *cap.* 11. *exter.* § 3).

Neque humaniores Romani ab hac barbaric ferisque moribus longe aberant. Etenim *nescio quid*, ait Tertullianus, *et sub Catilina tale degustatum est* (*Tertullian. Apologet. cap.* 9. *pag.* 321), nimirum quando contra Rempublicam conjuravit, ut alibi ostendimus (*Dissertat. in Minut. Octav. c.* 9. *art.* 4).

Mos porro ille, humanitatis plane expers, viguit non modo in profanis, sed sacris etiam gentilium cœtibus, nec tantum in remotis a Tertulliano barbaris gentibus, sed in ipsa quoque Africa, eoque ipso tempore, quo hunc Apologeticum scribebat. De iis enimvero, qui Bellonæ mysteriis initiabantur, hunc loquitur in modum : *Hodie istic Bellonæ sacratos sanguis de femore proscisso in palmulam exceptus, esui datus signat* (*Tertullian. ibid.*). At in omnibus nostris exemplaribus manuscriptis pro *sacratos.... esui* legimus *sacratus.... et sui*. Sed nullus horum verborum sensus. In editionibus Rigaltio vetustioribus, *sacratus..... et suis datus signatis*. Sed vix meliorem inde sensum efficias. Corruptus igitur fuit hic Tertulliani locus, et ad illum sanandum quidam pro *et sui*, vel *et suis*, sive *esui*, legi volunt *haustui*. Et id quidem de sanguine in palmulam excepto, melius quam *esui* dici potest. Neque nos quidem huic conjecturæ multum repugnabimus, si adhuc *sacratos* pro *sacratus*, emendandum esse ostendas. Nam Minutius Felix (*Minut. Octav.*), qui plura ex hoc libro delibavit, Tertulliani sensum his expressit verbis, ubi sicut ille ethnicis objectat : *Bellonam sacrum suum haustu humani cruoris imbuere*. Videsis quæ in nostra de hujus libro dissertatione annotavimus (*Dissertat. in Minut. Octav. cap.* 9. *art.* 4. *et cap.* 20 *art.* 3).

Ethnicos porro, ut falsi criminis accusare Christianos magis, si unquam fieri poterat, magisque puderet, iis horrendum aliud crimen honestis, prout res postulabat, verbis exprobravit. Sed illud nec a nobis nominandum, multo minus explicandum, quod satyrici tamen poetæ manifestum satis faciunt, et passim insectantur (*Tertullian. Apologet. cap.* 9. *pag.* 323. *et lib.* I *ad Nation. cap.* 15. *pag.* 580).

ARTICULUS V.

Ostenditur quomodo humanis carnibus vescerentur gladiatores, Scythæ, Messagetæ, et Derbices, qui susceptæ religione christiana, ab his discesserunt feris moribus.

Pergit Tertullianus, planumque omnibus facit ethnicos non solum bibisse hominum sanguinem, sed illorum etiam pastos esse carnibus. Primum enim gladiatores, post finita spectacula, *de arena*, inquit, *ferinis obsoniis cœnant* (*Tertullian. Apologet. cap.* 9. *pag.* 322), id est, cœnantes vescuntur carnibus ferarum, quas paulo ante in circo interfecerant. Atqui feræ illæ crudas hominum, a se in iisdem spectaculis trucidatorum, carnes proxime devoratas, nondum digerere potuerant. Ab his itaque crudelissimis gladiatoribus *ipsorum ursorum*, sicut Auctor noster loquitur, *alvei appetuntur, cruditantes adhuc de visceribus humanis* (*Ibid.*). Et ita quidem in Rigaltii editione : sed in antiquioribus pro verbo *cruditantes*, legimus *trucidantibus*; mendose omnino : in manuscriptis vero nostris et aliis codicibus constanter habetur, *cruditantibus adhuc de visceribus humanis*, sive adhuc crudis, nondumque in ursorum, qui ea voraverant, alvo et ventre digestis. Utrum autem hæc vera sit lectio, quis certo sine correctioris alicujus codicis ope definire audeat? At quæcumque sit, satis patet Tertullianum nihil aliud significasse, nisi a gladiatoribus appeti ac mandi carnes ursorum, qui paulo ante hominum viscera et carnes devoraverant, et idcirco in eorum stomacho erant adhuc indigesta.

At nonne, inquies, corruptum quoque est nomen *alvei*, ac scribendum potius *alvi*, qui ciborum sunt receptacula. Non absurde quidem, si dixeris meliorem partem pro toto a Tertulliano accipi, hancque emendationem quodam saltem codice probaveris. Non enim ursorum duntaxat *alvi*, sed aliæ etiam illorum carnes comedi solebant, quemadmodum colligi potest ex Apuleii verbis, quibus magnificentissimum gladiatorii ludi apparatum describit : *Ursam*, inquit, *quæ cæteris sarcina corporis prævalebat, quasi cibo parandam, portamus ad nostrum receptaculum* (*Apuleii lib.* IV *Metamor. pag.* 59). Quid ergo vetat quominus communem omnium codicum retineamus vocem *alvei*, qua significentur vasa, in quibus semicoctæ tantum erant ursorum carnes, quas gladiatores tanta aviditate appetitas comedebant? Quamobrem Tertullianus inde concludit : *Ructatur proinde ab homine caro* ursi, *pasta de homine* (*Tertullian. Apologet. cap.* 9. *pag.* 323), a quo paulo antea occisus fuerat.

Verum hisce gladiatoribus longe immaniores alii procul dubio erant, de quibus ille non ita quidem affirmate, sed hunc duntaxat in modum loquitur : *Aiunt et apud quosdam gentiles Scytharum defunctum quemque a suis comedi* (*Ibid.*). At sane istud haud dubitanter pronuntiare poterat. Ex Strabone enimvero discimus hospites immolatos fuisse a Scythis, qui illorum carnes mandebant, ac poculorum loco

Digitized by Google

uiebantur eorum calvariis (*Strab. lib.* VII *Geogr. p.* 298). Tum paulo post de Massagetis, Scytharum aut populis, aut vicinis, hæc memorat : θάνατος δὲ νομίζεται παρ' αὐτοῖς ἄριστος, ὅταν γηράσαντες κατακοπῶσι μετὰ τῶν προβατείων κρεῶν καὶ ἀναμιξ βρωθῶσι : *Mortis genus optimum censent, si senio confecti cum carnibus ovilis concidantur, unaque devorentur* (*Ibid. pag.* 513). Strabonem vero sequitur Eusebius, qui Massagetis adjunxit Derbices, tradiditque ab utrisque immolatos, quos cariores habebant, ætate jam effœtos parentes, eorumque usos carnibus, tanquam epulis lautissimis (*Euseb. lib.* III *Præpar. Evang. cap.* 4. *pag.* 11). Si quid vero clarius expressum desideras, adi Plinium (*Plin. lib.* VI *natur. Hist. cap.* 17), et qui eum sequitur, Solinum (*Solin. cap.* 15. *pag.* 34), qui diserte affirmant anthropophagos esse Scythas, *humanis corporibus vescentes.* Ab Herodoto quoque disces Melanchænos, a nigra veste sic dictos, Scythicis vixisse institutis, solitosque carne vesci humana (*Herodot. lib.* IV. § 107). Huc accedit Mela, quem audire poteris hæc narrantem : *Pocula ut Essedones parentum, ita inimicissimorum capitibus expoliunt. Apud antropophagos ipsæ etiam epulæ visceribus humanis apparantur* (*Mel. lib.* II *de Sit. orb. cap.* 1. *pag.* 27).

Eusebius porro, jam a nobis laudatus, ibidem asseruit Massagetas ac Derbices, ubi primum christianæ religioni nomen dederunt, ab his discessisse feris inhumanisque moribus (*Euseb. loc. cit.*). Cæterum in nostra de Minutii Felicis libro dissertatione (*Dissertat. in Minut. Octav. cap.* 9. *art.* 2), et aliis locis ibi citatis, ostendimus Christianos nunquam hujus antropophagiæ, sed solos gentiles reipsa conscios fuisse et reos.

ARTICULUS VI.

Quam perspicue Tertullianus ostendat Christianos secreti in sacris suis synaxibus incesti falso falsius accusari, quo gentiles Jovis exemplo palam ac sæpius contaminabantur.

Manifestum unicuique jam fecimus quibus, ac quam validis rationum momentis Tertullianus noster penitus obtriverit insulsam plane ethnicorum calumniam, qua ethnici Christianos infami suis in synaxibus incestu contaminari impudentissime mentiebantur. Quo enim pacto illi sacra sua mysteria incestu tam sæpe repetito coinquinare voluissent, qui præceptam sibi a Christo conjugum castitatem, aut perpetuam virginitatem, tametsi non imperatam, summo, sicut alibi patefecimus, studio servabant? Verum ea tamen fuit ethnicorum impudentia, ut eis falsissime objectarent secreti incestus crimen, quod reipsa ab illis ipsis non solum occulte, sed *luce omni*, ut ait Tertullianus, *et nocte omni, ac toto conscio cœlo* (*Tertullian. lib.* I. *ad Nati., cap.* 16. *p.* 581), tam impune quam audacter perpetrabatur. Quidni vero tantum scelus perpetrassent, *quos*, ut ille jure prorsus merito urget, *Jupiter ipse docuit* (*Idem, Apologet. cap.* 9. *pag.* 325), suo videlicet exemplo incestus facere? Quis enim nescit quam vere Athenagoras (*Athenag. leg. pro christian.*) aliique Ecclesiæ Patres iisdem ethnicis objecerint, quod ab illorum scriptoribus palam prædicabatur, hunc ipsum Jovem ex matre sua, et filia Core, seu Proserpina suscepisse liberos? Quis etiam vel primoribus labris editos a profanis poetis libros attigit, nec illico exhorruit ab illis Junonem induci, quæ se ejusdem Jovis sororem et uxorem esse jactitabat? Atqui μιμητὰς θεῶν, ait Justinus martyr, καλὸν εἶναι πάντες ἡγοῦνται : *Omnes pulchrum autumant se deorum esse imitatores* (*Justin. Apologet.* I). Quamvis autem ethnici se illum revera imitatos fuisse negassent, vitio tamen Christianis dare non poterant, quod a Jove summo, ut aiebant, deo, actum fatebantur. De his porro illius sceleribus nos satis superque in superioribus nostris dissertationibus disputavimus.

Summum porro, vel potius summe impium illum Jovem imitabantur Persæ, quos *cum suis*, ait Auctor noster, *matribus misceri Ctesias* testificatur (*Tertullian., Apologet., cap.* 9, *pag.* 325). Antiquiores manuscripti nostri codices *Chtescas*, in libro ad Nationes *Thesias* scriptum exhibent (*Lib.* I *ad Nation., cap.* 16, *pag.* 581). De hoc autem nomine Ctesias, et nefando illo Persarum scelere in aliis nostris dissertationibus egimus (*Tom.* I *Apparat., pag.* 1259, *et Dissert., in Arnob., cap.* 24, *art.* 2; *tom.* I *Apparat., pag.* 1239, *et dissert. in Minut., cap.* 20, *art.* 2).

Tum dehinc Tertullianus Macedones in magnam incestus suspicionem, aut certe comprobationem venisse hinc colligit : *Quia cum primum*, inquit, *Œdipum tragœdiam audissent, videntes incesti dolorem* ἔλαυνε *dicebant* εἰς τὴν μητέρα (*Tertullian., Apologet., cap.* 9, *pag.* 325). Mirum autem quam corrupte et varie hæc græca verba in manuscriptis nostris codicibus, et aliis editis scripta sint. In tribus enim vetustioribus legitur ΕΛΑΥΝΕ ΕΙΣ ΤΗΝ ΑΛΙΓΕΕΡΑ vel ΤΗΝ ΛΑΙΓΕΡΑ in aliis duobus *elline eistena ligera* : in prima editione Basileæ anno 1512, ἔμεεν εἰς τὴν μετέρα. In secunda anno 1528, legitur charactere latino tantum *emene*, et alia verba omissa sunt. Denique in libro ad Nationes latinis etiam litteris habetur : *Elaune ten metera.* A librariis igitur græce nescientibus corrupta fuerunt græca illa verba, nec facile dixeris, quæ reapse a Tertulliano scripta sint.

Gothofredus tamen, qui primus hosce libros typis edendos curavit, nullus plane dubitat veram esse hanc posteriorem Agobardini codicis lectionem, atque ab eodem Tertulliano græcis litteris scriptum, ἔλαυνε εἰς τὴν ματέρα : Rigaltius vero in antiquis codicibus scriptum asserit, ἔλαυνε εἰς τὴν μητέρα. Sed qui hi codices, et utrum a nostris diversi sint, indicare debebat. Nam præter jam notatos, et a nobis lectos codices nullum alium habuit, sed quasdam tantum non omnino certas Fuldenses lectiones. Sed quid de græcorum verborum, a librariis corruptorum, vera lectione statuere poteris, nisi sanos codices ad manum habeas? Expende tamen utrum Tertulliani sensus exprimatur his latinis verbis : *Age duc in matrem.* Nam introductus in scenam Œdipus rex bella-

Digitized by Google

tor cum fingeretur flere incestum, quem cum matre inscius fecerat, tum Macedones hunc bellicosi regis fletum deridentes, hoc dicterio pupugerunt : *Age duc in matrem*, quasi metropolim quamdam subacturus. Hunc autem esse Auctoris nostri sensum haud inepte forsan colligi potest ex illius *ad Nationes* libro, ubi hæc uberius hisque verbis explicat : *Cum primus scenam eorum* Macedonum *OEdipus intravit, trucidatus oculos, risu ac derisu exceperant. Tragœdus consternatus, retracta persona, numquid, ait, domini, displicui vobis? Responderunt Macedones : Imo tu quidem pulchre* (manuscriptus codex *pulcher*). Inde autem sic argumentatur : *Aut scriptor vanissimus, si finxit; aut OEdipus dementissimus, si ita fecit : atque exinde alter ad alterum, elaune ten matera dicebatis* (*Tertull., lib.* I *ad Nati., cap.* 16, *pag.* 581). Audis sane Tertullianum narrantem a Macedonibus primo quidem risu ac derisu exceptum fuisse personatum OEdipum, quem tamen sibi non displicere postea confessi sunt : tum deinde secum colloquentes hæc vicissim protulisse verba *Elaune ten metera*. Quæ quidem si genuina sint, his significatur, alterum macedonem dixisse alteri : Agita, instiga, stimula, impelle matrem, et imitare OEdipum. Eo enim sensu verbum ἐλαύνω ab Aristophane (*Aristoph., Electr.*, v. 735 *et* 740), Homero, et aliis græcis scriptoribus accipitur. Quoquo autem verbo usus sit Tertullianus, eo plane incesti haud immerito arguit Macedones, qui illud aut in OEdipo laudaverunt, aut ejus exemplo ad perpetrandum sese invicem provocabant.

Denique non solos Macedones, sed quoslibet alios etiam ethnicos hujus flagitii conscios esse inde convincit, quod filios, uti diximus, recens natos exponerent. Parentes siquidem illos alienæ misericordiæ antea expositos, postea non agnoscebant, nec ab illis agnoscebantur. Plerumque igitur contingebat, ut hac ignoratione libidinosi illi parentes stuprum incestumque filiis suis inferrent (*Tertullian., Apologet., cap.* 9, *pag.* 526, *et lib.* I *ad Nation., cap.* 16, *pag.* 582). Infaustissimo autem id Tertullianus probat exemplo, quod paulo antequam libros *ad Nationes* conscriberet, atque, uti videtur, imperante Commodo, Romæ acciderat. Tum enim Fuscianus, sicut ille ait, Urbi præfectus erat, cum puer quidam ex paternæ domus limine egressus, rapitur a græculo quodam, et in Asiam ducitur. Puer autem grandior factus, Romam reducitur, ubi a patre suo, illum amplius non agnoscente, constupratus est. Postea illum parentes quibusdam corporis maculis recognoverunt, *ac laqueo*, inquit Tertullianus, *sibi medentur*. Fuscianus vero horum bona puero adscripsit, *non ad hæreditatem*, uti ait ille, *sed ad stipendium stupri et incesti* (*Idem. lib.* I *ad Nati., cap.* 16, *pag.* 582).

Dubitandi porro locus dari videtur utrum improbus ille pater non solum a Fusciano, sed etiam senatu damnatus fuerit. Nam historiæ hujus initium in Agobardi codice sic legitur : *Talis tragœdia erupit, Fusciano præfecto Urbi, judicata punitione senatus. Fortuita negligentia comitum ultra januam progressus iter, prætereuntibus tractus, domo excidit. Qui eum nutrierat græculus, vel a limine, græculo more captaverat intrans. Inde mutatus* (*Ibid., etc.*). Sed plura ibi redarguuntur librarii errata. Primum enim Rigaltio persuasum adeo fuit, pro *senatus*, ibi legendum *reatus*, ut illud reposuerit in ipso Tertulliani textu. Deinde ex eo resecavit hæc verba : *Qui eum nutrierat*, et hæc *vel a limine* : ac præterea verbum *intrans*, auferendum adhuc arbitratur. Primæ autem emendationis hanc affert rationem; quia hæc caussa si a senatu judicata fuisset, a Fusciano non debuit amplius judicari. Potius itaque legendum Fusciano *judicata punitione reatus*. Nec parum quidem probabilis videtur hæc conjectura. Quid tamen si aliquid ibi desit, et Tertullianus significare voluerit sententiam Fusciani a senatu probatam fuisse? At ipse Rigaltius nobis non edixit, cur ex Auctoris nostri textu penitus abstulerit hæc verba : *Qui eum nutrierat*. Numquid ibi tam inutilia sunt, ut nemine monito, amputari debuerint? Nonne postea dixit : *Alumnus in pueritia?* Denique ista, *vel a limine*, et *intrans*, detrahenda suspicatur, quia posterius prioris interpretatio est. Sed de his alii judicent. Nobis autem si conjiciendi locus daretur, pro his verbis *progressus iter*, legendum suspicaremur, *progressus puer*, de quo nimirum ibi agitur, et cujus pueritia paulo post memoratur.

Quantumvis autem depravatus sit hic locus, non tamen minus certa est hujus nefarii incestus historia. Recte ergo concludit inde Tertullianus plures alios fuisse parentes ejusdem reos criminis, quod quidem quia occultum fuit, debitas culpæ gravissimæ pœnas effugerunt. Quis porro diffitebitur non ex hac tantum historia, sed plurimis aliis exemplis, quæ retulimus (*Dissertat. in Minut. Octav., cap.* 10, *art.* 2), gentiles apertissime convinci incestus, cujus Christianos impudentissimo mendacio accusabant. Jam itaque ad alias non minus falsas eorum criminationes veniamus.

ARTICULUS VII.

Quam absurde ethnici objecerint a Christianis adorari caput asini : quis huic fabulæ occasionem dederit : quanta impudentia nebulo quidam judæus illius asini cum ridicula prorsus inscriptione picturam circumtulerit; ac quam vere iidem ethnici asinos totos, aliasque belluas, aut vivas, aut depictas adoraverint.

Alia ethnici, nec cæteris minore, calumnia Christianos ideo infamare frustra moliti sunt, quasi *caput*, uti ait Tertullianus, *asininum*, tanquam deum adorarent. Sed illud, inquit, merum erat vigilantium et invidorum hominum somnium, qui conabantur quoquo modo Christianos calumniari. Non diffitetur tamen falsæ huic criminationi datam a Cornelio Tacito occasionem. Tam temere enimvero, quam falso suis in historiis scripserat Judæis, qui in vastissimis Arabiæ desertis errantes, siti laborabant, indicatos fuisse a quibusdam onagris aquarum fontes, quibus eam sedaverunt; quapropter in grati animi testificationem, sicuti inquiebat, asini consecraverunt imagi-

Digitized by Google

nem. Quia autem religio christiana judaicæ erat proxima, hinc finxerunt gentiles a Christianis quoque asini caput adorari (*Tertullian.*, *Apologet.*, *cap.* 16, *pag.* 365 *et seqq.*, *et lib.* I *ad Nation.*, *cap.* 11, *pag.* 577). Verum nos alibi hanc insulsissimam criminationem, non solum quatenus Judæos, sed etiam Christianos spectat, funditus evertimus (*Dissertat. in Minut. Octav.*, *cap.* 11, *art.* 1).

Reliquum itaque est, ut singulare aliquod factum expendamus, quod a Tertulliano nostro duobus in libris sic describitur : *Nova jam Dei nostri in ista proxime civitate editio publicata est, ex quo quidam frustrandis bestiis mercenarius noxius, picturam proposuit, cum ejusmodi incriptione* : Deus Christianorum Onochœtes. *Is erat auribus asininis, altero pede ungulatus, librum gestans, et togatus* (*Tertullian.*, *Apolog.*, *cap.* 16, *p.* 372). Alio autem in libro id paulo fusius explicat : *Jam de nostro Deo fama suggessit. Adeo nuper quidam perditissimus in ista civitate, etiam suæ religionis desertor, solo detrimento cutis judæus, utique magis, quod bestiarum morsus, ad quas se locando quotidie toto jam corpore decutit, cum incedit, picturam in nos proposuit sub ista proscriptione* : Onochœtes. *Is erat auribus canteriorum, et in toga cum libro, altero pede ungulato* (*Idem*, *lib.* I *ad Nati.*, *cap.* 14, *pag.* 579).

Primum ergo dixit hoc factum esse *nuper*, sive paulo antea quam utrumque librum composuit, atque *proxime* in ista civitate, in qua commorabatur. De hujus igitur facti veritate nullus dubitandi locus est. Deinde illius auctorem fuisse judæum quemdam, *suæ*, id est, judaicæ religionis desertorem, quique tunc *solo detrimento cutis*, hoc est, sola circumcisione judæus, impios ethnicorum cultus profitebatur : sed hunc fuisse hominem perditissimum, ac plurium criminum publico judicio convictum, et propterea ad bestias damnatum, ut cum eis nimirum suo ordine pugnaret. Verum quia fas illi erat ab hac pugna aliquando vacare, ut lucrum majus faceret, sese *quotidie frustrandis bestiis*, hoc est, ad illarum impetus ac morsus dimicando declinandos ultro locabat. Nam ut adprime Cassiodorus observat : *Actus detestabilis, certamen infelix, cum feris velle contendere, quas fortiores se non dubitat invenire. Sola est ergo in fallendo præsumptio, unicum in deceptione solatium. Qui si feram non mereatur effugere, interdum nec sepulturam poterit invenire* (*Cassiod.*, *lib.* V *Variar. epist.* 42, *pag.* 94). Talis erat judæus ille recutitus, cui præter circumcisionem, *quotidie*, ait Tertullianus, toto jam *corpore decutit*, id est, plures singulis diebus plagas morsibus bestiarum accipiebat. At id genus hominum bestiarii cognominabantur, de quibus paulo ante diximus (*Supr. cap.*)

In ludis itaque publicis nebulo ille pseudo-judæus ut christianam religionem ludificaretur, illam circumtulit descriptam a Tertulliano ridiculam plane imaginem, cujus hæc erat inscriptio : Deus Christianorum Onochœtes (*Tertullian.*, *Apologet.*, *cap.* 16, *p.* 372), sive ut in codicibus nostris manuscriptis et aliis *Onochitis*, in aliis *Onochorsitis*, vel *Onochortissis*, aut *Onochotasis* ; in antiquis editionibus *Onychites*, in quibusdam tandem Ὀνυχίλος. In libri autem *ad Nationes* inedito exemplari et aliis editis hoc nomen scribitur triplici modo, ac primo quidem *Onocholtes* ; secundo, *Onochoites* ; tertio, *Onochœte* (*Idem. lib.* I *ad Nati.*, *cap.* 14, *pag.* 579). At quam variæ discrepantesque sunt hujus unius nominis lectiones, tam clare patet illud esse corruptum. Quamobrem eruditi plures viri in eo sanando non parum desudaverunt. Quidam enim putant legendum *Onochœtes*, ita ut hac voce significetur asinus sacrorum magister, et sacerdos, a quo alii initiandi erant. Malunt alii scriptum *Onochorsites*, ab asinino capite, alii *Onocoites*, id est, asininæ originis et prosapiæ. Alii etiam *Onotacoustes*, græce Ὀνωτακούστης. Sed quid in uno hujus inscriptionis nomine inveniendo laborandum, cui hæc duo latina, *Deus Christianorum* præposita in Apologetico libro indicantur ? Quid enim si posterius illud nomen a scelerato nugatore confictum, et a librariis deinde corruptum fuerit ? Quid etiam, si vulgare quoddam punicum nomen sit, jamque penitus obsoletum ? Nonne nobis sufficere debet data ab Auctore nostro hujus nominis et picturæ explicatio : *Is*, inquit, *erat auribus asininis, altero pede ungulatus, librum gestans, et togatus.* Quod quidem aliis verbis in libro *ad Nationes*, sed idem omnino significantibus edixit.

Pictus autem asinus ille erat *togatus*, sive toga contectus, et *librum gestans* in derisum videlicet Christianorum, qui sacra Evangelia summo habebant in honore, eaque secum ferre, ac suis in synaxibus palam legere consueverant.

At Christiani et Tertullianus illud divinitatis monstrum, ex impii nebulonis cerebro ortum, ac nomen ejus et formam riserunt. Quidni risissent illud *auctoritate temporis*, ut ille ait, *destitutum*, *et qualitate auctoris infirmum* (*Idem*, *Apologet.*, *cap.* 16, *p.* 573, *et lib.* I *ad Nation.*, *cap.* 14, *p.* 579) ?

Nec est sane quod nobis aliquis objiciat non tam longe Gnosticos hinc recessisse, qui multo antea, sicut post Epiphanium (*Epiph. hær.* 26, *p.* 91) observavimus (*Tom.* I *Apparat.*, *p.* 244. ; *Dissertat. in Minut.*, *cap.* 11, *art.* 1), finxerant Sabaoth septimum Æonum, cœli et terræ esse conditorem, quem alii asini, alii porci figuram præ se ferre effutiebant. Nam hæc ridicula Sabaoth imago omnino diversa erat ab horrida Dei Christianorum figura, quam nequissimus et flagitiosissimus judaïcæ religionis proditor insulsissime excogitaverat.

Ad eam fortasse propius accedebat asinus albus, quem uti Suidas narrat (*Suid. ad v.* Ζήνων), et nos alibi annotavimus (*Dissertat. in Minut. loc. cit.*). Zeno quidam Alexandrinus, judaicæ religionis desertor, per judæorum synagogam die sabbati traduxisse perhibetur. Verum tametsi id ante Tertulliani tempus actum fuisse probaretur, multum tamen ab illa pictura discrepabat, quam pseudo-judæus in Christianorum Dei derisionem, non in synagoga, sed

Digitized by Google

in publicis gentilium spectaculis circumtulit. At non omnino absurde dici posset unum ex his pseudo-judæis nebulonibus alteri hæc faciendi dedisse occasionem.

Quamvis autem detestabile prorsus fuerit utrumque illud divinitatis portentum ; gentiles tamen neutrum plane penitusque reprobare poterant, quin semetipsos nequitiæ et amentiæ protinus condemnarent. Tertullianus enim id perspicue probat his, quibus eos compellat, verbis : *Vos non negabitis et jumenta omnia, et totos cantherios cum sua Epona coli a vobis* (*Tertullian. Apologet. cap.* 16, *p.* 365). Rursus autem in primo *ad Nationes* libro : *Sane vos totos asinos colitis, et cum sua Epona, et omnia jumenta, et pecora, bestiasque perinde cum suis præsepibus consecratis.* Quamobrem illos sic urget : *Sed illi* ethnici *debebant adorare statim biforme nomen* illud a judæo confictum (*Lib.* I *ad Nation., cap.* 11, *pag.* 577) : *Quia vanino et leonino capite commistos, et de capro, et de ariete cornutos, et a lumbis hircos, et a cruribus serpentes, et planta vel tergo alites deos receperunt* (*Idem, Apologet. ibid.*). Similiter in suo libro *ad Nationes* : *Sunt penes vos et canino capite, et leonino, et de bove, et de ariete, et de hirco cornuti dii, caprigenæ, vel anguini, et alites, planta, fronte, et tergo* (*lib.* I *ad Nation., cap.* 14, *p.* 579). Nos vero hæc omnia in aliis dissertationibus enucleavimus, et Minutium audivimus adversus ethnicos simili modo disputantem (*Dissertat. in Minut. Octav. cap.* 14, *art.* 2, *et Dissertat. in Arnob., cap.* 20, *art.* 1).

At Tertullianus illos ipsorummet gladio sic jugulat. Si vitio, inquit, nobis vertitis, quod asini caput tanquam Deum colamus, multo certe vos nequiores esse convincitis. Non enim asini tantum caput, vel quasdam bestiarum partes, sed totos asinos, aliasque quamplures totas bestias dicitis esse deos, et revera adoratis. Quæ autem, amabo te, major insulsitas, quam unius criminis aliquem insimulari ab alio, qui ejusdem et plurium graviorum seipsum reum esse fatetur ? Verum hæc, ait Tertullianus, *ex abundanti*. Quam certum quippe erat bestias ab ethnicis, tam falsum erat a Christianis caput asini, vel asinos adorari. Unum siquidem hi adorabant summum Deum, qui omnia creavit, nec ab ullo potest aut videri, aut comprehendi.

ARTICULUS VIII.

Quam inconsiderate ethnici vitio Christianis verterint cultum crucis Christi, cum illi ipsi quaslibet in deorum suorum simulacris, tropæis, vexillis, et militarium signorum ornatu, cruces adorarent : quibus partibus crucem Christi compositam Tertullianus putaverit ; cur siphara appellaverit stolas crucis, cujus homo expansis manibus figuram exhibet.

Urgebant adhuc ethnici læsam violatamque a Christianis supremam Dei majestatem religioso cultu crucis, cui Christus affixus fuerat. Sed qua, putas, ratione hanc sæpe sæpius ab illis repetitam criminationem Tertullianus diluit ? Non alia profecto, quam A intortum ab ethnicis telum in ipsosmet retorquendo. Tacet enim utrum Christiani crucem illam revera colerent, ac variis tantummodo rationum momentis ostendit illos omnino imprudenter hujusce cultus redargui ab ethnicis, qui cruces quaslibet passim venerabantur.

Quid ergo, inquies, numquid fallaci aliquo silentio negavit, aut dissimulavit crucem Christi ab ipsius discipulis honorari ? Minime gentium. Quam enimvero ob caussam id negare aut dissimulare potuisset, qui fatetur illos ad omnes fere vitæ suæ actus frontem suam crucis munivisse signaculo ? Cur autem, obsecro, sacrum illud signum frontibus suis tam sæpe imponebant, nisi persuasum omnino habuissent aliquid in illo sibi præsidii esse, ac veneratione sua B digni (*Tertull. lib. de Coron. cap.* 3, *et lib.* II *ad Uxor. cap.* 3). At de hoc antiquissimo colendi crucem Christi more plura in aliis dissertationibus nostris contra hæreticos disputavimus (*Dissertat. in Minut., cap.* 14, *art.* 3, *et in Lactant. cap.* 19, *art.* 1, *et in Lucil. Cæcil. cap.* 5, *art.* 2). Non poterat ergo Tertullianus hoc negare, quod suo tempore omnibus Christianis quotidie usitatum, ac ipsis etiam gentilibus satis compertum erat (*Tertullian. Apologet., cap.* 16, *p.* 366).

Quamobrem his, crucis Christi cultum objicientibus, non aliud, quam hoc brevissimum dedit responsum : *Qui crucis nos religiosos putat, consecraneus erit noster* ; vel sicut in alio libro : *Qui nos crucis antistites affirmat, consecraneus erit noster* (*Idem, lib.* I *ad Nation., cap.* 12, *p.* 578). Nomen vero *consecraneus*, quemadmodum in veteribus glossis annotatur, idem sonat, ac sacrorum socius. Palam ergo ille asseverat prorsus inconsideratos esse gentiles, qui cum plurimas cruces adorarent, Christianos tamen ideo hujus superstitiosi et impii cultus arguere audebant, quia crucem Christi venerabantur.

Anteqnam vero argumenta, quibus illud probare contendit, examinemus, animadvertendum est quam ille dixerit esse crucis Christi figuram. *Nobis*, inquit, *tota crux imputatur, cum antenna scilicet sua, et cum illo sedilis excessu* (*Ibid. l.* I *ad Nation., loc. cit.*). Nos itaque docet crucem Christi integram fuisse ac perfectam ; utpote quæ tribus partibus composita erat, ligno videlicet recto, et antenna, sive transverso altero ligno, atque sedili, sive scabellulo, cruci impositio, et cum excedente. Nos vero alibi observavimus (*Tom.* I *Apparat., p.* 597) ortam inter eruditos controversiam utrum illud scabellum, seu lignum excedens, toti hominis crucifixi corpori, vel ejus tantum pedibus supponeretur. Sed cum *sedile* a Tertulliano nostro appellatur, hoc procul dubio nomine satis aperte innuit illud in crucis medio positum, ac in eo requievisse crucifixi hominis corpus, ne graviori sua mole dilaberetur, aut fractis manibus caderet. Nonnulli autem putant hoc sedile designari his ejusdem Tertulliani nostri alio in libro verbis : *Cornua crucis extima ; nam et in antenna navis, quæ crucis pars est, cornua extremitates vocantur, unicorni*

Digitized by Google

autem media stipitis palus (*Tertull. lib. ad Judæos cap.* 2). Fatentur tamen non plane incorruptum esse hunc locum, nec proinde certo definiri posse utrum his posterioribus verbis rectum crucis lignum non denotetur. At extra dubium esse videtur integram ac perfectam ab illo appellari Christi crucem, utroque ligno recto et transverso, ac sedili compositam.

Ethnicorum autem, Christianis hujus crucis cultum exprobrantium, ut temeritatem comprimat, conglobatis argumentis ostendit plures alias cruces non solum integras, sed earum etiam partes ab illis adorari. Non enim, uti ait, *distinguitur a crucis stipite Pallas Attica, et Ceres Pharia, quæ sine effigie, rudi palo, et informi ligno prostat* (*Tertullian. Apologet., cap.* 16, *p.* 366). Atque hæc iisdem pene verbis in libro *ad Nationes* repetit (*lib.* I *ad Nation. cap.* 11, *p.* 577). Sed in nostris manuscriptis exemplaribus scriptum est *Ceres Fariam*, in antiquioribus editis, *Ceres Farrea;* quæ lectio pluribus placet, quia Cereri hoc nomen ideo impositum censent, quod illa far frugesque invenisse perhibeatur. Alii vero legendum malunt *Pharia*, seu *Faria*, sicuti in libro *ad Nationes*. Eo enim cognomine Cererem appellatam autumant, quia in Pharo Ægypti insula colebatur. De ea porro aliquid in nostra de Minutii Felicis Octavio dissertatione observatum a nobis fuit (*Dissertat. in Minut. cap.* 14, *art.* 4).

Non semel autem in aliis dissertationibus (*Tom* I *Apparat. p.* 734 *et seqq., ac Dissertat. in Arnob., cap.* 20, *art.* 1) adnotavimus antequam gentiles deorum suorum simulacra ad hominis effigiem finxissent, a quibusdam acinacem, an aliis gladium, ensem, hastam, a nonnullis lapidem, ab aliis rude lignum, et stipitem non elaboratum pro diis habita fuisse et adorata. Qui quidem mos apud quasdam gentes diutius perseveravit. Tertullianus autem significare videtur suo adhuc tempore exstitisse aliquod Palladis in Attica regione, et Cereris in Pharo insula simulacrum, quod rudis dumtaxat palus, et informe, ac sine ulla effigie lignum erat. At id profecto ex his, quæ in citatis nostris dissertationibus retulimus, confirmari utique potest. Ethnici ergo palum hujusmodi terræ defixum tanquam sacra numina adorantes, partem crucis profecto adorabant.

Integras autem cruces venerabantur in deorum suorum simulacris, humanam effigiem repræsentantibus. Fabricari siquidem a plastis et artificibus non poterant, nisi prius argilla aut alia quædam materia sustentaculis, in crucis integræ modum appositis, revera superponeretur. Quapropter recte Tertullianus: *Diximus*, inquit, *originem deorum vestrorum a plastis de cruce induci* (*Tertullian. Apologet., cap.* 16, *p.* 366). Antea vero dixerat: *Simulacrum prius argilla deformat* (*Ibid., cap.* 12, *p.* 340), id est formare incipit, cruci et stipiti *superstructa*. Rursus autem alio in libro: *Huic exordio et velut statumini argilla, desuper intexta, paulatim membra complet, et corpus struit, et habitum, quem placuit, argillæ intus cruci ingerit..... a cruce argilla, ab argilla deus quodam modo transit, crux in deum per argillam. Crucem igitur consecratis, a qua incipitur consecrari* (*lib.* I *ad Nation. cap.* 12, *p.* 578).

De his autem jam egimus in nostra de Minutii Felicis libro dissertatione (*Dissertat. in Minut. Octav., cap.* 4, *art.* 12), nec non etiam de tropæis, cantabris, et vexillis. Eadem vero ratione his omnibus ab Auctore nostro adjiciuntur: *Siphara illa vexillorum et cantabrorum* (*Tertullian. Apologet., cap.* 16, *p.* 369). At siparum, sive syparium, supparus, et supparum vocabatur varium vestimenti et veli genus, puta navium et theatri: sed ibi a Tertulliano, uti satis liquet, sumitur pro velamento signorum militarium, cruci, vel ligneæ, vel alterius materiæ imposito. Conjecturam enim, hæc *siphara*, inquit, *stolæ crucem sunt* (*Ibid.*), id est, amictus sunt, et velamenta, quibus crux velabatur, vel tegebatur. Siphari igitur nomine designat velum illud ex transversa crucis parte appensum, quo vexilla et cantabra decorabantur. Quamobrem ethnicos hisce verbis irridet: *Laudo diligentiam. Noluistis nudas et incultas cruces consecrare* (*Ibid.*) In altero etiam libro: *Siphara illa vestes crucum sunt. Erubescitis, opinor, incultas et nudas cruces colere* (*Idem, lib.* I *ad Nation., cap.* 12, *p.* 579).

Instat adhuc ille: *Victorias adoratis, cum in tropæis cruces intestina sunt tropæorum* (*Idem, Apologet. loc. cit.*), id est, tropæis subjectæ sunt. Paulo vero aliter in alio libro: *Victorias ut numina, et quidem augustiora, quanto lætiora veneramini con.... one quid melius extollant, cruces erunt intestina quodam modo tropæorum* (*Idem., lib. ad Nation. loc. cit.*). Constat sane Victoriam ab illis in dearum positam fuisse numero: quod quidem, vix ulli incognitum, probasse sufficiat his Tullii verbis: *Quid concordiæ templum, libertatis, et victoriæ, quarum omnium rerum, quia vis erat tanta, ut sine deo regi non posset, ipsa res deorum nomen obtinuit* (*Cic., lib.* II *de Natur. deor., pag.* 223, *fin.* 5.). De illa vero ejusque effigie Claudianus hos fecit versus:

> Ipsa duci sacras Victoria panderet ædes.
> O palma viridi gaudens, et amicta tropæis,
> Custos Imperii virgo, quæ sola mederis
> Vulneribus, nullumque doces sentire laborem.
> (*Claudian. lib.* III, *de Laudib. Stilicon., v.* 204 *et seqq.*)

Effigies igitur illius fulgebat in tropæis, sive captis hostium spoliis, quæ summo stipiti, et in crucis figuram erecto, superposita, solebant solemni pompa deferri. Ethnici itaque Victoriam non solum in suo templo, sed in his etiam tropæis, adorantes, crucem quoque adorabant. Nam *tropæa victricia*, inquit Minutius Felix (*Minut. p.* 287), *non tantum* simplicis crucis, verum etiam affixi in ea hominis figuram imitantur.

Sed acrius adhuc urgentem Tertullianum subsequamur: *Religio Romanorum*, inquit, *tota castrensis signa venerutur, signa jurat, signa omnibus diis præponit. Omnes illi imaginum suggestus insignes monilia crucum sunt.* (*Tertullian. Apologet. cap.* 16, *p.* 367). Ita quidem in nostris codicibus manu exaratis, et editis antiquioribus. Verum Rigaltius ibi nomen *Roma-*

Digitized by Google

norum, nulla reddita ratione, sustulit. Suspicamur tamen eam fuisse, quia in libro *ad Nationes* eadem, sed omisso illo *Romanorum* nomine, his verbis repetit: *In victoriis et cruces colit castrensis religio, signa adorat, signa dejerat, signa ipsi Jovi præfert: sed ille imaginum suggestus, et totus auri cultus monilia crucum sunt* (*Idem, lib. I ad Nati., cap.* 12, *pag.* 579). At Rigaltius animadvertisse satis non videtur illud *Romanorum* nomen potuisse in hoc libro, ad omnes generatim nationes directo, prætermitti, non autem in Apologetico, qui ad omnes antistites ac imprimis romanos missus fuit. Mos autem militaria signa adorandi apud istos ita invaluerat, ut Artabanus Parthorum rex ad Caligulæ, inquit Suetonius, legatum veniens: *Aquilas et signa romana Cæsarumque imagines adoraverit* (*Sueton. l.* IV, *in Vit. Calig.*, § 14).

Cur autem religio castrensis vocetur, ac signa sua juraret, his intelligere est Senecæ verbis: Primum *militiæ vinculum est religio, et signorum amor, et deserendi nefas; tunc deinde facile cætera exiguntur, mandanturque ad jusjurandum adactis* (*Senec. epist.* 95, *pag.* 305). Primum itaque illud erat militum jusjurandum, quo se militiæ addicebant, de quo plura Schelius in suis ad Polybium notis (*Schelius, cap.* 1 *de sacramen.*), Brissonnius (*Brisson. init. lib.* IV. *de Formul.*), Justus Lipsius (*Lips. l. I de Milit. roman., dialog.* 6., *pag.* 26), et alii. At præter hoc sacramentum milites etiam sua per signa jurabant. Nam Lucanus centurionem Cæsari per ea jurantem sic induxit:

> . . . Per signa decem felicia castris,
> Perque tuos juro quocumque ex hoste triumphos.
> (*Lucan. lib.* II, *v.* 278.)

Nec mirum sane; quandoquidem (*Lucan. lib.* II, *v.* 370) signa sua et aquilas putabant, ut ex Cornelio Tacito discimus, *propria legionum* esse *numina* (*Tacit. lib.* II *Annal. post init. pag.* 20). Alibi vero de Antonio seditionem compescente: *Mox conversus*, inquit, *ad signa et bellorum deos*, hostium *potius exercitibus illum furorem, illam discordiam injicerent, orabat, donec fatisceret seditio* (*Idem, lib.* III *Histor. post init. p.* 180). At clarius certe Dionysius Halicarnasseus: Σημεῖα τιμιώτατα Ῥωμαίοις ταῦτα ἐπὶ στρατείας καὶ ὥσπερ ἱδρύματα θεῶν ἱερὰ νομίζονται. *Nihil in romana militia signis habetur venerabilius, nec minus sacra judicantur, quam deorum simulacra.* (*Dionys. Halic. lib.* VI *Antiquit. roman., pag.* 375).

Quapropter adjecit Tertullianus, *signa omnibus diis præponit* (*Tertullian Apologet. cap.* 16, *pag.* 368), videlicet castrensis illa religio; quia milites ea, quemadmodum vexilla, majori cultu quam alios omnes deos suos venerabantur. Non deerit fortasse qui existimet his verbis Tertullianum significasse signa militaria in exercitu et acie ante deorum simulacra et imagines ab antesignanis fuisse adsportata; sed prior sensus dictis illius ac menti magis congruere videtur. In alio enim libro dixit: *Signa ipsi Jovi*, et si deorum suorum maximo, *præfert* (*Idem, lib.* I *ad Nat., cap.* 12, *pag.* 579).

Atqui *omnes illi imaginum*, inquit, *suggestus insignes monilia crucum sunt.* Nos autem ibi quidam monitos esse voluerunt in nonnullis manuscriptis legi *in signis* non *insignes*, nec prorsus quidem absurde. De militum quippe signis ibidem agitur. Verum quia in longe pluribus meliorisque notæ exemplaribus habetur *insignes*, hanc lectionem explodere non audemus. Nihil vero ad hujus potius, quam alterius lectionis confirmationem erui potest ex libro *ad Nationes*, ubi hoc nomen Tertullianus prætermisit, hæcque verba subjunxit: *Ille imaginum suggestus et totius auri cultus monilia crucum sunt* (*Ibid.*). Nonnulli quidem opinantur nomen *suggestus* ibi accipi pro vestitu et ornamento; sed id probare debuissent. Quid enim si sumatur pro ipso actu suggerendi, seu subtus gerendi hasce imagines, quæ pendebant ex altiori hastæ, sive ligni oblongi parte, et crucum monilia et ornamenta erant; quia ab illis supra se positis velabantur et decorabantur. Cæterum de his omnibus jam disputavimus in nostra de Minutii Felicis Octavio dissertatione (*Dissert. in Minut., cap.* 12, *art.* 4), ubi adhuc ostendimus *hominem*, sicuti tandem Auctor noster ait, *manibus expansis*, præ se ferre crucis imaginem (*Tertull. lib. I ad Nat., cap.* 12, *pag.* 578).

Sed aliquem audire nobis videmur, qui objiciet infirmam omnino esse hanc Tertulliani argumentationem. Gentiles enim, inquiet, deorum suorum simulacra, signa, tropæa, victorias, ac quælibet ejusmodi alia adorantes, nihil plane cogitabant de crucibus, quæ illis erant supposita, aut eas velabant. Verum animadvertere is debet haud Tertulliani, aliorumque religionis christianæ defensorum argumentationem, illa niti ethnicorum opinione, qua deorum suorum simulacra et signa veros deos esse arbitrabantur. Ea igitur tota, et omnes illorum partes, quarum præcipuæ cruces erant, reipsa adorabant. Non enim existimabant ex simulacri tantum forma, habitu et qualitate, sed ex ejus etiam materia factum esse deum, quem solebant totum, omnibusque suis partibus compositum venerari. Dicendum ergo tam cruces velis et monilibus signorum militarium supposita, quam alias eorumdem signorum partes, de quibus fortasse tum nihil expresse cogitabant, ab iis religioso cultu honoratas.

CAPUT XXI.

De læsæ majestatis humanæ criminibus, quorum reos agere Christianos ethnici perperam conabuntur.

ARTICULUS PRIMUS.

Quam evidenter Tertullianus ostendat Christianos læsæ majestatis humanæ immerito accusari, qui toto mentis affectu non falsos deos, sed verum et omnipotentem Deum orabant pro salute imperatoris, illiusque prosperitate, et diuturnitate romani imperii, quod Tertullianus et alii plures cum toto mundo finem accepturum opinabantur.

Omnia hactenus exposuimus, atque explanavimus argumenta, quibus Tertullianus luculentissime de-

Digitized by Google

monstrat Christianos falsc omnino et impudentissime ab ethnicis læsæ incusari divinæ majestatis, cujus illi ipsimet accusatores multis nominibus rei prorsus erant. Jam itaque examinandum est quibus ille rationum momentis, similique modo ostendat ethnicos læsæ humanæ majestatis esse revera conscios, tametsi summa adhuc temeritate Christianos hujus criminis insimulare non vererentur. Nam ut ejus verbis utamur : *Ventum est ad secundum titulum læsæ augustioris majestatis* (*Tertullian. Apologet, cap.* 28, *p.* 436), videlicet imperatorum. Augustior autem eorum majestas idcirco vocatur, quia gentiles imperatoris viventis longe magis, quam Jovis, aliorumque mortuorum deorum majestatem, ut paulo post dicemus, lædere reformidabant. At Christiani imperatorem debita reverentia colentes, pro illius salute, non mortuos fictitiosque deos precabantur, sed verum vivumque Deum, a quo iidem imperatores supremam et secundam ab illo potestatem, lucis usuram, et quidquid ipsi erant, reipsa acceperant (*Ibid., cap.* 30, *p.* 441).

Ab hoc enim solo omnipotenteque Deo quotidianis Christiani precibus efflagitabant *vitam* eorumdem imperatorum, uti ait Tertullianus, *prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, quietum, et quæcumque hominis et Cæsaris vota sunt* (*Ibid.*); hoc est, quæcumque imperatores pro privata sua vita, et imperiali dignitate poterant secundum æquitatis et justitiæ leges optare. Nec minus asseveranter hoc prædicarunt alii eximii christianæ religionis defensores ; Θεὸν μὲν μόνον, inquiebat Justinus martyr, προσκυνοῦμεν, ὑμῖν δὲ πρὸς τὰ ἄλλα χαίροντες ὑπηρετοῦμεν, βασιλεῖς καὶ ἄρχοντας ἀνθρώπων ὁμολογοῦντες, καὶ εὐχομένοι μετὰ τῆς βασιλικῆς δυνάμεως, καὶ σώφρονα τὸν λογισμὸν ἔχοντας εὑρεθῆναι. *Solum Deum adoramus, et vobis in rebus aliis inservimus, imperatores ac principes hominum esse profitentes, et simul precantes, ut cum imperiali potestate sanam mentem obtinere comperiamini* (*Justin. Apolog. ad Anton. pag.* 64). Athenagoras vero in fine suæ pro Christianis legationis palam declarat eosdem Christianos Deum precatos esse pro Augusti imperio, utque illud magis ac magis augeatur, omnia illi eveniant ex animi sententia, ac filius ejus et hæres in ejus succedat locum (*Athenag., Legat. pro Christian., p.* 40). Sed hæc quæ omnibus satis nota sunt, fusius prosequi nihil necesse est. Manifestum quoque omnibus fecimus (*Supr., c.* 14, *art.* 3) quam sincero mentis affectu, quam innocente anima, quam humili et abjecto corporis motu hæc fusis et privatis, et publicis precibus ab omnipotente Deo suo impetrare niterentur. Quamobrem nihil amplius adjiciemus, nisi quod ille ad Scapulam ethnicum præsidem scripsit : *Colimus et imperatorem sic, quomodo et nobis licet, et ipsi expedit, ut hominem a Deo, secundum.... Itaque sacrificamus pro salute imperatoris, sed Deo nostro et ipsius, sed quomodo præcepit Deus, pura prece. Non enim eget Deus, conditor universitatis, odoris aut sanguinis alicujus. Hæc enim dæmoniorum pabula sunt* (*Tertull., lib. ad Scapul. cap.* 2).

Nec respondere poterant ethnici falsa esse ac mendacia hæc Christianorum pro salute imperatoris vota, aut fallaces illorum preces, qui ne debitos cruciatus experirentur, eas ore tenus fundebant. Nam hac futili responsione ethnici, uti ait Tertullianus, concedebant Christianos Deo suo pro salute imperatorum preces revera fudisse (*Idem, Apologet., cap.* 31, *pag.* 446). Quis autem unquam probaverit illas non ex intimo cordis sensu, sed ore tantum profectas? At sinceras omnino fuisse hinc ille plane convincit, quod in sacris, quas ethnicis ipsis non esse incognitas ostendimus, nostris Scripturis præcipiatur singulis et omnibus Christianis : *Ad redundantiam*, inquit, *benegnitatis, etiam pro inimicis Deum orare, et persecutoribus suis bona precari* (*Ibid.*). Quis autem non videt his verbis ab illo designari illud Christi præceptum : *Audistis quia dictum est : Diliges proximum tuum et odio habebis inimicum tuum; ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos* (*Matth. c.* V, *v.* 43 *et seqq*). Christus enim his verbis jubet ut Christiani inimicos suos non amplius, sicut Judæi, odio habeant, sed *ad redundantiam benignitatis* christianæ illos diligant, illis benefaciant, pro persequentibus et calumniantibus intimo sinceroque cordis affectu Deum precentur.

At *qui magis*, pergit ille, inimici et persecutores Christianorum, *quam* imperatores, *de quorum* læsa majestate convenimur *in crimen*, id est accusamur (*Tertull., loc. cit.*)? Alibi vero nec semel hoc verbo utitur (*Ibid., c.* 35, *p.* 454). Superius quippe dixerat, *sacrilegii et majestatis rei convenimur*. Infra autem : De secunda, post Deum scilicet, majestate, *in secundum sacrilegium convenimur*. Quod jurisconsultorum est verbum, quo idem significatur, atque in jus vocari. Lata igitur a Christo lege Christiani tenebantur pro imperatoribus, quantumlibet inimicis, ac persecutoribus suis, illorumque salute Deo supplicare.

Quid vero, quod Christiani alia adhuc data ab Apostolo lege, Deum rogare debebant *nominatim pro regibus et pro principibus, et potestatibus, ut omnia tranquilla sint* (*Ibid. cap.* 31, *pag.* 446). Paucis autem ibi verbis, ac tacito ejusdem Pauli nomine, ea complectitur, quæ ab illo ad Timotheum sic scripta, et a nobis jam citata sunt (*Supr., cap.* 12, *art.* 1). *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt ; ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate* (*Paul. Epist.* I *ad Timoth., cap.* II, v. 1 *et seq.*)

Non sola autem Scripturæ sacræ auctoritate, et lata Christianis lege, id probat Tertullianus; sed hac etiam ratione, contra quam nemo sane ne mutire quidem poterat : *Cum concutitur*, inquit, *imperium, concussis etiam cæteris membris ejus, utique et nos, licet extranei a turbis æstimemur, in aliquo loco casus invenimur* (*Tertullian. Apologet. loc. cit.*). At ibi contra codicum nostrorum et editorum fidem in Rigaltii editione sublatum est verbum *æstimemur*. Qua autem

Digitized by Google

an oscitantia typographorum, vel Rigaltii propria auctoritate, sicuti nescimus, ita certe nulli dubitamus, illud recte ab Auctore nostro additum. Prius namque uti vidimus, asseruit Christianos cum ethnicis ubique in rebus publicis omnibus fuisse permixtos. Verumtamen æstimabantur *extranei* a turbis gentilium, quia ab eorum mysteriis, et superstitioso cultu omnino erant alieni. Cætera cum ethnicis vivebant, atque idcirco concusso imperio et ipsos concuti necesse erat. Pro imperii igitur tranquillitate, et incolumitate imperatorum, Deum æquo totoque animo non solum privatim, sed in suis etiam, quemadmodum superius observavimus, synaxibus publice precabantur (*Supr., cap.* 15, *art.* 1).

Quid vero, quod major necessitas, si Tertulliano credimus, flagitabat ut Christiani has preces ex animo funderent (*Tertullian. Apologet., cap.* 32, *pag.* 447). Per eorum quippe animos opinio pervaserat proxime futurum mundi finem variis portentis tum prænuntiari: sed eum tamen, sicut jam observavimus (*Supr., cap.* 15, *art.* 1), non antea destruendum, quam Romanum imperium everteretur. Rogabant igitur pro hujus diuturnitate, et ut retardaretur mundi finis, quem experiri nolebant. At quamvis illa Christianorum opinio, ut supra vidimus (*Dissertat. in Lactant., cap.* 29, *art.* 1 *et seqq*), vera non sit, non inde tamen minus certo conficitur illos sinceris precibus a Deo expoposcisse et salutem imperatorum, et tranquillam imperii eorum diuturnitatem.

ARTICULUS II.

Christianos immerito læsæ majestatis humanæ accusari, quia nolebant pro imperatoris salute sacrificare diis gentilium, aut eos precari, qui nec sua templa, nec se ipsos tutari poterant, nec imperatoris dare aut conservare salutem, sed solus Deus omnipotens, a quo Christiani poterant eam suis impetrare precibus.

Tot rationum momentis satis demonstratum est Christianos, qui toto animo Deum pro imperatorum salute quotidie orabant, læsæ eorum majestatis non esse reos. Quod ergo contra opponere poterant gentiles, nisi imbecillia prorsus argumenta, absurdasque cavillationes, quæ ruunt se ipsis et funditus concidunt? Ne quid tamen, sicuti Tertullianus noster, intactum relinquamus, ea examinanda sunt, ut manifestius cuilibet fiat quanta iniquitate iidem Christiani suam propter religionem vexarentur, atque opprimerentur.

Objiciebant itaque ethnici illos læsæ majestatis humanæ convinci, quia pro imperatorum salute falsis illorum diis sacrificare vel eos precari pertinaciter recusabant. Sed quibusnam, ait Tertullianus, ita sacrificandum est (*Tertullian. Apologet. cap.* 29, *p.* 438). Nonne iis, qui possunt salutem cuilibet homini, atque etiam imperatoribus impertiri? Atqui eorumdem ethnicorum dii, neque imperatoribus neque ulli homini illam conferre possunt. Nam hi dii vel dæmones sunt, atque ut superius dictum, pessimi spiritus, perditi ac damnati, vel potius mortui homines, quemadmodum ethnici propria conscientia compertum habebant, et nos infra ostendemus. Christiani igitur a neutris salutem imperatorum nec poterant sperare, nec petere debebant.

Quo enim modo falsi illi dii eam dare poterant, qui nunquam potuerunt aut se ipsos, aut sua templa et simulacra a furibus, aut temporum injuriis tutari? Quapropter ad ea servanda indigebant militum, uti ait Auctor noster, excubiis, id est, diurna nocturnaque illorum custodia. Tertulliano autem plane suffragatur auctor epistolæ ad Diognetum, hæc ethnicis jure ac merito sic exprobrantem, Τοὺς μὲν λιθίνους καὶ ὀστρακίνους σέβοντες ἀφυλάκτους, τοὺς δὲ ἀργυρέους καὶ χρυσοῦς ἐγκλείοντες ταῖς νυξὶ, καὶ ταῖς ἡμέραις φύλακας παρακαθίσαντες ἵνα μὴ κλαπῶσιν: *Deos lapideos quidem, et testaceos veneramini, custodibus carentes; argenteos autem et aureos includitis noctu, ac interdiu custodes apponitis, ne furto auferantur* (*Epist. ad Diog. post init. pag.* 495). Recte ergo Tertullianus hasce excubias christiano militi vetitas esse sic pronuntiat: *Excubabit pro templis quibus renuntiavit, et cœnabit illic ubi apostolo non placet, et quos interdiu exorcismis fugavit*, nimirum dæmones et gentilium deos, *noctibus defensabit incumbens et requiescens super pilum* (*Tertullian. de Coron. cap.* 11). Aliæ editiones *super luncho*, sive lancea, *qua perfossum est latus Christi*. Cernis profecto qua ethnici ratione pro diis suis excubarent vigilarentque. Sed hi custodes, quantumlibet vigiles, impedire non potuerunt quominus illorum templa et simulacra spoliata, rapta, ac plurimis ludibrio despectuique fuerint. Verumtamen gentiles persuasum utique habebant hæc simulacra ipsosmet deos suos esse, aut eorum certe domicilium, sedem et habitationem. Plura autem de iis alibi annotavimus (*Dissertat. in Arnob. cap.* 20, *art.* 5, *et in Lactant., cap.* 35, *art.* 5) et adhuc infra dicemus.

Fac tamen, si velis, gentiles non credidisse hæc simulacra esse deos, sed iis tantum repræsentari, quid inde proficies? Constat enim hos ipsos met gentilium deos, quicumque fuerint, ad nutum arbitriumque pependisse imperatoris. Et id quidem multi, ut superius ostendimus, experti sunt. Quin etiam plures *dii*, sicuti aiebat Tertullianus, *habuerunt Cæsarem iratum* (*Tertullian. Apologet. cap*, 29, *pag.* 439), qui videlicet non solum illorum fana et statuas ædificari, sed ipsos pro diis haberi prohibuerat. Nihil autem absurdius, quam a diis imperatori subjectis salutem illius petere, qui suam potius ab illo, quam hic ab illis poterat obtinere. Quapropter Tertullianus eosdem ethnicos his compellat verbis: *Sed vos irreligiosi, qui eam salutem quæritis ubi non est; petitis a quibus dari non potest* (*Ibid. p.* 440). Ita quidem in nostris codicibus, et editionibus antiquis. At Rigaltius contra illorum omnium auctoritatem scribi jussit, *religiosi*, haud dubie quia putabat illos ibi religiosos ironice appellari. Sed licetne hanc ob conjecturam auctoritate propria textum auctoris immutare, atque tum maxime quando utriusque lectionis idem est sensus?

Rursus autem ille demonstrat Christianos magis, quam gentiles, de imperatoris sui salute esse sollici-

Digitized by Google

tos (*Ibid., cap.* 33, *pag.* 448), utpote qui exploratum habebant illum a vero Deo suo fuisse electum. Etenim *inde*, inquit, *potestas illi, unde spiritus et vita* (*Ibid., cap.* 30, *p.* 442). At illud non tantum naturali lumine agnoverat, sed a divino spiritu afflatis nostris scriptoribus (*Idem, lib.* I *de Præscript. c.* 2). Reges namque ipsos Salomon, in Sapientiæ, sicut ille ait, libro sic alloquitur : *Data est a Domino potestas vobis, et virtus ab altissimo* (*Sapient., cap.* VI, 4). Paulus vero ad Romanos scripsit : *Non est potestas, nisi a Deo, quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt* (*ad Rom., cap.* XIII). Tertullianus igitur jure sane merito hinc concludit : *Noster est magis Cæsar, a nostro Deo constitutus* (*Tertullian. Apologet. cap.* 33, *p.* 448), quam ulli gentilium dii, qui nullum cæsarem aut imperatorem facere unquam potuerunt. Plus igitur ad imperatoris salutem confert Christianus Deum suum, a quo ille institutus est, rogando, quam ethnicus orando commentitios deos suos, qui nec imperatori, nec ulli homini possunt vel minimum quidem beneficium tribuere.

ARTICULUS III.

Quam frustra gentiles objicerent Christianos læsæ majestatis humanæ esse reos, quia per imperatoris genium jurare recusabant, sed jurabant tamen per illius salutem, quamvis alia prorsus quam gentiles ratione.

Instabant ethnici Christianos cæsareanæ majestatis reos ideo redargui, quia per eorum genios jurare detrectabant, vel sicuti Auctor noster alibi loquitur : *Irreligiosi dicimur in Cæsares, neque imagines eorum propitiando, neque genios dejerando* (*Tertull. lib.* I *ad Nati., cap.* 17, *p.* 583). Ethnici autem genium, teste Festo (*Fest. lib.* XX, *de Signific. verb. ad v.* Genius), appellabant non modo uniuscujusque loci Deum, sed eum etiam, qui vim obtinebat rerum omnium gerendarum ; ibique in opinionis suæ confirmationem refert hæc Aufustii verba : *Genius est deorum filius, et parens hominum, ex quo homines gignuntur, et propterea genius meus nominatur, quia me genuit.* Servius vero alicubi observat genium ab antiquis vocari naturalem deum uniuscujusque loci, vel rei, vel hominis ; et alibi, manes a Virgilio appellari genios, quos cum vita omnes sortiuntur (*Serv. in lib.* I *Georg. pag.* 85, *et in lib.* VI *Æneid., pag.* 410). Varro quoque, ab Augustino citatus (*August., lib.* VII *de Civit., cap.* 13, *pag.* 172), dixerat genium esse deum, *qui præpositus, ac vim habet rerum omnium gignendarum.* Plura autem de geniis Lipsius (*Lips., lib.* I *Physiolog. cap.* 19, *pag.* 554 *et seqq., tom.* IV), Natalis Comes (*Nat. Com. lib.* IV *Mythol., cap.* 5), Vossius (*Voss. lib.* I *Orig. et progr. idolol., cap.* 18), et alii, nosque in superioribus nostris dissertationibus.

Quæ vero ibi leviter attigimus, satis superque demonstrant ethnicos persuasum habuisse genium imperatoris esse singularem illius deum, a quo ipsum genitum ac regi arbitrabantur. Non mirum itaque si per eum jurarent, ac Christianos jurare renuentes læsæ accusarent majestatis.

Verum hi ad impium hoc jusjurandum, modo blanditiis, modo minis ac cruciatibus sæpissime ab ethnicis provocati, dare illud nunquam voluerant. Cupisne id tibi aliquo exemplo comprobari? Præsto adest Eusebius, qui semel et iterum narrat sanctissimum martyrem Polycarpum a proconsule lacessitum fuisse, ut per Cæsaris genium juraret : Ὄμοσον, inquiebat, τὴν Καίσαρος τύχην (*Euseb., lib.* IV *Eccles. Histor., cap.* 15, *pag.* 152). At non aliud, pergit Eusebius, ab eo proconsul, nisi hoc accepit responsum : Fingis te ignorare me esse christianum, cui jusjurandum illud plane penitusque prohibetur. Nos quidem non fugit græco nomine τύχη significari fortunam, sed ea Cæsaris fortuna ibi designatur, quam ethnici ab illius genio gubernari existimabant. At de hoc ethnicorum, et negato a Christianis jurejurando in superiori de Minutii Octavio dissertatione disputavimus (*Dissert. in Minut. Octav., cap.* 12, *art.* 3).

Christiani itaque detestabantur omne jusjurandum per imperatorum genios, quandoquidem hi aut nulli, aut dæmones erant, iisdem subjecti Christianis, qui illos Christi nomine adjuratos de obsessorum corporibus ejiciebant (*Tertullian., Apologet., cap.* 32). Fas ergo illis non erat per eos jurare, in quos summam habebant potestatem. Præterea ethnici per genium Cæsaris jurantes frequentissime pejerabant. Perduelles enimvero ac perjuri frangere solebant datum hoc sacramento Cæsari fidem (*Idem., lib.* I *ad Nati. cap.* 17, *pag.* 583). Ecquis ergo læsæ majestatis conscius? num is qui impio jurejurando aut infami perjurio tenetur ; an alius, qui iniquissimum illud jusjurandum dare constanter recusat (*Supr. cap. art.*)?

Christiani ergo hoc respuentes, eo minus læsæ majestatis humanæ rei erant, quo libentius jurabant per imperatoris salutem, *quæ augustior est*, inquit Auctor noster, omnibus geniis, quemadmodum paulo ante exposuimus (*Ibid.*). Testem vero hujus jurisjurandi habemus Athanasium, qui ad Constantium imperatorem de Syriano haud dubie christiano hæc scripsit : Μαρτυρόμενος τὴν σὴν σωτηρίαν, *tuam contestatus salutem* (*Athanas. Apol. ad Const. pag.* 310, *tom.* I), pollicitus est se nihil conturbaturum amplius, sed longe majori solemnitate rem ad ejus delaturum religionem. In carthaginensi autem Collatione Marcellinus comes eodem sacramento sese his verbis obstrinxit : *Sive cum alio, sive solus in hoc negotio judicaturus interero, nihil aliud me, nisi quod allegationes partium examinatæ potuerint demonstrare, et quod veri invenerit fides, per admirabile mysterium Trinitatis, per incarnationis dominicæ sacramentum, et per salutem supra memoratorum principum*, Honorii et Theodosii, *judicaturum me esse promitto* (*Collat. Carthag. post. Optat. lib. pag.* 481). Vides sane quanti momenti sit hoc sacramentum, quod duobus aliis, quibus nihil sacratius esse poterat, in celebri episcoporum cœtu conjungitur. Plura autem hujus jurisjurandi sive in publicis, sive in privatis rebus, et imperatorum legibus confirmati, exempla omnibus satis obvia sæpius occurrunt (*Cod. Theodos. leg.* VIII *de pact. et transact.*). Nihil itaque a nobis adjiciendum, nisi antiquis-

Digitized by Google

simum esse dandi hujus sacramenti morem. In sacris siquidem Scripturis (*Genes., cap.* XLII, 15, 16), Joseph Patriarcha per salutem Pharaonis bis jurasse narratur. Nos tamen Basilius monitos esse voluit illud etiamsi quamdam præ se ferat jurisjurandi speciem, non proprie dictum esse jusjurandum, sed aliquod potius remedium, quo res aliqua possit auditoribus facilius persuaderi (*Basil. homil. in psal.* XIV, 2). At Tertullianus aperte pronuntiat ideo Christianos jurasse per salutem imperatoris, quia *salvum*, inquit, *volumus esse, quod Deus voluit, et pro magno id juramento habemus* (*Tertullian. Apologet.*, *c.* 32, *p.* 447). Intelligis igitur quantum inter Christianos et ethnicos, sic jurantes, erat discrimen. Christiani quippe hac publica jurisjurandi religione affirmabant sincero se animo imperatoris, qui a Deo ipsis præpositus erat, optare ac petere salutem. Ethnici vero impia adulatione imperatorem, quem mortuum optabant, contestabantur esse Deum, et veræ divinitatis participem. Tam nefariæ autem assentationis testis profecto, et conscius fuit Horatius, qui ad Cæsarem Augustum, uti alibi annotavimus (*Dissertat. in Minut.*, *cap.* 12, *art.* 3), hæc scripsit carmina :

> Præsenti tibi maturos largimur honores,
> Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.
> (*Horat. lib.* I, *epist.* 1, *v.* 15 *et* 16.)

ARTICULUS IV.

Christianos perperam ab ethnicis læsæ majestatis humanæ idcirco insimulari, quod imperatores vocare deos nollent : ipsum imperatorem suæ infirmitatis admonitum fuisse in maxima triumphi gloria : recusatum ab Augusto Cæsare dei ac domini cognomen : imperatores a Christianis dominos voce communi appellatos : nefas gentilibus fuisse imperatorem ante mortem et apotheosim deum dicere.

Nulla certe major erat perversitas, quam gentilium, qui Christianis dicam læsæ majestatis idcirco scribebant, quod imperatores deos vocare, aut divinis afficere honoribus plane recusarent. Nam ut scite Tertullianus arguit : *Negat illum* imperatorem, *qui deum dicit. Nisi homo, non est imperator* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 33, *p.* 449). Inficiari enim quis potest, ex patre ac matre homine genitum imperatorem, esse non posse Deum, qui æternus sit omnino oportet ? Christiani ergo, qui fœdissimam ethnicorum, imperatores suos deos appellantium, adulationem merito detestabantur, non poterant læsæ majestatis humanæ hanc ob caussam ab ullo postulari.

Quin etiam Tertullianus celeberrimo triumphantis imperatoris exemplo ethnicos, qui illum vocare deum consueverant, turpissimi mendacii apertissime convincit. Etenim in hoc summo humanæ gloriæ apice, sive ut ille loquitur, *in* triumphi *sui sublimissimo curru*, infirmitatis suæ, *admonetur. Suggeritur enim ei a tergo : Respice post te, hominem te memento* (*Ibid.*). Tacet autem quis fuerit ille, qui hæc suggerebat ; haud dubie quia tunc tam cunctis notus erat, quam paucis hodie cognitus. At is Tzetze vocatur famulus, servus, A et minister publicus. De triumphali enimvero curru, illoque monitore hæc cecinit :

> Καὶ πῶς ἐπὶ τοῦ ἅρματος δημόσιος ὑπάρχῃ,
> Ὅταν θέσιν τοῦτον ἵστατει τὸν στέφανον ἀνέχων,
> Καὶ λέγων τοῦτῳ πρός τε οὖς· καὶ τὸ κατόπιν βλέπε

> Et quomodo in curru publicus minister,
> Pone hunc stat, coronam sustinens,
> Et dicens huic in aurem, *et quid a tergo est, respice.*
> (*Tzetz. chiliad.* 13, § 461.)

Plinius vero illum appellat invidiæ et gloriæ medicum : *Currus*, inquit, *triumphantium sub his pendens, defendit medicus invidiæ ; jubetque eosdem respicere similis medicina linguæ, ne sit exorata a tergo fortuna, gloriæ carnifex* (*Plin., lib.* XXVIII *natur. Hist.*, *c.* 4. *p.* 570). At si sanus et integer sit hic Plinii locus, ibi significat invidiam, quam triumphantes facere B aliis solebant, aut vanæ gloriæ vitium, quo fascinari poterant, sanari *medicina linguæ* adstantis servi, qui triumphantem humanæ suæ conditionis admonebat. Nam idem Plinius alibi aperte dixit coronam triumphantis a servo sustineri (*Ibid.*, *lib.* XXXIII, *cap.* 1).

Verum quia priori loco *fortuna* vocatur *gloriæ carnifex*, hinc fortasse Isidorus in animum induxit monitorem illum non servum fuisse, sed carnificem : Triumphantes a *carnifice*, inquit, *contingebantur, ut ad tantum fastigium evecti, mediocritatis humanæ commonerentur* (*Isidor.*, *lib.* XVIII *Origin.*, *cap.* 2, *p.* 156). Sed melius procul dubio ab Hieronymo simpliciter nuncupatur *comes*, qui medias inter populorum acclamationes in aurem triumphanti memorata a Tertulliano verba suggerebat. Ad Paulam quippe C scripsit : *Triumphantibus in curru retro comes adhærebat, per singulas acclamationes civium dicens : Hominem te memento* (*Hieronym.*, *epist.* 22, *ad Paul.*). Atqui si imperator in tanta triumphi pompa debebat humanitatis suæ reminisci, quanto magis per totum vitæ suæ cursum. Non poterant ergo Christiani ullum imperatorem vocare Deum ; quando quidem, ut recte ait Tertullianus, nesciebant mentiri, aut illum deridere non audebant (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 33, *p.* 449).

Instat adhuc : *Augustus*, tametsi romani *imperii*, jam a Julio Cæsare fundati, *formator, ne dominum quidem*, multo minus deum, *dici se volebat* (*Ibid.*, *c.* 34, *p.* 450). Testem vero hujusce moderationis si desideres, Suetonium advocabimus, qui hæc de D eodem Augusto memoriæ prodidit : *Domini appellationem, ut maledictum et opprobrium semper, exhorruit. Cum, spectante eo ludos, pronuntiatum esset in mimo : O Dominum æquum et bonum ! et universi, quasi de ipso dictum exsultantes comprobassent, et statim manu vultuque indecoras saltationes repressit, et in sequenti die gravissimo corripuit edicto, dominumque se post hæc appellari, ne a liberis quidem, aut nepotibus suis vel serio vel joco passus est, atque hujusmodi blanditias etiam inter ipsos prohibuit* (*Sueton. in Vit. August.*, § 53).

Sed contra insurget aliquis, nobisque alium citabit testem Cornelium Tacitum, qui litteris quoque mandavit varios post ejusdem Augusti mortem sparsos fuisse rumores, atque ab illo *nihil deorum honori-*

Digitized by Google

bus relictum, cum se templis, et effigie numinum per flamines et sacerdotes coli voluit (*Cornel. Tacit., lib.* I *de Annal. post init.*). Verum huic utique responderi potest aliis Suetonii verbis : *Templa quamvis sciret etiam proconsulibus decerni solere, in nulla tamen provincia, nisi communi suo Romæque nomine recepit. Nam in urbe quidem pertinacissime abstinuit hoc honore* (*Sueton. in Vita August.*, § 52). Itaque etiamsi id, de quo postea agendum, ille passus sit ; non minus tamen constat rejectam ab ipso domini appellationem, quam ejus successores avidissime corripuerunt. Nam Plinius Secundus, quamvis ethnicus, in suo ad Trajanum imperatorem Panegyrico palam asseruit elapsum esse tempus, quo imperatori, tanquam deo et numini, adulatores ignavi blandiebantur : *Non enim de tyranno*, inquit, *sed de cive, non de domino, sed de parente loquimur* (*Plin., Panegyr. Trajan., init.*). Christiani igitur potiori jure nolebant imperatorem vocare deum ; quia, sicut ait Auctor noster, *hoc solius veri Dei est cognomen* (*Tertullian., Apologet., cap.* 34, *p.* 449), quemadmodum alibi animadvertimus (*Dissertat. in Lactant., cap.* 12, *art.* 1).

Quia vero jam longo usu receptum erat, ut domini nomen imperatoribus aliisque tribueretur, hinc Tertullianus : *Dicam plane*, inquit, *imperatorem dominum, sed voce communi, quando non cogor ut dominum, Dei vice, dicam* (*Tertull. ibid.*). Sed Rigaltius hæc duo verba, *voce communi*, abstulit, tum quia acceperat ea in codice Fuldensi non haberi ; tum quia notam, ut ipsi videtur, sapiunt de margine excerptam. At illa verba in omnibus nostris et aliis, sive editis, sive manuscriptis exemplaribus occurrunt. Nullus autem dubitandi locus est, quin plures antiquitate sua Fuldensem superent. Quomodo igitur ex margine in textum illa intrudi potuerunt ? Nonne etiam optimum sensum, et Auctoris proposito convenientem efficiunt ? Imperatorem, inquit, appello dominum, quando non cogor hoc nomine illum tanquam Deum agnoscere, sed quando nomen illud profero *voce communi*, seu vulgari significatu, quo filius patrem, herum servus, aliique alios homines vocare solent. Quam communis autem ac popularis esset hæc appellatio, vel ex solo Martiale disces :

E serva scis te genitum, blandeque fateris,
Cum dicis dominum, Sosibiane, patrem.

Alibi vero :

Cum voco te dominum, noli tibi, Cinna, placere,
Sæpe etiam servum sic resaluto meum.
(*Martial. lib.* I, *epigram.* 82.)

Sed hæc trita, omnibusque passim obvia, fusius probare prorsus tæderet. Eo igitur sensu vulgari et communi imperatorem, pergit Auctor noster, appello Dominum, sed *cæterum liber sum illi*, nec illius servus. Nam *Dominus meus*, inquit, *unus est Deus, omnipotens, et æternus, idem qui et ipsius* imperatoris Dominus, et cui proinde tam ille, quam cæteri homines servire debent (*Tertullian. Apologet., cap* 34, *pag.* 449).

Patris porro nomen Auctor noster longe gratius A esse fatetur, quam domini ; quia hoc potestatis, illud pietatis nomen est. Quapropter hanc ille ex jam dictis elicit conclusionem : *Tanto abest ut imperator deus debeat dici, quod credi non potest, non modo turpissima, sed et perniciosa adulatione, sed tanquam si habens imperatorem, alterum appelles* (*Ibid.*). Verum hæc verba, *quod credi non potest*, inutilia haud dubie visa sunt Rigaltio, qui illa contra omnium codicum, sive editorum sive ineditorum, fidem excidit. Siccine igitur fas illi fuit sua auctoritate ex Tertulliani textu ea omnia amputare quæ superflua sibi videbantur ? Nonne hic est illius sensus : imperator pater patriæ esse debet, at hoc nomen longe gratius est, quam domini. Imperatorem ergo Deum, *quod* eum esse *credi non potest*, dicere non debes. Nam B hac turpissima et perniciosa adulatione significas te alterum habere imperatorem, qui Deus non sit, sed homo, qui tibi homini imperet.

Denique si gentiles legibus moribusque suis stetissent, fas illis non erat ullum imperatorem vocare deum, nisi post ejus mortem, et apotheosim, sive in deos senatusconsulto, ut supra vidimus, relationem. Etenim *maledictum est*, ait Tertullianus, *ante apotheosim deum Cæsarem nuncupare* (*Ibid.*). Solemnem vero hujus apotheosis pompam præter cæteros accurate descripsit Herodianus, nosque prius admonet in Romanorum more positum ut imperatores a successoribus suis consecrarentur, atque ita declararentur inter deos relati (*Herodian. Histor. sui tempor. p.* 540). Antea igitur fas nulli erat illos vocare deos. C Quocirca Cornelius Tacitus decimo quinto Annalium suorum libro finem his verbis imponit : *Deum honor principi non ante habetur, quam agere inter mortales desierit* (*Tacit. lib.* XV *Annal. in fin.*). Recte ergo Tertullianus alio in libro : *Sed non dicimus*, inquit, *deum imperatorem. Super hoc enim, quod vulgo aiunt, sannam facitis. Imo qui deum Cæsarem dicitis, et deridetis dicendo quod non est, et male dicitis, quia non vult esse quod dicitis ; mavult enim vivere, quam deus fieri* (*Tertul. lib.* I *ad Nati. cap.* 18, *p.* 583). Quia enim post suam tantum mortem deus esse poterat, malebat utique vivere, quam vitam ponere, ac postea fieri deus, sive potius hoc mendaci prorsus titulo decorari. Christiani ergo læsæ majestatis humanæ rei, vel publici hostes summa sine injustitia dici ideo D non poterant, quod nollent imperatorem appellare Deum. Nam hæc appellatio illi soli competit, qui non homo, sed æternus et immortalis est.

CAPUT XXII.

Christianos nec publicos esse hostes, nec factiosos, sed gentiles, qui illos horum criminum accusabant.

ARTICULUS PRIMUS.

Publicos hostes non esse Christianos, qui allatas sibi ab ethnicis injurias nunquam ulcisci voluerunt, tametsi id facillime possint, vel civitate clam incensa, vel indicto palam bello ; vel se ab iisdem ethnicis, quorum minor erat numerus, separando ; vel dæmones ab obsessorum corporibus non ejiciendo.

Quanta temeritate ethnici Christianos læsæ majes-

Digitized by Google

tatis humanæ reos esse effutiebant, tanta profecto impudentia illos publicos, ac totius humani generis hostes esse criminabantur. Nihil quippe hac calumnia putidius fingi unquam potuit. Divina siquidem lege (*Matth.*, *c.* V, *v.* 39 ; *Luc.*, *cap.* I, *v.* 28) prohibitum illis erat ulli *male*, uti ait Tertullianus (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 36 *et seqq. pag.* 460, *et lib.* I *ad Nation. cap.* 17, *p.* 583), *velle*, *male facere*, *male dicere*, *male cogitare de quoquam*, *et lædenti vicem referre*. At his præceptis accuratissime obsequebantur, quemadmodum patet ex his, quæ de sanctissimis illorum moribus antea diximus (*Supra*, *cap.* 12, *art.* 1 *et seqq.*). Non ergo publici, imo ne ullius quidem hominis, multo minus imperatoris, et totius generis humani hostes erant. Et certe quamvis omni contumeliarum tormentorumque genere ab imperatoribus aliisque ethnicis excarnificarentur ; inter plurimos tamen, de quibus paulo post agendum, qui contra eosdem imperatores, et rempublicam conjuraverant, nullus unquam ex illis inventus est.

Neque tamen illud eorumdem Christianorum aut infirmitati, aut impotentiæ erat adscribendum. Poterant enim factas sibi a gentilibus injurias non solum clam ac tectis cuniculis, sed palam et aperto marte ulcisci. Et occulte quidem : *quando vel una nox*, sicuti ait Tertullianus, *pauculis faculis largiter ultionis posset operari* (*Tertullian. Apologet. cap.* 37, *pag.* 462); id est, poterant per obscuræ noctis silentia paucissimis faculis, minimoque pretio emptis, urbes incendere. Verum *absit*, pergit ille, *ut aut igni humano vindicetur divina secta, aut doleat pati in quo probetur* (*Ibid.*), sive ut ipse ad Scapulam scribebat : *Absit ut indigne feramus ea nos pati, quæ optamus, ut ultionem a nobis aliquam machinemur, quam a Deo exspectamus* (*Idem*, *lib. ad Scapul. cap.* 2). Tres igitur affert rationes, propter quas Christiani offensas suas, sicut promptum illis erat, clam vindicare noluerint. Primo quidem, quia *divina* est illorum *secta*, cujus legibus, ultionem prohibentibus, non obedire nefas putabant. Secundo, illam ultionem exspectabant ab omnipotente Deo suo, æquissimo scelerum vindice. Tertio, omnes cruciatus, sibi ab ethnicis inflictos, libentissime patiebantur, quia noverant iis se non lædi, sed probari utrum æterna digni essent mercede.

Solis itaque his rationibus, non autem ulla infirmitate vel impotentia, a sumenda de ethnicis hostibus suis ultione abstinebant. Nihil enim illis magis facile expeditumque erat. Nam superius ostendimus (*Supr.*, *cap.* 22, *art.* 1) illos omnia totius terrarum orbis loca, exceptis solis falsorum deorum templis, implevisse, ac longe majorem illorum, quam gentilium fuisse numerum. Quid ergo prohibere eos poterat, quominus indicto bello, ethnicos vincerent, victosque meritis adficerent suppliciis (*Tertullian. Apologet. cap.* 37, *pag.* 462)? Fac tamen, si velis, illos et numero et copiis fuisse illis impares, numquid idcirco ad bellum gerendum, et hostes vincendos minus idonei erant? Nonne fatebantur ethnici mortem ab illis non timeri (*Ibid.*)? At certe quanto minus eam verebantur, tanto acrius quolibet incerto belli eventu depugnassent, sicque potuissent debitas de hostibus suis pœnas repetere. Verum religione sua obstricti, illud nunquam, sive armati, sive inermes, tentare voluerunt.

Nullo præterea ad vindictam bello nullaque vi opus habebant (*Ibid. p.* 463). Ad eam namque sufficiebat illorum ab ethnicis divortium et secessio. Hi quippe tunc solitudine sua obstupefacti, plures habuissent hostes, quam cives, ac quibus imperarent, certe paucissimos: *Nunc enim*, ait Tertullianus, *pauciores hostes habetis præ multitudine Christianorum (pene omnium civium; pene omnes cives Christianos habendos; et hostes maluistis vocare generis humani potius quam erroris humani)* (*Ibid.*). Ita quidem in nostris codicibus manuscriptis, et editis Rigaltio antiquioribus, nisi quod in quibusdam ex illis legitur *habendo* pro *habendos*, atque hæc ultima verba, *potius quam erroris humani*, resecata sunt. Sed Rigaltius audacior ea omnia amputavit, quæ uncinis includi jussimus. Tantæ tamen amputationis ne unum quidem verbum fecit. Numquid ergo arbitratus est rationem illius cunctis notam esse, quia paulo post Tertullianus dixit : *Hostes judicare maluistis, qui sumus plane non generis humani tamen, sed potius erroris* (*Ibid.*). Sed numquid auctori nunquam licuit iisdem verbis eamdem ex duobus argumentis deductam inferre conclusionem? Tertullianus autem concludit gentiles maluisse Christianos judicari non quidem erroris, sed humani generis hostes, quia non satis animadverterant illos primo quidem ab eis secedendo; secundo autem, dæmones, ut mox dicetur, non ejiciendo, plures ipsis hostes quam cives futuros. De industria vero cives dixit, quia communem cum illis, ut vidimus, vitam agendo, eorum cives erant.

At nobis aliquis forsitan objiciet totam hanc Tertulliani argumentationem niti intolerabili multitudinis Christianorum exaggeratione. Sed ab hoc petimus quid Tertulliano prodesse poterat intempestiva hyperbole? Ethnicos siquidem ibi compellat, quibus ignotus non erat numerus Christianorum, et qui illi cito citius mendacii convicto fidem aliis in omnibus derogassent. Deinde vero superius ostendimus (*Supr.*, *cap.* 12, *art.* 1) quam hæc vera sint, quæ ille de ingenti Christianorum numero tam diserte et ibi et alibi tradidit.

Alia demum ratione demonstrat quam facile Christiani ulcisci se poterant. Penes ipsos, inquit, solos erat potestas dæmones ex obsessis, sicut antea vidimus (*Supr.*, *cap.* 8, *art.* 6), ethnicorum corporibus ejiciendi (*Tertullian.*, *Apologet. cap.* 37, *pag.* 463). Atqui si illos non exegissent: *Suffecisset hoc solum*, ipsamet ejus verba sunt, *nostræ ultioni ; quod vacua exinde possessio immundis spiritibus pateret* (*Tertullian.*, *loc. cit.*). Ibi autem Rigaltius serio nos admonet se ab aliis accepisse in codice Fuldensi, pro *pateret*, scriptum *pateretis*. Miraberis procul dubio summam illius diligentiam, qui hanc diversam tam levis momenti lectionem aliorum testimonio annotat, et su-

Digitized by Google

periorem aliasque longe majoris momenti, tametsi omnium codicum auctoritate munitas, penitus omisit. At illud verbum *pateretis* Tertulliani, inquit, stylum sapit. Numquid vero aliæ omnes, quas prætermisit, lectiones illius stylum minus sapiunt? Nemo sane, nec ipse Rigaltius, id serio affirmare audebit. Ad hæc vero, vulgata cunctorum, solo Fuldensi excepto, librorum lectio, non minus Tertullianea est, eumdemque sensum hunc efficit: Nisi Christiani fugarent dæmones, corpora gentilium tamquam vacua possessio istis ad libitum pateret.

Quid autem hoc adhuc sese ulciscendi modo promptius et expeditius? Verum ab omni vindicta illi sic abhorrebant, ut dæmones ex hostium suorum gentilium corporibus expellere mallent, quam hos non expellendo, de illis non bene mereri. Ingratissimi ergo erant gentiles, qui tantum, ait Tertullianus, præsidium flocci facientes, clamitabant Christianos, sibi adeo necessarios, esse publicos generis humani hostes (*Ibid.*).

ARTICULUS II.

Quam absurde ethnici objicerent Christianos esse publicos hostes, quia imperatorum solemnia non sicut illi celebrabant focos et toros educendo in publicum, epulando vicatim, tabernæ habitu abolefaciendo civitatem, vino lutum cogendo, cursitando caterватim ad injurias, ad impudentias, illecebrasque voluptatis, ac domus suæ non secus ac novi lupanaris postibus lauros lucernasque affigendo.

Cum Christiani ab omni vindicta prorsus abhorrerent, et de omnibus bene mererentur, quo dementi, inquies, furore ethnici illos hostes publicos esse tam audacter vociferabantur? Nulla sane, nisi plane absurda ratione, uti ex his intelliges Tertulliani verbis: *Propterea publici hostes Christiani, quia imperatoribus neque vanos, neque mentientes, neque temerarios honores dicant, quia veræ religionis hominis etiam solemnia eorum conscientia potius, quam lasciviâ celebrant* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 35, *pag.* 452). Totum igitur grande illud Christianorum scelus erat, quod imperatorum solemnia suo tantum pio ac sancto, non corruptissimo gentilium ritu agebant.

Quæ autem fuerint ea solemnia si quis primum scire aveat, is meminisse debet hæc ab ipso Auctore nostro appellari *solemnes dies Principium*, ac *vota et gaudia Cæsarum* (*Ibid.*), quæ solebant variis temporibus celebrari. Nam singulis annis *post calendas januarias die tertio*, sicuti ait Caius, *pro salute principum vota suscipiuntur* (*Digest.*, *lib.* L, *tit.* 16, *leg.* 233.); vel quemadmodum ipse Tertullianus scripsit, *incipiente anno, incipiente mense* (*Tertull. ad Uxor. cap.* 6). Præterea agebantur quotannis natali, sive ipso die quo creati fuerant imperatores, ac potissimum quinto, decimo, quintodecimo, et vigesimo abhinc anno. Quæ quidem festa quinquennalia, decennalia, quindecennalia, et vicennalia vocabantur. De his autem nos aliquid perstrinximus alia in dissertatione (*Dissertat. in Luc. Cæcil.*, *cap.* 11, *art.* 3). A ubi Pagium (*Pagius in dissert. Hypat. part.* 2, *cap.* 2), et alios, qui plura de his disputant, citatos invenies.

Tum autem illis in solemniis ethnici fictos deos suos precabantur pro imperatorum civiumque salute, pro æternitate imperii, florentique illius statu, sicuti a Plinio (*Plin. Secun. epist.* 36, 37, 101, 106, *et Panegyr. Trajan. post med.*), Brissonio (*Brisson. lib.* II *de Formul. pag.* 110) aliisque observatum est. Christiani itaque, qui verum et unicum colebant Deum, nec poterant alios quam veros, et sacris religionis suæ legibus præscriptos, honores imperatoribus deferre, celebrabant quidem eorum solemnia non eadem utique, qua ethnici, lascivia, sed *conscientia*, ait Tertullianus (*Tertull. Apologet.*, *cap.* 35, *pag.* 452), id est, vero sinceroque mentis adfectu, B prout noverant a Deo postulari. Quamobrem ille alibi: *Quod attinet ad honores regum et imperatorum, satis præscriptum habemus in omni obsequio nos esse oportere secundum Apostoli præceptum subditos magistratibus, et principibus, et potestatibus, sed intra limites disciplinæ, quousque ab idololatria separamur* (*Idem, lib. de Idololat.*, *cap.* 15).

Fatetur itaque solemnia imperatorum a Christianis celebrata fuisse secundum hanc Apostoli legem, ac fusis ad Deum intimo cordis adfectu, ut supra vidimus, pro imperatore et imperio precibus; non autem gentilium more, quem uti ipse eos adloquendo ait, *nec modestia, nec verecundia, nec pudicitia permittunt* (*sed occasio voluptatis magis, quam digna ratio persuasit*) *fidem, et veritatem vestram demonstrare* (*Idem, Apologet. cap.* 35, *pag.* 454). Quæ in hoc textu uncinis inclusa vides, ea omnia contra codicum editorum et ineditorum fidem, Rigaltius ejusque sequaces penitus sustulerunt. Nullam tamen hujus amputationis rationem ab eis datam reperies, nisi suo silentio hæc ab imperito quodam scriptore adjecta sibi videri significare voluerint. Sed quis illis ita tacentibus fidem habebit? Genuina enimvero Tertulliani verba esse evidenter probat communis codicum omnium consensus. Præterea totum illius ingenium, et loquendi modus in eis satis deprehenduntur. Sensus autem ejus est: Christiani et imperatorum, ac reipublicæ hostes proclamantur, quia eorumdem imperatorum solemnia non agunt gentilium more, quem nec modestia, nec verecundia, nec pudicitia illis permittunt; ac quæ iisdem gentilibus celebrare persuasit occasio voluptatis potius, quam digna ratio, qua suam erga imperatores, *fidem et veritatem* demonstrent. Palam itaque adseverat in his solemnibus festis nullam fuisse ethnicorum fidem et veritatem. Nam falsissima tum vota faciebant pro salute imperatorum, quos cito, et sæpius, ut in sequentibus articulis videbimus, mori optabant.

Tres quoque virtutes, modestiam, verecundiam, pudicitiam tunc pessumdatas fuisse merito conqueritur. Quid enim his virtutibus magis contrarium, quam magnifica et splendida, non quidem occulte, privatisque in domibus, sed palam ac publicis in plateis agere convivia, quæ epulantium tumulentia,

Digitized by Google

ebrietate, impudicitia, lascivia, libidine aliisque flagitiis contaminabantur? Sed ipsummet, si lubet, Tertullianum audiamus: *Grande*, inquit, ethnicorum illa principum solemnia agentium, *videlicet officium focos et toros in publicum educere* (*Ibid.*). In antiquioribus editionibus legitur *choros*, sed melius haud dubie *toros*. Nam ibi ille loquitur de publicis conviviis, quibus ethnici ad mensam accumbebant. Quamobrem paulo post adjecit: *Quam cultissimis et superbissimis toris forum sibi dividebant* (*Ibid.*). Tanta igitur magnificentia tantoque numero lectos sternebant in foro, ut illud inter se divisisse et implevisse viderentur.

Sed quia forum, tantum quantum esset, omnibus non sufficiebat, alii *vicatim* (*Ibid.*), hoc est, in civitatis cujuslibet vicis, publicisque viis, et compitis epulabantur. Expende itaque, obsecro, utrum ad hunc morem nonnihil conducant hæc Ciceronis verba, quibus palam renuntiat Apronium *imperasse ut in foro sibi medio lecti sternerentur: quotidie solitum esse non modo in publico, sed de publico convivari, cum in eis symphonia caneret, maximisque poculis ministraretur* (*Cicer. lib.* III, *in Verr., pag.* 136, *lin.* 43). Memoriæ etiam Cornelius Tacitus alicubi prodidit Neroni imperatori, *nihil usquam perinde lætum sibi, publicis locis struere convivia, totaque urbe quasi domo uti* (*Tacit., lib.* XV *Annal. ante med., pag.* 127) ethnici vero his festis principum diebus omnia sibi licere arbitrati, tum solebant non solum tota urbe quasi domo uti, sed *civitatem*, inquit Tertullianus, *tabernæ habitu abolefacere* (*Tertullian. Apologet., cap.* 35, *pag.* 452); ita ut tota civitas tabernæ ac cauponæ speciem haberet. Non desunt autem, qui in hunc locum explicationis ergo hos adducunt Martialis versus:

Tonsor, caupo, coquus, lanius sua limina servant;
Nunc Roma est, nuper magna taberna fuit.
(*Martial. lib.* VII, *epigram.* 60.)

Sed alii censent tabernæ nomen ibi a Martiale sumi non quidem pro caupona, sed mercatu, vel loco ubi merces venumdari solebant. At quoquo modo accipiatur, constat tantam fuisse gentilium in his publicis conviviis intemperantiam, impudentiam et lasciviam, ut cibis sese non solum ingurgitarent, sed *vino*, ut ait Auctor noster, per medias civitatis vias effuso, terræque immisto *lutum cogerent* (*Tertullian., Apologet., cap.* 35, *p.* 452). Tum autem videre erat temulentos ebriosque homines, *catervatim cursitare ad injurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras* vel sicut postea loquitur (*Ibid., cap.* 39, *p.* 477), *in catervas cæsionum*, qui alios verberibus et flagris cædebant, *in classes discursationum*, sive hominum, qui bacchantium more per totam discurrebant urbem. Quanta porro in hisce publicis conviviis fuerit intemperantia, ex his conjice, quæ de privatis scripsit Seneca: *Vides*, inquit, *hos eosdem e lectis suis spectantes popinam suam, aures vocum sono, spectaculis oculos, saporibus, palatum suum delectantes. Mollibus lenibusque fomentis totum lacessitur eorum corpus; et ne nares interim cessent, odoribus variis inficitur locus ipse, in quo luxuriæ parentatur* (*Senec., lib. de Vit. beat, cap.* 11, *pag.* 624). Nam si talia erant privata illorum convivia, quanto magis publica in honorem imperatorum acta, quibus omnia etiam atrociora, et turpiora sibi licita esse credebant.

Jure ergo merito Christiani hæc homine, cui pudoris veræque religionis vel quid minimum reliqui fuerit, indigna prorsus detestabantur. Casti itaque, et sobrii festos solemnesque illos Cæsarum dies agitabant. Procul igitur a corruptis gentilium moribus remoti, *non laureis*, inquit Auctor noster, *postes obumbramus, nec lucernis diem infringimus* (*Tertullian., Apologet., cap.* 35, *p.* 451). Nam occulti perduelles, ut suum adversus imperatorem odium et simultatem securius tegerent, tunc *recentissimis, et ramosissimis laureis postes præstruebant, elatissimis et clarissimis lucernis vestibula nebulabant* (*Ibid.*). Cur autem hoc ultimo verbo utatur, intelligi potest his Persii de Herode versibus:

Herodis venere dies cunctaque fenestra,
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.
(*Pers. satir.* 5, *sub fin.*)

De iisdem autem lucernis et lauro, quibus domorum postes ornabantur, hæc sunt Juvenalis carmina:

Cuncta nitent, longos erexit janua lauros,
Et matutinis operatur festa lucernis.
(*Juvenal. satir.* 12, *v.* 96 *et seqq.*)

Cur ergo Christiani has superstitiones penitus reprobarent, hanc Tertullianus reddit rationem: *Accendunt quotidie lucernas, quibus lux nulla est*, nimirum veræ religionis: *affigunt postibus lauros postmodum arsuras, quibus ignes imminent: illis competunt et testimonia tenebrarum et auspicia pœnarum* (*Tertullian., lib. de Idololat., cap.* 15), ignis videlicet æterni, quo impii homines post hanc vitam puniendi sunt. Tum deinde Christianum sic alloquitur: *Si templis renuntiasti, ne feceris templum*, falsi scilicet dei alicujus, *januam tuam* (*Ibid.*). De Jovis siquidem templo cecinit Ovidius:

Cur tamen apposita velatur janua lauro,
Cingit et augustas arbor opaca domos?
An quia perpetuos meruit domus ista triumphos?
Aut quia Leucadio semper amata deo?
Ipsane quod festa est? an quod facit omnia festa?
Quam tribuit terris pacis an ista nota est?
(*Ovid. lib.* III *Trist., eleg.* 1, *v.* 41 *et seqq.*)

Ad rejiciendum itaque profanum hunc ritum sola hæc ratio Christianis sufficiebat. Sed aliam adhuc Tertullianus suggerit: *Si lupanaribus renuntiasti, ne indueris domui tuæ faciem novi lupanaris* (*Tertullian., lib. de Idololat., loc. cit.*). Nam infamis hujus domus januis solebant non solum lauri, sed lucernæ etiam appendi. Unde hæc apud Propertium januæ querimonia:

Non ego nocturnis potorum saucia rixis,
Pulsata indignis sæpe queror manibus:
Et mihi non desunt turpes pendere corollæ,
Semper et exclusis signa jacere faces.
(*Propert. lib.* I, *eleg.* 16.)

Suam itaque uxorem Tertullianus serio admonet

Digitized by Google

fas nec illi nec ulli christianæ esse, ut *omnibus solemnibus regum procedat de janua laureata et lucernata, ut de novo consistorio libidinum publicarum* (*Tertull., lib.* I *ad Uxor., cap.* 6). Quamobrem in suo Apologetico recte concludit neque honestum esse neque licitum : *Solemnitate publica exigente, induere domui tuæ habitum alicujus novi lupanaris* (*Idem, Apolog., cap.* 35, *pag.* 451).

Neminem porro sanæ mentis hominem esse putamus, qui ex hactenus dictis non intelligat quosdam heterodoxos homines hoc Auctoris testimonio plane penitusque abuti, qui inde inferunt vetitum esse iisdem Christianis in suis ecclesiis usum cereorum et luminum. Non de his enimvero, de quibus nos supra (*cap.* 15, *art.* 4, *et Dissert. in Lactant., cap.* 25, art. 2), sed de aliis cereis et luminibus profano gentilique ritu adhiberi solitis ibi disputat. At sane inde manifestissime colligitur Christianos nec reipublicæ, nec imperatorum hostes esse publicos, propterea quod horum solemnia pio suo, sed non illo gentilium prorsus damnando ac detastabili more celebrabant.

ARTICULUS III.

Ostenditur ethnicos fuisse revera publicos hostes imperatoris, quem palam vexabant dicteriis, ac conviciis, quorum testis erat Tiberis, et schola bestiarum; et qui novi ac novi Cæsaris scenam semper optabant, ac tum etiam cum ei acclamarent : De nostris annis augeat tibi Jupiter annos.

Satis Tertullianus non habuit ipsa luce clarius demonstrasse Christianos non esse publicos aut imperatoris aut reipublicæ hostes : sed palam ac perspicue ostendit ipsosmet gentiles in hoc ipso genere offendisse, in quo alios plane immerito reprehendebant. Neque alienos quidem, vel longe remotos testes advocat : sed *ipsos*, inquit, *Quirites*, Romanos, *ipsam vernaculam septem collium*, hoc est, urbis Romæ *plebem convenio, an alicui Cæsari parcat lingua romana* (*Tertullian. Apologet., cap.* 35, *p.* 454), id est, parcat dicteriis, sannis, conviciis et contumeliis, quibus imperatores suos insectabantur. Tantarum enimvero *contumeliarum*, ait ille, *testis est Tiberis et schola bestiarum*(*Ibid.*). Sed quodnam, rogabit aliquis, potuit esse istud Tiberis fluvii testimonium? Respondent nonnulli eo nomine designari nautas ripam hujus fluvii incolentes, feros procacesque homines, qui penuriæ tempore, et deficiente frumento, solebant in ipsum Cæsarem petulantissima lingua invehi. Verum hæc explicatio vix ulli probabitur, nec menti Tertulliani videtur convenire. Alii opinantur Tiberis nomine denotari pontem, vel locum quemdam, ex quo maledici et obtrectatores projiciebantur in Tiberim; sed id forsitan non melius. Nobis itaque facilius persuadebis Tertullianum alludere ad statuas quasdam, in publicis Romæ locis, et in Tiberis ripa positas, ad quas mordaces hujuscemodi libelli affigebantur. Alibi siquidem ipse Tertullianus : *Vanitatis*, ait, *sacrilegia conveniam, et ipsius vernaculæ gentis irreverentiam recognoscam, et festivos libellos, quos statuæ sciunt, et illa obliqua nonnunquam dicta a concilio, atque maledicta quæ circi sonant : si non armis, lingua semper rebelles estis* (*Idem, lib.* I *ad Nati., cap.* 17, *p.* 583). Nonne enim ibi aliis verbis illa duo indicat, quæ ab eo *Tiberis et schola bestiarum* in Apologetico vocantur? Festivi quippe libelli in imperatoris contumeliam appendebantur statuis, quæ in publicis locis, Tiberi procul dubio vicinis, collocatæ fuerant. Atque hinc Tiberis horum festive et contumeliose dictorum testis dici potuit.

Ad bestiarum autem scholam quod spectat, non deerunt fortasse, qui putent eo nomine designari illarum caveam, in cujus janua inscribebantur illa facete et acute dicta, quibus imperatores pungebant. Quid tamen, si schola bestiarum, seu forte bestiariorum sumatur pro toto circo, de quo mox a Tertulliano dictum audivimus : *Maledicta circi sonant?* Vix enim alibi gentiles majore licentia, amarioribus dicteriis, ac magis scurrili dicacitate imperatores suos lædere consueverant. Visne id, quod satis tamen notum est, aliquibus exemplis probari? Audi hæc Suetonii de Augusto Cæsare, etsi optimo principe, verba : *Populus quondam universus ludorum die, et accepit in contumeliam ejus, et assensu maximo comprobavit versum in scena pronuntiatum de gallo Matris deum tympanizante* (*Sueton. in Vita August.*, § 68) :

Videsne ut cinædus orbem digito temperet.

Postea vero de Tiberio imperatore : *Urebant insuper anxiam mentem varia undique convicia, nullo non damnatorum omne probi genus coram, vel per libellos in orchestra positos ingerente* (*Idem, lib.* III, *in Vit. Tiberii*, § 66). Julius autem Capitolinus hæc de Vero imperatore narrat : *Circensium tantam curam habuit, ut frequenter provincialibus litteras caussa circensium et miserit et acceperit. Denique etiam præsens, et cum Marco sedens, multas a Venetianis est passus injurias, quod turpissime contra eos faceret* (*Jul. Capitol. in Vita Veri, pag.* 306). Sed hæc, quæ tam sæpe obtigerunt, fusius prosequi quid necesse est?

Urget Tertullianus : Si quæ cordis animique humani fenestra ad scrutandos sensus ejus intimos pateret, tunc certe agnosceremus quantis omnes votis optabant, *novi ac novi Cæsaris* scenam, hoc est, frequentem Cæsaris mortem, et electionem alterius *congiario dividendo præsidentis* (*Tertullian. Apologet., cap.* 35, *pag.* 455). Quidam autem legi vellent *præsiderantis*, sed levi conjectura, et contra codicum fidem. Tertullianus enim significat ethnicos semper optasse scenam novi Cæsaris, qui congiario sive muneri, plerumque pecuniario, plebi aut militibus dividendo præesset, aut se præsente dividi juberet. Mos quippe erat Cæsaribus recens electis, aut ut eligi possent, hujusmodi munera populo largiri. Plura autem hujus largitionis exempla apud romanæ historiæ scriptores passim reperire est. Si quis tamen aliqua desiderat, ex his pauca seligemus. Claudius postero die, quo ad imperium a militibus raptus, potius quam electus fuit, *armatos*, ait Suetonius, *pro con-*

Digitized by Google

cione jurare in nomen suum passus est, promisitque singulis quinadena sextertia, primus Cæsarum fidem militis etiam præmio pigneratus (*Sueton., in Vita Claudii*, § 10). Claudio autem mortuo, *illatus est castris Nero*, Cornelii Taciti verba sunt, *et congruentia tempori præfatus, promisso donativo ad exemplum paternæ largitionis, imperator consalutatur* (*Tacit. in fin. lib.* XII *Annal.*). Testatum vero Spartianus facit ab Adriano datum militibus duplicem ob imperii auspicia largitionem (*Spartian., in Vita Adriani post init.*), et Lampridius alias ab Macrino, cum Antoninum Diadumenum imperatorem renuntiavit (*Lamprid., init. Vitæ Anton. Diadum.*). Cui autem hæc satis non erunt, hic adeat Robertellum (*Robert., de Commod. præm., don. milit.*), Pancirolum (*Pancirol., in Notit. imper. Orient., cap.* 74), et alios. Gentiles igitur lucro semper ducti, ut donativum sæpius acciperent, regnantis Cæsaris mortem, ac novi, cito tamen morituri scenam optabant.

Urget adhuc Auctor noster eo tempore ipsaque hora hanc scenam, mortemque Cæsaris ab illis cupidius expetitam, cum ipsi acclamabant :

De nostris annis tibi Jupiter augeat annos ;

Sed in nostris codicibus et editis vetustioribus legimus, rupta metri forma : *De..... augeat tibi Jupiter annos* (*Tertull. Apologet., cap.* 35, *p.* 456). At quoquo modo legatur, ibi Tertullianus innuit simulatam planeque mendacem fuisse hanc acclamationem gentilium, qui tum Cæsaris mortem toto animo appetebant. Nec ullus ambigendi locus esse videtur, quin simili mendacio Ovidius Augusto Cæsari acclamaverit hoc carmine:

Augeat imperium nostri Ducis, augeat annos.
(*Ovid. lib.* I *Fastor., v.* 611.)

Verum si hæc gentilium acclamatio simulata plane fuit, constat sincerissimum fuisse illud Ambrosii pro Valentiniano imperatore, licet mortuo, votum : *Nec ego abnuo immatura obiisse ætate, quem nostræ vitæ temporibus fulcire cuperemus, ut de nostris annis viveret, qui fungi non potuit suis* (*Ambros., de Obit. Valent.*, § 43, *pag.* 1186). Nos vero olim observavimus ibi Ambrosium his verbis allusisse ad notatam a Tertulliano solemnem acclamandi formulam. Plures porro his similes, quibus longam Cæsarum vitam optare ethnici videbantur, sæpius legimus in eorum libris, qui vitas imperatorum Commodi, Pertinacis, Probi, Balbini, aliorumque scripserunt. Sed adire præterea poteris Brissonium (*Brisson., libr.* I, *de Formul. pag.* 95 *et seqq.*) et Bernardini Ferrarii primum de acclamationibus et plausu librum (*Ferrar., lib.* II, *de Acclam., cap.* 19, 20 *et seqq.*). Cæterum Tertullianus recte ex dictis colligit gentiles, qui hujusmodi vota de proxima imperatoris morte faciebant, reipsa fuisse et illius et reipublicæ hostes publicos, uti adhuc ex iis patebit, quæ in sequenti articulo dicenda sunt.

ARTICULUS IV.

Majores imperatorum hostes fuisse ethnicos proditores, Cassios, Nigros, Albinos, et alios, qui inter duas lauros Cæsarem obsederunt ; qui faucibus ejus exprimendis exercuerunt palæstricam ; qui irruperunt in palatium, omnibus Sigeriis atque Partheniis audaciores ; qui scelestarum partium socii ac plausores quotidie revelabantur ; ac tandem qui astrologos, aruspices, augures et magos de imperatorum capite consultabant, ac tam falsa pro eorum salute faciebant vota, quam sincera Christiani.

Si læsæ majestatis humanæ rei fuerunt gentiles, qui mortem cæsarum et imperatorum tam nefariis votis efflagitabant, longe gravius proculdubio in illos peccabant alii perduelles, atque ignavi proditores, qui vel ab eorum partibus defecerant, vel vita illis erepta tentarunt occupare tyrannidem. Ex illorum procul dubio numero fuerunt, memorati a Tertulliano (*Tertullian., Apologet., cap.* 33, *pag.* 457) *Cassii, et Nigri, et Albini*, id est, Cassius Clemens, Pescenninus Niger, et Albinus, qui moliti sunt in Severi imperatoris, ut supra vidimus (*Supr., cap.* 2, *art.* 1), imperium invadere. Publici ergo hostes erant, et læsæ majestatis humanæ rei.

Ejusdem quoque sceleris ii aperte convincuntur, *qui inter duas lauros*, Tertulliani adhuc verba sunt, *obsident Cæsarem, qui faucibus ejus exprimendis palæstricam exercent* (*Tertullian., loc. cit.*). Non obscure autem loqui videtur de Commodo imperatore, cujus vitæ non semel insidiæ instructæ sunt. Primo enim Pompeianus, sive ut alii volunt, Quadratus vitæ ejus insidiatus est, *in angusto quodam introitu*, sicuti in Dionis Epitome legitur (*Dion., Epit., pag.* 284), aut ut ait Ammianus Marcellinus, *in amphitheatri cavea* (*Marcell., libr.* XXIX, *pag.* 550), aut quemadmodum Herodianus tradidit, *in aditu amphitheatri, et obscuro loco* (*Herodian., lib.* I *Hist. pag.* 472). At si in hoc amphitheatri aditu plantatæ erant lauros, haud difficiliter intelligere est cur Commodus inter duas lauros obsessus dicatur. Verum quia id rigidioribus criticis facile non probatur, opinatus est Rigaltius his Auctoris nostri verbis designari lauretum variis (*Idem, ibid.*), teste Herodiano, arboribus ac pulchra copiosaque lauro obsitum, quo, dum pestis Romæ grassaretur, Commodus medicorum consilio secesserat. Non omnino forsitan inepte, nisi Herodianus dixisset non ibi, sed in amphitheatri aditu paratas fuisse eidem Commodo insidias. Quidam itaque suspicantur *laurus* nomine significari duo Commodi palatia, inter quæ insidiator eum aggressus est. *Laurus* quippe, uti observat Plinius, *janitrix erat Cæsarum* (*Plin., lib.* XV *Hist. natur., cap.* 30). Expende, quæso, quæ ex his tribus explicationibus tibi magis arrideat, ac te pronuntiantem libenter audiemus. Quæcumque porro illa sit, evidentissime inde conficietur hunc vitæ Cæsaris insidiatorem fuisse hostem publicum.

Facilius haud dubie explicari possunt hæc subsequentia Tertulliani verba : *Qui faucibus ejus exprimendis palæstricam exercent* (*Tertullian., Apologet., cap.* 35, *pag.* 457). Nam denuo structæ sunt eidem Commodo insidiæ, quibus *a Narcisso*, athleta, ut ait Xiphilinus (*Dion., Epit., pag.* 384 *et seqq.*), vel sicut

Digitized by Google

scribit Herodianus (*Herodian., Hist. lib.* I, *pag.* 486 *et seqq.*), *a Narcisso* audaci ac strenuo adolescente, sive quemadmodum narrat Aurelius Victor (*Aur. Vict., in Vita Commod.*), *validissimo athleta*, seu veluti Lampridius testificatur, *per athletam eum, quo exerceri solebat* (*Lamprid., in Vita Commod., pag.* 315), compressis faucibus strangulatus est.

Addit Tertullianus alios quoque ethnicos esse publicos hostes, reosque majestatis, *qui in palatium irrumpunt* (*Tertullian., Apologet., cap* 35, *pag.* 457), ii videlicet perduelles sicarii, a quibus crudeliter occisus est Pertinax imperator, quemadmodum Herodianus (*Herodian., lib.* II *Hist., pag.* 598), Capitolinus (*Capitol, in Vit. Pertin., p.* 318), ac Xiphilinus (*Dion., Epit., pag.* 390), litteris consignarunt. *At hi*, inquit, Auctor noster, *omnibus Sigeriis atque Partheniis audaciores* (*Tertullian., loc. cit.*), a quibus scilicet occisus fuit Domitianus imperator, sicut alibi ostendimus (*Dissertat ,in Luc. Cæcil., cap.* 6, *art.* 2). Quapropter nihil nobis superest observandum, nisi ea Tertulliani verba plane incorrupta non videri. In antiquioribus enim nostris codicibus habetur *tot Sigeriis*, in quibusdam editionibus, *Stephanis;* haud dubie, quia Suetonius (*Sueton., lib.* VIII, *in Vita Domitian.*, § 17), nulla Sigerii facta mentione, narrat Domitianum primo quidem sauciatum fuisse a Stephano, ac postea a Clodiano, Parthenio et Saturio interemptum. Sed dictu difficile, cur ibi omissum fuerit nomen Sigerii, cujus diserte meminit non modo Xiphilinus (*Xiphil., epit. Dion., pag.* 335), verum etiam Martialis duobus his carminibus :

> Et sacro decies repetis palatia clivo
> Sigeriosque modos, Partheniosque sonas.
> (*Martial. lib.* IV, *epigram.* 79.)

Valeat ergo Heraldi conjectura, qui primum quidem suspicatus est in Tertulliani textu legendum *Sergiis*, et melius, uti ipse ait, deinceps consultus, *Chæreis*, aut *Corneliis*. Nam his lectionibus adversatur nostrorum melioris notæ codicum confirmata Martialis aliorumque testimonio auctoritas.

Præterea Tertullianus asseverat illos etiam publicos hostes esse : *Qui nunc scelestarum partium socii aut plausores quotidie revelantur* (*Tertullian., Apologet., cap.* 35, *pag.* 458). Et certe jam a nobis supra (*Supr., cap.* 2, *art.* 2) annotatum est his verbis designari Albianæ factionis conscios fautoresque, qui in Severi imperatoris perniciem conjuraverant. Plenius quoque illud ibi enucleavimus; quod Auctor noster adjecit : *Eadem officia dependunt, et qui astrologos et aruspices, et augures, et magos de Cæsarum capite consultant* (*Tertullian., loc. cit.*). Cur enim eos tanta curiositate consulebant, nisi quia aut cogitabant de futura Cæsarum morte, quam certe cupiebant brevi tempore futuram. Nam continenter ille dixit : *Non ea mente de charis*, id est, consanguineis atque parentibus, *consulitur, qua de dominis* (*Tertullian., loc. cit. pag.* 459), quos sincere non diligimus. De primis siquidem *curiosa est*, ait ille, *sollicitudo sanguinis*, hoc est, illorum, quibus A sanguine conjuncti sumus, quos quidem cupimus esse incolumes : alia vero *servitutis*, cujus jugum, sublato domino, quilibet servus cito citius discutere exoptat. Tuum tamen ne induxeris in animum primam de propinquorum salute consultationem Tertulliano probari. Non aliud quippe significat, nisi posteriorem de Cæsarum interitu esse hac longe pejorem. Omnes enimvero magorum consultationes plane penitusque condemnat, utpote *ab Angelis*, inquit (*Ibid.*), *desertoribus*, ut supra vidimus, *proditas, et a Deo interdictas* (*Supr., art.* 5).

Quis porro non horreat immanem horum omnium perfidiam, qui *sub ipsa usque impietatis eruptione et sacra faciebant pro salute imperatoris.... ut vota propria jam ederent in aliena*, nimirum imperatoris, so- B *lemnitate, et exemplum atque imaginem spei suæ inaugurarent, nomen principis in corde mutantes* (*Tertullian., Apologet., c.* 35, *p.* 459), id est, ficta prorsus pro salute imperatoris, ac vera pro illius morte, et proxime ejus successore vota nuncupantes, illius nomen ore tenus, alterius autem intimo corde appellabant? Quid autem hac perfidia magis detestandum?

Mirari itaque satis non possumus temeritatem ethnicorum, qui cum tot exemplis hostes publici, et læsæ majestatis rei fuerint, hujusce criminis Christianos plane innocentes imprudentissime accusabant. Nullus enimvero inter tot perduelles hostesque publicos christianus unquam deprehensus est. Quocirca ad Scapulam Africæ præsidem hæc Tertullianus noster scripsit in verba : *Circa majestatem imperatoris infa-* C *mamur. tamen nunquam Albiniani, nec Nigriani, vel Cassiani invenri potuerunt christiani; sed iidem ipsi, qui per genios eorum*, sicut supra ostendimus, *in pridie usque juraverant, qui pro salute eorum hostias et facerant et voverant, qui Christianos sæpe damnaverant, hostes eorum sunt reperti. Christianus nullius est hostis, nedum imperatoris, quem sciens a Deo constitutum, necesse est ut et ipsum diligat, et revereatur, et honoret, et salvum velit cum toto romano imperio* (*Idem, lib. ad Scapul., cap.* 2). Sed hæc satis a nobis supra explanata sunt.

Tam vera itaque erant Christianorum pro imperatorum salute, quam falsa gentilium vota, ac tanto studio et honore imperatores colebant, quanto iidem ethnici odio eos prosequebantur. Etenim *pietas et re-* D *ligio et fides*, inquit Auctor noster, *imperatoribus debita, non in hujusmodi officiis consistit, quibus hostilitas magis ad velamentum sui potest fungi* (*Idem, Apologet., cap.* 36, *p.* 460), id est, quibus religio sub umbratili falsæ pietatis larva potest perfidum, hostilemque occultare animum. At pietas et religio residet *in iis moribus, quibus civilitas tam vere in imperatorem, quam circa omnes habet exhiberi.* Ita quidem ex Woveriano codice, et quibusdam recentioribus editionibus. In antiquioribus vero, et nostris codicibus manuscriptis legitur, iis *moribus, quibus divinitas imperat, tam vere, quam circa omnes*, etc.(*Ibid.*). Nonne autem tot vetustioris meliorisque notæ codicum auctoritas majoris, quam unius Woveriani, est pon-

Digitized by Google

deris ? Neque dixeris nomen *civilitas*, quo civium societas et concordia significatur, magis convenire Tertulliani proposito. De moribus enimvero loquitur a Deo imperatis, quibus religio et pietas in imperatorem omnesque alios exhiberi debet. Nam inde etiam evidentius demonstratur Christianos, qui Dei sui legibus non parere nefas ducebant, sincero animo imperatorem honoravisse, ac proinde nec hostes fuisse publicos, nec reos læsæ majestatis humanæ.

ARTICULUS V.

Quæ sint illicitæ factiones, ac quantum ab eis discrepet pia vivendi ratio Christianorum, qui immerito factiosi dicebantur, quia spectaculorum fugiebant voluptates, tamque licitas sectabantur, quam aliis prohibitis Epicurei et alii indulgebant.

Nullis unquam rationibus, etiam validissimis, sedari potuit implacabile gentilium in Christianos odium: sed magis magisque clamitabant illorum factionem, et imperatoribus et reipublicæ plane contrariam, evellendam esse radicitus. Non obscure autem Tertullianus innuit factionis nomen in bonam malamque partem accipi (*Tertullian., Apologet., cap.* 38, *p.* 464). Festus quoque, *Factio*, inquit, *et factiosus initio honesta vocabula erant. Unde etiam factiones histrionum et quadrigarum dicuntur. Modo autem nomine factionis seditio, et arma vocantur* (*Fest., de Signif. verb. cap.* 2, *ad v.* Factio). Circensium etiam factionum, quas ethnici malas esse non putabant, mentio sæpius facta est in Suetonii (*Sueton., lib.* V, *de Claud.*, § 5, *et lib.* VIII, *de Dom., cap.* 7), Cassiodori (*Cassiod., lib.* III *Variar., epist.* 41, *pag.* 56, *col.* 2), aliorumque libris, et diversis inscriptionibus.

Tertullianus itaque ethnicos gravissimis hisce verbis castigat : *Proinde nec paulo lenius inter licitas factiones sectam istam* Christianorum *deputari oportebat, a qua nihil tale committitur, quale de illicitis factionibus timeri solet* (*Tertullian., Apologet., cap.* 38, *p.* 464). Heraldus autem contra omnium, sive editorum, sive manuscriptorum codicum reclamationem legendum auguratur *illicitas*, non vero *licitas* factiones. Non enim aliud, inquit, sibi Tertullianus voluit, nisi leniorem videri quorumdam ethnicorum sententiam, qui existimabant Christianorum sectam legibus, contra factiones promulgatis, prohiberi; in hoc tamen illos errasse, quod hanc sectam in factionum illicitarum numero collocabant. Sed quid audeas contra unanimem codicum omnium consensum ? Quid vero, si transposita sit particula *nec*, aut referenda ad nomen *licitas*, ita ut sit hic Auctoris nostri sensus : Ethnici falsissime Christianos hostes publicos esse clamabant. Nec paulo lenius ii cum illis agebant, a quibus numero adscribebantur non licitarum factionum, quibuscum nihil habebant commune, et a quibus *nihil tale committitur, quale de illicitis factionibus timeri solet* (*Ibid.*).

Quo autem modo sectam Christianorum non esse illicitam probaverit, consideremus : *Prohibendarum*, ait, *factionum caussa de providentia constat modestiæ publicæ, ne civitas in partes scinderetur* (*Ibid.*). In antiquioribus editis legimus, *de providentia et modestia publica*. Sed non ita bene, quando quidem Auctor noster declarat prohibendarum factionum hanc caussam esse, ut modestiæ publicæ provideatur ac consulatur. Modestia vero a latino Oratore sic definitur : *Scientia earum rerum, quæ agentur aut dicentur, loco suo collocandarum. Itaque videtur eadem vis ordinis, et collocationis fore... Sicut modestia hæc, quam interpretamur, ut dixi, scientia sit opportunitatis idoneorum ad agendum temporum* (*Cicer., lib.* I *de Offic., pag.* 370, *lin.* 47 *et seqq*). Eo autem sensu nomen modestiæ sumptum videtur a Tertulliano nostro, qui idcirco malas factiones vetitas esse asseverat, ne turbato ordine rerum, loco et tempore agendarum aut dicendarum, civitas scindatur in partes. Nam ea divisio ac dissensio *inquietat*, uti loquitur, sive perturbat *comitia*, id est, generales omnium ordinum cœtus, et *concilia* (*Tertullian. Apologet., cap.* 38, *pag.* 464), hoc est, illorum partem congregatam. Lælius enim Felix ab Aulo Gellio citatus : *Is*, inquit, *qui non universum populum, sed partem aliquam adesse jubet, non comitia, non concilium adhibere jubet* (*Gell., lib.* XV *Noct. atti., cap.* 7, *pag.* 847). Turbat etiam *curias*, quibus olim sacerdotes, ut Varro observat (*Varr., lib.* IV *de Ling. latin., pag.* 51), res divinas, et senatus humanas curabant ; turbat *conciones*, sive publicas patronorum orationes, et ad eas audiendas hominum conventus ; denique turbat *spectacula*, circensium aliorumque ludorum publicorum, uti paulo antea dicebamus.

At ea omnia, pergit Tertullianus, tunc potissimum timenda erant, *cum jam et in quæstu habere cœpissent venalem et mercenariam violentiæ suæ operam* (*Tertullian. loc. cit.*), ad excitandas adversus imperatorem, quemadmodum animadvertimus, turbas atque seditiones. Contra illum quippe conjurati, alios perditos homines pretio ac mercede in partes trahebant suas.

Nihil autem tale, vel quid his minimum simile a Christianis timendum erat. Primo enim in publicis suis synaxibus nihil agebatur, nisi pium, et sanctum; atque ibi, sicut alibi, Deum toto corde orabant pro imperatoribus, tranquillo imperii statu, pro suis inimicis, ac cæteris omnibus. (*Ibid., cap.* 39, *pag.* 468). Quæ quidem omnia jam a nobis abunde demonstrata sunt (*Supr., cap.* 14, *art.* 3, *et cap.* 21, *art.* 1).

Secundo his ab omni ambitione, ac dignitatum, honorumque cupiditate prorsus abhorrentibus, sive ut Auctoris nostri verbis utamur, *nobis ab omni gloriæ et dignitatis ardore frigentibus nulla est necessitas cœtus* (*Tertullian. ibid.*), id est, ut memoratis ethnicorum cœtibus intersimus, ubi dignitates, magistratus, et honorum insignia cupidis ambitiosisque tribui solebant. Ad hæc vero, ab actibus publicis alieni, unam duntaxat agnoscimus omnium hominum rempublicam, videlicet mundum, quem tranquillum et pacatum optamus. In unam igitur partem non magis inclinati quam alteram, procul ab omni omnino turbulenta, seditiosa, et illicita factione absumus.

Præterea Christiani publica ethnicorum spectacula, quæ frequentissima factionum incitamenta erant,

Digitized by Google

plane penitusque fugiebant et detestabantur. Non aliam quippe illa habent originem, nisi de *superstitione*, uti ait, sive impio falsorum numinum cultu, sicut alio ipse in libro fusius et singulatim demonstrat. Recte ergo in Apologetico suo hanc inde elicit conclusionem : *Nihil est nobis dictu, visu, auditu, cum insania circi, cum impudicitia theatri, cum atrocitate arenæ, cum Xysti vanitate.* Atque ita in omnibus manuscriptis codicibus, et antiquis editionibus : sed a Rigaltio ejusque sequacibus hæc verba *dictu, visu, auditu,* sublata sunt, an recte, te judicem appello. Ea enim genuina et consultissime ab illo addita sunt, ut ostenderet hæc spectacula ideo a Christianis devitari, quia præter idololatriæ crimen nefas ducebant illicitas dictu, visu, et auditu capere voluptates (*Tertullian. loc. cit. et lib. de Spectac., cap.* 6 *et* 7 *et seqq.*) Quam autem istæ noxiæ ac pestiferæ essent, his disces ejus verbis, quibus illas alibi appellat : *Solemnes voluptates circi furentis, et caveæ sævientis, et scenæ lascivientis* (*Idem, lib.* I *advers. Marcion., cap.* 27). Alibi vero : *Perit, et fidelis elapsus in spectaculum quadrigarii furoris et gladiatorii cruoris, et scenicæ fœditatis, et xysticæ vanitatis* (*Idem, lib. de Pudicit., cap.* 7). Sed de his plura in libro de Spectaculis, nosque in hac et aliis dissertationibus nostris.

Objiciebant tamen gentiles vel eo ipso nomine prohibendam damnandamque Christianorum sectam, quod illi cæterorum hominum cœtus adspernarentur, ac publicorum spectaculorum oblectamenta, quibus imperatores, antiquioresque humanæ leges favebant, non secus ac pestem publicam devitarent. Sed his Tertullianus respondet:Esto tam licitæ, quam nefariæ, sint hæ voluptates : *Quo vos*, inquit, *offendimus, si alias præsumimus* sectamurque *voluptates?* Quid vero, *si oblectari novisse nolumus*, ac omne respuimus voluptatis genus? Certe *nostra injuria est, si forte non vestra* (*Idem, Apologet., cap.* 38, *pag.* 467), hoc est, nobis tantummodo damnum inferimus, nequaquam autem vobis, nisi forte et vestrum damnum sit tam nefariis vos totos dedere voluptatibus.

Neque urgeatis ea nos reprobare, *quæ placent vobis* (*Ibid.*). Non diffitemur enim, imo inde gloriamur. Sed quid vestra illud interest? Nonne etiam *nec vos nostra delectant?* Si ergo nostras licitas castasque delectationes repudiatis, cur vestras plane libidinosas, atque homine rationis compote prorsus indignas, rejicere nobis non licebit?

Prosequitur Tertullianus, illudque confirmat Epicureorum exemplo, quod his totidem codicum nostrorum verbis proponit : *Licuit Epicureis aliquam decernere voluptatis veritatem*, id est, animi æquitatem, *et ampla negotia christianæ* (*Ibid.*). Eadem quoque in antiquis editionibus habentur, si tamen excipias ultimum nomen *christianæ;* quod quidem librariorum accitantia adjectum nemo sane negaverit. Verum Rigaltius, uti supra monuimus (*cap.* 3, *art.* 1), hæc tantum retinuit : *Licuit epicureis aliquam decernere voluptatis veritatem*, eaque loco suo mota istis præposuit : *Quo vos offendimus.* Nos autem ibi monitos esse voluit se hanc emendationem ab iis collegisse, qui Fuldensem codicem viderant. Sed etsi res ita se habeat, numquid idcirco unius Fuldensis libri auctoritas cæteris omnibus, quorum plures longe vetustiores sunt, debuit anteferri? Nonne ea verba, si nomen *christianæ*, quemadmodum diximus, tanquam superfluum ademeris, Auctoris nostri proposito ac menti satis belle conveniunt?

Eum enimvero in modum argumentatur : Cur christianis non liceat, quam honestam existimant, sequi voluptatem, cum epicureis licuerit illam seligere, quæ præstat *animi æquitatem*, sive potius æquabilitatem et tranquillitatem, quæ nullo motu injucundo, nec amplis negotiis turbetur? Nam *summa*, inquiebat Cicero, *voluptas est, ut Epicuro placet, nihil dolere* (*Cicer., lib.* I *de Finib., pag.* 45, *lin.* 28), vel sicuti tradidit Theodoretus, ea voluptas, quæ omne curarum fastidiique genus ac proinde *ampla negotia* excludit (*Theodoret., serm.* 12 *de Vit. Beat., pag.* 675). Si autem hic ipse est Tertulliani sensus, in ejus textu scribi debet *nec*, non vero, *et ampla negotia*, nisi hoc nomine ea negotia intellexerit, quæ amplitudine sua nullam commovent animi perturbationem. De illa porro Epicuri sectatorumque ejus opinione alibi, nec semel disputavimus. Tertullianus porro ex his omnibus rationum momentis recte concludit Christianorum, qui illicitas gentilium voluptates repudiabant, sectam non esse factionem illicitam ac prohibendam, sed optimam sane et aliis omnibus præstantiorem. Contra vero factiosi plane et seditiosi erant gentiles, qui, ut articulis superioribus vidimus, imperatores suos scurrili dicacitate, conviciis ac contumeliis palam insequebantur, mortem eorum optabant, contra illos conspirabant, violentasque eis inferebant manus.

[CAPUT XXIII.

Christianos publicarum cladium non esse caussam.

ARTICULUS PRIMUS.

Quæ sint publicæ clades, quarum Christianos auctores esse tam sæpe quam falso ethnici conquerebantur, ac quomodo Tertullianus eos refellat.

Observatum a nobis fuit in superioribus dissertationibus nostris (*Dissertat. in Arnob. cap.* 6, *art.* 1 *et* 2), nullam fuisse criminationem ea sæpius repetitam, qua ethnici conquerebantur Christianos *omnis*, sicut ait Tertullianus *publicæ cladis, omnis popularis incommodi esse caussam.* Tæderet nos sane cramben tam sæpe recoctam, iterum recoquere, hanc rursus refellendo insulsam omnino argumentationem, si ethnicos illam tam inepte obtrudere aliquando pœnituisset. Sed homines vesani, immanique in Christianos odio furentes, vix aliud ad perdendos Christianos hac calumnia aptius excogitasse arbitrabantur (*Tertullian. Apologet., cap.* 40, *pag.* 479, *et lib.* I *ad Nation., cap.* 9, *pag.* 571). Quamobrem Tertullianum nostrum sequamur, ac quid eam exponendo, atque evertendo, aut singulare, aut paulo obscurius dixerit, enucleare tentemus.

A Romanis autem sic ille orditur : *Si Tiberis*

Digitized by Google

ascendit ad mœnia (*Ibidem*), aut ut alio in libro : *Si Tiberis redundaverit*, id est, si nimium exundans, Urbis mœnibus, ac terrarum etiam fertilitati nocuerit; contra vero, *Si Nilus non ascendit ad arva*, nec agros solita inundatione, sive ut canit Virgilius :

. . . . Nigra non fœcundat arena.
(*Virgil., lib.* IV *Georg. v.* 290.)

Præterea *si cœlum*, addit Auctor noster, *stetit*, sive ut postea, *cum ab imbribus æstiva hiberna suspendunt* (*Tertullian., loc. cit.*) ; et ibi cœli nomine quid denotet, si postules, tibi respondebimus his Tullii verbis : *Cœlum hoc, in quo nubes, imbres ventique coguntur* (*Cicer., lib.* II *Tuscul., pag.* 122, *lin.* 14) ; ex hoc cœlo si imbres opportuno hyemis vel æstatis tempore non effluant, terramque non reddant fertilem; quod Cyprianus Tertullianum secutus, hoc ita expressit : *Cum dicas plurimos conqueri quod imbres et pluvias serena longa suspendunt;* et alibi : *quando imbrem nubila serena suspendunt* (*Cyprian. tract. ad Demetr.; et libr. de Mortalit.*), item *si terra movit*, ejusque insolito motu oppida corruerint, aut ejus hiatu absorpti sint homines, uti paulo post videbimus; denique *si fames et lues* (ibi supplendum *sæviant, atque grassentur*) ; aut ut alibi clarius : *Si fames afflixit* (*Tertullian. Apologet., cap.* 40, *p.* 480 *et lib.* I *ad Nation., cap.* 9, *pag.* 571); in his, inquit Tertullianus, omnibus publicis calamitatibus, una omnium gentilium voce, *Christianos ad leonem, acclamatur* (*Idem., Apologet., ibid.*). Sed hoc ultimum verbum, quod in nostris codicibus manuscriptis et antiquis editionibus reperitur, a Rigaltio amputatum est. At etiamsi absit, subaudiri utique debet. Illa vero acclamatio, de qua nos supra egimus, in circo potissimum fieri consueverat. Verum ea sola, quantumvis iniquissima, rapiebantur christiani, ac confestim leonibus aliisque belluis devorandi exponebantur. Tertullianus vero illam tribus tantum his verbis irridendo, explodit : *Tantos ad unum* (*Ibid.*), perinde ac si dixisset : Papæ ! Numquid putatis infinitam propemodum, sicut antea observabamus, christianorum multitudinem exponi potuisse leoni unico, atque ab illo devorari ?

Tum post hæc ille gravibus rationum momentis demonstrat nihil falsius fingi potuisse, quam Christianos publicarum, aut allarum calamitatum esse auctores : *Nam ante Tiberium*, inquit, id est ante Christi adventum, *quantæ clades orbem et urbes ceciderunt* (*Ibid.*)? Non eo autem sensu dixit ante Tiberium, quo significet Christum non antea in hunc mundum venisse, sed adventum ejus mundo patefactum cum ille, regnante Tiberio, edidit miracula, suamque Ecclesiam fundavit. Nam in libro ad Nationes : *Principe*, ait, *Augusto nomen hoc ortum est; Tiberio disciplina ejus illuxit* (*Idem, lib.* I *ad Nation., cap.* 7, *pag.* 567). Quocirca ille postea dixit : *Ætatis nostræ nondum anni trecenti, quantæ clades ante id spatium supra universum orbem ad singulas urbes et provincias ceciderunt? Quanta bella externa et intestina? Quot pestes, fames, ignes, hiatus motusque terrarum sæculum digessit? Ubi tunc Christiani, cum res Romana tot historias laborum suorum subministravit* (*Ibid., cap.* 9, *p.* 571)? Quibus autem exemplis hæc demonstraverit, cum sine aliqua explicatione prætereire non possimus, ad ea singillatim exponenda, si placet, aggrediamur.

ARTICULUS II.

Quomodo Tertullianus demonstret Christianos ideo publicarum cladium non esse auctores, quia ante Christi ortum plurimis terrarum inundationibus ac motibus pessum abierunt Hiera, Anaphe, Delos, Rhodos, Co, item major Asiæ, vel Africæ pars, et epotum mare Corinthium, atque ex Lucania Italiæ abscissa facta est Sicilia, omnesque homines cataclysmo non tantum campestri, sed universali perierunt.

Nullo certe validiori argumento probari potest Christianos auctores non esse publicarum cladium, quam plurimarum exemplis, quæ ante Christi ortum contigerunt. Atqui nullus, qui vel primoribus digitis historias veterum temporum attigit, ignorare potest, quam frequentem illarum mentionem scriptores plerique omnes fecerint. Parum itaque necesse videbatur plura hujusmodi exempla a Tertulliano congeri, nisi ad conterendam gentilium pervicaciam proferenda esse censuisset. Ea itaque a nobis discutienda sunt, tum propter diversas codicum lectiones, quibus propria nomina deformantur, tum propter quasdam difficultates, quæ nonnulis negotium facessere possunt.

Primum autem exemplum his in Rigaltii editione verbis proponitur : *Legimus Hierannapen, et Delon, et Rhodon, et Co insulas multis cum millibus hominum pessum abiisse* (*Tertullian. Apologet., cap.* 45, *pag.* 36). At in nostris exemplaribus scriptum est : *Hieranantpeam, et Delon, et Rhodon, et Cho*, excepto tamen uno exemplari, in quo habetur, *Hierant pean*, in Bongarsiano *Iherrapean*, in uno Vaticano *Hieranapeam*, et in altero itidem Vaticano *Hiera Niepæam*, in Fuldensi *Hierearranda penes*, in editis ante Rigaltium *Hierapolis*, sed mendose. Non enim hæc urbs cecidisse perhibetur ante christianæ religionis primordia. Cernis certe quantum et quam a longo tempore hic locus corruptus fuerit. In libro tamen ad Nationes aperte legitur, *Hierennape, et Delphos, et Rhodos, et Creta insulæ multis cum millibus hominum pessum ierunt* (*Idem, lib.* I *ad Nation., c.* 9, *pag.* 54, *ed. Rig.*). Sed hæc verba difficultatem neque tollunt, neque etiam minuunt. Nec magis sana sunt hæc ejusdem Tertulliani alio in libro verba : *Nulla jam Delos, Rhene, Samos* (*Idem, lib. de Pall., cap.* 2). Plures quippe ibi pro *Rhene*, legendum volunt, *Hatenæ*, tametsi Plinius (*Plin., lib.* IV *Natur. Hist., cap.* 12, *pag.* 456) aliique *Rhene* insulæ meminerint. Videamus igitur utrum aliunde ad explicandum illum obscurum et corruptum Tertulliani locum luminis aliquid mutuari possimus.

Primus autem nobis occurrit Plinius, mox citatus, ubi de locis, unde maria recesserant, et cratis in-

Digitized by Google

sulis disserit : *Claræ*, inquit, *jam pridem insulæ Delos et Rhodos memoriæ produntur enatæ. Postea minores ultra Melon Anaphe; inter Lemnum et Hellespontum, Nea; inter Lebedon et Teon, Hanelo; inter Cycladas olympiadis* 135, *anno quarto, Thera et Theresia; inter easdem post annos* 130, *Hiera eademque Automate* (*Plin.*, *lib.* II *ibid.*, *cap.* 87, *pag.* 236). Huc etiam accedit Ammianus Marcellinus, ubi motuum terræ causas investigat : *Brasmatiæ*, ait, *qui humum molestius suscitantes propellunt immanissimas moles, ut in Asia Delos emersit, et Hiera, et Anaphane* (*Marcell.*, *lib.* XVII, *cap.* 7, *pag.* 456). Videsne in his locis memorari Delon, et Rhodon, quemadmodum ab ipsomet Tertulliano? Nonne autem suspicioni locus datur ex duabus aliis insulis *Hiera* et *Anaphe*, sicuti Plinius, vel *Hiera* et *Anaphane*, ut Marcellinus scribit, B factum fuisse ab imperitis librariis corruptum illud vocabulum *Hierannapen*. Verum iis facile cedemus, qui meliora suggesserint.

Superest ultima insula a Tertulliano nominata *Co*, vel *Cho*, ut in nostris codicibus, ac jam citato libro primo ad Nationes, aut *Coro*, veluti in antiquis editionibus, vel *Coon*, sicut in editione Heraldi. At Pamelius corrigendum autumat Coo; quia in Eusebii Chronico legimus : *in insula Coo terræ motu plurima conciderunt* (*Chron. Euseb.*, *ad.* 38 *ann. August.*). Non omnino forsitan male; nam Strabo mentionem facit insulæ Κῶς (*Strab.*, *lib.* II *Geogr.*, *pag.* 124, et *lib.* X, *pag.* 489), sicut et alii. Verum quidam nos monuerunt in Eusebiani Chronici textu scriptum, in *Cypro*, idque Senecæ testimonio confirmare nituntur. C Denique quidam suspicati sunt Tertullianum scripsisse *Cea*, hancque emendationem probari posse putant his Plinii verbis, *ex insula Cea amplius triginta millia passuum abrupta subito cum plurimis mortalium rapuit* (*Plin.*, *lib.* II *Natur. Hist.*, *cap.* 92, *pag.* 239). Nonne autem huic conjecturæ roboris aliquid inde accedet, quod postea idem Plinius observat *Cos*, a Staphylo Ceam appellari (*Ibid.*, *lib.* V, *cap.* 9)? Sed certius procul dubio id stabilietur, si probari possit Tertullianum ad Plinii respexisse libros.

At certe ad eum collineasse videtur cum dixit : *Memorat Plato majorem Asiæ vel Africæ terram Atlantico mari ereptam* (*Tertullian.*, *Apologet.*, *cap.* 40, *pag.* 481). Et alio rursus in libro : *Plato memorat majorem Asiam aut Africam in Atlantico mari mersam* D (*lib.* I *ad Nation.*, *cap.* 9, *pag.* 571). Scriptum siquidem ab eodem Plinio vidimus : *In totum abstulit terras, primum omnium, ubi Atlanticum mare est, si Platoni credimus, immenso spatio* (*Plin.*, *lib.* II *Hist. natur.*, *cap.* 90, *pag.* 238). Citatus porro ab utroque Platonis locus in ejus Timæo invenitur (*Plato.*, *Tim.*, *tom.* III, *pag.* 25), quemadmodum alibi observavimus (*Dissertat. in Arnob.*, *cap.* 6, *art.* 3). Cæterum etsi Tertullianus nihil unquam de Plinio hæc scribendo cogitasset, non minus tamen inde confirmatur, quod ille alibi adhuc repetit in Atlantico mari adæquatam Libyam aut Asiam.

Sed eum adhuc sequamur, nisi tot exemplis satis A jam probatum dixeris Christianos publicarum calamitatum causam non fuisse, teque aliis adhuc probari non tædeat. Pergit autem ille, et ait : *Mare Corinthium terræ motus ebibit* (*Tertullian.*, *lib. de Pall.*, *cap.* 2); et in libro *ad Nationes : Terræ motu mare Corinthium ereptum est.* Opinantur nonnulli eum ibi allusisse ad urbium Elices et Buræ ruinam, de quibus rursum Plinius : *Pontus abstulit Elicem et Buram in sinu Corinthio, quarum in alto vestigia apparent* (*Plin.*, *lib.* II *Natur. Hist.*, *cap.* 92, *pag.* 239). Plura si velis, consule Strabonem (*Strab.*, *lib.* I *Geogr.*, *pag.* 59), Pausaniam (*Pausan.*, *lib.* VII, *pag.* 212 *et* 231), Senecam (*Senec.*, *lib.* VI *Natur. Quæst.*, *cap.* 23, *pag.* 893), ac missis aliis, Ovidium, qui canebat :

Si quæras Helicem et Buram, Acheidas urbes,
Invenies sub aquis; et adhuc ostendere nautæ
Inclinata solent cum mœnibus oppida summis.
(*Ovid. Metamorph. lib.* XV, *v.* 293, *etc.*)

At paulo antea ille non quidem de urbibus, sed de terris, quas Auctor noster nominavit, hosce fecit versus :

Vidi ego, quod fuerat quondam solidissima tellus,
Esse fretum, vidi factas ex æquore terras;
Et procul a pelago conchæ jacuere marinæ,
Et vetus inventa est in montibus anchora summis.

Videsis quæ in superiore dissertatione a nobis in Arnobium annotata sunt (*Dissertat. in Arnob.*, *cap.* 6, *art.* 3). Sed arguet aliquis hæc ad Tertulliani propositum non sufficere, nisi ratione aliqua ostendatur mare Corinthium, sicut ille ait, motu terræ ereptum, et epotum. At huic plene satisfaciet jam citatus a nobis post Senecam Callisthenes, qui docet urbes terrasque ab exundantibus aquis posse facile absorberi, cum spiritus per occulta foramina illapsus, terram concutit (*Senec.*, *lib.* VI *natur. Quæst.*, *cap.* 85, *pag.* 895). Tum etenim fit hiatus, quo omnia absumuntur. Quapropter idem Seneca rursus dixit : *Vasta concussio duas suppressit urbes Helicem et Burim.* At Buris et Helice isthmi Peloponnesiaci, seu Corinthii, urbes erant, quæ aquis mergi non potuerunt, quin simili casu mare Corinthium absorptum fuerit. Non totum tamen absorptum est, sed duplex effecit mare de quo Ovidius :

Quique maris gemini distinet isthmus aquas.
(*Ovid. epist.* 12, *v.* 104.)

Et Lucanus :

. . . . . Qualiter undas
Qui secat, et geminum graciles mare separat isthmos,
Nec patitur conferre fretum, si terra recedat
Ionicum Ægæo frangat mare. . . . .
(*Lucan. lib.* II, *v.* 99.)

Omnibus porro ea cognitu longe faciliora sunt, quæ Tertullianus subjunxit : *Vis undarum Lucaniam Italiæ abscissam, in Siciliæ nomen relegavit* (*Tertullian. Apologet. cap.* 40, *pag.* 481). Paulo autem fusius alio in libro : *Italiæ quondam latus, Adria Tyrrhenoque quassantibus, mediotenus interceptum, reliquias Siciliam facit, cum tota illa plaga discidii contentiosos æquorum coitus angustis retorquens, novum vitii mari induit, non exspuentis naufragia, sed devorantis* (*Idem*,

Digitized by Google

lib. de Pall. cap. 2). Quæ quidem a compluribus geographis, poetis aliisque memoriæ prodita sunt. Ovidius autem eodem, quem paulo ante citavimus, loco de Zancle una Siciliæ urbe cantavit :

> . . . Zancle quoque juncta fuisse
> Dicitur Italiæ, donec confinia pontus
> Abstulit, et media tellurem reppulit unda.
> (*Ovid., lib.* XV *Metamor. v.* 290.)

Laudatus etiam a nobis Lucanus eadem de tota Sicilia, nec semel quidem cecinit (*Lucan. lib.* II, *v.* 543, *et lib.* III, *v.* 58 *et seqq.*), quemadmodum Virgilius his versibus :

> Hæc loca vi quondam et vasta convulsa ruina,
> Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas,
> Dissiluisse ferunt, cum protinus utraque tellus
> Una foret, venit medio vi pontus, et undis
> Hesperium Siculo latus abscidit, arvaque et urbes,
> Littore deductas angusto interluit æstu.
> (*Virgil., lib.* III *Æneid., v.* 414 *et seqq.*)

Citatis autem his versibus Seneca addidit : *Sic hac inundatione, quam poetarum maximi celebrant, ab Italia Sicilia rejecta est* (*Senec., lib.* IV *natur. Quæst., cap.* 29, *pag.* 898). Videsis Plinium (*Plin., lib.* II *natur. Hist. cap.* 87, *pag.* 235), Statium (*Stat., lib.* III *Thebaid. et lib.* I *Sylvar.*), Silium Italicum, Cluverium et alios.

Quid plura ! Ante Saturnum aliosque omnes gentilium deos evenerat is, qui *totum orbem*, sicut ait Tertullianus, *cataclysmus abolevit, vel, ut Plato putavit, campestre solummodo* (*Tertullian. Apologet., cap.* 40, *p.* 481). Brevius in libro ad Nationes : *Totum orbem cataclysmus abolevit* (*lib.* I *ad Nation. cap.* 9, *p.* 571); sed uberius alio in libro : *Adhuc maris conchæ*, inquit, *et buccinæ peregrinantur in montibus, cupientes Platoni probare etiam ardua fluitasse* (*Idem, lib. de Pall. cap.* 2). Nemo est autem, qui non intelligat illum ibi loqui de diluvio universali, quod in sacro Geneseos libro describitur (*Genes., cap.* VI *et* VII). Platonem vero ibi corripit, qui arbitratus est hujus diluvii aquas ad summa non pervenisse montium cacumina, in quæ, uti ille somniaverat, pastores plurimi convolantes, cum aliis non fecere naufragium (*Platon. tom.* II, *lib.* III *de legib. pag.* 677; *et tom.* III *Tim. pag.* 22). Falsam vero hanc opinionem inde Auctor noster refellit, quod in montibus inventæ fuerint *conchæ et buccinæ*, sive buccina, ut ait Plinius, qui ibidem observat hoc minus esse concharum genus, in buccini seu tubæ similitudinem (*Plin., lib.* IX *natur. Hist. cap.* 36, *pag.* 340, *et cap.* 33, *pag.* 328). At paulo antea Ovidium citavimus, qui conchas et anchoram in summis montibus inventas fuisse testificatur. Atqui generalis illius diluvii tempore nondum erant Saturnus aliique dii ab ethnicis deinceps conficti, uti plane demonstrant urbes ab iis conditæ, aut in quibus nati et mortui, vel sicuti in libro *ad Nationes*, *nati, morati et sepulti sunt* (*Tertullian. loc. cit.*). De his porro, ac de deorum et idololatriæ origine, in superioribus dissertationibus disputavimus, et adhuc aliqua inferius dicentur.

ARTICULUS III.

De cladibus, quæ ante christianæ religionis primordia excitatæ sunt igne cœlesti, et hominum armis : de Sodoma et Gomorrha exustis, atque illorum terra, quæ conantur poma, ac deinde contacta cinerescunt; de Volsiniis, Pompeiis, seu Tarpeiis igne absumptis; de clade Cannensi post quam Annibal Romanorum cædes raptorum annulorum modio mensus est, ac de Capitolio a Senonibus occupato.

Ad alias clades igne cœlesti, et hominum armis excitatas venit Tertullianus, ac *Sodoma*, inquit, *et Gomorrha igneus imber exussit* (*Tertullian. Apologet. cap.* 40, *p.* 482), antequam Israelitæ ex Ægypto migrassent in Palæstinam, ac proinde longe pluribus sæculis, prius quam Christiani, ex illis orti, venissent in mundum. Utriusque autem hujus urbis ruina certissimo sacræ Scripturæ testimonio comprobatur (*Genes. cap.* XIX, *v.* 24). Sed quamvis illud nobis deesset, cladis illius indicium haud dubium ipsa etiam daret, quæ uti Tertullianus loqui amat : *Olet adhuc incendio terra; et si qua illic arborum poma conantur oculis tenus, cæterum contacta cinerescunt* (*Tertullian., loc. cit.*). Ita quidem in manuscriptis nostris codicibus et aliis. Male vero in quibusdam, *oriuntur* et *cernuntur*. Nam ellipsis est, et ibi subaudiendum *maturescere conantur*. Alio autem in libro : *Impietas* inquit, *ignium meruit imbres. Hactenus Sodoma, et nulla Gomorrha, et cinis omnia, et propinquitas maris, juxta cum solo mortem vivit* (*Idem, lib. de Pall. cap.* 2). Verumenimvero narrat Josephus ibi adhuc videri reliquias ignis divini, et quinque oppidorum imagines cineresque renascentes ex fructibus, qui tametsi edulibus similes, manibus tamen attacti, in fumum et cinerem dissolvuntur (*Joseph. lib.* V *de Bello Judaico. cap.* 5, *pag.* 892). Quin etiam Augustinus asserit illud gentilium scriptorum auctoritate corroborari (*August. lib.* XXI, *de Civit. cap.* 3, *pag.* 629). Si quis vero aliquem sibi citari velit, cito quidem dabimus Cornelium Tacitum, cujus hæc sunt verba : *Haud procul inde*, a Mortuo scilicet mari, *campi quos ferunt olim uberes, magnisque urbibus habitatos, fulminum jactu arsisse, et manere vestigia, terramque specie torridam vim frugiferam perdidisse, nam cuncta sponte edita, aut manu sata, sive herba tenus, aut flore, seu solitam in speciem adolevere, atra et inania velut in cinerem vanescunt* (*Tacit. lib.* V *Histor. paulo post init.*). Sed ethnicus homo, et sacræ Scripturæ ignarus, hanc fructuum immaturitatem oriri suspicatur ex lacus halitu, quo superfusus terræ spiritus, primum corrumpitur, terramque deinde corrumpit. Nec minus erravit Solinus, qui similiter hunc divinæ vindictæ effectum soli tribuit cœlesti, quo terram hanc tactam fuisse sic enarrat : *Longo ab Hierosolymis recessu, tristis sinus panditur, quem de cœlo tactum testatur humus nigra, et in cinerem soluta. Duo ibi oppida Sodomum nominatum, alterum Gomorrhum, apud quæ pomum quod gignitur, habeat licet speciem maturitatis, mandi tamen non potest, fuliginem intrinsecus favillaciam ambitio tantum extimæ cutis cohibet, quæ, vel levi pressa tactu, fumum exhalat et fatiscit in vagum pulverem* (*Solin. Polyhist., cap.* 35, *pag.* 65).

Digitized by Google

Postea vero Tertullianus : *Sed nec Tuscia*, inquit, *jam tunc atque Campania de Christianis querebatur, cum Vulsinios de cœlo, Pompeios de suo monte perfudit ignis* (*Tertullian. Apologet., cap.* 40, *p.* 485). Rursus autem alio in libro : *Ex hujusmodi nubilo, et Tuscia Vulsinios pristinos deusta, quo magis de montibus suis Campania speret, erepta Pompeios* (*lib. de Pallio, cap.* 2). Sed hæc difficultate sua non carent. Nam in libro *ad Nationes* legimus : *Vulsinios de cœlo, Tarpeios de suo monte perfudit ignis* (*Idem, lib.* I *ad Natio. cap.* 9. *pag.* 54). Qui enim ibi *Tarpeii*, hi in aliis duobus libris *Pompeii* vocantur; tametsi Tertullianus videatur de iisdem populis facere sermonem. At Pompeii non parum distabant a Tarpeiis, qui Tarpeium ex septem Romæ montibus unum incolebant. De hoc autem monte canit Virgilius :

Hinc ad Tarpeiam sedem et Capitolia ducit,
Aurea nunc, olim sylvestribus horrida dumis.
(*Virgil., lib.* VII *Æneid. v.* 347.)

Et rursum postea :

In summo custos Tarpeiæ Manlius arcis
Stabat pro templo, et Capitolia celsa tenebat.
(*Ibid. v.* 652.)

Ovidium (*Ovid. lib.* I *Fastor., v.* 79) aliosque in re satis nota citare nihil necesse est.

Pompeii vero oppidum erat in ora Campaniæ : *Haud procul*, inquit Plinius, *adspectante monte Vesuvio, alluente vero Sarno amne* (*Plin. lib.* III *natur. Hist. cap.* 4. *pag.* 327). Plinio suffragatur hisce verbis Pomponius Mela : *Vesuvii montis adspectus Pompeii, Neapolis, Puteoli* (*Mel. de Sit. orb. lib.* II. *cap.* 4, § 65). Eadem etiam tradunt Strabo (*Strab. lib.* V *Geogr., pag.* 247) aliique geographi. Seneca autem non solum hujus urbis situm, sed illius quoque ruinam sic descripsit : *Pompeios celebrem Campaniæ urbem, in quam ab altera parte Surentinum Sabinianumque littus, ab altera Herculanense conveniunt, mareque ex aperto conductum cingit, desedisse terræ motu, vexatis quæcumque adjacebant regionibus, audivimus, et quidem diebus hybernis nonis februarii motus hic, Regulo et Virginio consulibus* (*Senec., lib.* VI *natural. Quæst. cap.* 1. *pag.* 881). Paucioribus tandem verbis Cornelius Tacitus, ubi de Nerone imperatore : *Motu terræ celebre Campaniæ oppidum Pompeii magna ex parte pronit* (*Tacit., lib.* XV *Annal. long. post init.*). Verum hæc non plane conducunt ad Tertulliani propositum, qui hujus urbis excidium non terræ motu, sed igne; nec regnante Nerone, sed ante Christi tempora contigisse asserit. Quapropter si quis illum non de hoc Pompeiorum oppido, sed de Tarpeia arce, cœlesti igne eversa, locutum esse demonstraverit, non multum quidem reclamabimus. Sed observa, quæso, Pompeiorum urbem in altero, quam Vesuvio monte fuisse positam. Atqui si erumpentibus ex illo Vesuvio monte flammis, ante divulgatam christianam religionem aliquando exusta est, nonne hoc tanquam extraordinarium factum a Tertulliano nostro notari potuit?

Minor porro difficultas est de Vulsiniis, sive Volsiniis, quos alibi (*Tertullian. Apologet. c.* 24, p. 421) uti infra dicemus (*Infr. cap.* 27. *art.* 2), Volsinienses nominavit. De his siquidem canit Juvenalis :

Quis timet aut timuit gelida Præneste ruinam,
Aut positis nemorosa inter juga Volsiniis.
Juvenal., satir. 3, *v.* 181.)

Oppidum autem illorum a Strabone appellatur Οὐλσίνιον quod, sicut ait Tertullianus, igne perfusum his Plinius totidemque verbis memorat : *Volsinii oppidum Tuscorum nobilissimum concrematum est fulmine.* (*Plin., lib.* II *natur. Hist., cap.* 52. *pag.* 207). Tacet tamen ibi quo tempore id contigerit : sed persuasum plerique omnes habent utrumque de eodem intelligendum incendio, quod ante ortos christianos contigit.

Instat adhuc Tertullianus, alioque notissimo omnibus exemplo ethnicos sic urget : *Nemo adhuc Romæ Deum verum adorabat, cum Annibal apud Cannas per Romanos annulos cædes suas modio metiebatur* (*Tertull. Apologet., c.* 40, p. 485). Eccui enim ignota est Cannensis pugna, post quam victor Annibal, uti narrat Livius, *effundi in vestibulo curiæ jussit annulos aureos, qui tantus acervus fuit, ut metientibus dimidium super tres modios explesse sint quidam auctores. Fama tenuit, quæ propior vero est, haud plus fuisse modio* (*Liv., lib.* XXIII, § 12). Sed etsi unum tantummodo modium fuisset, id haud dubie sufficit, ut hos annulos, sicut ait Auctor noster, modio metirentur. Plinius tamen scribit trimodia annulorum ab Annibale missa Carthaginem (*Plin., lib.* XXXIII *natur. Hist., cap.* 1. *pag.* 12), totidemque Augustinus (*August., lib.* III *de Civit. cap.* 19).

At hic tacere omnino non possumus in Rigaltii editione contra codicum nostrorum, et antiquorum editorum auctoritatem in Tertulliani textu omissum *per*, et scriptum *cæde sua*. Qua autem ratione, penitus ille siluit. Quam enim habere poterat? Nonne satis ibi deprehenditur Tertulliani stylus, et hic ejus sensus : Annibal post victoriam numerum Romanorum in prælio occisorum singulatim non recensuit, sed modio per eorum annulos metiebatur? Quapropter jam laudatus a nobis Augustinus : *Tres modios annulorum aureorum*, inquit, *Carthaginem misit, quo intelligerent tantum in illo prælio dignitatem cecidisse romanam, ut facilius eam caperet mensura, quam numerus : atque hinc strages turbæ cæteræ tanto utique numerosioris, quanto infimioris*, videlicet hominum, *quæ sine annulis jacebat, conjicienda potius, quam numeranda putaretur* (*August., loc. cit.*). Sed te non pigeat hunc Augustini adire librum, ubi ex hac et aliis cladibus in ethnicos, quemadmodum Auctor noster, argumentatur.

Antiquior sane, sed non minus celebris notaque omnibus fuit alia Romanorum clades, *cum Capitolium*, ut rursum Tertullianus scribit, *Senones occupaverunt* (*Tertullian. Apologet., cap.* 40), sive ut in codicibus nostris legimus *occupaverant*. Sed quid sibi, inquies, vult cum dixit, *occupaverunt*? Nonne Livius (*Liv. lib.* V, § 41 *et seq.*), Augustinus (*August., lib.* II

Digitized by Google

de Civit. cap. 22. *pag.* 51), atque alii, certe quam plurimi, constanter asserunt neutiquam expugnatum a Senonibus Capitolium, sed Romam tantum ab eis captam? Nihil certe verius. Quamobrem verbum *occupaverant*, ibi accipitur pro *tenuerant obsessum*. Atqui tunc Saturnus aliique gentilium dii, uti ait Tertullianus, ab omnibus tam obsidentibus, quam obsessis colebantur. Christiani igitur, qui tunc non erant, neque hujus calamitatis, neque aliarum quas hactenus retulimus, auctores esse potuerunt.

ARTICULUS IV.

Quam perspicue Tertullianus ostendat publicarum calamitatum auctores non esse Christianos, qui iis imminentibus, veri Dei misericordiam duris pœnitentiæ laboribus implorabant; sed gentiles, qui ebriosi, balneis, cauponis, lupanaribus operantibus, aquilicia Jovi immolabant, nudipedalia *denuntiabant populo*, et nubila de laquearibus *exspectabant*.

Ethnicis inquirentibus qui, nisi Christiani, deorum hostes infensissimi, publicarum cladium caussa esse poterant, respondet Tertullianus eam in ipsosmet tantum gentiles esse refundendam (*Tertul. Apologet. c.* 40, *p.* 487). Etenim: *Semper humana*, inquit, *gens male de Deo*, vero et unico, *meruit*, duplicem ob rationem. Ac primo quidem, *ut inofficiosa ejus, quem cum intelligeret ex parte, non requisivit* (*Ibid.*), id est, cum solo lumine naturali ex parte saltem cognovisset illum revera existere, nec alium esse posse Deum, non curavit amplius investigare quis ille esset, nec proinde debita illi officia, honoresque debitos persolvere.

Secundo, eadem gens humana *alios* deos *sibi insuper commentata est, quos coleret*. Non amplius itaque *quærendo magistrum innocentiæ* (*Ibid.*) et scelerum vindicem, eo derelicto, in idololatriam et omne flagitiorum genus sese præcipitem dedit. Deum ergo ethnici, quem recognoscendo, ac sicut par erat colendo, propitium habere poterant, sua ob crimina iratum experti sunt. Non Christiani igitur, qui Deum verum cultu debito et piis operibus semper coluere, publicarum calamitatum caussa erant, sed ingrata ipsorummet ethnicorum gens, quæ illum adspernata est, et idololatria, aliisque sceleribus gravissime offendit. Totam autem hanc argumentationem his corroborat, quæ, orta clade aliqua aut imminente, ab utrisque christianis et gentilibus agebantur. Cum enim *ab imbribus*, inquit, *æstiva hyberna suspendunt* fœcundos, ut paulo antea diximus (*Ibid.*), ac desideratos maxime imbres; *et annus in cura est*, sive de illius timetur sterilitate, aut sicut alibi ipse loquitur, *cum stupet cœlum, et aret annus* (*Tertull., Apolog. loc. cit. et lib. de Jej., c.* 16), tum christiani jejuniis aliisque durissimis pœnitentiæ laboribus, de quibus supra egimus (*Supr., cap.* 14. *art.* 1 *et* 2. *cap.* 15. *art.* 1.), infinitam Dei misericordiam grata vi exorabant. Quo quidem factum est, quemadmodum ille jure merito animadvertit (*Tertullian. Apologet. cap.* 40), ut ab eo tempore, quo christiani vitæ sanctimonia et hisce piis operibus iniquitates sæculi temperavere, multo leviora fuerint incommoda, quibus solebant homines antea affligi ac vexari.

Contra vero ethnici, impendente aliqua vel exorta calamitate magis formidanda, Deum verum comessationibus, ebrietate, stupris, adulteriis, et impia falsorum deorum invocatione irritabant. Tum enim *quotidie pasti*, uti Tertullianus eos allocutus ait, *statimque pransuri, balneis, et cauponis, et lupanaribus operantibus, aquilicia Jovi immolatis* (*Ibid.*). Et hæc quidem sunt totidem ejus verba in nostris manuscriptis libris, nisi quod in eis scriptum est, *cauponiis*, quo nomine Justinus historicus utitur, sed addidit *artibus* (*Justin. lib.* I). Eadem legimus in antiquis ejusdem Apologetici editionibus, nisi quod scriptum est, *caponis operati*, sed in aliis melius *operantibus*, hoc est, operam suam subministrantibus. Verum Rigaltius nullo codice citato, ac propria procul dubio auctoritate penitus delevit priora hæc verba, *quotidie pasti, statimque pransuri*. Itane ergo editori licet auctoris sui textum, nulla ratione allata, corrigere, vel potius corrumpere? Tertullianus enim christianos opponit ethnicis, ostenditque quam diverso utrique modo ingruentem publicam calamitatem a se deprecarentur. Tum vero christiani, inquit, sacco et cinere sorditati, nullum totis diebus capiebant cibum. Ethnici e contrario non exspectata hora prandii, cibos antea prægustabant, mox lautius in cauponis pransuri. Postea balnearum recreabantur voluptate, atque in omni stupro sese in lupanaribus volutabant.

Alio præterea idololatriæ crimine verum irritabant Deum. Nam, eo repudiato, immolabant *aquilicia Jovi*. Aquilicium autem sive aquælicium, teste Festo, *dicitur, cum aqua pluvialis remediis quibusdam elicitur, ut quondam, si creditur, manali lapide in Urbem ducto* (*Fest. cap.* 20. *de verbor. Signif. ad v.* Aqualicium). Quis vero sit manalis ille lapis, si quæras, tibi idem Festus respondebit: *Manalem lapidem vocabant petram quamdam, quæ erat extra portam Capenam juxta ædem Martis, quam cum propter nimiam siccitatem in Urbem protraherent, insequebatur pluvia statim, eumque quod aquas manaret, manalem lapidem dixere* (*Idem. ad v.* Manualis). Siccitatis itaque tempore hunc lapidem ex Martis æde protrahentes, sacra faciebant Jovi, haud dubie Pluvio, sive Pluviali, qui a Pausania ὄμβριος (*Pausan. lib.* II. *pag.* 61. *lin.* 44), ab aliis ἔμβριος Ζεύς appellatur. Unde Tibullus de Ægypto hæc canebat:

Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
Arida nec Pluvio supplicat herba Jovi.
(*Tibull. lib.* I, *eleg.* 7. *v.* 25 *et* 26.)

Ad hæc vero, ethnici illo siccitatis tempore, *nudipedalia populo denuntiabant*. Mos enim illis fuit quibusdam diebus festis aut solemnibus templa nudis pedibus adire. Ovidius enim Vestalia hisce versibus celebrat:

Forte revertebar festis Vestalibus, illa
Qua nova romano nunc via juncta foro est.
Hue pede matronam nudo descendere vidi.
Obstupui tacitus, sustinuique gradum.
(*Ovid., lib.* VI *Fastor.* § 9.)

Postea vero quam mortuum Augusti imperatoris cor-

Digitized by Google

pus solemni pompa crematum est : *Reliquias*, uti narrat Suetonius, *legerunt primores equestris ordinis tunicati, et discincti, pedibusque nudis, ac in mausoleo condiderunt* (*Sueton. lib.* II, *in Vit. August.* § 100). Quidam insuper opinati sunt ad hunc ritum spectasse Juvenalem, ubi de gallis Matris deum sacerdotibus hæc cecinit :

. . . . . Inde superbi
Totum regis agrum, nuda ac tremebunda cruentis
Erumpet genibus. . . . .

(*Juvenal. satir.* 6, *v.* 466.)

Simili quoque modo Seneca scripto tradidit : Cum *sistrum aliquis concutiens ex imperio mentitur, cum aliquis secandi lacertos suos artifex brachia atque humeros suspensa manu cruentat, cum aliqua genibus per viam repens ululat* (*Senec., lib. de Vit. beat., cap.* 27, *pag.* 640). Sed hic, sicut Juvenalis, de iis potius disserit, qui genibus nixi gradiebantur, quam qui pedibus nudis ibant in templum, ubi deos suos precarentur. Magis igitur ad Tertulliani propositum citata Ovidii verba conducunt.

Nudis itaque pedibus incedentes ethnici, veniebant in *Capitolium*, ait Tertullianus, id est, templum Jovis Capitolini, ibique quærebant *cœlum* pluvium, ac *nebula* fœcundis imbribus gravida exspectabant *de laquearibus* illius nimirum templi, in quo summum Jovem suum habitare perperam arbitrabantur.

Quamvis autem ibi Auctor noster dixerit hoc ipso calamitoso tempore nullum ab illis prætermissum intemperantiæ libidinisque crimen ; alio nihilominus in libro testificatur quosdam non solum pedibus nudis, verum positis etiam dignitatum insignibus, quamdam præ se tulisse pœnitentiæ speciem. Nam alio in libro : Cum *stupet*, inquit, *cœlum, et aret annus, nudipedalia denuntiantur, magistratus purpuras ponunt, fasces retro avertunt, precem indigitant, hostiam instaurant* (*Tertull. lib. de Jejun. cap.* 16).

Verum his idololatriæ operibus nihil plane nec a diis suis, qui nulli erant, nec a vero et omnipotente Deo, qui solus omnium bonorum largitor est, impetrare unquam poterant. Quis autem jam non intelligit quam vera certaque sit Tertulliani nostri, eosdem gentiles alloquentis, conclusio : *Vos igitur importuni rebus humanis, vos rei publicorum incommodorum vos malorum illices semper, apud quos Deus spernitur, statuæ adorantur* (*Idem. Apologet. cap.* 41. *pag.* 488). In quibusdam editionibus : *ilices semper*. Summa enimvero impietate falsos deos, statuasque adoratis, ac verum repudiatis Deum, qui impios et sceleratos homines publicis calamitatibus merito castigat. Ipsimet ergo ethnici publicarum calamitatum revera auctores erant, minime vero christiani qui verum Deum adorantes, poterant utique ab eo postulata obtinere.

ARTICULUS V.

Examinantur allatæ a Tertulliano rationes, ob quas Deus patitur Christianos publicis calamitatibus affligi, et cur eæ pro ethnicis valere non possint.

Gravissimo tot tantorumque argumentorum pondere obruti gentiles, mira pertinacia cedere nunquam volebant ; sed intorta a Christianis tela in ipsos retorquere quoquo modo conabantur. Si Christiani, inquiebant, publicarum cladium non sunt revera auctores, cur illorum Deus, si omnipotens sit et justus, adeo tranquille patitur eos iisdem calamitatibus, ac cæteros homines noxios ac sceleratos, vexari, lædi et opprimi ? Respondet Tertullianus hoc telum retorqueri plumbea plane et hebeti cæcutientium hominum manu, qui æternas summi Dei *dispositiones* omnino ignorabant (*Tertull. Apologet. cap.* 41). Nam hic supremo post mundi finem judicio bonos discernet a malis, hosque pro merito sempiternis aut suppliciis aut præmiis afficiet. Interim vero voluit omnibus communia esse hujus vitæ commoda et incommoda : *ut pari*, inquit, *consortio omnes experirentur* (*Ibid.*), aut lenitatem ejus aut severitatem, illamque diligerent, et hanc meluerent. Publicæ igitur calamitates Christianis erant in admonitionem officii, ethnicis vero in scelerum castigationem. Nec urgere hi poterant id ab ipsis christianis perperam fictum. Nam *hæc*, pergit ille, *ita didicimus apud ipsum* Deum (*Ibid.*), hoc est, in sacris Veteris et Novi Testamenti libris (*Matth. cap.* V. *v.* 45, *et cap.* XIII. *v.* 49, *et cap.* XXV. *v.* 32 *et seqq.*), quorum summam, ut superius vidimus (*Supr. cap.* 8. *art.* 1 *et* 5), demonstraverat auctoritatem.

Secundo respondet Christianos nullis rebus adversis in hoc mundo afflictari, sed potius lætari (*Tertull. loc. cit.*) ; quandoquidem nihil gratius cariusque habebant, quam de hoc mundo exire, ut citius æternam illam consequerentur felicitatem, quam certissimis ac divinis oraculis sibi nec aliis promissam fuisse certo certius noverant. Ethnici vero nequibant simili modo hujus argumenti, quod in eos solos valebat, vim unquam infirmare. Nam si illorum dii mundum propter Christianos, hostes suos, publicis premebant calamitatibus, non sine ingrati animi vitio patiebantur illos cultores suos iisdem cladibus involvi : *Quos*, ut recte ait Tertullianus, *separare* debebant *a meritis Christianorum* (*Tertull. ibid.*). Postquam vero expositas a nobis in eorumdem Christianorum gratiam rationes protulit, ethnicos his affatur verbis : *Si vero ab eis, quos colitis, omnia vobis mala eveniunt nostri caussa, quid colere perseveratis tam ingratos, tam injustos, qui magis vos in dolorem* (MSS. nostri *in dolore*) *Christianorum adjuvare et asserere debuerunt, quos separare deberent a meritis Christianorum* (*Ibid.*). Vides hæc posteriora verba bis repeti, quæ idcirco Rigaltius tanquam præpostere addita, in sua editione contra codicum omnium, sive editorum, sive manuscriptorum fidem, penitus abstulit. Verum quid, amabo te, prohibuit quominus Tertullianus adversus ethnicos disputando, eadem verba, quibus thesim suam proposuit, post allatas ad eam probandam rationes iterum repeteret ?

At hæc, inquiet aliquis, tanti non sunt momenti, quanti scire interest unde ille conficere potuerit deos gentilium, si quis in eis grati et æqui animi sensus fuisset, debuisse illos, in publicis calamitatibus se-

Digitized by Google

cernere a Christianis. Sed id inde ab eo recte colligitur, quia ethnicis nulla plane certa ratio suppetebat, qua sperare possent fore, ut postquam ex hac vita excessissent, æternam a diis suis, qui nulli erant, acciperent virtutum suarum mercedem. Christiani vero illam, ut diximus, ab omnipotente Deo suo certissime exspectabant. Non debebant igitur ethnici hos deos colere, si persuasum habebant se ab illis ob Christianos publicis calamitatibus vexari. Si enim cultoribus suis, qui aliorum caussa publicas calamitates in hac vita perpessi sunt, nihil post mortem conferre possint, ingrati prorsus et injusti sunt, aut certe infirmi, ac proinde divinitatis prorsus expertes. Tertullianus itaque recte concludit horum deorum cultores, minime vero Christianos, publicarum calamitatum esse auctores. Palam vero nos alibi fecimus (*Dissert. in Arnob. cap.* 6. *art.* 4 *et seqq.*) quomodo hæc criminatio tam sæpe, quam insulse ab ethnicis repetita, ab Arnobio confutata fuerit, ac quomodo Minutius Felix et Lactantius demonstrent imbecilla plane et futilia esse illorum argumenta, qui inde divinam providentiam labefactare conati sunt (*Dissert. in Minut. cap.* 6. *art.* 3, *et in Lactan. cap.* 14. *art.* 3). Sed jam ad ultimum eorumdem gentilium, contra christianæ religionis veritatem, argumentum accedamus.

CAPUT XXIV.

Quam absurde ethnici conquerebantur Christianos reipublicæ esse inutiles, atque idcirco exterminandos.

ARTICULUS PRIMUS.

Quomodo Tertullianus probaverit Christianos non fuisse brachmanas, nec Indorum gymnosophistas, nec sylvicolas, sed reipublicæ plurimum utiles.

Ethnici, nullum non moventes in Christianos lapidem, adhuc objectabant illos reipublicæ prorsus esse inutiles, eoque solo nomine penitus exterminandos. Sed hi, inquit Tertullianus, *neque brachmanæ, aut Indorum gymnosophistæ, sylvicolæ, et exsules vitæ sunt* (*Tertull. Apologet. cap.* 42). Sed quinam, inquiet fortasse aliquis, erant illi brachmanæ et gymnosophistæ? Numquid iidem, aut diversi a se invicem populi fuerunt? Nam Apollonius Tyanæus et Damides, à Philostrato citati (*Philost. lib.* III *de Vita Apollon. cap.* 4. *pag.* 119. *et lib.* VI. *cap.* 4. *pag.* 265), asseverant brachmanes Indiæ incolas fuisse, eosque, uti alibi dixit, γυμνούς (nudos) seu gymnosophistas collem habitantes parum a Nili ripis distantem. Ab Hieronymo autem alicubi, *Indorum brachmanæ, et Ægyptiorum gymnosophistæ* (*Hieronym. epist.* 57, *ad Læt. et lib.* I *adv. Jovin.*), alibi vero, et ab illo, et aliis, quos alia in dissertatione citavimus, gymnosophistæ Indiæ appellantur (*Tom.* I *Apparat. lib.* III *dissert.* 2. *cap.* 19. *art.* 1. *pag.* 1160 *et seqq.*). At ibidem insuper annotavimus duplex saltem fuisse illorum genus. Si quis porro probaverit illos non solum in India, sed Ægypto etiam suas posuisse sedes, is facile Tertullianum aliosque a Philostrato laudatos inter se conciliabit. Cæterum illi, sicuti et brachmanes, ab aliis hominibus sejuncti, durissimam consectabantur vivendi, et a cibis abstinendi rationem, a nobis loco jam citato explicatam.

Sed longe dissimilis, ut recte Tertullianus noster asseverat, erat abstinentia Christianorum, qui cibos sibi a Deo datos cum gratiarum actione sumebant, sed servatis semper temperantiæ legibus. Neque enim ullum *fructum*, inquit ille, *operum Dei repudiamus; plane temperamus, ne ultra modum, aut perperam utamur* (*Tertull. Apologet. cap.* 42). Neque etiam iidem Christiani erant sylvarum incolæ, ac veluti brachmanes et gymnosophistæ, *exsules vitæ* communis (*Ibid.*), et a cæterorum hominum consortio plane separati. In oppidis siquidem et urbibus cum ethnicis, sicut jam diximus, commisti habitabant, ac communes cum illis ubique miscebant operas, *in foro, macello, nundinis, agris, balneis, tabernis* (*Ibid.*), non quidem vinariis, sed ædificiis, quæ, ut ait Festus (*Fest. ad v.* Tabernacula), ex tabulis constructa, *usui*, teste Nonio, erant *populari* (*Nonius ad v.* Taber.). Artes etiam suas exercebant in *officinis* cuilibet patentibus, ac commorabantur in *stabulis* (*Tertull. ibid.*), seu diversoriis et hospitiis, ubi hospites et peregrinos excipiebant, seu potius habitationibus, et privatis quorumdam, veluti agricolarum, domibus, de quibus ita canit Virgilius:

> Ardua tecta petit stabuli et de culmine summo
> Pastorale canit signum.
>
> (*Virgil., lib.* VII *Æneid. v.* 512.)

Atque ita Christiani, ait Auctor noster, cohabitabant *hoc sæculum*, sive, sicut in manuscriptis nostris legitur, *in hoc sæculo*.

Quamobrem gentiles ipsos sic urget: *Navigamus et nos vobiscum, et vobiscum* (hoc ultimum verbum a manuscriptis nostris libris abest) *militamus, et rusticamur, et mercamur, proinde miscemus artes, operas nostras* (manuscripti et ante Rigaltium editi codices *opera nostra*) *publicamus usui vestro*, atque ita mutuis operibus nos invicem adjuvamus. Atqui ea omnia eo majorem toti reipublicæ afferebant utilitatem, quo major tunc, sicut antea vidimus, erat eorumdem Christianorum numerus. Nihil ergo a veritate magis alienum excogitari potuit, quam Christianos publicis rebus esse inutiles.

ARTICULUS II.

Nullum reipublicæ damnum inferri a Christianis, qui ethnicorum cæremonias non frequentabant, nec saturnalibus lavabant diluculo, sed hora debita, nec liberalibus discumbebant in publico, sicut bestiariis supremum cænantibus mos est.

Quantumvis clare et certo Tertullianus demonstraverit Christianos rebus publicis maximæ esse utilitati; gentiles tamen contra reclamare non verebantur illos reipublicæ ideo non esse fructuosos, quia omnes ipsorum cæremonias, sacratioresque religionis actus adspernati, iis interesse plane penitusque recusabant. Sed hoc Tertullianus concesso, prorsus negat eosdem Christianos nulli idcirco reipublicæ esse usui et emo-

Digitized by Google

lumento. Quemlibet itaque gentilem sic compellat : *Si cæremonias tuas non frequento, attamen et illa die homo sum* (*Tertull., Apolog., cap.* 42), qui quidem, ut mox dictum est, una cum ethnicis vivendo, measque commiscendo artes, tibi aliisque plurima, quæ ad tuam ac cæterorum hominum vitam et societatem necessaria sunt, ita suppedito, ut maximum ex operibus meis fructum unusquisque percipiat.

Nemo est autem, qui non fateatur hoc cuneo funditus everti insulsam omnino gentilium accusationem. Verumtamen Tertullianus ultra, quam satis sit, manifestum pluribus exemplis cuilibet facit, a Christianis, etiamsi gentilium mysteriis non affuerint, aut nihil inde detrimenti rebus importari publicis, aut si quod importatum, aliunde illud ab iis affatim resarcitum fuisse.

Sed illum, si lubet, a saturnalibus ethnicorum festis incipientem audiamus : Non *lavor*, inquit, *diluculo saturnalibus, ne et noctem et diem perdam* (*Ibid.*), Atque ita quidem hæc verba in nostris exemplaribus manuscriptis et editis antiquioribus exhibentur. Verum Rigaltius rejecit adverbium *diluculo*, et scribi jussit, *Lavor sub noctem :* sed meras nugas, genuino Auctoris nostri textui (*Idem, lib. de Idolol., cap.* 10) mentique repugnantes, nobis vendit. Ab omnibus autem, ut facilius id dignosci queat, observandum est saturnalia festa, ut ipse alibi et Varro (*Varr. lib.* V. *de Ling. lat. p.* 51.) ac Festus (*Fest. ad v.* Saturnia) testificantur, instituta fuisse in Saturni, agrorum, sicuti opinabantur, præsidis, honorem. Livius vero illorum originem, et statutum eorum celebrandorum diem his pandit verbis : *Decembri jam mense ad ædem Saturni Romæ immolatum est, lectisterniumque imperatum, et eum lectum senatores straverunt, et convivium publicum, ac per Urbem Saturnalia diem ac noctem clamatum, populusque eum diem festum habere ac servare in perpetuum jussus* (*Liv., lib.* II. § 1). Sed Macrobius (*Macrob., lib.* I *Saturnal. c.* 8 *et* 10), ac postea Lipsius (*Lips., lib.* I *Saturn. c.* 3, *tom.* III) disputarunt utrum hæc uno duntaxat, an septem, ut probabilius putant, continuis diebus agerentur. Tum autem, teste Luciano (*Lucian. Dial. Saturn. p.* 1021), non licebat serium aliquod privatum aut publicum negotium transigi, sed potare, inebriari, vociferari, ludere, certare tesseris, nudos canere, saltare lascivo corporis motu, sese vultu fuligine oblito in aquam aliquando dare, ac famulos adhibere in convivium, quemadmodum Accius his a Macrobio transcriptis versibus cecinit :

> Maxima pars Graium Saturno, et maxime Athenæ,
> Conficiunt sacra, quæ Cronia iterantur ab illis;
> Cumque diem celebrant, per agros, urbesque fere omnes
> Exercent epulis læti, famulosque procurant
> Quisque suos, nostrisque itidem et mos traditus illinc
> Iste, ut cum dominis famuli tum epulentur ibidem.
> (*Macrob, lib.* I *Saturnal., cap.* 7.)

Non mirum itaque si Christiani hos nefarios idololatriæ, lasciviæ, ebrietatis, aliosque, quos ex citatis superius scriptoribus recensuimus, detestandos actus improbaverint, noluerintque noctem et diem perdere, tam impia festa celebrando. Quamobrem *non lavo*, inquit Tertullianus, *diluculo saturnalibus* (*Tertullian. Apologet. c.* 42. *p.* 482), ut ad illa agenda me præparem. Quis enim nesciat morem ethnicorum fuisse se ante convivium lavandi ? Sed Christiani fas sibi esse non credebant sese ad illa nefanda convivia et mysteria agenda *diluculo*, cum hyems sæviebat, in tempestivo balneo præparare.

Nullum tamen rebus publicis detrimentum idcirco importabant. Etenim *lavo*, ait Auctor noster, *honesta hora et salubri*. Rigaltius vero scribi maluit *debita*, quam *honesta hora :* sed contra codicum omnium reclamationem. Nonne autem Auctor noster dicere potuit Christianos non respuisse balneas, sed lavatum abiisse *hora honesta et salubri*, qua videlicet cum honestate et salubritate omnes se lavare consueverant. Hæc autem *hyeme*, ut ait Plinius, *erat nona hora, æstate octava* (*Plin. lib.* III. *epist.* 1. *pag.* 90.), aut ut alii observant, a meridie ad vesperam. Horatius autem canebat :

> Ast ubi me fessum sol acrior ire lavatum
> Admonuit, fugio rabiosi tempora signi.
> (*Horat., lib.* I, *satir.* 6, *v.* 125.)

Nonne ergo Tertullianus designare videtur meridianam horam, quæ mense decembri, quo saturnalia agebantur, honesta et salubris erat; ut *mihi*, inquit, *calorem, et sanguinem servet*. Non his igitur frigidis, pergit ille, impiorum saturnaliorum diebus *lavo diluculo*, quando quidem *rigere et pallere post lavacrum mortuus possum*. Quibus ille verbis alludit procul dubio ad alium antiquum morem mortua hominum corpora lavandi, ac forte ad hæc Virgilii de Miseni funere carmina :

> Pars calidos latices et ahena undantia flammis
> Expediunt, corpusque lavant frigentis et ungunt.
> (*Virgil., lib.* VI *Æneid. v.* 217 *et seqq.*)

Servius vero in suis ad hæc carmina animadversionibus citat illud ab Ennio compositum :

> Tarquinii corpus bona fœmina lavit, et unxit.
> (*Serv., pag.* 411.)

Dicit itaque Tertullianus posse quidem post mortem eo lavacro rigere et pallere, nolle autem dum viveret, illud prævertere intempestivo hyemali balneo, quo saturnalia inchoabantur. Quamvis autem hæc ratio sit mere naturalis, eo tamen acrius ethnicos pungebat, quo absurdius objiciebant Christianos ideo reipublicæ esse inutiles; quia hoc balneum, atque impias cæremonias, illud subsequentes, meritissimo jure fugiebant et exsecrabantur.

Ad liberalia deinde, sive ad dies ludosque Libero, sive Baccho, dicatos, sic transit : *Non in publico liberalibus discumbo* (*Tertullian. Apologet. cap.* 42. *pag.* 492). Rationem ab eo si postules, alio in libro eam his verbis datam videbis : *Cum promiscue ludi Liberalia vocarentur, honorem Liberi patris manifeste sonabant. Libero enim a rusticis primo fiebant, ob beneficium quod ei adscribunt, demonstrata gratia vini* (*Idem, lib. de Spectac. cap.* 5). Qua de re non semel quidem disseruimus. Quoniam ergo hæc festa

Digitized by Google

cernere a Christianis. Sed id inde ab eo recte colligitur, quia ethnicis nulla plane certa ratio suppetebat, qua sperare possent fore, ut postquam ex hac vita excessissent, æternam a diis suis, qui nulli erant, acciperent virtutum suarum mercedem. Christiani vero illam, ut diximus, ab omnipotente Deo suo certissime exspectabant. Non debebant igitur ethnici hos deos colere, si persuasum habebant se ab illis ob Christianos publicis calamitatibus vexari. Si enim cultoribus suis, qui aliorum caussa publicas calamitates in hac vita perpessi sunt, nihil post mortem conferre possint, ingrati prorsus et injusti sunt, aut certe infirmi, ac proinde divinitatis prorsus expertes. Tertullianus itaque recte concludit horum deorum cultores, minime vero Christianos, publicarum calamitatum esse auctores. Palam vero nos alibi fecimus (*Dissert. in Arnob. cap.* 6. *art.* 4 *et seqq.*) quomodo hæc criminatio tam sæpe, quam insulse ab ethnicis repetita, ab Arnobio confutata fuerit, ac quomodo Minutius Felix et Lactantius demonstrent imbecilla plane et futilia esse illorum argumenta, qui inde divinam providentiam labefactare conati sunt (*Dissert. in Minut. cap.* 6. *art.* 3, *et in Lactan. cap.* 14. *art.* 3). Sed jam ad ultimum eorumdem gentilium, contra christianæ religionis veritatem, argumentum accedamus.

CAPUT XXIV.

Quam absurde ethnici conquerebantur Christianos reipublicæ esse inutiles, atque idcirco exterminandos.

ARTICULUS PRIMUS.

Quomodo Tertullianus probaverit Christianos non fuisse brachmanas, nec Indorum gymnosophistas, nec sylvicolas, sed reipublicæ plurimum utiles.

Ethnici, nullum non moventes in Christianos lapidem, adhuc objectabant illos reipublicæ prorsus esse inutiles, eoque solo nomine penitus exterminandos. Sed hi, inquit Tertullianus, *neque brachmanæ, aut Indorum gymnosophistæ, sylvicolæ, et exsules vitæ sunt* (*Tertull. Apologet. cap.* 42). Sed quinam, inquiet fortasse aliquis, erant illi brachmanæ et gymnosophistæ? Numquid iidem, aut diversi a se invicem populi fuerunt? Nam Apollonius Tyanæus et Damides, à Philostrato citati (*Philost. lib.* III *de Vita Apollon. cap.* 4. *pag.* 119. *et lib.* VI. *cap.* 4. *pag.* 265), asseverant brachmanes Indiæ incolas fuisse, eosque, uti alibi dixit, γυμνούς (nudos) seu gymnosophistas collem habitantes parum a Nili ripis distantem. Ab Hieronymo autem alicubi, *Indorum brachmanæ, et Ægyptiorum gymnosophistæ* (*Hieronym. epist.* 57, *ad Læt. et lib.* I *adv. Jovin.*), alibi vero, et ab illo, et aliis, quos alia in dissertatione citavimus, gymnosophistæ Indiæ appellantur (*Tom.* I *Apparat. lib.* III *dissert.* 2. *cap.* 19. *art.* 1. *pag.* 1160 *et seqq.*). At ibidem insuper annotavimus duplex saltem fuisse illorum genus. Si quis porro probaverit illos non solum in India, sed Ægypto etiam suas posuisse sedes, is facile Tertullianum aliosque a Philostrato laudatos inter se conciliabit. Cæterum illi, sicuti et brachmanes, ab aliis hominibus sejuncti, durissimam consectabantur vivendi, et a cibis abstinendi rationem, a nobis loco jam citato explicatam.

Sed longe dissimilis, ut recte Tertullianus noster asseverat, erat abstinentia Christianorum, qui cibos sibi a Deo datos cum gratiarum actione sumebant, sed servatis semper temperantiæ legibus. Neque enim ullum *fructum*, inquit ille, *operum Dei repudiamus; plane temperamus, ne ultra modum, aut perperam utamur* (*Tertull. Apologet. cap.* 42). Neque etiam iidem Christiani erant sylvarum incolæ, ac veluti brachmanes et gymnosophistæ, *exsules vitæ* communis (*Ibid.*), et a cæterorum hominum consortio plane separati. In oppidis siquidem et urbibus cum ethnicis, sicut jam diximus, commisti habitabant, ac communes cum illis ubique miscebant operas, *in foro, macello, nundinis, agris, balneis, tabernis* (*Ibid.*), non quidem vinariis, sed ædificiis, quæ, ut ait Festus (*Fest. ad v.* Tabernacula), ex tabulis constructa, *usui*, teste Nonio, erant *populari* (*Nonius ad v.* Taber.). Artes etiam suas exercebant in *officinis* cuilibet patentibus, ac commorabantur in *stabulis* (*Tertull. ibid.*), seu diversoriis et hospitiis, ubi hospites et peregrinos excipiebant, seu potius habitationibus, et privatis quorumdam, veluti agricolarum, domibus, de quibus ita canit Virgilius :

> Ardua tecta petit stabuli et de culmine summo
> Pastorale canit signum.
>
> (*Virgil., lib.* VII *Æneid. v.* 512.)

Atque ita Christiani, ait Auctor noster, cohabitabant *hoc sæculum*, sive, sicut in manuscriptis nostris legitur, *in hoc sæculo.*

Quamobrem gentiles ipsos sic urget : *Navigamus et nos vobiscum, et vobiscum* (hoc ultimum verbum a manuscriptis nostris libris abest) *militamus, et rusticamur, et mercamur, proinde miscemus artes, operas nostras* (manuscripti et ante Rigaltium editi codices *opera nostra*) *publicamus usui vestro*, atque ita mutuis operibus nos invicem adjuvamus. Atqui ea omnia eo majorem toti reipublicæ afferebant utilitatem, quo major tunc, sicut antea vidimus, erat eorumdem Christianorum numerus. Nihil ergo a veritate magis alienum excogitari potuit, quam Christianos publicis rebus esse inutiles.

ARTICULUS II.

Nullum reipublicæ damnum inferri a Christianis, qui ethnicorum cæremonias non frequentabant, nec saturnalibus lavabant diluculo, sed hora debita, nec liberalibus discumbebant in publico, sicut bestiariis supremum cœnantibus mos est.

Quantumvis clare et certo Tertullianus demonstraverit Christianos rebus publicis maximæ esse utilitati; gentiles tamen contra reclamare non verebantur illos reipublicæ ideo non esse fructuosos, quia omnes ipsorum cæremonias, sacratioresque religionis actus adspernati, iis interesse plane penitusque recusabant. Sed hoc Tertullianus concesso, prorsus negat eosdem Christianos nulli idcirco reipublicæ esse usui et emo-

Digitized by Google

lumento. Quemlibet itaque gentilem sic compellat : *Si cæremonias tuas non frequento, attamen et illa die homo sum* (*Tertull., Apolog., cap.* 42), qui quidem, ut mox dictum est, una cum ethnicis vivendo, measque commiscendo artes, tibi aliisque plurima, quæ ad tuam ac cæterorum hominum vitam et societatem necessaria sunt, ita suppedito, ut maximum ex operibus meis fructum unusquisque percipiat.

Nemo est autem, qui non fateatur hoc cuneo funditus everti insulsam omnino gentilium accusationem. Verumtamen Tertullianus ultra, quam satis sit, manifestum pluribus exemplis cuilibet facit, a Christianis, etiamsi gentilium mysteriis non affuerint, aut nihil inde detrimenti rebus importari publicis, aut si quod importatum, aliunde illud ab iis affatim resarcitum fuisse.

Sed illum, si lubet, a saturnalibus ethnicorum festis incipientem audiamus : Non *lavor*, inquit, *diluculo saturnalibus, ne et noctem et diem perdam* (*Ibid.*), Atque ita quidem hæc verba in nostris exemplaribus manuscriptis et editis antiquioribus exhibentur. Verum Rigaltius rejecit adverbium *diluculo*, et scribi jussit, *Lavor sub noctem :* sed meras nugas, genuino Auctoris nostri textui (*Idem, lib. de Idolol., cap.* 10) mentique repugnantes, nobis vendit. Ab omnibus autem, ut facilius id dignosci queat, observandum est saturnalia festa, ut ipse alibi et Varro (*Varr. lib.* V. *de Ling. lat. p.* 51.) ac Festus (*Fest. ad v.* Saturnia) testificantur, instituta fuisse in Saturni, agrorum, sicuti opinabantur, præsidis, honorem. Livius vero illorum originem, et statutum eorum celebrandorum diem his pandit verbis : *Decembri jam mense ad ædem Saturni Romæ immolatum est, lectisterniumque imperatum, et eum lectum senatores straverunt, et convivium publicum, ac per Urbem Saturnalia diem ac noctem clamatum, populusque eum diem festum habere ac servare in perpetuum jussus* (*Liv., lib.* II. § 1). Sed Macrobius (*Macrob., lib.* I *Saturnal. c.* 8 *et* 10), ac postea Lipsius (*Lips., lib.* I *Saturn. c.* 3, *tom.* III) disputarunt utrum hæc uno duntaxat, an septem, ut probabilius putant, continuis diebus agerentur. Tum autem, teste Luciano (*Lucian. Dial. Saturn. p.* 1021), non licebat serium aliquod privatum aut publicum negotium transigi, sed potare, inebriari, vociferari, ludere, certare tesseris, nudos canere, saltare lascivo corporis motu , sese vultu fuligine oblito in aquam aliquando dare, ac famulos adhibere in convivium, quemadmodum Accius his a Macrobio transcriptis versibus cecinit :

> Maxima pars Graium Saturno, et maxime Athenæ,
> Conficiunt sacra, quæ Cronia iterantur ab illis;
> Cumque diem celebrant, per agros, urbesque fere omnes
> Exercent epulis læti, famulosque procurant
> Quisque suos, nostrisque itidem et mos traditus illinc
> Iste, ut cum dominis famuli tum epulentur ibidem.
> (*Macrob , lib.* I *Saturnal., cap.* 7.)

Non mirum itaque si Christiani hos nefarios idololatriæ, lasciviæ, ebrietatis, aliosque, quos ex citatis superius scriptoribus recensuimus , detestandos actus improbaverint, noluerintque noctem et diem perdere, tam impia festa celebrando. Quamobrem *non lavo*, inquit Tertullianus , *diluculo saturnalibus* (*Tertullian. Apologet. c.* 42. *p.* 482), ut ad illa agenda me præparem. Quis enim nesciat morem ethnicorum fuisse se ante convivium lavandi ? Sed Christiani fas sibi esse non credebant sese ad illa nefanda convivia et mysteria agenda *diluculo*, cum hyems sæviebat , in tempestivo balneo præparare.

Nullum tamen rebus publicis detrimentum idcirco importabant. Etenim *lavo*, ait Auctor noster, *honesta hora et salubri*. Rigaltius vero scribi maluit *debita*, quam *honesta hora :* sed contra codicum omnium reclamationem. Nonne autem Auctor noster dicere potuit Christianos non respuisse balneas, sed lavatum abiisse *hora honesta et salubri*, qua videlicet cum honestate et salubritate omnes se lavare consueverant. Hæc autem *hyeme*, ut ait Plinius, *erat nona hora, æstate octava* (*Plin. lib.* III. *epist.* 1. *pag.* 90.), aut ut alii observant, a meridie ad vesperam. Horatius autem canebat :

> Ast ubi me fessum sol acrior ire lavatum
> Admonuit, fugio rabiosi tempora signi.
> (*Horat., lib.* I, *satir.* 6, *v.* 125.)

Nonne ergo Tertullianus designare videtur meridianam horam, quæ mense decembri, quo saturnalia agebantur, honesta et salubris erat; ut *mihi*, inquit, *calorem, et sanguinem servet*. Non his igitur frigidis, pergit ille, impiorum saturnaliorum diebus *lavo diluculo*, quando quidem *rigere et pallere post lavacrum mortuus possum*. Quibus ille verbis alludit procul dubio ad alium antiquum morem mortua hominum corpora lavandi, ac forte ad hæc Virgilii de Miseni funere carmina :

> Pars calidos latices et ahena undantia flammis
> Expediunt, corpusque lavant frigentis et ungunt.
> (*Virgil., lib.* VI *Æneid. v.* 217 *et seqq.*)

Servius vero in suis ad hæc carmina animadversionibus citat illud ab Ennio compositum :

> Tarquinii corpus bona fœmina lavit, et unxit.
> (*Serv., pag.* 411.)

Dicit itaque Tertullianus posse quidem post mortem eo lavacro rigere et pallere, nolle autem dum viveret, illud prævertere intempestivo hyemali balneo, quo saturnalia inchoabantur. Quamvis autem hæc ratio sit mere naturalis, eo tamen acrius ethnicos pungebat, quo absurdius objiciebant Christianos ideo reipublicæ esse inutiles; quia hoc balneum, atque impias cæremonias, illud subsequentes, meritissimo jure fugiebant et exsecrabantur.

Ad liberalia deinde, sive ad dies ludosque Libero, sive Baccho, dicatos, sic transit : *Non in publico liberalibus discumbo (Tertullian. Apologet. cap.* 42. *pag.* 492). Rationem ab eo si postules, alio in libro eam his verbis datam videbis : *Cum promiscue ludi Liberalia vocarentur, honorem Liberi patris manifeste sonabant. Libero enim a rusticis primo fiebant, ob beneficium quod ei adscribunt, demonstrata gratia vini* (*Idem, lib. de Spectac. cap.* 5). Qua de re non semel quidem disseruimus. Quoniam ergo hæc festa

Digitized by Google

in falsi dei honorem, non sine idololatriæ aliisque ac potissimum crapulæ et ebrietatis criminibus, celebrabantur, summo Christianis erant horrori. Addidit Auctor noster : *Non in publico liberalibus discumbo, quod bestiariis supremum cœnantibus mos est* (*Idem, Apologet. loc. cit.*). Sic autem legimus in manuscripto Puteano, et primo Colbertino ; sed in Harleano et Colbertino secundo, *supremam*. At Junius scriptum suspicatur, *sub primam ;* quia bestiarii, de quibus antea egimus, meridie, inquit, certabant. Bulengerus vero hanc conjecturam non sine risu ideo explodit (*Buleng. lib. de Venat. Circ. cap.* 34) , quia bestiarii non solum meridie pugnabant, sed tempore etiam matutino. Quid enim his Suetonii de Claudio imperatore verbis clarius : *Bestiariis meridianisque adeo delectabatur, ut etiam prima luce ad spectaculum descenderet, et meridie dimisso populo, persederet* (*Sueton. lib.* V. *in Vita Claud.* § 34). Seneca vero : *Mane leonibus et ursis homines, meridie spectatoribus suis objiciuntur* (*Senec. epist.* 70. *p.* 295). Visne et alia non minus perspicua illius verba? En hæc ipsa sunt : *Casu in meridianum spectaculum incidi, lusus exspectans.... Mane leonibus, et ursis homines, meridie spectatoribus suis objiciuntur. Interfectores ab interfecturis jubentur objici, et victorem in aliam detinent mortem* (*Lib.* III. *de ira, cap.* 43, *pag.* 583). Rursus alibi : *Nuper in ludo bestiariorum unus e Germanis cum ad matutina spectacula pararetur, secessit* (*Idem, epist.* 7. *pag.* 172 *et* 173). Denique illa nec semel quidem vocat *matutina arenæ spectacula* (*Lib. de Ira. cap.* 43. *pag.* 583). Nec difficile foret huc plura alia congerere : sed quia hæc sufficiunt, nihil aliud addemus, nisi hoc Martialis carmen :

> In matutina nuper spectatus arena
> Mucius.
>
> (*Martial. lib.* X, *epigr.* 25.)

Nihil ergo mutandum in textu Tertulliani, qui scite *supremam*, sive ultimam appellat bestiariorum cœnam; quia postridie cum aliis gladiatoriis aut bestiis pugnaturi, necem potius, quam victoriam sperare debebant. Etenim *pugnantium*, sicuti monet jam laudatus Seneca, *exitus mors est* (*Senec. epist.* 7. *p.* 173). Si qui enimvero inde incolumes evadebant, hoc tamen sperare non ausi, *supremam* cœnam pridie se carpere arbitrabantur. Ab auctore porro Actorum SS. Perpetuæ et Felicitatis discimus hanc cœnam *liberam* vocitari, haud dubie quia lautissima erat, ac gladiatores cibis ad libitum appositis sese ingurgitabant.

Christiani ergo publicas illas cœnas merito repudiabant ; utpote quæ in Bacchi honorem, ac intemperanter dabantur. Nullum tamen damnum rebus publicis inde accedebat. Nam *ubi ubi*, sic Tertullianus quemlibet ethnicum alloquitur, *de copiis tuis cœno*, id est, cibis, quos a tuis gentilibus in quocumque publico loco, falsis diis non consecrato, emere consuevi.

ARTICULUS III.

Quam insulse ethnici objicerent Christianos ideo reipublicæ fructuosos non esse, quia coronas non emebant, ad spectacula non conveniebant, thura non mercabantur, tametsi plura ac cariora, a Sabæis empta, in mortuorum sepulturam insumerent, quam gentiles ad deos suos fumigandos.

Frequens procul dubio erat Tertulliani tempore coronarum usus : quandoquidem ethnici de illo a Christianis rejecto, tanquam magno reipublicæ damno, querimoniam singularem habebant. Verum cuilibet ethnico sic ille respondet : *Non emo capiti coronam ;* sed *quid tua interest?* Quodnam enim inde rebus publicis detrimentum? Nullum plane. Emptis siquidem floribus utor, inquit ille, sed iis, ut *puto, gratius liberis, et solutis, et undique vagis* (*Tertullian. Apologet. c.* 42. *p.* 493), nec compactis in coronam. Nullus quippe capillis, sed naribus tantum odor florum percipitur. Nos vero hæc fusius prosecuti sumus in alia dissertatione, ubi præterea ostendimus ideo hujuscemodi coronarum usum a Christianis rejectum ; quia suam ab idololatria traxerat originem (*Dissertat. in Minut. cap.* 13. *art.* 3).

Urgebant ethnici Christianos magno reipublicæ malo publicis spectaculis non interfuisse (*Tertullian. loc. cit.*). Grande scilicet malum erat ea fugere, quæ Tertullianus alio in libro orta esse probat *de reatu generali idololatriæ genitricis suæ* (*Idem, lib. de Spectac. cap.* 7). Aliis autem in dissertationibus annotavimus hæc spectacula non solo idololatriæ, sed pluribus aliis adhuc coinquinata fuisse criminibus, quæ Christiani non secus ac pestem publicam jure merito fugiebant. Quæ ergo inde boni publici jactura? Magna quidem, inquiebant gentiles. In longum enimvero tempus spectacula illa producebantur, atque idcirco spectatores in amphitheatri aditu plura eduliorum emebant genera, quibus possent interdum refici. Christiani itaque nullos plane faciebant hujusmodi sumptus.

Sed si nihil, inquit Tertullianus, ibi mercamur, *Quæ tamen apud illos cœtus venditantur, si desideravero, libentius de propriis locis sumam* (*Tertullian. Apologet. cap.* 42. *pag.* 493). Quædam antiquæ editiones, *sumo :* aliæ quædam recentiores, *sumentur*. Melius in nostris codicibus et cæteris editionibus, *sumam*. Nihil ergo de bono publico deperditum, si Christiani aliis licitis sibi in locis ea enjebant, quæ apud ethnicorum illicitos cœtus venditabantur.

Nihil etiam, quidquid adhuc iidem caussarentur, reipublicæ deperit, si thura, inquit Tertullianus, *non emimus* (*Ibid.*), quæ ethnici falsis diis adolebant. Nam id nobis omnino vetitum erat, thurisque pretium minus erat, quam ethnici de hoc detrimento conqueri unquam debuerint. Etenim *Arabiæ*, pergit ille, potiori jure *queruntur*. Verum si quæ sit Arabum de cariore suo thure non vendito querimonia, *sciant*, ait, sive pro nobis respondebunt : *Sabæi pluris et carioris suas merces christianis sepeliendis profligari, quam diis fumigandis* (*Ibid.*). De Sabæo autem thure Virgilius :

Digitized by Google

India mittit ebur, molles sua thura Sabæi.
(*Virgil., lib.* I *Georg., v.* 57.)

Et alio in libro de Venere:

. . . Ubi templum illi, centumque sabæo
Thure calent aræ.
(*Idem, lib.* I *Æneid., v.* 420.)

Quos quidem in versus hæc a Servio notantur : *Sabæi populi sunt juxta Syriam et Arabiam, dicti Sabæi* ἀπὸ τοῦ σίβεσθαι, *quod apud eos thus nascitur, quo deos placamus.*

Neque porro Tertullianus hujus tantum sabæi thuris, de quo plura Plinius memorat (*Plin., lib.* VI *nat. Hist., cap.* 28, *pag.* 726), sermonem fecit, sed de aliis, uti ex mox dicendis patebit, etiam illorum mercibus, seu aromatibus. Tanta enimvero in eorum regione erat horum abundantia, ut iis, sicuti Strabo narrat (*Strab. lib.* XVI *Geogr., pag.* 776), pro sarmentis, atque ignis faciendi materia, cinnamomo, casia, et aliis hujusmodi suave olentibus uterentur. Scriptum quoque a Plinio legimus : *Cibos Sabæi coquunt thuris ligno* (*Plin., lib.* XII *Hist. natur., cap.* 17, *p.* 32). At Tertullianus noster suo non solum in Apologetico, sed alio etiam in libro aperte declarat Sabæorum thus ad sepelienda in primis mortuorum corpora a Christianis adhibitum : *Corpora*, inquit, *medicata condimentis, sepulturæ, mausoleis et monumentis sequestrantur ; processura inde* ad secundam vitam, *cum jusserit Dominus* (*Tertullian., lib. de Resurrect. carn., cap.* 27). Alibi vero magisque ad nostrum propositum : *Viderint* ethnici, inquit, *si eædem merces, thura dico, et cætera peregrinitatis ad sacrificium idolorum, etiam hominibus ad pigmenta medicinalia, nobis quoque insuper ad solatia sepulturæ usui sunt* (*Idem, lib. de idolol., cap.* 11).

Esto, arguet aliquis, ac meridiana luce clarius demonstratum habeatur Christianos usos fuisse ad sepelienda mortuorum corpora sabæo thure, cæterorum omnium pretiosissimo ; numquid Tertullianus magna sine hyperbole asserere potuit Sabæos thuris sui *merces pluris et carioris* ad christianorum sepulturam vendidisse, quam gentibus ad deos suos fumigandos ? Nonne plurimi, inquiet, gentiles thus sabæum plena prodigaque manu diis suis incendebant ? Sed qui hæc objectabit, is advertere debet hos aliis ditiores fuisse, et longe minori numero, quam cæteri pauperiores, qui thus adolebant aut tribus tantum digitis, aut unius assis, quemadmodum infra dicetur (*Infr. cap.* 29, *art.* 2). Ad hæc vero, observavimus majorem fuisse christianorum multitudinem, quam gentilium. Christiani igitur, si thure sabæo mortuorum condiebant corpora, ad hoc pietatis officium Sabæi debebant plura illis sua thura vendere, quam gentilibus, quorum plurima pars pauca admodum vilioris et communis grana diis suis dare consueverat.

ARTICULUS IV.

Quam inmerito ethnici conquerebantur templorum suorum vectigalia decoqui, ex quo orti erant christiani, qui diis illorum, hominibusque mendicantibus non sufficiebant, ac vectigalia solvebant tanta cura, quantis dolis ab iisdem ethnicis fraudabantur : neminem de sterilitate Christianorum conqueri potuisse, præter infames lenones, perductores, aquariolos, sicarios, venerarios, magos, aruspices, ariolos, mathematicos ; ac si quid forte malum reipublicæ a Christianis illatum fuerat, illud cum fœnore ab illis aliunde resarcitum.

Quæ hactenus retulimus, quantumvis clara et omnibus perspicua sint, non potuerunt tamen cæcos comprimere ethnicorum impetus, nec effrænatum in Christianos furorem exstinguere. Magno enim adhuc clamore ubique vociferabantur illos in reipublicæ ortos esse perniciem. Ex quo enim eorum religio in mundum disseminata est : *Templorum*, nostrorum, inquiebant, *vectigalia quotidie decoquunt* (*Tertullian. Apologet., cap.* 42, *p.* 493), hoc est, paulatim minuuntur. Cuilibet enim christiano, uti ipsemet Tertullianus fatetur, prohibitum erat, *ne curas templorum deleget, aut vectigalia eorum procuret* (*Idem, lib. de Idololat., cap.* 17). Cum major itaque, uti sæpius diximus, esset christianorum, quam ethnicorum numerus, profecto longe pauciores templorum vectigalia pendebant.

Verum etsi res ita sit, ethnici, non de christianis tantum, sed de suis etiam sectatoribus expostulare debebant. Ab eis quippe Tertullianus petit : *Stipes quotus quisque jam jactat* (*Idem, Apologet., loc. cit.*) ? Stipes autem nummus erat signatus. Qui enim *diis cum thesauris*, ait Varro, *asses dant, stipem dicunt* (*Varr., lib.* IV *de Ling. latin., sub fin.*). Quamobrem Ovidius canebat :

Contulit æs populus : de quo delubra Metellus
Fecit, ait : dandæ mos stipis inde manet.
(*Ovid., lib.* IV *Fastor.* § 3.)

Ethnici ergo si stipem templis non dabant, non minus certe quam christiani iis faciebant detrimentum.

Iustabant gentiles, atque ut ait Arnobius, conjectores, arioli, vates et alii amarissime deplorabant in templis suis *raritatem* (*Arnob., lib.* II *advers. gent.*), ac nec exiguas quidem stipes posse a paucissimis consultoribus extorqueri. Scimus quidem Plinium secundum in sua ad Trajanum imperatorem epistola scripsisse templa et sacra solemnia cœpisse suo tempore repeti. Totidem enim hæc illius verba legimus : *Certe satis constat prope jam desolata templa cœpisse celebrari, et sacra solemnia diu intermissa repeti passimque venire victimas, quarum adhuc rarissimus emptor inveniebatur* (*Plin., lib.* X, *epist.* 104, *pag.* 376). Sed quod fatetur prope desolata fuisse ethnicorum templa et sacra, hoc verissimum est. Quod vero subjungit illa cœpisse repeti, his verbis inepte adulatus est Trajano, cujus clementiam per fas et nefas extollere volebat. Nam crescente numero christianorum, minus frequentabantur ethnicorum templa minusque vectigalia solvebantur.

Tertullianus itaque id ultro fatetur, et gentilibus

Digitized by Google

respondet quantumcumque fuerit illud damnum, a christianis abunde restitui. Nos enim non sufficimus, inquit, *et hominibus et diis vestris mendicantibus opem ferre* (*Tertullian., Apologet., cap.* 42, *p.* 494), hoc est, omnia bona nostra omnesque nostræ facultates non sufficiunt, ut mendicantibus vestris, cum diis, tum hominibus, de quibus alibi a nobis actum est (*Tom. I Apparat., pag.* 784), opem feramus. In ærarium ergo templorum vestrorum, in quæ nos vobiscum convenire nefas est, etsi nullam stipem jactemus, alibi tamen quibuslibet petentibus sæpius et longe abundantius eam impertimur (*Dissert. in Minut. Octav., cap.* 20, *art.* 30). Plus enimvero, ait ille, *nostra misericordia insumit vicatim*, seu plura quibuslibet per vicos et vias civitatum mendicantibus largitur, *quam vestra religio templatim* (*Tertullian., loc. cit.*), sive in singulis templis vestris tribuit.

Deinde vero vectigalia, ab imperatoribus imposita, Christiani multo majore cura, et meliori fide, quam gentiles solvebant. Quin etiam hæc *vectigalia*, inquit, *gratius agent Christianis ex fide dependentibus debitum, qua alieno fraudando abstinemus* (*Ibid.*). Noverant quippe illud Christi præceptum : *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari* (*Matth., cap.* XXII, 21). Atque inde Justinus martyr ethnicis palam dicebat : Φόρους καὶ εἰσφορὰς τοῖς ἐφ' ὑμῶν τεταγμένοις πανταχοῦ πρὸ πάντων πειρώμεθα φέρειν, *Vectigalia sane et collationes eis, qui a vobis sunt ordinati exactoribus præ omnibus ubique inferre contendimus* (*Justin. Apolog. ad Anton.*). Ea vero ethnici sic fraudabant, *ut si ineatur*, Tertulliani verba sunt, *quantum vectigalibus pereat fraude et mendacio vestrarum professionum, facile ratio haberi possit, unius speciei querela compensata pro commodo cæterarum rationum* (*Tertullian., Apologet., cap.* 42, *pag.* 495). Ibi certe professionis nomen accipitur pro publica bonorum omnium, quæ unusquisque possidebat, expositione seu declaratione. Sed non inde tollitur tota difficultas obscurioris hujusce phrasis, quæ duplici modo a sagacioribus explicatur. Quidam enim putant hunc esse Tertulliani sensum : si perpendatur quantum gentiles malum reipublicæ importent, *fraude et mendacio professionum* (*Ibid.*), sive falsa bonorum suorum declaratione, confestim vel hac *specie*, sive hoc solo exemplo agnoscetur illud malum esse majus, quam quidquid boni aliis rationibus afferunt. Alii vero Tertulliani mentem sic explicant : Christiani tanta cura tantaque fide solvunt tributa, quantis dolis ac mendaciis a gentilibus fraudantur, hocque solo exemplo plane conficitur iniquissimam esse horum de Christianorum inutilitate querelam ; quia vectigalia cæteris omnibus accuratius pendebant, ac si quid aliunde afferrent detrimenti, *cæterarum*, quæ indicatæ sunt, *rationum commodo* affatim compensabatur. At sane si ibi Tertullianus ethnicos non componit cum Christianis, potior videtur prima interpretatio, qua colligitur illos de allato ab his reipublicæ damno prorsus immerito expostulasse ; quandoquidem aliud majus bonum conferebant. Si vero ibi utrosque Christianos et gentiles inter se contulit, secundam expositionem præferas, per nos licet.

Cæterum ut Auctor noster ethnicos pressius urgeat (*Idem, ibid.*), illis ultro concedit quosdam apud eos reperiri, qui de Christianorum, ut ipse ait, sterilitate conquerebantur. Sed quinam, Deus bone, hi erant? Non alii profecto, nisi homines perditi, suis vitiis et sceleribus infames, quibus nec placere, nec favere summa est reipublicæ utilitas. Triplicem autem eos distinguit in classem, quorum prima erat turpissimorum nefandæ libidinis ministrorum, qui ab illo appellantur *lenones*, *perductores*, *aquarioli*. Duos autem priores commemorat Cicero, ubi contra Verrem sic invehitur : *Sileatur de nocturnis ejus bacchationibus et vigiliis ; lenonum, aleatorum perductorum nulla mentio fiat* (*Cicer., lib.* II *in Verr., pag.* 68, *lin.* 3). Lenones vero inter et perductores hoc erat discrimen, quod primi mulieres non reluctantes, secundi invitas ad stuprum adducerent. Quapropter cecinit Horatius :

> Laudato, scortator ait, cave te roget ultra,
> Penelopen facilis potiori trade. Putasne
> Perduci poterit tam frugi, tamque pudica.
> (*Horat. lib.* II, *satir.* 5, *v.* 75 *et seqq.*)

Ejusdem farinæ erant *aquarioli*, qui, ut ait Festus, *dicebantur mulierum impudicarum sordidi asseclæ* (*Fest. lib.* XX *de Signific. verb. adv.* Aquárioli). Quamobrem ab Apuleio memoratur *exacerbatus aquariolus uxoris suæ* impudicæ et meretricis (*Apulei. Apolog. ante med. pag.* 366). Spurcissimi autem hujusmodi homines mulieribus aquam ad sordes abluendas adsportabant. At vide, quæso, utrum huic impurissimo hominum gregi adscribendus sit Commodus imperator, de quo hæc Lampridius memoriæ prodidit : *Gladiatoribus convixit, aquam gessit ut lenonum minister* (*Lamprid., in Vita Commod.*). Quorumdam tamen opinio est aquarioli nomine significari balneatorem, qui lavantium vestes custodiebat ac lenocinabatur. Iude canebat Martialis :

> Cum te lucerna balneator exstincta
> Admittat inter bustuarias mœchas.
> (*Martial., lib.* III, *epigram.* 62.)

At talium certe hominum de Christianorum sterilitate et inutilitate expostulatio, horum erat et virtutis et utilitatis commendatio ac præconium.

Nec aliud sane ferri potest judicium de sicariis, venenariis et magis, qui secundam Tertulliani classem conficiunt (*Tertullian., Apologet., cap.* 43). Nam hi aliorum vitæ insidiabantur, eamque sæpe sæpius eripiebant. Sicarii enim nuncupati sunt a *sica*, seu gladio breviore, quem ad interficiendos ex insidiis homines gerebant. Quam frequenter vero ab his truculentis hominibus alii clam et insidiose necarentur, his paucis disces Ciceronis verbis : *Hæc quotidiana, sicæ, venena* (*Cic., lib.* III *de Natur. Deor., pag.* 251, *lin.* 15). Sed ut propius ad Tertulliani accedamus tempora : *Inde*, inquit Cyprianus, *venefici, inde sicarii, tam ad peccandum præcipites, quam impune peccantes* (*Cyprian., libr. ad Demetr.*).

Digitized by Google

Jam autem præsentis cur deinde ab Auctore nostro appellantur *venenarii*, qui venenum aliis propinant, aut conficiunt, aut vendunt. Nec his procul dubio dissimiles erant *magi*, quibus tertius in hac classe locus datur. Diabolicis siquidem artibus, maleficiis et præstigiis nocere aliis, eosque occidere nitebantur. At hi sunt, quos Horatius hisce notat carminibus :

Quæ saga, quis te solvere Thessalis
Magnus venenis, quis poterit deus?

(*Horat. lib.* I, *od.* 27, *v.* 21 *et* 22.)

Tertia demum in classe reponuntur a Tertulliano *aruspices*, *arioli*, *mathematici* (*Tertullian.*, *Apologet.*, *cap.* 43), quos quidem Arnobius, a nobis paulo ante citatus, vanos conjectores nuncupat. Suis enim exsecrandis artibus, dolis atque præstigiis futura se prænuntiare posse venditabant. Arioli autem sive Farioli, de quibus supra egimus fingebant se divino afflatu, et aruspices adspectu victimarum vaticinari. At Terentius utrosque pungit horum versuum aculeis :

Gallina ceciuit, interdixit ariolus :
Aruspex vetuit ante brumam aliquid novi
Negotii incipere.
(*Terent.*, *Phorm.*, *act.* IV, *scen.* 4.)

Neque his sane aliisque Cicero magis pepercit ubi hæc scribebat : Μαντικὴ *vestra*, *quæ latine divinatio dicitur*, *qua tanta imbueremur superstitione*, *si vos audire vellemus*, *aruspices*, *augures*, *arioli*, *vates*, *conjectores nobis essent colendi* (*Cicer. lib.* I *de Natur. Deor.*, *pag.* 203, *lin.* 36) Sed de his alibi dictum, et adhuc postea dicendum.

Scelestum illud ac reipublicæ infestum, omninoque perniciosum agmen claudunt *mathematici*. Hos autem *vulgus*, inquit A. Gellius, *quos gentilitio vocabulo chaldæos dicere oportet*, *mathematicos dicit* (*A. Gell.*, *lib.* I *Noct. Attic. cap.* 9). Et prius quidem Cicero illorum artem et professionem his verbis explicaverat : *Non ex artis*, *sed gentis vocabulo nominati*, *diuturna observatione siderum scientiam putantur effecisse*, *ut prædici posset quid unicuique eventurum*, *et quo quisque fato natus esset* (*Cicer.*, *lib.* I *de Divin.*, *init.*, *pag.* 255, *lin.* 4). Unde Juvenalis :

Nota mathematicis genesis tua.
(*Juvenal.*, *satir.* 14, *post med.*)

Verum illos eorumque scientiam idem ipse Cicero chaldæorum monstra vocat, nosque monet ab Eudoxo, ipsorum antesignano, scriptis traditum : *Chaldæis in prædictione et in notatione cujusque vitæ ex natali die minime esse credendum* (*Cicer.*, *lib.* II *de Divin.*, *pag.* 291. *lin.* 49). Plura autem ut missa faciamus, alio in libro Tertullianus noster haud dubitanter asserit pravos angelos, seu dæmones hujus impiæ artis fuisse magistros, ac deinde hæc subjunxit : *Expellantur mathematici*, *sicut angeli eorum : eadem pœna est exsilii discipulis et magistris* (*Tertull. lib. de Idololat. cap.* 9). Narrat autem Suetonius hos mathematicos ab imperatore Vitellio pulsos fuisse Urbe et Italia, ac postea capite damnatos (*Sueton.*, *lib.* VII, § 14). Sed prius, teste Tacito, facta fuerant de hoc mathematicorum exilio senatusconsulta (*Tacit.*, *lib.* II *Annal.*, *ante med.*). Ulpianus tandem plura de his memorat, quem consulere poteris (*Ulpian.*, *lib.* VII *de Offic. prætor.*).

Atque hi erant triplicis classis homines, qui Christianos reipublicæ inutiles esse idcirco querebantur, quia a nefariis illorum operibus abhorrebant, nullumque eis ferebant fructum. Sed perditissimis hominibus *infructuosos esse*, ait Tertullianus, *magnus* procul dubio reipublicæ *fructus est* (*Tertullian. Apologet. cap.* 43).

Denique Christianos ethnicis maximo esse emolumento hac adhuc ratione demonstrat : *Quanti* (editiones veteres, *Quantos*, Lacerda, *Quando*) *habetis*, *non dico qui jam de vobis dæmonia excutiunt*, *non dico jam qui pro vobis quoque vero Deo preces sternant*, *quia forte non creditis*, *sed a quibus nihil timere possitis* (*Ibid.*). Rigaltius vero propria auctoritate, et contra exemplarium manuscriptorum atque editorum fidem, hæc verba, *quia forte non creditis*, tanquam supervacua, aut sibi non placita sustulit. Sed quid, amabo te, nocebant ea verba, quibus Auctor significat ethnicis persuasum omnino non fuisse Christianos pro ipsis Deum verum precari? At id tamen, inquit, tam erat certum, quam plane constabat dæmonia ab illis ex eorumdem gentilium ejecta fuisse corporibus, sicuti a nobis evidentissime probatum est.

Quanti ergo, arguit Tertullianus, vos ethnici *habetis*, hoc est, quanto pretio æstimatis hoc maximum certe beneficium, quod Christiani vobis impertiuntur? Nonne eo solo nomine vobis summæ profecto, ut supra diximus (*Supr.*, *cap.* 22, *art.* 1), erant utilitati?

Verum instat adhuc ille, et intortum ab ethnicis telum in illos retorquendo, plane demonstrat ab illis summum reipublicæ detrimentum fieri. Nam cum longe major, sicut haud semel diximus, esset christianorum, quam illorum numerus, nonne respublica damnum certe maximum ab his ipsis accipiebat, quorum crudelitate *tot justi* christiani, sicut Auctor noster ait, *impendimur*, id est, consumimur et occidimur. Eo enim sensu scripsit latinus epistolarum Pauli interpres : *Ego autem lubentissime impendam*, *et superimpendar ipse pro animabus vestris* (*Paul.*, *Epist.* II *ad Corinth.*, *cap.* XII, 15). Addit vero Tertullianus : *Cum innocentes erogamur* (*Tertull.*, *lib. de Præscrip.*, *cap.* 2). Pamelius vero mallet *erodimur* : sed sæpius Auctor noster verbo *erogare* utitur, quam ut, invitis manuscriptis omnibus, credatur illud ibi corruptum esse. Eodem itaque significatu ibi accipitur, quo alibi dixit, *Febrem erogando homini deputatam*. Et revera homo erogatur febri, cujus mortiferi sunt exitus. Alibi etiam scripsit gladiatores, qui occidi didicerant, edicto die inferiarum erogari (*lib. de Spectac.*, *cap.* 12). Denique de inferni igne, uti animadvertimus (*supr.*, *cap.* 11, *art.* 4), ab eo dictum : *Dum erogat*, *reparat*.

Porro autem quid, quæso, in majus reipublicæ damnum verti potuit, quam contra humanas divinas-

Digitized by Google

que leges innumeros christianos non solum suo numero reipublicæ utiles, sed cives etiam optimos, morum vitæque integritate venerandos, nullius hostes, nullius criminis reos, suum, sicut superius ostendimus (*Supr.*, *cap.* 14, *art.* 3), duntaxat ob nomen vexare, ac quibuslibet exquisitissimis cruciatibus excarnificare et occidere? Ethnici ergo vel hanc solam propter rationem magnum utique toti reipublicæ inferebant malum. Contra vero Christiani nullum profecto importabant; aut si quid ab eis unquam factum designari potuerit, illud certe magno cum fœnore ab ipsis aliunde, et vario modo resarciebatur.

Atque hactenus quidem exposuimus et enucleavimus omnia ac singula argumenta, quibus Tertullianus christianæ religionis veritatem, sanctitatem, sincera ejus documenta, et iniquissimam Christianorum vexationem demonstrat. Jam itaque examinandum superest, quomodo probaverit falsam esse gentilium religionem.

CAPUT XXV.

Quibus argumentis Tertullianus demonstret falsam esse gentilium religionem, ac falsos omnes illorum deos.

ARTICULUS PRIMUS.

Quam aperte falsitas religionis ethnicorum demonstretur ex christianæ veritate, ejectis ex obsessorum corpore dæmonibus, certa hominum conscientia; potiori et notiori, sed plane falsa divinitate Saturni, qui homo fuit, et a Jano in Italia exceptus, suum nomen dedit civitati, quam depalaverat, totique Italiæ, quæ prius Œnotria vocabatur; item Thalli, Cassii, et Nepotis testimonio, ac proinde falsam esse ipsam quoque Jovis aliorumque, venditatam ab ethnicis, divinitatem.

Quibus rationum momentis invictissime assertam vindicatamque a Tertulliano vidimus christianæ religionis veritatem, iisdem funditus evertuntur omnes gentilium dii, et superstitiosæ religiones. Nam si vera est Christi divinitas, sicuti Tertullianus noster scite observat, sequitur *ut falsa renuntietur quævis alia contraria reperta* (*Tertullian.*, *Apologet.*, *cap.* 21, *pag.* 404). Præterea manifestissime cum illo ostendimus (*Supr.*, *cap.* 7, *art.* 1) unum tantummodo esse posse Deum, ac proinde falsos alios omnes, quotquot ab ethnicis fingi potuerunt.

Nec minus perspicue a nobis demonstratum est (*Supr.*, *cap.* 8, *art.* 1) dæmones a christianis ejectos fuisse ab eorum, quæ obsidebant, corporibus, illosque tum coactos palam fateri se non deos sicuti putabant ethnici, sed immundos esse spiritus; unicum vero, quem Christiani prædicabant, esse Deum, ac Christum hujus esse Virtutem, Sapientiam, Rationem, et Filium, cujus nomine ac virtute fugabantur. Nihil ergo necesse erat alia plura a Tertulliano (*Tertul. Apologet.*, *cap.* 23) congeri argumenta, quibus amplius comprobaret plane commentitios fictosque esse ethnicorum deos, ac proinde falsam illorum religionem. Verum ut eosdem ethnicos impii deorum suorum cultus, ac perversæ religionis tandem aliquando, si fieri poterat, omnino puderet, variis adhuc rationum momentis manifestissimum cuilibet facit tam apertas falsæ illius religionis notas deprehendi, ut qui eas non perspiciat, se ipsum penitus excæcare velit.

Primo itaque ipsammet gentilium conscientiam testem appellat, qua constricti, fateri, ut supra vidimus, cogebantur unicum esse Deum, eosque omnes, quos vocabant colebantque deos, revera fuisse homines. Si quis vero sceleratus certissimo conscientiæ suæ testimonio repugnare ausus fuisset, is plane revincebatur elingui quidem, sed eloquentissimo civitatum omnium clamore, in quibus hi dii, sicuti haud semel observavimus (*Sup.*, *cap.* 7, *art.* 1), nati, versati, mortui et sepulti sunt. Quoniam vero infinita erat illorum multitudo, ac singulos recensere vel etiam nominibus suis appellare longius foret, ipsum Tertullianus petit illorum caput, et magis notam omnibus originem (*Ibid.*, *cap.* 11, *pag.* 12 *et seq.*, *cap.* 29, *pag.* 438; *et lib.* II *ad Nation.*, *cap.* 1).

Ethnicos itaque sic urget, et alloquitur: *Ante Saturnum Deus penes vos nemo est: ab illo census totius, vel potioris, vel notioris divinitatis* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 11, *pag.* 332; *et lib.* I *ad Nation.*, *cap.* 12, *pag.* 578). Dixit autem *potioris vel notioris* (*Ibid.*), aut ut in manu exaratis nostris exemplaribus, *et notioris*, nec prorsus quidem male. Significat etenim se deorum primordia non a prima idololatriæ origine, quam alibi obscuram esse, nec a cunctis eamdem assignari vidimus (*Tom.* I *Apparat.*, *pag.* 717 *et seqq.*; *et dissert. super.*, *cap.* 30 *et seqq.*); sed ab ipsa divinitate Saturni, qui omnibus aliis diis potior et notior habebatur. Quid vero mirum, si ab illo ordiatur, cum Varro, qui tot libros de diis suis composuerat, omnium deorum *antiquissimos venditet Jovem, Junonem, et Minervam* (*Tertullian.*, *lib.* II *ad Nation.*, *cap.* 12). At Jupiter genitus ferebatur a Saturno, qui proinde illo antiquior erat. Ab hujus autem parentibus Cœlo, sive Chrono, et Terra, incipiendum esse non censuit, tum quia Saturnus, unicus eorum filius, his ac cæteris omnibus diis notior erat, et potior credebatur, tum quia hæc ridicula poetarum de illius ex Cœlo et Terra ortu commenta et fabulæ sunt. Natus siquidem ex illis fingebatur, quoniam parentes ejus ignoti fuerunt. Nam *ex consuetudine humana*, ait Tertullianus, *ignoti, vel ex inopinato apparentes, de cœlo supervenisse dicuntur* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 10, *pag.* 331; *et lib.* II *ad Nation.*, *cap.* 12), sicut et vulgus filios terræ vocat, quorum incertum erat genus. Sed hæc omnia in superioribus nostris dissertationibus explanavimus (*Dissertat. in Minut.*, *Octav. cap.* 15, *art.* 1; *et dissert. in Lactant.*, *cap.* 30, *art.* 1, *et cap.* 31, *art.* 2).

Præterea cuilibet perspicuum ibidem fecimus quam recte ille asseruerit hominem fuisse Saturnum, qui post multas expeditiones in Italiam appulit, ac postquam ibi a Jano susceptus fuisset, *mons*, inquit, quem incoluit, *Saturnius dictus; civitas, quam depalaverat, Saturnia usque nunc est.* In antiqua, et al-

Digitized by Google

tera recentiori editione legimus- *debellaverat*; sed Tertullianeum verbum est *depalaverat* (*Tertullian., loc. cit.*); Ubi enim de mundi creatione adversus Hermogenem disputat : *Omnia*, inquit, *opera sua Deus ordine consummavit, incultis primo elementis depalans quodammodo mundum* (*Idem*, *lib. adv. Hermog., cap.* 29). Rursus vero contra Marcionem : *Quod architectum se prudentem affirmat, hoc invenimus significari depalatorem disciplinæ divinæ a creatore* (*Idem*, *lib.* V *advers. Marcion., cap.* 6). Itaque dixit a Saturno depalatam civitatem, id est conditam, vel positis palis fundatam, sive ut aliis placet, palis instructam. Et hi quidem explicationem suam firmare conantur his Hermæ verbis : *Cum depalasset vineam* (*Herm., lib.* III, *similit.* 5, § 2, *pag.* 61).

Tum deinde Tertullianus : *Consedit* Saturnus, *exceptus ab Jano, vel Jane* (*Tertullian. Apologet., cap.* 10) : MSS. nostri, *Janæ ut Salii volunt*. In duobus autem manu recentiori exaratis exemplaribus nostris, et in primo ad Nationes libro, ubi eadem repetuntur : *Etsi alii vocant* (*Lib.* I *ad Nation., cap.* 12, *p.* 578) : melius forsitan, *sicut alii*. Quorsum enim ibi Saliorum mentio? Numquid ab illis aut solis, aut primis Saturnus dictus est a Jane, non autem Jano exceptus? Sed hæc aliorum judicio permittimus.

Postquam vero Saturnus datam sibi a Jano sedem fixisset : *Tota Italia*, ait Auctor noster, *post Œnotriam Saturnia cognominabatur* (*Tertull., ibid*) : et in libro ad Nationes : *Tota Italia de Saturno vocabatur*. Italiæ autem primum Œnotriæ nomen fuisse aperte docet Virgilius his versibus :

> Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt,
> Terra antiqua, potens armis atque ubere glebæ,
> Œnotrii coluere viri, nunc fama minores
> Italiam dixisse ducis de nomine gentem.
> (*Virgil., lib.* I *Æneid., v.* 534 *et seqq.*)

Nec id semel cecinisse contentus, iisdem verbis alio in libro repetit (*lib.* III, *v.* 163 *et seqq.*). Videsis Servii in hæc carmina annotationes, Antiochum a Strabone citatum (*Strab., lib.* III *Geogr., p.* 254), et alios. Italia itaque a Saturno nuncupata prius fuit Saturnia, ut liquet his Ovidii carminibus :

> Hac ego Saturnum memini tellure receptum;
> Cœlitibus regnis à Jove pulsus erat.
> Inde diu genti mansit Saturnia nomen;
> Dicta quoque est Latium terra, latente Deo.
> (*Ovid., lib.* II *Fastor.* § 3, *v.* 235.)

Quamobrem a poetis ut vidimus (*Dissertat. in Minut., c.* 16, *art.* 1), vocatur tellus terraque Saturnia, et a Virgilio, ubi cecinit :

> *Salve, magna parens frugum, Saturnia tellus?*
> (*Virgil., lib.* II *Georg., v.* 174.)

Nonne autem ea omnia satis evidenter probant Saturnum fuisse hominem? Quod quidem Tertullianus tam in Apologetico, quam in secundo ad Nationes libro adhuc confirmat testimonio Diodori, Thalli, Cassii Severi et Cornelii Nepotis, de quibus alibi egimus (*Dissertat. in Minut., cap. ult., art.* 2, *et in Lactant., c.* 31, *art.* 3). Non sine aliqua tamen observatione præmittere possumus in priore libro scriptum *Cassius Severus*. Duo autem eo nomine insigniti fuerunt : alter, uti in Eusebiano Chronico legimus, *orator egregius* (*Chron. Euseb., ad ann.* 2047), qui Augusti imperatoris tempore in exilium missus est; alter vero poeta parmensis, qui ex iis unus fuit, qui cum Bruto Julium Cæsarem interfecerunt, de quo plura Lilius Giraldus (*Girald., Dial.* IV, *de Poet. Hist., p.* 160), Vossius (*Voss., de Poet. latin., c.* 2), Scaliger (*Scalig., in cit. Chron. Euseb.*), et alii (*Fabius, lib.* X, *et Senec, epist.* 79). Uterque porro a nonnullis *Cornelius Severus* vocatur. Sed in Tertulliani textu forsitan additum est cognomen *Severus*, a Minutio Felice et Lactantio, sicut alibi vidimus, omissum. Nam quæ ille de Saturno narrat, hæc potius a Cassio Hemina, quemadmodum etiam annotavimus, quam a Cassio Severo scriptis tradita videntur. In illius quoque ad Nationes libro ab oscitante librario scriptum est : *Cornelios Nepotes et Tacitum*. Ad quid enim ibi *Taciti* mentio, cujus nulla in Apologetico, neque a Minutio et Lactantio facta est (*Dissertat. in Minut., cap. ult., art.* 2)? Nonne ibi sicut in illorum libris legendum est *Græcum Thallum*?

Quidquid autem ea de re peritiores pronuntient, quorum judicio semper stabimus, haud dubitanter Tertullianus affirmat nullum ab ullo gentili inveniri aut citari posse auctorem, qui unquam negaverit Saturnum fuisse hominem, qui ab alio homine et vitam accepit et regnum, ac proinde Deus esse non potest *Tertullian. Apologet., c.* 10, *p.* 331, *et l.* II *ad Nation., c.* 12, *p.* 578). Verus enim Deus, ut sæpius diximus (*Dissert. in Minut., cap. ult., art.* 2), a se ipso solo est, et ideo omnipotens, qui homines cæteraque omnia creavit, qui omnibus dominatur, qui omnia regna dispensat.

Post hæc ille : *Satis jam*, inquit, *de Saturno* (*Tert., Apologet., c.* 10, *p.* 331), ad cuilibet hebetiori atque obstinatiori demonstrandum falsam omnino esse illius divinitatem. Data autem opera ibi adjecit *licet paucis*. Nam in secundo ad Nationes libro falsitatem ejus variis demonstrat argumentis (*lib.* II *ad Nation., c.* 7, *et cap.* 16), quæ in superioribus nostris dissertationibus explicata, non amplius hic repetenda sunt.

Saturnus porro si deus nec fuit, nec esse potuit, quia homo erat, cæteris hominibus similis; multo magis divinitate carent Jupiter, ejus filius, totaque aliorum pene innumerabilium caterva, quos ab eodem Saturno, aut saltem post illum ortos esse constat (*Idem, Apologet., c.* 10, *p.* 333). Quis enim nesciat Jovem, quem ethnici deum optimum, maximum vocabant, ex ejusdem Saturni cum Ope, seu Rhea sorore sua connubio, sive potius incestu, natum perhiberi? Adultus autem, pulso patre suo, in illius invasit regnum, atque assumptis, uti ait Tertullianus, squammati, cornuti, plumati, imbris aurei figuris, filios infamibus stupris et adulteriis procreavit (*Tertull., Apologet., c.* 21, *p.* 396, *et l.* II *ad Nat., c.* 13).

Quis ergo expensis his omnibus, quæ aliis nostris in dissertationibus enucleavimus (*Dissertat. in*

Digitized by Google

Minut., *c.* 15, *art.* 1, *et dissertat. in Arnob.*, *c.* 11, *art.* 4, *et in Lactant.*, *c.* 3, *art.* 1 *et seqq.*), dilfiteri unquam poterit illum deum non esse, sed sceleratum hominem qui omnem humanitatis, et pudoris sensum exuerat?

ARTICULUS II.

Quam præpostere ethnici venditarent suos post mortalem hanc vitam factos esse deos ab alio superiore mancipe divinitatis; unum duntaxat esse deum, qui mundum ante omnes gentilium deos, ac fruges, et ante Cererem, Bacchum et Minervam creaverat; nec magis deos dici posse illarum frugum inventores, quam Lucullum, qui cerasa, et Catonem, qui ficum viridem in Italiam primi attulerunt.

Fatebantur quidem ethnici, quod negare nunquam potuerunt, Saturnum, aliosque, quos deos esse somniaverant, reipsa fuisse homines: sed cum Varrone contendebant illis, hujus vitæ mortalis munere rite functis, datam divinitatem (*Tertullian.*, *Apologet.*, *c.* 11, *p.* 335). Verum absurdam opinionem suam alio absurdiori commento tueri frustra conabantur. Neque enim homines post mortem suam dii fieri potuerunt, nisi vel a se ipsis, aut alio aliquo iis potentiore deo. Atqui utrumque falsum est. Non ipsi siquidem potestatem habuerunt divinitatem sibi mortuis conferendi. Si quando namque id potuissent, nunquam fuissent homines, mortalium infirmitatibus et vitiis obnoxii. Cujus hanc Auctor noster rationem reddit: *Nunquam homines fuissent, possidentes scilicet melioris*, quam fragilis humanæ *conditionis potestatem* (*Ibid.*). Solus quippe Dei Filius, ab æterno Deus, assumpta quidem, sed modo prorsus admirabili, et absque ulla vitii aut peccati labe, natura hominis, mortalem vitam egit.

Neque etiam ficti gentilium dii ab ullo alio divinitatem accipere potuerunt, nisi illis major potentiorque fuerit; aut ut Tertulliani ad ethnicos verbis utamur: *Necesse est concedatis esse aliquem sublimiorem Deum, et mancipem quemdam divinitatis* (*Ibid.*). Nomen autem *manceps* a politioris latinitatis scriptoribus pro eo sumitur, qui aliquid publice conducit, vendit et redimit. At nunc ab Auctore nostro accipi potius videtur pro aliquo divinitatis custode, curatore ac præfecto (*Idem*, *lib. de Idolol.*, *c.* 1, *et lib. de Pudicit.*, *c.* 14); quo sensu in codice Theodosiano thermarum aliarumque rerum *mancipes* vocantur (*Cod. Theodos. leg. Un. de Mancipib.*, *t.* V, *p.* 183). At quicumque dixerint Saturnum aliosque mortuos homines suam divinitatem accepisse ab alio illius mancipe, hoc ipso non esse deos palam confitentur. Verus siquidem Deus a se solo et æternus sit, necesse omnino est.

Præterea nullus unquam, nisi plane desipiat, dixerit ab omnipotente ac sapientissimo Deo aliquid inconsiderate, temere ac sine caussa factum. Atqui nulla prorsus caussa assignari potest cur ille suam cum mortuis hominibus communicaret divinitatem (*Tertullian.*, *Apologet.*, *c.* 11, *p.* 333). Duplex quippe tantum hæc caussa esse vel potius excogitari potuit. Ac primo quidem, quia Deus horum indiguerit officiis et auxilio: secundo, quia illi eximiis suis factis et virtutibus divinitatem meruerunt. At utrumque falso falsius esse convincitur.

Qua enim aut mortuorum, aut etiam vivorum hominum ope Deus omnipotens unquam indiguit? Numquid ad condendum mundum? At quicumque gentiles id asseruerint, repugnantem habebunt Pythagoram (*Ibid.*, *p.* 13), qui, ut supra vidimus (*Dissertat. in Lactant.*, *c.* 21, *art.* 2), mundum increatum prædicabat. Tametsi vero mundus, ut Plato aliique philosophi, quemadmodum adhuc annotatum est, recte docuerunt, reipsa creatus sit; verus nihilominus Deus, cujus infinita potestas est, nullius plane ad illum fabricandum subsidio eguit.

Quid vero, quod constat ante Saturnum ac quoslibet alios gentilium deos, *pluvias*, sicut ait Tertullianus, *de cœlo ruisse, et sidera* (*Tertullian.*, *loc. cit.*), puta solem ac lunam, *radiasse*, *et lumina*, videlicet stellarum, *floruisse?* Alio siquidem in libro scripsit: *Cœlum luminibus floruisset, magis sol radiis insultasset* (*lib.* IV *adv. Marcion.*, *c.* 42). Quam igitur opem ad mundum creandum Deo ferre Saturnus aut quilibet alius poterant, qui longo post solem, lunam et stellas tempore orti sunt? Addit Tertullianus ante omnes gentilium deos, *tonitrua mugisse et ipsum Jovem, quæ in manu ejus ponitis* (sive, ut in antiquioribus editis et ineditis codicibus, *imponitis*) *fulgura timuisse* (*Tertullian.*, *Apologet.*, *c.* 11, *p.* 334). Et vero cum certum sit tonitrua mugisse, antequam Jupiter exstitisset, dubium nemini esse debet, quin, insito omnibus hominibus timore, fulmina nunquam audita primum saltem timuerit. Quamobrem Tertullianus jure merito ridet ethnicos, qui fulgura et fulmina in ejus manu esse, et ab eo, licet non facta, vibrari effutiebant.

Sed acrius adhuc urget nihil imperfectum ab omnipotente fieri, atque idcirco mundum, omnibus absolutum numeris, ab eo conditum fuisse. Omnia igitur, quæ ad sustentandam hominis vitam necessaria sunt, ante quoslibet gentilium deos omnesque homines creaverat. Itaque *nihil*, ait ipse Tertullianus, *continendo*, id est, conservando *homini*, ac cohibendo ne moreretur, *et sustinendo*, sive sustentando, alendo, reficiendo, *prospectum*, ac datum *post hominem* creatum *potuit inferri* (*Ibid.*). Sed hæc ejus verba non ita ad vivum resecanda sunt, ut dixisse credatur nihil post conditum hominem potuisse a Deo creari, quo vita hominis contineretur et sustineretur. Non enim sibi aliud voluit, nisi cuncta, sine quibus humana vita conservari non potest, a Deo creata fuisse ante conditos quoscumque homines, ac multo magis ante Saturnum ac Jovem, aliosque omnes ethnicorum deos. Tam certo igitur, quam evidenter ille inde concludit Deum verum nullius ad mundum faciendum indiguisse auxilio. Non ergo dii aliqui hanc ob caussam facti sunt.

Instat adhuc *de terra exuberasse omnem frugem ante*

Digitized by Google

Liberum, et Cererem, et Minervam, imo ante illum aliquem principem hominem (*Ibid.*), sive Saturnum, quem ethnici potiorem primumque omnium, uti paulo ante dicebamus, deorum esse garriebant. Ethnicos autem ibi castigat, qui opinabantur Liberum ob vini, Cererem ob frumenti, Minervam propter oleæ adinventionem numero adscriptos fuisse deorum. Prius enimvero hæ fruges creari debuerunt, quam inveniri. Atqui ille tantum Deus est, a quo creata institutaque fuerunt. Neque urgeas Lucretium de his loquentem usum esse verbo *instituisse*, ubi cecinit :

Namque Ceres fertur fruges, Liberque liquores
Vitigeni laticem mortalibus instituisse,
Cum tamen his posset sine rebus vita manere,
Ut fama est aliquas etiam nunc vivere gentes.
(*Lucret. lib.* V, *v.* 14 *et seqq.*)

Poeta enim ibi de his loquitur, quæ aliquorum arte et ingenio reperta fuerant. Verbum ergo *instituisse*, non alio quam invenisse, sensu accepit. Si quis vero contendat ab illo *instituisse* dictum, quia Bacchus et Ceres panis ex frugibus, vinique ex uvis conficiendi modum docuisse ferebantur, non multum repugnabimus. Verum is ne hilum quidem inde proficiet. Nobis enim plane sufficit certo certius esse nullas fruges a Baccho, Cerere, et Minerva creatas. Nemo quippe ob eas aut indicatas, aut repertas, aut fieri, aut esse deus potest.

Neque alius deinceps audiendus, qui objicere audeat frugum inventionem tantæ hominibus esse utilitati, ut propter solum hoc beneficium Ceres, Bacchus et Minerva in deorum grege annumerari meruerint. Jam enim hæc ratio satis confutata est. Deinde vero si alicujus ea esset momenti, Lucullus debuit etiam deus fieri, *qui primus*, uti Tertullianus ait *cerasa* (MSS. *cerasia*) *ex Ponto Italiæ promulgavit* (*Tertullian., ibid.*). Ex Plinio autem discimus anno urbis conditæ 680, post victoriam Mithridaticam cerasa ab hoc Lucullo transportata fuisse in Italiam *ex Ponto* (*Plin., lib.* XV *natur. Hist., c.* 25, *p.* 207), sive ut ait Hieronymus, *de Cerapunto* (*Hieronym. epist.* 23. *ad Eustoc. pag.* 60), unde nomen suum traxerunt. Horum itaque præstantium virorum auctoritate corrigendus est alius Tertulliani in secundo ad Nationes libro locus, ubi scriptum legimus : *Cn. Pompeius de Ponto..... Italiæ promulgavit* (*Tertull. lib.* II *ad Nat. cap.* 16).

Instat ille ficum viridem Romæ cognitam non fuisse, antequam *Cato* eam senatui *intulit* (*ibid.*). Tota autem hæc historia a Plinio jam citato descripta est (*Plin., lib.* XV *natur. Hist., cap.* 18, *pag.* 198), et ex illa, sicut ex superiori, Tertullianus concludit iniquos esse gentiles, qui Cererem, Bacchum, et Minervam ob fruges inventas in deorum suorum reposuere numero, et Lucullum ac Catonem, qui alias hactenus incognitas in Italiam Romamque attulerant, apud *inferos reliquerunt*. Sed hæc fusius prosecuti sumus in aliis nostris dissertationibus (*Dissertat. in Minut. Oct., cap.* 14, *art.* 2, *in Arnob., cap.* 9, *art.* 2, *et dissert. in Lactant. cap.* 30, *art.* 5), ubi refellimus eosdem gentiles, qui homines, ob collata aliis hominibus beneficia, deos post mortem suam factos esse garriebant.

ARTICULUS III.

Quanta insulsitate gentiles venditabant Saturnum, Jovem, aliosque ob merita, præclaraque facinora, factos esse deos, et alios, illis præstantiores, relictos in inferis, nimirum Socratem, Aristidem, Themistoclem, Alexandrum Magnum, Pompeium, Polycratem, Syllam, Crœsum, Crassum, Demosthenem, Ciceronem : atque ostenditur divinitatem a gentilibus eadem, qua diis suis, ratione tribuendam Laidi, Phrynæ, Larentiæ, atque ipsis sive mortuis sive vivis Cæsaribus.

Altera tribuendæ mortuis hominibus divinitatis ratio ab ethnicis desumebatur ex illorum meritis factisque eximiis, quibus eam assecutos esse audacter venditabant. At quicunque id serio asseverabant, hi, ut recte observat Tertullianus, fateri cogebantur aliquem esse *Deum deificum* (*Tertullian., Apologet., cap.* 11, *p.* 333), id est qui alios ob quædam præclara facta deos faciat. Præcellens ergo ille Deus debuit æquissima justitiæ lance aliorum merita ponderare, et omnipotentia sua illos debito præmio remunerari. Atqui huic soli æquissimo et omnipotenti competit divinitas, quam nulli alteri, aut natura, aut quibuslibet meritis a se distincto dare potest. Suprema enim divinitas dividi nequit, atque, ut sæpius diximus, Deus aut unus aut nullus est.

Sed age, dicque nobis, obsecro, quænam fuerint Saturni, Jovis, Junonis, aliorumque virtutes, eximiaque merita, quibus potuerint divinitatem emereri? Nonne gentiles palam prædicabant, insolenterque gloriabantur illos vitam vixisse stupris, adulteriis, ac quibuslibet, ut alibi ostendimus (*Dissertat. in Arnob. cap.* 12, *art* 1 *et seqq.*), maximis sceleribus et flagitiis infamem, ac contaminatam? Fac tamen eos tot tantisque virtutibus cumulatos fuisse, quot quantisque vitiis coinquinabantur; cur ergo his, ait Tertullianus, in cœlum sublatis, ac divinitate donatis, alii virtute pares, atque etiam præstantiores, *apud inferos* relicti sunt (*Tertull. ibid.*)? Nullus enim gentilis quantumvis ad audendum projectus, id negare poterat, quod manifestissime probatur illustrium exemplis virorum quorum egregias singularesque virtutes ipsimet ethnici summis extulerunt laudibus.

Nam ut proposita a Tertulliano (*Ibid.*) exempla percurramus, quis gentilium deus sapientior Socrate, qui Apollinis oraculo, a nobis alibi citato (*Dissert. in Minut. Octav., cap.* 3, *art.* 2), mortalium omnium sapientissimus renuntiatus est? At tantum abest, ut deus dictus sit, quin Atheniensium judicio fuerit condemnatus, ac *cujus morti*, inquiebat Cicero, *illacrymari soleo, Platonem legens* (*Cicer., lib.* III *de Nat. deor. p.* 252, *lin.* 29). De illa autem Socratis morte disputavimus in superioribus nostris dissertationibus (*Dissertat. in Minut., c.* 3, *art.* 2, *et in Lactant., cap.* 14, *art.* 1), et paulo post adhuc aliquid dicendum (*Infr. cap.* 26, *art.* 4).

Quis gentilium deus justior Aristide (*Tertullian.*

Digitized by Google

Apologet. cap. 11, *p.* 336), *quo totius Græciæ*, ut ait Valerius Maximus, *justitia censetur* (*Val. Max., lib.* V, *cap.* 3, § 3, *extern.*). Quamobrem a Cicerone per antonomasiam *Aristides justus* (*Cicer., lib.* III, *de Offic., p.* 339, *lin.* 7), ac græce a Plutarcho Ἀριστείδης ὁ δίκαιος cognominatur (*Plut. tom.* I, *p.* 318, *et tom.* II, *p.* 186). Verumtamen ethnici non solum datam aliis iniquissimis divinitatem ei negaverunt, sed improborum factione, ut idem Valerius Maximus testatur, *patria excedere jussus est.* Continenter vero adjecit : *Felices Athenas, quæ post illius exilium invenire aliquem potuerunt aut virum bonum, aut amantem sui, cum quo tunc ipsa sanctitas migravit* (*Val. Max. loc cit.*).

Quis ex bellicosis diis militari gloria magis quam Themistocles claruit (*Tertullian., Apolog. cap.* 11, *p.* 336)? At ille nihilominus multis, quæ Thucydides (*Thucid., lib.* I *Hist., p.* 62 *et seqq.*), et Plutarchus (*Plutarch. in Vit. Themistoc. p.* 113 *et seqq.*) memoriæ prodiderunt, bello præclare gestis, *cum patriam claram, incolumem*, ut ait adhuc Valerius Maximus, *opulentam, principem Græciæ reddidisset* (*Val. Max., lib.* V, *cap.* 3, *exter.* § 3), plane ingratam expertus est. Proditionis enim falso accusatus, primum Argos, inde Corcyram, postea ad Admetum, Colossorum regem, ac deinde ad Artaxerxem, filium Xerxis confugit; exul tandem, hausto sanguine bovis, ut quidam putant, sive ut alii plures narrant, veneno, ex corporis vinculis tanquam ex quodam evolavit carcere.

Quis gentilium deus, pergit Auctor noster, Alexandro et Pompeio sublimior? Utrique enim res armis belloque gestæ cognomen magni pepererunt. Quam autem infelici exitu ambo ex hac vita migraverint, nemo certe ignorare potest, qui libros a Quinto Curtio et Plutarcho de illorum vita conscriptos levi manu attigerit? Non minus tamen, quam Mars, Romulus et alii, divinitatis præmium eximiis rebus gestis meruerant.

Quis præterea gentilium deus græco Polycrate, et Sylla Romano felicior (*Tertullian. loc. cit.*)? Multi *siquidem*, ut ait Sallustius, dubitaverunt *fortior an felicior esset* Sylla (*Sallustius, de bello Jugurth. cap.* 17). Testatum insuper Plutarchus facit illum, transacto triumpho, cum pro concione res a se tam fortiter, quam feliciter gestas recensuisset, jussisse se felicem cognominari (*Plutarch., in Vita Syllæ, t.* I, *p.* 453 *et seqq.*). Sed hæc illum ad divinitatem non perduxerunt. Deliciis enim corruptus, pediculari morbo vitam finivit. Polycratis vero felicitas his Valerii Maximi describitur verbis : *Omnes conatus ejus placido accipiebantur itinere; spes certum capitæ rei fructum apprehendebant, vota nuncupabantur, simul et solvebantur, velle ac posse ex æquo positum erat* (*Val. Max., lib.* VI, *cap.* 8, § 5. *Extern.*). Et vero secundis rebus ita utebatur, ut maximi pretii annulum, cum in mare ad felicitatis suæ experimentum projecisset, in capto postea pisce repertus fuerit. Testem hujus aliarumque ejus prosperitatum habes Strabonem (*Strab., lib.* XIV, *Geogr. p.* 657), Herodotum (*Herodot. lib.* III, § 39 *et seqq.*), et alios quamplures. At tot tantarumque prosperitatum cursum non accepto divinitatis titulo, sed uti Valerius Maximus adhuc memorat, crucis supplicio absolvit.

Quid plura? Nullus fuit deus gentilis Cræso Crassoque ditior (*Tertullian. Apologet. cap.* 11, *p.* 337). De primo namque Ovidius cecinit :

> Divitis audita est cui non opulentia Cræsi?
>
> (*Ovid. lib.* 4, *de Pont.*)

De Crasso autem Tullius : *Negabat*, inquit, *ullam satis magnam pecuniam esse ei, qui in republica princeps esse vellet, qui suis fructibus exercitum alere non posset* (*Cicer. lib.* I, *de offic. p.* 334, *lin.* 3). Atque ortum inde illud adagium : *Cræso et Crasso ditior*, de quo plura apud Erasmum legere poteris (*Erasm., adag. Chil.* 1, *Centur.* 6, *adag.* 74). Victus tamen a Cyro captusque Cræsus servitutem, postremum, inquit Cicero, malorum omnium, illi servire coactus est (*Cicer., Philipp.* II, *p.* 606, *lin.* 12). Videsis Herodotum (*Herodot., lib.* I, § 86 *et seqq.*), Thucydidem, Justinum historicum et alios. Quis etiam ignorat infelicem Crassi cædem, qui postquam a Parthis cum majore Romani exercitus parte fusus ac profligatus fuisset, ipsi amputato capite illusum est? Multa de illo Plutarchus in ejus vita (*Plutarch. in vita Crassi. tom.* 1, *p.* 564 *et seqq.*), quem sicuti Florum, Velleium Paterculum, Justinum historicum, aliosque Romanæ historiæ scriptores adire poteris.

Quis porro gentilium deus græcum Demosthenem, Ciceronem latinum, eloquentia, ait Tertullianus, unquam superavit? Sed quale fuit tantæ græcæ, latinæque eloquentiæ, nemini prorsus incognitæ præmium! Non divinitas sane, sed infelicissimus crudeli nece interitus? Verum hæc omnibus satis comperta, jam probasse sufficiat quinque Juvenalis, post decantatos Crassum et Pompeium, hisce carminibus :

> Eloquium ac famam Demosthenis aut Ciceronis
> Incipit optare, et totis quinquatribus optat,
> Quisquis adhuc uno partam colit asse Minervam,
>
> Eloquio, sed uterque perit Orator, utrumque
> Largus et exundans letho dedit ingenii fons.
>
> (*Juvenal. Satir.* 10, *v.* 113, *et seqq.*)

Ethnicis ergo, arguit Tertullianus, quis non succenseat, qui cum tot viros virtute et meritis adeo excellentes in inferis reliquerunt, ac tot alios scelestos et improbissimos post eorum mortem ob quædam egregia facinora deos renuntiatos esse garriebant (*Tertullian. Apologet. cap.* 11, *p.* 337)?

Urget adhuc ille (*Ibid. cap.* 13, *p.* 347), ac : Quæ, inquit, fuerunt deæ Larentinæ virtutes et merita! *Nonne publicum scortum* erat? Satis profecto id alibi probavimus (*Dissertat. in Minuc., cap.* 18, *art.* 1, *et in Lactant. cap.* 32, *art.* 1). Numquid autem magis pudicas dixeris Junones, Cereres, ac Dianas? Sed ipsimet gentiles, sicuti in superioribus dissertationibus ostendimus, effrænatam illarum libidinem et impudicitiam promulgaverunt? Quamobrem Auctor noster insanam gentilium impietatem, qui has deas adorabant, sic irridet : *Velim saltem Laidem ac Phrynen inter Junones, et Cereres, et Dianas adoretis* (*Ter-*

Digitized by Google

tullian., Apologet. cap. 13, *p.* 347). Meretriciam vero artem Lais publice exercebat, de qua Propertius :

Non ita complebant Ephireæ Laidis ædes
Ad cujus jacuit Græcia tota fores.
(*Propert. lib.* II. *Eleg.* 6, *v.* 1 *et* 2.)

Nullum autem illa admittebat, nisi accepta, quam poscebat, pecuniæ summa. Quia vero Corinthi commorabatur, inde factum illud adagium, Horatii expressum carmine :

Non cuivis homini contingit adire Corinthum.
(*Horat. lib.* I, *epist.* 17, *v.* 36.)

Sotion porro, ab A. Gellio citatus (*Gell. lib.* I, *Noct. Attic. cap.* 8, *p.* 37), narrat Demosthenem respondisse se tanti non emere pœnitentiam. De ea nos aliquid alibi annotavimus (*Tom.* I *Apparat. p.* 1241), ac plura si velis, adi Pausaniam (*Pausan. lib.* II, *p.* 42), Athenæum (*Athen. lib.* XIII, *cap.* 6, *p.* 587), Ovidium (*Ovid., lib.* I, *Amor. Eleg.* 5, v. 12) aliosque. Callistratus vero ab eodem Athenæo laudatus, nos admonuit memoratam adhuc a Tertulliano Phrynen adeo fuisse divitem, ut pollicita sit se Thebarum mœnia constructuram, si *adscriberetur* : Ἀλέξανδρὸς μὲν ἀνέστησεν, ἀνέστησε δὲ Φρυνὴ ἡ ἑταίρα. *Alexander quidem fecit, Phryne autem scortum refecit* (*Athen.*). Sed de illa nos plura alibi observavimus (*Tom.* 1. *Apparat. p.* 550, *et* 744. *et Dissert. in Arnob. c.* 22, *art.* 3).

Denique Auctor noster, ut acriori stimulo confodiat ethnicos, ab eis sciscitatur cur pessimos homines, et aliis, quos recensuimus, illustribus viris longe pejores, deos fecerint. Numquid aliquando clausum, inquit, fuit cœlum, ut illud optimi viri non potuerint deinceps ingredi? Cur ergo illud postea aperuerunt suis Cæsaribus, non modo mortuis, sed etiam viventibus, omnique flagitiorum genere perditis ac dissolutis? Numquid, pergit ille, vobis, o ethnici, *accepto ferent dii vestri, imo gratulabuntur, quod pares fiant eis domini sui* (*Tertullian. Apologet. cap.* 13, *p.* 347)? Jocari eum profecto sentis, et imperatores ab illo deorum dominos appellari : quia in eorum, ut jam diximus, potestate erat aut novos facere deos, aut jam factos tollere de medio. Nec minus perspicuum est quam validis ille rationibus demonstret nihil ab ethnicis fingi potuisse insulsius, quam homines ob quædam merita, aut nonnulla eximia facinora factos esse deos.

ARTICULUS IV.

Refellitur fictum a Varrone triplex deorum genus : physicum, seu naturale; mythicum, sive fabulosum; et gentile, sive civile et populare.

Gentilium de diis suis errores, ut Tertullianus radicitus evellat, in secundo suo ad Nationes libro (*Tertull. lib.* II *ad Nati. cap.* 1 *et seqq., p.* 64 *et seqq.*) ea omnia refellit, quæ de illis a Varrone in citatis ab Augustino sexdecim de divinis rebus libris tradita fuerant (*August., lib.* IV, *de civit. cap.* 2, *p.* 147). Illum autem nominatim confutandum esse arbitratus est; quia omnium scriptorum, ut suo loco ostendimus (*Dissertat. in Lactant. cap. ult., art.* 3), acutissimus doctissimusque existimabatur.

Triplex autem ille distinxerat gentilis theologiæ, seu deorum genus; et primum quidem physicum, sive naturale, quod philosophi gentiles in scholis suis, innumerisque pene in commentationibus asserere frustra conati sunt. Nam hæc sunt hujusce Varronis citata ab Augustino verba : *Multos libros philosophi reliquerunt, in quibus est : Dii qui sint, ubi sint, quod genus, quale, a quonam tempore, an a sempiterno fuerint, an ex igne sint, ut credit Heraclitus; an ex numeris, ut Pythagoras; an ex atomis, ut Epicurus, sic alia quæ facilius intra parietes in schola, quam extra in foro ferre possunt aures* (*August. lib.* VI, *de civit. cap.* 5, *p.* 150). Sed hæ philosophorum de diis dissensiones et controversiæ apertissime demonstrant falsas absurdasque penitus fuisse illorum de diis suis opiniones.

Secundum deorum genus Varro mythicum, seu fabulosum vocavit : *A fabulis enim*, ait Augustinus, *mythicon dictum est; quoniam μῦθος græce fabula dicitur* (*Ibid.*). At fictum illud fuerat a poetis, qui deorum generationes, stupra, adulteria, ac quælibet alia nefanda facinora decantavere. Verumtamen ipse Varro, teste adhuc Augustino (*Idem. lib.* IV, *cap.* 32, *p.* 112), palam confessus est majores seu veteres Romanos illis, horrenda illa deorum flagitia ac conjugia venditantibus, fidem habuisse; quia imperitæ plebis multitudo ad hos poetas magis inclinabatur, quam ad physicos. Quis autem maximam profecto utramque impietatem non detestetur? Nam populi hos quantumvis infames ridiculosque deos serio colebant. Alii vero iis sapientiores, malis dæmonum dolis ac fraudibus incitati, incautos vulgi animos in sua ipsa religione, quæ summa rerum est, fallebant, aut falli patiebantur.

Tertium porro theologiæ seu deorum genus appellatur civile, seu civium et populorum, id est, illorum deorum, quos populi sibi pro arbitrio et libidine adoptaverant. Sed præterquam quod hoc deorum genus ad secundum et fabulosum, uti jam laudatus a nobis Augustinus docet (*Idem, lib.* VI, *cap.* 7, *pag.* 153), plane refertur, quid absurdius quam deos illos credere, quos cæcum insanumque vulgus, post vitæ hujus mortalis tempus omni scelerum genere, uti sæpius diximus, decursum, numero deorum adscribi finxerant?

Triplex autem illud deorum genus Tertullianus noster variis rationum momentis, ac postea Augustinus funditus evertunt (*Idem, lib.* VI, *cap.* 5 *et seqq., pag.* 150 *et seqq.*). Necesse igitur non est, ut ea quæ ab hoc tanto doctore examinata enucleataque sunt (*Idem, lib.* IV, *cap.* 31 *et seqq., et lib.* VIII, *cap.* 1 *et seqq., pag.* 162 *et seqq.*), singillatim a nobis nunc explicentur. Deinde vero si quid in eis difficultatis occurrit, id in hac aliisque nostris dissertationibus pro virili parte nostra complanatum est.

CAPUT XXVI.

Quam luculenter Tertullianus ethnicorum litteris, scriptisque ostendat falsos esse omnes illorum deos.

ARTICULUS PRIMUS.

Quomodo Tertullianus demonstret falsos esse gentilium

Digitized by Google

deos ex litteris, quibus ad prudentiam et liberalia officia informabantur, atque docebantur varias deorum inter se pugnas, Venerem sauciatam, Martem vinculis diu adstrictum, Jovem a monstro liberatum, vel casum Sarpedonis flentem, vel subantem in sororis amorem; item Apollinis et Neptuni servitutem, judicatum fulmine Æsculapium, ac tragœdiis poetarum, nominatim vero Lentuli et Hostilii, aliisque masculum lunam irridentibus.

Ea est erroris natura, ut diu sibi ipsi non constet, seque ipsum tum etiam destruat, cum audacius caput attollit. Non mirum itaque, si ethnici datam mortuis hominibus divinitatem ibi everterint, ubi eam firmius stabilire debebant. Nullibi enim clarius et enodatius exponenda erat, quam in iis litteris, quibus adolescentes informabantur, uti ait Tertullianus, ad *prudentiam* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 14, *pag.* 351), quæ, teste Cicerone, *constat ex scientia rerum bonarum et malarum, et nec bonarum nec malarum; et liberalia officia* (*Cicer.*, *lib.* III, *de Natur. deor.*, *pag.* 245, *lin.* 15), quæ videlicet liberum, inquit Terentius, et ingenuum hominem scire omnino æquum est (*Terent. Eunuch.*, *act.* III, *scen.* 2, v. 24). At in his litteris quanta, ut loquitur Auctor noster, *invenio ludibria*, quibus numinum suorum infamabant divinitatem?

Si quis vero inquirat quæ sint eæ litteræ et commentationes, respondebimus eo nomine poemata Homeri designari. Quæ enim Auctor noster ibidem narrat, hæc ab eodem poeta delibavit. Sibi autem illud si quis alicujus auctoritate firmari velit, en præsto est Minutius Felix, qui postquam varia illa deorum ludibria ex Homeri, suo nomine appellati, carminibus recensuit, sic prosequitur: *His atque hujusmodi figmentis, et mendaciis dulcioribus corrumpuntur ingenia puerorum, et iisdem fabulis inhærentibus ad usque summæ ætatis robur adolescunt, et in iisdem opinionibus miseri consenescunt.* Sed hæc in superiori de hoc Minutii libro dissertatione fusius explicare conati sumus (*Dissertat. in Minut.*, *cap.* 17, *art.* 4).

Quo autem modo hæc a Tertulliano probentur, jam si placet consideremus: *Ab ipso*, inquit, *exordi... vestro, ejus unde oma, et omne æquore, cui quantum honorem additis, tantum deis vestris derogastis; magnificando qui de eis lusit* (*Tertull.*, *lib.* I, *ad Nat.*, *cap.* 10, *p.* 575). Et hæc quidem verba sic descripta sunt in Agobardi codice, et in editione Gothofredi, qui deleta ibi verba sic supplenda opinatur: *Ab ipso exordiar studio vestro, unde omnis materia et omne æquor.* Rigaltius vero, nulla reddita ratione, ac tanquam de vera Tertulliani lectione securus, in ejus textu scriptum voluit: *Ab ipso exordiar Homero vestro, ejus unda et omne æquor.*

Sed hæc conjectura debuit aliqua saltem ratione fulciri. Nobis tamen probabile satis videtur a Tertulliano, qui de gentilium litteris loquitur, quemdam citari celeberrimum illorum scriptorem, cui quantum honorem ethnici tribuebant, tantum diis suis, eum laudando, detrahebant. At is procul dubio est Homerus, tum quia omnium vetustior, ut alibi vidimus, scriptor est, tum quia scripta illius tanti faciebant, ut adolescentes iis ad prudentiam, sicut mox dicebamus, et liberalia officia erudirentur. Si quis tamen sagacior alium a Tertulliano indicari ostendat, hunc lubenter audiemus. Animadverte tamen, quæso, ipsum Homerum nominatim appellari his subsequentibus Auctoris nostri verbis: *Adhuc meminimus Homeri, ille opinor est, qui divinam majestatem humana conditione tractavit, casibus et passionibus humanis deos imbuens* (*Ibid.*), id est, omnibus etiam fœdissimis humanis affectibus ac vitiis corruptos.

Et certe ille græcorum poetarum coryphæus libros suos hisce deorum infamiis passim ubique fœdavit. Nonnulla autem Auctor noster, ne foret longior, selegit exempla, ac illud quidem primum, quo decantat deos *inter se propter Trojanos et Achivos, ut gladiatorum paria, congressos depugnasse* (*Idem*, *Apologet.*, *cap.* 14, *p.* 351); sive sicut in libro ad Nationes: *Qui de illis favore diversis gladiatoria quodam modo paria commisit* (*et lib.* I *ad Nation.*, *cap.* 10, *p.* 575). Sed quis nescit quam sæpius ille in Iliade cecinerit hasce deorum pugnas, et Venerem, sicuti pergit Tertullianus (*Ibid.*), humana sagitta sauciatam, Martem in vinculis pene consumptum, Jovem nunc cujusdam monstri opera liberatum, modo flentem Sarpedonis casum, nunc obscenissimo porcorum more subantem prurientemque libidine in sororem uxoremque suam Junonem, dum illi turpem suum in amicas amorem commemorabat. At ibi obiter observandum in Rigaltii editione simpliciter scriptum: *Venerem humana segitta sauciatam.* In nostris vero manuscriptis, et antiquioribus editis codicibus legi: *Venerem sauciatam, quod filium suum Æneam pene interfectum ab eodem Diomede rapere voluerit. Martem*, etc. Tacet quidem Rigaltius cur hæc verba abstulerit, sed arbitratus est haud dubie hæc explicationis causa ab aliquo librario adjecta fuisse, et posthæc intrusa in textum. Nam hæc in libro ad Nationes, ubi eadem repetuntur, non occurrunt. Neque etiam dictu facile est cur ibi adjecta sint illa verba, *ab eodem Diomede*, cujus nulla prius mentio facta fuerat? Verum quia hæc in plurimis antiquissimis manuscriptis exemplaribus habentur, non sine prævia, ut supra diximus (*Dissertat. in Minut. Octav.*, *cap.* 17, *art.* 4), admonitione amputari debebant. Cæterum alibi Homeri loca indicavimus et explanavimus (*et Dissertat. in Arnob.*, *cap.* 12, *art.* 1 *et* 3), quæ Tertullianus de illa Venere, de Jove, ac Marte citasse haud immerito videtur.

Simili etiam modo in iisdem dissertationibus ostendimus quantis alii quoque poetæ probris ac contumeliis deos suos insecuti sunt. Non magno enim sine illorum dedecore finxerant, uti notat adhuc Tertullianus (*Tertullian. Apologet.*, *c.* 14, *p.* 352), Apollinem greges pascentem Admeti regis, Neptunum *structorias* operas Laomedonti locantem, atque Æsculapium fulmine Jovis ictum, quemadmodum Pindarus etiam cecinit.

Majore adhuc ludibrio probroque, uti pergit Tertullianus (*et lib.* I *ad Nation.*, *cap.* 10, *p.* 576, *et lib.*

Digitized by Google

II, *cap.* 14), nosque alibi etiam annotavimus (*Dissertat. in Arnob., cap.* 14, *art.* 1), dii exhibentur in scenis, tragœdiis ludisque ethnicorum. Quibus enim, obsecro te, conviciis et contumeliis ab comœdiarum tragœdiarumque actoribus vexati non fuerunt? Soli earum tituli, solaque argumenta satis hoc manifestum omnibus faciebant. Ex iis autem pauca recenset Tertullianus (*Tertullian. Apologet., c.* 15, *p.* 358), videlicet mœchum Anubim, Dianam flagellatam, Jovis mortui testamentum, tres famelicos Hercules irrisos, et masculum Lunam. Quid ergo, inquies? Numquid inter comœdiarum titulos Luna masculini generis? Ita sane. Nam plures profecto ethnici persuasum stulte habebant quosdam saltem deos suos mares simul esse et fœminas (*Dissertat. in Lactant., cap.* 27, *art.* 3 *et* 4, *et aliis ibi cit.*). Servius siquidem in hunc Virgilii versum, quo Æneam, ardente Ilio, loquentem sic inducit:

Descendo, ac ducente deo flammam inter et hostes
Expedior. . . . . .

(*Virgil. Æneid. lib* II, *v.* 632.)

hæc animadvertit: *Secundum eos* (*Virgil., lib.* II, *Æneid.*, 632), *qui dicunt utriusque sexus participationem habere numina. Nam Calvus:*

Pollentemque Deum Venerem.

Item Virgilius:

Nec dextræ erranti Deus abfuit,

cum aut Juno fuerit, aut Alecto. Est etiam in Cypro simulacrum Veneris barbatæ (*Serv., pag.* 252). Alios si testes desideras, plures tibi dabit Macrobius, qui observat in citato Virgilii carmine legendum *deo* non autem *dea* (*Macrob., lib.* III *Saturnal., cap.* 8, *p.* 329). Quod quidem ille probat non solum jam citatis a Servio Calvi verbis, ac Veneris barbatæ simulacro, verum etiam testimonio Aristophanis, qui eam ἀρρόδιτον vocat, et Levini, qui illam adorabat, sive mas, sive femina sit. Addit vero Philochorum asseruisse eamdem esse Lunam, cui viri cum veste muliebri, mulieres autem virili sacrificium faciunt. Quod vero ad Tertulliani propositum propius adhuc accedit, Spartianus narrat Caracallam imperatorem venisse Carras *Luni Dei gratia* (*Spartian. in Vita Caracall.*). Atque ibi nos monet memoriæ a doctissimis quibusque illud mandatum, quod a Carrenis præcipue observabatur, illum, qui lunam fœminam esse arbitrabatur, mulieribus semper inservire; qui vero marem deum credebat, hunc dominari uxori suæ, neque ullas pati muliebres insidias.

Quid ergo mirum, si poetæ in deorum irrisionem tragœdias composuerint ridiculis deorum titulis inscriptas? Duos autem ex iis Auctor noster nominat, Lentulum et Hostilium (*Tertullian. Apologet., c.* 15, *p.* 358 *et lib.* I *ad Nation., c.* 10, *p.* 576): sed rara apud alios occurrit illorum mentio. Alio tamen ille in libro de eodem Lentulo dixit: *Pugil Cleomachus... inter fullones jam Novianos coronandus, meritoque mimographo Lentulo in Catinensibus commemoratus* (*Id. l. de Pall., c.* 4). Ibi autem ille Lentulum, cujus Hieronymus etiam meminit (*Hieronym., lib.* II, *Apolog. advers. Ruffin.*), diserte vocat mimographum, seu fabulæ auctorem, cui titulum *Catinenses* præfixerat. Paulo post vero Auctor noster citat Lentuli auguris consulta (*Tertull., lib. de Pall., cap.* 4). Sed hic a mimographo diversus fuit. Major itaque ambigendi ratio est utrum is sit mimographus poeta, qui a Juvenale duobus his carminibus acriter castigatur:

Laureolam velox etiam bene Lentulus egit,
Judice me dignus vera cruce.

(*Juvenal., Satir.* VIII, *v.* 184.)

Quamvis enim nemo diffiteatur *laureolam* fabulam fuisse; nonnulli tamen suspicantur verbo *egit* significari illam actam potius a Lentulo histrione, quam ab hujus nominis poeta litteris consignatam. Quid vero, si ille et histrio et poeta hanc scripserit et egerit? Deinde vero ea fabula non ab uno tantum histrione acta est. Cur ergo Lentulus solus nominatur, nisi illam scripto quoque tradidisset?

Cæterum minus adhuc frequens Hostilii mimographi in aliorum libris commemoratio. Prisciano tamen si fidem habeas, Hostilius, Ennii exemplum secutus, annales Romani populi stricto sermone ediderat. Potuit ergo scribere etiam comœdias. Si quis porro de illo et Lentulo meliora suggesserit, pergratum nobis faciet.

ARTICULUS II.

Quam perspicue Tertullianus demonstret falsos esse gentilium deos ex litteris histrionum, a quibus voce, gestu, motu, cantu repræsentabantur Sol lugens filium, Cybele pastorem suspirans, Jovis elogia, Junonis, Veneris et Minervæ judicium, atque ignominiosa Minervæ et Herculis imago.

Ad histriones transit Tertullianus, palamque facit ab his deos suos non minori quam a poetis ludibrio haberi. Nam *histrionum litteræ*, ait ille, *omnem fœditatem eorum designant* (*Tertullian. Apolog., cap.* 15, *p.* 359), illamque voce, facie, corporis motibus, veste et insignibus exprimunt. Quis enim vero nescit histriones, de quibus plura Valerius Maximus tradidit (*Val. Max., lib.* II, *cap.* 4, § 4), actores fuisse tragœdiarum ac comœdiarum, qui deorum aliorumque repræsentabant personas? At cur, inquiet aliquis, Tertullianus non hoc tantum, sed alio adhuc in libro, non dixit *histriones, sed histrionum litteras* (*Tertull., lib.* I, *ad Nat., cap.* 10, *p.* 576)? Quæ sunt hæ histrionum litteræ? Quidam vero opinati sunt ibi legendum *latera:* sed mera suspicio est, nullius codicis fulta auctoritate. Quid autem, si litterarum nomine significare voluerit ea, quæ histrionum voce et corporis motibus exhibebantur, sed prius a poetis scripto et litteris tradita? Nam, uti Augustinus ait: *Quid sunt ad hoc malum Mercurii furta, Veneris lascivia, stupra ac turpitudines cæterorum, quæ proferremus de libris, nisi quotidie canturentur et saltarentur in theatris* (*August., lib.* VII, *de Civit., c.* 26, *p.* 182). A quibus autem nisi ab histrionibus cantabantur et saltabantur, postquam a poetis scriptis mandata fuerant?

Tertullianus autem eorum, quæ ab histrionibus illis in deorum suorum contumeliam summumque dedecus agebantur, hæc profert exempla: *Luget Sol filium detractum de cælo* (*Tertullian. Apologet., cap.*

Digitized by Google

XV, *p.* 359). In membranis nostris, et antiquioribus Rigaltio editionibus, *jactatum de cœlo*, haud dubie Phaetontem, cujus nota est fabula. In primo nihilominus ad Nationes libro legimus: *Sol luget filium fulmine extinctum* (*Idem, lib.* I *ad Nation., c.* X, *p.* 576). Quod quidem Æsculapio convenit, quemadmodum in superiore articulo annotavimus. Verumtamen quia ibidem vidimus mentionem hujus in Apologetico factam, inde colligi potest ibi Phaetontem, et in libro ad Nationes Æsculapium notari.

Ab histrione adhuc repræsentabatur *Cybele pastorem suspirans fastidiosum*, scilicet Atydem. Quam fabulam descriptam vidimus a Minutio Felice (*Dissertat. in Minut. Octav., cap.* XX, *art.* 2, *et Dissertat. in Arnob., cap.* 26, *art.* 1), et ab Arnobio, qui idcirco ethnicos sic exagitat: *Tranquillior, lenior mater magna efficitur, si Atydis conspexerit priscam refricari ab histrionibus fabulam* (*Arnob., lib.* VII, *advers. Gent.*)? Antea vero: *Mater eum dilexit magna: si nepotem, ut avia, res simplex: sin theatra ut percrepant, infamis et perniciosa dilectio est* (*Id. l.* V).

Pergit Tertullianus, atque ethnicos his increpat verbis: *Sustinetis Jovis elogia cantari* (*Tertullian. Apologet., cap.* XV, *pag.* 359), et in libro ad Nationes, *elogia modulari* (*tib.* I *ad Nation., cap.* X, *pag.* 576), sive Jovis vituperationes, et ignominias exprimi histrionum vocibus ac gestibus, et tibiarum modulatione in comœdiis, sicuti Amphitryonis, et aliis certe quam plurimis similibus decantari. *Sustinetis* quoque *Junonem, Venerem, Minervam a pastore judicari* (*idem, Apologet. ibid.*), nimirum Paride, in monte Ida educato inter pastores, et pastore nuncupato, cujus de his deabus judicium nulli incompertum est. Nihil itaque adjiciemus, nisi quod scite et omnino ad rem nostram apposite Augustinus dixit: Tametsi falsa sint, *litigia vel judicia* de pluribus diis, et tribus illis deabus, *quæ pro malo aureo adipiscendo apud judicem Paridem de pulchritudinis excellentia certasse narrantur, et ad placandos ludis deos, qui delectantur seu veris, seu falsis istis criminibus; inter theatricos tamen plausus cantantur atque saltantur* (*August. lib.* XVIII *de Civit., cap.* X, *pag.* 495). Atque ita, ait Auctor noster, deorum majestas, ethnicis non modo *non erubescentibus* (*Tertullian. Apologet., cap.* XV, *pag.* 359), sed etiam, sicuti in editione Regaltii legitur, *plaudentibus*, in nostris vero membranis, et antiquis editionibus, ac libro ad Nationes *lætantibus* (*lib.* I *ad Nation., c.* X, *p.* 576), violabatur et constuprabatur.

Urget Tertullianus (*ibid.*): *Quid, quod* (nostri codices manuscripti et antiquæ editiones, *ipsum*) *imago dei vestri ignominiosissimum* (idem alii codices, *ignominiosum*) *caput et famosum vestit.* In libro autem ad Nationes: *Famosum et diminutum caput imago cujuslibet dei vestit;* id est, histrio ignominiosus, et flagitiis famosus, repræsentat cujuslibet dei imaginem. Addit adhuc: *Corpus impurum, et ad istam artem effœminatione productum*, sive mima impudens *Minervam aliquam, vel* petulantior mimus *Herculem* (*ibid.*), id est, turpia utriusque facta in scena exhibet. Quis autem sanæ mentis homo non videat jactatam ab ethnicis horum numinum divinitatem plane penitusque everti his histrionum actibus, illo spectantium plausu ac gaudio, omnibusque illis tragœdiis et comœdiis, de quibus plura in superiori dissertatione et aliis locis ibi citatis disputavimus (*Dissertat. in Lactant., cap.* XXVII, *art.* 3)?

ARTICULUS III.

Quantum gentiles, personam deorum in cavea induti, divinitatem illorum pessumdederint, repræsentantes castratum Atym, vel Herculem vivum ardentem, vel Mercurium cauterio mortuos examinantem, vel Jovis fratrem cadavera gladiatorum cum malleo deducentem, aliique in templis adulteria et lenocinia componentes, quibus deorum majestatem obsoletant.

Ab histrionum theatro descendit Tertullianus *in caveam*, ut ipse loquitur, nec ethnicos ibi *religiosiores* invenit (*Tertullian. Apologet., c.* 15, *p.* 361, *et lib.* I *ad Nation., c.* 10, *p.* 576). Triplicem vero distinguunt caveam, sive potius tres ejus partes, quemadmodum ex Cicerone (*Cicer., lib de Senect., p.* 412, *lin.* 37, *et lib. de Amicit., p.* 422, *lin.* 13), Suetonio (*Sueton., lib.* II, § 44), Servio (*Servius in lib.* V, *Æneid., v.* 340, *et lib.* VIII, *v.* 635), aliisque discimus. Summa erat, ubi fœminæ, media ubi populus, tertia ubi nobiliores viri sedebant, spectabantque publicos ludos. Tertullianus tamen, quemadmodum Ammianus Marcellinus (*Marcell., lib.* XIX, *p.* 550), caveæ nomine designant amphitheatri arenam, in qua pugnabant gladiatores. In suo quippe ad Nationes libro scripsit: *Religiosiores estis in gladiatorum cavea, ubi super sanguinem humanum, super inquinamenta pœnarum proinde saltant dii vestri, argumenta et historias nocentibus erogandis, aut in ipsis deis nocentes puniuntur* (*Tertull. lib.* I *ad Nat., cap.* X, *p.* 576). In Apologetico autem simili modo: *In cavea*, inquit, *ubi super sanguinem humanum, super inquinamenta pœnarum proinde saltant dii vestri, argumenta et historias noxiis ministrantes, nisi quod et ipsos deos vestros sæpe noxii induunt* (*Idem, Apolog., c.* XV, *p.* 361, *et lib.* I *ad Nat. loc. cit.*). Quibus ille verbis significat post gladiatorum certamen, pantomimum, sumpta dei alicujus larva ac persona, descendisse in arenam, et saltasse supra corpora occisorum, aut animam exhalantium, *noxiorum*, id est, illorum qui, ob crimina sua condemnati, cum bestiis decertare cogebantur. Dic ergo, quam pulchrum ac pium erat deum personatum carnificis fungi officio, aut reorum a bestiis occisorum cadaveribus illudere.

Nemo autem illud ab Auctore nostro fictum vel exaggeratum putaverit, quod ipse suismet oculis sæpius vidisse testificatur: *Vidimus*, ait, *aliquando* (*Tertullian., ibidem*); et in libro ad Nationes: *Vidimus sæpe castratum Atym, illum deum ex Pessinunte*, urbe videlicet in Phrygiæ magnæ confinio, sub Agdesti monte sita, in qua Atys, teste Pausania, tumulatus ferebatur. Præterea: *Qui vivus*, ait ille, *ardebat, Herculem induerat* (*Pausan. lib.* I, *p.* 4). Quid autem hisce verbis sibi voluit, nisi in crudelibus illis spectaculis noxios homines et scelerates sumpta vel Atydis,

Digitized by Google

vel Herculis forma, repræsentasse castratum Atym, et vivum Herculem combustum. De utroque egimus in nostra de Arnobii libris dissertatione (*Dissertat. in Arnob., cap.* 14, *art.* 2, *et cap.* 18, *art.* 1).

Quid plura? *Risimus*, inquit adhuc Tertullianus, *et inter ludicras meridianorum* (*Tertullian. loc. cit.*), gladiatorum, de quibus nos supra egimus, *crudelitates Mercurium*, id est, hominem larvam Mercurii præ se ferentem, *mortuos*, sive occisos gladiatores, *cauterio*, seu ferro candente *examinantem* utrum fraus aliqua non lateret, ac illi revera mortui essent.

Vidimus, pergit ille (*ibid.*), *et Jovis fratrem*, nimirum Plutonem, *gladiatorum cadavera cum malleo*, sive, ut in libro ad Nationes legitur, *exequias cum malleo deducentem*, in spoliarium videlicet, ubi gladiatores victi, et lethali vulnere accepto, si quid reliqui foret spiritus, interimebantur. Quamobrem scribebat Seneca : *Numquid aliquem esse tam cupidum vitæ putas, ut jugulari in spoliario, quam in arena malit* (*Senec. Epist.* 94, *sub fin., pag.* 384)? Plura autem ille alibi (*Epist.* VII, *pag.* 172), de gladiatoribus meridianis, atque etiam Suetonius (*Sueton. in vita Claud.*, § 34, *et Caligul.*, § 26 *et seqq.*), quos videsis sicut Lampridium(*Lamprid. in vita Commod. imperator.*), de spoliario, in quod gladiatores unco trahebantur.

Quosdam porro admirari subit, qui in hoc Tertulliani textu scriptum volunt : *Vidimus et ad Jovis fratrem* (*Johan. Argol. Not. in Onuphr., Panuin. de lud. Circens., cap.* 2), quasi dixerit : Vidimus eumdem Mercurium, qui gladiatorum cadavera non solum cauterio examinabat, sed qui eos etiam cum malleo deducebat ad Plutonem, Jovis fratrem, sive ad inferos. Non enim animum satis advertisse videntur ad hæc ejusdem Tertulliani in libro ad Nationes verba : *Dispater, Jovis frater, gladiatorum exsequias cum malleo deducit, quo Mercurius, in calvitio pennatulus, in caducæo ignitulus, corpora exanimata jam, mortemve simulantia, e cauterio probat* (*Tertull. lib.* I *ad Nat., cap.* 10, *p.* 576). Utriusque igitur officium distinguit, et Mercurii quidem, qui examinabat utrum gladiatores mortui essent ; et Plutonis, qui mortuos, sive eorum exsequias deducebat in spoliarium. De his siquidem ille loquitur, quæ in gladiatorum ludis fieri consueverant. Alias vero Mercurius ferebatur caduceo, seu virga deducere ad tartara, quemadmodum de illo canit Virgilius :

> Tum virgam cœpit, hac animas ille evocat Orco
> Pallentes, alias sub tristia Tartara mittit,
> Dat somnos, adimitque, et lumina morte resignat.
> (*Virgil. Æneid. lib.* IV, *v.* 242, *et seqq.*)

Suos porro deos ethnici non in publicis tantum spectaculis et cavea irridebant, sed in illorum etiam templis, ubi sane illis, sicubi unquam, divini honores habendi erant. In iis enimvero videre erat, inquit Tertullianus, *adulteria componi, inter aras lenocinia tractari, in ipsis plerumque ædituorum ac sacerdotum tabernaculis*, non secus atque in lupanaribus, *sub iisdem vittis* ipsorum, *et apicibus, et purpuris, thure flagrante, libidinem expungi* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 15), seu exprimi, atque expleri. Nec tibi, quæso, suspecta sit ejus fides. Nam Juvenalis, tametsi ethnicus, cum tanta flagitia ferre non posset, ea non sine summa indignatione his versibus exagitat :

> Nuper enim, ut repeto fanum Isidis, et Ganymedem,
> Pacis, et advectæ secreta palatia Matris,
> Et Cererem; nam quo non prostat fœmina templo?
> (*Juvenal. Satir.* 9, *v.* 22, *et seqq.*)

Et re quidem vera ille prius dixerat :

> Aut apud Isiacæ potius sacraria lenæ
> Componit crinem.
> (*Satir.* VI, *v.* 4, 5.)

Sed de his jam plura diximus in aliis nostris dissertationibus (*Dissertat. in Minut., cap.* 13, *art* 1, *et in Lactant., p.* 27, *art.* 1 *et* 34). Quis autem, cui sana mens sit, sponte non subscribet Tertulliano, qui ex his omnibus, quæ in hoc et superioribus articulis explicata sunt, recte concludit ab ipsismet ethnicis omnem plane deorum suorum, quos a Christianis aliisque agnosci et coli volebant, divinitatem pessumdari, penitusque subverti?

Tot enim tantæque deorum contumeliæ, ignominiæ, irrisiones : *Honorem*, ait, *inquietant divinitatis*, id est, turbant, nec quietam securamque esse sinunt. Quin etiam *majestatis fastigia obsoletant* (*Tertullian. Apologet., cap.* 15, *et lib.* I *ad Nation, cap.* 10). Atque ita quidem in nostris codicibus, et omnibus ante Rigaltium editis. At is verbi *obsoletant* ineptissimam existimabat esse significationem, corrigique voluit *adsolant*, quo ipse post Gothofredum censet significari, in solum et terram deprimunt. Fatetur libenter in primo Auctoris nostri ad Nationes libro scriptum : *Majestatis fastigium adsolant* (*Tertullian. loc. cit.*); at quid prohibet quominus hoc verbum uno in libro, et aliud in altero adhibuerit? Verbi autem *obsoletant* ineptissimam esse significationem qui objicit, is certe satis non attendit eumdem Tertullianum alibi dixisse : *Perituros plerosque rursum post salutem, qui vestitum obsoletassent nuptialem* (*Idem, Scorpiac., cap.* 6). Nonne in hoc libro idem est hujus verbi atque in Apologetico sensus? Si ergo ineptissimus videatur, cur, obsecro te, Rigaltius illud, in hoc libro mutatum, in alio servavit? Non ergo immutari debuit unius, si in illo reperiatur, Fuldensis codicis testimonio, cui tot alia antiquioris meliorisque notæ exemplaria apertissime repugnant. Satis quippe est si geminum Tertulliani verbum sit *obsoletant*, quo etiam Fortunatus usus est eodem plane significatu (*Fortunat. in vita s. Albini*, § 1), atque abrogant, antiquant, obsoletum faciunt. Sensus igitur Auctoris nostri hic est : Ethnici, cum deos suos tantis contumeliis, probris, injuriis in quibusque locis et sacris et profanis vexent, eosque nihilominus coli et adorari volunt, illorum divinitatem una manu antiquant et destruunt, quam altera adstruere frustra nitebantur.

ARTICULUS IV.

Quibus argumentis Tertullianus patefecerit ethnicorum deos a philosophis, ac nominatim a Socrate, Diogene, et Varrone irrisos atque explosos.

Nemo sane, quisquis sit, objicere nobis potest

Digitized by Google

majorem fuisse philosophorum gentilium, quam cæterorum plebeiorum hominum, in deos suos religionem (*Tertullian. Apologet., c.* 14, *p.* 353). Nam plerique omnes a veri Dei agnitione, aut agniti prædicatione sic abalienabantur, ut illos Tertullianus nunc nominibus suis appellari supervacaneum esse putaverit. Missos autem illos hic fecisse videtur, quia alibi, sicut ostendimus (*Supr., cap.* 5, *art.* 4), vanas absurdissimasque illorum de Deo opiniones satis aperte demonstraverat.

Socratem nihilominus nominatim hoc ipso in loco appellat, nec immerito quidem. Omnium quippe mortalium, quemadmodum antea annotavimus (*Dissert. in Minut. Octav., cap.* 3, *art.* 2), sapientissimus oraculo Apollinis declaratus est. Sed ille quantumvis sapiens habitus, *in deorum contumeliam*, ait Tertullianus, *quercum, et hircum, et canem dejerabat* (*Tertull., loc. cit.*). Nos vero Rigaltius ibi monitos esse voluit in codice Fuldensi hæc verba *et canem* abesse : sed sufficit profecto ea in aliis omnibus reperiri. In libro autem ad Nationes erravit librarius *heram* pro *hircum* scribendo (*Idem, l. ad Nat. c.* 10, *p.* 576). Plura autem nos alibi retulimus de illo Socratis jurejurando, palamque fecimus illud a variis scriptoribus varie quidem, sed nunquam sine deorum contemptu et injuria referri (*Dissertat. in Lactant. c.* 30 *art.* 1).

Addit præterea Tertullianus Socratem ab Atheniensibus morte idcirco damnatum, quia deos destruebat; sed eos tandem iniquæ damnationis pœnitentia sic actos, *ut criminatores Socratis*, inquit, *postea afflixerint* (*Tertull. Apologet., c.* 14, *p.* 354), videlicet Melitum morte, atque exilio Anytum, *et imaginem ejus* Socratis *auream in templo collocarint* (*Plato. Apolog. Socrat., tom.* III, *pag.* 390). Verum a Laertio scriptis traditum legimus : Χαλκῆς εἰκόνας ἐτιμήσαντο, *ærea*, non aurea, *imagine honoraverunt* (*Laert., lib.* II, *in vita Socrat.*, § 43). Quapropter Casaubonus et Menagius in Tertulliani textu restitui volunt *æream*, hicque miratur Rigaltium, qui hujus emendationis monitum fecerit neminem. Sed minus certe mirandus ibi Rigaltius, ubi vulgatam sequitur codicum omnium lectionem, quam aliis plurimis in locis, ubi contra manifestam illorum fidem sincerum Tertulliani textum immutavit, et corrupit.

Quia ergo Socrates, deos gentilium negando, Atheniensium odium in se concitaverat, hinc Tertullianus continenter adjecit : *Planè olim, id est, semper veritas odio est.* Sed in dubium haud prorsus immerito aliquis vocabit utrum hæc verba, *id est, semper*, huic textui postea insérta sint. Quorsum enim, inquiet, his Tertullianus verbis adverbium *olim* explicavisset? Nonne simplicius dicere poterat : *Semper veritas odio est?* Quid quod adverbium *olim* pro quovis tempore significando a Virgilio sumitur, ubi canit : *Jam tibi prævalidas olim* (*Virgil. lib.* II, *Georg. v.* 100. *et lib.* VIII, *Æneid. v.* 391); id est, inquit Servius, *omni tempore.* Posthæc vero idem poeta : *Non secus atque olim tonitru*, hoc est, ut adhuc observat Servius : *Fore ut solet. Nam non est adverbium temporis* (*Serv.,* *pag.* 511). Verum nonne Tertullianus dicere potuit veritatem *olim*, nimirum Socratis, de quo loquebatur, tempore, et suo etiam atque adeo *semper* odio hominibus fuisse. Quidquid autem pronunties, inde ille concludit tantum esse odium veritatis, ut Athenienses eam in Socrate fictitios deos evertente odio habuerint. De illius autem condemnatione et morte supra in superioribus dissertationibus ibi citatis disputavimus (*Supr. c.* 25, *art.* 3).

Socrati duos alios philosophos Tertullianus conjungit (*Tertull. Apolog. c.* 14, *p.* 355), græcum unum Diogenem, alterum romanum Varronem. At mirum fortasse pluribus erit cur priori testimonio adversus ethnicos in hoc et primo ad Nationes libro sic disputet : *Diogenes*, inquit, *nescio quid in Herculem ludit;* in alio libro *lusit* (*l. I. ad Nation. c.* 10, *p.* 576). Nam tantine, arguent, ponderis est hæc argumentatio, ut repeti meruerit? Si nesciebat enim Tertullianus quid Diogenes lusit in Herculem, quid inde contra falsos gentilium deos conficere poterat? Quis vero iste est Diogenes? Dictu cum id difficile sit, quidam suspicantur legendum *Diagoras*, qui quidem quia ad coquendam cœnam igne carebat, ab Herculis simulacro petiisse perhibetur, ut pro decimo tertio certamine illam excoqueret. Sed huic emendationi adversantur omnes omnino codices. Nobis itaque, horum auctoritati cedentibus, facile persuadebitur ab illo Diogenem Cynicum, sicut ibidem Varronem cynicum appellari. Quis enim nescit quantum in Luciani Dialogis Hercules ab hoc ipso Diogene cynico derideatur (*Lucian. Dialog., mort.* 56, *p.* 137. *et veter auct. p.* 190)? Præterea exstat illud Ausonii epigramma, quo Diogenes Herculem sectæ suæ auctorem haud sine joco fecisse traditur :

> Inventor primus Cynices ego. Quæ ratio isthæc?
> Alcides multo dicitur esse prior.
> Alcide quondam fueram doctore secundus :
> Nunc ego sum Cynices primus, et ille deus.
> (*Auson., Epigr.* 26.)

At nonne illud est nescio quid, quod Tertullianus Herculis divinitatem ab hoc Diogene irrisam contestatur? Si tamen eum ad aliam aliquam, a Luciano aut alio memoratam, irrisionem respexisse ostendas, tibi non reluctabimur. Quamvis porro illud *nescio quid* vocaverit; quia tamen ethnicis incompertum non erat, hinc adversus illorum deos recte argumentatur (*Dissert. in Lact. c.* 24, *art.* 4).

Dubitabit forsitan aliquis utrum alter philosophus, qui ab eo vocatur Varro cynicus, is sit, cujus eruditionem tantis, ut vidimus, laudibus ethnici cumulant, totque de religionibus libros composuerat. Numquid enim ille etiam de diis jocari ausus est? Quidni? Nonne in Auctoris nostri ad Nationes libris legimus *romani styli Diogenes Varro trecentos Joves, sive Jupiteres* (manuscripti nostri codices, *Jupiteros*) *dicendum est, sine capitibus inducit* (*Tert., lib.* I, *ad Nation. c.* 10, *p.* 576). At quomodo sine irrisione tot Joves inducere potuit? Nonne Minutius Felix, Tertullianum nostrum haud dubie secutus, dixit esse *tot Jovis monstra*,

Digitized by Google

quot nomina. Videsis quæ in hæc verba alibi animadvertimus (*Dissertat. in Minut. Octav. cap.* 15, *art.* 2). Cæterum quidám putant hæc a Varrone dicta in satiris Menippeis ; cur non in aliis ejus de ethnicorum religione libris , quorum tantus fuit numerus? Sed ubicunque ab eo dicta sint, inde et Jovis et aliorum falsa divinitas manifestissime demonstratur. Persuasum vero illud adeo fuit iis , in quibus aliqua adhuc supererat probitatis et æquitatis scintilla, ut Liberum patrem, sicut supra vidimus (*supr. cap.* 18, *art.* 9), Serapidem et Harpocratem cum Cynocephalo suo penitus rejecerint. At unum profecto, sublatis aliis omnibus falsis numinibus , Deum omnipotentem colere debebant.

CAPUT XXVII.

Expenduntur alia Tertulliani argumenta, quibus falsos nullosque esse gentilium deos demonstrat.

ARTICULUS PRIMUS.

Quam nefaria fuerit provinciarum, civitatum, ac præsertim Ægyptiorum peculiares deos sibi adoptandi licentia : quam parum verisimilia sint ea quæ a Tertulliano tradita sunt de Josepho patriarcha, et utrum Ægyptii eum Serapidis nomine deum dixerint et coluerint : quo jure ab illo dicatur deus Syriæ Astartes, Arabiæ Disares, Noricis Belenus, Africæ Cœlestis, et dii Mauritaniæ reguli sui.

Aliud evidentissimum profecto falsæ religionis argumentum est data civitatibus et populis licentia quemlibet deum , cæteris sæpius incognitum , sibi adoptandi ac colendi. At multæ gentilium provinciæ et civitates *sumptos pro libidine* , ait Tertullianus noster, *non pro notitia veritatis, deos*, aut ab aliis rejectos, aut illis incognitos venerabantur (*Tertullian. Apolog., cap.* 24, *p.* 417 *et lib.* II, *ad Nation. c.* 8). Ægyptios autem ibi præcipue redarguit, qui sicut in aliis nostris dissertationibus ostendimus (*Dissert. in Lactant., c.* 34, *art.* 2 *et loc. ibi cit.*), tam impia quam absurda superstitione non solum oves aliasque bestias consecrabant , sed illos etiam capite damnabant, qui aliquem hujusmodi deum occidissent. Accepta autem hac eos adoptandi libertate , Ægyptii , inquit Tertullianus, sic abusi sunt , ut Josephum Patriarcham Serapidis nomine deum fecerint (*Tertul., loc. cit.*). Sed multa ibi ille turbat atque ita sane, ut mirum videatur quomodo vir in sacris Scripturis apprime versatus, plura illis sane opposita, nobis venditet.

Primum enim Josephus, inquit ille (*Tertull., lib.* II, *ad Nat., c.* 8), cæteris fratribus (Benjaminum excipere debebat) junior in Ægypto venumdatus , in Pharaonis Ægyptiorum regis familia serviebat. At in libro Geneseos (*Genes., c.* 37, *v.* 18 *et* 36 *et c.* 39. *v.* 1, *et seqq.*) legimus illum venditum fuisse Madianitis, et ab his Putiphari , eunucho Pharaonis et militum magistro , cui revera servivit , donec in carcerem mitteretur. Nisi ergo hunc Putipharem, qui a Josepho πιτιφρὴς vocatur (*Joseph., l.* II. *antiquit. Judaic., c.* 3, *p.* 39 *et seqq.*) , regiæ Pharaonis familiæ adscriptum fuisse probaveris , falsa videtur hæc Tertulliani opinio. Nec verius est quod subjunxit, eum *a regina minus pudica desideratum* , atque in carcerem idcirco regis jussu contrusum. Non enim a regina, sed a Putipharis uxore, uti in eodem sacro libro narratur, ad stuprum sollicitatus fuit, et a decepto Putiphare conjectus in vincula. Asseverat insuper Tertullianus Josephum accepisse in matrimonium filiam regis Pharaonis, cujus somnia explicaverat. Sacra vero Scriptura (*Genes., c.* 41, *v.* 50), et Josephus historicus (*Joseph., loc. cit.*) certiores nos faciunt ab illo Josepho patriarcha ductam Aseneth, filiam Putipharis Heliopolitani sacerdotis.

Denique nonnulli veritati , in iisdem Geneseos et Josephi libris traditæ , illud repugnare censent, quod Auctor noster adjecit : *Joseph expedimenta de carcere edocuit, somnium Regi aperit* (*Tertul. Lib.* II, *ad Nat. c.* 8). Emissus siquidem ex carcere fuerat , cum regis somnia interpretatus est. Nonne tamen his verbis indicare potuit duorum Pharaonis eunuchorum somnia, quæ revera explicavit in carcere, atque explicandorum postea ejusdem Pharaonis somniorum dederunt occasionem ? Quæ porro sacræ Scripturæ contraria Tertullianus refert, hæc scripsit in solo ad Nationes libro, et in Apologetico penitus omisit. Quæsit autem hujus prætermissionis caussa, utrum quia omnino vera non esse animadvertit, quis definire audeat? Cæterum ea forsitan hauserat ex corruptis fontibus , nisi librarios propria nomina, uti alia sæpius, in hoc libro describendo, errasse demonstraveris.

Vero itaque similius Vossio illud videtur (*Voss., lib.* I, *de orgin. et progres. idolol. c.* 29) quod ille adhuc enarrat Ægyptios, post fruges sibi a Josepho famis tempore subministratas, jussisse in tanti beneficii memoriam ac symbolum ali a sacerdotibus bovem, quem primum civili, et deinde divino cultu honoraverunt. At constat sane bovem ab iisdem Ægyptiis factum esse deum Apim , et exinde Serapim , de quo Ruffinus (*Ruffin., lib.* II, *Histor. Eccl., c.* 23), et nos alibi (*tom.* I *Apparat., p.* 1090). Celeberrimum quoque Alexandriæ fabricatum est hujus Serapidis simulacrum, de quo idem Ruffinus : *Cujus*, inquit, *capiti modius superpositus, et quidem in honorem nostri Joseph formatum perhibent, ob dimensionem frumenti , quo famis tempore subvenit Ægyptiis.* Ruffino suffragatur Suidas (*Suidas, ad. v.* Σαράπις), nec uterque tamen diffiteri potuit alias fuisse aliorum opiniones.

Ab Ægyptiis Auctor noster ad alios delabitur populos, qui non minore licentia deos peculiares, aliis ac præsertim Romanis incognitos, sibi adsciverant : *Quanti* enimvero *sunt*, inquit, *qui norint visu vel auditu quis unicuique provinciæ et civitati suus est deus , ut Syriæ Astartes* (*Tertull. Apolog. c.* 24, *p.* 418) (manuscripti nostri codices *Adstartes*) in libro ad Nationes, *Atagartis Syrorum* (*Lib.* II , *ad Nation. c.* 8)? Quæ lectio confirmari potest his Plinii verbis : *Syris vero Magog. Ibi prodigiosa Atagartis, græcis autem Derceto dicta* (*Plin., lib.* V *natur. hist. cap.* 23,

Digitized by Google

p. 577). Strabo vero de Hierapoli, ἐν ᾗ τιμῶσι τὴν Συρίαν θεὸν τὴν Ἀταργατίν, *in qua Atargatim Syriam deam colunt* (*Strab., lib.* XVI, *Geogr. p.* 748). Sed postea scripsit : Ἀταργατὶν δὲ τὴν Ἀθάραν, Δερκέτω δ' αὐτὴν Κτησίας καλεῖ ; *Atargatim Atharam dixerunt, quam Ctesias Dercceto vocavit* (*Ibid. p.* 785). Ab aliis autem Astartes appellata est, quemadmodum a Minutio Felice, qui hoc nomen in Tertulliani nostri Apologetico, sicut et alia plura, legerat. Videsis Vossium (*Voss., lib.* I, *de orig. et progr. idolol. c.* 28), ac ea, si placet, quæ in illum Minutii locum annotavimus (*Dissert. in Minut. Octav., c.* 14, *art.* 1).

Sicut autem hæc Syriæ erat dea, ita *Arabiæ*, ait Tertullianus, *Disares* (*Tertullian. loc. cit.*), sed aliter in libro secundo ad Nationes, *Obodanedussiren*. Corruptum autem putant hoc nomen ab imperito librario, qui unum ex his duobus *Obodan* et *Dusarem* fecerit. Suam autem opinionem confirmare conantur auctoritate Eusebii, a quo hos Arabum deos memoratos esse dicunt quidem, sed nec verba ejus, nec librum indicant. De utroque autem illo deo plura Vossius, quem adire cuivis promptum est (*Voss. l.* II. *de orig. et prog. idol. cap.* 8. *pag.* 178). Patrius etiam deus fuit *Noricis Belenus*, inquit Auctor noster (*idem, ibid. cap.* 24, *pag.* 419) ; sed corrupta quoque fuerunt in manuscriptis nostris codicibus hæc nomina *Nori Cibelenus*, in quibusdam vero editis *Tibelenus*, quem Vossius suspicatur eum esse, quem Tybelinum, antiqui Saxones Tebilenum, et Sclavi Zeerneboch vocabant. Nonne vero longe probabilius est illum loqui de Beleno deo quem Aquileienses, uti Julius Capitolinus (*Capitol. in vit. Maximin., p.* 361, *col.* 2) et Herodianus (*Herodian., lib.* II, *hist., p.* 612) memoriæ prodiderunt, summo in honore habebant, et solem esse opinabantur? Præterea Grutherus varias exhibet inscriptiones *Deo Beleno*, ab Augusto Cæsare editas (*Gruther., tom. I, Inscript., p.* 26 *et* 27). Quin etiam is ab Ausonio Burdigalensium deus nec uno quidem carmine prædicatur (*Auson., de Burdigal. professor. Carm.* 4, § 145, *et carm.* 10, § 154). Non a solis itaque Noricis, Germaniæ populis, sed etiam ab aliis Belenus colebatur. At istos forsitan Tertullianus nominatim ideo appellavit, quia noverat ab ipsis hunc deum præ cæteris honorari (*Tertullian. Apologet., cap.* 24, *p.* 420). Si quem nihilominus obscuriorem Noricorum aut alterius gentis deum ab illo denotatum ostendas, tibi haud ægre assentiemur.

Nec patriam suam ille omisit, atque *africæ Cœlestis*, et in libro ad Nationes, *Cœlestis Afrorum* (*Lib.* II, *ad Nation., cap.* 8), de qua nos superius disputavimus (*Supr., cap.* 18, *art.* 6). Ejusdem porro Africæ regio erat Mauritania, de qua ipse continuo hæc subnectit : *Mauritaniæ reguli sui*. At Minutius Felix et Lactantius Jubam nominant, quem provinciæ hujus incolæ honore divino speciatim prosequebantur. Adi, si lubet, quæ in nostris de utriusque libris dissertationibus disputata sunt (*Dissertat. in Minut. Octav. cap.* 16 *art.* 2, *dissert. in Lactant. cap.* XXX, *art.* 2).

ARTICULUS II.

De aliis diis, qui Romanis incogniti, in Italiæ provinciis et urbibus colebantur, quemadmodum Cassinensium sive Crustuminensium Delventinus, Narniensium Visidianus, Æsculanorum Ancaria seu Ancharia, Volsinensium Nursia, sive Nortia, Ocriculanorum Valentia, et Faliscorum, in honorem patris Curris, et accepit nomen Juno.

Argumentum suum prosequitur Tertullianus, atque a provinciis Roma longius remotis, venit in Italiam, et *per ipsam*, inquit, dii *quoque municipali consecratione censentur* (*Tertullian. Apologet., cap.* 24, p. 420), quos Romani non colebant. Tanta quippe erat incolarum cujuscumque civitatis cæcitas ac licentia, ut non solum deos aliis incognitos haberent, sed *quorum* etiam, uti ille ait, *ne nominum quidem dignitas humanis cognominibus distat* (*Idem, lib.* II, *ad Nat., cap.* 2). At sicut nomen hominis præferebant, ita humanam vitam egisse, et idcirco deos non esse manifestum est. Plures vero ex illis recenset (*Ibid.*), ac ne ulli fidem sibi derogandi esset locus, testem citat Varronem in ejus haud dubie libris, quos de divinis, teste Augustino (*August., lib.* VI, *de civit., cap.* 3, *p.* 148), rebus ediderat.

Obscurorum autem horumce deorum agmini præmittitur *Casinicnsum Delventinus* (*Tertullian. loc. cit.*), vel sicut codices nostri antiquiores manu exarati et alii, *Casianensium*, vetustiores editi, *Crustuminiensium*, et postea in quibusdam editionibus, *Belventinus*. Casinum vero Campaniæ oppidum Samnites, ait Varro (*Varr. lib. VI, de ling. lat. p.* 77), ex Sabinis orti primum, ac Romani deinde tenuerunt. Mentionem oppidi illius fecere Plinius (*Plin. lib.* III, *hist. natur. cap.* 4, *p.* 229), et Silius (*Sil. Ital. lib.* XII, v. 535), nomenque illud in variis inscriptionibus a Gruthero editis occurrit (*Gruther., p.* 136 *et* 151). Si quis tamen ibi legere malit, *Crustuminensium*, opinionem suam firmare poterit his Virgilii versibus :

. . . . . Nec surculus idem
Crustumiis Syriisque pyris.

(*Virgil., lib.* II *Georg., v.* 88.)

Servius quippe hæc ibidem observat : *Crustumia pyra sunt ex parte rubentia ab oppido Crustumio*. Agrum vero Crustuminum ejusque situm Plinius hisce verbis describit : *Citra tredecim millia passuum urbis Veientem agrum a Crustumino, dein Fidenatem, latinumque a Vaticano dirimens* (*Plin. lib.* III, *natur. hist., cap.* 5, *p.* 323). At paulo antea alium Crustuminum memoraverat (*Ibid. p.* 322), qui quidem ubi situs fuerit, jam ignoratur. Meliorum porro antiquiorumque codicum auctoritati si cedendum est, Tertullianus Casinicnsium oppidum designavit (*Tertullian. Apologet. cap.* 24, *p.* 420, *et lib.* II, *ad nation., cap.* 8), quod nunc montem Casinum esse existimant.

Dehinc ille : *Narniensium Visidianus*. At Plinius ubi Umbriæ oppida populosque enumerat : *Narnienses*, inquit, *quod oppidum Nequinum antea vocatum*

Digitized by Google

est (*Plin.*, *lib.* III *hist. natur.*, *cap.* 14, *p.* 365). Et certe scriptum a Livio legimus : *Alter consul Apuleius in Umbria Nequinum oppidum circumsedit. Locus erat arduus, atque in parte una præceps, ubi nunc Narnia sita est* (*Liv.*, *lib.* 10, § 9). Nomen autem illud sumpsit ab eo, quo alluitur, Nare fluvio, uti his intelliges Strabonis verbis : Νάρνα δι' ἧς ῥεῖ ὁ Νάρ ποταμός, *Narnia, per quam fluit Nar fluvius* (*Strab. lib.* V *Geogr. p.* 227). Variis quoque apud Grutherum inscriptionibus Narnienses celebrantur (*Gruther.*, *p.* 174, *inscript.* 4; *p.* 388, *inscript.* 2; *p.* 460, *inscript.* 4).

Præterea, *Æsculanorum Ancharia*, in libro ad nationes, et nostris manuscriptis exemplaribus : *Ancharia* (*Tertullian. loc. cit.*). A Plinio autem dicitur: *Colonia Asculum Piceni nobilissima* (*Plin. lib.* III *natur. hist. cap.* 13, *p.* 362), cujus nomine multæ exstant apud Grutherum inscriptiones (*Gruther.*, *p.* 465, *inscript.* 1 *et* 10, *pag.* 371, *inscript.* 1, *et pag.* 427, *inscript.* 1). Strabo vero Ἄσκλον τὸ πικεντῖνον. Sed aliud est Asculum, Apuliæ oppidum, Pyrrhi clade notissimum. De alterutro autem haud dubie loquitur Auctor noster, nisi eamdem deam in utroque cultam fuisse probaveris. De priore tamen sermonem ab illo fieri, erit forsitan qui confici posse putabit his Lucani de Lentulo versibus :

. . . . . Depellitur arce
Lentulus Esculea.
(*Lucan.*, *Pharsal.*, *lib.* II, *v.* 150.)

Quidam enim animadvertunt *Esculea* et *Asculea* indifferenter dictum; quidni et *Æsculea*, unde Æsculani, de quibus nunc agitur?

Cæterum Turnebus (*Turneb.*, *lib.* XVII *advers. cap.* 24) suspicatur *Anchariam* eam esse deam, cujus furore correpti homines ancarii vocabantur; idque stabilire nititur his duobus, a Nonio citatis (*Non.*, *ad v. Quiritare*), Lucilii carminibus :

Hæc eadem rudet e nostris, atque ejulitabit,
Concursans velut ancarius, clareque quiritans.

In nostra quidem horum carminum editione legimus : *Hic inquam... veluti arenarius*. Sed corrupte procul dubio, ac contra metri leges. Verumtamen mera hæc est Turnebi conjectura, quæ alia adhuc probatione indiget. In libro autem ad Nationes nomen *Anchariam* habetur, et *quampræverint*, quod depravatum existimantes, reponi voluere *et quampræverim* : sed nulla reddita ratione emendationis, quæ adulterato textu melior non videtur. Quapropter malumus alterius codicis opem exspectare, quam variis indulgere conjecturis.

Facilius itaque illud probabitur, quod adjecit Tertullianus : *Volsiniensium Nursia* (*Tertullian. Apologet.*, *c.* 24, *p.* 421); in libro autem ad Nationes (*l.* II, *ad Nation.*, *cap.* 8, *p.* 71), et libris nostris ineditis, *Norcia* et *Nortia*, sive ut in Tacitum mox citandum notat Lipsius, *Neurscia*. At Livius semel iterumque meminit Volsinensium (*Liv.*, V, § 31, *et lib.* IX, § 21), qui etiam in quadam inscriptione a Gruthero edita sic appellantur (*Gruther.*, *inscript.* 1, *p.* 385). Verum ipsemet Tertullianus alibi illos, quemadmodum observavimus (*supr.*, *cap.* 23, *art.* 3), Volsinios vocat, sicuti Propertius (*Propert.*, *lib.* IV *eleg.* 2, *v.* 2), et Plinius (*Plin.*, *lib.* II *natur. hist.*, *cap.* 52, *p.* 287, *et lib.* III, *cap.* 4, *p.* 322), qui testificantur urbem hanc opulentissimam Tuscorum fuisse, quæ nunc sub summorum pontificum ditione est.

Norciam vero eorum deam fuisse ex his jam citati Livii verbis discimus : *Volsiniis clavos, indices numeri annorum, fixos in templo Nortiæ etruscæ deæ comparere diligens talium monumentorum auctor Cincius affirmat* (*Liv.*, *lib.* VII, § 3). Juvenalis quoque de illa hæc cecinit :

. . . . Idem populus, si Norcia (1) Thusco
Favisset, si oppressa foret secura senectus
Principis, hac ipsa Sejanum diceret hora
Augustum.
(*Juvenal.*, *Satir.* X, *v.* 70, *etc.*)

Præterea, *Ocriculanorum Valentia*, ait Tertullianus (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 24, *p.* 421). Ocriculum autem, seu Ocriculi, Straboni Ὀκρίκλου (*Strab.*, *lib.* V, *Geogr.*, *p.* 227), urbs est in finibus Umbriæ, quæ non multum Roma distat, nunc que *Otricoli* vocatur. Mentionem illius faciunt Plinius (*Plin.*, *lib.* III *natur. hist.*, *cap.* 4, *p.* 323, *et cap.* 14, *p.* 365), Livius (*Liv.*, *lib.* IX, § 41), aliique ac potissimum geographi. Ocriculanorum porro deam revera fuisse Valentiam, agnosces hac veteri inscriptione apud Grutherum (*Gruther.*, *p.* 2, *inscript.* 12) : PRO SALUTE ITUS AC REDITUS. D. N. SANCTISSIMI.... TI. AUG. ÆDICULAM. CONCILII DEORUM, DEARUMQUE AUG. N. EX VISU DEÆ VALENTIÆ S. P. E. C.

Quid plura? *Sutrinorum*, ait Auctor noster, *Nortia* (*Tertullian.*, *loc. cit.*). At *Sutrium*, inquit Livius, *urbs socia Romanorum, velut claustra Etruriæ erat* (*Liv.*, *lib.* IX, § 32, *et lib.* VI, § 3). Antea vero fecerat mentionem ejus, quæ in variis etiam inscriptionibus a Gruthero exhibitis occurrit (*Gruther.*, *p.* 254, 302, 305 *et* 481). Ab urbe autem Roma distat 24 millia passuum, sicut Marsus annotavit in hæc Silii italici verba : *Sutria tecta* (*Sil. italic.*, *lib.* VIII, *v.* 408). Videsis Erasmum in hoc proverbium, *Quasi Sutrium eant* (*Erasm. adag.*, *chil.* 4, *centur.* 4, *adag.* 52, *p.* 841). Hujus porro urbis incolis dea, uti ait Tertullianus, erat *Norcia*. Sed prius, sicut vidimus, dixerat *Volsinensium Norcia*. Numquid ergo eadem utrorumque dea fuit? Nonne ibi peculiares, ac proprios cujusque civitatis deos recenset? At hanc procul dubio ob causam prioris nomen paulo aliter, sicut monuimus, scriptum voluerunt. Huic tamen emendationi adversantur non solum omnes nostri codices, sed citatus quoque a nobis Livius. Verum quia Volsinium et Sutrium urbes Etruriæ fuerunt, et hæc dea Etruriæ a Livio nuncupatur, utriusque urbis dea esse potuit. Si quis vero duas, ac diverso nomine vocatas fuisse ostendat, sententiæ illius ultro subscribemus.

Agmen horum municipalium topicorumque deo-

(1) In quibusdam editionibus *Nursia*.

Digitized by Google

rum claudit Tertullianus his verbis : *Faliscorum in honorem patris Curris. et accepit cognomen Juno* (*Tertullian. Apologet.*, *c.* 24, *p.* 421, *et lib.* II *ad Nation.*, *cap.* 8). Falisca autem, urbs Etruriæ, inter Ciminum montem et Tiberim sita est. Coloniæ vero Faliscorum mentio fit in Plinii libris (*Plin.*, *lib.* III *hist. nat.*, *cap.* 4, *p.* 320)., et Grutheri inscriptionibus (*Gruther.*, *p.* 288, *inscript.* 1), sæpius vero in Titi Livii historiis (*Liv.*, *lib.* V, § 17, 18, 26, *et lib.* VII, § 17, *etc.*), hisque Virgilii carminibus :

Hi Fescenninas acies, æquosque Faliscos,
Hi Soractis habent arces, Fluviniaque arva,
Et Cimini cum monte lacum, lucosque Capenos.

(*Virgil.*, *lib.* VII, *Æncid.*, *v*, 695 *et seqq.*)

Similia a Silio Italico decantata invenies (*Sil. Italic.*, *lib.* VIII, *v.* 406 *et seq.*). Cæterum Juno plura, uti nemo nescit, habebat cognomina, ex quibus unum Curris, teste Festo, fuit. Si quis vero inquirat cur ita nuncupata sit, is audiat Servium : *Juno habet multa nomina : Curetis est, quia utitur curru et hasta* (*Serv.*, *in lib.* I *Æneid.*, *v.* 6). Alium adhuc, si velit, audiat Festum Pompeium : *Curis est Sabine hasta.... Curitim Junonem appellabant, quia eamdem ferre hastam putabant* (*Fest.*, *ad v. Curis*). Verum sicut hi scriptores Tertulliano nostro favent asserenti Junonem cognominatam fuisse Currim sive Curetim : ita ipsi adversantur, aperte dicentes hoc cognomen non illi datum in honorem patris Curis, sed ex hasta, quæ a Sabinis curis appellabatur, aut a curru, quemadmodum innuit Servius ; qui tamen a nonnullis, priorem hujus nominis etymologiam veriorem existimantibus, corripitur.

Quid ergo? Numquid responderi potest Junonem ab hasta traxisse istud cognomen, quod postea Falisci in patris Curis honorem ei dederunt. Sed quis est, inquies, pater ille Curis? Nos quidem docet Ovidius Romulum ita vocatum fuisse, ubi canit :

Proxima lux vacua est, at tertia dicta Quirino,
Qui tenet hoc nomen, Romulus ante fuit :
Sive quod hasta curis priscis est dicta Sabinis,
Bellicus a telo venit in astra deus.
Sive suo Regi nomen posuere Quirites,
Seu quia Romanis junxerat ille Cures.

(*Ovid.*, *lib.* II *Fastor.*, § 13.)

At non solum Romulo, sed antea Jano nomen illud impositum fuerat, uti Macrobius testatum his verbis fecit : *In sacris invocamus Janum Junonium, Janum Quirinum... patrem quasi deorum, Junonium, quasi non solum mensis Januarii, sed mensium omnium ingressus tenentem. In ditione autem Junonis sunt omnes calendæ.... Quirinum, quasi bellorum parentem, ab hasta quam Sabini curim vocant* (*Macrob.*, *lib.* I, *Saturnal.*, *cap.* 9). Varia itaque fuerunt Jani nomina, quorum tria ad propositum nostrum spectant. Primum est *Pater*, secundum est *Quirinus*, a curi sive hasta derivatum, et tertium *Junonius*, quasi et Januarii et omnium mensium sit initium et ingressus. Nonne autem hinc confirmari potest, quod scripsit Tertullianus Junonem a patre Curi, qui etiam *Junonius* appellatus est, suum Curis, sive Curitis, accepisse cognomen? De hac tamen conjectura aliorum esto judicium.

Cæterum duplex, pro diversa codicum nostrorum lectione, potest esse verborum Tertulliani sensus. Si enim ibi, quemadmodum in nostris manu exaratis exemplaribus, et Rigaltii editione legas, *Faliscorum in honorem* (MSS. *honore*) *patris Curis*, *et accepit nomen Juno*, sensus erit : Faliscorum dea est Juno, quæ in patris Curis honorem sortita est suam Curitis appellationem. Si vero cum cæteris editionibus legamus : *Faliscorum in honore est pater Curis*, *unde accepit cognomen Juno*, his verbis significabitur divinos honores a Faliscis exhibitos fuisse patri Curi, a quo Juno cognominata est. At si de patris Curis honore loquitur, cur, quæso, ibi Junonis nihil plane ad eam rem facientis inserta mentio? Nonne ad Tertulliani mentem propius accedent, qui probaverint illum intelligendum esse de Junone Curiti, quam Falisci, tanquam singularem urbis suæ deam, colebant? Tu vero quæ verior sit lectio et interpretatio, expende ac pronuntia.

At nobis quispiam fortasse obviam veniet, et objectabit ibi humani aliquid passum esse Tertullianum, qui tam diserte affirmat his provinciarum ac civitatum diis, hactenus ab eo appellatis, nullum a Romanis redditum divinum honorem (*Tertull. Apologet. cap.* 24). Nonne enim Capitolium ab ipso antea vocatum fuerat *curia dæmonum*? Nonne adhuc hæc sunt illius alio in libro verba : *Pluribus et asperioribus nominibus amphiteatrum consecratur*, *quam* (in antiquioribus editis deest *quam*) *Capitolium omnium deorum curia est* (*idem*, *lib. de Spectac. cap.* 12)? Nonne Roma, ut ait Leo primus, omnium gentium serviebat erroribus, illarumque deos assumpserat (*Leo*, *serm. in natal. SS. Petri et Pauli*)? Romani igitur quarumlibet gentium deos colebant. At quamvis res ita sit, illos tamen omnes generatim tantum, non vero nominatim venerabantur. Nam eos ne numerare quidem, quanto minus honorare et invocare poterant! Tertullianus autem de topicis et singularibus diis disputat, quos urbium et provinciarum incolæ solebant tanquam municipes suos colere, ac suis invocare nominibus.

Quid igitur mirum, si illi plerique omnibus jam incogniti sint, sicuti *Delventinus* et *Visidianus*, in Apologetico nominati ac in libro ad Nationes, *Atheniensium*, sive potius *Atherniensium Numentinus*, vel *Numertinus* (*Tertull. Apolog.*, *cap.* 24. *et lib.* II *ad Nation. cap.* 8). Horum enim et aliorum topicorum deorum, quorum infinitus fuit numerus, notitia nobis jam a longo tempore erepta est. Non minoris tamen roboris idcirco est Auctoris nostri argumentum, quo ex hactenus dictis meritissimo jure concludit iniquissimos esse gentiles, quibus cum potestas esset pro libito ac libidine falsum quemlibet et aliis gentibus ignotum deum colendi, non sinebant verum Deum a Christianis adorari.

Digitized by Google

CAPUT XXVIII.

Quanta insulsitate Romani venditaverint se sua in deos pietate meruisse totius orbis imperium.

ARTICULUS PRIMUS.

Quam falsum sit Romanos meruisse totius orbis terræ dominatum sua pietate in deos Sterculum, Mutinum, Larentiam, Cybelem, Jovem, Junonem, aliosque, qui patriam suam magis, quam Romanos tueri debebant, quique omnes fato obnoxii fuerunt.

Tot tantisque rationum momentis ita eversam a Tertulliano vidimus falsam gentilium, deos plane commentitios colentium, religionem, ut nullus, si sani capitis sit homo, iis reluctari posse videatur. Sed quoniam ea est errantium plerorumque hominum pervicacia, ut victos se fateri nunquam velint, contra ethnici adhuc insurgebant, nobisque, uti ait Tertullianus, objiciebant, *Romanos pro merito religiositatis diligentissimæ in tantum elatos, ut orbem occupaverint* (*Tertull. Apologet. c.* 25, *p.* 422, *et l.* II *ad Nation. cap.* 17), id est, magna in deos suos pietate et religione meruerint ac consecuti sint totius terrarum orbis imperium. Existunt ergo, inquiebant, hi dii, debentque ab omnibus hominibus honorari. Totam autem hanc argumentationem, quam alibi fusius explicuimus (*Dissert. in Minut. Octav. cap.* 16. *art.* 2. *et* 3), Tertullianus noster plane frivolam nulliusque momenti esse haud immerito arbitratur. Ne quem tamen vel minimum ethnicis præberet mussitandi locum, variis responsionibus hoc, qualecunque sit, argumentum refellit ac destruit.

Dii quippe Romanorum, ait ille, aut vernaculi ipsisque proprii erant, aut peregrini et adscitiii. Numquid autem dici potest a primis propagatos imperii Romani fines? *Scilicet ista merces*, Tertulliani hanc opinionem irridentis verba sunt, *Romanis a diis pro gratia expensa est. Sterculus, et Mutinus, et Larentina provexit imperium* (*Tertull. loc. cit.*). In antiquioribus editis libris legitur *si* pro *scilicet*, sed eodem plane sensu, locutione tamen minus eleganti. Romanorum autem deos vilissimos planeque infames ibi appellat, ut acrioribus ironiæ aculeis ethnicos, deorum suorum potentiam insulsissime venditantes, pungeret. Sterculus enim *agros*, sicut ille alibi docet, *stercoribus juvando diligens fuit* (*Idem, lib.* II *ad Nati. cap.* 9). At de illo, sicut et turpissimo Mutino, et Larentina, quæ ab eodem dicitur *publicum scortum*, antea, atque in superioribus dissertationibus, disputavimus (*Supr. cap.* 25, *art.* 3; *et Dissert. in Minut. Oct. cap.* 17, *art.* 2, *et Dissert. in Lact. cap.* 32, *art.* 1 *et* 2). Nemo autem mentis suæ compos serio affirmare unquam audebit, ab hujusmodi infamibus et vernaculis diis porrectos fuisse Romani imperii fines. Neque etiam, ab aliis domesticis et peculiaribus diis suis. Diversa enimvero in pluribus esse nequit veri Dei potentia, virtus, sanctitas, sicuti nec natura. Atqui nemo unquam dixit in præfatis infamibus, aut aliis domesticis Romanorum diis, fuisse eamdem, atque in A omnipotente Deo, naturam et omnipotentiam, virtutem et sanctitatem. Dii ergo non sunt, nec potuerunt ullum aliquod Romano imperio afferre incrementum.

Superest igitur ut peregrinorum deorum auxilio et potestate accreverit Romani imperii magnitudo. Atqui opinio illa non minus omni prorsus verisimilitudine quam superior caret. Nam præter modo allatam rationem: *Peregrinos deos*, ut recte Tertullianus ait, *non putem extraneæ genti magis fautum voluisse, et patrium solum, in quo nati, adulti, nobilitati, sepultique sunt, transfretanis dedisse* (*Tertull. Apologet. cap.* 25), seu minus favisse patriæ et altrici terræ suæ, quam Romanis transmarinis et extraneis. Quo enim ingrati animi vitio patrium solum Romanis vastandum, et eorum imperio subjiciendum tradere potuerunt? B

Sed ut id quibusdam exemplis planius faciat: *Viderit*, inquit, *Cybele*, Cœli et Terræ filia, Saturni uxor, et magna mater, *si urbem Romanam, ut memoriam trojani generis adamavit, vernaculi sui scilicet, adversus Achivorum arma protecti, si ad ultores suos transire prospexit, quos sciebat Græciam Phrygiæ debellatricem subacturos* (*Tertull. Apol. c.* 25, *p.* 424). Vis autem hujusce argumenti, ut perspiciatur, in memoriam revocandum est, Cybelem quibusdam videri a Cybelo Phrygiæ monte cognominatam. Nullus vero dubitat celeberrimum Pessinunte, quæ Phrygiæ urbs erat, positum fuisse illius simulacrum, quod postea Romæ, sicut alibi diximus (*Dissert. in Minut. cap.* 19. *art.* 1, *et in Arnob. cap.* 20, *art.* 2. *et in Lactant. cap.* 31, *art.* 3), maxima cum pompa collocatum est. At Tertullianus inde sic argumentatur: Numquid Cybele propter Æneam, Trojæ, Phrygiæ minoris ex urbe oriundum, atque idcirco vernaculum suum, adamavit Romanos, quia ex illo postquam ex Trojano incendio, et Achivorum armis ereptus fuisset, originem suam deduxerunt? Numquid vero illa sprevit patriam suam, illique Romanos prætulit, quia prævidebat simulacrum suum Romam transferendum, et a Romanis debellandam Græciam, Phrygiæ patriæ suæ debellatricem? Cur ergo passa est hanc, ubi summo honore colebatur, a Græcis expugnari? Esto tamen, illudque, si velis, permiserit. At quomodo præscire potuit fore aliquando, ut ipsa, vel quod idem est, simulacrum suum Pessinunte Romam asportaretur? C D Non magis enim hoc prævidit, quam diem, quo Marcus Aurelius imperator Syrmii mortuus est. At id plane, ait Tertullianus, aut nescivit, aut tardiores nuntios misit ad præcipuum suum sacerdotem archigallum, qui sexta post hujus imperatoris mortem die, elicitum ex lacertis impurum sanguinem pro illius salute litabat. Christiani itaque talem jure merito ridebant deam, aut futuri nesciam, aut crudelem, quæ passa est non solum archigalli sui perperam effundi sanguinem, sed patriam quoque suam penitus dirui. Nullum ergo Romanis ad dilatandos imperii sui fines auxilium sine iniquo ingratoque animo ferre potuit.

Digitized by Google

Neque etiam Jupiter illos majore studio ac favore complecti debebat (*Tertullian. Apologet. cap.* 25). Ecquid enim oblivisci potuit Idæi illius in Creta insula antri, ubi gentiles eum natum ac sepultum fuisse prædicabant? Numquid amore patriæ in odium conversо, passus est *Cretam suam*, ut loquitur Tertullianus (*Ibid.*), *Romanis fascibus* et armis *concuti?* Numquid ex memoria quoque illius exciderant æra Corybantia, quorum clangore ac sonitu inhumanissima patris ejus Saturni, devorare illum volentis, feritas elusa est? Numquid tandem voluntaria oblivione obruerat *jucundissimum illic nutricis suæ odorem* (*Ibid.*)? Sed dubitant plures quæ fuerit illa nutrix, illiusque odor jucundissimus. Quidam autem suspicantur Tertullianum his verbis alludere ad Amaltheæ cornu, ex quo nectar et ambrosia effluebant. At vana procul dubio est hæc suspicio. Agitur siquidem de Jovis nutrice, quam alii capram Amaltheam, alii Nymphas, sive Melissi Cretæ regis filias esse opinabantur. Posteriorem itaque hanc opinionem si Auctor noster secutus est, odor Nympharum, quæ melle et lacte Jovem aluisse ferebantur, recte dici potuit jucundissimus. Sin vero ad priorem, ut verisimilius est, respexerit, non sine ironia insulsam exagitat divinitatem Jovis, qui capræ male olentis lac suxerat, nec poterat teterrini illius odoris oblivisci. Atqui illius, patriæque suæ Cretæ, si memor semper fuit, hanc Capitolio anteponere debebat, ac Cretensibus potius, quam Romanis, dare totius mundi imperium. De illius porro ortu, nutricibus, educatione et sepulcro alibi disseruimus (*Dissertat. in Minut. Octav. cap.* 15. *art.* 2).

Quid vero hujus Jovis soror et conjux Juno? Numquid vellet, ait Tertullianus, *Punicam urbem* Carthaginem *ab Æneadarum utique gente* (*Tertull. Apologet. cap.* 25, *p.* 427 *et lib.* II *ad Nation. cap.* 17), id est, Romanis deleri? Nonne illam urbem sibi dilectam prætulit Samo, ubi educata, aut Jovi nupta fuerat, uti liquet his Virgilii carminibus, partim tantum ac tacito auctoris nomine ab Auctore nostro citatis:

> Quam Juno fertur terris magis omnibus unam,
> Posthabita coluisse Samo. Hic illius arma,
> Hic currus fuit: hoc regnum dea gentibus esse,
> Si qua fata sinant, jam tum tenditque fovetque.
>
> (*Virgil., lib.* I *Æneid., v.* 19 *et seqq.*)

Verum *misera illa*, ait adhuc Tertullianus, *conjux Jovis et soror*, quantumvis amaverit Carthaginem, non potuit tamen impedire quominus a Romanis everteretur. Nihil quippe *adversus* funesta hujus urbis *fata valuit*. Nec id sane mirandum: quia *plane fato*, pergit Auctor noster, *stat Jupiter ipse* (*Tertull. Apol. c.* 25, *p.* 428). Nonne vero effatum illud satis aperte confirmatur Apollinis Delphici ad Crœsi nuntios responso, quod his totidemque verbis Herodotus retulit, τὴν πεπρωμένην ἀδύνατά ἐστιν ἀποφυγεῖν καὶ θεόν; *Sortem fato destinatam defugere deo quoque impossibile* (*Herodot. lib.* I, § 91). De ipso autem Jove Cicero (*Cicer. lib.* II *de divin. pag.* 281, *lin.* 44) et Homerus (*Homer. Iliad.* 16, *v.* 434 *et Odyss.* 3, *v.* 137 *et seqq.*), ab eo citatus, hæc pronuntiant: *Nihil fit extra fatum..... Hoc sentit Homerus, cum querentem Jovem inducit, quod Sarpedonem filium a morte eripere non posset. Hoc idem significat græcus ille in eam sententiam versus:*

> Quod fore paratum est, id summum exsuperat Jovem.

Simili quoque modo Seneca: *Quidquid est quod nos sic vivere jussit, sic mori, eadem necessitate et deos alligat. Irrevocabilis humana pariter ac divina cursus vehit. Ille ipse omnium conditor ac rector scripsit quidem fata, sed sequitur; semper paret, semel jussit* (*Senec. lib. de Provide. cap.* 5. *pag.* 501). Inde græcum illud adagium, Ἀνάγκῃ οὐδὲ θεοὶ μάχονται. *Necessitati ne dii quidem resistunt.* Videsis Erasmi in hoc adagium, et Lipsii in citata Senecæ verba observationes. Vide etiam Vossium (*Voss., lib.* II *de orig. et progr. Idolol. cap.* 44, *pag.* 276 *et seqq.*), et ea, si velis, quæ in nostra in Minutium Felicem de fato, et in sequente de Jove et Junone animadvertimus (*Dissertat. in Minut. Octav. cap.* 6, *art.* 3; *et Dissert. in Lactant. cap.* 31, *art.* 4).

Si Juno igitur atque ipse Jupiter diique omnes, fatentibus ethnicis, fato sint obnoxii, nullum procul dubio romano imperio incrementum dare unquam potuerunt. Jove enim diisque omnibus si potentius sit fatum, ethnici fatis, ait Tertullianus (*Tertullian. Apologet. cap.* 25, *p.* 428), *dedentibus sibi Carthaginem*, majores profecto honores deferre debebant, quam Junoni, ac prostitutissimæ lupæ Larentinæ, de qua paulo ante disseruimus. Falsum est igitur Romanos magna in Junonem, Jovem aliosque deos suos, aut vernaculos aut accitilios, pietate meruisse totius orbis terræ dominatum.

ARTICULUS II.

Romanis datum non fuisse ob suam in deos pietatem imperium, quod fundatum fuerat, antequam Numa varios, qui explicantur, eosdem deos colendi ritus instituisset, aut fabricata fuissent deorum simulacra, ullusque Romæ esset deus.

Aliis adhuc rationum momentis Tertullianus demonstrat (*Tertullian. Apologet., cap.* 25, *p.* 429) Romanos non potuisse ab ullo prorsus deo suo aut omnibus aliis accipere imperium, aut ullam finium ejus propagationem. Certum est enim plures Romanorum deos, Saturnum, Jovem, aliosque summam consecutos fuisse regiam potestatem. Dic ergo, sodes, a quibus aliis diis, quos coluerunt, illam acceperint? Numquid Saturno data est a vilissimo quodam Sterculo, de quo paulo ante dicebamus? Sed is vixit post Saturnum. Nullus autem gentilis dicere unquam potuit quis alius deus regnum illi dederit. At nulla potior est ratio cur ab aliquo deo Romanis concessum dicatur.

Deinde vero fundatum erat imperium illorum antequam deorum cultus Romæ institutus fuisset. Etenim *a Numa*, inquit Tertullianus (*Ibid.*), *concepta est ge-*

Digitized by Google

riositas superstitiosa, id est, religio, et superstitio, quæ prava perversaque cura falsis diis impenditur. Sed quam putas ob caussam ab illo constituta est? Consule Livium (*Liv. lib.* I, § 19 *et seqq.*), Eutropium (*Eutrop. lib.* I *Breviar., pag.* 64), aliosque Romanæ historiæ scriptores, tibique respondebunt : ut efferatos, ac militares Romanorum animos, metu religionis ac deorum contineret, perpoliretque. Quinam vero, amabo te, erant primi illi Romanæ religionis ritus? *Nondum*, ait Auctor noster, *aut simulacris, aut templis res divina apud Romanos constabat*, quemadmodum alibi explicavimus, ubi templorum simulacrorumque investigavimus originem (*Tertullian. Apologet., cap.* 430, *pag.* 27 *et seqq. et lib.* I *ad Nation., cap.* 17, *pag.* 585, *Tom.* I. *Apparat. lib.* III, *dissertat.* 1, *cap.* 7 *et* 8, *pag.* 717 *et seqq.*).

Tum etiam *nulla*, sicut ille pergit (*Ibid., pag.* 28), *Capitolia certantia cœlo*, id est, nondum constructum fuerat templum Capitolinum, adeo superbum, ut suum ad cœlos usque culmen attollere videretur. Neque putaveris hanc esse animi in ethnicos nimium infensi exaggerationem. Nam Martialis, et ipse ethnicus, eadem his versibus cecinit :

Nec capitolini summum penetrale Tonantis,
Quæque nitent cœlo proxima templa suo.
(*Martial., lib.* II, *Epigram.* 91.)

Silius quoque Italicus :

Illa etiam qua prisca fides stat regia nobis,
Aurea Tarpeia ponet Capitolia rupe,
Et tanget nostro templorum culmina cœlo.
(*Sil. lib.* III, *v.* 620.)

Plura in Alexandri Donati aliorumque de urbe Roma libris tradita, si velis, facile invenies (*Donat. lib.* II *de Urbe Roma, cap.* 4. *et seqq.*).

Ubi ergo, rogabit aliquis, res divina tunc agebatur? *Temeraria*, inquit Tertullianus, *de cespite altaria* (*Tertullian. Apologet., cap.* 25. *p.* 420 *et lib.* II *ad Nation. cap.* 17), sive repente, subito ac fortuito casu exstructa, sicut ex Cicerone (*Cicer., lib.* II *de natur. deor., pag.* 228, *lin.* 12) et Apuleio (*Apulei. lib. de Deo Socrat. init.*) discere est. Vasa vero quibus ministrabatur *sordida* erant, ait Auctor noster, *et adhuc samia*, seu luto cretaque molli tum fabricata, de quibus alibi diximus (*Dissertat. in Lactant. cap.* 30, *art.* 2).

Adjecit Tertullianus (*Tertullian.*, loc. cit.) : *Et nidor ex illis*, uti in utroque illius, cum Apologetico, tum ad Nationes secundo libro legimus : in nostris autem codicibus manuscriptis ex duobus his verbis unum, sicuti sæpius factum est, scriptumque *exillis*. Atque inde forsan Rigaltius corrigi voluit *exilis*, haud prorsus infelici conjectura, cujus tamen aliquam saltem rationem reddere debebat. Confirmari autem inde potest, quia ibidem Tertullianus asseverat, pauperes tum fuisse Romanæ religionis ritus. Sed duo hæc verba *ex illis* ad *vasa samia*, quibus subnectuntur, referri quoque possunt. Nihil ergo de hac varia lectione definire audemus.

Cæterum quia Numæ tempore nulla apud Romanos erant deorum simulacra; imo vero, quia ea fieri A ille, ut alibi ostendimus (*tom.* I. *Apparat. pag.* 733. *et* 1227 *et seqq.*), prohibuerat; inde Tertullianus intulit : *Et Deus ipse nusquam*. Persuasum siquidem, uti capite sequenti videbimus, omnino habuisse videtur eam per gentilium animos pervasisse opinionem, non alios esse deos quam illorum simulacra, vel ipsorum in eis residere divinitatem.

Vides ergo quam recte ex dictis concludat : *Ergo non ante religiosi Romani, quam magni, ideoque non ob hoc magni, quia religiosi* (*Tertullian. Apologet. cap.* 25, *pag.* 430). Fundatum quippe et stabilitum fuit illorum imperium, priusquam aut deos haberent, aut eos saltem tot superstitiosis ritibus, atque inani tot cæremoniarum pompa colerent et adorarent. At certe tam ad illud imperium propagandum, quam jacienda B ejus fundamenta pari profecto deorum ope ac subsidio indigebant, quod tamen nunquam habuisse manifestum est. Sed aliis adhuc rationibus id ab illo evidentissime demonstratur, quæ a nobis examinandæ sunt.

ARTICULUS III.

Non magis datum aut propagatum ab ullis gentilium diis imperium Romanorum, quam Babyloniorum, Medorum, Ægyptiorum, Assyriorum, Amazonum, et Judæorum, qui ante eosdem Romanos regnaverunt : horum impietate et sacrilegiis propagatos imperii sui fines : ac nullis plane miraculis, divinationibus, oraculis probari posse ullos existere horum aliorumque gentilium deos.

C Certum quidem est, quod et ipsi Romani palam fatebantur, terrena regna ab aliquo Instituì, dari et dispensari. At ea potestas penes eum duntaxat solum esse potest, qui omnia creavit. Nulli itaque Romanorum dii regnum aliquod cultoribus suis aut aliis unquam dederunt. Et certe ante illorum Pontifices, Quindecim viros, Salios, Lupercos, Vestales, de quibus nos alibi, et ante omnes romanorum deorum ministros, imo antequam ulli dii Romæ colerentur, instituta fuerant Babyloniorum, Medorum, Ægyptiorum, Assyriorum, et Amazonum regna, magnaque, uti nemo nescit, potestate et gloria florebant (*Tertullian. Apologet., cap.* 26, *pag.* 432; *et lib.* II *ad Nation., cap.* 27, *p.* 583). Constat ergo has nationes nec a Romanorum diis, nec ab his quos ipsi colebant, D accepisse regnandi potestatem : non a suis quidem, qui eos, a quibus summo in honore habebantur, defendi non potuerunt; neque a Romanorum diis, qui nondum ficti erant, et a quibus eorum imperium eversum fuisse Romani opinabantur. Jam vero vidimus (*Dissertat. in Minut., cap.* 18, *art.* 4 *et* 5), quomodo Minutius Felix hoc argumento adversus ethnicos pugnaverit.

Sed ut quibusdam exemplis manifestius id fiat, urget Tertullianus : *Cur Athenas a Xerxe Minerva non defendit, vel cur Delphos de manu Pyrrhi Apollo non eruit* (*Tertul., l.* II *ad Nation., loc. cit.*)? Nullus enim plane ethnicorum deus neque Romæ, neque ullibi, tanto honore divino ornatus est, quanto Minerva

Digitized by Google

Athenis, ubi exstabat insigne illius notumque omnibus simulacrum. Neque majori cultu ullus Deus honestatus est, quam Apollo Delphis, ubi oracula, toto terrarum orbe celebrata, fundere credebatur. Verumtamen nec istic Delphos, nec illa Athenas ab hostium suorum armis tuta reddidere. Quomodo ergo dii vel peregrini, vel patrii, dilatare Romani imperii fines valebant? Numquid aliis diis potentiores erant? Sed verus Deus debet esse omnipotens, atque idcirco unus tantum esse potest, qui regna tribuit, et dispensat.

Age vero, instantemque Tertullianum subsequamur (*Idem, Apologet. cap.* 26, *p.* 432). Judæi, inquit, suos habuerunt reges, quos etiam nunc haberent, nisi horrendo Christi parricidio suas cruentassent manus. Atqui hi ipsi penitus contempserunt Romanorum deos. Non illi ergo in hos deos pietate regnum suum meruerunt. Romani vero, cum his deorum suorum hostibus icto fœdere, honoraverunt ipsorum Deum cœsis victimis, ac templum donis et muneribus. At quibus, oro te, oculis dii illi facta a Romanis hæc vero Deo, eorumque adversario, fœdera, sacrificia et dona intueri poterant? Nonne illorum iram potius, quam propensum ad augendos romani imperii fines animum, accendere debuerunt?

Præterea certo certius est regna ab hominibus occupari, invadique armis et victoriis (*Ibid., cap.* 25, *pag.* 431). Atqui hæc fieri nequeunt, nisi eversis plerumque urbibus, ac proinde pari templorum ac mœnium strage, eadem sacerdotum cæde atque civium, ac rerum sacrarum profanarumque communi ereptione ac præda: *Tot igitur*, ait Tertullianus (*Ibid.*), *sacrilegia* Romanorum *quot tropæa*, ex sacris profanisque captarum urbium spoliis Romam asportata: *tot de diis*, qui patriam suam et urbes, in quibus colebantur, tutari non potuerunt, *quot de gentibus triumphi. Tot manubiæ, quot manent adhuc* Romæ *simulacra captivorum deorum.* Manubiarum autem nomen, de quo nos alibi (*Dissertat. in Minut., c.* 16, *art.* 2; *et in Lactant., c.* 31, *art.* 4), a Tertulliano ibi accipi videtur pro spoliis, quæ Romani ex captis urbibus secum Romam detulerunt. Præcipua vero erant deorum simulacra, quæ in templis solebant collocari, ac deinceps adorari. Romanorum ergo imperium accrevit non quidem ulla ipsorum in deos pietate et religione, sed impietate, sceleribus et sacrilegiis.

Qua ergo ratione dii illi, pergit Auctor noster, ab hostibus suis Romanis *sustinent adorari, et illis imperium sine fine dederunt, quorum magis injurias, quam adorationes remunerasse debuerant?* In nostris manuscriptis codicibus ac variis editionibus, præsertim antiquioribus habetur *adolationes*, sive *adulationes*, quemadmodum differenter ab aliis scriptum occurrit. Quidam tamen maluerunt *adorationes*, ut hoc nomen superiori verbo *adorari* respondeat. Quid vero, si Tertullianus significare voluerit deos non potuisse patienter ferre adulationes, seu vana cultus eorum blandimenta, qui tum eis adulabantur, cum impietate et sacrilegiis omnia vastabant? At quocunque modo legendum decernas, fatendum est nihil posse fingi absurdius, quam Romanos sua in deos pietate auxisse imperii sui fines, quos bellis victoriisque, atque idcirco non sine eorumdem deorum injuria atque contumelia, propagaverant.

Quæ porro hucusque exposuimus Tertulliani adversus Romanorum deos argumenta, plerisque iisdem Minutius Felix, quemadmodum in prima nostra dissertatione ostendimus (*Dissertat. in Minut. Octav. cap.* 16, *art.* 2 *et* 3), fictam eorumdem numinum divinitatem funditus evertit.

Urgebant tamen Romani cæterique omnes ethnici veros esse deos suos, qui stupendis signis, miraculis, prædictionibus, oraculis, divinationibus, ac factis quibusdam, quæ cunctas creaturarum vires superare videbantur, suam divinitatem et omnipotentiam sæpe sæpius comprobaverant. Et hæc certe quæ extra solitum naturæ ordinem acta esse opinabantur, illorum oculos et mentem sic fascinaverant, ut persuasum omnino habuerint ea soli deorum potestati esse tribuenda. Verum Tertullianus ostendit hanc argumentationem ab iis tantum proferri et urgeri, qui veram ignorabant effectuum illorum caussam. Semotis quippe inanibus præjudiciis, agnoscere potuerunt ea omnia facta fuisse dæmonum agilitate maxima, malis artibus, dolis, fraudibus ac præstigiis, quibus hi mendaces impurique spiritus incautis hominibus plane illudebant. Huc etiam accedit, quod ethnici inficias ire nequibant plura extraordinariis deorum, uti putabant, suorum factis similia ab hominibus magiæ deditis, eorumdem dæmonum dolis ac fraudibus edita fuisse. Quis ergo, nisi insaniat, hos idcirco veros deos esse dixerit? Quæ porro ac quanti ponderis sint hæc argumenta, quibus Tertullianus illud probavit (*Supr. cap.* 8, *art.* 3 *et seqq.*), superius enucleare ac patefacere contendimus. In superioribus etiam dissertationibus hæc et alia adhuc plura explanavimus (*Dissertat. in Minut. Octav., cap.* 16, *art.* 1 *et seqq. et Dissert. in Arnob., cap.* 18, *art.* 1 *et seqq. et Dissert. in Lactant., cap.* 32, *art.* 4), quibus alii nostræ religionis assertores ac vindices illam gentilium opinionem et argumentationem radicitus excusserunt.

CAPUT XXIX.

De deorum imaginibus, statuis et simulacris.

ARTICULUS PRIMUS.

Quibus argumentis Tertullianus demonstret colenda non esse deorum simulacra, quæ nulla ante Numam Pompilium, ac longo deinceps tempore, Romæ fuerunt; quæ ex eadem materia ac vilia vascula facta erant; quæ ridicula consecratione fatum mutaverant suum; quæ artificibus fabricata, variis contumeliis a bestiis hominibusque afficiebantur: ac quam absurde bestiæ Libero, Cybele, et Cœlesti applicatæ sint.

Cum satis superque demonstratum sit falsos nullosque esse gentilium deos, inde necessario sequitur vana, ac nullo penitus honore digna esse illorum simulacra, statuas et imagines. Quæ enim falsi dei,

Digitized by Google

nisi falsa imago esse potest? Nunquam ergo magna sine impietate colitur et adoratur. Tertullianus tamen hunc ethnicorum errorem peculiaribus quibusdam explodit expugnatque rationibus, quæ nunc a nobis explicandæ sunt.

Jam vero illum audivimus dicentem nulla Romæ, regnante Numa Pompilio, et ante illius ætatem facta fuisse simulacra aut imagines deorum (*Cap. super., art.* 1). Etenim *nondum*, inquit, *tunc ingenia græcorum atque Tuscorum fingendis simulacris Urbem inundaverant* (*Tertullian. Apologet., cap.* 25, *p.* 430). Ibi vero alludere videtur ad Tatiani, sicut alibi animadvertimus (*tom.* 1 *Apparat. pag.* 543), et aliorum opinionem, qui Tuscos artis figlinæ, simulacrorumque ex creta et argilla fingendorum inventores fuisse existimabant. Neque hæc tamen deorum simulacra Romam asportata sunt, statim atque Numa Pompilius mortuus est. Romani siquidem, ut laudatus ab Augustino Varro, et Clemens Alexandrinus testantur, deos suos per centum septuaginta et amplius annos sine simulacris coluerunt. Sed de his in citato jam Apparatus nostri tomo disputavimus (*ibid.*), ibique præterea ostendimus Numam vetuisse, ne ullum simulacrum ullave imago fieret.

Per totum itaque illud tempus, quo Romani his caruerunt: *Deus*, ait Tertullianus, *ipse nusquam* (*Tertullian. Apologet., cap.* 25, *p.* 430). Cur ergo, nisi quia ethnici in animum induxerant deorum simulacra reipsa suos esse deos? Et vero Clemens Alexandrinus, a nobis etiam alibi laudatus (*tom.* 1 *Apparat., pag.* 734), haud dubitanter asseverat posterioribus illis temporibus fictos ab ethnicis deos, quos adorabant. Quamobrem Tertullianus alibi dixerat deos ab iisdem ethnicis æstimari a templis, ubi simulacra eorum posita erant (*Tertullian., Apologet., cap.* 10, *p.* 330 *et cap.* 25, *pag.* 427). Alibi vero eadem deorum simulacra, quæ Romani, ut antea dicebamus, Romam in triumphi pompam deferebant, captivos deos appellat. Sed supervacuum est hoc pluribus probari quod ab illo ubique passim pro certo ponitur, atque mox dicendis manifestius patebit.

Quanta autem cæcitate: *Deus verus*, inquit ille, ab ethnicis spernitur, eidem profecto deorum *statuæ adorantur* (*idem, Apologet., cap.* 41, *pag.* 488). Quid enim in eis deprehendere erat, *nisi materias sorores esse vasculorum instrumentorumque communium, vel ex eisdem vasculis, et instrumentis, quasi fatum consecratione mutantes licentia artis transfigurante?* (*Ibid. cap.* 12, *p.* 339). Palam itaque pronuntiat simulacrorum *materias*, sive ligna, et metalla, quibus illa facta erant, eadem fuisse, atque vasculorum et instrumentorum, quæ communi et quandoque vilissimo hominum usui destinabantur. Fatum itaque ac sortem suam mutaverant, primum quidem arbitrio et libidine artificum a quibus efficta fuerant, ac deinde ridicula consecratione, qua demum accepta, tanquam veri dii a gentilibus colebantur. Sed hæc alibi fusius prosecuti sumus (*Dissertat. in Arnob., cap.* 19, *art.* 4),

planumque fecimus quam vesana et absurda sit hæc ethnicorum opinio.

Quæ enimvero major infamia esse potest quam divino honore prosequi deos, *qui metallis*, inquit Tertullianus, *censentur* (*Tertullian. Apologet., cap.* 12, *pag.* 339): subaudiendum haud dubie *orti et facti?* Juvenalis namque eodem sensu hoc verbum *censeri* adhibuit, ubi canebat:

> Stemmata quid faciunt? quid prodest, Pantice, longo
> Sanguine censeri? . . . . .
>
> (*Juvenal. Satir.* 8, *v.* 1.)

Ad hæc vero, ut hæc deorum simulacra ex metallis fierent, ab imperatoris, qui horum erat dominus, pendebat arbitrio (*Tertullian., Apologet. cap.* 29, *p.* 439). Pro illius ergo nutu ac voluntate dii illi fiebant, vel rejiciebantur. Quantis insuper contumeliis ab artificibus finguntur fabricanturque? Primum *cruci*, ait Tertullianus (*Ibid., cap.* 12, *p.* 339), *ac stipiti* superstruuntur, *asciis* deinde dolantur, et secantur *runcinis*, sive serris majoribus, et *scabinis*, id est, limis perpoliuntur. Quid vero, quod *ante plumbum*, addit ille, *glutinum, et gomphos, græce* γόμφους, sive clavos, quibus compinguntur, *sine capite sunt dii?* (*Varr. Lib.* VI *de Ling. latin., pag.* 54.) Nonne autem his verbis significat simulacri caput separatim factum, impositumque postea ejus corpori, clavisque illi affixum.

Sed hasce ignominias, ut ille ait (*Tertullian., loc. cit., p.* 339), hi præstantes dii sive simulacra, nullo vitæ flatu animata, non sentiunt. Statuæ enimvero et frigidæ imagines mortuorum hominum simillimæ, sicut fabricationis suæ dedecore non tanguntur, ita nec adorantium cultu et obsequio. Huc accedit, quod istam simulacrorum stupiditatem, *milvi*, inquit, *mures et araneæ intelligunt* (*Ibid.*), cum impune in his statuis nidificant, easque suis coinquinant stercoribus. Facilius vero illam intelligebant fures, aliique homines impii, a quorum rapinis et contumeliis nunquam sine cæsareorum militum excubiis hæc simulacra tuta esse poterant. Sed istæc in superioribus nostris dissertationibus enucleavimus (*Dissertat. in Minut., cap.* 21, *art.* 1, *et in Arnob., cap.* 22, *art.* 3, *et in Lactant. cap.* 33, *art.* 5).

Contra vero clamitabant ethnici impias esse has voces et convicia sacrilega: *Sed infrendite*, ait eis auctor noster, *et inspumate*, quantum volueritis, nihil sane hi clamores vobis proderunt. Audistis enim aliquando *Senecam aliquem*, cui refragari nequitis, *pluribus et amarioribus verbis de vestra superstitione perorantem* (*Tertullian. Apologet., cap.* 12, *p.* 339). Quæ vero sint hæc Senecæ verba indicavimus in alia nostra dissertatione, ubi et hunc Tertulliani locum citavimus (*Dissertat. in Lactant., cap.* 33, *art.* 3). Quamvis autem Seneca tacuisset, non minus validum est auctoris nostri argumentum, contra quod gentiles rabiose quidem inspumare, sed ejus vim infringere nequibant.

Quis igitur non deplorabit cæcam illorum impietatem, qui ut major diis suis, seu simulacris haberetur veneratio: *Bestias*, inquit Tertullianus, *Libero, et Cybele, et Cœlesti* applicabant (*Tertullian., Apologet.,*

Digitized by Google

cap. 12, *p.* 539), id est, illorum currui, quo vehi fingebantur? Currus enim Liberi trahebatur tigribus quemadmodum ab Ovidio (*Ovid., Metamorph., fab. ult., et lib. de Arte amandi. v.* 560), aliisque pluribus discere est. Quamobrem satis erit hæc citasse Virgilii carmina :

Nec, qui pampineis victor juga flectit habenis
Liber, agens celso Nysæ de vertice tigres.
(*Virgil., lib.* VI *Æneid., v.* 779.)

Cybeles vero currum vehebant leones, sicuti canit Lucretius :

Hanc veteres Graium docti cecinere poetæ
Sedibus in curru bijugos agitare leones,
Aeris in spatio magnam pendere docentes
Tellurem, neque posse in terra sistere terram.
(*Lucret., lib.* II, *v.* 600 *et seqq.*)

Diodorus vero Siculus scribit hujus deæ simulacro idcirco admotos leones et pardales, quia ab his nutrita ferebatur (*Diodor. lib.* III *Biblioth., pag.* 135).

Tertia porro dea, cujus currui junctæ erant bestiæ, a Tertulliano vocatur *Cœlestis*, uti in codicibus nostris scriptum, in quibusdam vero aliis *Cereri* legitur. At hæc quidem vocabatur Cœlestis, ejusque currus vehebatur anguibus, quemadmodum his Ovidius confirmat versibus :

. . . Geminos dea fertilis angues
Curribus admovit, frænisque coercuit ora,
Et medium cœli terræque per aera vecta est.
(*Ovid., lib.* V *Metam., fab. ultim.*)

Non sola tamen Ceres, sed Venus etiam cognominabatur Cœlestis, currumque illius oloribus et columbis trahi garriebant. Si testem petas, adest adhuc Ovidius :

Vecta levi curru medias Cytherea per auras,
Cypron Olorinis nondum pervenerat alis.
(*Ibid., lib.* X, § *ult.*)

Postea vero :

Perque leves auras junctis invecta columbis.

Denique Junonis, quæ Cœlestis quoque nuncupabatur, currum equi, sicut Homerus, Virgilius, et pavones, ut alii testificantur, ducebant. Nam rursum cecinit Ovidius :

. . . . . Habili Saturnia curru
Ingreditur liquidum pavonibus æthera pictis.
(*Ovid., lib.* II *Metam., paulo ante finem.*)

Tam ergo difficile dictu quid Cœlestis nomine a Tertulliano significetur, quam probatu facile bestias a gentilibus, sicut ait Tertullianus, applicari diis suis, sive illorum simulacris. At nemo sanæ mentis homo unquam negabit nihil esse absurdius, quam hujusmodi simulacra tanquam veros deos, aut divina virtute præditos, serio venerari et adorare.

ARTICULUS II.

Quam absurde ethnici dixerint simulacra suos esse deos; tametsi plurimi quosdam aliis incognitos, et a se adoptatos colerent, aut domesticos pignerarent, venditarent, atque in vilissima commutarent vasa, aut publicos in hastario venales haberent, eosque sanctiores existimarent, qui magis tributarii erant, cariusque venumdabantur.

Non potuit Tertullianus patienter ferre ethnicos, A qui rectæ rationis lumini, sole meridiano clarius fulgenti, oculos ultro claudentes, mira pervicacia imagines, statuas, simulacra falsorum deorum retinenda colendaque esse contendebant. Pro ratione enim, inquit ille, insulsa duntaxat erat illa vociferatio : Hæc, *nobis dii sunt* (*Tertullian., Apologet., cap.* 13, *p.* 344). Verum mera verba erant, quibus ipsi suomet judicio plane condemnabantur. Diffiteri quippe non poterant nullum, sine senatus approbatione, ut supra vidimus (*cap.* 18, *art.* 9), deum potuisse nuncupari et honorari. Verumtamen in ethnici cujuslibet potestate situm fuit quem voluisset, deum, sive quodcumque sibi placuisset, dei simulacrum aut eligere aut reprobare. Susceptum itaque ab aliquo deum alius pro libito aspernabatur. At illud sine reprobati injuria fieri non poterat, B aut, ut ipse Tertullianus eos compellando (loquitur : *Cum alii alios colitis, utique quos non colitis, offendilit. Prælatio unius sine alterius contumelia non potest procedere* (*Tertullian., loc. cit.*).

Quidam autem putant Augustinum ad hæc verba respexisse, ubi totam illam argumentationem improbat, sicque refellit : *Non dico quod facetius ait Tertullianus, fortasse quam verius : Si dii seliguntur, ut bulbi, utique cæteri reprobi judicantur. Non hoc dico. Video enim etiam ex selectis seligi aliquos ad aliquod majus et præstantius, sicut in militia, cum tyrones electi fuerint, ex his quoque eliguntur ad opus aliquod majus armorum..... Non opus est multa percurrere, cum res in aperto sit. Quamobrem non ex hoc quod dii ex multis quidam selecti sunt, vel is, qui scripsit, vel eorum cultores, vel dii ipsi vituperandi sunt : sed advertendum potius* C *quinam isti sint, et ad quam rem selecti videantur* (*August., lib.* VII *de Civit., cap.* 1, *pag.* 162). Verum responderi forsitan poterit ibi Augustinum de diis ethnicorum selectis. Tertullianum vero de quorumlibet deorum simulacris citato loco disputare. Sed objicient alii ethnicos, sicut diximus, credidisse hæc ipsa simulacra suos esse deos. Ad hæc vero, quamvis de utrisque non eodem semper modo loquerentur, non minoris tamen roboris videtur Augustini in Tertullianum argumentatio. Verum negari non potest longe majus esse illius pondus, si Augustinus ad ea respexerit, quæ Auctor noster in libris *ad Nationes*, contra Varronis *de ipsismet* diis selectis sententiam fusius disputavit (*Tertull., lib.* II *ad Nat., cap.* 9), atque ad D hæc potissimum ejus verba : *Si certos* ethnici deos *habebant, contenti esse debuerunt, nec electos desiderare. In quo etiam irreligiosi deprehenduntur. Si enim dii, ut vultis seliguntur; qui non seliguntur, reprobi pronuntiantur* (*Ibid.*). Nonnullis autem ita persuasum fuit hunc locum ab Augustino notari, ut eum secuti, in hoc textu pro verbo *vultis* nomen *bulbi* audacter reposuerint.

Contra tamen instabit aliquis Tertullianum, etsi in Apologetico de deorum simulacris disserat, ex illis nihilominus, quæ ethnici deos esse opinabantur, eamdem atque in libro ad Nationes de diis ipsis selectis hanc intulisse conclusionem : *Status dei cujusque, in senatus æstimatione pendebat. Deus non erat, quem ho-*

Digitized by Google

mo consultus noluisset (*Idem*, *Apologet.*, *cap.* 13, *pag.* 344). Verum is animadvertere debet his verbis non denotari deos selectos, sed quorumvis deorum simulacra, quæ ethnici, uti ille ibidem adjecit, pro libito pignerare, vendere, immutare, frangere poterant. At id sine illorum probro et dedecore nequibat fieri; atque tunc maxime quando uno reprobato, aliud eligebatur. Nonne etiam dici potest argumenti, inde a Tertulliano ducti, vim in eo positam esse, quod quicumque dii finguntur, ii aut omnipotentes esse debent, aut nulli dii sunt. At non inter plures omnipotentes, sed bene quidem inter tyrones et milites unus validior, potius quam alter, potest seligi.

Cæterum si tota hæc argumentatio infirma plane tibi videatur, aliam ab illo accipe, quam procul dubio majoris ponderis esse fateberis. Constat, inquit, omnia gentilium simulacra, vel quod idem est omnes illorum deos aut domesticos et privatos, aut communes et publicos fuisse. Primi autem lares, et penates vocabantur, quos unusquisque domi servatos, ritu peculiari colere solebat (*Idem*, *Apologet.*, *cap.* 13, *pag.* 344, *et lib.* I *ad Nation.*, *cap.* 10). De penatibus autem hæc sunt Tibulli carmina :

> At mihi contingat patrios celebrare penates,
> Reddereque antiquo menstrua thura lari.
> (*Tibull.*, *lib.* I, *eleg.* 3, *v.* 33.)

Addamus, si lubet, et ista a Virgilio edita :

> Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo
> Cura penum struere, et flammis adolere penates.
> (*Virgil.*, *lib.* I *Æneid.*, *v.* 707.)

De laribus vero Juvenalis cecinit :

> O parvi nostrique lares, quos thure minuto,
> Aut farre, aut tenui soleo exornare corona.
> (*Juvenal.*, *satir.* 9, *sub. fin.*)

Plura autem de utrisque sæpius stricto solutoque sermone ab ethnicis decantata huc congerere nihil necesse est. Verum ea fuit eorumdem gentilium mentis inconstantia, isque impius deorum suorum contemptus, ut quos diu coluerant, domesticam, inquit Tertullianus, in ipsos exercerent potestatem *pignerando, venditando, demutando, aliquando in cacabulum de Saturno, in trullam de Minerva* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 344). Quemadmodum igitur gentiles ex vasibus vilissimo usui, ut antea vidimus, destinatis simulacra, sive deos, ita etiam ex his alia vasa posthæc fingebant, aut ea pignerabant, aut venditabant. Ex Saturno enim, sive Saturni simulacro formabant aliquando cacabulum, sive minus cacabum, quod teste Varrone, vas erat, *ubi cibum coquebant; ab ea cacabum appellarunt* (*Varr.*, *lib.* IV, *de Ling. lat.*, § 27). Trulla vero vas potorium erat, uti ex his patet Horatii versibus :

> Qui Veientanum festis potare diebus
> Campana solitus trulla.
> (*Horat. lib.* II, *satir.* 3, *v.* 143.)

Quod quidem a Juvenale confirmatur (*Juvenal.*, *satir.* 3, *v.* 112). Aliquando tamen videtur ab aliis accipi pro vase, quo ventris, sicut alia in dissertatione ostendimus (*Dissertat. in Arnob.*, *cap. ult.*, *art. ultim.*), onus deponebatur. Sed priore sensu a Tertulliano acceptum fuisse eo facilius nobis probabitur, quod de vase ad cibos conficiendos ibidem locutus sit. De trulla autem et cacabulo aliquid in citata dissertatione diximus.

Duas porro ob causas hi dii, sive simulacra ab ethnicis immutabantur, pignerabantur, et vendebantur. Ac prima quidem erat, inquit Tertullianus, *ut quisque deus contritus, atque contusus est, dum diu colitur* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 344). Itaque illum deum, vetustate exesum, aut deformatum rejiciebant, aut commutabant in aliud. Altera caussa erat : *Ut quisque deum sanctiorem expertus est domesticam necessitatem.* Ita quidem Rigaltius : in Frobeniana vero editione : *Et quisque dominum.* Melius in aliis editionibus et omnibus ineditis exemplaribus nostris : *Ut quisque dominus*, illius videlicet dei, et simulacri, *sanctiorem expertus est domesticam necessitatem* (345). Sed quid, rogabit aliquis, nomen *sanctiorem* ibi significat? Respondent nonnulli nihil aliud Tertullianum sibi voluisse, nisi hunc deum a paupere illius domino vendi, cui sua necessitas et inopia sibi *sanctior*, quam deus suus videbatur. Necessitatem enim sanctiorem vocari putant extremam, maximeque urgentem, quemadmodum Livius vocat sanctius ærarium, quod ad ultimos, inquit, casus servabatur (*Liv.*, *lib.* XXVII, § 10). Citari quoque poterat Cicero, qui ad Atticum scripsit decretum fuisse, *ut pecuniam de sanctiore ærario auferrent* (*Cicer.*, *lib.* VIII, *Epist.* 20, *ad Attic.*, *pag.* 284, *lin.* 5). Verumtamen numquid a scopo is penitus aberrabit, qui dixerit illud adjectivum *sanctiorem*, non ad nomen *necessitatem*, sed *deum* referri? Nam ethnici quo sanctiorem deum esse opinabantur, eo carioris illum vendebant. Et certe ipse Tertullianus ibidem et in libro ad Nationes : *Dii*, inquit, *qui magis sancti, magis tributarii* (*Tertullian.*, *lib.* I *ad Nation*, *cap.* 10). Porro autem sive deus, seu potius necessitas ethnicorum hoc *sanctioris* nomine designetur, illos Tertullianus merito his verbis redarguit: *Privatos deos, quos lares, et penates domestica consecratione perhibetis, domestica licentia inculcatis*, sive conculcatis, *venditando, pignerando pro necessitate ac voluntate* (*Ibid.*, *pag.* 55).

Neque pluris faciebant deos suos publicos, *quos*, uti ille prosequitur, *æque publico jure fœdabant* (*Idem*, *Apologet.*, *cap.* 13, *pag.* 345, *et lib.* I *ad Nation.*, *loc. cit.*), imo vero tractabant turpius ac contumeliosius. Nam privatos unusquisque pro arbitrio quidem, sed privatim vendebat; publicos vero publice, ut pote quos habebant *in hastario vectigales* (*Ibid.*). Hastarium autem, si Turnebo credas (*Turneb.*, *lib.* XXVIII *Advers.*, *cap.* 5), locus erat, ubi proscriptorum bona venumdabantur. Rigaltius autem putat eo nomine significari librum hastarium, seu tabularium et regestum vectigalium, quæ sub hasta et voce præconis quinquennio quoque addici redemptoribus solebant. Et certe Auctor noster : *Quos in hastarium*, inquit, *regessistis publicanis sub... tis, omni quinquennio, inter vectigalia vestra proscriptos addicitis* (*Tertull.*,

Digitized by Google

lib. I *ad Nation.*, *cap.* 10). Sed utrumque illud Tertullianus significare procul dubio videtur. Ait enim deos publicos in eum locum transferri, ubi, sicut alia proscriptorum bona in tabulario publico primum descripta, per quinque annos asservabantur, donec venderentur publice, atque ita *sub eadem*, sicut ille ait, *hasta, sub eadem annotatione quæstoris divinitas* illorum *addicitur*. Nonne autem *hastarium*, et ab ea hasta, et ab annotatione sive registro quæstoris nuncupari potuit?

Quidquid sit, hi dii non solum venales, sed *vectigales* quoque, inquit Tertullianus, habebantur; quia pro quinquennali in hastario mora, aliquod solvebatur vectigal, ac tributum (*Idem*, *Apologet.*, *cap.* 13, *p.* 344). Quanto igitur, amabo te, dedecore et opprobrio miseri illi dii afficiebantur? Quo enim modo ad eos vendendos et emendos illuc itum si quæras: *Sic Capitolium*, respondebit Tertullianus, *sic olitorium forum petitur* (*Idem*, *ibid.*). Minus bene in quibusdam editis: *Si.... si*, pro *sic.... sic*. In libro quippe ad Nationes legimus: *Sic Serapæum, sic Capitolium petitur* (*Et lib.* I *ad Nation.*, *cap.* 10, *pag.* 55), hoc est, eodem modo, similique tributo hastarium ad deos reponendos, ac venumdandos locatur, quomodo Capitolium, Serapæum, et forum olitorium. Nulli autem in hæc templa ingredi, quemadmodum nec aliquid in foro olitorio vendere, nisi soluto tributo licebat. Ergo *qui magis tributarii*, concludit ille, *magis sancti, imo qui magis sancti, magis tributarii* (*Ibid.*), id est, quo deus falsa ethnicorum opinione sanctior æstimabatur, eo majus pro illius in hastario mora, et illo venumdando exigebant pretium et tributum.

Quinam porro illi dii publici fuerint, a nobis si quis forsitan sciscitabitur, respondebimus hos triplicis potissimum fuisse generis. Alii enim erant in templis collocati, alii vel fabricati, vel empti, et advecti; alii tandem per vicos et plateas, ut supra animadvertimus (*Supr.*, *cap.* 24, *art.* 4), palam circumferebantur. At primi vel solum ob vetustatem, secundi et tertii ad ethnicorum arbitrium tributa pendere et vendi consueverant. Nonne ergo qui diis suis tantam inurebant infamiam, nec illos, nec eorum simulacra deos, aut divino aliquo honore dignos esse etiam inviti palam fatebantur.

ARTICULUS III.

Quam præpostere gentiles Simonem magum, sicut alios deos suos statua dei sancti inauguraverint, eosque omnes repræsentaverint eodem habitu, iisdemque insignibus, quibus ætas, ars, negotium ante mortem fuerant, ac pares statuas imperatoribus suis, seu mortuis, seu vivis statuerint; nec inde aliquid confici posse contra sanctas Christianorum imagines.

Ultimum Tertulliani adversus insanos simulacrorum cultores argumentum non omni prorsus difficultate caret. Quapropter illum parumper adhuc audiamus, ethnicos his verbis increpantem: Qua, inquit, fronte, *Junones, Cereres, Dianas*, sive illarum, aliarumque vestrarum dearum ac deorum simulacra A *adoratis, cum Simonem magum statua et inscriptione sancti dei inauguratis* (*Tertul. Apol.*, *cap.* 13. *p.* 347)? Observatum autem a nobis fuit a Justino martyre traditum fuisse, Claudio imperante, statuam in insula Tiberina duos inter pontes huic Simoni mago positam cum illa inscriptione: *Simoni sancto deo* (*Tom.* I *Apparat.*, *pag.* 6). Martyri sanctissimo suffragatur Cyrillus Hierosolymitanus (*Cyril.*, *catech.* 6, *pag.* 157), qui illam ab eodem Claudio imperatore, et Eusebius (*Euseb.*, *lib.* II *Histor. eccles.*, *pag.* 52), qui a Romanis collocatam fuisse haud dubitanter affirmant. Alios testes hic citare tam facile esset, quam supervacaneum. Omnes enimvero concedunt communem hanc fuisse veterum Scriptorum opinionem.

Verum recentiores critici audacter asseverant illam crasso niti errore, qui ab eodem Justino, latinæ B linguæ penitus ignaro profectus, cæterorum deinceps animos pervasit. Cum enim ille in mentem, inquiunt, induxisset statuam Semonis Sanci dei Fidii eamdem esse ac Simonis magi, ipsi falsa nominis similitudine decepto, alii omnes incauti subscripserunt.

Quid ergo? Numquid omnes non solum græce, sed latine scientes, atque ii etiam, qui Romam post Justinum martyrem venerant? Numquid hunc errorem nullus ex illis deprehendit, aut illius a se agniti ne ullum quidem admonuit? Numquid quia postrema ætate Simonis Sanci statua inventa est, inde necessario sequitur Justini tempore nullam fuisse Simonis Magi? Quid vero, quod Augustinus testatum plane facit effictas ab eodem Simone mago et suam et Helenes meretricis imagines, quas *discipulis*, inquit, C *suis præbebat adorandas, et Romæ tanquam deorum simulacra auctoritate publica constituerat* (*August.*, *lib. de Hæres.*, *cap.* 1, *pag.* 6). Atqui si has imagines Romæ constituit, nonne Justini adhuc tempore aliqua exstare poterat? Quid ergo prohibet quominus sanctus ille martyr et alii deinceps aliquam ex illis aut viderent, aut ab aliis visam esse facti sint certiores?

Sed fac, si Deo placet, Justinum, Augustinum, et alios quam plurimos errasse, non minus tamen valida est Tertulliani adversus deorum statuas argumentatio. Cuncti enimvero saltem fatentur positum fuisse Romæ Semonis Sanci simulacrum. At non minus impium erat falsi hujus dei, quam Simonis magi imaD ginem adorare. Præterea idem erat in deorum, ait Tertullianus, statuis *Habitus*, eadem *insignia*, atque *ut ætas, ut ars, ut negotium mortui fuit, ita deus est* (*Tertullian. Apologet.*, *cap.* 347). Quid autem absurdius, quam cum *senex de Saturno*, sicut ille alio in libro scripsit, *imberbis de Apolline, virgo de Diana figuratur, et miles in Marte, et in Vulcano faber ferri consecratur* (*Idem*, *lib.* I *ad Nation.*, *cap.* 10)? Quis enim ea spectando, non illico videbat illos homines fuisse, vilibus etiam artibus olim occupatos, qui dii idcirco esse nunquam potuerunt? Non summa igitur sine impietate illorum tanquam deorum simulacra et imagines adorabantur.

Denique iidem gentiles non solum his aliisque ve-

Digitized by Google

teribus diis suis, sed suis etiam imperatoribus mortuis, ac quandoque adhuc viventibus, uti paulo post dicemus, exstruxerant templa, in quibus posita erant eorum simulacra, eaque eodem atque aliorum deorum suorum colebant honore. Quæ autem major impietas, quam viventis hominis, aut mortui, ac dum viveret omni scelerum genere sæpius conspurcati, simulacrum tanquam veri dei adorare ac venerari? At certe non insani imperitique tantum vulgi hæc fuit detestanda superstitio, sed aliorum etiam, qui ingenio et auctoritate maxime pollebant. De se enim ipso et quibusdam, qui se christianos esse negabant, Plinius hæc ad Trajanum imperatorem scripsit in verba: *Cum præeunte me deos appellarent, et imagini tuæ, quam propter hoc jusseram cum simulacris numinum afferri, thure, ac vino supplicarent, præterea maledicerent Christo, quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt revera Christiani* (*Plin., lib.* X, *epist.* 101 *ad Trajan.*). Nec mirum profecto si veri Christiani id plane penitusque recusarent, quod non sine maximo idololatriæ crimine fieri poterat.

Non amplius ergo audiendi sunt gentiles, qui nobis objiciebant ab hujuscemodi deorum, præsertim antiquorum, statuis, et simulacris, opem sibi ferri, fundi oracula, aut nescio quæ facta miracula. Quæ enim de hisce diis, seu simulacris diximus, Sole meridiano evidentius demonstrant nihil ab illis, multo minus miracula potuisse fieri? Deinde vero Tertullianus, ut supra vidimus, plane ostendit si quid extra consuetum naturæ ordinem ab illis factum videatur, id tribuendum malis artibus, præstigiis atque fraudibus dæmonum, qui delitescentes *sub imaginum*, uti ille loquitur, *prostitutione, et humanorum nominum consecratione* (*Tertullian. Apologet., cap.* 27), improvidas gentilium mentes fallebant. Sed de his satis antea disputavimus (*Supr., cap.* 10, *art.* 3 *et seqq.*).

Neque porro est, quod hæreticus aliquis nobis in aurem obganniat, vel palam clamitet ex his, quæ hactenus post Tertullianum enucleata sunt, concludi posse omnes penitus sacras Christianorum imagines ab illo condemnari. Non enim de aliis disputavit, quam falsorum deorum, quæ sine sacrilegæ impietatis vitio, sicut satis probatum est, adorari nequeunt (*Tertullian. lib. de Idololat., cap.* 5). Neque potiori jure alius instabit illum asseveranter alibi affirmasse divina Moysis lege, quaslibet statuas et imagines prohiberi. Nam ibidem ille non minus perspicue asseverat factas Dei jussu ab eodem Moyse serpentis ænei, Cherubinorum, aliasque imagines sive statuas, quæ idcirco nihil pravi cultus et idololatriæ secum importabant. Existimavit ergo eas non improbandas esse, quæ nihil impio idolorum cultui affine habent. Sed hæc fusius in primo Apparatus nostri tomo, aliisque superioribus nostris dissertationibus explicata sunt (*Tom.* I *Apparat., p.* 748; *Dissertat. in Minut. Oct., cap.* 29, *art.* 1 *et seqq.*; *Dissertat. in Arnob., cap.* 22, *art.* 1 *et seqq.*; *et Dissertat. in Lactant., cap.* 34, *art.* 1 *et seqq.*). Ea vero si cum his quæ retulimus, componantur, novam mutuamque lucem sibi afferent ac recipient.

CAPUT XXX.

De gentilium templis, et sacrificiis.

ARTICULUS PRIMUS.

Quanta impietate ethnici templa et aras diis suis atque imperatoribus mortuis et vivis ædificaverint, mercedemque exegerint pro templorum solo, pro aditu, pro ostiis et stipitibus, ac quam nefandis sceleribus eadem templa contaminarent, quæ Christiani nec interdiu noverant.

Quibus argumentis Tertullianus falsorum deorum imagines et simulacra, iisdem plane illorum templa veræ religioni repugnare, nec ædificanda esse demonstrat. Nulla quippe falsi dei, multo magis mortui, aut viventis hominis tanquam veri dei templa construere unquam licuit. Quis igitur æquo animo ferre poterit ethnicos, qui non modo fictis veteribus diis, sed mortuis etiam ac viventibus imperatoribus suis templa, aut ut Tertullianus loquitur, ædes et aras posuerant? Quamobrem his illos compellat irridetque verbis: *Digne imperatoribus defunctis honorem divinitatis dicatis, quibus et viventibus eum addicitis*, vel sicuti alio in libro adjecit, sacerdotia, sacros apparatus, thensas, currus, *solisternia*, id est, solia et thronos, atque etiam *lectisternia* exstruitis (*Tertull. Apologet., cap.* 13; *lib.* I *ad Nation., cap.* 344). Ne quis autem dubitaret ea templa novis illis diis consecrari, ipsimet gentiles eorum liminibus, et aris insignes deorum, quibus dedicabantur, titulos inscribi curaverant. Si quis autem aliqua templorum imperatoribus dedicatorum exempla sibi proferri velit, en Suetonii de Julio Cæsare verba: *Ampliora etiam humano fastigio sibi decerni passus est, templa, aras, simulacra, juxta deos pulvinar, flamines, lupercos* (*Suetonius, lib.* I, § 76). Quin etiam eo processit hæc insana ethnicorum impietas, ut Valerius Maximus ausus sit hunc ipsum Julium Cæsarem his verbis precari: *Tuas aras, tuaque sanctissima templa, dive Juli, veneratus oro, ut propitio ac faventi numine tantorum casus virorum sub tui exempli præsidio ac tutela delitescere patiaris* (*Val. Max., lib.* I, *cap.* 6, § 13).

Modestior quidem fuit imperator Augustus, qui, teste adhuc Suetonio, *templa quamvis sciret etiam proconsulibus decerni solere, in nulla tamen provincia, nisi communi suo Romæque nomine recepit* (*Sueton., lib.* II, § 52). Sed hæc tamen templa recepit, quæ non sine veri summique Dei injuria recipi poterant. Alii itaque multo magis damnandi, qui hæc aliaque templa sive imperatoris, sive etiam reipublicæ nomine condidere. Quid ergo dicendum de Domitiano aliisque sceleratissimis imperatoribus, qui, ut Romanæ historiæ scriptores narrant, jusserunt se appellari deos, sibique templa ædificari? Nemo certe sani capitis homo hoc summum impietatis scelus esse diffitebitur.

Sed adverte, quæso, quam cæca et indomita fuerit

Digitized by Google

gentilium pervicacia, impietas, et avaritia. Non aliam sane ob caussam dei cujuslibet templum, ædesque sacra construitur, nisi ut frequentetur ab omnibus, atque idcirco facilis, voluntarius ac gratuitus cunctis esse debet illius aditus. Verumtamen ethnici, sicut summa iniquitate Christianos ad ea adeunda omni pœnarum genere cogere nitebantur; ita maximo avaritiæ vitio gentiles suos iis nisi dato pretio arcebant. Per eos enimvero nulli prorsus licebat in templum aliquod gratis ingredi, sed a quolibet introeunte exigebant, inquit Tertullianus, *mercedem pro solo templi, pro aditu sacri* (*Tertullian. Apologet., cap.* 13), id est, sacræ ædis ingressu. *Soli* autem nomine ibi designatur locus, in quo hæc sacra ædes constructa erat. Quod quidem Cicero hisce verbis clare explicat: *Solum vertunt, hoc est, sedem ac locum mutant* (*Cicer. orat.* 12 *pro Cæcin., pag.* 241). Alibi vero: *Civitatem hanc*, inquit, *ante mutare non potuissent, quam hujus solum civitatis mutatione vertissent* (*Orat.* 36 *pro Cornel. Balb., pag.* 519, *lin.* 38). Paulo itaque obscurius Tertullianus in primo ad Nationes libro dixit ab ethnicis extorqueri mercedem, *pro stipitibus, pro ostiis* templorum cuilibet aperiendis *Tertull. lib.* I *ad Nat., c.* 10). Gothofredus autem opinatur corruptum esse hoc nomen *stipitibus*, ac legendum *stipibus*; quia ipse Tertullianus in Apologetico scripsit: *Stipes quotus quisque jam jactat* (*Idem, Apologet., cap.* 42)? At priora illius verba sunt de templum ingredientibus, posteriora vero de jam ingressis. Non male ergo Rigaltius retinuit nomen *stipitibus*, sed aliquam opinionis suæ rationem reddere debebat. Nobis vero facile persuadebitur Tertullianum hoc nomine *stipitibus* significare voluisse aut lapides, aut forsitan deos Terminales, ante januam templorum positos, qui stipites revera vocabantur, sicuti in citatis aliis nostris dissertationibus veterum poetarum versibus ostendimus (*Dissertat. in Minut., cap.* 19, *art.* 2 *et* 17; *et Dissertat. in Lactant., p.* 32, *art.* 2). Nam ibi ille distinguere videtur stipitem, ostium, et aditum templi; ut his distinctis avaritiam impietatemque ethnicorum acrius insectaretur. Quid tamen certo statuere audeas, si corruptum nomen est, nec meliorem codicem nanciscaris?

Cæterum ethnici præter has intolerandæ avaritiæ sordes, eadem deorum suorum templa lenociniis et adulteriis, quemadmodum supra (*cap.* 26, *art.* 4) cum Tertulliano nostro observatum est (*Tertullian. Apologet., cap.* 15), tam impudenter, quam impune polluebant. Qua ergo ratione credere poterant deos suos in his habitare templis, quæ sæpissime tantis dedecorabant flagitiis ac sceleribus?

Nihil mirum itaque si *Christiani*, ait Tertullianus, hæc *templa nec interdiu norint* (*Tertullian. loc. cit.*), id est, illa non adierint per diem, multoque minus per noctem, tantorum criminum consciam. Si quando tamen ingrederentur, *spoliarent forsitan ea*, ut ille ait, *et ipsi, si ea adorarent*, hoc est, si aliquando Christiani hæc in templa, quemadmodum gentiles, introire potuissent, illa procul dubio, veluti Dionysius tyrannus, et alii, quorum alibi fecimus mentionem, plane spoliassent, non quidem sicut illi, avaritiæ caussa, sed propter scelera ac sacrilegia, quæ in eis patrabantur. Plura vero de ethnicorum atque etiam Christianorum templis in citatis dissertationibus nostris disputavimus (*Dissertat. in Minut., cap.* 12, *art.* 2; *in Arnob., cap.* 21, *art.* 1; *et in Lactant., cap.* 33, *art.* 1).

ARTICULUS II.

Quam scelerata conscientia, quantaque avaritia ethnici diis suis sacrificaverint, et obtulerint grana thuris unius assis, duas meri guttas, sanguinem reprobi bovis, mori optantis, atque enecta, tabiosa, ungulas, capitula, plumarum setarumque prævulsu, ac debitam Herculi decimam defraudaverint.

Non major profecto fuit gentilium in sacrificiis suis, quam in templis pietas ac religio, nec minor etiam avaritia, quæstusque aviditas. Diis enim suis sacrificantes, offerebant *post omnia*, inquit Tertullianus, *inquinamenta etiam conscientiam spurcam* (*Tertullian. Apologet., cap.* 30), sive contaminatam omnibus illis criminibus, quæ paulo antea, et passim in hac dissertatione notata sunt. Quale vero ac quantum thuris adolerent, si scire aveas, respondebit tibi Auctor noster, *grana thuris unius assis, et arabicæ arboris lacrymas* (*ibid.*), id est, grana thuris, non quidem sabæi, quod majore vendebatur, sed arabici, quod pretio emebatur vilissimo. Quin etiam avari homines non plura hujus thuris, quantumlibet communis grana, sed tribus tantum, ut antea observabamus (*Supr. cap.* 24, *art.* 3, *et Dissertat. in Lactant., cap.* 35, *art.* 2), apprehensa digitis, quibus paucissima sane capi poterant.

Quid vero, arguet aliquis, nonne plurimi plena manu totos incendebant thuris etiam pretiosi acervos, quemadmodum Tibullus his versibus cecinit:

> Natalis Juno, sanctos cape thuris acervos,
> Quos tibi dat tenera docta puella manu.
> (*Tibull., lib.* IV, *eleg.* 6.)

Nonne etiam Martialis cantabat:

> Consumpsi falsasque molas, et thuris acervos;
> Decrevere greges, dum cadit agna frequens?
> (*Martial., lib.* VII, *epigr.* 53.)

Sed hæc procul dubio poeticæ exaggerationes sunt; et Martialis ibi loquitur de somniorum interpretatione. Quis vero nesciat eos, qui futura scire, et maxime cupita obtinere volunt, nullis parcere sumptibus? Neque minus certum et solos divites, hosque paucissimos diis suis aut plurima, aut pretiosa thura adolevisse, sed tum quidem cum aliqua premebantur necessitate, aut ut inanis gloriolæ rumusculos aucuparentur. Cæteri autem plerique omnes tria aut quatuor dabant thuris grana, et *duas*, sicut addit Tertullianus, *meri guttas* (*Tertullian. Apologet., cap.* 30), hoc est, quam thuris et vini poterant minimum. Sed quo animi sensu, discas his Ovidii versibus de anu sacrificante:

> Vina quoque instillat, vini quodcumque relictum est,
> Aut ipsa, aut comites, plus tamen ipsa bibit.

Digitized by Google

«Hostiles linguas, inimicaque vinximus ora,»
Dixit discedens, ebriaque exit anus.
(*Ovid., lib.* III *Fastor.* § 15.)

Eodem plane avaritiæ vitio ethnici immolabant hostias, non pingues profecto, aut selectas, aut integras, sed *sanguinem*, quemadmodum adhuc Tertullianus, *reprobi bovis mori optantis* (*Tertullian. loc. cit.*). At quidam delicatiores critici scriptum ibi vellent non *bovis* quidem, sed *hominis*, qui solus mortem optare potest. Verum hæc mera cavillatio est contra communem codicum omnium consensum. Quis namque non videt illud a Tertulliano nostro metaphorice dictum de bove, senio, macie, et tabe ita confecto, ut mortem, si ita posset fieri, vitæ præferret? Quamobrem ipse adhuc Tertullianus ethnicos antea his verbis compellaverat : *Enecta, et tabiosa, et scabiosa quæque mactatis....., quæ domi quoque pueris*, sive servis, *vel canibus destinastis* (*Tertullian. Apologet., cap.* 14, *et lib.* I *ad Nation., cap.* 10). Hostias tamen integras, optimas, et decoras diis suis mactare hac tenebantur lege, quam Cicero totidem hisce retulit verbis : *Quaque cuique divo decoræ gratæque sint hostiæ, providento* (*Cicer. lib.* II *de legib., pag.* 334, *lin.* 46). Eæ autem, quemadmodum Vitruvius, a Macrobio citatus, docet, vocabantur eximiæ, *vel quia eximuntur a grege, vel quod eximia specie quasi offerendæ numinibus eliguntur* (*Macrob. lib.* III *Saturnal., cap.* 5). Atque inde, teste Plinio, mos erat hostias probandi ac seligendi. Meminit autem hujus moris Virgilius illo versu :

. . . Mactant lectas de more bidentes.
(*Virgil., lib.* IV *Æneid.* v. 57.)

Nam sicuti scite ibi annotat Servius : *moris fuit ut ad sacrificia eligerentur oves, quibus nihil deesset, ut in sexto*, ejusdem nimirum Poetæ, libro, ubi rursum decinit :

Nunc grege de intacto septem mactare juvencos
Præstiterit, totidem lectas de more bidentes.
(*Idem., lib.* VI v. 38, *et seqq.*)

At sicut Virgilius eadem repetit, ita Servius in hos versus denuo hæc observat : *De more antiquo, quem prætermisit, quasi omnibus notum, id est, nec habeant caudam aculeatam, nec linguam fissam, nec aurem nigram : per quod docet aliud intactum, aliud lectum.*

Ethnici ergo contra datam legem, ac morem receptum, pessima quæque offerebant, et *sanguinem*, uti dictum est, *reprobi bovis*, hoc est, veteri eorum lege moreque reprobati ac rejecti. Si qui vero aliquando optimas, prout jussum erat, hostias revera seligerent, non eas profecto integras et intactas præbebant, sed aliquas duntaxat et pejores earum partes, uti *capitula*, ait Tertullianus, sive capita. Etenim ipse alio in libro vocat chamæleontis capitulum *statim a dorso; nam deficit cervix* (*Tertullian. lib. de Pall., cap.* 3), quæ colli pars est posterior. Capitulum itaque ibi ab illo pro toto chamæleontis capite sumitur. Servatis igitur melioribus hostiarum partibus, caput immolabant, et *ungulas*, ac *plumarum* (*idem, Apologet., cap.* 14), ut alibi ait, *prævulsa* (*lib.* I *ad Nation., cap.* 10), atque alia etiam, quæ domini et patres familias servis suis, immo canibus destinavissent. At si quis ibi aliquid a Tertulliano ὑπερβολικῶς dictum evidenter probaverit, huic non multum reluctabimur. Nemo tamen negare potest recte illum ethnicis vitio vertisse mactatas diis deteriores victimas, atque de opimis, atque integris quod melius erat, detractum, suosque servatum in usus.

Neque hic stetit avara ethnicorum impietas. Debitam siquidem Herculi decimam bonorum suorum partem defraudare non verebantur. Quocirca Tertullianus eos alloquendo his verbis corripit : *De decima Herculis nec tertiam partem in aram ejus imponitis* (*Tertullian. Apologet., cap.* 14). At Cicero palam testificatur totam hanc decimam debuisse ab illis persolvi (*Cicer. lib.* III *de natur. deor., pag.* 253, *lin.* 22). Quam sane ob causam Plautus Gelusinum quemdam loquentem sic inducit :

Huc venisse opus est, quantum potest,
Ut decimam partem Herculi pollucear.
(*Plaut. Trucull., act.* 2, *scen.* II.)

Nec, quæso, dubites totam bonorum decimam ab hoc poeta designari. Nam alibi dixit inde a servo facile cognosci posse quantum illius dominus auri habebat. Ecce ipsamet ejus carmina :

Sed lubet scire quantum aurum herus sibi dempsit, et quid suo reddidit patri.
Si frugi est, Herculem fecit ex parte; decimam partem ei
Dedit, sibi novem abstulit.
(*Idem. Bacchid. ct.* IV, *scen.* 4.)

Hujus autem moris et instituti varias Plutarchus reddidit rationes, quas unusquisque in ejus libris legere facile potest (*Plutarch. Quæst. Roman., quæst.* 13, *pag.* 267, *tom.* II). Verum gentiles de hoc religionis suæ officio parum solliciti, quidquid impune poterant, ex hac decima subtrahentes, nec tertiam quidem solvebant illius partem. Quam autem id verum sit, discos bis adhuc ejusdem Plauti versibus :

Non jam de hoc obsonio, de mina una diminui
Modo quinque nummos, mihi detraxi, partem Herculanam.
(*Plaut., Truculi act.* II, *scen.* 7.)

Tam lepide igitur quam jure merito Tertullianus ethnicos sic irridet : *Laudo magis sapientiam, quod de perdito aliquid eripitis* (*Tertullian. Apologet., cap.* 14). Perditum autem rite dixit, quod falsis diis ac numinibus dabatur.

Qua igitur ratione, qua fronte ethnici christianos ad deorum suorum cultum, eisque sacrificandum majori profecto, quam ferina crudelitate compellere nitebantur? Quamvis enimvero credidissent illos veros esse deos, quamvis eos tam sincero, quam falso cultu honorassent, quamvis illis hostias integras, selectas, et omnium optimas immolassent; nihil tamen iniquius ac perversius, nihil humanis, divinis, naturæque ipsius legibus magis adversum erat, quam Christianos nec defensos, nec auditos, sed suum duntaxat ob nomen condemnare, et exquisitissimis, quæ homisis

Digitized by Google

aut potius dæmonis ingenio excogitari poterant, occidere cruciatibus. Sed hi crudelissimi et iniquissimi homines verebantur, ne auditi Christiani tam evidenter veritatem suæ religionis et aliarum falsitatem demonstrarent, ut nemo posset iis unquam refragari. Quam facile enim promptumque id illis omnibus erat, manifestissime tota hac in dissertatione probatum est.

In ea porro quæcumque in his, quos enucleare et illustrare contendimus, Tertulliani libris difficilia, obsoleta, et barbara verba occurrunt, suis quibusque locis explicare conati sumus. Novum itaque illorum indicem hic non duximus esse retexendum.

Series secunda.

LIBRI DOGMATICI

ANTE SUSCEPTUM AB AUCTORE MONTANISMUM.

DE ORATIONE.
DE BAPTISMO.
DE POENITENTIA.
DE PATIENTIA.
AD UXOREM LIBRI II.
DE CULTU FOEMINARUM LIBRI II.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI

LIBER DE ORATIONE.

Prolegomena [1].

Plurimos Tertulliani editos libros, paucos vero manuscriptos in bibliothecis numeramus. Hinc factum ut ne adhuc quidem accuratissime typis descripta illius opera habeamus: quædam mutila, fœdisque vulneribus horrentia in publicum prodierint: nonnulla etiam desiderantur quæ a Tertulliano evulgata scimus, at nobis ab edacitate temporum omnino erepta æque suspicamur, et dolemus. Melioribus fatis hucusque gavisus non est liber *de Oratione*, quem primus omnium Parisiis e vetustissimo codice evulgavit Joannes Gagneius parisiensis theologus anno Christi 1545, at minime integrum, at illustri coronide destitutum. Neque huic editioni reliquæ subsecutæ opem tulere præ codicum inopia. Unus tantum Rigaltius vetustum codicem mutilum esse librum animadvertit, et aliquot duntaxat lineis in calce additis, medicinam aliis propinandam reliquit. Cum itaque ego inciderim in

(1) Ex tomo tertio Anecdotor. quæ Ludov. Anton. Muratorius ex ambrosianæ bibliothecæ codicibus eruit evulgavitque Patavii, ann. 1713.

Digitized by Google

vetustum Ambrosianæ bibliothecæ codicem, ubi legebantur quæ in cæteris desunt, continuo anecdotis meis addidi veluti gemmas litterariæ reipublicæ in primis gratas. Quæ cumque enim e Tertulliano, omnium certe sui temporis eruditissimo, litteris consignata sunt, eaque præsertim, quæ in castris catholicorum scripsit, quanti sint apud omnes ecclesiasticæ rei cultores, vel ipsis tyronibus patet. Ambrosianus autem codex non ab orationis dominicæ expositione, ut in editis habemus, sed ab iis, quæ hujusmodi expositionem subsequuntur, opusculum exordiebatur cum hocce titulo : *Incipit Tertulliani diversarum rerum necessariarum.* Tum caput primum, cujus initium est : *Compendiis pauculorum verborum*, etc., ita prænotabatur : *Anacephalæosis. Posse nos superadjicere*, titulus erat sequentis capitis. Reliqua etiam capita suos titulos præferebant, quos itidem in hac nostra editione retinendos censuimus. (*a*) Quod superest opusculum istud quibus jam exornare ac illustrare annotationibus placuit, ne quod reliquis Tertulliani libris eruditissimi viri præstitere, huic desit, et ne tenebras et ferreum asperumque scriptoris hujus stylum delicatuli quidam caussantes, ab ejus lectione avertantur. Nullum denique inter veteres Christianos auctorem ostendas, cui eruditionis et scholiorum lumina magis admovenda videantur, quam Tertulliano, a quo obscuritas in dicendo nescio utrum evitari ullo pacto posset an in deliciis haberetur.

Quæ quidem omnia cum digessissem pro viribus meis, subiit non ingratum eruditis futurum, si notis meis illas quoque subjicerem, quas Guido Pancirolus jurisconsultus regiensis in eumdem de Oratione librum conscripserat. Eoque libentius consilium meum probatum iri sperabam, quod animadverterem potiorem clarissimi viri curam in obscuris Tertulliani sensibus exponendis positam, cum contra ego historicas potius ac eruditas libelli hujus reliquias mihi illustrandas proposuissem. Dolendum autem est, neminem adhuc in Italia fuisse, qui ad nostræ gentis gloriam cæteros Panciroli in Tertullianum commentarios edendos curaverit. Vix brevem de iis mentionem a Thomasino in Panciroli Vita, a Dupinio, Guillelmo Cave, aliisque paucis scriptoribus habemus; imo vix iis constabat, eorum quidquam superesse. Meliore profecto sorte dignus erat labor ille Panciroli viri celeberrimi, qui non jurisprudentiæ solum, sed sacræ etiam et profanæ eruditionis laude eximium inter litteratos sibi comparavit locum. Et quidem opinor, ut et Possevinus in Apparatu opinabatur, uberrimos illos in Tertullianum commentarios, quos B. Rhenanus, Pamelius, La Cerda, Salmasius, atque alii doctissimi viri luci mandarunt, obstitisse ne isti prodirent; putantibus nimirum iis, quibus posthuma Panciroli fama condi futura erat, se parum utilem operam lusuros, si easdem dapes eruditorum palato exhiberent. Verum non is est Tertullianus, qui paucis contentus sit interpretibus; et cum recentiores ejus interpretes ab antiquiorum conatibus minime deterriti sint, quominus et suos illi producerent, cur Panciroli studiosos de tam nobili consilio dejicere debuit inconsultus hic metus? Facile vero est, ut coeuntibus in unius auctoris explicationem pluribus diversisque ingeniis, ejus mens ac scripta clariora in dies fiant, atque a tenebris liberentur aut ex antiquitate temporum, aut ex incuria librariorum, aut e scriptoris austeritate manantibus. Quæ quanquam de singulis veteribus vere dici possunt, imprimis tamen de Tertulliano sunt affirmanda, quem post tot interpretum curas habemus adhuc obscurum (*a*). Eodem autem tempore, quo Pamelius in Tertulliano explicando exercebatur, Pancirolus nobisque plenos reliquit commentarios in omnia illius scripta ad mortem usque suam evulgata. Horum autem autographon Regii Lepidi in ejus patria latet. Mihi videre ac describere contigit ejus tantummodo exemplar, quod accuratissime scriptum in sua bibliotheca servat P. Joannes Baptista Cattaneus, Franciscani ordinis, ut vocant, de Observantia, ornamentum. Et quoniam hujus munere factum est, ut quod mihi de ms. illo opere placet, haurire possem, hic epistolam quoque dare statui iisdem commentariis præpositam, inde enim palam fiet, quæ in Tertullianum Pancirolus præstiterit. Ita ergo scribit ille :

AD LECTOREM PANCIROLI

Præfatio.

Felicem mihi adventum Patavio Taurinum ex eo potissimum fuisse existimo, quod inter alios, quos inveni doctissimos viros, imprimis Vincentius Laurus Montisregalis episcopus et S. D. N. Gregorii XIII Pont. Max. apud Sereniss. Emmanuelem Philibertum Sabaudiæ ducem nuntius apostolicus, ac cardinalis in omni disciplinarum genere versatus occurrit, qui dum me domesticis colloquiis suis dignum putavit, doctrina meliorem semper fecit; et sicut M. Tullius Cicero a Q. Mutii Scevolæ latere doctior discedebat (*in Lælio, sive de Amicit.*), ita ego ex eruditissimis sermonibus suis non pauca exhauriens locupletior abii. Modo enim res ab orbe condito gestas enarrabat, modo philosophiæ arcana depromebat, aut obscuros

(*a*) Hinc novis item editoribus visum est lectoribus fore pergratum annotationibus clarissim. vv. Panciroli et Muratorii selectas ex Rigaltio, Pamelio, Lacerda, Albaspineo, Priorio notas subjungere.

Digitized by Google

aliquos auctores explicabat, vel mendosam lectionem ex probatis exemplaribus emendabat, vel ex suo pio instituto aliqua ex sacris litteris interpretabatur. Cum vero Tertulliani scriptis mirifice delectatus (*S. Hier., de Script. eccll. in Tertull.*), eum velut alter Cyprianus quotidie in manibus haberet, valde dolebat, ita obscurum inveniri, ut nullus quandoque ex illo sensus erui posset. Sed cum multis obrutus negotiis, quæ sibi Montisregalis antistiti ex sua ditione imminebant, et tanquam summi pontificis legato, vel Roma demandata, vel ex Subalpinis, undique emergentia occurrebant, hunc auctorem explanandi otium non haberet, aliquem alium quærebat, qui tanto oneri subeundo posset sufficere. Videbat ad hominem omnibus disciplinis imbutum, ac linguæ græcæ, historiarumque peritissimum interpretandum opus esse viro, qui plurium rerum, et imprimis juris civilis notitiam haberet, cum Tertullianus ipse, ut scribit Eusebius Hist. eccl., lib. I, cap. 2., jurisconsultus plurima ex jure civili deprompta passim scriptis inserat. Sed etsi alii doctores non deerant, qui id exactius præstare potuissent, plura tamen sibi de me, quam ferre possem, pollicitus ad hoc munus aptum esse existimavit. Dum enim me diu Patavii, et aliquot annis Taurinorum Augustæ jus civile professum esse animadvertit, ac nondum ingenii mei tenuitatem agnoscens, publico profitendi, ut arbitror, mihi munere demandato deceptus, ad tantum onus subeundum idoneum judicavit, ut qui non modo tanquam juris interpres, hunc jurisconsultum, sed etiam plura ejus obscuriora possem interpretari.

Hanc itaque provinciam mihi primo obtulit, et semel iterumque recusanti institit demum, et pro sua auctoritate impetravit, ut mandata susciperem. Cernebam quidem multa mihi tenuioris doctrinæ homini ad tantum auctorem explanandum deesse, et mediocrem legum cognitionem ad plura, quæ ex reconditis historiis, philosophia, medicina ac sacris litteris accipit, explananda non sufficere; nec id tempus pluribus fori negotiis implicito permittebat: sed quod me non posse dicebam ille nolle credebat:

> Quid facerem? neque servitio me exire licebat,
> Nec tam præsentes fas non cognoscere divos.
> (*Virg., Ecl.* 1.)

Illi itaque resistere non licuit, parendoque malui ab illo ingenium meum, quam voluntatem quæri, et imbecillitatem quam contumaciam reprehendi.

Collum igitur jugo subjeci, et quod nec meæ vires patiebantur, nec tempus commode permittebat, subsecivis horis agere cœpi. Sed dum illi morem gero, vereor ne mihi eveniat, quod Sergio Galbæ contigit, qui privatus imperio dignus est judicatus, princeps vero factus ad illud ineptus apparuit (*Tacit. lib.* I, *Hist., seu Annal. l.* XVII). Ego quoque dubito, ut qui tacens illi aliquid scire videbar, loquens indoctissimus omnibus detegar. Quidquid tamen futurum sit, justa capiendo, quid possim sua auctoritate experiri volui. Inveni autem Tertullianum suo stylo, ut et Lactantius Firmianus, et D. Hieronymus indicant (*Lact. Firm., Div. Inst. l.* V, *c.* I; *S. Hier. ep.* 13 *ad Paulin.*), obscurum, dum aut omissa verba vult subaudiri, vel minus usitata usurpat, et novam etiam phrasim sibi format. Ego ut legentes sublevarem, horum proprium indicem composui, ut in quo sensu dictiones, aut verba accipiat, cuique appareat. Cum vero majorem depravati codices difficultatem afferant, plura emendavi, sed ex his tantum, quæ idem auctor sæpe repetit vel D. Hieronymus aliique post eum recitant. Ex meo vero capite præter litteram, aut syllabam nihil mutare sum ausus, malui que ambiguos permanere, quam falsos aut extraneos sensus inducere, et aliquid potius desiderari quam corrumpi. Nihil tamen intactum omisi, ac in magnis obscuritatibus satius esse duxi, ingenium meum periclitari, quam confusos lectores dimitti. Et sicut Protogenes, quanquam egregius pictor, cum anhelantis equi spumam, rem tamen levem exprimere non posset, indignatus arti, spongia omnibus coloribus impacta, et animantis labiis admota, casu quod optabat perfecit (*Plin., l.* XXXV, *c.* 10): sic ipse, dum mentem pluribus involvo, aliquo conatu evenire posse putavi, ut aliquem forte auctoris sensum assequerer. quod et apud philosophos Averroes in Aristotelem, et apud nostros Angelus Ubaldus in novellis Constitutionibus Justiniani explicandis male in aliam linguam versis effecisse consentur. Historias quoque omnes, quas attingit potius quam narrat, ubi opus fuit, ex probatis auctoribus enarravi, ne cui dubitandi scrupulum relinquerem. In quibus liber *de Corona militis*, *ad Martyres*, *de Cultu fœminarum*, *de Spectaculis*, et *Apologeticus*, sed imprimis opusculum *de Pallio* non mediocre mihi negotium exhibuerunt. Quædam ex his aliqui explicarunt; sed quid illi, et ipse præstiterim, aliorum erit judicium. Cæterum levioribus quibuscumque, et iis quæ facilia visa sunt, prætermissis, difficilia tantum explicui, ipsaque opera Tertulliani, mutato ipsius ordine, in tres partes in gratiam studiosorum pro materiæ varietate distribui.

Si quid autem legentes adjuvero, Deo omnium vero lumini acceptum; si contra meæ imbecillitati, atque facilitati illius, qui malum interpretem elegit, imputabo. Magnum certe, et antiquorum Ecclesiæ rituum magistrum ab omnibus legendum auctorem habemus, qui et recentiorum hæreticorum errores contundit, dum sæpe eucharistiam verum corpus Christi esse tradit (de quo tamen nemo unquam usque ad Berengarium dubitavit aut dubitare potuit), exomologesim peccatorum faciendam monet, pro defunctis oblationes fieri consuevisse indicat, romanæ sedis auctoritatem prædicat, animasque defunctorum igne purgari, jejunia, aliaque his similia, quæ longum esset recensere comprobat. Sed insanis non facile est rationibus, aut auctoritatibus persuadere. Has igitur meas lucubratiunculas benigne accipies et æqui bonique consules. Vale.

Digitized by Google

DE ORATIONE LIBER [1].

ARGUMENTUM.

Aureus ille libellus, a Tertulliano sane adhuc catholico descriptus, imo, modo ad martyras adhortationem, si lubet, excipias, primus, judice D. Lumpero, tanti hujusce ingenii recenti fide jam reviviscentis fructus, partim de re dogmatica est, partim de moribus et disciplina. A

In priore ipsius parte, Orationem dominicam, primus omnium quos noverimus, Septimianus noster luculenter explicat, in eaque totius Evangelii doctrinam velut in cujusdam compendii speculo collectam exhibet; multi post eum eamdem tritam habuere viam ac in eam imprimis ejus ex aperto discipulus Cyprianus totus abiit. In posteriori parte, qua præsertim ratione sacris interagendum sit, quive precum ritus sint aut omittendi aut sedulo perficiendi, rara admodum, pro temporum vestutate, expositione indigitat. B

Porro hæc sunt præcipua prioris partis capita: 1° Quanta sit oratio illa quam ipsemet tradidit Dei sermo et Dei ratio, sermo rationis et ratio sermonis, D. N. J. C. Cap. 1. 2° Subinde deducitur exordium in quo agnoscitur Pater, et in Patre Filius invocatur, nec mater quidem Ecclesia præteritur. Cap. 2. 3° Tum singula sigillatim explicatur petitio, prima nempe, qua et nos Angelorum candidati, cœlestem Dei gloriam ipsiusque in nobis nomen sanctificatum postulamus. Cap. 3. Secunda vero rogatur ut fiat ejus voluntas in nobis qui cœlum et terra sumus. Cap. 4. Tertia autem festinandum est ad spei nostræ complexum, ad votum Christianorum, ad confusionem nationum, ad exultationem Angelorum. Cap. 5. Quarta trifariam quidem habet explicationem, scilicet de pane communi, deinde de Christo utpote credentium pane, postremo de corpore Christi eucharistico. Cap. 6. Tum Dei clementiam quinta implorat. Cap. 7. Sexta demum et septima tentationem, malumque deprecatur. Cap. 7-9. C

Pars vero posterior multiplex est, nec tamen ægerrime ad tria hæc reducitur: 1° Quænam ante orationem fructuose animam præparent, nimirum memoria præceptorum, ac præ omnibus officia charitatis, libera animi intentio qua inenarrabiles spiritus ad Patrem gemitus eliciuntur. Cap. 10—15. 2° Quænam sive ante sive post orationem libeat omittere, hoc nempe est vel manus abluere, vel penulam deponere, vel assidere. Cap. 16—17. 3° Quænam vero deceant aut necesse sint peragenda, scilicet manuum elatio; vultus, vocisque demissio; osculum pacis; statio ad aram, accepto corpore Domini et reservato; habitus fœminarum modestus, velamenque virginum; genua flectendi ritus, locus orandi, horæque solemniores; alternus psalmorum cantus; agapeque devota, coronata cum pompa operum bonorum, inter psalmos et hymnos ad altare Dei deducta. Cap. 16-28. Confertæ huic ac mirum in modum opimæ veterum rituum copiæ superadditur, coronidis instar, de vi et effectu orationis ornata amplissimaque descriptio. Cap. 29.

EDD.

CAPUT PRIMUM.

Dei (*a*) spiritus et Dei sermo, et Dei ratio (*b*), et sermo (*c*) rationis et ratio sermonis, utrumque Jesus Christus Dominus noster, nobis discipulis

COMMENTARIUS.

(a) *Dei spiritus.* Non hic tantum sed et alibi Christus a Tertulliano *Dei spiritus* appellatur, ut videre est in Apolog., cap., 21., et adversus Marcion., lib. I., cap. 10., et lib. III., cap 6 et 16., et lib IV., cap. 21., et adversus Praxeam, cap. 26, Appellatio certe nostris nunc auribus male sonans, at veteribus quibusdam, hæreses, quæ deinde obortæ sunt, ante oculos non habentibus, incaute usurpata. In ea potissimum sententia fuit Lactantius Firmianus, teste sancto Hieronymo in epistola ad Pammachium et Oceanum de Erroribus Origenis: *Lactantius*, inquit ille, *in libris suis, et maxime in epistolis ad Demetrianum, Spiritus sancti omnino negat substantiam, et errore judaico dicit eum vel ad Patrem referri, vel ad Filium, et sanctificationem utriusque personæ sub ejus nomine demonstrari.* Idem ab Hieronymo repetitur in comment. ad cap. IV Epist. ad Galatas. Quare quin et hic Tertullianus erret, dubitandum non videretur. Cum tamen aliis in libris: Patre ac Filio Spiritum sanctum apertissime distinguat, *tertium numen divinitatis, et tertium nomen majestatis* appellans, ideo Christum *Dei spiritum* ab illo vocatum arbitror, quod generali nomine Deum dici *spiritum* crederet Joanne apostolo scribente: *Deus spiritus est.* L. A. MURAT. — *Dei spiritus.* Interpretaturus orationem dominicam, præmittit quis illam docuerit. Fuit autem Christus, quem pluribus appellat nominibus; est enim *spiritus*, quo miracula edidit, et *sermo Dei*, *ratio*, seu *sapientia*, quæ venit in mundum, ut infra subjicit. Idem Tertullianus in Apologiæ cap. 17: *Quod colimus*, inquit, *Deus unus est, qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo, quo jussit, ratione, qua disposuit, virtute, qua potuit, de nihilo expressit in ornamentum majestatis suæ.* G. PANCIROL.

(b) *Dei sermo et Dei ratio.* Λόγος proprium Filii Dei apud Græcos nomen varias latine interpretationes habuit, nempe *Verbi*, *Sermonis*, *Rationis*. Latinis hisce nominibus promiscue usi sunt veteres Ecclesiæ scriptores, ut idem significarent. Nunc libentius *Verbum* interpretamur. MURAT.

(c) *Sermo rationis, et ratio sermonis.* Cur Deum

(1) Inter eximias orationis dominicæ dotes, hæc plane est mirabilis atque divina, quod cum ab humilibus et angustis mentibus capiatur, sublimes nihilominus et capacissimas explet. Illis quidem familiaris et quotidiana precandi formula. his præterea totius christianæ disciplinæ breviarium. Hoc cœlestis gratiæ pignus Patres antiqui certatim prædicavere. Nemo Tertulliano doctius explicavit; nemo sanctiore cultu posteris colendum demonstravit. Libello titulum, fecit, De Oratione, tam excellentem quam simplicem cum significet christianam ab ipso Dei Filio dictatam. Preces imperatori dandæ concipi solebant adhibito jurisperito. Preces ad Deum nostras composuit nobis cœlestis jurisperitus Dominus noster Jesus Christus. RIG.

Digitized by Google

aliquos auctores explicabat, vel mendosam lectionem ex probatis exemplaribus emendabat, vel ex suo pio instituto aliqua ex sacris litteris interpretabatur. Cum vero Tertulliani scriptis mirifice delectatus (*S. Hier., de Script. eccll. in Tertull.*), eum velut alter Cyprianus quotidie in manibus haberet, valde dolebat, ita obscurum inveniri, ut nullus quandoque ex illo sensus erui posset. Sed cum multis obrutus negotiis, quæ sibi Montisregalis antistiti ex sua ditione imminebant, et tanquam summi pontificis legato, vel Roma demandata, vel ex Subalpinis, undique emergentia occurrebant, hunc auctorem explanandi otium non haberet, aliquem alium quærebat, qui tanto oneri subeundo posset sufficere. Videbat ad hominem omnibus disciplinis imbutum, ac linguæ græcæ, historiarumque peritissimum interpretandum opus esse viro, qui plurium rerum, et imprimis juris civilis notitiam haberet, cum Tertullianus ipse, ut scribit Eusebius Hist. eccl., lib. I, cap. 2., jurisconsultus plurima ex jure civili deprompta passim scriptis inserat. Sed etsi alii doctores non deerant, qui id exactius præstare potuissent, plura tamen sibi de me, quam ferre possem, pollicitus ad hoc munus aptum esse existimavit. Dum enim me diu Patavii, et aliquot annis Taurinorum Augustæ jus civile professum esse animadvertit, ac nondum ingenii mei tenuitatem agnoscens, publico profitendi, ut arbitror, mihi munere demandato deceptus, ad tantum onus subeundum idoneum judicavit, ut qui non modo tanquam juris interpres, hunc jurisconsultum, sed etiam plura ejus obscuriora possem interpretari.

Hanc itaque provinciam mihi primo obtulit, et semel iterumque recusanti institit demum, et pro sua auctoritate impetravit, ut mandata susciperem. Cernebam quidem multa mihi tenuioris doctrinæ homini ad tantum auctorem explanandum deesse, et mediocrem legum cognitionem ad plura, quæ ex reconditis historiis, philosophia, medicina ac sacris litteris accipit, explananda non sufficere; nec id tempus pluribus fori negotiis implicito permittebat: sed quod me non posse dicebam ille nolle credebat:

> Quid facerem? neque servitio me exire licebat,
> Nec tam præsentes fas non cognoscere divos.
> (*Virg., Ecl.* 1.)

Illi itaque resistere non licuit, parendoque malui ab illo ingenium meum, quam voluntatem quæri, et imbecillitatem quam contumaciam reprehendi.

Collum igitur jugo subjeci, et quod nec meæ vires patiebantur, nec tempus commode permittebat, subsecivis horis agere cœpi. Sed dum illi morem gero, vereor ne mihi eveniat, quod Sergio Galbæ contigit, qui privatus imperio dignus est judicatus, princeps vero factus ad illud ineptus apparuit (*Tacit. lib.* I, *Hist., seu Annal. l.* XVII). Ego quoque dubito, ut qui tacens illi aliquid scire videbar, loquens indoctissimus omnibus detegar. Quidquid tamen futurum sit, justa capiendo, quid possim sua auctoritate experiri volui. Inveni autem Tertullianum suo stylo, ut et Lactantius Firmianus, et D. Hieronymus indicant (*Lact. Firm., Div. Inst. l.* V, *c.* I; *S. Hier. ep.* 13 *ad Paulin.*), obscurum, dum aut omissa verba vult subaudiri, vel minus usitata usurpat, et novam etiam phrasim sibi format. Ego ut legentes sublevarem, horum proprium indicem composui, ut in quo sensu dictiones, aut verba accipiat, cuique appareat. Cum vero majorem depravati codices difficultatem afferant, plura emendavi, sed ex his tantum, quæ idem auctor sæpe repetit vel D. Hieronymus aliique post eum recitant. Ex meo vero capite præter litteram, aut syllabam nihil mutare sum ausus, malui que ambiguos permanere, quam falsos aut extraneos sensus inducere, et aliquid potius desiderari quam corrumpi. Nihil tamen intactum omisi, ac in magnis obscuritatibus satius esse duxi, ingenium meum periclitari, quam confusos lectores dimitti. Et sicut Protogenes, quanquam egregius pictor, cum anhelantis equi spumam, rem tamen levem exprimere non posset, indignatus arti, spongia omnibus coloribus impacta, et animantis labiis admota, casu quod optabat perfecit (*Plin., l.* XXXV, *c.* 10): sic ipse, dum mentem pluribus involvo, aliquo conatu evenire posse putavi, ut aliquem forte auctoris sensum assequerer. quod et apud philosophos Averroes in Aristotelem, et apud nostros Angelus Ubaldus in novellis Constitutionibus Justiniani explicandis male in aliam linguam versis effecisse consentur. Historias quoque omnes, quas attingit potius quam narrat, ubi opus fuit, ex probatis auctoribus enarravi, ne cui dubitandi scrupulum relinquerem. In quibus liber *de Corona militis*, *ad Martyres*, *de Cultu fœminarum*, *de Spectaculis*, et *Apologeticus*, sed imprimis opusculum *de Pallio* non mediocre mihi negotium exhibuerunt. Quædam ex his aliqui explicarunt; sed quid illi, et ipse præstiterim, aliorum erit judicium. Cæterum levioribus quibuscumque, et iis quæ facilia visa sunt, prætermissis, difficilia tantum explicui, ipsaque opera Tertulliani, mutato ipsius ordine, in tres partes in gratiam studiosorum pro materiæ varietate distribui.

Si quid autem legentes adjuvero, Deo omnium vero lumini acceptum; si contra meæ imbec, illitati, atque facilitati illius, qui malum interpretem elegit, imputabo. Magnum certe, et antiquorum Ecclesiæ rituum magistrum ab omnibus legendum auctorem habemus, qui et recentiorum hæreticorum errores contundit, dum sæpe eucharistiam verum corpus Christi esse tradit (de quo tamen nemo unquam usque ad Berengarium dubitavit aut dubitare potuit), exomologesim peccatorum faciendam monet, pro defunctis oblationes fieri consuevisse indicat, romanæ sedis auctoritatam prædicat, animasque defunctorum igne purgari, jejunia, aliaque his similia, quæ longum esset recensere comprobat. Sed insanis non facile est rationibus, aut auctoritatibus persuadere. Has igitur meas lucubratiunculas benigne accipies et æqui bonique consules. Vale.

Digitized by Google

DE ORATIONE LIBER [1].

ARGUMENTUM.

Aureus ille libellus, a Tertulliano sane adhuc catholico descriptus, imo, modo ad martyras adhortationem, si lubet, excipias, primus, judice D. Lumpero, tanti hujusce ingenii recenti fide jam reviviscentis fructus, partim de re dogmatica est, partim de moribus et disciplina.

In priore ipsius parte, Orationem dominicam, primus omnium quos noverimus, Septimianus noster luculenter explicat, in eaque totius Evangelii doctrinam velut in cujusdam compendii speculo collectam exhibet; multi post eum eamdem tritam habuere viam ac in eam imprimis ejus ex aperto discipulus Cyprianus totus abiit. In posteriori parte, qua præsertim ratione sacris interagendum sit, quive precum ritus sint aut omittendi aut sedulo perficiendi, rara admodum, pro temporum vestutate, expositione indigitat.

Porro hæc sunt præcipua prioris partis capita: 1° Quanta sit oratio illa quam ipsemet tradidit Dei sermo et Dei ratio, sermo rationis et ratio sermonis, D. N. J. C. Cap. 1. 2° Subinde deducitur exordium in quo agnoscitur Pater, et in Patre Filius invocatur, nec mater quidem Ecclesia præteritur. Cap. 2. 3° Tum singula sigillatim explicatur petitio, prima nempe, qua et nos Angelorum candidati, cœlestem Dei gloriam ipsiusque in nobis nomen sanctificatum postulamus. Cap. 3. Secunda vero rogatur ut fiat ejus voluntas in nobis qui cœlum et terra sumus. Cap. 4. Tertia autem festinandum est ad spei nostræ complexum, ad votum Christianorum, ad confusionem nationum, ad exultationem Angelorum. Cap. 5. Quarta trifariam quidem habet explicationem, scilicet de pane communi, deinde de Christo utpote credentium pane, postremo de corpore Christi eucharistico. Cap. 6. Tum Dei elementiam quinta implorat. Cap. 7. Sexta demum et septima tentationem, malumque deprecatur. Cap. 7-9.

Pars vero posterior multiplex est, nec tamen ægerrime ad tria hæc reducitur: 1° Quænam ante orationem fructuose animam præparent, nimirum memoria præceptorum, ac præ omnibus officia charitatis, libera animi intentio qua inenarrabiles spiritus ad Patrem gemitus eliciuntur. Cap. 10—15. 2° Quænam sive ante sive post orationem libeat omittere, hoc nempe est vel manus abluere, vel penulam deponere, vel assidere. Cap. 16—17. 3° Quænam vero deceant aut necesse sint peragenda, scilicet manuum elatio; vultus, vocisque demissio; osculum pacis; statio ad aram, accepto corpore Domini et reservato; habitus fœminarum modestus, velamenque virginum; genua flectendi ritus, locus orandi, horæque solemniores; alternus psalmorum cantus; agapeque devota, coronata cum pompa operum bonorum, inter psalmos et hymnos ad altare Dei deducta. Cap. 16-28. Confertæ huic ac mirum in modum opimæ veterum rituum copiæ superadditur, coronidis instar, de vi et effectu orationis ornata amplissimaque descriptio. Cap. 29.

EDD.

CAPUT PRIMUM.

Dei (*a*) spiritus et Dei sermo, et Dei ratio (*b*), et sermo (*c*) rationis et ratio sermonis, utrumque Jesus Christus Dominus noster, nobis discipulis

COMMENTARIUS.

(a) *Dei spiritus*. Non hic tantum sed et alibi Christus a Tertulliano *Dei spiritus* appellatur, ut videre est in Apolog., cap., 21., et adversus Marcion., lib. I., cap. 10., et lib. III., cap 6 et 16., et lib IV., cap. 21., et adversus Praxeam, cap. 26, Appellatio certe nostris nunc auribus male sonans, at veteribus quibusdam, hæreses, quæ deinde obortæ sunt, ante oculos non habentibus, incaute usurpata. In ea potissimum sententia fuit Lactantius Firmianus, teste sancto Hieronymo in epistola ad Pammachium et Oceanum de Erroribus Origenis: *Lactantius*, inquit ille, *in libris suis, et maxime in epistolis ad Demetrianum, Spiritus sancti omnino negat substantiam, et errore judaico dicit eum vel ad Patrem referri, vel ad Filium, et sanctificationem utriusque personæ sub ejus nomine demonstrari.* Idem ab Hieronymo repetitur in comment. ad cap. IV Epist. ad Galatas. Quare quin et hic Tertullianus erret, dubitandum non videretur. Cum tamen aliis in libris : Patre ac Filio Spiritum sanctum apertissime distinguat, *tertium numen divinitatis, et tertium nomen-majestatis* appellans, ideo Christum *Dei spiritum* ab illo vocatum arbitror, quod generali nomine Deum dici *spiritum* crederet Joanne apostolo scribente : *Deus spiritus est.* L. A. MURAT. — *Dei spiritus.* Interpretaturus orationem dominicam, præmittit quis illam docuerit. Fuit autem Christus, quem pluribus appellat nominibus; est enim *spiritus*, quo miracula edidit, et *sermo Dei*, *ratio*, seu *sapientia*, quæ venit in mundum, ut infra subjicit. Idem Tertullianus in Apologiæ cap. 17 : *Quod colimus*, inquit, *Deus unus est, qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo, quo jussit, ratione, qua disposuit, virtute, qua potuit, de nihilo expressit in ornamentum majestatis suæ.* G. PANCIROL.

(b) *Dei sermo et Dei ratio.* Λόγος proprium Filii Dei apud Græcos nomen varias latine interpretationes habuit, nempe *Verbi*, *Sermonis*, *Rationis*. Latinis hisce nominibus promiscue usi sunt veteres Ecclesiæ scriptores, ut idem significarent. Nunc libentius *Verbum* interpretamur. MURAT.

(c) *Sermo rationis, et ratio sermonis.* Cur Deum

(1) Inter eximias orationis dominicæ dotes, hæc plane est mirabilis atque divina, quod cum ab humilibus et angustis mentibus capiatur, sublimes nihilominus et capacissimas explet. Illis quidem familiaris et quotidiana precandi formula. his præterea totius christianæ disciplinæ breviarium. Hoc cœlestis gratiæ pignus Patres antiqui certatim prædicavere. Nemo Tertulliano doctius explicavit; nemo sanctiore cultu posteris colendum demonstravit. Libello titulum, fecit, De Oratione, tam excellentem quam simplicem cum significet christianam ab ipso Dei Filio dictatam. Preces imperatori dandæ concipi solebant adhibito jurisperito. Preces ad Deum nostras composuit nobis cœlestis jurisperitus Dominus noster Jesus Christus. RIG.

Digitized by Google

novi (1) Testamenti novam orationis formam determinavit. Oportebat enim in hac quoque specie *novum* (*e*) *vinum novis utribus recondi et novam plagulam novo assui vestimento* (*Matth.*, VI; IX, 16; *Luc.*, XI). Cæterum quidquid retro fuerat, aut (*f*) demutatum est ut circumcisio; aut suppletum, ut reliqua lex; aut impletum, ut prophetia; aut perfectum, ut fides ipsa. Omnia de carnalibus in spiritualia (2) renovavit, nova Dei gratia, superducto Evangelio (*g*) expunctore totius retro vetustatis, in quo et Dei spiritus et Dei sermo et Dei ratio approbatus est Dominus noster Jesus Christus; spiritus(*h*)quo valuit, sermo quo docuit, ratio (*i*) qua (3) venit. Sic igitur (4) oratio a Christo constituta ex tribus constituta est: ex sermone quo enuntiatur: ex spiritu, (*j*) quo tantum potest; ex ratione, qua suscipitur (5). Docuerat et Joannes discipulos suos adorare; sed omnia Joannis Christo præstruebantur, donec ipso aucto, sicut idem Joannes prænuntiabat, *illum augeri oportere, se vero deminui*, (*Joan.*, III, 30), totum præministri opus cum ipso spiritu transiret ad Dominum. Ideo nec exstat, in quæ verba docuerit Joannes adorare, quod terrena cœlestibus cesserint. *Qui de terra est*, inquit, *terrena fatur; et qui de cœlis adest quæ vidit ea loquitur.* (*Jo.*, III, 31). Et quid non cœleste, quod Domini Christi est; ut hæc quoque orandi disciplina? Consideremus (*k*) itaque, benedicti, cœlestem ejus sophiam, imprimis de præcepto secrete (*l*) adorandi, quo et fidem hominis

LECTIONES VARIANTES.

(1) Nobis *delet Semler. Oberth.*
(2) Spiritualia *Seml. Oberth.*
(3) *Ita Rigalt. Jun. Seml. Leop.; alii* quo venit.
(4) Igiiur *del. Seml.*
(5) Qua docetur. *Pamel. Seml. Fran.*

COMMENTARIUS.

Patrem *Sermonis* quoque et *Rationis* appellatione hic Tertullianus donet, mirabitur quisquis veterum loquelam e recentiorum sermone metiri velit. At cum τοῦ λόγου, vox anceps *rationem*, *cogitationem*, *mentem*, ac *intellectionem* significet, eo sensu Patri quoque facta est communis et τοῦ Λόγου, et *rationis*, et *sermonis* appellatio. Quamobrem Λόγος ἐκ Λόγου, *Verbum de Verbo* a nonnullis Patrum dictus est Filius; et sanctus Irenæus, lib. II, cap. 48, Patrem λογόν, seu *verbum*, et *mentem* appellat, ita scribens: *Deus autem totus existens mens, et totus existens Logos, quod cogitat, hoc et loquitur, et quod loquitur, hoc et cogitat. Cogitatio enim ejus Logos, et Logos mens, et omnia concludens mens, ipse est Pater.* Verum, quocumque modo appellentur Pater, et Filius, inepta ac dubia divinitatis vocabula inenarrabilis rei magnitudine et majestate excusantur, modo in id consentiatur, ut Filium a Patre distinguamus, unamque in iis, ac in Spiritu sancto essentiam et naturam prædicemus. Ita præclarissime sensit sanctus Ambrosius in lib. de Filii divinitate, cap. 5., cujus verba producere volumus, ut pateat, non a Tertulliano duntaxat, sed ab aliis quoque scriptoribus ecclesiasticis tum Patrem, tum Filium nominibus *Verbi*, seu *Rationis*, et *Sermonis* ac *Spiritus* fuisse designatos. *Hæc est autem*, inquit, *nominis ratio, ut in Patre, et Filio unitatem substantiæ credas, licet rem ipsam, quæ est inenarrabibis, definire non possis; ut sive lumen de lumine dicas, sive Verbum de Verbo, sive Spiritum de Spiritu, sive Dominum de Domino, quodcumque de eo dixeris, unius tamen essentiæ Patrem et Filium credas.* Vide et sanctum Irenæum, lib. II., cap. 48. PAM..

(*e*) *Novum vinum.* Alludit ad illud quod legitur in Matthæo, cap. VI., ubi dicitur *Novum vinum novis utribus convenire; et novam plagulam*, id est stragulam, *novo assui vestimento.* Scilicet conveniebat, novæ legis institutorem novam docere orationem. Nonio auctore *plagula* est linteum tegmen. G. PANC.

(*f*) *Aut demutatum est, ut circumcisio.* Quæ mutata est in baptismo; et ita quod fuit antea, aut mutatum est; aut antiquum suppletum, ut reliqua lex, quæ est apud Matthæum: *Non concupisces mulierem, videndo eam*; item: *Diligite inimicos vestros*, et alia, quæ ibi habentur; aut est impletum, ut prophetia; aut perfectum, ut fides: in veteri testamento fides dirigebatur in Christum, in quo nunc perfecta est. Et hæc gravis est sententia. *Idem.*

(*g*) *Expunctore.* Abolitore. *Idem.*

(*h*) *Spiritus, qua valuit.* Edendo miracula. *Idem.*

(*i*) *Ratio, qua venit.* Lego *qua venit* in Mundum Dei sapientia. *Idem.*

(*j*) *Ex spiritu, quo tantum potest.* Id est quo plurimum potest. Ista admirative, quoniam spiritu pervenitur ad Deum, et omnia exornantur, et miracula eduntur. Deest tertium, quod est Sophiæ, quæ docet de modo orandi, de quo infra dicetur. *Idem.*

(*k*) *Consideremus itaque*, etc. Quæ sint hæc tria de oratione præcepta, seu potius consilia, quæ hic et in sequentibus enumerat Tertullianus, ictu oculi ab Evangelio Joannis, cap. VI, n. 6, intelliges, ubi Christus, divina Sophia, sive Sapientia in hujusmodi verba loquitur: *Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis, et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus.* En primum præceptum, videlicet ut ambitionem in orando fugiamus, quasi nos audire, et conspicere in propatulo tantum possit Deus, atque *ut Dei omnipotentis et conspectum et auditum sub tectis et in abditis etiam adesse confidamus:* quod ad *fidem hominis* pertinet. *Tum autem*, pergit dicere Christus: *cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito.* En alterum præceptum, nempe, Tertulliano ita explicante: *ut quem ubique audire et videre fidimus, ei soli religionem nostram offeramus:* quod ad *fidei modestiam* spectat. *Orantes autem*, sequitur divinus *Magister, nolite multum loqui sicut ethnici; putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur.* Tertium hoc est præceptum, scilicet ut cum Tertulliano loquar, *ne aguine verborum adeundum putemus ad Dominum, quem utro suis prospicere certi sumus.* MURAT.— *Consideremus itaque.* Hoc est tertium, ex quo constat oratio, scilicet Sophia, quæ nos docet modum orandi. Duo enim in hoc præcipit: primo ut secrete et in abdito loco oremus; secundo ut breviter, prout habetur in Matthæi cap. VI: *Cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et ostio clauso ora Patrem tuum in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt; putant enim in multiloquio exaudiri.* G. PANCIROLO.

(*l*) *Secrete adorandi.* Ad abundat pro *orandi.* Hunc locum imitatus D. Cyprianus, lib. de Orat. domin., ait: *Dominus secrete orare nos præcipit in abditis, et semotis locis, in cubiculis ipsis, quod magis convenit fidei, ut sciamus eum ubique præsentem esse, audire omnes, et majestatis suæ plenitudine in abdita quaque et occulta penetrare. Idem.* — *De præcepto secreto ador.* Intellige mentem Christi jubentis secreto orandum. Non abrogat usum sanctissimum orandi in publico:

Digitized by Google

exigebat, ut Dei omnipotentis et conspectum et auditum sub tectis et in abditis etiam adesse consideret : (a) et modestiam (1) fidei desiderabat, ut quem ubique audire et videre fideret, ei soli religionem suam offerre, sequente (2) (b) sophia in sequenti præcepto; quod etsi proinde (3) pertineat ad fidem et modestiam (4) fidei, si non agmine verborum (c) adeundum putemus ad Dominum, quem ultro suis prospicere certi sumus (5) : attamen (6) (d) brevitas ista, quod ad tertium sophiæ gradum faciat, magnæ ac beatæ interpretationis substantia fulta est : quantumque substringitur verbis, tantum diffunditur sensibus. Neque enim propria tantum orationis officia complexa est, venerationem Dei, aut hominis petitionem, sed omnem pene sermonem Domini, omnem commemorationem disciplinæ, ut revera in B oratione breviarium totius Evangelii comprehendatur.

CAPUT II.

Incipit (e) a testimonio Dei, et merito fidei, cum A dicimus PATER QUI IN CŒLIS ES (f). Nam et Deum oramus, et fidem commendamus, cujus meritum est hæc appellatio. Scriptum est : *Qui in eum crediderint, dedit eis potestatem ut filii Dei vocentur* (*Joan.*, III ; *Matth.*, VII, 9 ; X *et* XV). Quanquam frequentissime Dominus patrem nobis pronuntiavit Deum ; imo et præcepit *ne quem in terris patrem vocemus, nisi quem habemus in cœlis* (*Matth.*, XXIII, 9) Itaque sic adorantes etiam (g) præceptum obimus. Felices qui patrem agnoscunt. Hoc est, quod Israeli exprobratur, quod (h) cœlum ac terram Spiritus contestatur : *Filios* dicens, *genui, et illi me non agnoverunt* (*Isa.*, I, 1). Dicendo autem patrem, Deum quoque cognominamus. Appellatio ista et pietatis et potestatis est. Item in Patre Filius invocatur. *Ego enim*, inquit, *et Pater unum sumus* (*Joan.*, X, 30). Ne mater quidem Ecclesia præteritur (i). Si quidem in filio et patre mater recognoscitur, de qua constat et patris et filii nomen. Uno (j) igitur genere aut vo-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Modestum *Seml. Oberth.*
(2) Sequens *Junius.*
(3) Quod etsi *delent Seml. Oberth.*
(4) Modestum *Paris.*
(5) Simus. *Rigalt. Paris.*
(6) *Sic Rigalt. Seml. Leop. Paris; alii* et tamen.

COMMENTARIUS.

nam et Paulus ait in omni loco orandum, et id firmatum multis testimoniis sacri eloquii. Et fideles quidem pariter in ecclesiis oramus, sed vult ut inanem gloriam fugiamus in orando. Itaque qui gloriam tantum Dei quærens, orat, is orat secreto et in cubiculo : contra qui orat in cubiculo, volens tamen ut alii sciant, is certe in plateis orat, et tuba canit. C LAC.

(a) *Et modestiam fidei desiderabat.* Id est breviter oremus, credentes Deum omnia scire, et audire. Et hoc appellat *modestiam fidei*. G. PANCIROL.

(b) *Sequente sophia.* Quod sequitur sapientia, in sequente præcepto, ut simus breviloqui, pertinet ad fidem et modestiam, ut confidamus etiam paucis nos exaudiri. *Idem.*

(c) *Agmine verborum.* Blateratione. S. Matth. usus est vocibus πολλυλογία et βαττολογία. LE PR,

(d) *Attamen brevitas ista.* Id est brevitas orationis dominicæ habet plenam interpretationem, et quantum verbis coarctatur, tantum sensibus diffunditur. Continet enim omnem disciplinam fidei. Brevitas autem orandi pertinet ad tertium gradum Sophiæ, id est quem significavit Dei sapientia, et ejus Filius. Primus enim gradus est, id est primum præceptum est, ut secreto oremus ; secundus, ut cum fide, tertius, ut D breviter. MURAT.

CAP. II.—(e) *Incipit a testimonio Dei.* Hic incipit interpretari *orationem dominicam* dicens, primis verbis testimonium Dei et fidei meritum contineri, quia Deum patrem testamur. Alia addit D. Cyprianus, ubi supra. G. PANCIROL.

(f) *Pater qui in cœlis es.* Notam etiam Luciano fuisse dominicæ hujus orationis formulam declarant ista Triephontis ad Critiam, sub finem dialogi qui inscribitur Philopatris, ἔασον τούτους τὴν εὐχὴν ἀπὸ πατρὸς ἀρξάμενος, καὶ τὴν πολυώνυμον ὠδὴν εἰς τέλος ἐπιθεῖς. RIG.

(g) *Et præceptum obimus.* Ei paremus, Deum patrem verum vocantes. G. PANCIROL.

(h) *Quod cœlum et terram Spiritus contestatur.* Id est Spiritus sanctus dicendo per Isaiam, cap I : *Audi cœlum, et auribus percipe, terra, quia Dominus locutus est : Filios genui, et illi me non agnoverunt. Idem.*

(i) *Ne mater quidem Ecclesia præteritur.* Ecclesiam intelligit, quam libro ad Martyras appellat *Dominam matrem Ecclesiam*, quam Spiritus sanctus congregavit. De qua scilicet constat nobis Patris et Filii nomen. Per eam nos Deus Christianos facit. Absque ejus testimonio nulla nobis neque de Deo Patre, neque de Christo Domino fides : ut in hanc quoque sententiam possimus illud Telemachi assumere:

Μήτηρ μὲν τ' ἐμέ φησι τοῦ ἔμμεναι· αὐτὰρ ἔγωγε
Οὐκ οἶδα· γάρ πώτις ἑὸν γόνον αὐτὸς ἀνίγνω. RIG.

— *Ne mater quidem Eccles.* Ecclesiam eam intelligit, quam in Patre, Filio, et Spiritu sancto pluribus locis constitutam esse affirmat, ut de Bapt. et de Pud., c. 21. Quibus locis existimat Tertullianus Ecclesiam esse in Patre, Filio, et Spiritu sancto : sed præcipue in Spiritu sancto ; unde concludit hoc loco mentionem fieri Spiritus et Ecclesiæ in oratione dominica quando dicimus *Pater noster*, qui enim invocat Patrem, Flii quoque et matris Ecclesiæ sive Spiritus D sancti numen implorare videtur; atque ita uno nomine, Patris videlicet, tres personæ recensentur. ALBASP.

(j) *Uno igitur genere*, etc. Orationem dominicam ita exorditur Tertullianus : *Pater, qui in cœlis es.* Vox *noster* præteritur, quæ tamen in codice quodam ms. legitur. Sed a Tertulliano omissam fuisse ejus explicatio suadere satis videtur; etenim indefinito hoc nomine non nos tantum filios Dei designatos ostendit, sed et ibi invocatum quoque divinum Filium affirmat, cujus nomen tacite significatur, quando generale vocabulum Patris exprimitur. Præterea Patris, ac filiorum mentione facta, Ecclesiæ quoque nomen subintelligendum Tertullianus inquit; non enim est pater sine filiis, neque filii sine patre ac matre. Quæ quidem argumentandi ratio quanquam in divinis sit fallax,

Digitized by Google

cabulo et Deum cum suis honoramus, et præcepti meminimus, et oblitos patris denotamus (*a*).

CAPUT III.

Nomen Dei Patris nemini proditum est. Etiam (*b*) qui de ipso interrogaverat Moyses, aliud quidem nomen audierat (1). Nobis revelatum est in Filio. Jam enim Filius novum Patris nomen est (*c*). *Ego veni*, inquit, *in nomine Patris* (*Joan.*, V, 43). Et rursus, *Pater, glorifica nomen tuum* (2). Et (*d*) apertius : *Nomen tuum manifestavi hominibus*. Id ergo ut SANCTIFICETUR postulamus (*e*) : non quod deceat homines bene Deo A optare, quasi sit et aliud (3), de quo ei possit optari (*f*), aut laboret nisi optemus. Plane *benedici Deum* (*Psal.* CIII, 22) omni loco ac tempore condecet, ob debitam semper memoriam beneficiorum ejus ab omni homine. Sed et hoc benedictionis vice fungitur. Cæterum quando non sanctum et sanctificatum (*g*) est per semetipsum nomen Dei, cum cæteros sanctificet ex semetipso? Cui (4) illa *Angelorum circumstantia* (*h*) *non cessant* (5) *dicere : Sanctus, Sanctus, Sanctus* (*Isa.*, VI, 3 ; *Apoc.*, IV, 8). Proinde igitur et nos Angelorum, si meminerimus (6), candidati (*i*) jam

LECTIONES VARIANTES.

(1) Aliud quid, non nomen *Jun.*
(2) *Verba* : ego veni — nomen tuum, *primus addidit Marglorius.*
(3) Alius *Rig. Paris. Venet.*
(4) Cur *Venet. Paris.*
(5) Cesset *Semler. Leop.*
(6) Meminerimus. *Ita Rhen. Rig. Paris. Venet. Leop.* Meruerimus. *Cod. Agob. ed. Frun. et Seml.*

COMMENTARIUS.

Tertulliano tamen, quod est ad nos Dei filios, placuisse videtur, ut quoties appellamur filii, præter Deum patrem nostrum Ecclesiam itidem matrem nostram, quæ nos per Christum Deo genuit, intelligamus. Uno igitur vocabulo *Patris Deum cum suis*, id est Deum Patrem, et Filium ejus æternum, et matrem Ecclesiam honoramus. *Præcepti* vero *meminimus*, cum Christus Matthæo testante, edixerit ne quem in terris patrem vocemus, nisi quem habemus in cœlis. Quod ad Ecclesiæ nomen hic usurpatum eruditissimus Albaspinæus attulit, facile amplecti non possumus. Censet enim vir clarissimus, Spiritum sanctum per hoc vocabulum a Tertulliano significari, cum is in lib. de Bapt., cap. 6, Ecclesiam in Patre, et Filio, et Spiritu sancto constitutam affirmet ; et in lib. de Pudicit., cap. 21, hæc habeat : *Nam et ipsa Ecclesia proprie et principaliter ipse est Spiritus, in quo est Trinitas divinitatis, Pater, Filius et Spiritus sanctus. Illam Ecclesiam congregat, quam Dominus in tribus posuit.* Tum Albaspinæus : *quibus locis existimat Tertullianus, Ecclesiam esse in Patre, Filio et Spiritu sancto, sed præcipue in Spiritu sancto. Unde concludit, hoc loco mentionem fieri Spiritus et Ecclesiæ in oratione dominica, quando dicimus : Pater noster. Qui enim invocat Patrem, Filii quoque et matris Ecclesiæ, sive Spiritus sancti numen implorare videtur : atque ita uno nomine, Patris videlicet, tres personæ recensentur.* At nobis e libro de Pudicitia loci hujus explicationem peti, siquidem certum mihi videtur, non alium ibi Spiritum sanctum intelligi, quam hæresiarcham Montanum, cujus deliramentis ut Tertullianus assentaretur, Ecclesiam in eo *proprie et principaliter* constitutam somniavit, imo ipsum esse *Ecclesiam* lepidissima opinione est arbitratus. Contra cum hucusque S. Hilario teste creditum fuerit, librum *de Oratione* a Tertulliano catholico scriptum fuisse, nescio quam bene huic libro lucem afferre possimus, productis alterius libri nugis ac somniis. Si vero Ecclesiam in Patre, Filio et Spiritu sancto constitutam dicamus, quod recte dici potuisse non inficior, ne ita quidem ab hisce ambagibus nos expediemus, ut serio cogitanti patebit. MURAT.

(a) *Oblitos patris denotamus.* Nam Dominus dixit : *Ne quem dixeritis patrem ; unus est enim Pater vester in cœlis.* Hoc est præceptum, de quo sensit Tertullianus. G. PANCIROL. — *Et oblitos patris denotamus.* In malam partem vox denotare sumitur, hicque Judæos perstringit auctor Tertul. qui Christum per prophetas promissum non modo non ut Deum et Messiam exceperunt, verumetiam infami supplicio affecerunt. LE PR.

CAP. III.—(b) *Etiam qui de ipso.* Subaudi : Etiam qui de ipso Deo interrogaverat Moyses, nomen Dei quod esset, aliud quidem nomen audiverat Rogante enim Moyse. Exodi cap. 3 : *Si dixerint mihi, quod est nomen ejus, quid dicam eis ? Dixit Dominus ad Moysem : Ego sum qui sum.* Id est summa essentia, qui sum per me ipsum, et a me pendeo ; unde aliud nomen et diversum a patre Moyses audivit. Sed Filius nobis hoc nomen manifestavit ; prodendo enim se esse Filium, manifestavit Patrem. G. PANCIROL.

(c) *Jam enim filius novum Patris nomen est.* Dei nomen Moysi quidem patefactum : at nomen Dei Patris nemini, et ne ipsi quidem Moysi, proditum fuerat. *Patris* ergo nomen novissime cognitum, cum Filii nomen in Christo innotuit. Si enim Christus Dei Filius, ergo et Deus Pater. MURAT.

(d) *Et apertius.* Manifestavit nomen Dei, quia fecit ut sui Pater agnosceretur. Alii interpretantur, quod Deum gentibus ignotum manifestaverit, et impletum est illud Psalmi XXI : *Narrabo nomen tuum fratribus meis*, ubi Euthymius sequitur interpretationem Tertulliani. Idem habetur apud Paulum ad Hebr. cap. II. G. PANCIROL.

(e) *Ut sanctificetur postulamus.* Dei nimirum sanctificatio est optimus vivendi modus, sic in cap. II, proph. Amos Cyrillus Alex. : Ἁγιάζειν λέγονται Θεὸν, οἱ ζῶντες ὀρθῶς. *Deum sanctificare dicuntur qui bene vivunt.* LE PR.

(f) *Quasi sit et alius de quo ei possit optari.* Hoc est, Quasi ulla sit alia majestas numinis ullius, de qua ei possit optari ut sanctificetur. Etenim nulla est, cum unus sit Deus, et præter eum nullus. RIG.

(g) *Quando non sanctificatum.* Hieronymus, ep. 135 : *Non quod nobis orantibus sanctificetur quod per se sanctum est, sed quod petamus ut quod per naturam sui sanctum est, sanctificetur in nobis.* RIG.

(h) *Illa Angelorum circumstantia non cessant.* Sic habet liber Agobardi. Circumstantiam dicit apparitionem, satellitium, stipatum, et congruenter nomini collectivo pluralis numeri verbum apposuit. RIG.

(i) *Et nos Angelorum, si meminerimus, candidati.* In libro Agobardi legitur, *si meruerimus.* Sed candidati dicuntur qui dignitates ambigunt, digni vel indigni ; nec refert, ut id vocentur, bene an male sint meriti, est enim commune vocabulum. Is vero quem penes est datio dignitatis, cum advenerit conferendæ dies, tunc merita singulorum expendet, et indignos ablegabit, quamvis candidatos. Itaque magis placet quod et in antiquissimo Ful. Ursini codice, et in editione Rhenani legitur, *si meminerimus.* Tertullianus ubique illud suggerit, nos apud Deum fore sicut angelos, et de familia angelica deputari, et repromissam esse nobis angelicam substantiam. Quare hic etiam nobis aurem vellit : Et, si bene meminerimus, inquit, angelorum candidati sumus, et jam hinc cœlestem illam acclamationem ediscimus, *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* RIG.

Digitized by Google

hinc cœlestem illam in Deum vocem, et officium futuræ claritatis ediximus. Hoc quantum ad gloriam Dei. Alioquin quantum ad nostram petitionem, cum dicimus : *Sanctificetur nomen tuum* (*Matth.*, VI, 9), id petimus ut sanctificetur in nobis, qui in illo sumus: simul et in cæteris, quos adhuc gratia Dei exspectat, ut et huic (1) præcepto pareamus, *orando pro omnibus, etiam pro inimicis nostris* (*Matth.*, V, 44). Ideoque suspensa enuntiatione non dicentes : Sanctificetur in nobis, in omnibus dicimus.

CAPUT IV.

Secundum (*a*) hanc formam subjungimus FIAT VOLUNTAS TUA (*b*) IN CŒLIS ET IN TERRA, non quod aliquis obsistat quominus voluntas Dei fiat, et ei successum voluntatis suæ oremus ; sed in omnibus petimus fieri voluntatem ejus. Ex interpretatione (*c*) enim figurata carnis et spiritus, nos (2) sumus cœlum et terra. Quanquam etsi simpliciter intelligendum est, idem tamen est sensus petitionis, ut in nobis fiat voluntas Dei in terris, ut possit scilicet fieri et in cœlis. Quid autem Deus vult, quam incedere nos secundum suam disciplinam? Petimus ergo, substantiam, et facultatem voluntatis suæ subministret nobis, ut salvi simus et in cœlis, et in terris ; quia summa est voluntatis ejus, salus eorum, quos adoptavit. Est et illa Dei voluntas, quam Dominus administravit prædicando, operando, sustinendo. Sic enim ipse pronuntiavit, *non suam, sed Patris facere se voluntatem* (*Joan.*, VI, 39). Sine dubio quæ faciebat, ea erant voluntas Patris, ad quæ nunc nos velut (*d*) ad exemplaria provocamus, ut prædicemus, et operemur, et sustineamus ad mortem usque. Quæ ut implere possimus, opus est Dei voluntate. Ita (3) dicentes : *Fiat voluntas tua*, vel eo nobis bene optamus, quod nihil mali sit in Dei voluntate, etiam si quid pro meritis cujusque secus irrogatur. Jam hoc dicto, ad sufferentiam nosmetipsos præmonemus. Dominus quoque cum sub instantiam (4) passionis (*e*) infirmitatem carnis demonstrare jam in sua carne voluisset, *Pater*, inquit, *transfer poculum istud* (*Luc.*, XXII, 42). Et recordatus (*f*), *nisi quod* (*g*) *mea non, sed tua fiat voluntas.* Ipse erat (*h*) voluntas, et potestas Patris ; et tamen ad demonstrationem sufferentiæ debitæ, voluntati se Patris tradidit.

CAPUT V.

VENIAT quoque REGNUM TUUM, ad id pertinet quod et (5) *Fiat voluntas tua*, in nobis scilicet. Nam Deus quando non regnat? *in cujus manu cor omnium regum est* (*Prov.*, XXI, 1). Sed quicquid nobis optamus, in illum auguramur, et illi deputamus, quod ab illo exspectamus. Itaque (*i*) si ad Dei voluntatem, et ad nostram (*j*) suspensionem pertinet regni dominici

LECTIONES VARIANTES.

(1) Hujus *Jun.*
(2) Non *Venet. Male.*
(3) Item *Semler. Paris. Venet. Leop.*
(4) Cum Substantia *Semler.*
(5) *Semler. conj.* quod est, fiat, etc.; *malit Leop. scribere* quo et fiat *vel* ad quod et fiat, etc.

COMMENTARIUS.

CAP. IV.— (a) *Secundum hanc formam.* Id est ordinem ipsius orationis dominicæ. Et transfert se ad illud, id est : *Adveniat regnum tuum.* G. PANCIROL.

(b) *Fiat voluntas tua.* Hoc iterum Christus ad Deum Patrem sub tempus passionis dixit (*Matth.*, XXVI) : Εἰ οὐ δύναται τοῦτο τὸ ποτήριον, etc. γενηθήτω τὸ θέλημά σου. Socrates cicutæ sorbendæ proximus, Εἰ ταύτη τοῖς θεοῖς φίλον, ταύτη γιγνέσθω. RIG. — *Fiat voluntas tua in cœlis et in terra.* Etsi codices omnes græci et latini qui hodie exstant, addant *sicut*, quia tamen in contextu nulla illius comparationis explicata mentio, retinuimus hanc lectionem : quod in B. Cypriano non fecimus, quia disertis verbis ibidem illud *sicut* explicat. PAM.

(c) *Ex interpretatione enim figurata.* Nostra caro terram, spiritus cœlum præ se fert. S. Cyprianus ubi supra, hæc a Tertulliano mutuatus, ait : *Nam cum corpus e terra, et spiritum possideamus e cœlo, ipsi terra et cœlum sumus, et in utroque, id est corpore et spiritu, ut Dei voluntas fiat, oramus.* G. PANCIROL.

(d) *Velut ad exemplaria provocamur.* Ut ejus exemplum, actusque sequamur. G. PANCIROL.

(e) *Sub instantiam passionis.* Cyprianus, Rogatiano: *Sub ictu passionis cum alapam accepisset.* Leo, serm. 8, de Passione Dom. : *Dominus cum de passionis suæ loqueretur instantia dixit, Nunc judicium mundi est.* RIG.

(f) *Et recordatus.* Scilicet ejus, quod docuerat, et volebat, ut subjicit. G. PANCIROL.

(g) *Nisi quod.* Verumtamen. G. PANCIROL.

(h) *Ipse erat voluntas et potestas Patris.* Recte, et cum theologis melioribus tum græcis, tum latinis, qui Filium voluntatem, ac potentiam Patris appellarunt. Magnus Athanasius in orat. 3. Ἔστι γὰρ ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ δημιουργὸς, καὶ ποιητικὸς, καὶ αὐτός ἐστιν ἡ τοῦ Πατρὸς βουλή. *Est enim Verbum Dei artifex, et efficiens, et est ipse Patris voluntas.* Cui consentit S. Augustinus, lib. XV, de Trin., cap. 20, ubi Filium dici ait Voluntatem de Voluntate. *Quidam*, inquit, *ne Filium consilii, vel voluntatis Dei dicerent unigenitum Verbum, ipsum consilium seu Voluntatem Patris idem Verbum esse dixerunt. Sed melius, quantum existimo, dicitur consilium de consilio, et Voluntas de Voluntate.* Faustinus itidem, in lib. contra arianos, cap. 1: *Pie ergo dictum est, quod Filius Voluntas est Patris.* Idem senserunt Origenes, Clemens et Cyrillus Alexandrini, Gregorius Nyssenus, Hieronymus, Ambrosius, Marius Victorinus, et alii. Cum præterea Deus omnia per Filium fecerit, hinc est quod Filius *potentia*, seu *potestas*, et *vis*, et *virtus*, et *manus*, et *brachium Patris* appellatur. Cujus rei testimonia producere superfluum reor. MURAT.

CAP. V.— (i) *Itaque si ad Dei voluntatem.* Scilicet si a Dei arbitrio pendet regni cœlestis adventus, nosque illud anxie optare, atque exspectare in recitanda oratione dominica profitemur, cur quidam sæculi mundique finem serius desiderant, cum regnum Dei, ac æternam felicitas, quam votis prosequimur, non nisi consummato sæculo et mundo, impetrari possit? Quibus ex verbis fortassis intelligas, quod aliis in locis apertissime Tertullianus sensit, nempe animas piorum corpore solutas a cœlesti beatudine arceri, donec novissimum judicium a Christo in fine mundi instituatur, Cum vero in eadem opinione non pauci ex antiquis Patribus fuerint, illam Tertulliano veniam libentissime impertimur, quam reliquis negaremus, si post contraria conciliorum decreta idem sentire et scribere pergerent, cujusmodi sunt nostris temporibus Græci schismatici in eadem sententia perseverantes. MURAT.

(j) *Ad nostram suspensionem.* Quia nos sumus sus-

Digitized by Google

repræsentatio, quomodo quidam protractum (1) quemdam (*a*) sæculo (2) postulant, cum regnum Dei, quod ut adveniat oramus, ad consummationem sæculi tendat? Optamus maturius regnare, et non diutius servire. Etiam si (*b*) præfinitum in oratione non esset, de postulando regni adventu, ultro eam vocem protulissemus (3) *festinantes ad spei nostræ complexum* (*Heb.*, IV, 11). *Clamant ad Dominum invidia* (*c*) (4) *animæ martyrum sub altari : Quonam usque non ulciscêris, Domine, sanguinem nostrum de incolis terræ* (*Apoc.*, VI, 9)? Nam utique ultio illorum a sæculi fine (5) dirigitur. Imo quam celeriter *veniat, Domine, regnum tuum* (*Matt.*, VI, 10). Votum christianorum, confusio nationum, exultatio angelorum, propter quod conflictamur, imo potius propter quod oramus.

CAPUT VI.

Sed quam eleganter divina sapientia ordinem orationis instruxit! ut post cœlestia, id est post Dei nomen, Dei voluntatem, et Dei regnum, terrenis quoque necessitatibus petitioni locum faceret? Nam et edixerat Dominus : *Quærite prius regnum, et hæc vobis etiam adjicientur* (*Matth.*, VI, 33). Quanquam PANEM NOSTRUM QUOTIDIANUM DA NOBIS HODIE (*d*), spiritaliter potius intelligamus. Christus enim panis noster est, quia vita Christus, et vita (6) panis. *Ego sum*, inquit, *panis vitæ* (*Joan.*, VI, 35). Et paulo supra : *Panis est sermo Dei vivi, qui descendit de cœlis.* Tum quod et corpus ejus in pane (*e*) censeo-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Pertractum *Semler.*
(2) In sæculo *Semler. Leop.*
(3) Postulassemus *Seml.*
(4) *Ita Venet. Paris. Rigalt.* In visu *alii aut. Rigal. et* B *Seml. Leop.*
(5) Ad sæculi finem *Pamelius, male.*
(6) *Semler haud feliciter conj.* vitæ panis.

COMMENTARIUS.

pensi exspectantes, quando ad suum regnum nos Deus vocabit. Quare ergo quidam protractum quemdam, id est prorogationem quamdam postulant, ut in hoc sæculo diutius vivant G. PANC. — *Et ad nostram suspensionem.* Id est ad christianos duntaxat, atque eorum statum et conditionem, non autem ad Judæos au gentiles; *suspendere* enim apud Tertull. est distinguere, separare, limitare, ut paulo ante *suspensa enuntiatione*, id est restricta. Hæc tamen ab auctore dicta putabam, quod existimaret cum cæteris illius ævi fato functos, non prius debere frui beatitudine quam sæculum finitum esset, atque adeo moram illam suspensionem vocare. ALBASP.

(a) *Protractum quemdam sæculo postulant.* Orantes pro mora finis. RIG.

(b) *Etiam si præfinitum.* Etiam si in oratione dominica non esset positum *Adveniat regnum tuum*, illud optare debuissemus. G. PANC.

(c) *Clamant ad Dominum invidia animæ martyrum. Sic* emendavimus ex antiquissimo exemplari, cum antea legeretur, *clamant ad Dominum in visu*, nullo sensu. Clamant invidia, hoc est, clamando invidiam faciunt. Usurpata sæpius huic auctori locutio in Apolog. : *In sacco et cinere voluntates invidia cœlum tundimus.* Libro de fuga in persec. : *Dominus est, potens est : omnia illius sunt : ubi ubi fuero, in manu ejus sum : faciat quod vult, non discedo : et si perire me volet, ipse me perdat, dum me ego servo illi, malo invidiam ei facere per voluntatem ipsius pereundo, quam bilem per meam evadendo.* Et libro adversus psychicos : *Annuo ritu saccis velati et cinere conspersi idolis suis invidiam supplicem objiciunt.* Sic etiam Tacitus, Annal., XI : *Vibidiam depellere nequivit, quin multa cum invidia flagitaret, ne indefensa conjux exitio daretur.* Et Juvenalis, sat. 15 :

> Anne aliam terra Memphitide sicca
> Invidiam facerent nolenti surgere Nilo ?

Clamant igitur ad Dominum invidia animæ martyrum sub altari, hoc est, multa cum invidia flagitant, invidiam Deo faciunt, Deum invidia tundunt, sanguine per tot cruciatus fuso invidiam objiciunt Deo. Tam sunt obnixæ et efficaces martyrum voces, ut ab Deo vel invito, sanguinis ob ipsius nomen fusi vindictam extorquere valeant : adeoque ipsum, nisi petentibus annuat, invidia crudelitatis et immisericordiæ onerare videantur. *Idem.*

CAP. VI.—(d) *Da nobis hodie.* S. Gregorius Nyssenus, orat. 4, in orat. dominicam, discendam inculcat hominibus hanc scientiam, ut inde noscant de crastino non debere esse solliciti, etenim ὁ τὴν ἡμέραν σοι δοὺς καὶ τὰ εἰς τὴν ἡμέραν σοι δώσει : *qui diem tibi dedit, dabit quoque diei necessaria.* ALBASP.

(e) *Corpus ejus in pane censetur.* Tria intelligi posse per verba illa, *Panem nostrum*, Tertullianus monet : scilicet alimenta corporea, tum alimenta spiritalia, denique vivificum sacræ mensæ cibum, et realitatem C corporis et sanguinis dominici in sacramento altaris. Postremum hunc sensum eruditissimus Pamelius illustravit, inde probans, vere corpus et sanguinem Christi secundum Tertulliani mentem in Eucharistiæ sacramento contineri. Præter illa quæ Pamelius affert, possunt et alia Tertulliani verba referri idem probantia dilucidius. Lib. V contra Marcionem, cap. 8, hæc ille scribit: *Proinde panis et calicis sacramento jam in Evangelio probavimus corporis et sanguinis dominici veritatem adversus phantasma Marcionis.* Christi carnem non veram, sed phantasticam, atque apparentem duntaxat, impius Marcion arbitrabatur. Si ergo per sacramentum panis et calicis probatur veritas corporis, et sanguinis dominici, quis non intelligat, verum et substantiale in augusto sacramento haberi corpus et sanguinem Christi? Alia colligas e reliquis ejus in Marcionem libris. Tum in lib. de Idol., cap. 7, hæc animadverte : *Ad hanc partem zelus fidei perorabit, ingemens Christianum ab idolis in Ecclesiam venire, de adversarii officina in domum Dei, attollere ad Deum Patrem manus matres idolorum; his manibus adorare, quæ foris adversus Deum adorantur : eas manus admovere corpori Domini, quæ dæmoniis corpora conferunt*, etc. Ubi in christianos idolorum artifices invehitur, qui manibus iisdem quibus idola formabant, Christi corpus, uti ferebat eorum temporum consuetudo, recipiebant. Vide etiam, cap. 14, lib. contra Judæos. Proinde *corpus ejus in pane censetur* (verbum *censetur* idem significat ac *est* secundum jurisconsultos) indicat, nos sub nomine panis petere vivificum Christi corpus, ita ut, postulato pane, dominicum sacramentum, et *individuitatem a corpore Christi* postulemus. *Murat.* — *Tum quod et corpus ejus in pane censetur.* Sic videtur explicari posse : Per panis sacramentum commendat corpus suum. Quem-

Digitized by Google

tur. *Hoc est corpus meum* (*Luc.*, XXII, 19). Itaque petendo panem quotidianum, perpetuitatem postulamus in Christo, et individuitatem a corpore ejus. Sed et quia carnaliter admittitur ista vox, non sine religione potest fieri et spiritalis disciplinæ. Panem enim peti mandat, quod solum fidelibus necessarium est; *cætera enim nationes requirunt*. Ita et exemplis inculcat, et parabolis (*a*) retractat, cum (*b*) dicit: *Numquid panem filiis pater aufert, et canibus tradit* (*Matth.*, XXV, 26)? Item: *Numquid filio panem poscenti lapidem tradit* (*Matth.*, VII, 9)? Ostendit enim, quid a patre filii exspectent. Sed et (*c*) *nocturnus ille pulsator panem poscebat* (*Luc.*, XI, 5) (1). Merito autem adjecit: *Da nobis hodie*, ut qui præmiserat: *Nolite de crastino cogitare quid edatis*. Cui rei parabolam quoque A accommodavit *illius hominis, qui provenientibus* (2) *fructibus ampliationem horreorum, et longæ securitatis spatia cogitavit; is ipsa nocte moritur* (*Luc.*, XII, 16).

CAPUT VII.

Consequens (*d*) erat, ut observata Dei liberalitate, etiam clementiam ejus precaremur; quid enim alimenta proderunt, si illi (3) reputamur revera quasi (*e*) taurus ad victimam? Sciebat Dominus se solum sine delicto esse (*f*). Docet itaque petamus DIMITTI NOBIS DEBITA NOSTRA. Exomologesis est, petitio veniæ; quia qui petit veniam, delictum confitetur. Sic et pœnitentia demonstratur acceptabilis Deo, quia (4) *vult* (*g*) *eam, quam mortem peccatoris* (*Ezech.* XXXIII, 11). Debitum autem in Scripturis delicti figura est (*h*), quod perinde judicio debeatur, et *ab eo exigatur, nec*

LECTIONES VARIANTES.

(1) Pulsabat *Semler*.
(2) Qui pro venientibus *distincte legit Jun., parum bene*.
(3) Si in eis reputamur. *Jun. Franeq.* Si illis *Semler*.
B *Leop.*
(4) Qui mavult *primus et solus Leop.*

COMMENTARIUS.

admodum Augustinus, lib. I Quæst. evang. 43, dixit: *Per vini sacramentum commendat sanguinem suum*. RIG. — *Tum quod corpus ejus in pane*. Quisquis diligenter hæc verba attenderit, nunquam Auctorem in adversariorum sententiam transiisse dicturus est. Trifariam enim hæc Christi verba: *Panem nostrum quot*. explicat. Primum de pane communi, deinde de Christo qui credentium verus est panis: postremo de corpore Christi quod est in Eucharistia ubi animadvertendum est eum discrimen constituere inter Jesum, quatenus fideles et credentes nutrit, et eumdem ipsum Jesum in Eucharistia existentem. Nam ubi exposuit, quamobrem Jesus panis sit eorum qui ipsum confitentur atque in eum credunt, alium rursus affert modum quo ipsemet Christus et panis. Itaque duos illos panes duplicemque alendi modum hoc loco distinguit, quod facere nihil fuit necesse, si Christus sola fide in Eucharistia sumitur, quemadmodum sola fide ab iis sumitur, qui in eum ejusque Evangelium credunt. Præterea loquitur ut plurimum verbis jurisconsultorum propriis, apud quos *censetur* idem sonat ac *est*. ALBASP. — *Corpus ejus in pane censetur*. Ipse in eamdem sententiam explicat locum ex Jeremiæ prophetia, *Veni mittamus lignum in panem ejus*, lib. advers. Jud., et lib. III advers. Marcionem, et lib. IV. Sic etiam libr. de Resur. carnis, pag. 385: *Caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo sagine. tur*. ALBASP. — *In pane censetur*. Habetur. G. PANCIR.

(a) *Parabolis retractat*. Tractat et confirmat. G. PANCIR.

(b) *Cum dicit: Numquid panem filiis*, etc. Intelligit quod legitur in Matthæi cap. XV, et Marci cap. VII, quando Cananæa rogabat Dominum ut filiam suam a dæmonibus liberaret, ipse respondit: *Non est bonum sumere panem filiorum, et dare canibus*, id est ethnicis, ubi in parabola intelligit corpus suum sub nomine panis, et canes ethnicos. Tertullianus vero illa verba aliquantum mutat, sed idem est sensus. His omnibus vult probare, panem pro corpore Christi accipi. PANC.

(c) *Sed et nocturnus ille pulsator*. Qui petiit panes ab amico media nocte, et eos habuit. (Lucæ cap. XI). G. PANCIROL.

CAP. VII. — (d) *Consequens erat*. Nunc exponit alia verba *Et dimitte nobis debita nostra*, postquam dixit de liberalitateDei, qui nos alit. G. PANCIROL.

(e) *Quasi taurus*. Qui saginatur, ut occidatur. Idem esset de nobis, nisi delicta remitterentur. G. PANCIROL.

(f) *Sciebat Dominus se solum*. Sane intelligendus locus, sicuti et similes Scripturæ sacræ loci, uti alicubi annotavit S. Augustinus, ne excludatur beata virgo Deipara, quam sine omni delicto vixisse ille asserit. PAM.

(g) *Qui vult eam*. Subaudi *magis;* et est elegans locutio. De hoc Ezechiel, cap. XXIII. G. PANCIROL.

(h) *Debitum autem*. Nomen debiti significat delictum, et est ejus typus, seu figura, et significatio, quia sicut exigitur in judicio a debitore, nisi remittatur delictum, ita et delictum. PANC. — *Debitum autem in Scripturis delicti figura est*. Quod observat Tertullianus, debitum in Scripturis, delicti figuram esse, quia perinde judicio debeatur, et ab eo exigatur, nec evadat justitiam exactionis, nisi donetur exactio: consentaneum videtur iis quæ tradit Aristoteles, Ethicor. V., contractuum alios esse voluntarios, alios involuntarios. Qui rem aliquam vendit, contrahit cum emptore, teneturque actionibus empti et venditi, voluntario contractu. Qui crimen aliquod committit, contrahit cum lege, ita ut pœnæ, quam lex crimini dixit, fiat obnoxius, etiam nolens et invitus. Sic debitores sumus Deo, qui delictis quotidianis Dei mandata sperninus, eoque nomine debemus pœnas non leves; nec habemus unde immensæ et infinitæ majestati satisfacere possimus, qui per nos nullius pretii sumus. Deus igitur creditor noster tanta nos quamvis immerentes, beneficentia prosequitur, ut quo pacto liberari possimus edoceat. *Remittite*, inquit, *et remittetur vobis*. Erga hominem delinquit homo? quicquid intercedit, utique humanum est, quantulum est quod debetur? quantulum est quod remittitur? At erga Deum delinquit homo? jam hinc debitor homo, illinc creditor et vindex Deus. Omnino tam impar certamen, quam disparata sunt ab humanis divina. Itaque hominem Deus induit, ut nostra cum suis compenset. Nostris legibus nobiscum agit: delegari sibi patitur. Debitores sunt nostri, qui nobis injurias intulere. Delegamus debitores nostros Deo, quoties debitam nobis offensarum nomine satisfactionem debitori nostro sic donamus, ut ipsam illi a Deo condonari velimus. Tunc fit in cœlis acceptilatio, per quam vicissim Deus nostra erga se debita expungit. Quare, ille ditior et locupletior est erga Deum debitor, qui plures injurias pertulit, etenim plures habet quos delegare queat debitores suos creditori Deo. Quid si debitorem non habeamus? Placet responsio, quam in scidis ad Augustinum suis Nic. Faber notaverat: Etsi scrutatori cordium Deo voluntas ad remissionem propensa sufficiat, quanto tamen ditior ille est debitor, quanto securior, qui non solum voluntate creditorem libe-

Digitized by Google

evadat justitiam exactionis, nisi donetur exactio, sicut illi servo dominus debitum remisit (*Matth.*, V, 25). Huc (*a*) enim spectat exemplum parabolæ totius. Nam et quod idem servus a domino liberatus, non perinde parcit debitori suo, ac propterea delatus penes dominum tortori delegatur ad solvendum novissimum quadrantem, id est, modicum usque delictum, eo (*b*) competit, quod remittere nos quoque profitemur debitoribus nostris. Jam et alibi (*c*) ex specie (1) orationis: *Remittite*, inquit, *et remittetur vobis* (*Luc*, VI, 37). Et cum *interrogasset Petrus si septies remittendum esset fratri: Imo*, inquit, *septuagies septies* (*Matth.*, XVIII, 22), ut legem in melius reformaret, quod in Genesi *de Cain septies, de Lamech autem septuagies septies ultio* (*d*) *reputata est* (*Gen.*, IV, 24).

CAPUT VIII.

Adjecit ad plenitudinem tam expeditæ orationis, ut non de remittendis tantum, sed etiam de avertendis in totum delictis supplicaremus, NE NOS INDUCAS IN TENTATIONEM, id est ne nos patiaris induci, ab eo utique qui tentat. Cæterum absit ut Dominus tentare videatur, quasi aut ignoret fidem cujusque, aut dejicere (2) gestiens (*e*). Diaboli est et infirmitas et malitia. Nam et Abrahamum non tentandæ fidei gratia, sacrificare de filio jusserat, sed probandæ, ut per eum faceret exemplum (*f*) præcepto suo, quo mox præcepturus erat, neque pignora (*g*) Deo cariora habenda (3). Ipse a diabolo tentatus, præsidem (*h*) et artificem tentationis demonstravit. Hunc (*i*) locum posterioribus confirmat: *Orate*, dicens, *ne intretis* (*Luc.*, XXII, 46). Adeo (*j*) tentati sunt Dominum deserendo, qui somno potius indulserant quam orationi. Eo respondet clausula interpretans quid sit: *Ne nos deducas in tentationem.* Hoc est enim: SED (*k*) DEVEHE (4) NOS A MALO.

CAPUT IX (*l*).

Compendiis (*m*) pauculorum (5) verborum, quot attinguntur edicta prophetarum, Evangeliorum, apostolorum, sermones Domini, parabolæ exempla, præcepta? Quot simul expunguntur officia (*n*)? Dei

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ex hac specie *Rigalt. Paris. Venet. Seml. Leop.*
(2) *Ita Rigalt. e cod. Agob. Paris. Venet.* Dejicere sit consentiens *Seml. Leop.*
(3) Ne quæ pignora cariora Deo haberet *cod. Agob.*
(4) *Ita Rigalt. Paris. Venet.* 1744. Evehe *Rhen. Edea. Fran. Venet.* 1701.
(5) *Alii* paucorum.

COMMENTARIUS.

rare, sed etiam re ipsa quod a se petitur exsolvere potest. Hoc autem ut queamus præstant qui nobis injurias inferendo se debitores nostros constituunt. Quam libenti igitur ac promoto animo, non dico parcere, verum etiam gratias agere illi debemus, qui nobis unde in gravibus debitis cum eo paria faciamus, cum quo nemo potest, suppeditant. RIG.

(a) *Huc enim spectat.* Ad hunc locum pertinet tota illa parabola servi, cui dominus debitum remisit; ipse vero a conservo debitum sibi extorquebat. Significat autem, non dimitti nobis nisi ut ipsi injurias aliis dimiserimus. G. PANCIROL.

(b) *Eo competit.* Ad id pertinet, et hoc significat. G. PANCIROL.

(c) *Jam et alibi*, etc. De hac petitione, ut nobis delicta remittantur, quemadmodum nos aliis remittimus, alibi est dictum. G. PANCIROL.

(d) *Ultio reputata est.* Id est facta. Cum enim Lamech occidisset virum, id est Cain, dixit, Gen., cap. IV: *Septuplum ultio dabitur de Cain; de Lamech vero septuagies septies.* Aliqui interpretantur septies iri ultum illum, qui occiderit Cain. Sed D. Hieronymus, epist. 125, ad Damasum, quæst. 1, intelligit, non iri liberatum Cain, nisi in septima generatione, quod fuit quando occisus est a Lamech: nam tunc a tremore est liberatus ut pœna, quam hic patiebatur. Peccatum vero Lamech, id est, totius mundi et sanguinis qui effusus est, liberatum est septuagies septies, id est septuagesima septima generatione, in qua fuit Christus, qui totum orbem liberavit a sceleribus; nam ipse fuit septuagesima septima generatio ab Adam, Lucæ cap. III. Verum Tertullianus intelligit quia septies vindicandum erat peccatum Cain, et septuagies septies peccatum Lamech. A nova quoque lege jussum est, Matthæi cap. XVIII, ut toties peccatum dimitteretur, id est septuagies septies; sed ibi ponitur numerus finitus pro infinito, et significatur semper esse dimittendum, ut D. Hieronymus, lib. III Comment. in cap. XVIII Matthæi, et alii interpretantur. G. PANCIROL.

CAP. VIII.— (e) *Dejicere gestiens*, h. e.: Absit ut Dominus tentare videatur quasi gestiat nos dejicere, aut supplantare nos cum diabolo consentiat. (Vid. var. lect.). EDD.

(f) *Exemplum præcepto suo.* Quod postea dedit Matthæi cap. XIV, ut oraremus, ne incideremus in tentationem. G. PANCIROL.

(g) *Neque pignora Deo cariora.* Pignora appellat filios, quos Christus se cariores non habendos jussurus erat; ait enim Matthæi cap. X: *Qui amat filium, aut filiam plus quam me, non est me dignus.* G. PANCIR.

(h) *Præsidem, et artificem tentationis.* Scilicet diabolum esse demonstravit Matthæi cap. IV. G. PANCIROL.

(i) *Hunc locum.* Quod diabolus sit princeps tentationis, posterioribus, scilicet, verbis Evangelii demonstrat, *Orate*, dicens Matthæi cap. XXVI, *ne intretis in tentationem.* G. PANCIROL.

(j) *Adeo tentati sunt.* Id est: itaque sunt tentati, quia non oraverunt. G. PANCIROL.

(k) *Sed devehe nos a malo.* Non hic, ut vulgo accipere solemus, *malum* intelligit, seu mala, quæ homini contigere, contingunt, aut contingere possunt; sed *malum*, hoc est *malignum*, seu diabolum, a quo nos liberari cupimus, ne in tentationem atque in delicta inducamur. Cum qua lectione potissimum consentiunt græca orationis dominicæ verba, ubi legitur ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, id est a cacodæmone, seu maligno. Chrysostomus sane et plures alii Patres hujusmodi interpretationem adhibuerunt. Vocem quidem ῥῦσαι, quam nos *libera* latine reddimus, crude atque aspere Tertullianus per vocem *devehe* expressit, revera enim significat *protege, defende, tuere, eripe*, ac *libera*. MURAT.

CAP. IX. —(l) In cod. Ambros. legitur tituli instar: *Anacephalæosis.*

(m) *Compendiis pauculorum verborum*, etc. Editi libri habent *paucorum.* Hinc Ambrosianus codex ms. exordium sumit. Recte autem *Anacephalæosis* inscribitur hoc caput, cum compendiose tota dominicæ orationis expositio ante legentium oculos exhibeatur. MURAT. — *Compendiis paucorum.* Nunc epilogat, quomodo omnia mandata Scripturarum contineat oratio dominica. G. PANCIROL.

(n) *Quot simul expunguntur officia?* Legere maluissem *exponuntur.* Sed nulla Tertulliano barbarice scribenti de sermonis puritate sollicitudo. Aliis in locis, ac præcipue lib. III et IV et in fine lib. V ad

Digitized by Google

honor in Patre, fidei testimonium in nomine, oblatio obsequii in voluntate, commemoratio spei in regno, petitio vitæ in pane, exomologesis debitorum in deprecatione, sollicitudo tentationum in postulatione tutelæ. Quid mirum? Deus solus docere potuit ut se vellet orari. Ab ipso igitur (*a*) ordinata religio orationis, et de spiritu ipsius, jam tunc cum ex ore divino ferretur, animata suo privilegio ascendit in cœlum, commendans Patri quæ Filius docuit.

CAPUT X (*b*).

Quoniam (*c*) tamen Dominus prospector (*d*) humanarum necessitatum, seorsum post traditam orandi disciplinam, *Petite*, inquit, *et accipietis* (*Luc.*, XI, 8), et sunt quæ petantur pro circumstantia cujusque, præmissa legitima et ordinaria oratione, quasi fundamento, accidentium (*e*) jus est (1) desideriorum, jus est (*f*) superfluendi (2) extrinsecus petitiones, cum memoria tamen præceptorum, ne quantum a præceptis, tantum ab auribus Dei longe simus.

CAPUT XI (*g*) (3).

Memoria (4) præceptorum viam orationibus sternit ad cœlum, quorum præcipuum est, *ne* (*h*) *prius ascendamus ad Dei altare, quam si quid discordiæ vel offensæ cum fratribus contraxerimus, resolvamus* (*Matth.*, V, 23). Quid est (*i*) enim ad pacem Dei (5) recedere (*j*) sine pace? ad remissionem debitorum cum retentione? Quomodo placabit Patrem iratus in fratrem, cum omnis ira ab initio interdicta sit nobis? nam et Joseph dimittens fratres suos ad perducendum patrem, *Et ne*, inquit (6), *irascimini in via* (*Gen.*, XLV, 24) : nos (*k*) scilicet monuit. Alias enim (*l*) via cognominatur disciplina nostra. Tum ne in (*m*) via orationis constituti, ad Patrem cum ira incedamus. Exinde aperte Dominus amplians legem, iram (*n*) in fratrem homicidio superponit (*o*), ne verbo quidem malo permittit expungi (*p*) *etiamsi irascendum est, non ultra solis receptum* (*Ephes.*,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Accedentium juxta *Latin.*
(2) Superstruendi *Rig. Paris. Venet. Seml. Leop.*
(3) Cap. X, *alias.*
(4) Cum memoria *alias.*
(5) Accedere *ut voluit Muratorius, ita et Semler. ac Leop.*
(6) *Latin. parum bene, distinguit* : ne inquit, irascamini in via nos scilicet monuit (alias enim via cognominatur disciplina nostra). Tum ne in via, etc.

COMMENTARIUS.

versus Marcionem eodem utitur verbo; at sane significatione diversa. Pari tamen sensu usurpasse videtur cap. 1 de Cor. militis, ubi inquit: *Proxime factum est. Liberalitas præstantissimorum imperatorum expungebatur in castris.* Scilicet exponebatur, exerebatur, ac implebatur Cæsarum liberalitas in milites. Sumpta fortasse metaphora e calculis et rationibus quæ *expungi* dicuntur, cum absolutæ et confectæ emergunt. Capite vero 11 hujus libri ita ille scribit: *Ne verbo quidem malo iram Deus permittit expungi*, hoc est mandat, ne ira in contumelias erumpat ac proponatur. Alibi *expungere* pro *perficere* et *præstare* adhibuit. Vide etiam infra, cap. 13. Murat. — *Quot simul expunguntur officia?* Id est tot verbis dominicæ orationis implentur officia in Deum, quia cum dicimus: *Pater noster*, cum ut patrem honoramus. In illis vero verbis: *Sanctificetur nomen tuum*, fidem in ejus nomine habere testamur. Oblatio vero obsequii est in voluntate, cum dicimus, *Fiat voluntas;* et commemoratio est spei in regno in illis verbis, *Adveniat regnum tuum.* Mox petitio vitæ in pane, ibi, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; exomologesis, id est confessio delictorum quod deliquerimus in Deum, quando dicimus: *Et dimitte nobis debita nostra;* sollicitudo tentationum, id est solliciti sumus, ne tentemur, ubi petimus ut nos tueatur, ibi: *Et ne nos inducas in tentationem.* G. Pancirol.

(a) *Ab ipso igitur.* Potes explicare simpliciter, ut de uno tantum Christo sit sermo. Non tamen displicet subtilitas Pamelii, qui in hac periodo Trinitatem agnoscit, ita ut ordinata *ab ipso* sit Patre, et de Spiritu ipsius scilicet Sancto, et *ex ore divino* Christi. Lac.

(b) Titulus in cod. Ambros. : *Posse nos super adjicere.*

CAP. X.— (c) *Quoniam tamen.* Addit posse nos et alia petere. G. Pancirol.

(d) *Prospector.* Scilicet est. G. Pancirol.

(e) *Accidentium jus est desideriorum.* Id est possumus petere quæ, prout accidit, desideramus, præmissa legitima et ordinaria oratione, id est dominica oratione pro fundamento. G. Pancirol.

(f) *Jus est superfluendi.* Præter generales orationis dominicæ petitiones, quæ cuilibet Christianorum sunt communes, alia sæpe a Deo singulorum propria hominum, petenda se offerunt. Communi itaque orationi quædam addere licet pro cujusque necessitate, et voto, dummodo petitionibus nostris divina præcepta non adversentur. Imprimis autem nobis a Deo præcipitur, ne rogaturi ad altare accedamus, nisi prius cum fratribus nostris iniverimus pacem, ac odia deposuerimus. Hoc Tertullianus, cap. seq. ostendet. Murat.

CAP. XI. — (g) Titul. in cod. Ambr. : *Ne orans patrem fratri irascaris.*

(h) *Ne prius.* Monet prius fratri esse conciliandum, quam oretur. G. Pancirol.

(i) *Quid est enim.* Id est : quam observandum. G. Pancirol.

(j) *Recedere.* Pro *reverti* hanc vocem usurpasse videntur Sallustius atque Horatius. Cum tamen dubium sensum habeant istorum exempla, et *secedere* etiam significent, vellem liceret mihi per Tertullianum hoc in loco scribere non *recedere*, sed *accedere.* Murat. (Videtur Auctor, audaci nonnihil pro more suo syllepsi usus, junxisse : *ad pacem Dei accedere? recedere sine pace?* Edd.)

(k) *Nos scilicet monuit.* Supple : idem agere debere. G. Pancirol.

(l) *Alias enim via*, etc. Unde *homines viæ* primo dicti sunt Christiani, ut est in Actis, cap. IX, ubi Paulus acceperat litteras, ut *homines viæ* comprehenderet, id est Christianos; quanquam vertendum non erat *hujus viæ*, et dictio *hujus* delenda est, cum sit articulus græcus. G. Pancirol.

(m) *Tum ne in via.* Subaudi : est observandum. Panc.

(n) *Iram in fratrem homicidio superponit.* Expresse in veteri lege prohibita non videtur ira, sed quidem homicidium. At Christus *amplians legem*, hoc est perficiens, et novis disciplinæ præceptis amplificans, homicidio damnato, iræ quoque damnationem ac prohibitionem addidit, sive *superposuit.* Omnis quidem ira ab initio interdicta est nobis, ut supra Tertullianus dixerat Genesis testimonio; verum cum aperte non videretur interdicta, expressis illam verbis a fidelium cordibus removere ac arcere Christus voluit. Murat.

(o) *Superponit.* Adjicit, ut est apud Matthæum, cap. V. G. Pancirol.

(p) *Expungi.* Impleri iram convicio. G. Pancirol.

Digitized by Google

evadat justitiam exactionis, nisi donetur exactio, sicut illi servo dominus debitum remisit (*Matth.*, V, 25). Hue (*a*) enim spectat exemplum parabolæ totius. Nam et quod idem servus a domino liberatus, non perinde parcit debitori suo, ac propterea delatus penes dominum tortori delegatur ad solvendum novissimum quadrantem, id est, modicum usque delictum, eo (*b*) competit, quod remittere nos quoque profitemur debitoribus nostris. Jam et alibi (*c*) ex specie (1) orationis: *Remittite*, inquit, *et remittetur vobis* (*Luc*, VI, 37). Et cum *interrogasset Petrus si septies remittendum esset fratri: Imo*, inquit, *septuagies septies* (*Matth.*, XVIII, 22), ut legem in melius reformaret, quod in Genesi *de Cain septies, de Lamech autem septuagies septies ultio* (*d*) *reputata est* (*Gen.*, IV, 24).

CAPUT VIII.

Adjecit ad plenitudinem tam expeditæ orationis, ut non de remittendis tantum, sed etiam de avertendis in totum delictis supplicaremus, NE NOS INDUCAS IN TENTATIONEM, id est ne nos patiaris induci, ab eo utique qui tentat. Cæterum absit ut Dominus tentare videatur, quasi aut ignoret fidem cujusque, aut dejicere (2) gestiens (*e*). Diaboli est et infirmitas et malitia. Nam et Abrahamum non tentandæ fidei gratia, sacrificare de filio jusserat, sed probandæ, ut per eum faceret exemplum (*f*) præcepto suo, quo mox præcepturus erat, neque pignora (*g*) Deo cariora habenda (3). Ipse a diabolo tentatus, præsidem (*h*) et artificem tentationis demonstravit. Hunc (*i*) locum posterioribus confirmat: *Orate*, dicens, *ne intremini* (*Luc.*, XXII, 46). Adeo (*j*) tentati sunt Dominum deserendo, qui somno potius indulserant quam orationi. Eo respondet clausula interpretans quid sit: *Ne nos deducas in tentationem.* Hoc est enim: SED (*k*) DEVEHE (4) NOS A MALO.

CAPUT IX (*l*).

Compendiis (*m*) pauculorum (5) verborum, quot attinguntur edicta prophetarum, Evangeliorum, apostolorum, sermones Domini, parabolæ exempla, præcepta? Quot simul expunguntur officia(*n*)? Dei

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ex hac specie *Rigalt. Paris. Venet. Seml. Leop.*
(2) *Ita Rigalt. e cod. Agob. Paris. Venet.* Dejicere sit consentiens *Seml. Leop.*
(3) Ne quæ pignora cariora Deo haberet *cod. Agob.*
(4) *Ita Rigalt. Paris. Venet.* 1744. Evehe *Rhen. Gelen. Fran. Venet.* 1701.
(5) *Alii* paucorum.

COMMENTARIUS.

rare, sed etiam re ipsa quod a se petitur exsolvere potest. Hoc autem ut queamus præstant qui nobis injurias inferendo se debitores nostros constituunt. Quam libenti igitur ac promoto animo, non dico parcere, verum etiam gratias agere illi debemus, qui nobis unde in gravibus debitis cum eo paria faciamus, cum quo nemo potest, suppeditant. RIG.

(a) *Huc enim spectat.* Ad hunc locum pertinet tota illa parabola servi, cui dominus debitum remisit; ipse vero a conservo debitum sibi extorquebat. Significat autem, non dimitti nobis nisi ut ipsi injurias aliis dimiserimus. G. PANCIROL.

(b) *Eo competit.* Ad id pertinet, et hoc significat. G. PANCIROL.

(c) *Jam et alibi*, etc. De hac petitione, ut nobis delicta remittantur, quemadmodum nos aliis remittimus, alibi est dictum. G. PANCIROL.

(d) *Ultio reputata est.* Id est facta. Cum enim Lamech occidisset virum, id est Cain, dixit, Gen., cap. IV: *Septuplum ultio dabitur de Cain; de Lamech vero septuagies septies.* Aliqui interpretantur septies iri ultum illum, qui occiderit Cain. Sed D. Hieronymus, epist. 125, ad Damasum, quæst. 1, intelligit, non iri liberatum Cain, nisi in septima generatione, quod fuit quando occisus est a Lamech: nam tunc a tremore est liberatus ut pœna, quam hic patiebatur. Peccatum vero Lamech, id est, totius mundi et sanguinis qui effusus est, liberatum est septuagies septies, id est septuagesima septima generatione, in qua fuit Christus, qui totum orbem liberavit a sceleribus; nam ipse fuit septuagesima septima generatio ab Adam, Lucæ cap. III. Verum Tertullianus intelligit quia septies vindicandum erat peccatum Cain, et septuagies septies peccatum Lamech. A nova quoque lege jussum est, Matthæi cap. XVIII, ut toties peccatum dimitteretur, id est septuagies septies; sed ibi ponitur numerus finitus pro infinito, et significatur semper esse dimittendum, ut D. Hieronymus, lib. III Comment. in cap. XVIII Matthæi, et alii interpretantur. G. PANCIROL.

CAP. VIII.— (e) *Dejicere gestiens*, h. e.: Absit ut Dominus tentare videatur quasi gestiat nos dejicere, aut supplantare nos cum diabolo consentiat. (Vid. var. lect.). EDD.

(f) *Exemplum præcepto suo.* Quod postea dedit Matthæi cap. XIV, ut oraremus, ne incideremus in tentationem. G. PANCIROL.

(g) *Neque pignora Deo cariora.* Pignora appellat filios, quos Christus se cariores non habendos jussurus erat; ait enim Matthæi cap. X: *Qui amat filium, aut filiam plus quam me, non est me dignus.* G. PANCIR.

(h) *Præsidem, et artificem tentationis.* Scilicet diabolum esse demonstravit Matthæi cap. IV. G. PANCIROL.

(i) *Hunc locum.* Quod diabolus sit princeps tentationis, posterioribus, scilicet, verbis Evangelii demonstrat, *Orate*, dicens Matthæi cap. XXVI, *ne intretis in tentationem.* G. PANCIROL.

(j) *Adeo tentati sunt.* Id est: itaque sunt tentati, quia non oraverunt. G. PANCIROL.

(k) *Sed devehe nos a malo.* Non hic, ut vulgo accipere solemus, *malum* intelligit, seu mala, quæ homini contigere, contingunt, aut contingere possunt; sed *malum*, hoc est *malignum*, seu diabolum, a quo nos liberari cupimus, ne in tentationem atque in delicta inducamur. Cum qua lectione potissimum consentiunt græca orationis dominicæ verba, ubi legitur ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, id est a cacodæmone, seu maligno. Chrysostomus sane et plures alii Patres hujusmodi interpretationem adhibuerunt. Vocem quidem ῥῦσαι, quam nos *libera* latine reddimus, crude atque aspere Tertullianus per vocem *devehe* expressit, revera enim significat *protege*, *defende*, *tuere*, *eripe*, ac *libera*. MURAT.

CAP. IX. —(l) In cod. Ambros. legitur tituli instar: *Anacephalæosis.*

(m) *Compendiis pauculorum verborum*, etc. Editi libri habent *paucorum*. Hinc Ambrosianus codex ms. exordium sumit. Recte autem *Anacephalæosis* inscribitur hoc caput, cum compendiose tota dominicæ orationis expositio ante legentium oculos exhibeatur. MURAT. — *Compendiis paucorum.* Nunc epilogat, quomodo omnia mandata Scripturarum contineat oratio dominica. G. PANCIROL.

(n) *Quot simul expunguntur officia?* Legere maluissem *exponuntur*. Sed nulla Tertulliano barbarice scribenti de sermonis puritate sollicitudo. Aliis in locis, ac præcipue lib. III et IV et in fine lib. V ad

Digitized by Google

honor in Patre, fidei testimonium in nomine, oblatio obsequii in voluntate, commemoratio spei in regno, petitio vitæ in pane, exomologesis debitorum in deprecatione, sollicitudo tentationum in postulatione tutelæ. Quid mirum? Deus solus docere potuit ut se vellet orari. Ab ipso igitur (*a*) ordinata religio orationis, et de spiritu ipsius, jam tunc cum ex ore divino ferretur, animata suo privilegio ascendit in cœlum, commendans Patri quæ Filius docuit.

CAPUT X (*b*).

Quoniam (*c*) tamen Dominus prospector (*d*) humanarum necessitatum, seorsum post traditam orandi disciplinam, *Petite*, inquit, *et accipietis* (*Luc.*, XI, 8), et sunt quæ petantur pro circumstantia cujusque, præmissa legitima et ordinaria oratione, quasi fundamento, accidentium (*e*) jus est (1) desideriorum, jus est (*f*) superfluendi (2) extrinsecus petitiones, cum memoria tamen præceptorum, ne quantum a præceptis, tantum ab auribus Dei longe simus.

CAPUT XI (*g*) (3).

Memoria (4) præceptorum viam orationibus sternit ad cœlum, quorum præcipuum est, *ne* (*h*) *prius ascendamus ad Dei altare, quam si quid discordiæ vel offensæ cum fratribus contraxerimus, resolvamus* (*Matth.*, V, 23). Quid est (*i*) enim ad pacem Dei (5) recedere (*j*) sine pace? ad remissionem debitorum cum retentione? Quomodo placabit Patrem iratus in fratrem, cum omnis ira ab initio interdicta sit nobis? nam et Joseph dimittens fratres suos ad perducendum patrem, *Et ne*, inquit (6), *irascimini in via* (*Gen.*, XLV, 24) : nos (*k*) scilicet monuit. Alias enim (*l*) via cognominatur disciplina nostra. Tum ne in (*m*) via orationis constituti, ad Patrem cum ira incedamus. Exinde aperte Dominus amplians legem, iram (*n*) in fratrem homicidio superponit (*o*), ne verbo quidem malo permittit expungi (*p*) *etiamsi irascendum est, non ultra solis receptum* (*Ephes.*,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Accedentium juxta *Latin.*
(2) Superstruendi *Rig. Paris. Venet. Seml. Leop.*
(3) Cap. X, *alias.*
(4) Cum memoria *alias.*
(5) Accedere *ut voluit Muratorius, ita et Semler. ac Leop.*
(6) *Latin. parum bene, distinguit :* ne inquit, irascamini in via nos scilicet monuit (alias enim via cognominatur disciplina nostra). Tum ne in via, etc.

COMMENTARIUS.

versus Marcionem eodem utitur verbo; at sane significatione diversa. Pari tamen sensu usurpasse videtur cap. 1 de Cor. militis, ubi inquit: *Proxime factum est. Liberalitas præstantissimorum imperatorum expungebatur in castris.* Scilicet exponebatur, exerebatur, ac implebatur Cæsarum liberalitas in milites. Sumpta fortasse metaphora e calculis et rationibus quæ *expungi* dicuntur, cum absolutæ et confectæ emergunt. Capite vero 11 hujus libri ita ille scribit: *Ne verbo quidem malo iram Deus permittit expungi*, hoc est mandat, ne ira in contumelias erumpat ac proponatur. Alibi *expungere* pro *perficere* et *præstare* adhibuit. Vide etiam infra, cap. 13. Murat. — *Quot simul expunguntur officia?* Id est tot verbis dominicæ orationis implentur officia in Deum, quia cum dicimus: *Pater noster*, eum ut patrem honoramus. In illis vero verbis: *Sanctificetur nomen tuum*, fidem in ejus nomine habere testamur. Oblatio vero obsequii est in voluntate, cum dicimus, *Fiat voluntas;* et commemoratio est spei in regno in illis verbis, *Adveniat regnum tuum.* Mox petitio vitæ in pane, ibi, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; exomologesis, id est confessio delictorum quod deliquerimus in Deum, quando dicimus: *Et dimitte nobis debita nostra;* sollicitudo tentationum, id est solliciti sumus, ne tentemur, ubi petimus ut nos tueatur, ibi: *Et ne nos inducas in tentationem.* G. Pancirol.

(a) *Ab ipso igitur.* Potes explicare simpliciter, ut de uno tantum Christo sit sermo. Non tamen displicet subtilitas Pamelii, qui in hac periodo Trinitatem agnoscit, ita ut ordinata *ab ipso* sit Patre, et de Spiritu ipsius scilicet Sancto, et *ex ore divino* Christi. Lac.

(b) Titulus in cod. Ambros. : *Posse nos super adjicere.*

CAP. X.— (c) *Quoniam tamen.* Addit posse nos et alia petere. G. Pancirol.

(d) *Prospector.* Scilicet est. G. Pancirol.

(e) *Accidentium jus est desideriorum.* Id est possumus petere quæ, prout accidit, desideramus, præmissa legitima et ordinaria oratione, id est dominica oratione pro fundamento. G. Pancirol.

(f) *Jus est superfluendi.* Præter generales orationis dominicæ petitiones, quæ cuilibet Christianorum sunt communes, alia sæpe a Deo, singulorum propria hominum, petenda se offerunt. Communi itaque orationi quædam addere licet pro cujusque necessitate, et voto, dummodo petitionibus nostris divina præcepta non adversentur. Imprimis autem nobis a Deo præcipitur, ne rogaturi ad altare accedamus, nisi prius cum fratribus nostris iniverimus pacem, ac odia deposuerimus. Hoc Tertullianus, cap. seq. ostendet. Murat.

CAP. XI. — (g) Titul. in cod. Ambr. : *Ne orans patrem fratri irascaris.*

(h) *Ne prius.* Monet prius fratri esse conciliandum, quam oretur. G. Pancirol.

(i) *Quid est enim.* Id est : quam observandum. G. Pancirol.

(j) *Recedere.* Pro *reverti* hanc vocem usurpasse videntur Sallustius atque Horatius. Cum tamen dubium sensum habeant istorum exempla, et *secedere* etiam significent, vellem liceret mihi per Tertullianum hoc in loco scribere non *recedere*, sed *accedere.* Murat. (Videtur Auctor, audaci nonnihil pro more suo sylepsi usus, junxisse : *ad pacem Dei accedere? recedere sine pace?* Edd.)

(k) *Nos scilicet monuit.* Supple : idem agere debere. G. Pancirol.

(l) *Alias enim via*, etc. Unde *homines viæ* primo dicti sunt Christiani, ut est in Actis, cap. IX, ubi Paulus acceperat litteras, ut *homines viæ* comprehenderet, id est Christianos; quanquam vertendum non erat *hujus viæ*, et dictio *hujus* delenda est, cum sit articulus græcus. G. Pancirol.

(m) *Tum ne in via.* Subaudi : est observandum. Panc.

(n) *Iram in fratrem homicidio superponit.* Expresse in veteri lege prohibita non videtur ira, sed quidem homicidium. At Christus *amplians legem*, hoc est perficiens, et novis disciplinæ præceptis amplificans, homicidio damnato, iræ quoque damnationem ac prohibitionem addidit, sive *superposuit.* Omnis quidem ira ab initio interdicta est nobis, ut supra Tertullianus dixerat Genesis testimonio; verum cum aperte non videretur interdicta, expressis illam verbis a fidelium cordibus removere ac arcere Christus voluit. Murat.

(o) *Superponit.* Adjicit, ut est apud Matthæum, cap. V. G. Pancirol.

(p) *Expungi.* Impleri iram convicio. G. Pancirol.

Digitized by Google

IV, 26), ut Apostolus admonet. Quam autem temerarium est, aut diem sine oratione transigere, dum cessas fratri satisfacere, aut orationem perseverante iracundia perdere.

CAPUT XII (*a*).

Nec ab ira (*b*) solummodo, sed omni omnino confusione (*c*) animi libera debet esse orationis intentio, de tali (*d*) spiritu emissa, qualis est spiritus, ad quem mittitur. Neque enim agnosci poterit a Spiritu Sancto spiritus inquinatus ; aut tristis a læto, aut impeditus a libero. Nemo adversarium recipit ; nemo nisi comparem suum admittit.

CAPUT XIII (*e*) (1).

Cæterum (*f*) quæ ratio est, manibus quidem abluA tis, spiritu vero sordente orationem obire? quando et ipsis manibus spiritales munditiæ sint necessariæ, ut a falso, a cæde, a veneficiis, ab idololatria, cæterisque maculis, quæ spiritu conceptæ manuum opera transiguntur, puræ alleventur. Hæ sunt veræ munditiæ, non quas plerique superstitiose curant, ad omnem orationem etiam cum lavacro totius corporis aquam sumentes. Id cum scrupulose (*g*) percunctarer, et rationem (*h*) requirerem, comperi commemorationem esse in Domini deditionem. Nos Dominum adoramus, non dedimus. Imo et adversari debemus deditoris exemplo, nec propterea manus abluere, nisi (*i*) quod conversationis humanæ inquinamentum conscientiæ caussa lavemus (*j*).

LECTIONES VARIANTES.

(1) Cap. XI *alias*.

COMMENTARIUS.

CAP. XII.— (a) Tit. cod. Ambros. : *Etiam omni animi confusione vacuum esse debere.*

(b) *Nec ab ira.* Docet orantem tranquillum esse oportere, ut est Spiritus Sanctus, ad quem oramus. G. Pancirol.

(c) *Confusione.* In ms. codice Ambrosiano habetur *contusione.* Murat.

(d) *De tali spiritu emissa.* Nil oratio prosit, nisi a puro, et minime inquinato spiritu ad Spiritum divinum, qui purissimus est, imo ipsa puritas, feratur. Neque enim Spiritui Sancto placere animus terrenis maculis infectus potest. Hic autem Tertullianus ad cap. I Sapientiæ respicere videtur, ubi legitur : *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.* Murat.

CAP. XIII.— (e) Tit. cod. Ambros. : De *Lavatione manuum.*

(f) *Cæterum quæ ratio.* Hic docet, manus non aqua abluendas, sed a nequitiis mundas esse tenendas. G. Panc.— *Cæterum quæ ratio est*, etc. Manuum, imo totius quandoque corporis lotio orationem præcedere solebat, non apud Christianos tantum, sed et apud ethnicos, atque Judæos. Nempe abluto corpore manibusque potissimum purgatis, quæ facilius plerumque sordes contrahunt, lavari quoque ac emundari a culpæ sordibus animum, nonnulli arbitrabantur. Sed animo puro et purgato hominem ad Deum accedere debere, cum ratio, tum religio suadebant. Hunc autem apud gentiles invaluisse morem, omnium antiquissimo teste probabo. Homerus videlicet in Odyssea Penelopem nobis exhibet aqua sese ante preces abluentem. Ejus etiam filius Telemachus

Χεῖρας νιψάμενος πολιῆς ἁλὸς ἴξετ' Ἀθήνῃ.
Lotis in ponto manibus, sic Pallada adorat.

Macrobius vero, Saturnal. lib. III, cap. 1 : *Constat*, inquit, *diis superis sacra facturum corporis ablutione purgari.* Alia hujusce ritus exempla e Virgilio profert eo in loco Macrobius. Lactantius quoque Firmianus eosdem ethnicos ridet, qui *se pie sacrificasse opinantur, si cutem laverint, tanquam libidines intra pectus inclusas ulli amnes abluant, aut ulla maria purificent.* Judæis pariter id moris fuisse, auctor est pseudo-Aristeas, in lib. de LXX Interpret. : *Rege consultato*, ait ille, *ad diversa loca divertunt, atque, ut mos est Judæis omnibus, manibus prius in mari lotis, Deo preces effundunt.* Vide Spencerum, de Leg. Hebr., l. III, diss. 3, c. 3. Transiit postea ad Christi fideles hujusmodi consuetudo, et fortasse quidam ab ipso Apostolo in I ad Timoth., cap. II, id præceptum fuisse censuerunt, ubi nos jubet χεῖρας ὁσίους ἐπαίρειν, *manus puras ad cœlum tollere*, quasi et de externa manuum puritate ac ablutione, velut internæ puritatis indicio, Apostolus loqueretur. Idcirco Apostolicarum Constitutionum auctor, lib. VIII, cap. 32 : Πᾶς πιστὸς, inquit, ἢ πιστὴ ἀωθεν ἀναστάντες ἐξ ὕπνου, πρὸ τοῦ ἔργου ἐπιτελέσαι, νιψάμενοι προσευχέσθωσαν. *Omnis Christianus, vel Christiana mane e somno surgentes, antequam opus faciant, manibus lotis, Deum orent.* Verum hoc apertius patebit consideranti, posita antiquitus fuisse in templorum atriis labra, fontes, ac vasa, ut antequam ad orandum fideles accederent, manus abluerent. S. Paulinus in epistola ad Severum :

Sancta niteps famulis interluit atria lymphis
Cantharus, intrantumque manus lavat.....

Chrysostomus pluribus in locis, et præsertim in homil. C 57, tom. V, p. 390, ejusdem rei fidem his verbis facit.: Κρήνας εἶνκι ἐν ταῖς αὐλαῖς τῶν εὐκτηρίων οἶκων πεποίηνται, ἵνα οἱ μέλλοντες εὔχεσθαι τῷ Θεῷ πρότερον ἀπονιψάμενοι τὰς χεῖρας, οὕτως αὐτὰς εἰς εὐχὴν ἀνατείνωσιν. *Ut in atriis domuum, in quibus oratur, sint fontes, constitutum est, ut qui orare volunt, prius abluant manus, et tunc demum eas ad preces extendant.* Eumdem consule in homil. 82 et 108, tom. VI, et homil. 43, in I ad Corinth. Alibi tamen Chrysostomus ipse, videlicet in homil. 6, in I ad Timotheum, externum hunc ablutionis ritum, interna cordis puritate non accedente, irridet, eumque appellat γέλωτα καὶ λῆρον, παῤῥησίαν, καὶ παίδων ἀθύρματα, *risum, nugas, jocos et puerorum ludicra.* Ea quoque Tertulliani sententia est, illos redarguentis, qui manibus quidem ablutis, spiritu vero sordente, orationem obeunt. Cæterum apud quosdam Orientis populos, ac potissimum apud Mahumeti sectatores, nostris etiam temporibus hujusmodi consuetudo viget. Murat.

D (g) *Id cum scrupulose percunctarer.* Quare manus ante preces abluerent, nonnulli a Tertulliano interrogati, se id facere respondebant in commemorationem dominicæ deditionis, quod videlicet Pilatus, priusquam Christum dederet Judæis, manus lavit. Hanc rationem facile Tertullianus retundit ; *nos enim*, inquit, *Dominum adoramus, non dedimus.* Murat.

(h) *Et rationem requirerem.* Quare aliqui se lavent oraturi, comperi id eos facere in memoriam Domini a Juda proditi, ut factum illud execrentur et velut ab ipso se mundent. G. Pancirol.

(i) *Nisi quod.* Nisi aliquod inquinamentum conversionis humanæ lavemus caussa conscientiæ, postquam idolum tetigerimus. G. Pancirol.

(j) *Conscientiæ caussa.* Hunc esse puto Tertulliani sensum, manus ideo tantum lavamus ut animi puritatem demonstremus. Atque in eo superstitionem damnat, quæ externam tantum munditiam quærit. Le Pa.

Digitized by Google

CAPUT XIV (*a*).

Cæterum satis mundæ sunt mauus, quas cum toto corpore in Christo semel (*b*) lavimus. Omnibus licet membris lavet quotidie Israel, nunquam tamen mundus est. Certe manus ejus semper immundæ sanguine prophetarum, et ipsius Domini cruentatæ in æternum. Et ideo conscientia (*c*) patrum hæreditarii rei nec attollere eas ad Dominum audent (*d*), ne exclamet aliquis (*e*) Isaias, ne exhorreat Christus. Nos vero (*f*) non attollimus tantnm, sed etiam expandimus (1) e A dominica passione (*g*) modulatum (2), et orantes confitemur Christo.

CAPUT XV (*h*) (3).

Sed (*i*) quoniam unum aliquod attigimus vacuæ (*j*) observationis, non pigebit cætera quoque denotare, quibus merito vanitas exprobranda est; siquidem sine ullius aut dominici, aut apostolici præcepti auctoritate fiunt. Hujusmodi enim non religioni, sed superstitioni deputantur, affectata, et coacta, et curiosi potius, quam rationalis officii; certe vel eo coercenda, quod gentilibus (*k*) adæquent. Ut est (*l*) quorumdam, ex-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Et dominica pass... *Seml., Leop., qui scribendum opinatur* : Dominicam passionem modulantes.

(2) Modulantes *Seml. Leop. ex Pamel. editione.*

(3) Cap. XII *alias.*

COMMENTARIUS.

CAP. XIV. — (a) Tit. cod. Ambros : *Apostrophe.* (b) *In Christo semel lavimus.* Hoc est in baptismo, in quo manus *cum toto corpore* lavimus. Quibus verbis innuitur baptizandi ritus, quando nudi homines ter in aquam mergebantur. At in lib. de Baptismo hæc apertissime Tertullianus tradit, et post illum complures alii. MURAT.

(c) *Conscientia patrum*, etc. Hæredes reæ conscientiæ patrum suorum appellat Judæos, a quibus conclamatum est : *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros.* MURAT.—*Conscientia patrum hæreditarii rei.* Judæos ita circumscribit, quos reprehendit, quod manus non attollant in suis sacrificiis, quippe qui in terram proni orare plerumque soleant, saltem in hac sua execratione circa Christi passionem. PAM.

(d) *Nec attollere eas ad Dominum audent.* Irenæus, lib. IV : *Judæi jam non offerunt. Manus enim eorum sanguine plenæ sunt. Non enim receperunt Verbum, per quod offertur Deo.* RIG.

(e) *Ne exclamet aliquis Isaias.* Ne aliquis spiritu Isaiæ plenus cum illo exclamet, ac Deum ita loquentem inducat : *Cum extenderitis manus vestras*, etc. Atque hoc est emphatice dictum. MURATOR.—*Nec exclamet aliquis Isaias.* Abundat *aliquis*, ut sæpe alibi. Intelligit quod dicit Isaias, cap. I : *Cum extenderitis manus vestras, avertam faciem a vobis ; manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Lavamini, mundi estote, auferte nequitias ab animis vestris.* Et ideo dicit : *Ne exclamet Isaias.* Et hic monet, Hebræos immundas manus semper habere, quæ nulla aqua possunt mundari. G. PANCIROL.

(f) *Nos vero non attollimus*, etc. Quandoquidem Judæi immundas, et ipsius Domini sanguine cruentatas manus attollere nec audent, nec debent, nobis Christi filiis gaudendum est, qui non attollere tantum, sed eas expandere possumus a *dominica passione* eruditi; suas enim expandit in cruce mundi Servator. Quapropter ea verba *e dominica passione modulatum* aliam desiderare vocem mihi videntur, cujusmodi esset *capientes, habentes*, aut quid simile, ut sit sensus : Nos vero non attollimus tantum, sed etiam expandimus manus, *modulatum*, hoc est *mensuram*, e Domini cruce capientes, ubi nos ille docuit manus expandere. In lib. de Pallio lunæ *modulationes menstruas* Tertullianus dixit, ut mensuram lunaris motus significaret. MURAT.

(g) *E dominica passione modulantes.* Formantes, ut tenebat Dominus manus in cruce. Ita orabant passis brachiis et manibus. G. PANCIROL. — *Sed expandimus e dominica passione modulatum.* Pamelius edidit : *Nos vero non attollimus tantum, sed etiam expandimus et dominica passione modulantes, et orantes confitemur Christo.* Ferri quidem posset, *sed etiam expandimus, e dominica passione modulantes.* Verius tamen videtur ex libro Agobardi : *Sed etiam expandimus e dominica passione modulatum.* Utriusque autem scripturæ sensus satis erit obscurus et ambiguus, nisi ritus tunc usitati ratio explicetur. Illud vero in primis notandum est, eos errare graviter, qui *modulantes* hic accipiunt quasi *canentes* aut *psallentes.* Nam cum de privata oratione sit sermo, quam sono vocis summisso atque subjecto fieri debere ait Tertullianus, nihil opus fuit modulis musicis. Nos modulatum interpretamur imaginem, figuram scilicet, seu gestum orantis. Expandimus igitur e dominica passione modulatum, hoc est, orantes non tantum attollimus manus, sed etiam expandimus modum, sed modulum, vel, ut ait Tertullianus, modulatum, quem exhibuit Dominus noster Jesus Christus expansis in cruce manibus. Qui ritus etiam hodie servatur apud nos in recitanda publicis precibus oratione dominica. Sic orantes confitemur Christo, quia nos inter orandum ipso gestu profitemur christianos, corpore nostro ad figuram Christi crucifixi conformato. Ipse Tertullianus, lib. I ad Nationes : *Si statueris hominem manibus expansis, imaginem crucis feceris.* Maximus Taurinensis, homil. II de cruce Domini : *Ipsius etiam incessus hominis, cum manus levaverit, crucem pingit.* Atque ideo elevatis manibus orare præcipimur, ut ipso quoque membrorum gestu passionem Domini fateamur. Quod Maximus dicit, *Ipso membrorum gestu ;* Tertullianus dixisset, *ipso corporis modulatu.* Sic lib. de Anima, cap. 32, ubi de animarum in alia corpora translatione, *Nec modulis corporum adæquantur*, inquit, id est, mensuræ, amplitudini, capacitati non conveniunt. Eoque sensu antiquiores Latini dixerant, *Modum agri*, et *Metiri se suo modulo ac pede.* RIGALT.

CAP. XV. — (h) Tit. cod. Ambros. : *De expositis penulis.*

(i) *Sed quoniam*, etc. Quia attigimus unum, quod est vanum de lavandis manibus, alia etiam dicemus non minus vana, ut est deponere penulas caussa orandi, de quo subjicit. G. PANCIR.

(j) *Vacuæ observationis.* Inanem scilicet ac superfluam appellat manuum ante preces ablutionem, nisi prius et animus a criminum sordibus purgetur. Pergit autem vanitatis arguere illorum quoque consuetudinem, qui depositis gravioribus vestibus ad orationem accedebant. MURAT.

(k) *Gentilibus adæquent.* Pro adæquentur, et sint, prout observant ipsi. G. PANCIROL.

(l) *Ut est quorumdam, expositis penulis*, etc. Penula vestium genus fuit, quas pluvioso frigidoque cœlo veteres induebant. Has antequam precibus operam darent, quidam e Christianis deponendas arbitrabantur. Quod vero Tertullianus, id consuevisse fieri a nationibus, hoc est ab ethnicis idola adeuntibus, Æschyli græcus interpres confirmare videtur. Nescio quid etiam de mutationibus vestium in gentilium sacris ipse Tertullianus habet in lib. de Pallio, cap. 4. MURAT.

Digitized by Google

positis (1) penulis (2) orationem facere; sic enim adeunt ad idola nationes. Quod utique si fieri oporteret, Apostoli, qui de habitu orandi docent, comprehendissent; nisi si qui putant, Paulum (*a*) penulam suam in oratione penes Carpum reliquisse. Deus (*b*) scilicet non audiat penulatos, qui tres sanctos in fornace babylonii regis orantes cum (*c*) sarabaris et tyaris suis exaudivit?

CAPUT XVI (*d*).

Item quod (*e*), assignata oratione, assidendi (*f*) mos est quibusdam, non perspicio rationem nisi si (*g*) Hermas ille, cujus scriptura (*h*) fere *Pastor* inscribitur, transacta oratione non lectum assedisset, verum aliud quid fecisset, id quoque ad observationem vindicaremus. Utique (*j*) non. Simpliciter enim et nunc (*i*) positum est: *Cum* (*k*) *adorassem, et assedissem super lectum*, ad ordinem narrationis, non ad instar disciplinæ. Alioquin nusquam erit adorandum, nisi ubi fuerit lectus. Imo contra Scripturam fecerit, si quis in cathedra aut (*l*) subsellio sederit. Porro cum per-

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Ita Rigalt. Paris. Venet.* Positis *Semler. Leop.*

(2) Pœnulis *alias, except. Seml.*

COMMENTARIUS.

Ut est quorumdam positis penulis, etc. Ita orabant gentiles. Penula vero vestis erat, qua pluviæ vel itineris gratia utebantur. Lampridius in Alexandro: *Penulis*, inquit, intra urbem frigoris caussa ut senes uterentur permisit, cum id vestimenti genus semper itinerarium aut pluviæ fuisset. Juvenalis, sat. V:

Et multo stillaret penula nimbo.

Cicero, in Orat. pro Mil.: *Cum alter*, inquit, *veheretur rheda penulatus*. Penulam pro lacerna veteres posuisse videntur. G. Pancir.

(a) *Paulum penulam suam.* Mandat enim Timotheo ut penulam ad se deferat, II ad Timoth., cap. IV. Panc. — *Paulum penulam suam.* Hæc sunt Pauli verba: *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum.* Ironice itaque Tertullianus ait: nisi hoc faciendum est ad exemplum Pauli, qui penulam Troade penes Carpum reliquerat orationi vacaturus. Vide Octavium Ferrarium, de Re vest. part. II, lib. II, ubi de *Penulis* multa. Murat.

(b) *Deus scilicet.* Ironice loquitur. G. Pancir.

(c) *Cum sarabaris.* De sarabaris et tyaris dictum est in lib. de Resurrect. carn., cap. 58, num. 601. Panc.— *Cum sarabaris.* Tres pueri in fornacem *cum braccis suis, et tyaris, et calceamentis, et vestibus* conjecti fuere. Septuaginta Interpretes pro femoralibus, seu *braccis* habent σὺν τοῖς σαραβάροις, *cum sarabaris.* Quare non aliud hoc vocabulo significari vides, quam quædam crurium aut femorum integumenta. In libro etiam de Trinitate (si quidem Tertulliani sit) et de Pallio hanc vocem usurpatam invenias. Murat.

CAP. XVI. — (d) Tit. cod. Ambros.: *De assidendo post orationem.*

(e) *Item quod assignata oratione.* Perfecta, ut infra dicit, ac transacta. Damnat eos qui sedere post orationem consueverunt. Non video, inquit, hujus instituti rationem, nisi forte trahunt hoc ex libro *Pastoris* condito ab Herma, quem alibi, de Pudicit., cap. 10, apocryphum esse vidimus, in quo narrat se post orationem lecto assedisse. Sed ibi narrat rem gestam, non præcipit, ut id nos agamus. Quid ergo, inquit, si aliud fecisset, hunc imitaremur? nequaquam. G. Pancir.— *Assignata oratione.* Absolutam, et peractam orationem significat, metaphora deducta e signis, et sigillis, quæ tum epistolis, tum testamentis aliisque tabulis jam confectis apponi solebant. Murat.

(f) *Assidendi mos est.* Christiani aut stantes, aut in genua procumbentes Deum adorabant, precesque fundebant. Trita est observatio. Verum nonnullis eorum per orationem sedendum esse videbatur, non quod defatigati sedibus indigerent, sed superstitiosis fortasse rationibus ducti. Eorum consuetudinem Tertullianus redarguit. Murat.

(g) *Nisi si Hermas.* Hic est Hermes quem Paulus jubet salutari ad Rom. cap. ult. Dicitur composuisse librum qui *Pastor* inscribitur, de quo Nicephorus ita loquitur, lib. II Hist. eccles., cap. ult.: *Accipimus inter ambiguæ quoque auctoritatis scripta esse Actorum Pauli librum, et eum, qui Pastoris titulum habet, quem Hermæ quidam adscribunt ei, cui in Epist. ad Rom. Paulus salutem nuntiari jubet. Nonnullis autem is admodum necessarius esse videtur, eis præcipue qui prima pietatis discunt rudimenta, multum afferens maturi fructus et utilitatis. Non pauci quidem apud antiquos eo sunt usi.* Eumdem Eusebius Cæsariensis commendat Hist. eccles., lib. III, cap. 3 et cap. 25., et lib. V, cap. 8. Tertullianus vero in lib. de Pudicitia hunc librum impurum vocat, et ab Ecclesia etiam damnatum scribit. Cum vero hic illud opus non damnet, catholicus fuisse credendus est, cum hæc scripsit. G. Pancirol. — *Nisi si Hermas.* Hermæ antiquissimi scriptoris librum, cui titulus est *Pastor*, latine tantum habemus. Quanto in pretio fuerit, eruditis omnibus compertum est, ita ut quidam inter canonicas Scripturas ipsum referrent, alii vero illum vel inter apocrypha et contemnenda rejicerent, modum excedentes utrinque; non enim librum hunc veluti canonicum suspicere fas est, sed certe tanquam fidei catholicæ utilissimum, plurimique faciendum judicare debemus. Quod autem ad hunc locum pertinet, recte ex hujusmodi verbis conjicimus, librum de Oratione a Tertulliano catholico adhuc fuisse conscriptum. Nam cum sibi *Pastoris* auctoritatem objiciat, non damnando repellit, sed explicando sibi conciliat. Quin addit, si Hermas revera post orationem ex quadam religione consedisset, id *ad observationem vindicari*, scilicet ad ejus imitationem, fieri merito potuisse. Accedit quod infra *Scripturam* nominans, Hermæ librum canonicis Scripturis conjungere videtur. Contra ipsemet scriptor in Montani castra, hæresimque delapsus, Pastoris fidem, atque auctoritatem totis, ut aiunt, nervis elevare, et infringere conatur, ut ex ejus libro de Pudicitia, cap. 10 et cap. 20, constat, quem certe postremum librum in hæreticorum officina procudit. Murat.

(h) *Scriptura fere.* Subaudiendum *ab omnibus*, aut addendum. G. Pancirol.

(i) *Utique non.* Scilicet: illud non vindicaremus ad orandi observantiam; ergo neque morem in lecto sedendi. G. Pancirol.

(j) *Et nunc positum.* Lego: est hoc positum. Scilicet quod sederit in lecto, est simpliciter positum, nec ut traderetur hæc observatio, sed ut res prout gesta est exponeretur. G. Pancirol.

(k) *Cum adorassem.* Sunt ipsa *Pastoris* verba in proœmio lib. II, quæ in editis ita se habent: *Cum orassem domi, et consedissem supra lectum, intravit vir quidam*, etc. Hæc igitur, ut Tertullianus inquit, non refert Hermas, ut sedendum post orationem nos doceat, sed ut historiæ suæ narrationem persequatur. Et quid si, addit, *in cathedra, aut subsellio* post preces peractas quis sedeat, num in scripturam, hoc est contra Hermæ præceptum peccabit, qui in lectulo, et non in subsellio, sive in cathedra sedit? Murat.

(l) *Aut subsellio sederit.* Deridet eos qui ex *Pastoris*

Digitized by Google

inde faciant nationes (a), adoratis sigillaribus (b) suis residendo, vel (c) propterea in nobis reprehendi meretur, quod apud idola (d) celebratur. Eo apponitur et irreverentiæ crimen, etiam ipsis nationibus, si quid saperent, intelligendum. Siquidem irreverens est assidere sub conspectu, contraque conspectum ejus, quem quam maxime revereris, ac venereris; quanto magis sub conspectu Dei vivi, angelo adhuc (e) orationis astante, factum istud irreligiosissimum est, nisi exprobramus Deo, quod nos oratio fatigaverit.

CAPUT XVII (f) (1).

Atqui cum modestia et humilitate adorantes, magis commendabimus Deo preces nostras, ne ipsis (g) quidem manibus sublimius elatis (2), sed temperate

LECTIONES VARIANTES.

(1) Cap. XIII *alias.*

(2) Elatis *delendum censet Jun.*

COMMENTARIUS.

libro post orationem argumentum sedendi sumunt, quod cum ipse in lecto sederit, in scamno non sit sedendum; nam id esset contra illam scripturam, ubi ipse in lecto sedit, non in cathedra. G. Pancirol.

(a) *Cum perinde faciant nationes.* Similiter faciant ethnici, qui sedent adoratis sigillaribus suis. Ita enim appellabant sua idola, et signa, ut alias dictum est, lib. de Anima, cap. 7, num. 114, et advers. Valentin., cap. 12 et cap. 18, et est apud Macrobium, lib. I, Saturnal. G. Pancirol.

(b) *Sigillaribus suis.* Sigillaria, seu sigilla, erant signa parva, seu icunculæ, et imagunculæ, ac simulacra deorum modo palmaria, modo cubitalia, ita membris artificiose compacta, ut nervis tracta, vel fidibus mota vivere, obambulare, et reliquos humani corporis motus exercere, atque imitari possent. Nostro quoque ævo similia habemus, quibus Romæ nomen est *poppacci*, et in Gallia *marionettes*, iisque comœdias interdum actas vidimus. Νευρόσπαστα Græci appellabant. Ad hujusmodi simulacra alludens Horatius aiebat:

> Tu mihi qui imperitas, aliis servis miser, atque
> Duceris, ut nervis alienis mobile lignum.

Præter Aristotelem, qui in lib. de Mundo sigillaria eleganter descripsit, ut apud Apuleium illius interpretem videre est, de iis quoque mentionem fecerant Herodotus, in Euterpe, Xenophon, in Symposio, Lucianus, de Dea Syra, Gellius, lib. XIV, cap. 1, et M. Antonius imperator, in lib. VIII de seipso; atque hic potissimum *sigillaria* expresse appellat. *Sigillarium* autem in ethnicorum sacris multus erat usus, nimirum deos insana eorum superstitio sub hisce icunculis plerumque ligneis exhibebat, movebat, rudem plebeculam ad venerationem simul concitans, atque adorationem. Hinc Arnobius, lib. VI, contra Gentes, hujusmodi morem irridens aiebat: *Et abstinetis a risu cum pro diis immortalibus, sigilliolis hominum, formis supplicatis humanis? Quinimo deos esse sigillaria ipsa censetis, nec præter hæc quidquam vim creditis habere divinam.* Infra vero addit: *Sæpenumero videmus ab artificibus hæc signa* (hoc est deorum simulacra) *modo parvula fieri, et palmarem in minutiem contrahi; modo in immensum tolli, et admirabilem in amplitudinem sublevari. Ratione hac ergo sequitur, ut intelligere debeamus in sigilliolis parvulis contrahere se deos, et alieni ad corporis similitudinem coarctari*, etc. Tertullianus igitur ut falsa numina, eorumque signa decenti nomine insigniat, *sigillaria* vocat, quod vera carerent anima, atque aliena tantum ope moverentur. Ab eodem auctore, in lib. advers. Valentin., cap. 18, *sigillarius ductus* nominatur his verbis: *A qua occulto nihil sentiens, et velut sigillario extrinsecus ductu, in omnem operationem movebatur.* In libro etiam de Anima, cap. 6, *sigillarius motus* simili ratione appellatur, qui fit externa vi, et operatione impellente. Murat.

(c) *Vel propterea.* Ob id solum a nobis est reprehendendus mos sedendi, quia apud idololatras id celebratur seu frequentatur. His accedit, quod sedere est irreverentiæ crimen, etiam apud Christianos, si saperent. G. Pancirol.

(d) *Apud idola celebratur.* Non e Tertulliano tantum, sed et e Pindaro ac Plutarcho discimus, gentiles consuevisse assidere, postquam stantes orassent. Pindarus enim, ode 6, isthm., descriptis precibus, quas Hercules ad deos miserat, hæc subdit:

> Ὡς ἄρα εἰπὼν, αὐτίκα
> ἕζετο. . . . .

Sic locutus, statim consedit. Plutarchus vero legem hanc a Numa promulgatam narrat: *Ut sedeatur, postquam adoratum fuerit.* Hæc ille in ipsius Numæ Vita; quorum etiam triplicem explicationem profert. In Quæstionibus vero Romanis tradit, suo quoque tempore usitatum, ut qui precati essent ac adorassent, in templis perstarent ac sederent. Quamobrem Tertullianus hac itidem ratione Christianos post orationem sedere solitos objurgat, quod gentilium consuetudinem imitari viderentur. Murat.

(e) *Angelo adhuc orationis.* Sentit, nobis angelum orationis adesse, cujus ratio est habenda. G. Pancirol. — *Angelo adhuc orationis adstante.* August. ad Probam, epist. 121, orationes nostras innotescere ait angelis qui sunt apud Deum, ut quodammodo eas offerant Deo, et de his consulant, et quod eo jubente implendum esse cognoverint, hoc nobis vel evidenter vel latenter apportent. Dixit enim, inquit, angelus homini: Et nunc quando orabas tu et Sara, ego obtuli orationem vestram in conspectu caritatis Dei. Rig.

CAP. XVII. — (f) Tit. Cod. Ambros.: *De manibus elatis et de vultu.*

(g) *Ne ipsis quidem manibus elatis.* Attollere manus ad cœlum, et ad Deum, cum preces funduntur, vetustissimus fuit mos non a Judæis tantum, sed et ab ethnicis usurpatus. Furius Camillus, apud Livium, lib. V, cap. 21: *Dicitur, manus ad cœlum tollens precatus esse.* Marius etiam apud Plutarchum diis vota faciens, νιψάμενος τὰς χεῖρας, καὶ πρὸς τὸν οὐρανὸν ἀναβλέψας, *lotis manibus, ac in cœlum sublatis.* Mitto alios testes, ac præsertim latinorum poetarum principem, lib. II et XII Æneid., Aristotele contentus, qui in lib. de Mundo, πάντες, inquit, οἱ ἄνθρωποι ἀναπετόμεθα τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν, εὐχὰς ποιούμενοι. *Omnes homines ad cœlum manus tollimus, preces facturi.* Porro antiquissimus iste ritus a Judæis potius in gentiles, quam a gentilibus ad Judæos transiisse videtur; siquidem, ut habetur Exodi cap. XVII, v. 11, Moyses ipse sublatis in cœlum manibus orabat: *Cumque levaret Moyses manus, vincebat Israel; sin autem paululum remisisset, superabat Amalec.* Legimus etiam in psal. CXXXIII, *Extollite manus vestras in sancta*, etc. Idem colligas e psal. CXL, et ex Lament. Jerem, cap. III, n. 41. Cæterum Christianos manibus in cœlum sublatis orare consuevisse, imo debuisse, Apostolo præcipiente, seu monente in cap. II Ep. I ad Timoth., patet. Inquit enim: *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus.* Clemens Alex., lib. VII, Strom., istius moris fidem facit, scribens: *Dum oramus, manus in cœlum tollimus:* τὰς χεῖρας εἰς οὐρανὸν αἴρομεν. Ab aliis referendis abstineo, cum et ævo nostro in ecclesiastica liturgia, et in sacris faciendis christiani sacerdotes manus attollant Deum precaturi. Non quidem *sublimius* attollunt, sed *temperate, ac probe*, ut hoc in loco Tertullianus exigit, videlicet supra hu-

Digitized by Google

ac probe (*a*) elatis, ne vultu quidem in audaciam erecto. Nam ille publicanus, qui non tantum prece, sed et vultu humiliatus atque dejectus orabat, justificatior pharisæo procacissimo discessit. Sonos (*b*) etiam vocis subjectos esse oportet. Aut quantis arteriis opus est, si pro sono audiamur? Deus autem (*c*) non vocis, sed cordis auditor est, sicut conspector. Dæmonium (*d*) oraculi Pythii : *Et mutum*, inquit, *intelligo, et non loquentem exaudio.* Dei aures sonum exspectant? Quomodo ergo oratio Jonæ de ventre ceti per tantæ bestiæ viscera, ab ipsis abyssis per tantam æquoris molem ad cœlum potuit evadere? Quid amplius referent isti, qui clarius (*e*) adorant, nisi quod proximis obstrepunt? Imo prodendo petitiones suas, quid minus faciunt, quam si in publico (*f*) orent?

CAPUT XVIII (*g*) (1).

Alia jam consuetudo invaluit (*h*), jejunantes habita oratione cum fratribus, subtrahunt (*i*) osculum pace, non consignarent osculo pacis; quod orationis signaculum esse ait ut supra, hoc libro, assignatam orationem dixit, transactam confectamque. Pravæ consuetudinis caussam non inquirit, nec aliam vulgo afferri video, nisi quod in osculo hilaritatis aliquid esse dicerent alienum ab jejunii mœstitia luctuque. Profani suggerebant aliam, scilicet oris jejuni, graveolentiam, unde Martialis, epigrammate 4, lib. IV, Bassam redolere dicit,

> Quod jejunia sabbatariorum,
> Mœstorum quod anhelitus reorum.

Sed hanc stomachi sane delicatioris mollitiem in robustis illis temporum prope apostolicorum pectoribus fuisse, haud vero simile videatur : cum et martyrum in carcere squalorem, et in agone fluentia tabo vulnera, amplexari ac deosculari ipsæ etiam mulierculæ non exhorrescerent. Quid enim? cum et inter profanos basia captatorum tam obvia, tam importuna fuisse, idem poeta significet, libro IX, epigrammate 99 :

> Effugere non est, Basse, basiatores,
> Non ulcus acre, pustulæve lucentes,
> Non triste mentum, sordidique lichenes,
> Non labra pingui delibuta cerato,
> Nec congelati gutta proderit nasi.

Omissa igitur caussa superstitionis illius adeo morosæ, ut jejunantes osculandi officio defungi sibi nefas esse ducerent; Tertullianus consuetudinem vituperat, hac præsertim ratione, quod tunc potissimum pax conferenda sit cum fratribus, cum oratio commendabilior ascendit. Omnino sic legendum esse res ipsa indicat, non, ut edidit Pamelius, *cum oratione commendabilior ascendit.* Etenim quæstio non erat, an conferenda esset pax cum fratribus habita oratione; sed, an conferenda esset ab eo qui jejunii sibi privatim indicti sumptive diebus in ecclesia cum fratribus oraverat. Et tunc potissimum conferendam esse docet Tertullianus, cum oratio commendabilior ascendit, nimirum vehiculo jejunii sublevata : Νηστεία προσευχὴν εἰς οὐρανὸν ἀναπέμπει, οἰονεὶ πτερὸν αὐτῇ γινομένη πρὸς τὸν ὄνω πορείαν, inquit Basilius, homil. de Jejunio, et ipse Tertullianus, libro de Jejuniis, ait per jejunium pinguiorem orationem Deo immolari. Itaque Christiano inter publicas orationes privatis jejuniis operanti, pacis cum fratribus quibuscum orationem celebravit conferendæ osculum eo libentius tunc temporis usurpandum, cum suam orationem sperat Deo gratiorem et commendabiliorem fore ut communionis christianæ beneficio de jejunantis operatione fratres etiam non jejunantes participent. RIGALT.

(i) *Subtrahunt osculum pacis.* Nihil apud eruditos magis vulgatum, quam quod in publicis precibus, et sacris faciendis, quin imo et in viis, et *in* ædibus privatis Christiani se osculo pacis consalutare, atque ad concordiam ac pacem invitare solerent. Ideoque

LECTIONES VARIANTES.

(1) Cap. XIV *alias.*

COMMENTARIUS.

meros non erigendo. Quem sacerdotum ritum elevationemne manuum, an extensionem appellem, nescio. Id quidem constat, antiquitus inter Christianos promiscuum fuisse, ut manus in precando aut attollerentur, aut id figuram crucis expanderentur. MURAT.

(a) *Ac probe elatis.* Id est : paululum elatis, vel pansis. G. PANCIROL.

(b) *Sonos etiam vocis.* Id est : oportet vociferari, si vocem Deus inspiceret. Non legendum est interrogative ; hoc enim vult : si pro sono vocis Deus exaudiret, esset clamandum; sed non vocem, verum cor inspicit. PANCIR.— *Sonos etiam vocis subjectos esse oportet.* Hoc est submissos, et compressos, ne proximum quemque turbent; non enim voce est opus, ut a Deo audiamur. In hac sententia fuerunt et alii Patres, quippe *clamorem*, quem ad Deum SS. prophetæ mittebant, non oris, sed mentis clamorem, seu *animæ alacritatem ac studium*, τῆς ψυχῆς προθυμίαν, ut cum Theodoreto loquar, intelligebant. Videndi Basilius M., in psal. XXXIII, v. 16; Clemens Alex., Strom. lib. VII; Chrysostomus, hom. 12, tom. V; S. Augustinus, et alii; ac in primis Cyprianus, qui, ut in aliis, hic etiam Tertullianum describere videtur, cap. 2, de Orat. Quod restat, hæc de illis intelligenda sunt, qui privata voce pro suo arbitrio in templis orant. Horum preces ac orationes ne nunc quidem toleramus, si alta voce proferantur, cæteris demissa precantibus. At vocem attollere cum reliquis et fas et pium est, quando concorditer in templo sacræ peraguntur preces, et una est multorum oratio. MURAT.

(c) *Deus autem non vocis.* Hæc ad verbum transtulit D. Cyprianus. G. PANCIROL.

(d) *Dæmonium oraculi.* Dæmon mutos audit; ergo magis Deus. PANCIR. — *Dæmonium oraculi Pythii.* Hujusmodi responsum a dæmone Pythio datum Crœsi legatis, auctor est Herodotus, lib. I Hist. MURAT.

(e) *Qui clarius adorant.* Pro clarius *orant*, scilicet qui clara, atque altiori voce Deum precantur. Alibi verbum *adorare* pro simplici *orare* Tertullianus usurpavit, idque etiam in superioribus fecit, non sine meliorum exemplo. Neque sane est, cur Adrianus Valesius quemdam Virgilii versum immutet, ubi verbum *adorare* eodem sensu occurrit. MURAT.

(f) *Quam si in publico orent?* Videntur vociferantes in publico orare, quod est contra illud Matthæi, cap. VI. G. PANCIROL.

CAP. XVIII.— (g) Tit. Cod. Ambros.: *De Osculo.*

(h) *Alia jam consuetudo.* Aliqui cum jejunant, aut tempore quadragesimæ, peracta oratione nolunt fratres osculari, quos Tertullianus reprehendit. G. PANCIROL. — *Alia jam consuetudo invaluit.* Quæ sequuntur emendavimus, partim conjectura, partim auctoritate codicis Agobardi. Damnat Tertullianus consuetudinem, quæ jam tum inter Christianos invaluerat, ut plerique quibus diebus privato sese afficiebant jejunio, orationem cum fratribus habitam non clauderent

Digitized by Google

pacis, quod est signaculum(a)orationis. Quando autem magis conferendo cum fratribus pax est, nisi cum oratio commendabilior ascendit, ut ipsi de nostra operatione participes, jam audeant de sua pace (b) fratri transigere? Quæ oratio cum divortio sancti osculi integra (c)? quem Domino officium facientem impedit pax? quale sacrificium est, a quo sine pace receditur (d)? Quæcumque (e) operatio (1) sit, non erit potior præcepti observatione, quo jubemur jejunia nostra celare. Jam enim de abstinentia osculi agnoscimur jejunantes. Sed et si qua (f) ratio est, ne tamen huic præcepto reus sis (2), potes domi, si forte (3), inter quos latere jejunium in totum non datur, differre pacem. Ubicumque autem alibi operationem (4) tuam abscondere potes, debes meminisse (g) præcepti : ita et disciplinæ foris, et consuetudini domi satisfacies. Sic et die Paschæ, quo communis et quasi publica jejunii religio est (h), me-

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Ita Rig.* oratio *cod. Agob.*, ratio *Seml. Leop.*
(2) Præceptor tu sis *Seml.*
(3) Si *abest a Seml. et Leop.*
(4) Orationem *conj. Seml.*

COMMENTARIUS.

signaculum orationis appellatur a Tertulliano, quod Christianorum preces, et omnia fere ecclesiastici ritus sacramenta, hujusmodi pacis signo, veluti sigilla quodam fraternitatis concluderentur. At invaluerat apud nonnullos consuetudo, ac opinio, tum osculum fratribus post orationem subtrahendum, cum ipsi jejunium aliquod sua sponte ac privata religione observabant. Pluribus argumentis morem ac sententiam illorum improbat Tertullianus, ostendens orationem sine osculo integram non esse : quin tunc magis decere pacem orationi conjungere, cum oratio per jejunium *commendabilior* ad Deum *ascendit*. Addit etiam, id a præcepto Domini abhorrere, quo jubemur jejunia nostra celare; neque vero ii celabant, quos idcirco abstinere ab osculo apparebat, quod jejunarent. MURAT.

(a) *Quod est signaculum orationis.* Id est confirmatio. G. PANCIROL.

(b) *De sua pace fratri transigere?* Optent de sua pace fratri transigere, id est, cum fratre communicare? G. PANCIROL. — *De sua pace fratri transigere?* Hoc est : ut fratres cum fratribus jejunantibus convenire, certique fieri de mutua concordia ac pace possint. Osculum enim pacis, ut cum legum peritis loquar, tanquam transactio et conventio erat, qua ab omnibus simultatibus atque odiis se recessisse fratres testabantur. MURAT.—*Ut ipsi de nostra operatione participes, jam audeant de sua pace fratri transigere.* Lectionem istam et Ursini libro restituimus, cum in vulgata sensus non esset satis commodus. Et repetenda sunt ea de superioribus : Christianæ caritatis beneficio fieri, ut de jejunantis operatione fratres etiam non jejunantes participent, eoque beneficio affecti, jam audeant transigere cum jejunante, ita ut pro communicato jejunii merito pacis suæ christianæ gratiam mutua pensatione communicent. In Agob. codice legitur : *Ut ipsi de nostra operatione participent quam auderent de sua pace fratri transigendus*, nullo sensu. RIGALT.

(c) *Quæ oratio cum divortio sancti osculi integra?* Quasi diceret : Quam aliena ab homine christiano arrogantia nostram operationem, hoc est, jejunium, nobis habemus, et fratres suam sibi pacem habere jubemus? quod proxime ad divortii formulam accedit, Res tuas tibi habeto. Ideoque subnectit : *Quæ oratio cum divortio sancti osculi integra? Quem Domino officium facientem impedit pax.* Officium vocat, quod supra operationem et jejunium. Pacem vero dicit osculum pacis. RIGALT.

(d) *Quale sacrificium est a quo sine pace receditur?* Sacrificium hic intelligo orationem cum participatione corporis Christi : cujus clausula et signaculum fuit osculum pacis, osculum sanctum. Sequitur in vulgatis editionibus, *Quæcumque ratio sit.* Quod ferri posse non videtur, cum paulo post Auctor παρομολογίαν inferat, *Sed et si qua ratio est.* In vetustissimo codice legitur, *Quæcumque oratio sit, non erit potior præcepti observatione*, menda apertissima. Unde appareat Tertullianum scripsisse : *Quæcumque operatio sit, non erit potior observatione præcepti*; hoc sensu : quamlibet severa aut perfecta sit jejunii, vel cujuscumque operationis, quam ipsi nobis imperaverimus, austeritas, non erit commendabilior observatione præcepti dominici, quo jubemur jejunia nostra celare. Nempe qui ob jejunia privata osculo pacis post celebratam cum fratribus orationem abstinebant, ipsa osculi abdicatione prædicabant se jejunare. Hactenus igitur Tertullianus osculi abstinentiam superstitiosam jejunantibus esse ostendit : primum, quod nulla sit abstinendi ratio; deinde, quod osculi refutatione jejunia sua prædicent, quæ celari Deus voluit. Adjicit : *Sed et si qua ratio est, ne tamen huic præcepto reus sis*, nimirum præcepto celandi jejunii, *potes domi, si forte, inter quos latere jejunium in totum non datur, differre pacem.* Tanta fuit Patribus caritatis cura, ut plerosque ritus ratione non bona receptos tolerarent potius quam rigida censura vel minimam scissuræ occasionem præberent; hæc erat illo ævo Christianorum συγκατάβασις. Itaque fingit Tertullianus ritum, quem supra tollendum esse docuit, posse aliqua ratione defendi : simul et modum præscribit ritus servandi, salvo Domini præcepto, nempe ut jejunantibus liceat, habita cum domesticis et familiaribus oratione, osculo pacis abstinere. Sic enim quamvis ob jejunii religionem osculo abstineant, fore ut jejunium tamen minime prodant, cujus conscios habeant nullos, nisi quos domestica latere non possunt. Excusationis istius colorem confirmat exemplo jejunii, quod die Paschæ, sic passionis dominicæ diem nuncupat, communis et publica religio sanxit. Nam quotannis, recurrente die quo Sponsus ablatus est, Ecclesiæ placuerat, viduitatis ac desolationis significatione, osculandi consuetudinem intermitti, absque ulla tamen occultandi jejunii cura; cum inaffectate quisquis id proderet, quod una cum omnibus faciendum haberet. RIGALT.

(e) *Quæcumque ratio sit.* Quacumque ratione movearis ad subtrahendum fratri osculum, alia potior aut melior ratio suadet ut osculeris, quia hoc modo manifestas te, non osculando, jejunare : et jejunia jubet Deus celari, Matthæi cap. 6. G. PANCIROL.

(f) *Sed et si qua ratio est.* Quæcumque sit ratio, ut jejunantes non osculentur, hujus ritus tu non sis præceptor, nec inventor; sed id observa domi, ubi domestici sciunt te jejunare, et inter eos differas pacem in aliud tempus; sed foris omnes osculeris, ne te eo modo jejunare intelligant. G. PANCIROL.

(g) *Debes meminisse præcepti.* Quo jubemur celare jejunium. G. PANCIROL.

(h) *Sic et die Paschæ.* Tempore Paschæ; intelligo enim tempus, quod præcedit Pascha, quo omnes jejunant : merito enim tunc osculamur, quia non curamus, quod depositione osculi prodatur jejunium, cum illud omnes observent. Et hoc est quod dicit. PANC.— *Sic et die Paschæ.* Pascha hic pro die passionis, seu postremo die veneris in quadragesima, quem sacrum *in parasceve* appellamus, accipiendum esse, jejunii publici tunc servati mentio satis ostendit. Ip-

Digitized by Google

rito deponimus osculum (a), nihil curantes de occul- A

COMMENTARIUS.

semet Auctor, cap. 10, contra Judæos : *Pascha*, inquit, *passio Domini est;* eoque sensu aliis locis hanc adhibet vocem. Itaque feria sexta in parasceve ab osculo pacis Christiani abstinebant ævo Tertulliani, quod et nostris temporibus in ecclesiastica liturgia servatur. Idem testantur antiqui Rituales, et rationem hujusmodi consuetudinis præter alios scriptores affert Berno, cap. 7, de rebus ad missam spectantibus. *In parasceve*, ait, *ab osculo abstinemus propter Judæ traditoris exemplum, qui per simulatæ pacis osculum tradidit Dominum Jesum Christum.* MURAT. — *Sic et die Paschæ quo communis, et quasi publica jejunii religio est.* Hoc ipso argumento probari videtur, ævo Tertulliani, in Africa, integrum, sive solidum jejunium, commune ac publicum non fuisse, nisi dominicæ passionis die, eoque die ac jejunio, omissas fuisse sacrificiorum orationes, omissa pacis B oscula : sed usitatissima certis per reliquum annum diebus spontanea seu privata et propria cuique pro sua religione jejunia ; solida quidem et in vesperam usque producta, quibus tamen ad sacrificiorum orationes et pacis oscula convenirent. Præterea statos fuisse dies, quibus ad martyrum sepulcra conventus indicerentur, atque ibi statim ab exortu solis, orationibus, hortamentis, sacrarum lectionum interpretationibus vacantes et jejuni, sed non ultra nonam, perstarent ; hora nona, post Eucharistiam et oscula, conventus et jejunia solverent. Hæ tunc temporis stationes, hæc castrorum disciplina christianorum. Interea vero minime prohibebantur, nec ipsis quidem stationum diebus, privata et spontanea de quibus dixi jejunia, etsi privata illa solida essent atque in vesperam continua : stationaria vero tantum in horam usque nonam sustinerentur, ac præ illis essent quasi semi-jejunia. Sed privatim operantium nonnulli operationem sive jejunium ante vesperam solvere C religioni ducebant ; ideoque ad Eucharistiam, quæ hora nona distribuebatur, non accedebant. Hunc scrupulum Tertullianus ferri posse ait eadem illa συγκαταβάσει, ut jejunium privatum integrumque jejunantes, intersint nihilominus stationum semi-jejuniis, acceptoque hora nona corpore Domini, de statione quidem una cum cæteris decedant, sed buccellam sacram in vesperam usque, jejunii proprii terminum, reservent. Sic utrumque salvum fore, et participationem sacrificii, et executionem officii. At parum cavere videtur periculo, quod summopere vitandum monuit, ne videlicet huic præcepto rei fiant, quo jubemur jejunia nostra celare ; jam enim accepto corpore Domini, et reservato, agnoscuntur jejunantes : nisi dicamus tam promiscui moris fuisse, acceptas Eucharistiæ partes in ecclesiis manducare, aut reservatas domum deferre privatim sumendas, ut etiam jejuniis tantum stationariis operati, prout visum sibi esset, vel comederent, vel reservarent. Sane tutius D fecerit, qui propositum illud Tertulliani rigide constitnet, devotum Deo obsequium, quale est jejunium Eucharistia non resolvi. Etenim, ut sanctissimi Patres nicæni profitentur, non multum accipimus panis aut vini, sed paululum ; ut intelligamus nos id accipere sanctificationi, non satietati ; οὐκ εἰς πλησμονὴν, ἀλλ' εἰς ἁγιασμόν. Porro extrema illa de stationibus christianis ad exemplum militare obeundis, inconsiderate admodum citantur apud Isidorum, Orig. VI, neque aptius aut prudentius apud Rabanum. RIG.

(a) *Merito deponimus osculum.* Albaspinæus aurelianensis episcopus, lib. I Observ. de veter. Eccles. Rit., cap. 17, his Tertulliani verbis ductus, in eam sententiam ivit, ut crederet, *osculum pacis* antiquitus a Christianis omissum diebus illis, quibus indictum et promulgatum esset plenum atque integrum jejunium. Si enim (ita ille ratiocinatur) die veneris sancto *osculum* non usurpabatur, quia commune omnibus jejunium erat, neque periculum jactantiæ imminebat, quod se jejunantem proderet, qui cum omnibus jejunabat : ergo tum semper ab osculo abstinebatur, cum solemne jejunium et commune erat. Ejus verba fuse prolata non exhibeo. At vereor ut vir doctissimus Tertulliani mentem, et vetustum Ecclesiæ morem fuerit assecutus. Primo enim S. Ambrosius ac antiquissimæ liturgiæ, osculum pacis in Christianorum cœtibus usurpatum omnibus jejunii diebus, atque ipsa in quadragesima testantur, exceptis tantum postremis diebus. Secundo cum constet, ad incruentum sacrificium celebrandum neque sacerdotes, neque populum accedere sine osculo consuevisse ; et præterea compertum sit, multis jejunii diebus sacrificium peragi solitum : quis non intelli- B gat, vel ipsis jejunii publici diebus osculum a Christianis fuisse usurpatum ? *Quale*, nuper Tertullianus dixerat, *sacrificium est, a quo sine pace recedilur?* Cum vero secundum communem Ecclesiæ ritum duobus postremis quadragesimæ diebus minime sacrificium offerretur, nil mirum, si tunc osculo parcerent Christiani. Ex hoc igitur Tertulliani loco aliter, ut mihi suborta suspicio est, Albaspinæus argumentari debuit. Scilicet ævo Tertulliani, in africanis saltem ecclesiis, duobus duntaxat extremis quadragesimæ diebus, jejunium commune et publica religione fuisse observatum, cum reliquo anni atque ipsius etiam quadragesimæ tempore liberum Christianis esset jejunio vel operam dare, vel renuntiare. Quare quanquam daremus (quod certe affirmare non audeo) nil aliud quam jejunium caussam fuisse, cur in parasceve, et pervigilio dominicæ resurrectionis *osculum pacis* omitteretur ; nihilominus cum nullis aliis anni diebus ex Tertulliani mente jejunium publicum haberetur, osculi omissio ad duos tantum C illos quadragesimæ dies restringenda fuit. Vere itaque dici ab Albaspinæo potuit, Christianos iis diebus, quibus integrum ac plenum jejunium indicebatur, ab osculo abstinuisse ; sed secundum Tertulliani mentem addendum fuerat, eos dies non plures quam duos toto anno fuisse, et reliquis propterea diebus, quanquam privata religione jejunaretur, *osculum pacis* fuisse usitatum. Cum autem fere omnibus persuasum sit, saltem quadragesimale jejunium, veluti ex apostolica traditione institutum, primis etiam Ecclesiæ sæculis religiose ab universis Christianis fuisse celebratum, neque ab eo sine crimine quemquam abstinuisse, facile videar audaci sententia Tertullianum interpretari, atque inconsulto divinare, duobus tantum quadragesimæ diebus jejunia olim publica fuisse. Verum pro me Tertullianus ipse stabit, qui in Montani hæresim delapsus, hæc in lib. de Jejun. advers. psychicos (ita ille Catholicos invidiose appellabat), cap. 2, scripsit : *Certe in Evangelio illos dies jejunii determinatos putant.* (Psychici seu Catholici) *in quibus ablatus est Sponsus, et hos esse jam solos legitimos jejuniorum christianorum, abolitis legalibus et propheticis vetustatibus.* Tum pergit dicere : *Itaque de cætero indifferenter jejunandum ex arbitrio, non ex imperio novæ disciplinæ, pro temporibus et caussis uniuscujusque. Sic et Apostolos observasse, nullum aliud imponentes jugum certorum, et in commune omnibus obeundorum jejuniorum.* En habes quæ Catholicorum, in Africa saltem, sententia ac usus tum foret. Nempe duos tantum, dominico præeunte præcepto, dies jejunabant, cum sponsus ablatus est, nimirum quando sponsus Christus in crucem conjectus, et in sepulcro conditus fuit quemadmodum veteres Christiani verba Marci, cap. II, et Lucæ, cap. V, interpretari solebant. Cæteris vero diebus jejunia quidem Christiani servabant, sed ex arbitrio, non ex imperio. Quamvis enim iis quoque temporibus quadragesima celebraretur a Chri-

Digitized by Google

tando (1) quod cum omnibus (*a*) faciamus.

CAPUT XIX (*b*).

Similiter (2) (*c*) et stationum diebus non putant plerique sacrificiorum (*d*) orationibus interveniendum, quod statio (*e*) solvenda sit, accepto corpore Domini. Ergo devotum Deo obsequium Eucharistia resolvit? An magis Deo obligat? Nonne solemnior erit statio tua, si et ad aram Dei steteris (*f*)? Ac-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Osculando *male legitur Fran. Paris.* (2) Similiter *Seml.*

COMMENTARIUS.

stianis, eamque ex Apostolorum traditione originem habuisse unusquisque pro certo haberet, ut pluribus veterum testimoniis ostendere facile foret, nondum tamen integri istius jejunii observatio lege et præcepto constituta, aut nondum saltem in omnibus Ecclesiis, invaluerat. Quatuor etiam temporum, aliaque jejunia, et nonnulla disciplinæ capita, licet ab ipsa Apostolorum traditione manantia, non continuo in tota Ecclesia Dei recepta fuere, neque præcepto obligata. Id sensim per concilia, Patrumque, ac romanorum præcipue pontificum decreta præstitum fuit, ita ut quæ jejunia olim e singulorum arbitrio pendebant, concordi nunc religione et præcepto celebrentur. Iterum auctor est idem Tertullianus, in eodem lib. de Jejun., cap. 13, Catholicos *præter Pascha*, et *citra illos dies, quibus ablatus est Sponsus*, jejunasse, non quidem *ex lege præcepti*, seu *ex imperio*, sed ex arbitrio. Quamobrem colligere hinc fortasse possumus, ideo a Tertulliano eorum consuetudinem improbari, qui, dum jejunarent, ab *osculo pacis* abhorrebant, ne se jejunio operam dantes cum periculo modestiæ proderent, quando incertum erat an reliqui fratres eodem die jejunarent. Hanc autem osculi omissionem in Paschate tantum, iisque diebus, quibus ablatus est Sponsus, videlicet feria sexta in parasceve, et sabbato sancto, admittere ac laudare Tertullianus videtur. MURAT.

(a) *Quod cum omnibus faciamus.* Scilicet : jejunium. G. PANCIROL.

CAP. XIX.— (b) Tit. cod. Ambros : *De stationibus.*

(c) *Similiter et stationum diebus.* Stationem esse conventum Christianorum, qui certis diebus flebant causa orandi, et producebantur a Catholicis usque ad nonam, a Montanistis usque ad tenebras, dictum est in l. de Jejun., cap. 10, n. 91. G. PANCIROL.— *Stationum diebus.* Quid stationes fuerint, amplissime proditum ab aliis : itaque paucis contentus ero. Hermas, lib. III. Pastoris, similit. 4 : *Quid est, inquit Pastor, statio? et dixi : jejunium.* Nihil aliud revera nomine *stationum* ecclesiastici scriptores significabant, quam jejunium a Christianis celebratum, ita ut stationes quælibet jejunia interdum fuerint appellata. Cum enim jejunabant fideles, mane summo in sacras ædes convenire, ibique perstare ad horam usque nonam solebant, precibus rerumque divinarum contemplationi operam dantes : unde jejuniis stationum nomen postea adhæsit. Quæstio tamen inter quosdam eruditos agitatur, num a jejuniis stationes differrent. Equidem arbitror discriminis aliquid interfuisse tum solum, cum strictæ *stationis* vocabulum accipiebatur. Tunc enim jejunia duntaxat quartæ et sextæ feriæ indicabantur, ac propterea stationes ad horam usque nonam, ut diximus, perdurabant; jejunia vero in vesperam usque producebantur. Incertum porro, num hoc loco Tertullianus quælibet jejunia significare velit, an ea tantum quæ mercurii ac veneris diebus celebrabantur. In posteriorem sententiam ego facilius concederem. MURATORIUS.

(d) *Sacrificiorum orationibus.* Dic, hæretice, quid per hæc verba intelligatur? Quid aliud vis esse sacrificii orationes, quam missam, quam impie damnas? Ex his verbis notandum est, omnes qui missæ (ea latine est sacrificium) intererant, solitos fuisse sumere sacram Eucharistiam, et quia statim ea sumpta discedebant, ideo nec missæ eo die interesse volebant, ne stationem solverent. Id Tertullianus reprehendit. PANCIROL.—*Sacrificiorum orationibus.* Non simpliciter orationes dicit, neque orationum sacrificia, sed sacrificiorum orationes, quia hic agit de jejuniis et Eucharistia; quæ sacrificia maxime celebrantur orationibus. Ipsæ autem orationes sacrificia sunt, ut jam notavimus ad ea quæ habentur libello ad Scapulam : *Sacrificamus, quomodo præcepit Deus, pura prece.* Id etiam, lib. III adversus Marcionem, ad illud ex Malachia : *Et in omni loco sacrificium nomini meo offertur et sacrificium mundum :* « *Gloriæ scilicet relatio*, inquit, *et benedictio et laus, et hymni.* » Et p. 502, *sacrificium mundum, scilicet simplex oratio de conscientia pura*, et p. 512, ubi de figuris sacrificiorum legis mosaicæ : *Significabant hominem, quondam peccatorum, verbo mox Dei emaculatum, offerre debere munus Deo apud templum, orationem scilicet et actionem gratiarum apud Ecclesiam, per Christum Jesum catholicum Patris sacerdotem.* Plerisque autem locis afflictationum carnis et jejuniorum sacrificia commendat, et libro quidem de Patientia hostias esse ait Domino placatorias. Illud etiam notandum, lib. de Jejun., jejunium vocari sacrificium carnale. RIG.

(e) *Quod statio solvenda sit*, etc. Nunquam a statione christianus populus recedebat, nisi accepto corpore Domini, cujus communicatione peracta absolvebantur preces et piis conventibus finis imponebatur. At a sacra synaxi abstinebant delicatuli quidam, quod sibi viderentur accepto corpore Domini jejunium frangere, in quo custodiendo certe antiquis maxima fuit cura atque religio. Quantum autem hi fallerentur, Tertullianus hic probare nititur, ostendens a cibo sacræ mensæ non vitiari, sed perfici atque sacrari Christianorum jejunia. MURATORIUS.

(f) *Nonne solemnior erit statio tua, si et ad aram Dei steteris.* Ergo aras habebant tunc temporis Christiani! Unde igitur illa gentilium in ipsos odia et tanquam adversus impios crimina, quod nec delubra, nec aras haberent, nec sacrificarent? *Putatis autem*, inquit, Minutius, *nos occultare quod colimus, si delubra et aras non habemus.* Ut Malachias, cap. I, mensam Domini dixit, quod ibidem altare dixerat, ita hic aram dicit Septimius, mensam Christi. Unde scilicet corpus Christi sumebatur, pane, vino, sanctis orationibus in passionis Domini memoriam consecrato. Sic enim Paulus, I ad Corinthios, X, postquam dixit, Panem quem frangimus, participationem et communionem esse corporis Christi quod pro nobis tradi et immolari voluit Deus, adjicit, eos qui victimas edunt, participes fieri altaris. Deinde monet Corinthios, ut si forte ipsis apud ethnicos cœnantibus aliquid apponatur quod immolatum idolis fuisse dicatur, partem inde sibi ullam ne sumant : etenim non posse mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum. Quod præceptum, mensæ vocabulo gentilium sacrificiis accommodato, mensam Christi apud fideles aræ instar esse significat : et Judæos quidem, qui secundum carnem sapiant, sacrificiis suis participes fieri tantum altaris, θυσιαστηρίου, hostia scilicet flammis consumpta; Christianos autem participes fieri θυσίας, ipsius sacrificii, nempe corporis Christi. Atque hic Septimius noster acceptam a Christiano buccellam, participationem esse ait sacrificii. Quin et ipse Christianus ara Domini censetur, imbuenda quidem sanguine, sed Christi. Idemque ille noster fideles arcens spectaculis et circo, ait : *Vis autem et sanguinis aliquid? habes Christi.* Denique et Chrysostomus auditores suos quasi Christi ipsius verbis compellans : Εἰ αἵματος ἐπιθυμεῖς, φησί, μὴ τὸν τῶν εἰδώλων βωμὸν τρέχε τῶν ἀλόγων φόνῳ, ἀλλὰ τὸ θυσιαστήριον τὸ ἐμὸν τῷ ἐμῷ φοινίσσε αἵματι. RIG.— *Solemnior erit*

Digitized by Google

cepto (*a*) corpore Domini, et reservato, utrumque salvum est, et participatio sacrificii, et executio officii. Si statio de militari exemplo nomen accipit (nam et *militia Dei sumus*, II *Cor.* X, 4 ; I *Tim.* I, 18) utique nulla (*b*) lætitia, sive tristitia obveniens castris, stationes militum rescindit. Nam lætitia libentius, tristitia sollicitius administrabit disciplinam.

CAPUT XX (*c*) (1).

De habitu (*d*) vero duntaxat fœminarum, (*e*) varietas observationis effecit (2), post sanctissimum Apostolum, nos vel maxime nullius loci homines, impudenter retractare : nisi quod non impudenter, si secundum Apostolum retractemus. De modestia quidem cultus et ornatus, aperta præscriptio est etiam Petri, cohibentis eodem ore, quia eodem et spiritu, quo Paulus, et vestium gloriam, et auri superbiam, et crinium (3) lenonem operositatem (*f*).

CAPUT XXI (*g*) (4).

Sed quid (*h*) (5) promiscue observetur per Ecclesias, quasi incertum id retractandum est velarine debeant virgines, an non. Qui enim virginibus indulgent capitis (*i*) immunitatem, hoc niti videntur quod Apostolus non virgines (*j*) nominatim, sed mulieres designaverit velandas esse ; nec sexum, ut diceret fœminas, sed gradum sexus, dicendo *mulieres* (I *Cor.* XI, 5). Nam si sexum nominasset, fœminas dicendo, ab-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Cap. XV *alias.*
(2) Efficit *Rigal. Paris. Venet. Seml. Leop.*
(3) An lenoninam *inquit Seml.*
(4) Cap. XVI *alias.*
(5) Sed quod *Seml. Leop.*

COMMENTARIUS.

statio. Statio pro jejunio aliquando sumitur, quoniam statio nulla sine jejunio : fiebant autem stationes seu frequentes ad ecclesiam concursus dieb. veneris et mercurii, in quibus erant statuta jejunia. Frivola autem est dubitatio Magdeburgensium, qui de jejunio Montanistarum id accipi dicunt, licet enim ad vesperam usque producerentur hæc stationum jejunia, nihil tamen hæreticis illis conducit ; Patres quippe illud inter Montani errores non numerant. Le Pr.— *Ad aram Dei steteris.* Alludens ad stationes utitur proprio sacrorum verbo. Stare ad aram dicitur dedicatum animal victimæ patiens. Virgilius, II. Georg. :

Et cornu ductus stabit sacer hircus ad aram.
Hircus....

Et Martial :

Vite nocens rosa stabat moriturus ad aras
(*Mart., epig.* 24, *l.* VII.)

Inde et illud :

Rode, caper, vitem, tamen hinc cum stabis ad aram,
In tua quod spargi cornua possit, erit. Rig.

(a) *Accepto corpore Domini et reservato.* Et hoc eruditis compertissimum est, veteres christianæ religionis cultores interdum consuevisse corpus Christi a sacerdote acceptum deferre secum, ut domi ac in privatis precibus manducarent : quæ consuetudo a conciliis postea sublata fuit. Hoc igitur omisso, alia potius consideranda occurrunt. Scilicet ex hoc Tertulliani loco recentiorum quorumdam hæreticorum sententia refellitur, qui corpus Domini post sacra peracta conservare nefas putant. Verum quod nunc in catholica Ecclesia præstatur antiquitus etiam factum, non hæc solum Tertulliani verba, sed Cyprianus aliique vetustissimi scriptores apertissime probant, quorum testimonia ab aliis prolata repetere superfluum foret. Secundo cum hic usus corporis accepti mentionem Tertullianus faciat, et unum corpus domum deferri, ac reservari consuevisse intelligamus, discere possumus, sat olim fuisse Christianis, si Christi corpore vescerentur ; atque hunc usum ab Ecclesia catholica servatum, et sexcentis aliis veterum documentis confirmatum, male a nuperis hæreticis improbari. Muratorius.

(b) *Nulla lætitia, sive tristitia.* Sive lætum quid, sive triste nuntietur, milites stationem, ubi præsident, non deserunt : nec nos milites christiani, sive fuerit dies lætus, sive jejunii et afflictionis, nostras stationes deseremus. Et hic notandum est, stationes Christianorum a stationibus militum dici ; cum enim milites Christi simus, multa a militibus mutuamur. G. Pancirol.

CAP. XX.—(c) Tit. Cod. Amb. : *De habitu fœminarum.*

(d) Quæ sequuntur ad hæc verba : per Ecclesias, quas..... primus e vetustissimo exemplari adjecit Rigaltius, Muratorius vero ea omnia quæ ad finem usque libri leguntur. Edd.

(e) *De habitu vero,* etc. De vestibus etiam quas fœminæ ad orationem accedentes induere debebant, agendum sibi Tertullianus censet. Ad hoc autem incitatum se ait, quod pro diversitate locorum varius esset vestium fœminarum usus, ideoque se de hujusmodi argumento scribere velle, quod præcipue tanquam nullius loci homo, videlicet nulli locorum consuetudini favens, rem æquissime pertractare poterat. At impudentia videbitur de hoc iterum agere, postquam Paulus apostolus aperte egit in I ad Timotheum, cap. II. Se tamen impudentem non existimat, cum post Apostolum quidem, sed secundum Apostolum, hoc est secundum Apostoli mentem in eodem argumento versetur. Muratorius. — *De habitu vero duntaxat fœminarum.* Hæc reperiuntur in vetustissimo exemplari, neque spernenda sunt. Post illa vero : *Per Ecclesias quas*, sequitur in eodem exemplari, absque ulla distinctione, *Disposita utensilitas ut et proprias operas plures et necessariores*, etc., quæ habentur lib. I de Cultu fœm. Rigalt.

(f) *Crinium lenonem operositatem.* In Ambrosiano codice legitur *criminum lenonem morositatem.* At in eo codice quo usus est Rigaltius, quique in hæc verba desinit, habetur *et crinium lenonem oporositatem.* Quæ lectio mihi libentius probatur, ut significetur ac damnetur immodicum fœminarum studium in crinibus componendis et in cincinnos educandis, unde viri tanquam a lenonibus sollicitati ad concupiscentiam rapiantur. Hujusmodi autem lectioni consonat apostolus uterque a Tertulliano laudatus. Petrus in Ep. I, cap. III, ita de mulieribus scribit : *Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus.* Paulus vero in I. ad Timotheum, c. II : *Similiter*, inquit, *et mulieres in habitu ornato, cum verecundia et sobrietate ornantes se, et non in tortis crinibus aut auro, aut margaritis vel veste pretiosa.* Ubi crinium factam mentionem vides. Mur.

CAP. XXI.—(g) Tit. Cod. Murat. *De virginibus.*

(h) *Sed quid promiscue.* Vestes et ornamenta fœminarum modestiam spirare debere, certissimum ex Apostoli præcepto dixerat. Nunc velarine debeant virgines, an non, tanquam res incerta, pertractandum ait. Erant enim qui virgines in templo atque in sacris conventibus non velatas ferebant ; alii vero iis quoque, ut reliquis mulieribus, velum esse necessarium, modestiæ caussa et apostolici præcepti auctoritate, sentiebant. Muratorius.

(i) *Capitis immunitatem.* Qui virginibus indulgent capitis nuditatem, atque immunitatem a velamine. Mur.

(j) *Apostolus non virgines nominatim*, etc. Πᾶσα δὲ γυνὴ προσευχομένη, ἢ προφητεύουσα ἀκατακαλύπτῳ τῇ κεφαλῇ καταισχύνει τὴν κεφαλὴν ἑαυτῆς : ἓν γὰρ ἐστι καὶ τὸ αὐτὸ τῇ ἐξυρημένῃ : Sunt Apostoli verba in I ad Cor., cap. XI, n. 5, quæ ita exhibentur a vulgato interprete nostro : *Omnis mulier orans, vel prophetans non velato*

Digitized by Google

solute definisset de omni muliere. Aut cum unum gradum sexus nominat, alium tacendo secernit. Potuit enim, inquiunt, aut et virgines nominare specialiter aut compendio generaliter fœminas.

CAPUT XXII (1).

Qui ita concedunt, recogitare debent de statu vocabuli ipsius, quid est mulier a primis quidem litteris sanctorum commentariorum; nam inveniunt sexus esse nomen, non gradum sexus. Siquidem Evam (*a*) nondum virum expertam Deus *mulierem et fœminam* (*Gen.*, II, 23.) cognominavit : fœminam, qua sexus generaliter, mulierem, qua gradus sexus specialiter. Itaque jam tunc innupta adhuc Eva mulieris vocabulo fuit, commune id vocabulum et virgini factum est. Nec mirum, si Apostolus eodem utique spiritu actus, quocum omnis Scriptura divina, tum (2) et illa Genesis digesta est, eadem voce usus est mulierem ponendo; quæ exemplo Evæ innuptæ et virgini competat. Cætera denique non sonant, nam et hoc ipso, quod virgines non nominavit, sicut alio (*b*) in loco, ubi de nubendo docet, satis prædicat de omni muliere, et de toto sexu dictum, nec distinctum esse inter virginem, omnino non nominat. Qui enim alibi distinguere meminit, ubi scilicet differentia postulat (distinguit autem utramque speciem suis vocabulis designans) ubi non distinguit, dum utramque non nominat, nullam vult differentiam intelligi. Quid quod græco sermone, quo litteras Apostolus fecit, usui est mulieres vocare tam (*c*) fœminas, id est γυναῖκας, quam θηλείας. Igitur si pro sexus nomine vocabulum istud frequentatur, quod est interpretatione pro eo, quod est fœmina, sexum nominavit, dicens γυναῖκα. In sexu autem et virgo contingitur. Sed et manifesta pronuntiatio est : *Omnis*, inquit, *mulier adorans, et prophetans intecto capite dedecorat caput suum* (I *Cor.*, XI, 5). Quid est *omnis mulier*, nisi omnis ætatis, omnis ordinis, omnis conditionis? Nihil mulieris excipit, dicendo *omnis;* sicut (*d*) nec vir nec velandi; proinde enim *omnis vir* (*Ibid.*), inquit. Sicut ergo in masculino sexu sub viri nomine etiam investis velari vetatur, ita et in fœminino sub nomine mulieris etiam virgo velari jubetur. Æqualiter in utroque sexu minor ætas majoris sequatur disciplinam : aut velentur et virgines masculi, si non velantur et virgines fœminæ, qui nec isti nominatim tenentur. Aliud sit vir et investis, si aliud est mulier et virgo. Nempe *propter Angelos* (*Ibid.*) ait velari oportere, quod Angeli propter filias hominum desciverunt a Deo. Quis ergo contendat, solas mulieres,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Cap. XVII *ed. Leop.*

(2) Divinitstum *Murat. nullo sensu.*

COMMENTARIUS.

capite, deturpat caput suum : unum enim est ac si decalvetur. Qui contendebant, virginibus nequaquam præceptum fuisse, ut velatæ in templo orarent, ex ipsis Apostoli verbis tale argumentum conflabant : Si Apostolus hoc præcipere in animum induxisset, vocabulo γυνή, quod *mulier* latine sonat, non fuisset usus, nam γυνή de nuptis tantum fœminis usurpari solet. Potius θήλεια dixisset, quo nomine fœminas omnes, tum nuptas, tum innuptas Græci significant; aut addidisset παρθένους, quoque, id est *virgines*. Ergo non totum sexum, sed gradum et partem fœminei sexus, mulieres videlicet nuptas, eo in loco Apostolus significavit. Quin ipse eadem in Epistola ad Cor., cap. VI, virgines a mulieribus distinxit, inquiens : μεμέρισται δὲ ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος, *divisa est mulier, et virgo.* Non hic autem solum, sed et in lib. *de velandis Virginibus*, quem postea conscripsit in schola Montani, simile sibi argumentum Tertullianus objecit. Inquit ibi, cap. 4 : *Opponitur nobis, nullam mentionem virginum ab Apostolo factam, ubi de velamine præfinit, sed tantum mulieres nominatas : cum si voluisset et virgines tegi, de virginibus quoque cum mulieribus pronuntiasset, quomodo illic*, inquit, *ubi de nuptiis tractat, quid observandum sit etiam de virginibus, declarat. Itaque non contineri eas lege velandi capitis, ut non nominatas in hac lege; imo ex hoc revelari, quia non jubentur, quæ nec nominantur.* MURAT.

CAP. XXII.—(a) *Evam nondum virum expertam*, etc. Ut ostendat Tertullianus, nomine γυναικὸς nuptas ac innuptas fœminas significari, e Genesis cap. II, v. 23, exemplum profert; ibi enim de Eva loquens Deus : αὐτὴ, inquiunt LXX Interpretes, κληθησέται γυνὴ, ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς ἐλήφθη. Scilicet : *ipsa vocabitur mulier, quia de viro suo sumpta est*, ut alibi aptissime interpretatur idem Tertullianus, versionem τῶν LXX secutus. Vulgatus autem interpres habet : *quæ vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.* Supra etiam dixerat divinus Scriptor : *Ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem,* εἰς γυναῖκα. Utrobique Eva, quanquam adhuc virgo neque virum experta γυνὴ, *mulier* appellatur. Igitur per hoc vocabulum non gradus sexus, seu nuptarum ordo significatur, sed generaliter fœmineus sexus : atque adeo tum virgines, tum nuptæ ab Apostolo jubentur velari. MURAT.

(b) *Sic alio in loco.* Eamdem Epistolam I ad Cor., cap. VII, n. 34, innuit, ubi ita loquitur Paulus : *Mulier innupta, et virgo, cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu. Quæ vero nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Si, inquit Tertullianus, innuptas a nuptis distinguere voluisset Apostolus, velari mulieres jubens, eas aliquo distinxisset vocabulo, quemadmodum fecit, ubi revera illas distinguere voluit. Apparet igitur, tum nuptas, tum innuptas uno *mulieris*, seu γυναικὸς nomine fuisse comprehensas, quando eas Paulus distinguere noluit. Eadem ratione respondet idem Tertullianus in lib. *de vel. Virgin.*, cap. 5. MURAT.

(c) *Quam fœminas.* Id est potius quam fœminas. Est elegans in hebræo sermone dicendi formula, et aliis in locis a Tertulliano usurpata. MURAT.

(d) *Sicut nec vir, nec velandi.* Apostolus in laudata Epistola I ad Cor., cap. XI, n. 4. *Omnis*, inquit, *vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput suum.* Infra vero addit : *Vir quidem non debet velare caput suum.* Cuicumque igitur viro, quando orat, turpe esse velari ait Paulus, et *omnem virum* nominans, omnes cujuscumque ordinis, ætatis et conditionis masculos intelligit. Igitur sub nomine *omnis mulieris* fœminas omnes, tum virgines, tum nuptas ac viduas complectitur. Cæterum, quin hæc verba sint in codice nostro vitiata, nemo dubitabit. Fortasse restitui poterunt, aut saltem iis lux aliqua affulgebit, si quod ille in lib. *de vel. Virgin.*, cap. 8, refert, nos quoque referamus. *Apostolus : « Omnis, inquit, mulier. » Quid est omnis? nisi omnis generis, omnis ordinis, omnis conditionis, omnis dignitatis, omnis ætatis? Siquidem omne, totum est, et integrum, et nulla sui parte defectum. Pars autem mulieris et virgo est. Æque et de viro non velando omnis, inquit. Ecce duo diversa nomina, vir et*

Digitized by Google

cepto (a) corpore Domini, et reservato, utrumque salvum est, et participatio sacrificii, et executio officii. Si statio de militari exemplo nomen accipit (nam et *militia Dei sumus*, II *Cor.* X, 4 ; I *Tim.* I, 18) utique nulla (b) lætitia, sive tristitia obveniens castris, stationes militum rescindit. Nam lætitia libentius, tristitia sollicitius administrabit disciplinam.

CAPUT XX (c) (1).

De habitu (d) vero duntaxat fœminarum, (e) varietas observationis effecit (2), post sanctissimum Apostolum, nos vel maxime nullius loci homines, impudenter retractare : nisi quod non impudenter, si secundum Apostolum retractemus. De modestia A quidem cultus et ornatus, aperta præscriptio est etiam Petri, cohibentis eodem ore, quia eodem et spiritu, quo Paulus, et vestium gloriam, et auri superbiam, et crinium (3) lenonem operositatem (f).

CAPUT XXI (g) (4).

Sed quid (h) (5) promiscue observetur per Ecclesias, quasi incertum id retractandum est velarine debeant virgines, an non. Qui enim virginibus indulgent capitis (i) immunitatem, hoc niti videntur quod Apostolus non virgines (j) nominatim, sed mulieres designaverit velandas esse ; nec sexum, ut diceret fœminas, sed gradum sexus, dicendo *mulieres* (I *Cor.* XI, 5). Nam si sexum nominasset, fœminas dicendo, ab-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Cap. XV *alias*.
(2) Efficit *Rigal. Paris. Venet. Seml. Leop.*
(3) An lenoninam *inquit Seml.*
B (4) Cap. XVI *alias*.
(5) Sed quod *Seml. Leop.*

COMMENTARIUS.

statio. Statio pro jejunio aliquando sumitur, quoniam statio nulla sine jejunio : fiebant autem stationes seu frequentes ad ecclesiam concursus dieb. veneris et mercurii, in quibus erant statuta jejunia. Frivola autem est dubitatio Magdeburgensium, qui de jejunio Montanistarum id accipi dicunt, licet enim ad vesperam usque producerentur hæc stationum jejunia, nihil tamen hæreticis illis conducit ; Patres quippe illud inter Montani errores non numerant. Le Pr.— *Ad aram Dei steteris.* Alludens ad stationes utitur proprio sacrorum verbo. Stare ad aram dicitur dedicatum animal victimæ patiens. Virgilius, II. Georg. :

Et cornu ductus stabit sacer hircus ad aram.
Hircus....

Et Martial :

Vite nocens rosa stabat moriturus ad aras
(*Mart., epig.* 24, *l.* VII.)

Inde et illud :

Rode, caper, vitem, tamen hinc cum stabis ad aram,
In tua quod spargi cornua possit, erit. Rig.

(a) *Accepto corpore Domini et reservato.* Et hoc eruditis compertissimum est, veteres christianæ religionis cultores interdum consuevisse corpus Christi a sacerdote acceptum deferre secum, ut domi ac in privatis precibus manducarent : quæ consuetudo a conciliis postea sublata fuit. Hoc igitur omisso, alia potius consideranda occurrunt. Scilicet ex hoc Tertulliani loco recentiorum quorumdam hæreticorum sententia refellitur, qui corpus Domini post sacra peracta conservare nefas putant. Verum quod nunc in catholica Ecclesia præstatur antiquitus etiam factum, non hæc solum Tertulliani verba, sed Cyprianus aliique vetustissimi scriptores apertissime probant, quorum testimonia ab aliis prolata repetere superfluum foret. Secundo cum hic unius corporis accepti mentionem Tertullianus faciat, et unum corpus domum deferri, ac reservari consuevisse intelligamus, discere possumus, sat olim fuisse Christianis, si Christi corpore C vescerentur ; atque hunc usum ab Ecclesia catholica servatum, et sexcentis aliis veterum documentis confirmatum, male a nuperis hæreticis improbari.

Muratorius.

(b) *Nulla lætitia, sive tristitia.* Sive lætum quid, sive triste nuntietur, milites stationem, ubi præsident, non deserunt : nec nos milites christiani, sive fuerit dies lætus, sive jejunii et afflictionis, nostras stationes deseremus. Et hic notandum est, stationes Christianorum a stationibus militum dici ; cum enim milites Christi simus, multa a militibus mutuamur.

G. Pancirol.

CAP. XX.—(c) Tit. Cod. Amb. : *De habitu fœminarum.*

(d) Quæ sequuntur ad hæc verba : per Ecclesias, quas..... primus e vetustissimo exemplari adjecit Rigaltius, Muratorius vero ea omnia quæ ad finem usque libri leguntur. Edd.

(e) *De habitu vero*, etc. De vestibus etiam quas fœminæ ad orationem accedentes induere debebant, agendum sibi Tertullianus censet. Ad hoc autem incitatum se ait, quod pro diversitate locorum varius esset vestium fœminarum usus, ideoque se de hujusmodi argumento scribere velle, quod præcipue tanquam nullius loci homo, videlicet nulli locorum consuetudini favens, rem æquissime pertractare poterat. At impudentia videbitur de hoc iterum agere, postquam Paulus apostolus aperte egit in I ad Timotheum, cap. II. Se tamen impudentem non existimat, cum post Apostolum quidem, sed secundum Apostolum, hoc est secundum Apostoli mentem in eodem argumento versetur. Muratorius. — *De habitu vero duntaxat fœminarum.* Hæc reperiuntur in vetustissimo exemplari, neque spernenda sunt. Post illa vero : *Per Ecclesias quas*, sequitur in eodem exemplari, absque ulla distinctione, *Disposita utensilitas ut et proprias operas plures et necessariores*, etc., quæ habentur lib. I de Cultu fœm. Rigalt.

(f) *Crinium lenonem operositatem.* In Ambrosiano codice legitur *criminum lenonem morositatem.* At in eo codice quo usus est Rigaltius, quique in hæc verba desinit, habetur *et crinium lenonem oporositatem.* Quæ lectio mihi libentius probatur, ut significetur ac damnetur immodicum fœminarum studium in crinibus componendis et in cincinnos educandis, unde viri tanquam a lenonibus sollicitati ad concupiscentiam rapiantur. Hujusmodi autem lectioni consonat apostolus uterque a Tertulliano laudatus. Petrus in Ep. I, cap. III, ita de mulieribus scribit : *Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus.* Paulus vero in I. ad Timotheum, c. II : *Similiter*, inquit, *et mulieres in habitu ornato, cum verecundia et sobrietate ornantes se, et non in tortis crinibus aut auro, aut margaritis vel veste pretiosa.* Ubi crinium factam mentionem vides. Mur.

D CAP. XXI.—(g) Tit. Cod. Murat. *De virginibus.*

(h) *Sed quid promiscue.* Vestes et ornamenta fœminarum modestiam spirare debere, certissimum ex Apostoli præcepto dixerat. Nunc velarine debeant virgines, an non, tanquam res incerta, pertractandum ait. Erant enim qui virgines in templo atque in sacris conventibus non velatas ferebant ; alii vero iis quoque, ut reliquis mulieribus, velum esse necessarium, modestiæ caussa et apostolici præcepti auctoritate, sentiebant. Muratorius.

(i) *Capitis immunitatem.* Qui virginibus indulgent capitis nuditatem, atque immunitatem a velamine. Mur.

(j) *Apostolus non virgines nominatim*, etc. Πᾶσα δὲ γυνὴ προσευχομένη, ἢ προφητεύουσα ἀκατακαλύπτῳ τῇ κεφαλῇ καταισχύνει τὴν κεφαλὴν ἑαυτῆς : ἓν γάρ ἐστι καὶ τὸ αὐτὸ τῇ ἐξυρημένῃ : Sunt Apostoli verba in I ad Cor., cap. XI, n. 5, quæ ita exhibentur a vulgato interprete nostro : *Omnis mulier orans, vel prophetans non velato*

Digitized by Google

solute definisset de omni muliere. Aut cum unum gradum sexus nominat, alium tacendo secernit. Potuit enim, inquiunt, aut et virgines nominare specialiter aut compendio generaliter fœminas.

CAPUT XXII (1).

Qui ita concedunt, recogitare debent de statu vocabuli ipsius, quid est mulier a primis quidem litteris sanctorum commentariorum; nam inveniunt sexus esse nomen, non gradum sexus. Siquidem Evam (*a*) nondum virum expertam Deus *mulierem et fœminam* (*Gen.*, II, 23.) cognominavit: fœminam, qua sexus generaliter, mulierem, qua gradus sexus specialiter. Itaque jam tunc innupta adhuc Eva mulieris vocabulo fuit, commune id vocabulum et virgini factum est. Nec mirum, si Apostolus eodem utique spiritu actus, quocum omnis Scriptura divina, tum (2) et illa Genesis digesta est, eadem voce usus est mulierem ponendo; quæ exemplo Evæ innuptæ et virgini competat. Cætera denique non sonant, nam et hoc ipso, quod virgines non nominavit, sicut alio (*b*) in loco, ubi de nubendo docet, satis prædicat de omni muliere, et de toto sexu dictum, nec distinctum esse inter virginem, omnino non nominat. Qui enim alibi distinguere meminit, ubi scilicet differentia postulat (distinguit autem utramque speciem suis vocabulis designans) ubi non distinguit, dum utramque non nominat, nullam vult differentiam intelligi. Quid quod græco sermone, quo litteras Apostolus fecit, usui est mulieres vocare tam (*c*) fœminas, id est γυναῖκας, quam θηλείας. Igitur si pro sexus nomine vocabulum istud frequentatur, quod est interpretatione pro eo, quod est fœmina, sexum nominavit, dicens γυναῖκα. In sexu autem et virgo contingitur. Sed et manifesta pronuntiatio est: *Omnis*, inquit, *mulier adorans, et prophetans intecto capite dedecorat caput suum* (I *Cor.*, XI, 5). Quid est *omnis mulier*, nisi omnis ætatis, omnis ordinis, omnis conditionis? Nihil mulieris excipit, dicendo *omnis;* sicut (*d*) nec vir nec velandi; proinde enim *omnis vir* (*Ibid.*), inquit. Sicut ergo in masculino sexu sub viri nomine etiam investis velari vetatur, ita et in fœminino sub nomine mulieris etiam virgo velari jubetur. Æqualiter in utroque sexu minor ætas majoris sequatur disciplinam: aut velentur et virgines masculi, si non velantur et virgines fœminæ, qui nec isti nominatim tenentur. Aliud sit vir et investis, si aliud est mulier et virgo. Nempe *propter Angelos* (*Ibid.*) ait velari oportere, quod Angeli propter filias hominum desciverunt a Deo. Quis ergo contendat, solas mulieres,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Cap. XVII *ed. Leop.*

(2) Divinitstum *Murat. nullo sensu.*

COMMENTARIUS.

capite, deturpat caput suum: unum enim est ac si decalvetur. Qui contendebant, virginibus nequaquam præceptum fuisse, ut velatæ in templo orarent, ex ipsis Apostoli verbis tale argumentum conflabant: Si Apostolus hoc præcipere in animum induxisset, vocabulo γυνή, quod *mulier* latine sonat, non fuisset usus, nam γυνή de nuptis tantum fœminis usurpari solet. Potius θήλεια dixisset, quo nomine fœminas omnes, tum nuptas, tum innuptas Græci significant; aut addidisset παρθένους, quoque, id est *virgines*. Ergo non totum sexum, sed gradum et partem fœminei sexus, mulieres videlicet nuptas, eo in loco Apostolus significavit. Quin ipse eadem in Epistola ad Cor., cap. VI, virgines a mulieribus distinxit, inquiens: μεμέρισται δὲ ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος, *divisa est mulier, et virgo.* Non hic autem solum, sed et in lib. *de velandis Virginibus*, quem postea conscripsit in schola Montani, simile sibi argumentum Tertullianus objecit. Inquit ibi, cap. 4: *Opponitur nobis, nullam mentionem virginum ab Apostolo factam, ubi de velamine præfinit, sed tantum mulieres nominatas: cum si voluisset et virgines tegi, de virginibus quoque cum mulieribus pronuntiasset, quomodo illic*, inquit, *ubi de nuptiis tractat, quid observandum sit etiam de virginibus, declarat. Itaque non contineri eas lege velandi capitis, ut non nominatas in hac lege; imo ex hoc revelari, quia non jubentur, quæ nec nominantur.* Murat.

CAP. XXII.—(a) *Evam nondum virum expertam*, etc. Ut ostendat Tertullianus, nomine γυναικός nuptas ac innuptas fœminas significari, e Genesis cap. II, v. 23, exemplum profert; ibi enim de Eva loquens Deus: αὐτὴ, inquiunt LXX Interpretes, κληθησέται γυνὴ, ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς ἐλήφθη. Scilicet: *ipsa vocabitur mulier, quia de viro suo sumpta est*, ut alibi aptissime interpretatur idem Tertullianus, versionem τῶν LXX secutus. Vulgatus autem interpres habet: *quæ vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.* Supra etiam dixerat divinus Scriptor: *Ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem*, εἰς γυναῖκα. Utrobique Eva, quanquam adhuc virgo neque virum experta γυνὴ, *mulier* appellatur. Igitur per hoc vocabulum non gradus sexus, seu nuptarum ordo significatur, sed generaliter fœmineus sexus: atque adeo tum virgines, tum nuptæ ab Apostolo jubentur velari. Murat.

(b) *Sic alio in loco.* Eamdem Epistolam I ad Cor., cap. VII, n. 34, innuit, ubi ita loquitur Paulus: *Mulier innupta, et virgo, cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu. Quæ vero nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Si, inquit Tertullianus, innuptas a nuptis distinguere voluisset Apostolus, velari mulieres jubens, eas aliquo distinxisset vocabulo, quemadmodum fecit, ubi revera illas distinguere voluit. Apparet igitur, tum nuptas, tum innuptas uno *mulieris*, seu γυναικὸς nomine fuisse comprehensas, quando eas Paulus distinguere noluit. Eadem ratione respondet idem Tertullianus in lib. *de vel. Virgin.*, cap. 5. Murat.

(c) *Quam fœminas.* Id est potius quam fœminas. Est elegans in hebræo sermone dicendi formula, et aliis in locis a Tertulliano usurpata. Murat.

(d) *Sicut nec vir, nec velandi.* Apostolus in laudata Epistola I ad Cor., cap. XI, n. 4. *Omnis*, inquit, *vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput suum.* Infra vero addit: *Vir quidem non debet velare caput suum.* Cuicumque igitur viro, quando orat, turpe esse velari ait Paulus, et *omnem virum* nominans, omnes cujuscumque ordinis, ætatis et conditionis masculos intelligit. Igitur sub nomine *omnis mulieris* fœminas omnes, tum virgines, tum nuptas ac viduas complectitur. Cæterum, quin hæc verba sint in codice nostro vitiata, nemo dubitabit. Fortasse restitui poterunt, aut saltem iis lux aliqua affulgebit, si quod ille in lib. *de vel. Virgin.*, cap. 8, refert, nos quoque referamus. *Apostolus: «Omnis, inquit, mulier.» Quid est omnis? nisi omnis generis, omnis ordinis, omnis conditionis, omnis dignitatis, omnis ætatis? Siquidem omne, totum est, et integrum, et nulla sui parte defectum. Pars autem mulieris et virgo est. Æque et de viro non velando omnis, inquit. Ecce duo diversa nomina, vir et*

Digitized by Google

id est nuptas jam, et virginitati (*a*) defunctas concupiscentiæ, nisi si non licet et virgines specie præstare, et amatores invenire? Imo videmus quod (*b*) non virgines solas concupierint, cum dicat Scriptura *filias hominum* (*Gen.*, VI. 2.), quia potuit uxores hominum nominasse, vel fœminas indifferenter. Etiam quod ait, *Et acceperunt sibi in uxores* (*Ibid.*) in eo facit quod accipiuntur in uxores, quæ vacant scilicet. De non vacantibus autem aliter enuntiasset. Itaque (*c*) vacant tam viduitate quam et virginitate : adeo sexum nominando, generaliter filias et species in genere commiscuit. Item cum (*d*) dicit naturam ipsam docere, fœminas velandas esse, quæ capillum pro tegumento et ornamento mulieribus assignarit ; nonne idem tegumentum et idem honor capitis virginibus quoque adscriptus est? Si *mulieri turpe est radi*, (I *Cor.*, XI, 6), et *virgini perinde*. In quibus ergo una conditio capitis deputatur, una et disciplina capitis exigitur, etiam ad eas virgines, quas pueritia defendit; a primo enim *fœmina* nominata est. Sic denique et Israel (*e*) observat. Sed si non (*f*) observaret, nostra lex ampliata atque suppleta defenderet sibi adjectionem. Virginibus quoque injiciens velamentum excusetur. Nunc ætas, (*g*) quæ sexum suum ignorat, simplicitatis privilegium teneat. Nam et Eva et Adam, ubi eis contigit sapere, texuerunt (*h*) statim quod agnoverant. Certe in quibus pueritia mutavit, sicut naturæ, ita et disciplinæ debet ætas esse munifica. Nam et membris et officiis mulieribus resignantur. Nulla virgo est, ex quo potest nubere, quoniam ætas jam in ea nupsit suo viro, id est tempori ; sed aliqua (*i*) se Deo vovit. Jam et crinem (*j*) exinde trans-

COMMENTARIUS.

mulier. Omnis uterque. Duæ leges obnoxiæ invicem hinc velandi, inde nudandi. Igitur si eo quod dictum sit omnis vir, commune est nomen viri etiam nondum viri, masculi investis : commune autem cum sit nomen secundum naturam, communis est et lex non velandi ejus, qui inter viros virgo est, etc. MURAT.

(a) *Et virginitati defunctas concupiscentiæ*. Hic mihi verbum aliquod desiderari videtur, cujusmodi esse *ignes excitare*, aut quid simile, ut sit sensus : Num nuptæ tantum ac virginitate carentes angelorum hominumque concupiscentiam accendere possunt? neque virginibus licet forma corporis excellere, sibique amatores invenire? MURAT.

(b) *Imo videmus*. Imo, inquit Tertullianus, Angeli virgines potius quam nuptas concupiisse videntur, siquidem Scriptura testante, cap. VI Gen., n. 2 : *Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant*. Igitur non uxores hominum, non fœminæ indifferenter a filiis Dei, sive ab Angelis, ut Tertullianus interpretatur (quam solide non quæro) expetitæ fuerunt, sed virgines, et quæ *vacabant*, hoc est nondum conjugatæ. Quamobrem ita legendus mihi videtur Tertulliani locus : *Imo videmus quod virgines solas concupierint*. Infra etiam *uxores* pro *uxorem* legendum esse, nemo neget. Hunc eumdem Genesis locum a Tertulliano tractatum videas in memorato libro *de vel. Virgin.*, cap. 7. MURAT.

(c) *Itaque vacant*. Id est : illæ dicuntur vacare, quæ aut virgines, aut viduæ sunt. MURAT.

(d) *Item cum dicit*, etc. In eodem cap. XI Ep. I ad Cor., n. 14 : *Ipsa natura*, inquit Apostolus, *docet vos, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi. Mulier vero si comam nutriat, gloria est illi, quoniam capilli pro velamine ei dati sunt*. Igitur cum virginibus quoque capilli pro velamine ne a natura sint dati, velo et ipsæ uti debent. MURAT.

(e) *Sic denique et Israel observat*. Judæis etiam fœminis in usu fuisse, ut velato capite incederent, idem Tertullianus alibi testatur, nempe cap. 4, libri de Cor. militis, cujus hæc sunt verba : *Apud Judæos tam solemne est fœminis eorum velamen capitis, ut inde noscantur*. Tum addit exemplum Rebeccæ adhuc virginis, quæ velata ad sponsum profecta est, et Susannæ, quæ cum judicio sisteretur, operta erat velamine pro more cæterarum mulierum hebræarum. Similia repetit in lib. de vel. Virg., cap. 11. Rabbi etiam Nathan, in Aruch, *veli* cujusdam *tenuis* mentionem facit, *quo fœminarum capita obtegi solebant*. MURAT.

(f) *Sed si non observaret*. Quanquam virginibus judæis velandi capitis consuetudo non esset, nihilominus in lege Christianorum servandus foret hujusmodi ritus ; nam in Novo Testamento veteres leges et ampliatæ et suppletæ sunt. MURAT.

(g) *Nunc ætas, quæ sexum suum ignorat*. Hinc patet, puellis, quæ nondum rationis usum attigerant, intecto capite procedere licuisse. *Simplicitatis privilegium* Tertullianus appellat. Verum in iis quæ ad adolescentiam creverant, cum natura mutaretur, mutari quoque disciplinam decebat. Vide ipsum, citato cap. 11 *de vel. Virg.* MURAT.

(h) *Texuerunt*. Lego *texerunt*, ut Gen. cap. III, n. 7. MURAT.

(i) *Sed aliqua se Deo vovit*. Et ab ipsis Ecclesiæ incunabulis virgines fuisse, quæ suam virginitatem Christo dicarent, cum e nonnullis Tertulliani locis in memorato lib. de vel. Virg., tum ex hoc capite ostendi evidenter potest, ut subeat mirari quorumdam aut in re aperta cæcitatem, aut in improbanda re tot sæculorum usu probata audaciam ; negant enim hunc morem aut in antiquis Christianorum Ecclesiis viguisse, aut in recentioribus esse laudandum. At hic legimus, *aliquas se deo vovere*, sanctumque hoc institutum *Dei gratia exerceri*. Infra ait : *Nupsisti Christo, illi carnem tuam tradidisti. Age pro mariti tui* (scilicet Christi) *disciplina*. Si *nuptas alienas velari jubet* Christus, *suas utique multo magis*. His adde quæ doctissimus Pamelius habet, præfat. in eumdem lib. de Virg. vel. Ego in argumento satis explorato aliis veterum testimoniis parco. MURAT.

(j) *Crinem exinde transfigurat*. Ubi virgines castitatem dicaverant, crinem transfigurasse diximus. Neque, ut arbitror, hoc nomine comas tonderi Tertullianus significat ; auctor enim ipsemet est, virginibus quoque turpe esse tonderi. *Si mulieri*, inquit, *turpe est radi, et virgini perinde*. Idem repetit in lib. de vel. Virg., cap. 7. Me quidem non fugit nonnullis in regionibus a sacratis virginibus crinem deponi consuevisse, ac præcipue in Syria et Ægypto, uti Hieronymus, in epist. 48. ad Sabinianum, aliaque monumenta testantur. Sed hujusmodi consuetudinem in Africa tribus saltem prioribus Ecclesiæ sæculis obtinuisse, nusquam invenio. Censeo itaque nil aliud hic intelligi, nisi modestam crinium compositionem, quam virgines tum servare incipiebant, cum se Christo dicabant. Et quidem antiquitus usitatum fuit ut crine soluto ac libero virgines incederent. Simul ac autem conjugio sese obligabant, comæ illis coactæ et compositæ erant, ut jam in matronarum gravitatem transirent. Quæ igitur divino sponso nubebant, par erat ut crine composito, compresso ac transfigurato proderent se Deo nuptas, *omnemque habitum ad mulieres convertendo*, hoc est matronalibus se vestibus induendo, matronis sive mulieribus nuptis accenserentur. Reliquæ vero virgines in spem sæcularium nuptiarum educatæ, vix pueritiam transgressæ *vertunt capillum, et acu lasciviore comam sibi inserunt, crinibus a fronte divisis, apertam professæ mulieritatem*. Hæc

Digitized by Google

figurat, et omnem habitum ad mulieres convertit. Totum ergo (*a*) asseveret, et totum virginis præstet: quod propter Deum abscondit, plane obumbret. Interest nostra, quod Dei gratia exerceat, solius Dei conscientiæ commendare, ne quod a Deo speramus, ab homine compensemus. Quid denudas (*b*) ante Deum quod ante homines tegis! Verecundior eris in publico quam in Ecclesia? *Si Dei gratia est et accepisti, quid gloriaris*, inquit, *quasi non acceperis* (I *Cor.*, IV, 7)? Quid alias ostentatione tui judicas? an alias gloria tua ad bonum invitas? Atqui et ipsa periclitaris amittere, si gloriaris; et alias ad eadem pericula cogis. Facile eligitur, quod affectione gloriæ assumitur. Velare virgo, si virgo es; debes enim erubescere. Si virgo es, plures oculos pati noli. Nemo miretur in tuam faciem; nemo mendacium tuum sentiat. Bene (*c*) mentiris nuptam, si caput veles. Imo (*d*) mentiri non videris; nupsisti enim Christo, illi carnem tuam tradidisti. Age pro mariti tui disciplina. Si nuptas alienas velari jubet, suas utique multo magis. Sed non (*e*) putet institutione unusquisque antecessoris commovendam. Multi (*f*) (1) alienæ consuetudini prudentiam suam, et constantiam ejus addicunt, ne compellantur velari. Certe voluntarias (*g*) prohiberi non oportet, quæ se etiam virgines negare non possunt, contentæ abuti in fama suæ conscientiæ apud Deum securitate. De illis (*h*) tamen quæ sponsis dicantur, constanter super meum modulum pronuntiare contestarique possum, velandas ex ea die esse, qua ad primum viri corpus osculo et dextera expaverint. Omnia enim in his prænupserunt, et ætas per maturitatem, et caro per ætatem, et spiritus per conscientiam, et pudor per osculi experimentum, et spes per exspectationem, et mens per voluntatem. Satisque nobis exemplo Rebecca est (*Gen.*, XXXIV, 65), quæ sponso demonstrato, tantum notitia ejus nubendo velata est.

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Depravatum esse hunc locum jam Muratorius intellexit, nec satis restitui, si scriberetur* : uniuscujusque et multæ. *A. Neander emendavit* : Institutionem unusquisque.

COMMENTARIUS.

sunt Tertulliani ipsius verba in cap. 12 de vel. Virg. At cum cap. 11 dicat : *Adspice nuptam illam tuam virginem et animam exspectatione, et carnem transfiguratione*, nescio an huic loco tenebras addat, an illa verba hinc sint corrigenda. Si quis *crinem tranfigurare* hic sumere velit pro memorata virginum lascivia in componendis, interserendis, ac dividendis crinibus, ostendat in hac periodo Tertullianum de virginibus Deo dicatis non loqui. MURAT.

(a) *Totum ergo asseveret.* Verum de virginibus sacris hic agi, magis per ista persuadeor: sensus enim est : Si ex quo virginitatem Deo dicavit, crinium licentiam comprimere, et gravitatem in vestibus præ se ferre virgo debet, cur postea intecto capite in sacris hominum conventibus conspiciendam se præbet? Omnino igitur ostendat se Christo nuptam, et totam sacræ virginis modestiam servet, plene obumbrando virgineum caput, *quod propter Deum abscondit.* MURAT.

(b) *Quid denudas ante Deum?* En quod Tertulliano minime ferendum videbatur. Sacratæ Christo virgines non secus ac matronæ velato capite *in publico* procedebant, *in ecclesia* vero nequaquam. Ab ostentationis culpa immunes non credit has virgines Tertullianus, quæ veluti gloriabundæ, se a divina gratia ad continentiæ votum electas, in reliquarum virginum conspectu jactare propriam virtutem videbantur. Cumque id a se fieri quædam responderent, ut exemplo suo alias ad sacrum virginitatis votum incitarent, ne hoc quidem ambitionis periculo carere Tertullianus ait. MURAT.

(c) *Bene mentiris nuptam.* Exploratum est, cunctas mulieres nuptas, ut Apostolo obtemperarent, tum in publicis locis, tum in sacris ædibus velo capita obduxisse. Proinde hoc nuptarum indicium erat. Cum virgines sacræ pro nuptis Christo haberi vellent, iisdem vestibus, ornatibus et velamentis *in publico* utebantur, quibus matronæ ac nuptæ mundo; *in Ecclesia* vero velum ad earum differentiam deponebant. Inquit igitur Tertullianus : *Nemo miretur in tuam faciem, nemo mendacium tuum sentiat.* Scilicet mendacium appellat, pium utique, se fingere nuptas, cum adhuc virgines essent. Si et in Ecclesia velo usæ fuissent virgines, nemo eas a nuptis distinxisset; et *bene* solum se *nuptas mentiri* poterant virgines, si *caput* ubique velassent. MURAT.

(d) *Imo mentiri non videris.* Se corrigit Tertullianus, quod a sacris virginibus nuptias simulari dixisset : nam revera Christo nupsere, illique suum corpus dicavere, ideoque ad instar nuptarum velato capite divinis officiis interesse debebant. Eadem habet cap. 16, de Virg. velandis. *Adimple*, inquit, *habitum mulieris, ut statum virginitatis serves. Mentire aliquid ex his, quæ intus sunt, ut soli Deo exhibeas veritatem. Quanquam non mentiris nuptam; nupsisti enim Christo, illi tradidisti carnem tuam, illi sponsasti maturitatem tuam. Incede secundum sponsi tui voluntatem. Christus est, qui et alienas sponsas, et maritatas velari jubet : utique multo magis suas.* Quare nullus dubito, quin Tertullianus hic de virginibus, non omnibus, sed Christo tantum dicatis loquatur ab iis verbis : *Sed aliqua se Deo vovit*, usque ad sequentia : *Sed non putet.* MURAT.

(e) *Sed non putet.* Latere mendum in his verbis sentio, sed reparare non audeo. Fortasse legendum *uniuscujusque.* Sensus autem est; non esse virginum, quæ antecesserunt, consuetudinem pro ratione adducendam. MURAT.

(f) *Multi alienæ consuetudini.* Et hic verba corrupta existimo. Legere mallem *multæ.* Inquit autem, complures virgines, ne in templo velari compellerentur, præcedentium virginum consuetudine sese tueri, satis se prudentes arbitratæ, si quod illæ constanter fecerunt, et ipsæ facerent. MURAT.

(g) *Certe voluntarias.* Ita ego interpretarer. Velari fœminas nuptiis sæculi, aut Christi addictas, omnino necessarium est. At quæ virginitatem voluntariam colunt, donec maritum sibi comparent, his prorsus interdicenda non est capitis nuditas, sed monendæ tantum ut meliora disciplinæ consilia amplectantur, quamvis se virgines interdum mentiantur. Mendosum codicem explicare per solas conjecturas cogimur. MURAT.

(h) *De illis tamen.* Nihilominus, quæ virgines voluntariæ dicuntur, adhuc velandas esse, Tertullianus arbitratur ex eo die, quo viris desponsæ fuerunt, seque ad futuras nuptias parare cœperunt. Has a vere nuptis nihil differre contendit. Similia habet cap. 11 de Virg. vel. Sponsalia vero a Christianis dato osculo et dextera conjuncta peragi solita diximus. Cæterum quæ in isto capite afferuntur compendiose, ea fusius postea ab ipso Tertulliano pertractata fuere in sæpe memorato libro de Virginibus velandis. MURAT.

Digitized by Google

CAPUT XXIII (*a*) (1).

De genu quoque ponendo varietatem observationis patitur oratio per pauculos quosdam, qui sabbato (*b*) abstinent genibus. Quæ dissensio cum maxime apud Ecclesias caussam dicat, Dominus dabit gratiam suam, ut aut cedant, aut sine aliorum scandalo sententia sua utantur. Nos vero, sicut accepimus, solo (*c*) die dominico Resurrectionis non ab isto tantum, sed omni anxietatis (*d*) habitu, et officia cavere debemus, differentes etiam negotia, ne quem diabolo locum demus. Tantumdem et spatio Pentecostes, quæ eadem exultationis (*e*) solemnitatem dispungimur. Cæterum omni die quis dubitet prosternere se Deo vel prima (*f*) saltem oratione, qua lucem ingredimur? Jejuniis autem et stationibus nulla oratio sine genu, et reliquo humilitatis more, celebranda est. Non enim A oramus tantum, sed et deprecamur, et satisfacimus Deo Domino nostro. De temporibus orationis nihil omnino præscriptum est, nisi plane omni in tempore (*g*) et loco orare.

CAPUT XXIV (*h*) (2).

Sed quomodo *omni loco* (I. *Tim.*, I, 2), cum prohibeamur in publico? Omni, inquit, loco, quem opportunitas, aut etiam necessitas importaret. Non enim contra præceptum reputatur ab Apostolis factum, qui in carcere audientibus custodiis orabant et canebant Deo, apud (*i*) Paulum, qui in navi coram omnibus Eucharistiam fecit.

CAPUT XXV (*j*) (3).

De tempore vero non erit otiosa extrinsecus observatio etiam horarum quarumdam. Istarum dico communium, quæ diu inter spatia signant, tertia (*k*), sex-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Cap. XVIII *ed. Leop.*
(2) Cap. XIX *ed. Leop.*
(3) Cap. XX *ed. Leop.*

COMMENTARIUS.

CAP. XXIII.—(a) Tit. cod. Murat.: *De genu ponendo.*

(b) *Sabbato abstinent genibus.* Antiquissimus est ritus genua flectendi in oratione. Exempla habemus in lib. I Regum, cap. VIII, n. 54, in Evang. Lucæ, cap. XXII, n. 41, in Act. apost., c. VII, n. 60, et c. XX, n. 36, et cap. XXI, n. 5. Quin Eusebius Cæsariensis hunc morem Christianorum proprium appellat, Hist. Eccles., lib. V, cap. 5, ubi Christianos milites orasse ait γόνυ θίνας ἐπὶ τὴν γῆν κατὰ τὸ οἰκεῖον τοῖς χριστιανοῖς τῶν εὐχῶν ἦθος: *genu in terram usque flectentes secundum consuetudinem Christianis in precando propriam.* Quidam vero a genu flectendo sabbato abstinebant, cum Ecclesiæ reliquæ contrarium usum tuerentur. In posteriorum sententia erat Tertullianus, qui idcirco C hujusmodi ritus differentiam tolli cupit. Et certe sublatam arbitror, cum ex antiquis neminem offendam, qui sabbato genua flectere prohibeat. Græcis tamen recentioribus eamdem placuisse opinionem, auctor est Joannes Monachus in canonario subjecto libris Morini de Pœnit. Ibi hæc habentur: τὰς πάσας σαββατοκυριακὰς, καὶ ἑορτὰς δεσποτικὰς, καὶ δωδεκαήμερον, ὁμοίως δὲ καὶ τὰς ἀπὸ τοῦ Πάσχα ἡμέρας ἕως τῶν ἁγίων πάντων μὴ γονυκλιτεῖν ἐν ταῖς εὐχαῖς. *Omnibus autem sabbatis, et diebus dominicis, et dodecahemero, similiter et diebus a Paschate usque ad festum omnium sanctorum in orationibus genua flectere non licet.* In Juris etiam græcoromani lib. III, ubi de Luca patriarcha, num. 9, legitur: οἱ ἀποστολικοὶ κανόνες κολάζουσι τὸν ἐν τῷ τυχόντι σαββάτῳ, ἢ τῇ κυριακῇ γονυκλιντοῦντα, ἢ νηστεύοντα. *Apostolici canones eum puniunt, qui quovis sabbato, vel dominico die, genu flectit, vel jejunat.* Quanquam græculus hic fallatur (non enim in Apostolorum canonibus quid tale reperitur), nihilominus palam fit, in Oriente multis post Tertullianum sæculis hujusmodi D consuetudinem iterum invaluisse. MURAT.

(c) *Solo die dominico.* In libro quoque de Cor. mil. eadem affirmantur, veluti e traditionis penu atque auctoritate accepta. *Die*, inquit, *dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Paschæ in Pentecostem usque gaudemus.* Communis autem inter Christianos tum erat hic ritus; quare cum nonnulli ab eo descivissent, placuit Patribus concilii nicæni primi rem statuere in can. ult., ne Ecclesiæ non eo dissentirent. De intermittenda genuflexione tum singulis diebus dominicis, tum diebus a Paschate ad Pentecostem, mentionem faciunt S. Hilarius, Prologo in Psalt., S. Hieronymus, cap. 4, contra Luciferianos, auctor Quæst. ad orthodoxos, inter opera S. Justini, quæst. 113, S. Basilius, cap. 17, lib. de Spir. Sancto, S. Augustinus, epist. 119, Cassianus, Germanus Constantinopol., Balsamon, Zonaras, aliique non pauci. MURAT.

(d) *Sed omni anxietatis habitu.* Desiderari hic verbum *abstinere* mihi videtur. Cum genu flectere, et jejunare, mœstitiam atque pœnitentiam spirarent, dominico die, nempe exultationis die, abstinendum ab eo more fuit. MURAT.

(e) *Quæ eadem exultationis solemnitatem dispungimur.* Diximus et in Pentecoste genua non flexisse Christianos. Nescio an legendum: *quæ eadem exultationis solemnitas est, dispungimus.* In lib. de Patientia *expunxit* pro *præstitit* usurpatum est a Tertulliano; et *dispuncta est* pro *absoluta* cap. 5 de Carne Christi; et *expunget* pro *perficiet* in lib. de Resurr. carnis. In lib. etiam adversus Judæos: *Itaque*, ait, *dispungamus ordinem cœptum*, hoc est *absolvamus.* Igitur *tantumdem dispungimus* hoc loco nil aliud significet, quam *præstamus* et *absolvimus.* MURAT.

(f) *Vel prima saltem oratione.* Celebres sunt apud antiquos ἑωθιναί seu *matutinæ* preces. De iis consule Constitu. apostol. lib. VIII, cap. 34, Chrysostomum, homil. in ps. CIX, et alibi, ac Basilium, in Regulis fusius disputatis, interrog. 37, ut alios omittam. MUR.

(g) *Omni in tempore.* Alludit ad cap. II Epist. ad Timoth., ubi inquit Paulus: *Volo ergo viros orare in omni loco.* At de tempore nullam habet mentionem. MURAT.

CAP. XXIV. — (h) Tit. cod. Murat. *De Loco.*

(i) *Apud Paulum.* Legendum videretur *aut a Paulo.* Respicit Act. apost. c. XXVII, n. 35. Paulus enim cum esset in navi, *sumens panem, gratias egit Deo in conspectu omnium, et cum fregisset, cœpit manducare.* MURAT.

(j) Tit. cod. Murat.: *De Tempore.*

CAP. XXV.—(k) *Tertia, sexta, nona.* Tempora, quibus orationi vacandum esset, alia alii constituerunt. Constitutionum apostolicarum auctor, l. VII, c. 34, *sexies* quotidie orandum ait, nempe *circiter auroram, hora tertia, sexta, nona, vespere, et circiter gallicinium.* Chrysostomus, homilia in psal. CIX, *sexies* itidem orandum esse docet, sed non eadem horarum divisione utitur. S. Basilius *septies* in die preces ad Deum fundendas esse statuit. Clemens vero Alexandrinus, Strom. lib. VII, hujusmodi horarum divisionem laudat quidem, sed alia subdit non contemnenda. *Nonnulli*, inquit, *certas et definitas horas constituunt precationi, ut verbi caussa tertiam, sextam, nonam. At is, qui est cognitione præditus, per totam orat vitam, dum per preces suas cum Deo versari studet.* Tertullianus autem alibi, in libro nempe de Jejun., cap. 10, tertiam, sextam et nonam orationi destinatas repetit, suamque sententiam iisdem confirmat exemplis. In synagoga quoque ter die quolibet precibus dari ope-

Digitized by Google

ta, nona, quas solemniores in Scripturis invenire est. Primus Spiritus sanctus congregatis discipulis hora tertia infusus est (*Act. ap.*, II, 15). Petrus, qua die visionem communitatis omnis in illo vasculo expertus est, sexta hora ascenderat orandi gratia in superiora (*Ibid.*, X, 9). Idem cum Joanne ad nonam in templum adibat, ubi paralyticum sanitati reformavit suæ (*Ib.*, III, 1). Etsi simpliciter se habeant sine ullius observationis præcepto, bonum tamen sit aliquam constituere præsumptionem, qua et orandi admonitionem constringat, et quasi lege ad tale munus extorqueat a negotiis interdum, ut quod Danieli quoque legimus observatum utique ex Israelis disciplina (*Dan.*, VI, 10), ne minus ter die saltem adoremus, debitores Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Exceptis (*a*) utique legitimis orationibus, quæ sine ulla admonitione debentur ingressu lucis et noctis. Sed et cibum non prius sumere, et lavacrum non prius adire quam interposita oratione, fideles decet. Priora enim habenda sunt spiritus refrigeria et pabula, quam carnis, et priora cœlestia, quam terrena.

B

CAPUT XXVI (*b*) (1).

Fratrem domum tuam introgressum ne sine oratione dimiseris. Vidisti, inquit, fratrem (*c*), vidisti Dominum tuum : maxime advenam, ne angelus forte sit. Sed nec ipse a fratribus exemptis (2) priora fecerit refrigeria terrena cœlestibus. Statim enim judicabitur fides tua. Aut quomodo secundum præceptum *pax huic domui* (*Luc.*, X, 5) dices, nisi et eis, qui in domo sunt, pacem mutuam reddas?

CAPUT XXVII (*d*) (3).

Diligentiores in orando subjungere in orationibus (*e*) Alleluia solent, et hoc genus psalmos, quorum (*f*) clausulis respondeant, qui simul sunt. Et est optimum utique institutum omne, quod proponendo et honorando Deo competit, saturatam (*g*) orationem velut optimam hostiam admovere.

CAPUT XXVIII (4).

Hæc est enim hostia spiritalis, quæ pristina sacrificia delevit. *Quo mihi*, inquit, *multitudinem sacrificiorum vestrorum? Plenus sum holocaustomatum arietum; et adipem agnorum, et sanguinem taurorum et hircorum nolo. Quis enim requisivit ista de manibus vestris* (*Isaiæ*, I, 11)? Quæ ergo quæsierit Deus, Evangelium docet. *Veniet hora*, inquit, *cum veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate* (*Joan.*, IV, 23). *Deus enim spiritus est* (II *Cor.*, III, 17) : et adoratores itaque tales requirit. Nos sumus veri adoratores, et veri sacerdotes, qui spiritu orantes spiritu sacrificamus orationem Dei propriam, et acceptabilem quam scilicet requisivit, quam sibi prospexit. Hanc de toto corde (*h*) devotam, fide pastam, veritate curatam, innocentia integram, castitate mundam, agape (*i*) coronatam cum pompa operum bonorum inter

LECTIONES VARIANTES.

C

(1) Cap. XXI. *ed. Leop.*
(2) *Scribend.* exceptus. *Leop.*
(3) Cap. XXII. *Leop.*
(4) Cap. XXIII. *Leop.*

COMMENTARIUS.

ram auctor est, Maimonides, in lib. de Prec. et Benedict. sacerdot., cap 1. Idemque et in Ecclesia Dei ter solitum fieri testatur S. Cyprianus, in lib. de Orat. et S. Hieronymus, in epist. ad Lætam et Demetriadem. MURAT.

(a) *Exceptis utique legitimis orationibus.* Preces matutinas. ac vespertinas a lege præscriptas ait. De iis loquitur Chrysostomus, hom. 22. in Epist. ad Hebr. Vide et Cyprianum, cap. ult. de Orat., ubi *mane et recedente sole necessario orandum* ait. MURAT.

(b) Tit. cod. Murat. : *De fratrum digressu.*

CAP. XXVI. — (c) *Vidisti, inquit, fratrem.* Hæc e sacris Scripturis citari videntur : locum vero innuere nescio. Quod patet, respicit ad c. XIII, n. 2, Epist. ad Hæbreos, ubi Apostolus hospitalitatem commendans ait, interdum Angelos hospitio recipi. Sunt ejus verba : *Et hospitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim latuerunt* (*placuerunt* habent alii) *quidam, Angelis hospitio receptis.* Alludit autem ad Angelos, qui se hospites Abrahamo et Lot obtulerunt. Hinc S. Ambrosius, in lib. de Abraham, cap. 5 : *Qui scis*, inquit, *an Deum suscipias, quem hospitem putas? Abraham dum peregrinantibus defert hospitium, Deum atque Angelos ejus suscepit hospitio. Quamvis et cum hospitem suscipis, Deum suscipis*, etc. Idem ab eo repetitur, lib. II, cap. 21, de Officiis. At in verbis Tertulliani aliquid fortasse desideratur. MURAT.

D

(d) Tit. cod. Murat. : *De subjungendo psalmo.*

CAP. XXVII. — (e) *In orationibus Alleluia.* De hujus vocis antiquitate ac repetito usu in precibus sacris jam alii satis egere, deque illa mentionem faciunt S. Augustinus, in psal. CVI et CX, S. Ambrosius, in *Apologia pro Davide*, Sozomenus, lib. VII, c. 15 et 19, S. Paulinus, S. Hieronymus, Isidorus, Sidonius et alii. A Judæis ad Christianos transit : est enim in davidicis psalmis frequens, eamque olim potissimum in Ecclesia hierosolymitana usurpatam discimus a S. Gregorio, lib. II, epist. 63. MURAT.

(f) *Quorum clausulis respondeant.* Legentium eruditioni facerem injuriam, si post doctissimum summeque pium cardinalem Bonam de antiquissimo psallendi, ac davidicos psalmos aut recitandi, aut canendi usu loqui vellem. Ejus librum *de Psalmodia* consulat quisquis saturari cupit. Hic transiens animadverto, quam vetustus ille etiam sit ritus, quo psalmi alternis in choro, aliisque ecclesiasticis supplicationibus recitantur. MURAT.

(g) *Saturatam orationem.* Sicuti *jejuna oratio*, alio tamen sensu, a Cicerone dicta est, ita et *saturata* a Tertulliano dicitur, quæ preces cum recitatione psalmorum conjungit. Hæc est optima, hæc est pinguis hostia, quam ad aram divinam perducimus. MURAT.

CAP. XXVIII. — (h) *De toto corde devotam.* Orationi, quam hostiam spiritalem appellat, singula tribuit, quæ victimis carneis conveniebant, nimirum ut de toto corde voveatur Deo, ut sit pasta, curata, integra, munda, coronata. MURAT.

(i) *Agape coronatam.* Etsi agaparum nomine convivia illa fere semper significari soleant, quæ a primis christianis in sacro conventu celebrari solebant in pauperum solatium, in mutuæ dilectionis communionem: interdum tamen ipsam Eucharistiam, atque incruentum Sacrificium ea voce significarunt Patres. Neque vero ab agapis olim disjungebatur Dominici Corporis et Sanguinis ministratio. Priore sensu intellexisse videtur Tertullianus, in Apologia, cap. 39 : *Cœna nostra*, inquit, *de nomine rationem sui ostendit. Vocatur enim ἀγάπη, id quod dilectio penes Græcos est.* In lib. etiam ad Martyres, cap. 2, *agapen fratrum* vocat. Hinc autem constat, post orationem celebrari soli-

Digitized by Google

psalmos et hymnos deducere ad Dei altare debemus omnia (*a*) nobis a Deo impetraturam.

CAPUT ULTIMUM (*b*).

Quid enim orationi de spiritu et veritate venienti negavit Deus, qui eam exigit? Legimus, et audimus, et credimus, quanta documenta efficaciæ ejus. Vetus quidem oratio et ab ignibus, et a bestiis, et ab inedia liberabat, et tamen non a Christo acceperat formam. Cæterum quanto amplius (*c*) oratur oratio Christianorum, non roris (*d*) Angelum in mediis ignibus sistit, nec ora leonibus obstruit, nec esurientibus rusticorum prandium transfert, nullum sensum passionis delegata gratia avertit; sed patientes, et sentientes, et dolentes sufferentia instruit, virtute ampliat gratiam, ut sciat fides quid a Domino consequatur, intelligens quid pro Dei nomine patiatur. Sed et retro oratio plagas irrogabat, fundebat hostium exercitus, imbrium utilia (*e*) prohibebat. Nunc vero oratio justitiæ omnem iram Dei avertit, pro inimicis excubat, pro persequentibus supplicat. Mirum si aquas cœlestes extorquere novit, quæ potuit et ignes impetrare? Sola est oratio, quæ Deum vincit. Sed Christus eam nihil mali novit operari. Omnem illi virtutem de bono contulit. Itaque nihil novit, nisi defunctorum animas de ipso mortis itinere vocare, debiles reformare, ægros remediare, dæmoniacos expiare, claustra carceris aperire, vincula innocentium solvere. Eadem diluit delicta, tentationes repellit, persecutiones extinguit, pusillanimes consolatur, magnanimos oblectat, peregrinantes deducit, fluctus mitigat, latrones obstupefecit, alit pauperes, regit divites, lapsos erigit, cadentes suspendit, stantes continet. Oratio murus est fidei, arma et tela nostra adversus (*f*) hominem, qui nos undique observat. Itaque nunquam inermes incedamus. Die stationis, nocte (*g*) vigiliæ meminerimus. Sub armis orationis signum nostri imperatoris custodiamus; tubam Angeli exspectemus. Orantes erant etiam Angeli omnes. Orat omnis creatura. Orant pecudes, et feræ, et genua declinant, et egredientes de stabulis ac speluncis, ad cœlum non otiosi (*h*) ore suspiciunt, vibrantes (*i*) spiritu suo movere. Sed et aves nunc exsurgentes eriguntur ad cœlum, et alarum crucem pro manibus extendunt, et dicunt aliquid, quod oratio videatur. Quid ergo amplius de officio orationis? Etiam ipse Dominus oravit, cui sit honor et virtus in sæcula sæculorum.

COMMENTARIUS.

tam fuisse agapen, cum hæc orationis corona dicatur. De agapis sublatis disquisitionem subdidi Carminibus anedoctis S. Gregorii Nazianzeni. MURAT.

(a) *Omnia nobis impetraturam.* Cum superioribus conjungenda erant hæc verba. Nempe orationem hostiam spiritalem deducere ad Dei altare debemus, omnia nobis a Deo impetraturam. MURAT.

CAP. ULT. — (b) Tit. cod. Murat.: *De vi et affectu orationis. Et affectu.* Scribendum reor *effectu*, ita enim quæ sequuntur persuadent. MURAT.

(c) *Cæterum quanto amplius*, etc. Vim et efficaciam christianæ orationis commendans quorumdam objectiones prævertere videtur, qui miracula per orationem fieri non conspiciebant, qualia in veteri lege facta accepimus. Respondet igitur, non ea quidem ipsa prodigia, sed alia non minora per orationem Christianis præstari. Legendum quinimo arbitror: *Non roris Angelum duntaxat*, etc., *sed etiam patientes*, etc., ut sit sensus: Non ea tantum Christianorum precibus miracula impetrantur, quæ synagoga impetravit; sed alia etiam majora, cum longe majus prodigium sit patienter ferre tormenta, quæ sentiuntur, quam a tormentis liberari. Cui interpretationi consentire videntur tum superiora, tum subsequentia verba atque exempla. Utcumque tamen e vitioso codice conjicere possimus, certum est a Tertulliano eximia commemorari prodigia, quæ per Christianos orantes e cœlo impetrabantur. MURAT.

(d) *Non roris Angelum.* Eum Angelum, qui tres pueros, veluti roscido imbre perfusos, in fornace servavit, *roris Angelum* appellat. Eodem scilicet modo aliis Angelis ab aliqua re gesta, aut aliquo munere nomen imposuit. *Angelum orationis* supra nominavit; *Angelos* matrimonio præpositos memorat lib. II, ad Uxor., cap. ultimo; *Angelum baptismi*, lib. de Bapt., cap. 5 et 6, et *Angelum*, cui hominis in utero formandi est cura, nominat l. de Anima, c. 37. MURAT.

(e) *Imbrium utilia prohibebat.* Quando hic mendum non lateat, explicare possumus, orationem in causa fuisse, ne utiles imbres e cœlo in hostium arva fluerent. MURAT.

(f) *Adversus hominem*, etc. Hæc revera de diabolo dicenda erant, qui semper *circuit quærens quem devoret*. Sed quo jure *hominem* Tertullianus appellasset? De ethnicis ergo principibus loqui mihi videtur auctor, qui nihil non curabant, atque observabant, ut Christianorum reipublicæ nocerent. MURAT.

(g) *Nocte vigiliæ meminerimus.* Actum agerem, si de vigiliarum in Ecclesia Dei antiquitate mandare litteris aliquid vellem. Ad eam tamen luculentius probandam non parum conferet hic Tertulliani locus. Eorum autem confidentiam præterire non possum, qui vigiliarum institutionem ex necessitate factam, ac servatam tribus primis Ecclesiæ sæculis scribunt; cum enim (aiunt illi) convenire interdiu Christiani non possent præ paganorum timore, hinc factum est ut noctu conventum celebrarent, vigilantes in oratione et in laudibus divinis. At quid evidentius quam et diurno tempore ad Ecclesiam coiisse Christianos vel ipsis tribus a Christo nato sæculis! Id satis probant quæ de stationibus breviter ego, fusius alii, annotarunt. MURAT.

(h) *Non otiosi ore.* Scribendum est *non otioso*, aut *non otiosæ*. MURAT.

(i) *Vibrantes.* Si quidem ita scripserit Tertullianus, hoc verbum explicarem hac ratione: conantes spiritu suo ora ad laudandum Deum atque orandum movere. MURAT.

Digitized by Google

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI
DE BAPTISMO
ADVERSUS QUINTILLAM
LIBER.

Argumentum.

QUINTILLA CARTHAGINE HÆRESIM CAIANITARUM DISSEMINAVERAT ET NECESSARIAM IN BAPTISMO AQUAM NON ESSE DOCUERAT. HUNC ERROREM IN HOC TRACTATU TERTULLIANUS ADHUCDUM CATHOLICUS IMPUGNAT, QUI BIFARIAM DIVISUS EST : PARS PRIMA AD DOGMA DE NECESSITATE ET EFFICACIA BAPTISMI SPECTAT, IN ALTERA PARTE PLURES QUÆSTIONES DE BAPTISMO AD DISCIPLINAM SPECTANTES PERTRACTANTUR.

I.

Excellentia aquæ Baptismi, cap. I, II, III.
Materia Baptismi et virtus, IV.
Effectus Baptismi, V, VI.
Unctio post Baptismum adhiberi consueta, VII.
Impositio manuum post Baptismum ejusque significatio. VIII.
Baptismi figuræ, IX.
Baptismus Joannis an cœlestis, an terrenus, X.
Necessitas Baptismi ad salutem, XI.

II.

An Apostoli baptizati, XII.
Quo tempore lex Baptismi obligare cœperit, XIII.
S. Paulus an baptizaverit, XIV.
Unitas Baptismi, XV.
Baptismus sanguinis, XVI.
Baptismi minister; an mulieribus baptizare liceat, XVII.
Baptismus in qua vitæ ætate conferendus, XVIII.
Baptismi conferendi tempus, XIX.
Dispositiones ad Baptismum, XX. SCHRAM.

CAPUT PRIMUM.

Felix sacramentum (*a*) aquæ nostræ (*b*) qua abluti (1) delictis pristinæ cæcitatis, in vitam æternam (*c*) liberamur. Non erit otiosum digestum istud, instruens tam eos qui cum maxime formantur, quam et illos qui simpliciter credidisse contenti, non exploratis rationibus traditionum, intentatam probabilem fidem per imperitiam portant (*d*) : A atque adeo nuper conversata istic quædam de Caiana hæresi vipera (*e*) venenatissima doctrina sua plerosque rapuit, imprimis Baptismum destruens. Plane secundum naturam : nam fere (2) viperæ, et aspides, ipsique reguli serpentes arida et inaquosa sectantur. Sed nos pisciculi secundum IXΘYN (*f*) nostrum Jesum Christum in qua nascimur (3), nec aliter quam in

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quia ablutis *Fran.*
(2) Feræ *alii.*
(3) Nascamur *Paris.*

COMMENTARIUS.

CAP. I. — (a) *Felix sacramentum.* Caput hoc primum non aliud quam *præfatio* est totius operis. *Sacramentum* autem esse *Baptismum* cum nemo unquam dubitaverit, paucos duntaxat locos Tertulliani afferemus; idque non solum ea significatione qua sacramentum pro jurejurando accipitur, quemadmodum debet intelligi illud libri de Coron. milit. cap. XI : *Credimus ne humanum* B *sacramentum divino superduci licere?* verum etiam proprie pro mysterio divino et Ecclesiæ sacramento, quale est illud, lib. IV, adv. Marcion. : *Nec alibi conjunctos ac sacramentum Baptismatis admittere;* et illud libr. de Anima : *Securissimi atque tutissimi sacramenti.* Ut libr. de Velandis Virg. cap. 2 : *Eadem lavacri sacramenta;* et infra de Bapt. in cap. 5 : *Annon et alias sine ullo sacramento immundi spiritus aquis incubant?* Cf. lib. de Idololatr. cap. 6, adv. Marc., lib. I, et infra de Baptism. cap. 4, 12, 13. EDD. *ex Pamelio.*

(b) *Aquæ nostræ.* Adversus Quintillam necessitatem aquæ in Baptismo negantem hac prima voce Auctor erumpit, hæresimque profligat, postea in Seleucianis et Herminianis redivivam et a B. Philastrio, D. Augustino sus deque versam, iterum nihilominus quorumdam Calvini asseclarum cervice gravi et tardo corde trita deliramenta recoquentium. EDD. *ex eod.*

(c) *In vitam æternam.* Baptismi fructus est peccatorum remissio, qua Deo accepti reddimur, et vitæ æternæ participes. LE PR.

(d) *Intentatam probabilem fidem per imperitiam portant.* Frustra Septimii mens quæritur, nisi verba reddimus, quod facere videmur hac emendatione : *In tentatum probabilem fidem per imperitiam portant.* Tentatum dicit, tentationem. Qui simpliciter credidisse contenti sunt, non exploratis rationibus traditionum, per imperitiam portant in tentationes fidem non sine periculo probabilem, hoc est, dubio eventu probandam. RIG.

(e) *De caiana hæresi vipera.* Hieronymus, epist. ad Oceanum 43 : *Et consurgit mihi caiana hæresis, atque olim emortua vipera contritum caput levat.* RIG. — *Quædam de caiana hæresi.* De Quintilla loquitur, a qua hæretici Quintilliani, qui et Pepuziani dicti, quoniam virus suum Pepuzæ potissimum sparserit. Negabat omnino baptismum antequam ad Montani partes accederet; nam Montano addicta illum ut Montanus admisit. LE PR.

(f) *Sed nos pisciculi secundum* IXΘYN *nostrum Jesum Christum.* Confer ea quæ antea de hoc symbolo

Digitized by Google

aqua permanendo salvi sumus. Ita Quintillia monstrosissima, cui nec integre (1) quidem docendi jus erat (*a*), optime norat pisciculos necare, de aqua auferens.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Integræ *Jun.*

COMMENTARIUS.

prælibavimus in prævia D. Lumperi dissertatione, p. 150. Nunc cum paulo liberius in altum ducere ac laxare rete animus est, duos præcipuos hujusce symboli sensus, unum nempe ad Baptismum, alterum vero ad Eucharistiam referendum, prælucentibus veterum Patrum, recentiorumque eruditorum facibus, indagare libet. Ac prima quidem causa cur dicti fuerint Christiani *pisciculi secundum* ΙΧΘΥΝ *N. J. C.* ab alma Baptismatis unda dimanat. « Cum enim, inquit, doctissimus Mamachi, *in Originib. et Antiquitat. christianor., lib.* I, *cap.* 1, § 6, *pag.* 54, aqua Baptismi regenerari nos ad novam, spiritalemque vitam majores nostri intelligerent, similitudinem e *piscibus* qui in aqua gignuntur, nec vivere sine aqua possunt, duxerunt, iisque omnibus, qui baptizati christianam Religionem amplexi essent, indiderunt nomen *pisciculorum.* » Illud quoque accedebat quod in Evangeliis legerent fuisse a Christo *piscatores hominum* apostolos appellatos, comparatamque *sagenæ* Ecclesiam, quæ ex omni genere piscium congregaret. Quapropter Clemens Alexandrinus hortatus Christianos in *Pædagogo* est, ut qui annulos ferrent, hi *piscis* figuram in illis insculptam curarent, ne suæ originis obliviscerentur : Αἱ δὲ σφραγῖδες ἡμῖν ἔστων .. ἢ ΙΧΘΥΣ (*Lib.* III *Pædagog. edit. Oxon. pag.* 289). Hinc idem Theosophus in hieratico ac pereleganti Salvatoris Christi hymno cecinit (*ibid., pag.* 312):

Ἀλιεῦ μερόπων
Τῶν σωζομένων
Πελάγους κακίας,
Ἰχθεῦ ἀγνοῦς
Κύματος ἐχθροῦ,
Γλυκερᾷ ζωᾷ
Δελεάζων.

Eo vero facilius inducti fuerunt Christiani veteres ut hoc symbolo uterentur, quod, cum, urgente persecutorum æstu, jam enixe tegenda esset tessera qua sese inter se et ab ethnicis secernerent, a primis incunabulis rei christianæ occurrisse videtur ac forsan ab asiaticis neophytis qui Smyrnæ versabantur aut Ephesi, in hac præ cæteris ænigmatum, acrostichidum, arcanorumque arminum feraci regione, reperta est, sive ex industria, sive favente Deo, vox illa græca ΙΧΘΥΣ, quam conflatam esse ex initialibus litteris appellationum græcarum *Jesu Christi Filii Dei, servatorisque nostri.* Huc autem pertinent perplura Patrum testimonia, ex quibus unum præ omnibus laudandum D. August. (*Civit. Dei, cap.* 18, *p.* 23) : *Horum autem græcorum quinque verborum, quæ sunt* ΙΗΣΟΥΣ, ΧΡΙΣΤΟΣ, ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ, ΣΩΤΗΡ, *quod est latine* JESUS CHRISTUS DEI FILIUS SALVATOR, *si primas litteras jungas, erit* ΙΧΘΥΣ, *id est* PISCIS, *in quo nomine mystice intelligitur Christus, eo quod in hujus mortalitatis abysso velut in aquarum profunditate vivus, hoc est, sine peccato esse potuerit* (*Cf. eumd. in Ps.* LXIV; *de divers. Quæst.* LXI, 1, 2, *tom.* I, *pag.* 80, III, 1961; *Serm.* 249, 270, *tom.* V, *num.* 205, § 1, *Append.*; Gregor. Nazianz., *Serm.* 37, *al.* 31, *initio*; S. Optat. Milevit., *adv. Parmen. lib.* III, *edit. Lugd.* 4, *p.* 351; Hieronym. *Ep.* 7, *ad Chromat., Epist. ad Ruf., in Matth.* XIV, *in Ezechiel.* XXIX *et* XXXVII, *in Osee* IV, *in Sophon.* I, *in Habac.* I; S. Joann. Chrysost., *Serm. in Andream.*; S. Paulin, *Ep.* 15; S. Eucherii, *Formul. Spirit.* IV, *cd. PP. Lugd.* 6, 831; S. Prosper, *de Promission. part.* II, *c.* 39; S. Greg. Pap. *Hom.* 11, *in Evang., edit. Venet. tom.* V, *pag.* 183, 184).

Sint coronidis instar venusta non secus ac pia melliflui Ambrosii verba (*in Hex. l.* V, *c.* 6, 7) : « Piscis es ergo, o homo ! audi quia piscis es : *Simile est regnum cœlorum*, etc. Sunt ergo boni et mali pisces ; boni servantur ad pretium, mali statim ardent. Bonum piscem nec retia involvunt, sed elevant, nec hamus internecat atque interficit, sed pretiosi vulneris perfundit sanguine... Noli igitur, o bone Piscis, Petri hamum timere : non occidit, sed consecrat... Exsili super undas, o homo, quia piscis es : non te opprimant sæculi istius fluctus. Si tempestas est, pete altum ; si serenitas, lude in fluctibus ; si procella, cave a scopuloso littore, ne te in rupem furens æstus illidat. »

Altera vero remanet piscis symbolici significatio, sublimior forsan et altior, quippe quæ ad fastigium rerum divinarum, Sacrosanctam nempe Eucharistiam, attingat ; indeque secunda exsurgit causa cur veteres Christianos se *pisces* vocitare juvaret. Per quem enim renascebantur, per eum et pascebantur. Illud porro cuique sacra Evangelii instrumenta vel festina manu revolventi attendendum occurrat necesse est, Christum bis in figuram sacramenti panes multiplicasse, bisque post resurrectionem cibum cum discipulis sumpsisse, nec ullibi defuisse piscem, veluti alterum evidentem sacramenti symbolum. Ni verear ne in immensum crescat notula hæc forsan longior, haud temperarem quin, favente nova hac luce, ac præeunte vel plurimo rerum antiquarum explanatore, sexcenta revolvam hinc inde sparsa monumenta, ac præcipue vasa vitrea, eborea, ænea, figlinave olim in usu sacrorum accepta, quibus evidentissimis signis patet fuisse manifestam Eucharistiæ figuram piscem sive unum sive duplicem, sive multiplicem. Vix datur in iis brevium commentationum angustiis locus remittendi lectorem ad opera in quibus disseminantur hujusce nostræ sententiæ argumenta ; videtis ergo, si lubet, aut vacat, Boldetti. *Osservaz. sopra i cimiteri, pag.* 516, 163, 208, 198; Astadoni *dissert. sopra pesce* XXII; Racolt. Calogerà, *tom.* XLI, *pag.* 281; Bottari, *tav.* XIX, XX, XXIII, XXXI, XXXVI, XXXVII, XL, XLIX, LI, LIX, LXVII, LXXXIII, etc. etc.; Ciampini. *Vetera Monument. in quib. præcip. Musiv. opera, tom.* II, *pag.* 26 ; Fortunio Liceto. *Hieroglyphica, Patav.* 1653, *num.* 54, *pag.* 390 ; Montfauc. *Antiquit. explic.* III, 71. Demum accresceret haud ægre ingens testimoniorum sylva ex Patribus latinis vel græcis priscæ mediævæ ætatis, quos indigitare summatim sufficiat : Clem. Alex. *Strom. lib.* III, *pag.* 787, *Oxon.*; Athanas. *Quæst. in. Scrip. sacr.* 44 ; Sever. Gabalitan. *Serm. ex membran. Vatic. apud Bott. Roma sott. tom.* III, *pag.* 20; S. Paulin, *Ep.* XIII, *edit. rom. pag.* 397; S. Chrysolog. *Serm.* 47, 55; Venerab. Bed. *in Joann.* XXI, *in Luc.* XXIV; Albert. Magn. *Comm. in Joann.* XVII; S. Isidor. *apud. Albert. Marial. lib.* IX, *c.* 4; D. Thom. *Comm. in Joann.* XXI; Cornel. a Lapide *in Habac.* I, 14, *in Ezech.* XXIX, 4, XLVII. — Alias iterum, benevole Lector, velim remittaris, ut intricatam, his tamen proxime connexam, de sibyllina acrostichide disputationem aggrediamur, jamque a te discessurus monitum volo nullius esse momenti quamdam doctissimi aliunde Gerardi Vossii in hoc Tertulliani effatum mysticam conjectationem, ibidem nempe latere subobscuram ethnicorum in Christianos obtrectationem, quam apprime diluit J. Kortholdt in commentatione cui titulus : *Paganus obtrectator* sive *De gentilium calumniis, Lubeck.* 1703. Edd.

(*a*) *Cui nec integre quidem docendi jus erat.* Hoc est, cui nec sanam quidem et veram doctrinam docendi jus erat, nedum perversam, adulteram, hæreticam,

Digitized by Google

CAPUT II.

Sed enim quanta vis est perversitatis ad fidem labefactandam, vel in totum non recipiendam, ut ex his eam impugnet, ex quibus constat. Nihil adeo est quod tam obduret mentes hominum, quam simplicitas divinorum operum quæ in actu videtur, et magnificentia quæ in effectu repromittitur : ut hic quoque, quoniam tanta simplicitate sine pompa, sine apparatu novo aliquo, denique sine sumptu homo in aqua (1) demissus, et inter pauca verba tinctus, non multo vel nihilo mundior resurgit, eo incredibilis existimetur consecutio æternitatis (*a*). Mentior, si non e contrario idolorum solemnia vel arcana, de suggestu et apparatu, deque sumptu, fidem et auctoritatem sibi exstruunt. Pro! misera incredulitas, quæ denegas (2) Deo proprietates suas, simplicitatem et potestatem. Quid ergo? nonne mirandum et lavacro dilui mortem? Atquin eo magis credendum, si, quia mirandum est, idcirco non creditur. Qualia enim decet esse ópera divina, nisi super omnem admirationem? Nos quoque ipsi miramur, sed quia credimus. Cæterum incredulitas miratur, non credit. Miratur enim simplicia quasi vana, magnifica quasi impossibilia. Et sit plane ut putas, sa'i ad utrumque divina pronuntiatio præcucurrit (3): *Stulta mundi elegit Deus ut confundat sapientiam ejus* (I *Cor.*, I, 27), et *Prædifficilia penes homines*, *facilia penes Deum* (*Matth.*, XIX, 26). Nam si Deus et sapiens et potens, quod etiam prætereuntes eum non negant, merito in adversariis sapientiæ potentiæque, id est in stultitia et impossibilitate materias operationis suæ instituit. Quoniam virtus omnis ex his caussam accipit, a quibus provocatur.

CAPUT III.

Hujus memores pronuntiationis, tanquam præscriptionis, nihilominus quam stultum et impossibile sit aqua reformari tractamus. Quid utique A ista materia tantæ dignationis meruerit officium? Ut opinor, auctoritas liquidi elementi exigenda est. Atquin plurima suppetit, et quidem a primordio. Nam unum ex his est quæ ante omnem mundi suggestum impolita adhuc specie penes Deum quiescebant : *In primordio*, inquit, *fecit Deus cœlum et terram. Terra autem erat invisibilis* (4) *et incomposita, et tenebræ erant super abyssum, et spiritus Dei* (5) (*b*) *super aquas ferebatur* (*Gen.* I, 1, 2). Habes, homo, imprimis ætatem venerari aquarum, quod antiqua substantia; dehinc dignationem, quod divini spiritus sedes, gratior scilicet cæteris tunc elementis (*c*). Nam et tenebræ totæ adhuc sine cultu siderum informes, et tristis abyssus (*d*), et terra imparata, et cœlum rude : solus liquor, semper materia perfecta, læta simplex, de suo pura, dignum vectaculum (6) Deo subjiciebat. Quid B quod exinde dispositio mundi modulatricibus quodammodo aquis (7) Deo constitit. Nam, ut firmamentum cœleste suspenderet, in medietate distinctis aquis fecit; et, ut terram aridam suspenderet (8), segregatis aquis expediit (*Gen.*, 1). Ordinato dehinc per elementa mundo cum incolæ darentur (*Prov.*, VIII), primis aquis præceptum est animas proferre. Primus liquor quod viveret edidit ne mirum sit, in Baptismo, si aquæ animare (*e*), noverunt. Nam ipsius quoque hominis figurandi (9) opus, sociantibus aquis absolutum est. De terra materia convenit, non tamen habilis nisi humecta et succida, quam scilicet ante quartum diem segregatæ aquæ in stationem suam, superstite humore, limo C temperarant (10). Si exinde universa vel plura prosequar quæ de elementi istius auctoritate commemorem, quanta vis ejus aut gratia, quot ingenia, quot officia, quantum instrumentum mundo ferat; vereor ne laudes aquæ potius, quam Baptismi rationes videar congregasse. Licet eo plenius docerem non esse dubitandum, si materiam, quam in omnibus rebus et

LECTIONES VARIANTES.

(1) Aquam *Jun.*
(2) Denegat *alii.*
(3) Præcurrit *Paris.*
(4) *Alii* visibilis; *cf. adv. Hermogen.* c. XXIII.
(5) Domini *Paris. cf. adv. Hermog.* XXIII.
(6) Vectabulum *alii*, quod præfert *Jun.* in libro de anima c. 53.
(7) A Deo *alii.*
(8) Dispesceret *Jun.*
(9) Figulandi *Rigalt. Venet.*
(10) Temperant *alii.*

COMMENTARIUS.

Sic initio libri II ad Uxorem : *Quod si integre sapis ;* hoc est, si vere. Ait igi ur : Quintillæ nec integre quidem docendi jus esse, quia scilicet docendi munus virile esse, et quidem sacerdotale, sicuti et tingere et offerre. Præclare hoc explicavit libro de Velandis Virginibus. Rig.

CAP. II.—(a) *Incredibilis existimetur*, etc. Error hic etiam erat Quintillæ, quæ incredibile putabat, Baptismum vitam æternam conferre. Ob eam caussam de Caiana hæresi viperam vocavit, quod ab impiis Caianorum dogmatis tantisper deflecteret. Ii enim, ut docet S. Hieronymus, *Epist.* 43 *ad Oceanum*, dicere audebant, quædam esse peccata, quæ Christus sanguinis sui effusione lavare non posset, et tam altas jecisse radices in animis nostris, ut inde evelli nequeant. Le Pr.

CAP. III.—(b) *Spiritus Dei.* Sic Pamelius, et expungit *Domini*, ratus emendasse juxta usitatiorem phrasin Tertulliani, et textum græcum, et hebraicum. Non me moverent ista, quo minus a litura abstinerem, et ex Tertulliano suffragium ferrem Vulgatæ quæ *Domini* ver- D tit, et interdum facit ubi in græco est Θεοῦ; adductus tamen sum ut lectionem Pamelii retinerem, quia Tertullianus, adv. Hermogenem, cap. 3., non ante dixit in Genesi Deum vocatum fuisse Dominum, quam perfecto jam orbe homineque formato. Non ergo legerat spiritus *Domini*, sed *Dei*. Lac.

(c) *Gratior scilicet tunc cæteris elementis.* Præfert aquam aliis elementis, maxime ut tunc erant horrida, cavens ne a philosophante nonnullo arguatur minus physice assertum, cum primas fere omnes igni deferant. Licet Plutarchus paululum ambigat, libellum integrum confecit, cujus titulus est : An aqua dignior igne; ubi pluribus illam antefert, citatque Pindarum, ode 1, Olymp. ἄριστον μὲν ὕδωρ. Lac.

(d) *Et tristis abyssus.* Ignitam mundi sedem signat nomine abyssi, non aquæ congeriem, quam minime tristem, sed lætam hic vocat. Lac.

(e) *Ne mirum sit in baptismo si aquæ animare noverunt.* Animare, hoc est, æternam homini vitam reddere, qua peccando exciderat. Rig.

Digitized by Google

aqua permanendo salvi sumus. Ita Quintillia monstrosissima, cui nec integre (1) quidem docendi jus erat (a), optime norat pisciculos necare, de aqua auferens.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Integræ *Jun.*

COMMENTARIUS.

prælibavimus in prævia D. Lumperi dissertatione, p. 150. Nunc cum paulo liberius in altum ducere ac laxare rete animus est, duos præcipuos hujusce symboli sensus, unum nempe ad Baptismum, alterum vero ad Eucharistiam referendum, prælucentibus veterum Patrum, recentiorumque eruditorum facibus, indagare libet. Ac prima quidem causa cur dicti fuerint Christiani *pisciculi secundum* ΙΧΘΥΝ *N. J. C.* ab alma Baptismatis unda dimanat. « Cum enim, inquit, doctissimus Mamachi, *in Originib. et Antiquitat. christianor., lib.* I, *cap.* 1, § 6, *pag.* 54, aqua Baptismi regenerari nos ad novam, spiritalemque vitam majores nostri intelligerent, similitudinem e *piscibus* qui in aqua gignuntur, nec vivere sine aqua possunt, duxerunt, iisque omnibus, qui baptizati christianam Religionem amplexi essent, indiderunt nomen *pisciculorum.* » Illud quoque accedebat quod in Evangeliis legerent fuisse a Christo *piscatores hominum* apostolos appellatos, comparatamque *sagenæ* Ecclesiam, quæ ex omni genere piscium congregaret. Quapropter Clemens Alexandrinus hortatus Christianos in *Pædagogo* est, ut qui annulos ferrent, hi *piscis* figuram in illis insculptam curarent, ne suæ originis obliviscerentur : Αἱ δὲ σφραγῖδες ἡμῖν ἔστων .. ἢ ΙΧΘΥΣ (*Lib.* III *Pædagog. edit. Oxon. pag.* 289). Hinc idem Theosophus in hieratico ac pereleganti Salvatoris Christi hymno cecinit (*ibid., pag.* 312):

Ἀλιεῦ μερόπων
Τῶν σωζομένων
Πλάγους κακίας,
Ἰχθεῦ ἁγνοῦς
Κύματος ἐχθροῦ,
Γλυκερῇ ζωῇ
Δελεάζων.

Eo vero facilius inducti fuerunt Christiani veteres ut hoc symbolo uterentur, quod, cum, urgente persecutorum æstu, jam enixe tegenda esset tessera qua sese inter se et ab ethnicis secernerent, a primis incunabulis rei christianæ occurrisse videtur ac forsan ab asiaticis neophytis qui Smyrnæ versabantur aut Ephesi, in hac præ cæteris ænigmatum, acrostichidum, arcanorumque arminum feraci regione, reperta est, sive ex industria, sive favente Deo, vox illa græca ΙΧΘΥΣ, quam conflatam esse ex initialibus litteris appellationum græcarum *Jesu Christi Filii Dei, servatorisque nostri.* Huc autem pertinent perplura Patrum testimonia, ex quibus unum præ omnibus laudandum D. August. (*Civit. Dei, cap.* 18, *p.* 23) : *Horum autem græcorum quinque verborum, quæ sunt* ΙΗΣΟΥΣ, ΧΡΙΣΤΟΣ, ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ, ΣΩΤΗΡ, *quod est latine* JESUS CHRISTUS DEI FILIUS SALVATOR, *si primas litteras jungas, erit* ΙΧΘΥΣ, *id est* PISCIS, *in quo nomine mystice intelligitur Christus, eo quod in hujus mortalitatis abysso velut in aquarum profunditate vivus, hoc est, sine peccato esse potuerit* (*Cf. eumd. in Ps.* LXIV; *de divers. Quæst.* LXI, 1, 2, *tom.* I, *pag.* 80, III, 1961; *Serm.* 249, 270, *tom.* V, *num.* 205, § 1, *Append.*; Gregor. Nazianz., *Serm.* 37, *al.* 51, *initio*; S. Optat. Milevit., *adv. Parmen. lib.* III, *edit. Lugd.* 4, *p.* 351; Hieronym. *Ep.* 7, *ad Chromat., Epist. ad Ruf., in Matth.* XIV, *in Ezechiel.* XXIX *et* XXXVII, *in Osee* IV, *in Sophon.* I, *in Habac.* I; S. Joann. Chrysost., *Serm. in Andream.*; S. Paulin, *Ep.* 15; S. Eucherii, *Formul. Spirit.* IV, *cd. PP. Lugd.* 6, 831; S. Prosper, *de Promission. part.* II, *c.* 39; S. Greg. Pap. *Hom.* 11, *in Evang., edit. Venet. tom.* V, *pag.* 183, 184).

Sint coronidis instar venusta non secus ac pia melliflui Ambrosii verba (*in Hex. l.* V, *c.* 6, 7) : « Piscis es ergo, o homo ! audi quia piscis es : *Simile est regnum cœlorum*, etc. Sunt ergo boni et mali pisces ; boni servantur ad pretium, mali statim ardent. Bonum piscem nec retia involvunt, sed elevant, nec hamus internecat atque interficit, sed pretiosi vulneris perfundit sanguine... Noli igitur, o bone Piscis, Petri hamum timere : non occidit, sed consecrat... Exsili super undas, o homo, quia piscis es : non te opprimant sæculi istius fluctus. Si tempestas est, pete altum ; si serenitas, lude in fluctibus ; si procella, cave a scopuloso littore, ne te in rupem furens æstus illidat. »

Altera vero remanet piscis symbolici significatio, sublimior forsan et altior, quippe quæ ad fastigium rerum divinarum, Sacrosanctam nempe Eucharistiam, attingat ; indeque secunda exsurgit causa cur veteres Christianos se *pisces* vocitare juvaret. Per quem enim renascebantur, per eum et pascebantur. Illud porro cuique sacra Evangelii instrumenta vel festina manu revolventi attendendum occurrat necesse est, Christum bis in figuram sacramenti panes multiplicasse, bisque post resurrectionem cibum cum discipulis sumpsisse, nec ullibi defuisse piscem, veluti alterum evidentem sacramenti symbolum. Ni verear ne in immensum crescat notula hæc forsan longior, haud temperarem quin, favente nova hac luce, ac præeunte vel plurimo rerum antiquarum explanatore, sexcenta revolvam hinc inde sparsa monumenta, ac præcipue vasa vitrea, eborea, ænea, figlinave olim in usu sacrorum accepta, quibus evidentissimis signis patet fuisse manifestam Eucharistiæ figuram piscem sive unum sive duplicem, sive multiplicem. Vix datur in iis brevium commentationum angustiis locus remittendi lectorem ad opera in quibus disseminantur hujusce nostræ sententiæ argumenta ; videtis ergo, si lubet, aut vacat, Boldetti. *Osservaz. sopra i cimiteri, pag.* 516, 163, 208, 198; Astadoni *dissert. sopra pesce* XXII; Racolt. Calogeræ, *tom.* XLI, *pag.* 281; Bottari, *tav.* XIX, XX, XXIII, XXXI, XXXVI, XXXVII, XL, XLIX, LI, LIX, LXVII, LXXXIII, etc. etc.; Ciampini. *Vetera Monument. in quib. præcip. Musiv. opera, tom.* II, *pag.* 26 ; Fortunio Liceto. *Hieroglyphica, Patav.* 1653, *num.* 54, *pag.* 390 ; Montfauc. *Antiquit. explic.* III, 71. Demum accresceret haud ægre ingens testimoniorum sylva ex Patribus latinis vel græcis priscæ mediævæ ætatis, quos indigitare summatim sufficiat : Clem. Alex. *Strom. lib.* III, *pag.* 787, *Oxon.*; Athanas. *Quæst. in. Scrip. sacr.* 44 ; Sever. Gabalitan. *Serm. ex membran. Vatic. apud Bott. Roma sott. tom.* III, *pag.* 20; S. Paulin, *Ep.* XIII, *edit. rom. pag.* 397; S. Chrysolog. *Serm.* 47, 55; Venerab. Bed. *in Joann.* XXI, *in Luc.* XXIV; Albert. Magn. *Comm. in Joann.* XVII; S. Isidor. *apud. Albert. Murial. lib.* IX, *c.* 4; D. Thom. *Comm. in Joann.* XXI; Cornel. a Lapide *in Habac.* I, 14, *in Ezech.* XXIX, 4, XLVII. — Alias iterum, benevole Lector, velim remittaris, ut intricatam, his tamen proxime connexam, de sibyllina acrostichide disputationem aggrediamur, jamque a te discessuris monitum volo nullius esse momenti quamdam doctissimi aliunde Gerardi Vossii in hoc Tertulliani effatum mysticam conjectationem, ibidem nempe latere subobscuram ethnicorum in Christianos obtrectationem, quam apprime diluit J. Kortholdt in commentatione cui titulus : *Paganus obtrectator* sive *De gentilium calumniis, Lubeck.* 1703. Edd.

(a) *Cui nec integre quidem docendi jus erat.* Hoc est, cui nec sanam quidem et veram doctrinam docendi jus erat, nedum perversam, adulteram, hæreticam,

Digitized by Google

CAPUT II.

Sed enim quanta vis est perversitatis ad fidem labefactandam, vel in totum non recipiendam, ut ex his eam impugnet, ex quibus constat. Nihil adeo est quod tam obduret mentes hominum, quam simplicitas divinorum operum quæ in actu videtur, et magnificentia quæ in effectu repromittitur : ut hic quoque, quoniam tanta simplicitate sine pompa, sine apparatu novo aliquo, denique sine sumptu homo in aqua (1) demissus, et inter pauca verba tinctus, non multo vel nihilo mundior resurgit, eo incredibilis existimetur consecutio æternitatis (*a*). Mentior, si non e contrario idolorum solemnia vel arcana, de suggestu et apparatu, deque sumptu, fidem et auctoritatem sibi exstruunt. Pro! misera incredulitas, quæ denegas (2) Deo proprietates suas, simplicitatem et potestatem. Quid ergo? nonne mirandum et lavacro dilui mortem? Atquin eo magis credendum, si, quia mirandum est, idcirco non creditur. Qualia enim decet esse opera divina, nisi super omnem admirationem? Nos quoque ipsi miramur, sed quia credimus. Cæterum incredulitas miratur, non credit. Miratur enim simplicia quasi vana, magnifica quasi impossibilia. Et sit plane ut putas, sa'is ad utrumque divina pronuntiatio præcucurrit (3): *Stulta mundi elegit Deus ut confundat sapientiam ejus* (I *Cor.*, I, 27), et *Prædifficilia penes homines*, *facilia penes Deum* (*Matth.*, XIX, 26). Nam si Deus et sapiens et potens, quod etiam prætereuntes eum non negant, merito in adversariis sapientiæ potentiæque, id est in stultitia et impossibilitate materias operationis suæ instituit. Quoniam virtus omnis ex his caussam accipit, a quibus provocatur.

CAPUT III.

Hujus memores pronuntiationis, tanquàm præscriptionis, nihilominus quam stultum et impossibile sit aqua reformari tractamus. Quid utique ista materia tantæ dignationis meruerit officium? Ut opinor, auctoritas liquidi elementi exigenda est. Atquin plurima suppetit, et quidem a primordio. Nam unum ex his est quæ ante omnem mundi suggestum impolita adhuc specie penes Deum quiescebant : *In primordio*, inquit, *fecit Deus cœlum et terram. Terra autem erat invisibilis* (4) *et incomposita, et tenebræ erant super abyssum, et spiritus Dei* (5) (*b*) *super aquas ferebatur* (*Gen.* I, 1, 2). Habes, homo, imprimis ætatem venerari aquarum, quod antiqua substantia; dehinc dignationem, quod divini spiritus sedes, gratior scilicet cæteris tunc elementis (*c*). Nam et tenebræ totæ adhuc sine cultu siderum informes, et tristis abyssus (*d*), et terra imparata, et cœlum rude : solus liquor, semper materia perfecta, læta simplex, de suo pura, dignum vectaculum (6) Deo subjiciebat. Quid quod exinde dispositio mundi modulatricibus quodammodo aquis (7) Deo constitit. Nam, ut firmamentum cœleste suspenderet, in medietate distinctis aquis fecit; et, ut terram aridam suspenderet (8), segregatis aquis expediit (*Gen.*, I). Ordinato dehinc per elementa mundo cum incolæ darentur (*Prov.*, VIII), primis aquis præceptum est animas proferre. Primus liquor quod viveret edidit ne mirum sit, in Baptismo, si aquæ animare (*e*), noverunt. Nam ipsius quoque hominis figurandi (9) opus, sociantibus aquis absolutum est. De terra materia convenit, non tamen habilis nisi humecta et succida, quam scilicet ante quartum diem segregatæ aquæ in stationem suam, superstite humore, limo temperarant (10). Si exinde universa vel plura prosequar quæ de elementi istius auctoritate commemorem, quanta vis ejus aut gratia, quot ingenia, quot officia, quantum instrumentum mundo ferat; vereor ne laudes aquæ potius, quam Baptismi rationes videar congregasse. Licet eo plenius docerem non esse dubitandum, si materiam, quam in omnibus rebus et

LECTIONES VARIANTES.

(1) Aquam *Jun.*
(2) Denegat *alii.*
(3) Præcurrit *Paris.*
(4) *Alii* visibilis; *cf. adv. Hermogen.* c. XXIII.
(5) Domini *Paris. cf. adv. Hermog.* XXIII.
(6) Vectabulum *alii*, quod præfert *Jun.* in libro de anima c. 53.
(7) A Deo *alii.*
(8) Dispesceret *Jun.*
(9) Figulandi *Rigalt. Venet.*
(10) Temperant *alii.*

COMMENTARIUS.

Sic initio libri II ad Uxorem : *Quod si integre sapis ;* hoc est, si vere. Ait igitur : Quintillæ nec integre quidem docendi jus esse, quia scilicet docendi munus virile esse, et quidem sacerdotale, sicuti et tingere et offerre. Præclare hoc explicavit libro de Velandis Virginibus. Rig.

CAP. II.—(a) *Incredibilis existimetur*, etc. Error hic etiam erat Quintillæ, quæ incredibile putabat, Baptismum vitam æternam conferre. Ob eam caussam de Caiana hæresi viperam vocavit, quod ab impiis Caianorum dogmatis tantisper deflecteret. Ii enim, ut docet S. Hieronymus, *Epist.* 43 *ad Oceanum*, dicere audebant, quædam esse peccata, quæ Christus sanguinis sui effusione lavare non posset, et tam altas jecisse radices in animis nostris, ut inde evelli nequeant. Le Pr.

CAP. III.—(b) *Spiritus Dei.* Sic Pamelius, et expungit *Domini*, ratus emendasse juxta ositatiorem phrasin Tertulliani, et textum græcum, et hebraicum. Non me moverent ista, quo minus a litura abstinerem, et ex Tertulliano suffragium ferrem Vulgatæ quæ *Domini* vertit, et interdum facit ubi in græco est Θεοῦ; adductus tamen sum ut lectionem Pamelii retinerem, quia Tertullianus, adv. Hermogenem, cap. 3., non ante dixit in Genesi Deum vocatum fuisse Dominum, quam perfecto jam orbe hominеque formato. Non ergo legerat spiritus *Domini*, sed *Dei*. Lac.

(c) *Gratior scilicet tunc cæteris elementis.* Præfert aquam aliis elementis, maxime ut tunc erant horrida, cavens ne a philosophante nonnullo arguatur minus physice assertum, cum primas fere omnes igni deferant. Licet Plutarchus paululum ambigat, libellum integrum confecit, cujus titulus est : An aqua dignior igne; ubi pluribus illam antefert, citatque Pindarum, ode 1, Olymp. ἄριστον μὲν ὕδωρ. Lac.

(d) *Et tristis abyssus.* Ignitam mundi sedem signat nomine abyssi, non aquæ congeriem, quam minime tristem, sed lætam hic vocat. Lac.

(e) *Ne mirum sit in baptismo si aquæ animare noverunt.* Animare, hoc est, æternam homini vitam reddere, qua peccando exciderat. Rig.

Digitized by Google

operibus suis Deus disposuit, etiam in sacramentis propriis parere fecit; si quæ vitam terrenam (1) gubernat, et in cœlesti procurat.

CAPUT IV.

Sed ea satis erit præcerpsisse, in quibus et ratio Baptismi recognoscitur prima illa, qua jam tunc etiam ipso habitu prænotabatur ad Baptismi figuram, Dei spiritum, qui ab initio supervectabatur super aquas, intinctos reformaturum (2). Sanctum autem utique super sanctum ferebatur; aut ab eo quod superferebatur, id quod ferebat, sanctitatem mutuabatur. Quoniam subjecta quæque materia, ejus quæ desuper imminet, qualitatem rapiat necesse est, maxime corporalis spiritalem, et penetrare et insidere facilem per substantiæ suæ subtilitatem. Ita de Sancto sanctificata natura aquarum, et ipsa sanctificare concepit. Nemo dicat : Numquid ipsis enim aquis tinguimur quæ tunc (3) in primordio fuerunt? non utique ipsis nisi ex ea parte, qua genus quidem unum (*a*), species vero complures. Quod autem generi attributum est, etiam in specie redundat. Ideoque nulla distinctio est, mari quis an stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur, nec quidquam refert inter eos quos Joannes in Jordane, et quos Petrus in Tiberi tinxit (*b*). Nisi et ille spado, quem Philippus inter vias fortuita aqua tinxit, plus salutis aut minus retulit. Igitur omnes aquæ de pristina originis prærogativa sacramentum sanctificationis consequuntur, invocato Deo. Supervenit enim statim spiritus de cœlis, et aquis superest, sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt (4). Quanquam ad simplicem actum competat similitudo, ut, quoniam vice sordium delictis inquinamur, aquis abluamur. Sed delicta, sicut non in carne comparent, quia nemo super cutem portat maculam idololatriæ (*c*), aut stupri, aut fraudis; ita ejusmodi in spiritu sordent, qui est auctor delicti. Spiritus enim dominatur, caro famulatur; tamen utrumque inter se communicant reatum, spiritus ob imperium, caro ob ministerium. Igitur medicatis quodammodo aquis per Angeli interventum, et spiritus in aquis corporaliter diluitur, et caro in eisdem spiritaliter mundatur.

CAPUT V.

Sed enim nationes extraneæ ab omni intellectu spiritalium potestatem eadem efficacia idolis suis subministrant, sed, viduis (*d*) aquis, sibi mentiuntur. Nam et sacris quibusdam per lavacrum initiantur, Isidis alicujus, aut Mithræ, ipsos etiam deos suos lavationibus efferunt (*e*). Cæterum villas, domos,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Æternam *Fran.*
(2) Quæ jam tunc — super aquas intinctos reformaturum *Fran.* Supervectabatur, super aquas intinctorum moraturum. *Rig.*
(3) Nunc *Franeq.* Ipsi *Rigalt.*
(4) *Vet. cod. Wouw. his verbis subnectit,* vice sordium aquis abluantur. *Wouwer. putat legendum* combibunt, ut et delicta vice sordium aquis abluantur.

COMMENTARIUS.

(a) *Genus quidem unum.* Stylum juris, non Porphyrii rudimenta servat; nam juris interpretes speciem appellant genus, et individuum speciem, ut hominem et equum genera, Titium et Bucephalum species : sic Julianus, l. LIV, ff. de verbor. Oblig., et Ulpianus, l. XXX, ff. de Legatis. Vide Boerium, in Topico militar. for. et legal. discip. Gothofredus tamen, in l. LIV, contendit trahere Aristotelem in sensum Juliani et juristarum. Sic notat vocasse Aristotelem species τελευταῖα γένη ἐπὶ τοῖς ἀτόμοις, atque individua ἔσχατα εἴδη. Verum minus logice assertum videbitur dialecticis, qui per ἔσχατα εἴδη *ultimas species*, quod ipsi reddunt *infimas*, non intelligunt individua, sed illa universalia, essentialia, quæ tantum prædicantur de pluribus differentibus numero, ut homo, ita ut sub se non contineant aliam speciem, sed tantum individua, *et genus infimum vocant*, quod vere est genus, sed prædicatur de pluribus differentibus specie tantum, ita ut aliud genus sub se nullo modo capiat, sed cæteris potius subjiciatur. Lac.

CAP. IV. — (b) *Nulla distinctio est mari quis an stagno, nec quidquam refert inter eos quos Joannes in Jordane, et quos Petrus in Tiberi tinxit.* Nec de Baptismo Christi majora quispiam dixerit iis quæ de Joannis baptismo Paulinus, in Carmine de Joan. Bapt. :

Perge igitur sanctas puri Jordanis ad undas, etc.

Et tamen his Tertulliani verbis hoc tantum significatur, in caussa baptismi nullam esse inter aquas differentiam, neque hanc esse præstantiorem alia. Itaque non referre, mari quis an stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur. Neque enim plus salutis contulisse Tiberim, in quo Petrus tinxit, quam Jordanem in quo Joannes, uti nec illam obviam et fortuitam qua Philippus, ideo plus aut minus salutarem fuisse spadoni. Quod est sane verissimum. Etenim qualescumque sint aquæ, non sanctificant : sed omnes aquæ invocato tribus in personis Deo, sacramentum sanctificationis consequuntur, ac per ipsas Deus hominem sanctificat. Hoc tantum ait Septimius. Rig. — *Petrus in Tiberi tinxit.* Petrus igitur Romæ fuit aliquando, quod negare aut saltem veluti dubium proponere ausus est Calvinus. Tertullianus iis temporibus vicinus, et rerum christianarum diligens observator, hic et lib. de Præscript. rem dubiam non relinquit. Le Pr.

(c) *Idololatriæ aut stupri aut fraudis.* Hæc sunt principalia delicta quæ statim initio lib. de Idol. crimina esse dicit exitiosa et devoratoria salutis. Ibidem adjungit homicidium (quod hic prætermisit), quia plerumque cædis patratæ maculas homicidæ aliqua sui corporis parte referunt. Rig.

CAP. V.— (d) *Sed viduis aquis sibi mentiuntur.* Viduis scilicet Angelo ac Spiritu sancto, ideoque sterilibus. At nostris aquis supervenit Spiritus de cœlis, sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatæ, vim sanctificandi concipiunt, quare et pariunt, nempe Christianos, vitæ homines æternæ. Paulinus, epist. ad Severum, XII :

Sanctus in hunc cœlo descendit Spiritus amnem.
Cœlestique sacras fonte maritat aquas, etc. Rig.

(e) *Ipsos etiam deos suos lavationibus efferunt.* Istud de sacris Matris deorum disertis verbis tradit B. August. (*lib.* II *de Civitate Dei, cap.* 4) : « Ludis, inquit, turpissimis, qui diis deabusque exhibebantur, oblectabamur. Cœlesti deæ et Berecynthiæ Matri deorum omnium, ante ejus lecticam, *die solemni lavationis ejus*, talia per publicum cantitabantur a nequissimis scenicis, qualia non dico Matrem deorum, sed nec matrem ipsorum scenicorum deceret audire. » Ac paulo post : « Quæ sunt sacrilegia, si illa erant sacra? *aut quæ inquinatio, si illa lavatio?* » Super quo loco Ludov. Vives tradit pridie idus aprilis Matrem deorum magna pompa a Gallis ad Almonem fluvium,

Digitized by Google

templa totasque urbes aspergine circumlatæ aquæ expiant passim, certe ludis Apollinaribus et Eleusiniis (1) (*a*) tinguntur. Idque se in regenerationem et impunitatem perjuriorum suorum agere præsumunt. Item penes veteres quisquis se homicidio infecerat, purgatrice aqua se expiebat (*b*). Igitur si de sola natura aquis (2), quod propria materia sit abluendi in auspicia emundationis, blandiuntur, quanto id verius aquæ præstabunt per Dei auctoritatem, a quo omnis natura earum constituta est? Si religione aquam medicari putant, quæ potior religio, quam Dei vivi? quo agnito, hic quoque studium diaboli recognoscimus (3) res Dei æmulantis, cum et ipse Baptismum in suis exercet. Quid simile? Immundus emundat, perditor liberat, damnatus absolvit. Suam videlicet operam destruet, diluens (4) delicta quæ inspirat ipse. Hæc quidem in testimonium posita sunt repellentibus fidem, si minime credant rebus Dei, quarum affectationibus apud æmulum Dei credunt. Annon et alias sine ullo sacramento immundi spiritus aquis incubant, adfectantes illam in primordio divini spiritus gestationem (*Gen.*, I)? Sciunt (5) opaci quique fontes, et avii quique rivi, et in balneis piscinæ, et curipi in domibus vel cisternæ, et putei, qui rapere dicuntur, scilicet per vim spiritus nocentis. Nam et enectos (6) et lymphatos et hydrophobos vocant, quos aquæ necaverunt, aut amentia vel formidine exercuerunt. Quorsum ista retulimus? Ne quis durius credat Angelum Dei sanctum aquis in salutem hominis temperandis adesse, cum Angelus malus profanum commercium ejusdem elementi in perniciem hominis frequentet (7). Angelum aquis intervenire si novum videtur, exemplum futuri præcucurrit. Piscinam Bethsaidam Angelus (*Joan.*, V) interveniens commovebat; observabant qui valetudinem querebantur. Nam si quis prævenerat descendere illuc, queri post lavacrum desinebat. Figura ista medicinæ corporalis spiritalem medicinam canebat, ea forma, qua semper carnalia in figura spiritalium antecedunt. Proficiente itaque in hominibus gratia Dei, plus aquis et Angelo accessit: qui vitia corporis remediabant, nunc spiritum (8) medentur: qui temporalem operabantur salutem, nunc æternam reformant: qui unum semel anno liberabant, nunc quotidie populos conservant, deleta morte per ablutionem delictorum. Exempto scilicet reatu (*c*), eximitur et pœna. Ita restituitur (9) homo Deo ad similitudinem ejus (*Gen.*, I), qui retro ad imaginem Dei fuerat; imago in effigie, similitudo in æternitate censetur. Recipit enim illum Dei spiritum, quem tunc de afflatu ejus acceperat, sed post amiserat per delictum.

CAPUT VI.

Non quod in aquis Spiritum sanctum consequamur; sed in aqua emundati (*d*) sub Angelo, Spiritui sancto præparamur. Hic quoque figura præcessit (*Matth.*, III). Sic enim Joannes ante præcursor Domini fuit, præparans vias ejus: ita et Angelus Baptismi arbiter (*e*) superventuro Spiritui sancto vias dirigit ablutione delictorum, quam fides impetrat, obsignata (*Matth.*, XXVIII) in Patre, et Filio, et Spiritu sancto (*Ibidem.*, XVIII). Nam si in tribus testibus stabit omne verbum, quanto magis, dum habemus per benedictionem eosdem arbitros fidei, quos et sponsores salutis, sufficit ad fiduciam spei nostræ (*f*) etiam numerus nominum divinorum? Cum autem sub tribus, et testatio fidei, et sponsio salutis pignerentur, necessario adjicitur Ecclesiæ mentio; quoniam ubi tres, id est Pater et Filius et Spiritus sanctus, ibi Ecclesia, quæ trium corpus est.

CAPUT VII.

Exinde, egressi de lavacro, perunguntur (*g*) benedicta unctione de pristina disciplina (*h*), qua ungi oleo de cornu in sacerdotium solebant. Ex

LECTIONES VARIANTES.

(1) Pelusiis *Fran. Corbinian.*
(2) Naturæ aqua *Fran. Corbinian.*
(3) Cognoscimus *Rig.*
(4) Deluens *Jun.*
(5) Sunt *Jun.*
(6) Apopnictos *Wouw.*
(7) Profanus — — frequentat *Fran. Corbinian.*
(8) Aquis accessit q. v. c. r. n. spiritu, etc. *Wouw.*
(9) Restituetur *Fran. Corbinian.*

COMMENTARIUS.

qui non procul ab Urbe Tiberi miscetur, deferri, ibique ad confluentem duorum amnium ablui solere ejus simulacrum, idque ex Lucan. *lib.* I *Pharsal.*, Ovid. *Fastor. lib.* IV, et Prudent. *in Romano martyre.* Citat etiam Girald., *De Diis gentium, syntagm.* 4; Vibium Sequestrum *ad Virgilianum filium*; Ammianum, *lib.* XXIII; Valerium Flaccum, *lib.* VIII *Argonaut.* et Claudianum. EDD. *ex Pamel.*

(a) *Ludis Apollinaribus et Eleusiniis.* Sic legitur in Ursini codice; vulgata lectio, *Pelusiis*: atque hic certe significari videntur sacra solis, seu Mithræ et Serapidis, quæ quidem Serapidis M. Antoninum a vulgaritate Pelusia submovisse tradit Capitolinus. RIG.

(b) *Quisquis se homicidio infecerat, purgatrice aqua se expiabat.* Nota est (*Teste Geraldo, ubi supra*) historia, nihil omnino notius apud auctores, quod quisquis homicidio se infecerat, bis septies se purgatrice aqua vestesque aqua abluebat et expiabat plerumque apud flumina. Loqui autem addit Pausaniam, in Atticis, de simili purgatione Thesei ob interfectos Pallantis filios; et, in Corinthiis, de Apollinis expiatione et Dianæ post cædem Pythonis. Item Herodotum, lib. II. de Adrasto.

(c) *Exempto scilicet reatu eximitur et pœna.* Paulinus, loco supradicto, de baptismo Joannis:

Diluit infusis credentum crimina lymphis,
Absolvitque metus hominum, pœnasque remittit,
Atque iguem restinguit aquis. RIG.

CAP. VI. — (d) *Sed in aqua emendati sub Angelo Spiritui sancto præparamur.* Angelum baptismi dicit, ut lib. Oratione, *Angelum orationis.* RIG.

(e) Innuere videtur *Ministrum Baptismatis* in cujus velut *arbitrio* ac *potestate* administratio Baptismi posita est, alludens ad Angelum illum in piscina *Bethsaïdæ*, de quo cap. præced. EDD.

(f) *Ad fiduciam spei nostræ numerus nominum divinorum.* Etenim benedicebatur in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. RIG.

CAP. VII. — (g) *Egressi de lavacro perunguntur.* In fronte, ut discimus ex Prudentii Psychomachia:

Post inscripta oleo fronti signacula, per quæ
Unguentum regale datum est et chrisma perenne. RIG.

(h) *De pristina disciplina.* Hoc est Judaica. RIG.

Digitized by Google

quo Aaron a Moyse (*Levit.*, XVIII) unctus est : unde Christus dicitur, a chrismate quod est unctio (*a*) (I *Reg.*, XV.), quæ Domino nomen accommodavit, facta spiritualis, quia spiritu unctus est a Deo Patre, sicut in Actis : *Collecti sunt enim vere in ista civitate adversus sanctum Filium tuum, quem unxisti* (*Act.*, IV, 27). Sic et in nobis carnaliter currit unctio (*b*), sed spiritaliter proficit : quomodo et ipsius Baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur ; spiritalis effectus, quod delictis liberamur.

CAPUT VIII.

Dehinc manus imponitur (*c*), per benedictionem advocans et invitans Spiritum sanctum. Sane humano ingenio licebit spiritum in aquam arcessere (*d*) et concorporationem eorum, accommodatis desuper manibus (*e*), alio spiritu tantæ claritatis animare (*f*) ; Deo autem in suo organo (*g*) non licebit per manus sanctas sublimitatem modulari spiritalem? Sed est hoc quoque de veteri sacramento, quo nepotes suos ex Joseph Ephraim (1) et Manassem Jacob (*Gen.*, XLVIII, 14), capitibus impositis et intermutatis manibus, benedixerit (2), et quidem ita transversim obliquatis in se (*h*), ut Christum deformantes, jam tunc portenderent benedictionem in Christum futuram. Tunc ille sanctissimus Spiritus super emundata et benedicta corpora libens a Patre descendit (*Matth.*, III, 16), super (3) Baptismi aquas, tanquam pristinam sedem recognoscens, conquiescit, columbæ figura delapsus in Dominum (*i*), ut natura Spiritus sancti declararetur per animal simplicitatis

LECTIONES VARIANTES.

(1) Efrem *Fran. Corbinian.*
(2) Benedixit *alii mal. haud invito Corbinian.*
(3) Et super *Jun. Corbinian.*

COMMENTARIUS.

(a) *Quod est unctio.* Chrismatis multiplex notio in scriptoribus, alii *confirmationem* quæ ab episcopo tantum administratur in Ecclesia latina, alii de unctione quæ fit ubi parvulus baptizatur. De posteriori hac unctione locus hic accipitur, quæ fit a sacerdote in vertice, cum alia seu confirmatio ab episcopo fiat in fronte. Illustris hanc ob rem nimirum de ungendi ritu episcoporum et presbyterorum controversia extitit, licet obiter inter Petrum Aurelium, et Jacobum Sirmundum S. J. ad quam poterit quilibet confugere, ut rem plenissime intelligat. LE PR.

(b) *In nobis carnaliter.* Oleo carnem sive corpus suaviter pervadente ac permeante. RIG.

CAP. VIII.— (c) *Manus imponitur.* Manus impositio familiaris erat olim in Ecclesiæ ritibus, nihilque fiebat ferme sine manuum impositione. Certissimum tamen per sacramentum *manuum impositionis* intelligi confirmationem seu χειροτονίαν, quæ sancto Clementi est βεβαίωσις τῆς ἐξομολογίας, *confessionis confirmatio*. De hac impositione hic est quæstio. LE PR.

(d) *Sane humano ingenio licebit spiritum in aquam arcessere.* Organa hydraulica significat, qualia describuntur ab Vitruvio, libro X Architect. et Herone in Pneumaticis. RIG. — *Spiritum in aquam arcessere.* Vitruvius de Machina Ctesibii : *Ab eo liquore pressionibus coacto spiritu.* LE PR.

(e) *Accommodatis desuper manibus.* Vitruvius : *Cum pinnæ manibus tactæ propellunt et reducunt continenter regulas, alternis obturando foramina, alternis aperiundo, ex musicis artibus, multiplicibus modulorum varietatibus, sonantes excitant voces.* RIG.

(f) *Alio spiritu tantæ claritatis animare.* Animari dicitur machina digitis musici modulantibus spiritum in aquam pressionibus densatum et concorporatum, ita ut in clarissimum exeat sonum multiplici varietate distinctum. Hujusmodi autem Septimius alium spiritum nuncupat, nempe eruditum et exarticulatum. RIG.

(g) *Deo autem in suo organo.* Organum Dei vocat hominem. RIG.

(h) *Et quidem ita transversim obliquatis in se, ut Christum deformarent.* Manus transversim obliquatæ Chiasmum faciunt, hoc est, figuram litteræ X, quæ apud Græcos quidem Christi nomen significaverit. Sed cum nationes cunctas, non Græcos tantum, a Christo vocari ad benedictionem constet, certe manus transversim obliquatæ nihil christiani mysterii portenderint nationibus cæteris, quibus in usu non est ejus litteræ figura. Quare sic accipienda sunt Tertulliani verba, ut manibus transversim obliquatis, crucem, sive fixum cruci Christum deformari intelligamus, non simpliciter Christum, hoc est, nomen Christi. Etenim crucis figura potuit apud universas nationes Christum portendere, quibus erat futura per ejus crucem salus. RIG.

(i) *Columbæ figura delapsus in Dominum.* Non nihil eo loci rei symbolicæ confert Septimius Noster, nec abs re erit singula Columbæ delineamenta ab Auctore descripta sigillatim perstringere, ac simul cum veterum Christianorum monumentis conferre. 1° Scriptura sacra teste, in Columbæ figura Spiritus sancti natura declaratur (*Luc.* III, 22; *Marc.*, I, 10; *Matth.*, III, 16; *Joan.*, I. 32). *Cf.* Bott. *Spiegaz. delle pitt. et scult. della Roma sottarr. tav.* XV, *tom.* I, *p.* 66; Aringh. *Rom. subterr. lib.* III, *c.* 22, *p.* 517. 2° Christus ipsemet sub Eucharistico Sacramento absconditus in Columba adumbratur, eo quod olim corpus Christi in vase servari consueverat, Columbæ figuram præ se ferente. *Cf. Basil. Vitam, a pseudo-Amphilochio scriptam, cap.* 2, *n.* 3, *p.* 943, *t.* II; *Acta sanct. Boll. mense jun.*; Bott., *loco cit.*, *tav.* XIX; Aringhi, I, 339, II, 309, 337; Boldetti, *Osservaz. sopra i cimit.*, 560, 375, 164, 371, 874. 3° Est insuper, ut fuit a Patribus animadversum, Columba *candoris*, *simplicitatisque morum*, et *amoris* et *pacis* et *castitatis* et *prudentiæ* et *contemplationis* et *mitis*, *demissi*, *innocentisque animi* signum. Hinc Cyprianus, *libro de Unitate Ecclesiæ*, *cap.* 6 : « Simplex, inquit, animal, et lætum est columba, non felle amarum, non morsibus sævum, non unguium laceratione violentum ; hospitia humana diligere, unius domus consortia nosse ; cum generant, simul filios educare ; cum commeant, volantibus simul cohærere ; communi conversatione vitam suam degere, oris osculo concordiam pacis agnoscere, legem circa omnia unanimitatis implere ; hæc est in Ecclesia noscenda simplicitas, hæc caritas obtinenda, ut Columbas dilectio fraternitatis imitetur. » Conferendi sunt Clem. Alex., *lib.* I *Pædag. c.* 5, *p.* 106, *tom.* I, *ed. Oxon.*; Cyrill. Hierosolomit., *catech. illum.* XVII, XVIII ; Aug. *contra Epist. Fundamenti cap.* 4; aliique quos laudant Ph. Buonarotti. *Osserv. sopra alcuni framm. vasi antichi di vetro*, *p.* 154. *seqq.*; Aringh. *lib.* VI, *cap.* 25, *pag.* 607; Boldetti, *lib.* I, *c.* 7, *p.* 24; Bottar., III, *p.* 78, *tav.* CXV. 4° Nec etiam insolens est in picturis, sculptisque lapidibus, *Apostolos* sub Columbæ typo exhiberi. Paulinus Nolanus, *Ep.* XXXII. *ad Severum. p.* 202, de S. Felicis basilicæ ab se extructæ picturis, operibusque musivis disserens, inquit :

Cruce corona lucido cingit globo ;
Cui coronæ sunt corona apostoli,
Quorum figura est in columbarum choro.

Digitized by Google

et innocentiæ (*a*), quod etiam corporaliter ipso felle careat columba. Ideoque : *Estote*, inquit, *simplices sicut columbæ* (*Matth.*, X, 16), ne hoc quidem sine argumento præcedentis figuræ. Quemadmodum enim post aquas diluvii, quibus iniquitas antiqua purgata est, post Baptismum (ut ita dixerim) mundi pacem cœlestis iræ præco columba terris adnuntiavit dimissa ex arca, et cum olea reversa (*Gen.* VIII, 11); quod signum etiam apud nationes paci prætenditur (*b*) : eadem dispositione spiritalis effectus terræ, id est carni nostræ emergenti de lavacro post vetera delicta, columba sancti Spiritus advolat (*Luc.*, III), pacem Dei afferens, emissa de cœlis, ubi Ecclesia est arca figurata (*c*). Sed mundus rursus delinquit (1), quo male (*d*) comparetur Baptismus diluvio. Itaque igni destinatur, sicut et homo qui post Baptismum delicta restaurat, ut hoc quoque in signum admonitionis nostræ debeat accipi.

CAPUT IX.

Quot igitur patrocinia naturæ, quot privilegia gratiæ, quot solemnia disciplinæ, figuræ, præstructiones, precationes religionem aquæ ordinaverunt? Primo quidem, cum populus de Ægypto (*Exod.*, XIV) libere (2) expeditus, vim (3) regis Ægypti, per aquam transgressus, evadit, ipsum regem cum totis copiis aqua exstinxit. Quæ figura manifestior in Baptimi sacramento? Liberantur de sæculo nationes per aquam scilicet, et diabolum, dominatorem pristinum, in aqua oppressum derelinquunt. Item aqua de amaritudinis vitio in suum (4) commodum A suavitatis Mosei ligno remediatur. Lignum illud erat Christus, venenatæ et amaræ retro naturæ venas insaluberrimas, aquas Baptismi (5), scilicet, ex sese remedians (*Exod.*, VII; *Num.*, XX; I *Cor.*, X). Hæc est aqua, quæ de comite petra populo defluebat. Si enim petra Christus, sine dubio aqua (6) in Christo Baptismum videmus benedici. Quanta aquæ gratia penes Deum et Christum ejus est ad Baptismi confirmationem. Nunquam sine aqua Christus, siquidem et ipse aqua tinguitur (*Matth.*, III, X, XIV, XXVII; *Joan.*, III, IV, VII, XIII, XIX). Prima rudimenta potestatis suæ, vocatus ad nuptias, aqua auspicatur. Cum sermonem facit, sitientes ad aquam suam invitat sempiternam. Cum de agape docet, aquæ calicem, fratri (7) oblatum, inter opera dilec- B tionis probat. Apud puteum vires resumit; super aquam incedit libenter, transfretat; aquam discentibus ministrat; perseverat testimonium Baptismi usque ad passionem; cum deditur in crucem, aqua intervenit, sciunt Pilati manus; cum vulneratur, aqua de latere prorumpit, scit lancea militis.

CAPUT X.

Diximus, quantum mediocritati nostræ licuit, de universis quæ Baptismi religionem struunt; nunc ad reliquum statum ejus, æque ut potero, progrediar de quæstiunculis quibusdam. Baptismus ab Joanne denuntiatus (*e*) jam tunc habuit quæstionem ab ipso quidem Domino propositam Pharisæis, cœlestisne is Baptismus esset, an vero terrenus (*Matth.* XXI)? De quo illi non valuerunt constanter respondere, ut-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Deliquit *Fran.*
(2) Libere *abest Fran.*
(3) De Ægypto liber, vim, etc., *V. Cod. Wouw.*
(4) Usum *Jun. Lat.*

C (5) Venas, insaluberrimas aquas baptismi *Wouwer. distinguit.*
(6) Aquæ *cod. Wouw.* Aqua *Jun.*
(7) Patri *Paris. alii* Pauperi *V. c. Wouw. Rig.*

COMMENTARIUS.

Atque in cruce quæ extat Romæ in summa basilicæ S. Clementis abside, duodecim columbæ cruci insistunt, quæ Apostolos denotant. Ejus autem crucis ectypon extat apud Bosium., *lib.* VI, *de cruce tr.*; Gretser. *op. de cruce, lib.* I, *c.* 33; Bottar., *tom* I, *pag.* 118. 5° Demum se ipsos passim veteres Christiani eodem adornarunt symbolo, quo se acrius ad Columbam imitandam excitarent. Illustris est iterum Paulini Nolani in ead. epist. locus :

Nos quoque perficies placitas tibi, Christe, columbas.

Et Paulo supra :

Arcua floriferæ crux cingitur orbe coronæ,
Et Domini fuso tincta cruore rubet
Quæque super signum resident cœlesta, Columbæ
Simplicibus produnt regna patere Dei.

« Spessissimo si vede, inquit eximius Boldettus, *loc. cit. p.* 23, la sola colomba dipinta nelle capelle, e sepolcri (de' cimiterj), e scolpita ancora.... e cio facea si senza alcun dubbio, perchè quei primi fedeli..., raffiguravano in questo innocente volatile la carità, la simplicità, il gemito, la compunzione, la purità e l'innocenza. » Cf. Mamachi *Originum et Antiquit. christianar. lib.* I, *cap.* 1, § 9, *pag.* 66-69. Edd.

(a) *Per animal simplicitatis et innocentiæ.* Nemo est adeo rerum ignarus, ut columbam his verbis designari non agnoscat, propter innocentiam et candorem. Nonnulli etiam theologi, columbam quæ advolavit in caput Christi Domini in Jordane baptizati, candidam affirmant. Sic Nonnus Panop. vocat μίμημα πελειάδος : πέλειαι autem est columba candida latine *livia* a candore seu livido dicta. Le Pr.

(b) *Paci prætenditur.* Quid notius hoc pacifico hieroglyphico; et ideo patres patratos, fæciales, oratores pacis, ramum frondentis olivæ gessisse in pacis symbolum? Maro, Æn. VIII :

Paciferæque manu ramum prætendit olivæ.

Silius, lib. III :

Prætendens dextra ramum canentis olivæ. Lac.

D (c) *Ubi Ecclesia est arca figurata.* Typum Ecclesiæ fuisse arcam, nemo ferme patrum non asserit, Hieronymus, Cyprianus, etc., Augustinus, lib. V de Baptis., cap extremo. Notanda sunt verba Tertulliani, ne excludat Ecclesiam visibilem in terris; nam ad Ecclesiam in terra advenit columba Spiritus sancti, cum pace suæ gratiæ : quare cum ait, *emissa de cœlis*, minime appellat super *Ecclesiam*, nam Ecclesia in terris etiam est, sed super vocem *figurata*. Nam figuram arcæ gerit apud Deum, et beatos in cœlis securæ fruentes tranquillitate, Ecclesia militans in terris persecutionum diluvio agitata, ut explicat Cyprianus. Lac.

(d) *Quo male comparetur Baptismus*, etc. Legendum videtur, quo malo comparetur Baptismus diluvio. Rig.

CAP. X. —(e) *Baptismus a Joanne denuntiatus.* Discrimen esse inter Baptismum Christi et Joannis norunt

Digitized by Google

pote non intelligentes, quia non credentes (*Es.* VII). Nos porro quantula fide sumus, tantulo et intellectu possumus æstimare, divinum quidem eum Baptismum fuisse, mandatu tamen, non et potestate, quod et Joannem a Domino missum legimus in hoc munus cæterum humanum conditione. Nihil enim cœleste præstabat (*a*), sed cœlestibus præministrabat, pœnitentiæ scilicet præpositus (*b*), quæ est in hominis potestate (*c*). Denique legis doctores et Pharisæi, qui credere noluerunt, nec pœnitentiam egere (1). Quod si pœnitentia humanum est, et Baptismus ipsius ejusdem conditionis fuerit necesse est; aut daret et Spiritum Sanctum et remissionem delictorum, si cœlestis fuisset. Sed neque peccatum dimittit, neque Spiritum indulget, nisi Deus solus (*Marc.*, V). Etiam ipse Dominus, nisi ipse prius ascenderet ad Patrem, B aliter negavit (*Joan.* XVI), Spiritum descensurum. Id quod Dominus nondum conferebat, servus utique præstare non posset. Adeo postea in Actis apostolorum (*d*) invenimus (*Act.*, XIX), quoniam qui Joannis Baptismum habebant, non accepissent Spiritum sanctum, quem ne auditu quidem noverant : ergo non erat cœleste, quod cœlestia non exhibebat (*Joan.*, I) : cum ipsum quod cœleste in Joanne fuerat, spiritus prophetiæ, post totius spiritus in Dominum translationem usque adeo defecerit, ut quem prædicaverat, quem advenientem designaverat, postmodum, an ipse esset miserit sciscitatum (*Matth.*, II). Agebatur itaque Baptismus pœnitentiæ, quasi canditatus remissionis et sanctificationis in Christo subsecuturæ. Nam quod prædicabat Baptismum pœnitentiæ in remissionem delictorum, in futuram remissionem enuntiatum est. Siquidem pœnitentia antecedit, remissio subsequitur, et hoc est viam præparare : qui autem præparat, non idem ipse perficit, sed alii perficiendum procurat. Ipse profitetur sua non esse cœlestia, sed Christi, dicendo : *Qui de terra est, de terra loquitur : qui de supernis venit, super omnes est* (*Joann.*, III, 31). Item, in sola pœnitentia (2) tinguere; venturum mox, qui tingueret in spiritu et igni (*Luc.*, III, 16). Scilicet, quia vera et stabilis aquæ fides (*e*) qua tinguitur in salutem; simulata autem et infirma, igni tinguitur (*f*) in judicium.

A

CAPUT XI.

Sed ecce, inquit (3), venit Dominus, et non tinxit. Legimus enim : *Et tamen is non tinguebat, verum discipuli ejus* (*Joan.*, IV), quia (4), revera, ipsum suis manibus tincturum Joannes, prædicasset (*Luc.* III). Non utique sic intelligendum est, sed simpliciter dictum more communi. Sicut est, verbi gratia, Imperator proposuit edictum, aut Præfectus fustibus cæcidit; numquid ipse proponit, aut numquid ipse cædit? semper is dicitur facere, cui præministratur. Ita erit accipiendum. Ipse vos tinguet, pro eo quod est, per *ipsum* tinguemini, vel in *ipsum*. Sed ne moveat quosdam, quod non ipse tinguebat. In quem enim tingueret? in pœnitentiam? quo ergo illi præcursorem? in peccatorum remissionem, quam verbo dabat? in semetipsum, quem humilitate celabat? in Spiritum sanctum, qui nondum a patre descenderat? in Ecclesiam, quam nondum apostoli struxerant? Itaque tinguebant discipuli ejus, ut ministri, ut Joannes ante præcursor, eodem baptismo Joannis, ne qui alio putet, quia nec exstat alius nisi postea Christi, qui tunc utique a discentibus dari non poterat, utpote, nondum adimpleta gloria Domini, nec instructa efficacia lavacri per passionem et resurrectionem : quia nec mors nostra dissolvi posset nisi Domini passione (*Rom.*, VI) nec vita restitui sine resurrectione ipsius (5).

C

LECTIONES VARIANTES.

(1) Agere *Gelen. aliique.*
(2) Item sola se pœnit. *Fran. Corbinian.*
(3) Inquiunt *Paris.*
(4) Quasi *Paris. Jun. Corbinian.*
(5) Surrectione ipsius *Paris.*

COMMENTARIUS.

orthodoxi; unde Trid. synodus, sess. 7, can. 1. LE PR.

(a) *Nihil enim cœleste præstabat, sed cœlestibus præministrabat.* Sic tamen, ut licet aqua Joannis tincti Spiritum sanctum non acciperent, tamen præpararentur in viam salutis in nomine venturi Domini nostri. Ait enim Paulus apud Lucam, Act. XIX, 4. Ἰωάννης μὲν ἐβάπτισε βάπτισμα μετανοίας, τῷ λαῷ λέγων· εἰς τὸν ἐρχόμενον μετ' αὐτὸν ἵνα πιστεύσωσι, τουτέστιν εἰς τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν. Ἀκούσαντες δὲ ἐβαπτίσθησαν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ. Sic igitur baptizatos perfecit Paulus : imposuit iis manus, et continuo supervenit Spiritus sanctus. Sane hunc sensum insinuare videtur Lucas. At latinus interpres sic tradidit, ut denuo tincti fuisse intelligantur, qui jam Baptismum Joannis susceperant. Unde et hos quidem denuo baptizatos fuisse consentiunt Cyprianus et Augustinus. Nobis adhuc suspicari non contigit, cur hoc argumento abstinuerit Septimius, propositæ quæstioni omnium utrinque fortissimo. Eo vero utitur Hieronymus adversus Luciferianos, et favet interpreti. RIG.

(b) *Pœnitentiæ scilicet præpositus.* Prædicandæ pœnitentiæ destinatus, per commissionem Baptismi illius, quo homines per pœnitentiam impetrarent remissionem criminum. LAC.

(c) *In hominis protestate.* Et ideo non conducebat Baptismus Joannis ad remissionem peccatorum; nam in potestate baptizatorum erat impetrare remissionem per pœnitentiam (tametsi ex gratia Dei) licet Baptismum Joannis non suscepissent. LAC. D

(d) *In actis Apostolorum*, etc. Actorum caput XIX intelligit, quod multorum ingenia exercuit. LE PR. V. *Cursum Theologiæ*, auct. *Tournely, de Baptismo*, q. 1. art. 5. EDD.

(e) *Vera et stabilis aquæ fides, qua tinguitur in salutem.* Omnino scribendum, *Vera et stabilis fides aqua tinguitur in salutem.* Sic enim scripsisse Tertullianum ratio persuadet, sequentia testantur. RIC.

(f) *Igni tinguitur in judicium.* Sic adsolet Tertullianus : quoties fit mentio ignis, confestim occasionem rapit, intenditque in supremum illud Domini judicium. Alii vero dictum illud Joannis, venturum mox qui tingueret in spiritu et igni, accipiunt de Spiritus sancti in Apostolos illapsu ad diem Pentecostes. RIG.

Digitized by Google

CAPUT XII.

Cum vero præscribitur nemini sine Baptismo competere salutem, ex illa maxime pronuntiatione Domini, qui ait : *Nisi natus ex aqua quis erit, non habet vitam* (*Joan.*, III), suboriuntur scrupulosi, imo temerarii retractatus quorumdam, quomodo ex ista præscriptione Apostolis salus competat, quos tinctos non invenimus in Domino, præter Paulum. Imo cum Paulus solus ex illis Baptismum Christi induerit, aut præjudicatum esse de cæterorum periculo, qui careant aqua Christi, ut præscriptio salva sit, aut rescindi præscriptionem, si etiam non tinctis salus statuta est. Audivi, Domino teste, ejusmodi, ne quis me tam perditum existimet, ut ultro exagitem libidine (1) styli, quæ aliis scrupulum incutiant (2). Et nunc illis, ut potero, respondebo, qui negant Apostolos tinctos. Nam si humanum Joannis Baptismum inierant, et dominicum desiderabant (*a*) quatenus unum Baptismum definierat (3) ipse Dominus, dicens Petro perfundi nolenti (4) : *Qui semel lavit, non habet necesse rursum* (*b*) (*Joan.*, XIII, 6) : quod utique non tincto non omnino dixisset : et hæc est probatio exserta adversus illos, qui adimunt Apostolis etiam Joannis Baptismum, ut destruant aquæ sacramentum. An credibile videri potest, in his personis viam tunc Domini præparatam, id est Baptismum Joannis, quæ ad viam Domini per totum orbem aperiendam destinabantur? Ipse Dominus, nullius pœnitentiæ debitor, tinctus est, peccatoribus non fuit necesse? Quid ergo? alii tincti non sunt (5)? non tamen comites Christi, sed æmuli fidei, legis doctores et Pharisæi. Unde et suggeritur, cum adversantes Domino tingui noluerint, eos qui Dominum sequebantur, tinctos fuisse, nec cum æmulis suis sapuisse, maxime quando Dominus cui adhærebant, testimonio Joannem extulisset, *nemo*, dicens (*Matth.*, II, 11), *major inter natos fœminarum Joanne baptizatore*. Alii plane satis coacte injiciunt tunc apostolos Baptismi vicem implesse cum in navicula fluctibus aspersi operti sunt (*Matth.*, VIII) ; ipsum quoque Petrum per mare ingredientem satis mersum (*Matth.*, XIV). Ut opinor autem, aliud aspergi vel intercipi violentia maris, aliud tingui disciplina religionis. Cæterum navicula illa figuram Ecclesiæ præferebat, quod in mari, id est sæculo, fluctibus, id est persecutionibus et tentationibus inquietatur Domino per patientiam velut dormiente (*Matth.*, VIII), donec orationibus Sanctorum (*c*) in ultimis suscitatus, compescat sæculum et tranquillitatem suis reddat. Nunc sive tincti quoquo modo fuerunt, sive illoti perseveraverunt, ut et illud dictum Domini (*Joan.*, XIII), de uno lavacro sub Petri persona (*d*) ad nos tantummodo spectet, de salute tamen Apostolorum satis temerarium est æstimare, quia (6) illis vel primæ allectionis, et exinde individuæ familiaritatis (*e*) prærogativa compendium Baptismi conferre posset (*f*). Cum illo, opinor (7), sequebantur illum, qui credenti cuique salutem pollicebatur : *Fides tua te*, aiebat, *salvum fecit*, et : *Remittuntur tibi peccata* (*Marc.*, X), credenti utique, nec tamen tincto. Id si Apostolis defuit, nescio quorum fides : uno verbo Domini suscitatus (8) teloneum dereliquit (*Matth.*, IX) ; patrem, et navem, et artem qua vitam sustentabat, deseruit (9); patris exequias despexit : summum illud (10) Domini præceptum : *Qui patrem aut matrem mihi prætulerit, non est me dignus* (*Matth.*, X, 37), ante perfecit quam audivit.

CAPUT XIII.

Hic ergo scelestissimi illi provocant quæstiones. Adeo, dicunt, Baptismus non est necessarius, quibus

LECTIONES VARIANTES.

(1) Libidinem *Rigalt. Fran.*
(2) Incutiat *Fran.*
(3) Definiebat *v. c. Wouw.*
(4) Volenti *Jun. Corbinian.*
(5) Quod ergo *Jun.*, alii tincti non sint *v. c. Wouw.*
(6) Quia non illis *v. c. Wouw.*
(7) *Junius emend.* Exinde individuæ familiaritatis cum illo prærogativa comp. Bapt. conf. posset. Opinor, seq., etc. *Rig.* posset, cum illi, opinor, sequebantur, etc. *Leop.* Bapt. conf. posset. Opinor, sequebantur.
(8) Suscitata *Wouw.*
(9) Qui *add. Fran.*
(10) Illius *Fran. Corbinian.*

COMMENTARIUS.

CAP. XII.— (a) *Et dominicum desiderabant.* Ut renati ex aqua et Spiritu sancto, haberent vitam æternam. Nam necessitas illa Joan. III edicta : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, de Baptismo Christi intelligenda est. Respondet igitur auctor iis, qui eo quod apostolos non baptizatos dicerent, eorum salutem in controversiam vocabant, vel omnino ambigebant, et primum agere cœpit adversus eos, qui signate negabant apostolis Baptismum Christi, idque in hoc cap. non inficiatur Tertull. Sed abstinet hac quæstione, et tantum intendit, non esse dubitandum de illorum salute : licet Christi Baptismo non fuerint initiati, quem Baptismum ante resurrectionem Christi negavit apostolis cap. præcedenti, nam nec Christus baptizavit illos juxta Tertullianum, neque institutum erat sacramentum Baptismi, quod possent ministrare ipsi, idem Tertull. probat; fuerint-ne post resurrectionem Christi baptizati, non disputat, nec inclinat alterutro, sed illius tantum scopus in hoc cap. est, apostolis competere omnino salutem, sive tincti fuerint, sive illoti, ubi arrepta occasione Baptisma Joannis accepisse probat : at de dominico caute silet ; quare titulus, quem capiti huic præfixit Pamelius, quod *apostoli baptizati fuisse videantur*, indicat plane minime collimasse auctoris mentem. Unde illustrissimo Baronio, an. 31, num. 4, licet non se explicet omnino, et Bellarmino, lib. I de Bapt. cap. 25 minus illuxit Afri nostri testimonium hoc cap. ut probarent apostolos fuisse Baptismo Christi tinctos. Lac.

(b) *Qui semel lavit.* De Baptismo non iterando hæc verba loqui videntur. Le Pr.

(c) *Orationibus sanctorum in ultimis suscitatus compescat sæculum.* Petitione ista scilicet, *Adveniat regnum tuum.* Rig.

(d) *De uno lavacro sub Petri persona.* Historice illud dictum est Petro, *Qui lotus est non indiget*, etc. Le Pr.

(e) *Individuæ familiaritatis.* Christi Domini socii et contubernales apostoli dicuntur et ὁμωρόφιοι ἑταῖροι Nonno, Panop. in Joan. Le Pr.

(f) *Familiaritatis prærogativa compendium baptismi conferre posset.* Eo scilicet modo, quod ipsi etiam juris auctores tradunt nonnunquam celeritate conjun-

Digitized by Google

pote non intelligentes, quia non credentes (*Es.* VII). Nos porro quantula fide sumus, tantulo et intellectu possumus æstimare, divinum quidem eum Baptismum fuisse, mandatu tamen, non et potestate, quod et Joannem a Domino missum legimus in hoc munus cæterum humanum conditione. Nihil enim cœleste præstabat (*a*), sed cœlestibus præministrabat, pœnitentiæ scilicet præpositus (*b*), quæ est in hominis potestate (*c*). Denique legis doctores et Pharisæi, qui credere noluerunt, nec pœnitentiam egere (1). Quod si pœnitentia humanum est, et Baptismus ipsius ejusdem conditionis fuerit necesse est; aut daret et Spiritum Sanctum et remissionem delictorum, si cœlestis fuisset. Sed neque peccatum dimittit, neque Spiritum indulget, nisi Deus solus (*Marc.*, V). Etiam ipse Dominus, nisi ipse prius ascenderet ad Patrem, aliter negavit (*Joan.* XVI), Spiritum descensurum. Id quod Dominus nondum conferebat, servus utique præstare non posset. Adeo postea in Actis apostolorum (*d*) invenimus (*Act.*, XIX), quoniam qui Joannis Baptismum habebant, non accepissent Spiritum sanctum, quem ne auditu quidem noverant : ergo non erat cœleste, quod cœlestia non exhibebat (*Joan.*, I) : cum ipsum quod cœleste in Joanne fuerat, spiritus prophetiæ, post totius spiritus in Dominum translationem usque adeo defecerit, ut quem prædicaverat, quem advenientem designaverat, postmodum, an ipse esset miserit sciscitatum (*Matth.*, II). Agebatur itaque Baptismus pœnitentiæ, quasi canditatus remissionis et sanctificationis in Christo subsecuturæ. Nam quod prædicabat Baptismum pœnitentiæ in remissionem delictorum, in futuram remissionem enuntiatum est. Siquidem pœnitentia antecedit, remissio subsequitur, et hoc est viam præparare : qui autem præparat, non idem ipse perficit, sed alii perficiendum procurat. Ipse profitetur sua non esse cœlestia, sed Christi, dicendo : *Qui de terra est, de terra loquitur : qui de supernis venit, super omnes est* (*Joann.*, III, 31). Item, in sola pœnitentia (2) tinguere; venturum mox, qui tingueret in spiritu et igni (*Luc.*, III, 16). Scilicet, quia vera et stabilis aquæ fides (*e*) qua tinguitur in salutem; simulata autem et infirma, igni tinguitur (*f*) in judicium.

CAPUT XI.

Sed ecce, inquit (3), venit Dominus, et non tinxit. Legimus enim : *Et tamen is non tinguebat, verum discipuli ejus* (*Joan.*, IV), quia (4), revera, ipsum suis manibus tincturum Joannes, prædicasset (*Luc.* III). Non utique sic intelligendum est, sed simpliciter dictum more communi. Sicut est, verbi gratia, Imperator proposuit edictum, aut Præfectus fustibus cæcidit; numquid ipse proponit, aut numquid ipse cædit? semper is dicitur facere, cui præministratur. Ita erit accipiendum. Ipse vos tinguet, pro eo quod est, per *ipsum* tinguemini, vel in *ipsum*. Sed ne moveat quosdam, quod non ipse tinguebat. In quem enim tingueret? in pœnitentiam? quo ergo illi præcursorem? in peccatorum remissionem, quam verbo dabat? in semetipsum, quem humilitate celabat? in Spiritum sanctum, qui nondum a patre descenderat? in Ecclesiam, quam nondum apostoli struxerant? Itaque tinguebant discipuli ejus, ut ministri, ut Joannes ante præcursor, eodem baptismo Joannis, ne qui alio putet, quia nec exstat alius nisi postea Christi, qui tunc utique a discentibus dari non poterat, utpote, nondum adimpleta gloria Domini, nec instructa efficacia lavacri per passionem et resurrectionem : quia nec mors nostra dissolvi posset nisi Domini passione (*Rom.*, VI) nec vita restitui sine resurrectione ipsius (5).

LECTIONES VARIANTES.

(1) Agere *Gelen. aliique.*
(2) Item sola se pœnit. *Fran. Corbinian.*
(3) Inquiunt *Paris.*
(4) Quasi *Paris. Jun. Corbinian.*
(5) Surrectione ipsius *Paris.*

COMMENTARIUS.

orthodoxi; unde Trid. synodus, sess. 7, can. 1. LE PR.

(a) *Nihil enim cœleste præstabat, sed cœlestibus præministrabat.* Sic tamen, ut licet aqua Joannis tincti Spiritum sanctum non acciperent, tamen præpararentur in viam salutis in nomine venturi Domini nostri. Ait enim Paulus apud Lucam, Act. XIX, 4. Ἰωάννης μὲν ἐβάπτισε βάπτισμα μετανοίας, τῷ λαῷ λέγων· εἰς τὸν ἐρχόμενον μετ' αὐτὸν ἵνα πιστεύσωσι, τοῦτέστιν εἰς τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν. Ἀκούσαντες δὲ ἐβαπτίσθησαν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ. Sic igitur baptizatos perfecit Paulus : imposuit iis manus, et continuo supervenit Spiritus sanctus. Sane hunc sensum insinuare videtur Lucas. At latinus interpres sic tradidit, ut denuo tincti fuisse intelligantur, qui jam Baptismum Joannis susceperant. Unde et hos quidem denuo baptizatos fuisse consentiunt Cyprianus et Augustinus. Nobis adhuc suspicari non contigit, cur hoc argumento abstinuerit Septimius, propositæ quæstioni omnium utrinque fortissimo. Eo vero utitur Hieronymus adversus Luciferianos, et favet interpreti. RIG.

(b) *Pœnitentiæ scilicet præpositus.* Prædicandæ pœnitentiæ destinatus, per commissionem Baptismi illius, quo homines per pœnitentiam impetrarent remissionem criminum. LAC.

(c) *In hominis protestate.* Et ideo non conducebat Baptismus Joannis ad remissionem peccatorum; nam in potestate baptizatorum erat impetrare remissionem per pœnitentiam (tametsi ex gratia Dei) licet Baptismum Joannis non suscepissent. LAC.

(d) *In actis Apostolorum*, etc. Actorum caput XIX intelligit, quod multorum ingenia exercuit. LE PR. V. *Cursum Theologiæ*, auct. *Tournely*, *de Baptismo*, q. 1. art. 5. EDD.

(e) *Vera et stabilis aquæ fides, qua tinguitur in salutem.* Omnino scribendum, *Vera et stabilis fides aqua tinguitur in salutem.* Sic enim scripsisse Tertullianum ratio persuadet, sequentia testantur. RIG.

(f) *Igni tinguitur in judicium.* Sic adsolet Tertullianus : quoties fit mentio ignis, confestim occasionem rapit, intenditque in supremum illud Domini judicium. Alii vero dictum illud Joannis, venturum mox qui tingueret in spiritu et igni, accipiunt de Spiritus sancti in Apostolos illapsu ad diem Pentecostes. RIG.

Digitized by Google

CAPUT XII.

Cum vero præscribitur nemini sine Baptismo competere salutem, ex illa maxime pronuntiatione Domini, qui ait : *Nisi natus ex aqua quis erit, non habet vitam* (*Joan.*, III), suboriuntur scrupulosi, imo temerarii retractatus quorumdam, quomodo ex ista præscriptione Apostolis salus competat, quos tinctos non invenimus in Domino, præter Paulum. Imo cum Paulus solus ex illis Baptismum Christi induerit, aut præjudicatum esse de cæterorum periculo, qui careant aqua Christi, ut præscriptio salva sit, aut rescindi præscriptionem, si etiam non tinctis salus statuta est. Audivi, Domino teste, ejusmodi, ne quis me tam perditum existimet, ut ultro exagitem libidine (1) styli, quæ aliis scrupulum incutiant (2). Et nunc illis, ut potero, respondebo, qui negant Apostolos tinctos. Nam si humanum Joannis Baptismum inierant, et dominicum desiderabant (*a*) quatenus unum Baptismum definierat (3) ipse Dominus, dicens Petro perfundi nolenti (4) : *Qui semel lavit, non habet necesse rursum* (*b*) (*Joan.*, XIII, 6) : quod utique non tincto non omnino dixisset : et hæc est probatio exserta adversus illos, qui adimunt Apostolis etiam Joannis Baptismum, ut destruant aquæ sacramentum. An credibile videri potest, in his personis viam tunc Domini præparatam, id est Baptismum Joannis, quæ ad viam Domini per totum orbem aperiendam destinabantur? Ipse Dominus, nullius pœnitentiæ debitor, tinctus est, peccatoribus non fuit necesse? Quid ergo? alii tincti non sunt (5)? non tamen comites Christi, sed æmuli fidei, legis doctores et Pharisæi. Unde et suggeritur, cum adversantes Domino tingui noluerint, eos qui Dominum sequebantur, tinctos fuisse, nec cum æmulis suis sapuisse, maxime quando Dominus cui adhærebant, testimonio Joannem extulisset, *nemo*, dicens (*Matth.*, II, 11), *major inter natos fœminarum Joanne baptizatore*. Alii plane satis coacte injiciunt tunc apostolos Baptismi vicem implesse cum in navicula fluctibus aspersi operti sunt (*Matth.*, VIII) ; ipsum quoque Petrum per mare ingredientem satis mersum (*Matth.*, XIV). Ut opinor autem, aliud aspergi vel intercipi violentia maris, aliud tingui disciplina religionis. Cæterum navicula illa figuram Ecclesiæ præferebat, quod in mari, id est sæculo, fluctibus, id est persecutionibus et tentationibus inquietatur Domino per patientiam velut dormiente (*Matth.*, VIII), donec orationibus Sanctorum (*c*) in ultimis suscitatus, compescat sæculum et tranquillitatem suis reddat. Nunc sive tincti quoquo modo fuerunt, sive illoti perseveraverunt, ut et illud dictum Domini (*Joan.*, XIII), de uno lavacro sub Petri persona (*d*) ad nos tantummodo spectet, de salute tamen Apostolorum satis temerarium est æstimare, quia (6) illis vel primæ allectionis, et exinde individuæ familiaritatis (*e*) prærogativa compendium Baptismi conferre posset (*f*). Cum illo, opinor (7), sequebantur illum, qui credenti cuique salutem pollicebatur : *Fides tua te*, aiebat, *salvum fecit*, et : *Remittuntur tibi peccata* (*Marc.*, X), credenti utique, nec tamen tincto. Id si Apostolis defuit, nescio quorum fides : uno verbo Domini suscitatus (8) teloneum dereliquit (*Matth.*, IX) ; patrem, et navem, et artem qua vitam sustentabat, deseruit (9); patris exequias despexit : summum illud (10) Domini præceptum : *Qui patrem aut matrem mihi prætulerit, non est me dignus* (*Matth.*, X, 37), ante perfecit quam audivit.

CAPUT XIII.

Hic ergo scelestissimi illi provocant quæstiones. Adeo, dicunt, Baptismus non est necessarius, quibus

LECTIONES VARIANTES.

(1) Libidinem *Rigalt. Fran.*
(2) Incutiat *Fran.*
(3) Definiebat *v. c. Wouw.*
(4) Volenti *Jun. Corbinian.*
(5) Quod ergo *Jun.*, alii tincti non sint *v. c. Wouw.*
(6) Quia non illis *v. c. Wouw.*
(7) *Junius emend.* Exinde individuæ familiaritatis cum illo prærogativa comp. Bapt. conf. posset. Opinor, seq., etc. *Rig.* posset, cum illi, opinor, sequebantur, etc. *Leop.* Bapt. conf. posset. Opinor, sequebantur.
(8) Suscitata *Wouw.*
(9) Qui *add. Fran.*
(10) Illius *Fran. Corbinian.*

COMMENTARIUS.

CAP. XII.— (a) *Et dominicum desiderabant.* Ut renati ex aqua et Spiritu sancto, haberent vitam æternam. Nam necessitas illa Joan. III edicta : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, de Baptismo Christi intelligenda est. Respondet igitur auctor iis, qui eo quod apostolos non baptizatos dicerent, eorum salutem in controversiam vocabant, vel omnino ambigebant, et primum agere cœpit adversus eos, qui signate negabant apostolis Baptismum Christi, idque in hoc cap. non inficiatur Tertull. Sed abstinet hac quæstione, et tantum intendit, non esse dubitandum de illorum salute : licet Christi Baptismo non fuerint initiati, quem Baptismum ante resurrectionem Christi negavit apostolis cap. præcedenti, nam nec Christus baptizavit illos juxta Tertullianum, neque institutum erat sacramentum Baptismi, quod possent ministrare ipsi, idem Tertull. probat; fuerint-ne post resurrectionem Christi baptizati, non disputat, nec inclinat alterutro, sed illius tantum scopus in hoc cap. est, apostolis competere omnino salutem, sive tincti fuerint, sive illoti, ubi arrepta occasione Baptisma Joannis accepisse probat : at de dominico caute silet ; quare titulus, quem capiti huic præfixit Pamelius, quod *apostoli baptizati fuisse videantur*, indicat plane minime collimasse auctoris mentem. Unde illustrissimo Baronio, an. 31, num. 4, licet non se explicet omnino, et Bellarmino, lib. I de Bapt. cap. 25 minus illuxit Afri nostri testimonium hoc cap. ut probarent apostolos fuisse Baptismo Christi tinctos. Lac.

(b) *Qui semel lavit.* De Baptismo non iterando hæc verba loqui videntur. Le Pr.

(c) *Orationibus sanctorum in ultimis suscitatus compescat sæculum.* Petitione ista scilicet, *Adveniat regnum tuum*. Ric.

(d) *De uno lavacro sub Petri persona.* Historice illud dictum est Petro, *Qui lotus est non indiget*, etc. Le Pr.

(e) *Individuæ familiaritatis.* Christi Domini socii et contubernales apostoli dicuntur et ὁμορόφιοι ἑταῖροι Nonno, Panop. in Joan. Le Pr.

(f) *Familiaritatis prærogativa compendium baptismi conferre posset.* Eo scilicet modo, quod ipsi etiam juris auctores tradunt nonnunquam celeritate conjun-

Digitized by Google

fides satis est, nam et Abraham nullius aquæ nisi fidei sacramento Deo placuit (*Gen.*, XV). Sed in omnibus posteriora concludunt, et sequentia antecedentibus prævalent. Fuerit salus retro per fidem nudam ante Domini passionem et resurrectionem. At ubi fides aucta est credendi in nativitatem, passionem, resurrectionemque ejus, addita est ampliatio sacramento, obsignatio Baptismi (a) vestimentum quodammodo fidei, quæ retro erat nuda, nec potentiam habuit sine sua lege. Lex enim tinguendi imposita est, et forma præscripta. *Ite*, inquit, *docete nationes, tinguentes eas in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.*, XXVIII, 19). Huic legi collata definitio illa : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non intrabit in regnum cœlorum* (*Joan.*, III, 5), obstrinxit fidem ad Baptismi necessitatem. Itaque omnes exinde credentes tinguebantur. Tunc et Paulus ubi credidit, tinctus est (*Act.*, IX, 6). Et hoc est quod Dominus in illa plaga orbationis præceperat : *Exsurge*, dicens, *et introi Damascum* (*Ibidem*), *illic tibi demonstrabitur quid debeas agere*, scilicet tingui, quod solum et deerat. Alioquin satis didicerat atque crediderat Nazarenum esse Dominum Dei Filium.

CAPUT XIV.

Sed de ipso Apostolo revolvunt, quod dixerit : *Non enim me ad tinguendum Christus misit* (I *Cor.*, I, 17), quasi hoc argumento Baptismus adimatur. Cur enim tinxit Gaium et Crispum et Stephanæ domum (*Ibidem*)? Quanquam etsi non eum miserat Christus ad tinguendum, tamen aliis Apostolis præceperat tinguere. Verum hæc pro conditione tunc temporis ad Corinthios scripta sunt (*Ibid.*), quoniam schismata et dissensiones inter illos movebantur, dum alius Paulo deputat, alius Apollo. Propter quod pacificus Apostolus, ne sibi omnia defendere videretur, non ad tinguendum ait se missum, sed ad prædicandum. Nam et prius est prædicare, posterius tinguere. Si prius prædicatum : puto (1) autem licuit et tinguere (*b*) cui licuit prædicare.

CAPUT XV.

Nescio si quid amplius ad controversiam Baptismi ventilatur. Sane retexam, quod supra omisi, ne imminentes sensus videar intercidere. Unus omnino baptismus est nobis, tam ex Domini Evangelio (*Joan.*, III), quam ex Apostoli litteris (*Eph.*, IV) ; quoniam unus Dominus et unum Baptismum et una Ecclesia in cœlis. Sed circa hæreticos sane quid custodiendum sit, digne quis retractet ; ad nos enim editum est (*c*). Hæretici autem nullum habent consortium nostræ disciplinæ, quos extraneos utique testatur ipsa ademptio communicationis. Non debeo in illis agnoscere (2) quod mihi est præceptum, quia non idem Deus est nobis et illis, nec unus Christus, id est idem. Ideoque nec Baptismus unus (*d*), quia non idem. Quem cum rite non habeant, sine dubio non habent, nec capit numerari, quod non habetur (*e*) : ita nec possunt accipere, quia non habent (*f*). Sed de isto plenius jam nobis in græco digestum est (*g*). Semel ergo lavacrum inimus, semel delicta diluuntur, quia ea iterari non oportet. Cæterum Israel (*Marc.*, VII) Judæus

LECTIONES VARIANTES.

(1) Tingere. Sed sit prius prædicatum. Puto, etc. *Cod. Wouw.*

(2) Cognoscere *Rig.*

COMMENTARIUS.

gendarum inter se actionum, unam actionem occultari. Rig.

CAP. XIII. — (a) *Obsignatio Baptismi vestimentum quodammodo fidei.* Fideles perfici Baptismo, sciebant etiam Stoici. Sic enim disertissime Arrianus, Epict. XI, 9 : Ὅταν δὲ ἀνακλαβῇ τὸ παθὸς τὸ τοῦ βεβαμμένου, καὶ ἡρημένου, τότε καὶ ἔστιν τῷ ὄντι, καὶ καλεῖ εἶται Ἰουδαῖος. Rig.

CAP. XIV. — (b) *Puto autem licuit et tinguere, cui licuit prædicare.* Prædicatur sive docetur regula fidei. Dein Baptismo obsignatur fides. Rig.

CAP. XV. — (c) *Ad nos enim editum est.* Obscurissimum videtur Pamelio : tamen non ita nimis; sensus est : In Evangelio et Paulo unum Baptisma præscribitur ; sed quis decidet, an hoc custodiendum sit circa hæreticos, cum ad nos catholicos dirigatur, quod sacris litteris editum promulgatum sit? Nec vero est, quod hæreat Pamelius, an velit Tertullianus ab hæreticis non posse conferri, an vero accipi Baptismum, cum utrumque velle sit opus, cum dicat non habere Baptismum. — *Ad nos enim editum est.* Illud scilicet quod præcedenti commate dixit : *Unus omnino Baptismus est nobis, Hæc regula ad nos edita est, tam ex Domini Evangelio, quam ex apostoli litteris* non ad hæreticos. Apud nos, hoc est catholicos, editum est, manifestum et apertum quid custodiendum sit nobis in disciplina Baptismi : hæretici autem nullum consortium habent nostræ disciplinæ. Non debemus in illis cognoscere, quod editum est nobis, quod nobis est præceptum. Videatur Baronius, an. Chr. 217 num. 8. Lac.

(d) *Ideoque nec Baptismus unus*, etc. Hunc errorem, de baptizandis iterum iis qui ab hæreticis baptizati sunt, a discipulo Tertulliani Cypriano ex hoc deductum arbitrantur nonnulli ; verum si recte hic auctor explicetur, erroris nulla suspicio forsan relinquetur. Nam defectum in materia, ut vocant, admissum intelligi posse multa persuadent, vel etiam in forma, cum nihil tale S. Cyprianus docuerit. Unde can. 19 Nicæni conc. sancitum est ut de integro rebaptizarentur qui e Paulianistis ad Ecclesiam confugerent. Le Pr.

(e) *Nec capit numerari quod non habetur.* Unum est apud Ecclesiam Baptisma. Unitas autem non est numerus, sed principium numeri. Cum igitur extra Ecclesiam sint hæretici, nullum est apud eos baptisma : quare nec unum, quia quod non est, nequit numerari, nec principium dare numero. Hæc fuit Tertulliani sententia, quam discipulus ejus Cyprianus adversus Stephanum pertinacius asseruit compluribus epistolis. Nisi tamen excusari vel propterea maxime debuerit, quod ea tunc temporis hæreticorum erant crimina ut capite aliquo tenerentur læsæ sanctissimæ Trinitatis ; qua penes eos non integra, adeoque nulla, nihil etiam habere aut dare poterant, quod baptismum Christi sapere videretur. Rig.

(f) *Ita nec possunt accipere, quia non habent.* Apertiora sunt apud Cyprianum : Nos autem dicimus eos qui inde veniunt non rebaptizari apud nos, sed baptizari. Neque enim accipiunt illic aliquid, ubi nihil est. Rig.

(g) *In græco digestum est.* Vides Tertullianum græce prolusisse in hac materia, ut in aliis, quod multi observarunt. Le Pr.

Digitized by Google

quotidie lavat (*a*), quia quotidie inquinatur (*Hebr.*, VI). Quod ne in nobis quoque factitaretur, propterea de uno lavacro definitum est. Felix aqua quæ semel abluit, quæ ludibrio peccatoribus non est, quæ non assiduitate sordium infecta, rursus, quos diluit, inquinat.

CAPUT XVI.

Est quidem nobis etiam secundum lavacrum, unum et ipsum, sanguinis scilicet: de quo Dominus: *Habeo*, inquit, *Baptismo tingui* (*Luc.*, XII, 50), cum jam tinctus fuisset. Venerat enim per *aquam et sanguinem* (I *Joan.*, V, 6), sicut Joannes scripsit, ut aqua tingueretur, sanguine glorificaretur, proinde nos faceret aqua vocatos (*Joan.*, XIX), sanguine electos. Hos duos baptismos (*b*) de vulnere perfossi lateris emisit (1), quia qui in sanguinem ejus crederent, aqua lavarentur: qui aqua lavissent, etiam sanguinem potarent (*c*). Hic est Baptismus, qui lavacrum et non acceptum repræsentat, et perditum reddit.

CAPUT XVII.

Superest ad concludendam materiolam de observatione quoque dandi et accipiendi Baptismum commonefacere. Dandi quidem habet jus summus sacerdos, qui est episcopus (*d*). Dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate (*e*), propter Ecclesiæ honorem. Quo salvo, salva pax est. Alioquin etiam laicis jus est. Quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari potest, nisi episcopi jam aut presbyteri, aut diaconi vocantur, discentes (2), Domini sermo non debet abscondi ab ullo. Proinde et Baptismus æque Dei census ab omnibus exerceri potest (*f*): sed quanto magis laicis disciplina verecundiæ et modestiæ incumbit, cum ea majoribus competat (*g*), ne sibi assumant dicatum episcopi (3) officium episcopatus (4). Æmulatio schismatum mater est. *Omnia licere*, dixit sanctissimus Apostolus, *sed non omnia expedire* (I *Cor.*, VI *et* X). Sufficiat scilicet in necessitatibus ut (5) utaris, sicubi aut loci, aut temporis, aut personæ conditio compellit. Tunc enim constantia succurrentis (*h*) excipitur, cum urget circumstantia periclitantis. Quoniam reus erit perditi hominis, si supersederit præstare, quod

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Legitur in codd.*: proinde nos facere aq. *Semler et ed. Fran.*: Proinde ut nos faceret — electos, hos — emisit. Quia qui, etc. *Recepimus cum Leopoldo a Rigaltio probatam Wouwerii emendationem. Idem in sqq.*: Hic est Baptismus, nempe sanguinis, sive martyrium, qui lavacrum — reddit.

(2) Vocarentur dicentes *Latin.* Vocantur dicentes *Fran.*, *Paris.*

(3) Episcopis *v. c. Wouw.*

(4) *Hoc vocabulum a librario quodam marginis adscriptum in textum illatum esse arbitratur Leop. Junius*: officium. Episcopatus æmulatio, etc.

(5) Ut *abest Rig.*

COMMENTARIUS.

(a) *Israel Judæus quotidie lavat, quia quotidie inquinatur.* Sic lib. de Oratione: *Omnibus licet membris lavet quotidie Israel, nunquam tamen mundus est. Certe manus ejus semper immundæ sanguine prophetarum*, etc. Rig. — *Israel Judæus.* Jam enim est Israel catholicus, quemadmodum et catholica Jerusalem. Le Pr.

CAP. XVI. — (b) *Hos duos Baptismos.* Ea mens est auctori, ut prius aquæ Baptismate nos indigere dicat, ut sanguinem postea bibamus qui e perfosso latere manavit, hoc est eucharistiæ participes fiamus. Le Pr.

CAP. XVII. — (c) *Qui aqua lavissent, etiam sanguinem potarent.* Hoc loco agitur de duplici Baptismo, aquæ et sanguinis. Utrumque autem de vulnere perfossi lateris fluxisse, ait Septimius, ut qui in sanguinem Christi credimus ejus, aqua lavemur: tamque salutaris aquæ beneficio abluti, etiam calicem martyrii pro Christi nomine, quoties occasio inciderit, bibamus intrepide et constanter. Hunc enim esse tam efficacem Baptismum, ut lavacrum et non acceptum repræsentet, et perditum reddat. Quæ haud dubie sunt intelligenda de martyrio. Rig.

(d) *Summus sacerdos qui est episcopus.* — *Propter Ecclesiæ honorem, quo salvo, salva pax est. Alioquin etiam laicis jus est.* Consimilis est locus lib. de Exhort. Castit. Ex utroque autem collegit Hieronymus, quod ait adversus luciferianos, Baptismum esse sacerdotium. Etenim scriptum est: *Regnum quippe nos et sacerdotes Deo et Patri suo fecit*; et iterum: *Gentem sanctam, regale sacerdotium.* Eoque etiam spectat quod opusculi hujus initio Septimius notavit, egressos de lavacro ungi benedicta unctione, de prisca disciplina, qua ungi oleo de cornu in sacerdotium solebant. Idem Hieronymus adversus eosdem hæreticos, Septimii quoque nostri verba mutuatus, de episcopi honore ac potestate disserit, quem et nunc pat summum sacerdotem; quod ante Hieronymum fecerat au tor quæstionum Veteris et Novi Testamenti, quæst. 101: *Presbyterum*, inquit, *intelligi episcopum probat Paulus apostolus, quando Timotheum, quem ordinavit presbyterum, instruit qualem debeat creare episcopum.* Deinde adjicit: *Quid est enim episcopus nisi primus presbyter, hoc est, summus sacerdos?* Et sane sequitur, eum esse summum sacerdotem, qui sit præpositus non tantum populo sacerdotum, hoc est, laicis, Baptismi sacerdotio sive sacramento præditis, verum etiam presbyteris et diaconis. Quin et summus sacerdos propterea dicatur, quod præter sacerdotium Baptismi, habeat sacerdotium ordinis, sive honoris, qui sive ordo sive honos est in Ecclesia maximus. Augustinus, lib. XX de Civ. Dei, cap. 10, episcopos et presbyteros ait proprie jam vocari in Ecclesia sacerdotes: *Sed sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum chrisma: sic omnes sacerdotes, quoniam membra sunt unius sacerdotis.* Denique cum omnis Christianus, etiam laicus, passim apud Tertullianum et alios dicatur ara Dei et templum Dei, et immolare, et sacrificare Deo laudes, gratias, jejunia, eleemosynas; cum etiam episcopo et presbytero sacrificiorum orationes concipienti rem faciat adstipulantis, respondendo, Amen, quod est, Fiat, eo sensu Christiani etiam laici dicuntur sacerdotes. Rig.

(e) *Non tamen sine episcopi auctoritate.* Id est, docet Clemens, Const. VIII, cap. 46; et S. Ignatius, ad Smyrnenses: Οὐκ ἐξὸν ἐστι χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου οὔτε βαπτίζειν, οὔτε προσφέρειν. *Non licet nisi episcopo aut baptizare, aut sacra facere.* Le Pr.

(f) *Æque Dei census ab omnibus exerceri potest.* Consimilis est de episcoporum et præsidentium honore locus, libro de Corona. Rig.

(g) *Cum ea majoribus competat.* Nempe episcopis, presbyteris, diaconis. Rig.

(h) *Constantia succurrentis.* Fiduciam significat succurrentis, qui juris sui conscius, sine addubitatione aut hæsitatione succurrit periclitanti, hoc est admittitur, accipitur, laudatur. Constantiam dicit audaciam. Dixisset, *Constanter succurrere*, eadem forma, qua mox dicet, *Constanter discere*, et lib. de Patientia, *Constanter denotare.* Rig.

Digitized by Google

libere potuit (*a*). Petulantia autem mulieris (1) quæ usurpavit docere, utique non etiam tinguendi jus sibi pariet, nisi si quæ nova bestia evenerit similis pristinæ : ut quemadmodum illa Baptismum auferebat, ita aliqua per se eum conferat (*b*). Quod si quæ Paulo perperam adscripta sunt (*c*), exemplum Theclæ ad (2) licentiam mulierum docendi tinguendique defendunt (*d*) ; sciant in Asia presbyterum, qui eam scripturam construxit, quasi titulo Pauli de suo cumulans (*e*), convictum atque confessum (*f*) id se amore Pauli fecisse, loco decessisse. Quam enim fidei proximum videretur, ut is docendi et tinguendi A daret fœminæ potestatem, qui ne discere (3) quidem constanter mulieri permisit (*g*) : *Taceant, et domi maritos suos consulant* (II *Cor.*, XIV).

CAPUT XVIII.

Cæterum Baptismum non temere credendum esse sciunt, quorum officium est. Omni petenti te dato, suum habet titulum perinde (4) ad eleemosynam pertinentem. Imo illud potius perspiciendum : *Nolite dare sanctum canibus* (*Luc.*, VI), et *porcis projicere margaritas vestras* (*Matth.*, VII, 6) (5), et *manus ne facile imposueris, ne participes aliena delicta* (I *Tim.*,

LECTIONES VARIANTES.

(1) Mulierum *Fran.*

(2) Quod si quæ Paulo perperam adscripta sunt, scriptum Theclæ, etc. *c. Wouw.* Exemplum Theclæ *deleverunt post* B *Rigalt. Ed. Paris. Venet. Semler. Leop.*

(3) Docere *alii.*

(4) Proinde *v. c. Wouw.*

(5) Margaritam vestram *Paris.* et porcis projicere margarita vestra *v. c. Wouw.*

COMMENTARIUS.

(a) *Quoniam reus erit perditi hominis, si supersederit præstare quod libere potuit.* Quomodo perditi hominis, cum in sequentibus dicat, iis qui pondus intelligant Baptismi magis timendam esse consecutionem quam dilationem, fidem integram securam esse de salute? Non pugnat secum. Nam reus est perditi hominis quisquis Baptismum in subita periculi violentia desiderauti dare supersedit. Etenim quantum in se fuit, perdidit, quem vel inhumana desidia, vel intempestiva verecundia salutari lavacro procurare non festinavit. At qui in toto animo totaque mente christianus fieri desideravit, is per fidem factus est Christo quod fidei Christus indulsit, et qui periit homini pravo cunctatori, salvus est Deo servatori liberalissimo. Rig.

(b) *Ut aliqua per se eum conferat.* Hoc est, ut ipsa C tinguat. Rig.

(c) *Quod si quæ Paulo perperam adscripta sunt.* Notat scriptum illud cui titulus erat, Acta Pauli, jampridem inter apocrypha relatum. Ejus meminit Eusebius, Hist. III, cap. 19. Hunc vero locum emendavimus ex Ursini libro. Nam haud dubie de margine aliqua irrepserat nomen Theclæ, cujus historia sub nomine Basilii Seleuciensis etiamnum circumfertur, ejusdem cum illis paulinis farinæ. Ævo Septimii nostri talium fabularum scriptores loco si quem in Ecclesia obtinebant, pellebantur. Rig. — *Quod si quæ Paulo*, etc. Expunxit hic Rigaltii codex, *exemplum Theclæ*, quod in aliis fere omnibus occurrit, et interpretes exercet. Puto e margine has voces in textum irrepsisse. Ne vero historia Theclæ omnino ignoretur, sciendum plerisque eam videri apocrypham, licet a Baronio defendatur notis in martyrolog. Ea est talis : Thecla virgo concionantem Paulum cum Iconii audisset, adolescentem cui in matrimonium pacta erat, recusavit. Mater filiam tanquam christianam ad judices detulit : supplicia infinita signo crucis et Pauli precibus superavit, et martyrii tandem palmam adepta est. Quæ omnia huc usque vera sunt ; alia vero dubia, nimirum monialem factam, et velum a B. Paulo sumpsisse. Hæc Damascenus VI supposititius e Palladii Laus. desumpsit, ut alia quædam ejus generis de Franconillæ et Trajani animis, precibus Theclæ et Gregorii, liberatis. Le Pr. — Huc usque catholici quidem auctores, quorum stomachi plena potiusquam suasionis argumenta recolens vir frugi, frigidique ac sanioris ingenii, doctissimus e Protestantium agmine Gravius, hæc habet, quæ, usquedum ipsamet Acta Pauli et Theclæ proferamus, sat erit asperiori nostratum supercilio opponere : « Hinc profecto constat, inquit, libellum istum fuisse Pauli nomine falso inscriptum. At vero illud adhuc in quæstione manet : utrum historia Theclæ in eo libro narrata mera fuerit fabula a presbytero isto conficta : cum talis virgo et martyr sanctissima nunquam exstiterit istave egerit et passa fuerit pro fide christiana quam a Paulo didicisse fertur. Sane Tertulliani verba hoc non evincunt ; sed solum presbyteri istius asiatici libellum perperam Paulo adscriptum, male qui in eo relatum esse volunt, quod Thecla ipsa docendi ac baptizandi munus exercuerit. Quid quod hoc ipsum si penitius inspicias horum Actorum antiquitatem arguit? Sequioris enim ævi scriptor vix illud posuisset : neque ullus recentior muliebri sexui tale quid attribuisset, neque aut Paulum apostolum munus istud sacrum injungentem aut Theclam illud exercentem introduxisset. Primis temporibus hæc magis conveniunt atque historiæ Ecclesiarum Asiæ satis sunt congrua. In istis enim mulieres quasdam potestatem prædicandi in Ecclesia sibi arrogasse colligitur ex verbis Pauli ad Timotheum, Ephesi in Asia relictum ita scribentis : *Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto* (I *Tim.*, II, 11, 12). Quid quæso hac instructione Timotheo opus erat, nisi in Ephesina Ecclesia fœminæ sacrum istud munus ambiissent? Ita et in alia asiatica Ecclesia, Thyatiræ silicet, *mulier Jezabel docebat, dicens se προφήτιν* esse, id quod improbatur (*Apocal.*, II, 20). Hujusmodi mulierum in ecclesiis prædicantium patronus, iste quoque asiaticus presbyter fuisse videtur qui Acta Pauli et Theclæ scripsit : et ob id merito a sancto Joanne gradu suo dejectus est, ut a Tertulliano et Hieronymo memoriæ proditum » (*Spicileg. SS. PP.*, tom. I, pagg. 88, 94 et 334). Hactenus eruditus Grabius : qui et animadvertit Hieronymum non *Theclæ fabulam*, sed D *baptizati Leonis fabulam* dixisse ; quæ quidem fabula in nostris Actis haud legitur : ut proinde jure censeatur sanctus Pater aut ista Acta penitus ignorasse, aut in exemplar aliquod eorumdem Actorum depravatum incidisse. Edd.

(d) *Ad licentiam mulierum*, etc. Hoc est licentiam docendi, pariter et tinguendi : ad licentiam dixit, ut ad fiduciam, ad communionem, etc. Rig.

(e) *Quasi titulo Pauli de suo cumulans.* Hoc est : Quasi aliquid titulis et gloriæ Pauli de suo adderet, quod cumuli esset instar. Rig.

(f) *Convictum atque confessum.* Hieronymus addidit, convictum apud Joannem. Rig.

(g) *Ne discere quidem constanter mulieri permisit.* Ut etiam cum verecundia discere appetant. Non constanter discere, hoc est, non absolute scitari ; aut præfracte interrogare. Sic lib. de Patientia, *Proditorem suum nec constanter denotavit.* Rig.

Digitized by Google

V, 22; *Act.*, VIII). Si Philippus tam facile tinxit eunuchum, recogitemus manifestam et exsertam dignationem Domini intercessisse. Spiritus Philippo præceperat in eam viam prætendere (1); spado et ipse inventus est non otiosus, nec qui subito tingui concupisceret: sed ad templum orandi gratia profectus Scripturæ divinæ impressus. Sic oportebat deprendi, cui ultro Deus Apostolum miserat, ad quem rursus Spiritus, ut se curriculo eunuchi adjungeret, jussit, Scriptura ipsius fidei occurrit in tempore, exhortatus assumitur, Dominus ostenditur, fides non moratur, aqua non exspectatur, Apostolus perfecto negotio eripitur. Sed et Paulus revera cito tinctus est (*Act.*, IX). Cito enim cognoverat Simon (2) hospes vas eum esse electionis constitutum. Dei dignatio suas præmittit prærogativas; omnis petitio et decipere et decipi potest. Itaque pro cujusque personæ conditione ac dispositione, etiam ætate cunctatio Baptismi utilior est: præcipue tamen circa parvulos. Quid enim necesse est (3), sponsores etiam periculo ingeri (*a*)? quia et ipsi (4) per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, et proventu malæ indolis falli. Ait quidem Dominus: *Nolite illos prohibere ad me venire* (*Matth.*, XIX, 14). Veniant ergo dum adolescunt, veniant dum discunt, dum quo veniant, docentur; fiant Christiani, cum Christum nosse potuerint. Quid festinat innocens ætas (*b*) ad remissionem peccatorum? Cautius agetur in sæcularibus, ut cui substantia terrena non creditur, divina credatur (5); norint petere salutem, ut petenti dedisse videaris. Non minore de causâ innupti quoque procrastinandi, in quibus tentatio præparata est tam virginibus per maturitatem, quam viduis per vagationem (6), donec aut nubant, aut continentiæ corroborentur. Si qui pondus intelligant Baptismi, magis timebunt consecutionem quam dilationem: fides integra secura est de salute (*c*).

CAPUT XIX.

Diem Baptismo solemniorem Pascha præstat, (*d*) cum et passio Domini in qua (7) tinguimur, adimpleta est, nec incongruenter (8) ad figuram interpretabitur, quod cum ultimum Pascha Dominus esset acturus, missis discipulis ad præparandum, *Invenietis* (9), inquit, *hominem aquam bajulantem* (*Marc.*, XIV, 13) Paschæ celebrandæ locum de signo aquæ ostendit. Exinde Pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est (*Act.*, II), quo et Domini resurrectio inter discipulos frequentata est, et gratia Spiritus sancti dedicata, et spes adventus Domini subostensa, quod tunc in cœlos recuperato eo, Angeli ad apostolos dixerunt, sic venturum quemadmodum et in cœlos conscendit (*Act.*, I) utique in Pentecoste. Sed enim Jeremias cum dicit: *Et congregabo illos ab extremis terræ in die festo* (*Jer.*, XXI, 8), Paschæ diem significat et Pentecostes, qui est proprie dies festus. Cæterum omnis dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile Baptismo: si de solemnitate interest, de gratia nihil refert.

CAPUT XX.

Ingressuros Baptismum, orationibus crebris, jejuniis et geniculationibus, et pervigiliis orare oportet, et cum confessione omnium retro delictorum, (*e*) ut exponant etiam Baptismum Joannis (*f*), *Tinguebantur*, inquit, *confitentes delicta sua* (*Matth.*, III, 6). Nobis gratulandum est (*g*), si non publice confitemur iniquitates aut turpitudines nostras. Simul

LECTIONES VARIANTES.

(1) Pertendere *v. c. Wouw.*
(2) Judas *Frameq.* Ananias *Latin.*
(3) Si non tam necesse *add. Frameq.* si non tam necesse est *v. c. Wouw.*
(4) Qui et ipsi *Fran. Corbin. Leop.*
(5) Credatur? Norint *Latin.*
(6) Vacationem *Wouw.*
(7) Quam *cod. Wouw.*
(8) Quis *add. cod. Wouw.*
(9) Convenietis *Paris.*

COMMENTARIUS.

CAP. XVIII. — (a) *Sponsores etiam periculo ingeri.* Puerorum susceptores, qui Græcis ἀνάδοχοι, quasi fidejussores sunt, eorum officium est infantem instruere, et ad bene vivendum adhortari, et hinc sensum auctoris edicere potes. Le Pr.

(b) *Quid festinat innocens ætas.* Sic putabat Tertullianus, ad nomen christianum admitti non debere, qui nondum haberet ullum intellectum fidei christianæ, nec indigere delictorum remissione, qui nondum esset ullius doli sive delicti capax. Visum tamen Ecclesiæ catholicæ, secundum Cypriani sententiam, a Baptismo et gratia neminem prohibere, ac ne infantes quidem, qui recens nati nihil peccavere, nisi quod secundum Adam carnaliter nati, contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxere: itaque ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedere, quod illis remittuntur non propria, sed aliena peccata. Ric.

(c) *Fides integra secura est de salute.* Dixit supra de iis quibus aliena culpa lavacrum negavit; nunc de iis quibus dum veniunt ad Christum, dum adolescunt in Christo, dum addiscunt cœlestia, vis aliqua major et vitam abstulit et lavacrum. Atque hos etiam securos esse jubet Septimius: Fidem integram esse, quæ talis fieri satagit, ac proinde securam esse de salute. Ric.

CAP. XIX.—(d) *Diem Baptismo solemniorem.* Nullus puto ignorat duo olim præcipue tempora baptizandis Christianis data fuisse, sacrum Pascha et Pentecosten: atque in priore potissimum per dies octo solemnitatem baptizandi celebratam fuisse. Le Pr.

CAP. XX.— (e) *Cum confessione omnium retro delictorum.* Confitentur omnia retro delicta, qui serio ac sedulo resipiscunt, et vitæ apud ethnicos anteactæ crimina vel errores damnant ac detestantur, corde ad verum Deum conversæ. Confitentur, inquam, omnia retro delicta, qui delictorum pœnitentiam agunt, mutatoque consilio vitam instituunt innocentem. Ric.

(f) *Ut exponant etiam Baptismum Joannis.* Expositione omnium delictorum suorum. Etenim Baptismum administrabit Joannes pœnitentibus et confitentibus delicta sua. Eam vero confessionem publice factam fuisse ostendit Septimius, cum ait aliam esse Christianorum ævo suo consuetudinem. Ric.

(g) *Nobis gratulandum est, si non publice confitemur iniquitates aut turpitudines nostras.* Quomodo igitur? Conflictatione carnis et spiritus: hoc est, crebris orationibus, jejuniis et geniculationibus et pervigiliis. Ex hujusmodi autem conflictatione duplicem utilitatem percipi docet: *Simul enim*, inquit, *et de pristinis*

Digitized by Google

enim et de pristinis satisfacimus conflictatione (1) carnis et spiritus, et subsecuturis tentationibus munimenta præstruimus. *Vigilate et orate*, inquit, *ne incidatis in tentationem* (*Matth.*, XXVI, 41). Et ideo, credo, tentati sunt, quoniam obdormierunt, ut apprehensum Dominum destituerint, et qui cum eo perstiterit, et gladio sit usus, ter etiam negaverit : nam et præcesserat dictum : *Neminem intentatum regna cœlestia consecuturum* (*Luc.*, XXII, 28, 29). Ipsum Dominum post lavacrum statim tentationes circumsteterunt quadraginta diebus jejuniis functum. Ergo et nos, dicet aliquis, a lavacro potius jejunare oportet. Et quis enim prohibet, nisi necessitas gaudii et gratulatio salutis? Sed Dominus, quantum existimo (2), de figura Israelis exprobrationem in ipsum retorsit. Namque populus mare transgressus, et in solitudine translatus per quadraginta annos, illic cum divinis aleretur, nihilominus ventris et gulæ meminerat, quam Dei. Deinde (3) Dominus post aquam segregatus in deserto (*a*) (4) quadraginta dierum jejunia emensus, ostendit non pane vivere hominem Dei, sed Dei verbo : tentationesque plenitudini et immoderantiæ ventris appositas abstinentia elidi. Igitur benedicti quos gratia Dei expectat, cum de illo sanctissimo lavacro novi natalis ascenditis, et primas manus (*b*) apud Matrem (*c*) cum fratribus aperitis, petite de Patre, petite de Domino, peculia, gratias, distributiones charismatum, subjiciente (6), *Petite et accipietis* (*Matth.*, VII, 7), inquit. Quæsistis enim et invenistis; pulsastis, et apertum est vobis. Tantum oro, ut cum petitis etiam Tertulliani peccatoris memineritis.

A

B

LECTIONES VARIANTES.

(1) Conflatione *Rigalt.*
(2) Quantulum æstimo *Fran.*
(3) Proinde *Latin.*
(4) Deserto *v. c. Wouw.*
(5) *Hæc vox redund. visa fuit Jun.*
(6) Subjacente *Paris.*

COMMENTARIUS.

satisfacimus, et subsecuturis tentationibus munimenta præstruimus. Quod si conflictatione carnis et spiritus de pristinis delictis satisfacimus, sane satisfactio facta per conflictationem carnis et spiritus, confessionem quoque ipsa conflictatione factam includit. Atque hæc de confessione seu pœnitentia venientium ad fidem christianam. Hic enim de aliis non agitur Rig.

(a) *Post aquam segregatus in deserto.* Post aquam, hoc est, post Baptismum Joannis. Rig.

(b) *Primas manus aperitis.* Orabant manibus expansis. Itaque primas manus dicit, tum primum a fide ad orationem apertas sive expansas. Rig.

(c) *Apud matrem.* Apud Ecclesiam. Sic lib. de Idololatria, *Attollere ad Deum Patrem manus.* Rig.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI
DE PŒNITENTIA
LIBER.

PROŒMIUM.

De Pœnitentia librum eo tempore scripsisse Tertullianum, quo nondum Montani dogmata sectaretur, libri ipsius argumentum edocet; in eo enim post Baptismum lapsi ad pœnitentiam excitantur, quam Montanistæ dandam esse negabant : *Omnibus ergo*, aiebat, *delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui pœnam per judicium destinavit, idem et veniam per pœnitentiam spopondit dicens : Vivo ego, dicit Dominus, pœnitentiam malo magis quam mortem* (*Infra cap.* IV). Et capite VII diserte unum ex præcipuis Montanistarum erroribus impugnat, demonstrando eos, qui post Baptismum peccata commiserunt, ab Ecclesia absolutionem eorum impetrare posse, dum eos illorum pœnituerit. An is liber sit *Tertulliani*, nemo neque olim dubitavit, neque nunc dubitat. Unus erat Erasmus Rotterodamus, eumdem *Tertulliano* detrahere conatus, quem non nisi Beatus Rhenanus secutus est, uterque uni huic argumento, satis imbecilli, innixus, styli diversitas. Atque hunc quidem non nego in hoc libro paulo floridiorem esse, sed non magna a reliquorum, etiam quos extrema ferme ætate scripsit, diversitate, et solum in quibusdam allegoriis ac metaphoris paulo illustrioribus sita. Quodsi vero similes flosculos ex aliis ejusdem areolis decerpere vacaret, facile integras corollas nectere possem. Cæterum ex sola et quacumque *styli* discordantia, nisi aliorum, et graviorum quidem argumentum adminicula concurrant, vix auctorem suspectum fieri, ne dicam, aliquid contra eumdem decerni posse, pridem sensere alii optimæ notæ critici, ex quibus vel unum adduco *Guillelmum Cavcum*, qui in Hist. suæ litterar. Prolegomenis, sect. IV, num. 64, tum demum, seu suppositionis argumentum probari ait, *si stylus totiusque orationis contextus, sit longe diversus ab eo dicendi charactere, quo in genuinis suis usus est auctor.* Atqui vero adeo non longe diversum quivis legens deprehendet, ut potius præter paucas quasdam phrases, paulo excitatiores, et in aliis *Tertulliani* scriptis vix occurentes, afrum illud, ac concisum eloquii genus, uni ferme *Tertulliano* proprium, illa deinde styli velut quædam majestas, sensuumque in singulis prope verbis ubertas; illa grandis eloquentia, quæ, utut dura sit, nescio, quomodo tamen lectorem vel invitum ad se rapere potest, non minus in hoc libro triumphet : ut nil dicam de aliis phrasibus, ex aliis ejusdem libris

C

D

Digitized by Google

tam sedulo expressis. Fatetur dein ipse beatus Rhenanus *auctorem hujus libri verbis et figuris iisdem uti, et quisquis fuerit, ejus indubie esse sæculi, et Tertulliani studiosissimum*; quidni vero Tertullianum ipsum? Quis enim alius stylum ejus, certe singularem, et vix a quopiam imitabilem, tam scite expresserit, ut apud S. Pacianum, sæc. IV scriptorem, omnesque alios per plusquam undecim sæcula ad Erasmum usque, pro ipso Tertulliano fefellerit, et nulli unquam ex styli diversitate quidpiam de alio libri hujus auctore suboluerit? Tandem ergo ex illa qualicumque demum styli discordantia plus argui non posse censemus, quam Tertullianum, cum adhuc vegetiori esset ætate vivaciorique ingenio, hanc scriptionem suscepisse. Solent enim ingenia ejusmodi fervida ac agilia, instar apum per varios flores circumvolitare, atque ex alienis etiam rebus allegorias et metaphoras exsugere, suumque in alveare eas comportare. Solet item ætate sensim provectiori subsidere stilus, temperatiorque et robustior fieri. Et denique haud facile scriptorem quisquam reperiet, qui perpetuo sibi constet, præsertim si non uno continuo opere protraxerit, sed per varias, neque cohærentes materias, variis temporibus, annisque ipsis interpolatas, circumduxerit calamum. Est enim quædam suapte natura tristior aut humilior, atque exsucca magis, quæ juvenilis quoque ingenii vigorem satis retundat atque deprimat, et ad quam succulenta cæteroquin virorum eloquentia velut exarescat: est autem alia rursus materia suavior, amœniorque, et ipsius auctoris ingenio accommodatior, quæ languidius cæteroquin ingenium satis excitare ac stimulare queat: est denique ita vivax ac radiosum quidpiam diffundens, quæ scribentem penitus incendere ac inflammare, quem et ex senectute jamjam cinericia diu consopitos igniculos quandoque suscitare valeat. Sunt deinde alia quoque, scribenti aliunde, ac velut per obliquum, advenientia, quæ tamen ad ejus ingenium, ut ita dicam, alterandum quandoque multum possunt. Quid mirum igitur, si neque Tertullianus undequaque sibi constet, sed, cum primitus, licet jam adultiori ætate, se ad scribendum contulit, nonnihil alacriori stylo usus fuerit, deinceps aliis in ejus operibus nonnihil magis subsidente, majorique eruditionis apparatu ornatum velut compensare.

Si jam vero tempus ipsum, quo hunc tractatum exaraverit, paulo propinquius (quamquam id præcise fieri nequeat) designandum sit, ita opinor, hanc tractationem certo ante annum Christi CC et verisimiliter anno CXCVII aut fortasse maturius, litteris consignatam fuisse, certe autem et hujus, et alterius de Baptismo scripti, tempus haud procul invicem distare. An vero librum de Baptismo huic de Pœnitentia, an hunc illi, scribendi ordine, subjunxerit, vix quidquam determinari potest. Verisimilius tamen mihi quidem videtur, subjunxisse; si enim hunc de Pœnitentia præmisisset, credo, in cap. ult. de Baptismo, ubi de pœnitentia, baptismo instar præ orationis præmittenda, agit, hujus, ceu jam alibi fusius per-

A tractatæ, nonnullam mentionem facturum fuisse. Certe autem in ipso libro de Baptismo ad finem cap. 15 lectores suos ad alium de eodem tractatum, jam antea *græco sermone* exaratum, solerter remittit. Quis ergo male videtur opinari, si materiam hanc de Pœnitentia, quam ad calcem libri de Bapt. nonnihil brevius perstrinxerat, novo consilio, et in peculiari libro ampliorem ejus tractationem postea suscepisse dicatur, et quidem partim in catechumenorum gratiam, ut hi eo majorem de baptismi pretio æstimationem conciperent, quem intelligerent tam laboriosis pœnitentiæ operibus comparandum esse? Quidni ergo in his se eo ardentiori deinceps studio exercerent, ut tam largiter propositum Baptismi præmium, ejusque gratiam, eo certius consequerentur, eoque tutius deinceps conservarent?

B

Denique vero præclarum de hoc libro judicium audiendum est, quod ipse Beatus Rhenanus, vir magni judicii, in præmisso ad eumdem argumento tulit, nempe *commentarium hunc esse ejusmodi, ut theologi eum debeant ad unguem ediscere; nam egregium*, pergit, *monumentum est antiquitatis; tam sancte docet, tam pie suadet, tam instanter urget rem ecclesiasticæ disciplinæ summopere necessariam*, EXOMOLOGESIN, *hoc est, actum et ministerium pœnitentiæ*. Certo autem ut passim ex Tertulliano veteris Ecclesiæ traditiones et disciplinam addiscimus, ita etiam hic, insigni contra novatores nostros utilitate, modum agendæ pœnitentiæ, prout ea primis mox sæculis et utique ex

C Apostolica institutione, agi consueverat, pulchre solideque docemur. LUMP.

ARGUMENTUM.

Principio generatim de pœnitentia pertractat (*cap.* 1) *eamque necessariam adstruit pro omnibus peccatis et delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis* (*cap.* 4). *Dein duo distinguit pœnitentiæ genera. Prior est, quæ baptismo debet præmitti a catechumenis, seu quæ agitur ante baptismum* (*cap.* 6); *posterior eorum, qui in peccata gravia post baptismum infeliciter lapsi, ex iis exsurgunt operosa pœnitentia. In priori parte necessitatem sese probandi urget, et sese præparandi ad baptismi gratiam vera pœnitentia. Baptismum inanem esse non veretur asserere, cum aliquem peccatorum suorum non pœnituit, nec vita emendavit,*

D *et vanam esse fiduciam, sibi fingere, cum quis prave ad baptismi usque diem vixerit, eum repente in virum sanctum evasurum, et a peccato desiturum, ubi primum illud sacramentum receperit* (*cap.* 6). *Tractatus hujus pars posterior est de pœnitentia post baptismum, quæ Exomologesis dicitur. Testatur* (*cap.* 7) *illico se ægre de hac posteriore pœnitentia loqui, quæ postrema spes est iis reliqua, qui criminibus, h. e. peccatis atrocibus post baptismum se obstrinxerunt, ne, inquit, de hac nova a peccatis exsurgendi ratione agendo, a Deo nobis oblata, de novo peccandi viam aperire videatur. Illius postea pœnitentiæ publicæ Exomologesis dictæ operosa depingit exercitia* (*cap.* 9), *ejus necessitatem demonstrat* (*cap.* 11) *ac tandem eos objurgat, quos eam amplecti pudebat criminibus post baptismum admissis* (*cap.* 10).

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

Pœnitentiam (*a*,*b*) hoc genus hominum, quod et ipsi retro fuimus, cæci, sine Domini lumine, natura tenus norunt passionem animi quamdam esse quæ veniat de offensa sententiæ prioris (1). Cæterum a ratione ejus tantum absunt, quantum ab ipso rationis auctore : quippe res Dei, ratio ; quia Deus omnium conditor, nihil non ratione tractari, intelligique voluit. Igitur ignorantes quique Deum rem quoque ejus ignorent necesse est, quia nullus omnino thesaurus extraneis patet. Itaque universam vitæ conversationem sine gubernaculo rationis transfretantes imminentem sæculo procellam (*c*) vitare non norunt. Quam autem in pœnitentiæ actu (*d*) irrationaliter (2) deversentur, vel uno isto satis erit expedire, eum illam etiam in bonis factis suis adhibent. Pœnitet fidei, amoris, simplicitatis, patientiæ, misericordiæ, prout quid in ingratiam cecidit. Semetipsos exsecrantur (*e*), quia benefecerint, eamque maxime pœnitentiæ (3) speciem, quæ optimis operibus irrogatur, in corde fingunt (4), meminisse curantes, ne quid boni rursus præstent ; contra, pœnitentiæ malorum levius incubant (5) : denique facilius per eamdem (6) delinquunt, quam per eamdem recte faciunt.

CAPUT II.

Quod si Dei ac per hoc rationis quoque compotes agerent, merita primo pœnitentiæ expenderent, nec unquam eam ad (7) argumentum perversæ emendationis adhiberent ; modum denique pœnitendi temperarent, quia et delinquendi tenerent ; timentes Dominum scilicet (*f*). Sed ubi metus nullus, emendatio proinde nulla. Ubi emendatio nulla, pœnitentia necessario vana : quia caret fructu suo, cui eam Deus sevit, id est, hominis saluti. Nam Deus post tot ac tanta delicta humanæ temeritatis, a principe ge-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Sententiæ pejoris *Semler*.
(2) Irrationabiles *Rig. Paris.*
(3) Patientiæ speciem *Semler*.
(4) In corde figunt. *Semler. Leop.*
(5) Contra patientiæ malum. *Seml. quod emendaverat Rhen. e cod. Gorz et post eum Rigal. Paris. Venet. Franq.*
(6) Per eam r. *Wouw.*
(7) Ad augmentum *Seml. Leop.*

COMMENTARIUS.

CAP. I.—(a) Multa fuere olim et recentius docte sapienterque dicta de hujusce libri argumento, multa simul de multiplici veterum Christianorum pœnitentia, ac præsertim de ea quæ vocatur *Exomologesis*, cum publica criminum satisfactione, perperam ac malesana mente olim et recentius permixta ; nec etiam abfuerit severior nota optimis quibusdam *Tertulliani* commentatoribus, ac proinde nemini in nos suggillandum erit, dum in hujus libri fronte pauca perstringamus capita, præcipuasque stabiliamus conclusiones de institutione, progressu et cessatione pœnitentiæ solemnis. Eamdem fusius breviusve describendam susceperunt provinciam ex veteribus post *Tertullianum* B. Cyprianus *in libris epistolisque de lapsis adversus Novatianum* ; item S. Pacianus *lib. et epist. II, ad Sympronianum, ac paræn. ad pœnitentiam* ; D. Ambrosius, *lib. II de Pœnitentia* ; Joh. Chrysostomi ac τοῦ Μακαρίου Ephrem *homiliæ sermonesque de Pœnitent.* ; Fulgentius lib. II *de Remissione peccatorum ad Euthymium*. — Inter recentiores unus omnium instar est ac nemini ea de re secundus doctiss. Morinus, de Sacrament. lib. IV, cap 9, 10, cujus porro totam doctrinam satis ibi erit ad quædam brevia capita reductam proponere. Cum eo igitur clarissimo viro statuendum est, 1° pœnitentiam ab initio Ecclesiæ usque ad Montani hæresim, id est ad annum circiter 175 *breviorem fuisse et clementius inflictam* ; 2° a Montani ævo ad Novatum usque, id est ad annum circiter CCL, *levem ac brevem fuisse pœnitentiam*, si cum subsequentis ævi severitate comparetur ; tunc tamen nonnihil crevisse, quoad modum et tempus, etsi istud necdum in specie determinatum fuerit ab Ecclesia ; 3° Post Novatianum schisma graviorem ac diuturniorem fuisse pœnitentiam, quam prius, eique certa temporis spatia præfixa fuisse, variis in classibus evolvenda, idque in orientali Ecclesia ante viguisse quam in occidentali ; 4° In Ecclesia orientali post quartum sæculum, in occidentali vero post septimum multopere refriguisse solemnem pœnitentiæ disciplinam, fereque in desuetudinem abiisse prædictæ pœnitentiæ stationes ; 5° Non omnia lethalia etiam publica, nec clericos omnes, saltem majores, publice reos, pœnitentiæ solemni subjacuisse ; 6° Pœnitentiam publicam, nisi forte quoad crimen hæreseos, nunquam iteratam fuisse. — An vero, sublata peccatori relapso publicæ pœnitentiæ medicina, nihil jam ille in clavibus haberet remedii, anceps agitatur controversia. Affirmat Albaspineus *lib. II, observ.* 5 ; Morinus *lib. V, c.* 27 ; Petavius *in Epiphan. ad hæresim* 59. Contra vero Nat. Alexander *dissert.* 10 *in hist. sæcul.* III, eadem est Tournelii opinio, ac omnino videtur posterior illa tenenda. Cf. theol. Curs. complet. tom. 22, p. 691. Adisis imprimis Cl. P. Corbinianı Thomæ luculentos de hoc ipsomet libello Tertullii commentarios ; quos cum eo loci continuos adserere magnopere juvisset, nimia vero difficultate ac tardiori mora nactos tandem et receptos, ad calcem hujusce editionis Tertullianæ, quo lectorem remittimus, seponere oportuit. Edd.

(b) *Pœnitentiam*. Hunc librum Erasmus non esse Tertulliani tandem Rhenano persuasit ; nullo magis argumento, quam stili, ut ipsis videtur, accuratioris. Cujus argumenti vim sane frivolam esse, mecum sensuros omnes confido, qui Septimio legendo attentius incubuerint. Nam et hic genium plane Tertullianicum agnoscent, et in aliis libris, qui nullam status usquam sui controversiam sunt passi, partes ejusdem operis longe aliis accuratiores et elegantiores animadvertent. Rig.

(c) *Imminentem sæculo procellam*. Quam in Apologetico dixit, *Vim maximam universo orbi imminentem ipsamque clausulam sæculi acerbitates horrendas comminantem*, pag. 447. Rig.

(d) *In pœnitentiæ actu*. Nihil aliud quam in agenda pœnitentia. Lac.

(e) *Pœnitet fidei amoris, etc., prout quid in ingratiam cecidit, semetipsos exsecrantur*. Quintilianus, Instit. XI : *Jus mortis a senatu quidem vel ob aliquam magnam infelicitatem, vel etiam pœnitentiam, petunt.* Rig.—*In ingratiam*. Nos, attento quod alibi etiam ingratiæ vocabulo utatur pro ingratitudine, scripsimus, *Prout quid in ingratiam cecidit*. Sic in hoc libro infra. Rhen.

CAP. II. — (f) *Timentes Dominum scilicet*. Pertinet hoc ad primam pœnitentiæ partem, quæ est contritio, cujus initium timor Domini, sicut infra cap. 5, et Aug. lib. de Pœnit. med. contraquam sentiunt nostri adversarii, dicentes, uti Lutherus, optimam pœnitentiam esse novam vitam, neque ulla contritione opus esse, aut sicuti Melanchon, nonnisi servili timore quodam qui metum incutiat. Pam.

Digitized by Google

neris Adam auspicata (*Gen.* III), post condemnatum hominem cum sæculi dote (*a*) post ejectum paradiso, mortique subjectum, cum rursus ad suam misericordiam maturavisset (*b*), jam inde in semetipso (*c*) pœnitentiam dedicavit (*d*), rescissa sententia irarum pristinarum, ignoscere pactus (*e*) operi et imagini suæ (*Gen.* VIII *et* IX). Itaque et populum sibi congregavit, et multis bonitatis suæ largitionibus fovit, et ingratissimum totiens expertus, ad pœnitentiam semper hortatus est (*Gen.* XII); et prophetando universorum prophetarum emisit ora (*f*), mox gratiam pollicitus, quam in extremitatibus temporum per Spiritum suum universo orbi illuminaturus esset, præire intinctionem pœnitentiæ jussit (*g*), si (1) quos per gratiam vocaret ad promissionem semini Abraham destinatam, per pœnitentiæ subsignationem (2) ante componeret (*h*). Non tacet Joannes, Pœnitentiam inlitote, dicens (*Matth.* III): jam enim salus nationibus appropinquabit, Dominus scilicet (*i*), afferens secundum Dei promissum, cui præministrans, pœnitentiam destinabat purgandis mentibus (3) propositam, uti quicquid error vetus inquinasset, quicquid in corde hominis ignorantia contaminasset (*j*), id pœnitentia verrens et radens, et foras abjiciens mundam pectoris domum superventuro Spiritui Sancto paret, quo se ille cum cœlestibus bonis libens A inferat (*k*). Horum bonorum unus est titulus, salus hominis, criminum pristinorum abolitione præmissa. Hæc pœnitentiæ caussa: hæc opera negotium divinæ misericordiæ curans: quod homini (4) proficit (*l*), Deo servit. Cæterum ratio ejus, quam cognito Domino discimus, certam formam tenet, ne bonis unquam factis (*m*) cogitatisve quasi (5) violenta aliqua manus injiciatur (*n*), Deus enim reprobationem bonorum ratam non (6) habet utpote suorum, quorum cum auctor (7) et defensor sit, necesse est proinde et acceptator; si acceptator, etiam remunerator. Viderit ergo ingratia hominum, si etiam bonis factis pœnitentiam cogit. Viderit et gratia, si captatio ejus ad benefaciendum incitamento est, terrena, mortalis utraque. Quantulum enim compendii, si grato beneB feceris? vel dispendii, si ingrato? Bonum factum (*o*) Deum habet debitorem, sicuti et malum: quia judex omnis remunerator est caussæ. At cum judex Deus justitiæ carissime sibi exigendæ tuendæque præsideat, et in eam omnem summam disciplinæ (8) suæ sanciat: dubitandum est sicut in universis actibus nostris, ita in pœnitentiæ quoque caussa, justitiam Deo præstandam esse? quod quidem ita impleri licebit, si peccatis solummodo adhibeatur. Porro peccatum, nisi malum factum, dici non meretur; nec quisquam benefaciendo delinqui. Quod si non delin-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Ut *Fran. Paris.*
(2) Anteponeret *Seml.*
(3) Præpositam *Seml.*
(4) Profecit *Rig.*
(5) Violentia *Seml.*
(6) Habens *Seml.*
(7) Est, *Vouw. M. S. Seml.*
C (8) Suæ *omitt. Seml.*

COMMENTARIUS.

(a) *Post condemnatum hominem cum sæculi dote.* Dotem sæculi dicit delicta, per quæ homo excidit a divina gratia. Rig.—*Cum sæculi dote.* Miserias humanas intelligit, quæ post peccatum mortalibus in dotem assignatæ sunt. Albasp.

(b) *Cum ad suam misericordiam maturavisset.* Optime explicat Rhenanus, *Cum ad suam misericordiam Deus mature se recepisset.* Rig.—*Ad suam misericordiam maturavisset.* Hoc est mature se recepisset et in tempore. Sic Cyprianus *ad Donatum* gratiam maturantem dixit. Rhen.

(c) *Jam inde in semetipso pœnitentiam dedicavit.* Quasi Deum pœnituerit fecisse hominem: quasi etiam pœnituerit damnasse. Rig.

(d) *Pœnitentiam dedicavit.* Punito Adami peccato, cum mortales novis beneficiis complesset, docuit D prius acta pœnitentia emendari posse. Albasp.

(e) *Ignoscere pactus.* Quasi icto nobiscum fœdere. Rig.

(f) *Prophetando emisit.* Ad prophetandi munus. Rig.

(g) *Præire intinctionem.* Jussit ut pœnitentia baptismum præcederet: quam eleganter docet pœnitentiam ante baptismum necessariam esse. Albasp.—*Intinctionem pœnitentiæ.* Quam hic intinctionem, mox dicet subsignationem. Rig.—*Intinctionem pœnitentiæ.* Significat baptismum Joannis, qui fuit pœnitentiæ baptismus, præcursor baptismi christiani, qui fuit etiam Spiritus Sancti. Rig.

(h) *Per pœnitentiæ subsignationem ante componeret.* Verba sunt e Jure petita fisc. Etenim Juris auctoribus subsignatæ facultates reo dicuntur, quæ conductorum subscriptionibus obligatæ sunt fisco, et subsignata apud ærarium et censorem prædia quæ sunt in censum delata. Eo sensu Tertullianus pœnitentiam subsignatam dicit, qua se apud Deum quis proposito vitæ sanctioris obligavit, adhibito intinctionis sive baptismi sacramento, tanquam signaculo. Sic enim lib. I *ad Uxor. Viduitatem apud Deum subsignatam.* Rig. — *Componeret.* Componere dicitur prætor quos jurisdictione sua compescit, deque adversariis amicos et quietos reddit. Componit sacramentis suis Deus homines pessime meritos, et in suorum amicorum numero esse jubet. Rig.

(i) *Dominus scilicet*, etc. Novas tabulas, novum fœdus, Novum Testamentum, Evangelium. Rig.

(j) *Ignorantia contaminasset.* Cum Dei legem ignorarent ethnici, quidquid peccarunt ignorantia fecisse videbantur. Albasp.

(k) *Quo se ille cum cœlestibus bonis inferat.* Significat dona Spiritus Sancti, velut invecta et illata præstantissimi inquilini. Eodem sensu libro *de Patientia* dixit, *Rector animus facile communicat spiritus inveeta cum habitaculo suo.* Rig.

(l) *Quod homini proficit*, etc. Expendatur hoc, quasi dicat, Deus non eget Pœnitentia, sed tu eges. Et quia res tua agitur, ideo servitium Deo. Tale quiddam Joan. Chrysost. orat 2. adv. Jud. ubi tractat locum Malachiæ. Lac.

(m) *Ne bonis unquam factis.* Ut gentiles qui manus injiciunt bonis factis, id est, qui cum de bonis factis dolent, crines aut barbam sibi evellunt. Albasp.

(n) *Quasi violenta aliqua manus injiciatur.* Quæ bene facta aut bene cogitata interficiat et strangulet, convertens in deteriora. Unde illud Ennii:

Quo vobis mentes rectæ quæ stare solebant
Antehac, dementes, sese flexere viætæ? Rig.

(o) *Bonum factum.* Alludit ad formam qua veteres

Digitized by Google

quit, cur pœnitentiam invadit, delinquentium (1) privatum (*a*) cur malitiæ officium bonitati suæ imponit? ita evenit, ut cum aliquid ubi non oportet adhibetur, illic ubi oportet negligatur.

CAPUT III.

Quorum ergo pœnitentia justa et debita videatur, id est, quæ delicto deputanda sint, locus quidem expostulat denotare, sed otiosum videri potest (*b*). Domino enim cognito, ultro spiritus a suo auctore respectus emergit ad notitiam veritatis, et admissus ad dominica præcepta, ex ipsis statim eruditur, id peccato deputandum, a quo Deus arceat. Quoniam cum Deum grande quid boni constet esse, utique bono nisi malum non displiceret, quod inter contraria sibi nulla amicitia est. Perstringere tamen non pigebit, delictorum quædam esse carnalia, id est, corporalia, quædam vero spiritalia. Nam cum ex hac duplicis substantiæ congregatione confectus homo sit, non aliunde delinquit, quam unde constat. Sed non eo inter se differunt, quod corpus et spiritus duo sunt: alioquin eo magis paria sunt, quia duo unum efficiunt: ne quis pro diversitate materiarum peccata eorum discernat, ut alterum altero levius aut gravius existimet. Siquidem et caro, et spiritus, Dei res: alia, manu ejus expressa; alia afflatu ejus consummata (*Gen.* II). Cum ergo ex pari ad Dominum pertineant: quodcumque eorum deliquerit, ex pari Dominum offendit. An tu discernas actus carnis et spiritus? quorum et in vita, et in morte, et in resurrectione, tantum communionis atque consortii est (*Joan.* V), ut pariter tunc aut in vitam aut in judicium suscitentur: quia scilicet pariter aut deliquerint, aut (2) innocenter egerint. Hoc eo præmiserimus, ut non minorem alteri quam utrique parti, si quid deliquerit, pœnitentiæ necessitatem intelligamus impendere. Communis reatus amborum est, communis et judex, Deus scilicet: communis igitur et pœnitentiæ medela. Exinde spiritalia et corporalia nominantur, quod delictum omne, aut agitur, aut cogitatur, ut corporale sit, quod in facto est: quia factum, ut corpus, et videri et contingi habet. Spiritale vero, quod in animo est, quia spiritus neque videtur, neque tenetur; per quod ostenditur non facti solum, verum et voluntatis delicta vitanda, et pœnitentia purganda esse. Neque enim si mediocritas humana, facti (3) solum judicat (*c*), quia voluntatis latebris par non est, idcirco crimina ejus etiam sub Deo negligamus, Deus in omnia sufficit. Nihil a conspectu ejus remotum, unde omnino delinquitur. Quia non ignorat nec omittit, quominus in judicium decernat. Dissimulator et prævaricator (*d*) perspicaciæ suæ non est. Quid quod voluntas facti origo est? viderint enim, si qua casui, aut necessitati, aut ignorantiæ imputantur: quibus exceptis jam non nisi voluntate delinquitur. Cum ergo facti origo est, non tanto potior ad pœnam est, quanto principalis ad culpam: quæ ne tunc quidem liberatur, cum aliqua difficultas perpetrationem ejus intercipit. Ipsa enim sibi imputatur, nec excusari poterit per illam perficiendi infelicitatem (*e*), operata quod suum fuerat. Denique Dominus quemadmodum se adjectionem legi superstruere demonstrat (*Matth.* V), nisi et voluntatis interdicendo delicta? Cum adulterum non eum solum definit, qui cominus in alienum matrimonium cecidisset (*f*), verum etiam illum, qui aspectus concupiscentia contaminasset: adeo quod prohibetur administrare, satis periculose (*g*) animus sibi repræsentat (*h*), et temere per voluntatem (*i*) expungit effectum. Cujus voluntatis cum vis tanta sit (*j*),

LECTIONES VARIANTES.

(1) Privatum *abest Latin.* delinquentium privatum? *Wouwer. M. S. Rig.* delinquentium peccatum? *Jun.* delinquentium? Privatum cur malitiæ *Semler.*

(2) Innocentes *Rig.*

(3) Factis *Pam. Seml.* e factis *Leop.*

COMMENTARIUS.

caussa boni ominis *bonum factum* præfari solebant. Notavit hoc Turnebus lib. III, cap. 22. Lac.

(a) *Cur pœnitentiam invadit, delinquentium privatum.* Sic legitur in cod. Ursini. Pœnitentiam dicit esse delinquentium privatum, hoc est, rem et curam delinquentium propriam et privatam. Injuste autem facit, qui privatis utitur tanquam communibus et publicis. Privatum absolute, pro agro privato, dixit Ovidius, V Fastor.

> Vindice servabat nullo sua publica vulgus:
> Jamque in privato pascere inertis erat. Rig.

CAP. III. — (b) *Otiosum videri potest.* Supersedendum esse censet de pietate et religione catechumenorum, qui cum Dei legem perspectam haberent, ultroque pœnitentiam amplecterentur, illius elogia aut ad illam adhortationes non postulabant. Le Pr.

(c) *Facti solum judicat.* Facti, scilicet delicta. Etenim præcessit, *Non facti solum, verum et voluntatis delicta vitanda.* Rig.

(d) *Prævaricator.* Proprie qui prodit caussam. Nam et glossæ non solum συκοφάντης, sed etiam προδιδοὺς τὴν ἰδίαν δικὴν, καὶ τῷ ἀντιδίκῳ βοηθῶν. Lac.

(e) *Perficiendi infelicitatem.* Frustrationem, ἀτυχίαν. Rig.— *Perficiendi infelicitatem.* Metaphora illa ab arboribus ducitur, quæ cum fructus non ferant seu temporis injuria, seu cultorum negligentia, infelices vocantur. Le Pr.

(f) *Cominus in alienum matrimonium cecidisset.* Adultero scilicet concubitu. Rig.

(g) *Satis periculose.* Ipse Tertullianus lib. *de Monog. habet secum animi licentiam, qui omnia homini, quæ non habet, imaginario fructu repræsentat.* Rig.

(h) *Sibi repræsentat.* Ex hoc loco Petrus Martyr, et cæteri hæretici aiunt hoc verbum *præsentem exhibere*, apud Auctorem non significare; atque adeo cum ait pane Christum corpus suum repræsentasse, non ita accipiendum ut præsens corpus tradiderit: verum huic uni sexcentos opponere possem, ubi *præsentem rem ipsam exponere* significat. Albasp.

(i) *Et temere per voluntatem.* In eamdem sententiam dixerat Juvenal. sat. 13.

> Has pœnas patitur peccandi sola voluntas;
> Nam scelus intra se tacitum qui cogitat ullum
> Facti crimen habet. Rig.

(j) *Cujus voluntatis cum vis tanta sit, cur non solatium sui saturans, pro facto cedat?* Sic edidit Rhenanus. Sed retinendam censeo codicis antiqui scripturam hujusmodi, *Cujus voluntatis cum vis tanta sit, ut non solatium sui saturans pro facto cedat, pro facto*

Digitized by Google

ut (1) non solatium sui saturans (*a*) pro facto cedat, ergo plectetur. Vanissimum est dicere, volui, nec tamen feci. Atquin perficere debes quia vis : aut nec velle, quia nec perficis. Sed ipse conscientiæ tuæ confessione pronuntias. Nam si bonum concupisceres, perficere gestisses ; porro sicut malum non perficis, nec concupiscere debueras. Quaqua te (2) constitueris, crimine astringeris, quia aut malum volueris, aut bonum non adimpleveris.

CAPUT IV.

Omnibus ergo delictis (*b*) seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui pœnam per judicium destinavit, idem et veniam per pœnitentiam spopondit, dicens ad populum : *Pœnitere* (3), *et salvum faciam te* (*Ezech.* XVIII, 21, 23). Et iterum, *Vivo*, inquit Dominus, *et pœnitentiam malo quam mortem*. Ergo pœnitentia vita est (*c*), cum præponitur morti. Eam tu peccator, mei similis (imo me minor (*d*), ego enim præstantiam in delictis meam agnosco), ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem (*e*). Hæc te peccatorum fluctibus mersum, prolevabit (*f*) (4) et in portum divinæ clementiæ protelabit. Rape occasionem inopinatæ felicitatis, ut ille tu nihil quondam penes Deum, nisi (*Is.* XL, 15 ; LXIV, 8 ; *Dan.* II ; *Ps.* I, 3 ; *Jer.* XIX, 11 ; *Matth.* III) *stilla situlæ, et areæ pulvis et vasculum figuli*, arbor exinde fias illa, quæ penes *aquas seritur, et in foliis perennat, et tempore suo fructus agit*, quæ non *ignem*, non *securim* videbit. Pœniteat errorum, reperta veritate ; pœniteat amasse quæ Deus non amat, quando ne nos quidem ipsi servulis nostris ea quibus offendimur (5) non odisse permittimus. Obsequii enim ratio in similitudine animorum constituta est. De bono pœnitentiæ enumerando, diffusa et per (6) hoc magno eloquio committenda materia est. Nos vero pro nostris angustiis unum inculcamus : bonum atque optimum esse, quod Deus præcepit (7). Audaciam existimo, de bono divini præcepti disputare. Neque enim quia bonum est, idcirco auscultare debemus ; sed quia Deus (8) præcepit. Ad exhibitionem obsequii, prior est majestas divinæ potestatis : prior est auctoritas imperantis, quam utilitas servientis. Bonum est pœnitere, annon? Quid revolvis? Deus præcipit. At enim (9) ille non præcipit tantum ; sed etiam hortatur. Invitat (*Ezech.* XXXIII, 11) præmio salutem (10), jurans, etiam *vivo* dicens, cupit credi sibi. O beatos nos (11) quorum caussa Deus jurat ! O miserrimos, si nec juranti Domino credimus ! Quod igitur Deus tantopere commendat, quod etiam humano more sub dejeratione testatur, summa utique gravitate et aggredi et custodire debemus, ut in asseveratione divinæ gratiæ permanentes, in fructu quoque ejus et emolumento proinde perseverare possimus.

CAPUT V.

Hoc enim dico, pœnitentiam quæ per Dei gratiam ostensa et indicta nobis, in gratiam nos Domino revocat, semel cognitam atque susceptam nunquam post hoc iteratione delicti resignari (12) oportere. Jam quidem nullum ignorantiæ prætextum (*g*) tibi patrocinatur, quod Domino agnito præceptisque ejus admissis, denique pœnitentia delictorum functus, rursus te in delicta restituis (13) (*h*). Ita in quantum

LECTIONES VARIANTES.

(1) Cur *Franeq. Paris. Rigalt.*
(2) Converteris *Latin. Jun.*
(3) Pœniteat te *Wouw. M. S.*
(4) Perlavabit *Franeq.*
(5) Nosse *Rhen. male.*
(6) Pro *Jun.*
(7) Præcipit *Fran. Paris. Rig.*
(8) Præcipit *Rigalt.*
(9) At ille *Rig.*
(10) Salutis *Pet. Ciacconius* ; salute *Rig.*
(11) Nos *omittit Seml.*
(12) Resignare *Venet.*
(13) Ita... *Leop.* Restitues *Seml. Fran. Paris. Rig.*

COMMENTARIUS.

ergo plectetur. Sic autem interpretor : Qui fœminam non suam aspectu concupiscentiæ contaminat, imaginaria voluptatis præsentia animo quod concupivit, jam mœchatus est in corde suo. Jure igitur voluntas cujus tanta vis est, ut per ipsam animus imaginario fructu delectetur, pro facto cedit, et pro facto plectitur. Rig.

(a) *Solatium sui saturans.* Animus per voluntatem apud seipsum fecit et adeptus est quod libuit ; itaque hoc jam fruitur et saturatur solatio. Nam quod superest non est animi, sed corporis. Rig.

CAP. IV.—(b) *Omnibus ergo delictis.* De prima pœnitentia loquitur, quod non animadvertens Pamelius, nescio quid turbat, aut cur primam cum secunda confundit ; nam necesse est mihi det, hoc nihil pro particulari pœnitentia facere, atque adeo pro confessione, et remissione omnium peccatorum, cum de prima sit mentio, quia nemo inquam negavit omnia omnino peccata deleri. Albasp.

(c) *Ergo pœnitentiæ vita est.* Ait Dominus, *Pœnitentiam malo quam mortem* ; opponens pœnitentiam morti. Quid autem verius opponitur morti quam vita? Ergo opposita morti pœnitentia, vita est. Rig.

(d) *Imo me minor.* Quidquid ante lavacrum commeruerant catechumeni aut fecerant, id omne naturæ magis impetu quam voluntate fecisse existimabantur, ut Auctor *de Pudic.*, D. Cypr., aut quisquis libellum *de Pedum Ablutione* nobis dedit, Hermes et Justinus affirmant : quamobrem ait catechumenum minus se peccasse. Albasp.

(e) *Alicujus tabulæ.* Quando aiunt Patres pœnitentiam esse secundam post naufragium tabulam, de secunda et post baptismum pœnitentia id accipiendum, non de prima, quæ non erat secunda, sed prima tabula. Alb.—*Alicujus tabulæ.* Optime monuit Albaspineus secundam tabulam dici tantum de pœnitentia secunda seu post baptismum suscepta. Prima quippe pœnitentia qua fideles accedebant ad baptismum suscipiendum navis dicebatur, qua scilicet fracta, secunda pœnitentia ceu tabula in naufragio restabat. Le Pr.

(f) *Prolevabit.* Sic legitur in antiquis exemplaribus. Rig.

CAP. V.—(g) *Ignorantiæ prætextum.* Gentiles sive audientes hac una ratione peccatis suis ignosci volebant, quod quid optimum esset factu ignorassent : qua excusatione iis non liceret uti qui Christi mandatis imbuti essent, unde etiam constabit totum hoc caput ad audientes et catechumenos pertinere. Albasp.

(h) *Rursus te in delicta restituis.* Stultissimus qui pugnans adversus propria commoda, et in deteriorem statum restitui postulas. Rig.

Digitized by Google

ignorantia segregaris, in tantum contumaciæ agglutinaris. Nam si idcirco te deliquisse pœnituerat, quia Dominum cœperas timere, cur quod metus gratia gessisti rescindere maluisti, nisi quia metuere desisti? Neque enim timorem alia res, quam contumacia subvertit. Cum etiam ignorantes Dominum (*a*) nulla exceptio tueatur (1) ad pœnam; quia Deum in aperto constitutum, et vel ex ipsis cœlestibus bonis comprehensibilem, ignorari non licet: quanto (2) cognitum despici periculosum est! Despicit porro, qui bonorum ac malorum intellectum ab illo consecutus, quod intelligit fugiendum, quodque jam fugit, resumens, intellectui suo, id est, Dei dono, contumeliam facit: respuit datorem cum datum deserit, negat (3) beneficium, cum beneficium non honorat. Quemadmodum ei potest placere, cujus munus sibi displicet? Ita in Dominum non modo contumax, sed etiam ingratus apparet. Cæterum non leviter in Dominum peccat, qui, cum æmulo ejus diabolo pœnitentia renuntiasset, et hoc nomine illum Domino subjecisset, rursus eumdem regressu suo erigit, et exultationem ejus seipsum facit, ut denuo malus, recuperata præda sua, adversus Dominum gaudeat. Nonne quod dicere quoque periculosum est, sed ad ædificationem proferendum (4) est, diabolum Domino præponit? Comparationem enim videtur egisse, qui utrumque cognoverit, et judicato pronuntiasse eum meliorem, cujus se rursus esse maluerit. Ita qui per delictorum pœnitentiam instituerat Domino satisfacere, diabolo per aliam pœnitentiæ pœnitentiam (5) (*b*) satisfaciet: eritque tanto magis perosus Deo, quanto æmulo ejus acceptus. Sed aiunt quidam (*c*) satis Deum habere, si corde et animo suspiciatur, licet actu minus fiat. Itaque se salvo metu et fide peccare: hoc est, salva castitate matrimonia violare, salva pietate parenti venenum temperare. Sic ergo et ipsi salva venia in gehennam detrudentur, dum salvo metu peccant. Primum exemplum perversitatis, quia timent, delinquunt: opinor non delinquerent, si non timerent. Igitur, qui Deum nolit offensum, nec revereatur omnino, si timor offendendi patrocinium est. Sed ista ingenia de semine hypocritarum pullulare consuerunt, quorum (6) individua cum diabolo amicitia est, (*d*) quorum pœnitentia nunquam fidelis.

CAPUT VI.

Quicquid ergo mediocritas nostra (*e*) ad pœnitentiam semel capessendam et perpetuo continendam suggerere conata est, omnes quidem deditos Domino spectat, ut omnis (7) salutis in promerendo Deo petitores, sed præcipue novitiolis istis imminet (*f*). Qui eum maxime incipiunt divinis sermonibus aures rigare, quique catuli infantiæ adhuc recentis, nec perfectis luminibus incerta reptant; et dicunt quidem (8) pristinis renuntiare (*g*), et pœnitentiam assumunt (*h*), sed includere eam negligunt (*i*). Interpellat enim illos ad desiderandum ex pristinis

LECTIONES VARIANTES.

(1) A pœna *Fran. Paris. Rig.*; ad pœnam *Seml.*
(2) Quanto magis *Junius.*
(3) Beneficum *Jun.*
(4) Præferendum *Seml.*
(5) Satisfaciat *Seml.*
(6) Invidia *Fran. Paris.*
(7) Omnes *Paris. Jun.*
(8) *Ita edd. omnes, excepl. Leop. qui scribit*: se renuntiare.

COMMENTARIUS.

(a) *Cum etiam ignorantes Dominum.* Facit locus ille contra novos istos evangelicos qui ab Apostolorum tempore majores nostros in ignorantia perpetua vixisse dicunt, et tamen a culpa excusatos. Imprimis autem pro Auctoris sententia faciunt frequentissima illa sacrificia immolari jussa pro peccatis ignorantiæ, Levit. IV et V, et num. XV, de quibus et Hebr. IX. Deinde et in Novo Test., Act. II, B. Petrus ad illos quos sciebat per ignorantiam peccasse: *Pœnitemini*, inquit, *et convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Hinc Patrum omnium conformis est sententia quod ignorantia, quam crassam moderni Theologi vocant, neminem a culpa excuset, qualis illa haud dubie fuisset, si verum illi dicerent. Pam.

(b) *Per aliam pœnitentiæ pœnitentiam.* Plinius, ep. 10, lib. VII: *Superest ne rursus provinciæ quod damnasse dicitur, placeat agatque pœnitentiam pœnitentiæ suæ.* Rig.

(c) *Sed aiunt quidam.* Adnotatu dignus etiam iste locus adversus novam quorumdam hæresim (a qua nec Calvinistæ abhorrent), qui sibi sufficere arbitrantur, si corde et animo suam religionem retineant, quamvis catholicorum contrariæ sibi religioni exercitiis ac mysteriis se immisceant, imo et communicent. Pam.

(d) *Quorum individua cum diabolo amicitia est.* Rectissima scriptura, nec debuit sollicitari. Est enim sermo de genere hypocritarum, quorum pœnitentia nunquam fidelis, quorum scilicet individua cum diabolo amicitia est; adeoque semper ad ejus castra revertuntur. Rig.

CAP. VI.— (e) *Quidquid ergo mediocritas nostra*, etc. Docere videtur Tertullianus hoc loco catechumenos quos tirones vocat pœnitentiam usque ad baptismum aliquando protraxisse; cum enim probe intelligerent omnia peccata baptismo deleri, pœnitentiæ suscipiendæ tempus producebant quantum in se erat, adeoque non includebant pœnitentiam, hoc est non peragebant. Qua in interpretatione a Rigaltio tantisper discedo, etenim includere est πληρῶσαι, τελειῶσαι. Le Pr.

(f) *Novitiolis istis.* Novitiolos istos post paulo dicet audientes, et auditorum tirocinia. Rig.— *Novitiolis istis.* Notetur catechumenos ita dictos, unde fortasse sumpta vox monasticæ disciplinæ quæ hodie retinetur, ita ut novitii religionum sint veluti audientes et catechumeni. Lac.

(g) *Pristinis renuntiare.* Hoc est idololatriæ, et negotiis vitæ secularis. Rig.

(h) *Et Pœnitentiam assumunt.* Assumere pœnitentiam dicuntur, qui inter audientes nomina profitentur sua. Rig.—*Pœnitentiam assumunt.* Notetur in primis pœnitentiam assumere esse propriam locutionem eorum qui invadebant pœnitentiam, cujus ipse primus aditus dicebatur assumptio. Et quidem hanc esse propriam locutionem invadentium pœnitentiam notavit Heraldus, lib. I, c. 4, digress., sed nulla re probavit. Lac.

(i) *Sed includere eam negligunt.* Baptismo scilicet, qui et obsignatio dicitur. Et ipse mox dicet, *Inûnctionis seram obstructam.* Pœnitentia igitur et fides tunc includitur, cum in baptismum deducitur; sicut ae-

Digitized by Google

aliquid, ipse finis desiderandi : velut poma cum jam in acorem vel amaritudinem senescere incipiunt, ex parte aliqua tamen adhuc ipsi gratiæ suæ adulantur. Omne præterea cunctationis et tergiversationis erga pœnitentiam vitium, præsumptio intinctionis importat (*a*). Certi enim indubitatæ veniæ delictorum, medium tempus interim furantur, et commeatum sibi faciunt (*b*) delinquendi, quam eruditionem non delinquendi. Quam porro ineptum, quam iniquum, pœnitentiam non adimplere, et veniam delictorum sustinere, hoc est, pretium non exhibere (*c*), ad (1) mercem manum emittere! Hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit; hac pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impunitatem. Si ergo qui venditant, prius nummum, quo paciscuntur, examinant, ne scalptus, neve rasus, ne adulter (*d*) etiam : Dominum credimus pœnitentiæ probationem prius inire, tantam nobis mercedem (2) perennis scilicet vitæ concessurum? Sed differamus tantisper pœnitentiæ veritatem. Tunc opinor emendatos (3) liquebit, cum absolvimur? Nullo pacto. Sed cum pendente venia, pœna prospicitur, cum adhuc liberari non meremur ut possimus mereri (*e*) cum Deus comminatur, non cum ignoscit. Quis enim servus, postquam libertate mutatus est (*f*), furta sua et fugas sibi imputat? Quis miles postquam castris suis emissus, pro notis suis satagit? (*g*) Peccator ante veniam deflere se debet; quia tempus pœnitentiæ, (4) id est, quod periculi et timoris. Neque ego renuo divinum beneficium, id est, abolitionem delictorum inituris aquam omnimodo salvum esse; sed ut eo pervenire contingat, elaborandum est. Quis enim tibi tam infidæ pœnitentiæ viro (*h*) (5) asperginem unam cujuslibet aquæ (*i*) commodabit? furto quidem aggredi, et (6) præpositum hujus rei (*j*) asseverationibus tuis circumduci facile est. Sed Deus thesauro suo providet, nec sinit obrepere indignos. Quid denique ait? *Nihil occultum, quod non revelabitur* (*Luc*, VIII. 17). Quantascumque tenebras factis tuis superstruxeris, Deus lumen est. Quidam autem sic opinantur, quasi Deus necesse habeat præstare etiam indignis quod spopondit : et liberalitatem ejus faciunt servitutem. Quod si necessitate nobis (7), symbolum mortis indul-

A

B

LECTIONES VARIANTES.

(1) Mercedem *Rig.*
(2) Mercem *Latin.*
(3) Licebit *Rhen.*
(4) Idem *Fran. Rig.*
(5) Asparginem *Jun. ex M. S.*
(6) Propositum *Seml.* Præpositum *Wouw. M. S. Rig. me-*

lius.

(7) A. Neander hæc w. transponenda esse censet, ita ut scribatur : Quodsi necessitate, ergo invitus facit; symbolum mortis indulget. Sed tollitur loci difficultas apposito post *facit* interrogandi signo.

COMMENTARIUS.

tiones judicio inclusas dixit Caius, quæ sunt in judicium deductæ, l. CXXXIX de reg. ju. Porro pœnitentiam includere negligunt, qui pristinis ægre renuntiant; quasi maleficiorum summa, quam includi baptismo volunt, nondum confecta. Rig.

C

(a) *Præsumptio intinctionis.* Fiducia veniæ per baptismum impetrandæ. Rig.

(b) *Commeatum sibi faciunt.* Docebantur audientes non solum quam grave et periculosum esset peccare, Deumque iratum habere, sed etiam omnia retro delicta baptismo condonari, unde ait Tertullianus quibusdam peccandi audaciam et securitatem ejusmodi præceptis fieri. Albasp.

(c) *Hoc est pretium non exhibere.* Id cautum fuerat lege 12 tab. ne venditoris res emptori aliter acquireretur, quam si is pretium solvisset, § venditor Inst. de rerum divisione et ex jure Attico petitum : id enim *græcam fidem* vocat Plautus in *Asinaria;* Ausonius in Epistolis, *Græca non bona fide.* Turneb. *advers.* lib. XII, cap. 18. Albasp.

(d) *Ne scalptus, ne rasus, ne adulter.* Lege Cornelia de falsis, punitur qui nummos aureos partim raserit, partim tinxerit, vel finxerit, l. VIII ad l. Corn. de fal.; ubi Basilicorum auctores legisse videntur, *cinxerit*, non *tinxerit.* Etenim dixere, Οἱ τὰ νομίσματα ξέοντες ἢ περικόπτοντες. Rig.

D

(e) *Cum adhuc liberari non meremur ut possimus mereri.* Sic ista uno spiritu, absque ulla distinctione sunt perducenda. Disputat Tertullianus de pœnitentium processu. Et quando nos, inquit, pœnitentiam qui adsumpsimus, pro emendatis habebimur? An cum absolvimur, lavacro impetrato, aqua concessa? Minime inquit; sed cum pendente venia prospicimus pœnas anteactæ vitæ piaculis constitutas, cum adhuc liberari non dicam non meremur; nam quis merita sua coram Deo reputare ausit unquam? sed cum adhuc non meremur ut possimus, divina misericordia sic largiente de suo, mereri. Rig.

(f) *Servus libertate mutatus.* Sacramentum libertatis, vertigo, mutationis signum. Hinc illa,

Quibus una Quiritem
Vertigo facit

Et,

Momento turbinis exit
Marcus Dama.

Et qui de ethnicis fiunt christiani, dicuntur conversi ad Deum scilicet verum, cui soli servire vera est libertas. Rig.

(g) *Pro notis suis satagit.* Notas militares dicit, quibus miles denotatur, ob delicta militaria, puta si fuerit emansor, desertor, seditiosus, etc. Eadem metaphora de seipso dicet, peccatorem omnium notarum, sub finem hujus operis. Rig.

(h) *Quis enim tibi tam infidæ pœnitentiæ viro asperginem unam cujuslibet aquæ commodaret?* Qualis illa fuit Isiacorum, quam apertius describit lib. de Baptis. *Villas, domos, templa, totasque urbes aspergine circumlatæ aquæ expiant.* Rig.

(i) *Adsperginem unam cujuslibet aquæ.* Aquæ communis, profanæ. Tam infidæ, inquit, pœnitentiæ virum nemo aquæ communis, non dicam cyatho, sed ne gutta quidem una dignabitur, tantum abest ut velit ad baptismum deducere. Splendide negantur qui hæc verba de baptismo per adspersionem accipiunt, nam ubicumque de baptismo sermonem facit, *Lavacrum* dicit, et *Tingere*, et *Intingere*, et *Ablui*, et *Mergitari*, et *Immersionem*, quæ sane adspersionem minime significant. Non est propterea tamen culpanda Ecclesiæ benignitas quæ postmodum invaluisse videtur ut cogente necessitate saltem aquæ aspergine Christiani perficerentur. Etenim Cyprianus epist. ad Magnum secunda ex sacris litteris probat, aquam aspersionis purificationem esse, nec moveri quemquam debere quod aspergi vel perfundi videntur ægri, non baptizari. Rig.

(j) *Præpositum hujus rei asseverationibus tuis circumduci facile est.* Presbyterum significat lavacro ministrando præpositum, quem lib. de Baptismo, angelum vocat baptismi arbitrum. Rig.

Digitized by Google

get (*k*) ergo invitus facit : quis enim (1) permittit permansurum id, quod tribuerit invitus? Non enim multi postea excidunt? non a multis donum illud aufertur? Hi sunt scilicet, qui obrepunt, qui pœnitentiæ fidem aggressi (*a*), super arenas domum ruituram collocant. Nemo ergo sibi aduletur, quia inter auditorum tirocinia (*b*) deputatur, quasi eo etiam nunc sibi delinquere liceat Dominum simul cognoveris, timeas : simul inspexeris, reverearis. Cæterum quid te cognovisse interest, cum iisdem incubas, quibus retro ignarus? Quid autem te a perfecto servo Dei (2) (*c*) separat? An alius est intinctis Christus, alius audientibus? Num spes alia, vel merces, alia formido judicii, alia necessitas pœnitentiæ? Lavacrum illud obsignatio est fidei : quæ fides a pœnitentiæ (*d*) fide incipitur et commendatur. Non ideo abluimur, ut delinquere desinamus, quoniam jam corde loti sumus. Hæc enim prima audientis intinctio est (*e*) metus integer; exinde (3) quoad Dominum senseris, (*f*) fides sana, conscientia semel pœnitentiam amplexata. Cæterum, si ab aquis peccare desistimus, necessitate, non sponte (*g*) innocentiam induimus. Quis ergo in bonitate præcellens? cui non licet, aut (4) cui displicet malo esse? qui jubetur, an qui delectatur a crimine vacare? Ergo nec a furto manus avertamus, nisi claustrorum duritia repugnet : nec oculos a stupri concupiscentiis refrænemus, nisi a custodibus corporum obstructi, si nemo Domino deditus delinquere desinet, nisi intinctione alligatus. Quod si qui ita senserit, nescio an intinctus magis contristetur, quod peccare desierit, quam lætetur, quod evaserit. Itaque audientes A optare intinctionem, non præsumere oportet. Qui enim optat, honorat : qui præsumit, superbit. In illo verecundia, in isto petulantia apparet. Ille satagit, hic negligit. Ille mereri cupit, at hic, ut debitum, sibi repromittit : ille sumit, hic invadit. Quem censeas digniorem, nisi emendatiorem? quem emendatiorem, nisi timidiorem, et idcirco vera pœnitentia functum? Timuit enim adhuc delinquere, ne non mereretur accipere. At ille præsumptor, cum sibi repromitteret, securus scilicet, timere non potuit : sic nec pœnitentiam implevit, quia instrumento pœnitentiæ, id est, metu, caruit. Præsumptio inverecundiæ portio est, instat petitorem, despicit datorem. Itaque decipit nonnunquam. Ante enim quam debeatur repromittit, quo semper is, qui est præstaturus, offenditur. B

CAPUT VII.

Hucusque, Christe Domine, de pœnitentiæ disciplina servis tuis (5) dicere vel audire contingat, quousque etiam delinquere non oportet audientibus : vel nihil jam de pœnitentia noverint, nihil ejus requirant. Piget fecundæ, imo iam ultimæ spei subtexere mentionem, ne retractantes de residuo auxilio pœnitendi, spatium adhuc delinquendi demonstrare videamur. Absit, ut aliquis ita interpretetur, quasi eo sibi etiam nunc pateat ad delinquendum, quia patet ad pœnitendum; et redundantia clementiæ cœlestis, libidinem faciat humanæ temeritatis. Nemo idcirco deterior sit, quia Deus melior est, totiens delinquendo quotiens ignoscitur (*h*). Cæterum finem utique evadendi habebit. cum offendendi non habebit. Evasimus semel; hacte- C

LECTIONES VARIANTES.

(1) Promittit *Jun.*
(2) Dei Verbo *Jun. ex M. SS.*
(3) Quo ad *Rigalt.*
(4) An *Fran. Rig.*
(5) Discere *Wouw. M. S. Rig.*

COMMENTARIUS.

(k) *Symbolum mortis indulget.* Syngrapham mortis donat, id est, peccatum. Etenim obligationes etiam ex delictis et maleficiis nascuntur. Paulus ad Coloss. II dixit, chirographum. ἐξαλείψας τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον τοῖς δόγμασιν. Ipse Tertullianus lib. de Pudic.: *Nam et solvit liberans hominem per lavacrum, donato ei chirographo mortis.* Rig.

(a) *Qui pœnitentiæ fidem aggressi.* Id est qui incipiunt credere pœnitendum esse, et tamen eos non vere pœnitet; nihil enim prius catechumeni sive tirones docebantur, quam ut prioris vitæ pœnitentiam agerent. Albasp. D

(b) *Inter auditorum tirocinia.* Catechumenos non intelligit, ut opinor, nam proprie catechumeni illi vocabantur, qui probe edocti et eruditi de lege Christi orarent et jus haberent ad baptismum (quamvis non ignorem tirones, audientes, et catechumenos uno eodemque nonnunquam nomine appellari), quique primam pœnitentiam pene finierant; sed tirones et novitiolos qui christianæ legis prima elementa docebantur. Albasp.

(c) *A perfecto Dei servo.* Initiabantur adsumpta pœnitentia; perficiebantur baptismo, unctione, Eucharistia. Rig.

(d) *Quæ fides a pœnitentiæ.* Non accedebant ad baptismum, nisi de rebus fidei plane instructi, id est, de Dei magnitudine et potestate, rebusque qui in Evangeliis continentur, uno excepto Eucharistiæ mysterio, neque baptizabantur nisi postquam ea omnia se credere jurassent, quorum fides a pœnitentia incipiebat, quia scilicet non censendi erant Deo credere eumque magnificare et timere, nisi eum dignum existimarent, cui de pristinis satisfacerent, et pœnitentia diluerent, quæ in eum ejusque legem olim peccassent. Albasp.

(e) *Prima audientis intinctio*, etc. Quo tenetur tota vita sua christianus qui integre sapit ad Deum, mente ad idololatriam, ad stuprum, ad homicidium irretorta. Rig.

(f) *Exinde quoad Dominum senseris.* Domino deditus, infra. Rig.

(g) *Necessitate non sponte.* Jurabant in baptismo solennibus verbis se nunquam peccaturos, deinde renuntiabant diabolo et pompis ejus; denique censura, si peccarent post baptismum coercebant : quapropter ait, necessitate. Albasp.

CAP. VII.—(h) *Totiens delinquendo quotiens ignoscitur.* Quis ex his non existimaret Ecclesiæ fores pœnitentibus semper patuisse, cum dicat Christum toties parcere, quoties delinquitur? Pamelius quoque ex his non dubitat affirmare Ecclesiam peccatoribus veniam semper indulsisse, et si quid apud auctores inter legendum de secunda et ultima pœnitentia occurrat, id omne de publica accipiendum esse, atque ad confirmandum multa ex auctoribus accumulat, quæ nihil referret explicare, cum quæ istic ait Tertullianus cujusmodi

Digitized by Google

nus periculosis nosmetipsos inferamus (*a*), et si iterum evasuri videmur. Plerique naufragio liberati exinde repudium et navi et mari dicunt (*b*), et Dei beneficium, salutem suam scilicet, memoria periculi honorant. Laudo timorem, diligo verecundiam, nolunt iterum divinæ misericordiæ oneri esse; formidant videri inculcare, quod consecuti sunt; bona certe sollicitudine iterum experiri vitant quod semel didicerunt timere. Ita modus temeritatis, testatio est timoris. Timor autem hominis, Dei honor est. Sed enim pervicacissimus hostis ille, nunquam malitiæ suæ otium facit. Atquin tunc maxime sævit, cum hominem plene sentit liberatum (1); tunc plurimum accenditur, dum extinguitur. Doleat et ingemiscat necesse est, venia peccatorum permissa, tot in homine mortis opera diruta, tot titulos damnationis retro suæ erasos. Dolet quod ipsum et angelos ejus, Christi servus illi peccator judicaturus est. Itaque observat, oppugnat, obsidet, si qua possit aut oculos concupiscentia carnali ferire, aut animum illecebris sæcularibus irretire, aut fidem terrenæ potestatis formidine evertere, aut a via certa perversis (2) traditionibus (*c*) detorquere : non scandalis, non tentationibus deficit. Hæc igitur venena ejus providens Deus, clausa licet ignoscentiæ janua, et intinctionis sera obstructa, aliquid adhuc permisit patere. Collocavit in vestibulo (*d*) pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat : sed jam semel, quia jam secundo. Sed amplius nunquam, (*e*) quia proxime frustra. Non enim et hoc semel satis est? Habes, quod jam (3) non merebaris ; amisisti enim quod acceperas. Si tibi indulgentia Domini accommodat, unde restituas quod amiseras, iterato beneficio gratus esto, nedum ampliato : majus est enim restituere, quam dare : quoniam miserius est perdidisse (*f*), quam omnino non accepisse. Verum non statim succidendus ac subruendus est animus desperatione, si secundæ quis pœnitentiæ debitor fuerit : pigeat sane peccare rursus, sed rursus pœnitere non pigeat : pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari. Neminem pudeat ; iteratæ valetudinis iteranda medicina est : gratus in Dominum (4) exstiteris, si quod tibi Dominus offert, non recusaveris : offendisti, sed reconciliari adhuc potes. Habes cui satisfacias, et quidem volentem.

CAPUT VIII.

Id si dubitas, evolve quæ Spiritus Ecclesiis dicat (*Apoc.*, I, II, III). Desertam dilectionem Ephesiis imputat, stuprum et idolothytorum esum Thyatirenis exprobrat, Sardos (5) non plenorum operum incusat, Pergamenos docentes perversa reprehendit; Laodicenos fidentes divitiis objurgat : et tamen omnes ad pœnitentiam commonet, sub comminationibus quidem. Non comminaretur autem non pœnitenti, si non ignosceret pœnitenti. Dubium, si non et alibi hanc clementiæ suæ profusionem demonstrasset. *Non*, ait (*Jer.*, VIII, 4 ; *Osee*, VI, 6), *qui ceciderit, resurget, et qui aversatus fuerit convertetur?* Ille est scilicet, ille est qui *misericordiam mavult quam sacrificia* (6). *Lætantur cœli, et qui illic Angeli, pœnitentia hominis* (*Matth.*, IX, 13). Heus tu, peccator, bono animo sis, vides ubi de tuo reditu (7) gaudeatur. Quid illa similitudinum dominicarum argumenta nobis volunt? Quod mulier drachmam perdidit et requirit, et reperit, et amicas ad gaudium invitat, nonne restituti peccatoris exemplum est? Errat et una pastoris (8) ovicula, sed grex una carior non erat : una illa conquiritur, una pro omnibus desideratur, et tandem invenitur, et humeris pastoris ipsius refertur : multum enim errando laboraverat. Illum etiam mitissimum patrem non tacebo, qui prodigum filium revocat, et post inopiam pœnitentem (9) libens suscipit, immolat vitulum præopimum, convivio gaudium suum oxornat. Quid-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Baptismo *scilicet.*
(2) Conditionibus *alii. Pamel. in trib. codd.*
(3) Non *abest Rig.*
(4) Domino *Seml.*
(5) Sardios *Paris. Fran.*
(6) Sacrificium *Fran.*
(7) Reditu *aberat a Rhen.*
(8) Pastori *Rigalt.*
(9) Pœnitentiam *Seml.* pœnitentiam *Fran. Paris. Rigal.*

COMMENTARIUS.

aut quomodo accipienda sint nostri duntaxat sit instituti edocere. Hæc igitur *quotiens ignoscitur* ita intelligas quasi post secundam pœnitentiam alius esset pœnitendi locus, sed nihil aliud voluit dicere, quam tametsi aliqua post baptismum spes veniæ supersit, et secunda atque ultima concedatur pœnitentia, tamen rursus peccandum non esse post baptismum ; nam sexcentis locis, non dicam hoc capite, unam tantum ait a lavacro veniam superesse, neque ullum primis illis temporibus inter privatam aut publicam graviorum criminum discrimen occurret. Itaque illa totiens et quotiens dicuntur, recte de duabus veniis, ut ita dicam, et totidem peccatis, de iis scilicet, quæ ante sive post baptismum remittebantur. Cæterum Ecclesiæ universæ hanc fuisse sententiam vel hanc consuetudinem in omnibus omnino Ecclesiis observatam fuisse, non ausim affirmare. ALBASP.

(a) *Hactenus periculosis nosmetipsos inferamus.* Hactenus, id est, nunquam posthac. RIG.

(b) *Repudium et navi et mari dicunt.* Nam, inquit Rhenanus, ut est apud Publium Mimographum : improbe Neptunum accusat, qui iterum naufragium facit. Venustus vero sermo, cum, inquit, repudium et navi et mari dicunt, translatione sumpta ab his qui uxori libellum repudii mittunt. Similiter lib. *de Hab. mul.* cap. 4, *repudium cœli* dixit. PAM.

(c) *Perversis traditionibus.* Mss. tres *conditionib.* Illud tamen magis placet, ut agat contra Montanistas, qui perversis traditionibus suis de nulla post baptismum pœnitentia, a via certa fideles detorquebant. Eo autem quod addit, perversis, patet non omnes ab Auctore traditiones impugnari ; verum de his latius lib. de Cor. mil. ubi multas Ecclesiæ traditiones probat. PAM.

(d) *Collocavit in vestibulo.* Consuetudo et ritus erat ut pœnitentes in vestibulo ecclesiæ manerent, ad quem respicit. ALBASP.

(e) *Sed amplius nunquam.* Ergo una tantum erat post baptismum pœnitentia. ALBASP.

(f) *Miserius est perdidisse quam*, etc. Miserius est multo salutem quam accepisti baptismo perdere peccando, quam omnino eam non accepisse. ALBASP.

Digitized by Google

ni? filium enim invenerat, quem amiserat; carorem senserat, quem lucri fecerat. Quis ille nobis intelligendus pater? Deus scilicet: tam pater nemo, tam pius nemo. Is ergo te filium suum, etsi acceptum ab eo prodegeris, etsi nudus redieris, recipiet, quia redisti, magisque de regressu tuo, quam de alterius sobrietate lætabitur, sed si pœniteat (1) ex animo, si famem tuam cum saturitate mercenariorum paternorum compares, si porcos immundum relinquas pecus, si patrem repetas vel *offensum, Deliqui*, dicens, *pater, nec dignus ego jam vocari tuus.* Tantum relevat confessio delictorum (2) (*a*), quantum dissimulatio exaggerat. Confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumaciæ.

CAPUT IX.

Hujus igitur pœnitentiæ secundæ et unius, quanto in arcto negotium est, tanto operosior probatio (3), ut non sola conscientia (4) proferatur, sed aliquo etiam actu administretur. Is actus, qui magis græco vocabulo exprimitur et frequentatur, Exomologesis est (*b*), qua delictum Domino nostrum confitemur; non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque Exomologesis prosternendi et humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens (5) misericordiæ illicem; de ipso quoque habitu atque (6) victu mandat, sacco et cineri incubare (*c*) corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit tristi tractatione mutare; cæterum pastum et potum pura nosse (*d*), non ventris scilicet, sed animæ caussa: plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, et mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum (7), presbyteris advolvi (*e*), et caris (*f*) (8) Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere. Hæc omnia Exomologesis, ut pœnitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuntians pro Dei indignatione fungatur, et temporali afflictatione (9) æterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat. Cum igitur provolvit hominem (*g*), magis relevat: cum squalidum facit, magis mundatum reddit: cum accusat, cum condemnat, absolvit. In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet.

CAPUT X.

Plerosque tamen hoc opus, ut publicationem sui (*h*), aut suffugere, aut de die in diem differre, præsumo; pudoris magis memores quam salutis: velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vi-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Te *add. Jun.*
(2) Delictum *Paris.*
(3) Est *addit Paris. Fran. Rigalt.*
(4) Præferatur *Fran. Paris. Rigalt.* Perferatur *P. Ciaconius.*
(5) Inungens *cod. Divion.*
(6) *Sic et Junius legit; alii addunt,* victu mandat; *quod a Rhen. abest. Vox* mandat *deest in edition. Rhen., sed ab eo postea additu in cod. Gorz.*
(7) Suum *Rig.*
(8) Aris *Semi.*
(9) *alii* affliction. *Est autem parum proba hæc sententia.*

COMMENTARIUS.

CAP. VIII.—(a) *Tantum relevat.* De confessione publica ac particulari hæc accipienda non sunt, sed de confessione qua peccator seipsum Deo accusat. ALB.

CAP. IX.— (b) *Exomologesis est.* Dum pluribus dicamus quid sit Exomologesis, pluribusque probemus, satis tum erit dicere per eam confessionem auricularem non intelligi; sed actus quibus pœnitentes cæteris pœnitentiæ suæ fidem facerent. ALBASP.

(c) *Sacco et cineri incubare.* Concilicium et concineratum, ut ipse dicet lib. de Pudic. *In asperitudine sacci et horrore cineris*, ut hic paulo post saccum sic describit Paulinus ad Pneumatium:

Si modo lugentem gravis hirto tegmine saccus
Caprigenum setis dum tegat et stimulet. RIG.

(d) *Pastum et potum pura nosse.* Alibi dixit, *mero pane et aqua*, id est, puro, sive solo, absque ullis aliis esculentis, absque condimentis. Sic ad Scapulam, *sacrificamus pura prece*, hoc est, absque odoribus, absque sanguine, absque thure, absque victima, hoc est pane et aqua. Eodem significatu ἄρτὸν καθαρὸν dixit Alexis Poeta comicus in Tarentinis, ubi jocatur versibus elegantissimis in diætam Pithagoræorum:

Πυθάγορ᾽ οἶμοι, καὶ λόγοι
Λεπτοὶ, διαμιλευμέναι τε φροντίδες
Τρίφοῦσ᾽ ἐκείνους· τὰ δὲ καθ᾽ ἡμέραν, τάδε
Ἄρτος καθαρὸς, εἷς ἑκατέρᾳ, ποτήριον
Ὕδατος, τοσαῦτα ταῦτα.

De frugalitate Pythagoræorum, notum est illud Juvenalis:

Unde epulum possis centum dare Pythagoreis. RIG.

(e) *Presbyteris advolvi.* En quomodo ante sacerdotes volverentur, ut peccata sua confitereutur, et eorum veniam obtinerent, aiunt interpretes, cum Baronio, Bellarmino, Maldonato in controversiis. Ego etsi hunc ritum antiquissimum esse fatear, ex his tamen probari nequit; nam cum pro foribus templi starent pœnitentes, prætereuntibus sacerdotibus cæterisque fidelibus, omnibus omnino dolentis animi signis pœnitentiam suam testabantur, lacrymis non parcebant, precibus insistebant, volvebantur, et si quæ alia habet pœnitentia, quæ misericordiam movere possint, non omittebant, ut pacem recuperarent: quem ritum describit Auctor, cum ait *presbysteris advolvi*, quare nihil hæc ad confess. auricularem. ALBASP.

(f) *Et caris Dei adgeniculari.* Putarim ego per *caros Dei* intelligendos esse martyres, quos pœnitentes rogare solebant, ut se Ecclesiæ redderent, et nonnihil de pœnitentia indulgerent. Unde Tertull. noster Protrep. ad mart.: *Quam quidam*, pacem nimirum, *non habentes a martyribus petere consueverunt.* Ea ratione faciliores habebant presbyteros, cæterosque christianos. Quæ affert La Cerda ut probet per caros Dei intelligi presbyteros nihil ad rem facere videntur; loca quippe illa tum ex Eusebio, tum ex Greg. Nazianzeno aliisque, referenda sunt ad has voces, *presbyteris advolvi.* LE PR.

(g) *Provolvit hominem.* Etenim pœnitentes volutabantur ad genua fratrum. RIG.

CAP. X. — (h) *Ut publicationem sui.* Quia scilicet post baptismum per publicam semper pœnitentiam, in graviora delicta animadvertebant, eaque ob hanc caussam palam nonnunquam exponebantur. Cæterum non assentior interpretibus, neque Card. Baronio an. Chr. 56, qui hæc de auriculari confessione, non de publico pœnitentiæ actu intelligi volunt, toto enim hoc capite de publica confessione peccatorum et de publica pœnitentia agitur. ALBASP.

Digitized by Google

tant, et ita cum erubescentia sua pereunt. Intolerandum scilicet pudori, Domino offenso satisfacere, saluti prodactæ reformari (*a*). Næ tu verecundia bonus, ad delinquendum expandens frontem, ad deprecandum vero subducens. Ego rubori locum non facio, cum plus de detrimento ejus acquiro, (1) cum ipse hominem quodammodo exhortatur, Ne me respexeris, dicens, per te mihi melius est perire. Certe periculum ejus tunc, si forte, onerosum est, cum penes insultaturos in risiloquio consistit, ubi de alterius ruina alter attollitur, ubi prostrato superscenditur. Cæterum inter fratres atque conservos, ubi communis (2) spes, metus, gaudium, dolor, passio (quia communis spiritus de communi Domino et Patre), quid tu hos (3) aliud quam te opinaris (*b*)? Quid consortes casuum tuorum (*c*), ut plausores, fugis? Non potest corpus de unius membri vexatione lætum agere : condoleat universum, et ad remedium conlaboret, necesse est. In uno et altero Ecclesia est, Ecclesia vero Christus. Ergo cum te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras. Æque illi cum super te lacrymas agunt, Christus patitur, Christus Patrem deprecatur. Facile impetratur semper, quod filius postulat. Grande plane emolumentum verecundiæ occultatio delicti pollicetur. Videlicet si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde et Deum celabimus? Adeone existimatio hominum et Dei conscientia comparantur? An melius est damnatum latere, quam palam absolvi (*d*)? Miserum est sic ad Exomologesin pervenire (*e*). Malo enim ad miseriam (4) pervenitur, sed ubi pœnitendum est (5) deserit miserum : quia factum est salutare. Miserum est secari et cauterio exuri, et pulveris alicujus mordacitate (6) cruciari : tamen quæ per insuavitatem medentur, et emolumento curationis offensam sui excusant, et præsentem injuriam superventuræ utilitatis gratia commendant.

CAPUT XI.

Quid si præter pudorem, quem potiorem putant, etiam incommoda corporis reformident, quod inlotos, quod sordulentos, quod extra lætitiam (*f*) oportet deversari, in asperitudine sacci, et horrore cineris, et oris de jejunio vanitate (*g*)? Num ergo in coccino (*h*) et Tyrio (*i*) pro delictis supplicare nos condecet? Cedo acum crinibus distinguendis, et pulverem dentibus elimandis (*j*), et bisulcum aliquid ferri vel æris unguibus repastinendis. Si quid ficti nitoris, si quid coacti ruboris, in labia aut genas urgeat. Præterea exquirito balneas lætiores hortulani maritimive secessus : adjicito ad sumptum; conquirito altilium enormem saginam; defecato senectutem vini. Cumque quis interrogarit, cuinam ea largiaris (*k*) : Deliqui, dicito, in Deum, et periclitor in æternum perire. Itaque nunc pendeo, et maceror, et excrucior, ut Deum reconciliem mihi, quem delinquendo læsi. Sed enim illos, qui ambitu (7) obeunt capessendi magistratus, neque pudet, neque piget incommodis animæ et corporis, nec incommodis tantum, verum et contumeliis omnibus eniti in caussa votorum suorum. Quas non ignobilitates vestium affectant? Quæ non

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quin *Latin. et Jun.*
(2) Species *Fran. Paris.*
(3) Tuos *Seml. Leop.* tu hos *Rig. ex cod. div.*
(4) Ad miseriam *Fran. Paris. Rigdlt.* amans si perv. *Seml.* adventum est *volebat Rhen. minus bene.*
(5) Desinit *Fran.*
(6) Cruciari *Fran. Rig.* anxiari *Seml.*
(7) Ambitus *Rig.*

COMMENTARIUS.

(a) *Saluti prodactæ.* Prodiga peccandi protervia perditissimæ. Rig.

(b) *Quid tu hos aliud quam te opinaris.* Sic legitur in codice Divionensi. Et esse verissimum puto. Rig.

(c) *Quid consortes casuum tuorum.* Hunc locum sic expressit B. Pacianus : *consortes casuum vestrorum timere nolite.* Nullum corpus membrorum suorum vexatione lætatur; imo pariter dolet, et ad remedium collaborat. In uno et altero Ecclesia est, in Ecclesia vero Christus; atque adeo qui fratribus peccata sua non tacet, Ecclesiæ lacrymis adjutus, Christi precibus absolvitur. Pam.

(d) *Quam palam absolvi.* Palam quidem et frequente Ecclesia absolvebantur, verum satis mihi non constat hæc de sacramentali absolutione accipienda esse; quin potius conjicerem, de ultima exomologesi, quæ permolesta et plena pudoris videbatur, illud *palam absolvi* dictum esse; nam quid posset inesse pudoris aut verecundiæ in illa absolutione? at vero in ultima exomologesi multa occurrebant quæ sine pudore non poterant ferri. Primum e limine in mediam ecclesiam adducebantur ab episcopo, istic ad ejus pedes prostrati veniam peccatorum suorum deprecabantur, precibus et lacrymis totius fraternitatis gratiam et misericordiam sollicitabant, tandem in eodem statu permanentes, id est humi jacentes, a peccatis liberabantur, hæc omnia multis ita permolesta videbantur, ut mallent in culpa remanere, quam hoc modo ab ea liberari. Albasp.

(e) *Miserum est sic ad exomologesin pervenire.* Forma loquendi abhorrentium aliquid, miserum est! Sic Horatius *Deprehendi miserum est.* Hic igitur aliquis abhorrens austeriorem pœnitendi formam, ait, *Miserum est sic ad exomologesin pervenire!* Huic respondet Tertullianus; *Malo enim ad miseriam pervenitur*, etc., hoc est, peccato. Et mala sunt quæ nos ad miseriam ducunt. Rig.

CAP. XI. — (f) *Extra lætitiam.* Non licebat pœnitentibus ullo delectationis genere, ne quidem balneis se oblectare. Albasp.

(g) *Oris de jejunio vanitate.* Etenim jejunio nativus oris et formæ vigor evanescit. Allusit ad illud Matthæi, VI, 16 : Ἀφανίζουσι τὰ πρόσωπα αὐτῶν. *Vultu incedunt evanido.* Rig.

(h) *In coccino.* Per coccinum inquit Rhen. intelligit vestem cocco infectam, Martialis.

Coccina formosæ donas et ianthina mœchæ.

Coccum vulgo granum vocant latine reddentes τοῦ κόκκου græcum vocabulum. Pam.

(i) *Et Tyrio.* Tyrium, inquit idem, appellat vestimentum ex purpura Tyria constans. Ovid.: *Sive erit in Tyriis Tyrios laudabis amictus.* Qui etiam annotat *cedo* hic accipi pro *da.* Pam.

(j) *Et pulverem dentibus elimandis.* Aptissime verbo elimare usus est, nam limus vocatur illa scabrities, seu sordes illæ dentibus adhærentes. At præter pulverem, dentifricio utebantur veteres. Videsis Apuleium in apolog. Le Pr.

(k) *Cuinam ea largiaris.* Sic emendavimus secuti vestigia scripturæ veteris, *Cur anima largiaris.* Rig.

Digitized by Google

ni? filium enim invenerat, quem amiserat; cariorem senserat, quem lucri fecerat. Quis ille nobis intelligendus pater? Deus scilicet: tam pater nemo, tam pius nemo. Is ergo te filium suum, etsi acceptum ab eo prodegeris, etsi nudus redieris, recipiet, quia redisti, magisque de regressu tuo, quam de alterius sobrietate lætabitur, sed si pœniteat (1) ex animo, si famem tuam cum saturitate mercenariorum paternorum compares, si porcos immundum relinquas pecus, si patrem repetas vel offensum, *Deliqui*, dicens, *pater, nec dignus ego jam vocari tuus.* Tantum relevat confessio delictorum (2) (*a*), quantum dissimulatio exaggerat. Confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumaciæ.

CAPUT IX.

Hujus igitur pœnitentiæ secundæ et unius, quanto in arcto negotium est, tanto operosior probatio (3), ut non sola conscientia (4) proferatur, sed aliquo etiam actu administretur. Is actus, qui magis græco vocabulo exprimitur et frequentatur, Exomologesis est (*b*), qua delictum Domino nostrum confitemur; non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque Exomologesis prosternendi et humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens (5) misericordiæ illicem; de ipso quoque habitu atque (6) victu mandat, sacco et cineri incubare (*c*) corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit tristi tractatione mutare; cæterum pastum et potum pura nosse (*d*), non ventris scilicet, sed animæ caussa: plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, et mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum (7), presbyteris advolvi (*e*), et caris (*f*) (8) Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere. Hæc omnia Exomologesis, ut pœnitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuntians pro Dei indignatione fungatur, et temporali afflictatione (9) æterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat. Cum igitur provolvit hominem (*g*), magis relevat: cum squalidum facit, magis mundatum reddit: cum accusat, cum condemnat, absolvit. In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet.

CAPUT X.

Plerosque tamen hoc opus, ut publicationem sui (*h*), aut suffugere, aut de die in diem differre, præsumo; pudoris magis memores quam salutis: velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vi-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Te *add. Jun.*
(2) Delictum *Paris.*
(3) Est *addit Paris. Fran. Rigalt.*
(4) Præferatur *Fran. Paris. Rigalt.* Perferatur *P. Ciaconius.*
(5) Inungens *cod. Divion.*
(6) *Sic et Junius legit; alii addunt,* victu mandat; *quod a Rhen. abest. Vox* mandat *deest in edition. Rhen., sed ab eo postea additu in cod. Gorz.*
(7) Suum *Rig.*
(8) Aris *Seml.*
(9) *alii* affliction. *Est autem parum proba hæc sententia.*

COMMENTARIUS.

CAP. VIII.—(a) *Tantum relevat.* De confessione publica ac particulari hæc accipienda non sunt, sed de confessione qua peccator seipsum Deo accusat. ALB.

CAP. IX.— (b) *Exomologesis est.* Dum pluribus dicamus quid sit Exomologesis, pluribusque probemus, satis tum erit dicere per eam confessionem auricularem non intelligi; sed actus quibus pœnitentes cæteris pœnitentiæ suæ fidem facerent. ALBASP.

(c) *Sacco et cineri incubare.* Conciliciatum et conceneratum, ut ipse dicet lib. de Pudic. *In asperitudine sacci et horrore cineris*, ut hic paulo post saccum sic describit Paulinus ad Pneumatium:

Si modo lugentem gravis hirto tegmine saccus
Caprigenum setis dum tegat et stimulet. RIG.

(d) *Pastum et potum pura nosse.* Alibi dixit, *mero pane et aqua*, id est, puro, sive solo, absque ullis aliis esculentis, absque condimentis. Sic ad Scapulam, *sacrificamus pura prece*, hoc est, absque odoribus, absque sanguine, absque thure, absque victima, hoc est pane et aqua. Eodem significatu ἄρτὸν καθαρὸν dixit Alexis Poeta comicus in Tarentinis, ubi jocatur versibus elegantissimis in diætam Pithagoræorum:

Πυθάγορ οἰμοι, καὶ λόγοι
Λεπτοὶ, διωμιλευμένοι τε φροντίδες
Τρίφοῦσ' ἐκείνους· τὰ δὲ καθ' ἡμέραν, τάδε
Ἄρτος καθαρὸς, εἷς ἑκατέρᾳ, ποτήριον
Ὕδατος, τὰ σαῦτα ταῦτα.

De frugalitate Pythagoræorum, notum est illud Juvenalis:

Unde epulum possis centum dare Pythagoreis. RIG.

(e) *Presbyteris advolvi.* En quomodo ante sacerdotes volverentur, ut peccata sua confitereutur, et eorum veniam obtinerent, aiunt interpretes, cum Baronio, Bellarmino, Maldonato in controversiis. Ego etsi hunc ritum antiquissimum esse fatear, ex his tamen probari nequit; nam cum pro foribus templi starent pœnitentes, prætereuntibus sacerdotibus cæterisque fidelibus, omnibus omnino dolentis animi signis pœnitentiam suam testabantur, lacrymis non parcebant, precibus insistebant, volvebantur, et si quæ alia habet pœnitentia, quæ misericordiam movere possint, non omittebant, ut pacem recuperarent: quem ritum describit Auctor, cum ait *presbyteris advolvi*, quare nihil hæc ad confess. auricularem. ALBASP.

(f) *Et caris Dei adgeniculari.* Putarim ego per *caros Dei* intelligendos esse martyres, quos pœnitentes rogare solebant, ut se Ecclesiæ redderent, et nonnihil de pœnitentia indulgerent. Unde Tertull. noster Protrep. ad mart.: *Quam quidam*, pacem nimirum, *non habentes a martyribus petere consueverunt.* Ea ratione faciliores habebant presbyteros, cæterosque christianos. Quæ affert La Cerda ut probet per caros Dei intelligi presbyteros nihil ad rem facere videntur; loca quippe illa tum ex Eusebio, tum ex Greg. Nazianzeno aliisque, referenda sunt ad has voces, *presbyteris advolvi.* LE PR.

(g) *Provolvit hominem.* Etenim pœnitentes volutabantur ad genua fratrum. RIG.

CAP. X. — (h) *Ut publicationem sui.* Quia scilicet post baptismum per publicam semper pœnitentiam, in graviora delicta animadvertebant, eaque ob hanc caussam palam nonnunquam exponebantur. Cæterum non assentior interpretibus, neque Card. Baronio an. Chr. 56, qui hæc de auriculari confessione, non de publico pœnitentiæ actu intelligi volunt, toto enim hoc capite de publica confessione peccatorum et de publica pœnitentia agitur. ALBASP.

Digitized by Google

tant, et ita cum erubescentia sua pereunt. Intolerandum scilicet pudori, Domino offenso satisfacere, saluti prodactæ reformari (*a*). Næ tu verecundia bonus, ad delinquendum expandens frontem, ad deprecandum vero subducens. Ego rubori locum non facio, cum plus de detrimento ejus acquiro, (1) cum ipse hominem quodammodo exhortatur, Ne me respexeris, dicens, per te mihi melius est perire. Certe periculum ejus tunc, si forte, onerosum est, cum penes insultaturos in risiloquio consistit, ubi de alterius ruina alter attollitur, ubi prostrato superscenditur. Cæterum inter fratres atque conservos, ubi communis (2) spes, metus, gaudium, dolor, passio (quia communis spiritus de communi Domino et Patre), quid tu hos (3) aliud quam te opinaris (*b*)? Quid consortes casuum tuorum (*c*), ut plausores, fugis? Non potest corpus de unius membri vexatione lætum agere : condoleat universum, et ad remedium conlaboret, necesse est. In uno et altero Ecclesia est, Ecclesia vero Christus. Ergo cum te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras. Æque illi cum super te lacrymas agunt, Christus patitur, Christus Patrem deprecatur. Facile impetratur semper, quod filius postulat. Grande plane emolumentum verecundiæ occultatio delicti pollicetur. Videlicet si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde et Deum celabimus? Adeone existimatio hominum et Dei conscientia comparantur? An melius est damnatum latere, quam palam absolvi (*d*)? Miserum est sic ad Exomologesin pervenire (*e*). Malo enim ad miseriam (4) pervenitur, sed ubi pœnitendum est (5) deserit miserum : quia factum est salutare. Miserum est secari et cauterio exuri, et pulveris alicujus mordacitate (6) cruciari : tamen quæ per insuavitatem medentur, et emolumento curationis offensam sui excusant, et præsentem injuriam superventuræ utilitatis gratia commendant.

CAPUT XI.

Quid si præter pudorem, quem potiorem putant, etiam incommoda corporis reformident, quod inlotos, quod sordulentos, quod extra lætitiam (*f*) oportet deversari, in asperitudine sacci, et horrore cineris, et oris de jejunio vanitate (*g*)? Num ergo in coccino (*h*) et Tyrio (*i*) pro delictis supplicare nos condecet? Cedo acum crinibus distinguendis, et pulverem dentibus elimandis (*j*), et bisulcum aliquid ferri vel æris unguibus repastinendis. Si quid ficti nitoris, si quid coacti ruboris, in labia aut genas urgeat. Præterea exquirito balneas lætiores hortulani maritimive secessus : adjicito ad sumptum; conquirito altilium enormem saginam; defecato senectutem vini. Cumque quis interrogarit, cuinam ea largiaris (*k*) : Deliqui, dicito, in Deum, et periclitor in æternum perire. Itaque nunc pendeo, et maceror, et excrucior, ut Deum reconciliem mihi, quem delinquendo læsi. Sed enim illos, qui ambitu (7) obeunt capessendi magistratus, neque pudet, neque piget incommodis animæ et corporis, nec incommodis tantum, verum et contumeliis omnibus eniti in caussa votorum suorum. Quas non ignobilitates vestium affectant? Quæ non

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quin *Latin. et Jun.*
(2) Species *Fran. Paris.*
(3) Tuos *Seml. Leop.* tu hos *Rig. ex cod. div.*
(4) Ad miseriam *Fran. Paris. Rigdlt.* amans si perv. *Seml.* adventum est *volebat Rhen. minus bene.*
(5) Desinit *Fran.*
(6) Cruciari *Fran. Rig.* anxiari *Seml.*
(7) Ambitus *Rig.*

COMMENTARIUS.

(a) *Saluti prodactæ.* Prodiga peccandi protervia perditissimæ. Rig.

(b) *Quid tu hos aliud quam te opinaris.* Sic legitur in codice Divisionensi. Et esse verissimum puto. Rig.

(c) *Quid consortes casuum tuorum.* Hunc locum sic expressit B. Pacianus : *consortes casuum vestrorum timere nolite.* Nullum corpus membrorum suorum vexatione lætatur; imo pariter dolet, et ad remedium collaborat. In uno et altero Ecclesia est, in Ecclesia vero Christus; atque adeo qui fratribus peccata sua non tacet, Ecclesiæ lacrymis adjutus, Christi precibus absolvitur. Pam.

(d) *Quam palam absolvi.* Palam quidem et frequente Ecclesia absolvebantur, verum satis mihi non constat hæc de sacramentali absolutione accipienda esse; quin potius conjicerem, de ultima exomologesi, quæ permolesta et plena pudoris videbatur, illud *palam absolvi* dictum esse; nam quid posset inesse pudoris aut verecundiæ in illa absolutione? at vero in ultima exomologesi multa occurrebant quæ sine pudore non poterant ferri. Primum e limine in mediam ecclesiam adducebantur ab episcopo, istic ad ejus pedes prostrati veniam peccatorum suorum deprecabantur, precibus et lacrymis totius fraternitatis gratiam et misericordiam sollicitabant, tandem in eodem statu permanentes, id est humi jacentes, a peccatis liberabantur, hæc omnia multis ita permolesta videbantur, ut mallent in culpa remanere, quam hoc modo ab ea liberari. Albasp.

(e) *Miserum est sic ad exomologesin pervenire.* Forma loquendi abhorrentium aliquid, miserum est! Sic Horatius *Deprehendi miserum est.* Hic igitur aliquis abhorrens austeriorem pœnitendi formam, ait, *Miserum est sic ad exomologesin pervenire!* Huic respondet Tertullianus; *Malo enim ad miseriam pervenitur*, etc., hoc est, peccato. Et mala sunt quæ nos ad miseriam ducunt. Rig.

CAP. XI. — (f) *Extra lætitiam.* Non licebat pœnitentibus ullo delectationis genere, ne quidem balneis se oblectare. Albasp.

(g) *Oris de jejunio vanitate.* Etenim jejunio nativus oris et formæ vigor evanescit. Allusit ad illud Matthæi, VI, 16 : Ἀφανίζουσι τὰ πρόσωπα αὐτῶν. *Vultu incedunt evanido.* Rig.

(h) *In coccino.* Per coccinum inquit Rhen. intelligit vestem cocco infectam, Martialis.

Coccina formosæ donas et ianthina mœchæ.

Coccum vulgo granum vocant latine reddentes τοῦ κόκκου græcum vocabulum. Pam.

(i) *Et Tyrio.* Tyrium, inquit idem, appellat vestimentum ex purpura Tyria constans. Ovid.: *Sive erit in Tyriis Tyrios laudabis amictus.* Qui etiam annotat *cedo* hic accipi pro *da.* Pam.

(j) *Et pulverem dentibus elimandis.* Aptissime verbo elimare usus est, nam limus vocatur illa scabrities, seu sordes illæ dentibus adhærentes. At præter pulverem, dentifricio utebantur veteres. Videsis Apuleium in apolog. Le Pr.

(k) *Cuinam ea largiaris.* Sic emendavimus secuti vestigia scripturæ veteris, *Cur anima largiaris.* Rig.

Digitized by Google

atria nocturnis et crudis salutationibus occupant? Ad omnem occursum majoris cujusque personæ decrescentes, nullis conviviis celebres, nullis comessationibus congreges, sed exules a libertatis et lætitiæ felicitate. Idque totum propter unius anni volaticum gaudium (*a*). Nos, quod securium virgarumve petitio sustinet, in periculo æternitatis tolerare dubitamus? et castigationem victus atque cultus offenso Domino præstare cessabimus, quæ gentiles nemine omnino læso sibi irrogant? Hi sunt de quibus Scriptura commemorat : *Væ illis qui delicta sua velut procero fune nectunt* (*b*).

CAPUT XII.

Si de exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis exstinguit : et pœnæ prius magnitudinem imaginare, ut de remedii adeptione non dubites. Quid illum thesaurum ignis æterni æstimamus, cum fumariola quædam ejus tales flammarum ictus suscitent, ut proximæ urbes aut jam nullæ exstent, aut idem sibi de die sperent. Dissiliunt superbissimi montes ignis intrinsecus fœtu : et quod nobis judicii perpetuitatem probat, cum dissiliant, cum devorentur, nunquam tamen finiuntur. Quis hæc supplicia interim montium non judicii minantis exemplaria deputabit? Quis scintillas tales non magni alicujus et inæstimabilis foci missilia quædam et exercitoria jacula (*c*) consentiet? Igitur cum scias adversus gehennam post prima illa intinctionis dominicæ munimenta, esse adhuc in exomologesi secunda subsidia, cur salutem tuam deseris? Cur cessas aggredi, quod scias mederi tibi? Mutæ quidem animæ et irrationales, medicinas sibi divinitus attributas in tempore agnoscunt. Cervus sagitta transfixus, ut ferrum et irrevocabiles moras ejus de vulnere expellat (*d*) scit sibi dictamno medendum. Hirundo, si excæcaverit pullos, novit illos oculare rursus (*e*) de sua chelidonia. Peccator restituendo sibi (*f*) institutam a Domino exomologesin sciens, præteribit illam (*Dan* IV)? quæ Babylonium regem in regna restituit? Diu enim pœnitentiam Domino immolarat, septenni squalore exomologesin operatus, unguium leoninum in modum efferatione, et capilli incuria horrorem aquilinum (1) præferente. Proh malæ tractationis (*g*)? quem homines perhorrebant, Deus recipiebat (*Exod.*, XIV). Contra autem ægyptius imperator, qui populum Dei aliquando afflictum, diu Domino suo denegatum persecutus, in prælium irruit, post tot documenta plagarum, dissidio (2) maris, quod soli populo pervium licebat, revolutis fluctibus perit. Pœnitentiam enim et ministerium ejus (*h*) exomologesin abjecerat. Quid (3) ergo ultra de istis duabus humanæ salutis quasi (4) plancis (*i*), styli potius negotium quam officium conscientiæ meæ curans (5) ? peccator enim omnium notarum cum sim, nec ulli rei nisi pœnitentiæ natus, non facile possum super illa tacere, quam ipse quoque et stirpis humanæ et offensæ in Dominum princeps Adam exomologesi restitutus (*j*) in paradisum suum, non tacet.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Aquilinum in morem *quidam addunt.*
(2) Discidio *Rig.*
(3) Ego *Fran. Paris.* duobus *Fran.*
(4) Pharis *Pam.*
(5) Curem? Latin.

COMMENTARIUS.

(a) *Propter unius anni volaticum: gaud.* Nam consulatus, inquit Rhen., erat magistratus annuus. Item aliæ quædam functiones annuæ. Et vero antiqua vox *volaticum* pro inconstanti, etiam Ciceroni usitata lib. II ad Att. et de Harusp. cap. 43. Pam.

(b) *Væ illis qui delicta sua*, etc. Nemo odoratus est locum, cum is sit Isaiæ, V : Οὐαὶ οἱ ἑπισπώμενοι τὰς ἁμαρτίας ὡς σχοινίῳ μακρῷ. Sed Tertullianus nunquam legebat latinum textum qui habet, *væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis.* Cum septuaginta habeant, *væ illis qui delicta sua velut longo fune nectunt.* De fune contemptionis alia est ratio, lege lib. IV adv. Marcionem et lib. adv. Judæos. Lac.

CAP. XII. — (c) *Exercitoria jacula.* Lusoria. Rig.

(d) *Ferrum et irrevocabiles moras ejus.* Hamatile spiculum significat, quod ubi penetravit in vulnus, revocari aut avelli nequit, nisi vulnus ipsum novo vulnere diducatur. Rig.

(e) *Oculare.* id est oculos reddere. Hoc ipso usus est verbo de Pud. et in Apolog.: quod mihi pro argumento est hunc Tertulliani esse libellum. Albasp.

(f) *Restituendo sibi.* Restitutioni suæ. Rig.

(g) *Pro malæ tractationis.* Suspicor Tertullianum scripsisse *maletractationis* dictione unica, cum dicat Turnebus lib. II, cap. 20, quæ malatractio a multis dicitur, eam ab Arnobio *maletractatio* dici voce unica lib. IV adv. gentes. Apparet autem Arnobium imitatum esse scripta Tertulliani. Apud rhetoras etiam *maletractatio* dicitur unica dictione. Lac.

(h) *Pœnitentiam et ministerium ejus exomol.* Peccatori ad pœnitentiam admisso ministrabatur exomologesis, qua rite peracta, si satis episcopo et presbyteris et plebi factum fuisse videretur, Ecclesiæ reddebatur. Rig.

(i) *Duabus humanæ salutis quasi plancis.* Alii legunt, *Pharis*, sed ab veteribus libris id habeant, an ab ingenio, non tradunt. Illud autem, *quasi plancis*, propius accedit ad hæc veteris scripturæ vestigia, *quasi plane.* Rig.

(j) *Adam exomologesi restitutus.* Hoc contra Tatianum hæreticum, cujus erat hæresis, Adam salutem consequi non potuisse; uti patet ex lib. *de Præscript. adv. hæres.* Pam.

Digitized by Google

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI

DE PATIENTIA

LIBER.

Argumentum.

Tractatus de patientia quem multi a Tertulliano adhucdum catholico circa a. cc. conscriptum fuisse existimant, in quam imprimis abiere sententiam doctiss. Tillemontius, D. Cellerjus, P. Dominicus Schram, eximia est multa cum eloquentia adhortatio ad patientiam amplectendam, pene dicam ad martyrium sustinendum, haud aliter ac si, cum hæc conscriberet septimius jamjam nova ingrueret procella, iterumque Christianorum calamitates forent refricandæ. Quidquid ea de re sit ratum habendum, qualive tempore vel rerum tempestate fuerit hic libellus exaratus, in ea nulla non affertur caussa, cur Christiani ad patientiam excitari queant et ab impatientia deterreri. Nempe cum in operis limine, quasi publice stratus, suam auctor imbecillitatem, animique impotentiam propalaverit, patientiamque magnis laudibus summatim descripserit singula perstringit motiva ad eam amplectendam proponenda, scilicet :

I. *Patientiam Dei erga nos,* II.
II. *Patientiam Christi,* III, IV.
III. *Natales impatientiæ ac ejus mala in ipso diabolo deprehensa.* V.
IV. *Fidem patientia probandam.* VI.
V. *Temporalia exinde spreta.* VII.
VI. *Injurias æqua mente latas.* VIII.
VII. *Dolorem e suorum amissione temperatum.* IX.
VIII. *Vindictæ cupiditatem exstinctam.* X.
IX. *Irrita jam inimici incitamenta.* XI.
X. *Patientiam virtutum matrem.* XIII.
XI. *Viriumque fontem inexhaustum.* XIV.
XII. *Exempla patientiæ, demum mercedem et fructum.* XIV, XV.

EDD.

CAPUT PRIMUM.

Confiteor ad Dominum Deum, satis temere me, si non etiam impudenter, de patientia componere ausum, cui præstandæ idoneus omnino non sim (1), ut homo nullius boni (*a*), quando oporteat demonstrationem et commendationem alicujus rei adortos, ipsos prius in administratione ejus rei deprehendi, et constantiam commonendi (2) propriæ conversationis auctoritate dirigere, ne dicta factis deficientibus erubescant. Atque utinam erubescere istud remedium ferat, uti pudor non exhibendi quod aliis suggestum imus, exhibendi fiat magisterium! Nisi quod bonorum quorumdam, sicuti et malorum, intolerabilis magnitudo est, ut, ad capienda et præstanda ea, sola gratia divinæ inspirationis operetur. Nam quod maxime bonum, id A maxime penes Deum, nec alius id quam qui possidet dispensat, ut cuique dignatur. Itaque vel ut solatium erit disputare super eo quod frui non datur, vice languentium, qui cum vacent a sanitate, de bonis ejus tacere non norunt. Ita miserrimus ego, semper æger caloribus impatientiæ, quam non obtinco patientiæ sanitatem, et suspirem, et invocem, et perorem necesse est, cum recordor, et in meæ imbecillitatis contemplatione digero, bonam fidei valetudinem, et dominicæ disciplinæ sanitatem, non facile cuiquam, nisi patientia assideat, provenire. Ita proposita Dei rebus est, ut nullum præceptum obire quis, nullum opus Domino complacitum perpetrare extraneus patientia possit. Bonum ejus, etiam qui cæci (3) vivunt (*b*) summæ virtutis appellatione honorant (4). Philo-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Sum *Paris.*
(2) Commendandi *Latin.*
B (3) Cæca *Rhen. Fran.*
(4) Honorent *Fran. Paris.*

COMMENTARIUS.

CAP. I. — (a) *Homo nullius boni.* Ubique fere abjectissime de se loquitur. Sic, lib. de Pœnit.: *Eam tu peccator mei similis, imo me minor (ego enim præstantiam in delictis meam agnosco), ita invade.* Et lib. II de Cultu fœm. : *Quod ipsum mihi, utique reprehendendo in omnibus, reprehendere Deus permittat.* et eod. : *Utinam miserrimus ego,* etc. RIG.

(b) *Etiam qui cæci vivunt.* Hæc scriptura est codi-

Digitized by Google

sophi quidem, qui alicujus sapientiæ animalia (1) deputantur, tantum illi subsignant, ut cum inter sese variis sectarum libidinibus et sententiarum æmulationibus discordent, solius tamen patientiæ in commune memores, huic uni studiorum suorum commiserint pacem. In eam conspirant, in eam fœderantur, illam (2) (*a*) in (3) affectatione virtutis unanimiter student, omnem sapientiæ ostentationem de patientia præferunt. Grande testimonium ejus est, cum etiam vanas sæculi disciplinas ad laudem et gloriam promovet. Aut numquid potius injuria, cum divina res in sæcularibus artibus volutatur? Sed viderint illi, quos mox sapientiæ suæ cum sæculo destructæ ac dedecoratæ pudebit.

CAPUT II.

Nobis exercendæ patientiæ auctoritatem, non affectatio (4) humana (*b*) caninæ æquanimitatis (*c*) stupore formata (*d*), sed vivæ (5) ac cœlestis disciplinæ (*e*) divina dispositio delegat (6), Deum ipsum ostendens patientiæ exemplum. Jam primum (7) qui rorem (8) (*f*) lucis hujus super justos et injustos æqualiter spargit, qui temporum officia, elementorum servitia, totius genituræ tributa dignis simul et indignis patitur (9) occurrere, sustinens ingratissimas nationes, ludibria artium et opera manuum suarum adorantes, nomen (*g*) cum familia (10) ipsius persequentes, luxuriam, avaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidie insolescentem (11), ut sua sibi patientia detrahat: plures enim Dominum idcirco non credunt, quia sæculo iratum tamdiu nesciunt.

CAPUT III.

Et hæc quidem (12) divinæ patientiæ species, quasi de longinquo fors, ut de supernis, æstimetur. Quid illa autem quæ inter homines palam in terris quodammodo manu apprehensa est? Nasci (13) se Deus in utero patitur matris, et exspectat, natus adolescere sustinet, et adultus non gestit agnosci, sed contumeliosus insuper sibi est (*h*), et a servo suo tingitur (14), et

LECTIONES VARIANTES.

(1) Animalis *Wouw. M. S.*
(2) Illi *Fran. Paris.*
(3) In *abest Rigalt.*
(4) Affectio *Paris.*
(5) Viva *Paris.*
(6) Dirigat *alii;* diligat *Rhen.*
(7) *Jun. ita distinguit,* exemplum jam primum: qui florem, etc.
(8) Florem *Rhen.*
(9) Patiatur simul occurrere *Paris.*
(10) Familiam *Rhen.* nomen christianum cum familia Christi *Jun.*
(11) Inolescentem *Wouw. M. S. Rig.*
(12) Quidem *abest Paris.*
(13) Christus se patitur concipi, et exspectat naturæ lege in utero dum nascatur et veniat in hanc lucem. Contumeliosus insuper sibi est, fabrili ministerio, *ut est apud Marcum, Jun.*
(14) Tinguitur *Franeq.*

COMMENTARIUS.

cis Ful. Ursini. In aliis legitur: *Qui cæca vivunt;* quod magis ad genium Tertulliani jure videatur: quemadmodum apud Juvenalem:

Qui curios simulant, et bacchanalia vivunt. Rig.

Sic B. Cyprianus eodem hellenismo usus est, lib. de Bono pat.: *Qui non loquimur magna, sed vivimus;* quasi diceret: Οὐ λαμπρὰ μὲν λέγομεν, ἀλλὰ ζῶμεν, pro λαμπρῶς. Le Pr.

(*a*) *Illam student.* Sic habent exemplaria antiqua. Rig.

CAP. II. — (b) *Non affectatio humana.* Sic ex 3 Mss. pro *affectio;* nam haud absimiliter S. Cyprianus, etiam citante Rhenano. Pam.

(c) *Caninæ æquanimitatis stupore formatæ.* Intelligit cynicam sive diogenicam tolerantiam. Hunc locum, æmulator Tertulliani, Cyprianus affert, lib. de Bono pat. Rhen.

(d) *Stupore formata.* Nam scilicet Diogenis patientia stupori belluino propior, quam humanæ tolerantiæ. Lac.

(e) *Sed vivæ ac cœlestis disciplinæ,* etc. Pro *diligat,* aliquando nobis scribendum esse visum est *dirigat;* nunc in *delegat* mutavimus: non male, ut putamus. Est *delegare* injungere sive committere aliquid: sic lib. II adv. Marc. Rhen.

(f) *Qui rorem lucis hujus.* Et hunc locum suaviter edisserit Cyprianus, lib. cit. de Bon. pat. Rhen. Alii, ut La Cerda, leger. *florem.* — « *Florem lucis.* Flos de luce est ignis. Lucr., lib. IV: *florentia lumina flammis;* et lib. I: *flammai fulserunt flore.* Stat., lib. I Theb.: — *arcano florentes lumine postes.* Tertull., Apolog. 2, *lumina floruisse.* Joan. Chrys., hom. 10 ad pop. ant.: Τὰ ποικίλα τῶν ἄστρων ἄνθη; *astrorum varii flores.* Plura his ego dicebam in lib. VII Æneid. In M. SS. est *rorem lucis,* fortasse quia *spargit;* sed nihil muto. » Lac.

(g) *Nomen cum familia ipsius persequentes.* Reddam libens quod Rhenanus edidit, et exemplaria mss. comprobant: *Nomen, familiam ipsius persequentes.* Nomen autem dicit christianum, et familiam ipsius, scilicet Christi, hoc est Christianos. Rig.

CAP. III.—(h) *Sed contumeliosus insuper sibi est.* Facie per deformitatem obnoxia probris et convitiis. Sic, lib. de Palio, oris contumeliam dixit, pro deformitate vultus. Et, lib. adv. Jud., *Christum fuisse* dicit *ne adspectu quidem honestum.* Et, lib. III adversus Marcionem: *Quodcumque illud corpusculum sit, quoniam habitum, et quoniam conspectum fuit; si inglorius, si ignobilis, meus erit Christus: talis enim habitu et adspectu annuntiabatur.* Nempe hæc apud Isaiam verba: *Vidimus eum, et non habebat speciem, neque decorem,* non de tempore tantum passionis, sed de nativa corporis conformatione Septimius accipi voluit, ut præ deformitate factus ad contumelias videretur, adeoque ait ipsum sibi fuisse contumeliosum. Et, lib. de Carne Chr.: *Adeo nec humanæ honestatis corpus fuit. Tacentibus apud nos quoque prophetis de ignobili aspectu ejus, ipsæ passiones, ipsæ contumeliæ loquuntur; passiones quidem, humanam carnem; contumeliæ vero, inhonestam. An ausus esset aliquis ungue summo perstringere corpus novum? sputaminibus contaminare faciem, nisi merentem?* Qui servili supplicio cruciandus pro nobis venerat, formam quoque servi susceperat, non εἴδει ἀξιόν τυραννίδος. Origenes, lib. VI contra Celsum: Ὁμολογουμένως τοίνυν γέγραπται τὸ περὶ τοῦ δυσειδὲς γεγονέναι τοῦ Ἰησοῦ σῶμα, κ. τ. λ. Augustinus in Ps. XLIII: *Ut homo, non habebat speciem neque decorem; sed speciosus forma, ex eo quod est præ filiis hominum.* Et Psal. CXVIII: *Et ipse Sponsus, non carne, sed virtute formosus.* In Ps. CXXVII: *Sponsus est ille, quo nihil est pulchrius, qui quasi fœdus apparuit inter manus persequentium; de quo paulo ante dicebat Isaias: Et vidimus eum, et non habebat speciem, neque decorem. Ergo sponsus noster fœdus est? Absit. Quomodo enim illum virgines amarent, quæ in terra maritos non quæsierunt? Ergo persequentibus fœdus apparuit. Et nisi eum fœdum putarent, non insilirent, non flagellis cæderent, non spinis coronarent, non spu-*

Digitized by Google

tentatoris congressus solis verbis repellit (a), cum (1) de Domino fit (2) magister, docens hominem evadere ad salutem, (3) (b) scilicet veniam offensæ patientiæ (4) eruditus, non contendit, non reclamavit, nec quisquam in plateis vocem ejus audivit, arundinem quassatam non fregit, linum fumigans non restinxit (*Is.* XLII). Nec enim mentitus fuerat propheta, imo ipsius Dei contestatio, Spiritum suum in Filio cum tota patientia collocantis (*Joan.*, XIII, *Matth.* IX, *Luc.* IX, *Luc.* XVII, *Matth.* XIV, *Matth.* XXVI, *Is.* LIII, *Matth.* XXIX, *Joan.* XVIII, *Matth.* XXVI, *Matth.* XXVII, *Marc.* XV, *Luc.* XXIII, *Joan.* XIX). Nullum volentem sibi adhærere non suscepit; nullius mensam tectumve despexit : aquam (5) (c) ipse lavandis discipulorum pedibus ministravit. Non peccatores, non publicanos adspernatus est. Non illi saltim (6) civitati quæ eum recipere noluerat, iratus est, cum etiam discipuli tam contumelioso oppido cœlestes ignes repræsentari voluissent. Ingratos curavit, insidiatoribus cessit. Parum hoc, si non etiam proditorem suum secum habuit, nec constanter (7) denotavit. Cum vero traditur, cum adducitur ut pecus ad victimam, sic enim non magis aperit os, quam agnus sub tondentis potestate, ille, cui legiones angelorum, si voluisset, uno dicto de cœlis adfuissent, A ne unius quidem discentis (8) gladium ultorem (9) probavit. Patientia Domini in Malcho vulnerata est. Itaque et gladii opera maledixit in posterum, et sanitatis restitutione ei, quem non ipse vexaverat, satisfecit, per (10) patientiam, misericordiæ matrem. Taceo quod figitur, in hoc enim venerat. Numquid tamen subeundæ morti etiam contumeliis opus fuerat? Sed saginari voluptate patientiæ discessurus volebat. Despuitur, verberatur, deridetur, fœdis vestitur, fœdioribus coronatur. Mira æquanimitatis fides. Qui in hominis figura proposuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est. Hinc vel maxime pharisæi Dominum agnoscere debuistis : patientiam hujusmodi nemo hominum perpetraret. Talia tantaque documenta, quorum magnitudo penes nationes quidem detrectatio fidei est, penes nos vero ratio et B structio (11), satis aperte, non sermonibus modo in præcipiendo, sed etiam passionibus Domini (12) sustinendo, probant his, quibus credere datum est, patientiam Dei esse naturam (d), effectum et præstantiam ingenitæ cujusdam proprietatis.

CAPUT IV.

Igitur si probos quosque servos et bonæ mentis, pro ingenio dominico conversari videmus (siquidem

LECTIONES VARIANTES.

(1) Tum *Latin.*
(2) Sit *Fran.*
(3) *Cod. Divionensis :* docens hominem evadere mortem absolutam (*cod. Pithœi :* absolutem), scilicet veniam offensæ patientiæ eruditus. *Cod. Ursini :* doc. hom. ev. mortem adsolitæ scilice veniam, etc. *Tres vaticani affirmante Pamelio et ed. Franeq. :* doc. hom. ev. mortem, ob salutem scilicet venire offensa patientia eruditus. *Rhen.*: doc. C hom. ev. mortem, absolute scilicet veniam offensæ patientiæ eruditus. *Rigalt. et Seml.* v. mortem ejecerunt.
(4) Les 42, 2, 3. *Leopold legere maluit :* mortem ad salutem etc.
(5) Atquin *Fran. Paris.*
(6) Saltem *Fran. Paris.*
(7) instanter *Jun.*
(8) Educentis *Rhen. Fran. Paris.*
(9) In ultorem *Fran. Paris.*
(10) Proh. *Rhen.*
(11) Instructio *alii.*
(12) In *add. Jun.* passionibus in sustinendo *Rig.*

COMMENTARIUS.

tis inhonestarent; sed quia fœdus illis apparebat, fecerunt illi ista; non enim habebant oculos unde Christus pulcher videretur, etc. Denique Septimius noster, lib. III advers. Marcionem, Davidicum illud, *Speciosus forma præ filiis hominum*, explicans, ait : *Nam, et si tempestivus decore, apud David, supra filios hominum; sed in allegorico illo statu gratiæ spiritalis eum accingitur ensem sermonis, qui vere species, et decor, et gloria ipsius est. Cæterum habitu incorporali, apud eumdem prophetam, vermis etiam, et non homo, ignominia hominis et nullificamen populi.* Virum eximiæ pietatis et doctrinæ Jacobum Sirmundum audivi narrantem, se vidisse numisma vetus æreum, cusum (ut D ipse arbitrabatur) sub Constantino : scalptura faciem exhibebat satis deformem et horridam, et in altera parte, templum cum inscriptione : ANACTACIC quæ vix alium indicare videatur, quam Christum, qui templum, hoc est, corpus suum, morte destructum ac dissolutum, tertia die restituit, vita resumpta. Itaque haud mediocriter aberrant qui vultum Christi esse aiunt, quem Fulvius Ursinus T. Quinctio Flaminio tribuit (Imag. illust. 126) Qua de re est cap. 1, lib. I, variar. lectionum Jani Rugersii. Ad dominici vultus tristitiam pertinere videtur quod, apud Joannem, Judæi ætatem Christi quasi ad quinquagesimum annum vergentem denotant : in facie nimirum indecora, confusis ipsa deformitate lineamentis, multo plures quam haberet annos computabant. Rig.

(a) *Tentatoris congressus solis verbis repellit.* Corruptum prava distinctione locum sic facile restituemus: *Et tentatoris congressus solis verbis repellit, cum de domino fit magister, docens hominem evadere ad salutem scilicet veniam offensæ patientiæ eruditus. Non contendit, non reclamavit*, etc. Satanam tentantem Christus repulit solis verbis, et quidem ex Scriptura citatis. Poterat Dominus viribus divinis et nutu ad ima tartari detrudere; sed maluit magistrum agere, et Scripturas calumniose citantem simplici Scripturarum veritate confutare. Subinde autem Tertullianus occasionem dicti illius : *de domino fit magister*, ab Satana ad hominem transtulit, continuoque adjecit, *docens hominem evadere ad salutem.* Sic ubique solet hujusmodi occasiones captare. Rig.

(b) *Docens hominem evadere ad salutem.* Hic plurima veterum librorum inter sese discordia. Antiquissimus P. Pithœi : *Docens haminem evadere mortem absolutem; scilicet veniam offensæ patientiæ eruditus.* Codex Divionensis : *Docens hominem evadere mortem absolutam; scilicet veniam offensæ patientiæ eruditus.* Ursini: *Docens hominem evadere mortem; ad solitæ scilice veniam offensæ patientiæ eruditus.* Tres Vaticani, Pamelio affirmante : *Docens hominem evadere mortem, ob salutem scilicet venire offensa patientia eruditus.* Rhenanus edidit. *Docens hominem evadere mortem, absolute scilicet veniam offensæ patientiæ eruditus.* Rig.

(c) *Aquam ipse lavandis discipulorum pedibus ministravit.* Placuit hæc scriptura codicis Ursini, quia sic etiam, lib. de Baptismo, *Aquam discentibus ministrat.* Et tamen possit, nec sine ratione, defendi quod in Pithœano legitur, *Atquin ipse lavandis*, etc. Nam hic de ministerio tantum, illic de aqua sermo est. Rig.

(d) *Patientiam Dei esse naturam.* Nam, ut ait Au-

Digitized by Google

artificium promerendi obsequium est, obsequii (1) vero disciplina, morigera subjectio est, quanto magis nos secundum Dominum moratos (2) inveniri oportet! Servos scilicet Dei vivi, cujus judicium in suos, non in compede aut pileo vertitur (*a*), sed in æternitate, aut pœnæ, aut salutis. Cui severitati declinandæ, vel liberalitati invitandæ, tanta obsequii diligentia opus est, quanta sunt ipsa, quæ aut severitas comminatur, aut liberalitas pollicetur. Et tamen nos non de hominibus modo servitute subnixis (*b*), vel quolibet alio jure debitoribus obsequii, verum etiam de pecudibus, etiam de bestiis obedientiam exprimimus, intelligentes usibus nostris eas a Domino (*c*) provisas traditasque. Meliora ergo nobis erunt in obsequii disciplina, quæ nobis Deus subdit? Agnoscunt denique, quæ obediunt, nos. Cui soli subditi sumus, Domino scilicet auscultare dubitamus? At quam injustum est, quam etiam ingratum, quod per alterius indulgentiam de aliis consequaris, idem illi per quem consequeris, de temetipso non rependere! Nec pluribus de obsequii exhibitione, debita a nobis Domino Deo. Satis enim agnitio Dei, quid sibi incumbat, intelligit. Ne tamen ut extraneum de obsequio videamur interjecisse, ipsum quoque obsequium de patientia trahitur. Nunquam impatiens obsequitur, aut patiens quis non (3) oblectatur (4). Quam ergo Dominus omnium bonorum et demonstrator et acceptor Deus in semetipso circumtulit, quis de bono ejus late (5) (*d*) retractet? Cui item dubium sit omne bonum, quia ad Deum pertineat, pertinentibus ad Deum tota mente sectandum? Per quæ in expedito (*e*) et quasi in præscriptionis compendio (*f*) et commendatio et exhortatio de patientia constituta (6) est.

CAPUT V.

Verumtamen procedere disputationem de necessariis fidei non est otiosum, quia nec infructuosum. Loquacitas in ædificatione nulla turpis, si quando turpis. Itaque si de aliquo bono sermo est, res postulat, contrarium quoque boni recensere. Quid enim sectandum sit, magis inluminabis (*g*), si quod vitandum sit proinde digesseris. Consideremus igitur de impatientia: an sicut patientia in Deo, ita adversaria ejus in adversario nostro nata atque comperta sit; ut ex isto appareat, quam principaliter fidei adversetur. Nam quod ab æmulo Dei conceptum est, utique non est amicum Dei rebus. Eadem discordia est rerum, quæ et auctorum. Porro cum Deus optimus, diabolus e contrario pessimus; ipsa sui diversitate testantur, neutrum alteri facere (7), ut nobis non magis a malo aliquid boni, quam a bono aliquid mali dictum (8) videri possit. Igitur natales impatientiæ (*h*) in ipso diabolo deprehendo, jam tunc cum Dominum Deum universa opera quæ fecisset, imagini suæ, id est homini subjecisse impatienter tulit (*Genes.*, III). Nec enim doluisset, si sustinuisset; nec invidisset homini, si non doluisset. Adeo (9) decepit eum, quia invide-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Obsequi *Rigalt.*
(2) Secundum Dominum morigeros *Pamelius legit ex 3 Vaticanis.*
(3) Non *abest Fran. Paris.*
(4) Obluctatur *Rigalt.*
(5) Latere *Fran. Paris.*
(6) Constituta *Fran. Paris.* in præscriptionis compendio de patientia constitutum est *Rigalt.*
(7) Favere *Wouwer. MS.*
(8) Editum *Fran. Paris. Rigalt.*
(9) Ideo.

COMMENTARIUS.

gustinus, *etiam infirmitas Dei fuit ex potestate.* (lib. XIV de Civit. Dei, cap. 9). Rig.

CAP. IV.—(a) *Non in compede aut pileo.* Compedes servitutis notæ erant, ut pileus libertatis. Unde Bruti numisma pileo duobusque pugionibus insignitum, quibus restitutam a se patriæ libertatem significabat. Mitto hic dicere Anacharsin scytham, adeoque servum, πῖλον assumpsisse in gymnasiis. Le Pr.

(b) *Servitute subnixis.* Hoc est, servis multo conatu et nisu allaborantibus. Auctor Poematum adversus Marcionem, Poem. 3.

Maluit afflictus populi portare labores
Subnixa cervice...

Et,

Pro patria quæ belligero subnixa labori. Rig.

(c) *Usibus nostris a Domino provisas.* Alludit ad illud Gen. I: *Dominamini piscibus maris*, etc.; item quod est Gen. IX: *Terror et tremor vester sit super omnia animantia*, etc. Pam.

(d) *Quis de bono ejus late retractet?* Quis de bono ejus satis unquam dixerit! Retractare, apud Tertullianum est, tractare, disputare, disserere. At in omnibus antiquis exemplaribus legitur: *Quis de bono ejus latere tractet?* Nec debuit mutari. Nam et commode explicari potest: Quis de bono ejus latere aut reticere apud se cogitet? Rig.

(e) *Per quæ in expedito.* Phrasis jurisconsultorum in expedito esse. Hinc illud Ulpiani l. si dubitet. ff. de fidejuss.: *Cum numeratio totius debiti non sit in expedito.* Similiter et illud: *In præscriptionis compendio.* Pam.

(f) *In præscriptionis compendio.* Præscribo in jure triplicem habet significationem, et omnes Tertulliano convenire possunt. Prima, præscribere est præfinire, ut præscriptum a testatore tempus, id est præfinitum. Ergo, cum Deus tanti fecerit hanc virtutem, habes compendiose præscriptum præfinitumque quid sentire de illa debeas. Altera significatio est, qua quis post rei alienæ usucapionem contra omnem litis intentationem, sibi hoc unico verbo consulit; itaque qui *præscripsit*, elidit, adimitque omnem actionem contra se, et litem quamcumque internecat. Quid ergo hoc verbo compendiosius? Igitur habes compendium, quo impugnantes patientiam elidas, si tantum dicas, *Domini est virtus*: quo verbo omnem actionem adimes, non aliter atque illi qui præscripsere. Tertia et propria est: nam præscriptio in jure est exceptio, et præscribere est excipere, aut exceptionem opponere, et actorem excludere; hoc sensu qui se judicio defendit, et crimen in adversarium transfert, cum illud refellit, dicitur adversario suo præscribere. Ergo habes compendium, quo præscribas tuis adversariis. Quod hoc compendium? Virtus est Dei, eam Deus magni habet, Deus in semetipso circumtulit. Lac.

CAP. V. — (g) *Magis illuminabis.* Vere spectat ad illuminationes Rhetorum. Itaque non audio illos, qui de baptismo nescio quid fingunt. Scio baptismum illuminationem dici, teste etiam Paulo; sed hic augurari aliquid de baptismo, insulsum est. Lac.

(h) *Natales impatientiæ.* Appellat impatientiæ natales, originem sive initium impatientiæ. Sic lib. I adv. Marc. *natales agnitionis* dixit; et lib. de Pallio, *natales mundi.* Rhen.

Digitized by Google

rat autem, quia doluerat. Doluerat, quia patienter utique non tulerat. Quid primum fuerit ille angelus perditionis, malus an (1) impatiens, contemno quærere; palam cum sit, impatientiam cum malitia, aut malitiam ab impatientia auspicatam, deinde inter se conspirasse, et individuas in uno patris sinu adolevisse. Atenim quam primus senserat, per quam delinquere intraverat (2), de suo experimento quid ad peccandum adjuvaret (3) structus (4) eamdem impingendo in crimen homini advocavit : conventa statim illi mulier, non temere dixerim per colloquium ipsum ejus afflata est spiritu impatientia infecto, usque adeo (5) nunquam omnino peccasset, si in (6) divino interdicto patientiam perservasset (7). Quid quod non sustinuit sola conventa ; sed apud Adam nondum maritum, nondum aures sibi debentem (*a*) impatiens etiam tacendi est, ac (8) traducem (*b*) illum ejus, quod a malo hauserat, facit (9). Perit igitur et alius homo, per impatientiam alterius ; perit mox et ipse per impatientiam suam utrobique commissam ; et circa Dei præmonitionem, et circa diaboli circumscriptionem (*c*), illam servare, hanc refutare non sustinens. Hinc prima judicii, unde delicti origo : hinc Deus irasci exorsus, unde offendere homo inductus. Inde in Deo prima patientia, unde indignatio prima. Qui tunc maledictione sola contentus, ab animadversionis impetu in diabolo temperavit. Aut quod crimen ante istud (10) impatientiæ admissum homini imputatur ? Innocens erat, et Deo de proximo amicus, et Paradisi colonus. At ubi semel succidit (11) impatientiæ desivit (12) Deo sapere, desivit cœlestia sustinere posse. Exinde (*d*) homo terræ datus, et ab oculis Dei ejectus, facile usurpari (13) ab impatientia cœpit (*e*) in omne quod Deum offendaret. Nam statim illa semine diaboli concepta, malitiæ fœcunditate, iram (14) filium procreavit, editum suis artibus erudiit (15). Quod enim (16) ipsum Adam et Evam morti immerserat, docuit et filium ab homicidio incipere (*Gen.*, IV). Frustra istud impatientiæ adscripserim, si Cain ille primus homicida, et primus fratricida, oblationes suas a Domino (17) recusatas æquanimiter nec impatienter tulit, si iratus fratri suo non est, si neminem denique interemit. Cum ergo, nec occidere potuerit, nisi iratus ; nec irasci, nisi impatiens : demonstrat quod per iram gessit ad eam referendum, a qua ira suggesta est. Et hæc quidem (18) impatientiæ tunc infantis quodammodo incunabula. Cæterum quanta mox incrementa, nec mirum. Nam, si prima deliquit, consequens est, ut quia prima, idcirco et sola sit matrix in omne delictum, defundens de suo fonte varias criminum venas. De homicidio quidem dictum est. Sed ira editum a primordio, etiam quascumque postmodum (19) causas sibi invenit, ad impatientiam ut ad originem sui confert. Sive enim quis inimicitiis, sive prædæ gratia id scelus conficit, prius est ut aut odii aut avaritiæ fiat impatiens. Quicquid compellit, sine impatientia sui non est ut perfici possit. Quis adulterium sine libidinis impatientia subiit ? Quod et si pretio in fœminis cogitur venditio illa pudicitiæ, utique impatientia contemnendi lucri ordinatur. Hæc, ut principilia (*f*) pœnes Dominum delicta. Nam ut compendio dictum sit, omne peccatum impatientiæ adscribendum. Malum impatientia est boni. Nemo impudicus non impatiens pudicitiæ, et improbus probitatis, et impius pietatis et inquietus quietis. Ut malus unusquisque fiat, bonus perseverare non poterit. Talis igitur excetra (20) (*g*)

LECTIONES VARIANTES.

(1) An *abest Rigalt.*
(2) Per quam primus deliquerat *Rhen.* primus delinquere intraverat *Cod. Pithœi.*
(3) Adjutaret *Fran. Paris. Wouw. MS.*
(4) Instructus *Wouw. MS.*
(5) Adeo ut nunquam *Wouw. MS.*
(6) In *abest Fran. Paris. Rigalt.*
(7) Præservasset *Fran. Rhen.*
(8) Ad *Seml.*
(9) Facit? *Lat. Jun. et deest Wouw. MS.*
(10) Aut quod crimen ante istud *Jun.* Quod crimen *Ciacc. Ciac.*
(11) Semel succubuit *alii, Jun. non probat.*
(12) Desinit—desinit *Rhen.*
(13) In usum occupari *Jun.*
(14) Mira *Jun.*
(15) Erudivit *Latin.*
(16) Quid enim *Latin.*
(17) Ad dominum *Rhen.*
(18) Et hæc quidem *abest Rhen. Fran.*
(19) Postea *Fran. Paris. Rigalt.*
(20) Exoedra *Jun.* exhedra *Paris* exedra *Rhen.*

COMMENTARIUS.

(a) *Nondum aures sibi debentem.* Alludit ad conjugum inter ipsos debita, quæ bona fide exsolvi etiam Apostolus voluit ; ita ut aures debeat conjux conjugi appellanti poscentique. Rig.

(b) *Ac traducem illum ejus quod a malo hauserat, facit.* In antiquis exemplaribus legitur, *ad traducem ad illum.* Quod etsi vitio non caret, tamen ostendit quid sincerum haberi debeat : *adtraducem illum ejus quod a malo hauserat, facit.* Evam, inquit, solam convenerat Satanas ; solam afflaverat spiritu impatientia infecto. At illa, impatiens etiam tacendi, pravam Satanæ suggestionem transfudit in suum Adam. Itaque ipsa fuit peccati tradux in Adam, exindeque illum fecit ejusdem peccati adtraducem, hoc est, administrum et collegam traducendo in communem prosapiam peccato. Rig.

(c) *Et circa diaboli circumscriptionem.* Deceptionem intelligit, qua diabolus Evam circumvenerat : hanc refutare debebat Adam. Circumscribere decipere significat. Et Ciceroni *circumscribere senatum*, est auctoritate senatum privare, tracta a fabris aut chirurgis metaphora, qui quæ præcisuri sunt, prius circumscribunt. Et revera primi parentes nostri a diabolo sunt circumscripti, cujus astu de paradiso sunt ejecti atque exilio damnati, omni jure possessionis sibi adempto. Rhen.

(d) *Exinde homo terræ datus.* Ipse, lib. de Pallio ; *Pellitus orbi ceu metallo datur.* Rig.

(e) *Facile usurpari ab impatientia cœpit.* Usurpant proprie, ad quos jus possessionis spectat. Sic impatientia veluti jam possidens hominem, facile eum ad quidvis traxit quod Deum offenderet. Rhen.

(f) *Hæc ut principalia.* Haud absimiliter S. Cyprianus, lib. de Bono pa. c. 5 : *Adulterium, fraus, homicidium, mortale crimen est.* Hoc interim notandum, quod quum S. Augustinus et alii recentiores delicta accipiant pro peccatis minoribus, Tertullianus in genere accipiat pro omni genere peccatorum ; ubi autem de gravioribus agit, addit : principalia, capitalia, mortalia. Pam.

(g) *Talis igitur excetra.* De exhedra interpretatus est locum hunc Rhenanus, nos tamen malumus alios

Digitized by Google

delictorum, cur non Dominum offendat improbatorem malorum? Annon ipsum quoque Israel per impatientiam semper in Deum deliquisse manifestum est, exinde cum oblitus brachii cœlestis, quo ægyptiis afflictationibus fuerat extractus, de Aaron sibi deos duces postulat, cum in idolum auri sui collationes defundit (*Exod.*, XVII)? tam necessarias enim Moysis cum Domino congredientis impatienter exceperat moras (*a*). Post mannæ escatilem pluviam (*b*), post petræ aquatilem sequelam desperant de Domino, tridui sitim non sustinendo. Nam hæc quoque illis impatientia a Domino exprobatur. Ac ne singula pervagemur, nunquam non per impatientiam delinquendo perierunt. Quomodo autem prophetis manus (1) intulerunt, nisi per impatientiam audiendi (*Act.*, VIII, *Sap.* II)? Domino autem ipsi, per impatientiam videndi (*c*). Quod si patientiam inissent, liberarentur.

CAPUT VI.

Ipsa adeo est, quæ fidem, et subsequitur, et antecedit (*Gen.*, XV). Denique Abraham Deo credidit, et justitiæ deputatus (2) ab illo (*d*) est : sed fidem ejus patientia probavit, cum filium immolare jussus est, ad fidei non tentationem dixerim, sed typicam contestationem (*e*). Cæterum Deus, quem justitiæ deputasset, sciebat. Tam grave præceptum, quod nec Domino perfici placebat, patienter et audivit, et si Deus voluisset, implesset. Merito ergo benedictus, quia et fidelis; merito fidelis, quia et patiens. Ita fides patientia illuminata, cum in nationes seminaretur per semen Abrahæ, quod est Christus (*Gal.*, III), et A gratiam legi superduceret, ampliandæ adimplendæque legi adjutricem suam patientiam præfecit, quod ea sola ad justitiæ doctrinam retro defuisset. Nam olim et oculum pro oculo, et dentem pro dente repetebant, et malum malo fœnerabant (*Exod.*, XXI; *Deut.* XIX) : nondum enim patientia in terris, quia nec fides ; scilicet interim impatientia occasionibus legis fruebatur. Facile erat, absente domino patientiæ et magistro (*f*). Qui postquam supervenit (*g*), et gratiam fidei patientia composuit, jam nec verbo quidem lacessere, nec *Fatue* quidem dicere sine judicii periculo licet. Prohibita ira, restricti (3) animi, compressa petulantia manus, exemptum linguæ venenum, plus lex quam amisit invenit, dicente Christo (*Matth.*, V, 44) : *Diligite inimicos vestros, et maledicentibus benedicite : et orate pro persecutoribus vestris,* B *ut filii sitis Patris vestri cœlestis.* Vides quem nobis patrem patientia acquirat? Hoc principali præcepto universa patientiæ disciplina succincta est, quando ne digne (4) quidem malefacere concessum est (*h*).

CAPUT VII.

Jam vero, percurrentibus nobis caussas impatientiæ, cætera quoque præcepta suis locis respondebunt. Si detrimento rei familiaris animus concitatur, omni pene in loco de contemnendo sæculo, Scripturis dominicis commonetur : nec major ad pecuniæ contemptum exhortatio subjacet, quam quod ipse Dominus in nullis divitiis invenitur. Semper pauperes justificat, divites prædamnat (*i*). Ita detrimentum (5) patientiæ fastidium opulentiæ (*j*) præministravit, demonstrans per abjectionem divitiarum, læsuras quoque C

LECTIONES VARIANTES.

(1) Manus prophetis *Rig.*
(2) Deputatum *Jun.*
(3) Restincti *Latin. Jun.*
(4) Linguæ *Fran.* fide *Pamel ex MS. et Jun. probat.*
(5) Detrimentorum *Wouw. MS.*

COMMENTARIUS.

sequi qui excetram, hoc est serpentem, seu hydram ab Hercule victam explicant. LE PR.

(a) *Impatienter exceperat moras.* Postremum istud vocabulum non legitur in codice Pithœi, ut in hoc commate repetendum de præcedenti videatur, *collationes*, Mosis videlicet cum Domino. RIG.

(b) *Post mannæ escatilem*, etc. De manna Hebræis in deserto vagantibus concessa loquitur, uti postea de aquæ abundatia quam Moses a Domino obtinuit, loca obvia sunt hac de re infinita, tum apud profanos, tum apud sacros scriptores. Nonnulla de his in animadvers. nostris diximus adversus Præadamitas; hic subjungam Salvianum, lib. 1. *de Gubern.* : *Rorantes escis cœlestibus polos, salientes rupibus aquas.* Satis quidem poetice. LE PR. D

(c) *Per impatientiam etiam videndi.* Per invidiam : nec enim patienter aut libenter videtur cui invidetur, et esse odio solet invidentibus. Sic Christus Judæis invisus, et, *Sciebat Pilatus traditum sibi a Judæis per invidiam.* RIG.

CAP. VI. — (d) *Justitiæ deputatus est ab illo.* In Abraham typica fidei contestatio. Neque enim illud ad fidem aliam quam vivam pertinere ipse Auctor hic indicat dum subjicit : *Sed fidem ejus patientia probavit ;* et paulo post ; *fides patientia illuminata.* Cui similem plane habes locum apud S. Cypr. epist. 63. PAM.

(e) *Sed typicam contestationem.* Hoc est, exemplum, figuram, sacramentum, mysterium. RIG.

(f) *Et magistro.* Ignatius Martyr. epist. ad Smyrnen. ait fideles eruditos a Patre per Filium, Πατέρα διὰ αὐτοῦ ὑμᾶς σοφίσαντα. Greg. Nyss. in opere de perfecta Christiani forma, loquens de Christo : ὁ τῷ σῷ βίῳ δι' ἑαυτοῦ νομοθετῶν τὸ μακρόθυμον : *Vitæ tuæ per seipsum leges patientiæ dedit.* LAC.

(g) *Qui postquam supervenit.* Credo ad eandem rem spectatum ab Hieronymo, epist. ad Marcellam, ubi : *Qui irascitur, non se esse judicat Christianum. Cur? Quia Christus, et lex nova ademit jam iram, quæ olim non ita vetita.* Et Cyprianus dixit : *Ipsa actum dirigit, ut tenere possimus viam Christi, dum per ejus tolerantiam gradimur.* LAC.

(h) *Ne digne quidem malefacere concessum est.* Sic habent antiquissima exemplaria; nec dubitandum quin ita scripserit Tertullianus, uti etiam edidit et rectissime explicavit Rhenanus. Evangelica lege non est concessum malum malo reddere, nec male meritis male facere, quamvis alias dignis talione, quibus adeo digne, hoc est, jure et merito male fieret. RIG.

CAP. VII. — (i) *Divites prædamnat.* Quasi in antecessum judicii supremi. RIG.

(j) *Ita detrimentum patientiæ*, etc. Obscura sententia; videtur sic intelligenda distinguendaque : Ita Dominus præministravit patientiæ detrimentum, subaudi *rei familiaris*, fastidium opulentiæ, contemptum divitiarum : appositive : ut sit sensus, Dominus primus ostendit patientia tolerandum esse detrimentum rei familiaris, dum docet divitias esse contemnendas. Sic apte cohærebit clausula quæ sequitur. RHEN.

Digitized by Google

eorum (*a*) computandas non esse. Quod ergo nobis appetere minime opus est quia nec Dominus appetivit, detruncatum vel etiam ademptum non ægre sustinere debemus. *Cupiditatem omnium malorum radicem* Spiritus Domini per Apostolum pronuntiavit (I *Tim.* VI, X). Eam non in concupiscentia alieni tantum constitutam interpretemur; nam et quod nostrum videtur, alienum est : nihil enim nostrum, quoniam Dei omnia, cujus ipsi quoque nos. Itaque si damno affecti impatienter senserimus (1), non de (2) nostro amissum dolentes, affines cupiditatis deprehendemur. Alienum quærimus, cum alienum amissum (3) ægre sustinemus. Qui damni impatientia concitatur, terrena cœlestibus anteponendo, de proximo in Deum peccat. Spiritum enim quem a Domino sumpsit, sæcularis rei gratia concutit. Libenter (4) igitur terrena amittamus, cœlestia tueamur. Totum licet sæculum pereat, dum patientiam lucrifaciam. Jam qui minutum sibi aliquid aut furto, aut vi, aut etiam ignavia, non constanter sustinere constituit, nescio an facile, vel ex animo, ipse rei suæ manum inferre posset in caussa eleemosynæ. Quis enim ab alio secari omnino non sustinens, ipse ferrum in corpore suo (5) ducit? Patientia in detrimentis, exercitatio est largiendi et communicandi. Non piget donare eum, qui non timet perdere. Alioquin quomodo duas habens tunicas, alteram earum nudo dabit, nisi idem sit, qui auferenti tunicam, etiam pallium offerre possit (*Matth.*, V)? Quomodo amicos de mammona fabricabimus nobis (*Luc.*, XVI), si eum in tantum amaverimus, ut amissum non sufferamus? Peribimus cum perdito. Quid hic invenimus, ubi habemus amittere (*b*)? Gentilium est, omnibus detrimentis impatientiam adhibere, qui rem pecuniariam (6) fortasse animæ anteponant. Nam (7) et faciunt, cum lucri cupiditatibus quæstuosa pericula mercimoniorum in mari exercent; cum pecuniæ caussa etiam in foro nihil damnationi timendum aggredi dubitant; cum denique ludo et castris (*c*) sese locant (*d*), cum per viam in mores bestiarum (*e*) latrocinantur. Nos vero secundum diversitatem, qua cum illis sumus, non animam pro pecunia, sed pecuniam pro anima deponere convenit, seu sponte in largiendo, seu patientes in amittendo.

CAPUT VIII.

Ipsam animam ipsumque corpus in sæculo isto expositum omnibus ad injuriam gerimus, ejusque injuriæ patientiam subimus; minorum deliberatione (8) (*f*) lædemur? Absit a servo Christi tale inquinamentum, ut patientia, majoribus tentationibus præparata, in frivolis excidat. Si manu quis tentaverit provocare (9), præsto est dominica moneta (*g*) : *Verberanti te* (inquit *Matth.*, V, 39) *in faciem, etiam alteram genam obverte.* Fatigetur improbitas patientia tua. Cujus (10) ictus ille sit, dolore et contumelia constrictus, gravius a Domino vapulat (*h*). Plus improbum illum cædis sustinendo; ab eo enim vapulabit, cujus gratia sustines. Si linguæ amaritudo maledicto sive convicio eruperit, respice dictum (*Matth.*, V, 12) : *Cum vos maledixerint, gaudete.* Dominus ipse maledictus in lege est (*Deut.*, XXI, 23), et tamen solus est benedictus (*Gal.*, III, 13). Igitur Dominum servi consequamur, et maledicamur patienter, ut benedicti esse possimus. Si parum æquanimiter audiam dictum aliquod in me protervum aut nequam, reddam et ipse amaritudinis vicem necesse est, aut cruciabor impatientia muta. Cum ergo percussero maledictus (11), quomodo secutus inveniar doctrinam Domini, qua traditum est (*Marc.*, VII, 15, 18), non vasculorum inquinamentis (*i*), sed eorum quæ

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Ita Rigalt. Semler.* Impatientes erimus *Paris. Leop.*
(2) De non nostro *Rig.*
(3) Dolentes *add. Fran.*
(4) Libentes *Fran. Rig.*
(5) Corpori suo *Rig.*
(6) Pecuniarum *Fran.*
(7) Quid *Latin.*
(8) Delibatione *Latin. Pith. et Rigalt. Statuunt scribi posse* : de liberatione. *Latinius emendavit* : de libatione.
(9) Provocari *Rhen.*
(10) Quivis *Fran. Paris. Rigalt.*
(11) Maledicto *Fran. Paris.* maledictus *Wouw. MS.*

COMMENTARIUS.

(a) *Læsuras quoque earum*, etc. Læsuras vocat detrimenta sive dispendia, quum aliquid de re familiari nostra amittitur. Potuisset dicere jacturas, sed placuit novum vocabulum. RHEN.

(b) *Quid hic invenimus, ubi habemus amittere?* Alludit ad verba Christi apud Matth. X, 39. *Qui invenerit animam suam, perdet eam : et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* RIG.

(c) *Cum denique ludo et castris.* Ludum gladiatorium intelligit, cujus præfectus lanista dicebatur ; per castra, militiam. RHEN.

(d) *Sese locant.* Fuit iste turpissimus acquirendi quæstus mos : nam honesto etiam loco nati, cum ad egestatem pervenerant, locabant, auctorabantque se ad ludum gladiatorium. Meminit hujus moris Seneca epist. 87. *Utrum se ad gladium locet, an ad cultrum.* Nihil mirum : nam quid paupertas non efficit? de qua Cyrill. Alex. hom. 5. de festis Paschalib. LAC.

(e) *Per viam in mores bestiarum latrocinantur.* Codex Pithœi, *per via in memores.* Vestigia sunt veræ lectionis quam fuisse arbitramur hujusmodi : *Per in-via in mores bestiarum latrocinantur.* Sic ipse lib. de Anima : *Quia et ipsa bestiis objecerit eos, quos in sylvis et aviis trucidaverit.* In mores bestiarum, hoc est, in morem bestiarum, more bestiarum. RIG.

CAP. VIII.—(f) *Minorum deliberatione lædemur.* Hanc scripturam constantissime servant libri veteres *minorum*, hoc est, pecuniæ. *Deliberatione* autem positum vi detur pro, *liberatione*. Et Christianæ philosophiæ scitum est, divitias inter impedimenta censeri. Eodemque sensu posset etiam legi, *Minorum de liberatione lædemur?* quod et Pithœo visum. RIG.

(g) *Dominica monela.* Sic monelam usurpat a *monendo* pro monitione, sicut a *sequendo* sequelam. RHEN.

(h) *Gravius a Domino vapulat.* Ictu contrario, seu repercussu divinæ ultionis. RIG.

(i) *Non vasculorum inquinamentis.* Quod apud Matth., cap. 15, legitur non semel, κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον, Tertullianus vertit *communicat*, quemadmodum etiam Aurelius Augustinus legit. Est autem κοινοῦν commune facere. Et quia Judæi, quod impurum est, id ipsi

Digitized by Google

ex ore promuntur, hominem communicari (1)? Item (*Matth.*, XII) : manere nos omnis vani et supervacui dicti reatum? Sequitur ergo ut a quo nos Dominus arcet, idem ab alio æquanimiter pati admoneat. Hic jam (2) de patientiæ voluptate. Nam omnis injuria, seu lingua, seu manu incussa, cum patientiam offenderit, eodem exitu dispungetur (*a*), quo telum aliquod in petra (3) constantissimæ duritiæ libratum (*b*), et obtusum. Coincidet enim ibidem irrita opera et infructuosa, et nonnunquam repercussum in eum, qui emisit, reciproco impetu sæviet. Nempe idcirco quis te lædit, ut doleas : quia fructus lædentis in dolore læsi est. Ergo cum fructum ejus everteris, non dolendo, ipse doleat necesse est amissione fructus sui : tunc tu non modo illæsus abis (4), quod etiam solum tibi sufficit, sed insuper adversarii tui et frustratione oblectatus, et dolore defensus. Hæc est patientiæ utilitas et voluptas (5).

CAPUT IX.

Ne illa quidem impatientiæ species excusatur in amissione nostrorum, ubi aliqua doloris patrocinatur affectio (6). Proponendus est (7) enim respectus denunciationis Apostoli qui ait (*I Thess.*, IV) : *Ne contristemini dormitione cujusquam, sicut nationes quæ spe carent.* Et merito. Credentes enim resurrectionem Christi, in (8) nostram quoque credimus, propter quos ille et obiit et resurrexit. Ergo cum constet de resurrectione mortuorum, vacat dolor mortis, vacat et impatientia doloris. Cur ergo (9) doleas, si periisse non credis? Cur impatienter feras subductum interim, quem credis reversurum? Profectio est, quam putas mortem. Non est lugendus qui antecedit, sed plane desiderandus. Id quoque desiderium patientia temperandum. Cur enim immoderate feras abiisse, quem mox subsequeris? Cæterum impatientia in hujusmodi, et spei nostræ male ominatur, et fidem prævaricatur. Et Christum lædimus, cum evocatos quosque ab illo quasi miserandos non æquanimiter accipimus. *Cupio*, inquit Apostolus (*Phil.*, I), *recipi* (*c*) *jam et esse cum Domino.* Quanto melius (*d*) ostendit votum Christianorum? Ergo votum (10) si alios consecutos impatienter dolemus, ipsi consequi nolumus.

CAPUT X.

Est et alius summus impatientiæ stimulus, ultionis libido, negotium curans aut gloriæ, aut malitiæ. Sed et gloria utique vana, et malitia nunquam non Domino odiosa, hoc quidem loco (11) maxime, cum alterius (12) malitia provocata superiorem (*e*) se in exsequenda ultione constituit, et remunerans nequam duplicat quod semel factum est. Ultio penes errorem (*f*) solatium videtur doloris, penes veritatem certe (13) redarguitur malignitatis (*g*). Quid enim refert inter provocantem et provocatum, nisi quod ille prior (*h*) in maleficio deprehenditur, at ille posterior? Tamen uterque læsi hominis Domino reus est, qui omne (14) nequam et prohibet et damnat. Nulla in maleficio ordinis ratio est; nec locus secernit, quod similitudo conjungit. Absolute itaque præcipitur (*i*) malum malo non rependendum (*Rom.* XII). Par factum, par habet (15) meritum. Quomodo id observa-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Coinquinari *alii*.
(2) Admoneat etiam *Jun.*
(3) Petram *Jun.*
(4) Ibis *Rhen.*
(5) Voluntas *Rhen.*
(6) Assertio *Rhen.*, *forte :* dolori p. affectio.
(7) Proponemus *Wouw. MS.* præponendus est *Rhen.*
(8) In *abest Jun.*
(9) Enim *Fran.*
(10) *Jun. distinguit :* Quanto melius ostendit votum? Christianorum ergo votum etc.
(11) Cum *addit Fran.*
(12) Ab alterius *Fran.*
(13) Certe *Wouw. MS.* certam *Rhen.*
(14) Omnem *Fran. Paris.*
(15) Habet et meritum *Wouw. MS.*

COMMENTARIUS.

commune vocant, factum est ut κοινοῦν sive communicare, sit illis coinquinare, ceu vetus evangeliorum editio habet in quibusdam exemplaribus præcipue nostris. Erasmus elegantissime vertit, impurum reddere. RHEN.

(a) *Eodem exitu dispungetur.* Dispungere delere est et inducere, sumpta translatione a ceratis tabulis nomina continentibus, in quibus ea quæ dissoluta sunt graphio dispunguntur, delenturque. Nam hoc verbum ad ratiocinia pertinere docet Ulpianus jureconsultus, cum, inquit, dispungere est conferre accepta et data ff. de verborum significationibus. RHEN.

(b) *Quo telum.* Librare hic pro magna vi conjicere accipit imitatus illud Virgilii, IX. Æneid. : *summa telum librabat ab aure.* Alioqui significatio propria longe alia est, pro ponderare. PAM.

CAP. IX.—(c) *Cupio, inquit Apostolus, recipi.* Optime vulgatus codex habet *dissolvi*, nam in græco est ἀναλῦσαι. La Cerda tuetur interpretationem hanc *recipi* ingeniosa explicatione, sed parum vera; aliis in locis versionem hanc sequitur Septimius, ut cap. 28 de spect., et c. 5 lib. I ad Uxorem. LE PR.

(d) *Quanto melius ostendit votum christianorum.* Repetendum de superioribus, *quam Nationum quæ spe carent.* RIG.

CAP. X. —(e) *Superiorem se in exsequendo.* Constituere se superiorem in ultione, erit gerere se instar principis, et sibi arrogare judicis potestatem. LAC.

(f) *Penes errorem.* Penes ethnicos. Sic penes veritatem, id est, penes Christum. RIG.

(g) *Certe redarguitur malignitatis.* Rhenanus edidit. *Penes veritatem certam redarguitur malignitatis.* Placet emendatio, *certamen redarguitur malignitatis.* Hanc emendationem confirmat Augustinus, et Septimii verba habuisse videtur præ oculis, cum ita scripsit in psal. 36 : *Contende cum malo, sed de bonitate ; ipsa est enim vera contentio, vel potius certamen salubre, ut sit bonus contra malum, non ut sint duo mali.* RIG.

(h) *Ille prior in maleficio deprehenditur.* Etenim reddere malum pro malo, sive ἀνταποδοῦναι, quid est aliud quam ἀντιδικῆσαι δεύτερον. Clem. Alex. Strom. VII.

(i) *Absolute itaque præcipitur.* Quin hanc esse summam christianæ disciplinæ ait Ambros., serm. X : *Hæc enim nostræ christianitatis summa est, ut amantibus vicissitudinem, lædentibus patientiam rependamus* LAC.

Digitized by Google

binus, si fastiditi (*a*) ante in fastidio (1) ultionis non erimus? Quem autem honorem litabimus Domino Deo si nobis arbitrium defensionis arrogaverimus? Nos utres (2), vasa fictilia, servulis nostris, assumentibus sibi de conservis ultionem, graviter offendimur; eosque qui nobis patientiam obtulerint suam, ut memores humilitatis, servitutis, jus dominici honoris diligentes, non probamus modo, sed ampliorem, quam ipsi sibi præsumpsissent, satisfactionem facimus. Id nobis in Domino tam justo ad æstimandum, tam potenti ad perficiendum periclitatur? Quid ergo credimus judicem illum, si non et ultorem? Hoc se nobis repromittit, dicens (*Deut.*, XXXII) : *Vindictam mihi* (*b*) *et ego vindicabo*; id est, Patientiam mihi, et ego patientiam remunerabo. Cum enim dicit (*Matth.*, VII) *Nolite judicare, ne judicemini*, nonne patientiam flagitat? Quis enim non judicabit alium nisi qui patiens erit non defendendi (3)? Quis idcirco judicat (4), ut ignoscat? Ac si ignoscet, tamen judicantis impatientiam (5) cavit (*c*), et honorem unici judicis, id est Dei, abstulit. Quantos vero casus hujusmodi impatientia incursare (6) consuevit (7)! Quotiens pœnituit defensionem! Quotiens instantia ejus deterior (*d*) facta (8) est caussis suis! Quoniam nihil impatientia susceptum, sine impetu transigi novit; nihil impetu actum, aut non offendit, aut corruit, aut præceps abiit. Jam si levius defendaris, insanies: si uberius, oneraberis. Quid mihi cum ultione, cujus modum regere non possum per impatientiam doloris? Quod si patientiæ incubabo (*e*), non dolebo : si non dolebo, ulcisci non desiderabo.

CAPUT XI.

Post has principales impatientiæ materias, ut potuimus, regestas, quid inter cæteras evagemur? Quæ domi, quæ foris (*f*)? Lata atque diffusa est operatio mali (9) : multiplicia spiritus incitamenta jaculantis, et modo parvula, modo maxima. Sed parvula de sua mediocritate contemnas, maximis pro sua exsuperantia (10) cedas. Ubi minor injuria, ibi nulla necessitas impatientiæ (11). At ubi major injuria, ibi necessarior (*g*) injuriæ medela, patientia (12). Certemus igitur quæ a malo infliguntur, sustinere, ut hostis studium æmulatio nostræ æquanimitatis eludat. Si vero quædam ipsi in nos, aut imprudentia, aut sponte etiam superducimus, æque patienter obeamus, quæ nobis imputamus. Quod si a Domino nonnulla credimus incuti, cui magis patientiam quam Domino præbeamus? Quin (13) insuper gratulari et gaudere nos docet (14), dignatione divinæ castigationis. *Ego*, inquit, *quos diligo, castigo*. O servum illum beatum, cujus emendationi dominus instat! cui dignatur (*h*) irasci, quem admonendi dissimulatione non decipit! Undique igitur adstricti sumus officio patientiæ administrandæ. Quaqua ex parte, aut erroribus nostris, aut mali in-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Fastidientes, in fastidio *Rhen.*
(2) Putres *Rhen.*
(3) Defendi *Rhen. Jun. mavult.* defendi?
(4) Judicet *Fran.*
(5) Patientiam *Latin.*
(6) Incusare *Rhen.*
(7) Consueverat *Rhen.*
(8) Inventa *Rhen.*
(9) Operatio. Mali *distinguunt alii.*
(10) Exuberantia *Paris.*
(11) Patientiæ *Latin.*
(12) Patientiæ *Fran. Paris.*
(13) Qui insuper *Jun.*
(14) Decet *Latin.*

COMMENTARIUS.

(a) *Si fastiditi ante, in fastidio ultionis non erimus?* Sic legitur in codice Ursini. Alii, *Si fastidientes in fastidio ultionis non erimus*, frigidissimo sensu. Itaque legimus, *Si fastidientem fastidio ultionis nocuerimus.* Fastidimur ab adversario, qui nos odio habet : quem si vicissim odio habemus et fastidio, jam fastidientem refastidimus, et malum malo rependimus, et præceptum Domini non observamus. Nocere fastidientem dixit hoc loco Septimius, ut nocere nascentem, lib. de Exh. Castitatis. Rig.

(b) *Vindictam mihi.* Expendatur locus Gregorii Nyss. in ep. ad Flavianum, ubi loquens de injuria sibi facta, cum præmiserit non esse condonandam petulantiam inimici, imo deprimendam ejus superbiam coercendumque inanem illius fastum : Cum hæc, inquam præmiserit, ita ut lector possit putare in vindictam sui aspiraturum Gregorium, egregie legentes fallit subjiciens : ὅπως δ' ἂν γένοιτο θεὸς μελήσει ; *ut autem id fiat, Deo erit curæ.* Id est, injuria mihi facta Deum habet ultorem; illi permitto qui meas audit querelas. Lac.

(c) *Tamen judicantis impatientiam cavit.* Hoc est, adhibuit impatientiam judicantis, seu persequentis injuriam judicio. Cavit impatientiam injuriæ, actionem ejus aggressus judicio, etsi non peregit. Cavit, tanquam periclitaretur reposita apud Deum ultio ; eaque cautione honorem unici judicis, id est Dei, abstulit. Cavere impatientiam dixit Tertullianus eadem forma qua Ulpianus et Scævola, Cavere chirographum, lib. V; D. Commodati, et lib. LXXXIX. De solut. et liber. quod est, Cavere per chirographum. Sic cavere impatientiam, hoc est, Cavere per impatientiam, prospicere sibi ultionem per impatientiam injuriæ. Rig.

(d) *Instantia ejus deterior facta est caussis suis.* Institit acrius et asperius æquo. Non suberat causa tam sævæ tamque atrocis aut pertinacis instantiæ. Exegit plus quam lex ulla dolori concessit. Rig.

(e) *Quod si patientiæ incubabo.* Incubare pro indormire, translatione sumpta a rebus caris, quas ne perdamus, etiam cum dorminus, nobis supponimus custodiæ caussa. Cyprianus, de Eleemos. : *Quid divitiis tuis solis incubas?* sic in libro de Præscript. Tertullianus, et de Resurrect. carnis. Rhen.

CAP. XI. — (f) *Lata atque diffusa est operatio mali.* Sic lib. de Idolol., cap. 2., dixit : *Non in modico consistere diaboli ingenium*, et *christianos adversus diaboli latitudines muniri.* Rig.

(g) *Ibi necessarior.* Comparativum inusitatum. Sic necessarius dixit in neutro, lib. de Carne Christi. *Quasi*, inquit, *necessarius aliquid afferrent.* Rhen.

(h) *Cui dignatur irasci.* Præclare; nam iræ Dei in nos procedunt ex mera ejus dignatione et misericordia, ut corrigamur. Uxor Juliani Apostatæ, pia et sancta fœmina, cum videret impium maritum supplicio affectum a Deo, dixit illi ut est apud Theodorit., lib. III, cap. 12. οὐδὲ γὰρ ἂν ἔγνως τίς ὁ παρά σου πολεμούμενος, εἰ τῇ συνηθεῖ μακροθυμίᾳ χρησάμενος ταύτας σοι θεηλάτους πληγὰς οὐκ ἐπήγαγεν ; *Plane ignorasses quem oppugnasti, nisi sueta sua lenitate usus has plagas divinitus tibi inflixisset.* Lac.

Digitized by Google

sidiis, aut admonitionibus Domini intervenit (a) usus, ejus officii magna merces, felicitas scilicet. Quos enim felices Dominus, nisi patientes nuncupavit, dicendo : *Beati pauperes spiritu, illorum est enim regnum cœlorum* (*Matth.*, V.)? Nullus profecto spiritu pauper, nisi humilis; quis enim humilis, nisi patiens? quia nemo subjicere sese potest, sine prima patientia subjectionis ipsius. *Beati*, inquit, *flentes atque lugentes.* Quis talia sine patientia tolerat? Itaque talibus et advocatio (b) et risus promittitur. *Beati mites.* Hoc quidem vocabulo impatientes non licet omnino censeri. Item cum pacificos eodem titulo felicitatis notat, et filios Dei nuncupat, numquid impatientes pacis affines? Stultus hoc (1) senserit. Cum vero, *gaudete et exultate*, dicit, *quotiens vos maledicent et persequentur, merces enim vestra plurima in cœlo;* id utique non exultationis impatientiæ pollicetur, quia nemo in adversis exultavit (2), nisi ante ea contempserit; nemo contemnet, nisi patientiam gesserit.

A

B

CAPUT XII.

Quod ad pacis gratissimæ Deo attinet disciplinam, quis omnino impatientiæ natus vel semel ignoscet (3) fratri suo (non dicam septies, sed et (4) septuagies septies (*Matth.*, XVIII)? quis judicium (5) cum adversario suo dirigens, (*Luc.*, VI; *Matth.*, V), negotium convenientia (c) solvet, nisi prius animi dolorem, duritiam, amaritudinem, venena scilicet impatientiæ amputarit? Quomodo remittes, et remittetur tibi, si tenax injuriæ per absentiam patientiæ fueris? Nemo convulsus animum in fratrem suum munus apud altare perficiet, nisi prius reconciliando fratri reversus ad patientiam fuerit. Sol super iram nostram si occiderit, periclitamur. Non licet nobis una die sine patientia manere. Atenim cum omnem speciem salutaris disciplinæ gubernet (*Eph.*, IV.), quid mirum quod etiam pœnitentiæ ministrat, solitæ lapsis subvenire, cum, disjuncto matrimonio, ex ea tamen causa, qua licet feu viro, seu fœminæ ad viduitatis perseverantiam sustineri, hæc exspectat (d), hæc exoptat, hæc exorat (6) pœnitentiam quandoque inituris salutem. Quantum (7) boni utrique confert! alterum non adulterum (8) facit (e), alterum emendat. Sic et illis dominicarum similitudinum exemplis de patientia sanctis adest. Erroneam ovem patientia pastoris (f) requirit et invenit. Nam impatientia unam facile contemneret. Sed laborem inquisitionis patientia suscipit, et humeris insuper advehit bajulus patiens peccatricem derelictam. Illum quoque prodigum filium patientia patris et recipit, et vestit, et pascit, et apud impatientiam irati fratris excusat. Salvus est igitur qui perierat, quia pœnitentiam iniit. Pœnitentia non perit (9), quia patientiam invenit. (g) Nam dilectio summum fidei sacramentum, Christiani nominis thesaurus, quam Apostolus totis viribus Sancti Spiritus commendat, cujus nisi patientiæ disciplinis eruditur? *Dilectio*, inquit, *magnanimis* (h) *est.* Ita patientiam sumit. *Benefica est*; malum patientia non facit. *Non æmulatur*; id quidem patientiæ proprium est. *Nec protervum sapit;* modestiam de patientia traxit. *Non inflatur*, non pro-

C

D

LECTIONES VARIANTES.

(1) Hæc *Fran. Paris* hoc *Jun. mavult.*
(2) Exultabit *Fran. Paris.*
(3) Ignoscit *Rhen.*
(4) Vel *Latin. Jun.*
(5) Quis judicem *Rhen.*
(6) Hæc exhortatur *Paris.*
(7) Salutem? quantum etc. *Jun.*
(8) Adulterum non *Fran. Paris. Jun.*
(9) Pœnitentia non periit. *Jun.*

COMMENTARIUS.

(a) *Aut admonitionibus Domini intervenit.* Intervenimus erroribus nostris aut mali insidiis, cum nos illis opponimus, non consentiendo, sed evitando potius. Sic olim tribunus senatusconsultis intercedebat. At admonitionibus Domini intervenimus, cum illis obsequimur. RHEN.

(b) *Talibus advocatio et risus promittitur.* Advocatio, παράκλησις, consolatio. Sic *voces advocationis*, id est, consolationis. *Advocare languentes*, id est consolari ægrotantes. *Advocator pauperum*, id est consolator. RIG.

CAP. XII. — (c) *Negotium convenientia solvet.* Hoc est, conventione, pacto amicabili. RIG.

(d) *Hæc exoptat, hæc exorat.* Patientia non solum exspectat atque exoptat, verum etiam extorquet pœnitentiam, hoc est cogit eos quos sic æquanimiter tolerat, ad pœnitentiam faciendam, ut aliquando salutem inire possint, Et quia addit, *solitæ lapsis subvenire*, loqui videtur de christianis, seu viris seu fœminis, qui se ethnicis in matrimonio conjungunt. Hic aliquando contingebat, ut uxor christiana marito ethnico tandem continentiam persuaderet, quam amplexus ille servabat; mulier vero pœnitentiam agebat, atque prius factum expiabat apud Ecclesiam, juxta ritum ejus temporis; atque hoc est quod sequitur. *Quantum boni utrique confert! alterum adulterum non facit, alterum emendat.* Consentit quod infra dicit, Pœnitentiam exoptat, exomologesin assignat. RHEN.

(e) *Alterum adulterum non facit.* Sic Rhenanus, editione postrema; sic Pamelius; sic alii. At in antiquissimis exemplaribus legitur, *alterum ad alterum non facit;* quod ab ipso esse Tertulliani stylo facile adducimur credere. Disjuncto, inquit, ex caussa adulterii matrimonio, patientia intercedit, ac plurimum boni utrique confert : alterum non facit, hoc est, conjugem, repudiata conjuge adultera, non mittit ad alterum conjugium. Sic est omnino : Non facit, non mittit, vadere non sinit. Ut libro de Pallio : *Quæ ad illum ex Lybia Ammon facit*, hoc est, venit. RIG.

(f) *Patientia pastoris.* Id est Christi, qui pastor patientissimus, Ignat. Mart. ep. ad Philadelph. ποιμένος πραοτάτου, *pastoris mansuetissimi.* Greg. Naz. orat. 1. inter Christi elogia, etiam hoc habet. Sic et a Petro Chrysol. serm. 6. Christus dicitur *pastor misericors*, datque eidem *pastoralem disciplinam et lenitatem.* LAC.

(h) *Dilectio summum fidei sacramentum.* Quæ vel sola exhibet in se συλλήβδην omnes virtutes christianas. RIG.

(h) *Dilectio, inquit, magnanimis est.* Paulinum verbum, μακροθυμεῖ, vertit Tertullianus, *magnanimis est;* quod vocabulum latinis insolens est; sed suo more loqui solet. Cyprianus æmulator Tertulliani, sed styli purioris : *Caritas*, inquit, *magnanima est.* Idem μακροθυμίαν *magnanimitatem* reddidit in libro de Eleemosyna. Aliis placet magis *longanimis* et *longanimitas.* RHEN.

Digitized by Google

terit (1) (*a*); non enim ad patientiam pertinet. *Nec sua requirit*, si offert sua (2), dum alteri prosit : *nec incitatur ;* cæterum (3) quid impatientiæ reliquisset ? *Ideo*, inquit, *dilectio omnia sustinet*, *omnia tolerat*, utique quia patiens. Merito ergo nunquam excidet ; nam cætera evacuabuntur, consummabuntur. Exhauriuntur (4) linguæ, scientiæ, prophetiæ ; *permanent fides*, *spes*, *dilectio :* fides, quam Christi patientia induxit : spes, quam hominis patientia exspectat ; dilectio, quam, Deo magistro, patientia comitatur.

CAPUT XIII.

Usque huc de patientia tandem (5) simplici et uniformi, et tantum in animo constituta ; cum eadem (6) etiam in corpore, demerendo Domino multipliciter allaboret, utpote quæ ab ipso Domino in corporis quoque virtute edita est, siquidem rector animus facile communicat spiritus invecta (7) cum habitaculo suo. Quæ igitur negotiatio patientiæ in corpore ? In primis afflictatio carnis, hostia Domino placatoria per humiliationis sacrificium, cum sordes cum angustia (8) victus Domino libat, contenta simplici pabulo puroque aquæ potu, cum jejunia conjungit, cum cineri et sacco inolescit (*b*). Hæc patientia corporis precationes commendat, deprecationes affirmat : hæc aures Christi (9) Dei aperit (*c*), severitatem dispergit, clementiam elicit (*Dan.*, IV). Sic ille rex Babylonius, offenso Domino ; cum squalore et pœdore septenni ab humana forma exulasset, immolata patientia corporis sui, et regnum recuperavit, et quod optabilius homini est, satis Deo fecit. Jam, si altiores et feliciores gradus corporalis patientiæ digeramus, eadem sanctitati quoque procurat continentiam (10) carnis (*Matth.*, XIX). Hæc et viduam tenet, et virginem assignat, et voluntarium spado-

A nem ad regna cœli levat. Quod de virtute animi venit, in carne perficitur, carnis patientia in persecutionibus denique præliatur. Si fuga urgeat, adversus incommoda fugæ caro militat. Si et carcer premat (11), caro in vinculis, caro in ligno (*d*), caro in solo (*e*), et in illa paupertate lucis, et (*f*) in illa penuria (12) mundi. Cum vero producitur ad experimentum felicitatis, ad occasionem secundæ intinctionis (*g*), ad ipsum divinæ sedis ascensum, nulla plus illic quam patientia corporis : Si *spiritus promptus*, sed *caro* sine patientia *infirma* (*Matth.*, XXVI), ubi salus spiritus et carnis ipsius. At quum hoc Dominus de carne dicit, infirmam pronuntians, quid ei firmandæ opus sit, ostendit, patientia scilicet adversus omnem subvertendæ fidei vel puniendæ (*h*) paraturam (13), ut ver-

B bera, ut ignem, ut crucem, bestias, gladium constantissime toleret, quæ Prophetæ, quæ Apostoli sustinendo vicerunt.

CAPUT XIV

His patientiæ viribus secatur Isaias, et de Domino non tacet. Lapidatur Stephanus, et veniam hostibus suis postulat (*Act.* VII). O felicissimum illum quoque, qui omnem patientiæ speciem adversus omnem diaboli vim expunxit, quum non abacti greges, non illæ in pecore divitiæ, non filii uno ruinæ impetu adempti, non ipsius denique corporis in ulcere (14) cruciatus a patientia et fide Domino debita (15) exclusit, quem diabolus totis viribus frustra cæcidit (*Job*, I) ! Neque enim a respectu Dei tot doloribus avocatus ille est ; sed constitit nobis in exemplum et testimonium, tam

C spiritu quam carne, tam animo quam corpore patientiæ perpetrandæ (16) ; ut neque damnis sæcularium, nec amissionibus carissimorum, nec corporis quidem conflictationibus succidamus (*i*). Quale in illo viro feretrum (*j*) Deus (17) diabolo exstruxit (*Joh*, II) !

LECTIONES VARIANTES.

(1) Protervit *Fran. Paris.*
(2) Sed offert *Latin.*
(3) Cæteroquin *Latin.*
(4) Exhaurientur *Jun.*
(5) Tantum *Jun.*
(6) Eamdem *Rhen. Rigalt.*
(7) Invicta *Wouw. MS.*
(8) Quum angustiam *Wouw. MS.*
(9) Christi et Dei *Jun.*
(10) Continentia *Pet. Ciac.*
(11) Præveniat *Fran.*
(12) Patientia *Rhen.*
(13) Paratum *Paris.*
(14) vulnere *Rhen.*
(15) Dedita *Rhen.*
(16) Perpetuandæ *Jun.*
(17) De *addit Fran. Paris.*

COMMENTARIUS.

(a) *Non inflatur, non proterit.* De superbia explicat La Cerda, eorum scilicet qui nimium sibi arrogantes alios proterunt. legunt alii *proteruit.* Erasmus non male vertit, *non est procax*, hoc est, ut ex græcis quibusdam scholiis interpretatur, non extollit sese neque ostentat. Le pr.

CAP. XIII.—(b) *Cineri et sacco inolescit.* Hoc est, præ D assuetudine pœnitentiam familiarem sibi reddit, ac veluti naturalem. Desumitur metaphora ab arboribus, quæ insitæ in alias arbores et inoculatæ cibo et alimento assuescunt per truncum educto et attracto. Le Pr.

(c) *Aures Christi Dei aperit.* Benignum et facilem nobis Deum præstat, adeo ut petitionibus nostris precibusque aures non obstruat. Le Pr.

(d) *Caro in ligno.* In lignea compede. Sic in Actis Apost. cap. 16. τοὺς πόδας αὐτῶν ἠσφαλίσατο εἰς τὸ ξύλον. Quod vulgata versio sic reddidit latine : *Pedes eorum strinxit ligno.* Rig.

(e) *Caro in solo.* In solitudine, in tristitia desolationis ; vel, in nuda humo, silice in nuda. *Idem.*

(f) *In illa penuria mundi.* In omnium rerum egestate. ἐν ἐρημίᾳ, quæ ab Arriano in lib. de Epicteto, elegantissime dicitur, κατάστασις τις ἀβοηθήτου,, id est, *Status hominis adjutorio destituti.* Rig.

(g) *Ad occasionem secundæ intinctionis.* Secundi baptismi, hoc est martyrii. Rig.

(h) *Fidei puniendæ.* Hoc est, pœnis ac tormentis exercendæ probandæque. Rig.

CAP. XIV. — (i) *Quasi in illo viro feretrum Deus diabolo exstruxit.* Sic veteres libri. Est autem feretrum, νεκροφορεῖον quo mortuus effertur. Itaque dicitur Jobus feretrum fuisse Diabolo, quia in Jobi patientissimi corpus omnes Satanæ impetu sic usque contusi sunt et commortui. Rig.

(j) *In illo viro feretrum, etc.* Inter instrumenta triumphi feretrum est, in quo pompa fertur. Intellige in quo diabolus triumpharetur, Deo trophæum statuente. Nam Job per divinam gratiam diabolum vicit, impatientiæ neutiquam succumbens, quasi dicat ;

Digitized by Google

Quale vexillum de inimico gloriæ suæ extulit, cum ille homo, ad omnem acervum (1) nuntiorum (*a*) nihil ex ore promeret, nisi Deo gratias; cum uxorem jam malis delassatam, et ad prava remedia suadentem exsecraretur. Quid? Ridebat (2) Deus. Quid? Dissecabatur malus : cum Job immundam ulceris sui redundantiam magna æquanimitate destringeret; cum erumpentes bestiolas (*b*) inde in eosdem specus (*c*) et pastus reformosæ (3) carnis (*d*) ludendo revocaret. Itaque operarius ille victoriæ Dei, retusis omnibus jaculis tentationum lorica clypeoque patientiæ, et integritatem mox corporis a Deo recuperavit (4), et quæ amiserat conduplicata (5) possedit. Et si filios quoque restitui (*e*) voluisset, pater iterum vocaretur. Sed maluit in illo die reddi sibi. Tantum gaudii, securus sic de Domino, distulit; sustinuit tam (6) voluntariam orbitatem, ne sine aliqua patientia viveret.

CAPUT XV.

Adeo satis idoneus patientiæ sequester Deus. Si injuriam deposueris penes eum, ultor est; si damnum, restitutor est; si dolorem, medicus est; si mortem, ressuscitator est. Quantum patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem! Nec immerito. Omnia enim placita ejus tuetur : omnibus mandatis ejus intervenit. Fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adjuvat, humilitatem instruit, pœnitentiam exspectat, exomologesim adsignat, carnem regit, spiritum servat, linguam frænat, manum continet, tentationes inculcat, scandala pellit, martyria consummat, pauperem consolatur, divitem temperat, infirmum non extendit (*f*), valentem non consumit (*g*), fidelem delectat, gentilem invitat, servum domino, dominum Deo commendat, fœminam exornat, virum approbat : amatur in puero, laudatur in juvene, suspicitur in sene; in omni sexu, in omni ætate formosa est. Age jam, si (7) et effigiem habitumque ejus comprehendamus. Vultus illi tranquillus et placidus, frons pura, nulla mœroris aut iræ rugositate contracta; remissa æque in lætum modum supercilia, oculis humilitate, non infelicitate, dejectis. Os taciturnitatis honore signatum. Color, qualis securis et innoxiis. Motus frequens capitis in diabolum, et minax risus. Cæterum amictus circum pectora candidus, et corpori impressus, ut qui nec inflatur, nec inquinatur (8). Sedet enim in throno spiritus ejus mitissimi et mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo livet, sed est teneræ serenitatis apertus et simplex, quem tertio vidit Elias (*h*). Nam ubi Deus, ibidem et alumna ejus, patientia scilicet (*Matth.*, XVII) : cum ergo spiritus Dei

LECTIONES VARIANTES.

(1) Acerbum nuntium *Fran. Paris.*
(2) Qui deridebat deus ? *Jun.*
(3) Foraminosæ *Fran. Paris. alii* reformatæ, *vel* refossæ, *vel* reforatæ; formicosæ *Jun.*
(4) Recuperatam *Rhen.*
(5) Reduplicata *Fran. Paris.* centuplicata *Rhen.*
(6) Tum *Jun.* jam *Womw.* MS.
(7) Sis *Jun.*
(8) Inquietatur *Rhen.*

COMMENTARIUS.

Quale trophæum de diabolo Deus erexit! Olim circumferebantur arma devictarum gentium in pompa, mox suspendebantur; apte ergo loquitur : Quale vexillum. RHEN.

(a) *Ad omnem acervum nuntiorum.* Sic etiam libri veteres, et recte; nam tristia illa quam plurima nuntiata sunt Jobo confertim : *Adhuc illo loquente*, inquit Scriptura. Deinde : *Adhuc illo loquente*, etc. RIG.

(b) *Erumpentes bestiolas.* Non video cur Pamelius id arguere possit; quod in toto libro vix ulla fiat bestiolarum mentio. Patientiæ enim illud miraculum, cum in putredinem fluxerit totus, corpusque vermibus undequaque scateret. Minime mirum, si ita loquatur Tertullianus. LE PR.

(c) *In eosdem specus et pastus reformosæ carnis.* Sic emendavimus, vestigia secuti veterum exemplarium, in quib. legitur, *reformasse.* Reformosam carnem Jobi dixit, ulceribus deformem, et vermiculante purulentia scatentem. RIG.

(d) *Reformosæ carnis.* Ita Rigaltius. Olim *refossæ et reforatæ* habebatur; sed Rhenanus correxit, *foraminosæ*; fortasse melius; ejus quippe corpus undique perforatum erat ac veluti cribrum, ut Plautina voce utar. LE PR.

(e) *Et si filios restitui voluisset, pater iterum vocaretur.* Imo, inquiunt, pater iterum vocatus est; nam id aperte Scriptura tradidit : *Fuerunt illi septem filii et tres filiæ.* Fuerunt quidem; verum post Jobi restitutionem geniti. At illos totidem uno ruinæ impetu ademptos non recepit, nec ab iis pater iterum vocatus est. Horum igitur orbitatem sustinuit voluntariam, ne sine aliqua patientia viveret, sed istis non receptis, quo pacto constabit ejusdem Scripturæ fides, affirmantis Deum omnia quæ Jobi fuerant auxisse in duplum? Sane acquiescimus eorum sententiæ, qui Scripturam tam scrupulosa trutina examinari cavillatoriæ curiositatis vitio tribuunt. Tametsi commodissime dicatur, septem illos priores ideo non fuisse redhibitioni cæterorum annumeratos, quia non sicut cætera perierant, sed penes Deum in perpetuum per gloriam Jobo ipsi vivere intelligebantur. RIG.

CAP. XV.— (f) *Infirmum non extendit.* Imbecillum non premit aut gravat onere. RIG.

(g) *Valentem non consumit.* Robusti vires non exhaurit. RIG.

(h) *Quem tertio vidit Elias.* Ipse optimus sui interpres lib. 4, adv. Marcionem cap. 23, ubi de clementia Dei : *Talis*, inquit, *utique multo magis homines non erat crematurus; nam et tum ad Eliam : Non in igne, inquit Dominus, sed in spiritu miti.* Utrobique autem adspicit ad historiam Eliæ III. Reg. c. 10, et patientiam dicit sedere in throno spiritus mitissimi et mansuetissimi, quem tertio vidit Elias. Etenim tres illic visiones Eliæ sese offerunt; prima et secunda angelus Domini mandata affert ad Eliam, tertia ipse Dominus non in vento confringente petras, non in terræ motu, non in igne, sed post auram tranquillam et mitem alloquitur prophetam suum. In illo igitur spiritu leni teneræ serenitatis, aperto et simplici sedere ait patientiam Septimius. RIG.

Digitized by Google

descendit (*a*), individua patientia comitatur eum (1). Si non (2) cum spiritu admiserimus, in nobis morabitur semper? Imo nescio an diutius perseveret (3). Sine sua comite ac ministro, omni loco ac tempore angatur necesse est. Quodcumque inimicus ejus inflixerit, solus sustinere non poterit, carens instrumento sustinendi.

CAPUT XVI.

Hæc patientiæ ratio, hæc disciplina, hæc opera cælestis et vera, scilicet christiana (4); non, ut illa patientia gentium terræ, falsa, probrosa. Nam ut, in isto quoque, Domino diabolus æmularetur, quasi plane ex pari, nisi quod ipsa diversitas mali et boni æqualiter magnitudinis (5) par est, docuit et suos patientiam propriam : illam dico, quæ maritos dote venales, aut lenociniis negotiantes (*b*) uxorum potestatibus subjicit; quæ occupandis orbitatibus (*c*) omnem coacti obsequii laborem mentitis affectionibus tolerat; quæ ventris operarios (*d*) contumeliosis patrociniis (6) subjectione libertatis gulæ (7) addicit. Talia nationes patientiæ studia noverunt; et tanti boni nomen fœdis operationibus occupant : patientes rivalium et divitum et invitatorum (*e*), impatientes solius Dei vivunt. Sed viderit sua (*f*) et sui præsidis (*g*) patientia (8), quam subter ignis (*h*) exspectat. Cæterum nos amemus patientiam Dei, patientiam Christi : rependamus illi quam pro nobis ipse dependit (9). Offeramus patientiam spiritus, patientiam carnis, qui in resurrectionem (10) carnis et spiritus credimus.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Eam. Si nos eam cum spiritu *Wouw. MS. Jun. matull*, patientia comitatur. Eam si nos cum spiritu adm. etc.
(2) Nos *Fran. Paris.*
(3) Imo nescio an diu quis perseveret sine sua comite *Jun.* semper : imo n. a. d. perseveret sine sua c. a. ministra. Omni l. t. tangatur n. est *Rhen.*
(4) Hæc opera cœlestis et veræ, scilicet Christianæ *Rigalt.*
(5) Magnitudine *Jun.*
(6) Contumeliosos patronis *Wouw. MS.* contumeliosis patronis *Rigalt.*
(7) Gula *Wouw. MS, utrumque abest Rigalt.*
(8) Viderint suam sui præsides quam *Fran.*
(9) Defendit *Rhen.*
(10) Qui resurrectionem *Jun.*

COMMENTARIUS.

CAP. XVI.—(a) *Cum ergo spiritus Dei descendit*, etc. Sensus est : Spiritu Dei in christianum quempiam descendente, una etiam descendit patientia, comes individua. Admittendus igitur cum sua comite. Quam si non admiserimus cum Spiritu, credimusne fore ut Spiritui semper in nobis morari libeat? Imo, nescio an resideat aliquantisper. Etenim sine sua comite ac ministra ubique semper anxius ac perplexus laborabit : quodcumque diabolus inflixerit, solus sustinere non poterit, carens satellite suo, patientia scilicet, fortissimo sustinendi instrumento. Rig.

(b) *Lenociniis negotiantes*. Etiam hæc phrasis est jureconsultorum : nam, teste Ulpiano, de iis qui notantur infamia, (*c*. l. athletas), lenocinium facit qui quæstuaria mancipia habuerit, sed et qui in liberis (adde ex sententia auctoris uxorem) hunc quæstum exercet. Pam.

(c) *Aucupandis orbitatibus*. Notissima est sedulitas hæredipetarum qui orbos cœlibesque muneribus omnique officiorum genere palpabant ut hæredes scriberentur. De iis in Paradoxis Tullius. De iisdem B. Hieronymus, Epist. 2, quæ est ad Nepotianum : *Audio præterea, in senes et anus absque liberis, quorumdam turpe servitium. Ipsis apponunt matulam, obsident lectum, purulentiam stomachi et phlegmata pulmonis manu propria suscipiunt*, etc. Vide totam epistolam, tomo I. Le Pr. — *Quæ aucupandis orbitatibus*. Notat testamentorum captatores, quos satyra duodecima arguit Juvenalis. Rhen.

(d) *Quæ ventris operarios*. Appellat operarios ventris, cum parasitos et alienarum mensarum asseclas, quibus nihil aliud est magis curæ, quam ut ventri satisfiat; tum eos qui se in divitum clientelam tradunt, quibus illi postea abutantur. Rhen.—*Ventris operarios*. Parasitos quos et Lucilius, Ventres :

Vivite, lurcones, comedones, vivite, ventres.

Ipse Tertull., in Apolog. : *Par asiti apud vos affectant ad gloriam famulandæ libertatis, sub auctoramento ventris inter contumelias saginandi*. Propterea mox parasitorum invitatores, contumeliosos patronos nuncupat. Atque ipsi parasiti apud Comicos, plagipatidæ, et duri capitones. Et invitatorum mensæ iniquæ, Juvenalis Sat. Rig.

(e) *Patientes rivalium et divitum et invitatorum*. Patientes rivalium dicit maritos dote venales : Patientes divitum hæredipetas insidiantes divitum orbitatibus; patientes invitatorum, parasitos, qui apud invitatores contumeliosissime pascebant. Rig.

(f) *Sed viderit sua*. Viderit patientia Nationum, quæ rivales et divites et invitatores contumeliosissimos patitur. Rig.

(g) *Sui præsidis*. Satanæ. Rig.

(h) *Subter ignis*. Ignis arcani sub terram thesaurus. Rig.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI AD UXOREM (1)

LIBER PRIMUS.

Argumentum.—*Tertullianus, sive ætate vel morbo ingravescente monitus, sive jam rebus sæcularibus nuntium missurus, ut arctius christianam profiteretur disciplinam, et ad sublimis sacerdotii fastigia eveheretur, ad uxorem quasi testamenti tabulas condidit, duos nempe hosce libros, in quorum primo uxorem suam hortatur ut si prior ipse ad Dominum migraverit, a secundis nuptiis abstineat, in altero vero præcipit ut si nubere velit, tantum cum christiano viro conjungatur. Sic se habet totius operis prospectus.*

CAPUT PRIMUM.

Dignum duxi (2), dilectissima mihi (3) in Domino conserva, quid tibi sectandum sit post discessum de sæculo meum, si prior te fuero vocatus, jam hinc pro-

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Additur* de unis nuptiis *Fran.*
(2) Dignum duxi, *aberat a prima Rhen.*
(3) *Ita Fran. Paris. Rig.* mihi *delet Semler.*

Digitized by Google

videre ; ut provisum observes, mandare fidei tuæ. Nam sæcularibus satis agentes sumus et utrique nostrum consultum volumus (1). Si talibus tabulas (*a*) ordinamus, cur non magis de divinis atque cœlestibus posteritati nostræ prospicere debeamus,et legatum quodammodo prælegare, admonitionem et demonstrationem eorum, quæ ex bonis immortalibus, et [de] (2) hæreditate cœlorum deputantur? Tu modo ut solidum capere possis (*b*), hoc meæ admonitionis (3) fidei commissum, Deus faciat : cui sit honor, gloria, claritas, dignitas (4), potestas (5), nunc et in sæcula sæculorum, amen. Præcipio igitur tibi, quanta continentia potes, post excessum nostrum renunties nuptiis : nihil mihi isto nomine collatura, nisi quod tibi A proderis. Cæterum christianis sæculo digressis nulla restitutio nuptiarum in diem (6) resurrectionis repromittitur, translatis scilicet in angelicam qualitatem et sanctitatem : proinde sollicitudo nulla (*c*) quæ de carnis zelo vel in Domini sententiam illam (7), quam septem fratribus per successionem nuptiis voluerunt, neminem tot maritorum resurrectionis die offendet, nec quisquam illam confusurus exspectat. Quæstio Sadducæorum cessit sententiæ Domini. Nec (8) me putes propter carnis tuæ integritatem mihi reservandam, de contumeliæ dolore suspectum, insinuare jam hinc tibi consilium viduitatis : nihil tunc inter nos dedecoris voluptuosi resumetur. Nec enim tam frivola, tam spurca Deus suis pollicetur. Sed an tibi vel cuicum-

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Ita ex auctoritate cod. Agob.* cons. vol. talibus talibus ord. *hunc locum emendavit Rigalt.*; *Wouwer* : Si de talibus ord. *Seml. ex ed. princ.* volumus talibus ord. *Cæteri* : et talibus ord., vel si talibus ord.
(2) De *abest aliis.*
(3) Ac *inserunt alii.*
(4) Et *add. alii.*
(5) Et *additur.*
(6) Die, *alii.*
(7) *Vulgo* : Proinde soll. n., qu. de c. zelo. Vel Domini B sententia *Seml.* vel in sententiam illam illa quam septem fr. per succ. nupsisse voluerunt, *Seml.* : nuptiis evolvere nemo tot mar. res. die offendet. *Cod. Agob.* : Proinde soll. n. quæ de c. zelo venit, etiam illam quam septem fratribus per successionem maritorum resurrectionis dies offendet etc. *unde Rigalt. hæc sola retineri jussit* : Proinde soll. n. quæ de c. z. venit etiam illam septem maritorum res. die offendet.
(8) Ne *Semler.*

COMMENTARIUS.

CAP. I.—(a) *Talibus tabulas ordinamus.* Tertullianus Ecclesiæ carthaginiensis presbyter, ætate jam ingravescente admonitus, libros ad uxorem adhuc vividam duos, quasi testamenti tabulas condidit : quorum altero quidem delectissimæ conjugis fidei committit, ut si prior ipse ad Dominum migraverit, nuptiis secundis abstineat ; altero præcipit, ut si minus abstinendum sibi ducat, tantum Christiani nuptias sequatur. Itaque priore libro præfatur, hancce curam homine esse Christiano dignissimam. Etenim omnes ferme homines rebus suis, humanis et mortalibus, sollicite atque anxie providere, ac super iis tabulas ordinare, quas diligentissime servari cupiant. Quod si momentaneis ac perituris tantopere cavent ; cur non magis de divinis atque immortalibus bonis posteritati suæ consultum velint? *Nam sæcularibus*, inquit, *satis agentes sumus, et utrique nostrum consultum volumus. Si talibus ordinamus, cur non magis de divinis atque cœlestibus posteritati nostræ prospicere debeamus?* Sic in vulgatis editionibus. Aliis placuit, *si de talibus ordinamus.* Liber Agobardi genuinæ lectionis vestigia servavit : *Utrique nostrum consultum volumus talibus talibus ordinamus*, etc. Facilis hallucinatio fuit, *Talibus* scripsisse pro *Tabulis*, præcedentis vocabuli repercussu. Quare sic edidimus : *Utrique nostrum consultum volumus talibus tabulas ordinamus : cur non magis de divinis atque cœlestibus posteritati nostræ prospicere debeamus?* Rig.

(b) *Tu modo ut solidum capere possis, hoc meæ admonitionis ac fidei commissum.* Alludit ad solidi capacitatem inter virum et uxorem, quæ non nisi certis casibus permittebatur ex lege Julia et Pappia. Qua de re exstat inter fragmenta Ulpiani titulus XVI. Ad easdem quoque leges allusit etiam libro de Monogamia : *Aliud est si et apud Christum legibus Juliis agi credunt, et existimant cœlibes et orbos ex testamento Dei solidum capere non posse.* Rig.

(c) *Proinde sollicitudo nulla, quæ de carnis zelo venit.* In vulgatis editionibus legitur : *Christianis sæculo digressis nulla restitutio nuptiarum in diem resurrectionis repromittitur, translatis scilicet in angelicam qualitatem et sanctitatem. Proinde sollicitudo nulla quæ de carnis zelo, vel Domini sententia, illa quam septem fratribus per successionem nupsisse voluerunt, neminem tot maritorum resurrectionis die offendet, nec quisquam illam confusurus exspectat. Quæstio Sadducæorum cessit sententiæ Domini.* Quæ lectio Tertulliani sensum pene obruit præfocatque. Hæc enim, *Proinde sollicitudo nulla quæ de carnis zelo*, pendent imperfecta. Jam illud *Vel Domini sententia*, plane importunum est, et sequentibus haud congruit. Sequentia vero : *Illa quam septem fratribus per successionem nupsisse voluerunt, neminem tot maritorum resurrectionis die offendet*, tertullianicum dicendi genus minime sapiunt. Agobardi liber mendosa hæc esse indicat, verum nec ipse caret mendis. Sic enim habet : *Christianis sæculo digressis nulla restitutio nuptiarum in die resurrectionis repromittitur, translatis scilicet in angelicam quantitatem et sanctitatem. Proinde sollicitudo nulla quæ de carnis zelo venit, et jam illam quam septem fratribus per successionem maritorum resurrectionis dies offendet, nec quisquam illam confusurus exspectat.* Hæc vetustissimi exemplaris scriptura satis admonet veram atque germanam adulterina superjecta vitiatam fuisse, ac vitii partem sane discutit : reliquum discerni ac discuti posse mihi videtur, si posteriorem periodum sic legimus : *Proinde sollicitudo nulla quæ de carnis zelo venit, etiam illam septem maritorum resurrectionis die offendet, nec quisquam illam confusurus exspectat. Quæstio Sadducæorum cessit sententiæ Domini.* Ait Tertullianus, suum illud ad uxorem de nuptiis non repetendis præceptum, minime esse viri zelotypiæ livore succensi, cui doleat quod se mortuo uxor alterum sibi forsan quæsitura sit maritum ; nullam hinc ad defunctum contumeliam pervenire ; nempe resurrecturis Christianis nullam repromitti nuptiarum restitutionem, otioso et inutili tunc immortalibus sexuum officio, quod hic mortalibus tantisper in solatium mortalitatis, et substituendæ sobolis gratia fuerat concessum. Cui sententiæ firmandæ, Christi ipsius testimonium profert, qui cum a Sadducæis argumento in fraudem composito rogaretur, —Quid olim in corporum resurrectione futurum esset mulieri cuidam, quæ septem maritorum uxor fuerat, hoc est, elatis jam sex maritis septimo nupserat, sexies vidua septimas nuptias constitutas habebat ; malitiam quæstionis simplicissimo responso confutavit : nullam tunc fore nuptiarum mentionem hominibus sanctitate angelica donatis ; proindeque non esse cur illa septem maritorum metuat, ne quis de tot maritis resurrectionis die tanquam rivalibus exulceratus uxori quondam suæ sit molestus, ac repetitas nuptias velut probrum objiciat. Sic libri veteris beneficio verus ac germanus Tertulliani sensus

Digitized by Google

que alii fœminæ ad Deum pertinenti (*a*) proficiat, quod suademus, licet retractare (1).

CAPUT II.

Non quidem abnuimus conjunctionem viri ac fœminæ benedictam a Domino (2), ut sciremus (3) generi humano et replendo orbi et instruendo sæculo excogitatam, atque exinde permissam; unam tamen. Nam et Adam unus Evæ maritus, et Eva una uxor illius, una mulier, una costa. Sane apud veteres nostros ipsosque patriarchas non modo nubere, sed etiam plurifariam matrimoniis uti fas fuit, erant et concubinæ : sed licet figuratum (4) in synagogam et Ecclesiam (5) cesserit, ut tamen simpliciter interpretemur, necessarium fuit instituere, quæ postea aut amputari, aut temperari mererentur. Superventura enim lex erat, oportebat legis adimplendæ caussas præcucurrisse. Idem (6) mox legi succurrere habebat, Dei sermo circumcisionem inducens spiritalem. Igitur per licentiam tunc passivam (*b*), materiæ subsequentium emendationum præministrabantur, quas Dominus Evangelio suo, dehinc Apostolus in extremitatibus sæculi aut excidit redundantes, aut composuit inconditas.

CAPUT III.

Sed non ideo præmiserim de libertate vetustatis et posteritatis castigatione, aut præstruam Christum separandis matrimoniis et (7) delendis conjunctionibus advenisse, quasi jam hinc finem nubendi præscribam. Viderint, qui inter cætera perversitatum suarum disjungere docent (*c*), carnem de (8) duobus unam, negantes eum, qui fœminam de masculo mutuatus, duo corpora ex ejusdem materiæ consortio sumpta, rursus in se matrimonii compactione (9) compegit. Denique prohiberi nuptias nusquam omnino leginus, ut bonum scilicet : quid tamen bono isto melius sit, accipimus ab Apostolo, permittente quidem nubere (*d*), sed abstinentiam præferente : illud propter insidias tentationum, hoc propter angustias temporum : qua ratione utriusque pronuntiationis inspecta facile dinoscitur, necessitate nobis concessam esse nubendi potestatem : quod autem necessitas præstat, depretiat ipsa. Quod denique scriptum est, *Melius est nubere quam uri* (I *Cor.*, VII, 9), quale hoc bonum est, oro te, quod mali comparatio commendat? Ut ideo melius sit nubere, quia deterius est uri. Atenim quanto melius est neque nubere neque uri! [Sed] (10) etiam in persecutionibus (*e*) melius est (11) ex permissu fugere de oppido in oppidum, quam comprehensum et distortum negare. Atque ideo beatiores, qui valent beata testimonii confessione excedere. Possum dicere :

LECTIONES VARIANTES.

(1) Pertractare, *alii*.
(2) Deo, *alii*.
(3) Ut seminarium generis humani, *Rigalt.*
(4) Figura *Jun. Fran.* figuraliter, *Rig.*
(5) In synagoga ecclesia intercesserit, *Rig.*
(6) Eidem *Fran. Paris.* Item *Rig.*
(7) Et *abest* ; abolendis, *Rigalt.*
(8) In *alii*.
(9) Computatione, *Rig.*
(10) Sed *Seml. Leop. omitt. alii.*
(11) *Ita omissis vv.* ex permissu, *cod. Agob. præbuit Rigaltio, qui tamen reposuit* : atque isto beatiores, qui — confessione non excidere. *Rhenanus* : compressum et distortum negare, atque isto beata est. Idemve quid negent beati testimonii, excidere cet. *Pamelius* : at quæ ista beatitas est. ideo ne qui neget, beati testimonii confessione excidere? Possum d. qu. perm. non est bonum. Quid enim nec. mori mihi? si ploro bonum est : si timeo. Quod perm. — caussam.

COMMENTARIUS.

optime constituitur, Et erit operæ pretium pluscula etiam de sequentibus ad eamdem incudem refingere, quæ cum editione Pamelii si conferantur, oppido meliora, etiam me indicente apparebunt. Rig.

(a) *Fœminæ ad Deum pertinenti.* Hoc est, Christianæ. Rig.

CAP. II. — (b) *Licentiam passivam.* Nuptias multiplices passim concessas. Rig.

CAP. III. —(c) *Inter cætera perversitatum suarum.* Marcionitas notat; apud Marcionem enim, ut scribit l. I, in eumdem, non tingitur caro, nisi virgo, nisi vidua, nisi cælebs, nisi divortio baptisma mercata. Rhen.

(d) *Permittente quidem nubere.* Nuptiæ permittuntur ob infirmitatem, sed iis abstinentia potior habetur, sic apud S. Ambrosium, *lib. I, de Virg., quæ nubit non reprehenditur* : *quæ abstinet laudatur.* Et B. Hieronymus in ea verba Apostoli : *si autem acceperis uxorem, non peccasti :* Aliud est enim, inquit, non peccare, aliud bene facere. Le Pr.

(e) *Etiam in persecutionibus melius est ex permissu fugere de oppido. quam comprehensum negare.* Notissima est Pauli ad Corinthios scribentis sententia : *Melius esse nubere quam uri.* Tertullianus disputat contenditque, multo melius esse nec nubere, nec uri, quod ut evincat, comparatione utitur alterius sententiæ qua docetur, melius esse Christiano in persecutionibus fugere, quam Christum negare; cui statim subjicit, longe melius esse nec fugere, nec negare. Qui locus in exemplaribus editis adeo depravatus circumfertur, ut vis argumenti minus intellecta flaccescere videatur. Sic edidit Pamelius : *In persecutionibus melius est ex permissu fugere de oppido in oppidum, quam compressum et distortum negare: at quæ ista beatitas est : ideo ne qui neget, beati testimonii confessione excidere? Possum dicere: quod permittitur non est bonum. Quid enim necesse mori mihi? si ploro, bonum est : si timeo. Quod permittitur, suspectam habet permissionis suæ eaussam.* Mire torsit Rhenanum hic locus, et est ab eo editus hoc tenore verborum : atque ut verisimile est, manuscriptis ita commonstrantibus : *Melius est ex permissu fugere de oppido in oppidum, quam compressum et distortum negare, atque isto beata est. Idemve quid negent beati testimonii confessione excidere. Possum dicere, Quod permittitur non est bonum. Quid enim necesse est mori mihi, si ploro bonum est : si timeo. Quod permittitur, suspectam habet permissionis suæ caussam.* Quæ procul dubio boni sensus expertia sunt. Videamus an exemplaris nostri beneficio mens Auctoris reduci queat. In eo legitur : *In persecutionibus melius est fugere de oppido, quam comprehensum et distortum negare; atque ideo beatiores qui valent beata testimonii confessione excedere, Possum dicere, quod permittitur bonum non est. Quid enim necesse est mori mihi, si ploro bonum est. Quod si timeo quod permittitur, suspectam habet permissionis suæ caussam.* Ita omnino ille Agobardi liber, qui etiam ope aliqua indiget, verum levissima, hac, opinor : *Etiam in persecutionibus melius est ex permissu fugere, quam comprehensum et distortum negare, atque isto beatiores qui valent beata testimonii confessione non excidere. Possum dicere : Quod permittitur, bonum non est. Quid enim? Necesse est mori mihi. Si ploro, bonum est.*

Digitized by Google

quod permittitur bonum non est. Quid enim ? Necesse est mori mihi. Si ploro, bonum est, quod si (1) timeo, quod permittitur, suspectam habet permissionis suæ caussam : quod autem melius est, nemo permisit, ut indubitatum et sua sinceritate manifestum. Non propterea appetenda sunt quædam, quia non vetantur, etsi quodammodo vetantur, cum alia illis præferuntur : prælatio enim superiorum (2) dissuasio est infirmorum (3). Non ideo quid bonum est, quia malum non est : nec ideo malum non est (4), quia non obest. Porro plane (5) bonum hoc antecedet, quod non modo non obest, sed insuper prodest. Itaque (6) malle debes, quod prodest, quam quod non obest. Ad primum enim locum certamen omne contendit : secundus solatium habet, victoriam non habet. Quod si Apostolo auscultamus, obliti posteriorum, extendamur (7) in priora, et meliorum donationum (8) sectatores simus. Si nobis (9) laqueum non imponit, quid utilitatis sit, ostendit, dicens (I *Cor.*, VII, 94) : *Innupta de dominicis cogitat, uti corpore et spiritu sancta sit. Nupta vero, sollicita est quomodo conjugi suo placeat.* Cæterum nusquam ita nuptias permittit, ut non potius ad suum exemplum nos eniti malit. Felicem illum qui Pauli similis extiterit (*a*).

CAPUT IV.

Sed carnem legimus infirmam, et hinc nobis adulamur impensius : legimus tamen et spiritum firmum. Nam in uno sensu utrumque positum est. Caro, terrena materia est, spiritus vero cœlestis. Cur ergo ad excusationem proniores, quæ in nobis infirma sunt, opponimus : quæ vero fortiora (10), non tuemur ? Cur cœlestibus terrena non cedant ? si spiritus carne fortior, quia et generosior, nostra culpa infirmiorem (11) sectamur. Nam disjunctis (12) matrimonio duæ species humanæ imbecillitatis necessarias nuptias faciunt. Prima quidem potentissima, quæ venit de concupiscentia carnis : sequens de concupiscentia sæculi. Sed utraque repudianda est a servis Dei, qui et luxuriæ et ambitioni renuntiamus. Carnis concupiscentia ætatis officia defendit, decoris messem requirit, gaudet de contumelia sua : dicit virum necessarium sexui, ut (13) auctoritatis et solatii causa, vel ut (14) a malis rumoribus tuta sit. Et tu adversus consilia hæc ejus, adhibe sororum nostrarum exempla, quarum nomina penes Dominum (*b*), quæ nullam formæ vel ætatis occasionem præmissis maritis sanctitati (15) (*c*) anteponunt : malunt enim Deo nubere, Deo speciosæ, Deo sunt puellæ : cum illo vivunt, cum illo sermocinantur : illum diebus et noctibus tractant : orationes

LECTIONES VARIANTES.

(1) Quod si timeo, *Rig.*
(2) *Recte conj. Semler pro* superior *scriptum fuisse* superiorum. — *Et. Fran. et Rig.* infirmorum.
(3) Infimorum *Fran. Rig.*
(4) Non ideo b. e. nec ideo malum non est, *Veneta.*
(5) Plene *Semler.*
(6) Namque *Seml.* Itaque *Fran. Paris illud. Rig.*
(7) Et extend. *alii.*
(8) Donativorum, *alii.*
(9) Sic n. etsi. *Rig.*
(10) Fortia, *Fran. Par.*
(11) Infirmiora *Fran. Paris.*
(12) A matr. *Rig.*
(13) Vel *Jun.*
(14) Vel ut *Fran.*
(15) Nulla formæ vel ætatis occasione pressæ maritis *Fran. Parisin.* nullam formam — sanctitatem *Semler*, permissis etc.

COMMENTARIUS.

Quod si timeo quod permittitur, suspectam habet permissionis suæ caussam. Ait Tertullianus : Christianis ab tyranno ad defectionem requisitis, licere quidem fuga saluti suæ consulere, ac melius esse uti permissu et fugere, quam comprehensos cruciatibus ad perfidiam compelli. Deinde apponit, longe melius esse fixo pede tyrannum et uncos et cruces exspectare ac perpeti, nec datæ Christo fidei sacramentum violare. Pergit gravissimus censor, et fugam illam quam permissam esse dixerat, obstruit. Possum dicere, inquit, quod permittitur, bonum non est. Quid enim ? imminet cervici gladius, æstuat fornax, tormenta crepant, necesse est mori mihi. Si fletu et ejulatu pavidus tormenta, mortem deprecor, bonum est quod permittitur, nempe fugere. Quod si illud ipsum quod permittitur timeo, dictante conscientia tam beatæ mortis fugam indecoram esse Christiano, id ipsum quod mens mea fugam permissam suggerit quidem, non tamen sine metu probri, satis arguit suspectam esse permissionis illius caussam ; animum scilicet parum fortem, parum tenacem fidei ; vitium imbecillitatis ; cui malo fuga pro remedio sit indulta. Adeo si cui bonum fuerit fugere, ne in vitium imbecillitatis incideret, melius profecto fuisset non fugisse, comprehensumque tormenta fortiter pertulisse, neque negasse. Rig.

(a) *Felicem illum qui Pauli similis extiterit.* B. Paulum cælibem vixisse probant hæc verba ; illud autem apud Tertullianum certissimum ; excepto enim B. Petro apostoli omnes continentes fuerunt, ut patet ex lib. de Monog. Le Pr.

CAP. IV. — (b) *Quarum nomina penes Dominum.* Sæpe occurrit in antiquis martyrologiis, *Et alii sancti, quorum nomina Deus scit.* Le Pr.

(c) *Quæ nullam formæ vel ætatis occasionem præmissis maritis sanctitati anteponunt.* Post repressam eorum, qui imbecillitatis humanæ prætextu secundis nuptiis impensius favebant, sententiam, Tertullianus uxori suæ adversus ipsam imbecillitatem consilia dictat, quasi amuleta, vel potius φυλακτήρια. *Disjunctis matrimonio*, inquit, *duæ species humanæ imbecillitatis necessarias nuptias faciunt. Prima quidem potentissima, quæ venit de concupiscentia carnis : sequens de concupiscentia sæculi. Sed utraque repudianda est a servis Dei, qui et luxuriæ et ambitioni renuntiamus. Carnis concupiscentia ætatis officia defendit, decoris messem requirit, gaudet de contumelia sua ; dicit virum necessarium sexui, ut auctoritatis et solatii caussa, vel ut a malis rumoribus tuta sit. Et tu adversus consilia hæc ejus adhibe sororum nostrarum exempla, quarum nomina penes Dominum, quæ nulla formæ vel ætatis occasione pressæ, maritis sanctitatem anteponunt.* Hæc fuit in vulgatis hactenus editionibus scriptura. Unde aliquis dicat, invalidum esse hoc Tertulliani adversus secundas nuptias argumentum, ab exemplis earum, quæ nulla formæ vel ætatis occasione pressæ maritis sanctitatem anteponunt. Nam quid mirum si deformes et jam vetulæ, in viduitate perseverant ? castæ sunt, quia nemo rogavit, et res exempli fuerit, si qua hoc afflicta infortunio, alterum inveniat maritum. Nempe aliter exaravit manus Auctoris, stili sui diligentissima. Veteres membranæ habent : *Et tu ad-*

Digitized by Google

suas velut dotes Domino assignant : ab eodem dignationem velut munera maritalia (1), quotiescumque desiderant, consequuntur. Sic æternum sibi bonum Domini (2) occupaverunt, ac jam in terris non nubendo, de familia angelica deputantur (*a*). Talium exemplis fœminarum ad æmulationem te continentiæ exercens, spiritali affectione carnalem illam concupiscentiam humabis; temporalia et volatica desideria formæ vel ætatis inimicantium bonorum compensatione delendo (3). Cæterum (4) hæc sæcularis concupiscentia caussas habet gloriam, cupiditatem, ambitionem, insufficientiam, per quas necessitatem nubendi subornat, videlicet cœlestia repromittens, dominari in aliena familia, in alienis opibus incumbere (5), cultum de alieno extorquere sumptu, quem non sentias cedere in te (6). Hæc procul a fidelibus, quibus nulla cura tolerandæ vitæ, nisi si diffidimus de promissis Dei, et cura et providentia (7) : qui lilia agrestia (8) vestit, qui volatilia cœli nullo ipsorum labore pascit, qui prohibet de crastino victuque (9) vestituque curari ; spondens, scire se, quid cuique servorum suorum opus sit: non quidem monilium pondera, non vestium tædia, non gallicos multos (*b*) (10), nec germanicos bajulos, quæ nuptiarum gloriam accendunt; sed sufficientiam, quæ modestiæ et pudicitiæ apta est. Præsume, oro te, nihil tibi opus est, si Domino appareas ; imo omnia habere, si habeas Dominum : cujus omnia (11) cœlestia recogita, et terrena despicies. Nihil viduitati apud Deum subsignatæ necessarium est, quam perseverare.

CAPUT V.

Adjiciunt quidem sibi homines caussas nuptiarum de sollicitudine posteritatis, et liberorum amarissima voluptate. Sed id quoque penes nos odiosum est (12). Nam quid gestiamus liberos gerere, quos cum habemus, præmittere optamus, respectu scilicet imminentium angustiarum (*c*), cupidi et ipsi iniquissimo isto sæculo eximi (13) et recipi ad Dominum, quod etiam Apostolo votum fuit. Nimirum necessaria soboles servo Dei. Satis enim de salute nostra (14) securi (15) sumus ut liberis vacemus : quærenda nobis onera sunt (*d*), quæ etiam a gentilium (16) profanis vitantur, quæ legibus coluntur, quæ parriciis expugnantur (*e*). Nobis (17) quidem plurimum importuna, quantum fidei periculosa. Cur enim Dominus *væ prægnantibus et nutricantibus* (*Matth.*, XXIV, 19 ; *Luc*, XXI, 23) cecinit, nisi quia filiorum impedimenta testatur, in illa die expeditionis incommodum futura ? (18) utique nuptiis (19) imputaturus. Istud autem ad viduas non pertinebit : ad primam angeli tubam expeditæ prosilient. Quamcumque pressuram persecutionemque, libere perferent, nulla in utero, nulla in uberibus æstuante sarcina nuptiarum. Igitur sive carnis, sive sæculi, sive posteritatis gratia nubetur (20), nihil ex istis necessitatibus (21) Dei ser-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Dotalia, *alii*.
(2) Dominum *Jun.* bonum donum Domini, *Rig. Pro* humabis, *an*, domabis ?
(3) compensans *vel* compensabis *Rhen.* compensans *Paris.* compensas delenda *Semler*.
(4) Hæc *omitt. Seml.*
(5) Incubare, *Rig.*
(6) Sumptum — edere, sine *in te*, *Rig.*
(7) Et c. et pr. *abest ab aliis.*
(8) Agri tanta gratia vestit, *Rig.*
(9) Vestituque *del. Seml.*
(10) Gallicos mulos *alii*, multos *Rigalt.*
(11) Si habeas Dominum, cujus omnia : cœl, *Jun.*
(12) Nobis otiosum est *Rig.*
(13) Excuti *Jun. e Mss. Vaticanis.*
(14) Satis enim de sorte nostra securi sumus, ut liberis vacemus *Jun.*
(15) Enim desunt nostra, si securi *Seml.*
(16) Plerisque *Rigalt.*
(17) Demum *Rig. omisso* quidem.
(18) Ea *add. Rig.*
(19) Imputantur *Rig.*
(20) *Alii* nubit ; nubat *Sem.*
(21) Competit *Rig.*

COMMENTARIUS.

versus consilia hæc ejus, adhibe sororum nostrarum exempla, quarum nomina penes Dominum, quæ nullam formæ vel ætatis occasionem, præmissis maritis, sanctitati anteponunt. Utitur exemplis earum quæ maritis suis jam cœlo receptis, hos enim præmissos dicit qui uxoribus suis ad Deum prævivere, ac diem suum priores obiere ; quæ, inquam, maritis suis jam cœlo receptis, quamvis formosæ, quamvis ætate florentes, nullam tamen pulchritudinis aut juventæ occasionem obtendunt, nec blandiri sibi patiuntur : sed carnis suæ integritatem unicarum nuptiarum honori ac memoriæ perservant. Pergit Tertullianus : *Malunt enim Deo nubere ; Deo speciosæ, Deo sunt puellæ ; cum illo vivunt, cum illo sermocinantur*, etc. Rig.

(a) *De familia angelica deputantur.* Quasi jam translatæ in angelicam qualitatem, ut sup. et lib. I de Cultu fœm. : *Nam et vobis eadem tunc substantia angelica repromissa.* Rig.

(b) *Non gallicos multos.* In exemplari scribitur, *Non calligos multos*, pro *gallicos*. Hujusmodi nævi apparent in manuscriptis non raro, litterarum transpositione. Sic paulo post, hac ipsa pag. *Legibus locuntur*, pro *legibus coluntur*. Sic *de calonica gloria*, pro, *de Laconica gloria*. Itaque hic legendum : Gallicos multos, nec Germanicos bajulos. Unde ortum illud, quod in Rhenani editionibus cernitur, *Gallicos vultus*. Scio placere posse quod in quibusdam mss. reperiri aiunt, *Gallicos mulos :* quia scilicet sequente libro in ejusdem præcepti tractatione Septimius dicat, *Unde, nisi a Diabolo, maritum petant idoneum exhibendæ sellæ et mulabus et cinerariis peregrinæ proceritatis* ? Sed cum ibidem alia multa ex hoc etiam libro aliter tractata reperiantur, et multitudo bajulorum gallicorum et germanicorum pompæ muliebri conveniat, retinenda mihi videtur exemplaris Agobardini scriptura, *Non gallicos multos nec germanicos bajulos*. Nam et apud Clementem Alex. libro III. Pæd. cap. 4. legitur, καὶ ῥοράδην βαστάζοντες Κελτοὶ πόλλοι. Rig.

CAP. V. —(c) *Respectu imminentium angustiarum.* Sic supra, *Propter angustias temporum.* Rig.

(d) *Onera liberorum nobis plurimum importuna.* Sic libro de Exhort. cast. dixit, *Importunitatem liberorum*. Ad quos suscipiendos, inquit, legibus compelluntur homines. Idem.— *Quærenda nobis onera sunt, quæ legibus coluntur.* Jure trium liberorum. Juvenalis Sat. IX :

> Jura Parentis habes, propter me scriberis hæres,
> Legatum omne capis, necnon et dulce caducum.
> Commoda præterea jungentur multa caducis
> Si numerum, si tres implevero. Rig.

(e) *Parricidiis expugnantur.* Abortivis, dissoluto medicaminibus conceptu. Sic lib. de Virginibus vel. dixit, *infantes aliquandiu a matribus debellatos. Idem.*

Digitized by Google

vis : ut non satis habeam (1) semel alicui earum succubuisse, et uno matrimonio omnem concupiscentiam hujusmodi expiasse. Nubamus quotidie, et nubentes a die illo (2) deprehendamur, ut Sodoma et Gomorrha. Nam illic non utique nuptias et mercimonia solummodo agebant : sed cum dicit, *nubebant et emebant* (*a*), insigniora ipsa carnis et sæculi vitia (3) denotat, quæ a divinis disciplinis plurimum avocent : alterum per lasciviendi voluptatem ; alterum per acquirendi (4) voluntatem. Etenim (5) illa tunc cæcitas longe a finibus sæculi habebatur (*b*). Quid ergo fiet, si quæ olim detestabilia sunt penes Dominum, ab his nos nunc arcent? *Tempus*, inquit, *in collecto est ; superest, ut qui matrimonia habent, tanquam non habentes agant.*

A

CAPUT VI.

Quod si habent (6), oblitterare debent quod habent : quanto magis non habentes, prohibentur repetere, quod non habent; ut cujus maritus de rebus abiit (7), exinde quietem sexui suo nubendi abstinentia injungat (8) : quam (9) pleræque gentilium (*c*) fœminarum memoriæ carissimorum maritorum parentant (10). Cum quid difficile (11) videtur, difficiliora alios obeuntes recenseamus. Quot enim sunt qui statim a lavacro (*d*) carnem suam obsignant! Quot item, qui consensu pari inter se matrimonii

B

debitum tollunt, voluntarii spadones pro cupiditate regni cœlestis. Quod si salvo matrimonio abstinentia toleratur, quanto magis adempto! Credo enim difficilius salvum derelinqui, quam amissum non desiderari. Durum plane et arduum satis continentia sanctæ fœminæ (12) post viri excessum Dei caussa, cum gentiles Satanæ suo et virginitatis et viduitatis sacerdotio perferant? Romæ quidem, quæ ignis illius inextinguibilis imaginem tractant, auspicia pœnæ suæ cum ipso dracone (13) (*e*) curantes, de virginitate censentur. Achææ (*f*) (14) Junoni apud Ægium oppidum virgo sortitur : et quæ Delphis insaniunt, nubere nesciunt. Cæterum viduas Africanæ Cereri adsistere scimus, durissima quidem oblivione a matrimonio (15) allectas. Nam manentibus (16) in æternum (17) viris non modo (18) thoro decedunt, sed et alias eis utique ridentibus loco suo insinuant, adempto omni contactu usque ad osculum filiorum, et tamen durante usu perseverant in tali viduitatis disciplina, quæ pietatis etiam sanctæ (19) solatia excludit. Hæc diabolus (20) præcipit, et auditur : provocat nimirum Dei servos continentia suorum, quasi ex æquo (21) contineant etiam gehennæ sacerdotes (*g*). Nam invenit, quomodo homines etiam bonis (22) sectationibus perderet; et nihil apud eum refert, alios luxuria, alios continentia occidere.

C

D

LECTIONES VARIANTES.

(1) Habeamus *Lat.*
(2) Timoris *add. Rig.*
(3) Detinentes *Seml.*
(4) Cupiditatem *Rig.*
(5) Et tamen *Rigalt.*
(6) Habentes obliterare *Fran. Paris.*
(7) De rebus habuit *Seml.* abiit *Fran. Par. Rig. porro*, exinde requiem.
(8) Abstinentiam jungat *Fran.*
(9) Quum *Lat.*
(10) Parcant. *Seml.*
(11) Quod quia difficile *Lat.*
(12) Sanctæ semina *Seml.*
(13) Dracone cur. *abest ut Agobardino.*
(14) Achææ *Seml.* Achææ *Franeq. Paris. Jun.* Acreæ *alii.*
(15) Matrimonii *Paris.* matrimoniorum *Jun.*
(16) *Forte* annuentibus *Lat.* inavita viris *Rig.*
(17) Interim *Lat.*
(18) *Abest* thoro *Rig.*
(19) Sancta *Jun.*
(20) Suis *Rigalt.*
(21) Quasi ex æquo continentium gehennæ sacerdotum *Rhen.* quasi ex æquo. Continent etiam gehennæ sacerdotes, *Rig. et Agobard.*
(22) Boni *Jun. alii*, in bonis.

COMMENTARIUS.

(a) *Nubebant et emebant.* Pamelius et La Cerda memoriæ lapsum hic arguunt. De Gomorrha enim et Sodoma scribit, quod de Noe temporibus Christus Jesus dixit Matth. XXIV. *Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes, et bibentes, et nuptui tradentes.* In quo errasse ab iisdem etiam dicitur hic Auctor, nam neque sermo est mentium in Evangelio de temporibus Noe. LE PR.

(b) *Longe a finib. sæculi habebatur.* Hinc firmatur quod alibi observamus, Christianos ævo Tertulliani credidisse finem sæculi in proximo esse. RIG.

CAP. VI. — (c) *Pleræque Gentilium fœmin.* Hoc argumento ad rem eamdem utitur Hieronymus in epist. ad Salvinam adducto exemplo reginæ Carthaginis, quæ semel vidua testificatur apud magnum Poetam :

Ille meos primus, qui me sibi junxit, amores
Abstulit, ille habeat secum servetque sepulcro.

Et in epist. ad Furiam. Idem argumentum tractat epist. ad Gerontiam ; ubi reginæ Carthaginis adjungit uxorem Asdrubalis viduam, *quæ se in incendium præcipitavit, ne pudicitiæ damna sentiret.* De Gentili Calpurnia Trebellius in 30 tyrannis. LAC.

(d) *Quot enim sunt qui statim a lavacro carnem suam obsignant.* Sic lib. II de Cultu fœminar. *Non enim et multi ita faciunt, et se spadonatui obsignant?* RIG.

(e) *Auspicia pœnæ suæ cum ipso dracone curantes.* In codice Agobardi legitur, *Romæ quidem, quæ ignis illius extinguibilis imaginem tractant, auspicia pœnæ suæ cum ipso, de virginitate censentur.* Quod explicari quidem possit, ut ignem Vestæ auspicia esse dicat pœnarum, quæ miseras manent vestales, cum ipso videlicet igne inextinguibili, quem Deus idolorum cultoribus paravit. Verum ne quid dissimulem, magis placet editio Pamelii, quæ fuerat antea Rhenani, qui et codices manuscriptos bona fide repræsentabat : *Auspicia pœnæ suæ cum ipso dracone curantes*, ut intelligantur vestales ignem illum Vestæ inextinguibilem curantes, cum ipso dracone, hoc est, Satana carceris ignem sempiternum vomentis custode. Sic *lib. de idololatria : Accendant igitur quotidie lucernas, quibus lux nulla est. Affigant postibus lauros postmodum arsuras, quibus ignes imminent. Illis competunt et testimonia tenebrarum et auspicia pœnarum.* Eodem sensu, *lib.* II, *de Cultu fœm. Male ac pessime*, inquit, *sibi auspicantur flammeo capite.*

(f) *Achææ Junoni.* Nos scripsimus Achææ. Nam Ægion oppidum est Achaiæ, ubi colebatur Juno. Auctor Plinius et alii. Hujus Junonis ex hoc loco facit mentionem Hieronymus epist. ad Gerontiam, apud quem legitur in pervulgatis editionibus, *Junonisque Achivæ.* RHEN.

(g) *Continent etiam gehennæ sacerdotes.* Sic emendavimus ex antiquis illis membranis Agob. Gehennæ, hoc est, Satanæ, idololatriæ. RIG.

Digitized by Google

CAPUT VII.

Nobis continentia ad instrumentum æternitatis demonstrata est a Domino salutis, ad testimonium fidei, ad commendationem carnis istius exhibendæ superventuro indumento incorruptibilitatis ad sustinendam novissime voluntatem Dei. Super hæc enim recogites moneo, neminem non ex Dei voluntate de sæculo duci (1), si ne folium quidem ex arbore sine Dei voluntate dilabitur (2). Idem (3) qui nos mundo infert (*a*), idem et educat necesse est. Igitur defuncto per Dei voluntatem viro (4), etiam matrimonium Dei voluntate defungitur; quid tu restaures, cui finem Deus posuit? quid libertatem oblatam tibi iterata matrimonii servitute fastidis? *Obligatus es*, inquit (I *Cor.* VII, 27), *matrimonio, ne quæsieris solutionem:* A *solutus es matrimonio, ne quæsieris obligationem* (5). Nam etsi non delinquas renubendo, *carnis* tamen *pressuram* subsequi dicit (*Ib.*, 10, 28). Quare facultatem continentiæ, quantum possumus, non diligamus (6)? quam (7) primum obvenerit, imbibamus : ut quod in matrimonio non valuimus, in viduitate sectemur. Amplectenda occasio est, quæ adimit quod necessitas imperabat. Quantum (8) fidei (*b*) detrahant, quantum obstrepant sanctitati nuptiæ secundæ (*c*), disciplinæ Ecclesiæ (9), præscriptio Apostoli declarat, cum digamos non sinit præsidere (*d*), cum viduam allegi in (10) ordinem nisi univiram non concedit : aram (11) enim Dei mundam (*e*) proponi oportet. B Tota illa Ecclesia candida de sanctitate describitur (*f*). Sacerdotium viduitatis, et (12) celebratum est

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Additur* nisi *Franeq. Pārisin.*
(2) Delabitur *Jun. Cod. Wouw.*
(3) Adeo *Cod. Wouw.*
(4) Viro *abest ab edit. Seml.*
(5) *Hæc vv.* solutus.... obligationem *desunt in ed Semler.*
(6) Possumus, diligamus, *negatione missa, Lat. Rig.*
(7) Quum *Lat.*
(8) Fidei *deest in ed. Semler.*
(9) Disciplinæ Ecclesiæ et *Seml.*
(10) Ordinationem *Seml.*
(11) Aream *Jun.*
(12) Cælibatuum *Rigalt.*

COMMENTARIUS.

CAP. VII. — (a) *Nos mundo infert.* Est hoc verbum infaustum et totum funerale, inde inferiæ mortuorum, id est, cum nati sumus, non tam nascimur, quam inferimur in corpus veluti in custodiam, potius in sepulcrum. Huic opponit verbum, *educo*, nam mors vera est vita, quæ nos e carcere liberat, e sepulcro educit. Lac.

(b) *Quantum enim detrahant fidei, quantum obstrepant sanctitati nuptiæ secundæ, et præscriptio Apostoli declarat.* Paulus duabus Epistolis ad Timotheum et ad Titum, inter episcopi characteres hunc præscribit, ut sit unius uxoris vir. Sed ea jam ævo Tertulliani disciplina inoleverat, ut virum unius uxoris non esse nec dici debere arbitrarentur eum, qui defuncta uxore aliam duxerat. Itaque *digamus* dicebatur, qui secundam uxorem in matrimonio habebat, etsi unica gauderet, neque binas nuptias eodem tempore constitutas haberet. Hoc esse ab Apostolo institutum ait Septimius, neque alia fuit ab tanto nuptiarum dehortatore speranda præcepti apostolici interpretatio. Verum huic interpretationi suffragari noluisse viros in Ecclesia præstantes, ac Tertulliani quidem ævo proximos, discimus ex Commentariis Chrysostomi, Theodoreti, atque etiam Hieronymi. Etenim hoc tantum voluisse Apostolum, ut episcopus eligatur qui una cum uxore fidem matrimonii sancte colat. Rig.

(c) *Nuptiæ secundæ.* Vehementer equidem nuptias secundas exagitat, qua in re cum antiquis Patribus consentire videtur. Nam B. Hieron. epist. ad Gerontiam, secunda vota *scortationem* vocat *et meretricium.* Lege eumdem, lib. contra Helvidium, et epist. ad Salvinam. Athenagoras dixit : εὐπρέπης μοιχεία δεύτερος γάμος. Mitto Ambrosium lib. I, Off. cap. ult. Hilarium in psal. 131 et can. 18, conc. Tol. primi, aliaque loca infinita, ut e profanis illud tot sanctissimis Patribus in Christianorum dedecus addam ex Anthologiæ lib. I :

Εἴτις ἀπαξγήμας πάλι δεύτερα λέκτρα διώκει
Ναυηγὸς πλώει δι ῥυθὸν ἀργαλέον. Le Pr.

(d) *Non sinit præsidere.* Præsidebant presbyteri, et episcopi, unde præsidentes dicti; in *de Corona mil.* loquens de Eucharistia : *Nec de aliorum*, inquit, *manu quam præsidentium sumimus.* Alludit autem ad locum qui est ad Tit. c. 1, *unius uxoris vir.* Rhen. *Digamos non sinit præsidere.* Beatissimus Apostolus cap. I Epist. ad Titum, episcopum sive presbyterum unius tantum uxoris virum vult, seu monogamum, id est, si quis naturæ imbecillitate huic culpæ potuit succumbere, de primo condonatur; si autem de nuptiis secundis cogitaverit, omni munere ecclesiastico privetur. C Apud profanos, ut refert Plutarchus in Quæst. Rom. id receptum erat ζηλωτὴς ὁ πρῶτος γάμος, ὁ δὲ δεύτερος ἀπευκταῖος : *priores nuptiæ admittendæ, secundæ vero rejiciendæ.* Quid de christianis censendum, si ea fuit gentilium opinio? Cum enim δεύτερος πλοῦς sive secunda consilia, ut habet Noster hic lib. sequenti, permittitur ab Ecclesia, ita accipiendum illud est, ut sit πορνείας παράμυθία ὁ δεύτερος γάμος, οὐχὶ ἐφόδιον εἰς ἀσελγείαν : *Nuptiæ secundæ sint scortationis remedium, non lasciviæ occasio*, ut scribit S. Basilius ep. 117, ad Diodorum. Unde canone apostolico 17 prohibitum est ne bigami episcopi esse possint aut presbyteri, aut ordinis ecclesiastici : οὐ ὅλως καταλόγου ἱερατικοῦ, et sequenti ὁ χήραν λαβών, *qui viduam duxit*, eodem gradu ejicitur; cui doctrinæ conformis Gratianus, dist. 33. c. Si quis post accept. Le Pr.

(e) *Aram enim Dei mundam proponi oportet.* Observavimus supra, hominem christianum dici aram Dei, cujus e corde preces ad Deum feruntur. Hic vero D eximio quodam sensu aram Dei vocat ordinis ecclesiastici præsides, qui Ecclesiæ vota ad Deum perferunt, per quos Ecclesia christiana sacrificiorum orationes ad Deum allegare solet. Quid ergo? Conjuge defuncta, superstes aliam si duxerit quacum unice dilecta concorditer et caste vivat, ara Dei munda non erit? Jure igitur Hieronymus dixit, Tertulliani sententiam contrariam Apostolo, neminem qui Apostolum legerit negaturum. Rig.

(f) *Tota illa Ecclesia candida de sanctitate describitur.* Emendandum ut est in membranis : *Tota illa Ecclesiæ candida de sanctitate conscribitur.* Candidam Ecclesiæ pro dignitate posuit, ut libro de Corona, *Candidam martyrii*, et in scorpiaco, *Candidam claritatis.* Et apud Augustinum, *massa candida*, pro martyrum multitudine splendida, sermone CXII, ubi de credentibus in nomine Dei : *Hæc est prima martyrum caussa*, inquit, *hæc est candida martyrum massa. Si caussa candida, et massa candida. Massa enim dicta est*

Digitized by Google

apud nationes, pro diaboli scilicet æmulatione. Regem sæculi, pontificem maximum (a), rursus nubere nefas est : quantum Deo sanctitas placet, cum illam etiam inimicus affectat, non utique ut alicujus boni affinis, sed ut Dei Domini placita cum contumelia affectans !

CAPUT VIII.

Nam de (1) viduitatis honoribus apud Dominum uno dicto ejus per Prophetam expeditum est : *Juste facite* (2) *viduæ et pupillo, et venite disputemus, dicit Dominus*. Duo ista nomina in quantum despectui (3) humano, in tantum divinæ misericordiæ exposita, suscepit tueri Pater omnium (4). Vide quam ex æquo habetur qui viduæ benefecerit, quanti est vidua ipsa, cujus assertor cum Domino (b) disputavit (5) ! Non tantum virginibus datum opinor, licet in illis integritas solida et tota sanctitas de proximo visura sit faciem Dei. Tamen vidua habet aliquid operosius : quia facile est non appetere quod nescias, et aversari quod desideraveris nunquam. Gloriosior continentia, quæ jus suum sentit ; quæ quid viderit, novit. Poterit virgo felicior haberi, at vidua laboriosior : illa, quod bonum semper habuit; ista, quod bonum sibi invenit. In illa gratia, in ista virtus coronatur. Quædam enim sunt divinæ liberalitatis, quædam nostræ operationis. Quæ a Domino indulgentur, sua gratia gubernantur ; quæ ab homine captantur, studio perpetrantur. Stude igitur ad virtutem continentiæ [modestiæ (6)], quæ pudori procurat ; sedulitati, quæ nugas non facit ; frugalitati, quæ sæculum (7) spernit. Convictum (8) atque commercia Deo digna sectare, memor illius versiculi, sanctificati per Apostolum :

Bonos corrumpunt mores congressus mali.

CAPUT IX.

Loquaces, otiosæ, vinosæ, curiosæ contubernales, vel maxime proposito viduitatis officiunt. Per loquacitatem irrepunt verba pudoris inimica ; per otium a severitate (9) deducunt ; per vinolentiam quidvis mali insinuant ; per curiositatem æmulationem libidinis convehunt. Nulla hujusmodi fœminarum de bono univiratus loqui (10) novit : *Deus* enim *illis* (ut ait Apostolus) *venter est* (*Phil.*, III, 19), ita et quæ ventri propinqua. Hæc tibi jam hinc commendo, conserva carissima, post Apostolum quidem ex abundanti retractata, sed tibi etiam solatio futura, quod meam memoriam, si ita evenerit, in illis frequentabis.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Viduitatum *Semler*.
(2) Facito *Seml*.
(3) Destitutæ auxilio hum. *Rig*.
(4) Tueri. Pater omnium ; vide *Seml*.
(5) Disputabit *Franeq*. *Parisin*. cum Domino disputabit, *Rigalt*.
(6) *Abest* modestiæ *Rig*.
(7) Speculum *Rig*.
(8) Convictus atque colloquia *Rig*.
(9) Se veritate deducunt *Fran*. securitatem inducunt *Jun. Paris*.
(10) Noluit *Rig. male*.

COMMENTARIUS.

de numeri multitudine : candida, de caussæ fulgore. Sic ipse Tertullianus libro adversus Marcionem IV, *Candidam salutis*, pro *gloria salutis* ; et lib. V, *Pharisæam candidam*, pro fastu et superbia Pharisæorum. Rig.

CAP. VIII. — (a) *Pontificem maximum*. Intelligit flaminem dialem, qui non solum pontifex maximus dicebatur, sed etiam rex, quia arbiter rerum divinarum et humanarum. Tertullian. in exhort. ad Castitatem. cap. ult. Lac.

(b) *Cujus assertor cum Domino*. Assertor vindex est, qui aliquem vindicat in libertatem, hic pro patrono qui hominem tuendum suscipit. Rhen.

LIBER SECUNDUS.

Argumentum. — *Ejusdem fere argumenti hic liber cum superiore, nisi quod, humanæ fragilitatis memor, uxorem Auctor adhortatur, ut si secundas nuptias aliquando cogitaverit, a matrimonio cum gentilibus abstineat, utpote illicito, stupro simili, fidei nocido, ad infidelitatem prono, alienoque ab Ecclesiæ sacramento matrimonii, quod magnifice describitur.* Edd.

Primus igitur docet liber :

I. *Matrimonium a Deo institutum, unum esse*, c. 1, 2. II. *Abstinentiam matrimonio meliorem*, c. 3. III. *Exempla continentium viduarum*, c. 4. IV. *Secundas nuptias ob liberos suscipiendos non expedire*, c. 5. V. *Exempla a matrimonio abstinentium*, c. 6. VI. *Nuptias secundas Deo minus placere*, c. 7. VII. *His finem adjicit viduitatis encomium.*

In posteriori libro statuitur :

I. *Matrimonium cum gentili vetitum*, c. 1, 2. II. *Immundum, ut stuprum*, c. 3. III. *Veræ religionis officiis importunum*, c. 4. IV. *Gentilium ad ritus excitativum*, c. 6. V. *Magnum vero ac sanctum in Ecclesia sacramentum esse matrimonium quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, angeli renuntiant, Pater rato habet*, c. 8. Edd. e D. Schram.

CAPUT PRIMUM.

1. Proxime tibi, dilectissima in domino conserva, quid fœminæ sanctæ (a), matrimonio quacunque

COMMENTARIUS.

(a) *Fœminæ sanctæ*. Optime adnotavit Rhenanus per fœminas sanctas hic christianas intelligi ; pluries

Digitized by Google

sorte adempto, sectandum sit, ut potui prosecutus A sum. Nunc ad secunda consilia convertamur, respectu humanæ infirmitatis, quarumdam exemplis admonentibus, quæ divortio (*a*) vel mariti excessu, oblata continentiæ occasione, non modo abjecerunt opportunitatem tanti boni, sed ne in nubendo (*b*) quidem rursum disciplinæ meminisse voluerunt, ut *in Domino potissimum nuberent* (1 *Cor.*, VII, 39). Itaque mihi confusus est animus, ne qui nuper te ad univiratus et viduitatis perseverantiam hortatus sum, nunc mentione (*c*) nuptiarum, proclivium tibi labendi ab altioribus faciam. Quod si integre sapis (*d*), certe scis id servandum tibi esse, quod sit utilius. Quod vero difficile est, et non sine necessitatibus et hoc maximum propositum vitæ supremi præsidii (1). Nec mihi de isto quoque referendi ad te caussæ fuissent, nisi B graviorem meam (2) sollicitudinem comprehendissem. Nam quanto grandis est continentia carnis, quæ viduitatem ministrat, tanto, si non sustineatur, ignoscibilis videri potest; difficilium enim facilis est venia. Quanto autem nubere in Domino perpetrabile est, uti nostræ potestatis, tanto culpabilius est non observare quod possis. Eo accedit quod Apostolus de viduis quidem et innuptis, ut ita permaneant, suadet, cum dicit : *Cupio autem omnes meo exemplo perseverare* (I *Cor.*, VII, 7). De nubendo vero in Domino, cum dicit : *tantum in Domino*, jam non suadet, sed exserte jubet. Igitur in ista maxime specie, nisi obsequimur, periclitamur, quia suasum impune quid negligas, quam jussum (3), quod illud de consilio veniat et voluntati proponatur, hoc autem de potestate descendat et necessitati obligetur, illic libertas, hic contumacia delinquere videatur.

CAPUT II.

Igitur cum quædam istis diebus nuptias suas de Ecclesia tolleret, id est, gentili conjungeretur, idque ab aliis retro factum recordarer, miratus aut ipsarum petulantiam aut consiliariorum prævaricationem, quod nulla scriptura ejus facti licentiam profert. Numquid, inquam, de illo capitulo sibi blandiuntur primæ ad Corinthios (1*Cor.*, VII, 12-14), ubi scriptum est : *Si quis frater* (4) *infidelem habet uxorem, et illa matrimonio consentit, ne dimittat eam; similiter mulier fidelis, infideli nupta, si consentaneum* (5) *maritum experitur, ne dimiserit eum; sanctificatur enim infidelis vir a fideli uxore et infidelis uxor a fideli marito; cæterum immundi essent filii vestri.* Hanc monitionem (6) fors de fidelibus junctis (7) simpliciter intelligendo (8) putent (9) etiam infidelibus nubere licebit.

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Locum corruptum e cod. Agobardi sic restituisse sibi visus est Rigaltius :* Nunc ment. nupt., proclivium tibi cavendi ablationem faciam. Quod si i. s., certe istud servandum ibi esse, quod sit utilius. Quod — necess. hoc max. prop. vitæ, subresedi.

(2) *Rigalt.* in ea.

(3) *Cod. Wouneri :* quia tam suasum etc. *Rig. :* quia suas. imp. quis negligat, etc. *Fortasse scribendum :* quia C su. imp. quidem negligas, neutiquam jussum.

(4) *Rig.* fratrum.

(5) *Rig. et Pam.* consentaneum, *Seml.* consentanea.

(6) Motionem *ed.* 1. *Rhen.*

(7) Inventis *Rhen.* injunctis *Fran. Par.*

(8) Intelligendum *Seml.*

(9) Intelligendam putent *Fran. Paris.*

COMMENTARIUS.

enim apud hunc auctorem hanc vocem eo sensu reperies. Primi etiam Christiani sancti dicebantur, juxta illud Apostoli I Cor., VII : *alioqui filii vestri immundi essent, nunc vero sancti sunt.* Sanctus Lucas (*Act.* IX, 32) idem habet : *Petrus dum pertransiret universos, devenit ad sanctos qui habitabant Lyddæ*, et B. Paulus iterum; II ad Thessalon. cap. I : *Omnibus qui sunt Romæ vocatis sanctis.* Sanctissimi quoque olim dicebantur promiscue Episcopi, verum hanc sibi ex antiquitate servavit appellationem summus Pontifex solus. Le pr.

(a) *Divortio.* Ergo nonnunquam etiam uxores christianæ, conjugio per divortium solutæ, non exspectato mariti excessu, alteri nuptum ibant. Itaque non erant unius viri uxores. Sed nec erant unius uxoris viri, qui repudiata conjuge alteram duxerant. Hujusmodi personæ ex Apostoli sententia ordinibus D sive honoribus ecclesiasticis minus habiles censebantur, ut exempli non satis integri nec temperantis. Nam, etsi legibus vetita non essent ea conjugia, tamen expertia probri non erant, nec feliciter ecclesiam recturus videbatur, cui tam infelix conjugium cesserat : aut parum plebi christianæ servaturus benevolentiæ fidem, quam conjugi minime servaverat. Chrysostomi verba sunt, Pauli ad Titum Epistolam interpretantis : Ὁ γὰρ πρὸς τὴν ἀπελθοῦσαν μηδεμίαν φυλάξας εὔνοιαν, πῶς ἂν οὗτος γένοιτο προστάτης καλός; τίνα δὲ οὐκ ἂν ὑποσταίη κατηγορίαν; Ἴστε γὰρ ἅπαντες, ἴστε ὅτι εἰ μὴ κεκώλυται παρὰ τῶν νόμων τὸ δευτέροις ὁμιλεῖν γάμοις, ἀλλ' ὅμως πολλὰς ἔχει τὸ πρᾶγμα κατηγορίας. Le Pr.

(b) *Sed ne in nubendo quidem disciplinæ meminisse voluerunt.* Non accusat eas disciplinæ violatæ, eo quod, viro a quo dimissæ fuerant vivente, alteri nupserant; sed eo quod ethnico nupserant, nuptias suas extra Ecclesiam tulerant. Le Pr.

(c) *Ne nunc mentione nuptiarum proclivium tibi cavendi ablationem faciam.* Qui superiore libro uxori consilium dederat ut secundis nuptiis abstineret, dicturus jam de iisdem nuptiis, si in earum necessitatem incidat, nonnisi cum christiano faciendis, vereri se ait, ne istius secundariæ adhortationis indulgentia, prioris austeritatem deseruisse, aut de ea plurimum remisisse videatur, quam nihilominus observari vehementer cupiat. Itaque mihi confusus est animus, inquit, ne qui te nuper ad univiratus et viduitatis perseverantiam hortatus sum, nunc mentione nuptiarum *proclivium tibi labendi ab altioribus faciam.* Sic editiones Rhenani et Pamelii. At liber Agobardi extremam clausulam exhibet verbis ad Tertulliani sensum aptioribus, *ne proclivium tibi cavendi ablationem faciam.* hoc est, ne ablatio cavendi sit tibi velut proclivium. Vereor, inquit, ne mentio ista secundarum nuptiarum sit ablatio prohibitionis, atque inde ad secundas nuptias iter in proclivi. Proclivium dicit, labendi periculum, quod sane promptius est in proclivi. Proclive autem, seu proclivium, fieri videtur ablatione cavendi, quoties auferuntur obices aut præciduntur ansæ, quibus apprehensis caveri potuisset. Le Pr.

(d) *Quod si integre sapis, certe istud, servandum ibi esse, quod sit utilius* (juxta lect. Var.). Hic multa emendavimus, Agobardi libro sic suadente. Ait Tertullianus ad uxorem : Si integre ac perfecte sapis, ibi, hoc est, in mentione nuptiarum sectandum esse quod sit utilius, ut nempe secundis nuptiis abstineas. Quia vero arduum ac difficile hoc vitæ propositum esse scio, subresidere ac subsistere placuit, et pausam aliquam scribendi facere, dum me ad subsequens istud consilium colligo, neque de isto quidem ad te retulissem, nisi difficultatem com-

Digitized by Google

re (1). Qui ita interpretatur, absit ut sciens se circumscribat. Cæterum manifestum est scripturam istam eos fideles designare, qui in matrimonio gentili inventi a Dei gratia fuerint, secundum verba ipsa : *Si quis*, inquit, *fidelis uxorem habet infidelem*. Non dicit : « uxorem ducit infidelem. » Ostendit jam in matrimonio agentem mulieris infidelis, mox gratia Dei conversum, perseverare cum uxore debere, scilicet propterea, ne quis fidem consecutus putaret sibi devertendum esse ab aliena jam et extranea quodammodo fœmina. Adeo et rationem subjicit, in pace nos vocari a Domino (2), et posse infidelem a fideli per usum matrimonii lucrifieri. Ipsa etiam clausula hoc ita intelligendum esse confirmat, *ut quisque*, ait, *vocatur a Domino ita perseveret* (1 *Cor.* VII, 15-17). Vocantur autem gentiles, opinor, non fideles. Quod si de fideli ante matrimonium pronuntiasset absolute, permiserat sanctis vulgo nubere; si vero permiserat, nunquam tam diversam atque contrariam permissui suo pronuntiationem subdidisset, dicens : *Mulier defuncto viro* (*a*) *libera est : cui vult nubat, tantum in Domino*. Hic certe nihil retractandum est; nam de quo retractari (3) potuisset, Apostolus (4) cecinit : ne quod ait, *cui velit nubat*, male uteremur, adjecit, *tantum in Domino*, id est in nomine Domini, quod est indubitate, christiano. Ille igitur apostolus (5) sanctus, qui viduas et innuptas integritati (*b*) perseverare mavult, qui nos ad exemplum sui hortatur, nullam aliam formam repetundarum nuptiarum nisi in Domino præscribit, huic soli conditioni continentiæ detrimenta concedit : *Tantum*, inquit (*c*), *in Domino*. Adjecit pondus legi suæ tantum. Quo sono et modo enuntiaveris dictum istud, onerosum est; et jubet et suadet, et præcipit, et hortatur (*d*), et rogat et comminatur; districta (*e*), expedita sententia est et ipsa sui brevitate facunda. Sic solet divina vox, ut statim intelligas, statim observes (6). Quis enim non intelligere possit pericula multa et vulnera fidei in hujusmodi nuptiis, quas prohibet, Apostolum providisse, et primo quidem carnis sanctæ in carne gentili inquinamentum præcavisse? Hoc loco dicat aliquis : Quid ergo refert inter eum qui in matrimonio gentilis a Domino allegitur, et olim, id est ante nuptias fidelem, ut non proinde carni suæ caveant, cum alter a nuptiis infidelis arceatur, alter in iis perseverare jubeatur? Cur si a gentili inquinamur, non ille disjungitur, quemadmodum iste non obligatur? Respondebo : Si spiritus dederit, ante omnia allegans Dominum magis ratum habere matrimonium non contrahi, quam omnino disjungi : denique divortium prohibet, nisi stupri caussa, continentiam vero commendat. Habet igitur ille perseverandi necessitatem, hic porro etiam non nubendi potestatem. Tunc si secundum Scripturam qui in matrimonio gentili a fide deprehenduntur, propterea non inquinantur, quia cum ipsis alii quoque sanctificantur : sine dubio isti, qui ante nuptias sanctificati sunt, si extraneæ carni commisceantur, sanctificare eam non possunt, in qua non sunt deprehensi. Dei autem gratia illud sanctificat, quod invenit. Ita quod sanctificari non potuit, immundum est; quod immundum est, cum sancto non habet partem, nisi ut de suo inquinet et occidat.

CAPUT III.

Hæc cum ita sint, fideles gentilium matrimonia subeuntes stupri reos esse constat et arcendos ab omni communicatione fraternitatis, ex litteris Apostoli dicentis, *cum ejusmodi nec cibum sumendum* (1 *Cor.*, V, 11). Aut numquid tabulas nuptiales (*f*) de illo apud tri-

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Ita h. l. emend. Rigalt. Alii :* fors fidelibus invinctis (al. injunctis, al. inventis) simpl. intelligendam putent, et. i. n. licere, qui ita interpretantur. Absit, etc.

(2) *Rig.* ad Dominum deum.

(3) *Præter Rigaltium cæteri*, de eo quod tractari pot.

(4-5) *Utroque in loco Rhen. in Mss. legit :* Christus. *Rig.* Spiritus.

(6) *Rhen. et Pam. :* detractata et exerta sententia est et ipsa sui brev. fœcunda. Sic solet. Divina, uxor statim observes. Quis enim alius possit — apostolus providisse?

COMMENTARIUS.

perirem, majorem ea quam sermone superiore prospexeram. Deinde ostendit gravius peccare fœminam, quod gentili nubat, quam quod secundas ac tertias nuptias subeat. Mox de christianis extra Ecclesiam nuptias quærentibus asserit, et graviter stomachatur. LE PR.

CAP. II.— (a) *Mulier defuncto viro*. Hic paraphrasticôs transfert *defungit*, pro *dormire*, et græce et latine est apud Apostolum his verbis : *Quod si dormierit vir ejus*, familiarissima Scripturæ phrasi. PAM.

(b) *Innuptas integritati*. Ablativus est, non dativus. Itaque hic casus in omnibus nominibus utramque sortitur terminationem. Etenim *caput* in auferendi facit, *capite*, nihil clarius, et tamen Virgilius dixit :

Capiti tremit ærea cassis.

Et : *latus* mittit *latere*, et tamen idem :

Includunt cæco lateri.

Ubi *capiti* et *lateri* dixit pro *capite* et *latere*. Sic *ruri* et *vesperi* pro *rure* et *vespere* passim. LAC.

(c) *Tantum inquit in Domino*. Septimius noster adeo rigidus fuit christianæ disciplinæ cultor, ut in quibusdam nimia, si dicere fas est, sanctitate peccasse videatur; cujus peccati argumentum erit, quod in explicanda Pauli admonitione, qua docetur, viduam in ea esse libertate, ut nubat cui velit, modo nubat in Domino, ἐλευθέρα ἐστὶν, ᾧ θέλει γαμηθῆναι, μόνον ἐν Κυρίῳ : *libera est, cui vult nubat, tantum in Domino*. Taxatione illa, *tantum in Domino*, *indubitate est*, inquit, *christiano*. Hoc enim mollius ac benignius interpretatus est Chrysostomus, ut quod dicitur in Domino, sit μετὰ σωφροσύνης καὶ κοσμιότητος, ἐπὶ παιδοποιΐα καὶ προστασία, μὴ διὰ πάθους ἐπιθυμίας. *Cum castitate et mundilia, propter puerorum generationem et gubernationem, non per passionem desiderii;* quæ omnia contingere possunt etiam cum gentili, modo sit vitæ extra religionem inculpatæ. At Tertullianus noster præfracte : *tantum christiano*. RIG.

(d) *Et rogat et comminatur*. Instat Tertullianus et vocem Apostoli diligenter expendit, cui conformis est Pædagogus Clementis Alex. cap. 8. lib. III : τὰ μὲν παραινεῖ, τὰ δὲ ἀνατίθησιν : *partim suadet, partim exprobrat*. LE PR.

(e) *Districta, expedita sententia est*. Legebat cum Rhenano Pamelius *detractata et exerta sententia*, pro quo melius Rigaltius et clarius. LE PR.

CAP. III.—(f) *Numquid tabulas nuptiales die illo apud*

Digitized by Google

bunal Domini proferemus? et matrimonium rite contractum (1) allegabimus? quod vetuit ipse, non adulterium est? quod prohibitum est, non stuprum est? Extranei hominis admissio minus templum Dei violat, minus membra Christi cum membris adulteræ commiscet? Quod sciam, non sumus nostri (*a*), sed pretio empti; et quali pretio? sanguine Dei. Lædentes igitur carnem istam, eum lædimus. De proximo quid sibi voluit ille qui dixit, delictum quidem esse extraneo nubere, sed minimum, cum alias, seposita carnis injuria ad Dominum pertinentis, omne delictum voluntarium in Domino grande sit. Quanto enim potestas vitandi fuit, tanto contumaciæ crimine oneratur. Recensemus nunc cætera pericula et vulnera, ut dixi, fidei ab Apostolo provisa, non carni tantum, verum etiam ipsi spiritui molestissima. Quis enim dubitet obliterari quotidie fidem commercio infideli? Bonos corrumpunt mores confabulationes malæ; quanto magis convictus et individuus usus? Quævis mulier fidelis Dominum observet necesse est. Et quomodo potest duobus dominis deservire, Domino et marito, adde, gentili? Gentilem enim observando gentilia exhibebit, formam, exstructionem (*b*), munditias sæculares, blanditias turpiores, ipsa etiam matrimonii secreta maculosa; non ut penes sanctos officia (*c*) sexus cum honore ipsius necessitatis tanquam sub oculis Dei modeste (*d*) et moderate transiguntur.

CAPUT IV.

Sed viderit, qualiter viro officia pendat. Domino certe non potest pro disciplina satisfacere, habens in latere diaboli servum, procuratorem Domini sui ad impedienda fidelium studia et officia: ut si statio facienda est, maritus de die (*e*) condicat ad balneas; si jejunia observanda sunt, maritus eadem die convivium exerceat; (*f*) si procedendum erit, nunquam magis familiæ occupatio obveniat. Quis enim sinat conjugem suam visitandorum fratrum gratia vicatim (*g*) aliena et quidem pauperiora quæque tuguria circuire? quis nocturnis convocationibus, si ita oportuerit, a latere suo adimi libenter feret? quis denique solemnibus Paschæ abnoctantem securus sustinebit? quis ad convivium dominicum illud, quod infamant (*h*), sine sua suspicione dimittet? quis in carcerem ad osculanda vincula martyris reptare

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Hæc W.* matrimonium rite contractum *desunt in ed. Rigalt.*

COMMENTARIUS.

tribunal Domini proferemus? et allegabimus quod vetuit ipse? Erant scilicet quæ maritis non christianis nuberent, ac nihilominus in Domino nubere crederent: nuptiis videlicet justis ac legitimis, et liberorum quærendorum, non libidinis, caussa; verum hosce colores diluit Tertullianus, conversusque ad uxorem: non satis est, inquit, rite ac legitime nupsisse, et conjugii fidem sancte coluisse: nec tibi caussam ante Domini tribunal dicenti quicquam proderit tabulas nuptiales proferre, nam tabulas allegando, conjugium allegabis cum infideli: et allegatione tua te ipsam damnabis peccati, quod evitari Dominus per Apostolum jussit. Quid enim his verbis, *Tantum in Domino*, vetitum putas? Stuprum? Adulterium? Hæc alio quidem legis capite vetantur, non isto. Christianus, seu vir, seu fœmina, templum Dei est. Fœmina christiana, quæ viro nubit non christiano, templum Dei contaminari et inquinari patitur: imo turpius, quam adultera. Nempe alieni viri admissio templum illud minus violat, minus membra Christi cum membris adulteræ commiscet. Quod ut scias ac diligenter perpendas etiam atque etiam volo. Non sumus nostri; sed pretio empti, et quidem sanguine Dei. Lædentes igitur carnem istam, Deum lædimus de proximo qui carnem ejus lædimus, carnem sanguine ipsius redemptam. Hæc omnino fuit mens Tertulliani. Rig.

(a) *Quod sciam, non sumus nostri.* Vetus exemplar, *Quod sciat*, Scribendum, *quod scias*, vel, *quod sciam*, usitatissima Tertulliano formula. Rig.

(b) *Formam, exstructionem.* Exstructionem intellige capilli struicem, suggestum, quo Juv. in 6. *altum ædificat caput.* Rig.

(c) *Ut penes sanctos officia sexus*, etc. De hac voce jam diximus, hic autem per *officia sexus* intelligit ἁγνὴν ἀναστροφὴν, *vitam castissimam*, ut est apud B. Petrum Epist. prioris cap. 3. Le Pr.

(d) *Tanquam sub oculis Dei modeste et moderate transiguntur.* In eamdem sententiam Hieronymus in Epist. ad Titum, cap. 2: *Ut cum pudore et verecundia, et quasi necessitate sexus, reddat potius debitum viro quam ipsa exigat ab eo, et opera liberorum ante oculos Dei et Angelorum perpetrare se credat.* Rig.

CAP. IV. — (e) *Maritus de die condicat ad balneas.* Vetus exemplar, *Concedat.* Rig.

(f) *Si procedendum erit.* Veterem procedendi seu supplicandi ritum in Ecclesia notat, hicque locus illustris est ad confirmationem rituum plurimorum. Atque mirari subit oscitantiam Magdeburgensium, qui cum procedendi ritum seu *processiones* ad hæresin Montani referunt, cum tamen alibi librum hunc a Tertulliano scriptum fateantur antequam hæresi Montani nomen dedisset. Nescio an satis tute illos derideat Albaspineus, qui de procedendi ritu has voces intelligunt, cornicum oculos, ut puto, confixit. Le Pr.

(g) *Vicatim.* Vetus exemplar, *Viatim.* Rig.

(h) *Ad convivium illud dominicum.* Sub finem hujus libri, dicet, *Convivium Dei.* Utrobique autem significari videtur, quod Paulus priore ad Corinthios, cap. XI dixit, Κυριακὸν δεῖπνον, Cœnam Dominicam, increpans Corinthios, quod ad Dominicam accederent ut ad suam, τὸ κυριακὸν ἰδιωτικὸν ποιήσαντες; quod eucharisticà munera potentiores aut ditiores soli invaderent et consumerent, non exspectatis aut non admissis in partem tenuioribus. Hoc certe non erat Dominicam cœnam manducare, quæ cum sit corpus Domini, digne tractari debuerat. Indignissime autem tractabant, qui cæteros fideles, quamvis pauperes, fratrum loco non habebant, tam caritatis quam humilitatis expertes, ac proinde rei corporis et sanguinis Domini, qui tam impudenter ad se raperent quod erat omnium commune. Hæc ita interpretari videtur Hieronymus. Theodoretus vero ad Agapas referre maluit, quæ solemnibus diebus post Cœnam Dominicam celebrarentur, ut Apostolus ad superbiam aut gulam divitum corinthiorum increpandam Cœnæ Dominicæ mentionem injecerit, quo magis eorum inverecundiam retunderet, qui statim a Cœna Dominica, quam ipsi cum tenuissimis quibusque ex æquo, utpote fratribus, participaverant, talem mox ad Agapas fastum induerent, ut occuparent epulas primi, tenuioribus in partem minime vocatis aut exspectatis, quod erat Cœnæ Dominicæ indignissime, hoc est, perfide ac perperam celebratæ argumentum. Cæterum, istius interpretationis momento si forte adeo impellimur,

Digitized by Google

patietur? Jam vero alicui fratrum ad osculum convenire? aquam sanctorum pedibus offerre? de cibo, de poculo invadere, desiderare, in mente habere? Si et peregre frater adveniat, quod in aliena domo hospitium? si cui largiendum erit horreum, proma præclusa sunt.

CAPUT V.

Sed aliqui sustinent nostra, nec obstrepunt. Hoc est igitur delictum, quod gentiles nostra noverunt, quod sub conscientia istorum (1) sumus, quod beneficium eorum est, si quid operamur. Non potest se dicere nescire, qui sustinet: aut si celatur, quia non sustinet, timetur. Cum autem Scriptura utrumque mandet, et sine alterius conscientia et sine nostra pressura operari Domino, nihil interest, in qua parte delinquas, aut in conscientia mariti, si scit ut patiens, aut in conflictatione tui, dum vitatur impatiens. *Nolite*, inquit, *margaritas vestras porcis jactare*, ne conculcent ea, et conversi vos quoque evertant (II *Matth.*, VII, 6). Margaritæ vestræ sunt quotidianæ conversationis insignia. Quanto curaveris ea occultare, tanto suspectiora feceris et magis cavenda (2) gentili curiositati. Latebisne tu, cum lectulum, cum corpusculum tuum signas, cum aliquid (*a*) immundum flatu exspuis (3), cum etiam per noctem exsurgis oratum, et non magiæ aliquid videberis operari? Non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes; et si sciverit panem, non illum credit esse qui dicitur? Et hæc ignorans quisque rationem simpliciter sustinebit, sine gemitu, sine suspicione panis an veneni? Sustinent quidam (*b*): sed ut inculcent, ut illudant hujusmodi

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Rig.* Sed aliquis sustinet nostra nec obstrepit. Hoc — sub consc. injustorum etc. (*al.* justorum).

(2) *Rig.* captanda.

(3) *Rig.* flantis explodis.

COMMENTARIUS.

ut hic etiam Agapas a Septimio nostro Convivium Dei, et Convivium Dominicum dici abitremur, vix erit hujusce appellationis caussa probabilior, quam et Agapas ideo Dominicas nuncupari placuisse, quia Dominicis diebus ad eas Christiani convenirent. *Convivium illud Dominicum quod infamant*: nimirum ethnici. Ipse in Apol. *Nam et cœnulas nostras præterquam sceleris infames, ut prodigas suggillatis.* Et hoc ipso libro, pag. seq. ubi de ethnico christianæ marito: *Non sciet maritus quid secreto ante omnem cibum gustes? et si scierit panem, non illum esse credit qui dicitur?* hoc est, infantis jugulati cruore et sanguinis jurulentia satiatus. Ipse in Apolog.: *Dicimur sceleratissimi de sacramento infanticidii et pabulo, inde et post convivium incesto.* Utriusque calumniæ fabulam texebat Cirtensis ille apud Minucium, eo majore impudentia, quod Plinii secundi ad Trajanum Imp. litteris de mendacio constabat. Is enim habita quæstione, hocce de christianæ religionis desertoribus, qui etiam maledixerant Christo, comperisse affirmat, morem Christianis fuisse coeundi quidem ad cibum capiendum, *sed promiscuum et innoxium.* Observandum vero, inter tot probra et convicia accusantium Christianos impietatis, eo quod neque aras haberent neque sacrificarent, interque tot fratrum perfidorum transfugia, non extitisse qui Christianos criminarentur, quod Dei ac Domini sui carnes ederent, sanguinem potarent; cum id se facere in eucharisticis suis testarentur. Rig.

CAP. V.—(a) *Aliquid immundum flantis.* Sic optime vetus exemplar. Aliquid flantis immundum dicit, nidoris aliquid, quo de ara fumante christianæ transeuntis nares adflari atque offendi contingebat. Rig.

(b) *Sustinent quidam sed ut inculcent, ut illudant hujusmodi fœminis*, etc. Ostendit quæ pericula imminent, quæ vulnera fidei infligantur, ob dispares nuptias christianæ cum gentili: cum ipsa quidem conversatione et familiari convictu Ecclesiæ sacramenta, quæ melius inter christianos conjuges celarentur, in profanorum oculos veniant, unde captatoribus occasiones vexandi calumniandique præbeantur. Nam qui fieri potest ut non aliquando deprehendatur a marito mulier, cum ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum et calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, frontem crucis signaculo teret? cum aræ fumantis odorem nidoremve detestata exsufflabit ac despuet? cum denique per noctem ad conventus antelucanos hymnos Christo Deo dictura surget? Hæc ille non interpretabitur quasi diras, et defixiones, et magica quædam incantamenta? Non sciet, cum servatam domi eucharistiam sumes? Non sciscitabitur curiosius, quid secreto ante omnem cibum gustes? Et si sciverit panem esse, non continuo secum reputabit, panem illum esse, qui dicitur infanticidii cruore tingi? Quæ calumnia Christianos tum maxime vexabat. Demus vero aliquem reperiri, qui nihil de magicis artibus, nihil de infantium cæde, nihil de crudæ carnis pabulo, nihil de pane cruentato suspicetur; sed eorum, quæ supra diximus, signaculi scilicet, exsufflationis, cœtuum antelucanorum, panis diligentius asservati rationes simpliciter ignoret; an putas eum esse, qui hæc ignorata sustineat sine gemitu? Certe si nihil de pane illo furiali et barbaro suspicetur, at de pane venenato aliquid suspicabitur, et jam metuere incipiet, ne pro matre familias veneficam duxerit. At hæc omnia sustinent quidam, sine gemitu, sine suspicione veneni. Sed sustinent, ut uxores suas proterant ac ludibrio habeant, quarum arcana in hunc usum reservent, ut habeant unde iis periculum creare possint, si forte in adulterii, falso plerumque crediti, suspicionem veniant. Sustinent, et cum exploravere, ipsimet ea produnt, ut fidem christianam excutiant uxoribus suis parum constantibus, aut constantioribus dotem. Erant enim quæ pecunias concussoribus ac delatoribus darent non modicas, ne deferrentur, nec deerant mariti qui captarent ac delatores subornarent, quibuscum de pecuniæ quota subjectis nominibus paciscerentur, eaque subjectione nominis, id est creditoris, plerumque uxorum christianarum dotes turpissima de pactione pro mercede silentii prædabantur. Nam si fraudatæ dotis ageret uxor, statim, quia christiana, ab delatoribus, quos maritus subjecerat ac subornaverat, in discrimen capitis adducebatur, sic ipse maritus speculator, qui per nuptiarum occasionem arcana christiana subdole speculatus erat, litis arbiter fiebat, erat enim necesse uxori, nisi mori paratissima esset, fidem Christo dictam perdere, vel dotem. Hoc omnino voluit Tertullianus. Iis autem verbis, *Et, si sciverit panem, non illum credit esse qui dicitur*, notam interrogandi minime apponendam qui existimant, falluntur, etenim commata quæ antecedunt quæque sequuntur, apertissimo sensu interrogant. Itaque illic etiam, interrogat Tertullianus. An vero simile videatur christianam, quæ gentili nupsit, mysteria christiana celare sic posse, ut cum eucharistiam domi servabit, ille non inquirat quid ab ea religiose servetur? et si sciverit panem, inquit, nonne

Digitized by Google

fœminis, quarum arcana (*a*) in periculum quod credunt servent, si forte lædantur (*b*) ipsi; sustinent quarum dotes objectione nominis (1) mercedem silentii faciant, scilicet apud arbitrum speculatorem litigaturi. Quod pleræque non providentes, aut re excruciata, aut fide perdita recesserunt (2).

CAPUT VI.

Moratur (*c*) Dei ancilla cum laribus alienis, et inter illos omnibus honoribus dæmonum (3), omnibus solemnibus regum, incipiente anno, incipiente mense, nidore thuris agitabitur. Et procedet de janua laureata (*d*) et lucernata, ut de novo consistorio libidinum publicarum; discumbet cum marito in sodalitiis, sæpe in popinis; et ministrabit nonnunquam iniquis, solita quondam sanctis ministrare; et non hinc præjudicium damnationis suæ agnoscet, eos observans, quos erat judicatura? Cujus manum desiderabit (*e*)? de cujus poculo participabit? Quid

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Rig.* Sustinent quidam, reservent, si f. lædantur. Sustinent, qu. d. subjectione nominis etc.

(2) *Ita cod. Wouw. Rig.* recognoscere consuerunt; *cæteri* recensuerunt.

(3) *Rig.* cum laboribus alienis — omn. nominibus dæmonum.

COMMENTARIUS.

credet eum esse qui dicitur, id est, quem vulgus infamat? Rig.

(a) *Quarum arcana in periculum quod credunt reservent, si forte lædantur.* Uxorum arcana dicit, quod uxores suas christianis sacris operantes non prodant. Earum igitur arcana mariti ethnici in periculum quod credunt reservant, hoc est, in periculum quod nomini christiano imminere credunt, persecutione ut sperant exarsura, ita ut tunc temporis eas prodant, si qua forte animi læsura undeunde concepta perniciem eis exoptent. Rig.

(b) *Si forte lædantur.* Hoc est, si qua forte incidat animi læsura, si quod jurgium, si qua læsio, querela, offensa, si qua noxa, si qua lis, si quod discrimen. Hinc illæ affectuum voces in sepulcrorum inscriptionibus : DE QUA NIHIL DOLITUS EST. DE QUA NULLUM DOLOREM ACCEPERAT. CUM QUA VIXIT SINE ULLA LITE. SINE ULLO JURGIO. SINE ULLA ANIMI LÆSURA. SINE BILE, et cætera hujusmodi. Rig.

CAP. VI. — (c) *Moratur Dei ancilla cum laboribus alienis.* Sic emendavimus quod ante repertum Agobardi codicem legebatur, *cum laribus alienis.* Mendosissime. Nam si lares pro domicilio dixerit, non est cur domus mariti aliena conjugi censeri debeat. Si lares deos penates intelligat, inepte christiano quis objiciat, quod lares alienos colat, non suos, qui nec suos agnoscit ullos. At jure exprobrat Christianæ, quæ, cum ancilla Dei sit, moratur cum laboribus alienis, quam conveniret occupari suis. Sunt labores christianorum proprii : sunt gentilium. Horum labores Auctor innuit : concursare et occupari circa dæmonum cultus, et pro variis eorum nominibus varia sacrificia procurare, instruere, conficere, alia Jovi, alia Marti, alia Cereri, ovantiis et solemnibus Cæsarum interesse incipiente anno, incipiente mense; ad januam laurum depangere, lucernas accendere. Hi labores omnino alieni sunt christianis. At sunt alii proprie christianorum, quos et ipse Tertullianus describit : stationes obire, jejunia observare, procedere, pernoctare solemnibus Paschæ, in carcerem ad osculanda martyrum vincula reptare, alicui fratrum ad osculum convenire, aquam sanctorum pedibus offerre. Rig.

(d) *Et procidet de janua laureata et lucernata, ut de novo consistorio libidinum publicarum.* Moris erat apud Ethnicos in lætitia publica non solum lauros affigere januis ædium suarum, verum etiam per diem lucernas accendere. Quod ut dicatum honori numinum profanorum, ut naturæ et rationi contumeliosum, denique ut signum novi alicujus lupanaris, Christiani abhorrebant. Septimius noster in Apologetico : *Cur die læto non laureis postes obumbramus? nec lucernis diem infringimus?* Rationem ridendo subjungit : *Honesta*, inquit, *res est solemnitate publica exigente induere domui tuæ habitum alicujus novi lupanaris.* Et : *Quis enim philosophum sacrificare, aut lucernas meridie vanas prostituere compellit?* Atque hoc sensu Canone XXXVII Conc. Eliberini prohibetur, *Ne lucernas publice accendant fideles*, per diem scilicet, ritu gentili; et can. XXIV Concilii Arel. II communione privatur episcopus qui etiam infideles in territorio patitur *faculas accendere.* Sed et XXXIV canon Eliberinus vetat cereos in cœmeterio per diem incendi, ne spiritus sanctorum inquietentur. Quare autem hujusmodi officiis spiritus sanctorum inquietari contingeret, docuit Lactantius asperrima ritus gentilis increpatione lib. VI. cap. 2. Subinde tamen cerearum candelarum etiam per diem usus in Ecclesia cœpit; nec defuit e sanctissimis atque doctissimis Hieronymus, qui talem ritum, si non probari, saltem excusari ac tolerari debere adversus Vigilantium contenderet : ut mirari subeat, acris ingenii virum calore disputandi succensum, laudato mulieris Christi pedes ungentis exemplo, de Vigilantio suo non fecisse Iscarioten. Idem Hieronymus morem Ecclesiarum totius Orientis fuisse testatur, Evangelio legendo luminaria etiam sole rutilante accendi : *Non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.* Quæ ratio ritum ostendit eo magis ethnicum, quod ea signa, quibus gentes in lætitia etiam proteriore ac nequiore utebantur, sacratissimis Evangeliorum lectionibus accommodarentur. Quare in hac etiam specie diceret Septimius, accensas in Ecclesia per diem lucernas adæquare nos ethnicis, eas igitur atque hujuscemodi alia merito reprehendi, quod apud idola celebrentur : sic enim ipse. At Hieronymus, eadem illa, quia tunc fiebant idolis, idcirco detestanda quidem fuisse : nunc vero, quia Deo, quia martyribus Dei dedicantur, idcirco laudanda. Itaque hic gradum sisto. (Imo arduum pergit iter novaturiens Rigaltius, usumque cereorum per diem accensorum ad Naturæ tribunal, Rationisque scrutinium defert; quem et nos deferimus ad vetustissimam gentium omnium haud secus ac totius ecclesiæ traditionem, ut videre est in vulgatis ea de re commentationibus P. Lebrun. *Explicat. des prières et des cérém. de la Messe, traité prélimin. art.* V. Cf. Fortunat. Scacchi. *Sacror. Elæochrismatum myrothecia tria.* Edd.)

(e) *Cujus manum desiderabit.* Editiones vulgatæ : *De cujus manu desiderabit.* Mox : *ubi fomenta fidei scripturarum interjectione.* Est in vulgatis, *de scripturarum intellectione.* Utrum libuerit sequamur, non refert. Manum desiderare, vel, de manu desiderare, idem est. Sic supra, cum officia christiani recenset, *Aquam sanctorum pedibus offerre, de cibo, de poculo invadere, desiderare, in mente habere*; quæ ad Christianorum agapas pertinent, et sunt amoris vehementis indicia, qualia poetæ passim describunt : sed lasciva illa fere, et turpia libidinis impermissæ desideria; hæc vero sancta inter sanctos mutuæ dilectionis et fraternitatis argumenta, quibus Christiani sese ob Christi nomen summa invicem fide unanimes, Dominum suum Patremque unum cum Spiritu sanctissimo

Digitized by Google

maritus suus illi, vel marito quid illa cantabit? Audiat sane, audiat aliquid de scena, de taberna, de ganea; quæ Dei mentio? quæ Christi invocatio? ubi fomenta fidei de Scripturarum interlectione? ubi spiritus refrigerium? ubi divina benedictio? Omnia extranea, omnia inimica, omnia damnata, adterendæ (1) saluti a malo immissa.

CAPUT VII.

Hæcsi illis quoque (*a*) evenire possint, quæ in matrimonio gentilis fidem adeptæ morantur, tamen excusantur, ut in ipsis deprehensæ a Deo, et jubentur perseverare et sanctificantur et spem lucrationis accipiunt. Si ergo ratum est apud Deum matrimonium hujusmodi, cur non prospere cedat, ut et a pressuris et angustiis et impedimentis et inquinamentis non ita lacessatur, jam habens ex parte divinæ gratiæ patrocininm? Nam et ad aliquam virtutem cœlestem documentis dignationis alicujus vocata illa de gentibus (2) terrori est gentili, quo minus sibi obstrepat, minus sciat, minus speculetur. Sensit magnalia, vidit experimenta, scit meliorem factam; sic et ipse Dei candidatus est timore. Ita facilius hujusmodi lucrifiunt, in quos Dei gratia consuetudinem fecit. Cæterum aliud est ultro et sponte in prohibita descendere. Quæ Domino non placent, utique Dominum offendunt, utique malo inferuntur (3). Hoc signi erit (*b*), quod solis pejoribus (4) placet nomen christianum. Ideo inveniuntur, qui tales non exhorreant, ut exterminent, ut abripiant (5), ut a fide excludant. Habes caussam, qua non dubites, nullum hujusmodi matrimonium prospere decurri; [dum] a malo conciliatur, a Domino vero damnatur.

CAPUT VIII.

Ad hoc quæramus, an jure, quasi revera dispectores divinarum sententiarum. Nonne etiam penes nationes severissimi quique domini et disciplinæ tenacissimi servis suis foras nubere interdicunt? scilicet ne in lasciviam excedant (*c*), officia deserant, dominica extraneis promant. Nonne insuper censuerunt (*d*) servituti vindicandos (*e*), qui cum alienis servis

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Rhen.* abterrendæ, adterrendæ, *al.* abtenendæ.

(2) *Ita h. l. emend. A. Neander. Optime Rig., quem in cæteris secuti sumus*; vocatus ille de gentibus terrori est gentili.

(3) *Leop.* malo se inferunt.

(4) *Rhen. aliique:* Hoc signi erit ut solis, quod solis petitoribus pl. etc.

(5) *Rhen.* ut exerta eminent (ed. I, exerte animent), ut arripiant.

COMMENTARIUS.

Deum toto animo, tota mente, quærere, optare, deperire contestabantur. Rig.

CAP. VII.—(a) *Hæc si illis quoque evenire possunt*, etc. Tertulliano christianarum cum gentilibus nuptias tam acerbe damnanti enumerantique pericula, objiciebatur, in gentilium conjugio, si quando alter conjugum ad christianam fidem vocaretur, eadem omnino esse metuenda: nec propterea tamen dissolvi, imo ne dissolvantur disertissimis interdicti apostolici verbis caveri. Idcirco adjicit: *Hæc illos quoque evenire possunt, qui et in matrimonio gentili fidem adepti morantur: tamen excusantur, ut in ipsis deprehensi a Deo, et jubentur perseverare, et sanctificantur, et spem lucrationis accipiunt. Si ergo ratum est apud Deum matrimonium hujusmodi; cur non et prospere cedat, ut pressuris et angustiis et impedimentis non ita lacessatur, habens jam ex parte divinæ gratiæ patrocinium? Nam et ad aliquam virtutem cœlestem documentis dignationis alicujus vocatus ille de gentibus terrori est gentili, quo minus speculetur. Sensit magnalia; vidit experimenta: scit meliorem factam. Sic et ipse Dei candidatus est timore. Ita facilius hujusmodi lucrifiunt, in quos Dei gratia consuetudinem fecit.* Totam hanc periodum ex Agobardi libro descripsimus, quia sensum Auctoris exhibet luculentiorem. Disserit de conjugio gentili, ac designatione sexus præstantioris communes utrique rationes examinat. Plurima, inquit, ostendimus christianis, gentilium connubia quærentibus, incommoda, pericula, damna, quæ illis etiam evenire possunt qui in matrimonio gentili, fidem adepti christianam, morantur, tamen excusantur isti, ut in ipsis conjugii periculis a divina gratia deprehensi, et jubentur perseverare, et sanctificantur, et spem lucrationis accipiunt. Deinde progressus, ostendit matrimonium hujusmodi habere jam ex parte divinæ gratiæ patrocinium; imo vocationem illam de gentibus ad christianam disciplinam, indicium esse divinæ dignationis et terrorem incutere gentili, quo minus speculetur, minus insidietur, minus obstrepat, qui subitæ mutationis miracula percipiat, uxorem sciat meliorem factam, ex quo christianam: sic et ipsum eo timore ac reverentia candidatum esse Christi. Alludit ad davidicum illud: Ἀρχὴ σοφίας φόβος κυρίου. Tum subjicit discrimen ejus quæ jam christiana gentili nubit. Cæterum, aliud est, inquit, ultro et sponte in prohibita descendere. Quæ Deum offendunt, utique a Malo inferuntur. Rig.

(b) *Hoc signi erit, quod solis pejoribus placet nomen christianum.* Sic arbitror legendum, non ut vulgo, *Solis petitoribus.* In membranis invenio: *Solis et itioribus.* Quod mendosum est. Erant inter ethnicos nonnulli meliores aliis. Sic in Scorpiace: *Ut putes fratrem, aut de melioribus ethnicum.* Ut autem meliores quidam, sic etiam pejores quidam. Ait igitur Tertullianus, Quæ Deum offendunt a Malo inferri; idque ex eo manifestum fieri, quod ex gentilibus christianarum nuptias ambiant ii præsertim, qui vitæ sunt pejoris et turpioris, quique inter pejores habentur, hos instigat malus, sive Satanas, ut per ejusmodi nuptias christianæ puellæ fidem evertat. Ideo ethnici inveniuntur, inquit Tertullianus, qui tales, id est christianas, non exhorreant, ut exterminent, ut abripiant, ut a fide excludant.—*Solis pejoribus.* Quemadmodum inter ethnicos alios aliis pejores dicit Septimius, sic Augustinus dixit inter christianos esse alios aliis meliores. Sic enim l. VIII, de Civ. Dei, c. 27, ubi de epulis ad memorias martyrum: *Quod quidem*, inquit, *a christianis melioribus non fit, et in plerisque terrarum nulla talis est consuetudo.* Rig.

CAP. VIII. — (c) *Scilicet ne in lasciviam excedant.* Vetus exemplar. *In lascivia*, quod retineri velim. Excedant, nempe domo herili. Rig.

(d) *Nonne insuper censuerunt servituti vindicandos qui cum alienis servis*, etc. Intelligit SC. Claudianum de mulieribus quæ se alienis servis junxerant, ad quod Senatusconsultum Julius Paulus Sententias composuit, quas e codice Vesontino Cujacius *Observationum suarum libro vigesimo primo* inseruit. Prima Sententia Tertulliani locum satis illustrat: *Si mulier ingenua civisque romana vel latina alieno se servo conjunxerit, si quidem invito et denuntiante domino in eodem contubernio perseveraverit, efficitur ancilla.* Rig.

(e) *Servituti vindicandos, qui cum alienis servis.* Sic habet exemplar Agobardi; sic alii veteres libri. Clau-

Digitized by Google

post dominorum denuntiationem in consuetudine perseverarunt? Severiores habebuntur terrænæ disciplinæ cœlestibus præscriptis? ut gentiles quidem extraneis junctæ libertatem suam amittant, nostræ vero diaboli servos sibi conjungant et in statu suo perseverent? Scilicet negabunt sibi a Domino per apostolum ejusdem denuntiatum. Quam hujus amentiæ (*a*) caussam detineam, nisi fidei imbecillitatem pronam semper in concupiscentiam sæcularium gaudiorum? Quod quidem plurimum in lautioribus deprehensum est; nam quanto dives aliqua est matronæ (1) nomine inflata, tanto capaciorem domum oneribus suis requirit, ut campum in quo ambitio decurrat. Sordent talibus Ecclesiæ. Difficile in domo Dei dives, ac si quis est, difficile cælebs. Quid ergo faciant? Unde nisi a diabolo maritum petant idoneum exhibendæ sellæ et mulabus et cinerariis peregrinæ proceritatis? Christianus ista etiam dives fortasse non præstet. Quæso te, gentilium exempla proponas tibi. Pleræque et genere nobiles et re beatæ passim ignobilibus (*b*) et mediocribus ibi conjunguntur ad luxuriam inventis aut ad licentiam sectis (2) (*c*). A Nonnullæ se libertis et servis suis conferunt, omnium hominum existimatione despecta, dummodo habeant a quibus nullum impedimentum libertatis suæ timeant (3). Christianam fidelem fideli re minori nubere piget, locupletiorem futuram in viro paupere? Nam si pauperum sunt regna cœlorum (*Matth.*, V, 3), quia divitum non sunt, plus dives in paupere inveniet majore dote (4). Sit illa ex æquo in terris, quæ in cœlis forsitan non erit.

CAPUT IX.

Dubitandum et inquirendum et identidem deliberandum est, an idoneus sit invectis dotalibus, cui Deus censum suum credidit. Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat (*d*), et confirmat oblatio (*e*), et obsignat B benedictio (*f*), angeli renuntiant (*g*), Pater rato habet (*h*)? Nam nec in terris filii sine consensu patrum recte et jure nubunt. Quale jugum fidelium duorum unius spei, unius disciplinæ, ejusdem servitutis! Ambo fratres, ambo conservi, nulla spiritus carnisve discretio. Atquin vere duo in carne una; ubi caro una, unus et spiritus. Simul orant, simul volutantur (*i*) et

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Seml. ex. ed. pr.* aliqua est commatrona nom. *Rhen. auctoritate cod. Gorz.* aliqua est et matrona nom. infl., tanto capacem d.

(2) *Al.* pessimis de ignob. — expetitis; *al.* exspectatis, *Rig.* sectis.

(3) *Vv.* Nonnullæ — timeant *desunt in ed. Rig. Veneta.*

(4) *Rig.* inveniet. Majore dote dotabitur de bonis ejus, qui in deo dives est. Sit illa etc.

COMMENTARIUS.

diano tamen senatusconsulto cautum fuisse non legitur, ut liber homo ancillæ contubernium secutus, servus domini mulieris fieret. Neque in Pauli Sententiis liberi hominis ulla mentio. Sed etsi aliquando etiam ad liberos homines Senatus-consultum pertinuisset, ita ut corrigi fuisset necesse Diocletiani et Alexandri legibus, quæ sub titulis, *De liberali caussa, et Communia de successionibus*, leguntur; hic tamen aliqua foret opus emendatione, ac servituti vindicandos diceremus, qui cum alienis *ancillis* in consuetudine perseverassent, non qui cum alienis *servis*. Cum et alibi et hoc maxime libro Septimius ancillarum sit usus vocabulo. Itaque libens accederem legentibus, *servituti vindicandas quæ cum alienis servis in consuetudine perseverassent*, nisi scirem Septimium nostrum hæc aliquando sexuum discrimina stylo properante minus observasse. Rig.

(a) *Quam hujus amentiæ caussam detineam.* Detineam, accusem. Sic lib. I ad Nat.: Quid enim tale in vobis detinebo? Rig.

(b) *Passim ignobilibus et mediocribus ibi conjunguntur.* Ibi, hoc est, apud gentiles. Sic supra, *Certe istud servandum ibi esse.* Ibi, id est, in nubendo Rig. D

(c) *Aut ad licentiam sectis.* Major licentia fœminarum, cum abortivo non est opus. Securam libidinem dixit Hieronymus, lib. I advers. Jovinianum: *Et in longam securamque libidinem exsectus spado.* Juvenalis Sat. VI:

> Sunt quas eunuchi imbelles et mollia semper
> Oscula delectent, et desperatio barbæ,
> Et quod abortivo non est opus.

Martialis, epigr., 67, lib. VI. Rig.

CAP. IX.—(d) *Quod Ecclesia conciliat.* Quum scilicet nuptias suas Christiani de Ecclesia non tollunt: cum utrimque Christiani conveniunt: cum sibi christiana conjugem quærit christianum, atque in Ecclesia christianæ conversationis honestate spectatum, sua dentibus vel addiscentibus Ecclesiæ præpositis. Rig.

(e) *Et confirmat oblatio.* Cum ab Ecclesiæ præpositis conjugium, uti Septimius dixit, conciliatum solemni die Ecclesiæ sistitur, communibus Fidelium votis inter sacrificiorum orationes benedicendum. Sic novitios christianos, aquis salutaribus impetratis, C Ecclesiæ fidelium oblatos fuisse tradit Justinus Apolog. II: μετὰ τὸ οὕτως λοῦσαι τὸν πεπεισμένον καὶ συγκατατεθειμενὸν ἐπὶ τοὺς λεγομένους ἀδελφοὺς ἄγομεν ἔνθα συνηγμενοι εἰσι κοινὰς εὐχὰς ποιησόμενοι ὑπέρ τε ἑαυτῶν καὶ τοῦ φωτισθέντος. Rig.

(f) *Et obsignat benedictio.* Cum oblatis conjugibus Ecclesia conceptis ad Deum precibus εὐρημέαις καὶ εὐλογίαις benedicit, quod est sacramenti signaculum. Digna politicis christianis cura vinculi conjugalis honestas, cum sit maris et fœminæ conjunctio familiarum omnium adeoque totius reipublicæ fundamentum, et vitæ civilis origo. Itaque ne promiscua libido vota publica confunderet, imponendæ fuerant leges, quæ justas nuptias, ac proinde justos et legitimos filios facerent, ut qui adversus earum præcepta legum coirent, eorum conjugia nullo juris civilis affectu beneficiove juvarentur. Et politicas leges christianis sacramentis perfici conveniebat, ut non ante matrimonia censerentur, quam fuissent conjuges in Ecclesia coram pastoribus et populo propositi ac prædicati, ut fidelium conjugio fideles jam inter sese frequentibus orationum et gratiarum commerciis notissimi benedicerent, bene precarentur. Atque hæc vetus Ecclesiæ forma clandestina conjugia nesciebat, quæ vaga et effrænis extra proprias ecclesias discurrendi ac divortendi licentia paulo post invexit. Rig.

(g) *Angeli renuntiant.* Angelos conjugalis sacramenti testes innuit, quos adstare ait orationibus christianorum, lib. de Oratione, et esse arbitros baptismi, lib. de Baptis. Rig.

(h) *Pater rato habet.* Pater qui in cœlis est. Rig.

(i) *Simul orant, simul volutantur.* Sic libro III adversus Marcionem, *Manibus cædentibus pectus, et facie humi volutante orationem commendare*, et lib. de Pudic. *Illum lugere, illum volutari, qui sciat et quid amiserit, et quid sit recuperaturus si pœnitentiam Deo immolarit.* Sic etiam in Apologetico: *Nos vero*

Digitized by Google

simul jejunia transigunt, alterutro docentes, alterutro hortantes, alterutro sustinentes (1). In Ecclesia Dei pariter utrique, pariter in convivio Dei, pariter in angustiis, in persecutionibus, in refrigeriis (2); neuter alterum celat, neuter alterum vitat, neuter alteri gravis est; libere æger visitatur, indigens sustentatur; eleemosynæ sine tormento (*a*), sacrificia sine scrupulo (*b*), quotidiana diligentia sine impedimento (*c*); non furtiva signatio, non trepida gratulatio, non muta benedictio; sonant inter duos psalmi et hymni, et mutuo provocant, quis melius Deo suo cantet. Talia Christus videns et audiens gaudet, his pacem suam mittit; ubi duo, ibi et ipse; ubi et ipse, ibi et malus non est. Hæc sunt quæ Apostoli vox illa sub brevitate (3) intelligenda nobis reliquit; hæc tibi suggere, si opus fuerit; his te ab exemplis quarundam reflecte. Non licet aliter fidelibus nubere (*d*), et si liceret, non expediret (4).

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Ita Rig.; alii :* alt. ducentes, alt. hortantes. In Eccl., etc.

(2) *Excepto Rigaltio alii :* In Eccl. Dei pariter, in connubio Dei, par. in ang., in refrig.

(3) *Al.* benignitate.

(4) *Rig.* Fid. nubere : non expedit.

COMMENTARIUS.

jejuniis aridi, in sacco et cinere volutantes, invidia cœlum tundimus. Rig.

(a) *Eleemosynæ sine tormento.* Christianæ maritus ethnicus, ubi de suis rebus aliquid abesse sibi notaverat, ab uxore fortean in Christi pauperes delibatum, plerumque adeo sæviebat, ut servos uxoris torqueri juberet. At cum ambo christiani, tunc eleemosynæ sine tormento. Rig.

(b) *Sacrificia sine scrupulo.* Vix erat ut etiam de melioribus ethnicis maritus conjugem christianam ad sacrificia christiana dimitteret absque gemitu, absque sua suspicione, absque scrupulo, ob flagitia illa horrenda quæ de Christianorum cœtibus ethnici calumniosissime differebant. Sic sup. *Quis denique solemnibus Paschæ abnoctantem securus sustinebit? Quis ad convivium illud dominicum, quod infamant, sine sua suspicione dimittit?* At cum ambo christiani, tunc alteri liberum sacrificia frequentare absque alterius scrupulo, absque suspicione. Rig.

(c) *Quotidiana diligentia sine impedimento.* Diligentiam dicit, quam in Apol. *Diligentissimam religiositatem*, hoc est, sedulam et sollicitam disciplinæ seu religionis observantiam. Sic lib. de Præscript. hæret. *Ubi metus in Deum, ibi gravitas honesta, et diligentia attonita*, etc. Rig.

(d) *Non aliter licet fidelibus nubere, non expedit.* Canon. VI Concilii Arelatensis I : *De puellis fidelibus quæ gentilibus junguntur, placuit ut aliquanto tempore a communione separentur.* Et Canon XV Conc. Eliberini, *Propter copiam puellarum gentilibus minime in matrimonium dandæ sunt virgines christianæ, ne ætas in flore tumens, in adulterio animæ resolvatur.* Adulterium animæ dicit, de uxore christiana quæ suas et hortatu mariti ethnici quasi lenocinio pellecta divortit a Christo ad Satanam. Rig.

QUINTI SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI
DE CULTU FOEMINARUM (*a*)
LIBER PRIMUS.

Argumentum. — *Cum sævissimâ adversus Christianos Cæsarum edicta mortem illis quotidie impendentem minitarentur, Tertullianus ad montanismum jam inclinans, ut christianas etiam mulieres, quæ gentiles in cultu corporis et luxu imitari non verebantur, ad martyrium expeditius præpararet, duos libros de* cultu fœminarum *conscripsit, in quibus ostendit se corpus colere, quod omnibus momentis pro Christo perditum velle debeant. Unde acerbum in illis muliebri mundo repudium scribit.*

Nonnulla præfatus de lapsu in Eva mulierum, indeque summa ipsis incumbente humilitate, cultum muliebrem ostendit a dæmone constitutum, vanitatemque describit auri, argenti gemmarumque in vestibus rutilantium. Tum in posteriori libro acriter asserit mulieres, ornatum amantes, odisse castitatem; nec alium ancillas Dei decere cultum, præter simplicem munditiem; neque in carne gloriandum, nisi cum propter Christum laceratur, omnino demum fore vitandos fucos et pigmenta, capillorumque calamistros et collyridas, lapillos vestium ac variegatos colores, ne spathæ ullum locum det corpus margaritarum, smaragdorumque laqueis occupatum.

Edd. ex D. Schramm.

CAPUT PRIMUM.

Si tanta in terris moraretur fides, quanta merces ejus exspectatur in cœlis, nulla omnino vestrum, sorores dilectissimæ, ex quo Deum vivum cognovisset, et

COMMENTARIUS.

(a) *De cultu fœminarum.* Hactenus editiones Tertulliani, librum nobis unum de Habitu muliebri, alterum de Cultu fœminarum exhibebant. Nos utrumque *De Cultu fœminarum* inscripsimus, vetustissimi exemplaris Agobardini auctoritatem secuti, in quo servata prioris libri parte tantum dimidia, posterior integer sic absolvitur, *De cultu fœminarum lib.* II, *explicit.* Unde manifestum fit sub eodem titulo præcessisse primum. Atque in libror. catalogo sic ambo citantur : *De cultu fœminarum.* Rig.

Digitized by Google

de sua, id est de fœminæ conditione didicisset, lætiorem habitum, ne dicam gloriosiorem appetiisset, ut non magis in sordibus ageret, et squalorem potius affectaret, ipsam se circumferens Evam lugentem et pœnitentem ; quo plenius id quod de Eva trahit (ignominiam dico primi delicti, et invidiam perditionis humanæ) omni satisfactionis habitu expiaret (*Genes.*, III, 16). *In doloribus et anxietatibus paries* (1), *mulier, et ad virum tuum conversio tua; et ille dominabitur* (2) *tui;* et Evam te esse nescis? Vivit sententia Dei super sexum istum, in hoc sæculo : vivat et reatus necesse est. Tu es diaboli janua, tu es arboris illius resignatrix, tu es divinæ legis prima desertrix, tu es quæ eum persuasisti (3), quem diabolus aggredi non valuit. Tu imaginem Dei, hominem, tam facile elisisti : propter tuum meritum, id est mortem, etiam Filius Dei mori habuit ; et adornari tibi in mente est super pelliceas tuas tunicas? Age nunc, si ab initio rerum et Milesii oves tonderent, et Seres arbores nerent, et Tyrii tinguerent, et Phryges insuerent, et Babylonii intexerent, et margaritæ canderent et ceraunia coruscarent (*a*), si ipsum quoque aurum jam de terra cum cupiditate prodisset ; si jam et speculo (4) tantum mentiri liceret : et hæc Eva concupisset (5) de paradiso expulsa, jam mortua, opinor. Ergo nec nunc appetere debet, aut nosse, si cupit reviviscere, quæ nec habuerat, nec noverat, quando vivebat. Ideo omnia ista damnatæ et mortuæ mulieris impedimenta sunt, quasi ad pompam funeris constituta.

CAPUT II.

Nam et illi qui ea constituerunt, damnati in pœnam mortis deputantur : illi scilicet angeli, qui ad filias hominum de cœlo ruerunt, ut hæc quoque ignominia fœminæ accedat. Nam cum et materias quasdam bene occultas, et artes plerasque non bene revelatas, sæculo multo magis imperito prodidissent (siquidem et metallorum opera nudaverant (*b*), et herbarum ingenia (*c*) traduxerant, et incantationum vires provulgaverant (6), et omnem curiositatem, usque ad stellarum interpretationem (*d*), designaverant) proprie et quasi peculiariter fœminis instrumentum istud muliebris gloriæ (*e*) contulerunt (*f*) : lumina lapillorum (*g*) quibus monilia variantur : et circulos ex auro, quibus brachia arctantur : et medicamenta ex fuco (*h*), quibus lanæ (7) colorantur : et illum ipsum nigrum pulverem, quo oculorum exordia (8) producuntur. Hæc qualia sint (9), interim jam ex doctorum suorum qualitate et conditione pronuntiari potest, quod nihil ad integritatem peccatores, nihil ad castitatem adamatores (10), nihil ad timorem Dei desertores spiritus, aut monstrare potuerunt aut præstare. Si doctrinæ dicendæ sunt, mali magistri male docuerint necesse est. Si mercedes pro libidine, nullius rei turpis merces decora est. Quid autem tanti fuit ista monstrare sicut (11) conferre? utrumne mulieres, sine materiis splendoris, et sine ingeniis decoris, placere non possent hominibus, quæ adhuc incultæ et incompositæ et (ut ita dixerim) crudæ ac rudes, angelos moverant? Anne (12) sordidi, et per gratuitum usum contumeliosi amatores viderentur, si nihil fœminis in connubium allectis contulissent? Sed hæc non capit æstimare, nihil plus (*i*) desiderare poterant, quæ angelos possidebant, magno scilicet nupserant. Enimvero, qui utique interdum cogitabant unde cecidissent, et post libidinum vaporata momenta cœlum suspirabant, illud ipsum bonum fœminarum naturalis decoris, ut caussam mali, sic remuneraverunt, ne eis profuisset felicitas sua, sed ut devectum (13) de simplicitate et sinceritate una cum ipsis in offensam Dei pervenirent. Certi erant omnem, et gloriam, et ambitionem, et affectationem per carnem placendi Deo displicere. Ili sunt nempe angeli (*j*) quos judicaturi

LECTIONES VARIANTES.

(1) Paris *Semler.*
(2) Dominatur *Par.*
(3) Suasisti *Seml.*
(4) Ex speculo *Jun.*
(5) Liceret, hæc Eva concupisset *Fran.* concupiit. *Seml. ex Rhen.*
(6) *Alii* promulgaverant, *quod præfert Jun.*
(7) Genæ *Jun.*
(8) Exodia *Jun.*
(9) Sunt interim, jam *Jun.*
(10) Amatores *Jun.*
(11) Sive *Franeq. Rigalt.*
(12) Anne *Fran. Rig.* An ne *Jun.*
(13) Devectæ *Fran. Paris. Rig.* devictæ *Wouwer.*

COMMENTARIUS.

CAP. I.—(a) *Ceraunia coruscarent.* Ceraunia gemma est candida et rutilans, sic dicta quasi a tonitru ; nam Κεραυνός fulmen est. Plinius, lib. XXXVII, cap. 9 : *Est inter candidas et quæ Ceraunia vocatur.* Dicitur et Ceraunium in neutro ; Ep. ad Demetriadem B. Hieronymus : *Ceraunium flammis.* Le Pr.

CAP. II.—(b) *Siquidem et metallorum opera nudaverant.* In Excerptis Georgii Syncelli, hæc habentur e lib. I Enoch : Ἐκεῖνοι δὲ ἑκατὸς τῶν ἀσχόντων ἐδίδαξιν ποιεῖν μαχαίρας καὶ θώρακας καὶ πᾶν σκεῦος πολεμικὸν, καὶ τὰ μέταλλα τῆς γῆς. Rig.

(c) *Herbarum ingenia, et incantationum vires.* Ibidem : φαρμακείας, ἐπαοιδίας, σοφίας καὶ ἐπαοιδῶν λυτήρια Rig.

(d) *Stellarum interpretationem.* Ἀστρoσκοπίαν. Rig.

(e) *Instrumentum muliebris gloriæ.* Κοσμία ταῖς γυναιξίν. Rig.

(f) *Muliebris gloriæ.* Fœminarum nitorem affectatum arguit, quæ, licet essent christianæ, non minus tamen compositæ et ornatæ incedebant quam ethnicæ ; est enim illud animal maxime φιλόκοσμον et superbum. Le Pr.

(g) *Lumina lapillorum.* Καὶ τοὺς ἐκλεκτοὺς λίθους. Rig.

(h) *Medicamenta ex fuco.* τὸ στιλβεῖν καὶ τὸ καλλωπίζειν. Rig.

(i) *Nihil plus.* Sic ipse. *Sacerdotes mei non plus nubunt.* Rig.

(j) *Ili sunt angeli*, etc. Hunc execrationis ritum, quo ingressuri in aquam baptismatis sub antistitis manu contestabantur se renuntiare diabolo, attingunt sæpe sancti Patres. Basil. lib. de Spir. san. ἀποτάσσεσθαι τῷ σατανᾷ καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ. Sic et Dion. lib. de Eccl. hierarch. cap. 2, hanc abrenuntiationem ἀποταγὴν nominat, aitque observatum ut abrenuntians ter Satanæ insufflaret. Lac.

Digitized by Google

sumus, hi sunt angeli quibus in lavacro renuntiamus; hæc sunt utique, per quæ ab homine judicari meruerunt. Quid ergo facient (1) apud judices suos res eorum? quod est commercium damnaturis (*a*) cum damnandis? Opinor, quod Christo et Beliæ. Qua constantia tribunal illud ascendimus (2), decreturi adversus eos, quorum munera appetimus? Nam et vobis eadem tunc substantia angelica repromissa, idem sexus (*b*) qui et viris, eamdem judicandi (*c*) dignationem pollicetur : nisi ergo hic jam præjudicaverimus, res eorum prædamnando, quas in illis tunc damnaturi sumus, illi potius nos judicabunt atque damnabunt.

CAPUT III.

Scio scripturam Enoch, quæ hunc ordinem angelis dedit, non recipi a quibusdam, quia nec in armarium judaicum (*d*) admittitur. Opinor, non putaverunt illam ante cataclysmum editam, post eum casum orbis, omnium rerum abolitorem, salvam esse potuisse. Si ista ratio est, recordentur pronepotem ipsius Enoch fuisse superstitem cataclysmi Noë, qui utique domestico nomine et hæreditaria traditione audierat et meminerat, de proavi sui penes Deum gratia, et de omnibus prædicatis ejus; cum Enoch filio suo Mathusalæ nihil aliud mandaverit, quam ut notitiam eorum posteris suis traderet. Igitur sine dubio potuit Noë, A in prædicationis delegatione successisse, vel quia et alias non tacuisset tam de Dei conservatoris sui dispositione, quam de ipsa domus suæ gloria. Hoc si non tam expedite haberet, illud quoque assertionem scripturæ illius tueretur. Perinde potuit abolefactam eam violentia cataclysmi, in spiritu rursus reformare : quemadmodum et Hierosolymis Babylonia expugnatione deletis, omne instrumentum judaicæ litteraturæ (*e*) per Esdram constat restauratum. Sed cum Enoch eadem scriptura etiam de Domino prædicarit, a nobis quidem nihil omnino rejiciendum est (3), quod pertinet ad nos. Et legimus (II *Tim.*, III, 16), *omnem Scripturam ædificationi habilem divinitus inspirari.* A Judæis potest (4) jam videri propterea rejecta (5), sicut et cætera fere quæ Christum sonant. Nec utique B mirum hoc, si scripturas aliquas non receperunt de eo locutas, quem et ipsum coram loquentem non erant recepturi. Eo accedit, quod Enoch (*f*) apud Judam Apostolum testimonium possidet (*Ep. Jud.*, *v.* 14).

CAPUT IV.

Nulla nunc muliebri pompæ nota inusta sit prædamnationis, de exitu auctorum. Nihil angelis illis imputetur, præter (6) repudium cœli, et matrimonium carnis. Rerum ipsarum qualitates examinemus, ut consilia quoque concupiscentiæ earum deprehen-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Faciunt *Fran. Rigalt.*
(2) Adscendemus *Jun.*
(3) *Junius hunc in modum distinguit :* rejiciendum est; q. p ad nos, et — inspirari.
(4) Postea *Semler.*
(5) *Idem*, rejectam.
(6) Propter *Ms. Wouw. Rig.*

COMMENTARIUS.

(a) *Quod est commercium damnaturis cum damnandis.* Quasi christianis mulieribus omni commercio aut exemplo interdiceret cum ethnicis mulieribus. Nihil enim aliud ad sui patrocinium adducebant, cum immodicus ille cultus ac nitor reprehendebatur, quam necessitatem negotiandi, agendique cum ethnicis. Hic tamen licet id non damnet, cum aliquando exigeret aut cognatio aut officii necessitas, aut aliquid simile, prohibet damnabilem gentilium nitorem in christiana fœmina. Le Pr.

(b) *Nam et vobis idem sexus qui et viris.* Id est, nullus. Sic Ovidius in Convivio Jovis apud Philemonem, postquam dixit edulia omnia fictilibus illata; *Posthæc*, inquit, *cælatus eodem sistitur argento crater :* hoc est nullo; nam erat quoque fictilis crater. Itaque hic ait Tertullianus, fœminis cœlo receptis eumdem fore sexum qui viris, hoc est, nullum; nam et viris non aderit suus. Uterque despoliabuntur sexu suo : erunt sicut angeli, non angelus, non angela. Sic ipse, adversus Valentinianos; utrobique autem, vocabulo sexus officia sexuum significat, non formas sexuum naturales. Etenim redituras ad sua corpora demonstrat, lib. de Resur. Rig.

(c) *Idem sexus eamdem judicandi dignationem pollicetur.* Jure civili judicandi munus inter virilia censetur, a quibus arceri fœminas placuit. Apud Deum vero cum nulla sint hominibus jam cœlestibus officia sexuum, communi sanctorum gloriæ, sive quondam viro, sive quondam fœminæ pro sanctitatis ac beatitudinis prærogativa communis judicandi dignatio conceditur. Rig.

CAP. III.—(d) *Nec in armarium judaicum admittitur.* In eo scilicet canone Scriptur., qui servabatur in templo Hebræi populi succedentium diligentia sacerdotum. Sic interpretatur Augustinus lib. XV. de Civitate Dei, C cap. XXIII. Idem lib XII contra Faustum, ubi de Judæorum gente : *Quid est aliud hodie gens ipsa, nisi quædam scriniaria Christianorum, bajulans Legem et Prophetas, ad testimonium assertionis Ecclesiæ, ut nos honoremus per sacramentum, quod nuntiat illa per litteram?* Et, in psal. LVI : *Codicem portat Judæus unde credat Christianus. Librarii nostri facti sunt, quomodo solent servi post dominos codices ferre : ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant.* Et, in Psal. LVIII : *Ipsi habent codices unde prophetatus est Christus, et nos tenemus Christum.* Quod ait Augustinus de servis qui post dominos codices ferunt, hoc de servis capsariis accipiendum est, quorum fit mentio lib. III de Manumissis vind. : Si Collactaneus, si educator vel capsarius, id est, qui portat libros. Juven. :

Quem sequitur custos augustæ vermula capsæ. Rig.

(e) *Omne instrumentum judaicæ lit.* Ab Esdra vetus D testamentum restitutum fuisse constat, et nonnulla ab eodem sive a Josue immutata, aut addita, veluti quæ de Mosis morte et sepultura habentur. Le Pr.

(f) *Eo accedit quod Enoch apud Judam Apostolum testimonium possidet.* Paulum quoque ex apocryphis quædam citasse observat Hieronymus in Epist. Ad Ephes. cap. V. Ipse autem et ex libro Enoch historiam profert angelorum descendentium in montem Hermon ad filias hominum, Comment. in Psal. 13, non in auctoritatem, inquit, sed in commemorationem. Et in Epist. ad Lætam, de institutione filiæ apocrypha legi posse ait, non ad dogmatum veritatem, sed ad signorum reverentiam. Idem in Epist. ad Titum, cap. 1. : *Qui putant totum librum debere sequi eum qui libri parte usus sit, videntur mihi et apocryphum Enoch, de quo apostolus Judas in Epistola sua testimonium posuit, inter Ecclesiæ Scripturas recipere, et multa alia quæ apostolus Paulus de reconditis est locutus.* Rig.

Digitized by Google

damus. Habitus fœminæ duplicem (*a*) speciem circumfert, cultum, ornatum. Cultum dicimus, quem mundum muliebrem vocant; ornatum, quem immundum muliebrem convenit dici. Ille in auro, et argento, et gemmis, et vestibus deputatur: ista in cura capilli, et cutis, et earum partium corporis, quæ oculos trahunt. Alteri ambitionis crimen intendimus, alteri prostitutionis: ut jam hinc prospicias, Dei ancilla, quid ex his disciplinæ tuæ conveniat, quæ de diversis institutis censearis, scilicet humilitatis (1) et castitatis.

CAPUT V.

Aurum et argentum, principes materiæ cultus sæcularis, adsint (2) necesse est unde sunt; terra scilicet plane gloriosior, quoniam in maledictorum metallorum feralibus officinis (*b*) pœnali opera (*c*) deplorata (3) (*d*), nomen terræ in igni reliquit, atque exinde de tormentis in ornamenta (*e*), de suppliciis in delicias, de ignominiis in honores, metalli refuga (*f*) mutatur (*g*). Sed et ferri et æris et aliarum vilissimarum materiarum par conditio est, et terreni generis, et metallici operis: quo nihil generosior judicari possit auri et argenti substantia penes naturam. Quod (4) si de qualitate usus gloria est auro et argento, atquin (5) magis ferro, et aeri; quorum ita disposita est utensilitas, ut et proprias operas plures et necessariores exhibeant rebus humanis, et nihilominus auri argenti de sua vice (6) accommodent justioribus caussis. Nam et annuli (*h*) ferro fiunt; quædam esui et potui vascula ex ære adhuc servat memoria antiquitatis. Viderit, si etiam ad spurca instrumenta (7) auri et argenti demens copia deseruit. Certe nec ager auri opere paratur, nec navis argenti vigore contexitur. Nullus (8) bidens aurum demergit in terram; nullus clavus argentum intimat tabulis. Taceo totius vitæ necessitates ferro et æri innixas: cum illæ ipsæ divites materiæ, et de metallis refodiendæ, et in quocumque usu producendæ, sine ferri et æris operario vigore non possint (9). Jam igitur æstimandum est, unde obveniat tanta dignitas auro et argento, cum (*i*) et consanguineis quantum ad genus, et potioribus quantum ad utensilitatem, materiis præferantur.

CAPUT VI.

Sed et lapillos istos, qui cum auro superbiam jungunt, quid aliud interpreter quam lapillos et calculos, ejusdem terræ (*j*) minutalia; nec tamen aut fundamentis demandandis, aut parietibus moliendis, aut fastigiis sustinendis, aut tectis densandis (*k*) necessaria? Solum (10) hunc mulierum stuporem (*l*) ædificare noverunt, quia tarde teruntur, ut niteant, et

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Alii*, humanitatis, *minus bene*.
(2) Id sint *Latin. bene*.
(3) Deputata *Fran. Non opus est*.
(4) Quid *Lat.*
(5) At quin *Lat.*
(6) De suo vicem *Seml.*
(7) Instrumentis, *alii*.
(8) Nullum *Venet. Semler.*
(9) Vigere non possunt *Fran. Latin.*
(10) Olim *liber Agobardi*.

COMMENTARIUS.

CAP. IV.—(a) *Habitus fœminæ duplicem speciem circumfert, cultum et ornatum.* Hujusce distinctionis ratione duobus istis libellis duo tituli convenirent: huic, de cultu fœminarum, nempe auro, gemmis et vestibus: sequenti, de ornatu fœminarum, cura videlicet capilli et cutis, etc. Rig.

CAP. V. — (b) *Feralibus officinis.* Nam metallorum operibus addicebantur damnati, inque his sæpe christiani. De quibus, XXV. epist. lib. III, Cyprianus martyr: *Non fovetur*, inquit, *in metallis, lecto et cultricis corpus. Humi jacent fessa laboribus viscera. Squalent sine balneis membra situ et sorde deformia. Panis illic exiguus, vestis algentibus deest, semitonsi capitis capillus horrescit*, etc. Rhen.

(c) *Pœnali opera deplorata.* Damnatorum lacrymis et ploratu rigata. Rig.

(d) *Pœnali opera.* Ita Cyprianus horribiles carceris atque funestas pœnalis loci tenebras dixit; item, squalorem carceris ac receptaculi pœnalis horrorem. Et ad Donatum: Pergit pœnalibus cum ulis pertinaciter adhærere. Rhen.

(e) *De tormentis in ornamenta.* Eleganter hic conjungit contraria, quorum hoc primum membrum commendat prosonomasia. Hinc illud Ambrosii: *Vos vero beatæ virgines, quæ talia tormenta potius quam ornamenta nescitis.* Rhen.

(f) *Metalli refuga.* Quasi, damnata ad metallum, inde fugerit. Hic vero observare est præclarum ingenii certamen Septimii nostri cum illis Plinianis, principio lib. XXXIII. Rig.

(g) *Metalli refuga.* De armillis seu torquibus hoc accipe. Hanc autem loquendi formulam reperies l. aut damnum ff. de pœnis: *Quodque refugæ ex opere metalli, etc, progravi, nempe supplicio lex loquitur.* Et l. milites. ff. de re militari, *quia custodiæ refuga, non militiæ desertor est* Le Pr.

(h) *Nam et annuli.* De illa annulorum gestatione videndus Clem. Alex. in synopsi vitæ christianæ sub finem libri tertii Pædagogi. Le Pr.

(i) *Consanguineis quantum ad genus.* Consanguineas materias dicit, quæ sunt ejusdem generis, ejusdem originis, nimirum de terræ visceribus. Rig.

CAP. VI. — (j) *Terræ minutalia.* Ut lapillorum et gemmarum pretium elevet, vocat terræ minutias. Sic apud Alexandrinum Clementem, Pæd. lib. II. cap. 12, vocantur *peregrini maris ejectamenta, et ramenta terræ*, ἀπεξενωμένης θαλάσσης ἐκβράσματα· καὶ τῆς γῆς ἐκψιγματα. Le Pr.

(k) *Aut tectis densandis.* Loquitur de tectis africanis, et orientalium regionum, quibus apud nos pergulæ similes sunt. Germani terras vocant quasi Terracium. Rhen.

(l) *Solum hunc mulierum stuporem ædificare noverunt.* Ait Septimius, lapillos et calculos, quos fœminæ auro contra æstimare solent, ædificiorum commoditatibus inutiles, solum hunc mulierum stuporem ædificare; hoc est, nihil ex iis ædificari posse, nisi mulierum superbiam, unde scilicet elatæ superbia mulieres stupere ac rigere videantur, velut statuæ spectaculo et admirationi positæ ac defixæ. *Stupenda* Latini dicunt miranda, et *stupere*, mirari. Juvenalis, *Nemo magis rhombum stupuit.* Septimius noster hujus verbi significatum ad fatuam superbiam transtulit. Sic gloriam dicet vanam et stuporatam. Sic lib. I advers. Marc.: *Supercilio stuporem suum ædificant Marcionitæ.*

Digitized by Google

subdole substruuntur, ut floreant, et anxie forantur, ut pendeant, et auro lenocinium mutuum præstant. Sed (1) si quid de mari Britannico aut Indico ambitio piscatur, conchæ genus est, non dico conchylio aut ostreo, sed nec peloride gratius de sapore. Ad hoc enim conchas noverim maris poma. Quod si concha illa aliquid intrinsecus pustulat (2), vitium ejus magis debet esse, quam gloriæ. Et licet margaritum vocetur, non aliud tamen intelligendum, quam conchæ illius aliqua dura et rotunda verruca. Aiunt et de frontibus draconum gemmas erui, sicut et in piscium cerebris lapidositas quædam est. Hoc quoque deerit (3) christianæ, ut de serpente cultior fiat. Sic calcabit (*a*) diaboli caput, dum de capite ejus, cervicibus suis aut ipsi capiti ornamenta (4) struit?

CAPUT VII.

Hæc omnia de raritate et peregrinitate sola gratiam possident. Denique, intra terminos suos patrios non tanti habentur. Semper abundantia contumeliosa (*b*) in semetipsam (5) est. Apud barbaros quosdam, quia vernaculum est aurum et copiosum, auro vinctos in ergastulis habent, et divitiis malos onerant, tanto locupletiores, quanto nocentiores. Aliquando revera inventum est, quomodo et aurum non ametur. Gemmarum quoque nobilitatem vidimus Romæ de fastidio Parthorum et Medorum cæterorumque gentilium A suorum, coram matronis erubescentem (6), nisi quod nec ad ostensionem (7) fere habentur. Latent in circulis (8) (*c*) smaragdi, et cylindros vaginæ suæ solus gladius sub sinu novit, et in peronibus uniones emergere de luto cupiunt. Nihil (9) denique, tam gemmatum habent, quam (10) quod gemmatum esse non debet, si non comparet; aut ideo comparet, ut neglectum quoque ostendatur.

CAPUT VIII.

Proinde et vestium de coloribus honorem servi etiam eorum terunt. Sed et parietes tyriis et hyacinthinis et illis regiis velis, quæ vos operose resoluta transfiguratis, pro pictura abutuntur. Vilior est apud illos purpura, quam rubrica. Quis enim est ve- B stium honor justus de adulterio (*d*) colorum injustorum? Non placet Deo, quod non ipse produxit, nisi si non potuit purpureas et aerinas (11) oves (*e*) nasci jubere. Si potuit, ergo jam noluit; quod Deus noluit, utique non licet fingi. Non ergo natura optima sunt ista, quæ a Deo non sunt, auctore naturæ; sic a diabolo esse intelliguntur, ab interpolatore naturæ. Alterius enim esse non possunt, si Dei non sunt: quia æmuli sint necesse est, quæ Dei non sunt; alius autem, præter diabolum et angelos ejus, æmulus Dei non est. Cæterum, si materiæ ex Deo sunt (*f*), non statim et hujusmodi fructus illarum (12); nam et om-

LECTIONES VARIANTES.

(1) Et, *inserunt alii.*
(2) Postulat *Semler. Rhen.*
(3) Deerat *Jun. Rig.*
(4) Ornamentum, *alii.*
(5) Semetipsa *Pam.*
(6) *Puncti signo distinguit Jun.*
(7) Ostentationem, *alii.*
(8) Cingulis *Seml.* singulis *Pam.*

C (9) Nihil *omitt. Seml.*
(10) Quam *omitt. Semler.*
(11) *Sic in libro vetustissimo; alii,* aerias. *Rigalt.* aerinas. *Rhenan. legebat* earinas, ταρινάς, *sic Fran. Paris. alii* arinas. *Utrumque Jun. de viridi colore interpretatur.*
(12) *Latinius aliter voluit:* Cæterum si materiæ ex Deo sunt, non statim et hujusmodi fructus latet in omnibus, quæritur; et unde.

COMMENTARIUS.

Sic. lib. ad Nationes II: *Stupores Atticos.* Sic Cyprianus, Epist. XLII: *Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis verbis Domini nostri Jesu Christi et doctrinæ ejus, stupore elatus est.* Rhen.

(a) *Sic calcabit diaboli caput.* Hinc manifestum est Tertullianum sic legisse Genes. 3: *Et ipsa conteret caput tuum.* Rig.

CAP. VII.—(b) *Contumeliosa in semetipsam.* Supra dixit, Dominum nostrum contumeliosum sibi fuisse. Rig.

(c) *Latent in circulis smaragdi.* Sic habet exemplar D Agobardi. Circulis, hoc est, monilibus. Ipse supra, *Circulos ex auro quibus brachia arctantur.* Rig.

CAP. VIII.—(d) *Quis est vestium honor justus de adulterio colorum injustorum.* Accusat luxum mulierum, quæ in vestimenta colores inducerent non nativos velleri aut lanæ, videlicet purpureos, hyacinthinos, coccineos; et hos esse ait colores injustos, et adulteria. *Non placet Deo*, inquit, *quod non produxit.* Deinde subridens: *Nisi si non potuit purpureas et aerinas oves nasci jubere.* Tum serio pergit: *Si potuit, ergo jam noluit. Quod Deus noluit, non licet fingi.* Argumentum etiam ad graviora notabile ac fortissimum. Itaque colligit injustos esse colores, quos habent lanæ non suos, ac proinde adulteros. Mox argumentum explicat, et, lanas hujusmodi, imbutas coloribus non suis, vestium honorem præbere ait non justum. Vestes autem alieno et ambitioso colore fucatæ honorem seu splendorem fulgoremve injustum, ad honestatem modestiamque christianam non pertinere. Rig.

(e) *Nisi si non potuit purpureas et aerinas oves nasci jubere.* Ita omnino legitur in vetustissimo codice, non ut hactenus editum fuit, *aerias.* Aerinas dicit oves colore aerino, quem ut fœmineis vestibus gratissimum laudat Ovidius, ubi, facta mentione tyrii muricis, statim adjicit:

Cum tot prodierint pretio leviore colores,
Quis furor est census corpore ferre suos?
Aeris ecce color, tunc cum sine nubibus aer,
Nec tepidus pluvias concitat Auster aquas.

(f) *Cæterum si materiæ ex Deo sunt, non statim et hujusmodi fructus illarum.* Postquam sub elogio atroci gravissimus censor vestes hyacinthinas, purpureas, et aerinas, et cætera id genus luxuriæ instrumenta proscripsit, occurrit objectioni dictitantium, ea omnia quæ tantopere exagitarentur, non secus ac cætera a Deo esse creata; colores illos mirabiles confici e succis herbarum et concharum salivis; herbas autem et conchas inter res a Deo creatas jure censeri, et creatas hominum caussa. Itaque distinctione cavillationem diluit, et materias quidem ex Deo esse fatetur, herbas, inquam, et conchas, et succos, et illas concharum salivas nobiles. Sed earum rerum usum fructumque, cum ad nequitiæ luxuriæque apparatus convertuntur, ex Deo esse negat; probatque exemplo spectaculorum, circi, arenæ, scenæ. Nam et equos, et pantheras, et vocem, ut res a Deo creatas et munera divina, spectare aut laudare quidem

Digitized by Google

nes istæ profanæ spectaculorum sæcularium voluptates, sicut de ipsis suum volumen edidimus, ipsa etiam idololatria ex rebus Dei constat : non tamen ideo circi furoribus, aut arenæ atrocitatibus, aut scenæ turpitudinibus, christianum affici oportet, quia Deus et equum, et pantheram, et vocem homini dedit : nec ideo idololatriam impune faciet christianus, quia Dei conditio est et thus (*a*), et merum, et ignis qui vescitur (*b*), et animalia quæ victimæ fiunt, cum et ipsa materia, quæ adoratur, Dei sit. Sic ergo (1) et circa actum materiarum census a Deo (*c*) descendens, accusat Deo extraneum, ut reum scilicet gloriæ sæcularis.

CAPUT IX.

Nam ut quæque (2) rerum, per singulas quasque terras et unamquamque regionem materiis (3) a Deo distributa sunt, invicem sibi peregrina, apud (4) exteros mutuo rara, apud vos (5) jure, si (6) utique, vel appetuntur, vel negliguntur, quia non tantus est in illis fervor gloriæ, inter domesticos frigidæ. Sed enim ex possessionum distributione, quam Deus, ut voluit, ordinavit, raritas et peregrinitas, apud extráneos semper gratiam inveniens, de simplici causa non habendi, quæ Deus alibi collocavit, concupiscentiam concitat (7) habendi. Ex hac vitium aliud extenditur, immoderate habendi ; quod et si forte habendum sit, modus tamen debetur. Hæc erit (8) ambitio, unde et nomen ejus interpretandum est (9), quod, concupiscentia apud animum ambiente, nascatur, ad gloriæ votum ; grande scilicet votum, quod, ut diximus, non natura, nec veritas, sed vitiosa animi passio, concupiscentia, commendavit. Et (10) alia vitia ambitionis et gloriæ. Sic et pretia rebus inflammavit, ut se quoque accenderet. Non (11) tanto major fit concupiscentia, quanto magno fecit quod concupiit ? De (12) brevissimis loculis patrimonium grande profertur. Uno lino (*d*) decies sestertium inscritur. Saltus et insulas tenera cervix fert (13), graciles aurium cutes calendarium expendunt, et in (14) sinistra per singulos digitos de saccis singulis ludit. Hæ sunt vires ambitionis, tantarum usurarum substantiam (*e*) uno et muliebri corpusculo bajulare.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Sic nec *Rhen.* hic ergo — — excusatus; Deo extraneum ut — gloriæ, sæculum *Jun.* Sic ego et circa a. m. c. a. d. d. propterea excusatus *Semler.*
(2) Quædam *Venet.*
(3) Maris *Venet.*
(4) Et apud *alii.*
(5) Suos *alii.*
(6) Jure sic *Jun.*
(7) Excitat *Jun.*
(8) Erat *Rhen. Seml.*
(9) Est, *in aliis non exstat.*
(10) Ut *Latin.*
(11) Nam tanto *Rhenan. Latin. Rigalt.*
(12) De *omitt. Seml.*
(13) Circumfert, *alii.*
(14) In *abest Fran. Rigalt.*

COMMENTARIUS.

homini fas esse ; non tamen inde statim sequi, ut earum rerum usus ex Deo sit, puta equorum ad insanas in circo factiones, pantherarum seu leonum ad fœdas viscerationes et atroces lanienas, voces artificum scenicorum ad vanas aut impudicas fabulas. Hæc enim ex Deo non esse, uti nec idololatriam, etsi thus, et merum, et ignis, quibus idololatria conficitur, a Deo sint creata. *Cæterum*, inquit, *si materiæ ex Deo sunt, non statim et hujusmodi fructus illarum ; nam et omnes istæ profanæ spectaculorum sæcularium voluptates, sicut de ipsis suum volumen edidimus, ipsa etiam idololatria, ex rebus Dei constat*, etc. Rig.— *De ipsis* (alias *de illis*) *suum volumen.* Scilicet librum *de Spectaculis.* Edd.

(a) *Dei conditio est thus.* Thus a Deo conditum est. Conditio, creatura. Rig.

(b) *Ignis qui vescitur.* Qui depascitur victimas. Rig.

(c) *Sic ergo et circa actum materiarum census a Deo descendens.* Hic etiam aliquid indulsimus conjecturæ, sic tamen ut ratio constare debeat apud judices haud iniquos. Actum vocat Tertullianus, rerum a Deo creatarum usum, cum ex iis aliquid agimus, cum iis utimur ad actum sive actionem cujusmodicumque sit. Materiarum vero, seu rerum creatarum duplex est census, hoc est, duplici consideratione censentur æstimanturque. Nam aliter equum christianus censebit, aliter gentilis. Equo christianus utetur, ut naturæ vel ætatis imbecillitatem sublevet, ut maturius ad sacrificiorum oblationes celebrandas, vel ad Dei sermonem administrandum audiendumve occurrat, ut fratri laboranti adsit velocius, ut vulneratum a latronibus in hospitium portari curet commodius. At gentilis equum carius emet quam pædagogum, ac diligentius erudiri curabit quam filium, ut notis flexibus ad metas in circo decurrat, opposita effundat, palmam occupet, unde sequatur aliud nihil, nisi ut insanientis populi clamoribus efferatur :

Clara fuga ante alios, et primus in æquore pulvis.

Ait igitur Tertullianus, unius ejusdemque materiæ, unius ejusdemque animalis, duos esse census diversissimos. Illum, quem de homine christiano demonstravimus, censum esse vere laudabilem, sanctum, a Deo descendentem ; at hunc quem de gentili, extraneum, alienum, adulterum. Et *census*, inquit, *a Deo descendens*, propterea accusat et damnat Deo extraneum, ut reum scilicet gloriæ sæcularis et minime christianæ. Rig.

Cap. IX. — (d) *Uno lino decies sestertium inscritur.* Uniones intelligit, quibus pertusis in linea utuntur fœminæ. Lineam margaritorum dixit Scævola, l. 26 ad l. Falcid. De unionibus in linea lex est Ulpiani, 27 ad L. Aquil. Rig.

(e) *Tantarum usurarum substantiam.* Substantiam usurarum dixit, quemadmodum Scævola substantiam calendarii, l. XXXI Vde lega. III. Substantia usurarum est sors et caput ; οὐσίαν Græci dicunt, et κεφαλαῖον et ἀρχαῖον. Sic pag. seq. dicet, *Totam fidei substantiam*, et lib. adversus Praxeam, *Totam substantiam quæstionis ;* et lib. de Exhort. Castitatis, *Negotiaberis magnam substantiam sanctitatis.* Rig.

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS (1) (a).

ARGUMENTUM. — *Ejusdem pene argumenti est liber iste cum præcedenti, præterquam quod hic curam capilli et cutis magis peculiariter reprobet.*

I. *Pudicitiam quæ ancillas Dei decet, ut a gentilibus differant, totam esse docet in simplici munditie.* c. I.

II. *Studium placendi per ornatum nimium tentationibus viam aperire et spectatoribus esse periculo.* c. II.

III. *Non in carne gloriandum, nisi cum propter Christum lacerata duraverit ut in ea spiritus coronetur.* c. III.

IV. *Fideli marito formam non fore spectabilem, infideli suspectam.* c. IV.

V. *Deum vero artificem reprehendi ab iis qui cutem medicaminibus ungunt, genas maculant, oculos collinunt.* c. V.

VI. *Male sibi auspicari, perniciemque reservare. Eas quæ, uti Germanæ et Gallæ, capillum croco vertunt, vel calamistros alieni capitis assuunt.* c. VI-VIII.

VII. *Non a Deo, sed ab angelis peccatoribus esse vestium colores, aurique opera et lapillos.* c. IX-XI.

VIII. *Imo lenocinia formæ cum corporibus prostitutis conjuncta esse ex Scriptura constare.* c. XII.

IX. *Denique lucere debere opera earum, discutiendas delicias quibus fidei virtus effœminari potest, cum tempore Christianorum tunc vel maxime ferro transigerentur.*

EDD. EX PAMELIO.

CAPUT PRIMUM.

Ancillæ Dei vivi, conservæ et sorores meæ, quo A jure deputor vobiscum, postremissimus (*b*) equidem meo jure conservitii et fraternitatis, audeo ad vos facere sermonem (2), non utique affectationis, sed affectioni procurans in caussa vestræ salutis. Ea salus nec fœminarum modo, sed etiam virorum, in exhibitione præcipue pudicitiæ statuta est. Nam cum omnes templum Dei simus, illato in nos et consecrato Spiritu Sancto, ejus templi ædituus et antistes (3) pudicitia est, quæ nihil immundum (*c*) nec profanum inferri sinat, ne Deus ille, qui inhabitat, inquinatam sedem offensus derelinquat. Sed modo nos non de pudicitia, cui indicendæ (*d*) et exigendæ sufficiunt instantia ubique divina præcepta, verum de pertinentibus ad eam, id est qualiter vos incedere oporteat. Plerœque enim, quod ipsum mihi utique [reprehendendo in omnibus] reprehendere Deus per- B mittat!, aut ignorantes simpliciter aut dissimulantes audacter ita ingrediuntur, quasi pudicitia in sola carnis integritate et stupri aversione consistat, nec quicquam intrinsecus opus sit, de cultus et ornatus dispositione. Sed enim perseverant in pristinis (4) studiis formæ et nitoris, eamdem sui speciem (5) circumferentes, quam fœminæ nationum (*e*), a quibus abest conscientia veræ pudicitiæ, quia nihil verum in his, qui Deum nesciunt præsidem et magistrum veritatis. Nam etsi qua in gentilibus pudicitia credi potest, usque adeo eam imperfectam et inconditam constat, ut licet in animo aliquatenus tenax sui agat, in habitus tamen licentia (*f*) sese dissolvat, pro per-

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Hujus libri tot loci a Rigaltio ex auctoritate cod. Agob. mutati sunt, ut videatur iste prope novus factus esse. Inde in sqq. præcipuam scripturæ varietatem ita annotavimus, ut Rigaltio novam recensionem tribueremus, Semleri nomine scripturam receptam indicaremus.* LEOPOLD.

(2) *Seml.* postremissimus omnium, qui de meo jure — ad C nos verba ista facere, non utique affectationi (*Rig.* affectionis) sed, etc.

(3) *Rig.* æditua et antistita.

(4) *W.* Sed. e. p. in pristinis *delevit Rig.*

(5) *Ita Wouwer.*; *Seml.* eamdem sui circ.; *Rig.* eamd. superficiem circ.

COMMENTARIUS.

(a) Hoc secundo de cultu fœminarum opusculo multa de primo tractantur uberius, nova etiam non pauca proferuntur utilius, plena omnia spiritus christiani sublimioris. Ea vero mendis hactenus inquinata in splendorem nativum sic redeunt, ut prope nova haberi debeant. Sunt tamen in ipsis emendationibus pervidenda quædam, quæ nonnisi attentissimi discernant. Itaque indicinæ pretium fuerit. RIG.

CAP. I.— (b) *Postremissimus.* Superlativus usurpatus a Gellio. Legit postea Rigaltius *equidem meo jure*, id est, jure quod ei competebat ut scriberet ad fœminas, quoniam frater erat et conservus. LE PR. — Melius forsitan legeris : *Et quidem meo jure.* EDD.

(c) *Quæ nihil immundum nec profanum.* Hoc in suum tractatum transtulit Cyprianus martyr. *Demusque*, inquit, *operam, ne quid immundum et profanum templo Dei inferatur ; ne offensus sedem, quam inhabitat, derelinquat.* RHEN.

(d) *Cui indicendæ et exigendæ*, etc. Quibus scripturis indicta sit pudicitia, videre est lib. de Pudicitia, tum Auctoris, tum B. Cypriani. Atqui illud *mihi reprehendendo*, dandi casu dictum esse annotat Rhenanus, hoc est, digno qui reprehendar. Ego vero ex mss. 3. Vatic. lego : *Sed enim perseverant*, pro *perseverent* ; et : *formæ et nitoris sui*, cum Latinio, *eamdem* nempe formam *circumferentes*. PAM.

(e) *Fœminæ nationum.* Quid de istis loquar ? anne illæ pudicæ ? Angylæ (natio est) fœminas suas primis noctibus nuptiarum adulteriis cogunt parere, mox ad pudicitiam legibus astringunt (narrat Solinus in polyhist.). Longum esset de reliquis sermonem facere. LAC.

(f) *In habitus tamen licentia sese dissolvat.* In antiquissimo exemplari legitur, *In ambitus licentias sese dissolvat.* Quod explicari non incommode videatur, si quis hic *ambitum* dici velit, quod supra Tertullianus ipse *superficiem* dixit, corpus videlicet, atque ipsius corporis ornamenta, quæ animum ambiunt et vestiunt. De pudicitia christiana disserit, eamque gentili perfectiorem esse oportere ostendit. Itaque gentilem pudicitiam adeo perversam esse ait, ut licet animus tenax in pudicitiæ nunquam violandæ proposito perseveret, ipsa tamen pudicitia in corporis excolendi exornandique licentias ita sese dissolvat et frangat, ut rem appetat cujus devitat effectum, hoc est, placere appetat, et adolescentium post se suspiria trahere gaudeat, cum tamen alienæ libidini, quam ipsa excitavit, succumbere nolit. RIG.

Digitized by Google

versitate gentilium appetendo (1), cujus rei devitat effectum. Quota denique est (*a*), quæ nec placere quidem extraneis concupiscat? quæ non velit idcirco se expingere (*b*), ut neget appetitum (2)? Quanquam et hoc gentili pudicitiæ familiare sit, non delinquere, attamen velle; vel etiam nolle, attamen non denegare. Quid mirum? perversa sunt omnia, quæ a Deo non sunt. Videant igitur, quæ non totum bonum obtinendo facile et quod obtinent malo commiscent. Vos ab illis, ut in cæteris, incessu quoque devertere necessarium est, quoniam perfectæ esse debetis, sicut Pater vester qui est in cœlis.

CAPUT II.

Perfectæ autem, id est, christianæ pudicæ (3), appetitionem sui, non tantum non appetendam, sed etiam exsecrandam vobis sciatis: primo quod non de integra conscientia venit studium placendi per decorem, quem naturaliter invitatorem libidinis scimus; quid igitur in te excitas malum istud? Quid invitas, cujus te profiteris extraneam? Tum quod tentationibus viam aperire non debemus, quæ nonnunquam quod Deus a suis abigat instando perficiunt, certe vel spiritum scandalo permovent (*c*). Debemus quidem ita sancte et tota fidei substantia incedere, ut confessæ et securæ simus de conscientia nostra optantes persevcrare id in nobis, non tamen præsumentes. A Nam qui præsumit, minus veretur, minus præcavet, plus periclitatur (4). Timor fundamentum salutis est, præsumptio impedimentum timoris (*d*) Utilius ergo, si speremus non posse delinquere, quam si præsumamus non posse; sperando enim timebimus, timendo cavebimus, cavendo salvi erimus; contra si præsumamus neque timendo neque cavendo, difficile salvi erimus. Qui securus agit, non est sollicitus, non possidet tutam et firmam securitatem. At qui sollicitus est, is vere poterit esse securus. Et de suis quidem servis Dominus pro misericordia sua curet, ut etiam præsumere illis de bono suo feliciter liceat. Quid autem alteri periculo sumus? quid alteri concupiscentiam importamus? quam si (*e*) Dominus ampliando legem (*f*) a facto stupri non discernit in pœna (5), nescio an impune habeat, quæ alicui fuerit causa perditionis. Perit enim ille simul in tua forma, si concupierit (6), et admisit jam in animo, quod concupivit, et facta es tu gladius illi (*g*). Ut (7) a culpa vaces, ab invidia non liberaberis; ut cum in alicujus agro latrocinium gestum est, crimen quidem dominum non contingit (8); dum rus tamen ejus ignominia notatur, ipse quoque infamia aspergitur. Expingamus nos, ut alteri pereant? Ubi est ergo: Diliges proximum tuum sicut te ipsum; nolite vestra tantum curare (9), sed alterius? Nulla enuntiatio Spiritus

B

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Seml.* dissolvat propter veritatem (*al.* pr. vanitatem) gentilium, solatium appetendo etc.

(2) *Rig.* quæ non vel idcirco se expingi curet? et neget appetitum?

(3) *Rig.* quoniam perfectæ i. e, chr. pudicitiæ, app. etc. *cæteris verbis omissis.*

(4) *Rig.* Nam qui præsumit, minus jam veretur; qui minus veretur, minus præcavet, qui minus præcavet, plus periclitatur.

C

(5) *Cod. Agob.* quasi Deus non ampliando legem a facto stupri concupiscentiam non discernat in pœna.

(6) Simul ut tuam formam concup. *Rig., qui etiam delerit vv. quæ sequuntur*, et admisit — concupivit.

(7) *Rig.* gladius illi, ut etsi a culpa vaces, ab inv. n. libereris.

(8) *Rig.* contingeт; *Seml.* constringit, dum res tamen etc.

(9) *Seml.* nolite vestra curare.

COMMENTARIUS.

(a) *Quota denique est, quæ ne placere quidem extraneis concupiscat.* Quota est, inquit, pudicarum hodie christianarum, quæ tam austera sit et serio pudica, ut ne placere quidem extraneis concupiscat? quæ non curet se expingi et exornari, vel idcirco, ut iis placeat? Quota denique est, quæ negare velit, aut quam non pudeat negare se unquam fuisse appetitam? quanquam ea sit et gentilium pudicitia, ut non quidem delinquant, attamen eo se habitu exhibeant, ut velle videantur quod nolint; sic incedant, ut incessu ipso cultuque non denegent quod promittunt impudicæ. Tum ingerit: Quid mirum? perversa sunt omnia quæ Dei non sunt. Rig.

(b) *Quæ non sunt velit idcirco se expingere.* Arguit hic medicamenta et fucum quem adhibebant mulieres ut nitorem sibi conciliarent, atque in eo, ut habet Clemens Alex.,) Pædag. III, cap. 2, rerum omnium opificem reprehendere videntur, qui non satis pulchritudinis largitus sit. Le Pr.

CAP. II. — (c) *Certe vel spiritu scandalum permovent* (ita Rig.). Spiritum concutiunt, inquietant. Etenim spiritum Dei habent fideles seu sancti. Itaque si quid admittant a malo, spiritum Dei permovent, spiritum, quem a Domino sumpsere, sæcularis rei gratia concutiunt. *Lata atque diffusa est operatio mali, multiplicia spiritus incitamenta jaculantis;* sic ipse Tertullianus loquitur, lib. de Patientia, et lib. de Spectaculis: *Deus*, inquit, *Spiritum Sanctum, utpote pro naturæ suæ bono tenerum et delicatum, tranquillitate, et lenitate, et quiete, et pace tractare præcepit.* Idcirco placuit Eliberini Concilii Patribus cereos per diem in cœmeterio non incendi, can. XXXIII: *Inquietandi enim spiritus sanctorum non sunt.* Inquietantur autem ritu profano et gentili. Nam per noctem quidem nulli, opinor, grave aut molestum fuerit, cum sit plane, et luminis solatio, et pudicitiæ testimonio necessarium. De cereis et lucernis per diem accensis nonnulla observabimus lib. II ad Uxorem, ad illud, *Et procedet de janua laureata et lucernata, ut de novo consistorio libidinum publicarum.* Rig.

D

(d) *Præsumptio impedimentum timoris.* Argumentum hoc, quam necessarius sit timor Dei ad salutem consequendam, tractat Prosper Aquitan. lib. III de Vita contempl. cap. 11; ubi etiam loquitur de timore cum oppositione ad præsumptionem, ut hic Tertullianus; ait enim homines cessare a timore Dei, illectos spe præsumptæ impunitatis. Lac.

(e) *Quam si Deus, ampliando legem, a facto stupri non distinguat in pœna, nescio an impune habeat quæ alicui fuerit causa perditionis.* Ampliavit legem Christus cum ait: *Audistis quia dictum est antiquis: Non mœchaberis. Ego vero dico vobis: Quicumque aspicit mulierem ut concupiscat*, etc. Rig.

(f) *Non ampliando legem.* Sic lib. de Orat. *Exinde aperte Dominus, amplians legem, iram in fratrem homicidio superponit.* Eodemque sensu lib. de Monog. dixit: *Quæ ad justitiam spectant, non tantum reservata permanent, verum et ampliata.* Rig.

(g) *Facta es tu gladius illi.* Cyprianus, lib. de Hab. virg.: *Ut etsi ipsa non pereas, alios tamen perdas,*

Digitized by Google

Sancti ad præsentem tantum materiam et non ad omnem utilitatis occasionem dirigi et suscipi debet (1). Cum igitur et nostra et aliorum caussa versetur in studio periculosissimi decoris, jam non tantum confictæ et elaboratæ pulchritudinis (2) suggestum (*a*) recusandum a vobis sciatis, sed etiam naturalis speciositatis obliterandum dissimulatione et incuria, ut proinde oculorum incursibus molestum. Nam etsi accusandus decor non est, ut felicitas corporis, ut divinæ plasticæ accessio (*b*), ut animæ aliqua vestis urbana (3); timendum tamen est vel propter injuriam et violentiam spectatorum, quæ (4) etiam pater fidei Abraham in uxoris suæ specie pertimuit, et (*c*) sororem mentitus Saram (5) (*d*), salutem contumelia redemit.

CAPUT III.

Nunc non sit timenda dignitas formæ, ut nec possidentibus gravis, nec appetentibus exitiosa, nec conjunctis periculosa; non exposita tentationibus, non circumdata scandalis existimetur : sufficit, quod angelis Dei (*e*) non est necessaria. Nam ubi pudicitia, ibi vacua pulchritudo, quia proprie usus et fructus pulchritudinis luxuria, nisi si quis aliam messem decori corporis arbitratur. Illæ sibi formositatem et datam extendant et non datam conquirant, quæ quod ab illa flagitatur, sibi quoque præstare se putant, cum alteri præstant (*f*). Dicet aliquis : Quid ergo non, et exclusa luxuria, et admissa castitate, laude formæ sola frui et de bono corporis gloriari licet (6)? Viderit, quem juvat de carne gloriari. Nobis autem primo quidem nullum gloriæ studium, quia gloria exaltationis ingenium est. Porro exaltatio non congruit professoribus humilitatis ex præscriptis Dei. Deinde si omnis gloria vana et stuporata (*g*), quanto magis quæ in carne nobis duntaxat! Nam etsi gloriandum est, in spiritus bonis, non in carne placere velle debemus, quia spiritualium sectatores sumus; in quibus operamur, illis et gaudeamus; de his gloriam carpamus, de quibus salutem speramus. Plane gloriabitur Christianus etiam in carne, sed cum propter Christum lacerata duraverit, ut et spiritus in ea coronetur, non ut oculos et suspiria adolescentium post se trahat. Ita quod ex omni parte in vobis vacat, merito et non habentes fastidiatis et habentes negligatis. Sancta fœmina sit naturaliter speciosa, non adeo sit occasioni; certe si fuerit, non ignorare, sed etiam impedire se debet (7).

CAPUT IV.

Quasi gentilibus dicam, gentili et communi omnium præcepto alloquens vos, solis maritis vestris placere debetis (*h*). In tantum autem placebitis eis, in quantum alteris placere non curaveritis. Securæ estote, benedictæ; uxor nulla deformis est marito suo; satis placuit, cum electa est, seu moribus, seu forma commendata. Ne qua vestrum putet, si temperaverit a compositione sui, se (8) odium et aversionem maritorum prosecuturam. Omnis maritus castitatis exactor est; formam vero fidelis non expostulat, quia non iisdem bonis, quæ gentiles putant, capimur; infidelis contra etiam suspectam habet, vel propter illam sceleratam in nos opinionem (9) gentilium. Cui ergo pulchritudinem tuam nutris? Si fidelis, non exigit; si gentilis, non credit (10). Quid gestis aut suspecto aut non desideranti placere?

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Seml.* potest.
(2) *Seml.* libidinis, *Fr. Junius* cupidinis.
(3) *Sic Gelen. et ed. Fran.*; *Rig.* vestis bona; *Seml.* vestitus bona.
(4) *Rig.* viol. sectationem, quam etc.
(5) *Cod. Agob.* et Isaac sororem ementitus Rebeccam.
(6) *Rig.* castitate, laudes corporis gloriam licet?
(7) *Rig.* Sanctæ fœminæ, si natur. speciosæ, non adeo sit occasio, certe si fuerit, non adjuvare, sed etiam impedire debet.
(8) *Particulam* se *hic inserendam putavimus. Leop.*
(9) *Rig.* vel ex illa scelerata in nos opinione.
(10) *Rig.* si infideli, simplicem non credit.

COMMENTARIUS.

velut gladium te et venenum ejus videntibus præbeas. Rig.

(a) *Elaboratæ pulchritudinis suggestum.* Non solum de coma verba hæc accipienda, sed de totius corporis ornatu, per *suggestum* vero apparatum intellige. Le Pr.

(b) *Ut divinæ plasticæ accessio.* Cyprianus martyr de habitu virginum : *Quod opus Dei et factura ejus et plastica adulterari nullo modo debeat.* Rhen.

(c) *Et sororem mentitus Saram.* In exemplari legitur : *Et Isaac sororem ementitus Rebeccam.* Rig.

(d) *Et sororem mentitus Saram.* Multorum exercuit ingenia locus hic; qui enim mendacii patrocinium susceperunt, hoc loco vere abutuntur, et in suum sensum detorquent. Hac de re consulendus B. Augustinus lib. de Mendacio ad Consentium, et lib. XXII, adv. Faustum. Le Pr.

CAP. III. —(e) *Angelis Dei.* Fidelibus, Sanctis. Rig.

(f) *Illæ sibi formositatem, et datam extendant, et non datam requirant, quæ, quod ab illa flagitatur, sibi quoque præstare se putant, quod alteri præstant.* Quæ sic interrogantis accentu legenda sunt, ut si diceret : Nonne pudeat christianas, nativum sibi formæ decus augere, vel si desit, arte mendacioque supplere quæ quod ab ea pulchritudine flagitatur, nempe vehementioris libidinis incendium, ac per hoc animæ perniciem, sibi quoque præstare se putant, quia alteri præstant? Sane si vere sunt christianæ, haud aliter secum putabunt. Rig.—Ut mihi vero videtur, locum hic non habet interrogatio, sed ea quæ a Rhetoribus dicitur concessio : solas nempe posse formositatis habere curam, quæ carnis opera non minus sibi, quam alteri præstare velint, id concedit Tertullianus. Edd.

(g) *Si omnis gloria vana et stuporata.* Stuporatam dicit pro stolida et hebeti. Quo sensu dixit Catullus, *Talis iste meus stupor nil videt, nihil audit.* Ipse Tertullianus, libro superiore, ubi de lapillis et calculis, *Solum hunc mulierum stuporem ædificare noverunt.* Rig.

CAP. IV. —(h) *Solis maritis vestris placere debetis.* Ironiam hic non agnosco quam putat Rhenanus : sensum esse existimo, Tertullianum severioris disciplinæ oblitum permittere fœminis ut ornatiores paulisper incedant, modo ne id alio animo faciant, quam ut maritis placeant. Sic enim Clemens Alexandr. indulgere videtur, Pædag. III, iis quæ maritis minus continentibus nupserunt. Le Pr.

Digitized by Google

CAPUT V.

Hæc utique non ad crudam in totum et ferinam habitudinem insinuandam (1) vobis suggeruntur; nec de bono squaloris et pædoris suademus (2), sed de modo et cardine et justitia corporis excolendi (*a*). Non supergrediendum ultra quam simplices et sufficientes munditiæ concupiscunt, ultra quam Domino placet. In illum enim delinquunt, quæ cutem medicaminibus ungunt (3), genas rubore maculant, oculos fuligine (*b*) collinunt (4). Displicet nimirum illis plastica (*c*) Dei, in ipsis redarguunt (5), reprehendunt artificem (*d*) omnium. Reprehendunt enim, cum emendant, cum adjiciunt, utique ab adversario artifice sumentes additamenta ista, id est, diabolo (6). Nam quis corpus mutare monstraret, nisi qui et hominis spiritum malitia transfiguravit? Ille indubitate hujusmodi ingenia concinnavit, ut in nobis quodammodo manus Deo inferret (7) (*e*). Quod nascitur, opus Dei est; ergo quod fingitur (8), diaboli negotium est. Divino operi Satanæ ingenia superducere quam scelestum est! Servi nostri ab inimicis nostris nihil mutuantur, milites ab hoste imperatoris sui nihil concupiscunt. De adversario enim ejus, in cujus manu sis, aliquid usui postulare, transgressio est. Christianus a malo illo adjuvabitur in aliquo? nescio an hoc nomen ei perseveret. Erit enim ejus, de cujus doctrinis instrui concupiscit. Quantum autem a vestris disciplinis et professionibus aliena sunt, quam indigna nomine christiano faciem fictam gestare, quibus simplicitas omnis indicitur; effigie mentiri, quibus lingua non licet; appetere (*f*), quod datum non sit (9), quibus alienum abstinentiam in specie exercere, quibus studium pudicitiæ est (10)! Credite, benedictæ, quomodo præcepta Dei custodietis, lineamenta ejus in vobis non custodientes?

CAPUT VI.

Video quasdam capillum croco vertere, pudet eas etiam nationis suæ, quod non Germanæ aut Gallæ sint procreatæ; ita patriam capillo transferunt (11); male ac pessime sibi auspicantur flammeo capite (*g*), et decorum putant, quod inquinant. Atquin et detrimentum crinibus medicaminum vis inurit et cerebro perniciem, etiam cujuslibet sinceri humoris assiduitas reservat, tum solis animando simul et siccando capillo (*h*) exoptabilis ardor (12). Quis decor cum injuria? quæ com immunditiis pulchritudo? Crocum capiti suo mulier christiana ingeret, ut in aram? Quodcumque enim immundo spiritui excremari solet, id nisi probis et necessariis et salutaribus usibus adhibeatur, ad quod creatura Dei prospecta est, sacrificium videri potest. Sed enim Dominus ait: Quis vestrum potest capillum atrum ex albo facere, aut album ex atro (*Matt.*, V, 36)? Itaque revincunt Deum; ecce, inquiunt, pro albo vel atro flavum facimus gratia faciliorem; quamvis et atrum ex albo conantur facere, quas pœniteat ad senectam usque vixisse. Pro temeritatem! erubescit ætas exoptata votis (*i*), furtum confitetur (13), adolescentia, in qua delinquimus, suspiratur, occasio gravitatis interpolatur. Absit a sapientiæ filiabus stultitia tanta. Senectus, cum plus occultari studuerit, plus detegetur (14). Hæc est æternitas nostra de capitis juventute (15). Hanc incorruptibilem habemus semper induere ad domum Domi-

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Rig.* non in crudam — insinuanda, etc.
(2) *Seml.* de bono corporis squalorem, sed de putoris suad.
(3) *Rig.* urgent.
(4) *Ita ed. Fran. et all.*; *Seml.* colligunt, *Rig.* porrigunt.
(5) *Rig.* in ipsis se nimirum arguunt.
(6) *Rig.* additamenta. Is est diabolus.
(7) *Rig* ut in vobis pareat manus vos quodammodo Deo inferre.
(8) *Rig.* infligitur (ἐμπλάττεται).
(9) *Cod. Agob.* quod ad tuum non sit.
(10) *Rig.* quibus alieni abstinentia traditur? adulterium in sp. ex.; qu. st. pud. sit?
(11) *Rig.* ita jam capillos transf.
(12) *Rig.* ardor nocet.
(13) *Rig.* conficitur.
(14) *Rig.* detinetur.
(15) *Rig.* æt. vera de capilli juv.

COMMENTARIUS.

CAP. V.—(a) *Justitia corporis excolendi.* Sic libro *de Pallio*, justitiam pallii dixit, pro pallio bene convenienti, bene sedenti, et supra colorem injustum. Rig.

(b) *Oculos fuligine.* Stibio, πλατυοφθάλμῳ. Sic supra, illum ipsum nigrum pulverem, quo oculorum exordia producuntur. Rig. — *Oculos fuligine porrigunt.* Forte *perlinunt.* Καλλιβλέφαρον intelligit quo ad palpebrarum venustatem utebantur. Apud Petronium, *corymbio dominæ pueri adornat caput, immo supercilia etiam profert de pixide.* Mart., lib VIIII, epigr. 38, *et lateas centum condita pixidibus.* Juvenalis... *Ille supercilium madida fuligine tinctum, obliqua producit acu.* Uxorem suam laudat Philostratus in epist. quod fuco genas non inficeret, neque inter picturatas mulieres adscriberetur, sed inter vere pulchras. Clementi Alex. et veteribus, ut est apud Athenæum, lib. XV, ἐφθαλμοὺς ὑπογράφεσθαι est illud de quo hic agitur. Le Pr.

(c) *Plastica Dei.* Cyprianus : *Opus Dei, et factura ejus, et plastica adulterari nullo modo debet.* Rig.

(d) *Reprehendunt artificem*, etc. Tantum Tertulliano displicuit φιλοκοσμία, ut ipsius artificem diabolum asserere non vereatur : cum enim quod nascitur Dei sit, sequitur diaboli opus esse quod affingitur Monuit etiam injuriam Deo fieri, cum ejus opus ex traneo fuco et emendicato nitore ornatur. Le Pr.

(e) *Manus Deo inferret.* Cyprianus : *Manus Deo inferunt, quando id quod ille formavit, reformare et transfigurare contendunt.* Rig.

(f) *Appetere quod datum non sit.* Vetus codex : *Quod ad tuum non sit.* Rig.

CAP. VI.—(g) *Pessime sibi auspicantur flammeo capite.* Sic, l. I ad Uxor.: *Ignis illius inextinguibilis imaginem tractant, auspicia pœnæ suæ.* Cyprianus : *Malo præsagio futurorum capillos jam tibi flammeos auspicaris.* Hieron. ad Lætam : *Nec capillum inrufes, et ei aliquid de gehenne ignibus auspiceris.* Rig.

(h) *Solis ardor animando cap.* Animando, colorando, ut *Animatæ fruges*, Lucretio, et *Animata exta*, Arnobio. Rig.

(i) *Erubescit ætas exoptata votis.* Q. Serenus :

Quos pudet ætatis longæ, quos sancta senectus
Offendit, cupiunt properos abscondere canos,
Et nigrum crinem fuco simulare doloso, etc. Rig.

Digitized by Google

ni, quam ἀκαιρία pollicetur (1) (*a*). Bene properatis ad Dominum, bene festinatis excedere de isto iniquissimo sæculo, quibus in fine (2) appropinquare deforme est.

CAPUT VII.

Quid enim tanta ornandi (3) capitis operositas ad salutem subministrat? Quid crinibus vestris quiescere non licet, modo substrictis, modo relaxatis, modo suscitatis, modo elisis? Aliæ gestiunt in cincinnis (4) coërcere, aliæ, ut vagi et volucres elabantur, non bona simplicitate. Affigitis præterea nescio quas enormitates (*b*) sutilium (5) atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum quasi vaginam capiti et operculum verticis, nunc in cervicem retro suggestum. Mirum, quod non contra Domini præcepta contenditur. Ad mensuram neminem sibi adjicere posse pronuntiatum est. Vos plane adjicitis ad pondus collyrias (*c*) quasdam vel scutorum umbilicos (6) cervicibus adstruendo. Si non pudet enormitatis, pudeat inquinamenti, ne exuvias alieni capitis, forsitan immundi, forsitan nocentis et gehennæ destinati, sancto et christiano capiti supparetis. Imo omnem hanc ornatus servitutem a libero capite propellite. Frustra laboratis ornatæ videri, frustra peritissimos quosque structores capillaturæ adhibetis (*d*). Deus vos velari jubet, credo, ne quarumdam capita videantur. Atque [utinam miserrimus ego] in illo die christianæ exsultationis [vel inter calcanea vestra caput elevem (7) (*e*)!] videbo, an cum cerussa et purpurisso et croco et in illo ambitu capitis resurgatis, an taliter expictas angeli in nebula sublevent obviam Christo. Si nunc bona et Dei sunt, tunc quoque occurrent resurgentibus corporibus et sua loca agnoscent. Sed non potest resurgere, nisi caro et spiritus solus ac purus; damnata sunt igitur, quæ in carne et spiritu non resurgunt, quia Dei non sunt. Damnatis hodie abstinete. Hodie vos Deus tales videat, quales tunc videbit.

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Rig.* Hanc incorruptibilitatem habemus superinduere ad novam domum, quam monarchia pollicetur.
(2) *Latinius* in finem. *Rig.* ad finem propinquare.
(3) *Rhen. e cod. Gorz.* ornandi; *alii*, ordinandi.
(4) *Al.* in cincinnos.
(5) *Seml.* simplicitate custoditis. Præterea — subtilium, etc. Vv. sutilium atque text. *desunt in ed. Rig.*
(6) *Rig.* colluras quasd. etc. *Alii*, collyridas quasd. — *Scaliger*, sputorum umbilicos (καμπόλυγας).
(7) *Vv. uncinis inclusa a manu librarii male sedula videntur illata esse.*

COMMENTARIUS.

(a) *Hanc incorruptibilitatem habemus superinduere ad novum hominem quem monarchia pollicetur.* Vel si magis placeat, et mihi quidem certe magis placet, *Ad novam domum quam monarchia pollicetur.* Sic autem emendavimus ad veteris scripturæ vestigia, quæ in agobardi libro cernuntur hujusmodi: *Hanc incorruptibilitatem habemus semper induere ad novum dum qua monarchia pollicetur.* Succenset fœminis christianis, quæ circa corporis ornatum nimis occupatæ parum meminerant Apostoli, ad multo præstantiorem corporum nostrorum apud Deum gloriam provocantis. Alludit autem ad illa Pauli ad Cor., I, 15, et II, 5, jubentis christianos bene de resurrectione sperare, quæ mortalia corpora superinduet immortalitate. Tunc enim futurum ut beatorum animæ ad corpora redeant sua, tanquam ad domicilia nova; quippe jam æterna; quippe superinduta immortalitate, tanquam vestimento novo, nullis unquam posthæc ætatibus deterenda. Ait igitur, frustra occultari senectutem, quæ quo magis premitur, eo magis erumpit; quo plus occultatur, plus accusatur. Dein cum indignatione simul et risu, *Hæc est*, inquit, *æternitas vera, de capilli juventute. Hanc incorruptibilitatem habemus superinduere ad novam domum, quam monarchia pollicetur.* Monarchiam dicit, Deum optimum maximum, sanctissimæ Trinitatis unitatem, quo sensu vocabulum istud frequentissime usurpavit adversus Praxeam disputatione. Hæc certissima est loci depravitissimi scriptura. Nec jam moveor illa codicis Divionensis aut Pithœani cunctis hactenus editionibus receptissima: *ad domum Domini quam acacia pollicetur.* Quamvis acaciam Plinius et Medici describant spinæ genus in Ægypto, Cappadocia et Ponto, unde succus sive gummi tanta ad spissandum vi, ut gallæ vicem præbeat coriariorum officinis, adscitam et mulierum fucis, adstringendæ cutis laxitati, et rugis inducendis, atque etiam capillo tingendo *ὄυναμιν ἔχει στυπτικὴν, μελαίνει δὲ καὶ τρίχας*, inquit, Dioscorides, et Marcellus, inter medicamenta quæ capillo nigrando et incrispando dictari ætate sua solebant, acaciæ meminit. Verum hæc neque Apostoli, neque Tertulliani sententiæ conveniunt satis. Minime autem quæ de innocentia, quam Græci ἀκακίαν dicunt, Rhenanus, Pamelius, et alii tentavere codicis subvetusti depravatione decepti. Rig.

CAP. VII. —(b) *Nescio quas enormitates.* De galero seu galericulo id intellige, quem ob capillorum raritatem adhibebant tam viri quam mulieres, adjectis pillis huscamanis: ea autem industria capiti conglutinatus erat, ut naturalis, non ascititia coma videretur. De eo Juven. Sat. 6:

Sed nigrum flavo crinem abscondente galero. Le Pr.

(c) *Collyrias quasdam.* Collyridas habent alii codices. Est autem Collyris placente genus, figura rotunda, adeo ut idem esse videatur ac umbilicus in scutis. Juvenalis Sat. 6:

Sed quæ mutatis inducitur, atque fovetur
Tot medicaminibus, coctæque siliginis offas
Accipit, et madidæ facies dicetur an ulcus?

Magnus Scaliger legebat *sputorum umbilicos*, hoc est bullas et pompholygas corii quod inducebatur. Rig.

(d) *Frustra peritissimos quosque structores capillaturæ.* Ili peculiari vocabulo Cosmetæ dicebantur. Glossæ veteres: Κοσμήτης; Ornamentarius, Ornator. Juvenalis: *Ponunt cosmetæ tunicas.* Et puellæ in eum usum adhibitæ; nam et in glossis legimus κοσμητρίας, Ornatrices. Ulpianus l. item legato, de leg. III, ubi de iis quæ uxoris causa parata dicuntur. Item legato contuentur mancipia, puta lecticarii qui solam matrem familias portabant: item mancipia alia, puellæ fortassis, queis sibi comas mulieres exornant, sic enim legendum videtur. Rig. — *Structores capillaturæ.* Hæc vox structor, absolute, de rebus variis accipitur: aliquando pro ferculorum compositore, ut ait Servius, et apud Petronium in cœna Trimalcionis, *proprium convenientemque materiæ* structor *imposuerat cibum;* aliquando pro ferculorum scissore, ut Juven. Sat. 5.

Structorem interea, ne qua indignatio desit,
Saltantem spectas, et chironomanta volanti
Cultello, donec peragat dictata magistri
Omnia, nec minimo sane discrimine refert
Quo gestu lepores, et quo gallina secetur. Le Pr.

(e) *Inter calcanea.* Mira humilitas.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Videlicet nunc et vir et sexus æmulus fœminas a suis depello (*a*). An et nobis quædam respectu obediendæ gravitatis (1) (*b*) propter metum debitum Domino detrahuntur siquidem et viris propter fœminas, ut fœminis propter viros, vitio naturæ ingenita est placendi voluntas, propriasque præstigias formæ et hic sexus sibi agnoscit, barbam acrius cædere, intervellere (*c*), circumradere (*d*), capillum disponere, etiam colorare (2) canitiem, primam quamque subducere totius corporis lanuginem, pigmento quoque muliebri distinguere (3), cætera pulveris cujusdam asperitudine lævigare, tum speculum omni occasione consulere, anxie inspicere, cum tamen, cognito Deo adempta placendi voluntate, per luxuriæ vacationem omnia illa ut otiosa, ut hostilia pudicitiæ (4) recusantur. Nam ubi Deus, ibi pudicitia, ibi gravitas adjutrix et socia ejus. Quo ergo pacto pudicitiam (*e*) sine instrumento suo, id est, sine gravitate tractabimus? quomodo autem gravitatem administrandæ pudicitiæ adhibemus, nisi et in facie et in cultu et in totius hominis contemplatione severitas circumferatur?

CAPUT IX.

Quamobrem erga vestitum quoque et reliqua compositionis vestræ impedimenta (*f*) proinde vobis curanda est amputatio et decussio redundantioris nitoris (*g*). Nam quid prodest, faciem quidem frugi et expeditam et simplicitatem condignam divinæ disciplinæ exhibere, cætera vero corporis laciniosis (*h*) quasi non abutamur. Præterit enim, inquit, habitus pomparum et deliciarum ineptiis occupare? Ilæ pompæ quam de proximo curent luxuriæ negotium et obstrepant pudicitiæ disciplinis, dignoscere in facili est, quod gratiam decoris cultus societate prostituant; adeo, si desint, irritam et ingratam reddunt, velut exarmatam (5) et naufragam. Contra si forma defecit, adminiculum nitoris quasi de suo gratiam supplet. Ætates denique requietas jam et in portum modestiæ (*i*) subductas splendor et dignitas cultus avocant et severitatem appetitionibus inquietant, compensantibus scilicet habitus irritamentum pro frigore (*j*) ætatis. Ergo, benedictæ, primo quidem ut lenones et prostitutores vestitus et cultus ne in vos admiseritis; tum si quas vel divitiarum [suarum] vel natalium vel retro dignitatum ratio compellit ita pompaticas progredi, ut sapientiam (6) consecutæ temperare saltem ab hujusmodi curate, ne totis habenis licentiam usurpetis prætextu necessitatis. Quomodo enim humilitatem, quam christiani profitemur, implere poterimus (7), non repastinantes divitiarum vestrarum vel elegantiarum usum, quæ ad gloriam faciunt? Gloria autem exaltare, non humiliare consuevit. Non enim utemur (*k*) nostris? Quis autem prohibet uti? Secundum apostolum tamen, qui nos uti monet mundo isto, hujus mundi (*l*). Et qui emunt, inquit, sic agant, quasi non possidentes. Cur ita? quoniam præmiserat, dicens : Tempus in collecto est (I *Cor.*, VII, 29-31). Si ergo uxores quoque ipsas sic habendas demonstrat, tanquam non habeantur, propter angustias temporum, quid de vanis his instrumentis earum? Non enim et ita multi faciunt, et se spa-

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Rig. e cod. Agob.* obeundæ gratuitatis. *Lat.* obeundæ gravitatis.
(2) *Rig.* et decolorare.
(3) *Rig.* distingere.
(4) *Rig.* per lux. occasionem b. i. ut ot. aut hostilia recus.
(5) *Seml.* exornatum.
(6) *Rig.* ut sap. non videantur consecutæ, temp. malum hujusmodi curate.
(7) *Rig.* quam nostri profitentur, implere poteritis

COMMENTARIUS.

CAP. VIII.—(a) *Fœminas a suis depello.* Quasi a dotibus suis, bonis suis et propriis, cultu et ornatu. Rig.

(b) *Respectu obeuntur gravitatis.* Innuit Tertullianus non leviori censura viros, quam fœminas, notari merito posse, qui, cum gravitatem Deo præsenti deberent, ipsi per luxuriæ vacationem, vel proprias formæ præstigias, alteri sexui placere niterentur. Edd.

(c) *Intervellere.* Nimiam illam venustatis et juventutis affectationem insectatur, qua volsellis pilos avellebant ut læviores viderentur, quod in nostris etiam hominibus carpere facile esset. Le Pr.

(d) *Circumradere.* Optime Rigaltius, cum cæteri vulgo legant *circumdare*, in quo interpretando mirum quam æstuant. Lacerda et Pamelius erudite quamplurima adducunt ut pravam lectionem explicent. Le Pr.

(e) *Pudicitiam sine instrumento suo.* Instructior est pudicitia, quæ gravitatem habet comitem. Rig.

CAP. IX.—(f) *Et reliqua compositionis vestræ impedimenta.* Per impedimenta hic intelligit totam illam cultus muliebris supellectilem, quæ sarcinæ cujusdam instar est. Sic, lib. prior : *Ideo omnia ista damnata, et mortuæ mulieris impedimenta sunt, quasi ad pompam funeris constituta.* Rhen.

(g) *Decussio redundantioris nitoris.* Ad elegantiam exprimendam vox *nitor* apprima est, teste Casperio in Statium, Horat. : *ex nitido fit rusticus*, Statius, in protrept. Crispini, et in Sylvis, item Martialis. Vel hoc dicit propter amatores fœminarum; solenne enim latinis hujusmodi amatores nitidos dici. Plautus Casina: *qui postquam amo Casinam, magis niteo*, et Juvenalis : *Hilares nitidique vocantur*. Quod monuit Taubmannus. Sed unde decussio? an a vento imminente qui flosculos omnes in terram prosternit? Crediderim dicente Tullio, II *Off.* : *ficta omnia, et leniter tanquam flosculi decidunt.* Qui tropus invenitur in epist. Jacobi cap. I, ubi καὶ τὸ ἄνθος αὐτοῦ ἐξέπεσε, *et flos ejus decidit.* Ab hoc itaque Tertullianum sumpsisse metaphoram existimo. Lac.

(h) *Laciniosis pomparum*, etc. Hoc est variis et redundantibus, hoc verbo etiam alibi usus est. Rhen.

(i) *In portum modestiæ.* Translatio est a navibus, quæ in tutam stationem ex alto mari subducuntur. Rhen.

(j) *Compensantibus scilicet habitus irritamentum pro frigore ætatis.* Ait fœminas, ætate jam defervescente, corpora sua tanto studio curare et colere, ut appetitionem sui excitent : et si quid frigus ætatis extinxit, habitus delicati lascivia irritet atque redaccendat. Rig.

(k) *Non enim utemur nostris?* Hæc sub fœminarum persona querentium, quod a suis depellantur. Rig.

(l) *Præterit enim habitus hujus mundi.* Habitum dicit quod Paulus σχῆμα. Rig.

Digitized by Google

donatui assignant propter regnum Dei (*Matth.*, XIX, 12), tam fortem et utique permissam voluptatem sponte ponentes? Quidam (1) ipsam Dei creaturam sibi interdicunt, abstinentes vino et animalibus esculentis (2), quorum fructus nulli periculo aut sollicitudini adjacent; sed humilitatem animæ suæ in victus quoque castigatione Deo immolant. Satis igitur et vos usæ estis divitiis atque deliciis, satis dotum vestrarum fructum decidistis (*a*) ante notitiam salutarium disciplinarum. Nos sumus, in quos decurrerunt fines sæculorum. Nos destinati a Deo ante mundum in æstimationem temporum (*b*); tanquam (3) castigando et castrando, ut ita dixerim, sæculo erudimur a Domino. Nos sumus circumcisio omnium et spiritalis et carnalis, nam spiritu et carne sæcularia circumcidimus (4).

CAPUT X.

Nimirum enim Deus demonstravit succis herbarum et concharum salivis (*c*) incoquere lanas. Exciderat illi, cum universa nasci juberet, purpureas et coccineas oves mandare: Deus et ipsarum vestium officinas commentus, quæ leves et exiles solo pretio graves essent; Deus et auri tanta opera produxit, complectendis et distinguendis lapillis; scrupulosa Deus auribus vulnera intulit (*d*), et tanti habuit vexationem operis sui et cruciatus infantiæ tunc primum dolentis, ut ex illis ad ferrum nati corporis (*e*) cicatricibus grana nescio quæ penderent, quæ plane Parthi per omnia quæque sua (5) bullarum vice inserunt, quanquam et aurum ipsum, cujus vos gloria occupat, cuidam genti ad vincula servire referunt gentilium litteræ. Adeo non veritate bona sunt, sed raritate; artibus autem per angelos peccatores (*f*), qui et ipsas materias prodiderunt, inductis, operositas (*g*) cum raritate commissa pretiositatem et ex ea libidinem possidendæ pretiositatis fœminarum excitavit. Quod si iidem angeli, qui et materias ejusmodi et illecebras detexerunt, auri dico et lapidum illustrium et operas eorum tradiderunt, et jam ipsum calliblepharum (*h*) vellerumque tincturas inter cætera docuerunt (6), damnati a Deo sunt, ut Enoch refert (*i*): quomodo placebimus Deo, gaudentes rebus illorum, qui iram et animadversionem Dei provocaverunt?

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Rig.* Numquid non aliqui.
(2) *Præter Rigaltium omnes*, exulantes.
(3) *Rig.* in extimatione temporali. Itaque castig.
(4) *Rig.* nam et in spiritu et in carne circumcidimur.
(5) *Rig.* Parthi peronibus quoque suis bull. vice ins.
(6) *Inde a vv.* Adeo non veritate, etc., *secuti sumus recensionem Rigaltii, quam quæ a cæteris edita sunt intelligi nequeant. Leopold.*

COMMENTARIUS.

(a) *Satis dotium vestrarum fructus decidistis.* Hæc erant in libris hactenus editis depravatissima. Emendavimus ex Agobardino. Ait autem quasi ad universum genus fœminarum. Vos fœminæ, satis antequam inter homines Christus nominaretur, usæ estis divitiis atque deliciis: satis dotium vestrarum usuras, quæ maritorum commodis cedere debebant, ipse decidistis ac præcepistis in omne luxuriæ genus, in sumptus insanos: satis permisistis decerpi voluptarios fructus pulchritudinis, qua dotatæ fueratis. Lusistis; satis est. Nunc inciderunt alia tempora; et majoris momenti negotia vos tenent: salutarium disciplinarum notitia nos alio vocat; ante ipsius mundi exordia destinavit nos Deus victuros in extimis temporibus, in extimatione temporali, hoc est, in fine temporum, quo tempore cogitandum nobis, non de terrenis ac momento perituris, verum de cœlestibus ac perpetuo duraturis. Rig.

(b) *In extimatione temporali* (ut legit Rigaltius). In extremis temporibus, in fine sæculi. Extimationem hic eo intellectu percipi voluit, quo *extimavit*, libro de Corona: *Contactum in manibus extimavit.* Rig.

CAP. X. — (c) *Concharum salivis* (ut idem legit). Non raro Plinius Salivæ vocabulum usurpat pro humore et succo. Ac de purpuris et muricibus dixit, *Lentoris cujusdam cera salivant.* Rig.

(d) *Scrupulosa vulnera.* Unde gemmarum scrupuli penderent. Rig.

(e) *Ad ferrum nati corporis.* Natum ad ferrum corpus dicit, quod, simul ut natum est, ferro vulneratur, ima oricilla infantium pertusa. Rig.

(f) *Artibus autem per angelos peccatores inductis.* In excerptis Georgii Syncelli hæc ad hujusmodi artes pertinentia leguntur ex Zosimi Panopolitæ libro nono Imouth, sive Chimiæ, ad Theosebiam: Φάσκουσιν αἱ ἱεραὶ γραφαί, ἤτοι βίβλοι, ὦ γύναι, ὅτι ἔστι τι δαιμόνων γένος ὃ χρῆται γυναιξίν. Ἐμνημόνευσε καὶ Ἑρμῆς, ἐν τοῖς Φυσικοῖς, καὶ σχεδὸν ἅπας λόγος φανερὸς καὶ ἀτόκρυφος τοῦτο ἐμνημόνευσεν. Τοῦτο οὖν ἔφασαν αἱ ἀρχαῖαι καὶ θεῖαι γραφαί, ὅτι ἄγγελοι ἐπεθύμησαν τῶν γυναικῶν, καὶ κατελθόντες ἐδίδαξαν αὐτὰς πάντα τὰ τῆς φύσεως ἔργα· ὧν χάριν προσκρούσαντες ἔξω τοῦ οὐρανοῦ, ἔμειναν, ὅτι πάντα τὰ πονηρὰ καὶ μηδὲν ὠφελοῦντα τὴν ψυχὴν ἐδίδαξαν τοὺς ἀνθρώπους. *Ferunt sacræ Scripturæ, o mulier, quiddam dæmonum genus fœminis commisceri. Memorat et Hermes in Physica, et fere omnis sermo vulgaris arcanusque idem communiscitur. Illud igitur narrant priscæ divinæque Scripturæ ab angelis nempe concupitas fuisse mulieres e quarum rum commercio didicisse quævis naturæ opera: quapropter dejectos angelos a cœlo in perpetuum exulasse, eo quod quælibet prava et animæ noxia homines edocuissent.* Edd. *ex Rigalt.*

(g) *Operositas.* Opus et Manupretium. Utitur hoc vocabulo Irenæus, pro labore et ærumna, lib. II, cap. 19. Rig.

(h) *Ipsum Calliblepharum.* Nihil aliud esse hoc videtur quam purpurissum, quod pulchritudinem acuit et venustatem in fœminis, aiunt nonnulli esse spumam collectam e purpura effervescente. Videsis Plinium, lib. XXI, cap. 19, ubi ex foliis rosatum exustis confieri docet, et ex nucleis palmarum, atque etiam ex bubula medulla, lib. XXVII, cap. 4. Le Pr.

(i) *Damnati a Deo sunt ut Enoch refert.* Iterum citat librum Enoch apocryphum, quæ se legisse testatur Hieronymus. Ex quo etiam capita quædam descripsit Georgius Syncellus, qui et Paulum quoque ipsum nonnulla etiam citasse ostendit ex apocryphis Heliæ, Mosis et Hieremiæ; deinde subjicit: Ταῦτα δὲ ἡμῖν εἴρηται, οὐ πρὸς ἀδειαν μὲν βουλομενοῖς ἀδιαφόρως αὐτοῖς ἐντυγχάνειν· μὴ γένοιτο. Πολλοὶ γὰρ ἐβλάβησαν ἐν πᾶσιν αὐτοῖς πιστεύσαντες· ὅθεν καὶ ἡ ἁγία τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησία καὶ ὁ χορὸς τῶν θεορόρων ἡμῶν πατέρων ἀκώλυτον ἐντυγχάνειν αὐτοῖς ὥσπερ τῇ θείᾳ λοιπῇ γραφῇ. *Hæc a nobis dicta sint, non quod velimus tenere aut sine delectu istis uti libris: absit. Multis enim nocuit nimia istiusmodi credulitas: unde sancta Dei Ecclesia et Deiferorum patrum nostrorum chorus obstiterunt, quominus ad eum modum recitarentur, ad quem reliquæ divinæ Scripturæ.* Ac de hujuscemodi Scripturis olim monuit doctissimus Hieronymus, Epistola ad Lætam: *Sciendum non eorum esse quorum titulis prænotantur, multaque his admixta vitiosa, et grandis esse prudentiæ aurum in luto quærere.* Rig.

Digitized by Google

Nunc Deus ista prospexerit, Deus permiserit; nullam de conchylio vestem Isaias (*Is.*, III, 18 *et seqq.*) increpet, nullas lunulas reprobet, nullum botronatum (*a*) retundat tamen non ut gentiles, ita nos quoque nobis adulemur, institutorem Deum solummodo existimantes, non etiam (*b*) dispectorem institutorum suorum. Quanto enim melius (1) et cautius egerimus, si præsumamus, omnia quidem a Deo provisa tunc et in sæculo posita, uti nunc essent (2), in quibus disciplina servorum ejus probaretur, ut per licentiam utendi continentiæ experientia procederet (3). Nonne sapientes patresfamiliæ (*c*) de industria quædam servis suis offerunt atque permittunt, ut experiantur, an et qualiter permissis utantur, si probe, si modeste (4)? Quanto autem laudabilior, qui abstinuerit in totum, qui timuerit etiam indulgentiam Domini? Sic igitur et Apostolus : Omnia, inquit, licent, sed non omnia ædificant (5) (I *Cor.*, X, 23). Quanto facilius illicita timebit, qui licita verebitur?

CAPUT XI.

Quæ autem vobis caussa est exstructius prodeundi cum remotæ sitis ab his, quæ talium indigent. Nam nec templa circuitis, nec spectacula postulatis, nec festos dies gentilium nostis. Propter istos enim conventus et mutuum videre ac videri omnes pompæ in publicum proferuntur, ut aut luxuria negotietur aut gloria insolescat? Vobis autem nulla procedendi caussa non tetrica (*d*) : aut imbecillus aliquis ex fratribus visitandus, aut sacrificium offertur (*e*), aut Dei verbum administratur. Quidvis horum gravitatis et sanctitatis negotium, et cui opus non sit habitu extraordinario et composito et soluto (6). Ac si necessitas amicitiarum officiorumque gentilium vos vocat, cur non vestris armis indutæ proceditis? tanto magis, quanto ad extraneas fidei? ut sit inter ancillas diaboli et dei discrimen, ut exemplo sitis illis, ut ædificentur in vobis, ut, quomodo ait Apostolus, magnificetur Deus in corpore vestro (*Phil.*, I, 20; I *Cor.*, VI, 20); magnificatur autem in corpore per pudicitiam, utique et per habitum pudicitiæ competentem. Sed enim dicitur a quibusdam, ne blasphemetur nomen ejus in nobis (*Rom.*, II, 24), si quid de pristino habitu et cultu detrahamus. Non auferamus ergo nobis et vitia pristina (7); simus et moribus iisdem, si et superficie eadem, et tunc vere non blasphemabunt nationes. Grandis blasphemia est, qua dicatur (8) : ex quo facta est christiana, pauperius incedit. Timebis pauperior videri, ex quo locupletior facta es, et sordidior, ex quo mundior? Secundum gentilium, an secundum Dei placitum incedere christianos oportet?

CAPUT XII.

Optemus tantummodo ne justæ blasphemationis caussa simus. Quanto autem magis blasphemabile est, si, quæ sacerdotes pudicitiæ dicimini, impudicarum ritu procedatis cultæ et expictæ? Aut quid minus habent infelicissimæ illæ publicarum libidinum victimæ? quas si quæ leges a matronis (9) et matronalibus decoramentis coercebant, jam certe sæculi improbitas quotidie insurgens honestissimis quibusque fœminis usque ad errorem dignoscendi coæquavit; quanquam lenocinia formæ nunquam non prostituto corpori conjuncta et debita etiam Scripturæ suggerunt. Illa civitas valida, quæ super septem montes et plurimas aquas præsidet, cum prostitutæ appellationem a Domino meruisset (10), quali habitu appellationi suæ comparata est? Sedet certe in purpura et coccino et auro et lapide pretioso. Quam maledicta sunt, sine quibus non potuit maledicta et prostituta describi! Thamar illa (*Gen.*, XXXVIII, 14, *sqq.*), quia se expinxerat et ornaverat, idcirco Judæ suspicione visa est quæstui sedere (*f*); adeo, quia sub velamento latebat, habitus qualitate quæstuariam

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Rig.* utilius.
(2) *Ita recte h. l. emend. Fr. Junius*; *cæteri*, esset.
(3) *Rig.* cont. experimenta procederent.
(4) *Rig.* moderate.
(5) *Rig.* expediunt. —
(6) *A. Neander emend.* hab. extraord. et soluto, sed composito.
(7) *Vr.* nobis et *delevit Rig.*
(8) *Gelenius aliique*, blasph., si qua dic. — incedere. *Rig.* blasph. est, ex qua dic. — incedit.
(9) *Al.* maritolibus. *Rig.* maritalibus.
(10) *Rig.* præsidet, prostitutæ app. a Dom. meruit. Sed quali hab., etc.

COMMENTARIUS.

(a) *Nullum botronatum retundat.* Botronatum dicit comæ struicem corymbiatam. Hesychius : βοτρυδὸν, ἑτέρα τῆς ἑτέρας ἐχομένη, ὡς οἱ βότρυες τὰς ῥᾶγας ἔχουσι πυκνάς. Rig. — *Nullum botronatum*, etc. Divinat Rhenanus esse redimiculum capillos capitis stringens, ita dictum quod botri speciem refert. Nam in græco textu septuaginta interpretum nihil est tale, fierique potest ut sit vocabulum quo vulgus id temporis utebatur, ad ornamentum capitis fœminei explicandum. Lac.

(b) *Despectorem.* Ita legit Rhenanus. Despector, ut et ante plus semel, pro dispectore, qui curam habeat, et considerationem institutorum suorum. Sic et in lib. de velandis virginibus : *Sed nec inter consuetudines*, inquit, *despicere voluerunt illi sanctissimi antecessores.* Rhen.

(c) *Patres familiæ.* Istud usurpat auctor, contra quem sentit Varro, lib. VII, ubi dicere debuis et *Patresfamilias*. Eodemmodo Mart., lib I : *Pater familiæ verus est, Quirinalis.* Pam.

CAP. XI. — (d) *Nulla procedendi causa non tetrica.* Hoc est, Nulla procedendi causa non gravis, non seria, non sancta. Rig.

(e) *Sacrificium offertur.* Sic dixit, *Sacrificiorum orationes*, in quibus scilicet eucharistica mysteria participanda Fidelibus offeruntur. Rig. — *Aut sacrificium offertur.* Intelligi Missæ sacrum manifestius est quam ut debeat manifestari, contra imprudentiam Junii qui quaspiam orationes generatim intelligit. Videndus Gretserus Noster in notis contra Junium, cap. 3. Lac.

CAP. XII.—(f) *Thamar illa visa*, etc. *Visa est quæstui.* Id est, ad quæstum sedere, etc. Etiam hanc scripturam posteriori loco citat B. Cyprianus, ut ostendat mulierem ornari sæculariter non debere, in hæc verba : *Thamar cooperuit se pallio* (quod appellat et B. Hieronymus theristrum) *et adornavit, et cum aspexisset eam Judas, visum est ei* meretricem esse. Illud autem, *et voluit*, accipere videtur auctor, pro concupiscentia ejus exarsit. Pam. — *Quæstui sedere.* Sedere, mulierum est quæ fornicariæ sunt. De eadem Thamar, Gen., XXXVIII,

Digitized by Google

mentiente (*a*), et fecit, ut quæstuariam et voluit et compellavit et pactus est (1). Unde addiscimus adversus congressus etiam et suspiciones impudicas providendum omni modo esse. Quid enim castæ mentis integritas in alterius suspicione maculatur? Quid speratur in me, quod adversor? Quid non mores meos habitus pronuntiat, ne spiritus per aures ab impudentia vulneretur (*b*)? Liceat videri pudicam, certe impudicam non licet (2).

CAPUT XIII.

Aliqua forsitan dicat : Non est mihi necessarium hominibus probari, nec enim testimonium hominum requiro; Deus conspector est cordis (I *Reg.*, XVI, 7). Scimus omnes, cum tamen (3), quid idem per Apostolum dixerit, recordemur : Probum vestrum (*c*) coram hominibus appareat (*Phil.*, IV 5). Ad quid, nisi ut malitia ad vos accessum omnino non habeat, et ut malis et exemplo et testimonio sitis? Aut quid est : *luceant opera vestra?* Aut quid nos Dominus lumen terræ vocavit (*d*) ? Quid civitati supra montem constitutæ comparavit (*Matth.*, V, 14), si non relucemus inter tenebrosos (4) et exstamus inter demersos? Si lucernam tuam sub modium abstruseris, in tenebris derelicta a multis incurseris necesse est (*e*). Hæc sunt, quæ nos luminaria mundi faciunt, bona scilicet nostra. Bonum autem, duntaxat verum et plenum, non amat tenebras, sed gaudet videri et ipsa (*f*) denotatione sui exsultat (5). Pudicitiæ christianæ satis non est esse, verum et videri. Tanta enim debet esse plenitudo ejus, ut emanet ab animo in habitum et eructet a conscientia in superficiem, ut et foris inspiciat quasi suppellectilem suam, quæ conveniat fidei continendæ in perpetuum. Discutiendæ enim sunt deliciæ, quarum mollitia et fluxu fidei virtus effeminari potest. Cæterum nescio (*g*) an manus spatalio circumdari solita in duritia catenæ stupescere sustineat. Nescio an crus de periscelio (6) in nervum se patiatur arctari (*h*). Timeo cervicem, ne margaritarum et smaragdorum laqueis occupata locum spathæ non det. Quare, benedictæ, meditemur duriora, et non sentiemus; relinquamus lætiora, et non desiderabimus; stemus expeditæ ad omnem vim, nihil habentes quod relinquere timeamus. Retinacula ista sunt spei nostræ. Projiciamus ornamenta terrena, si cœlestia optamus. Ne dilexeritis aurum, in quo prima (7) delicta populi Israelis denotantur (*Cf. Exod.*, XXXII, 2, *sqq.*). Odisse debetis, quod Judæos perdidit (8), quod derelinquentes Deum adoraverunt. Etiam tunc aurum ignis est (*i*) esca (9). Cæterum tempora christianorum semper et nunc vel maxime non auro, sed ferro transiguntur. Stolæ martyriorum præparantur, angelis bajulis (10) sustinentur (*j*) . Prodite vos jam medica-

LECTIONES VARIANTES.

(1) *Rig.* adeoque sub vel. lat., hab. qual. quæst. ment., ut quæst. et voluerit et compellaverit et pactus sit.
(2) *Rig. e cod. Agob.* certe impudicam scilicet.
(3) *Fr. Junius conj.* Scimus omnes; verumtamen quid idem, etc.
(4) *Rig.* reluc. in tenebris; *alii*, reluc. inter tenebras.
(5) *Rig.* in ipsas denotationes exultat.
(6) *Rig.* crus periscelio lætatum, etc.
(7) *Rig.* omnia.
(8) *Rig.* patres.
(9) *Rig.* quod relinquentibus Deum adoratum est. Etiam (*alii*, jam) tunc aurum ignis est. Cæterum, etc.
(10) *Rig.* angeli bajuli sust.

COMMENTARIUS.

Operuit se peplo et obtexit se, consedilque in porta oculorum; vel, ut Vulgatus, *mutato habitu sedit in bivio itineris*, et Jeremiæ, cap. III, *vide ubi non prostrata sis, in viis sedebas.* Fuit enim solemne Hebræis, ut meretrices publicas obsiderent vias. Unde illud Ezech., XVI : *Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ ;* et iterum ; *ædificasti lupanar tuum in capite omnis viæ.* Inde etiam apud Romanos *prosedæ*, quarum meretricum frequens mentio, quod ante fores sederent. Plautus in Pœn. *Prosedas, pistorum amicas reliquias alicarias.* Lac.

(a) *Habitus qualitate quæstuariam mentiente.* Perstringit fortasse quamdam mulierem quæ in illo luto hæserat, qua ratione, Sat. 6, Juvenalis Messalinam tangit quæ, *nuda papillis Constitit oratis titulum mentita Lyciscæ*, quæ scilicet cellam intravit in qua fœdum prostibulum sederat mentiendo se quæstum corporis facere. Le Pr.

(b) *Spiritus per aures ab impudentia vulneretur.* Ab impudentia scilicet juvenum protervorum, qui te in tali habitu pro impudica compellare, et impudenti alloquio spiritum tuum lacessere et inquietare audebunt, atque ita per aures tuas pudorem tuum vulnerabunt, sic *spiritum sæcularis rei gratia concutit. Et spiritum scandalo permovent.* Concil. Eliber. *Spiritus sanctorum inquietantur.* Rig.

Cap. XIII. — (c) *Probum vestrum coram*, etc. Ad verbum expressit quod græce est apud apostolum, quo nomine ubique S. Paulum Apostolum intelligit, Philipp., II, τὸ ἐπιείκες ὑμῶν pro quo noster vulgatus interpres paraphrasticôs, *modestia vestra.* Pam.

(d) *Aut quid nos Dominus.* Cum apud Matth., græce legatur τὸ φῶς τοῦ Κόσμου, nusquam autem κόσμος pro terra usurpetur, etiam hic videtur memoria lapsus auctor, eo quod paulo ante præcessit, *sal terræ*, cum alioqui debuisset dicere *lumen mundi*, quemadmodum *luminaria mundi.* Pam.

(e) *In tenebris derelicta a multis incurseris necesse est.* Vulgo legitur, *a multis incurseris.* In codice Agobardi, *incluseris.* Scribendum, *incurseris*, hoc sensu : Fieri non potest, quin multi offendant tibi in tenebris relictæ. Incursari vocabulum hic ambiguum est; nam et incursi fœmina dicitur, quæ cæco libidinantium impetu opprimitur. Sic ipse Tertull., lib. I ad Nat. *Quoties in tenebris incursasset incesta.* Et : *Nota diligenter, ut cum tenebræ irruerint, non erres, extraneam incursans.* Et libro de Pudic. *Nec enim interest, nuptam alienam aut viduam quis incurset.* Pam.

(f) *In ipsas denotationes*, etc. Fabius, declam. 19, *omnium denotatione damnatus.* Pam.

(g) *An manus spatalio circumdari solita.* Spathalium muliebre ornamentum ἀπὸ τοῦ σπαθᾶν quod deliciari significat. Rhen.

(h) *Nescio an crus periscelio.* Periscelide sive periscelio crura vel tibiæ exornabantur : σκέλος Græci crus vocant. Rhen.

(i) *Etiam tunc aurum ignis est.* Libro superiore dixit de auro, *Nomen terræ in igne reliquit.* Itaque jam ab igne habet quod aurum est. Ignis autem mentione, perpetuo alludit ad ignem paratum supplicio prophanorum. Rig.

(j) *Angeli bajuli sustinentur.* Hoc est, angeli eos spectantur, qui in cœlum sublevent obviam Christo

Digitized by Google

mentis et ornamentis exstructæ (1) prophetarum et apostolorum, sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundia et os taciturnitate (2), inserentes in aures sermonem Dei, annectentes cervicibus jugum Christi. Caput A maritis subjicite, et satis ornatæ eritis. Manus lanis occupate (3), pedes domi figite, et plus quam in auro placebunt (4). Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiæ. Taliter pygmentatæ Deum habebitis amatorem.

LECTIONES VARIANTES.

(1) Prophetarum *omitt. Seml.*
(2) *Alii* et spiritus taciturnitate.
(3) Occupatæ *Paris.*
(4) Placebitis *alii.*

COMMENTARIUS.

Sic ipse Tertullianus præcedenti libro: *Videbo an cum cerussa et purpurisso, et croco et illo ambitu capitis resurgatis: an taliter expictas Angeli in nubila sublevent obviam Christo in aere.* RIG.

INDEX TOMI PRIMI.

Conspectus totius novæ Editionis.
Syllabus rerum quæ in primo tomo continentur.

NOVÆ EDITIONIS PRÆFATIO. Col. 9-10
Art. I. De auctoritate Tertulliani. 11
Art. II. De recto usu Tertulliani. 18
Art. III. De litterariis Tertulliani Annalibus. 32
Sæculo IX. 33
Sæculo X. *Ibid.*
Sæculo XI. *Ibid.*
Sæculo XIII, XIV. 34
Sæculo XV. 35
Sæculo XVI. 36
Sæculo XVII. 45
Sæculo XVIII. 59
Sæculo XIX. 66
Art. IV. De nova editione Parisiensi.
VITA Q. SEPT. FLORENT. TERTULLIANI, auctore Jacobo Pamelio. 41
DISSERTATIO de vera ætate ac doctrina Scriptorum quæ supersunt Q. S. F. Tertulliani, auctoribus C. Lumper. et Aug. Noesselt. 85
Art. I. De Tertulliani ingenio, stylo et existimatione. 89
Art. II. De libris Tertulliani quorum et ætas et orthodoxia constant. 96
Art. III. De libris Tertulliani quorum et ætas et montanismus constant. 122
Art. IV. De libris Tertulliani quorum vel ætas, vel doctrina, vel utraque latet. 144
Art. V. De libris quorum non nisi montanismus patet. 157
Art. VI. De libris quorum nec ætas, nec doctrina clara est. 168
PARADOXA TERTULLIANI, cum antidoto Jacobi Pamelii. 180
PROVERBIALES FORMULÆ toto opere hoc Tertullianico contentæ, brevibus scholiis illustratæ, auctoribus B. Rhenano et Andrea Hoyo Brugensi. 209
OPERUM TERTULLIANI PARS PRIMA, IN QUA CONTINENTUR LIBRI ANTE SUSCEPTUM AB AUCTORE MONTANISMUM SCRIPTI. 257
SERIES PRIMA. LIBRI APOLOGETICI. *Ibid.*
APOLOGETICUS adversus Gentes pro Christianis. *Ibid.*
DISQUISITIO J. Laur. Mosheim de ætate Apologetici Tertulliani initioque persecutionis Severi. 535
AD NATIONES liber primus. 539
Liber secundus. 585
DE TESTIMONIO ANIMÆ. 607
AD MARTYRES. 619
DE SPECTACULIS. 627
DE IDOLOLATRIA. 661
LIBER AD SCAPULAM. Appendix ad libros apologeticos. 697
DISSERTATIO D. Le Nourry in Apologeticum, libros ad Nationes et ad Scapulam. 705
Caput I. Analysis Apologetici. *Ibid.*
Caput II. De Apologetici ætate, titulo, versione græca et stylo. 735
Caput III. De Apologetici manuscriptis codicibus, editionibus et variorum in eum paraphrasibus, scholiis et observationibus. 756
Caput IV. De duobus Tertulliani ad Nationes libris. 785
Caput V. De Tertulliani libro ad Scapulam. 774
Caput VI. Novæ in hos libros observationes, quibus primum ostenditur christianam religionem fultam esse sacris Veteri Testamenti scriptis. 781
Caput VII. De Deo, divinisque ejus attributis, ac quot qualesve gentilium philosophorum de illa dissensiones et errores. 804
Caput VIII. De Christi divinitate. 822
Caput IX. De Christo Deo et homine. 854
Caput X. De Angelis et hominibus. 867
Caput XI. De mortuorum hominum ad vitam revocatione, extremo Dei judicio, æternis impiorum pœnis ac præmiis justorum, atque animarum ante ultimum judicium receptaculis. 891
Caput XII. De Christianis, illorumque moribus ac legibus. 906
Caput XIII. Quam absurde ethnici jactaverint pares alias philosophorum suorum atque Christianorum virtutes. 923
Caput XIV. De Christianorum jejuniis, pœnitentiæ operibus ac variis ritibus. 953
Caput XV. De sacris Christianorum synaxibus. 918
Caput XVI. De christianis martyribus. 963
Caput XVII. Quibus argumentis Tertullianus demonstret Christianos iniquissime et contra omnium legum præscripta ab ethnicis vexatos et trucidatos fuisse. 976
Caput XVIII. Quam absurde ethnici objectarent se ad vexandos negandosque Christianos quibusdam suis legibus teneri, qui quoslibet sanctiores tam sæpe quam impune violabant. 985
Caput XIX. De legibus in Christianos datis et imperatorum in eos odio vel favore. 1005
Caput XX. De læsæ divinæ majestatis criminibus quorum Christiani tam falso quam impudenter ab ethnicis illorum reis accusabantur. 1015
Caput XXI. De læsæ majestatis humanæ criminibus quorum reos agere Christianos ethnici perperam conabantur. 1040
Caput XXII. Christianos nec publicos esse hostes nec factiosos, sed gentiles qui illos horum criminum accusabant. 1050
Caput XXIII. Christianos publicarum cladium non esse caussam. 1066
Caput XXIV. Quam absurde ethnici conquerebantur Christianos reipublicæ esse inutiles, atque idcirco exterminandos. 1079
Caput XXV. Quibus argumentis Tertullianus demonstret falsam esse gentilium religionem ac falsos omnes illorum deos. 1094
Caput XXVI. Quam luculenter Tertullianus ethnicorum literis, scriptisque ostendet falsos esse omnes illorum deos. 1102
Caput XXVII. Expenduntur alia Tertulliani argumenta quibus falsos nullosque esse gentilium deos demonstrat. 1115
Caput XXVIII. Quanta insulsitate Romani venditaverint se sua in deos pietate meruisse totius orbis imperium. 1121
Caput XXIX. De deorum imaginibus, statuis et simulacris. 1128
Caput XXX. De gentilium templis et sacrificiis. 1138

Digitized by Google

SERIES SECUNDA.

LIBRI DOGMATICI ANTE SUSCEPTUM AB AUCTORE MONTANISMUM SCRIPTI. 1145
LIBER DE ORATIONE. *Ibid.*
PROLEGOMENA Muratorii. *Ibid.*
Ad lectorem Panciroli prætatio. 1145
DE BAPTISMO adversus Quintillam liber. 1197
DE POENITENTIA liber. 1223
DE PATIENTIA liber. 1249
AD UXOREM liber I. 1273
Liber II. 1287
DE CULTU FOEMINARUM, liber I. 1303
Liber II. 1315

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Notandum est 1° *omnes, quæ passim in* Apologetico *occurrunt, notas, nullo auctoris nomine subsignatas, ad perpetuum Havercampii commentarium referendas esse.* 2° *Varias lectiones quæ singulis fere columnis excitantur ex editione Parisiensi, acceptas fuisse ab editione prima Parisiensi, cura Sigism. Gelenii, 1568, paucissimis exceptis, quas editores hauserunt ex edit. Priorii Paris.* 1664. 3° *Ob nimiam Tertulliani operum copiam ingentemque tomi utriusque molem ita defuisse indicibus locum, ut vix ad posterioris tomi calcem Tertullianeæ latinitatis lexicon reponi potuerit, index vero rerum omnium amplissimus ad tertium, quem absolvet, tomum rejici debuerit.*

Col. 60 C, Cassiodorum, *lege* : Cassiodorus. — 82 C, cum S. Zephyrini XVIII fient anni XLII, *l.* : his addantur anni XVIII S. Zephyrini, fient anni XLIV. — 150 D, sufficientia,. : Sufficientis. — *Col. eadem*, adornata cæteris, *l.* : adornata, cæteris. — *Ibidem*, Siclis, *l.* : Sigliis. — 155 D, Barinonensem, *l.* : Barcinonensem. — 166 A, Tertullianus, *l.* : Tillemontius. — 174 D, Habet, *l.* : habes. — 201 A, Apoca se, *l.* : Apoc. a se. — 281 B, mandacils, *l.* : mendaciis. — 307 D, adio, *l.* : *odio*. — 338 D, αὖ δὲ τὸ μυσὰν, *l.* : αὖ δ' ἐν' ἐμύξαν. — 350 B, In frac., *l.* : Infra c. — 352 A, B. *lin.* 17 *ante lin.* 15 et 16 *anteponenda est*. — 354 B, anseris aquilæ, canis galli, *lege* : anseris, aquilæ, canis, galli. — 360, C, *delenda quæ ad Morell. gemmam pertinent.* — 367 D, legabatur, *l.* : legebatur. — 368 D, scopulis, *l.* : scapulis. — 373 B, formem, *l.* : formam. — 382 B, nobis, *l.* : nos. — 397 D, amen, *l.* : tamen. — 401 C, *Et dies tenebresceret, Amos*, l. : *dies tenebresceret, Amos*. — *Ibid.*, *erit*, l. : *Et erit*. — 407 D, *nullus, hominum, l.* : *nullus hominum*. — 413 D, confu vocis et valentissione simo, *l.* : confusione vocis et valentissimo. — 420 B, *sanctum*, l. : *sancta*.— 437 D, Casobonus... Claudi, *l.* : Casaubonus... Claudio. — 445 C, liq., *l.* : lib. — 446 D, otantis, *l.* : orantis. — 461 D, vivis, *l.* : Vivis. — 462 D, potere, *l.* : petere. — 463 A, mnnicipia, *l.* : municipia. — 465 B, inicitiæ qune im, *l.* : ininicitiæque. — 474 D, pe-, *l.* : per. — 475 D, μήτους, *l.* : μήτιστος. — 479 D, ανίρους, *l.* : ἀγρίους. — 481 A, creptam, *l.* : ereptam. — 483 B, afferrit, *l.* : asserit. — *Ibid.* D, constæ, *l.* : confitæ. — 484 B, sique, *l.* : si qua. — *Ibid.* C, conantar... tenut, *l.* : conantur... tenus. — *Ibid.* C, digitu, *l.* : digiti. — *Ibid.* C, Ilium, *l.* : alium. — 485 B, promorunt, *l.* : pomorum. — 487 B, peccatorem, *l.* : precatorem. — 488 D, differamas, *l.* : differamus. — 491 B, Est est, *l.* : est et. — *Ibid.* D, numerum, *l.* : munerum. — 504 D, *Huc*, l. : *Huic*. — 514 C, Itut., *l.* : Institut. — 537 B, collapsæ, *l.* : collapsas. — 540 A, defendi, *l.* : defendit. — *Ibid.* D, Quorum, *l.* : Quos. — 533 B, deferendum, *l.* : deserendum. — 555 C, νίμας, *l.* : νίμας. — 562 D, λλα, *l.* [illegible]. — 570 A, opinior, *l.* : opinor. — *Ibid.* B, tabo, *l.* : tabe. — *Ibid.* C, Iluguatuli, *l.* : linguatuli. — 578 A, præcedent, *l.* : præcedant. — 580 A, amen, *l.* : tamen. — 656 D, constabellant, *l.* : conflabellant. — 659 D, lunnnculus, *l.* : lucunculus. — 699 B, Cassani, *l.* : Cassiani. — 706 D, legum, ad, *l.* : legum ab. — 710 A, dipensat, *l.* : dispensat. — 739 B, Adire, *l.* : audire. 766 A, Atis, *l.* : At is. — 813 B, arbitrabantur, *l.* : arbitrabatur. — 838 D, Mariionis, *l.* : Marcionis. — 899 B, extorquendem, *l.* : extorquendum. — 1149 A, *Septimianus*, l. : *Septimius*. — *Ibid.* B, Indigitat, *l.* : Indigitatur. — 1175 B, id, *l.* : in. — 1182 B, *peccatorum*, l. : *peccatorem*. — 1199 C, videtis, *l.* : videsis. — 1215 C, κελεῖ ἄτει, *l.* : κελεύει. — 1260 C, dorminus, *l.* : dormimus.

ADDENDA QUÆ SEQUUNTUR AD LITTERARIOS TERTULLIANI ANNALES.

ANNO 1702.

Beatus card. Joseph. Mar. Thomasius primum suarum Institutionum Theologicarum vulgavit tomum, in cujus capite edidit librum Tertulliani de Præscriptionibus adversus hæreticos. Rom. in-4°.

ANNO 1769.

Cum easdem Vener. beati Thomasii Institutiones Theologicas antiquorum Patrum recenseret ac denuo in lucem ederet Ant. Franc. Vezzosi, C. R., iterum eodem curante prodiit liber de Præscriptionibus nonnullis, auctus notis quæ sanam sapiunt doctrinam eximiamque eruditionem. Romæ, ex typogr. Marci Palearini. In-4°.

ANNO 1840.

Inter Scriptorum Ecclesiasticorum opuscula præcipua quædam Martin. Jos. Routh, S. T. P. collegii S. Magdalenæ Oxon. præses, duos Tertulliani libros, de Oratione nempe ac de Præscriptione hæreticorum, edidit, notisque aliorum et suis ornavit, nec non et novo lectionum ad calcem rejectarum ex Ambros. cod. acceptarum spicilegio adauxit. Edit. altera, Oxon. Dolendum istud eximium opus non, nisi toto hoc nostro opere absoluto, in manus nostras devenisse, cui tamen qualemcumque in tertio tomo, ubi indici, locum dabimus.

ANNO 1843.

Tantum referre nobis licet, eodem tempore quo hæc nostra editio typis mandatur, simul et in lucem exortri alteram Tertulliani editionem, cur. H. A. Woodham, Cantabr.

Index analyticus amplissimus tomum tertium absolvet.

FINIS TOMI PRIMI.

Digitized by Google